PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR : HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CLXVII.

R. D. D. RUPERTUS ABBAS MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXVII CONTINENTUR

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

Commentariorum de operibus S. Trinitatis libri XLII.	*col.*	198
Liber Genesis.		199
— Exodus.		565
— Leviticus.		745
— in Numeros.		837
— in Deuteronomium		917
— in Josue.		999
— Judicum.		1025
— Regum.		1059
— in Isaiam.		1271
— in Jeremiam		1363
— in Ezechielem.		1419
— in Danielem.		1499
— in IV evangelistas.		1535
De operibus Spiritus sancti.		1571

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SÆCULUM XII

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS

MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS

VIRI LONGE DOCTISSIMI SUMMIQUE INTER VETERES THEOLOGI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM VENETAM ANNI 1748 PRÆVIA DILIGENTISSIMA EMENDATIONE AD PRELUM REVOCATA, VARIISQUE MONUMENTIS AUCTA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS PRIMUS

VENEUNT 4 VOLUMINA 32 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

***RUPERTUS** S. Laurentii in suburbio Leodiensi Monachus (postea ABBAS TUITIENSIS) tardiori ingenio remedium a Virgine Matre, coram hac imagine lapidea, in ejusdem monasterii Ecclesia, impetrat anno MCXXI.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

PROLEGOMENA

CLARISSIMIS PLURIMUMQUE COLENDIS

RECENTIS ISTIUS EDITIONIS

PRIMIS SOCIIS

MICHAEL PLEUNICH S. P. D.

Novam hanc editionem omnium Operum Ruperti abbatis Tuitiensis viri undequaque spectatissimi, aggressurus, statim animo agitare cœpi de patrono, dignitate, doctrina pietateve conspicuo, diligendo, cujus præsidio validaque tutela editio fortunata prodiret ac securior. Eximias namque hasce lucubrationes non nisi viris clarissimis nuncupandas esse arbitrabar. Dum hæc itaque mecum ipse versarem, diutius mihi, ut decernerem, non fuit immorandum; illico enim non unam, sed vos omnes editioni hujusmodi perficiendæ socios primitus inscriptos, viros profecto selectissimos, menti meæ oblatos animadverti; vobisque proinde, utpote egregiis dotibus insignitis, Opera hæc noviter cudenda volui nuncupata. Siquidem vos inter in primis nonnulli hujus Venetæ augustissimæ reipublicæ patritii emicant, qui claritati generis virtutes quasque viro nobili dignas, omnigenamque copulant eruditionem. Sunt item et alterius ordinis, præcipuo loco et cultu habendi, viri utriusque juris peritissimi, ac laurea doctorali merito donati, nedum industriam navantes operam, ut æqua lance quod suum est unicuique tribuatur, verum etiam optimis litterarum studiis incumbentes. Postremo, et fortasse priori loco non immerito nominandos, viros sacris addictos in sociorum albo recensitos aspicio, quorum probatam pietatem et doctrinam nemo non ignorat; imo veluti ecclesiasticæ disciplinæ, graviorumque studiorum assertores cuicumque cordato homini commendantur. Hæc brevi calamo tantummodo innuisse sufficiat, nam si fusiori uniuscujusque vestrum merita et insignia præfulgida mihi essent commemoranda, et modestiam summam, qua exornati estis, offenderem, et oratio nimis prolixa, ni dicam minus grata, progrederetur. Si genio vestro igitur, si brevitati ego indulgere cogor, fama tamen, quod vos, editionis hujus initiis, adeo laudabiliter gessistis, quominus palam faciat, non distinebitur. Cum enim Ruperti Opera pluribus abhinc annis in Italia desiderarentur, ut vix ac ne vix quidem magno pretio comparari possent, vestra præcipue cura factum est, ut eadem nunc, primis hisce nostris Venetis imo et Italicis typis, commodiori sumptu, cuicumque habenda prostarent. Addam insuper, quam prompto libentique animo mihi suppetias dedistis, quibus, quam citius fieri posset, Rupertiana volumina recuderentur. Quæ cum ita sint, quis non videat, vos de litteratorum republica, deque me potissimum, optime meritos esse? Ob idque honestissimum vobis nomen obtigisse? Hæc sane in causa fuere, cur ego ad novam hanc editionem, proprio quodammodo jure vobis vindicatam, vobis ipsis inscribendam pari ratione me obstrictum cognoverim. Superest modo, viri vel collectim vel singillatim indubie clarissimi, ut nuncupationem istam, quod enixe a vobis peto, in observantiæ meæ certissimam tesseram, ea, qua polletis, eximia humanitate excipiatis; meque laborumque meum pergatis vestro patrocinio fovere, quo studiosorum utilitati et commodo in dies vacare valeam. Interim supremum Numen obtestor ut vos ad annos Nestoreos servet incolumes.

Datam Venetiis ex meo typographio IV Nonas Decembris 1748.

LECTORI BENEVOLO TYPOGRAPHUS.

En tibi exhibeo, humanissime lector, non Auricomaritam, aut Anagyrim, cujus contactu, vel tetro odore manus imbuas, vel rem tibi molaris exitiosam, sed mire olens, ut ita dicam, cinnamomum, lucubrationes, videlicet præstantissimi Ruperti abbatis Tuitiensis, in quarum attrectatione studiosa, quo plus versatus fueris, eo magis fragrantiam Christianarum cogitationum te redolere, imo et suavissimum, tibique perquam proficuum liquorem ex illis expressisse cognosces sanctorum facinorum. Fruere igitur bonis avibus meo labore; neque enim ego alia mente illas prelo instauravi reliquasque sum instauraturus, nisi ut tuo commodo ac emolumento prospicerem. Quantum vero attinet ad opus integrum Rupertianum cudendum satis superque, in monito ad hanc editionem præmisso, verba feci de illius auctario ac partitione, deque omni alia re ad illud affabre meis typis compiendum; proindeque, ne videar crambem coctam recoquere, prætereo recentem characterum fusionem, papyri delectum, et castigatoris vigilantiam; tuum erit dispicere, amice lector, num hactenus fidem datam exsolverim; equidem, quoad me, nihil prætermisi, neque prætermittam, quin facta promissis respondeant. Velim tamen scias Dialogum inter Christianum et Judæum nostri Ruperti me deprompsisse ex Operibus D. Anselmi, editionis Venetæ anni 1745, in quorum calce impressus legitur; itemque libros duos De vita vere apostolica; et Historiam insignis monasterii S. Laurentii Leodiensis, ex Anecdotis excerpsisse clarissimi viri Eamundi Martene, cujus etiam prologos in eosdem respective lucubrationes adjectos volui, quibus evincitur illos genuinum esse fetum nostri Ruperti. Hæc omnia porro, sicuti et Apologiam adversus oppugnatores doctrinæ Ruperti, a Gerberonio, ejusdem instituti viro, exaratam, Parisiisque typis vulgatam anno 1669. Quia tandem de hujusmodi opusculorum accessione locutus sum, mihique religio est neminem sua laude frandare, ingenue fateor, lector humanissime, quod si auctarium, si alia cætera spectes, quæ hanc editionem præ omnibus jam vulgatis facinnt præstantiorem, mihi auctorem adjutoremque potissimum exstitisse rev. adm. P. Gregorium Cannoni, Eremitam Augustinianum, qui, pro ea qua pollet sedulitate, operam suam libentissime contulit in ea tum præfatis opusculis locupletanda, tum omnibus numeris absolvenda. Hæc de studio in hac re nostro dixisse sufficiat. Vale.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

VITA D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

AUCTORE JOANNE TRITENHEMIO.

Rupertus, abbas Tuitiensis cœnobii, juxta Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis, Spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus, et sæcularium litterarum non ignarus, monachus Sancti Laurentii Trajectensis, propter incredibilem eruditionem suam a Friderico Coloniensi archiepiscopo inde assumptus, et in abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus, multa præclara opuscula composuit. Ex eo siquidem tempore quo cœnobium in juventute sua ingressus est, tantum se Scripturis sanctis exercitaverat, ut nec dormiens quidem a meditandis illis videretur posse quiescere, quin lingua et labia ejus quasi legendo moverentur. De cujus opusculis ego tantum ad præsens reperi subjecta :

Ad Cunonem abbatem Sigebergensem, postea episcopum Ratisponensem :

De victoria Verbi Dei lib. XIII. *Nuper cum tu hospes op.*
In Genesim lib. IX. *Quicunque fideli animæ dum.*
In Cantica canticorum lib. VII. *Qui contra hominem similem.*
In librum sancti Job lib. X.
In libros Regum de David lib. XV.
De S. Trinitate in Vetus Testamentum lib. XLII.
In Apocalypsim Joannis lib. XII. *Ut tu quoque, o venerab.*
De officiis divinis lib. XII. *Ea quæ per anni circulum.*
Meditationes de incendio Tuitiensi lib. III. *Ecce quomodo criminator.*
In duodecim prophetas minores lib. XXX.
In Evangelium Joannis lib. XIV.
Apologeticum ejusdem operis lib. I.
In Evangelium Matthæi lib. VIII.
Super Regulam S. Benedicti lib. I.
Epistolarum ad diversos lib. I.

Denique fertur et alia plura scripsisse, et Novum et Vetus Testamentum pro majori parte in multis libris explanasse : de quibus usque in præsens nihil vidimus præter ea quæ signavimus. Claruit multa sanctitate, doctrina et miraculis coruscans, sub Henrico V, anno Domini, 1124, et sub Lothario tertio moritur.

Epitaphium saxo monumenti incisum Tuitii.

ANNO DOMINI MCXXXV. QUART. NON: MARTII.
OBIIT VENERABILIS PATER AC DOMINUS RUPERTUS
ABBAS HUJUS MONASTERII,
VIR DOCTISSIMUS ATQUE RELIGIOSISSIMUS,
UT IN LIBRIS SUIS QUOS EDIDIT APERTISSIME CLARET.

ORATIO JOANNIS

SPANHEIMENSIS ABBATIS

In laudem et commendationem Ruperti quondam abbatis Tuitiensis, viri clarissimi, religiosissimi atque doctissimi ad instantiam D. Gerlaci de Breitbach abbatis Tuitiensis composita.

Maxime optarem, religiosissimi fratres, eam mihi dicendi vim collatam a superis, qua Ruperti vestri clarissimi quondam hujus Tuitiensis cœnobii abbatis præclara merita, ornatissimos mores, cumulatissimasque virtutes condignis laudibus possem affari. Talis enim ac tantus vir erat is, ut ejus meritis nedum mea, sed cujusvis oratoris eloquentia longe inferior judicetur. Nam si vitæ sanctitatem inquiras, homo religiosissimus erat : si scientiam, undecunque doctissimus : si mores, omni honestate insignis. Claris enim parentibus ortus, fide clariori effulsit, dum pro Dei amore sæculum contemnens se monasticis cum magno fervore submisit institutis : malens pro Deo cum legislatore nostro Benedicto laboribus fatigari, quam sæculi hujus favoribus inaniter extolli. Potuit enim transgredi, et non est transgressus, et facere mala, et non fecit : sed semetipsum humilians secutus est Dominum, contemnens pompam sæculi, ad cœlestia regna, ut confidimus, feliciter pervenit. In monasterio autem constitutus, se omnibus inferiorem æstimavit : qui sanctis Patribus compar exstitit. Fuit enim intuentibus exemplar honesti, forma vivendi, regula pietatis. Electus autem in abbatem Tuitiensis monasterii, qualem se præbuerit subditis, quam pium, quam sollicitum, quamque, ubi oportebat, severum, quis sermo explicabit ? Erat enim incessu gravis, voce sublimis, ore facundus, vultu placidus, in motu vel

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

actu corporis honestus. Quantum vero ad interiorem hominem pertinebat, erat fide firmus, spe certus, gemina charitate repletus, sapientia clarus, fortitudine robustus. Erat ei honestas in actione, sobrietas in consuetudine, humilitas in prosperitate, patiens in adversitate constantia. Erat pastor ovium Christi peridoneus qui se omnibus opportune noverat exhibere rectorem. Mansuetus erat, affabilis, superbis terribilis, devotis per humilitatem sòcius, dissolutis per auctoritatem metuendus. Ad se autem erat in oratione devotus, in meditatione profundus, in lectione studiosus, in contemplatione divinorum præcipuus. Nemo illum unquam reperit otiosum, cui indeficiens erat studium Scripturarum. Semper legit, semper scripsit, semper oravit, ut velut alter Origenes sive Hieronymus hunc vivendi ordinem sibi constituerit, ut orationem lectio susciperet, et oratio lectionem terminaret. Tam vero assiduus exstitit, ut nullum tempus, sive diurnum, sive nocturnum fuerit, quod tum vigiliis, tum lucubrationibus ignavum, aut feriatum sibi præterire passus sit : sibi interdiu cibum, et somnum reliquaque corpori necessaria subtrahens, ut studio commodius insisteret Scripturarum. Probant hoc accurata, quæ conscripsit, opuscula, in quibus omni modo scientiæ doctrina collaudatur. Magna sub eo disciplina religionis in Tuitiensi monasterio viguit : devotio maxima fratrum arsit : studium scientiæ salutaris floruit : charitas geminata in eis radiavit. Sub sancto et docto pastore ovium secure triumphavit integritas. Solebat fratres suos incredibili fervore ad studium Scripturarum accendere : ab eis propositas sibi quæstiones enodare : ad proponendas crebrius libenter excitare. Sciebat enim vir sapiens, duplex in hoc latere commodum, quando illis scite respondendo et se docium, et illos redderet studiosos. Unde in quotidiano et familiari ejus colloquio, sermo turpis, inutilisve nunquam solebat audiri : detractio nunquam admiscerì, sed erat sermo ejus de animæ salute, de religionis profectu, de sanctarum majestate Scripturarum. Jucundissimus ei erat convictus sapientiæ, quæ in sanctis litteris continetur, quam sine fictione didicit, et absque invidia desiderantibus communicavit. Cum autem esset adhuc minus eruditus tam in sæcularibus litteris quam in Scripturis divinis, orando continue et legendo petivit a Deo cum Salomone donum sapientiæ : nec ab oratione incepta, donec Spiritu sancto per visionem inspirante copiosissime ultra omnes contemporaneos suos, quod optaverat, accepit. Erat autem beatæ Mariæ semper virginis ardentissimus amator ; cujus intercessione tantum sapientiæ munus obtinuisse creditur. Ad cujus laudem postea, ne ingratus fieret beneficio, Cantica canticorum septem libris exposuit : ita ad ejus honorem universa referens, ut ejus intuitu specialiter conscripta videantur. Ego autem alium neminem hujus expositionis generi in Canticis reperi desudasse. Et revera mirandum et plane commendabile opus, quod sine exemplo in tantum laudis virgineæ Genitricis Dei altitudinis fastigium profecit. Qualis in disciplinæ regularis observantia Rupertus noster fuerit, liber, quem super regulam S. Benedicti composuit, lectus indicabit. Neque enim aliter vixit, quam in expositione legis nostræ vivendum monachis fore intimavit. Erat sermonis sancti factor devotus, et doctor fructuosus. Quantum vero in divinis Scripturis legendo profecerit, tredecim libris, quos *De victoria Verbi Dei* ad Cunonem Sigebergensem abbatem edidit, liquide ostendunt : in quibus totam Scripturam percurrens, dum victoriam Verbi divini subtiliter aperit, nostræ salutis rationem in ea consistere declaravit. Scripsit etiam super Vetus Testamentum de sancta Trinitate prænotatum opus egregium. Quod si legere volueris, quid in sanctis Scripturis potuerit, facile videbis. Nam, ut jam diximus, per divinam pietatem illustratus, tantum in exponendis Scripturis valuit, ut in omnium admiratione maxima habitus, doctor suo tempore doctorum sit publice probatus. Hoc Fredericus Coloniensis archiepiscopus pluries in eo expertus, magna charitate virum colebat. Unde sedulo ad expositionem Scripturarum illum hortabatur. Et merito quidem in omnium honore et reverentia habendus est, quem Spiritus sanctus in agnitionem Scripturarum instruere dignatur. Denique non solum in divinis Scripturis hierophántes noster illustrari meruit, verum etiam in sæcularibus litteris adeo eruditus comprobatus est, ut quidquid ipse non cognoverit, alius facile ignoraret. Quam dulcis, quam ornatus ac disertus fuerit eloquio, libri quos pene scripsit innumerabiles, requisiti fatentur. Ingenii autem vires et profunditatem scientiæ facile comprobabis, si in lectione eorum quæ scripsit, aliquantulum fueris commoratus. Amoris enim divini, quæ interius ardebat, vis, verba quoque exterius ardentia formabat, quia dum ex abundantia cordis ferventis os loquitur, ultra consuetudinem hominis sermo in altum elevatur. Charitas quippe Dei, quæ in pectore docentis fervebat, nullum ex ore verbum otiosum, vel inutile cadere permittebat. Erant itaque verba ejus ardentia, plena rationis et utilitatis, matura, et quadam auctoritatis majestate veneranda. Erat interdum jucundus, dissolutus nunquam, quia maxima in ejus moribus honestas videbatur. Idoneus erat valde ad persuadendum, ut etiam Hortensius in ejus comparatione deficeret : quippe qui multorum animos fratrum suis exhortationibus mellifluis in unitate pacis conservavit. Intuebantur eum fratres sui, ut angelum conversantem, in quo totius religionis speculum, et norma relucebat. In omnibus enim se eis imitabilem exhibuit, qui se omnium curam noverat suscepisse. Puritatem cordis in tantum amavit et coluit, ut etiam illas negligentias minimas cogitationum velut magnas deploraret. Omnis negligentia sibi culpa videbatur, qui ad mentis puritatem aspirabat, unde ut peccati maculas devotus absergeret, orationibus sedulis pene cum lacrymis instabat. Dulcis erat illi somnus mysticus operanti, qui in floribus paradisi commoratus fructus suavissimos in oratione carpebat. O sancta viri devotio, quæ nunquam sinebat esse otiosum. Nam ut lectioni sacræ quietius posset insistere, curam rei familiaris abhorruit : amavit secretum, tumultus hominum vitavit. Sollicitudinem vero temporalium, sine quibus spiritualia non possunt subsistere, idoneis fratribus commisit : ipse autem orationi et studio vacavit. Cura enim temporalium, et amor Scripturarum in uno pectore habitare non poterant. Tranquillam enim, et vacuam curis, sapientia mentem imbuit, et placidi pectoris hospes erit. Ipse vero erat homo placidus, et mansuetus, nec cito mobilis ad iram : sed corde mitis, qui bene furorem noverat superare. Sedebat solitarius, et levavit se supra se, dum mundum fugiens, in campo Scripturarum multa ac varia syntagmata composuit, de cujus opusculis, quantum ad nostram memoriam pertinebat, jam in secundo libro De illustribus viris nostri ordinis, fecimus mentionem. Erat enim, ut diximus, homo undecumque doctissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, eloquio dulcis, et ornato lepore decorus, qui nescios docuit, errantes correxit, confudit hæreticos, superbos prostravit. Amator virtutum erat ornatissimus, et hostis vitiorum. In suis enim moribus defit intelligi quid in cæteris amaret. Detestabatur superbiam, avaritiam calcavit, luxuriam vicit, iram domuit, odium fugavit, invidiam expulit, gulam prostravit. In paradiso Scripturarum fixit desiderium cordis : et ideo nullus potuit in eo vitiis patere accessus. Nam frequentia ejus jejunia, crebræ carnis macerationes, juges orationes, vigiliarumque instantia, vitiorum in eo vires exstinxerunt. Non est virtus, quam Ruperti conversatio nesciret. Charitas enim Dei in eo diffusa ardebat, fides floruit, spes erecta vigebat, prudentia sancta claruit, temperantia discreta triumphavit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Erat corde humilis, eloquio dulcis, affectu pius, opere strenuus, disciplina zelosus, corpore castus, animo quietus, oratione continuus, studio fervidus, prudentia cautus, devotione præcipuus, zelo discretus. Et quid opus est, me multa percurrere, dies me profecto deficeret, si singulas virtutes ejus enumerare velim. Excedunt enim ejus merita oris mei facundiam : et styli vires facile superant. Und' quamvis inter divos Patres non sit relatus ab Ecclesia, credimus tamen cum sanctis eum in cœlesti beatitudine festivare. Nec multum de hac negligentia sollicitamur, quia non in hac vita sanctitatis præmia, sed in futura novimus esse donanda. Festa autem sanctorum non faciunt sanctos, sed probant. Et honores justis impensi nihil illis conferentes, ad utilitatem viventium referuntur. Sed quis dubitaverit innumerabiles cum Christo regnare sanctos, quorum apud viventes nulla festa celebrantur? Sufficit illis æterna jam possessa felicitas : quibus negligentia nostra nihil minuit, impensus honor nihil augebit. Ergo si vita religiosa sanctos constituit, Rupertus Tuitiensis abbas jure sanctus censendus est, quem doctrina illustrem, conversatio venerabilem fecit. Insigne sanctitatis est, si is qui honore colitur, sancti Spiritus testimonio justus comprobetur. Sicut olim apud Syros beatus levita et monachus Ephræm Spiritu sancto per visionem doctor ardens constituitur, sic Rupertus presbyter noster et abbas, eadem facultate illustratur. Æqua virtus, præmium æquale meretur. Nec dicimus scientiam Scripturarum ad sanctitatem sufficere, quam boni et mali possunt habere communem : sed de illa virtute charitatis loquimur, quæ sola inter bonos et malos discernit. Hæc Rupertum terris venerabilem, et cœlis reddidit gloriosum. Merito ergo sanctus creditur, qui gemina charitate refertus, et Deum pura mente coluit, et proximum tanquam semetipsum amavit. Non enim sibi solum laboravit, quod multi faciunt, sed omnibus exquirentibus veritatem.

Sanctus laborat, dum orationi et contemplationi intentus, proximum erudire et informare recusat. Rupertus autem noster omnibus providit, dum et sibi per orationem, et aliis per doctrinam intendit. Et ideo duplici honore dignus habendus est, qui bene præesse curavit, fratres etiam suos hujus Tuitiensis cœnobii ad regularem observantiam vivere adeo diligenter instituit, ut etiam post ejus decessum, annis multis, laudabilis vita monachorum inibi permansit. Sed tempore succedente, devotio monachorum retrorsum tepuit, et mundialis pompa sanctam observantiam penitus destruxit. In qua deformitate per plures annos multi miserabiliter perierunt : donec tu tandem nostris diebus, Gertace pater venerande, surrexisti, teque murum opponens pro domo Dei, antiqua Ruperti viri clarissimi, tui antecessoris vestigia suscitasti : et in hoc loco pervigili cura introduxisti ordinis reformationem. Unde qua possum sedulitate te, tuosque exhortor fratres, ut observantiam introductam laudabiliter continuetis : ab eo laborum vestrorum receptari præmium, qui bonis operibus donat incrementum. Intueamini Rupertum vestrum, de quo loquimur. Et quantum possibile est, ad ejus imitationem festinate, qui talis tantusque exstitit, ut sua vita omnibus præbeat exempla virtutum. Quid enim illi deesset virtutis, qui ita vixit, ut ne curiosis quidem oculis daretur occasio detrahendi? Summa prudentia, summa religio, summa pietas in eo relucebat, ita ut cunctis in exemplum vivendi positus videretur. O venerabilem virum, cujus tota conversatio, doctrina erat, cujus mores ad pietatem non minus, quam verba faciebant. Constituit eum Dominus super familiam suam, traditisque talentis ad usuram sanctam, præcepit esse sollicitum, qui curam suorum gerens fideliter, pecuniam Domini sui mysticam ad lucra magna exposuit : dum affectu purgatus, donum quoque intellectus, quod accepit, ad utilitatem multorum dilatavit. Charitas enim Dei, quam gerebat in pectore, eum ad opera pietatis semper excitabat. Amor quippe Dei nunquam est otiosus : operatur enim magna. Quia dum interius ardet in mente, foris illuminat in operatione. Unde Rupertus nunquam fuit otiosus ab opere : quia ardebat interius ex amore. Magnus amor magnum producit incendium : qui totis desideriis salutem sitivit animarum. Sciebat enim vir prudens, quod super omnia sacrificia zelus animarum in conspectu Dei placeret. Multos igitur erudivit ad justitiam, et ab iniquitate plurimos averlit. Jam autem in cœlestibus gaudens, recipit mercedem laborum suorum : ad cujus gloriam si pervenire cupimus, ejus oportet vestigia sequamur.

DECLAMATIO

DE RUPERTO ABBATE TUITIENSE

Ex suis ipsius libris conscripta

AUCTORE MATTHIA AGRICIO WITLICHIO.

Veteris moris est, auditores humanissimi, insignium virorum laudes oratione celebrare. Animadversum namque est a sapientibus ejusmodi laudum prædicatione, atque nobilitate generosis constantiam, ignavis calcar addi, uti videmus tubarum cantu acrium militum animos reddi confirmatiores, degeneres excitari. Quanquam recordanti Græcorum morem vetustissimum subit funebres orationes, seu monodias plerasque fortium virorum laudes, qui pro aris atque focis pugnantes in acie ceciderant, complexas fuisse, consuetudine postea translata, cum ad cæteros, tum vel maxime ad eos qui ingenii doctrinæque laude pluribus sui temporis hominibus præstitissent. Meminit Lysias Græcus orator, et Cato in *Originibus* suis. Certe litterarum gloria apud omnes semper gentes, quas non extrema barbaries disjunxit, avertitque ab eis, omnibus partibus nobilissima fuit. Exstat regis cujusdam Hierosolymorum elogium, qui dixit se malle diademate quam litteris carere, quod hactenus illi sempiterno fuit honori. Ac me certas ob causas cursim legente nonnulla Ruperti abbatis Tuitiensis opera, fateor ingenium, doctrinam et pietatem tanti viri, quorum illustria vestigia impressit suis scriptis, admirationem magnam, jucundam tamen animo subjecisse meo. Itaque cursum vitæ suæ, quemadmodum ipse longe omnium certissimus testis sparsim memoriæ tradidit, hac declamatione persequi volebam. Neque hic vestram attentionem exci-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tabo, cum ante sciam vos omnes nobilissimi doctoris laudes arrectis auribus libenter excepturos. Progrediar igitur ad narrationem historiæ.

Quæ patria Ruperti fuerit, quique natales, juxta mihi incompertum est. Germanum fuisse natione, docti homines Trithemius et Cochlæus testes sunt. Quanquam Atheniensisne sis, an Seryphius, parum referre statuo, modo virtutibus majores tuos adæques, aut si ignobili loco natus sis, ornamentis ingenii, atque recte factis majorum ignobilitatem illustres. Virtus enim neque natalium imaginibus, neque census magnitudine, circumscripta est, neque tenuium sordes aspernantur, omnibus in quibus amor laboris cernitur, ex æquo suæ claritatis communicans fructum. Et plures obscuri mihi videntur numinis afflatu, et generosi animi contentione ad tantam emersisse gloriam, cujus memoriam nulla vel temporis vetustas obruere potest, quam claris orti natalibus. Non sanguinis et familiæ conditione, sed virtutis amore spectantur ingenia. Notum est illud Ausonii de Severo imperatore :

Punica origo illi, sed qui virtute probaret
Non obstare locum, cum valet ingenium.

Rupertus igitur jam inde a puero ad omnem officii pietatisque rationem eruditur in cœnobio S. Laurentii prope Leodium, cui ante biennium impia sectariorum manus faces intulit, sub Berengero abbate, ususque præceptore Heribrando, viro fideli et prudenti, sub quo ut ætate, ita et puerilis disciplinæ adolevit perceptione, tanquam, qui illud antiqui comici ruminaret :

Ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς.

(1) Neque aliter facere potuit, ac ii quibus cum vitæ consuetudine conjungebatur, quibus assiduum studium erat ad instar cœlestis istius societatis Deum sempiternis laudibus ferre, ac in omnis pietatis meditatione versari. Eleganter Basilius : Ἄσκησις, inquit, τῆς εὐσεβείας τὴν ψυχὴν ξέφει τοῖς θείοις δωνοῦμενοι, usitatum erat his temporibus, ut nonnullis prioribus, pueritiam in cœnobiis doceri, præcipue iis qui ordinis D. Benedicti erant, unde multi claræ memoriæ viri, inter quos Bonifacius primus archiepiscopus Moguntinensis, et Beda omnibus modis presbyter venerabilis numerantur, processerunt. Nunc aliquis conferat mores nostræ pueritiæ cum illo sæculo.

Quam neglecte, ne dicam impie, in multis locis puerilis educatio curatur. Nunquid contagione deliciarum domesticarum juventus inficitur? Nunquid dulcedine licentiæ corrumpitur, morumque perversitate, ne dicam errorum, depravatur, antequam vel ad virtutis alicujus, vel ad judicii maturitatem perveniat? Quis, inquam, justas dolendi causas sibi abesse negare possit, cum nostra ætate ubique fere terrarum bene multa exempla ob oculos habeat? Docet difficultas litteratorum fidei, atque diligentiæ postea objecta in distortis corruptisque quorumdam ingeniis refingendis, de quibus jure illud sapientissimi poetæ jactatum meminimus :

Ξύλον ἀγκύλον οὐδέποτ' ἀρθόν.

Ut enim candida lana nativum colorem plane nunquam recipit, si semel peregrino colore fuerit tincta, ita animus puerilis, semel pravis seu moribus seu erroribus corruptus, ad pristinam innocentiam difficillime, vel potius nunquam refingi potest : manent in omnes annos consequentes notæ, et signa quædam, seu rudi tabulæ impressa liniamenta.

Quid de adolescentia nostri Ruperti dicam? Plurima hercle sese offerunt dicenda, sed tempore excluso potiora capita attingenda erunt. Hæc non in uno genere laudis efflorescebat. Pietatem namque in primis, ut dixi, domestica consuetudine adductus complectebatur, cujus quotidianis auctibus religiosissimus evasit, quæ ut omnia cætera, quæ quidem in bonis sunt assiduitate progressionis, augescere vult. Excepta autem pietate nihil est, quod hominem vere suavi delectatione satiare, aut securitate, conscientiaque optimæ voluntatis munire, aut etiam copia, saturitateque omnium rerum explere possit. Sola pietas tanquam pabulum Christianæ animæ, non tantum studii, et doctrinæ merito jure censetur, estque ea demum sola vita, quæ ut plurimum in pietatis, honestatisque cultu vivitur. De quo ipsum Rupertum, in libro quem *De pietate* inscripsit, multo omnium pulcherrimo videre est. Ita pleno (quod dicitur) gradu progressus, in dies uberioris scientiæ cum pietatis laude singulari adæquabat opinionem, libenterque ferebat illud sibi occini.

I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia.

Paulinum illud animo φιλομάθη nunquam excidebat. Attende tibi, et lectioni, seque exercebat in omni genere litterarum, quod quidem tunc temporis in usu erat, modo styli temperandi gratia carmen in orationem liberam commutans, modo orationem liberam legibus carminis astringens. Et exstiterunt quædam opuscula carminum, item variarum odarum, quæ temporum injuriæ perlisse suspicor. Inter hæc, præter cætera nonnulla, carmen de Spiritu sancto fuit, cujus quoddam fragmentum exstat. *Vita divi Augustini. Vita S. Odoliæ virginis.* Cantus etiam ecclesiastici de S. Severo confessore. Idem cap. 26, *super Matthæum* testatur, hunc habitum ingenii ita præparatum, et quasi præcultum fuisse ad explicationem sacrarum litterarum suscipiendam. Cumque esset summo ingenio, summaque memoria præditus, colit eloquentiæ studia rectius cæteris, qui perpauci fuerunt, nec bonis studiis dediti, nec satis latine loquentes. Græcæ linguæ professio jacebat omnis, imo vix nomen (quæ istius sæculi etiam apud Italos fuit infelicitas), in schola manebat : eloquentia contaboerat, pro puritate nativa Romanæ linguæ sordes receperant, et desitum erat ad certum aliquod dicendi genus orationem formari ; placebant sordida assuetis. Et ut Ciceronis ætate idem floridus nitor, et eadem puritas, et proprietas ubique sui similis in ubere isto fetu scriptorum eluxit : ita latinitate obsolescente sordes probatæ sunt.

Quin et barbaries sæpe barbarie commutata est, ut quemadmodum ante ætatem Tullii paulatim Latinitas suum splendorem germanamque perfectionem assequebatur : florente autem Tullio, jam summorum hominum consensu elegantiam perfectamque copiam assecuta dicebatur, ita ab ejusdem obitu a summo candore in aliud dicendi genus recessisse atque degenerasse comperimus, idque, ut Tacitus et Suetonius boni scriptores narrant, desidia juventutis, et negligentia parentum, et inscitia præcipientium. Vixit autem Rupertus sæculo plane barbaro, et ab humanioribus litteris prope remoto. Quo magis admiror stylum Ruperti non inquinatiorem esse, sed potius eam gravitatis ac venustatis laudem habere, ad quam isto sæculo multi ne aspirare quidem ausi fuerunt. Non possum autem non dolere, cum videam renatis optimis juxta ac laudatissimis in omni genere doctrinæ in scriptoribus, ut et linguis, perversitate judicii nostrorum hominum languere multorum industriam.

Quotusquisque est qui sæculo felicissimo Ruperti diligentiam æmuletur, qui pocsim cum oratoria facultate conjungat tanta contentione ingenii atque laboris, idque hoc sæculo, quo nulla non laudabilis eruditio suam lucem accepit. In magna quandoque juventutis frequentia vix unus ac alter satis industrius in utraque parte reperitur.

Rupertus cum tenebris et caligine barbariei digna-

(1) Vide præfationem Ruperti in lib. De operib. Trinit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

diabatur : nos objectum lumen quam parum acutis, quam parum vigilantibus contuimur oculis? Quam pauci nativa proprietate dictionem suam respergunt, contenti qualicunque colore tinxisse orationem : ac poesis Christiana nonnullis etiam sordet, qui opinionem non modo pietatis, verum etiam doctrinæ habere debebant, quorum aliquibus illud Græci sapientis non sapiente dignum carmen crebris sermonibus usurpari suspicor.

Ἔργα δὲ κυπρογενεῦς νῦν μοῖ φίλα καὶ μενύσσω.

Ego ita existimo antiquissimos, sanctissimos pariter et doctissimos Patrum incredibilem voluptatem, imo sanguinem aliquem succumque pietatis ex poesi hausisse, colorem verborum interim nitoremque minime omnium respuisse. Profanam degustabant quidem, sacram observabant, cujus delectatione animos explebant. Ea tempestate poesis quasi fax pietatis inflammatæ frequentabatur, dum verbis et significantibus et arte figurata ad pietatem compositis hymni ecclesiastici templa complebant. Neque inani tantum sono metrum adhibitum ferire putetur aures, cum suavitate compositionis permulcæ, et animo jucunditatem ingenerant, Παρευγάρ καὶ ἄλυπον, inquit Græcus Theologus, τὰς ψυχὰς κατάστημα αἱ τῶν ὕμνων παρηγορίαι χαρίζονται. Rupertus juxta pulchre lib. v in lib. Reg., c. xxiii : « Musica, dicit, intus vi quadam et potentia naturali spiritum hominis movet, et cum decenter convenit, cum verbo vel sensu divinæ laudis concutit penetralia cordis, et illam, quam accepit homo, resuscitat in eo gratiam Spiritus Dei. » Quod optime experiens Psaltes, primus psaltes inclytus, dicit : « Os meum aperui et attraxi spiritum. » Ut Augustinus, referente Rabano, approbat consuetudinem canendi in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus ad affectum pietatis exsurgat. Norunt id ita esse, qui aures atque judicium ad hujusce exercitationis genus non ineruditum afferre possunt. Cæteri, ut absint a cognitione poesis, ita longius a spiritu isto : vel unus Beda consultus plenum fidem meis verbis astruet, qui non sat habuit versus optimos fecisse, et libros insuper nobis de re metrica reliqueret utiles. In hanc classem advocandi erunt Prudentius, Ambrosius, Prosper, Paulinus, Sedulius, Arator, Beda, cæterique viri quavis laude superiores, quorum cogitationes in hoc genere laboris pie casteque versatæ fructus ampliss:mos hactenus in Christianam societatem intulere. De recentioribus nihil dicam, cum inter hos qui pvrem venustatem cum simplicitate atque pietate expresserint, non desideremus. Nihil dulcius, nihil potentius sacra poesi, quam optimus quisque pro eo ac debet semper maximi facit.

Sequitur virilis ætas, quæ eum graviorum rerum admonuit. Relictis ergo studiis artium poeticesque quasi explicatis ingenii nervis, mentis aciem ad tractationem rerum amplissimarum, et intimis philosophiæ cœlestis abditis erutarum sustulit, prudenter odoratus delibansque lumina florum, quæ suavissime fragrant emicantque in patenti sacrosancto theologiæ campo, oculisque non corporum, sed animorum felicissime blandiuntur, solitus maxime matutinis vigiliis precibusque operam dare, quibus superfusa luminis desuper claritate totus Deo affixus, totusque nonnunquam splendidus fuit. Cum et ipse adjuratus a Cunone abbate Sigebergense, quem ut parentem reverebatur, omnique prosequebatur veneratione, scribit sibi Spiritum sanctum de nocte, ut globum ignitum illapsum, totumque pectus mira suavitate circumisse, hominemque totum sibi possedisse. Inde in explicatione hagiographiæ sapientiæ Dei, ut face prænitente admirabili cum facultate et utilitate versatus est. Cujus tantus in sacra lectione fuisse dicitur ardor, ut ne quietem quidem vivum corpus satis capere possit, labia etiam, ut studia diurna de nocte a labore quiescentibus occursant subinde, movere videretur. Quoties majores ingenii gratiaeque dotes in aliis intuebatur, assiduitatem precum suarum lacrymis perunscebat, condiebatque tantisper dum numinis gratiam abundantiorem ad ingenii profectum accessisse sentiret. Redeuntis a precibus tanta doctrinæ ubertate redundabat pectus, quantam vel duo tresve celerrimis digitorum articulis poterant excipere. Sero presbyteratus gradum attigit propter Romanæ sedis dissensiones, quæ mortuis auctoribus paululum conquieverunt, ita ut quis, cui adhæreret ecclesiastico magistratui, non satis certum haberet. Rupertus nihilominus nunquam feriari a susceptis laboribus visus, quanquam arma Henrici IV Germaniam pervagarentur, qui pontificis diris defixus ordinis ecclesiastici flagrabat odio gravi, nec esse uspiam tutum tam religioni, tum Musis domicilium : sed Ruperto, cui divinitus munus scribendi injunctum erat, quem toties Spiritus Domini sua aspiratione dignabatur, benigne fieri voluit Deus, cum cæteris non usquequaque bene esset. Ecquis autem nescit in Domini voluntate benevolentiaque positum esse, qua vitæ quave fortunæ conditione quemque velit uti, cum huic nonnunquam in tempestate et caligine sive bellorum, sive aliarum calamitatum, Alcedonia spirent, illi tempestas ipsa in caput inque fortunas omnes magna cum clade irruat. Erant plerique ecclesiastici id temporis in eadem fere causa, sed non in eadem fortuna. Siquidem probabile est ut consiliis et sententia, ita castris atque armis discedisse, præsertim imperatore in jura ecclesiastica invoiante. Ceciderat autem Ruperto percommodi quod ab archiepiscopo Frederico Coloniensi antea propter egregiam famam nominis scientiæque Tuitium traductus, illiusque loci abbas, ut reperio, decimus constitutus erat, ubi non solum ipse in rerum omnium perturbatione, tranquillitate litterarii, dulcisque perfruebatur otii, verum etiam aliis quibusdam imperatoris arma passim circumsonantia extimescentibus, hospitium tectumque præbebat. Nunquam non φιλόπονος ille in agitatione mentis conquiescebat, semper egebat tempore, dumque huic abbatiæ præfuit (præfuit autem annos permultos) cogitando aliquid consequebatur, quod eruditi hominis est proprium, translata rei familiaris procuratione in personas idoneas, siquidem non perinde curis externis impeditus animus quietem hospiti spiritui sedem exhibet seu conservat, atque tranquillus sibique totus constans. Narrat ipse proposita deliberatione constituisse se domesticæ administrationis sollicitudinem deponere, partim importunitate quorumdam incolarum, qui adversum eum lite judicioque contendebant, partim tædio eorum, qui juxta monasterium secus fluminis Rheni ripam cæcis in specubus et subterraneis angulis habitabant, qui parum integræ fidei atque famæ habebantur, eo quod conductis in turribus solitudinem otiumque et litterarum suarum et totius monasterii interpellabant. Constat vero solitudinem dulce et gratum esse piis animis perfugium, extra quod haud omnino satis tranquille sancteque vivitur. De his omnibus prolixa narratione res tota doloris sui, quem ex fatali incendio gravissimum hausit, deinde etiam ex molestiis quæ illi vicini parum integri facessebant, suis scriptis explicata est. Ædificavit Rupertus, ne prorsus ejusmodi rerum memoria careret, ad portam Divitensis castri sacellum divo Laurentio sacrum, cujus festum plane omnino gloriosum habebat; insuper et chorum sacræ ædis fornicibus erectum mirabili decore perfectum reliquit. Nec fuit a calumniatoribus liber, quorum insidiis sæpe appetitus est, quos tamen, magnitudine animi fregit, auxilio Spiritus sancti repressit, solans erigensque animum spe posteritatis æquioris, quando detracta personæ dignitate sive conditione non quis, sed quid quisque dixerit scripseritque, severe censebitur. Etenim non ignorabat mortem omnibus horis omni impendere hominum generi, et de vivorum scriptis vivos judicare, et singula quandoque, juxta

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

æquos atque iniquos ponderare, fore tamen judicium aliquando rectius, cum utrisque mortuis nepotum ætas successerit, primisque cadentibus foliis, virens silva succreverit, ut B. Hieronymus loquitur : De quibus ipse cap. 7 et 26 super Matthæum plene claroque. Obtrectatores sui, *μεγαυχοῦντες καὶ ἀτόπως φέροντοι*, de magistrorum suorum præstantia magnifice gloriabantur : Ruperti magistros contra supercilio præ se contemnebant ingenti, ut qui nec Scripturarum sacrarum liberalium que artium scientia præditi essent, nec aliqua nominis clarerent gloria, tacite Rupertum cujusdam seu insciliæ, seu ambitionis suggillantes, qui nulla celebrium gymnasiorum usus institutione esset, sed jam inde a parvulo monasticæ disciplinæ vinculis alligatus, haud ita magnum ingenii doctrinæque cultum capere potuisset, cum ipse suorum laborum testem incitatoremque, præter non ineruditos magistros, Spiritum sanctum haberet, sentiretque, cujus præsentia gratiæ vel in uno momento admirabiles, planeque divinas aspirare possit tum ingenii tum doctrinæ dotes. Clamitabant insuper hæreticum esse, quippe qui a scitis catholicæ Ecclesiæ alicubi desciscoret, quodque Scripturam sanctam ad suum sensum detorqueret perverteretque. Deinde bonorum librorum omnia plena esse, nec opus esse novis libris. At ille surdis auribus voces utique contemnendas præteriit (2), conscientiam nullis ejusce suspicionis maculis contaminatam sentiens, qui cæteris id ætatis hæreticis, et in primis Colitianis, qui Deum auctorem mali perinde ac boni esse vulgabant, audacter obsistebat, docebatque jam olim opinionem talem tempore Augustini damnatam fuisse, conscriptis in hoc libellis Πανοπλίαν argumentorum firmissimorum continentibus. Meminit liber *De incendio*, et præfatio libri *De processione Spiritus sancti*. Adversariis respondet fere idem quod Hieronymus sua ætate detractoribus respondit, videlicet librorum quidem abunde esse ab eruditis viris scriptorum, quæ in usum Ecclesiæ singulari cesserint emolumento cedantque, sed sua cujusque dona, sive illa sint sapientiæ, sive scientiæ, sive in generibus linguarum, sive in interpretatione sermonum sita, secundum Apostoli præceptum, magno studio proferenda esse communicandave; cessasse quidem Veteris Testamenti oblationem in opere sanctuarii cœlestis, sed cessare ab exercitio gratiarum sive charismatum, quæ Spiritus sanctus, prout vult, singulis distribuit, nequaquam pietatis esse. Hæc ad Romanum pontificem scribit in epistola quæ operi *De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti* præfixa est. Confitetur ipse nonnullis in locis calumniatorum ferocia grassante in animo sibi fuisse prorsus desinere scribendis libris supersedere, obtrectatoque animo linguis quorumdam non tam eloquentiæ quam maledicentiæ studiosorum cedere, sed illi animus usque eo inquies fuit, dum cogitationes ad intermissa referret studia. Contigit enim quodam tempore cessantis vultum varios subire colores, sedentemque ac multa tacite sollicitaque ruminantem totis artubus, ut discipulum sub imminente virga magistri, contremiscere (3). Itaque divino nutu, sed mirabiliter terribili perculsus cum relictis scriptis in gratiam rediit, repetens memoria munus scribendi sibi cœlitus impositum, et doctrinæ salutaris bonum non publicatum intra animæ recessus, tanquam ignem ossibus (quod propheta Jeremias testatur) inclusum, minime contineri posse. Cum nec ignorabat præsentem Spiritus sancti gratiam, quæ per sensibilem infusionem sese quandoque pectoribus nostris insinuat, doctorum etiam clarissimorum institutioni jure summo præferendam esse. Interim non deerant illi (quod numinis Providentiæ acceptum ferendum est) tanquam propugnacula potentes homines (4), quorum auctoritate muniebantur qui eum clarissimum habebant, omnibus et dictis et scriptis ejus mirifice capiebantur, atque ad susceptam studiorum piissimorum rationem exhortabantur. Inter hos erat Fredericus archiepiscopus Coloniensis, qui eum clientum numero asciverat, et Cuno abbas postea Ratisponensis episcopus, cujus et tutelæ, Berengero superstite, commendatum fuisse reperio! Et erat utique colendus et deosculandus, quem Spiritus sanctus illustratione tam familiari dignabatur. Nunquam fere magnis ingeniis sua defuerunt patrocinia, quibus post homines natos, etiam magnam invidiam incubuisse videmus. Suppudet nostrorum temporum, quibus nihil istis feris et monstris ad maledicendum prope natis frequentius est.

Cædimur et totidem plagis consumimus hostem.
(Hor., *Epist.*)

Ita fit ut dum alii aliorum sese saturant odiis, alii vicissim eripiant aliis voluptatis litterariæ bonum, quod in Tusculanis suis Quæstionibus princeps orator Latinorum dulcissimum, nunc summum vocat. Sed solatio est quod invidia fera et effera, pudore naturali mota, mortuis plerumque pareit. Pulchri sunt versus Callimachi :

Δεῖνοι γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐπιλέπειν ἐπιλέπει
Ζῶντι τί φθονῆσαι, κεῖνα δ' ὅσ περ ἀνέστη.

Novit hienam turpem feram esse, quæ in defossa humi cadavera sævitiam suam exercet. Vivit ergo Rupertus, cujus libri in manibus hominum sunt. Vivit, inquam, posteritatis judicio clarus, terminaturus laudes suas orbis terræ finibus, dum quidem Ecclesia stabit catholica, cujus nomen ex suggestibus, ex gymnasiis, ex omni denique plorum concilio libenter excipimus : qui solus splendidissime omnium nobilitavit Agrippinensis Ecclesiæ ditionem, in cujus scriptis nihil nisi grave, sanctum et solidum exstat : qui adminiculo divinæ gratiæ multa scitu cognitu neque digna per se investigavit prodiditque : qui articulos fidei Christianæ sincere arguteque tractat; qui cæremonias ecclesiasticas objecta veritatis luce, detractoque quasi integumento, nuda, plana et venusta explicatione proponit insignes. Breviter, qui omnes numeros perfecti theologi absolvit, quique vel solus ut optatissimus Neptunus exauditus, tempestates opinionum in religione Christiana excitatas componere possit. De profanis litteris, quarum scimus eum perstudiosum fuisse adolescentem, dicere extra necessitatem est : cum ipse earum fructum libro de scientia, nunc artes, donum pretiosum Dei, nunc theologiæ ministras seu ancillas vocat : cæteraque studia in adminiculum verbi cœlestis exponendi sobrie cauteque adhibita, mirifice prodesse doceat.

Superest nunc ut aliquid de extrema ætate subjiciamus, eademque orationis ambitu morbi genus, quo exstinctus est tantus vir, complectamur. Et attigit ille quidem justam ætatem vitæ humanæ, quippe qui summa senectute defectis viribus obierit, defunctus curis multiplicibus, laboribus diurnis, atque nocturnis. Cumque suæ vitæ actum terminaturus videretur, extremo anno (cognoverat enim antea Numinis prædictione se adhuc octo annos superfuturum, cujusmodi prædictionem Cassio Narulensi episcopo, ut est apud Gregorium papam in Dialogis lib. IV, cap. 36), accidisse recordabatur), cœpit memoriam antactæ vitæ contentius recolere, lacrymis se frequentioribus dare, erratorum condonationem atque delictorum superioris ætatis sibi gratiam fieri a Domino deposcens, nihil denique non omnium rerum agere, quas ad abstergendas animæ sordes facere videbantur. Auxit sane et suspicionem adventantis mortis, auxit simul et pœnitentiæ curam. Nec eventus hanc exspectationem fefellit, siquidem hieme præcipite in febrem acutissimam incidit senex optimus, quæ re-

(2) Vide præfationem super Joannem.
(3) Vide De incendio.
(4) Vide præfationem Ruperti in XII prophetas minores, et super Matth.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

liquias virium paulatim exhausit, ita ut quidquid vel diuturnitas laborum, vel summæ senectutis imbecillitas reliquum fecerat, morbi vis, suo pene jure sibi vindicaret absumeretque. Itaque piissime quietissimeque diem suum obiit, comparata immortali pietatis ac omnis laudabilis virtutis claritate, respiraturus deinceps a laboribus, quibus nunquam vacavit, cumque suo amantissimo, quem et vivus et moriens anhelavit, quem sua scripta suavissime spirant, sempiterno ævo fruiturus, cujus nec memoriam ulla unquam posteritas ut optime de hominum societate intermori patietur.

Audivistis brevibus, candidissimi auditores, vitam D. Ruperti abbatis quondam Tuitiensis, quam pro virili ætate quisquis imitari studeat, ut in litteris pietatisque (quæ aptissima sunt arma Christiani hominis) cultu auctior, fructus maturitatis edere possit ejusmodi, qui nec vivum, nec mortuum deserunt unquam. Alios domestica stimulant exempla, quæ libenter virtutibus, quamlibet paribus, externorum solemus anteferre; alios nativus splendor honesti (quod ingeniorum tantum est) ad se amandum colendumque provocat : alios denique aliæ causæ commovent : nonnullos metus, nonnullos studium ambitionis, æmulatio quoque multum addit plerisque vigoris ardorisque. At decus nobilissimum esse doctrinam cum pietate copulatam tam omnium gentium linguis est celebratum, quam nulli non vel creditum vel animadversum. In Ruperto autem summæ habemus et doctrinæ et pietatis exemplar, cujus quondam vita cum doctrina consonans, laudabilium morum vivum simulacrum fuit. Ad id respicite identidem ut pictores ad imaginem, quam adhibito penicillo effingere student, subinde respiciunt : hunc imitari, hunc exprimere contendite, memores Apostoli Timotheum suum exhortantis ad doctrinæ pietatisque amorem, his verbis : « Attende tibi, et lectioni. » Et iterum : « Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, habens promissionem vitæ præsentis et futuræ. » Dixi.

APOLOGIA PRO R. D. D. RUPERTO

ABBATE TUITIENSI

In qua de eucharistica veritate eum catholice sensisse et scripsisse demonstrat vindex

FR. GABRIEL GERBERON

ASCETA BENEDICTINUS IN CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

Mendaces ostendit qui maculaverunt illum
(*Sap.* x.)

PROLOQUIUM.

Scriptorum sors illa est censuræ legentium subjici, quorum quamplurimi ex affectu judicantes vim auctoribus inferunt, ut illorum verba in suos sensus pertrahant; plures legunt ut dente invido proscindant; alii nequidem intelligere sufficientes quæ perlegunt, non tamen sine censura dimittunt auctorem.

Sors illa sane dura est; sed durior hæc quæ doctorem catholicum sæpius traducit, ut qui nihil nisi catholicum sapit, hæreticus audiat; et qui veritati semper studuit, erroris doctor habeatur.

Durissima hæc sors qua quis vel invitus ad partes hæreticorum distrahitur, ut hæreticis favisse credatur, aut in eorum ilisse sententias; et quasi a suis defecisset, transiisseque ad alienos, a suis deseritur, ut nec apud fratres patronum inveniat aut vindicem.

Hæc sors durissima Ruperti est, qui nec dum viveret invidiam fugere potuit; quæ quod laudem habet, acrius insequitur; multas ipse in epistola ad Cunonem abbatem S. Michaelis Syngebergensis conqueritur, sui esse hominis invidos qui non solum dictis, ut ait, sed et factis in eis fremuissent; nisi omni alio præsidio deficiente, Christus ipsi adfuisset, et per Berengarium abbatem Sancti Laurentii in publico monte Leodii ipsum Cunonis abbatis commisisset fidei, tanquam pupillum tutori.

Plerique enim, ut ipse ad eumdem jam episcopum in prologo ad librum De gloria Filii hominis scribit, ipsius opera sic legebant, ut ei insidiarentur.

Quæ tandem Ruperto et a doctoribus et ab indoctis exprobrata fuerint, nosse vis? ex ipso disce, qui ut se suaque scripta ab istorum vindicaret calumniis, eorum mendacia et hæreses redarguens scripsit Apologeticum, qui liber primus est ex quatuor quos in aliquot Regulæ S. Benedicti capita composuit. Isto enim in libro qui fuerint adversarii, et quas ei struxerunt insidias, sic exponit :

« Floriani, a Florino nominati, dixerunt Deum « creasse mala, et ipsa quæ virtuti sunt contraria. « Magistri autem magni ac præceptores nominati, « præclara totius Franciæ lumina, quorum ad audi- « tum ex cunctis fere provinciis examina discipulorum « festinabant, sententiam illam de voluntate Dei emi- « sisse, atque constanter defendere ferebantur; et id- « circo quidquid dixerim ego, non solum non audie- « batur, verum etiam tanquam stultum contemnebatur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« *Ita erant adversarii vel esse videbantur sibi auctori-* A « *tate illorum freti, ut putabant, irrefragabili, ac si* « *angelus de cœlo locutus fuisset eis. Et quidem sa-* « *pientiores utcunque tolerabiles in dicendo fuerint,* « *sed de indocto scholarum popello favente adversa-* « *riis veluti clericis contra monachum, veluti magistris* « *contra indoctum, quid dicam? in eorum cauticum* « *versus sum, et factus sum eis in proverbium. Ego* « *autem omne cauticum eorum omnemque despectum* « *dura fronte contemnens, fui in Francia solus vili* « *aselio residens, uno tantum puero comitatus, ad* « *conflictum contra tales quibus adesse os et ingenium,* « *et magnam tam officii quam magisterii dignitatem* « *noveram, nec defuturum, quod et factum est, ut* « *magistrorum pariter et discipulorum cœtus non par-* « *vus conveniret exercitus ad me audiendum, ad me* B « *convincendum. Illud autem mirum videtur, quod* « *me ingrediente civitatem, jam dictorum alter et* « *præcipuus magistrorum ultimum trahens spiritum,* « *statim post ingressum meum vitam finivit; alter,* « *quocum acerbum habui conflictum, nescio an inte-* « *grum annum supervixerit. Ex tunc cessavit illius* « *disceptationis virus; sed illi, contra quos primum* « *certamen habui, diu pristinum quod in me conce-* « *perant, tenuerunt odium, ut veraciter dicere possim,* « *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice* « *loqui,* » etc.

Ista Ruperti satis sint, ut quos in prioribus studiis sustinuerit adversarios noverint singuli. Quam mala autem fide, quanta vel invidia, vel inscitia, Ruperti C *adhuc viventis scripta evolventes in sensus alienos detorserint, et non intellecta damnaverint, ex tribus accipe, quæ in Ruperti doctrina arguere multa sui sensus temeritate ausi sunt.*

Primum Rupertus in suo Apologetico sic profert : « *Unus vir bonæ conscientiæ, sed novæ conversionis,* « *magni nominis, sed dubiæ opinionis; jam prælatus* « *et prædicator, sed fere nunquam subditus, sive au-* « *ditor, familiariter a me, quasi pro studio legendi,* « *præstari sibi rogavit aliquid de meis opusculis, et* « *præstiti illi opusculum (De divinis officiis). Accepit,* « *abiit, legit quantum et quandiu voluit, et post multos* « *dies librum remisit, nihil dicens aut rogans boni sive* « *mali. Cum ecce post dies complures audio, et a* « *multis mihi nuntiatur, et ab exteris quoque civitati-* D « *bus fratres eruditi mittuntur ad me interrogandum,* « *utrum verum esset, an non, quod de me fama longe* « *lateque disperserat, scilicet me dixisse, me scripsisse* « *Spiritum sanctum de Maria Virgine esse incarna-* « *tum. Exhorrui, fateor, tantumque conscientiæ mu-* « *nitus clypeo, quærebam diligenter quisnam hujusce* « *rumoris existeret auctor. Quid multa? diu quasi* « *tum, tandemque per quosdam consortes nostros mihi* « *compertum est auctorem criminis, imo falsæ crimi-* « *nationis hujus illum esse quem dixi, et ex lectione* « *libri quem commodaveram illi, male occupatum* « *fuisse istud de verbis hujusmodi in officio quartæ* « *Dominicæ adventus Domini :* « Investigare enim « quis potest quomodo corporatur Verbum, quo- « modo summus, et vivificator Spiritus intra uterum « Matris animatur, quomodo is qui initium non ha- « bet, et exsistit, et concipitur? *Sed quid a facie Verbi* « *hujus ille parturivit? Quomodo pauperem ostendisse* « *credidit? quomodo subvertere voluit? Librum pro-* « *clamavit hæreticum, flammis exurendum; et hoc in* « *medio imperitorum, qui sequebantur et audiebant* « *illum; et ut solent hujusmodi homines, in divinis ac* « *profanis rebus, majorem pene quam litterati osten-* « *dere animum, libro nimium infensi, eum et rapere* « *festinabant ad comburendum.* »

Ad hæc quis non exclamaverit, O cæca invidia, o invida cæcitas, quæ non Rupertum, sed in Ruperto Gregorium Magnum proclamat hæreticum, quæ verba hæc reputans ipsius, cum tamen Gregorii sint, ut B *hæretica damnat! Qui Verbum Spiritum summum et vivificatorem animari scribit, et stupet, quid quæso, hæreticum aut scribit aut docet? Qui Verbum adorat tanquam Spiritum summum, quid sentit nisi catholicum? Sed vero qui legens Verbum Spiritum summum et vivificatorem animari, et dicit scriptum se legisse tertiam summæ Trinitatis personam incarnari, quid nisi calumniam dixit, et suam vel inscitiam prodidit vel invidiam?*

Alterum, quo tanquam hæretica labe Rupertum infecere voluerunt, illud est, quod dixerit de tenebris creatos esse angelos; quod tamen Rupertus ut canonicis Scripturis, et sancti Augustini libro secundo (De civitate) consonum intrepidus defendit. Tertio Rupertum carpere audaciori præsumpserunt animo, quod novo, ut ipsis videbatur, sensu scripserit Christum in Cœna corpus suum non porrexisse Judæ, qui ante hujusce sacramenti consecrationem exierat. Et quidem Christum Judæ proditori corpus suum dedisse, eis ex beati Augustini auctoritate in promptu erat asserere.

Cujus argumenti necessitas Rupertum adegit ut diceret non esse per omnia Augustino confitendum sicut libris canonicis, ita ut, ubi sancti doctores, qui utique in fide concordes sunt, in aliqua sententia discrepant, non liceat illi tanquam magistro aurem præbere consentientem, cujus cognoverit sententiam magis Scripturæ canonicæ testimonio roboratam. Atque illi, ut habet circa finem Apologetici sui, ipsum ex hoc diffamare cœperunt tanquam hæreticum. At quem D *sancti Augustini judicium compressisse videbatur, erexit sancti Hilarii auctoritas, cujus est illa Ruperti sententia; quamvis dum ista scriberet, se cum sancto Hilario in his sentire nesciret.*

Ex tribus his satis superque, ut arbitror, habes demonstratum quanta invidia infensi Ruperto quidquid ipsis non saperet, in scriptis ipsius temere damnarunt, adeo ut sensum illius, vel etiam apertum, et aperte catholicum traducere, et hæreticum judicare non dubitarint.

Hæc Rupertus sustinuit, nec tamen his cessit. Duriora vero post mortem patitur, dum ab hæreticis Sacramentariis in eorum partes violenter distractus, non solum a suis non vindicatur, sed quasi hæreticas partes tenuisset, damnatur iniquius.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

At ego infimus licet omnium, ubi doctrina magistrum, professione Patrem, durissima hæc injuste ferentem et inultum sensi, quidquid in me virium est, in ipsius defensionem omnium justissimam exerere firmus statui

Nec Deus huic causæ deerit, ad quam suscipiendam dat stimulos charitas, ad quam defendendam arma dat veritas, et justitia spondet præsidium. Deo ergo dante animos, qui charitas est; favente Christo, qui est veritas; et ipso præside qui justitia est, Rupertum multiæ doctrinæ, altæ humilitatis summæque pietatis magistrum, Germaniæ decus, ordinis Benedictini gloriam, et præ cæteris veritatis eucharisticæ patronum ab iis erroribus, quos adversus eucharistiam Wiclefistis, Lutheranis et Calvinistis præcinuisse a nonnullis dicitur, pro viribus conabor asserere.

Equidem scio quamplurimos, qui errores defendi putant dum eos quibus imponuntur audiunt vindicari, genus hoc dissertationis iniquiori animo ferre, quasi non tam in scriptoris quam in erroris cedat patrocinium.

Verum quam injusta sit ista expostulatio judicet quisquis non sero sapiens mature novit catholici alicujus scriptoris ab errore vindicias summam esse erroris exsecrationem; et proinde errorem non asseri, sed maxime damnari, dum scriptor catholicus ab errore vindicandus suscipitur.

Sed et qui prudens intelligit eum de calumnia teneri, qui dum audit crimen inferri gloriæ fratris, quem novit insontem, ignavus silet, is iniquam prorsus reputabit istam, zelum forte, sed non scientiam habentis, expostulationem : et qui humanioris esse officii didicit injuriam ab altero propulsare, inofficiosam omnino hujusmodi ducet obmurmurantium querelam. Ipsum non solum æquitatem lædit, et offendit officinas, sed et veritatem premit, suos ei patronos proripiens; vel saltem fidei scindit unitatem, catholicos Patres ab Ecclesiæ sensu et proinde sinu divelli non prohibens.

Nonne purior Christianorum innocentia sordesceret, infidelium labefactata dictériis, ni Justini, Minutii, Tertulliani et aliorum Apologeticis vindicata fuisset? Nonne Dionysius Alexandrinus pro fide catholica adversus Sabellianorum hæreses pugnans in partes Arii trahebatur, nisi Athanasius sedem ipsius et fidem tenens ipsum a fide catholica nusquam devium strenuus defendisset? Nonne et Gregorius Thaumaturgus Arianæ perfidiæ famam habuisset, ni Basilius suis pro eo vindiciis falsum istud nomen delevisset? Nonne A *et Cyrilli Alexandrini fides cum Eutychianis dogmatibus damnata fuisset, nisi ipsum asseruissent qui Nestorii commenta damnarunt? Nonne et ipse Augustinus prædestinatianam hæresim condere, et Christi gratiam statuendo hominum avertere libertatem, a viris alioquin piis et eruditis ferebatur, ni Prosper huic sancto doctori a Semipelagianis objecta dissolvisset, ipse sui magistri patronus? Adeo veritas, non secus ac virtus, sicut sine adversario aut latet aut marcescit, sic sine patrono deficit, qui sæpius et ipse alterius indiget patrocinio, ni qui pro veritate stetit, non contra veritatem pugnasse credatur.*

Spreta igitur ista minus vero studentium expostulatione, eo veritatis studio, ea officii ratione, et ea æquitatis lege, qua Prosper Augustinum, plurimi Cyrillum, Basilius Gregorium, Athanasius Dionysium, Tertullianus, Minutius et Justinus mores fidelium vindicarunt, ego Ruperti Tuitiensis abbatis fidem de corpore et sanguine Christi in altaris sacramento, cujus acerrimus propugnator exstitit, defensurus accedo. Et ne temere et sine ordine procedam, in prima parte proferam opera quæ a Ruperto composita sunt, quo spiritu Rupertus ea conscripsit, et quo Scripturam sacram interpretatus est. In altera parte exponam quatuor qui ipsi ascribuntur errores; figurativæ scilicet duntaxat præsentiæ corporis et sanguinis Christi in sacramento, quam Wiclefistæ docuerunt : manducationis per fidem, quam in aliquo sensu docent Calvinistæ; impanationis, quam tenent Lutherani, et unionis hypostaticæ panis et vini cum Verbo, cui vix ullus suffragatus est. Dehinc Rupertum a primo ex illis erroribus vindicabo, tum a secundo errore asseram; postea a tertio defendam; postremo a quarto Rupertum prorsus alienum demonstrabo.

Si cui autem historicæ quam dogmaticæ concertationes minus placent, et ei gravis aut minus opportuna videtur inducta Ruperti Operum crisis, quam tamen ex celebri inter ipsos theologos contentione de auctore librorum De divinis officiis, quorum maxime testimonio causa Ruperti agitur, hic duximus præmittendam, eam facilis dimittat.

Lectorem hic etiam monitum velim me non mea, sed ordinis totius vel magis Ecclesiæ voce Rupertum titulo sanctitatis insignitum nonnunquam eo in opere pronuntiare, quippe quem sanctitatis merito miraculorumque virtute fulgentem in sanctorum catalogis auctores probati scribunt (5). Itaque absit a nomine invidia.

(5) Molanus in Catal. SS. Belgii, et Surius die 3 Martii, Mem. Martyr. Bened. cum Menard. Observ. ead. die 3 Martii. Item Menolog. Bened., ubi sic legitur : *Eodem die natalis S. Ruperti abbatis Tui.*, etc., ad diem 3 Martii; et Arnaldus Won. l. v Ligni vitæ.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SYNOPSIS APOLOGIÆ

PRO RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

Rupertus is seu Robertus, cujus Apologiam scribo, in cœnobio S. Laurentii in publico Monte Leodii, seu, ut aliis placet, Leodici, sub Berengario abbate S. P. N. B. Regulæ sese mancipavit. Ibi cum religiose pietatis exercitiis et sacræ doctrinæ studiis totum se daret, in abbatem monasterii Tuitiensis, seu Divitensis ad Rhenum e regione Coloniæ Agrippinæ assumptus est. Floruit ad annum reparatæ salutis millesimum centesimum tricesimum quintum, quo plenus meritis æternos beatæ vitæ fructus apprehendit. Sancti illius abbatis Apologiam duas in partes sic distribuo.

Pars prima crisim habet Ruperti Operum. Pars altera ipsum ab imputatis erroribus vindicat.

In parte I quos libros, quo ordine et qua ætate Rupertus scripserit studiosis ostendo ; et perfectum lucubrationum illius elenchum exhibeo.

Ex quo deinde diversi sancti illius doctoris Operum a pluribus, et ab ipsomet editi catalogi emendantur : tres videlicet, quos ipse Rupertus conscripsit; unus quem Trithemius dedit; unus quem Reynerus composuit; unus quem Sixtus Senensis construxit; unus quem Bellarminus adduxit ; unus quem Centuriatores posuerunt, et unus quem in editione ultima Parisiensi leginus : quibus adjungi possunt a Possevino in Apparatu, a Valerio Andrea in Bibliothæca Belgica, a P. Labbe in lib. De script. eccles. et ab aliis Ruperti librorum editi census ex accuratissimo, quem ibi damus, pariter corrigendi.

Ibi etiam aliquos venerabilis Ruperti libros in excusis desiderari lugemus, nempe libellum De diversis Scripturarum sententiis, libellum solutæ Orationis, De statu cœnobii S. Laurentii in Monte Leodii, etc. Carmen Sophicum de eodem. Vitam S. Augustini. Vitam S. Odilæ virginis. Canus de SS. Theobaldo martyre, Goare et Severo confessoribus. In libros Regum, de rege David. Annulum, seu Dialogum Christiani et Judæi. Epistolam *Meditatus*, ex editione Coloniensi, in qua Commentariis in Joannis Evangelium præfigitur, aliis editionibus esse restituendam ibidem monemus.

Sed et ibi quod minus vere Bellarminus dixerit Ruperti Opera quadringentis circiter annis sine honore et luce jacuisse in tenebris oblivionis, et ejus errores in causa fuisse cur per id temporis latuerint, paucis sed certis demonstro

Post hæc celebrem de auctore librorum De divinis officiis controversiam agito. Valeramnum, sive Attembergensem sive Numburgensem, cui Waldensis, Alanus, Vasques et aliqui alii opus istud adjudicarunt, ab omni jure dejicio ; et uni Ruperto Tuitiensi abbati pluribus titulis certum assero.

Nec enim epistolam, « Lego et relego, » etc., ab Anselmo scriptam esse probatum ducimus a Joanne Picardo et a Theophilo Raynaldo, sed magis a Guillelmo S. Theodorici missam habemus ; non ad aliquem ex pluribus Valeramnis quos induximus circa Anselmi et Ruperti tempora, sed ad Rupertum Sancti Laurentii Leodicensis ea ætate cœnobitam. Nec Joannes Parisiensis ord. Præd, qui circa annum 1304 de modo quo Christi corpus est in sacramento scripsit determinationem, quam de integro legi, ullam habet Valeramni alicujus mentionem, ut Vasques finxit ; sed duntaxat prædictam epistolam Anselmi nomine sibi proponit.

Primam hanc Apologiæ partem claudimus divinis illustrationibus, quibus desuper infusam Scripturæ sacræ intelligentiam Rupertus obtinuit. Non quod tamen obtusioris fuisset ingenii ; id enim nullius fidei commentum esse eorum qui minus accurate de Ruperto scripserunt, indicamus.

Alteram Apologiæ partem exordior ab errorum enumeratione quos critici ex heterodoxis M. Claudius, Albertinus, etc., et ex Catholicis Bellarminus, Vasquez et alii Ruperto Tuitiensi iniquius affixere : umbraticam scilicet seu figurativam duntaxat corporis et sanguinis Christi in altaris sacramento præsentiam. Veram corporis Christi in mensa Dominica manducationem solummodo per fidem corporis Christi impanationem, et tandem panis et vini hypostaticam cum Verbo Patris unionem.

His expositis nostrum Tuitiensem ab omni generatim contra eucharistiæ veritates errore liberum probo ; tum ex illustrium scriptorum testimoniis, quibus Ruperti fidem et eruditionem, omni remota cujuscunque erroris suspicione, celebrarunt ; et præ omnibus Joannis Coclæi, qui Lutheranorum impugnator acerrimus, ea Ruperti opera hisce temporibus, quibus in eucharistiæ mysterium vehementius invehebantur, non misisset in publicum nec laudasset, quæ Lutheranorum aut Calvinianorum prædocuissent errores.

Tum ex eo quod in Rupertum frementes æmuli qui ejus scripta legebant, ut eum in sermone caperent, nullius ex istis erroribus eum uspiam insimularunt : ea licet tempestate de eucharistiæ sacramento ardentiores et curiosiores moverentur disputationes ; quæ vel levissimam erroris umbram, si

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quæ in Ruperti scriptis deprehensa fuisset, diligenter excussissent.

Postea explicitius ab unoqueque hujusmodi errorum Rupertum vindico. Unde in sequenti dissertatione,

Rupertum nusquam sensisse aut docuisse in eucharistia non esse corporis et sanguinis Christi nisi figuram; imo hunc errorem impugnasse et realem corporis et sanguinis Christi existentiam sub panis et vini speciebus adversus Berengarianos propugnasse, invictissime demonstro.

Primo ex ipsis Ruperti operibus, nempe ex libris De divinis officiis, in quibus hunc errorem deprehendere sibi ipsi videntur. Eo enim in opere exponens illud *ferebatur in manibus suis*, Rupertus astruit corporis et sanguinis veritatem in altaris sacramento; quod multa pietate ibi vocat testimonium humilitatis et charitatis.

Ibi etiam a prioris Testamenti figuris tanquam a signo rei veritatem discernens Tuitiensis expressissime ponit quod Christus in Veteri Testamento promissus et præsignatus hic præsentialiter exhibeatur NON IN UMBRA, SED IN VERITATE, NON IN FIGURA, SED IN RE; ibi et eos objurgat qui adversus corporis et sanguinis Christi in altari veritatem obmurmurantes dicebant: *Quomodo est?*

Ibi docet quod Christus eo Testamento consignat suis hæredibus thesaurum corporis et sanguinis sui, etc.

Quod sacerdos cum dicit: *Pax Domini*, etc., hostiæ particulam sacro sanguine demersam immergit. Quod cruce salutata duo presbyteri deferunt ad altare corpus Dominicum, corpus Domini. Quod sanguis ille quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat. Quod per cibum corporis et potum sanguinis sui Christus procurat vitam et incolumitatem animabus filiorum. Quæ profecto nec Berengariani, nec Wiclefistæ, nec Calviniani dicerent.

Secundo ex aliis Ruperti libris catholicam de corporis et sanguinis Christi veritate sub panis et vini speciebus, illius fidem vindico.

Ex libro sexto in caput VI Joannis, ubi Rupertus Umbraticorum exponit errorem, quo panem et vinum Christi corpus et sanguinem in altari non magis esse profitebantur quam fuit manna quod comedit populus Judæorum, et aquam quam de petra eductam non solus populus sed et jumenta biberunt.

Ubi Tuitiensis explicat illud Apostoli: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt;* et hæc omnia in figuris contigisse declarat, simulque decernit quod figura nusquam valet, idem quod ipsa res quam figurat, sicut umbra non est idem quod ipsa rei vel corporis substantia.

Ubi illud Augustini dicentis hæc Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., esse figuratam locutionem; sic intelligendum Rupertus ostendit, ut carnis et sanguinis Christi veritati in eucharistiæ sacramento nihil omnino detrahatur.

Ubi realem hanc et veram corporis et sanguinis Christi sub exteriori panis et vini specie existentiam firmiter constituit ex verbis Christi qui signanter dicit: « *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et tu audes dicere aliud esse quam Christi corpus? Si non est hoc corpus quod pro vobis traditur, Veritas mentita est sibi. »

Ibidem noster Tuitiensis ponit quod homo carnalis et animalis carnem Christi et sanguinem percipere non potest, eo quod nihil de exteriori panis et vini specie mutetur. Quod jocose infringit a similitudine Mauri alicujus qui baptismi virtute de filio diaboli fit Dei filius, nihil mutata exteriori corporis nigredine. Et inter hæc dicit Rupertus quod massa perditorum est corpus diaboli, et Ecclesia corpus Christi; non illud tamen quod conficitur in altari.

Iterum eo loci apostolicum illud, *omnes eamdem escam manducant*, quo Umbratici suum niti errorem putabant, Tuitiensis exponit sensu a Berengarianis, Wiclefistis et Calvinianis penitus diverso; hoc est juxta catholicam corporis Christi in altari veritatem.

Iisdem ibi opponit B. Ambrosium docentem quod illud, quod conficimus, corpus ex Virgine est, etc., quod vera caro est quam accipimus. Opponit et B. Augustinum hæc Psalmistæ verba, *ferebatur in manibus suis*, de ipso Christi corpore, quod in cœna Christus dedit discipulis, interpretatum.

Tandemque his Christi verbis, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, Rupertus nihil addendum, nihil detrahendum judicat.

Et licet ea Christi verba: *Ego sum vitis*, per similitudinem dicta intelligantur, ista tamen: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, per proprietatem S. doctor ostendit esse intelligenda. Et juxta hæc sincere et catholice profitetur quod panis et vinum, postquam Pater ea signaverit per manus Ecclesiæ, corpus et sanguis Christi sunt.

Modum etiam, quo panis corpus Christi fit quod in cruce pependit, et vinum sanguis ille fit quem Christus de latere suo fudit, ex divini Verbi in carne mysterio elucidat Rupertus; et post multa dicit quod unitas Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce pependit, et istud quod Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una, inquam, caro, et unus sanguis sit.

Illud autem quod ex Augustini sententiis est, videlicet quod manducare carnem et bibere Christi sanguinem sit in fidei unitate manere, Rupertus sic admisit, ut tamen realem corporis illius manducationem nullatenus excludi sustineat; imo firmius asserat quod panis semel consecratus nunquam postea Christi caro esse desinit; et quod ut viventibus, a quibus manducatur, vitam det æternam, panem in carnem suam transmutat.

Denique ex adjunctis ab ipsomet Christo dicente: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus qui pro multis effundetur*, eo in libro indubitanter fatetur non corpus quodlibet, non corpus Christi quod est Ecclesia, sed illud corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare;

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et illum sanguinem qui pro nobis fusus est, nos bibere.

In subsequenti libello eosdem obmurmurantes et dicentes : Si non figurate, sed re vera panis iste Christus est, quotidie Christus patitur, et toties moritur, quoties panis iste in commemorationem frangitur, Rupertus comprimit exemplo Abrahæ immolantis Isaac in ariete, dato tamen figuræ et veritatis discrimine.

Porro hæc quæ Umbratici objiciebant Apostoli verba, *caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat*, Tuitiensis sic interpretatur ut Christi caro non sola, seu mortua, more carnis brutorum, sed cum spiritu suo manducetur, nec exanimem carnem aut sanguinem reputemus in pane aut calice.

Disjectis hisce Umbraticorum objectis Rupertus intrepidus ait, quod in altari verum Christi corpus immolatur, frangitur et manducatur. Et hunc librum, quem in eucharisticæ veritatis adversus hæreticos defensione susceperat, ista confessione concludit : « Quantum potuimus adjuvante Deo, verum et vivum Agnum Dei esse suomet ex balatu, id est ex ipsiusmet Christi verbis, comprobare curavimus. »

Ista Ruperti ex libris in Joannem postquam adduxi, quibus liquido constat quam catholice tenuerit ipse et docuerit corporis et sanguinis Christi in eucharistiæ sacramento veritatem, protuli ejusdem epistolam quæ incipit, *Meditatus*, et in editione Coloniensi legitur.

In ea Berengarianorum hæresim eam fuisse declarat quæ in altaris mysterio figuram duntaxat vel signum aut imaginem corporis et sanguinis Christi esse crederet. Declarat quod sua ætate hunc errorem fere nemo palam profiteri aut defendere auderet.

Declarat quod universa sciret Ecclesia in hoc sacramento verum corpus et verum Christi sanguinem esse ; et quod pro ista veritate libris suis in Joannem, quibus hæc epistola præmitti solet, totus decertaverit.

In ea expresse docet quod eucharisticum illud sacramentum tribus modis Christi corpus et sanguis est, nomine videlicet, re atque effectu ; quarto autem, specie scilicet exteriori, differt.

Ex libro De operibus Spiritus sancti eamdem omnino distinctionem attuli, qua falsi convinco commentum M. Claudii, ex Ruperto corporis et sanguinis Christi nomen tantum et effectum seu virtutem in eucharistiæ sacramento a sanctis Patribus intelligi, nulla fide arguentis. Præterea noster Tuitiensis fallacibus diaboli pollicitis, *si comederitis, eritis sicut dii*, ea Christi promissa : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, opponit, et cibum illum vocat cibum vitæ, cibum et potum veraciter communicandæ divinitatis, effectivam carnem et sanguinem Christi.

Scribit insuper munus hoc quod offertur esse sacrificium verum, sanctum et immaculatum, corpus vivificum, et sanguinem verum fratris cui reconciliatus es.

Scribit et quod cum Judas exierit priusquam Novi Testamenti cœnam Christus instituisset, non ei corpus suum, sed intinctam panis buccellam Christus porrexit.

Quod eucharistiæ mysterium magna est fidei tentatio.

Quod ut fidem probaret Deus, exterior panis et vini species remanet.

Quod Christus non qualecunque suum, sed suam carnem et suum sanguinem dat.

Quod Christus in Cœna panem communem accepit, sed benedicendo longe in aliud quam fuerat transmutavit, ut veraciter diceret : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item vini substantiam accepit, sed ibidem gratias agendo vel benedicendo (idem gratias agere ac benedicere), sic in aliud vertit ut diceret Veritas quæ non mentitur : *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur.*

Quod denique nostræ saluti sufficit, ad usum nostrum convenit Christi carnem et sanguinem in altaris sacramento non videri oculis carnis, nec sentiri gustu oris.

Ubi et docet quod Christus præteritis omnibus electis remissionem peccatorum et vitam æternam in cruce operatus est ; et in altaris sacramento etiam omnibus electis, qui post eamdem passionem ad fidem ejus veniunt, remissionem peccatorum et vitam æternam conferre non dubium est.

Alio autem in capite ejusdem libri Rupertus explicat quid sit sacramentum et quid res sacramenti, et quem intellectum habere debeat hæc Augustini distinctio,

Et ibi rursum verbis diaboli nequiter æquivocantis, verba Christi veraciter promittentis objicit.

Credatur itaque huic sacramento, ut Rupertus ait, inesse quod non videtur, videlicet veritas carnis et sanguinis valens efficere nos concorporales unigenito Filio Dei

Hanc Ruperti fidem tribus obsignamus miraculis corporis Christi, quæ ex ipso enarramus. Et sic ab Umbraticorum figuris Ruperti doctrinam defendimus.

Secundus error, manducationis nempe corporis Christi per fidem, a venerabili Ruperto depellitur.

E limine declaramus qui erroris istius nostrum Tuitiensem arguerint.

Et quadruplicem corporis Christi manducationem per fidem distinguimus. Primam et quartam Ecclesia probat ; secundam et tertiam damnat, tum in eorum sensu qui dicebant Christi corpus non esse in sacramento, nisi dum actu suspicitur ; tum eorum, qui tenebant totum quidem panem in Christi corpus prece mystica transmutari ; sed ab illius speciebus recedere, cum ab indignis sacramentum percipitur ; tum eorum, qui eam panis partem, quam Deus prænovit, sacrilegis distribuendam fore, non converti in Christi corpus impie docuerunt.

Hos errores a venerabili Ruperto ut propulsemus, manifestum facimus quod sanctus hic doctor vere

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sensit et catholice docuit Christi corpus etiam ab indignis manducari.

In catholicæ istius fidei abbatis Tuitiensis invictissimum argumentum expressissima adduco catholici hujusce scriptoris verba.

Rupertus enim distinctissime expressit « quod nemo indigne manducare potest, sed nemo indigne manducare debet.

« Quod panis semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit : sed non prodest quidquam indigno.

« Quod homo cujus fides sine operibus mortua est, Spiritum qui vivificat non habet quo ore percipiat; sed terra terram comedit, hoc est Christi carnem quæ de terra nostra est, sine Divinitatis spiritu vivificante.

« Quod Christi corpus ab indignis ita suscipitur, ut tamen non sit obnoxium secessui, contra stercoristas.

« Quod panis habet dignus ab indigno, quod huic ad salutem, illi proficit ad judicium, et illum propter peccata sua divinæ virtutis adeps refugit. »

Sed et Augustini discernentis sacramentum a re sacramenti sententiam Rupertus sic exponit, ut non solum a dignis, sed etiam ab indignis vera Christi caro ore quantumvis sacrilego vere percipiatur, juxta illud Apostoli : *Reus erit corporis et sanguinis Domini.*

« Neque enim, ut ait Rupertus, indignitas ejus dignitatem tantæ consecrationis evacuare potuit. Sed quia mente, et fide per dilectionem operante (hic quis non contremiscat), passionem Christi non respicit; idcirco non effectum consequitur ejusdem sacramenti. »

His Ruperti fide inconcusse stabilita, unum quod a Bellarmino objicitur, solvendo diluimus.

Noster Tuitiensis dixit quidem quod « in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini nihil de sacrificio pervenit, » etc.

At Rupertum eadem loqui ostendo quæ Augustinus, ubi ait quod qui discordat a Christo, non manducat carnem ejus nec bibit sanguinem, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ perditionis quotidie accipit.

Adeo ut manifestus Augustini et Ruperti sensus sit quod ille qui discordat a Christo, seu in quo fides non est, nullum carnis Christi fructum percipiat, seu ex Christi carne non reficiatur.

Et quidem eo loci sanctus doctor Tuitiensis multa fidei pietate docet, quod fidem non habenti quæ per dilectionem operatur, Christi corpus in sacramento neque sanctificatio, nec veritas, nec pax est, sed mors, perditio, damnatio et judicium.

Eadem fide eademque pietate ex Ruperto dictum posui quod qui panem invisibilem a corde suo non credendo repellit, Christum occidit, quia vitam a vivificatione sejungit. Et dentibus mortuum utpote sine spiritu vivificante laniat corpus sacrificii. Is sacrum, hoc est, sine virtutis adipe, Christi corpus dentibus terit, et hinc fit reus corporis et sanguinis Domini.

Alterum insuper hujusmodi verborum Ruperti intellectum, nimirum quod qui Christi corpus in sacramento non credit, illi profecto non aliud nisi panis et vinum est, in mensa Domini; et non nisi panem, et vinum ea in fide, seu potius eo in errore, ille sumit de altari.

Et sic Rupertus a manducationis per fidem errore liber exeat.

Ego vero alteram Apologiæ dissertationem aggredior in qua

Ab impanationis errore

Rupertum Tuitiensem vindico; et eum demonstro sensisse et docuisse veram panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem, quam modo transsubstantiationem vocamus. Catholicam hanc Ruperti doctrinam ex tribus arguo.

1. Ex explicatissimis Ruperti verbis et sententiis, quibus eam exprimit.

2. Ex perfecta Ruperti cum ecclesiasticis scriptoribus consonantia.

3. Ex genuina, clara et catholica expositione locorum quæ in Ruperto subobscura videntur.

Ad primum ut procedam : ipsamet et quidem expressissima Tuitiensis abbatis verba, quibus suam hanc declarat fidem et istam defendit doctrinam, ingenue profero.

Tum ex epistola nuncupatoria librorum in Joannis Evangelium, quos adversus Berengarianos in eucharisticæ veritatis defensionem se scripsisse testatur. Ubi sic habet : « Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet panem et vinum in veram corporis et sanguinis translisse substantiam. »

Tum ex ipsomet sexto libro in Joan., ubi figurationem rejiciens dicit quod panis in veram corporis Christi substantiam divina virtute convertitur. Quod panis iste visibilis et vinum, quamvis nihil specie exteriori mutatum sit, in alium transierint et in illum cibum potumque conversa sint, qui angelorum victus est.

Quod panis [fit] Christi caro illa quæ cruci affixa est; et vinum fit ille Christi sanguis qui pro multis effusus est. Quod panem terrenum in carnem suam Verbum transmutat.

Tum ex Ruperti Commentariis in Exodum ubi pluribus in locis iterum docet panem et vinum fieri, exteriori specie non mutata, tranferri in veram corporis et sanguinis Christi substantiam.

Et tandem ibi docet quod substantiarum ac specierum creator Deus non superficietenus inducit, sed efficaciter hæc, panem et vinum, in carnem et sanguinem Christi convertit, permanente licet specie exteriori.

Tum ex catholici illius scriptoris libris (De operibus Spiritus sancti). Ibi enim aperte declarat quod Christus panem communem accepit; sed benedicendo longe in aliud quam fuerat *transmutavit;* ut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

veraciter diceret: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quod panis ille caro Christi factus sit, quod vinum illud in sanguinem versum sit. De quo qui dubitat, Judaicæ infidelitatis arguitur.

Ex quibus confutamus M. Claudii commentum dicentis nullum proferri posse illius auctoris testimonium, quo transsubstantiationem docuisse necessario intelligatur; quasi aliud sit transsubstantiatio quam substantiæ panis et vini in corporis et sanguinis Christi substantiam transmutatio; quæ quot locis a nostro Tuitiensi distinctissime sit expressa, judicabit lector æqui amans et veri.

Alterum, quo sanctum hunc doctorem ab impanationis errore asserimus, est perfecta illius cum eucharistica veritate consonantia.

De ista enim panis et vini in Christi corpus et sanguinem conversione, quam ex ecclesiastica traditione credimus, Rupertum ostendo eadem prorsus esse locutum quæ Tertul., Orig., Greg. Niss., Ambros., Cyril. Alex., Hesychius, Euthym., Isidor., Beda et alii disseruerunt; imo et eadem quæ, post exortas de eucharistica ista transmutatione contentiones, Paschasius, Lanfrancus, Guitmundus, Algerus et cæteri veritatis illius defensores elocuti sunt.

Tertio tandem præmitto hanc Christianæ justitiæ regulam, qua Scripturas et scriptores alioquin catholicos quisquis debet interpretari.

Quæ duriora videntur, mitioribus suis emperanda; et quæ obscura, ex evidentibus explicanda sunt.

Ad hanc catholicæ veritatis regulam, ea Ruperti verba, quæ si durius vel obscurius accipiantur, impanationis errorem habere nonnullis visa sunt, clara et catholica expositione illustro.

1. Quam recto sensu noster Tuitiensis dixerit quod in hocce mysterio Verbum est in pane, ex his ostendo, nimirum quia eucharistiæ sacramentum, ut ex Apostolo et ipso Christo discimus, nomen panis retinet sicut et speciem exteriorem; et quia ex pane fit. Sic mulier, ex osse formata, in Scripturis dicitur *os;* voces enim seu nomina in sensu distracto nonnunquam supponere vel rudiores dialectici norunt.

2. Quam sano intellectu sanctus abbas scripserit, quod Verbum panem cum sua carne, vinum jungit cum suo sanguine: quod pani, ac vino medium interveniens unum efficit sacrificium interjecta expositione planum facio.

Ibi enim fit patentissimum quod Rupertus, isto et aliis pluribus locis, nihil aliud docuerit quam quod Verbum panem et vinum jungit cum ea carne et eo sanguine quæ assumpsit ex utero Virginis; ipsa videlicet transmutando in eam carnem et eum sanguinem, quæ cum ista carne et isto sanguine, quibus se in Virginis sinu hypostatice univit, una caro et unus sanguis sunt. Et ex divini Verbi unitate quod panem et vinum in altari sic assumit, ut ea convertat in carnis et sanguinis substantiam, demonstrat evidenter unitatem carnis et sanguinis, quæ ex pane et vino Spiritus sancti operatio conficit; cum ea carne et illo sanguine, quæ Spiritu sancto obumbrante de purissimis beatæ Mariæ sanguinibus idem Verbum Patris sibi efformavit. Cum divini illius Verbi non nisi una caro et non nisi unus sanguis sit.

Unde et eo sensu dicit quod Verbum pani ac vino, in carnem videlicet et sanguinem transmutandis, medium interveniens unum efficit sacrificium, hoc est, ut alibi pluries se explicat, unitas verbi unitatem facit sacrificii, faciendo scilicet ut caro, quæ in altari offertur, et illa quæ in altari consecratur, et illa quæ in cruce immolata est, divini Verbi caro sit, cujus una tantum caro est.

Hunc Ruperti sensum qui assequitur, nullam in tota illius doctrina deprehendit impanationis vestigium.

Verum et eo loci Rupertum nequaquam sensisse panis substantiam in sacramento manere ex iis ejus verbis ostendo, quibus ibi ipse declarat quod præter visibiles panis species nihil de sacrificio pervenit in illum qui ore sacrilego sacramentum percipit.

3. Rupertus catholice dixisse probatur, post consecrationem quinarium crucis signaculum panis et vini imprimi substantiæ; nimirum, ut ipse loquitur, Christo sedenti ad dextram Patris *concorporatæ*, hoc est, transmutatæ in eam Christi carnem quæ est una caro cum illa Christi carne quæ sedet a dextris Dei.

4. Noster Tuitiensis, qui tot in paginis scripsit panem et vinum *verti, converti, transmutari, mutari*, in illam Christi carnem quæ in cruce appensa est, et in illum Christi sanguinem qui pro nobis est effusus, remanente tamen exteriori panis et vini specie; recto et catholico sensu intelligendus est dixisse quod panis et vini substantia, non quidem secundum se, sed, ut seipse explicat, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutatur aut destruitur.

Hac insuper sancti illius doctoris sententia mutationem duntaxat destructivam, non vero perfectivam negari, ex ipsa voce *aut destruitur*, prudenter colligimus.

Unde falsi arguimus M. Claudium ubi dixit a Ruperto eversum esse transsubstantiationis mysterium.

Post hæc Gregorii a Valentia profero judicium, quo abbatem Tuitiensem in philosophiæ et non in theologiæ aut fidei principia peccasse pronuntiat.

Singulare istud Gregorii judicium ut emendem, Rupertum altiora scientiæ naturalis arcana scrutatum et consecutum ostendo. Ubi quid de prima causa, quid de primo subjecto, quid de primis rerum principiis, quid de transmutationibus, quid de accidentalibus et substantialibus proprietatibus, quid de figurationibus, modis, etc., doctissimus abbas noverit, paucis explico.

Quandoquidem vera ea quæ in Ruperti vindictam verba protulimus, et quibus sanctus hic doctor sin

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cere professus est panem et vinum vere *fieri et esse* Christi *corpus et sanguinem* in carnem et sanguinem Christi, violenter critici detorquent ad sensum hypostaticæ unionis panis et vini cum verbo Patris, et pravum hunc sensum Ruperto ascribunt; idcirco in ultima hujusce Apologiæ dissertatione

Ab errore hypostaticæ unionis panis et vini cum Verbo divino in sacramento altaris Rupertum defendo.

In hujusce dissertationis præludiis duo hæc propono, in quibus stat nostræ summa fidei erga venerabile corporis et sanguinis Christi sacramentum.

1. Corporis et sanguinis Domini non figuram duntaxat, sed ipsam rem vere esse sub panis et vini exteriori specie.

2. Panis et vini substantiam in Christi carnem et sanguinem converti et transmutari.

Deinde erroris illius, hypostaticæ videlicet impanationis, sensum aperio, ætatem, originem et seriem.

Uti Albertini et aliorum qui ad anteriora sæcula hunc revocant, fabulam falsi manifeste convinco: et cum non nisi vel undecimo abeunte, vel duodecimo ineunte sæculo natam esse hujus erroris impietatem, ex evidentissimis Guitmundi et Algeri testimoniis probem; Anastasium Sinaitam, Germanum Constantinop., Nicephorum, et alios prioris ætatis ab hypostaticæ impanationis calumnia contra Albertini et aliorum ejusdem furfuris commenta ex occasione vindico. Post hæc præludia, Rupertum nostrum Tuitiensem ab istius pravitatis absurda novitate liberum facio multiplici argumentorum vi.

Quod affero integre fidei Ruperti argumentum illud est. Quod catholicorum nemo ex antiquioribus ad posteriora usque sæcula Ruperti fidem isto errore denotaverit, licet a Ruperti temporibus, et ipsa etiam sancti illius doctoris ætate multi catholicas de eucharistia veritates contra quascunque errorum novitates defenderint.

Hic ab Algero, novam hanc, ut ipse loquitur, et absurdam hypostaticæ companationis hæresim insectante, non Rupertum, sed alios erroris istius auctores describi patenter adversus Bellarmini observationem demonstro. Tum quia nihil habet Bellarminus unde ecclesiasticum scriptorem ab Algero designari prudenter indicet.

Tum maxime quia sententiæ quibus hanc impietatem a novatoribus explicari et defendi scribit Algerus, in nullo Ruperti opere positæ leguntur; et nullam adducit Algerus ex iis quas in Ruperti libris legimus, et quas modo critici notant.

Hic etiam falsum attendere est, quod Vasquez ex Valdensi tradit hunc Ruperti errorem a Joanne Parisiensi, ord. Prædic. theologo, fuisse confutatum. Nam licet Joannes Parisiensis defendere conetur communem Ecclesiæ sententiam, qua creditur panis et vini substantia sic transire et converti in Christi carnem et sanguinem, ut panis et vini substantia non remaneat; non cadere sub fidem: sed alium modum, quo nempe panis sic uniatur corpori Christi, et eo corpore mediante, Dei verbo; ut Christi corpus dicatur, veluti probabilem astruat; nusquam tamen Ruperti meminit, nec ullibi confutat hypostaticam divini Verbi cum panis et vini substantia nullo medio, unionem, quasi quæ Ruperti fuerint. Imo etsi eos omnes qui transmutationis modum per assumptionem aut unionem Verbi expresserunt, in suum sensum pertrahat. Joannes ille Parisiensis, nullibi tamen Ruperti verba aut sententias adducit. Hæc advertat lector, et judicet quo jure noster Tuitiensis erroris istius a Vasquesio et aliis insimuletur, sed et damnetur.

Sed nec est quod ex Joannis Parisiensis in theologia magistri determinatione M. Claudius deducere possit, ipso etiam sæculo decimo quarto, anno videlicet a salute reparata millesimo trecentesimo quarto, quo illius determinatio scripta aut saltem evulgata notatur a continuatore Nangiaci, nondum de fide tenuisse doctores panis et vini substantiam in sacramento manere.

Hæc enim ipsa Joannis Parisiensis determinatio M. Claudium omnino jugulat. Cum realem et veram carnis Christi existentiam in eucharistia de fide teneat et defendat, et in titulo expresse declaret se inducere modum quo Christi corpus exstitit in sacramento altaris (alium ab eo quem tenet Ecclesia); quæ rubrica, ut cum canonistis loquar, est conformis textui.

Nec M. Claudium juvat quod hujusce determinationis modum tanquam probabilem magistri in theologia probasse dicantur. Cum Nangiaci continuator, cujus Historiam præ manibus habeo, quam eodem anno scribebat, expresse tradat cæteros, præter Joannem Parisiensem, theologiæ doctores contrarium, astruisse primum, quem Ecclesia tenet, modum tanquam ab Ecclesia determinatum, præsertim per decretalem extra. *De summa Trinitate et fid. cath.*, c. *Firmiter credimus*, necessario esse tenendum definivisse; alterum vero, quem introducebat Joannes, tanquam veritati fidei dissonum merito reprobasse. Adeo ut, cum ea quæ dixerat fr. Joannes retractare nollet, sed magis videretur pertinaciter sustinere, a Guillelmo Parisiensi episcopo, de consilio fratris Ægidii Bituricensis episcopi, provecti theologi, ac magistri Bertrandi de S. Dionysio, præcellentium doctorum, et Aurelianensis episcopi, ac Guillelmi Albianensis episcopi, nec non doctorum in jure canonico, pariter et dominorum ad hæc specialiter vocatorum, perpetuum silentium dicto fratri sub pœna excommunicationis impositum sit, et ipse a lectura prædicatione privatus.

Hæc in synopsi posui, ne dimitterem quæ, quia in mss. nondum legeram, in Apologia omisi. Ad ejus argumenta redeo.

Alterum, quo ab hypostatica impanatione Ruperti doctrinam validissime assero, illud est, quod ardentes æmuli qui ejus scripta studiose legebant, si quidquid erroris alicujus vel umbram præberet, ini

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quiori censura proclamarent hæreticum, ne levissimam quidem unionis hypostaticæ panis et vini cum Verbo suspicionem ex Ruperti Operibus concepere.

Hujus argumenti pondus sentiunt, qui cui parcat invidia norunt, et quis fuerit Ruperti æmulorum zelus ea tempestate qua de Eucharistiæ sacramento quæstiones movebantur, ex nostro proloquio didicerunt.

Tertium, quo ab hypostaticæ companationis blasphemia Ruperti doctrinam vindicandam suscipio, illud est : quod abbas Tuitiensis episcopo Ratisponensi, archiepiscopo Coloniensi, sed et sanctæ sedis apostolicæ legato, et ipsi Romano pontifici gratulantibus sua omnia nuncupaverit opera, quod qua fronte vel imprudentissimus præstitisset, si novam hanc et absurdam hypostaticæ impanationis hæresim tot in locis, quos critici carpunt ea ætate prædocuisse, qua majori sollicitudine eradicandis adversus eucharisticas veritates erroribus, novitatibusque comprimendis, sedes apostolica invigilabat. Tales blasphemias Ecclesia nunquam suscipit; sed omnem novitatem, mox ut exorta est, refutat, ut ex Facundo observavimus.

Quarta Ruperti ab ista pravitate defensio est, quod illa Tuitiensis verba, quibus panem et vinum precæ mystica *fieri et esse* nomine, re et effectu Christi carnem et sanguinem; panem et vinum in corporis et sanguinis Christi substantiam, non dicit personam vel suppositum, verti, converti, mutari, transmutari edixit, in sensu hypostaticæ unionis seu communicationis idiomatum, intelligi prohibeat sensus Ecclesiæ perpetuus, ne tota corruat traditio, cum iisdem verbis, quibus Scriptura et tractatores catholici, illud semper expresserit sacramentum prohibeat ipsius grammatices regula; prohibeant e dialecticæ leges, ut manifeste demonstro.

Quinta erroris istius a Ruperto depulsio est, quod iis omnibus in locis ex quibus Tuitiensem hypostaticæ illius companationis liberius damnant, eam nusquam exprimat, imo eucharisticam veritatem iisdem omnino verbis, sententiis et comparationibus illustret et explicet, quibus sancti Patres eam evidenter exposuerunt et constanter asseruerunt.

Et ne imponere videar, ea omnia Ruperti loca ex integro et fide sincera profero.

Et ad ipsorum explanationem, quæ nonnullis ardua sunt, duo potissima nobis a SS. Patribus ad sacramenti illius veritatem stabiliendam tradita hic pono. 1. Christi carnem et sanguinem, quæ per Ecclesiæ consecrationem in altari ex pane et vino conficiuntur, esse illam ipsam carnem quæ cruci affixa est, et illum Christi sanguinem qui in ara crucis pro multis fusus est : adeo ut una sit Christi caro et unus sanguis sit, et individuæ illius unitatis ratio ipsa sit unitas Verbi. Id Greg. Nyss., Chrysost., Cyrill., Alex., Damasc., Remigius et Alcuinus tradunt.

Unde istorum verba et mentem secutum ostendo Tuitiensem, qui productis in eum locis ex divini Verbi unitate non præcisam arguit corporis Christi in altaris sacramento existentiam; sed expressius probat illam carnem, quæ ex pane et vino conficitur et illam quam ex Virgine Verbum assumpsit, unam esse Christi carnem. Quod qui attendit, planissimum habet omnium Ruperti locorum intellectum.

Ibidem adverto diversa catholicorum Patrum de Christi corpore in sacramento enuntiationes, unum tamen fidei sensum.

Ab aliis dictum observo Christi corpus in altari differre, secundum speciem, ab eo quod sedet in gloria : ab aliis, ipsum esse quod de Virginis sanguinibus formatum, et tamen non ipsum, secundum speciem et nonnullas qualitates; ab aliis, istud esse illius typum, similitudinem, imaginem et figuram, in memoriam videlicet cruenti sacrificii; ab aliis, corpus hoc visibile et videri, palpabile et palpari, frangi et dentibus atteri; ab aliis vero, unum esse idem Christi corpus, non aliud et aliud. Et hoc corpus quod est in sacramento, invisibile esse, intelligibile et spirituale, pro modo existendi sub mysticis speciebus; hæc autem in sono vocis licet diversa, in uno unius fidei intellectu paucis concilio.

Alterum quod ex SS. PP. ad pleniorem clariorenque Ruperti intelligentiam pono, illud est. Incruentum altaris sacrificium tremendumque sacramentum cum ineffabili et adorando Incarnationis mysterio a SS. DD. in multis comparari discerno; et in eo maxime, quod sicut unitas Verbi unitatem constituit Christi, qui ex duabus naturis divina mistura est; ita unitas Verbi unitatem facit sacrificii, ut unum sit illud corpus quod in ligno transfixum est, et illud quod in altari quotidie immolatur.

Hoc autem præ cæteris nostrum Tuitiensem in adductis adversus ejus fidem testimoniis, sensisse cum catholicis scriptoribus, et docuisse vel invitis aperio.

Et quidem in primo ex locis objectis, qui sumitur ex l. II De divinis officiis, c. 2, Rupertum ad SS. PP. mentem tria docuisse significo. 1. Quod Verbum Dei eadem virtute divina panem et vinum in corpus et sanguinem suum transferenda suscipit, qua nostram de Virgine carnem assumpsit. 2. Quod unum Christi corpus est, quod singuli sacerdotes sive diverso sive eodem tempore conficiunt : et una est Christi caro quæ in altari offertur, et quæ cruci appensa est. 3. Quod individuæ illius unitatis ratio carnis Christi ipsa est divini Verbi unitas, cum unius divini Verbi non nisi unum corpus seu una caro sit.

In secundo pariter, tertio et quarto loco Rupertus nihil aliud intellexisse demonstratur, quam divini Verbi unitatem efficere ut unum sit sacrificium. Et huic Tuitiensis interpretationi verba hæc, *conjungitur, jungitur, unitur*, quæ de corpore quod est in altari nonnunquam a Ruperto dicuntur, nullatenus officere ex aliis Patribus manifestum fit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ibi etiam quod hæc Ruperti et aliorum SS. PP. verba, *panis fit et est corpus Christi, panis in Christi carnem transmutatur*, et alia hujusmodi ferre non possint hypostaticæ unionis sensum, et dialecticæ regulis vel pertinacem convinco.

Deinde quintum Ruperti locum sic explico, ut nemo non videat eo loci Tuitiensem corporis Christi in Eucharistia veritatem propugnare, et modum explicare quo Christi corpus in altari sic frangitur, ut nihil tamen patiatur, nec moriatur. Quod duplici sensu, utroque tamen catholico, a Tuitiensi dictum posse intelligi agnosco.

Ibi etiam voces istas, *Christi corpus in altari frangitur*, ex Chrysostomi doctrina et ex ipsiusmet Berengarii catholica confessione, nihil a fide alienum proferre sustineo.

Tandem quod in sexto loco panis et vini substantiam non secundum se, sed secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam in sacramento manere immutatam Rupertus senserit, hic iterum declaramus : et quod mutationem duntaxat destructivam, non vero perfectivam Spiritus sancti operationi denegaverit noster Tuitiensis.

Cur autem adeo frequenter Rupertus doceat et probet Christi corpus unum esse illud quod Ecclesiæ fides ore sacro conficit, et illud quod pro nobis est morti traditum, seu panem et vinum converti in illam ipsam carnem quæ cruci affixa est, ex duobus colligo. 1. Ex eo quòd Ruperti ætate nonnulli panem et vinum mutari dicerent in corpus quidem Filii hominis, justi cujuslibet et sancti, sed non Christi, Nestorii dogma utcunque renovantes. 2. Ex eo quod ex catholicis, etiam doctoribus aliqui, ut jam observatum est, corpus illud quod in altari prece mystica consecratur non illud ipsum esse *secundum aliquas rationes* quod in cruce pependit aliquando enuntiassent. Quas voces, ut Eucharistiæ veritati minus consonas, Rupertus audire non potuit.

Sic venerabilem Rupertum ab omni contra catholicas sacramenti eucharistici veritates, erroris nota, videlicet ab Umbraticorum figura, a Calvinianorum manducatione per fidem, a Lutheranorum impanatione, et a Joannis Parisiensis, qui solus ex nomine scitur eam ut catholicæ fidei minime adversam defendisse, hypostatica panis et vini mediata vel immediata unione, vindicatum exhibeo, *Mendaces ostendens eos qui maculaverunt illum* (*Sap.* x).

APOLOGIÆ

PRO RUPERTO ABBATE TUITIENSI CUJUS OPERA RECENSET VINDEX.

PRIMA PARS.

Rupertus, monachus ordinis Sancti Benedicti, in monasterio Sancti Laurentii in publico monte Leodii, non tam suo natus, quam reipublicæ Christianæ bono, plurima scripsit, quæ fidem eruditum, spem promovent, et accendunt charitatem. Rupertus nondum presbyter, sed junior, scripsit *libellum hymnorum in laudem Spiritus sancti*, quorum primus est Saphicus et incipit : *Flumini magno*, quem integrum ipse describit in libro duodecimo in Matthæum, *De gloria Filii hominis* ; alter vero Iambicus est, et totus legitur ad calcem libri XIII, in Matthæum *De gloria Filii hominis* ; initium ejus est : *Deus meus et Dominus tu es, o sancte Spiritus*. Utrum autem alios libellus iste hymnos continuerit, nec scio, nec scire potui. Unum scio, hujusmodi libellum esse primam vocem quam Rupertus emisit post inundationem, sed nondum plenam fluminis Spiritu sancti ; plenam enim non obtinuit, nisi cum sacerdotii gratiam accepit. Hæc de se ipse habet in libro duodecimo citato.

Scripsit eadem ætate librum *De diversis Scripturarum sententiis*, quem non nisi diversas Scripturæ sacræ sententias simul collectas puto, quandoquidem sacræ Scripturæ expositioni non dedit animum nisi, postquam factus Christi sacerdos, de cujus ore sapientia requiritur ipse ad tractandas ecclesiastico more Scripturas sacras legitimam accepit oris apertionem. Hæc in libro duodecimo citato in Matthæum ; quibus consentit Reinerus libro De viris illustribus monasterii D. Laurentii Vitam et Opera Ruperti prosecutus.

Huic libello Rupertus adjunxit carmen heroicum *De incarnatione Domini*, ut Reinerus loco citato scribit. Unde et ego carmen istud a Ruperto editum crediderim, cum junior *cingere* se volens, hujus nominis opus aggredi proposuerat, *cœlesti voce invitatus*, ut ipse in Prologo ad libros suos *in Cantica canticorum* enarrat. « Non nova, inquit, hæc voluntas, » scribendi de Incarnatione Domini, « nunc incidit. Ante annos aliquot cum essem junior, me cingere volebam, et hujus nominis opus aggredi, scilicet de Incarnatione Domini, per occasionem hujusmodi : Coram Regina cœlorum loquor, a conservo meo quolibet irrideri non debeo, dicente, Ecce somniator. Sedebam quasi solitarius per visum nocte, et ecce quasi sibilus auræ tenuis per utramque aurem transcurrens velocius quam dici posset, istos in me versiculos deposuit :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Femina mente Deum concepit corpore Christum.
Integra fudit eum, nil operante viro.

« Cum, reversus ad memet, versiculos taliter acceptos mente pertractarem, et nonnullis unde vel qualiter acceperim secretius non sine admiratione denarrarem; atque ad multorum notitiam versiculi pervenissent, qui tamen nescirent unde accepissem; ex multis, ex diversis quæ audiebam, occasio præbuit ut scribere aliquid cuperem de Incarnatione Domini, versaturus grande onus invalidis humeris. » Hæc Rupertus in Prologo libri *in Cantica*.

Ex ista igitur occasione cum Ruperto mens fuerit de Incarnatione Domini scribere, ex eadem ab ipso compositum istud carmen heroicum, non abs re est existimare : maxime cum nulla alia ætate, nec ulla alia occasione commodius scriptum possit reputari. Dum in istis junior Rupertus luderet, *statum sui monasterii Sancti Laurentii* ab Heracli Leodiensium episcopi sede ad Ogbertum uno libello descripsit. Scripsit et *Vitam S. Augustini*; necnon *Vitam sanctæ Odiliæ virg.* Quæ omnia cum non exstent modo, et de his nihil in Ruperto reperiatur, in solius Reineri fide ista protuli.

Inter hæc Rupertus, sciens quod in domo Dei nemo sibi sumit honorem, nisi qui vocatur a Deo, ad sacrum presbyteratus ordinem accedere non ausus est, sed cum propter sacerdotii reverentiam, tum propter gravem schismatis discordiam, nempe inter Paschalem Romanum pontificem et Guibertum antipapam, cui nonnulli Germaniæ episcopi, et ipse Henricus III imperator favebant, ab eo humilis et pacificus recessit, donec tandem diutina ista, quæ Christi Ecclesiam vexabat discordia, mortuis ejus auctoribus (nimirum Guiberto antipapa, qui pontificatu simul et vita cessit anno millesimo centesimo, et Henrico III imperatore, qui anno millesimo centesimo sexto sceptrum et animam posuit) paululum conquievisset. Tunc enim nocte quadam Ruperto dies æternos cogitanti, Christus crucifixus intimo orisuo osculo amorem sacerdotalis officii ita infudit, ut mox die facto Rupertus Patri suo spirituali diceret se non velle amplius reniti, imo velle, cum primum juberet, suscipere jugum Domini, tacita tamen visione quæ acciderat. Sicque, ut primum adfuit tempus ordinationis, Rupertus sacrum hunc ordinem suscepit. Vix autem ab ordine suscepto triginta effluxerant dies, cum ecce tanta vis inundans divini amoris subito in Ruperti mentem illapsa est, ut extunc aperuit os suum, et cessare quando scriberet, ac etiam si velit, tacere non potuerit. Ista omnia Rupertus, adjuratus a Cunone episcopo Ratisponensi, de se ipse loquitur libro duodecimo *De gloria Filii hominis*.

Primum verbum quod Ruperti cor divino Spiritu plenum eructavit, et os ejus, quod Dominus aperuerat, elocutum est, Divina officia exposuit, et cantus de sanctis emisit. *De divinis enim officiis* (5*) sub Berengario abbate, anno reparatæ salutis millesimo centesimo undecimo (6), quo Henricus IV Romam pacifice ingressus est, libros duodecim edidit, quos ipse vocat (6*), *primitias frugum terræ suæ, cui benedixit Dominus*.

Gravis hic controversia, quæ de auctore hujusmodi librorum, *De divinis officiis*, a multis nominis scriptoribus movetur, esset hic dirimenda; verum ne series Operum Ruperti ista contentione turbetur, aptius hac de re post recensita Ruperti Opera, proferam sententiam, quæ ex jam positis pro Ruperto præjudicata facile intelligitur.

Quid liti cum Ruperti cantibus, quos quidem a nullo audio, et quos solus, quem sciam, Reinerus audivit? Ipse enim scribit a Ruperto jam uncto in sacerdotem Domini cantus compositos de S. Theobaldo martyre et de SS. Goare, et Severo confessoribus. Hos tamen nec despicio nec respuo.

Post hæc Rupertus Commentariolum (7) librorum decem *in Job* abbreviatum ex abundantia sensuum atque verborum S. Gregorii concinnavit; et istud non aliud puto quam ipsummet Ruperti *Commentarium in duo et quadraginta capita Job*, qui per duo et quadraginta pariter capita distributus modo in editis habetur; adeo ut solam arbitrer hujusce Commentarii distributionem esse commutatam ab exscriptoribus, qui istorum capita librorum singulis libri Job aptare capitibus commodius censuerunt, librorum distinctione dimissa. Ut ita de hujusmodi libris censeam, moveor primo ex eo quod nulli alii vel in editis, vel in catalogis Operum Ruperti, exstant Commentarii in Job. Secundo et maxime ex eo quod iste Commentarius duobus et quadraginta capitibus modo distinctus, breviarium aptissime dici potest sensuum atque dictorum S. Gregorii : hunc enim ex S. Gregorii verbis et sententiis conflatum comperiet quisquis opus istud Ruperti cum S. Gregorii Moralibus in Job contulerit.

Commentarium autem istud post libros *De divinis officiis* digestum censeo. Cum enim ex nullo discere aut deducere potuerim illius ordinem, primam a libris *De divinis officiis* sedem, quam inter sua Opera (7*) Rupertus ei concessit, non potui juste denegare. Si cui alteri locus iste debetur, lubens cedo. Cætera prosequamur.

Rupertus sub abbate Berengario adhuc positus, nec dum Cunonis, seu Cononis abbatis monasterii S. Michaelis Sigebergensis commissus fidei, sed nec ab eo cognitus, libris *De sancta Trinitate et ejus operibus* sese addidit circa annum millesimum centesimum decimum quartum. Quandoquidem vero non nisi triennio elapso id operis perficit, infra de illo dicam. Hic advertisse sufficiat ipsos inchoatos

(5*) Vide lib. VIII De divin. offic., c. 4.
(6) Baron. ad hunc ann.
(6*) L. . . in Regul. et in. epist. ad Cunon. episc., quæ incipit, *Primitias*.
(7) Rup. episc. citata *Primitias*.
(7*) Vide epist. laudat.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fuisse sub abbate Berengario, et quidem circa annum millesimum centesimum decimum quartum. Primum ex eo conjicio, quod Rupertus ipse asserat opus istud a se susceptum priusquam notus fuerit Cunoni, cujus tutelæ se a Berengario e vivis excedente commissum scribit in epistola ad Cunonem abbatem ; quæ incipit : *Cuicunque fideli animæ*, et præmittitur ante libros De Trinitate. Alterum ex eo quod ih illis triennium insumpserit, et anno millesimo centesimo decimo septimo perfectos Cunoni abbati Sigebergensi obtulerit, jam sub Heribrandi abbatis, qui Berengario successit, obedientia, ut idem in eadem epistola testatur.

Opus istud Ruperti *De sancta Trinitate et operibus ejus*, ad triennium productum æstimo, eo quod diversis fuerit interturbatum quæstionibus, quæ Ruperti studia alio distraxerunt.

Imprimis enim cum Rupertus suorum quemdam audivisset profitentem se a scholis Guillelmi Catalaunensis episcopi, et Anselmi Laudunensis decani, qui tum in Gallia florebant, accepisse Deum ita velle malum quod opponitur virtuti, ut Adami prævaricatio ex divina fuerit voluntate ; ille, fidei successus zelo, ad Guillelmum Catalaunensem et ad Anselmum Laudunensem scripsit libellum *De voluntate Dei*, in quo, distinctione divinæ voluntatis in permittentem et approbantem acutissime exposita, Deum non velle malum, quod virtuti contrarium est, sapientissime demonstrat. Non tamen isto libello Rupertus animos opposita sentientes continuit, sed eorum in se adeo concitavit invidiam, ut in Rupertum frementes quasi Dei omnipotentiæ detrahentem, eum tanquam sibi nimium sapientem, sed et a sanctorum Patrum, maxime S. Augustini, placitis recedentem, liberius judicaverint, insolentius arguerint, et iniquius damnarint. Hanc igitur calumniam ut a se propulset Rupertus, alterum *De voluntate et omnipotentia Dei* libellum scribit ad G. et A., in quo pluribus probat Deum non velle quod malum est, et ita plurima fieri quæ Deus non vult, nullo tamen omnipotentiæ Dei dispendio. Ista ex prologis ad hujusmodi libros discere est : ex quibus insuper constat primo hosce libros *De voluntate et omnipotentia Dei* a Ruperto editos non fuisse ante annum millesimum centesimum decimum tertium ; nam Guillelmus Catalaunensis, ad quem primum scripsit, non fuit creatus episcopus ante hunc annum millesimum centesimum decimum tertium, quo prædecessor ejus decessit. Secundo non esse emissos nisi post annum millesimum centesimum decimum quartum; et post incœptum opus *De sancta Trinitate*. Nam sub Heribrando abbate saltem librum alterum, qui est *De omnipotentia*, editum esse, fidem facit prologus ad istum librum *De omnipotentia;* Heribrandus autem successit Berengario, ut ipse Rupertus tradit in epistola ad Cunonem abbatem, quæ inc. : *Cuicunque fideli*. Berengarius vero non excessit, nisi post susceptum opus *De S. Trinitate* et anno millesimo centesimo decimo quarto abeunte; nam ut supra jam notavi, tribus annis ante annum millesimum centesimum decimum septimum, quo libros *De S. Trinitate* perfecit, et quidem sub Berengario abbate, antequam scilicet in Cunonis notitiam Rupertus ex Berengarii commendatione veniret, huic operi *De S. Trinitate* Rupertus se accinxerat. Tertio denique exiisse hujusmodi libros ante Ruperti Commentarium in Joannem expresse declarat Rupertus in epistola nuncupatoria hujusce Commentarii ad Cunonem, quæ incipit *Meditatus*, et in editione Coloniensi reperitur, in editione vero Parisiensi desideratur. In ea dicit jam se scripsisse libros apologeticos *De voluntate et omnipotentia Dei*.

Per id temporis, post editos libros *De voluntate et omnipotentia Dei*, sed antequam opus *De S. Trinitate* complevisset, et proinde ante annum millesimum centesimum decimum septimum, Rupertus elucubravit *Commentariorum in Joannem libros quatuordecim*, maxime ut corporis et sanguinis Christi veritatem in altaris sacramento defenderet adversus eos qui, Berengarii errores secuti, contendebant corporis et sanguinis Domini sacramentum figuram duntaxat esse rei sacræ, verba S. Augustini malo sensu diripientes, ut habet epistola citata, quæ inc. : *Meditatus*, quæ Rupertum jam scripsisse libros apologeticos *De voluntate et omnipotentia Dei*, expresse declarans, hujusmodi Commentaria in Joannem libris istis esse posteriora aperte significat. Ipsa autem anteriora esse libris duobus et quadraginta completis *De S. Trinitate et ejus operibus* certum habeas tum ex catalogis ipsiusmet Ruperti in libro primo *in Regulam S. Benedicti*, et in epistola ad Cunonem episcopum (*Primitias*), et Reineri libro supra citato, et Bellarmini libro De scriptoribus ecclesiasticis in Ruperto; tum maxime ex Ruperti libro tertio *De operibus Spiritus sancti*, qui duorum et quadraginta librorum *De S. Trinitate* tricesimus sextus est, capite vicesimo quinto in fine; ubi cum Rupertus hæc verba serpentis primos parentes decipientis, *non moriemini, sed critis sicut dii* cum istis Christi promissis. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, contulisset, ait : « Sed et de his alio in opere plenius diximus, idcirco nunc plura dicere supersedemus. » His enim verbis *alio in opere* librum sextum Commentariorum in Joannem indicat manifeste, cum in nullo alio quam in hujusmodi sexto libro, Rupertus illa serpentis, et ista Christi promissa, de corpore Christi et ejus manducatione fusius exposuerit, ut ex attenta et repetita Ruperti lectione facile quivis deprehendere potest : sed et tres essentiæ modos secundum quos Rupertus in capite vicesimo primo ejus libri tertii *De operibus Spiritus sancti* asserit, altaris sacramentum vere esse corpus et sanguinem Christi, nomine nempe, re et effectu, qui diserte expositos ibidem adverterit, pergratam et perutilem esse judicabit repetitionem eorumdem quæ scripsit in epistola nuncupatoria hujusmodi Commentariorum. In libro primo et in libro quarto *In Cantica canticorum* ista quidem vera Christi promissa cum fallacibus illis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

serpentis Rupertus diffusa satis oratione contulit, et ea corporis Christi manducationi aptavit. At libros istos *in Cantica* nondum exiisse, cum tertium hunc librum *De operibus Spiritus sancti* composuit, infra dicturi sumus.

Expletis itaque his *in Joannem* Commentariis Rupertus anno salutis millesimo centesimo decimo septimo, indictione septima, opus *De S. Trinitate*, a tribus annis inceptum, libris duobus et quadraginta perfecit, et ad auditum publicum perducens, Cunoni abbati Sigebergensi dicat et offert per epistolam, *Exiemque*, a qua et nos ista accepimus. Et sic tribus his annis Rupertus duos *De voluntate et omnipotentia Dei* apologeticos libellos; *Commentariorum in Joannis Evangelium libros quatuordecim*; et *De S. Trinitate ac operibus ejus duos et quadraginta libros*, in quibus omnes sapientiæ et scientiæ thesauri reconditi sunt, divina prorsus sacræ Scripturæ intelligentia composuit.

Eodem hoc anno millesimo centesimo decimo septimo, dum magis in Gallia de voluntate et omnipotentia Dei ferverent disputationes, Rupertus vili, ut ipse narrat libro primo *in Regulam sancti Benedicti*, insidens asello, uno puero comitatus, ivit in Franciam, ut adversus nominatissimos sacræ theologiæ magistros (quorum alter erat magister simul et episcopus Guillelmus Catalaunensis, alter vero quovis episcopo famosior, quamvis non esset episcopus, Anselmus Laudunensis) prælium disputationis committeret. Venit itaque Rupertus; et ut venit, vicit; extunc enim exstincta aut oppressa siluit disputatio, satisque cesserunt magistri, unus scilicet hoc eodem anno millesimo centesimo decimo septimo, statim atque Rupertus accessit; et alter, quocum acerbum Rupertus habuit conflictum, vix integrum annum supervixit. Rupertum in asino sedentem, ut doctores subigeret cum puero in civitatem ingressum, ut sapientes et in lege peritos confunderet, stupent omnes, et eo qui veritati debetur plausu triumphantem cuncti proclamant. Hujus autem triumphi decus prosequi non vindicis est, sed historici partes agentis. Observasse satis sit ista hoc anno contigisse. Cum Guillelmus Catalaunensis episcopus (quem procul dubio magistri et episcopi titulo insignitum Rupertus loco citato *in Regulam S. Benedicti* denotat) isto anno (8) millesimo centesimo decimo septimo viam universæ carnis fuerit ingressus; et Anselmus Laudunensis (quem Rupertus ibidem non episcopum, sed quolibet episcopo famosiorem dicit) anno millesimo centesimo decimo nono, uno scilicet, ut (9) Rupertus habet, anno post conflictum, vita functus narretur ab ipsis Galliæ Christianæ scriptoribus, qui proinde sine ulla dubitationis disjunctione mortem illius anno millesimo centesimo decimo nono scribere debuerat.

Post hæc Frederico, qui juxta Chronicum magnum anno millesimo nonagesimo nono Coloniensis archiepiscopus creatus est, et huic Ecclesiæ præfuit annis tribus et triginta, Rupertus innotuit, Cunonis abbatis Sigebergensis industria, qui, Frederico audiente, quædam Apocalypseos capitula Ruperto proponebat; ut ex prompta Ruperti expositione ipsi compertum fieret Rupertum ultra id quod antiquiores Patres hunc librum exponendo senserunt, et dixerunt, utiliter posse aliquid supererogare. Insuper, ut Rupertus hujus libri expositionem aggrederetur, Cuno vehementer institit, nec persuadendo destitit, donec tandem Ruperti reluctantem animum sollicitis urgens precibus eo illum adegit, ut in Apocalypsim duodecim libros scriberet, quos Frederico Coloniensium archipræsuli dicavit. Ista Rupertus in prologo ad hujusmodi libros, et in prologo ad librum secundum enarrat, multa tamen suiipsius demissione, et erga Cunonem, « altiore de ipso, inquit, sentientem animi gratitudine. » Nec minus celebre de his Ruperti libris Joannes Coclæus profert judicium, qui in epistola ad Henricum abbatem Teitiensem anno millesimo quingentesimo vicesimo sexto, cum Ruperti opera istis celebrasset : « Talis, inquit, ac tantus est auctor iste, ut lectorem non modo erudiat scientia, verum etiam accendat ad pietatem, ad sanctitatem vitæ præparet, decus Germanicum, doctor vere solidus, qui cum veteribus quibusque cum Græcis, tum Latinis, in sacrarum litterarum enucleatione haud immerito comparari possit; » præ cæteris illum ex Apocalypseos expositione commendat : « Quis enim, subdit Coclæus, ex omnibus aut diligentius aut luculentius uberiusque scripsit in Evangelium Apocalypsimque Joannis? quis sic omnia verba expendit; quis sic omnia Scripturis declarat et munit? » Tandemque explanationis istius commendationem paucis concludit : « In Apocalypsim omnes omnium commentarios longe superavit. »

Rupertus his peractis jam pene dormitans excitatur a Cunone Patre cœnobii Sigebergensis, qui opportune, importune insistere cœpit, ut de Incarnatione Domini Cantica canticorum explanaret. Ad hæc autem instantis Cunonis vota. Ruperti animo succurrit propositum scribendi de Incarnatione Domini, quod junior conceperat ex occasione qua compositum ab eo fuisse supra diximus carmen heroicum *De Incarnatione Domini*. Et ex alia quæ circa tempus idem accedit, nimirum quod frater quidam innocentis et mundæ et simplicis intelligentiæ ipsi retulit se vidisse Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum sedentem super altare suum; et circa illum collegium sanctorum, Rupertumque assistentem cum quiete, et tenentem Cantica canticorum. Quibus omnibus erectus Ruperti animus tantæ molis suscepit negotium, quod septem libris feliciter explevit. Hæc omnia me docuit Ruperti prologus ad hujusmodi libros.

Verum quo tempore libri isti conscripti fuerint nullibi reperio, a nullo audio, ex nullo infero, unde nec illud definire audens, meas duntaxat conjecturas ex quibusdam certis proferam. Primo hujusmodi libros a Ruperto compositos post libros *De Sancta*

(8) Gallia Christiana.

(9) Lib. cit. in Regul.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Trinitate ac operibus ejus suadet, quod in prologo ad libros, et maxime in libri quarti initio Rupertus fatetur beatam Virginem secum de gloria Trinitatis colloquutam. Quod contigisse verosimile est, dum gloriam S. Trinitatis et ejus opera in hujusmodi viginti quatuor libris descripsit. Secundo Rupertum in Cantica scripsisse priusquam manum ultimam daret libris in Matthæum *De gloria Filii hominis*, extra omne dubium est, tum ex libro duodecimo *De gloria Filii hominis*, circa finem, ubi librorum in Cantica meminit; tum ex epistola Ruperti ad Cunonem episcopum, quæ incipit, *Primitias*, ubi suis, quæ ei dicat, operibus accenset libros in Cantica; et tamen ibi profitetur se ad librum octavum duntaxat perduxisse inceptum opus *De gloria Filii hominis*, quod postea in decimo tertio complevit. Tum quia dum Cantica explanavit, nondum suum de dono cœlesti secretum prodiderat, nisi privatim Cunoni; et tamen adjuratus a Cunone palam illud aperit in isto libro duodecimo *De gloria Filii hominis*. Tertio hujusmodi libros *In Cantica canticorum* a Ruperto editos priusquam libris in Matthæum *De gloria Filii hominis* vel primum admovisset manum, nemo inficias ierit, cum in prologo *in Cantica canticorum*. Cuno, quo instante istud opus susceptum est, non nisi Patris cœnobii Sigebergensis nomine insignitus legatur (*Cuno Pater cœnobii Sigebergensis*). In prologo vero ad primos etiam libros in Matthæum, Cuno iste præfulgeat *Venerabilis quondam abbas cœnobii Sigebergensis; nunc autem præsul Ecclesiæ Ratisponensis*). Ex his enim patentissimum est Cantica canticorum, Cunone adhuc abbate, a Ruperto fuisse explanata; Matthæum vero pro gloria Filii hominis, ipso jam episcopo, et proinde post annum millesimum centesimum vicesimum sextum, quo juxta Dodechinum in appendice ad Marianum Scotum, Ecclesiæ Ratisponensis præfectus est, inceptum completumque fuisse.

Neque te moveat quod Rupertus libro octavo in Matthæum scribit quod Cuno paterfamilias cœnobii Sigebergensis primus quidem suaserit opus istud *De gloria Filii hominis*. Hoc enim quid aliud arguit, quam quod Cuno dum Sigebergensi cœnobio præerat, jam Rupertum induxisset ut de gloria Filii hominis scriberet, quod non est aggressus nisi Cunone episcopo, ut prologus ad hujusmodi libros aperte testatur. Non est igitur unde proferre dubitem libros *De Incarnatione Domini*, *in Cantica canticorum* esse libris *De gloria Filii hominis in Matthæum* ætate majores, quippe qui prodierint istorum ne quidem concepto proposito. Iis addere juvat, quod si jam inceptum opus *De gloria Filii hominis in Matthæum* abrupissent libri *in Cantica*, Rupertus hoc non siluisset in libri octavi capite, ubi rationes quibus Cunonis impulsu inchoatum opus in septimo libro dimiserat, proferre studet; nec tamen ullam hujusmodi librorum habet mentionem. Denique a Cunone adhuc abbate inductum fuisse Rupertum ut de Incarnatione in Cantica ageret; et a Ruperto compositum hoc opus antequam libros *De gloria Filii hominis* exordiretur, constat vel ex eo quod ipse Rupertus in libro octavo *De gloria Filii hominis* non obscure indicet se hactenus, nempe dum septem hosce libros elucubravit, et donec Fridericus ipsum compulerit ad scribendam historiam David ex libris Regum, uni solummodo intentum esse operi, et debiti unius tantum debitorem. Quod sane minus vere dictum putaretur, si eodem illo tempore Cuno opus illud in Cantica a Ruperto importune et minus opportune exegisset. Illud ergo debitum, exhibendi scilicet hominum naturam castis amoris osculis Verbo Dei Filio in sinu Virginis desponsatam, Rupertus jam solverat, cum gloriam ipsiusmet Filii hominis exponere est aggressus.

Rupertus quidem libro primo *in Regulam sancti Benedicti*, sua, quæ hactenus emiserat, opera enumerans, hujusmodi libros *in Cantica* non recensuit et tamen ibidem tradit opus *De gloria Filii hominis*, nunc novissime a se Cunonis rogatu inceptum; in quo cum totus esset, ab eodem interpellatus est, unde et isto opere quasi laborum suorum meta catalogum istum definit: ex quo deducere præceptum est inter Opera Ruperti, quæ ante hujusmodi libros *in Regulam* exierant, et proinde ante inceptos libros *in Matthæum*, quæ ibi numerantur, opus *De Incarnatione in Cantica* non esse computandum.

Hæc advertens, fateor, hæsi suspensus; at perpendens argumentum istud negativum gravioribus tot supra positis non præponderare, sed levioris præ illis esse momenti; maxime cum nullus exstet Ruperti librorum elenchus etiam a Ruperto editus, qui aliquod ex ipsius operibus non omiserit, ut patet attendenti. Hinc opus *in Cantica* duxi prætermissum in hocce catalogo sicut et opus *in Job*, et libros *De voluntate et omnipotentia Dei*, quos tamen a Ruperto juniore ante indicem istum compositos habeo. Quod si in postrema, quam ad Romanum pontificem direxit, enumeratione hos, et insuper *Annulum* tribus constantem libris, et libros *in Regulam* jam editos siluit, omissio ista non nisi humilitatis argumentum est, qua Rupertus in suis recensendis parcissimus fuit et indiligens. Nulla ergo jam subesse potest ratio libros istos *de Incarnatione in Cantica canticorum* trajiciendi post opus *De gloria Filii hominis*, aut alia quæ istud subsecuta sunt. At non ita certo constat hujusmodi libris Ruperti Commentarios in duodecim prophetas esse posteriores. Hoc tamen conjicere mihi est ex prologo ad sex ultimos prophetas, qui innuit Rupertum eo ardentius in sex priores scripsisse, quo ferventiorem in Verbum incarnatum amorem sentiebat, quem haud dubie scribens in Cantica canticorum de Incarnatione Domini conceperat. Locum igitur inter Apocalypseos expositionem et Commentarios in duodecim prophetas obtineat opus istud Ruperti *De Incarnatione Domini in Cantica canticorum*, septem libris digestum.

Expleto hoc opere Fridericus archiepiscopus Coloniensis, et Cuno abbas Sigebergensis, Ruperto

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

stin ales, ut ipse loquitur (10), apponunt, ut duodecim prophetarum interpretetur vaticinia, quod et ipse non tam his incitatus quam amore Filii quem Deus promiserat per prophetas suos, fervens et promptus suscipit. At uti per biennium sex priorum expandit arcana, et finem Michææ, qui in isto ordine sextus est, attigit, imperfecto opere resedit, studio refrigescente, eo quod Nahum, qui septimus sequitur, vix aliquid de Christi in carnem adventu loqueretur (11).

Interim Cuno, existimans hoc opus a Ruperto perfectum, cum ipso hospitatus in ejus monasterio, quasi per otium egit de sanctorum prioris etiam Testamenti certaminibus et triumphis; Ruperto autem pronuntiante in eis vicisse Verbum Dei (12); Cuno adhuc abbas, necdum episcopus, isto Ruperti effato adeo delectatus est, ut repente in istam vocem erumpens: Scribe mihi librum de victoria Verbi Dei, et ipse sæpius repetens non destiterit, donec Rupertus ejus votis annuens, opusculum *De victoria Verbi* susceperit, quod tredecim libris consummavit ut ipse declarat in prologo ad sex posteriores prophetas. Sapientibus admirationi fuit et amori opusculum istud, quod propterea multo studio evolvebat ut ipse refert in libro duodecimo *De gloria Filii hominis;* uti quidem *De victoria Verbi* libri duodecim tantum numerantur. At errorem esse scriptorum infra ostendemus.

Huic operi finem Rupertus vix posuerat (13), et ecce Ekkembertus venerabilis abbas Corbeiensis ipsum impellit ut eodem studio, quo sex prophetas anteriores tractaverat, tractaret et posteriores. Nec solus instat; simul enim Eginhardus prior Busensis cœnobii per duos fratres epistolam ad Rupertum dirigit, qua inter cætera ipsum sic alloquitur: « Debes adhuc amori, debes honori et obsequio, dilecte Christi, per ipsum autem et propter ipsum nostro desiderio et verba oris ejus, sicut cœpisti usque ad finem aperias, ne, si propter difficultatem eorum (qui Rupertum æmulabantur) tepidius forte secuti non fortiter cucurrerimus in odorem unguentorum ejus, tibi imputetur, qui introductus in cellario regis occultasti divitias sponsi quas ibi conspexisti, explanationem dico duodecim prophetarum, cujus partem dudum tanta perscripsi aviditate, ut viderer nunc primum tali me studio mancipasse. Quanto magis autem in parte delector, tanto vehementius in expectationem totius exæstuo. » Hæc ille ad Rupertum, qui istius hortatui cedens vel magis jussui Cunonis adhuc abbatis his verbis præcipientis « imperio Spiritus sancti præcipio tibi » humiliter obtemperans huic operi perficiendo sese assiduus tradit, quod triginta duobus libris absolvit.

Hos autem ubi complevit duos et triginta libros in duodecim prophetas minores, et tredecim libros edidit *De victoria Verbi.*

Cuno abbas Sigebergensis a Ruperto jam cœnobii Tuitiensis abbate exigit ut scribat *De gloria Filii hominis.* At Cunonem hoc exigentem Rupertus impatiens audivit, eo quod, ut ipse tradit, « jam ipsum angustaret cura domus Domini, quæ credita est ei, et scripta sua sic legerent plerique ut ei insidiarentur (14). »

Hæc Cunone necdum episcopo, et ita ante annum millesimum centesimum vicesimum sextum contigisse perspicuum fit ex libro octavo *De gloria Filii hominis;* ibi enim circa initium scribit, quod Cuno paterfamilias cœnobii Sigebergensis suaserat ipsi ut hoc opus aggrederetur (15). Inter hæc vero Cunonis vota pro gloria Filii hominis, qui benedicentes se benedicit, et se confitentes confitetur, non solum coram Patre suo, sed et coram hominibus, ipse Filius hominis Cunonem in Ecclesiæ Ratisponensis pontificem elegit et assumpsit anno millesimo centesimo vicesimo sexto, ipso suæ glorificationis tempore. Anno enim salutis millesimo centesimo vigesimo sexto, si fides sit Dodechino in appendice ad Marianum Scotum; cum clerus et populus, ut Rupertus habet (16), in partes pro eligendo sibi pastore divideretur, fieretque periculosa partium contentio; aliis hunc, aliis illum clamantibus, jamque prope esset ut, seditione invalescente, ad arma concurreretur, unus sapientior cæteris, cujus Deus tetigit cor, repente Cunonis nomen in medium protulit. Sicque omnium, sed magis Patris æterni voce electus Cuno ipsis Rogationum diebus, ad gloriosæ scilicet Ascensionis Domini festivitatem in sede Ratisponensis Ecclesiæ ingenti totius cleri et populi plausu constitutus est. Illius igitur gloriæ ne quid deesset, et ne Rupertus episcopo denegaret obsequium quod cæteri certatim vel spondere, vel præstare gestiebant, opus istud *De gloria Filii hominis,* quo vota Cunonis quondam abbatis Sigebergensis, modo Ecclesiæ Ratisponensis antistitis, sedulus impleret, in spe supernæ consolationis conatu non irrito (17) suscepit.

Verum expleto septimo istius operis libro, antequam ad octavum transtulisset animum, manum et calamum, Fridericus opus alterum a Ruperto instantius deposcit (18), ut scilicet in libros Regum sua studia convertens, Regum historiam, sed maxime Davidis, conscriberet. Et ita Rupertus inter Cunonis, qui nondum episcopus, ei dixerat: *Scribe mihi de gloria Filii hominis* et Friderici archiepiscopi Coloniensis imperia, quasi inter angustias anxius; cujus, an tutoris, an Ecclesiæ principis, jussa teneret et exsequeretur *dimidium cordis sui*, ut ipse libro octavo, *uni præbens et dimidium alteri gloriam*

(10) In Prolog. ad libros XII proph.
(11) Rup. in prolog. ad sex posteriores prophet.
(12) Rup. in prolog. in Nahum. et in prol. ad libros de vict. Verb.
(13) Rup. in prol. ad sex poster. propnetas.
(14) Rup. in prol. ad lib. De gloria Fil. hominis.
(15) L. x De gloria Filii hominis.
(16) L. XII De gloria Fil. hominis.
(17) Rup. in prolog. ad libros De glor. Fil. hom
(18) Rup. l. VIII De gloria Fil. hom.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Filii hominis perficere et Regum historias scribere, sicque utriusque vota et jussa complere, apud se statuit.

Sed vero eo tempore de quibusdam Regulæ S. Benedicti capitulis (19) quæstiones non contemnendas moverunt quidam servorum Dei viri religiosi monasticæ professionis ; de quibus ut rationes Rupertus proferret, ipsum ab incœpto *De gloria Filii hominis* opere Cuno jam episcopus dimovit, et ei per totum fere annum renitenti adeo institit, ut Rupertus tandem concedens, quatuor libros in Regulam Sancti Benedicti scripserit. Ipsorum primus est Ruperti brevis apologeticus, in quo et se a Cunone interpellatum conqueritur, et suorum æmulorum calumnias eluit, suaque Opera enumerat. Secundus vigiliæ Dominicæ noctis seriem explicat. Tertius est de altaris officio, ubi et durius increpat monachos, qui « sacris licet ordinibus insigniti, et sacris proinde altaribus dicati sint toti nihilominus in operibus manuum, sacrosancta altaris dimittunt officia, de quotidiana terribilium celebratione mysteriorum et jugi cœlestium contemplatione sacramentorum nihil aut parum solliciti, quasi solo labore manuum ea, quæ inimica est animæ, vitari possit otiositas. Cum tamen in cœnobiis bene ordinatis vix sufficiant ad cursum ordinis complendum dies æstivi, maxime si congregatio major vel numerosior fuerit ; et si quando moliantur aliquid de opere manuum, communiter exeuntes ad operandum, quod propter brevitatem impensæ horæ, non tam opus dixerim, quam operis simulacrum, totum fere quotidianum spiritualis operis exercitium redditur insipidum, impeditum, et nonnulla sui particula mutilatum. » Quod dictum vult Rupertus non in otiositatis excusationem vel paupertatis injuriam, sed in eorum qui sacris vacant divinarum rerum otiis justam defensionem.

Postea Rupertus agit de utilitate et colore vestium, et tandem de usu femoralium re agitata, explicit hic liber tertius. Quartus vero contentionem clericorum, qui dicentes, Ego sum Augustini, monachos ab ordinibus excludebant, et monachorum qui dicentes, ego sum Benedicti, clericis claustra præcludebant, multa sapientia comprimit et clericis claustra aperiens, et monachos ab ordinibus non prohibens.

Rupertus his intentus ad librum octavum *De gloria Filii hominis* non est progressus, et tamen ex reverentia majori Friderico scilicet archiepiscopo, debita ad librum undecimum *De glorioso rege David*, processit : In quo etiam gradum paululum stitit (20) ut Cunoni jam episcopo sua omnia opera sisteret, ea tanquam fruges terræ cui benedicit Dominus *quasi in cartallo positas*, illi humiliter offerens. Hæc ubi obtulit ; mox ad opus *De gloria Filii hominis*, et ad Davidis regis Historiam ex libris Regum, sua studia revocat. Hanc enim epistolam, qua Rupertus sua opera Cunoni episcopo dicat, scriptam esse, dum in istis libris adhuc teneretur, procul est ab omni dubio ; siquidem in ea tradit expresse se in altero opere, id est *De gloria Filii hominis*, usque ad octavum, et in altero, nempe *De rege David*, usque ad undecimum processisse, et se in illis nunc, cum hanc scribit epistolam, teneri. Insuper hæc epistola declarat quod Cuno suæ in Rupertum dilectioni et ipsiusmet Ruperti gloriæ, ac etiam reipublicæ Christianæ bono non satis esse existimans, quod Rupertus privata simplicitate a triennio jam ipsi aperuisset quomodo cœlestis intelligentiæ donum a Christo et ejus Matre obtinuisset, eum sub tremendo adorandæ Trinitatis nomine adjuraverit, ut quod privatim enarraverat, scriptis commendaret. Cunoni tamen sub tam adorando nomine adjuranti Rupertus necdum parere ausus fuerat. « Cui, inquit (21), adjuramento cur obedire necdum ausus sim, Deus scit, et tu mihi conscius ex parte nosti. » Donec tandem divini hujus nominis sacro terrori humilis cedens in libro duodecimo *De gloria Filii hominis* secretum suum publicum fecit. Denique in hacce epistola spondet Rupertus se cum vita comite perfecturum hæc opera, ut dimittat et ista per manum Cunonis in conspectu Domini. Et quidem his omnibus distractus tandem hæc opera *De gloria Filii hominis* tredecim libellis, et *De rege David* quindecim feliciter complevit. Quem hujusmodi librorum numerum ipse scribit in epistola qua paulo post Romano pontifici sua omnia Opera dicavit.

His omnibus Cunonis sitim, qui aquas salientes in vitam æternam quo magis epotabat, eo magis sitiebat, Rupertus nequaquam exstinxit, sed adeo excitavit, ut a Ruperto explicari fidei sacramenta sub *Dialogo Judæi et Christiani* enixius expeteret. Quibus annuens Rupertus opusculum quod, pro re vel qualitate suimet, *Annulum* placuit appellari, tribus edidit libellis ut ipse Rupertus Cunoni proloquitur ad libros *De glorificatione S. Trinitatis et processione Spiritus sancti*. Unde certo deducere est opusculum istud exiisse ante hujusmodi libros. Cum autem Rupertus et istud apposuit, Cuno « quasi irritato palato ex gustu boni saporis, » ait Rupertus in isto prologo, instanter ab eo petiit ut adjiceret loqui contra perfidiam Judaicam, primo de tribus personis unius summæ Divinitatis et demonstraret Judæo, quantumvis invito, Trinitatis gloriam testificatam esse ex lege et prophetis, quorum Scripturas legit et recipit. Deinde cur vel quomodo magis ad personam Filii pertinuerit carnis susceptio. Ultimo demonstrare quod tempus illud quo natus est Jesus Christus, quem confitemur et scimus Messiam, ipsum esse quem exspectabant Patres sancti proximum sibi, a veritate non discrepat, imo valde concrepat prophetiæ quam patriarcha Jacob prælocutus est : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Cumque tractatum hunc *De glorificatione sanctæ*

(19) Rup. l. 1 in Regul.
(20) Vide epist. quæ inc. *Primitias.*
(21) Epist. cit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Trinitatis aggredi Rupertus proponeret recordatus est quod olim legatus sedis apostolicæ dominus Guillelmus, Prænestinus episcopus a Cunone, ipsi quædam Ruperti opera exhibente, et ejus in sex priores prophetas explanationis exemplar tradente, sciscitatus fuerat an aliquid operis Rupertus edidisset de processione Spiritus sancti ; ad quod cum indoluisset Cono Rupertum nihi habere quod ad vestigia sedis apostolicæ deferretur Ruperto visum est nonnihil utilitatis huic operi accessurum, si in illius decursus dulcedine, ut ipse loquitur in citato prologo, aliquid sermonis de processione Spiritus sancti permisceret. His itaque motus non solum de S. Trinitatis glorificatione, sed et simul de processione Spiritus sancti novem libros composuit.

Vix finem dederat huic operi (22), cum oppidum Tuitium anno a Virginis partu millesimo centesimo vicesimo octavo, incendio consumitur, e cujus flammis opus illud quod nuperrime conscripserat, et cujus nullum aliud exemplar ipsi supererat, illæsum eripuit; « de ipso fere ita sollicitus, » inquit ipse (22'), « sicut negotiator qui cæteris omnibus amissis et de omnibus desperans, saltem unam, quam forte nuper emerat, reservare cuperet margaritam. »

Hoc eodem anno istud incendium descripsit in libro per viginti tria capita distributo, cui titulus est : *De incendio oppidi Tuitii*. Horrenda ista conflagratio sacris nequidem parcens; desolationemque omnium extremam perferens, occasio Ruperto fuit conscribendi duos alios libros, quos *Meditationem mortis* voluit nuncupari (23).

E flammis autem ereptum hoc opus *De S. Trinitatis glorificatione et processione Spiritus sancti* Romano pontifici obtulit cum aliis suis operibus, quæ in epistola ad ipsum enumerat.

Denique circa finem vitæ, sed non ita mihi certo tempore, Rupertus scripsit *in Ecclesiasten* quinque libros, præeunte epistola ad Gregorium, haud dubie monachum, utpote quem fratrem charissimum vocat; cujus annos qui habet, et istius operis ætatem facilius internoscere poterit.

Ultimo, si fides sit editis, Rupertus conscripsit *Vitam sancti Heriberti archiepiscopi Coloniensis*, cum prologo ad Macuwardum e monasterio Sigebergensi ad illius sancti Ecclesiam assumptum. Conscripsit et *B. Eliphii martyris passionem*, præmisso prologo ad Albanum abbatem Sancti Martini. Posuit et *Altercationem clerici et monachi*, pro quo contendit licitum esse monacho prædicare. Scripsit et *Epistolam ad Evehardum cœnobii Brunwilarensis* abbatem, in qua fratres ecclesiis præficere licitum demonstrat. Habetur etiam Ruperti ad quemdam, qui ad eum scripserat, prolixa responsio *De virginitatis læsione*, et quod corrupta possit consecrari. Aliqua etiam scripsisse dicitur a Reinero (24) adversus quosdam religiosos, quorum unus presbyter, imo concubinarius, presbyteros concubinis libere uti posse mendaciter astruxerat. Qua autem ætate ista scripta sint utcunque discere potes, si tibi præsto sint hujusmodi abbatum catalogi; quibus mihi deficientibus ne tibi in omnibus desim, ipsorum nomina indicasse sufficiat.

Data hac brevi et per ordinem accurate digesta serie Ruperti elucubrationum, brevissimus jam iste sit, sed accuratissimus omnium Ruperti Operum elenchus, qui uni oculo omnia Ruperti Opera in prompta subjiciat.

RUPERTI JUNIORIS ADHUC ET NONDUM PRESBYTERI OPERA HÆC SUNT.

Hymnus Saphicus *de Spiritu sancto*.

Hymnus Iambicus *de Spiritu sancto*.

Libellus *de diversis Scripturarum sententiis* (25).

Carmen heroicum *de Incarnatione Domini* (26).

Libellus solutæ orationis *de statu cœnobii S. Laurentii in Monte Leodii*, ab Eraclo Leodiensium episcopo usque ad Ogbertum (27).

Carmen Saphicum de eodem.

Vita S. Augustini.

Vita S. Odiliæ virginis.

RUPERTI PRESBYTERI OPERA.

Cantus *de sanctis Theobaldo martyre, Goare et Severo, confessoribus.*

De divinis officiis lib. XII (an. 1111). Præfigitur ejus epistola dedicatoria ad Cunonem episcopum Ratisponensem multo post scripta (post. an. 1126).

Commentarii in Job. libri X (28).

De voluntate Dei liber I (post. an. 1114), cum prologo ad Guillelmum episcopum Catalaunensem et Anselmum decanum Laudunensem.

De omnipotentia Dei liber I, cum prologo ad G. et A.

Commentariorum in Evangelium Joannis libri XIV, cum epistola ad Cunonem abbatem Sigebergensem, quæ incipit : *Meditatus.*

De S. Trinitate et ejus operibus libri XLII (ante triennium incœpti, an. 1117 perfecti), cum prologo ad Cunonem abbatem.

In Apocalypsim libri XII, cum prologo ad Fridericum Coloniensem archiepiscopum.

In Cantica canticorum libri VII, cum prologo.

In sex minores prophetas priores libri XVII, cum prologo ad Fridericum Coloniensem.

De victoria Verbi Dei libri XIII, cum oratione ad Cunonem abbatem.

In sex posteriores prophetas libri XVII, cum prologo ad Ekkembertum abbatem Corbeiensem.

RUPERTI JAM ABBATIS OPERA.

In Matthæum (De gloria Filii) libri XIII (ann. 1126 inchoati sed perfecti post libros in Regul.), cum prologo ad Cunonem jam episcopum.

(22) Rup., cap. 19. De incendio oppidi Tuitii.
(22') Ibid.
(23) Vide lib. I, c. 2.
(24) Lib. cit.
(25) Non exstat.
(26) Desideratur.
(27) Non exstat.
(28) Exstat in 12 capita distributus.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

In libros Regum (*De glorioso rege David*), *ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem libri* XV (28*).

In Regulam S. Benedicti ad Cunonem libri IV (29)

Annulus seu Dialogus Christiani et Judæi libri III

De glorificatione Trinitatis et de processione Spiritus sancti libri IX, cum prologo ad Cunonem episcopum Ratisponensem, et cum epistola ad Romanum pontificem.

De incendio oppidi Tuitii liber I (an. 1128).

Meditationes mortis libri II.

In Ecclesiasten libri V, cum epistola ad Gregorium.

Vita S. Heriberti archiepiscopi Coloniensis liber I, cum prologo ad Macuwardum.

Passio B. Eliphii martyris, liber I, cum prologo ad Albanum abbatem S. Martini.

Altercatio clerici et monachi liber I.

Epistola Ruperti ad Evehardum cœnobii Brunwilarensis abbatem.

Responsio Ruperti de virginitatis læsione, et quod corrupta possit consecrari.

Adserans quosdam religiosos, quorum unus presbyter concubinarius, presbyteris licitum esse uti concubinis impudenter asseuerat.

Omnium Ruperti Operum index iste fidelissimus non solum quanta et quam beata fuerit sancti illius doctoris fecunditas, quæ tot suo parente dignos partus edidit; sed etiam quid in cæteris desit, vel minus exacte dispositum sit ordine legentibus indicat. Ex ipso itaque vel dimissa revocando, vel extra ordinem posita suæ sedi restituendo, omnes alios Ruperti librorum catalogos hic juvat emendare. Ex ipsomet Ruperto tres Operum ipsius habeo indiculos. Primus occurrit in libro primo *in Regulam S. Benedicti*, ad Cunonem abbatem. Secundus legitur in epistola ad Cunonem jam episcopum, quæ libris *De divinis officiis* præfigi solet. Tertius scribitur in epistola Ruperti ad Romanum pontificem.

Quamvis autem ab ipsomet auctore descripti sint hujusmodi catalogi, plurimum tamen in recensendis, numerandis et ordinandis Ruperti Operibus differunt. Unde quæ, quot et quo ordine a Ruperto composita fuerint nisi ex iis quæ supra adduximus, multo studio colligas, eadem, qua Bellarminus et alii, hallucinatione peccabis, qui, unum ex Ruperti catalogis secuti, partem pro toto dederunt. Qui error ut vitetur, præstat quæ in ipsis desunt, et quæ minus accurate ordinata sunt paucis hic adnotare.

PRIMUS OPERUM RUPERTI CATALOGUS AD IPSOMET RUPERTO.

Locutus sum imprimis, inquit (30) Rupertus, *opusculum de divinis officiis, sive sacramentis per circulum anni distinctum libellis duodecim.*

Deinde in Evangelium secundum Joannem libros XIV.

Et post hoc de S. Trinitate et operibus ejus libros XLII.

Deinde in Apocalypsim Joannis libros XII.

Deinde in duodecim prophetas libros XXXI.

Deinde de victoria Verbi Dei libros XII.

Et nunc novissime de gloria et honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi; et in hoc totus eras, tu autem me interpellasti.

ALTER OPERUM RUPERTI CATALOGUS EX IPSO RUPERTO.

Sunt autem præsentium primitiarum (sic vocat opus De divinis officiis (31), *libelli duodecim.*

Commentariorum in Job librorum decem, abbreviatum ex abundantia sensuum atque dictorum B. Gregorii.

Tractatus in Evangelium Joannis lib. XIV.

Opus de operibus sanctæ et individuæ Trinitatis librorum XLII.

Opus in Apocalypsim Joannis librorum XII

Opus in duodecim minores prophetas librorum XXX.

Opusculum de victoria Verbi Dei librorum XII.

Opus de gloria et honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi.

Et opus ex libris Regum de glorioso rege David; quorum in altero usque ad octavum; in altero usque ad undecimum librum processi, in quibus nunc tenor, quæ cum via comite perfecero, dimittam, et ista per manum tuam in conspectu Domini.

Opusculum quoque in Canticis canticorum septem libellis explicui.

TERTIUS OPERUM RUPERTI CATALOGUS EX IPSOMET RUPERTO.

(32) *Accipias ergo imprimis præsens opus novem distinctum libellis, de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti.*

Sunt alia quæ nunc usque præsentare non potui.

Opus quoddam tredecim librorum de victoria Verbi Dei.

Itemque opus de gloria et honore Filii hominis in totidem libellis.

In duodecim prophetas libri XXX.

In Evangelium Joannis libri XIV.

De sancta Trinitate et operibus ejus lib. XLIII. [IX].

In Samuelem et David libri XV.

In honorem B. M. Virginis super Cantica libri VII.

Scripseram et ante hæc omnia opusculum de sacramentis, sive officiis divinis per circulum anni distinctum libellis, sive tomis duodecim.

Hi sunt Ruperti catalogi quibus ipse sua opera recenset, circa quæ tamen nonnulla observanda sunt.

Primo quod non exactam compositionis seriem Rupertus teneat in ulla ex illis suorum operum enumerationibus, ut ex superius productis fit mani-

(28*) Non exstat.
(29) Horum primus est apologeticus.
(30) Lib. in Reg. S. Bened.
(31) Epist. ad Cun. episc.
(32) Rup. epist. ad Rom. pont.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

festum; in primo enim et secundo catalogo iste ordo magis servatur, qui in tertio prorsus invertitur.

Secundo quod nullus ex istis suorum operum elenchis omnes Ruperti libros contineat. Junioris enim ætatis præludia, sed nec libri *De voluntate et omnipotentia Dei*, et *Annulus*, et libri *in Regulam sancti Benedicti* in nullo, nequidem in tertio catalogo, post eos edito, descripti leguntur.

Tertio quod non omnes qui in uno censentur, in altero, quamvis posteriori, numerantur. In tertio enim non meminit *Commentarii in Job*, qui tamen in secundo computatur.

Quarto quod Ruperti Opera non illum eumdem in uno catalogo libellorum numerum habeant, qui scribitur in aliis; in tertio enim quadraginta tres libri *de operibus sanctæ Trinitatis* numerantur, cum tamen in primo et secundo quadraginta duo libri duntaxat legantur; qui numerus sane legitimus est, utpote quem ipse Rupertus distinctius exprimit in epistola ad Cunonem abbatem, in qua suum istud opus sic distribuit: « Fecimus ergo de proprio Patris opere a prima creatione usque ad id quod Adam de paradiso ejectus est, libros tres; deinde de proprio Filii opere, quo a justitia vel morte Abel per figuras pervenit usque ad susceptionem carnis et mortem crucis libros triginta. Deinde de proprio Spiritus sancti opere, scilicet ab incarnatione ejusdem Christi usque ad finem sæculi, libros novem. Simul fiunt libri quadraginta duo. »

Hæc ibi Rupertus, ex quibus typographi error facile deprehenditur in tertio catalogo numerantis quadraginta tres istius operis libros, et quidem est facile corrigendus.

Circa librorum *in duodecim prophetas* numerum mihi major difficultas occurrit. Nam in primo catalogo unus et triginta libri notantur; in secundo vero et tertio triginta tantum descriptos reperio. Et in ipsa librorum serie duo et triginta numerantur. In tanta numerorum varietate standum puto pro ipsa serie in qua ex integro duo et triginta *in duodecim minores prophetas* libri compositi inveniuntur; inter quos nullum abundantem nec ullum deficientem habemus. Quapropter hos qui *triginta* in editis leguntur, illos eosdem esse censeo qui aliis in indicibus vel *unus et triginta* vel *triginta* tantum computantur. Totum igitur discrimen istud hujusmodi catalogorum sit in notis numerabilibus positum, quod haud dubie contigit ex transcriptionum multiplicitate, vel scribarum incuria, qua etiam factum fuisse non inficias ierim ut quinque duntaxat libri *in Oseam* notentur etiam in editis, in quibus tamen sex libri habentur in hunccce prophetam. Numerus etiam librorum *De victoria Verbi* in hisce Ruperti catalogis varius est. Primus enim et alter hoc opus in duodecim libros distribuunt. Tertius vero in tredecim. Et quidem in prologo ad libros *in sex posteriores prophetas*. Rupertus ait: « Ecce tredecim libellis, Deo adjuvante, consummavi illud opusculum de Victoria Verbi Dei. » At postea in libro septimo *De glorificatione S. Trinitatis ac processione Spiritus sancti* capite decimo quarto in fine, aliud sic loquitur: « Nostrum illud opus existit in duodecim libellis quod intitulatur *De victoria Verbi Dei*. » In ipsis etiam typis modo duodecim, modo tredecim libri *De victoria Verbi* numerantur. In omnibus tamen excusis tredecim libri *De victoria Verbi* reperiuntur, et numerus iste in tertio et ultimo Ruperti catalogo scribitur, sicut et in prologo ad libros *in sex posteriores prophetas*. Sed et epistola Meingoh ad Rupertum, librum duodecimum *De gloria Filii hominis* vocat istius operis *De gloria Filii hominis* penultimum; in epistola vero ad summum pontificem opus istud totidem libros habere dicitur, quot habet opus *De victoria Verbi*. Unde consequens est librum similiter istius operis *De victoria Verbi* duodecimum, esse penultimum, et ita opus istud *De verbi victoria* in decimo tertio libro pariter finiti.

Cum ergo jam constet, hoc errore correcto, opus *De victoria Verbi* tredecim libellis esse perfectum, nulla superest difficultas circa librorum *De gloria Filii hominis* numerum, qui neque in primo neque in secundo Ruperti catalogo definitus habetur. Cum enim in tertio, qui est ex epistola ad Romanum pontificem, totidem *De gloria Filii hominis* libros posuerit quot *De verbi victoria* « Opus quoddam, inquit, tredecim librorum *De victoria Verbi Dei*. Itemque opus *De gloria et honore Filii hominis in totidem libellis*, « certo certius est opus istud *De gloria Filii hominis* tredecim libris compleri, qui et in omnibus editis leguntur. Numerum autem hunc hujusmodi librorum in duobus prioribus catalogis Rupertus non definivit eo quod opus istud nondum esset completum ut, iisdem in locis ipse declarat (33). Alios Ruperti Operum indices jam advertamus. Trithemius lib. *De viris illustribus* ad Rupertum, hæc Opera Ruperti indicat.

AD CUNONEM ABBATEM SIGEBERGENSEM POSTEA EPISCOPUM BATISPONENSEM.

De victoria Verbi Dei, libri XIII, « *Nuper cum tu hospes.* »

In Genesim libri IX, « *Cuicunque fideli animæ.* »

In Cantica canticorum libri VII, « *Qui contra hominem.* »

In librum S. Job libri X.

In libros regum de David libri XV.

De sancta Trinitate, in Vetus Testamentum libri XLII.

In Apocalypsim Joannis libri XII, « *Ut tu quoque.* »

De officiis divinis, libri XII, « *Ea quæ.* »

Meditationes de incendio Tuitiensi libri III, « *Ecce quomodo.* »

In duodecim prophetas minores libri XXX.

In Evangelium Matthæi libri VIII.

In Evangelium Joannis libri XIV.

Super Regulam S. Benedicti liber

Apologeticum ejusdem operis, liber I.

(33) L. 1 in Regul., in epist. ad Cunon episcop.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Epistolarum ad diversos liber 1.

Fertur et alia plura scripsisse, et Novum et Vetus Testamentum pro majori parte in multis libris explanasse; de quibus usque ad præsens nihil vidimus.

Hæc Trithemius de Ruperti operibus. Quandoquidem vero nonnullæ circa hæc moveri possunt difficultates, aliqua circa hunc indicem duximus adnotanda.

Primo non omnia Ruperti opera isto indice demonstrari, ut ipse Trithemius ad calcem expressit; et ex præallatis jam patet. Siluit enim libros *De voluntate et omnipotentia Dei. Annulum* omisit. Libros *De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti* tacuit. Nec libros *in Ecclesiasten* exhibuit. Puerilia non loquor, quæ nec iste loqui voluit.

Secundo, maximam tamen Ruperti Operum partem isto indice proferri. Unde ipsa quingentis annis latuisse, minus bene a Bellarmino positum observabimus infra.

Tertio, neque in eo vel materiæ vel compositionis servari seriem, quæ ex supra positis est repetenda.

Quarto, dedicationis titulum, quem in istius elenchi capite Trithemius præfixit, non omnia spectare opera quæ ipsi subjiciuntur; quasi ea omnia Cunoni abbati Sigebergensi, postea episcopo Ratisponensi, dicaverit; ex illis enim aliqua, puta libros *in Apocalypsim*, libros *in sex priores prophetas*, et libros *De David ex libris Regum*, sub Friderici Coloniensis episcopi nomine, et ad ejus vota conscripsit; aliqua, puta *De gloria Filii hominis, De victoria Verbi*, etc., nomine Cunonis titulavit, ut ipse in epistola ad Cunonem episcopum Ratisponensem scribit. Alia denique sine splendore cujusquam tituli dimisit. Non ergo hunc titulum in Trithemio Ruperti Opera præferunt quasi quæ omnia Cunoni dicata fuerint, sed quasi proprium librorum *De victoria Verbi*, quos in capite elenchi Trithemius scripsit, et quos Rupertus ipse in epistola ad Cunonem episcopum dicit esse pene Cunonis proprios.

Verum et absque injuria singulis Ruperti operibus hunc titulum Trithemius præfigere potuit, tum quod ipse Rupertus sua omnia Cunonis magis esse præ dilectionis protectione et sollicitudine, quam sua non semel profiteatur diversis ad eum epistolis. Tum quod Rupertus sua opera quasi cartallum Cunoni jam episcopo detulerit, ut ea suscipiens de manu illius ipsa poneret ante altare Domini Dei, ut Rupertus scribit in epistola (*Primitias*), ad Cunonem episcopum, quæ libros *De divinis officiis* solet præcedere.

Quinto novem libros *in Genesim* a Trithemio enumerari distinctos a duobus et quadraginta libris *De sancta Trinitate et ejus operibus* in Vetus Testamentum error est, quem arguunt ipsæ primæ voces a quibus libros istos *in Genesim* incipere Trithemius indicat. Constat enim voces istas, *cuicunque animæ fideli*, initium esse prologi librorum duorum et quadraginta *De trinitate* inter quos iste etiam prologus

(34) L. Meditat. mortis, c. 2.

A libros *in Genesim* computat. Præterea divinis his novem libellis *in Genesim*, non quadraginta duo, sed triginta tres tantum essent numerandi.

Sexto in editis habetur modo liber unicus, qui *aureus* dicitur, et inscribitur *De incendio oppidi Tuitii*, quem alii duo libri *De meditatione mortis* subsequuntur. Trithemius vero hunc primum, qui incipit, *Ecce quomodo*, istis duobus attexens, tres libros *meditationum* de incendio Tuitiensi posuit. Nec absque quidem, scribendi enim opusculi istius, inquit (34) Rupertus, quod nuncupare placet *meditationem mortis* occasio fuit ignis periculum, quod in præcedenti libello enarravit.

Septimo, male numerat solummodo triginta libros *in duodecim prophetas*, qui juxta editos et superius B probata, duo et triginta sunt computandi.

Octavo, Trithemius octo duntaxat Ruperti libros in Matthæum recenset, cum tamen tredecim habeantur ex editis et ex supra notatis. Rupertus quidem in epistola ad Cunonem jam episcopum scribit se usque ad octavum librum *De gloria Filii hominis* in Matthæum processisse; et hinc factum credere fas est ut Trithemius nonnisi octo libros in Matthæum numeraverit. Verum si ea quæ supra protulimus, consuluisset, hoc opus didicisset tredecim libris esse perfectum.

Nono, *in Regulam sancti Benedicti* unum librum adducit, et unum *apologeticum*, cum tamen liber apologeticus sit primus ex libris quatuor *in Regulam*. At quandoquidem primus ille liber Ruperti habet C Apologiam et sequentium prologus ab ipso Ruperto dicitur libro secundo *in Regulam*, cap. 13. Secundus vero ad Cunonis instantiam, exponit ordinem nocturnarum vigiliarum noctis Dominicæ. Tertius autem, cujus titulus est, *De altaris officio*, diversas de labore manuum, colore et numero vestium monachorum solvit difficultates. Quartus denique altercationem clerici dicentis, *Ego sum Augustini*, et monachi dicentis, *Ego sum Benedicti*, multa charitate et sapientia comprimens, clericum posse fieri monachum, et monachum posse fieri clericum docet. Solum illum, qui in prædictis secundus est sanctissimi Patris nostri regulæ expositionem censuit Trithemius, ad tertii titulum magis quam ad rem D attendens, et quartum putans minus pertinere ad sanctæ Regulæ enucleationem. Et ita Trithemius unum *in Regulam* libellum posuit. Duos posteriores, tertium scilicet et quartum, quos omisit, ipsi minime notos credere nihil vetat.

Denique Ruperti epistolarum ad diversos librum unum indicat Trithemius. Sed modo vix exstant Ruperti epistolæ, præter eas quæ diversis ipsius operibus præfiguntur vice prologi, aut prologis adjunctæ. Liber autem quem Trithemius hic indicat, non illarum est quæ vicem habent prologi, illas enim cum Ruperti operibus recensuit, ut advertere quivis facile potest ex primis vocibus, quibus quasi operum Ruperti initiis hæc opera Trithemius deno-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tat, exempli gratia : *De victoria Verbi libri tredecim,* « *nuper cum tu hospes.* » Quæ tamen voces non librorum, sed prologorum sunt initia ; hæc enim verba, *nuper cum tu hospes sunt initium non operis de victoria Verbi,* sed epistolæ Ruperti ad Cunonem per modum præfationis ad illud opus.

Præter istas, quas Trithemius Ruperti operibus accensuit, et quæ sunt vice prologi, alias Ruperti epistolas jam non habemus, nisi ipsius epistolam ad Cunonem quæ incipit, *Meditatus,* Rupertique libros Cunoni dicat, et alteram ad eumdem Cunonem jam episcopum Ratisponensem: *Primitias frugum terræ* qua Rupertus sua opera definit; epistolam ad sedis apostolicæ præsulem Romanum pontificem : *Ante faciem tuam,* qua ipsi sua omnia Opera devovet; epistolam ad Evehardum monasterii Brunwilarensis abbatem septimum : *Vetus, et longa querela,* et epistolam ad abbates, per modum opusculi, *de læsione virginitatis, et quod virgo secreto corrupta possit consecrari.*

RUPERTI OPERUM CATALOGUS EX REINERO MONASTERII S. LAURENTII IN MONTE LEODII MONACHO, IN LIBRO DE VIRIS ILLUSTRIBUS IPSIUS MONASTERII, DE RUPERTO.

Rupertus junior scripsit.

Libellum metrice in laudem Spiritus sancti.

Item alium de diversis Scripturarum sententiis.

Item alium versu heroico de Incarnatione Domini.

Item libellum de statu, bonis et malis cœnobii S. Laurentii ab Euracio Leodiensium episcopo usque ad Ogbertum.

Item opusculum de eadem materia, Saphico metro.

Item Vitam S. Augustini.

Et Vitam S. Odiliæ virginis.

Factus presbyter :

Canus de SS. Theobaldo martyre, Goare ac Severo, confessoribus.

De diviriis officiis sive sacramentis, quæ celebrantur in Ecclesia per anni circulum, edidit libellos duodecim.

Deinde in Evangelium Joannis libros XIV.

De S. Trinitate et operibus ejus libros XLII.

In Apocalypsim libros XII.

In XII *prophetas libros* XXXI.

De victoria Verbi libros XIII.

In Evangelium Matthæi libros XIII.

In Cantica canticorum lib. VII

In Samuelem, de David lib. XV.

De glorificatione sanctæ Trinitatis et processione Spiritus sancti libros IX.

Annulum lib. V.

In Regulam S. Benedicti lib. IV.

De voluntate Dei librum apologeticum.

De incendio Tuitiensi lib. I.

De meditatione mortis lib. I.

Contra religiosos quosdam, quorum unus presbyter, imo concubinarius, presbyteros concubinis licenter uti posse menstruatis pagellis astruxerat.

Alterum de monacho, qui clericus factus, egressus est monasterium, et unum errorem defensabat improbis.

Omnibus, quas legerim, plenior et accuratior est ista venerabilis Ruperti operum facta a Reinero enumeratio, quæ tamen in aliquibus etiam deficit.

Primo omisit commentarium *in Job*, et librum unum *De omnipotentia Dei, Vitam S. Heriberti, sancti Eliphii passionem*, librum *De læsione virginitatis*, et commentarios *in Ecclesiasten.*

Secundo, libros unum et triginta *in duodecim prophetas* numerat, quos tamen duos et triginta computandos vidimus. Hunc errorem scriptionis puto, quæ in exhibendis numerabilibus characteribus, vulgo ciffris, facile ac sæpe labitur. Simili errore et *Annulus* in quinque libros distribuitur : Rupertus enim in prologo *De glorificatione S. Trinitatis et de processione Spiritus sancti* non per numeros, sed ex integro scribit se opusculum istud tribus edidisse libellis. Et quidem ternarius iste numerus librorum recte consonat propositæ dissertationi adversus Judæos : Primo gloriam S. Trinitatis testimonium habere in lege et prophetis; secundo, susceptionem carnis magis ad personam Filii pertinuisse ; tertio tempus quo Jesus Christus natus est, illud esse quod patriarcha Jacob præloeutus est hoc vaticinio : *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Pari denique lapsu librum unum duntaxat *De meditatione mortis* notavit.

Librum autem *De monacho qui*, etc. ipsummet puto, quem inscriptum legimus, *Altercatio clerici et monachi.*

VENERABILIS RUPERTI OPERUM CENSUS A SIXTO SENENSI AN. 1566 EDITUS IN LIB. IV. BIBLIOTHECÆ SANCTÆ DE RUPERTO TUITIENSI (35).

De sancta Trinitate et operibus ejus in utrumque Testamentum ad Cunonem abbatem Sigebergensem libri duo et quadraginta ; quorum quadraginta duorum librorum simul adnotatorum hic est Judex :

PARS. I. *De sancta Trinitate, et operibus Patris in prima tria Geneseos capita commentariorum libri tres quorum primus incipit,* « *Scripturarum omnium.* »

PARS. II. *De Trinitate et operibus Filii commentariorum libri* XXX, *videlicet. In residuum libri Geneseos commentariorum lib.* VI : « *Humanæ creaturæ.* »

In Exodum commentariorum lib. IV : « *Qua causa, vel quo ordine.* »

In Leviticum lib. II : « *Liber iste.* »

In Numer. commentariorum lib. II : « *Apertum in Apocalypsi.* »

In Deuteronomium lib. II : « *Iste liber.* »

In Josue liber I : « *Septem periochis.* »

In Judicum et Ruth liber I : « *Post mortem Josue.* »

In quatuor libros Regum.

Liber Psalmorum lib. I : « *Post ampla virentis.* »

In Isaiam lib. I : « *Omnis anima quæ.* »

In Jeremiam lib. I : « *Quintæ ætatis.* »

In Ezechielem lib. I : « *Hac mundi ætate.* »

(35) Ut colligitur ex epist. Dedicat. Pio V, an 1568

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

In Danielem, Zachariam et Malachiam simul lib. II : « *Aperiente Christo.* »

In Machabæos l.b. I.

In volumen quatuor evangelistarum lio. I : « *Sexta mundi ætate.* »

PARS. III. *De operibus Spiritus sancti a Christi adventu usque ad finem sæculi libri* IX : « *Omnipotentis iram.* »

Præter hæc scripsit :

De Incarnatione Domini, in Cantica canticorum lib. VII : « *Qui contra hominem.* »

In duodecim prophetas minores, ad Fridericum, archiepiscopum Coloniensem libri XXX : « *Spiritui sancto.* »

De gloria et honore Filii hominis in Matthæum, ad Cunonem abbatem lib. XIII : « *Exigis a me.* »

In Joannis Evangelium lib. XII : « *Discipulus quem.* »

In Apocalypsim ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem lib. XII : « *Ut tu quoque.* »

Ex his omnibus Ruperti mortem quasi laborum metam Sixtus Senensis sic posuit : *Moritur anno Domini millesimo centesimo vicesimo quarto.*

Quam mutilus sit index iste ex supra jam positis fit cuique manifestum ; ac etiam quam gravis fuerit Sixti Senensis in iis de quibus scribebat inquirendis negligentia : ipsius enim ætate plura Ruperti opera Joannis Goclæi ut plurimum studio publicam in lucem edita prodierant ; plura etiam Trithemius jam ante repererat, quæ agens de Ruperto in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* in suo Catalogo descripserat. Non solum omissionum istarum tenetur reus, silentio dimittens duodecim libros *De divinis officiis*. Duos libros *De voluntate et omnipotentia Dei*, *De Verbi victoria libros* XIII ; *De rege David quindecim libros, et novem De glorificatione sanctæ Trinitatis, et De processione Spiritus sancti ;* et alia quæ supra memoravimus Ruperti opera ; verum etiam in his quæ recensuit, plurima ipsi non dimittenda commisit.

Primo quidem computi lege cum duos et quadraginta libros *De sancta Trinitate et operibus ejus* numerasset, et quidem recte, ita singulos hujusmodi libros distribuit, ut ex singulis non nisi octo et triginta possint colligi. Non attendenti, dum divideret, quatuor exciderunt : si non unum duntaxat, sed quinque libros posuisset *in libros Regum*, adjuncto libro Psalmorum, distributus numerus collectum adæquasset ; scribendi sunt itaque non liber unicus, sed quinque in libros Regum et librum Psalmorum. Si errorem hunc typographo quis velit tribuendum, esto ; sed in alios labitur Senensis. Nam secundo librum unum in Isaiam, et in Ezechielem librum unum computat, et duos in Danielem. Cum in Daniele sit unicus, duo vero sint in Isaiam, et duo in Ezechielem ; sed et librum unum in Machabæos indicat, qui suppositus est, nullibi enim reperitur ; unde nec ejus initium, sicut et cæterorum Sixtus posuit.

Tertio in duodecim prophetas minores triginta tantum libros numerando deficit, dum excessum duorum rejicit.

Quarto cum libros *De gloria et honore Filii hominis*. Cunoni abbati dicatos scribit, ipsi eorum initium quod profert, *Exigis a me*, manifeste repugnat ; in isto enim prologo Rupertus Cunonem venerabilem cœnobii Sigebergensis quondam abbatem, nunc esse Ratisponensis Ecclesiæ antistitem verbis expressis declarat ; unde et opus istud *De gloria Filii hominis* non ante annum millesimum centesimum vicesimum sextum, quo Cuno creatus est episcopus, inceptum fuisse deduximus.

Turpissime tandem Sixtus hallucinatus est, cum Rupertum asserit anno Domini millesimo centesimo vicesimo quarto obiisse, qui se anno millesimo centesimo vicesimo octavo oppidi Tuitii descripsisse incendium in hujusmodi libro certissimam fidem facit. Quam verum Psalmistæ istud, *mendaces filii hominum in numeris et ponderibus* qui vix ullo veri et æqui judicio, ea quæ tradunt appendentes, falsa pro veris ingerunt. Hinc discant studiosi non esse scriptoribus leviter credendum ; quod et sæpe sum expertus, et Sixtus Senensis hic argumento est : Majorne sit Bellarmino habenda fides in causa Ruperti, jam expendamus.

EXPENDITUR VENERABILIS RUPERTI OPERUM CATALOGUS EX BELLARMINI LIBRO DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS (36), AD ANNUM 1119, DE RUPERTO.

De divinis officiis lib. XII.

In Job commentariolum abbreviatum lib. X.

In Joannis Evangelium lib. XIV.

De operibus S. Trinitatis lib. XLII.

In Apocalypsim lib. XII.

In duodecim prophetas minores lib. XXX.

De victoria Verbi lib. XIII.

De gloria et honore Filii hominis secundum Evangelium Matthæi lib. VIII.

De glorioso rege David, ex lib. Regum lib. XL.

In Cantica canticorum lib. VII.

Bellarminum hic se non nisi ab ipsomet Ruperto in epistola ad Cunonem episcopum conscriptum Catalogum fatetur exscribere. Sincera quidem et laudanda confessio : at ipse proferre veluti omnium quæ a Ruperto scripta sunt, operum, non levis est tam eminentis auctoris lapsus ; qui enim suscepisset scriptorum ecclesiasticorum opera recensere, libro in ultima ætate, ut ipse ait in præfatione ad lectorem, recognito, expolito et aucto in communem utilitatem, nosse debuerat non pauca in isto ipsiusmet Ruperti catalogo desiderari tum ante, tum post illum edita. Si enim ea quæ de scriptoribus Ecclesiasticis agentem decebat, diligentia vel fide consuluisset ipsa Ruperti opera quæ coloniæ jam prodierant, aut saltem Trithemii catalogum in libro

(36) Qui an. 1612. ab ipsomet recognitus, expolitus et auctus fuit, ut ipse præfatur ad lectores in edit. Colon. an. 1615.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

De Scriptoribus ecclesiasticis; vel Sixti Senensis censum mancum hunc quasi integrum indicem non exposuisset, qui dum aliqua prodit, plurima silet; quæ simul, ut vera loqueretur, prodere debuit.

Si denique eo, quo librorum censor tenetur studio inquisisset Ruperti opera aut pervolvisset, librorum *De gloria Filii hominis* et librorum *De rege David* non definisset numerum; didicisset enim illum, quem sequi voluit Ruperti catalogum, ab eo fuisse descriptum antequam ista Rupertus perfecisset opuscula, quæ postea complevit; hoc quidem libris XV, et illud XIII libellis, ut ex ipso Ruperto supra demonstratum est.

At ista Ruperti forte Bellarmino presto non erant. Bene quidem XIII libros *De victoria Verbi* numerat, ac totidem *De gloria Filii hominis*, et *De glorioso rege David*, XV numerandos ex Ruperti epistola ad Romanum pontificem si accepisset, erroris et proinde belli minus haberet. Utinam felicius Ruperti libros suo tempore jam editos in duodecim prophetas minores computasset; non triginta solum, sed duos et triginta posuisset, errorem typi corrigens, non sequens: prudenter tamen Catalogi errorem ex typo sequi maluit, quam emendare quod nescivit. Ne tamen de suo nihil in Rupertum adnotasse diceretur, mutilo huic Ruperti Operum catalogo duas adjicit observationes, quarum prima librorum *De divinis officiis* censuram habet, secunda Ruperti errores denotat; at istarum Bellarmini observationum crisim infra dabimus; primæ quidem paulo post operum Ruperti catalogos, ubi duodecim librorum *De divinis officiis* censuram novo calculo subjiciemus; alterius vero, ubi Rupertum ab omni errore et a Bellarmini censura vindicavimus.

VENERABILIS RUPERTI ABBATIS TUITIENSIS OPERUM ELENCHUS A CENTURIATORIBUS EDITUS CENTURIA XII, C. 10.

De victoria verbi Dei libri XIII.
In Genesim lib. IX.
In Exodum lib. IV.
In Leviticum lib. II.
In Numeros lib. II.
In Deuteronomium lib. II.
In Josue lib. I.
In Judices lib. I.
In libros Regum lib. V.
In Isaiam lib. II.
In Jeremiam lib. II.
In Ezechielem lib. II.
In Danielem lib. I.
In duodecim prophetas minores lib. XXXII.
In Job. lib. X.
In Cantica canticorum lib. VII.
In Matthæum lib. XIII.
In Evangelium Joannis lib. XIV.
Apologeticum pro eodem opere lib. I.
In Apocalypsim Joannis lib. XII.
De processione Spiritus sancti lib. IX.
De officiis divinis lib. XII.
Meditationum lib. III.
Disputationum Christiani et Judæi lib. I.
In Regulam S. Benedicti lib. I.
De quatuor difficillimis quæstionibus lib. I.
Sermonum lib. I.
Epistolarum lib. I.
Obiit anno millesimo centesimo vicesimo quarto, juxta Trithemium.

Elenchus iste Centuriatorum in aliis deficit, excedit in aliis; et quidem ex duobus et quadraginta libris *De sanctæ Trinitatis operibus*, tres et triginta duntaxat enumerat, omissis quippe novem libris *De operibus Spiritus sancti*, et uno libro in volumen quatuor Evangeliorum; quorum numerum ut impleat, duos libros censet in Jeremiam, in quem unicus est. Omittit et ea omnia quæ Rupertus junior composuit. Apologeticum autem pro opere in Evangelium Joannis inepte ponit, cum Rupertus apologeticum, qui primus est *in Regulam S. Benedicti*, non pro isto duntaxat opere scripserit, ut legens facile intelligit.

Unico libro disputationem Christiani et Judæi concludit; quam tamen ipse Rupertus se tribus libellis edisseruisse testatur.

In Regulam S. Benedicti unicum librum dat, et quatuor habentur. Unum insuper librum quatuor difficillimis quæstionibus deputat; et librum unum *Sermonum* Ruperto tribuit, sicut et unum *Epistolarum*: unde mihi utcunque videtur quod hic liber unicus *in Regulam* apud Centuriatores ille sit qui in editis secundus est et agit de noctis Dominicæ vigiliis, juxta sancti Benedicti Regulam. Librum vero quem quatuor difficillimis quæstionibus ascribit, tertium et quartum *in Regulam* puto; ita ut duos in unum contraxerint Centuriatores. De libro *Epistolarum* eadem censeo quæ supra in Trithemii catalogum observavimus. At librum sermonum, quem nemo novit, nemo vidit, cujus nemo meminit, Centuriatorum commentum dico. Nec magis eorum quam Sixti errorem præteribo, qui cum ipso Rupertum anno millesimo centesimo vicesimo obiisse tradunt ex Trithemio; non advertentes quod dixerit Trithemius eum quidem claruisse anno millesimo centesimo vicesimo quarto sub Henrico; obiisse vero sub Lothario, qui anno millesimo centesimo vicesimo sexto imperium obtinuit, juxta Dodechinum in Appendice ad Marianum Scotum.

INDEX VENERABILIS RUPERTI OPERUM QUÆ MODO EDITA EXSTANT IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA IN EDITIONE PARISIENSI.

Tomus primus. — *De operibus S. Trinitatis* cum prologo et cum epistola Ruperti ad Cunonem abbatem, *Cuicunque fideli animæ, libri* XLII.

In duodecim prophetas minores lib. XXXII cum prologo ad opus istud, et altero ad libros in Ozeam, et tertio ad Commentarios in sex posteriores prophetas.

In Cantica canticorum libri VII cum prologo.

In Job lib. I cum prologo.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

In Ecclesiasten libri V cum prologo ad Gregorium.

Tomus secundus. — *De gloria et honore filii hominis in Matthæum lib.* XIII cum prologo ad Cunonem episcopum Ratisponensem, et hymno Saphico *De Spiritu sancto*, qui in libro duodecimo legitur; et hymno Iambico de eodem, qui librum decimum tertium excipit.

De glorificatione sanctæ Trinitatis et de processione Spiritus sancti lib. IX, præeunte Ruperti epistola ad Romanum pontificem; et præfixo insuper prologo ad Cunonem episcopum Ratisponensem.

In Joannis evangelium lib. XIV cum prologo, et in editione Coloniensi cum epistola nuncupatoria ad Cunonem abbatem, quæ incipit: *Meditatus*, quæ editioni huic Parisiensi est omni jure restituenda.

In Apocalypsim lib. XII cum prologo ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem, et aliis ad aliquos libros.

De victoria Verbi lib. XIII cum præfationibus ad Cunonem abbatem.

De divinis officiis lib. XII, præmissa epistola ad Cunonem episcopum, præter brevem prologum. Hic prologus sub hoc titulo, *Prologus Roberti in libro de divinis officiis*, præmittitur huic eidem operi in decem duntaxat libros distributo, nullo tamen capite prætermisso, in ms. cod. Sangermanensi.

De incendio oppidi Tuitii lib. I.

De meditatione mortis lib. II.

Vita S. Heriberti archiepiscopi Coloniensis liber I, cum præfatione ad Macwardum olim abbatem, tunc istius Ecclesiæ archipræsulem.

Passio B. Eliphii martyris lib. I cum prologo ad Albanum abbatem S. Martini.

De voluntate Dei ad Guillelmum episcopum Catalaunensem, et Anselmum scholasticum Laudunensem.

De voluntate et omnipotentia Dei lib. I cum præfatione ad S.; scribendum G., id est Guillelmum, et A., id est Anselmum.

In Regulam S. Benedicti lib. IV.

Quorum primus est Ruperti *Apologeticus*; secundus, *De vigiliis noctis Dominicæ*; tertius, *De opere manuum, et de vestimentis monachorum*; quartus *De contentione dicentium*, « *Ego sum Augustini; ego Benedicti.* »

Altercatio monachi et clerici quod liceat monacho prædicare lib. I.

Epistola Ruperti ad Evehardum cœnobii Brunovilarensis abbatem; Quod liceat fratres ecclesiis præficere.

Epistola cujusdam ad Rupertum; et Ruperti ad eumdem Responsio; De læsione virginitatis; et an corrupta possit consecrari.

Ex isto indice, qui Ruperti commentarios in prius Testamentum priori tomo ascripsit; cætera vero quæ modo habentur, ipsius opera alteri tomo commisit; jacturam lugeas quindecim librorum *De rege David* et *Annuli* tribus libris quasi totidem gemmis distincti, quo Judæi Ecclesiam Christi sponsam agnoscerent, et matrem habere gestirent; cæterorum denique Ruperti opusculorum, quæ temporum malitia nobis suffurata est, et alicujus studiosi nobis aliquando cura restituet. Trithemius aliqua se reperisse, quæ in suo Catalogo subjecit, de aliis pluribus audivisse, sed nihil vidisse testatur. Joannes Coclæus, disputationibus adversus Lutheranos celebris, plurima Ruperti opera e bibliothecarum scriniis, annis 1526, 1528, 1532, multo studio eduxit in publicum. Non pauca tandem his accesserunt in editione Parisiensi. Cætera dabit ætas justior.

Interim vero lector amans æqui judicet quo veri studio Bellarminus, in suo *De scriptoribus ecclesiasticis* opere, quod anno millesimo sexcentesimo duodecimo expolivit et auxit, de Ruperti operibus pronuntiaverit; quod nostro primum tempore cœperint lucem aspicere; et quod error impanationis, quem Ruperto tribuit, ipsi sit causa ut opera Ruperti Tuitiensis alioquin, inquit, non mala et indocta jacuerint sine luce et honore in tenebris oblivionis annis circiter quadringentis.

Duplex istud Bellarmini figmentum destruit Honorius presbyter Augustodunensis, qui juxta ipsum Bellarminum, circa annum millesimum ducentesimum vicesimum, proximo scilicet post Rupertum sæculo, paucis multa de Ruperto Tuitiensi locutus ait eum Spiritu sancto per visionem illuminatum totam pene Scripturam egregio stylo composuisse.

Quod qui de Ruperto testaretur, si Ruperti opera sine luce in tenebris et sine honore jacuissent annis circiter quadringentis? Qui composita dicere potuit circa annum millesimum ducentesimum vicesimum, quæ non nisi Bellarmini tempore nostro scilicet præsenti sæculo decimo septimo, cœperunt lumen aspicere? An igitur sine luce per tot sæcula jacuit, cujus splendor fuit ut a quadringentis annis proclametur a Spiritu sancto illuminatus totam pene Scripturam egregio stylo exposuisse? An nostro primum tempore cœpit lumen aspicere, qui omnium a se sæculorum ipse lumen fuit? An denique quingentis annis in tenebris inhonorus latuit, qui ortus duodecimo sæculo, cujus gloria fuit, ipsum sæculum decimum tertium, quo nomen ejus tanto encomio celebratur, sæculum decimum quintum, decimum sextum et decimum septimum puriori lumine illustravit, iis editis operibus, quæ jam ante Trithemii ætatem prodierant, et quæ se vidisse ipse fidem facit?

Nulla ergo fide, quia nulla dicentis alicujus auctoritate; nullo jure, quia nullo testimonio; sed multa injuria contra hæc probatæ fidei testimonia Bellarminus (37) pronuntiavit Ruperti opera quadringentis circiter annis sine honore et luce jacuisse. Scio quidem Bellarminum hallucinari, dum Honorium Augustodunensem computat anno millesimo ducentesimo vicesimo ex Trithemio, qui tamen illum scribit claruisse sub Henrico quinto anno millesimo centesimo vicesimo ætate scilicet Ruperti. At parum sibi constantem Bellarminum in opere quantumvis

(37) Lib. De script. eccl. et lib. III, c. 11, De sacram. eucharis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

expolito, ex ista ipsius chronographia prodere hic satis sit.

Alterum quod in Rupertum Bellarminus eadem ista adnotatione protulit, mihi gravis est : utpote quod Ruperto erroris notam inurat, quæ ipsius adeo deturpet gloriam ut ejus opera æteruis dignissima sæculis, ad quadringintorum annorum tenebras damnet. Qua, precor, æquitatis lege, vel ex eo quod ejus opera latuerint, Bellarminus inferre potest quod Rupertus erraverit; vel ex eo quod ipse erraverit, ut minus erudite supponit, inducere potest quod quadringentis annis ejus opera latuerint, Quasi vero auctoris error in causa sit cur ejus opera lateant. Quid, Bellarminum latuit a mendacibus filiis hominum erroris professores audiri magis quam veritatis magistros? Bellarminum latuit in lucem expedite prodire innumera commenta erroris, dum in tenebris jacent plurima veritatis opera? An quia Augustinus erravit, diu latuit ejus opus quod *imperfectum* dicebatur, et modo perfectum est. An quia errarunt eximii tot scriptores, eorum adhuc operum jacturam lugemus? Magis æmulam veri mendacitatem, magis invidam boni temporum et hominum malitiam, nobis hos sapientiæ scientiæque thesauros surripuisse, Bellarminus judicasset. Verum si hæc causa Bellarmino visa est, sane opus illud, ex quo maxime cætera sine luce jacuerant, præ cæteris latuisse ipse videri debuit, quod tamen nusquam latuisse ipse testatur; sibi enim minime cohærens Bellarminus opus istud *De divinis officiis*, quod Ruperto adjudicat, et in quo Ruperti errores maxime deprehendisse se dicit, præ cæteris lucem publicam habuisse significat, dum fatetur Ruperti hoc opus ante hæcce tempora sub nomine modo Fulgentii, modo Ambrosii, modo Isidori in publicum prodiisse, juxta Thomæ Valdensis testimonium, qui circa annum millesimum quadringintesimum tricesimum floruit. At forte Bellarminus hoc opus, quod sui nomen auctoris non præferebat, censet latuisse. Igitur et liber *De imitatione Christi* hactenus latuisse censendus est, qui nullius vel alieni, ut plurimum nomen præfert auctoris. Quod si minus decet ipsum ista proferre, et opus istud ex quo Ruperti errores maxime arguit publicum non agnoscere : eum minime decet dixisse Ruperti opera præ ipsius errore quadringentis annis sine luce jacuisse et in tenebris latuisse, quasi quæ ex fidei Ruperti deliquio defecissent. Aliunde igitur factum puta, ut non singula Ruperti opera singulis temporibus, sed alia aliis sint edita; utique in aliis recensendis vel raros, vel seros scriptores videas; et quidem circa ipsorum numerum et ordinem longe diversos. Nihil enim nostro Ruperto hac in re contigit, quod et cæteris scriptoribus ut plurimum accidisse non reperias, quorum opera vel injuria temporis, vel hominum incuria, vel nimia libros transcribendi transmittendique difficultate, alia aliis in locis, aliisque temporibus prodierunt, perierunt plurima. Rupertus circa ultima suæ ætatis tempora ipse suorum operum exemplaria amisisse conqueritur (38). Unde jam non est quod stupeas ipsismet Ruperti operum exemplaribus ad diversos distractis non nisi multo labore a studiosis conquisita Ruperti opera publici juris facta fuisse et nonnulla etiamnum desiderari; quæ quis dabit? Interim

Ruperti Tuitiensis Vindex cum operis

De divinis officiis XII libellis distincti auctorem asserit.

Percelebrem de auctore librorum *De divinis officiis*, qui inter Ruperti opera feruntur, litis contestationem, ut a catalogorum tricis expediremus, in hunc locum dimittenda judicavimus : ut ergo ipsam hic moveam data fides urget, et mea res exigit; impanationis enim errorem, a qua Rupertum suscepi vindicandum, ei vulgo tribuunt cui opus istud *De divinis officiis* adjudicant.

Ne vero contra juris ordinem, ne quidem dicta causa; ne auditis partibus, cujus sit opus istud proferam; imprimis causam aperio : tum utriusque partis momenta expendo : tumque Valeramnum ab omni in opus istud jure dejicio; tandemque uni Ruperto adjudicandum invictissime demonstro, et omni jure pronuntio.

Causa est. Wiclefus in altaris sacramento non nisi panem sentiens, ut catholici alicujus doctoris nomine suum hunc fulciret errorem, seque nihil ab Ecclesiæ sensu alienum proferre facilius imponeret, unum aliquod opus *De divinis officiis* in duodecim libros distributum, quo suam ab auctore catholico jactabat prædoceri sententiam (39), modo sub Isidori, modo sub Fulgentii, et aliorum ementitis nominibus produxit.

Hinc varia huic operi præfixa nomina incertum fecerunt auctorem, adeo ut quæ plures indicabant nullum declararent. Hinc in diversas de istius operis auctore sententias ablerunt scriptores ecclesiastici; hinc alii unius, alii alterius auctoris hoc opus esse judicarunt. Personatum quidem Fulgentium, personatum Isidorum vel Ambrosium omnes deprehenderunt; adeo ut jam nemo sit qui opus istud ipsorum nomine inscribat; sed Valramno cuidam adjudicant alii; Ruperto cæteri. Valdensis, Dominicus a Soto, Alanus, Sanctius, doctores Oxonienses, et Vasquezius libros hujusmodi ascribunt Valramno, quem propterea impanationis auctorem statuunt; Bellarminus vero (40) cum cæteris (41), opus istud Ruperto vindicat.

Quæ autem cujusque partis jura sint, quæ momenta, habe; et nullo nisi veritatis æquitatisque studio attentius expende.

(42) Vasquez, qui Valeramni adversus Rupertum

(38) Prol. in lib. De process. Spiritus sancti ad Cunonem episcopum.

(39) Alii Valdensis l. De sacram. c. 47, 67 et 93.

(40) Lib. de Scrip. eccl. et l. III, c. 41, De sacram Eucharist.

(41) Possevino in Apparatu, Raynerio in Syntaxi 1 p. opusc. S. Ansel.

(42) In 3, disp. 180, c. 1, n. 5 seqq.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

jura partesque suscepit, opus *De divinis officiis* non Ruperto, sed Valeramno episcopo Attembergensi asserendum, istis maxime contendit. Primum est quod Anselmus in epistola et libro *De corpore et sanguine Christi*, ad Valeramnum, in principio ita scribit, « Lego et relego, charissime, opus vestrum *De officiis;* multumque me delectat ejus lectio, tum pro sui utilitate, tum pro auctoris dulcissima mihi charitate; sed quoniam veritas charitatis et charitas veritatis, adulationis odit fucum, videor mihi videre in facie pulchri operis nævum unum, qui et si interim inter nos benevola quadam dissimulatione tegatur, si opus hoc exierit in manus eorum qui carpere amant aliorum et bene dicta, futurus est in signum quod tibi a multis contradicetur. » Tum subjicit quod ipse in isto opere notaverat, « cur nempe in ordine sacrificii tria illa digesturus, materiam, intentionem, causamve finalem; de materia agentes dixistis post multa, sed dicet mihi adversarius, Vivens et sensibilis in corpore suo, mobilisque est Deus et homo Christus, corpus autem sacrificii vitam non habet, sensum non habet, mobile non est : corpus igitur Domini non est. » Tandemque Anselmus ad prædicta hæc verba, quæ ex ipso retulerat, ita scribit : « Primum quid hic sacrificii corpus appelletis, penitus non adverto; cum enim ad benedictionem mysticam, operante invisibiliter Verbo Dei, corpus in corpus, substantia mutata sit in substantiam; sicut in mensa nuptiali aqua in vinum mutata solum adfuit vinum in quod aqua mutata erat : sic in mensa altaris solum adest corpus Domini, in quod vere mutata vera panis substantia; nisi quod de aqua nihil remansit in mutatione illa, de pane vero mutato ad peragendum sacri institutum mysterii sola remanet species visibilis; unde B. Ambrosius : Ne, inquit, *horror carnis fieret, ideo in similitudine accipimus sacramentum.* Nam panis substantiam post Dominici corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nuperque damnavit in Berengario Turonensi, ejusque sequacibus, nam si hoc admitteretur, jam Verbum non incarnatum tantum, sed etiam dici posset impanatum : sicut ille dicebat : *Panis, si in Domini corpus transiret, non tamen panis esse desineret.* » Ex quibus sancti Anselmi verbis Vasquez (43), post doctores Oxonienses et Valdensem, sic pro Valeramno concludit : « Cum igitur hæc ita sint, et verba omnia quæ citabat Wiclefus, in eo libro qui est inter opera Ruperti, contineantur, dubitandum non est librum *De divinis officiis* a Valeramno, non autem a Ruperto, conscriptum esse; nam Valeramnus et Anselmus antiquiores Ruperto fuerunt, hic enim sub Henrico V claruit, et sub Lothario III obiit; illi autem sub Henrico III claruerunt. »

Ubi Vasquez sic arguere mihi visus est : Liber *De divinis officiis* qui inter Ruperti opera modo circumfertur, continet verba, et sub iisdem verbis errorem quem Anselmus ex charitate in Valeramni lib. *De divinis officiis*, corripit per epistolam ad eum directam. Ergo opus istud quod inter Ruperti libros nunc editur, Valeramno manet adjudicandum; non autem Ruperto, qui, Anselmo et Valeramno junior, scribere non potuit quod Anselmus carperet.

Alterum, unde Vasquez opus *De divinis officiis* non esse Ruperti, sed Valeramni, nullo dubio pronuntiat, istud est quod Joannes Parisiensis Valeramno tribuit ea verba, quæ leguntur in libro II *De divinis officiis*, cap. 9.

Tertium denique, quod hunc Valeramnum circa res nostræ fidei suspectum fuisse colligit Valdensis ex Anselmi libro *De fermentato et azymo*, in principio, ubi Anselmus nullam ei salutem dicit, eo quod contra pontificem imperatori faveret.

Hoc argumento tanquam funiculo triplici Vasquez opus *De divinis officiis*, Ruperto abstraxisse, et uni Valeramno Attembergensi alligasse se putat. Verum funiculus, quamtumvis triplex, cujus chordæ dissolutæ minime cohærent, facile rumpitur; eoque disrupto, opus Valeramno alligatum ipsi cito excidit.

Bene quidem Vasquez ex hisce suppositis opus aliquod *De divinis officiis*, in quæ prædicta verba leguntur, Valeramno ascribere potuit; at ipsa ab Anselmo fuisse ad Valeramnum scripta si quis negaverit, unde probabit Vasquez?

Incertum enim omnino est, 1°, hanc epistolam et hunccce tractatum esse S. Anselmi, cum neque Eadmerus, neque Robertus de Monte (44) in recensione Operum S. Anselmi, neque Trithemius inter ejus Opera hanc epistolam aut hujusmodi tractatum accensuerint; sed et manuscripti codices nullo Anselmi nomine hanc epistolam habent. Ipsa enim sine tractatu, et absque nomine auctoris exstat in bibliotheca Sancti Germani a Pratis, in pervetusto ms. codice, ubi opus istud *De divinis officiis* nihil nisi capitum et librorum distributione distat ab excusis, utpote in decem libros duntaxat divisum. Præit prologus; *Omnia quæ per anni circulum*, sub hoc titulo : *Incipit prologus Roberti (idem Germanis est ac Ruperti), in libro De divinis officiis.* Et totum hoc opus excipit hæc rubrica : *Explicit liber Domini Roberti monachi Sancti Laurentii in Leodio De divinis officiis.* Tandem his libris subjungitur epistola, ejus salutationis titulo : *Fratri in Christo charissimo. Illuminatos oculos cordis;* et sic incipit : *Lego et relego, charissime, opus vestrum De officiis.* Tractatus autem *De sacramento altaris seu de corpore et sanguine Domini* eo in codice non habetur.

Eadem vero hæc epistola cum hujusmodi tractatu asservatur in bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, tacito pariter auctoris nomine.

Negativa hæc argumenta si minus possunt, habe quod in codice utroque Signiacensi titulus (45) iste

(43) Loc. cit.

(44) In Germana appendice ad Sigeber. ad an. 1109 (*Patrol.* t. CLX).

(45) Hæc omnia testatur R. P. Bertrandus Tissier in tom. III Biblioth. Cisterc. in præfat. ad Opera B. Guillelmi S. Theodorici; et ad finem epistolæ istius.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nuic epistolæ præfixus legitur : *Epistola domini Willelmi abbatis S. Theodorici ad quemdam monachum, qui de corpore et sanguine Domini scripserat.*

Et ipsam claudunt hæc verba : *Finit epistola domini Guillelmi, quondam abbatis sancti Theodorici*, etc. Sed et in cœnobio Igniacensi manuscriptus codex librorum *De divinis officiis* præmittit epistolam istius Guillelmi nomine inscriptam.

Picardus quidem (46), qui primus hæc Anselmo tribuit, unum producit apographum Anselmi nomen præferens, sibi a Nicolao Fabro communicatum ; et suam insuper firmat sententiam ex Vincentii Bellovacensis, Sancti Antonini, et Petri Aquilini testimonio ; Valdensem addere poterat ; et ipse Vasquez modo potest adjici. At quid hi omnes diversa sentientes nisi hoc unum testantur, incertum nempe hanc ab Anselmo scriptam esse epistolam? Ubi vero dubii aliquid subest, quid certi potest statui? quid firmi potest superstrui, maxime quo concutiatur et evertatur quod certum et firmum est : a Ruperto videlicet compositos libros *De divinis officiis*, quod nihil certius, firmius nihil, postea demonstrabitur?

Incertum est, 2° ad Valeramnum scriptam esse hanc epistolam. Quod enim S. Anselmus ad Valeramnum scripserit librum *De azymo et fermentato*, quid consequens est ab ipso Valeramno editos libros *De divinis officiis*, in quibus quid invidi carperent, Anselmus legit ; et ea de causa ab eodem Anselmo ad Valeramnum directam epistolam cum tractatu *De corpore et sanguine Domini?*

3° Incertum penitus esse videtur qui Valeramnus fuerit, cum circa Anselmi et Ruperti tempora plures Valeramni, seu Valerami, seu Valeranni mihi occurrant.

Primus est Valeranus, abbas Sancti Vitoni Virodunensis, frater Hugonis Lingoniensis episcopi : obiisse legitur anno Domini millesimo sexagesimo, vel millesimo sexagesimo sexto (47).

Alter Valeramus, seu Vileramus, ex Trithemio (48) abbas Mesburgensis ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis eruditus, et sæcularium litterarum non ignarus, carmine exercitatus et prosa, cum universitate Parisiensi aliquandiu impendisset studium, ad patriam reversus, Bambergensis Ecclesiæ scholasticum munus adeptus est. Tandem considerans mundi gloriam transire cum tempore, contempto sæculo, in Tuldensi cœnobio pro Christi amore monachum indult ; et postremo, crescentibus meritis, in monasterio Sancti Petri Mesburgensis abbas consecratus, nomen suum scribendo posteris notificavit. « De cujus opusculis, inquit Trithemius, ego tantum volumen metro et carmine mixta prosa pulchra varietate compositum de nuptiis Christi et Ecclesiæ. *In Cantica canticorum libros* III, qui incipiunt, *cum studia intu . . .* claruit sub Henrico III, anno Domini millesimo septuagesimo. »

Hæc Trithemius libro *De scriptoribus ecclesiasticis* tradit de Vileramo seu Valeramo Mesburgensi, qui solus ex his omnibus Valeramis aliqua composuisse legitur.

Tertius est Valerannus, olim cantor Parisiensis Ecclesiæ. Is S. Martini a Campis monasterium ingressus fuerat sub Ursione, seu Ursono, seu Urso, qui primus regalis illius monasterii prior a S. Hugone abbate Cluniacensi fuit institutus anno restitutæ salutis millesimo septuagesimo nono. Ad hunc Walerannum scripsit Anselmus epistolam, qua eum hortatur ut sanctum vitæ monasticæ propositum nulla ratione dimittat, etsi episcopus Parisiensis eum e monasterio violenter abstraxerit. Ea etiam in epistola hujusce Valeranni eruditionem et ingenium Anselmus commendat. Hanc autem Anselmi epistolam ab 1079 ad an. 1090 fuisse scriptam ex eo colligo quod Ursio, sub cujus obedientia degebat Walerannus, monasterii Sancti Martini a Campis prior institutus est anno 1079, et ei successit Theobaldus circa annum 1090. Hæc discere est tum ex Anselmi epistola quæ in lib. III epistolarum est decima tertia ; tum ex Historia regalis monasterii S. Martini a Campis ; tum ex libro qui inscribitur, *Martiniana*.

Quartus Valeramus est episcopus Citiziensis, qui ab Henrico IV, imperatore reprobante Fridericum abbatem, fuit Gunthero subrogatus circa Domini annum millesimum octuagesimum nonum. Hæc tradit Paulus Langius in Chronico Citiziensi ad hunc annum.

Quintum Valtramum episcopum Ecclesiæ Migdeburgensis tradit Dodechinus in appendice ad Marianum Scotum anno millesimo. Ipsum Henrico regi favisse adversus Romanum pontificem testatur epistola quam ad Ludovicum comitem scripsit, suadens ut Henrico regi se subderet, et illius partes tueretur, ne cum iis qui Dei ordinationi resistunt, Rodulpho, Hildebrando, Ecberto et pluribus aliis periret. Istam epistolam cum Ludovici responso videre est in appendice Dodechini ad Mariani Scoti Chronicon in anno millesimo nonagesimo.

Sextum Valeramum idem Dodechinus ad annum millesimum nonagesimum quartum producit Numbergensem episcopum. Ad ipsum S. Anselmus scripsit epistolam *de processione Spiritus sancti*, in cujus capite Valramum tanquam Henrici fautorem adversus Urbanum Romanum pontificem vehementer corripit. Hæc epistola sic incipit : *Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis Valramo Numburgensi episcopo Scienti breviter loquor ; si certus essem*, etc. Anno enim millesimo centesimo nono Valramus tractatum *de investitura episcoporum* in lucem miserat, eam juris faciens imperatoris, non summi pontificis. Sed vero

(46) Adnot. 3 ad primum caput illius tractatus.

(47) Tom. IV Chronic. ord. S. Bened., ad an. Christ. 852, in Catalogo abbatum mon. S. Vitoni, et ad calcem operum Lanfranci, quæ R. P. D. Lucæ d'Achery studio prodierunt (*Patrol.* CL).

(48) Lib. De scrip. ecc. et in Catal. illustrium virorum.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

post Urbani secundi obitum, Paschalis II, qui Urbano successit, partes secutus, pacem et Ecclesiæ communionem habuit; unde et Anselmus eum amica jam salutatione honestat in epistola cui titulus est : *Domino et amico Valramo venerabili episcopo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis archiepiscopus salutem, servit*, etc. Hunc Numburgensem episcopum Trithemius in libro *De scriptoribus Ecclesiasticis de Stephano seu Herrando*, Valtramum vocat.

Centuriatores quidem (49) de isto Valramo episcopo Numburgensi ea omnia tradunt quæ et de Valtramo Magdeburgensi, et de Valramo Numburgensi episcopo Dodechinus distincte protulit. At advertere debuerant hunc Valramum episcopum Numburgensem, ad quem scripsit S. Anselmus, non esse in appendice Dodechini eumdem Valramum, quem ipse Dodechinus paulo ante dixit episcopum Magdeburgensem : sed Dodechino unum esse Valramum, et alterum Valramum; illum Magdeburgensem, istum Numbergensem episcopum; illum cui comes Ludovicus scripsit; istum cui scripsit S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis.

Septimus Valeramus, ut loquuntur Centuriatores, seu Valerannus, ut ex Roberti de Monte Appendice ad Sigebertum, eum vocat appendix altera ad Martyrologium Benedictinum, monachus fuit Clarevallensis qui a Simone Noviomagensi episcopo vocatus cum aliquot monachis, anno millesimo centesimo vicesimo nono, primus abbas Ursicampi vulgo Oream rexit monasterium, ut testatur Chronicum Flandriæ libro quinto; et cum ibi tres alias abbatias fundasset, ipsum obiisse anno millesimo centesimo quadragesimo secundo fidem facit Sigeberti continuator ad hunc annum, et referunt Centuriatores centuria x, pag. 1692, et altera appendix ad Martyrologium Benedict.

Octavus Galeranus, seu Valeranus, filius est Roberti consulis de Mellent, qui patri succedens in Normannia factus est comes Mellenti anno millesimo centesimo decimo octavo, et crucem assumpsit anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, juxta Robertum de Monte in germana appendice ad Sigibertum, ad annum millesimum centesimum decimum octavum, et millesimum centesimum quadragesimum quintum.

Nonus tandem, qui Ruperti sæculo vixit, Valeramus Bajocensis archidiaconus potest numerari, qui Galtero episcopo Roffensi successit, et obiit anno millesimo centesimo octuagesimo secundo, ut habet Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum.

Cum ergo S. Anselmi et Ruperti sæculo tot occurrant Valeramni, Walrami seu Valramni, constare neutiquam potest quis ex his omnibus auctor fuerit operis *De divinis officiis*, et ad quem directa epistola quæ in hujusmodi opere nævum aliquem arguit.

Constat quidem non ad Valeramum Attembergensem scriptam fuisse, cum nullus audiatur Valeramus Attembergensis episcopus; et proinde Vasquez erasse cum istam epistolam ad Valeramum Attembergensem ab Anselmo directam scripsit, ut hunc Valeramum Attembergensem istius operis *De divinis officiis* auctorem asserat.

Nihil suadet ad Valtramum Magdeburgensem hanc epistolam fuisse directam. Sed nec mihi est unde prudenter conjiciam ad Valramum Numburgensem missam fuisse : quod enim S. Anselmus ad Valramum Nuremburgensem librum *De Spiritus sancti processione* miserit, quid tum? An uni omnia dicantur, an ad unum omnia diriguntur unius alicujus scriptoris opera?

Imo nec ad Numburgensem, sicus nec ad Citiziensem, nec ad Magdeburgensem Valramum scriptam fuisse hanc epistolam ex duabus mihi probatur. Primo quod nullus ex his Valeramis, si Numburgensem excipias, opus aliquod edidisse reperiatur, et inter scriptores ecclesiasticos censeatur. Secundo quod sanctus Anselmus, si hujusce epistolæ auctor est, Valeramum, ad quem hanc epistolam dirigit, duntaxat vocet *charissimum*; quo nomine, nulla adjecta honoris et reverentiæ, vel saltem episcopalis dignitatis nota, episcopum sanctus Anselmus nusquam salutat. Nam etiamsi in prima ad Valeramnum Numburgensem epistola ipsi tanquam extra Ecclesiæ communionem posito, salutem denegaverit, non tamen eum sine episcopalis dignitatis nomine dimisit, ut in altera ad eumdem, sed reconciliatum, epistola, ei ut domino et amico salutem dicit, ut hujusmodi epistolarum inscriptiones præferunt.

Sed nec quis hoc opus Valeramno, Philippi I regis camerario, qui non Ecclesiæ sacramentis, sed principis sui obsequiis studuit : nec Valerano comiti asseruerit, qui non divinis officiis, sed bellicis rebus animum dedit. Nequidem ergo ad Valeramnum episcopum Numburgensem, sicut nec ad Citiziensem; sed nec ad Mellenti comitem scripta est hæc epistola, nec ulli istorum attribuendum est opus *De divinis officiis*.

Cui ergo Valeramno hoc opus tribuendum? Ad quem Valeramum hæc epistola directa est? Ad quem Valramum missa hæc epistola? vel ad Valeramnum S. Vitoni abbatem, vel ad Valramum seu Vileramum abbatem Mersburgensem, vel ad Valerannum Parisiensis Ecclesiæ olim cantorem, vel ad Valeramum seu Valeramnum monachum Clarevallensem, postea primum Ursicampi abbatem, vel ad Valerannum Bajocensem archidiaconum. At si ab Anselmo hic liber editus est, ætas prohibere videtur quominus ad primum et ad ultimum asseramus hunc librum fuisse transmissum. Primus enim anno millesimo sexagesimo, vel millesimo sexagesimo sexto decessit, Anselmo tunc temporis juniore. Ultimus vero vita functus est anno millesimo centesimo octuagesimo; et proinde mortuo Anselmo, qui millesimo centesimo nonagesimo decessit, priusquam iste Valeramnus librum *De divinis officiis*, potuisset conscribere.

(49) Centur. xi. c. 10. pag. 605.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Et ita jam res tota est Mersburgensem inter et Parisiensem et Ursicampensem, cujus sit opus istud *De divinis officiis*, quod Valerano tribuitur, et ad quem scripta hæc epistola, quæ Anselmi dicitur.

Mersburgensis jura potiora videntur cum plura ediderit opera, quibus inter ecclesiasticos scriptores meruit annumerari, inter quos aliorum nemo sedem obtinuit. Verum cum et isti Villeramo Mersburgensi, nullus, quem sciam, opus *De divinis officiis* ascripserit, nullusque ad ipsum scriptam, quæ Anselmi censetur, epistolam dixerit; et Anselmus eo multa ætate posterior sit, nullius sane fidei est ab Anselmo scriptam esse hanc epistolam, et ita nullius prorsus est fidei opus istud *De divinis officiis* ab eo Valramno editum esse, cui uni Valdensis, Oxonienses, Vasquez et alii nullo jure, nulloque probato fidei testimonio tribuendum voluerunt.

Ne tamen Anselmi, aut Guillelmi abbatis S. Theodorici, aut alterius alicujus auctoris injuria, Ruperti Tuitiensis jura stabilire videar, una est, sive pro Anselmo, sive pro Guillelmo contendentium, pro Tuitiensi abbate pronuntiata sententia, libros scilicet *De divinis officiis* a Ruperto fuisse compositos. Joannes Picardus (50) ab Anselmo Cantuariensi ad Rupertum missam probat epistolam, sic eum constituens hujusce operis auctorem, ut illud dixerit, leviori licet rationis conjectura, a Ruperto susceptum, dum Anselmus viveret, completum vero post Anselmi obitum quem anno millesimo centesimo nono contigisse non diffitetur. Sed et Theophilus Raynaldus (51) de temporum ratione nihil sollicitus, et epistolam Anselmo ascribit, et libros *De divinis officiis* Ruperto Tuitiensi attribuit. Tandem R.P. Bertrandus Tissier (52) non ab Anselmo, sed a Guillelmo S. Theodorici abbate ad Rupertum monachum hanc scriptam esse epistolam sic asserit, ut nullo repugnante opus *De divinis officiis* Ruperto astruat.

Ex quibus videas quam leve sit primum illud, quod ex ista quam alii Anselmi, alii Guillelmi, alii alius incerti auctoris dicunt, epistola, Valdensis, Vasquez et alii dicunt argumentum quo libros *De divinis officiis* Ruperto nostro abripiant, cum sive ab Anselmo, sive a Guillelmo aut alio aliquo qui nescitur, auctore scripta sit hæc epistola, indubie tamen ab utriusque partis censoribus Rupertus hujusce operis auctor proclametur.

Nec eos plus juvat quod Joannes Parisiensis, qui anno supra centesimum a Ruperto vixit, Valramo ea verba tribuat quæ leguntur in capite 7 libri II *De divinis officiis*. A Joanne Parisiensi Valramum pro Ruperto ideo scriptum dixerim, quia audierat ab abbate ordinis S. Benedicti natione Teutonico, in divinis litteris eruditissimo, in Germania florentissimo, inter cætera compositum opus *De divinis officiis*. Audierat ex Universitate Parisiensi studuisse quemdam Villeramum natione Teutonicum, professione monachum ordinis sancti Benedicti, abbatem in divinis litteris exercitatissimum, qui plures edidit libros; ex quibus ipsum operis istius auctorem judicavit. At Teutonicum pro Teutonico, monachum pro monacho, abbatem Germanum pro abbate Germano, Vileramnum scilicet Mersburgensem pro Ruperto Tuitiensi habuit: et illum pro isto dedit Oxoniensibus, Valdensi et aliis qui Valeramnum a Vileramno non dijudicantes, hunc existimarunt episcopum Numbergensem, cum religioni Vasquez et alii ducerent opus istud, in quo non nihil eucharisticæ veritati repugnans ipsis videbatur, schismatico potius tribuere quam scriptori catholico, cujus nomen in sui erroris patrocinium Lutherani trahebant.

Hæc erroris illius Valeramnum Ruperto substituentis origo et series mihi visa est, quam indicasse sufficiat, ut unicum quod adversus firmissima Ruperti jura profertur testimonium, minoris fidei habeatur, quam ut quod certissimum est evertat, vel quod prorsus incertum est firmissime statuat.

Si quis tamen unius hujusce scriptoris fide pertinacius contenderit ut Vasquez; aut facilius concesserit, ut dominus de Lestoq in Sorbona sacræ theologiæ professor unum *De divinis officiis* opus a Valeramno exiisse, non tamen inde cum Oxoniensibus, Valdensi, Vasquezio et aliis negasse debuit unum illud, de quo contendimus, opus *De divinis officiis* a Ruperto esse conscriptum. Nonne et de iis Isidorus, et de iis Alcuinus, et de iis Amalarius et alii libros composuere. At in iis libris, inquient, qui inter Ruperti opera circumferuntur, quædam leguntur quæ et in Valeramni opere. Siccine transumpta quædam prolem parenti subducere debent? Quis in Ruperto vel modice versatus non deprehendit aliqua nonnunquam a Ruperto loca proferri, tacito auctoris nomine, perinde ac sua? Nonne et ipse Rupertus hoc sibi in isto *De divinis officiis* opere contigisse declarat (53) in suo Apologetico, uti inscitiam simul ac invidiam arguit æmuli cujusdam in ipso S. Gregorium imprudenter damnantis?

Sapientius ergo cum domino de Lestoq ex præmisso Valeramni opere nihil adversus Ruperti opus inferri intelliget, quisquis duo ista simul stare posse noverit. Valeramnus opus *De divinis officiis* edidit; Rupertus libros *De divinis officiis* composuit, et in uno ipsorum capitulo eadem verba leguntur. Quid hæc pugnant, ut uno permisso negetur alterum? Nihil ergo alterum Oxoniensium, Valdensis et Vasquis argumentum ex Joannis Parisiensis testimonio ductum adversus Ruperti jura concludit.

Sed et tertium ex Valeramni suspecta fide infirmius adhuc procedit. Valeramnus quidem fuit schismatice a Romano pontifice divisus: ergone censendus auctor operis, in quo non solum nihil adversus Romani pontificis auctoritatem, imo plurima in Romanæ sedis et Ecclesiæ Romanæ commendationem

(50) Adnot. ad hanc epist. et ad lib. De sacram. corp. et sang. Domini.
(51) In syntaxi primæ partis Opusc. S. Anselmi.
(52) In Biblioth. Cisterc.
(53) Lib. I in Reg.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et unitatis Ecclesiæ laudem posita leguntur? An rebellis et schismaticus in capite vicesimo septimo libri primi *De divinis officiis* Petrum principem apostolorum constitueret, et pro ejus excellentia Petri successores cæteris præeminere patriarchis sentiret, quos solos principes dicit apostolicos nominari? An fidei initium ab illa sede prodire doceret, istamque proinde in Ecclesiis observari regulam, ut neminem habeant pontificem, nisi ab eadem sede missum, a qua primus illis prædicator fidei missus est, et illam missionem diceret pallii esse largitionem? An extra Romanæ sedis communionem positus, Romanæ sedis statuta commendaret, et adversus Græcos tuenda susciperet, ut ea celebrat et tuetur (54) auctor hujus operis? An avulsus a capite pronuntiaret, ut auctor iste (55) Ecclesiam ex ipsius Petri, cujus vice fungitur Romanus pontifex, auctoritate spiritualium divisiones donorum distribuere; istius principis esse ovibus Christi pastores ordinare, etc.

Non ergo opus istud evolvit, qui ex Valeramni Numburgensis schismate perperam deducit, non nisi ex ipso opus istud prodiisse : cum potius ex suspecta Valeramni fide, et ex ipsius in sedem apostolicam rebellione inferre debuerit ab ipso nusquam editos hujusmodi libros, qui summam, ubi vis, se locus offert, erga sedem apostolicam protestantur debitæ religionis observantiam. Quid ergo juris Valeramno Numburgensi jam superest, quo ab Oxoniensibus, a Valdensi, Vasquesio et aliis operis istius *De divinis officiis* auctor asseratur? Quid injuriæ non est fetum legitimo subripuisse parenti, ut supponeretur alieno? Alienus est Valeramnus; legitimus unus est Rupertus noster Tuitiensis.

Qui prolem supponit, sicut et qui prolem subripit patri, crimen habet omni legum severitate muletandum; cui ne subjiciendus videar, quasi qui propriam Valeramno abstraxerim, ut alienam Ruperto adjudicem, quibus titulis et quo jure ista sit ipsius, invictissime probandum suscipio.

Non supposititia proles illa censenda est, quam legitimam ipsius parentis esse testantur omnes qui sensum habere student hujusmodi fetuum; multo minus ea quam ipse parens suam agnoscit, ut suam servat, et ut suam defendit. Quæ potentiora legitimæ prolis indicia quam certum hujusmodi censorum testimonium, quam parentis oscula, amor et tutela? hæc autem omnia Rupertum operis istius *De divinis officis* protestantur auctorem. Quis enim scriptorum ecclesiasticorum conscripsit catalogos, qui opus istud Ruperto non ascripserit?

Continuator Henrici a Gandavo *De ecclesiasticis scriptoribus*, cap. 5, a Ruperto compositos maxime hujusmodi *De divinis officiis* libros, bis testatur : « Rupertus abbas Tuitiensis scripsit ad Cunonem abbatem Sigebergensem librum multis Scripturarum refertum mysteriis, quem intitulavit *De victoria Verbi Dei*. Scripsit alium *De divinis officiis*. » Trithemius libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, ad Rupertum, in catalogo quem supra adduximus. Baronius ad annum millesimum centesimum undecimum fatetur hoc anno a Ruperto editum opus *De divinis officiis*. Bellarminus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* ad Rupertum. Centuriatores centuria XII, Sixtus Senensis in Bibliotheca, opus istud *De divinis officiis* inter Ruperti Opera computant.

Cocleus, catholicæ fidei adversus Lutheranos propugnator acerrimus, cui nihil sapere poterat quod sanam Ecclesiæ doctrinam non saperet, Ruperti studiosissimus : inter præcipua ejus opera, quæ suæ commissa esse fidei scribit in epistola ad Henricum abbatem Tuitiensem, et quæ Coloniæ prelo subjici curavit ut publica fierent, duodecim ejus libros *De divinis officiis* enumerat : « Eduntur, inquit, ex præcipuis operibus ejus tria, nunc ad proximas Kalendas Aprilis evulganda, nempe quatuordecim libri *Commentariorum in Evangelium Joannis*, duodecim libri *in Apocalypsim* ejusdem, ac totidem libri *De divinis officiis*. Quæ omnia cum fidei meæ commiserit, » etc.

Nicolaus Sanderus in libro septimo ex his quos *De visibili monarchia Ecclesiæ* adversus hæreticos scripsit (56) pluribus locis Rupertum librorum *De divinis officiis* pronuntiat auctorem, Gualterus etiam in sua Chronologia, Ruperti operibus et illud accenset. Sirmondus ipse, sicut et alter Jesuita, nomine Floridus, in *Spongia* (57) sub ficto Leomelli nomine, istius operis, ut Ruperti, auctoritatem commendat et defendit.

Sed et Petrus Aurelius, cui a Sirmondo et a Florido objicitur opus istud, tanquam Ruperto dignum (58) diversis in locis admittit, quod tamen si dubiæ fuisset auctoritatis et fidei, neutiquam tot in locis admittere debuisset, sed excipere potius, quam objectum ex capite decimo sexto libri quinti *De divinis officiis* testimonium expositione toties repetita dissolvere.

Sed magis accurata disquisitione ex Augustini Canonicis Joannes Picardus epistolam *De corpore et sanguine Domini* ab Anselmo ad Rupertum, non vero ad Valeramnum, directam sic contendit, ut a Ruperto perfectum quidem fuisse hoc opus *De divinis officiis* post Anselmi decessum, anno videlicet centesimo undecimo; sed ab eodem inchoatum, dum Anselmus viveret, scilicet ante annum millesimum centesimum nonum, demonstrare studeat.

Cum ergo singuli qui ecclesiasticorum scriptorum, et præ cæteris, Ruperti libros recensere studuerunt, et ipse Aurelius, cui tanti viri auctoritas ex libris *De divinis officiis* opponebatur, opus istud esse Ru-

(54) Lib. II De divin. offic., c. 21 et 22.
(55) Lib. III De divin. offic., c. 10.
(56) Lib. VII, n. 806 et 812, et ad an. Christi 1124-1145.
(57) Assert. quinta ad prop. tertiam, tit. 2.

(58) In vindiciis censur. Sorbon., pag. 41, et I parte orthodoxi adversus Jacobi Sirmondi Antirrhet II, pag. 561, et in partem secundam Antirrhet., pag 619 et 620.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

perti protestentur, quis illum ei non deputaverit, quod tot ei hac in re judices una voce adjudicant?

Parum sit quod cæteris sufficit geminum huncce Ruperti fetum illis exterorum vindicasse testimoniis, et eorum maxime qui Ruperti operum conscripsere catalogos, vel libros enumeraverunt. Quis illo conceptam sinu prolem abneget, qui illam amanter ut suam recepit, et ut suam fovet ac protegit? Quis opus hoc in Ruperti sinu conceptum, ex Ruperti fecunda mente editum certo non judicet, qui Rupertum opus istud ut suum protestantem, ut suum commendantem, ut suum dicantem, et ut suum defendentem advertit?

Rupertus opus istud *De divinis officiis* suum esse ipse declarat, ut suum ipse commendat, et tanquam suæ terræ fruges Deo dicat in pluribus aliorum suorum operum locis. Sed maxime in epistola ad Cunonem Ratisponensis Ecclesiæ episcopum hoc opus *De divinis officiis* inter sua primum vocat, unde et illud tanquam *primitias frugum terræ suæ* Cononi offert, seu potius, ut ipse loquitur, per manus ipsius dimittit in conspectu Domini. « Primitias frugum terræ, inquit Rupertus, quam Dominus dedit mihi, nunc offero secundum præceptum sanctæ ac mysticæ legis, dum præsens opusculum, quod de divinis scripseram officiis, diu expetitum mitto tibi, Cuno Pater mi, hactenus abbas cœnobii Sigebergensis, nunc autem pontifex Ecclesiæ Ratisponensis. Primitiæ namque sunt istæ cunctorum operum, quæ mihi a Domino provenisse gavisus es, » etc. « Hoc autem opus *De divinis officiis*, quod primum erat, » etc. Et insuper in eadem epistola sua ipse enumerans opera, illud primum describit. « Sunt autem, inquit, præsentium primitiarum libelli XII. » Tumque sua cætera subjicit opera, ut in ejus catalogo ex ista epistola supra posuimus.

Quantis vero Rupertus hunc librum commendaverit, suumque fecerit, discitur ex capite decimo tertio libri secundi, quem in Regulam sancti Benedicti conscripsit, ubi de hujusmodi opere sic loquitur: « In libro quem scripsi de sacramentis sive officiis, rationes hujusce observationis, *Cur loco Alleluia cantetur tractus* expressi, quas a multis libenter legi jamdudum comperi, et earum tanta et talis est altitudo sive profunditas, ut hic non breviter possint iterari. »

Nonne hoc uno collapsa ruunt omnia Oxoniensium, Valdensis, Vasquis et aliorum, qui in oppositum nitebantur, fundamenta? Nonne hoc uno Ruperti ejus ad opus *De divinis officiis* ita statuitur, ut non nisi gravi injuria Ruperto possit detrahi, quod ipse suum esse affirmat, et tanquam suum per manus pontificis dimittit in conspectu Domini? An plagiarium, an perfidum, an sacrilegum dicent religiosissimum Rupertum? Absit.

Nec uni duntaxat episcopo, sed et omnium Ecclesiarum capiti summo pontifici Rupertus hoc opus ut suum humiliter obtulit. Ipse enim in epistola ad summum pontificem inter alias suas, quas ibi recenset, elucubrationes, opus istud veluti sui laboris primitias, et omnium quæ scripsit operum caput iterum dicat: « Scripseram, inquit, et ante hæc omnia opusculum *De sacramentis sive officiis divinis* per circulum anni, distinctum libellis sive tomis duodecim. »

Igitur opusculum istud si non scripsit Rupertus, turpius sane et damnabilius quam Saphira, in suum caput, ne dicam in Spiritum sanctum mentitus est, alienas opes, ut suas, ad sancti Petri successoris pedes deferens, ut mendacio furto cumularet. Hæc si de sanctissimo Ruperto cogitare pia mens refugit, et opus istud ei subtrahere sana mens abhorreat.

Ipse sui hujus operis vindex est in libro primo *in Regulam*, qui et Ruperti *Apologeticus* dicitur. Cum enim invida mens æmulorum ex ejus libro *De divinis officiis*, quem nulla fraudis suspicione legendum uni studiose id roganti tradiderat, unam propositionem damnasset tanquam fidei et œconomiæ Verbi prorsus adversam; jamque fratres eruditi, ut ipse narrat (59), dirigerentur qui inquirerent an verum esset quod de ipso fama longe lateque sparserat, scilicet ipsum dixisse, ipsum scripsisse Spiritum sanctum de Maria Virgine incarnatum: quo Rupertus se vertit? quo confugit? an librum despicit unde suspicio?

Sed et uno ex Ruperti æmulis librum hunc proclamante hæreticum, imperito etiam populo eum deposcente et rapere festinante ad comburendum, Rupertus quid agit? An suum negat hoc opus? an dicit alienum? Hoc opus, si Ruperti non est, Rupertus suum putas asseret quod hæreticum, quod flammis tradendum rapitur? Si Ruperti non est, nihil ad Rupertum ista criminatio. Librum auctori suo dimittat Rupertus, et omnem a se depulit calumniam.

Suum tamen opus istud Rupertus asseruit vindex sui simul operis et suæ fidei: nec enim æmuli sui vel inscitiam, vel invidentiam tacitus dimisit, sed ejus inscitiam risit, et sprevit invidiam, ut initio hujus operis sumus prælocuti; sed, dum æmulum videt, inter opuscula quæ istius in ipsum odii erant seminaria, imprimis opus istud computat. « Locutus sum, inquit (60), imprimis opusculum *De divinis officiis sive sacramentis* per circulum anni distinctum libellis duodecim; materiamque pergrandem breviori quam oportuisset opere astrinxi. » Tumque cætera sua opera subjungit.

Verum et ipse liber suum prodit auctorem, proles parentem, fructus arborem. Nam libri secundi capite vicesimo tertio auctor se monachum profitetur his verbis: « Causa postulat quiddam *nostri ordinis*, *id est monachorum* non præterire proprium. »

Et libri septimi capite vicesimo quinto: « Istic recte et laudabiliter a *nostri*, id est *monastici ordinis* majoribus traditum est. » Expressius vero in libri octavi capite quarto monachus sub abbate Berens

(59) Lib. 1 in Reg.

(60) L. 1 in Regul.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gero, seu Berengario, in cœnobio S. Laurentii declaratur istius operis auctor anno millesimo centesimo undecimo, quo Rupertum in isto monasterio sub illo abbate degisse constat ex ejus ad Cunonem abbatem epistola : *Cuicunque fideli animæ ;* ex Reinero in Vita Ruperti ; et ex ipsâ Ruperti Operum superius a nobis deducta serie.

Hæc audiant Oxoniæ doctores, Valdensis, Vasquez et alii, suumque Valeramnum ab omni in opus istud jure dejiciant. Audiant a monacho compositum, quod ab episcopo Numburgensi editum coluerunt. Legant anno millesimo centesimo undecimo conscriptum, quod sancti Anselmi anno millesimo centesimo nono de medio facti temporibus, a Valeramno exiisse contendunt. Tandemque tot ipsiusmet Ruperti de isto suo opere testimoniis, quibus integra B debetur fides, plenissime convicti, Ruperto omni jure opus istud restituant, quod Valeramno, nullo juris titulo, sub levis duntaxat conjecturæ incerto adjudicaverè.

Nec prætereundum quod Joannes Picardus, Bellovacus, canonicus regularis Augustinianus, ut epistolam et tractatum *De altaris sacramento*, nullo reclamante, Anselmo vindicet, et ab eo ad Rupertum fuisse anno millesimo septuagesimo nono, vel sequenti transmissum probet, dicère cogitur priores saltem *De divinis officiis* libros, in quibus hominihil carpendum deprehendit auctor hujusmodi epistolæ, ante hæc tempora a Ruperto fuisse, rudiori licet Minerva, conscriptos, et ad Anselmum directos, donec ætatis processu a Ruperto perfecti Cunoni jam episcopo Ratisponensi dicarentur. C

Tota hæc Joannis Picardi fictio seipsa concidit : nec enim stare ullatenus potest quod Rupertus vix natus, si natus ante annum millesimum septuagesimum nonum, de divinis officiis scripserit. Stare non potest quod opus imperfectum Rupertus miserit ad Anselmum, qui non de incœpto, sed de completo labore Ruperto in epistola gratulatur. Stare non potest quod annis triginta duobus, ab anno videlicet millesimo septuagesimo nono ad annum millesimum centesimum undecimum, qui in hujusmodi librorum octavo notatus legitur, susceptum opus Rupertus diniiserit, dum nulla cum cura premebat. Stare non potest quod Rupertus ea ætate de divinis D officiis egerit, qui nonnisi exstincto Paschalis II et Guiberti schismate, illius nempe auctoribus Henrico III et Guiberto vita functis, in sacerdotem Domini unctus est; et Domino os illius, ut ipse enarrat, tunc aperiente, divina cœpit eloqui sacramenta, primumque illud opus *De divinis officiis* et duodecim distinctum libellis conscribere, quod propterea vocat *Primitias frugum terræ cui benedixit Dominus.* Stare denique minime potest quod ea quæ Anselmus, si sit auctor epistolæ *de sacramento altaris*, in hujusmodi operis capite corrigenda aut explicanda notaverat, Rupertus, dum operi illi manum ultimam dedit, castigatione spontanea emendare vel clariori explicatione illustrare detrectaverit. Stare itaque A debet hoc opus a Ruperto fuisse compositum eadem taxat ætate quam ipse in paschali cereo signatam descripsit, anno videlicet reparatæ salutis millesimo centesimo cum undecimo.

Quam Rupertus sacræ Scripturæ intelligentiam habuerit.

Ad verum nisi vero non pervenitur, a vero deflecti nusquam, qui a Spiritu Dei regitur, qui non nisi ad se, qui summa et prima veritas est, hominem ducit, et eum qui Ruperti fidem ab erroribus vindicandam suscepit, plurimum juvat, qui non ex proprio sensu, sed ex dono cœlesti, sacræ Scripturæ intelligentiam obtinuerit Rupertus. Non ergo donum istud cœleste silebo, quod de Ruperto testantur quotquot de Ruperto scripserunt.

Reinerus, monasterii Sancti Laurentii, in quo Rupertus a teneris educatus est, monachus, donum illud Ruperto superne infusum præ cæteris sic commendat, in libro *De viris illustribus* illius cœnobii : « Aperuit illi sensum Sapientia Dei, ut intelligeret Scripturas, ut tractaret de illis summa facilitate, summa utilitate. » Et aliquanto post : « Cui mos erat tam laudabilis, ut si quando minorem sibi adesse gratiam sentiret, humi ante Dominum sese adjiceret crucifixum, et a Sancto et Vero, qui habet clavem David, *quæ aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit*, peteret quod clausum erat aperiri. Humiliter quærenti, fideliter pulsanti, mox aperiebatur, dum luce intellectui superinfusa mirabili modo audiret quid loqueretur in ipso Dominus Deus : adeo enim se diligentem ditaverat, adeo thesaurum pectoris ejus repleverat, ut duo insimul, aut tres vix possent excipere scriptores quæ dictabat. Aspexerat aliquando in visu noctis Sapientiam Dei, Verbum Dei se deos colans; cujus scilicet totum existeret corpus quasi de auro formatum purissimo, a quo et fistulæ prominebant undique complures, quæ vivas cum impetu in illum aquas profundebant. » His Reinerus Ruperti gratiam prosequitur.

Ne autem suo adulatum cœnobitæ Reinerum suspiceris, quibus illius donum doctissimus Joannes Coclæus celebret, ex epistola ad Henricum abbatem Tuitiensem, accipe : « Talis ac tantus est auctor ille Rupertus, » cujus opera multo studio edi curabat, « ut lectorem non modo eruditat scientia, sacrisque in litteris exercitatum reddat, ac scribam doctum in regno cœlorum faciat, verum etiam ad pietatem accendat, ad sanctitatem vitæ præparet, ad divinum amorem inflammet : humiliter sapere, Ecclesiæ consentire, prælatos revereri doceat; decus profecto Germaniæ, doctor vere solidus, præclarus ecclesiasticus, qui cum veteribus quoque, tum Græcis, tum Latinis, in sacrarum litterarum explanatione haud immerito comparari posset. Quis enim ex omnibus aut diligentius, aut luculentius uberiusque scripsit in Evangelium Apocalypsimque Joannis? Quis sic verba omnia expendit? Quis sic omnia Scripturis declarat ac munit? Præclara quidem exstant monumenta Chrysostomi, Cyrilli, Augustini in Evange-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lium Joannis; verum tamen multa post eos, divina illuminatione adjutus, reperiit scitu digna Rupertus noster (quia Germanus). Is in Apocalypsim omnes omnium commentarios longe superavit. »

Trithemius suæ patriæ ordinique suo, sed et suo muneri defuisset, si inter ecclesiasticos scriptores suum nostrumque Rupertum, dono illo singulari inter cæteros prædivitem non exhibuisset. Unde in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* de Ruperto hæc scribit : « Rupertus abbas Tuitiensis cœnobii, juxta Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis, Spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus, et sæcularium litterarum non ignarus; monachus S. Laurentii Trajectensis, propter incredibilem eruditionem suam a Friderico Coloniensi archiepiscopo inde assumptus, et in abbatem Tuitiensis monasterii sublimatus, multa præclara opuscula composuit; ex eo siquidem tempore, quo cœnobium in juventute sua ingressus est, tantum se in Scripturis sacris exercitaverat, ut nec dormiens quidem a meditandis illis videretur posse quiescere, quin lingua et labia ejus quasi legendo moverentur. Claruit multa sanctitate, doctrina et miraculis coruscans. »

Iis, quasi in brevi tabella, Trithemius depinxit Rupertum; cujus doctrinam, fidem et sanctitatem pluribus exornat in oratione quam ad D. Gerlaci de Breitbach, abbatis Tuitiensis, vota de Ruperto habuit; quæ, quia prolixior est, et Ruperti operibus modo præmittitur, pauciora duntaxat exscribam, quæ cœlestem ipsius intelligentiam magis declarant. « Semper legit, inquit Trithemius de Ruperto, semper scripsit, semper oravit, ut orationem lectio susciperet, et oratio lectionem terminaret. Probant hoc accurata quæ conscripsit opuscula; in quibus omni modo scientiæ doctrina collaudatur. Cum autem esset adhuc minus eruditus tam in sæcularibus litteris quam in Scripturis divinis, orando continue et legendo, petivit a Deo cum Salomone donum Sapientiæ; nec ab oratione incepta [*supple* desitit] donec, Spiritu sancto per visionem inspirante, copiosissime, ultra omnes contemporaneos suos quod optaverat accepit. Erat autem beatæ Mariæ semper Virginis ardentissimus amator, cujus intercessione tantum sapientiæ munus obtinuisse creditur. Quantum in divinis Scripturis legendo profecerit, tredecim libri, quos *De victoria Verbi Dei* ad Canonem Sigebergensem abbatem edidit, liquido ostendunt. Scripsit etiam super Vetus Testamentum *De sancta Trinitate* opus egregium; quod si legere volueris, quid in Scripturis sanctis potuerit, facile videbis. Nam per divinam pietatem illustratus, tantum in exponendis sanctis Scripturis valuit, ut in omnium admiratione maxima habitus, doctor suo tempore doctorum sit publice probatus. Nescios docuit, errantes correxit, confudit hæreticos, superbos prostravit. Sicut olim apud Syros B. levita et monachus Ephræm a Spiritu sancto per visionem doctor ardens constituitur, sic Rupertus presbyter noster et abbas, eadem facultate illustratur. » Hæc Trithemius orans in Ruperti Tuitiensis laudem.

Sixtus Senensis, libro quarto *Bibliothecæ sanctæ*, præclarum etiam de cœlesti dono Ruperti habet testimonium : « Rupertus abbas Tuitiensis, juxta Coloniam Agrippinam, professione Benedictinus, natione Germanus, vir in divinis Scripturis, Spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus. »

Yepes in *Chronicis ordinis S. Benedicti*, ad annum Christi quingentesimum tricesimum sextum, dicit Rupertum abbatem Tuitiensem et doctorem illustrem in Ecclesia adeo floruisse, ut cum Paulo ad Galatas 1 dicere potuerit : « Neque ego ab hominibus accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. »

Gualterus in *Chronologia* ad annum millesimum centesimum undecimum, et Hugo Menardus in *Martyrologio Benedictino*, ad diem quintum Martii, de S. illo doctore tradunt quod, cum obtusioris esset ingenii, quam ut ullo labore ullove studio in re litteraria proficere posset, ad Dei Genitricem confugit; quæ Ruperti votis annuens, et ipsi apparens eo lumine intellectum ipsius illustravit, quod stuperet Germania, quæ in arcanis Scripturæ scrutandis alterum non haberet.

Ante hos omnes totam Ruperti laudem paucioribus, sed majoribus jam antea compleverat Honorius, Augustodunensis presbyter et scholasticus, qui in libro *De illustribus ecclesiasticis scriptoribus*, anno millesimo centesimo vicesimo quarto, paucis his sed sublimioribus Rupertum effert : « Rupertus, Tuitiensis monasterii abbas, Spiritu sancto per visionem illuminatus, totam pene Scripturam egregio stylo exposuit. »

Sic superinfusam Ruperto sacræ Scripturæ intelligentiam omnis ætas loquitur. Unus Bellarminus, de scriptoribus Ecclesiasticis scribens, illam tacuit. Laudibus enim eum efferre non debuit, quem erroris voluit insimulare. Centuriatores (61) illam quidem proferunt, sed ut illam rideant; donum enim illud, quod a Deo concessum Ruperto creditur, nugas reputant. At quis, nisi vel imperite vel imple, hoc quod in Ruperto agnoscunt et mirantur omnes, et quod ipsius scripta loquuntur cœlestis intelligentiæ donum videre potest? Blasphemant stulti quæcunque ignorant.

Non tamen ego cum Gualtero (62) et aliquibus (63) aliis facile senserim, Rupertum obtusi adeo fuisse ingenii, ut ad scientias prorsus fuerit ineptum. Quod enim isti post (64) Trithemium gratias proferunt, non gratis, sed multo jure rejicio, et ipsiusmet Ruperti de seipso testimoniis evinco.

(61) cent. cit.
(62) Loc. cit.
(63) Hugone Menardo loc. cit., Bucel. in Menologio, et Laune Benedict. *En la Vie du vénérable Rupertus.*
(64) in Catal. illust. viror. et in lib. De scrip. eccl. et in Chron. Hirsaug.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ipse enim, libro duodecimo *De gloria Filii hominis*, post medium, æmulos suos de suis magistris maxime, et de artium liberalium scientia jactabundos, quasi ipsis solis data sit, ut potentius componeret, suum in libris artium liberalium, et in disciplinis scholarium studium plurimum commendat; præ his omnibus tamen ducens Altissimi donum, quod vocat *visitationem* : « Ego, inquit, quamvis et ipse nonnullos in disciplinis scholaribus Patres habuerim, et in libris artium liberalium non segniter studiosus exstiterim, hoc profiteor quia visitatio ab Altissimo melior mihi est, quam decem Patres hujusmodi, » etc.

Huic Ruperti testimonio pro seipso dicentis, id unum adjicio, nempe Ruperto concessam non haberi nisi sacræ Scripturæ intelligentiam. Cætera B ergo Rupertum latuerunt? Undenam ergo linguam Græcam et Hebraicam apprime callui, ita ut ad Hebraicam veritatem in librum Ecclesiastici Commentarios ederet, et Hieronymi opus juxta Septuaginta interpretes, quasi mutilatum esse et informe deprehenderet ex ipsius iterata lectione ut ipse declarat in prologo ad hujusmodi Commentarios?

Rectius ergo de Ruperto Reinerus sensit, in libro *De viris illustribus cœnobii S. Laurentii*, in quo de Ruperto adhuc juniore scribit quod ingenium roborante memoria, cum scientiam adderet, adderet et laborem. Sanius et de ipso Trithemius sapuit, dum in Ruperti laudem perorans, ipsum in sæcularibus litteris adeo eruditum præfecat, ut quidquid Rupertus non cognoverit, alius facile ignoraret. « Erat C enim inquit homo undecunque doctissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, » etc. Rectius tandem et sanius Mathias Agricius Witlichius in Declamatione de Ruperto, dixit, « quod esset summo ingenio, summaque memoria præditus; coluerit eloquentiæ studia, sæculo plane barbaro et ab humanioribus litteris remoto. »

Hanc autem ingenii memoriæque Ruperti commendationem, nequidquam divino detractum muneri putas; quod non ad liberalia concessum fuit studia; sed ad facilem, promptam, puram, plenamque Scripturæ sacræ intelligentiam. Quæ, quia signum fuit cui ab ipsius æmulis contradiceretur, ipse Rupertus pro ea loquatur; ipse donum istud occultioris gratiæ, quam non capit qui non habet, palam proferat. Laus quidem sordescit in ore proprio, et mendax facile creditur qui sibi loquitur. At vero æternum latebit quod unus, qui accepit, cæteris potest aperire? Joannes reputabitur mendax, qui de se ipso testimonium perhibet, ut testimonium perhibeat Veritati? Paulum falsi redargues, qui suarum revelationum magnitudinem aperit, ut obloquentium ora confundat? Laus non vilescit etiam in ore proprio, si justa est, et in ejus, a quo omne bonum est, cedat gloriam; nec revinci aut rejici potest, sed debet admitti testimonium quod verum est, et quod A non tam sibi quam primæ summæque Veritati perhibetur.

Licet ergo Tuitiensi revelatis non illa debetur fides quæ Pauli et Joannis testimoniis, Rupertus fidenter de se loquatur, et ipsius de se loquentis audiatur testimonium, quod non ultro, sed renitens; non propria sponte, sed a Christi sacerdote jussus, imo et per tremendum Dei nomen adjuratus; non in sui laudem, sed in obloquentium correptionem; nec in sui sed in veritatis gloriam tandem protulit, scripto posteris tradens, quod non nisi Cunonis secreto et fidei commiserat.

Cuno episcopus Ratisponensis (65), ut narrat ipse Rupertus, iterum atque iterum a Ruperto exegit ut scriberet unde ipsi esset ista facilitas qua eum noverat Scripturas exponere fere sine præparationibus illis SS. Patrum, quibus in studiis Scripturarum laboraturi feliciter se præparaverunt, sicut Dei ministros, in vigiliis, jejuniis et cæteris bonis, quibus adhibitis clarificari solet sensus hominis, ut recto intuitu mereamur incedere per sanctas ac venerabiles Scripturas Veritatis. At cum nuda prece Cuno a Ruperto nihil obtineret, magnum nimis, et forte vinculum quo ipsum traheret, ut loquitur Robertus, collo injecit, scilicet adjurationem sancti ac tremendi nominis, per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum præcipiens ei ut hæc scriberet.

Pro tanti nominis reverentia Rupertus facultatem hanc interpretandi Scripturas fatetur esse Dei miserentis consolationem juxta beneplacitum sapientiæ ejus, et eam sic enarrat.

« Mœrens quippe eram atque amaro animo incedebam puer, sive adolescentulus, propter tyrannidem diaboli, qui aggravavit jugum suum super filios civitatis Dei viventis Hierusalem cœlestis, quos omnes in Adam comprehensos, in Babylonem in hoc sæculo nequam captivos abduxit, subditos peccato originali, reos mortis. Lamentando laudabam mortuos magis quam viventes; non qualicunque, sed gemituosa lamentatione, ac si jam vererer mihi accidisse illud quod in Evangelio dictum est: *Duo in lecto; unus assumetur, et alter relinquetur* (*Matth.* XXIV). Relictus sum, aiebam, ego solus, et quærunt animam meam, et cum hujuscemodi verbis cantilenam lugubrem, *Super flumina Babylonis*, frequentabam; *cum essem in medio captivorum, juxta fluvium Chobar*, aperti sunt cœli et vidi visiones Dei, vidi ipsum vigilans in cruce viventem Filium hominis; non corporali visu vidi, sed ut viderem, repente evanuerunt corporis oculi, et aperti sunt meliores, id est interiores oculi, cum tenerem in sinu atque complecterer crucem ligneam, et in ea imaginem ejusdem Salvatoris, sedens occultus, retro post sanctum altare, in quodam oratorio B. M. semper virginis, claro jam diluculo, multis eamdem imaginem defigens atque circumiens oculis, et adorans, ut solebam, frequenti demissione capitis. Solitus eram idipsum facere

(65) Verba sunt Ruperti in l. XII, cap. 26, De gloria Filii hominis, t. III, p. 680.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sed illo diluculo agebam in majore confractione, id est mentis humilitate. Qualis autem visus est aspectus ejus, humana hoc non potest lingua verbis comprehendere; tantumque dixerim, quia sensi breviter illic, quam veraciter dicat ipse : *Et dicite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI) quam veraciter Apostolus de ipso dicat, quia *exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V), vultus ejus miro, atque ineffabili modo sese demittens, quam reverentibus oculis accepta se habere significavit oscula adorantis, et adorationem osculantis. Nulla mora interfuit, et ad visum communem reversus, crucem quidem super altare loco suo restitui : Gustus autem quidam ineffabilis suavitatis ejus in ore animæ aliquandiu ipsa die superfuit, qui tamen paulatim recedens, tandemque deficiens, memorem adhuc facit me versiculi hujus : *Gustate et videte quam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et quid mirum si Veritas verum dicit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V), et consolationis primitias jam in isto sæculo Paracletus, id est consolator Spiritus, pueris suis dare dignatur? Dicam ergo gratias agens qualem deinde mihi fecerit consolationem perseveranti in illo cœtu captivorum dicentium : *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion* (*Psal.* CXXXVI). »

Hæc prima Ruperti visio, qui dum in his tenetur angustiis, ut cum Apostolo cuperet dissolvi, et esse cum Christo, alteram visionem sustinuit, quam ipse ibidem his dicit :

« Visa per idem tempus visione memorabili, plena verecundæ suavitatis, mœrens eram, meque somno dederam hora solitæ orationis; et causa mœroris erat, quia non tam cito, nec tanta, ut volebam, pax mihi provenerat de insurgentibus in me malignantibus; quasi unquam, dum vivimus, tuti vel securi esse possimus. Itaque mœrens quasi puer cujus voluntas non statim fit, somno me dederam hora solitæ orationis, cum ecce video semivigilans in ipso lectulo magnam lucem, velut solem, super me incumbentem, et audio sonans in ecclesia signum, ut fieri solet, dum statutam convocamur ad orationem. Surgere et ad orationem currere mihi visus sum. Fiat mihi secundum voces aut verba quæ audivi; canente uno conventu multorum, quos nescivi, in una parte ecclesiæ, psalmum quinquagesimum, *Miserere mei, Deus*, et alio conventu, in alia parte ecclesiæ, psalmum vicesimum sextum, *Dominus illuminatio mea*, stante maligno adversario contra me in angulo in ingressu oratorii; quem ut vidi, exprobravi, velut exprobrare solemus quempiam larvalem aspectum, signo totius faciei potius quam verbis; propter quod ille iratus contra me irrueret, somno illo tenui excitatus sum. Intelligere poteram quod pro consolatione hæc mihi fierent. Verumtamen illum quoque diem totum in mœrore transegi, et sequentis diluculi, sive antelucani hora (hic tertiam Domini visitationem, qua Scripturæ intelligentiam ipsi data est, et scribendi munus commissum, Rupertus enarrare incipit) oratione omissa, quam consueveram, somno cum tristitia me reddidi; cum ecce tenuiter dormienti, similiter ut pridie, visum est signum ad orationem commoveri; surrexi et ad ecclesiam cucurri : et ecce, quasi pro solemnitate Domini, multa ecclesiam compleverat turba diversorum ordinum, maxime autem monachorum, quodam venerandæ canitiei episcopo celebrante solemnia missarum. Multa ad offerendum quasi post evangelium, quando solet offerri sanctum sacrificium, ascendebat processio utriusque sexus personarum venerabilium; cucurri et ego quasi eleemosynam petiturus de oblationibus illis; et ecce juxta dextrum cornu altaris tres personæ stantes habitus valde reverendi et dignitatis, quantum nulla potest lingua verbis consequi. Duæ personæ multum antiquæ id est, valde canæ erant capitis : persona tertia ut speciosus astabat juvenis, regia dignitate ut ex vestitu ejus poterat agnosci. Una ex personis, ut dixi, venerandæ canitiei valde jucunda dignatione, ac sereno vultu manum meam apprehendit, meque osculata est, et pauca verba dixit, quæ quidem memoria non tenui, scio tamen quia pertinebant ad officium, vel ministerium scribendi. Ipse tres personæ grandi et pari statura æquales, me pusillum circumsteterunt, et aperto prægrandi libro, me superpositum eidem libro in sublime substulerunt. Quo facto, is qui me initio fuerat osculatus, confortans dignanter et familiariter, hæc locutus est : *Noli timere;* et designans super sanctum altare quædam sanctorum phylacteria auro fabrefacta, quæ vulgo dicimus feretra, *Adhuc enim*, ait, *eris melior quam ista sunt.*

« Visio hæc tam manifesta fuit, ut veraciter dicere possim quia *sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit* (*II Cor.* XII). Nam et cum adducerer ad videndum, scio me de lectulo exiliisse; et in ecclesiam cucurrisse recto et vigilantibus solito itinere; et completa visione cum personas illas abeuntes prosequi vellem, neque concederetur mihi, aspexi quod nudus et sine omni vestimento essem; et ob hoc festinius eo recurrens unde veneram, ubi lectulum attigi, confestim experrectus sum.

« De apertione libri, et de ratione quam persona illa dixit, aureas ostendens sanctorum memorias seu phylacteria, non opus est ut interpretationem faciam tuæ charitati, cujus de me judicium sæpe audierunt, et secuti sunt multi; quod vere Deus librum suum, id est, Scripturam sacram mihi aperuit; et multis sanctorum Patrum sententiis, quorum in sancta Ecclesia digne celebris est memoria, et velut aurum rutilat, aliquanto meliora dixerim. »

Denique quomodo inundantem Spiritum sanctum per visionem susceperit, ipse sic eloquitur : « Nox erat instantis diei quam Christiana religio nuncupat Caput jejunii, qua solet capita solemniter cinere conspergere : cum ego leviter dormiens videbar mihi quasi cum amico loqui quærente quid tantopere instarem ad quærendam seu inveniendam hu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

jusmodi rem, scilicet utrum hoc anno essem de vita migraturus, ego respondens dicebam esse, ut vere est, magnum negotium; cujus rei cum haberem desiderium propter multa quæ hic occurrunt pericula peccatorum, scirem tamen impensis majoribus opus esse, ut aliquatenus præpararer ad migrandum. Cum hæc talia dixissem, repente paululum semotus ab eo cui loquebar, video quasi cœlum desuper modice aperiri, atque inde quasi talentum lucidum substantiæ ineffabilis, substantiæ viventis, velociter ac dicto citius dimitti, quod meo illapsum pectori, magnitudine vel pondere suo me protinus somno excussit, auro gravius, melle dulcius. Miro atque ineffabili modo et circuibant inundationes, altera post alteram, et sese infundebant; donec tandem ultima infusio, veluti quoddam magnum flumen inundans, hoc mihi dabat intelligi, et hoc sentire me fecit, quod totum animæ vel cordis exceptorium plenum esset et plus capere non posset.

« Ecce in hoc obedivi nomini Domini per quod adjurasti me, venerande pontifex, ut scriberem tibi qualiter hanc acceperam facultatem in sanctis Scripturis, de qua nunquam dubitare voluisti quin esset ex gratia vel Spiritu Dei. Ita consolatus sum, et ita spes, quam dedit mihi in Verbo suo, me consolata est in humilitate mea, ut illud quod dixit dator ejusdem spei Christus Filius Dei, non dubitem mihi necidisse : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. .... Sit vena tua benedicta; lætare cum muliere adolescentiæ tuæ*; cum omni studio sive exercitio sanctæ Scripturæ consolationem habe. Hæc namque est illa altior sapientia, hæc est illa mulier quam tu in somnis uxorem me duxisse vidisti, natosque ex ea mihi filios complectebaris; quod utique facis dum scripta mea libenter legis. Jam quale initium fecerim, qualem vocem primam ediderim post illam, quam præscripsi, inundationem fluminis scribendo libellum hymnorum, in laudibus Spiritus sancti, non prætermittam; tu more solito sedulus audi : *Fluminis impetus*, etc.]»

Hæ sunt primitiæ donorum quas Spiritus sanctus in Rupertum adhuc juniorem effudit; in quo tamen necdum complebatur dictum illud, *sit vena tua benedicta*; necdum enim presbyteratus susceperat ordinem; nec dum legitimam, ut loquitur, acceperat oris apertionem. Interim vero, dum pavidus in corde suo meditaretur quomodo diem Domini posset prævenire, et in mente haberet dies æternos, ipsi dormienti somnus suavis irrepsit, in quo sibi intima verbi sensit aperiri per visionem quam ab illo disco.

« Videbam, inquit, stans coram altari, super ipso in medio stantem Dominicam crucem, et in ipsa Domini Salvatoris imaginem. Quem cum diligentius intuitus essem, agnovi ipsum Dominum Jesum ibi, crucifixum et viventem, oculos in me apertos habentem. Quod ubi perspexi, confestim inclinans faciem eo ad eum : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XI) .... Non satis hoc mihi erat, nisi in manibus apprehenderem amplexumque deosculerer; sed quid agerem? Altius erat altare quam ut eum attingere possem. Ut ergo hujusmodi cogitationem seu voluntatem meam vidit, voluit et ipse; sensi enim ego quia voluit, et nutu voluntatis ejus ipsum altare per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi quem diligit anima mea; tenui illum, amplexatus sum, eum diutius amplexatus sum eum. Sensi quam graviter hunc gustum dilectionis admitteret, cum inter osculandum suum ipse os aperiret ut profundius oscularer... Cum ad me reversus fuissem, et intra vigilias nocturnas visum hujusmodi suavissime retractarem, sicque interpretarer illam altaris et ipsius oris Domini Jesu apertionem, quod sacramentorum ejus profunda deinceps clarius intelligere deberem, interea paulatim amor illius sacerdotalis officii sese infudit, tantumque excrevit, ut mox die facto, dicerem Patri meo spirituali me non velle amplius reniti, imo velle ire cum primum juberet, et suscipere jugum Domini, causa tamen tacita quæ acciderat. Gratulatus est; et ut primum adfuit tempus ordinationis, hunc sacrum, licet indignus, ordinem suscepi. »

Quæ autem Rupertum prævenerat, ut ad sacrum presbyteratus ordinem eum præmoveret, Dei misericordia, ipsum etiam in Christi sacerdotio positum abundantius subsecuta est. Ex ipsius testimonio loquor : « Nec verò, inquit Rupertus, minore signo quam prævenerat Deus meus, misericordia mea, me in hoc officio subsecuta est. » Quæ autem abundantior ista misericordia fuerit, ipse sic exponit : « Non enim plus quam triginta dies transierant, cum ecce jacente me in lectulo, fere clauso jam die, cum vix oculos in somno clausissem, venit desuper quasi similitudo viri proni et æqualiter extensi, solum quam maxime faciem occultans; et in me demissa totam complevit animæ meæ substantiam, eo modo mihi impressa quem verbis exprimere nullatenus multo citius atque profundius, quam cera quævis mollissima sigillum fortiter impressum admittere possit. Verum dicere liceat, quia nisi illa repentina sanctæ voluptatis inundatio cito se continuisset, animam velociter in sua de corpore in modum torrentis abstraxisset; sed, ut dixi, cito substitit inundans illa vis amoris, paulatimque decessit. Ego autem ex tunc os meum aperui, et cessare quando scriberem nequaquam potui, et usque nunc etiam si velim, tacere non possum. »

Hæc Rupertum de se sibique concesso cœlestis intelligentiæ dono proferentem qui audit, ipsum sua insolentius jactantem forte putaverit. At qui in se gloriari prohibet, in Domino vult esse gloriandum. Nec sua, vel se, sed Dei bona Rupertus commendat. Tacebit hoc cœleste donum, quod ipsi concreditum est, et quod ipse solus scit? Nonne ingrato datum, a quo datum negatur? Sed et quid humanæ gloriationis est in his quæ Rupertus secreta diu tenuit, nec nisi jussus, nec nisi adjuratus sub tremendo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nomine Dei, pro adorandi illius nominis reverentia, et pro multa tuendæ veritatis repellendæque calumniæ necessitate prodidit?

Eam fuisse in Ruperto donum istud celandi observantiam mireris et religionem, ut Patri suo (66) spirituali, superinundantis Spiritus sancti tacita gratia, se ad suscipiendum jugum Domini in ordine sacro jam promptum esse protestatus sit, sed et etiam scribens in Cantica, illa verba, *dilectus meus misit manum suam*, etc., de supereffluente ista divinæ consolationis dulcedine; non suo, sed quasi alterius personæ nomine interpretatur.

Ea Ruperti in secreti sui revelatione modestia fuit, ut vix ipsi Cunoni, qui eum ad scribendum sæpius hortabatur, in aurem dixerit; et quasi amico, parce tamen, indicaverit, quod experimento didicerat de modo locutionis, quo dilectus sanctis et dilectis loqui solet animabus. « Vere non ausim, inquit (67), sed hoc tibi, o amice Cuno, qui et ipse me ad scribendum sæpe hortaris, in aurem dicere non sum veritus; et hoc dixisse satis sit, quia revera etiam si tacere, sive a scribendi studio cessare voluero, non valeo; et hoc non concedi mihi scio, et bene sentio : veracem esse didici. »

Dixeris ergo totam Ruperti artem, totumque Ruperti studium in eo fuisse ut hoc unum celaret quod ipsi a Deo donatum est; et hoc unum sileret, quod de ipso prædicabant cæteri.

Hactenus secretum sibi esse voluit quod non nisi jussus, non nisi adjuratus a Cunone, nec nisi tuendæ veritatis et fidei repellendæque calumniæ necessitate compulsus publicum fecit. « Nonnulli putantes, inquit, Rupertus (68), se probe illud facere quod in Job dictum est : *Sapientes confitentur et non abscondunt Patres suos, quibus solis data est terra; non transibit alienus per eos* (*Job.* xv), quondam afflixerunt animam meam, et attriverunt me sermonibus, et non minus quam decies confoderunt me (*Job.* xix), et non erubescant, opprimentes me, refragantem quibusdam sententiis quas proferebant a vero et recto sensu discrepantes; quas tamen a magnis et valde nominatis Patribus suis, id est, magistris suis, accepisse videbantur? Quos (69) videlicet Patres suos confiteri et non abscondere gloriosum arbitrabantur; quorum videlicet Patrum auctoritati, utpote hominum, quamvis sapientium, cum ego non cederem, meliusque et sanius loqui auderem secundum Scripturarum auctoritatem, o quanta indignatio, quanta exprobratio juxta hunc modum! *Quid tumet contra Deum spiritus tuus ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones? Sapientes confitentur et non abscondunt Patres suos* (*Job.* xv). Tui Patres ubi sunt? qui vel quales magistri te docuerunt? Secundum hæc et his similia non semel, nec paucis diebus, sed multoties, et aliquot annis me confoderunt, et sermonibus oppresserunt, donec perseverantiæ virtute, et Scripturarum auctoritate subnixus, obtinui victoriæ palmam; te tamen plurimum adjuvante, et testimonium perhibente, quod non ex tumore spiritus, non ex præsumptione proprii cordis, sed ex dono mihi accidisset gratiæ Domini, ex dignatione Spiritus sancti, fiduciam talem habere tractandi sanctarum Scripturarum sacramenta, et quod nullo modo facultatem hanc assequi potuissem nisi per Spiritum bonum, de quo vel a quo bona cuncta procedunt. »

Sic Rupertus divinum intelligentiæ munus opponit suis oblocutoribus, qui sensu dicebantur humano : sic magistrum gloriatur habere Deum, ut obtrectatores, qui ipsius scripta, ac si nullius auctoritatis, despiciendo convellebant, et in suorum magistrorum verba inscite jurabant, potentius comprimeret. « Unde scis, improperabant ejus æmuli (70), quod a facie Domini conceperis; ut illa, quæ scripsisti, quasi parturiens loquereris? » Quo Rupertus os ipsorum potuit fortius contundere, quam cœlestis, intelligentiæ dono, cui terrestris animalis, et diabolica sapientia cedat necesse est. Nec dum tamen secretum suum prodere voluit; sed silentii modestia eorum voluit insolentiam compescere; « at hæc, inquam, secretum meum mihi, secretum meum mihi. » Anne silentium istud fidei suæ et veritati, ac etiam divino huic muneri inferat injurium? adversus ipsum tot infrementibus æmulis, suæ fidei et doctrinæ veritatem his probat : « Defensa est Thamar testimoniis congruis, *De viro*, inquiens, *cujus hæc sunt, concepi; cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus* (*Gen.* xxxviii). Cognosce et tu si vis, utrum necne sit in scriptis meis annulus fidei, baculus spei, armilla charitatis; et dicentem audi animam meam, *de viro cujus hæc sunt concepi*. Nam et aliquid recolo in me sensibiliter factum, ut indubitanter dicam quia datum hoc sive donum, desursum est descendens a Patre luminum. » Hac una divini muneris auctoritate in Rupertum obmurmurantes contineri poterant.

Tandem vero, ne, quam comprimere debuit munus illud cœleste, invidiam moveat, Rupertus, ubi suas enarravit visiones, exorat (71) ut « quisquis ista legerit, non quasi insipientem subsannare, sed quasi mœsti parvuli causæ compatiens attendere velit. » Si enim Rupertus in Domino gloriari voluit, non fuit insipiens; veritatem enim dixit, quam et isto juramento firmavit : « Si veritatem dixi, si nihil horum de corde meo finxi, turris fortissima sit mihi nomen Domini per quod adjurasti me, Pater et domine mi. » Quasi diceret : Sic est, et sic me Deus

(66) Ut refert lib. XII c. 26, De gloria Filii hominis.
(67) Ib. VII De gloria Filii hominis.
(68) Lib. XII, c. 26, De gloria Filii hominis.
(69) Contra quos scripsit lib. De voluntate et omnip. Dei et Apologeticum, qui est primus liber in Regul. S. Bened.
(70) Ut refert in lib. I in Regul S. P. nostri Bened. sub finem.
(71) Lib. XII De gloria Filii hominis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

adjuvet. Quæ vim habent Juramenti, quo Berengarius suos ejuraverat errores.

Firmum igitur stet illud Ruperti de cœlesti hoc divinæ sapientiæ perfectæque sacrarum Scripturarum intelligentiæ dono testimonium; quod non humanæ gloriationis typho, sed ex obedientia, quia justus; sed ex religione, quia ab episcopo adjuratus; sed ex fidei et Scripturæ observantia, quia tuendæ veritatis et fidei necessitate coactus Rupertus prodidit, scripsit et juramento firmavit.

Firmum, inquam, stet illud quod tot præcitati auctores multa fide multaque ratione de Ruperto protestati sunt; ipsum videlicet divino illustratum lumine Spiritus sancti unctione edoctum, et verbi Dei instructum sapientia, Scripturas sacras exposuisse. Hæc autem si firma stant, qui stare potest Rupertum non solum Scripturæ intelligentiæ non esse consecutum; sed ipsum Scripturas traxisse in sensus erroneos; hæretica docuisse et Scripturis adversa? Quæ societas lucis ad tenebras, veritatis ad mendacium, Spiritus Dei ad errorem?

Ex illa ergo superinfusa Ruperto sacræ Scripturæ intelligentia, quam pura Ruperti fides, quam sana Ruperti doctrina, et quam ab ipsa alieni sint errores, quos Ruperto non pauci affingunt, quis non præjudicet? Stupes forte quod Ruperto, cui Deus aperuit sensum ut Scripturas intelligeret, errores affingi dixerim, a quibus vindicandum suscipio.

Ne igitur is videar qui bella fingit, ut de hostibus qui in re nulli sunt, facile victis, ficti certaminis nullo vulnere palmam obtineat: plures qui Ruperti fidem impetierunt, verba ipsius in diversos errores vi trahendo, tibi proferam; et hosce qui Ruperto tribuuntur, errores exponam, a quibus ipsum tandem vindicabo.

APOLOGIÆ PRO RUPERTO ABBATE TUITIENSI

PARS ALTERA.

AB ERRORIBUS RUPERTUS VINDICATUR.

Primus est, in corporis et sanguinis Domini sacramento non esse nisi corporis et sanguinis figuram, et umbram. Hunc sensum Wiclefus ascribit auctori librorum *De divinis officiis*, quos Ruperto asseruimus.

Alter, verum Christi corpus non nisi a dignis seu fidem habentibus manducari. Hujus erroris noster Tuitiensis arguitur a Bellarmino libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, ad Rupertum, observatione secunda. « Intelligit, inquit, Bellarminus, permanere (Partum Virginis) in hominibus per fidem, non reipsa. » Et a Vasquesio in 3, d. 80, c. 1, ubi de Ruperto inter cætera hæc scribit: « Tandem docet auctor librorum *De divinis officiis*, impios homines in communione solum accipere corpus panaceum (id est substantiam panis), pios autem utrumque sumere, id est panem et corpus humanum Christi. »

Tertius error qui Ruperto tribuitur is est quem modo sequuntur Lutherani, panis scilicet et vini substantiam non converti in corpus et sanguinem Christi, sed cum pane et vino in sacramento verum Christi corpus et sanguinem esse. Hunc impanationis errorem Ruperto affingunt Bellarminus, Vasquez et alii recentiores; ante ipsos vero Valdensis; et ipse Joannes Parisiensis, si Valdensi credimus, putabat auctorem librorum *De divinis officiis* in ea fuisse sententia, quæ assereret « in eucharistia post consecrationem manere plura corpora et supposita; alterum panis, alterum Christi; et ita Christum esse impanatum, ut sola habitudine Christus pani esset conjunctus, sicut vesti. » Idem de Ruperti fide nuperrime scripsit (72) Claudius his verbis: « Ny Anastase, ny Damascene, ny Ruperto n'ont jamais enseigné le changement de substance, » etc.

Quartus tandem est ita in sacramento panem et vinum cum corpore et sanguine Christi remanere, ut panis et vinum unita sint hypostatice Verbo, et unionis istius virtute unum fiant corpus cum Christi carne et sanguine. Hunc impanationis hypostaticæ errorem, ut Ruperto proprium denotat Bellarminus his verbis (73): « Error Ruperti in eo situs est, quod existimavit non converti panem in corpus Christi, dum conficitur eucharistia, sed assumi a Verbo Domino, quemadmodum assumpta est humanitas. » Et Vasquez diversos errores adversus sacramenti eucharistici veritatem proferens, sensum ponit: « quem, ut ait, recentiores scholastici, tanquam primo auctori communiter ascribunt Ruperto abbati Tuitiensi, nempe panem in eucharistia manere simul cum corpore Christi, unitum hypostaticæ Verbo Domino, sicut est ipsa humanitas. » Sed et addit id erroris haberi in Ruperti Commentariis in Joannem; nec dubitari posse Rupertum erroris istius primum esse auctorem, cui constiterit ex ipso opus *De divinis officiis* prodiisse. Novissime tandem Claudius (74) Rupertum id sensisse pro comperto

(72) *La Reponse au 1er Traite de la perpétuité de la foy de l'Euchar.*, pag. 28 et 29.

(73) Hanc Bellarmini censuram minus provide secuti sunt Valerus Andræas in sua Bibliotheca Belgica ad Rupertum; Possevinus in Apparatu Theoph. Rayn. in Syntaxi primæ partis opuscul. S. Anselmi et alii recentiores.

(74) Lib. cit. et infra *en la Reponse au IIe Tr.*, pag. 281.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habuit : « Il est évident, inquit Claudius, que Rupert qui semble avoir suivy Damascene, est dans cette opinion (de l'assomption du pain) et qu'il l'a clairement enseignée. »

Quatuor igitur numerantur errores, figurativæ nempe præsentiæ corporis et sanguinis Christi in sacramento ; manducationis illius per fidem ; impanationis ; et hypostaticæ unionis panis et vini cum Verbo ; quibus theologorum vulgus præcipiti cæcaque sententia purissimam sancti Ruperti fidem infecit, et a quibus ipsum nos æquiori censura expurgabimus.

Rupertus Tuitiensis ab omni errore vindicatur.

Huic theologorum vulgo, a quo Ruperti, ut putantur, errores temere denotatos vidimus, satis sit opposuisse tot adducta celebrium scriptorum et theologorum illustrium, videlicet Honorii Augustodunensis, Trithemii, Reynerii, Joannis Cochæi, Sixti Senensis, Nicolai Sanderi, et aliorum hujusmodi testimonium de intemerata Ruperti fide, de sana ipsius doctrina et de cœlesti in sacris Scripturis exponendis intelligentia.

Quis enim istorum vel nævum aliquem in doctissimi Ruperti operibus notat? Imo quis ipsorum sancti illius doctoris scientiam et scripta non commendat ; et maxime libros *De divinis officiis*, ex quibus, ut plurimum, Ruperti errores ejus æmuli tentant educere. Ipsos eximie laudat Albericus (75) hoc uno verbo : « *Ropertus seu Rubertus prior S. Laurentii Leodiensis, qui scripsit librum famosum* De officiis divinis *per annum et multa alia.* Equidem scio nomen istud *famosum* in malam partem sæpe verti ; sed et scio in benam esse vertendum, cum auctor aliquis celebratur.

Ipse Coclæus, veritatis catholicæ adversus Lutheranos acerrimus propugnator, luci restituit illa Ruperti Opera *De divinis officiis*, et *commentarios in Joannis Evangelium*, in quibus Rupertus Lutheranorum errores prædocuisse a censoribus minus æquis fertur ; sed et ex istis operibus Coclæus amplissimis Ruperti fidem et doctrinam laudibus exornat in epistola ad Henricum abbatem Tuit. an. 1526, ut supra produximus. Qui autem credi poterit fortissimus fidei contra impias Lutheri novitates defensor, in summam catholicæ fidei ruinam edidisse sub catholici doctoris nomine ea opera quæ Lutheri prædicarent errores et defenderent?

Dixeris ergo Coclæum vel omnino cæcutiisse (quod perspicax uterque, fidei scilicet et doctrinæ, ipsius oculus dixisse prohibet) vel in Ecclesiam dire sæviisse ; dum ista Ruperti opera Lutheri errores præcinentia emisit in publicum. Sincera tanti doctoris fides, et ardens fidei adversus Lutherum zelus, ut hoc de Coclæo vel cogitemus non sinit. Verius ergo dixeris et æquius judicaveris, nullum istis Ruperti operibus errorem haberi ; et nil nisi catholicum a Ruperto scriptum esse, quem sat laudasse putat Coclæus, dum eum *ecclesiasticum* dicit.

Istis adjice maximum Friderici Coloniensis archiepiscopi ; et Cononis episcopi Ratisponensis in evolvendis Ruperti operibus studium, nulla unquam ullius erroris suspicione suborta ; adeo ut non solum Ruperti scriptis toti incumberent, sed et pro scribendis sollicite instarent, ut ex prologis ad librum *in Apocalypsim*, ad librum *De gloria Filii hominis*, ad librum *De victoria Verbi*, et ad librum *De processione Spiritus sancti*, et ad alios videre est.

Adjice quis, etiam dum viveret, Rupertus diceretur ; omni morum et doctrinæ sapientia insignem eum vocat, qui (76) ab eo quærit de læsione virginitatis. Adjice quod Cononi Ratisponensium antistiti opus *De divinis officiis*, ubi error, si quis sit, tanquam primitias frugum terræ, quam dedit ei Dominus, cum aliis suis operibus *in Exodum*, *in Joannem*, etc., Rupertus obtulerit, ea proferens adversus eloquentes æmulos tanquam sinceræ suæ fidei testimonium (77).

Verum et ipse summo pontifici opusculum istud *De sacramentis, sive de divinis officiis* distinctum libellis duodecim, cum *Commentariis in Exodum et in Joannem* et aliis operibus dicat, « ea existimans et existimari cupiens, inquit, tanquam ligna quibus nutriri possit ignis charitatis sive amoris in altari Domini, in corde cujuspiam legentis, sive audientis, et legendo, sive audiendo cupientis proficere in dilectione nominis Domini. » Libereque scribit in sua ad Romanum pontificem epistola ; quod « semper licuit semper licebit unicuique dicere, salva fide, quod sentit. »

Qua fronte Rupertus ista Romano pontifici effutisset? Qua fide, ut sua asseruisset, et Romano pontifici dicasset, tanquam divinæ charitatis incentiva, illa opera quæ Berengarii hæresim novissime a sede apostolica damnatam et profligatam tot libris totque paginis doceret, *in Exodum* scilicet, *in Evangelium Joannis*, et *De divinis officiis*, ex quibus Bellarminus et Vasquez supra positos errores Tuitiensi deputant. Alius a me, et a quovis prudenter catholico, credet piissimum Rupertum omnem frontem exuisse, ut ista proferret : et omnem fidem abjecisse, ut, quam damnatam noverat, Berengarii hæresim renovaret, et Romano pontifici impudentissime sisteret.

Parumne hæc, quæ plus quam satis sunt ad revincendas recentiorum theologorum adversus Ruperti fidem et doctrinam impugnationes? Frementes æmuli ne quidem in illius opere *De divinis officiis*, nihil quod mordax eorum carperet invidia circa angustissimum corporis et sanguinis Christi sacramentum intercipere potuerunt ; qui tamen id omne quod minus catholice dictum ipsis visum est, palam damnaverunt, Ruperti doctrinam proclamantes hæreticam

(75) In magno Chronico.
(76) Rup. in l. De læsione virginitatis.
(77) Ep. ad Cun. episc. et in Apolog.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Hoc uno sincera Ruperti fides astruitur, et ab impetatis vindicatur erroribus, ut ipsa, quæ Ruperti fidem impugnavit, propugnet invidia. Rem magis aperio. Cum Rupertus, eorum qui Deum æque velle malum culpæ, ac bonum virtutis docebant, errorem acerrime confutasset, ipsi instantius Ruperti scripta scrutati sunt, desiderantes reperire aliquid quod jacerent in ipsum pertinens ad contagium cujuslibet hæreticæ maculæ, in vindictam opprobrii quod per ipsum injectum sibi querebantur in illa controversia de voluntate Dei (78). Tandem se aliquid scrutando invenisse sibi visi sunt, et ad horam hostiliter gaudere cœperunt eo quod dixerit de tenebris creatos esse angelos; quod dicebant manifestam hæresim esse. Quod tamen Rupertus Scripturis sacris prorsus consonum demonstrat. Unus etiam prælatus et prædicator, sed fere nunquam subditus sive auditor, ut Rupertus loquitur, amice, quasi pro studio legendi, præstari sibi a Ruperto expetit aliquid de opusculis ipsius; qui præstitit illi opusculum *De divinis officiis*. Accepit, abiit, legit quantum et quandiu voluit; et ecce librum proclamat hæreticum, flammis exurendum. Undenam putas? An quia transsubstantiationem negavit? An quia Christi corpus ab impiis non manducari docuit? An quia Christum panaceum seu impanatum dixit? An quia panem hypostatice unitum Verbo tradidit? Nullo istorum is liber proclamatur hæreticus. Nullo istorum dicitur flammis exurendus. Unum hujusce libri capitulum æmulus iste rudiori populo ingerit, et singulis, quasi ingemiscendo, insusurrat quod in eo Rupertus hæreticam dedisset propositionem. Quam? An quod Christi corpus et sanguis, non nisi umbratice et figurative sint in sacramento? An quod Christi corpus et sanguis non reali, sed fidei duntaxat manducatione percipiatur? An quod cum Christi corpore et sanguine simul panis et vinum posita maneant? An quod panis et vinum in sacramento uniantur hypostatice Verbo? Nullam hæreticarum hujusmodi propositionum Ruperto ascripsit; sed unam hanc, quod Spiritus sanctus de Maria virgine esset incarnatus. Ex ea sola Ruperti fidem mens invida traducere potuit exclamans « quod idcirco periret mundus, quia talia scriberentur (79). »

Hujus autem calumniæ quanta esset vel malitia vel inscitia, ex ipsis Ruperti verbis, omnibus sic innotuit, ut iste commentator de aperta mendacii iniquitate convictus cesserit. Utinam et argumento ab ista calumnia ducto, ii qui censent Rupertum Lutheranis prælusisse, in eo maxime opere *De divinis officiis*, convicti et iniquioris censuræ suæ pudore suffusi, veriora magisque catholica de Ruperto sentiant; ubi adverterint perstrepentem æmulorum invidiam nihil in Ruperti operibus, ne quidem in illo *De divinis officiis* libro, adversus eucharistici sacramenti veritatem offendisse in quod irrueret.

Ruperti errores, si qui fuerint, non eos fugerunt qui ut illum caperent in sermone, verba ipsius dolosa statera appendebant. Ruperti nomini parcere non erat mens iis qui in Rupertum ardentes novum confixerant errorem, quo ipsum proclamabant hæreticum. De istis ergo contra corporis et sanguinis Christi sacramentum erroribus Rupertum, ut quid in judicium non vocavere, si ullius ex ipsis vel tenuissimam umbram Ruperti scripta, præferunt? ea haud dubie ætate planiorem sanæ fidei intellectum habebant ipsa loca, quæ ad sensus hæreticos posterioris temporis censura detorsit.

Majori ergo, si non invidia, saltem temeritate recensiores in Ruperti operibus errores arguunt, quos nec mordacior invidia in illis carpere potuit; sed quos sagacior intelligentia novit a Ruperti mente, doctrina et fide prorsus alienos. Quandoquidem vero nostrum Tuitiensem ab errore omni liberum indefinite demonstrasse, minus est ad integram ipsius defensionem; Rupertum a singulis, qui ipsi imputantur, erroribus sigillatim vindicabimus.

Rupertus ab Umbraticorum errore defenditur; Nec usquam eucharistiam esse corporis et sanguinis Christi figuram sensisse, aut docuisse; imo hunc errorem impugnasse; et corporis et sanguinis Christi veritatem sub panis et vini speciebus asseruisse et propugnasse demonstratur.

Wiclefus, ut errori suo larvam induceret, mendaciter finxit orthodoxum librorum *De divinis officiis* auctorem, quem Rupertum astruximus, corporis et sanguinis Christi sub panis et vini speciebus abnegasse præsentiam; nec nisi panem et vinum in Eucharistiæ sacramento censuisse: adeo ut ipsum nihil ei aliud sit quam corporis et sanguinis Christi typus et figura.

Impium istud Viclefi mendacium confutare religionis est, ne ad doctores catholicos hæretica sua dogmata transferens, catholico nomine incautis illudat; et primam hanc adversus Ruperti fidem, depellere calumniam, Christiana justitia jubet; quæ ab Ecclesiæ unitate et sinu eum divelli non patitur, qui ipsius veritatem propugnavit et sensum.

Unde Ruperti damnatur fides, inde absolvitur; et ex eo quo adversus ipsam corrupta, ex ipso pro ipsa sincera proferuntur testimonia. Ex opere *De divinis officiis* Rupertum primi istius erroris arguunt; ex ipso catholica Ruperti fides de corporis et sanguinis Christi veritate sub panis et vini speciebus astruitur.

In libri primi sexto capite, Christus suis portatus in manibus Testamentum scripsisse dicitur: « Vespere, inquit, Dominus panem et vinum assumens, et veritatem sui corporis et sanguinis repræsentans, suis portatus in manibus Testamentum scribit suis hæredibus humilitatem scilicet et charitatem. » Et capite decimo septimo, de ministerio altaris agens, et veritatem a signo distinguens, ait: « Quod in Veteri Testamento promissum, præsignatum et a longe salutatum, in Novo autem datum, revelatum, et palam est factum; hic præsentialiter exhibetur, non in

(78) Verba Ruperti in Apologetico.

(79) Ut Rupertus conqueritur in Apologetico.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

umbra, sed in veritate, non in figura, sed in re. Hic illud agitur, in quo noster David insanire videbatur regi Achis, quando tympanizabat pendens in cruce, et impingebat ad ostia civitatis, id est ad conclusa corda non credentis sibi; quando ferebatur in manibus suis, tenens panem et vinum, et dicens : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, *Novum Testamentum*, » etc.

Id fusius prosequitur in libri quinti capite decimo nono *De divinis officiis*, ubi illud psalmi tricesimi tertii, *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, ea expositione illustrat. « Sumptum est hoc de psalmo tricesimo tertio, cui titulus inscribitur, *Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et ferebatur in manibus suis, et dimisit eum, et abiit.* Est autem celeberrimum in Scripturis sacris, et jam a nobis dictum, David, id est *manu fortem et desiderabilem*, qui fugiens persecutionem Saul venit ad Achis, qui hic appellatur Abimelech, et coram illo immutavit vultum suum et ferebatur in manibus suis, significasse Dominum Jesum qui coram Abimelech, quod interpretatur *patris mei regnum*, scilicet coram Judæis, immutavit vultum suum, id est sacrificandi ritum, quando immolato jam Paschæ veteris agno, sumens panem et vinum ferebatur in manibus suis, dicens : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS. Hoc autem hac remissionis et gratiæ die (feria quinta in Cœna Domini qua pœnitentes Ecclesiæ reconciliantur) factum est. Cum ergo tantus Pontifex Deo Patri assistit, tenens panem et vinum, et invitat omnes ad corporis et SANGUINIS sui convivium, » etc.

Quandonam autem Christus in suis manibus ferebatur, nisi quando panem et vinum assumens, ea in verum corpus suum, et suum sanguinem transtulit, panem carnem propriam effecit, et vinum verum sanguinem, ista elementa transmutans virtute verbi quo dixit : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, ut ipse Rupertus exprimit pluribus in locis infra proferendis ?

Quandonam Christus suis portatur in manibus, nisi, ut Augustinus eadem mente qua Rupertus, eadem psalmi tricesimi tertii verba explicat, quando commendans ipsum corpus suum ait : Hoc EST CORPUS MEUM ? « Ferebat enim illud corpus in manibus suis (80). *Et ferebatur in manibus suis;* quomodo ferebatur in manibus suis ? Quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodam modo cum diceret : Hoc EST CORPUS MEUM (81). »

Quid ergo ? Veritatem corporis et sanguinis Christi in sacramento negat, qui corporis et sanguinis illius rem seu veritatem ab prioris Testamenti figuris et umbris separat ? Verum Christi corpus et sanguinem a sacramento dividit, qui verum corpus et sanguinem Christi, ut fideles norunt, cum Augustino adorat in Christi manibus : qui seipsum suis manibus ferens, non figuram, non umbram, sed sui corporis et sanguinis veritatem ferebat, et discipulis exhibebat, dicens : Hoc EST CORPUS MEUM.

Unum istud ex hujusmodi opere testimonium si fidei faciendæ non sufficiat, quod probatæ tamen est fidei ; alterum ex libro secundo, capite secundo profertur, in quo Missæ offerendam, seu, ut vocant, offertorium explicans, expressis verbis profitetur quod « panis et vinum in VERUM CORPUS et SANGUINEM Domini transferuntur. »

Sed et eos infidelitatis damnat, qui in isto sacrificio præter panem et vinum nihil amplius intuentes, cum dicitur eis corpus et sanguis Domini est, murmurant, dicentes : « Quomodo est ? » Quod ipsorum murmur comprimit, eos edocendo quod « si sacerdos Verbi flumen super panem et vinum effuderit, Verbum Dei statim de S. altari panem et vinum in CORPUS et SANGUINEM suum transferenda suscepit. » Quod unum et idem corpus de Maria Virgine et de altari sumitur. Denique « quod unum corpus est, et quod de Maria genitum in cruce pependit, et quod in S. altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini. » Hæc sane sensus evidentioris sunt, quæ dubiæ alicui interpretationi subjaceant. Hæc probationis fidei, quæ erroris Umbraticorum vel umbram patiantur.

Non minus probata, nec minus expressa sunt, quæ in quinto ejusdem libri capite leguntur. « Feria quinta, inquit, jam agone propinquo, Testamentum suum scribit hæredibus suis, consignans eis thesaurum corporis et sanguinis sui. Vere vivo flumine Verbi divini, super panem et vinum confluente, tam veram divinitatem, veramque humanitatem Christi in cœlo sedentis et regnantis excipimus, quam veram substantiam ignis a sole supposita crystalli sphæra exigua, fere quotidie mutare possumus. » Hæc Rupertus. At non corporis thesaurum Christus nobis consignat, sed illudit qui solam corporis figuram et umbram tradit. Quod absit a Veritate, quæ, cum nusquam mentiri aut illudere possit, corporis thesaurum dum nobis consignare se dicit, rem ipsam corporis, qua ditemur, non umbram qua illudamur, suæ consignasse Ecclesiæ credenda est. Si tam vere Christi humanitatem, quæ in cœlo est, in sacramento excipimus quam vere ignis substantiam crystallo, in ipsius Ruperti sententia, quid dubii est Rupertum sensisse et docuisse veram Christi humanitatem, eamque ipsam quæ in cœlo sedet et regnat, re ipsa esse in sacramento ?

His adjice libri II capitis decimi sexti verba, quibus Rupertus ritum fractionis hostiæ, quæ fit a sacerdote dicente : *Pax Domini sit semper vobiscum*, ea explicatione dilucidat : « Interim tenens sacerdos corpus Domini, quia cognitus est in fractione panis, tripartita fractura suam sanctæ Trinitati assignat hostiam ; particulamque unam, quæ personam innuat Filii, sacro sanguine demissam inmergit. »

Quis ad hæc omnem de Ruperti fide suspicionem,

(80) Concio in psal. LXIII.

(81) Aug., concio 2, 3, in eumdem psal.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

si quam ex falso rumore conceperat, ultro non deposuerit ? Corpus Domini teneri sacerdotis manibus hostiæ particulam sacro sanguine tingi et immergi quis audiens, non corpus sed umbram, non sanguinem sed figuram in sacramento demonstrari judicet ? sibi ipse igitur et aliis imponit, qui figuræ errorem Ruperto imponit.

Si tamen nec istis hujusce calumniæ injuria cesserit, audiatur ipse Rupertus hocce figurativæ præsentiæ corporis et sanguinis Domini in sacramento commentum impugnans, et solius signi rationem evertens ex ipsius Domini Verbis. In capite vicesimo secundo ejusdem secundi libri hæc habet : « In eo quod consecratur, nec ipsum individuum corpus Domini significat : Dominus enim non hoc significat : sed, HOC EST CORPUS MEUM, inquit. »

Quid hæc cum Wiclefo, Calvino et cæteris in sacramento solam corporis Christi figuram docentibus? Quid his adversus Impium istud dogma, pro corporis et sanguinis Christi veritate in sacramento validius et expressius? Quid SS. Patribus, Cyrillo Hierosolymitano (82) et aliis, ex hisce Christi verbis hanc veritatem nos edocentibus, magis consentaneum ? Quid ergo cum illis signum et figuram magis destruit, et corporis et sanguinis Christi veritatem in sacramento magis astruit, ne mendacio, calumniæ, vel errori natus, qui ista perlegens, hujusce *De divinis officiis* operis auctorem corporis et sanguinis Domini veritatem in eucharistiæ sacramento non solum non asseruisse, sed negasse dixerit aut senserit.

Alia superaddere superfluum ducerem, nisi alia me regula doceret quod abundantia juris non vitiat. Evolventi itaque librum sextum *De divinis officiis*, in capite vicesimo tertio, *De Parasceve*, ista occurrunt : « Salutata cruce duo presbyteri deferunt ad altare corpus Dominicum ; elevato calice cum corpore Domini, dicitur : *Per omnia sæcula*, » etc. Quem ritum mystice sic interpretatur : « Nunc illud dicendum est duos presbyteros, qui corpus Domini ad altare deferunt, significare Joseph, » etc. Nos autem cum silentio communicavimus, « sed sanguis ille quem sumimus, ad Deum de ore nostro clamat, » etc. Tandemque in capite decimo sexto ultimi libri dicit quod « per cibum corporis et potum sanguinis sui, Christus procurat vitam et incolumitatem animabus spiritualium filiorum. »

Siccine Wiclefus, siccine Calvinus et alii Umbratici usquam de Christi corpore et sanguine in sacramento locuti sunt ? Siccine loquitur, qui corporis et sanguinis Christi veritatem in altari negat, et nonnisi corporis et sanguinis umbram agnoscit ?

Qui scribit corpus Dominicum ad altare deferri ; qui elevari calicem cum corpore Domini observat ; qui sanguinem illum, quem in altari sumimus, ad Deum de ore nostro clamare nos admonet, alludens ad illud de sanguine Abel : *Sanguis fratris tui clamat ad me terra ;* qui porro per cibum corporis et potum sanguinis Christi veritatem in altaris sacramento sensit et asseruit ? Quibus pressioribus verbis Sancti Patres hujusce sacramenti veritatem nobis tradiderunt ? Calumniatorem ergo pudeat calumniæ suæ ; nec sanam operis istius *De divinis officiis* doctrinam, auctorisque illius catholicam fidem amplius proscindat.

Ex isto quidem *De divinis officiis* opere, de quo maxime adversus Ruperti fidem expostulant Ruperti censores, corporis et sanguinis Christi veritatem altari sacramento demonstrasse, catholicamque proinde Ruperti fidem propugnasse satis est. Quandoquidem vero non desunt qui duodecim *De divinis officiis* libros alteri ascribant, ut supra indicavimus ; ne ipsis alterum a Ruperto ab errore Umbraticorum vindicasse videar, ex iis etiam operibus quæ, nullo refragante, Ruperti censentur, corporis et sanguinis Christi veritatem ab eo constanter assertam et fortiter propugnatam ostendo.

Aliis ex Ruperti libris catholica ipsius de corporis et sanguinis Christi veritate fides vindicatur.

Rupertus sua omni ætate pro corporis et sanguinis Christi veritate, quam Berengariani paulo ante pertinacius impugnaverant, firmus stetit et fortis decertavit. Primos junioris istius athletæ congressus, si inspicias, ipsum miraris cum magni nominis et magnæ æstimationis scholastico et monacho, pro ista veritate tanta fidei fortitudine pugnantem, ut ejus vim adversarius non sustinens, Augustinum ei objecerit docentem quod sacramentum istud ipsi Judæ a Domino porrectum fuerit. Unde deducebat corporis et sanguinis Christi veritatem seu veram substantiam minime contineri in illo sacramento, quod sacrilego proditori traditum est.

Rupertus, tantæ auctoritatis pondere pressus, quamvis junior, non tamen succubuit ; sed ea quæ perfectæ eruditionis virum deceret, animi sagacitate et firmitate, vim tantæ auctoritatis discutiens respondit non esse Augustino per omnia confidendum sicut libris canonicis ; et ita religiosa libertate secutus sensum quem evangelicæ lectioni magis conformem judicavit, et esse sancti Hilarii postea comperit, a Christo porrectam esse Judæ sui corporis et sanguinis buccellam negavit, aliamque intinctam ipsi esse a Christo traditam ita asseruit, ut isto adversarii everso fundamento, tota ipsius virtus deficeret. Suam hanc cum nominatissimo illo scholastico et monacho, pro corporis Christi veritate disceptationem Rupertus ipse circa finem libri primi *in Regulam* qui *Apologeticus* est, enarrat, et eo tempore dicit contigisse, quo necdum Cunoni notus erat ; sed ab eo tantum semel visus et cum illo pauca locutus.

Qui Ruperto certamen dedit ut vinceret, post hæc belli præludia alios ei agones obtulit ad coronam ; in quibus ipse pro corporis et sanguinis Christi veritate in altaris sacramento fortius contendens, adversus eos qui non nisi figuram esse in sacramento prædicabant, commentaria edidit in Joannis Evan-

(82) In Catechesi.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gelium : in quorum libro sexto exponens sextum caput Joannis, quod est de Christi corpore et ejus manducatione, veram ipsius realemque præsentiam sub panis et vini mysticis speciebus fusius explicat; et ea quæ adversus ipsam ex S. Augustino maxime proferri solent argumenta, potentius dissolvit, inducta ex eodem testimonia acute interpretatus.

Totus iste liber hic esset exscribendus ; at ne in molem excrescat libellus noster apologeticus, nonnulla duntaxat cum ex isto libro *Commentariorum in Joannem*, tum ex epistola ipsius nuncupatoria ad Cunonem depromam, quæ hanc Ruperti fidem et doctrinam magis exprimant.

Rupertus in lib. VI *in Joannem*, cap. 6, catholicam de reali corporis et sanguinis Christi præsentia sub speciebus mysticis, veritatem adversus Umbraticos seu Berengarianos toto conatu statuit, ipsorum fundamenta fortiter concutiens et funditus everiens. Et primo quidem ipsorum errorem sic proponit : « Hoc loco silendum non est male quosdam ignotos et obscuri nominis homines opinari, suis quoque defendere dictis et scriptis, panem verum, et potum, quem in sancto altari sumimus, nihilominus patres illos manducasse tunc temporis et bibisse : et nihilo magis hoc esse verum corpus et sanguinem Christi, quam fuit illud manna, quod ille populus comedit ; et illa aqua quam de petra productam non solus populus, sed jumenta biberunt. »

Jam vero expositi erroris istius argumentum, quod non leve reputant, quippe quod ex Apostolo trahunt, Tuitiensis sic deducit : « Huic errori suo, inquit Rupertus, pro maximo argumento adhibent auctoritatem Apostoli dicentis : *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt ; bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (*I Cor.* x). » Cui, ut ipsius verbis utar, detestabili præsumptioni paucis respondet, genuinum Apostoli sensum exprimens. « Primoque dicendum, inquit, Apostolum non eo sensu dixisse, quo isti accipiunt, *et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* » Neque dictiunculam relativam, scilicet *eamdem escam* vel *eamdem potum*, ita posuisse, ut referri velit ad illam escam illumque potum, de quo ipse Dominus : Hoc EST, inquit, CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS ; sed « eamdem, inquit Apostolus, escam manducaverunt, et eumdem potum biberunt Dathan et Abyron, quam Moyses et Aaron ; eamdem utique Core quam Caleb aut Josue. »

Hunc autem esse Apostoli sensum his confirmat : « Hoc enim intendit Apostolus ea lectione, ut sollicitum reddat omnem hominem, ne se arbitretur jam comprehendisse, quia consecutus est sacramenta fidei Christianæ. Nam hæc omnia, inquit Apostolus, in figura facta sunt nostri, videlicet ut antiquis sciamus experimentis, quod licet omnes baptizati simus in eodem nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; et omnes manducemus idem corpus et sanguinem Christi, non tamen arbitrandum nobis sit quod æque omnibus nobis beneplacitum est Deo, quomodocunque vivamus, qualiacunque post baptismum operemur. Quia, quemadmodum ut omnes illi eisdem signis, eisdem, inquam, mali, quibus et boni fuerint glorificati, et in pluribus tamen eorum non beneplacitum est Deo ut introduceret eos in terram repromissionis ; sic nimirum non complacebit ei ut introducat nos in regnum Dei, si fuerimus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt ; si fornicati fuerimus, sicut et quidam ex ipsis fornicati sunt, » etc.

Quo Apostoli sensu acutissime explicito, argumentum contra corporis et sanguinis Christi veritatem, ex isto loco petitum, nullum esse his concludit : « Igitur textus apostolicæ litteræ nemini succurrit, volenti accipere sic eamdem escam, et eumdem potum esse dictum, ut referat identitatem cibi et potus vivifici, quem sumimus in commemoratione Domini nostri Jesu Christi. » Quandoquidem vero urgere posset adversarius ex eo quod Apostolus non escam quamlibet, sed spiritalem posuerit, neque id in sensum adversarii trahi posse Rupertus demonstrat ; « Sed neque illud, inquit, quod escam et potum spiritalem, quam in figura spirituali contingentem, et idcirco non naturali rerum ordine, sed spirituali virtute prodeuntem, ipse Apostolus in iisdem litteris te constringit, quantumvis recalcitrantem. Dicit enim paulo post : *Hæc autem omnia in figuris contingebant.* »

Et ita discussis his nebulis, fugatis his umbris, corporis et sanguinis Christi veritatem in sacramento puram et sua luce splendidam Rupertus educit. « Proinde, inquit, non magis illud manna panis iste verus erat, nec magis ille potus erat vitalis potus, quem vere Christi sanguinem credimus et confitemur ; quam illa petra Christus erat, petra utique inanimata et insensibilis, quam Moyses virga percussit. » Quam veritatem superstruxit huic fundamento, quod statim subjicit : « Nam universa, ut jam dictum est, contingebant in figura, quæ profecto nusquam valet idem quod ipsa res quam figurat ; sicut umbra non est idem quod ipsa res vel corporis substantia. » Adeo corporis et sanguinis Domini veritatem Rupertus firmam habuit, ut eam figuræ opposuerit ; quamvis veritatem simul et figuram in hocce mysterio stare nobis tradiderint alii SS. Patres, quorum sensum conciliare alterius loci est.

Sed vero instat adhuc adversarius, dicens nimirum, et iste panis, quem in altari consecramus figura est panis vivi, qui de cœlo descendit, non ipse panis vivus. At sensum hunc, ut pote nulla auctoritate canonica fretum Rupertus sic castigat : « Cujus, quæso auctoritate catholica fretus, catholicis hoc infers auribus ? Nunquid ubi dixit ipse panis vivus, de pane quem tenebat in manibus, Hoc EST CORPUS

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

MEUM, dictum est aliquid tale quale dixit Paulus, ubi, cum dixisset, *petra autem erat Christus*, etc., *hæc autem*, inquit, *omnia in figura contingebant illis?* Nempe si ipse Christus aut evangelista vel apostolus auctor esset dictionis hujus, tu non esses redarguendus? » Et sic adversarii sensum verba Christi de pane, quem tenebat in manibus, dicentis: Hoc EST CORPUS MEUM, figurate intelligentis, quasi nulla legitima auctoritate fretum dejicit abbas Tuitiensis, et veluti commentum respuit.

Quia tamen se auctoritate Augustini sufflatos jactabant, ubi dicit hæc verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, esse figuratam locutionem; ne tanti doctoris male assumptæ auctoritati cedendo, cederetur et errori, illius tacito nomine sensum subtilissime aperiens, ipsum corporis et sanguinis Christi veritati nequaquam detrahere sapientissime ac religiosissime ostendit: « Etiamsi dicat quis figuratam esse locutionem, qua dicetur posterius: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non nobis adversatur, quia videlicet ista figuratio locutionis veritatem rei non perimit, quemadmodum in parabola seminantis verba parabolica rem non perimunt vere seminantis. Quæ enim est definitio figuratæ locutionis? Nempe cum aliud in voce sonat, et aliud intelligendum est; figurata locutio est. Plane ergo et si prædicta locutio figurata est (aliter enim Judæis sonuit, aliter Christus sensit), rem ipsa figuratio non perimit, sed ipsa potius figuratio re permanente perimitur, cum de pane et vino signanter dicitur: Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS. Ibi enim sensus Judaicus perimitur; quia luce clarius est quod, non sicut intelligebant, Christus manducandus est; putabant enim quod concidi vellet carnem suam et manducari, quemadmodum conciditur caro agni et comeditur. Ibi, inquam, figuratio hæc perimitur, et permanet sensus verbis consonus, scilicet quod panis in veram substantiam corporis ejus divina virtute convertatur. »

Ergo juxta Rupertum bene Augustinus sensit a Christo figurate dictum, *nisi manducaveritis*, etc., nullo tamen catholicæ veritatis de Christi corpore dispendio. Cum enim dicitur *manducaveritis*, Judæis figura est, qui carnem Christi concidendam putantes, aliud intelligebant quod verbum non sonabat. Cum vero dicitur, *carnem Filii hominis*, nulla figuratio est, sed veritas; cum enim de pane et vino signanter dicitur: Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, permanet sensus verbis consonus, scilicet quod panis et vinum in substantiam corporis et sanguinis divina virtute convertantur.

Si tanto studio ea quibus in sacramento nonnisi corporis Christi figuram Umbratici statuebant, Rupertus dissolvit aut explicuit, quo corporis et sanguinis Christi veritatem in altaris sacramento firmius astrueret, quis nisi vel imprudens ex alieno A errore loquatur, vel invidus detrahere proximo gestiat, vel furens insaniat a Ruperto negatam dixerit corporis et sanguinis Christi veritatem sub mysticis panis et vini speciebus? In hujusce veritatis defensione, maxime per hunc librum Rupertus totus adeo est, ut cum panis et vini conversionem in corpus et sanguinem Christi, impossibilem nonnulli dicerent; istius impossibilitatis muros ipse dejecerit; et probaverit corpus illud quod in altari sumitur, et illum sanguinem qui offertur, ipsummet esse Christi corpus quod in cruce pependit, et ipsummet sanguinem qui in ea fusus est. Et ad hanc rem diversas profert ex naturæ sinu petitas comparationes, quibus veram panis et vini conversionem in Christi corpus et sanguinem sic B declarat: « Cum igitur vino verbum crucis et passionis Christi accedit, quæ ratio vetat ut non idem sanguis qui pro multis in remissionem peccatorum fusus est, debeat credi? » Cumque subjunxisset quanta sit panis cum corpore cognatio, iterum et quidem vehementius istam corporis et sanguinis Christi veritatem ex ipsiusmet Christi verbis concludit: « Cum ergo, inquit, panis ille vivus qui de cœlo descendit, et signanter dicit: Hoc EST CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADETUR, audes dicere aliud esse quam Christi corpus? Veritas dicit: Hoc EST CORPUS MEUM, et addit: QUOD PRO VOBIS TRADETUR. Et dicis tu non esse idem corpus? » Quod Rupertus altiori intelligentia sic redarguit: « Si non est idem corpus, si non idem, qui de cœlo descendit, panis C vivus, non est hoc corpus quod pro vobis traditur, et Veritas mentita est sibi. » Istud enim adjunctum cum figuræ competere minime possit, sed soli corporis substantiæ; non corporis Christi figuram, sed rem esse in altaris sacramento, invictissime arguit; et proinde Rupertum non Umbraticum doctorem, sed veritatis corporis Christi invictissimum esse propugnatorem.

Certatum hactenus pro ista veritate, sed nondum parta victoria; quia necdum arma deposuit adversarius, jam totus carnalis et animalis; quem nihil de exteriori panis et vini specie mutari opponentem, Rupertus acrius insequitur. « Sed jamdudum liquet omnibus, inquit Rupertus, in quo sensus tuus hæ- D reat carnalis, totusque animalis, ideoque non percipiens ea quæ sunt Dei, videlicet quia nec panis, nec vinum aliquid de exteriori specie mutavit, idcirco sapere non potes nec vis quo VERE FACTUM SIT CORPUS ET SANGUIS DOMINI. »

Cujus obtusioris argumenti vim omnem, si quam habet apud eos qui de omnibus judicant, jocose infringit: « Consequitur ergo ut cum albus episcopus te forte Maurum hominem baptizaverit non credas teipsum apud Deum factum esse quod est is qui te baptizavit? scilicet quod de filio diaboli factus sis filius Dei, » etc., « pro eo quod capillus tuus niger non refloruit faciesque tua totiusque corporis cutis ethiopica, secundum colorem ejus qui te baptizavit non renituit. Quod si concedere non perhorrescis, ne in-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fideli deterior sis et mavis confiteri quod quamvis de exteriori corporis specie nihil mutaveris, vere de alio corpore diaboli, quod est omnis massa perditorum, in aliud corpus Christi, quod est Ecclesia, transieris : crede et hoc, quia panis iste visibilis et vinum, quibus ex rebus temporaliter vivis, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit; in alium translerint, et in illum cibum potumque conversa sint, qui angelorum victus est, » etc.

In luce ergo meridiana cæcutit, qui non clare videt Rupertum, nervis omnibus ea omnia quæ corporis et sanguinis Christi sub panis et vini speciebus veritati repugnant, confutantem vel etiam jocose repellentem; ut panem et vinum in veram corporis et sanguinis substantiam, Verbi divini virtute esse mutata, immutata tamen exteriori specie; efficaci ad hominem argumento demonstret, nullo dubio sensisse et asseruisse in altaris sacramento veram esse corporis et sanguinis substantiam.

Sed neque hic Rupertus ab ista veritate propugnanda quiescit; iterum enim eos aggreditur, qui, ut corporis et sanguinis Christi veritatem perimant, illud Apostoli importunius protrudunt : *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt;* et aliqua congerunt sanctorum doctorum testimonia, quibus docent quod hunc panem significavit manna; quod hunc panem significat altare Dei, quod illa sacramenta fuerunt, sacramenta hæc sunt; in signis diversa sunt, in re quæ significatur paria sunt. Quod aliud illi manducaverunt; aliud nos sub specie visibili; quod tamen idem significat virtute spirituali. Quæ omnia in adversariorum sensu proposita, Rupertus deducit ad istud absurdum, nempe quod sacrificia agnorum et arietum novo panis et vini sacrificio sanctiora fuerint; cum longe sanctiora fuerint quam manna, vel aqua de petra fluens; a quibus panem et vinum in altaris sacramento, non nisi in signis volunt differre, cum tamen panis iste, et iste potus nonnisi multa benedictione consecretur, nec nisi a sanctificatis sumatur : *qui enim manducat et bibit indigne*, etc. Manna vero, et aqua petræ, homines et jumenta sine discrimine uterentur. *Egressæ sunt aquæ largissime ita ut populus biberet, et jumenta.*

Et ne quos moveat doctorum hujusmodi auctoritas, Rupertus ipsis opponit sanctum Ambrosium, inter cætera dicentem « quod præter naturæ ordinem Virgo generavit; et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est, » etc. Item : « Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jēsus Christus quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus potus est. » Opponit et Augustinum, quem adversæ patronum sententiæ tenebant, in sensum alienum ejus dicta abripientes. Nam corporis Christi veritatem in sacramento Rupertus comprobat ex Augustino hæc verba ps. XXXIII, *Ferebatur in manibus suis*, ita exponente de Christo, ut asseveraret nihil aliud sine dubio quam seipsum tulisse verum David, id est Christum, in manibus suis; cum tenens panem et vinum diceret : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS.

Et his Christi verbis nihil addendum vel detrahendum Rupertus hic maxime contendit, ut ab eis figuræ et signi excludat intelligentiam; nudamque, quam præseferunt, veritatem defendat. « Si quis, inquit Rupertus, apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto (*Apocal.* XXII) : *Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferat Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto.* Nunquid vero minus timenda est hic illa maledictio, ut detrahamus vel apponamus quidquam verbis dicentis : Hoc EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur, HIC EST SANGUIS MEUS, novum testamentum, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum? Cum enim illo dicente, Hoc EST CORPUS MEUM, nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figurativum vel per similitudinem dictum; cum, inquam, illo dicente, Hoc EST CORPUS MEUM, non dixerimus, hoc significat corpus nonne multum est, quod apponimus vel prava demutatione detrahimus; et sensum generamus, quem tantus auctor Deus et homo, nunquam est locutus, nec ascendit unquam in cor ejus. » Quis, precor, vel antiquorum, vel etiam recentiorum, corporis et sanguinis Christi veritatem in eucharistiæ sacramento docuit expressius, clarius exposuit et fortius propugnavit?

Si quis ergo catholicam istam veritatem expresse tradidit, expressissime Rupertus; si quis pure illam explicuit, purissime Rupertus; si quis unquam constanter illam asseruit, constantissime Tuitiensis; si quis fortiter illam defendit, fortissime Rupertus; si quis denique de ista veritate catholice sensit et scripsit, catholice admodum Rupertus. Et ita Ruperti fide de corporis et sanguinis Christi veritate sub panis et vini speciebus nulla fortior, nulla constantior, nulla purior, nulla expressior et nulla magis catholica est.

In suscepta tamen pro ista veritate disceptatione ne quidquam desideretur, Rupertus eam omnem quæ adversus nudam et propriam verborum Christi intelligentiam solet præformari, instantiam sic retundit : « Cum objicit quis fuisse scriptum in schedulis quod itidem dixerit eadem Veritas, *Ego sum vitis*, tam audacter quam imperite in argumentum mendosum illud attrahit; cum statim sequentia verba dicentis : *Sicut palmes non potest fructum ferre a semetipso, nisi manserit in vite, sic et vos, nisi in me manseritis*, manifeste per similitudinem dictum compellant intelligi, præsertim cum non signanter dixerit, *Ego sum hæc vitis*, sicut signanter dixit : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, apposita protinus descriptione veræ proprietatis, de corpore inquiens *quod pro vobis tradetur*, de sanguine autem, *qui pro multis effundetur.* « Qua instantia sic repulsa, horumque Christi Domini verborum; Hoc EST CORPUS MEUM, et illorum, *ego sum vitis*, dato discrimine, et sensu sapientissime distincto per adjectas corporis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quod tradetur et sanguinis *qui effundetur*, proprietates, Rupertus in Verbo Dei firmus profitetur, « quia panis iste corporeus, postquam signaverit eum Pater et vinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis : *Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, etc., usque *in memoriam mei facietis*, CORPUS ET SANGUIS EJUS EST, qui hujus traditionis est auctor ; et hoc sacrificium ipse Christus est, » etc.

Hac sinceræ fidei de corporis Christi veritate professione emissa adversus catholicam Ruperti fidem nemo potest nisi multa injuria expostulare. Sed et de modo quo panis fit corpus quod in cruce pependit, et vinum sanguis Christi qui in cruce fusus est, si quis sit dubius, ab eo quærere potest ; nec ipsum Rupertus sine responso dimittet. « Quod si quis, inquit Rupertus, a nobis quærat quomodo panis, qui hoc anno de terra crevit, corpus Christi fit quod in cruce pependit ? et vinum quod præsentibus expressum est acinis, ille sanguis ejus fit quem de latere suo fudit ? interrogemus eum quomodo Filius hominis, qui utique de femina conceptus et de terra natus est, de cœlo descendit, vel quomodo antequam in cœlum ascenderet, jam in cœlo esse potuerit, juxta veritatem ipsius dicentis : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo*. Hæc profecto si quis sapit, respondere poterit, quod propter unitatem Dei et hominis Christi illud rectissime dictum sit. Ergo, verbis paululum demutatis, dicamus ei : Unitas Verbi unum efficit corpus Christi, et illud quod tunc in cruce pependit, et istud quod nunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una, inquam, caro et unus sanguis sit. » Sic respondisset qui Christi corpus in sacramento negasset ? Modum rei tam studiose dedisset qui rem non admisisset ?

Unum jam Augustini testimonium, quod in suas partes Berengariani trahebant, Ruperto superest explicandum, nempe quod manducare carnem, et bibere sanguinem Domini, sit manere in unitate fidei. Et hoc Rupertus facile admittit ; sed ita tamen ut firma semper stet Dominicæ definitionis veritas, qua Christus dixit : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS. Adeo Rupertus hisce Domini verbis sui corporis et sanguinis non figuram, aut aliud quid, sed veritatem demonstrari censuit. « Quæcunque talia, inquit Rupertus lib. VI in Joan. cap. VI, et apte inveniant, et utiliter proferant, dummodo fundamentum permaneat quod positum est ab ipso dicente de pane et de calice vini : Hoc EST CORPUS MEUM *quod pro vobis tradetur* ; HIC EST CALIX SANGUINIS MEI *qui pro vobis effundetur*. Hoc, scilicet quod manere in unitate fidei, hoc sit manducare carnem, et bibere sanguinem Christi ; adeo ut non sit ad salutem necessaria corporalis manducatio mensæ Dominicæ, Christus non docuit sed *qui manducat*, inquit, *carnem meam, et bibit meum sanguinem*, eo scilicet modo quo traditurus sum, *corde credendo ad justitiam, et ore manducando et bibendo ad salutem, hic in me manet et ego in eo*. »

His subdit Rupertus quod « panis semel consecratus nunquam postea Christi caro esse desinit. » Et infra ad hæc verba, *et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*, ait : « Tunc ego dabo panem istis residuis, in quo non deest veritas ejusdem carnis meæ, vel corporis, quod eductum de ventre ceti, salvum et integrum residebit æternaliter ad dexteram Patris. » Et paulo post : « Panem terrenum nobis dat, quem, ut viventibus a quibus manducari potest vitam det æternam, in carnem suam transmutat. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ quia Deus est, sic nihilominus de pane isto visibili, quem ejusdem verbi invisibilis Divinitas assumens, in carnem suam transfert, vere et catholice confitemur quia corpus Christi est. »

Et ne in verbis Christi dicentis : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, ulla supersit æquivocationis tergiversatio ; Rupertus sapientissime observat quod « sicut dialectici ad vitandas sophisticorum argumentorum importunas ambiguitates nomini communi singularem adjungunt proprietatem, ut cum dicitur : *Alexander rapuit Helenam*, ne intelligatur Alexander Philippi rex Macedo, additur : *Trojanus Priami filius*. Ita cum Christus dixit, HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, ne aliud quid crederetur quam proprium corpus quod in cruce pependit, et proprius sanguis qui in cruce fusus est, sapienter adjunxit : *quod pro vobis tradetur, et qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. »

Ex quibus sic tandem concludit : « Proinde, cunctis figurarum vel similitudinum nebulis amotis non corpus quodlibet, non corpus Christi, quod est Ecclesia, sed illud corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare, et illum sanguinem, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere, indubitanter credimus. Et quod fecit, ipse hoc idem in commemorationem ipsius scimus, et bene scimus nos facere ; id est CARNEM ipsius manducare, et SANGUINEM bibere. » Tam aperta et tam sincera fidei professione de corporis et sanguinis Christi veritate in Eucharistiæ sacramento quid expressius, quid purius ?

Denique in isto libro passim occurrunt hujusmodi voces : *Esca corporis Domini et potus sanguinis ejus, corpus Domini de altare sumere, manducare, et sanguinem ejus bibere ; manducantes corpus Christi, et bibentes ejus sanguinem*, quas sane Rupertus nusquam scripsisset, si corpus et sanguinem Domini in altari non esse censuisset.

Nec in isto dumtaxat libro istam Ruperti fidem reperire est, quæ et in septimo maxime elucet, ubi hæc verba, *durus est hic sermo* paucis exponens, durum hunc sermonem fatetur ; sed iis qui carnem concidendam putabant, et iis qui Christum toties pati et mori existimant, quoties offertur et manducatur. « Istis, inquit Rupertus lib. VII in Joan., qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hodieque murmurant et litigant, cum veritatem corporis et sanguinis Domini defendimus, alias ob causas magnam videmur sonare duritiam; nam cum argumentosa fide per auctoritatem evangelicam arctati fuerint, ut negari non possit hoc Domini corpus illud esse quod pro nobis traditum est, et hunc ejus sanguinem illum esse qui pro nobis effusus est; cum, inquam, hoc illis constanter astruxerimus; ergo, inquiunt, si non figurate, sed re vera panis iste, Christus dicitur et est: quotidie Christus patitur, et toties moritur, quoties panis iste in commemorationem ejus frangitur: et hic, inquit, sermo durus est. »

Istud eorum murmur Rupertus sic comprimit: « Non ita censuit fides nostra, neque adeo caligaverunt oculi ejus, ut non videat se frangere panem Dei, et integrum servare Filium Dei; quomodo senex Abraham videre potuit, ut et arietem perciperet, et Filium aræ superpositum non læderet, » hoc tamen cum discrimine quod « illic in figura immolatus est Isaac in ariete, hic pane et vino immolatur Filius Dei in carnis et sanguinis veritate. » Ubi Rupertus se corporis et sanguinis Domini veritatem defendere aperte profitetur, seque ita per Evangelicam auctoritatem coarctasse adversarios, ut negare non possint hoc Domini corpus, quod est in altari, illud esse quod pro nobis traditum est; et hunc ejus sanguinem, qui consecratur, illum esse qui pro nobis effusus est. Denique Filium Dei in altaris sacramento immolari in carnis et sanguinis veritate.

Cum tamen neque his compressa Umbraticorum hæresis conticesceret, sed adversus Ruperti fidem de corporis et sanguinis veritate, hæc Christi verba, *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*, quasi suo errori patrocinata, extra omnem intellectum insolentius jactaret, Rupertus, nihil quod vel specietenus huic errori faveat non explicans, nihil quo ista hæresis possit effugere non occludens, istorum Christi verborum sensum aperit, quem cum corporis et sanguinis Domini veritate apte conciliat. « Hæc sententia, inquit Rupertus, priorem illam nequaquam destruit aut infirmat, qua Christus dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, » etc., sed sensum carnalem male intelligentium corrigit, nihil manducandæ carnis suæ veritati detrahens, sed eidem carni Spiritum quoque carnis ejusdem simul manducandum superadjiciens: *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat; caro autem non prodest quidquam*. Ac si dicat: Eo modo quo intelligitis illud, quod supra dixi, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nullius animantis caro cum vita sua potest manducari, vel sanguis ebibi; hoc ab homine ut possit fieri, vel a bestia, dum sit, notum est animal trucidari: ergo nulli hoc pacto carnem meam ad manducandum daturus sum. *Caro* enim mea nisi vivens et cum spiritu suo manducetur, *non prodest, quidquam*. Caro sola, caro sine spiritu *non prodest quidquam*, nam *spiritus est qui vivificat*. Talem omnino, id est exanimem carnem et sanguinem existimare nos vetat in pane et calice suo, dicens: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*.

Quomodo autem exteriori panis et vini non mutata specie, panis et vinum in Christi corpus et sanguinem transmutentur, ipse ibi sic explicat. « Quis autem est spiritus qui carnem istam, ut manducantibus prosit, vivificat? Ait: *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt*. Hæc in pane de quo dicturus sum, HOC EST CORPUS MEUM, et in vino de quo dicturus sum, HIC EST SANGUIS MEUS, operantur invisibiliter ut vera caro mea sit, et sanguis meus, non mutata specie exteriori. Proinde et nos quia non intelleximus, credimus ut intelligamus, quia revera sicut Deus et homo unus est Christus, sic et iste panis visibilis consecratus cum illa carne, quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. In altari verum Christi corpus immolatur, frangitur et manducatur. Quantum potuimus, adjuvante Deo, panem sanctum et calicem quem de altari sumimus verum et vivum Agnum Dei esse suomet ex halatu comprobare curavimus. »

Hac suæ fidei professione, quæ non quia intelligit, sed ut intelligat, credit sub panis et vini visibili specie, illam ipsam quæ in cruce pependit, esse Christi carnem; et illum ipsum qui in cruce fusus est, esse Christi sanguinem; hoc operante verbo quo dixit, HOC EST CORPUS MEUM, et HIC EST SANGUIS MEUS, ita ut non sine vita sit caro quæ sine spiritu nequidquam prodest, Rupertus omnem eludit calumniæ maculam. Ecquis enim modo Rupertum sentiat Umbraticis favisse, qui omnia eorum argumenta dissolvit; errores tenuisse quibus adversatur; et corporis et sanguinis veritatem impugnasse, quam indefesse propugnat?

Eadem mente et eadem fide editos a Ruperto *Commentarios in Joannem* testantur, non solum ea quæ ex ipsis adduximus, sed et ejus epistola qua Cunoni abbati hos libros Rupertos nuncupat. In ipsa enim æmulorum invidiam, quæ Rupertum in Joannis Evangelium scripsisse ferebat iniquius, cum Cunoni, tanquam Patri exposuisset eorum errores, et eum præ cæteris, quo volebant sacramentum corporis et sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei; ut olim per errorem senserat Berengarius; sic proponit: « Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant; non habent, nisi quod aliqui ex eis, dum volunt sacramentum corporis et sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei, juxta errorem quemdam Berengarii Turonensis, etiam beatum Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. » Cui errori Rupertus se totus opponit. « Ego autem, inquit, verum corpus Christi quod pro nobis traditum est, et verum esse de certo sanguinem qui pro nobis effusus est, sicut Ecclesia catholica tenet. » Vix autem tunc temporis esse, qui hoc Berengarii teneretur errore, sed ab universa Ecclesia catholica corporis et sanguinis Christi veritatem uno.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sensu teneri paucis his indicat : « Hoc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universa sciente Ecclesia, quia verum corpus, et verus sanguis Christi est (82*). »

An Rupertum ab Ecclesia dissentire putas ? An asserere, et editis in *Joannem Commentariis*, et libris duodecim *De divinis officiis* id docere, quod nemo jam palam profiteri aut defendere audet ? An Rupertum negasse quod universam Ecclesiam catholicam profiteri et defendere noverat et declarat, nempe quod in altaris sacramento verum Christi corpus et verum Christi sanguis est.

Ipse suam fidem exponit, ubi ipse hanc corporis et sanguinis veritatem sincere aperit Canoni suo. « Breviter nunc tibi pando quid vel quomodo sentiens de vivifico corporis et sanguinis Domini sacramento tractaverim illa ejusdem Domini verba, quibus sacramentum illud commendat. Tribus essentiæ modis, corpus et sanguis Christi, quarto autem differt, est enim nomine, re atque effectu ; differt vero specie. Est, inquam nomine, qui summus cœlorum Pontifex, qui cum sit ipsa veritas, nomina non vana rebus ponere solet, adeo fortiter nomen hoc impressit, ut non solum diceret : Hoc voco CORPUS MEUM, Hic vocetur SANGUIS MEUS, sed HOC EST, inquit, CORPUS MEUM : HIC EST SANGUIS MEUS. Est etiam re, quia nimirum Sanctum sanctorum est, quam vere in illa specie, qua traditus et lanceatus est, ipse Sanctus sanctorum est. Est nihilominus effectu, quia quam vere in illa specie, qua pependit in cruce remissionem peccatorum operatus est omnibus qui illam exspectaverant ab origine mundi cum fide sine legalibus sacramentis fidei, omnibus a justo Abel usque ad latronem, quem in cruce confitentem suscepit ; tam vere in istis speciebus panis et vini eamdem operatur remissionem peccatorum omnibus qui ingressi sunt, vel ingrediuntur ad eamdem fidem, postquam illa species hinc transivit, et sese in cœlum recepit. Quarto idem specie differt, quod et plurimum prodest, non modo ne color aut sapor sanguinis humani horrorem sumentibus ullum faciat, sed ut competenti antidoto nimia parentum nostrorum curetur credulitas ; crediderunt enim deceptori diabolo in eo quod videbant, scilicet quod illi ligno consequendæ divinitatis effectiva virtus inesset ; et comedentes mortui sunt ; credamus e contra fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet panem et vinum in veram corporis et sanguinis transiisse substantiam, et comedentes atque bibentes vivamus in æternum. »

Ecquæ magis catholica fides de vivifico corporis et sanguinis Domini sacramento, quam ea quæ Christi corpus quod in cruce pependit, et sanguinem qui in cruce fusus est, non solum nomine, sed effectu, et ipsa re sub panis et vini speciebus esse profitetur. Quam ea quæ a vera Christi carne, et a vero ejus sanguine, CORPUS ET SANGUINEM quæ sunt in sacramento, hoc solum differre tradit, quod in sacramento non carnis et sanguinis, sed panis et vini speciem præferant ? quam ea denique quæ credit panem et vinum in veram corporis et sanguinis transiisse substantiam ? Pudeat ergo, vel impudentem, objecisse Ruperto quod corporis et sanguinis Christi veritatem in sacramento negaverit, quam tot in locis et ubi vis catholice docuit.

Nec solum dum junior in istis quasi præluderet, hæc de corporis et sanguinis veritate Rupertus sensit et scripsit ; sed etiam dum proficiens majoribus daret animum. Nam Verbi Dei describens victoriam (lib. XII, c. 12), qua ratione infidelitatem primorum parentum, qui diabolo dicenti *si comederitis, eritis sicut dii*, magis crediderunt quam Deo, Verbum Patris vicerit, his demonstrat : « Contra cibum illum, qui cibus fuit mortis pulcher visu, in quo crediderunt esse Divinitatis effectum, dari oportebat cibum alium, qui esset cibus vitæ, ut scilicet inesse illi mens crederet cibum et potum veraciter communicandæ divinitatis esse effectivam carnem et sanguinem Christi, quod sentire non possunt sensus carnis et sanguinis : per hanc fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse judicat, dum non minus sibi credit quam diabolo crediderat. »

Pluribus vero hanc statuit veritatem scribens *De gloria et honore Filii hominis ;* exponens enim, in libro quarto *in Matthæum*, hæc verba capitis quinti : *Si offers munus tuum*, etc., ait : « Tunc veniens offeres munus tuum, munus sanctum, sacrificium verum ; non sicut carnes taurorum, sanguinem pecorum aut vitulorum, sed ipsum fratris ejusdem, cui reconciliatus es, CORPUS vivificum, SANGUINEM verum, sacrificium sanctum et immaculatum. » Et libro quinto, explicans quartam Orationis Dominicæ petitionem, *panem nostrum*, etc., breviter dixit : « Tertius est panis, caro Christi quam nobis de sancto altari dat, quemadmodum dicit, ET PANIS *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* »

Tandemque in libro decimo, movens quæstionem utrum Dominus corpus et sanguinem suum Judæ communicaverit, dissonantes sanctorum Patrum adducit sententias : Augustini scilicet, qui S. Lucæ narrationem secutus ad litteram, censuit a Christo porrectam Judæ fuisse sui corporis buccellam ; et Hilarii, qui juxta Matthæi et Marci historiam sensit sine Juda, videlicet post ejus egressum, Pascha, accepto calice et fracto pane fuisse confectum, quia dignus æternorum sacramentorum communione non

(82*) Universa Ecclesia catholica tenet, quod in Euch. verum corpus et verus sanguis Christi est. Tribus modis Christi corpus et sanguis sunt in altari, nomine, re, et effectu. Sola specie exteriori differt corpus quod in cruce pependit ab eo quod est in sacramento. Hanc vel unam fidei Ruperti explicatissimam professionem, qua non solum effectu, sed etiam re panis dicitur esse caro Christi et vinum esse sanguis ipsius, Claudius minister si audisset, haud dubie Rupertum tot in locis (pag. 104, 125, 198) non produxisset quasi effectu duntaxat, et non re panem dici et esse Christi corpus, et vinum ejus dici et esse sanguinem incunctanter docuisset.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fuerat. Quam S. Hilarii sententiam, licet ipsius fuisse nesciret, ut magis sacro textui conformem sequitur, et firmus tenet Rupertus.

Hanc autem cum utraque ex parte Rupertus agitat difficultatem, plurima profert quibus veritatem corporis et sanguinis Christi sub panis et vini speciebus expresse testetur, sed maxime ad finem, ubi ait quod magna in isto sacramento tentatio Dei est, tentatio quærens fidem : « *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Oportebat ergo non apparere res, ut locum haberet substantia hæc ; res, inquam, id est CARNEM et SANGUINEM, non apparere oportebat, non solum ne sensus nostros comedentium atque bibentium naturali offensione offenderent, quibus humanam carnem manducare, vel dentibus terere, sanguinemque humanum bibere, neque naturæ amicum est, verum etiam ut locum haberet hæc *sperandarum substantia rerum*, hoc argumentum rerum non apparentium, scilicet fides. » Et paulo post : « Hic autem qui dicit : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet*, non qualecunque suum, sed suam carnem et suum sanguinem dat. »

Tot ergo probatam testimoniis Ruperti fidem de corporis et sanguinis Christi veritate, nihil tamen mutata panis et vini exteriori specie ; vel levi cujuscunque erroris suspicioni subjicere, non levis injuria deputaretur. Ipsam igitur, ut in posterum intemerata maneat, his obsignando Ruperti verbis, quibus in capite vicesimo primo, vicesimo secundo, et vicesimo tertio libri tertii *De operibus Spiritus sancti*, istud corporis et sanguinis Christi sacramentum luculenter explicat : « Cœnantibus, itaque, id est, sedentibus adhuc in Cœna qua manducaverunt carnes Agni, carnes Paschæ veteris, accepit panem et benedixit ; panem communem accepit, sed benedicendo longe in aliud quam fuerat transmutavit ut veraciter diceret sic : Hoc EST CORPUS MEUM *quod pro vobis tradetur*. Item vini substantiam accepit ; sed ibidem gratias agendo vel benedicendo sic in aliud vertit, ut diceret Veritas quæ non mentitur : HIC EST SANGUIS MEUS *Novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Hoc, inquit, id est hic panis est corpus meum, sive caro mea. Nam et alibi dicit : *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quod panis ille caro Christi factus sit : quod vinum illud in sanguinem versum sit : nimirum si videretur color, aut sentiretur sapor carnis et sanguinis humani ; non plus salutis, sed plurimum afferret horroris. Sic ergo est corpus vel caro et sanguis Christi, quomodo esse vel ad usum nostrum convenit, et ad salutem nostram sufficit. Quomodo vel quibus essentiæ modis? Nimirum nomine re atque effectu. Nomine videlicet esse intelligimus in eo qui dicit, Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS. Sicut nusquam, ita nec in isto, imo maxime nec in isto nomen Domini vanum accipere debemus. Si enim in cunctis sanctificationibus, quæ per ministros Domini ad invocationem nominis ejus aguntur, nequaquam nomen Domini in vanum accipere audemus, quanto magis in ista sanctificatione in qua nomen corporis et sanguinis sui ore proprio posuit Dominus, nequaquam in vanum idipsum nomen accipere debemus? Re quoque corpus Christi et sanguinem esse intelligimus in eo quod ait, *quod corpus tradetur, qui sanguis effundetur*. Effectu esse intelligimus in eo quod cum dixisset, *quod tradetur, qui effundetur*, addit *pro vobis in remissionem peccatorum*. Itaque licet illa specie qua pependit in cruce, Sanctus sanctorum est, et in illa specie præteritis omnibus electis remissionem peccatorum et vitam æternam operatus est, sic in ista specie panis et vini nihilominus Sanctus sanctorum est, et omnibus electis qui post eamdem passionem ad fidem ejus veniunt, remissionem peccatorum et vitam æternam conferre non dubium est. Nam et alibi dixit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam*. Hæc » Rupertus in cap. 21, in quibus si Ruperti fides vel dubia vel obscura cui videtur, ipsi sane terra nutat et sol tenebras habet !

Distinctius iterum in cap. 22 libri III *De operibus Spiritus sancti* edisserit quid sit sacramentum, et quid res sacramenti ; simul sensum S. Augustini et veritatem corporis et sanguinis Christi in hocce sacramento his aperiens : « Est igitur, sicut et Pater Augustinus ait, in sacramento isto, quod digni et indigni accipiunt, res sacramenti, quam nonnisi digni accipere possunt : sed non sicut dicta ejus a nonnullis existimata sunt. Putaverunt enim illum dixisse quod non sit corpus aut sanguis Christi quod indignus quisque percipit ; atque secundum tanti doctoris sensum, non corpus aut sanguinem Christi ; sed tantum figuram, vel signum esse corporis et sanguinis Christi, id quod visibiliter sumimus de mensa Domini. Hoc ille non dixit, imo hoc ille non sensit. Neque enim Christo contrarius esse consuevit ; loquitur autem Christus, et per semetipsum, dicens : HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS ; et per Apostolum suum, cujus experimentum habemus, quia in eo loquitur Christus, dicens : *Itaque quicunque manducaverit panem Domini, et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini : probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, de calice bibat ; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Non dixit qui manducat et bibit indigne, panem manducat simplicem, vel communem, et vinum bibit, quale prius erat nondum celebrata consecratione, sed *reus erit corporis et sanguinis Domini*, sed *judicium*, inquit, *sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quapropter non jam de contentiosa cujusdam dissertatione, sed de Apostoli veritate sensum petamus, quo prædictus doctor Augustinus sacramentum remque sacramenti distinxerit ; Christus ipse mysterium suæ dixit esse passionis, ut jam ante diximus, qui tenens in manibus hoc visibile sacramentum, cum dixisset : Hoc EST CORPUS MEUM, addit, *quod tradetur*, cum dixisset, HIC EST SANGUIS MEUS, addit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui effundetur. At ille qui indigne accedit, non communicat Christi passionibus, non contingit ore mentis quod percipit ore corporis. Ergo corpus quidem et sanguis Christi est hoc visibile sacramentum, quod ore percipit. Neque enim indignitas ejus dignitatem tantæ consecrationis evacuare potuit, » etc.

Denique in cap. 23 serpentis, primis parentibus id dolose promittentis, *si comederitis, eritis sicut dii*, fraudem et mendacium opponens veracitati et veritati Christi fideliter hoc pollicentis, *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet*, ad corporis et sanguinis Christi fidem in sacramento his paucis hortatur : « Creditur, inquit, huic sacramento inesse quod non videtur, videlicet veritas carnis et sanguinis, valens efficere nos concorporales Unigenito Filio Dei, » etc.

Hæc ergo sint fidei Ruperti signaculum quo nullum sane firmius apponi nullum expressius imprimi potuit, ut violatæ fidei reus teneatur, quisquis sanam Ruperti doctrinam de corpore et sanguine Domini corruperit, vel ejus sensum ad Umbraticos errores traduxerit.

Utque his obsignata Ruperti fides fulgeat illustrior; et, sicut non intestata, ita nec in gloria recedat abs re non erit aliqua ex Ruperto his adjicere miracula quibus et venerabili huic sacramento, et Ruperti fidei non parum gloriæ accesserit.

Rupertus, jam senior et morti proximus, incendium oppidi Tuitii describens, in libro cui ex re titulum dedit, tria quæ in ista conflagratione contigerunt miracula enarrat in laudem et commendationem sacramenti corporis Domini, cujus virtute patrata sunt. In primo capite primum sic eloquitur miraculum : « Rem ipsam ut gesta est enarrare libet, hac intentione ut sciant nostri quoque posteri, et nulla temporum vetustas abolere possit de cordibus nostris, memoriam glorificationis, qua glorificatum est in toto incendio sacramentum corporis Domini, sicut viderunt oculi nostri ; et liberationis qua liberatum est a pressura flammæ templum in quo invocamus nomen Domini : taliter, ut a multis visa sit præsentia divinæ protectionis ; videlicet quasi species hominis pulcherrimi desuper incumbentis, et circumfluentium flammarum impetum manu objecta repellentis, » etc. Ubi Rupertus templi monasterii Tuitiensis ab horrendo incendio liberationem tribuit corpori Christi quod in eo erat repositum.

Alterum in capite tertio scribit miraculum, servatum scilicet ab ignis injuria corporale Dominicum in medios flammarum globos immissum, in eos corporis Christi reverentia sisteret, ipse enim voracissimus ignis, lineolam duntaxat subrusam impressit Dominicæ virtutis indicem, quæ flammis restitit; sed eas non exstinxit, ut inter furentes illæsa omnem earum vim vicisse crederetur, et vicisse; et ideo vicisse, quia visit.

Tertium profert in capite quinto, videlicet ipsum corpus Dominicum secus altare Ecclesiæ parochialis, sub invocatione sancti Urbani, sitæ ante valvas Tuitiensis monasterii reconditum, a flammis totam istam basilicam vorantibus illibatum mansisse; adeo ut quamvis ignis ipsam etiam fenestram tabulis ligneis campactam, in qua pyxis lignea simul cum corpore Domini erat recondita ; alteram quoque pyxidem, quæ formulas nondum consecratas habebat : ampullam vini stanneam, thuris vasculum, et alia quæ simul cum pyxide et corpore Domini in hacce fenestra claudebantur, penitus absumpsisset ; circumfrementes ubique flammæ, accensis trabibus, lapidibusque ignitis undequaque decidentibus, pyxidem tamen istam ligneam, quæ Domini corpus claudebat, ita reveritæ sunt, ut nequidem attingere ausæ fuerint. « Sunt quidem hæc, ut exclamat Rupertus, in cap. 6, tua, Christe, miracula, non dissimilis gloriæ illi qua glorificatus es tu, cum tribus pueris tuis in medio Babylonicæ fornacis, scilicet corpus tuum cum vasculo et corporale incommutatam, sicut paraballa puerorum illorum commutata sive adusta non fuerunt. »

Istorum iterum meminit Rupertus in capite decimo nono ejusdem libri.

Verum non modo corporis Domini veritatem et virtutem, sed et fidei Ruperti in ista veritate firmitatem probavit ignis iste, omnem erroris suspicionem consumens, ut his ipsis corporis Christi miraculis Ruperti fides illustrior eluceat. Tantæ ergo fidei puritati cedat livor omnis adversarium, et mala fides. De propugnata corporis et sanguinis Domini veritate, et de obfirmata illius venerabilis sacramenti fide meritæ laudi cedat de perverso errore injusta calumnia.

Rupertus vere sensit et catholice docuit verum Christi corpus, et verum ejus sanguinem vere esse sub panis et vini speciebus. Nulla ergo fide Wiclefus sua ei voluit affingere mendacia. Et multa injuria ceteri doctrinæ tanti viri, aut mordaces æmuli, aut injusti censores catholicam hanc veritatem ab eo negatam criminati sunt, quam purius docuit, plenius exposuit et fortius propugnavit.

Error manducationis corporis Christi per fidem a Ruperto depellitur. Imo corpus Domini in sacramento etiam ab indignis percipi et manducari ipse sensisse et scripsisse probatur.

Bellarminus, in tribuendis erroribus plus æquo facilis; et Vasquez, acer ingenio, nulla veritatis inquisitione, nullo probationum examine auctorem operis *De divinis officiis*, quod Ruperto adjudicavimus, manducationis corporis Christi per fidem reum pronuntiarunt ; quasi Christi corpus non nisi merito fidei, et a dignis duntaxat percipi et manducari, ex errore docuerit. Non omnem itaque qua noster Tuitiensis Calvinianis præiisse dicitur, expunxi calumniam, nisi et istam, a Bellarmino et Vasquesio temere præconceptam de Ruperti fide opinionem, falsi convicero.

Ne autem verborum pugna credatur, quadruplicem corporis Christi manducationem per fidem ex

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

limine propono. Una est, qua solo cordis ore mens fidelis communicat de corpore Domini, hoc est cum solo pietatis ardore, non perceptionis opere, de sancto illo pane participat. Hanc fidei manducationem, non solum probant omnes catholici, sed et frequenter celebrant quotquot Christianæ pietati student.

Altera (83) per fidem manducatio ea dicitur qua quis panem et vinum certe credens corporis et sanguinis Christi esse mysterium figuram et sacramentum, seu signum in vitam æternam, illud ore sic percipit, manducat et bibit, ut simul ejus anima, pro hujusce fidei merito, ex ipsa corporis et sanguinis Christi substantia vere reficiatur, dum corpus ex panis et vini substantia nutritur. Hanc fidei manducationem ut heterodoxam Ecclesia reprobat.

Tertia per fidem manducatio est, qua quis hoc sacramentum ore manducat firma fide tenens in eo esse verum corpus Domini; quod tamen nonnisi ex fide suscipientis ibi ponitur. Hanc qui secuti sunt, non eamdem viam tenuere; alii enim arbitrati sunt corpus Dominicum sub panis et vini speciebus non constitui, nisi dum actu et ista fide percipitur. Alii autem, ut Guitmundus (84) et Algerus (85) testantur, panis et vini partem dixerunt in carnem et sanguinem Domini vere transmutari ad verba sacerdotis, partem vero alteram in dignis incommutatam reservari. Alii denique totam panis totamque vini substantiam in Christi carnem et sanguinem converti voluerant, quæ tamen cum indignus ad mensam accedit, in panis et vini naturam revolvitur.

Hi omnes in id unum conveniunt : ab immeritis videlicet Christi corpus et sanguinem non posse participari. Quem errorem anathemate percussit Ecclesia in concil. Trid. (86).

Quarta corporis Christi per fidem manducatio illa, et quidem perfecta est, qua verum corpus Domini ore percipitur, et ea fidei puritate quæ consequatur ea divinæ gratiæ beneficia quæ digne sumentibus communicatur. Sancta illa est corporis et sanguinis Domini cum fidei charitate participatio. Christiana ista est corporis communicatio, qua unum cum Christo sumus. Perfecta ista panis cœlestis manducatio, cui æterna vita ex Christi promissis debetur : « Qui manducat hunc panem vivet in æternum. »

Jam vero discernendum quam fidei manducationem abbas Tuitiensis admiserit et quam excluserit. Primam et quartam ab eo receptas facile concedunt omnes; superest ergo de secunda vel tertia litis contestatio : Bellarminus et Vasquez ex una parte contendunt Rupertum docuisse vel Christi corpus et sanguinem sub panis et vini speciebus nusquam definiri, sed sola fide percipi, dum ore sumitur ejus sacramentum, quod in veritate non nisi panis et vinum est : vel Christi corpus et sanguinem in sacramento quidem manere, et a fidem habentibus vere manducari; sed ab indignis nullatenus percipi, sive desinant esse sub sacramento et quasi ab eo recedant, cum quis sine fide ad illud accesserit; sive nunquam posita fuerint in ea parte sacramenti, quam Deus prænoverat impio fore distribuendam. Nos autem contra nitimur Ruperti doctrinam adeo puram, ut nec ista Bellarmini et Vasquis suggillatione possit inflci. Quod quia palam hic facere æquioris est vindicis, susceptas partes ut impleam, neutrum ex istis erroribus in Ruperti doctrina fuisse invictissime demonstro.

Rupertus sensit et expresse docuit Christi corpus etiam ab indignis manducari.

Expressa adeo sunt Ruperti verba, ut ipsa protulisse, Bellarmini et Vasquis judicium, seu manducationis fidei imputatum errorem, a Tuitiensi abbate propulsasse sit. Quæ ergo sanctus ille doctor loquitur, docilis ausculta (87) : « Non nemo, inquit, indigne manducare potest, sed nemo indigne manducare debet. » Minus ne ista diluendæ calumniæ quæ plus quam satis sunt?

Minus Ruperto fuit ista dixisse nisi et in tanti sacramenti fidem ea validius comprobaret adversus eos qui, ut ex Guitmundo et Algero observavimus, Christi corpus asserebant a panis speciebus recedere si quis vestem non habens nuptialem ad sacrum Agni immaculati convivium, vel invitatus, accederet.

Stupeat hic Bellarmino addictus dicns, dum audit a Ruperto expresse assertum et comprobatum valide quod ab eo negatum in Bellarmini observatione legebat. Sed quis stupet, si noverit, quod iste, licet eminentissimus non dignitate modo, sed et scientia et pietate; non tamen omni probatione major est. Sæpe nomini plus æquo tribuitur. Errare si non vis, nemini cito credas; nomini nunquam : non enim ex nomine, sed ex probationum momentis pendet æqui verique judicium. Quæ autem doctrinæ fideique Ruperti probatio certior, quam patentissima ipsius verba? Hæc itaque excipe et judica.

Cum eucharisticus hic doctor non obscure proposuit (*lib. VI in Joan.*) quod « non nemo indigne potest manducare, sed nemo indigne manducare debet, » in hujusce veritatis confirmationem statim subjicit : « Panis namque semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit aut Christi caro esse desinit : sed non prodest quidquam indigne, cujus *fides sine operibus mortua est;* et idcirco spiritum, qui vivificat non habet quo ore percipiat. Quid enim mirum est si terra comedat? » Quod autem hoc terræ nomine Tuitiensis Christi carnem intelligat, quæ de terra nostra sumpta est, his ipse aperit : « Quid autem caro Christi remota divinitate, nisi terra nostra est? » Unde nec stupendum vult, quod quivis, immeritus licet, carnem Domini comedat, quam de nostra assumpsit. « Proinde, inquit (lib.

(83) Art. 36 confessionis fidei Calvinistarum.
(84) Lib. I et III De euch.
(85) In prol. ad lib. De sacram. corporis et sang. Domini.
(86) Sess. 13, c. 7, et can. 4 et 8.
(87) Lib. VI in Joan.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

VII *in Joan.*), quicunque Christi carnem manducat, non expavescimus, certi quid de nostro sumpserit, quid de suo sit, Filius Dei. »

Tum quærit Tuitiensis quo demittatur, quod ab indigno manducatur et bibitur; difficilemque hujusce quæstionis nodum adversus Stercoristas paucis sic absolvit : « Hoc certe, sicut ante nos dictum est, pium sit et salutare credere per membra diffundi, ut non sit obnoxium secessui. »

Tandemque quid corporis Christi manducatio cum fidei religione et religionis pietate, distet ab illa quæ nec pietatem habet nec religionem, strictim edicit (lib. VI *in Joan.*) : « Sed hoc, ait, plus habet dignus ab indigno, quod huic ad salutem; illi proficit ad judicium. »

Manifesta hæc doctrinæ Ruperti qui audierit testimonia, qui Bellarmini et Vasquis censuram non minus æquam habeat? Quis Rupertum vere sensisse et expresse docuisse corpus Dominicum etiam ab indignis percipi et manducari, æquius non judicet? Quis enim verba hæc in re tanti momenti temere a Ruperto emissa, aut leviter effusa crediderit? At forte quis aliud aliis in locis Tuitiensem expressisse suggeret. Cuine fides sit, alia ex aliis Ruperti libris produco, quæ quam firma sit in ea fide sancti illius abbatis doctrina plenissime demonstrent.

Scribens in Matthæum (lib. X), hæc Christi verba, *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Postquam sic exposuit, « non qualecunque suum, sed suam carnem et suum sanguinem dat; » juxta apostolicam sententiam aperte pronuntiat « quod in illis, qui non credunt, et non credentes ore tamen sacramentum percipiunt, cibus et potus iste, haud dubie suæ carnis et sui sanguinis, operatur judicium. » Quem enim ut ipse alio in loco explicat (lib. IV *in Gen.*, c. 5), « propter peccata sua divinæ virtutis adeps refugit, et ipse macrum sacrificii corpus solummodo dentibus conterendo, corporis et sanguinis Domini reus existit. » Audiant hæc et contremiscant, qui mensæ Dominicæ sacramenta polluunt, vel potius judicium sibi manducant et bibunt, corpus Domini non dijudicantes.

Sed hæc audiant Ruperti censores et discant in Ruperti doctrina ab ipsis etiam non credentibus ore percipi sacramentum quod carnis et sanguinis Christi cibus et potus est; discant in Ruperti doctrina ab eo etiam, qui propter peccata sua divinæ virtutis adipe non saginatur, sacrificii corpus, quod pro certo Christi corpus est, dentibus conteri.

Verbis adhuc expressioribus suæ fidei sensum noster Tuitiensis (lib. III *De operibus Spiritus sancti*, c. 22), ubi errorem hunc manducationis per fidem de proposito confutat; et ita probandum suscipit Christi corpus etiam ab indignis vere manducari, ut illud Augustini (88), *rem sacramenti non nisi digni accipere possunt*, non in Augustini sensu eos intelligere ostendat, qui illud dixisse putant non esse Christi corpus aut sanguinem quæ ab indigno percipiuntur.

Hujus difficultatis statum ex Augustini verbis Rupertus sic proponit : « Est igitur, sicut et pater Augustinus ait, in sacramento isto quod digni et indigni accipiunt, res sacramenti, quam non nisi digni accipere possunt. Sed non sicut dicta ejus a nonnullis æstimata sunt, putaverunt enim illum dixisse quod non nisi corpus aut sanguis Christi, quod indignus quisque percipit, atque secundum tanti doctoris sensum, non corpus aut sanguinem Christi, sed tantum figuram vel signum esse corporis et sanguinis Christi, id quod visibiliter sumimus de mensa Domini. »

Hac difficultate sic exposita, erroneum hunc manducationis per fidem intellectum, utpote qui Apostoli et ipsius Christi verbis aperte contradicat, a sancti Augustini mente prorsus alienum Rupertus sic ostendit : « Hoc ille non dixit, imo hoc ille non sensit. Neque enim Christo contrarius esse consuevit. Loquitur autem Christus, et per semetipsum dicens : Hoc EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS; et per Apostolum suum, cujus experimentum habemus, quia in eo loquitur Christus, dicens : *Itaque quicunque manducaverit panem Domini, et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat : qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* » Quam Apostoli sententiam non de pane communi, sed de Christi corpore et sanguine intelligendam Tuitiensis sic interpretatur : « Non dixit : Qui manducat et bibit indigne, panem manducat simplicem vel communem, et vinum bibit quale prius erat nondum consecratione celebrata, sed *reus erit corporis et sanguinis Domini;* sed *judicium*, inquit, *sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* »

Ex quo Apostoli planissimo sensu de corporis et sanguinis Christi veritate in sacrilega etiam terribilis illius sacramenti perceptione, Augustini mentem Rupertus colligit. Qua propter, inquit, non jam de contentiosa cujusdam dissertatione, sed de Apostoli veritate sensum petamus quo prædictus doctor (Augustinus) sacramentum remque sacramenti distinxerit.

Tum hujusce distinctionis explicationem doctor noster Tuitiensis prosequitur : « Rem sacramenti Christus ipse mysterium suæ dixit esse passionis, ut ante jam diximus, qui tenens in manibus hoc visibile sacramentum, cum dixisset, Hoc EST CORPUS MEUM, addidit *quod tradetur;* cum dixisset, HIC EST SANGUIS MEUS, addidit *qui effundetur.* »

Et ita juxta hanc distinctionis istius expositionem Rupertus ipse cum Augustino docet quod profana manducatio Christi corpus et sanguinem seu sacramentum ore quidem percipit, sed non rem sacramenti, cum morti Christi et illius beneficiis nequaquam indigna sacramenti manducatio communicet.

(88) Lib. sent. Pros., in quo ista modo non legitur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« At ille, subdit Tuitiensis, qui indigne accedit, non communicat Christi passionibus, non contingit ore mentis quod percipit ore corporis, unde et hoc ipsum quod indignus existit. »

Ex quibus tandem sic concludit : « Ergo corpus quidem et sanguis Christi est hoc visibile sacramentum quod ore percipit impius, neque enim indignitas ejus dignitatem tantæ consecrationis evacuare potuit; sed rem sacramenti non attingit, quia mente et fide per dilectionem operante passionem Christi non respicit, idcirco nec effectum consequitur ejusdem sacramenti, in eo scilicet ut pro eo traditum sit hoc corpus et fusus iste sanguis : sed consequitur id quod huic effectui contrarium est, ut videlicet sit reus corporis et sanguinis Domini, et judicium sibi manducaverit et biberit. »

Hæc evidentissima Ruperti doctrina est : in qua qui manducationis per fidem umbram vel levissimam suspicit, in sole maculas videt. Itane dicit quod non est corpus et sanguis Christi quod indignus quisque percipit, qui expresse concludit quod corpus et sanguis Christi est quod ore, quantumvis indignus, percipit? Itane sentit corpus Domini non in rei veritate nec nisi per fidem manducari, qui hunc sensum ut Apostolo et ipsi Christo contrarium ab Augustino repellit? Itane docet ab indigno Christi corpus et sanguinem invisibili sacramento ore non percipi, qui clare definit quod « qui indigne accedit, percipit ore corporis quod non contigit ore mentis? » Quid denique ex Apostoli, ne Christi dicam, comminantibus verbis eos arguit, qui fidem non habent quæ per dilectionem operatur, Christi carnem comedere, et ejus bibere sanguinem, sed in judicium et mortem : qui sacramentum, quod est Christi corpus et sanguis, concedit indignis; sed non rem sacramenti, quæ passionis et mortis Christi communicatio est : qui credit quod nec indignitas suscipientis « tantæ consecrationis dignitatem evacuare potuit, » qua panis et vinum mira Spiritus sancti operatione transmutantur in illud ipsum Christi corpus quod pro nobis traditum est; et in illum ipsum Christi sanguinem qui pro nobis fusus est : et qui ex his omnibus adversus nonnullos sola fide, manducantes id unum concludit, Christi videlicet corpus hoc quod pro nobis est traditum, et sanguinem hunc qui pro multis effusus est, non sola fide, sed in veritate, nec a fidei pietatem habentibus solummodo, sed ab impiis, ore corporis vere percipi et manducari; is de corporis Christi manducatione quid sentit quod catholicæ fidei non sapiat? quid docet quod Ecclesiæ doctrina non tradat?

His omni probatione majoribus censor quid opponet? Adversus hanc Ruperti fidem quod profert testimonium? Unum audio. Rupertus dixit, observat Bellarminus, « quod in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit. » At si ex isto damnatur Ruperti fides, qui S. Augustini sensus non damnabitur, qui expressissime scribit (89) quod « qui discordat a Christo, non manducat carnem ejus, nec bibit sanguinem, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ perditionis quotidie accipit. »

An Augustinus ex Ruperto? an ex Augustino Rupertus fit reus? An Augustini simul ac Ruperti doctrinam reprobabimus? non enim durius id sonat, « in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit » quam istud, « qui discordat a Christo, non manducat carnem ejus, nec bibit sanguinem, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ perditionis quotidie accipit. »

Ne quis ergo censura severiori Augustinum cum Ruperto emendare præsumat, magis ipse inde puniendus : advertat illam quæ ipso etiam ore fit, corporis Christi manducationem, eos in indignis non producere fructus quos digne communicantes per Christi merita participant : et proinde unam esse qua Christi corpus manducatur cum fructu, alteram qua Christi caro comeditur, sed sine fructu salutis, imo cum judicio perditionis.

Unde sicut sui laboris qui nullos fructus consequitur, nihil legisse dicitur, ut Gallico nostro idiomate aptissime effertur *(il n'a rien fait)*, non quod nihil egerit, sed quia egisse nihil ipsi profuit, ita corpori Christi qui communicat, nec tamen dona gratiæ sanctificantis recipit, is in sensu perfecto Christi carnem manducare vel percipere non censetur; sed ille duntaxat qui Christi carnem sic comedit, ut non ejus vitæ spiritum percipiat, hoc est qui illam ita manducat ut ex ipsa reficiatur.

Caro enim non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat. Hunc sensum nobis dat ipse Augustinus (90), ubi ait, « Christum manducare est reficiri, » id est Spiritu sanctificationis nutriri, vel, juxta Rupertum, divinæ virtutis adipe saginari.

Cui autem non certissimum est eum qui Christi fidem et spiritum non habet, nec est corporis Christi membrum, Christi carnem sic comedere ut ea non reficiatur, seu bonis illius non repleatur, sed dimittatur inanis? Cui ergo non sapientissime dixit Augustinus (91) quod « qui discordat a Christo, non manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ perditionis quotidie accepit. » Eo videlicet sensu quo (92) « Christum manducare est reficiri; quo credere in Jesum Christum, hoc est manducare panem vivum. » Et quo communicare corpori et sanguini Domini est in Christo manere; seu corporis Christi esse membrum, et unum cum eo spiritum habere? quid (93)

(89) Lib. Sent. Pros., sent 539, et leg. in c. *Qui discordat* De consec., d. 2.

(90) Serm. 2, De verb. Apost., et legitur in c. *Qui manducat*, De consec., d. 2.

(91) Loc. cit.

(92) August. tract. 26. in Joan. et legit. in c. *Credere*, De consecrat. — 2, et in c. *Ut qui.*, d. ead. 1.

(93) Aug., ser. de ver. Dom., et refertur in c. *Quid est*, De cons. d. 2 et ser. in ter. 2 Paschæ, ut refertur in c. *Quia passus*, De consecr., cad. d.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ergo minus catholice Rupertus scripsit quod « in illum, in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil, hoc est nullus vitæ spiritualis seu benedictionis fructus de sacrificio pervenit. »

Hanc enim esse Ruperti mentem eo etiam loci (lib. II *De Div. off.*, c. 9) ex quo Bellarminus verba descripsit, quæ Ruperti fidem temerare, non explicare sufficiant, nemo prudens diffitebitur. Ibi enim Rupertus inducit Berengariani furfuris quemdam, qui cum in corpore sacrificii sensum et motum non deprehenderet in altaris sacrificio non esse Christum, non esse corpus Domini ex carnis sensu totus ipse carnalis arguebat. Ipsi autem Dominici corporis seu carnis Christi veritatem in eucharistiæ sacramento Rupertus ut demonstret, et istum Berengarianæ impietatis surculum præscindat, duplicem distinguit vitam : unam animalem, quæ videlicet quinque sensibus fungitur; cœlestem alteram ac spiritualem, quæ est « Verbum vitæ, sive Spiritus sanctificationis et benedictionis, misericordiæ et pacis. » Vitæ animalis, quæ sensibus fungatur, non esse motum in corpore sacrificii Rupertus jure permittit; cœlestem vero ab eo abesse non patitur, quæ tamen « ad illum non pervenit in quo fides non est. »

Ecquis enim fidem non habenti quæ per dictionem operatur, Christi corpus in sacramento diceret esse vitam aut sanctificationem, aut misericordiam, aut veritatem, aut pacem, et non verius cum Apostolo, Augustino et Ruperto, esse mortem, perditionem, damnationem et judicium?

Quomodo autem spiritalem hanc vitam, quæ cum Verbo vitæ indivisibiliter manet in Christi corpore, ille non percipiat, qui eam carnem, in qua plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, licet indigne, vere tamen manducat; et eum sanguinem, qui est fons aquæ salientis in vitam æternam, etsi impie, vere tamen bibit; Rupertus ibidem comparatione explicat et exemplo.

Comparatio est asini ad lyræ sonum aures arrigentis, qui sicut sonum quidem audit, sed modos cantus, quamvis in sono sint, minime capit; quia non rationalis est, ut rationes seu modos intelligat : ita carnalis homo visibiles quidem panis et vini species sumit et corpus sacramenti, sed vitam spiritualem quæ in eo est, non attingit; quia animalis est, quia ea quæ sunt Dei nullatenus percipit.

In exemplum vero seu figuram Judæos adducit; qui, quia sine fide manducaverunt manna, et mortui sunt, ita qui sine fidei justitia corporis et sanguinis Christi communicat, damnationis sibi judicium manducat et bibit, reus corporis et sanguinis Domini.

Sed unde reus mortis Domini? An Christum occidit, qui ad Christi mensam indignus accedit? Ruperti audi ea pietate qua subtilitate ibi respondentem: « Qui visibilem panem sacrificii comedit, et invisibilem a corde suo, non credendo, repellit, Christum occidit. Unde occidit? Quia vitam cœlestem et spiritualem a vivificato sejungit, et dentibus suis mortuum, » quia sine spiritu sanctificationis, laniat corpus sacrificii, atque « per hoc reus est corporis et sanguinis Domini. » Hæc quos non terreant qui Christi carnem sine Spiritu Christi impie manducantes, Christum occidunt et corpus ejus laniant?

Sed quibus hæc non protestentur istis Ruperti verbis, « in illum in quo fides non est, nihil præter species de sacrificio pervenit, » non sacrificii corpus, quod est ipsa Christi caro, sed fructus sacrificii, qui sunt passionis et mortis Christi merita, excludi, ut omni sapientiæ laude sagacissimus theologicæ veritatis scrutator et doctor San-Bovius respondit, istius loci hunc esse sensum : « Nihil præter species pervenit, quod utile sit percipienti. » Quo pariter responso, eademque erga Ruperti fidem observantia dominus de Lestocque omnem hujusce passus difficultatem absolvit.

Alterum tamen hujusmodi verborum intellectum si quæsieris, præsto est; nec minus ad Ruperti mentem, nec minus ad catholicæ fidei sensum videlicet quod qui corporis Christi in eucharistia veritatem certa fide non tenet, seu in quo « fides non est » corporis illius : is sua in fide, seu potius errore suo, non Domini corpus, sed solas panis et vini species accipit, hoc est se percipere credit, non dijudicans corpus Domini, quod cibum communem reputat : sicut asinus ad lyræ sonum aures arrigit, cujus tamen modos minime discernit.

Nullo itaque sensu Rupertus a sacrilegis communicationibus Christi corpus et sanguinem abesse, aut sola fide percipi usquam edixit. Imo constanti manifestaque doctrina ex proposito demonstravit hoc ipsum Christi corpus quod pro nobis traditum est, et hunc ipsum Christi sanguinem qui pro nobis effusus est, sub panis et vini speciebus, consecratione peracta, vere contineri; et in rei veritate etiam ab impiis ipso corporis ore manducari et bibi. Hæc sancti illius doctoris fides.

Ab imanationis errore Rupertum vindicat, et eum transsubstantiationem seu conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi sensisse et docuisse probat Vindex.

Hic quid miror? hic quid garriunt æmuli? quid inania meditantur? Fingere quis potuit, sed suspicari quis potest conversionem panis et vini in Christi corpus et sanguinem ad preces seu verba sacerdotis non tenuisse Rupertum, qui innumeris propemodum locis explicatissime docet et scribit panem « transmutari, verti, converti, transire, et transferri » in Christi corpus, et vinum in sanguinem, panem effici et fieri Christi corpus et vinum sanguinem?

Utique ex iis Rupertus evincat, ex quibus arguitur? ex ejus *Commentariis in Joannem et in Exodum*, ex quibus maxime damnatur, Ruperti fides imprimis est vindicanda.

In epistola nuncupatoria librorum *in Joannis Evangelium*, ad Cunonem abbatem, luculentum habet suæ fidei testimonium; postquam enim se Berengarianis bellum indicere, et in corporis et sanguinis Christi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gleriam istos *in Joannis Evangelium Commentarios* scribere se professus est; his etiam dignis aureo sigillo verbis claudit et obsignat : « Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod videmus, scilicet panem et vinum in veram corporis et sanguinis transisse substantiam. »

Nec pollicitis deest. Nam lib. VI *in Joannis Evangelium*, exponens hæc verba : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, hæc habet : « Putabant Judæi quod concidi vellet Christus carnem suam, et manducari, » etc. « Ibi figuratio hæc perimitur et permanet sensus verbi consonus, scilicet quod panis in veram substantiam corporis ejus divina virtute convertatur. Quod si cuiquam impossibile esse videtur, scilicet ut panis qui hoc anno crevit e terra, corpus Christi fiat, et quod vinum, præsentibus expressum acinis, vertatur in sanguinem Domini, » etc. « Quia nec panis nec vinum aliquid de exteriori specie mutavit, idcirco sapere non potes nec vis quod vere factum sit corpus et sanguis Domini. » etc. « Crede et hoc, quia panis iste visibilis et vinum, quamvis nihil specie exteriori mutatum sit, in alium transierint, et in illum cibum potumque conversa sint, qui angelorum victus est, etc. Non tam plagarum timore quam veritatis amore confitemur quia panis iste et vinum hoc, expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis : *Ut nobis corpus et sanguis fiat, dilectissimi*, etc., usque *in mei memoriam facietis*, corpus et sanguis ejus est, qui traditionis hujus est auctor, etc. Quod si quis quærat quomodo panis qui hoc anno de terra creatur, corpus Christi fit quod in cruce pependit; et vinum quod præsentibus expressum est acinis, ille sanguis ejus fit quem de latere suo fudit, interrogemus eum quomodo Filius hominis, qui utique de femina conceptus et de terra natus est, de cœlo descenderit, » etc. « Panem terrenum in carnem suam transmutat. »

Hæc Rupertus in capite sexto Joannis scripsit ut adversus Berengarianos Christi corpus et sanguinem sub panis et vini exteriori specie vere contineri, panemque et vinum in Christi corpus et sanguinem converti, verti, transiisse et transmutari; et ita panem et vinum fieri et esse Christi corpus quod in cruce pependit, et Christi sanguinem qui pro nobis fusus est, fusissime declararet.

Nullam itaque meretur fidem cui tam clara et tam certa Ruperti fides adhuc manet dubia : sed is omnis de iniquo tenebitur, qui, Ruperti hac fidei professione audita, Rupertum non judicaverit maxime catholicum iis etiam in libris quos scripsit in Joannem.

Non minus sincere suam fidem jam dederat in libris quibus Exodum exposuerat. Libri enim secundi capite sexto ait : « Propriis manibus Deo Patri semetipsum immolavit, accipiens panem et vinum, et mira atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis et sanguinis sui sacramentum. »

Et ne corpus et sanguis nomine sacramenti minus expressa tibi videantur, id ipsum audi in decimo capite magis explicatum, ubi dicitur quod « operatione Spiritus sancti panis et vinum fit corpus Christi. » Iterum libro tertio, capite septimo : « Substantia, inquit, panis et vini in veritatem nobis convertitur corporis et sanguinis. » Capite decimo : « Unusquisque credat per ea verba consecrationis panem et vinum exteriori specie non mutata transferri in veram viventis corporis et sanguinis Christi substantiam. »

Ampliora exigis? Hæc accipe ex quarto libro in Exodum, cap. VII : « Species utræque panis et vini de terra sumuntur. Sed accedit substantiarum ac specierum creator Deus. . . . Non superficietenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem et sanguinem ejus Christi convertit, permanente licet specie exteriori. »

At alia forte Ruperti fides in libris *De operibus Spiritus sancti*, qui et aliquibus movere scrupulum? Ex istis dignosce, quæ libri tertii secundo capite Rupertus evidentissima profert : « Panem communem accepit, sed benedicendo longe in aliud quam fuerat transmutavit, ut veraciter diceret, HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis tradetur*. Item vini substantiam accepit, sed itidem gratias agendo, vel benedicendo sic in aliud vertit, ut diceret Veritas quæ non mentitur : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quod panis ille caro Christi factus sit, quod vinum illud in sanguinem versum sit. » Quibus, quæso, expressioribus verbis transsubstantiatio doceri et explicari potuit?

Ipse etiam libro secundo *De divinis officiis*, capite secundo, ubi luteus oculus torvum quid inspicit, ineffabilem substantiæ panis et vini in corporis et sanguinis Christi substantiam, quæ divini verbi virtute fit, transmutationem his verbis profitetur : « Panis et vinum in verum corpus et sanguinem transferuntur. » Et paulo post : « Si hujus verbi flumen super panem et vinum effluderis, et ordine qui ab ipso Christo statutus est, veritatem hujus verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum et vinum in corpus et sanguinem suum transferendo suscipit. »

Qui junior hæc adeo catholice sapiebat de panis et vini demutatione in Christi corpus et sanguinem, is non ætate modo, sed etiam fide senior et grandior factus eos vehementer objurgat, qui hujusce conversionis impugnantes veritatem, et Dominum tentantes dicebant : « Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt; nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? »

Hæc enim verbo ad sensum allegoricum deducens Tuitiensis obmurmurantes inducit (lib. X *in Matth.*), eos qui, ut istam panis in Christi corpus conversionem pernegent, Judaica perfidia dicunt : « Nunquid quia potuit Deus facere, ut patefacto crucifixi Jesu Christi latere, quod fuit percuti petram, flueret aqua cum sanguine, ut implerentur Scripturæ, sufficerentque mentibus nostris ad bibendum; nunquid quia potuit illud facere, poterit etiam panem confectum manibus hominum convertere in corpus, et vinum de palmitibus istis in sanguinem suum? »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cum ergo Judaicæ infidelitatis obloquium Ruperto fuerit negare vel minus certo credere Deum omnipotentem panem confectum manibus hominum convertere in corpus et vinum in suum sanguinem; quid, putas, Rupertus id negavit, quod ipsi nonnisi Judaica impietas negat?

Cum Rupertus panem et vinum transferri, transmutari, verti, converti et transire in verum Christi corpus, et in ejus sanguinem expresse docuerit quie sanctorum Patrum et Ecclesiæ doctorum eam pressioribus verbis unquam explicuit panis et vini in Christi carnem et sanguinem transmutationem.

Sed et qua fronte M. Claudius (94) dicere non erubuit, « qu'on ne sçauroit faire voir aucun passage de ces auteurs (Anastase, Damascène et Rupertus), qui donne lieu nécessairement à la transsubstantiation. » Quasi vero transsubstantiationis nomine aliud quid intelligi posset quam unius corporis substantiam in aliam transferri, transmutari, verti et converti.

Quamvis enim nomen istud transsubstantiationis Rupertus non usurpaverit, quod Stephanus Æduensis (95), Ruperti ætate, primus (96) scripsit, iis tamen verbis rem nominis istius, vera scilicet substantiæ panis et vini conversionem in substantiam carnis et sanguinis Christi, exprimit, protestatur et defendit, quibus SS. Patres et ecclesiastici tractatores Ruperto antiquiores, suppares, coævi et posteriores illam expresserunt, protestati sunt et defenderunt. Ipsis si credimus, Ruperto eodem cum illis et sentienti et docenti cur fidem denegabimus? In ipsis si panis et vini transmutationem in Christi carnem et sanguinem intelligimus, in Ruperto eadem cum ipsis loquente, eamdem cur non apprehendemus?

Irenæus (97) hanc transsubstantiationem sensisse creditur, cum dicit quod « quando et mistus calix et fractus panis percipit, verbum Dei, ut eucharistia sanguinis et corporis Domini. »

Tertullianus (98) illam nobis tradidisse censetur, ubi sic loquitur « acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illud fecit, Hoc EST CORPUS MEUM, dicendo. »

Origenes (99) non obscuræ istius conversionis mysterium declaravit dicens quod « oblatis panibus vescimur qui utique per precem efficiuntur corpus sanctum et sanctificans. »

Gregorius Nyss. ait (100) : « Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari, et infra per verbum in corpus mutatur, statim atque dictum est a Verbo, Hoc EST CORPUS MEUM. »

Ambrosius (101) non alia ratione hanc conversionem explicat quam nomine mutationis quam sermo divinus operatur, ea quæ erant commutando in id quod non erant, ita ut ex pane corpus Christi fiat, et vinum fiat sanguis, consecratione Verbi.

Hesychius (102) nomine translationis et commutationis eam exposuit. Et Chrysostomus (103), « qui hæc sanctificat et transmutat, ipse est. »

Apud Cyrillum (104) Alexandrinum legitur, « Deus convertens ea (oblata) in veritatem propriæ carnis. »

Euthimius (105) : Hæc, inquit, « ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus suum, et in ipsum pretiosum sanguinem suum. »

Isidorus (106) hanc transmutationem his verbis expressit : « Hæc duo, panis et vinum, sunt visibilia; sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in sacramentum divini corporis transeunt. »

Beda Vener. (107) eadem loquitur. « Panis, inquit, et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus, ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. »

Hujusmodi voces de pane et vino quæ offeruntur in altari, transeunt, transferuntur, mutantur, convertuntur in corpus et sanguinem; fiunt, efficiuntur Christi corpus et sanguis. Cum in sancti Patribus legimus substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi transmutationem, seu, ut modo vocamus, transsubstantiationem, si catholici sumus, protinus intelligimus; nam ex huiusmodi aperta constantique traditione conversionis istius fidem tenemus; quæ proinde excidit, si ad sensus alienos voces istæ violenter distrahantur, aut æquivocæ censeantur. Cum ergo easdem in pluribus Ruperti locis et libris audimus, ex ipsis et istam illius transsubstantiationis veritatem, si non invidi aut stupidi sumus, omnino debemus intelligere.

Et ne dixeris quod his quidem vocibus SS. Patres elocuti sunt ineffabile divinæ illius conversionis sacramentum, priusquam circa illud exortæ fuissent in Ecclesia contentiones quæ Caroli Calvi temporibus excitatæ sunt. At uti nata contentio, ac etiam in conciliis Vercellensi et Romano, hæresis Berengarii damnata est; aliis jam vocibus hujusmodi quam transsubstantiationem dicimus, conversionem scriptores ecclesiastici exposuerunt. Ex ipsis nonnullos non ignobilioris notæ proferam, qui hanece transmutationem propugnantes adversus hæreticos, ipsam iisdem quibus Rupertus, et non aliis expresserunt.

Sacræ huic militiæ, quam Benedictinam jure dixerim, in Dominici corporis defensionem docta generosaque fide certanti, dux præficitur Paschasius abbas Corbeiensis in Gallia, cujus ætate jam movebatur de veritate corporis et sanguinis Domini in altaris sacramento irreligiosa disputatio. Is in libro *De*

(94) La réponse au 1er Ttraité De la perpétuité de la foi De l'euch. pag. 29.
(95) Floruit ab anno 1104 ad an. 1150.
(96) Lib. De sacr. alt. c. 14,
(97) Lib. adv. hær. Valent., pag. 54.
(98) Tertullianus lib. IV contra Marcion.
(99) Origenes l. VIII contra Celsum.
(100) Greg. Nyss. serm. Catech. De divin. Sacram.
(101) Ambrosius lib. de iis qui myst. init. c. 9, et lib. IV De sacram. c. 4 et 5.
(102) Hesychius lib. VI in Levit. c. 22.
(103) Chrysostomus hom. 83 in Matth.
(104) Cyrill. Alexand. epist. ad Calos.
(105) Euthimius in Matth.
(106) Isidorus lib. I De off. eccles. 18.
(107) Beda, homilia in illud Joannis, « Vidit Joannes Jesum venientem ad se. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

corpore et sanguine Domini, hæc habet : « Advertat sacerdos quomodo sensibilis res intelligibiliter virtute Dei per verbum Christi in carnem ipsius ac sanguinem divinitus transferuntur. » Et ad tertii capitis finem, ait : « Spiritus sanctus panis ac vini substantiam, carnem Christi et sanguinem invisibili potentia, per sacramenti sui sanctificationem, operatur; quamvis nec visu exterius, nec gustu saporis comprehendatur. » Et in capite quarto, sic concludit : « Veritas ergo dum corpus Christi et sanguis virtute Spiritus in verbo ipsius, ex panis vinique substantia efficitur. » In octavo capite, ait : « Substantia panis et vini in Christi carnem et sanguinem efficaciter interius commutatur. » Capite secundo ipse jam dixerat : « Licet igitur panis in carnem et vinum in sanguinem convertatur, » etc.

His Paschasius multa suæ fidei et doctrinæ laude, nonnullis de Dominici corporis et sanguinis sacramento contra totius orbis fidem minus recte sentientibus, sed nondum ejus veritatem animo pertinaci impugnantibus, stupendam panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi conversionem exposuit.

His adorandum illud corporis et sanguinis Christi sub panis et vini duntaxat speciebus mysterium Paschasius aperuit. Quid Ruperto minus gloriæ debetur, qui ut istam corporis et sanguinis Christi veritatem genuinus explicaret, multis locis et libris indefessus scripsit et docuit panem et vinum fieri et effici Christi corpus et sanguinem; substantiam fructuum terræ, transire, transferri, verti, converti, et transmutari in verum Christi corpus quod in cruce pependit, et illum sanguinem qui pro multis fusus est?

Lanfrancus Beccensis abbas, armata manu pro corporis et sanguinis Domini veritate pugnans (107*), astruit panis et vini substantiam converti in Christi carnem et sanguinem : et ex Ambrosio, de pane fieri corpus, et vinum effici Christi sanguinem qui plebem redemit. Quid minus illustre egit Rupertus noster, qui pro eadem veritate decertans fortius sustinet et dicit panem et vinum factum esse corpus et sanguinem Christi; conversum transmutatumque esse in Christi carnem et sanguinem? Quibus quid in asserenda transsubstantiatione planius et apertius catholicus doctor eloqui potuit?

Guitmundus (108), Lanfranci discipulus, magistro succurit. Ipse jam exortam impanationis hæresim acerrime insectatus, transsubstantiationis fidem his profitetur vocibus, in primo ex libris quos *De veritate eucharistiæ* conscripsit : « Panem et vinum virtute divina in corpus Christi proprium singulari quadam potentia credimus immutari; » et infra : « In divinam carnem id quod mutatur transit. » Nec minus expresse in altero libro loquitur : « Panem et vinum in carnem et sanguinem Domini transire necessario credimus. Hanc mutationem per verba Christi necessario fieri credimus, panem hic converti in carnem dicimus.. » Hæc : si in Guitmundo impanationis errorem everterunt, et transsubstantiationis declarant et simul stabiliunt fidem, quidni et in Ruperto tot paginis profitente et demonstrante panem et vinum transire, transferri, converti et transmutari in Christi corpus et sanguinem?

Neque hic dimittenda Bellarmini in lib. *De Script. Eccl.* aucto et emendato, censoria hallucinatio, qua Ruperto impanationis auctorem, utpote qui prior monstrum istud effuderit, falso commentus est. Commenti enim illius falsitas vel ex uno Guitmundo arguitur qui Ruperto senior sua ætate jam exortas de impanatione diversas hæreses describit et impugnat.

Algerus (109) tandem, Benedictinæ illius sacræ aciei partes sustinens, ut transsubstantiationis veritatem adversus Umbraticos et Impanatores tueatur, non aliis quam Rupertus verbis Ecclesiæ fidem explicat et defendit, videlicet, « Verbum Dei substantiam panis in coexistentem substantiam carnis suæ convertere. In quam (corporis scilicet et sanguinis Christi) substantiam, panis et vini substantia conversa est, translata est, cum panis in corpus Christi convertatur, et corpus Christi fiat. »

In his si sincera Algeri et cæterorum de transsubstantiationis veritate fides, quid unus Rupertus de ea minus catholice sensit; qui de ipsa non minus expresse, nec minus catholice scripsit : qui toties firmus asseruit quod panis in veram substantiam corporis Christi divina virtute convertitur : quod panis, qui hoc anno crevit e terra corpus Christi fit, quod vinum, præsentibus expressum acinis, vertitur in sanguinem Domini. Quod panis et vinum, exteriori specie nihil mutata, vere facta sint corpus et sanguis Domini; quod conversa sint in illum cibum potumque qui angelorum victus est. Quod panis et vinum in verum Christi corpus et sanguinem transferantur et transeunt?

Neque dixeris sub æquivoco sensu hujusmodi vocum, Ruperti sæculo, eorum hæresim ut anguem in herba latuisse, qua dicebant panis et vini substantiam remanere cum corpore et sanguine Domini et cum illis hypostatice uniri, adeo ut unionis illius hypostaticæ ratione panis et vinum dicerentur corpus Christi fieri, effici; et in illud transire, transferri, converti et transmutari. Hanc enim hæresim, et omnes ejus artes noverat Algerus, qui illas refert in prologo ad libros *De sacramentis corporis et sanguinis Domini*; nec ullatenus tamen sub hujusmodi verbis istius hæreseos venenum latere suspicatus est, quibus et ipse catholicam de isto sacramento veritatem asserit.

De Algeri itaque, sed et de omnium sanctorum Patrum sensu circa corporis Dominici sacramentum

(107*) Lib. De corp. et sang. Dom., passim.
(108) Floruit ad an. 1080.
(109) Ad an. 1130 floruit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dubitet necesse est quisquis de Ruperti fide, circa tremendum illud mysterium, vel levem suspicionis scrupulum patiur. Aut si certa constansque catholicorum Patrum fides habetur, ut omni jure habenda est, nulla prorsus de recta sanaque Ruperti fide et doctrina, de vera panis et vini in corpus et sanguinem Christi transmutatione, sola remanente panis et vini exteriori specie, legitima potest suboriri suspicio. Ut tamen aliquibus qui de levi moventur fiat satis, *Expenduntur verba quibus Rupertus transsubstantiationem negare, et impanationem sentire nonnullis visus est.*

Hanc unam, in exponendis scriptoris alicujus, alioquin catholici, sententiis, tenendam esse regulam fatentur omnes, videlicet, quæ duriora videntur mitioribus esse temperanda, ut neque in asperioribus excessus, neque in lenioribus defectus arguatur. Quam regulam qui non fuerit secutus, vix ac ne vix scriptoris ullius sensum attinget, sed eum vel excessisse, vel defecisse, vel contraria fuisse locutum perperam judicabit. Exemplo sint plurima Scripturæ sacræ testimonia, quibus si sensum affigas quem verborum exigit rigor, a vero et ab eorum proinde intelligentia totus aberrabis. Ad hanc ergo Christianæ prudentiæ regulam Ruperti verba expendamus, ut certum ejus intellectum assequamur.

Rupertus in cap. 2 lib. II, *De Divinis officiis*, hæc loquitur, « Verbum unus idemque Deus sursum est in carne. Hic (scilicet in sacramento) est in pane. » Quæ subindicare videntur quod in altaris sacramento Verbum Patris æterni est in panis substantia, et quod ipse proinde remanet, ut Verbum impanetur, ut ita loquar, cum impanari nihil aliud intelligatur quam esse in panis substantia.

Hæc, fateor, Rupertus protulit.

Verum nec Rupertus istud sacramentum magis catholice exprimere potuit quam Apostolus, qui, quod accepit a Domino nobis tradens, Christi corpus in altaris sacramento positum vocat *panem* « Panis, inquit, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? De pane illo edat, » etc.

Sed nec sapientius aut altius de ineffabili hocce mysterio Rupertus aut scribere, aut dicere potuit, quam Filius ipse, Sapientia Patris, qui corpus suum in sacramento *panem* dixit : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, etc.

Errorem ergo non habet panis ista vox et absque ulla tanti mysterii et transsubstantiationis injuria Verbum æterni Patris a Ruperto dici potuit sursum in carne, hic in pane; Verbi carnem, quæ in cœlo est, a Verbi carne, quæ est sub panis specie, ita discernente, ut nomine, re et effectu una sit, juxta quæ ipse in epistola ad Cunonem et alibi expressit, et sola specie exteriori differat. Vide ergo ne dum Rupertum ex panis voce damnas, Apostoli verba redarguas, sed et ipsum Verbum æterni Patris rescindas.

In isto eodem capite 2 Rupertus scribit quod in incruento illo sacrificio, quod non tamen sine sanguine est, « sancta Ecclesia catholica verum Dei Verbum, verum Dei Filium offert creatori suo, pariter manibus panem et vinum offerens, sicut Ecclesiæ tradidit ipse Salvator. Quod denique non solum panem et vinum quæ corporaliter videntur; sed et, quod nonnisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum et verum immolans sacrificium. » Unde consequi quis fingere posset, panem et vinum cum Christi corpore et sanguine simul esse in novo illo et vero sacrificio; quo Ecclesia non panem et vinum duntaxat, sed aliud præter panem et vinum, nempe Verbum Dei, offert suo creatori.

Et quidem non mirum quod qui vult illudere, ludat in verbis. Sed nec mirum si qui vult illudere luditur. Nudus est hujusce capitis et istorum Ruperti verborum sensus. Quid ipsum obvolvis? an ut pupam fingas pupum agis? Nuda placent, si pura. Ne ergo aut illudas aut illudaris, nudus purusque Ruperti sensus exhibetur. Sancta Ecclesia catholica manibus sacerdotum panem et vinum offert, sicut tradidit Salvator accipiens in manibus panem, et inter gratias benedicens. Quid verius? Sed quid purius? Nonne sacerdotes etiamnum Deo Patri panem et vinum offerunt, sed statim cœlesti virtute in Christi corpus et sanguinem transmutanda et transferenda, ut ipse Rupertus eo in cap. explicat, Veritatis opus hoc esse declarans, quo panis et vinum in verum corpus et sanguinem Domini transferuntur? Nonne etiamnum in offerenda, quæ post evangelium canitur, et quam eo in capite Rupertus exponit, panem et vinum offerimus, ut corporis et sanguinis Verbi divini præparemus sacrificium?

Recte ergo Rupertus isto et sequenti capite offerendæ seu offertorii explicans arcana, dixit panem et vinum ab Ecclesia offerri. Recte dixit; præter panem hunc et vinum, verum Dei Filium in novo illo veroque sacrificio offerri et immolari. Sapienter denique dixit oculos fidei eos non habere, qui in hoc sacrificio, præter panem et vinum, nihil amplius intuentes, cum dicitur eis : « Corpus et sanguis Domini est, » obmurmurantes dicunt, « Quomodo est? »

Non est ergo unde male præconcepta erroris suspicio id quod in Ruperto rectius est, in pravos inflectat sensus; et quod in ipso magis catholicum legitur, in perversos errores contorqueat.

Jam ergo ex eo quod Rupertus panem et vinum, nec solum panem et vinum, sed et verum Dei Filium offerri dixerit, nemo consequi potet Rupertum sensisse in adorando eucharistiæ sacramento panis et vini remanere substantiam, et sic a Ruperto Verbum divinum impanari.

Nonum ejusdem libri cap. Ruperti censores in Rupertum objiciunt, tanquam præcipuum errorum illius fontem. Isto enim in cap. Rupertus agens de materia sacrificii, hæc posuit :

« Verbum, quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, panis ac vini accipiebat substantiam vita media, panem cum sua carne, vinum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cum suo jungebat sanguine. » Et paucis interpositis: « Verbum Patris carni et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, et pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit; quod cum in ora fidelium distribuit, panis et vinum absumitur et transit : partus autem virginis, cum unito sibi verbo Patris, et in cœlo et in hominibus integer permanet et inconsumptus. Sed in illum, in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit. » Et postea : « Panis ergo invisibilis, qui de cœlo descendit, vita est panis visibilis qui de terra creavit. Unus tamen panis est; quomodo qui de cœlo descendit, et qui conceptus et natus de utero Virginis, Christus unus est. Quapropter qui visibilem panem sacrificii comedit, et invisibilem a corde suo non credendo repellit, Christum occidit. » Et ad finem capitis : « Et his sacrificium nobis construit summus Pontifex, quibus homo totus vegetatur, id est ex verbo Dei in quo vivit homo, et ex terræ fructibus, quibus solum vivit corpus. Panis enim eorum quæ ad esum, vinum eorum quæ ad potum pertinent, primus est. »

Ex quo uno Ruperti capite triplicis eum erroris insimulant; manducationis scilicet realis per fidem; impanationis et unionis hypostaticæ panis et vini cum Verbo. Primum ex his erroribus jam supra diluimus. A tertio Rupertum infra vindicabimus. Quam autem procul sit a secundo hic, ut demonstretur, hujusce capituli nonnihil obscuri planiorem et veriorem intellectum, interjecta expositione dabimus.

Verbum divinum, quod in Incarnationis mysterio « humanam accepit naturam, « manens in carne, « panis et vini » in altaris sacramento accipit substantiam eam transferens in corpus et sanguinem suum, « vita media, » id est mediante vita Verbi, in quo Christi corpus substitit : vel « vita media, » scilicet sacramentali, quæ inter mere spiritualem et sensibilem est media, panem quem accepit, et in corpus suum convertit, et qui panis nomen sicut et speciem retinet; « cum sua carne, » in qua Verbum manet; « vinum, » quod etiam accepit et in suum sanguinem transmutavit, quodque proinde jam nonnisi in exteriori specie vinum est; « cum suo sanguine, » quem Verbum assumpsit, « jungebat, » adeo ut non duo sed unum corpus unius Christi, mediante Verbo, esset illud quod est in altaris sacramento, in quo habet vitam mediam; et illud quod est in cœlo et in quo Verbum semper inhabitat. Unde est istud « Verbum Patris carni et sanguini quem de utero Virginis assumpserat, » nec unquam dimisit. « Et pani ac vino quod de altari assumpsit, » sed in corpus et sanguinem in sacramento mutavit, « medium » inter hanc carnem et hunc Christi sanguinem, secundum speciem quam habet in cœlo; et eamdem carnem eumdemque sanguinem, secundum panis et vini speciem quam habet in sacramento, « interveniens, unum sacrificium » seu unam hostiam, unum Christum, et unum Christi corpus, quod A re non est aliud in cœlo, et aliud in sacramento; cum sive in sacramento sive in cœlo verum sit et unum Christi corpus in Verbo subsistens, « quod cum in ora fidelium, » in communione « distribuit; panis et vinum, » utriusque species quæ remanet in sacramento, « absumitur et transit. « Partus autem Virginis corpus Christi « cum unito sibi Verbo Patris » unitum manens Verbo Patris « et in cœlo » secundum propriam speciem, « et in hominibus » in sacramento sub panis et vini specie « integer permanet et inconsumptus. » Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, quæ proinde transmutata eorum substantia in Christi corpus et sanguinem, solæ supersunt, nihil, quod vitæ spiritualis quidquam conferat percipienti, « de B sacrificio pervenit, » non videlicet Christi corpus secundum rem seu fructum sacramenti, quod illis est in judicium damnationis et mortis, sed ne quidem panis substantia quæ non remanere satis indicatur, cum præter species nihil de sacrificio ad eos pervenire dicitur. « Panis ergo invisibilis » Verbum Patris quod est panis ille, qui de cœlo descendit, « vita est panis visibilis qui de terra crevit; » in eo si quidem Verbo Christi corpus, quod in sacramento factum est ex pane visibili, nomen ejus sicut et exteriorem speciem retinens, substitit vita media, scilicet sacramentali. « Unus tamen panis est, » Verbum Patris, et Christi corpus, quod sub panis exteriori specie in Verbo nihilominus vivit et subsistit. « Quomodo qui de cœlo descendit, et qui conceptus et C natus de utero Virginis, Christus unus est? » Sicut enim unus Christus est, et qui de cœlo descendit, et qui conceptus et natus est de utero Virginis, propter unitatem Verbi in quo, tam qui de cœlo venit quam qui de Virgine natus est, subsistit, ita unus est panis, seu unum est corpus, et quod est in cœlo, et quod est in sacramento; propter unitatem Verbi in quo, tam corpus quod est in sacramento, quam illud idem quod est in cœlo, subsistit et vivit. « Quapropter qui visibilem panem, » qui sub panis specie Verbi caro est, « sacrificii comedit, » in reali corporis Christi manducatione, « et invisibilem, Verbum a corde suo non credendo » esse in corpore seu carne Christi in mysticis speciebus, « repellit, D Christum occidit, » a carne seu a vivificato corpore sua infidelitate separans Verbum, quod vita est, et in quo caro ista vitam habet subsistentem. « Ex his sacrificium nobis construit summus Pontifex quibus toto homo vegetatur, id est ex Verbo Dei in quo v v t homo; et ex terræ fructibus, » pane et vino, quæ vere fructus terræ sunt, sed in Christi corpus et sanguinem divini Verbi consecratione transmutandi; « quibus, quatenus fructus terræ sunt, « solum vivit corpus, » etc.

Ex brevi ista plana facilique hujusmodi capituli ad Ruperti mentem expositione, cuivis parum perattendenti fit evidens Rupertum nihil aliud in isto capite docere quam a Verbo divino assumi panem transferendum et transmutandum in propriam carnem;

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et hunc panem, a Verbo sic assumptum et transmutatum in sacrificio, non aliam esse carnem ab ea quam Verbum habet in cœlo; sed unam esse; quia unius illius Verbi caro est, sive quæ in cœlo, sive quæ est in sacrificio. Quæ quid erroris habeant, et quantum ab impanationis hæresi aliena sint, judicet quisquis de Christi carne non secundum carnem, sed secundum spiritum sapit.

Nec quem movere debet quod Rupertus, in subsequentibus ejusdem libri capitulis, tremendum illud mysterium vocat panis et vini sacramentum. Cum sancti Patres ex Apostolo, et ex ipso Christo, illud appellare panem, vel panis sacramentum, nullatenus dubitent; qui tamen veram substantiæ panis in Christi corpus conversionem, his vocibus non modo non negant, sed suis interpretationibus evidenter astruant. Nec ergo Rupertus illas his verbis negasse censendus est, qui si mysterium istud panis et vini nonunquam vocat sacramentum, pluribus etiam aliis in locis illud, corporis et sanguinis Christi sacramentum nuncupat. Nonne in Exodum scribens dicit quod Christus panem et vinum, mira atque ineffabili sanctificationis potentia, transfert in corporis et sanguinis sui sacramentum? Quod sacramentum istud corporis et sanguinis est corpus et sanguis Domini, quod ipse Christus suis manibus sub specie panis obtulit? Non ab re igitur, sed absque ulla eucharisticæ veritatis injuria, mysterium istud corporis et sanguinis Domini, sacramentum panis et vini a Ruperto nuncupari potuit.

Quod si et in duodecimo, capite 2, istius libri *De divinis officiis*, Rupertus dicit: « Post consecrationem, quinarium crucis signaculum panis et vini imprimi substantiæ, » audi quæ sequuntur, et ex his Ruperti sensum discernes. Non enim quinarium crucis signaculum imprimi dicit panis et vini substantiæ in suo esse permanenti, sed veraciter concorporatæ Christo sedenti ad dexteram Patris, hoc est, juxta Ruperti intellectum, quæ cum panis substantia fuerit, virtute divina, per ineffabilem conversionem, facta est unum verum Christi corpus, illud idem ipsum quod in cœlo sedet ad dexteram Patris, ut supra jam explicuimus, et fusius infra ex ipsomet sumus explicaturi. Ad alia solvenda progrediamur.

Rupertus verba hæc Exodi, *Non comedetis ex eo crudum quid, non coctum aqua, sed tantum assum igni*, de corporis et sanguinis Domini sacramento sic interpretatur: « Totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus effectus non est destruere vel corrumpere substantiam, quacunque suos in usus assumit; sed substantiæ bono permanenti. » Hæc verba critici maxime notant, in quibus impanationis errorem a Ruperto evidenter expressum volunt. « Quod erat invisibiliter adjicere quod non erat; sicut humanam naturam non destruit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in virtute personæ conjunxit, sic substantiam panis et vini secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit cum eidem Verbo in unitate corporis ejusdem quod in cruce pependit; et sanguis ejusdem quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item quomodo Verbum a summo demissum, caro factum est, et non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis et vinum, utrumque ab imo sublevatum, fit corpus Christi et sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque divinæ scilicet et humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem, » etc.

Ad hæc Ruperti censores exclamant: Qui expressius negari potuit transsubstantiatio, et impanatio doceri? Si enim Spiritus sancti operatio substantiam non destruit, sed substantiæ bono permanenti invisibiliter adjicit, quod non erat; si denique panis substantiam non mutat aut destruit, qui verum erit quod invisibili Spiritus sancti operatione tota destruitur panis et vini substantia; quod substantiæ panis et vini nihil remanet; sed in corpus et sanguinem Christi tota mutatur? Quid his pugnantius

Nihilominus tamen qui Ruperti fidem adductis comprobatam testimoniis acceperint, qui panem et vinum in Christi carnem quæ pro nobis in cruce pependit, et in sanguinem qui pro nobis fusus est, transire, transferri, transmutari, verti et converti, ab ipso audierint: qui denique adverterint eo etiam capite hoc unum a Ruperto maxime doceri, « quod per baptismum consecrato cuique, et a macula veteris cibi, per quem periit humanum genus, emundato corpus et sanguis Christi traditur: quod in sacramento corpus Dominicum comedimus: » et tandem quod « operatione Spiritus sancti panis corpus, vinum fit sanguis Christi, » etc. Quæ nonnisi ea posita, quæ transsubstantiationis nomen obtinuit, conversione substantiæ panis et vini in Christi carnem et sanguinem, in perpetuo Ecclesiæ sensu consistere nequaquam possunt.

Hi objectis obscurioris intelligentiæ verbis neutiquam cedent, ut a Ruperti doctrina veluti minus catholica recedant: sed ejus mentem altius scrutati deprehendent ab ipso non negari substantiæ transmutationem, qua per Spiritus sancti virtutem res ita desinit esse quod erat, ut incipiat quid esse perfectius quod non erat; imo hanc ipsam immutationem ab eo non semel definiri.

Rupertus enim primum Christi miraculum explicans ait (lib. II *in Joan.* post med.) « quod Deus de aqua vinum fecit; et in vitibus omni anno, eadem potentia, terræ gremio susceptam in vinum transire facit aquam. Hic autem, ubi enectus deest ordo naturæ, testatur vinum ex aqua factum, quoniam naturæ Dominus est. Et infra notandum quod Dominus nec de nihilo vinum quo convivas lætificaret, nec de nihilo panem fecit quo turbas esurientes satiaret, nec aliquid omnino in tota suorum serie signorum de non existentibus fecit; sed vel existentia in majus et melius provexit, faciendo de aqua vinum, » etc. Quæ manifeste declarant Rupertum nullatenus Spiritus sancti operationis eas immutationes detrahere,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quibus res ita desinit esse quod erat, ut in majus et melius provehatur; sed eas duntaxat Spiritus sancti virtuti non tribuere, quibus res in primum sui nihilum ita ducitur, ut nihil ex ea supersit.

Cum ergo Rupertus dicit bono substantiæ permanenti quod erat, invisibiliter adjici quod non erat, nullo modo intelligit in hisce rerum transmutationibus, quas Spiritus sancti virtus operatur, res ita incipere esse quod non erant, ut non dimittant esse quod erant; sed simul idem sint quod erant, et incipiant esse quod non erant: alioquin vinum, ex aqua factum, non vinum duntaxat Ruperto fuit, sed aqua simul et vinum, quod quis non rideat vel sentiri vel Ruperto ascribi? quis ergo non miretur vel stupeat a censoribus non intelligi quam recto sensu Rupertus dixerit quod Spiritus sanctus panis et vini substantiam secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, mutatione videlicet destructiva; ut adjecto verbo *destruit* aperte Rupertus indicat: sed bene mutatione perfectiva; cum nempe eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, ita conjungit; id est ex ipso Ruperto innumeris locis, cum panem et vinum transmutans et convertens in corpus Christi Filii Dei dicentis: HOC EST CORPUS MEUM *quod pro vobis tradetur*, HIC EST SANGUIS MEUS *qui pro multis effundetur*, facit ut jam ea sint Verbi caro et sanguis; et proinde unum corpus cum eo quod in cruce pependit; seu potius illud ipsum corpus quod cruci affixum est, cum Verbi Dei nonnisi unum et idem corpus sit?

Quis ergo non videat ex eo Ruperti dicto, *bono substantiæ* permanenti quod erat, invisibiliter adjici quod non erat, a censoribus inferri sensisse Rupertum quod panis, qui in Christi corpus convertitur et transit, simul panis permanet; quasi vero et ex eodem deducerent in sensu Ruperti aquam, quæ in vinum transmutata est, mira Spiritus sancti potentia, suam semper aquæ retinere naturam, adeo ut vinum simul sit et aqua? Hos itaque cachinnos ne moveant; ea Ruperti verba, non de qualibet mutatione, sed de penitus destructiva, si sapiunt, intelligant.

Porro advertant a Ruperto minime dictum quod Spiritus sanctus panis et vini substantiam, secundum se et simpliciter (scholæ voces non abhorreat distinguendi necessitas), sed « secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, » non mutat aut destruit. Quod quid aliud dicere est quam Spiritus sancti operationem, qua panis et vinum in Christi corpus et sanguinem vertuntur, non mutare sensibiles panis et vini species, licet panis et vinum sub illis jam non sint, sed corpus et sanguis Domini. Et hanc esse Ruperti mentem ea omnia persuadent, quibus frequentissime Rupertus docet « panem videri, sed esse corpus Christi: sub panis et vini specie esse Christi corpus et sanguinem, » et his similia.

Quæ si male præsumptam suspicionem non superant, ipsi legunto quæ Rupertus in cap. 6, lib. II, *in Exodum* scripsit: « Manibus suis, inquit, corpus et sanguinem suum sub specie panis ipse summus Pontifex obtulit. » Et in cap. 7, lib. IV: « Species utræque panis et vini, ait Rupertus, de terra sumuntur; sed accedit substantiarum ac specierum creator Deus; non superficietenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem et sanguinem ejus convertit, permanente licet specie exteriori. » Prius jam in capite 32, lib. VII *in Gen.* scripserat « quod panis admotus et immersus terribili mysterio passionis Christi, adhuc panis videtur esse quod erat; et tamen in veritate Christus est, quod non erat. »

Qui tamen expresse dicit panem et vinum in corpus et sanguinem Christi converti, remanente tamen exteriori specie, haud dubie non sensit panis et vini remanere substantiam, sed conversionem panis et vini in Christi corpus et sanguinem, quam transsubstantiationem vulgo vocamus, indubius asseruit. Qui tam aperte scribit panem immersum terribili passionis Christi mysterio videri esse quod erat.

Falso itaque Claudius minister (110) posuit a Ruperto eo capite lib. II *in Exodum* eversum esse eucharisticæ transsubstantiationis mysterium. Sed et alii viderint Ruperti censores, qua fidei religione, qua juris æquitate, quæ in obscuris sicut et in dubiis pro possessore vult esse pronuntiandum, Rupertum, quasi qui impanationis errorem vel induxerit, vel saltem probaverit, et novo isto erroris figmento Lutheranis præluserit, ex obscuris, incertis levioribusque damnarunt; non auditis, quæ sanam Ruperti fidem ineluctabiliter probant, evidentissimis, firmissimis gravissimisque testimoniis. Refellendus hic unus occurrit Gregorius a Valentia, qui de Ruperto aliud a cæteris cogitans, non negatam ab eo transsubstantiationem, sed in solis accidentibus ab eo positam dicit substantiarum mutationem; adeo ut in Ruperti mente, si Gregorio credas, nonnisi accidentibus substantiæ differant, et una in aliam transeat sola accidentium transmutatione.

Singularem hanc de Ruperto sententiam Gregorius a Valentia ipse sic exponit in 3, disp. 6, q. 3, punct. 2, par. VII, ubi cum sibi objecisset quod Rupertus abbas in cap. VII Joan. negat in sacramento mutari substantiam, sic objecto respondet: « Quod vero ad Rupertum abbatem attinet, nihil hic auctor peculiare de transmutatione ista docere voluit, sed errorem quemdam suum, qui pugnat etiam cum philosophia, hinc similiter, sicut etiam ad alias rerum mutationes accommodavit. Est enim arbitratus eamdem esse substantiam panis, vini, corporis, sanguinis, et aliarum hujusmodi rerum, tantumque eas differre accidentibus; ac proinde censuit cum panis et vinum in corpus et sanguinem revera transmutantur, non mutari ibi rei substantiam. Quare testimonium istud Ruperti ex parte quidem potius est pro nobis: si

(110) Ubi supra, p. 20.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quidem sensit ita re ipsa mutari hic panem in corpus Christi, sicut mutari solet una res in alteram, quando juxta veram philosophiam mutatur substantialiter. »

Hic Gregorius a Valentia Rupertum non arguit erroris adversus transsubstantiationis fidem, sed duntaxat adversum humanam de rerum transmutationibus doctrinam; et Rupertum in philosophiam magis quam in catholicam veritatem peccasse objurgat. Verum et peripatheticæ hujusce censuræ momenta ponderanda sunt. Et adversus ipsam imprimis statuo Rupertum rerum principia, causas, alterationes et transmutationes perfecte novisse.

Novit enim 1. a Deo creatum unum commune principium, ex quo creata sint; materiam scilicet informem, quæ hyle dicitur; et est proprie dicta substantia, utpote primum subjectum ex quo et in quo suum esse habet quidquid in orbe inferiori creatum est, animam rationalem cum exceperis.

Novit, secundo, primam hanc substantiam per modos diversos, diversas qualitates et proprietates, diversimode figurari; diversisque hujusmodi formis indutam diversas exhibere species. Sic elementa formantur, quæ ex hyle seu creata materia informi suum esse deducunt, et a variis modis, qualitatibus et proprietatibus, suam formam suumque nomen fortiuntur. Sic terra, quæ ex hyle suum esse habet, terra dicitur ex eo quod sit gravis et sicca.

Novit, tertio, cætera constare ex elementorum substantiis, quarum diversa figuratio sub diversis modis, proprietatibus et qualitatibus, diversas rerum quæ ex illis compositæ sunt definit naturas. Sic terra figurata æris specie dicitur æs; et ipsum æs figuratum specie regis, dicitur rex. Et hæc omnia, sive artis sive naturæ opera, ex materia simul et forma consistunt, et mutabilia sunt.

Hanc omnem verioris philosophiæ doctrinam Rupertus his verbis describit (lib. II *De div. offic.*, c. 6): « Artifex cum fabrili arte statuam figurat, materia formata, ejus est æris species, scilicet imago imperatoris; aut, si maluerit, simulacrum Jovis. Ita, quod statuam nominamus, non est id quod est, quia non unum aut simplum aliquid est. Sic ne ipsum æs, antequam in ipso figuretur, simplum quid est, utpote cujus materia terra est multum ipsa differens, quæ videtur, æris specie. Ipsam quoque si consideres terram, non est id quod est, ut puta quæ a forma nomen habet; dicitur enim terra ex eo quod sit gravis et sicca : suum autem esse sumit ex hyle, quam dicunt materiam creatam informem. Similiter homo non est simpliciter hoc vel hoc, videlicet quia constat ex partibus, quæ sunt anima et corpus, quas solubili vinculo nexas procul dubio mors dissociat. Sic et cætera quæcunque sunt ex materia simul et forma, ut dictum est; ideoque accidentium multitudini subjacent et mutabilia sunt. At vero Dei substantia simpla est, non formata, sed solummodo forma, forma, inquam, carens materia. » Ex his paucis, velut ex ungue leonem, disce.

Novit, quarto, duplicis generis esse modos et qualitates; substantiales alias, et alias accidentales. Illæ sunt, quæ rei constituunt speciem, et quæ propterea, ut philosophi loquuntur, a re inesse suo permanente separari non possunt. Hæ vero, quæ sive in se mera sint, accidentia, sive per se substantiæ sint, rei in sua natura constitutæ ita adveniunt, ut ipsius non immutent speciem; vel sic absunt, ut nihilominus res suam servet entelechiam.

Ista Rupertus sic ponit (lib. X *De divin. offic.*, c. 6) : « Omnis humana vel angelica creatura, omnesque substantiales qualitates, sine quibus nusquam ulla potest vel cogitari substantia, videlicet esse, vivere, sentire, et discernere, quæ naturaliter insunt; et idcirco eidem abesse non possunt, per Filium simul cum ipsa substantia conditæ sunt. At vero bene esse, sancte vivere, recte sentire, prudenter discernere, vel sapienter intelligere, accidentales qualitates per Spiritum sanctum appositæ sunt : quas ex eo constat accidentales esse, quia videlicet adsunt bono, et absunt malo homini vel angelo, natura vel substantia permanente. Et ne quis calumniæ locus patere videatur, sic dictum est has qualitates accidentales esse, cum ipse Spiritus sanctus, cujus hæc dona sunt, substantia sit; sicut mulieri procul dubio accidens est fetam esse, cum semen quo imprægnata est, vel illud de quo et per quid semen in ea transfusum est, substantia sit. Hæc notis illustret philosophus cujus hic partes non ago. »

Novit, quinto, Rupertus diversas rerum species non ex accidentibus, sed ex substantialibus qualitatibus definiri; ut inter diversas naturas non accidentale duntaxat, sed et substantiale, discrimen intercipiatur. Quamvis enim non per formam, quæ distincta in se et re substantia sit, res una discernatur a cæteris, non propterea tamen accidentalibus solum qualitatibus, sed substantialibus, quibus ipsa constituitur, maxime distat ab aliis. Et licet qualitates substantiales, in se et secundum rem accidentia sint primo subjecto, seu primæ substantiæ esi adveniunt, non tamen naturæ illi quam constituunt, et ratione cujus dicuntur substantiales. Hæc fluunt ex præcedenti.

Novit, sexto, unius ejusdemque substantiæ transmutationes et generationes fieri novis modis occurrentibus, novarumque qualitatum accessu, ac etiam diversis maturationis gradibus. Hæc Rupertus alio in opere (lib. II, *in Joan. post. med.*) edisserit, ubi eam aquæ in vinum conversionem, quæ sola naturæ energia sit in vitibus, his exprimit : « Cæteris omnibus elementis cooperantibus efficitur hoc, quod aqua vinum sit in vitibus. Primo namque terræ gremio aqua suscipitur; sine cujus ope nullam posset præstare pinguedinem vitium, sive herbarum, vel arborum radicibus. » Ubi Rupertus aquam primum esse naturæ principium sapientissime docet; quod et Helmontius hoc sæculo feliciter demonstravit. « Dehinc aeris blanda temperie provocatur ut erumpat in palmitibus, simulque beneficio caloris accedente, frondescit palmes, florescit, et uva paulatim decoquitur. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Quem, precor, apud sagaciores naturæ indagatores reperis, qui mirandum hoc naturæ opus disertius exposuerit; et diversos maturationis gradus, quibus internum efficiens externi beneficio totam rei scænam peragit, clarius, brevius et doctius quam Rupertus noster explicuerit?

Absit itaque Rupertum in sanioris philosophiæ placita peccasse, qui illius profundiora sagacissime scrutatus est, et ejus altiora subtilissime attigit. Non res solis accidentibus seu qualitatibus, ut vocat, accidentalibus, quæ rei videlicet essentialem suæ naturæ perfectionem jam adeptæ contingunt, inter sese differre Rupertus usquam sensit ac docuit. Non rerum ab una specie ad aliam transmutationes solis fieri illius speciei accidentibus ullibi dixit. Etiamsi aquam, accidentis adjectione, in vinum transire nonnunquam Rupertus scripserit, accidentis nomine, non accidentales solum qualitates, quæ a rei natura abesse possunt, significatas intelligens; sed substantias etiam substantialesque qualitates, quatenus materiæ seu primo subjecto accidunt.

Falso igitur theologus Peripateticus respondit quod Rupertus arbitratus sit eamdem esse substantiam panis, vini, corporis et sanguinis, et aliarum hujusmodi rerum, solisque ipsas accidentibus differre. Falsissime vero dixit Rupertum censuisse in hocce corporis et sanguinis Christi sacramento, rei, hoc est, panis et vini, non mutari substantiam, cum tot prædductis testimoniis Rupertus sensisse probetur et docuisse panis et vini substantiam in Christi corpus et sanguinem transire, converti et transmutari. Quod qui verum esset, si quæ panis, eadem esset et sanguinis Christi substantia? Quomodo, inquam, panem et vinum in Christi corpus et sanguinem transmutari veraciter ab eo diceretur, qui unquam in aliam substantiam mutari denegaret?

Hac ergo unica et brevi argumentatione theologo-philosophum falsi convinco. Rupertus admittit panis et vini in corpus et sanguinem Christi transmutationem. Hoc ipse a Valentia concedit, quod nec inficiari potest. Ergo transmutatio vel est substantiæ vel est accidentis; cum in re nihil aliud sit et esse possit, juxta ipsiusmet Gregorii scholam. Annon est accidentis? nec enim a Valentia auderet Ruperto imponere quod usquam dixerit ipsas et solas panis et vini species, seu accidentia, in sacramento mutari; quem in confesso est apud omnes infinitis propemodum locis docuisse ipsas solas exteriores panis et vini species in corporis et sanguinis Domini sacramento remanere. Superest ergo ut, quam Gregorius fatetur a Ruperto doceri, panis et vini transmutationem, fateatur in ipsa Ruperti doctrina non esse accidentis sed substantiæ conversionem.

Et sic Gregorius suum potius corrigat sensum, quam Ruperti doctrinam emendet; quæ tot censuris non fuit exagitata et expuncta, nisi ut potentius vindicata prodiret illustrior; et magis probata fulgeret purior, fugata omni impanationis, ut Guitmundus loquitur, et invinationis umbra.

Quod si quis tam paræ Ruperti fidei objicere velit errorem unionis hypostaticæ panis et vini cum Verbo Patris, ad hunc censum præallata Ruperti verba transferens, quibus vel obscuret, vel omnino deleat tanti doctoris gloriam, et hanc facile nebulam luce veritatis discutiemus.

Ab errore unionis hypostaticæ panis et vini cum Verbo Patris in altaris sacramento venerabilem Rupertum defendit Vindex, et primo erroris illius sensum exponit.

Catholica fides de tremendo hoc corporis et sanguinis Domini sacramento credit et profitetur :

Non solam in eo corporis et sanguinis Christi esse figuram, sed illud ipsummet Christi corpus, quod ex Virgine sumptum in cruce pependit, ipsumque illum Christi sanguinem qui pro multis fusus est; 2. panem et vinum transire seu transferri, transmutari, verti et converti in verum Christi corpus et sanguinem, sola remanente exteriori panis et vini specie.

In duobus his stat nostræ circa hoc sacramentum summa fidei, quam ut evertant nihil non moliuntur nostri temporis hæretici. Ipsam perpetua catholicorum scriptorum traditione obfirmatam a nobis immobiliter teneri ubi deprehenderunt, istorum verba sensum et mentem pervertere, hoc est in suos errores convertere omni studio conati sunt, hoc uno fidem nostram posse concuti existimantes.

Albertinus præ cæteris (lib. III, pag. 902), cum Anastasium Sinaitam (111), Germanum Constantinop. (112), Joan. Damasc. (113) episcopos, conc. Nicæn. II, (114) Nicephorum Constantinop. (115) audiret aperte negantes hoc, quod est in eucharistiæ sacramento, esse corporis et sanguinis Domini figuram et imaginem, eo videlicet intellectu quo figura et imago rei præsentiam excludit, et pro ipsa absente substituitur, et clare professos hoc esse illud ipsum corpus, quod de Virgine natum est; et illum ipsum sanguinem qui de Christi in cruce pendentis latere fluxit : panem denique et vinum in verum Christi corpus, quod pro nobis affixum est, et in verum ejus sanguinem, qui ad exhaurienda multorum peccata effusus fuit, Spiritus sancti operatione transire, transferri, transmutari et converti : expressioribus hisce testimoniis ne virtus cedat, eis sensum affingit prorsus alienum. Quem putas? qui nec ipsius erroris faveat, nec nostræ patrocinetur fidei : ut si non ipsius, nec noster sit, sed omnino diversus.

Verum novator iste cum frustra mentita parentem, clamans nec mihi, nec tibi, sed dividatur, hac voce suum mendacium prodit. Quem ergo sensum evidentissime huic sanctorum Patrum doctrinæ, quam a nostris partibus nititur distrahere, Albertinus attri-

(111) Circa ann. 655.
(112) Circa ann. 720.
(113) Circa ann. 740.
(114) Circa ann. 787.
(115) 806

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

linit? Quem alius a subtili erroris magistro et ministro non excogitasset.

Commentus est enim mutatam esse a prænomiatis doctoribus Ecclesiæ fidem, quæ si ipsi credimus, quod absit! nonnisi figuram corporis et sanguinis Domini in altaris sacramento hactenus professa fuerat. Et ne vel invitus agnoscat ab his veram substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi conversionem prædoceri, his eorum verbis quibus panem et vinum fieri Christi corpus et sanguinem, in corpus et sanguinem Domini transire, transferri, converti, et alia hujusmodi, expresse professi sunt, Albertinus vult hypostaticam duntaxat intelligi panis et vini cum Verbo divino unionem; qua videlicet panis et vinum in personæ unitatem conjuncta Verbo, et proinde simul ejus corpori et sanguini, vere dici possint, in Albertini sensu, corpus et sanguis Domini; sicut homo in Christo, propter hypostaticam naturæ hominis unionem cum Verbo Dei, vere et catholice dicitur Deus.

Novum istud Albertini commentum doctissime confutavit liber æterna luce dignus, cui titulus est : *La perpetuite de la foy de la veritable presence du corps et du sang de Jesus-Christ au saint sacrement de l'Autel.* Scio quidem acutissimam libri istius prodiisse refutationem, si refutatio dicenda est, et non magis errorum repetita congeries : (116) at et ipsa, repetita confutatione potentius dissolvetur ab indefessis catholicæ veritatis propugnatoribus. Hic labor non illarum est partium quas hic sustineo.

Hoc tamen unum non extra rem nostram facile dixerim : istam videlicet hypostaticæ panis et vini cum Verbo divino unionis hæresim, nedum exortam Guitmundi Aversani episcopi ætate, qui undecimo sæculo florebat usque ad annum millesimum octogesimum. Tria hujus rei certam fidem faciunt cuivis qui non omnem fidem rejicit.

1. Guitmundus ipse, Impanatorum recens natam hæresim accuratius exponens (117), validiusque confutans, manifeste declarat neminem esse qui eam admodum unionis hypostaticæ divini Verbi cum natura humana ausit defendere, quive impanatum asserat Verbum; sicut Verbum carnem factum credimus; vel qui panem et vinum dicat unum esse Christum, sicut Deum et hominem unum esse Christum confitemur. « Unde igitur, inquit, eucharisticus hic athleta, eos malus error iste impanationis pervasit? totus mundus concinit, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus : nemo dicere audet, ita Deus et homo et panis et vinum unus est Christus. Unde igitur istis nova hæc companatio? »

2. Quamvis impanari Christum et invinari doceret nova hæc hæresis, panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem ejus et sanguinem verti nequaquam credebat; sed panem et vinum cum Christi corpore et sanguine misceri, seu Christi corpus et sanguinem sub pane et vino latere existimabat ut Guitmundus eodem libro testatur.

3. Guitmundus, qui ea omnia quibus hæc hæresis innixi videbatur, studiose inquirebat et discutiebat exacte, hypostaticam istam panis et vini cum Verbo unionem nullatenus protulit; quam tamen non simulasset, nec dimisisset, sed vehementer impetiisset, si in ea tunc temporis sita fuisset nova hæc companationis hæresis.

Imo ipse eo loci totus est in sanctorum Patrum sententiis, ex quibus adversus istos impanatores demonstrat panem et vinum, mira Spiritus sancti operatione, fieri corpus et sanguinem Christi, transire, transmutari et converti in Christi corpus et sanguinem. Quæ sane ridendus effutilisset, si ea ipsa ultro admittentes adversarii, ea in sensu hypostaticæ unionis exposuissent, quem Guitmundus nequidem attingere ausus sit. Ridendus ergo magis ille est, qui panaceæ unionis istius hypostaticæ hæresim a pluribus retro sæculis natam, et a multis non obscuri nominis tractatoribus, quos supra produximus, liberius traditam, audenter asseveravit.

Ipsa Guitmundo junior, non nisi sequenti sæculo prodiit, circa Algeri tempora, qui dum sæculo ineunte duodecimo, ad annum millesimum centesimum tricesimum floreret, hanc hæresim, ut novam et absurdam, his verbis describit : «Errantes quidam de quibusdam sanctorum verbis, dicunt ita personaliter in pane impanatum Christum, sicut in carne humana personaliter incarnatum Deum. Quæ hæresis, quia nova et absurda est, rationibus et auctoritatibus, prout Deus aspiraverit, radicitus est exstirpanda. »

Post hæc fundamentum, cui novum hunc superstruebant errorem, Algerus subjicit : « Ex quadam enim similitudine, inquit, B. Augustini in libro Sententiarum Prosperi, suam sumunt et defendunt hæresim qua dicit sacrificium Ecclesiæ duobus confici duobusque constare; sicut persona Christi constat et conficitur ex Deo et homine. Dicunt enim male subaudiendo, ita personaliter sacrificium Ecclesiæ, id est Christum, in altari sacrificatum duobus constare in eadem persona, sicut persona Christi constat ex Deo et homine. »

Quid etiam ipsi respondeant ad ea quæ perverso hinc dogmati objiciuntur, non tacet fortis hic Eucharistici sacramenti defensor : « Si autem, ait, opponitur illis quod illa elementorum species non sit cum Christo una persona, sed tantum sacramentum ejus, mysterium et figura : nec sic desistunt, dicentes, quia ita dicit beatus Ambrosius ad Gratianum; sicut dicitur sacramentum assumpti hominis, sic dicitur sacramentum Dominici corporis; et B. Maximus, Deum sub carnis mysterio venientem

(116) Has Ruperti vindicias auctor emiserat priusquam a firmissimo catholicæ fidei defensore, sapientissimoque doct. D. Arnaldo liber ultimus prodiisset.

(117) Lib. III De corpor. et sang. Christi in euch. veritate.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hemque in multis Scripturis dicitur Deus apertus humana forma vel figura; sicut Christus in altari, panis forma vel figura. »

Et paucis interjectis, absurdum hunc errorem ex his, quæ opponebant, iterum sic explicat : « Sed item opponunt quia ita dicitur Christus assumere speciem vel formam panis in altari, sicut Verbum Dei speciem vel formam carnis in utero virginali; et sicut Verbum fit caro, sic panis fit eadem caro. »

Hæc autem omnia novæ istius hæreseos commenta Algerus rationum et auctoritatum pondere validissime concutit et funditus evertit. Quod rei nostræ est prosequor.

Hisce Algeri et Guitmundi testimoniis probatissimum fit et evidentissimum quis novæ illius et absurdæ hæreseos Verbum hypostatice impanantis et invinantis sensus fuerit; quæ fetulentis istius erroris origo; et tandem quæ pestiferi hujusce monstri fuerint incrementa.

1. Berengariani non nisi figuram et signum corporis et sanguinis Christi in sacramento posuerunt.

2. Ecclesiæ vero auctoritate rationibusque compressi, et ab ista pravitate dejecti ad eam, ut refert Guitmundus, confugerunt impietatem, qua Christi corpus et sanguinem in eucharistiæ sacramento credentes, Christi corpus cum pane, quo posset comedi, et ejus sanguinem cum vino, quo possit potari, impie finxerunt; circa Guitmundi ætatem, qui hanc hæresim vocat novam *companationem*.

3. Cum autem nihil eis suppeteret unde hanc Christi impanationem vel defenderent, vel utcunque suaderent; nullusque ea ratione Christum, qua Verbum incarnari profitemur, impanari hactenus ausus esset dicere, ut ipse Guitmundus testatur; errori tandem suo frena laxantes, circa Algeri tempora, eo blasphemiæ sese egerunt præcipites, ut panem et vinum hypostatice unita Verbo, et ab eo in personæ unitatem assumpta cum carne et sanguine, ore sacrilego pronuntiarent, teste Algero, sicut naturam hominis a verbo assumptam ex catholica fide credimus.

Hæc prima et vera hypostaticæ impanationis origo est, non ab Anastasio, Damasceno, aut aliis orthodoxis scriptoribus, sed ab hæreticis Berengarianis repetenda; non septimo sed duodecimo sæculo consenda; nec sua novitate hæc hæresis Ecclesiæ mutavit fidem, cum fere simul exstincta ac nata fuerit, nullusque ei, quem sciam, nisi Joannes Parisiensis (118) usquam faverit. Quis ergo jam non rideat Albertini fabulam, qua ut catholicorum tractatorum fidem eluderet et doctrinam, faciliusque plus æquo credulis illuderet, finxit ab eis, ubi panem et vinum fieri et esse Christi corpus et sanguinem, panem et vinum, mysticis Ecclesiæ consecrationibus, in corpus et sanguinem Domini, transire, transferri, transmutari, converti, et alia hujusmodi expresse docuerunt, novam et absurdam hypostaticæ companationis seu unionis panis et vini cum Verbo divino hæresim inductam fuisse.

Corruat ergo tota Albertini machina, qua nostræ fidei de adorando corporis et Sanguinis Domini sacramento firmitatem concutere voluit, perpetuam catholicæ illius traditionis seriem tentans, sed frustra, abrumpere.

Sed et Bellarmini (119) pariter et Vasquis censura hic castiganda est. Insignis ille purpuratus, Rupertum suis ut illustraret observationibus, iis omnibus quæ ex Algero de novo et absurdo hypostaticæ impanationis errore supra protulimus, novam Ruperti hæresim describi, et tacito nomine denotari, quasi ex tripode pronuntiavit, adeo ut nova hæc Ruperti hæresis in causa esse ob eo dicatur, cur ablatis illius Tuitiensis opera, alioquin non indocta, ut ipse loquitur, sine luce jacuerint et honore in tenebris oblivionis, annis circiter quadringentis. Qua autem veri æquitate Bellarminus id de Ruperti operibus censuerit, supra jam statim ostendimus, infra graviorem de hæresi impanationis per hypostasim calumniam confutaturi.

Iste vero subtilioris juxta ac promptioris ingenii, ad annum millesimum sexagesimum hujusce erroris initia revocat, utpote quem a Valeramno, auctore, ut putat, librorum *De divinis officiis*, arbitratus est exiisse, Bellarmini judicium sic temperans, ut Rupertum istius hæreseos non velit esse parentem, sed patronum :

Primum Vasquis errorem circa hæreseos istius primordia jam supra satis prodidimus; cum ubi nondum Guitmundi ætate exortam probavimus, tum ubi Valeramno Attembergensi opus *De divinis officiis*, omni jure subripuimus. Temperatæ autem istius censuræ excessum ad justum statim deducemus moderamen; ubi Tuitiensem nullatenus isti fuisse patrocinatum errori, plenius planiusque demonstrabimus.

Jam ergo Ruperti fidem, quem ut patrem sapientiæ et sanctitate veneror, quem ut fratrem professione diligo, et quem ut doctorem catholicum audio, ea omni, quæ filii est, pietate; ea omni, quæ fratris est, charitate; et ea omni, quæ discipuli est, observantia et studio, ab unionis istius hypostaticæ panis et vini cum Verbo divino impia novitate et nova impietate vindicandum aggredior.

Rupertum ab errore unionis hypostaticæ panis et vini cum verbo asserit Vindex.

Ruperti doctrinam ab erroris istius absurda impietate liberam faciunt et protestantur hæc maxime.

(118) In tract. quem eo inscripsit tit. : *Determinatio Fr. Joan. de Parisiis Prædicat. de modo existendi corp. Chr. in sacr. alt. alio quam sit ille quem tenet Eccl.*, ut egomet in ms. cod. legi; in quo epistolam *Lego et relego*, etc., de qua superius plura notavimus, agnoscit esse Anselmi, sed ad Valramum nullo modo dicit fuisse directam, ex Valdensi Vasquèz inscite posuit.

(119) Lib. de scrip. eccl. ad Rup., obs. prima.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

1. Quod catholicorum nemo ex antiquioribus Ruperti fidem ista labe resperserit.

2. Quod ex ipsis sancti illius doctoris æmulis, qui scripta ejus legebant ut ei insidiarentur, et eum caperent in sermone, nullus eum blasphemiæ istius pravitatis insimulaverit.

3. Quod catholici scriptores Ruperti opera, ea etiam in quibus hanc hæresim ipsum docuisse Bellarminus et Vasquez observant, nulla cujuscunque erroris suspicione, sed multa doctrinæ et fidei laude exceperint.

4. Quod noster Tuitiensis profanam hanc et sacrilegam novitatem solum nullo usquam in libro scripserit, sed sententiam huic errori oppositam pluribus in locis expresserit.

5. Si quando obscurius de eucharistica veritate disseruit, nihil tamen de ipsa protulit quod sanctorum Patrum fidei, vel doctrinæ, vel etiam verbis, ullatenus adversetur, quodque cum eorum sententiis non possit facile conciliari.

Ad 1. Qui Christi Spiritum habet, non modo sicut Christus ambulavit, debet et ipse ambulare, sed etiam sicut Christus judicavit, et ipse debet judicare, et ita non condemnare quem nemo condemnat.

Qua ergo Christianæ pietatis justitia Rupertum nostrum, quasi qui adultera fide monstrum hoc erroris ediderit, condemnare ausi sunt? Quos testes habent erroris? Quos judices? Nullum testem proferunt, qui hunc Tuitiensis errorem deferat. Nullum judicem audiunt, qui impietatis istius Rupertum damnaverit. Quid ergo in eam sententiam dicunt?

Algerum quidem Bellarminus habet novam hanc hæresim acerrime insectantem. At cujus hæc hæresis erat? Nunquid Ruperti? Quia non Algeri sed ab Algero impugnatur? Quid ergo Ruperti magis quam alius? Quo signo Tuitiensem Algerus notat? Quo ergo Tuitiensem magis quam alium ab Algero denotari Bellarminus discernit? Quia, inquit, Rupertus Algero paulo senior. Nonne et coætanei hæc hæresis esse potuit? Sed si paulo senioris fuit, solusne Rupertus Algero paulo senior? Tot viri scientia illustres, qui sæculo duodecimo ineunte floruerunt, nonne, juxta ipsius Bellarmini Chronica, sunt Algero paulo seniores? Quid ergo solus ea tempestate Rupertus pravitatis istius reus tenebitur? Sed si nec ipse Algero Tuitiensis est senior, quippe qui ad annum 1135 floruerit, Algerus vero ad annum 1130, quod Bellarmino superest erroris istius in Ruperto indicium? Quid si ipso Algeri testimonio Rupertus ab absurdæ illius et novæ hypostaticæ companationis nomine purgatur, quo teste, quo jure Rupertus impiissimæ istius unionis panis et vini cum Verbo divino reus et auctor a Bellarmino denuntiatur?

Ex ipsius autem Algeri verbis mihi fit evidens Rupertum, eorum nomine qui hanc invexerunt hæresim, nequaquam ab eo fuisse denotatum. Hanc enim, in quam ferventi catholicæ fidei zelo totus invehitur, novam hæresim describens Algerus ponit, quod (errantes quidam de quibusdam sanctorum verbis dicunt ita personaliter in pane impanatum Christum, sicut et in carne humana personaliter incarnatum Deum.

In qua erroris istius pictura tria in Ruperti vindictam adverto.

1. Non unum aliquem, sed plures istius unionis defensores ab Algero designari. Unde nec ex ista Algeri descriptione uni Ruperto ascribenda est hæc hæresis.

2. Rupertum ingenui adhuc et liberi animi fuisse, ut aliorum non serviret placitis, ut de se ipse testatur, et ejus scripta constanter probant. Unde ne iis quidem in locis, in quibus errorem hunc docuisse arguitur, ulla Rupertus adducit sanctorum testimonia, quibus novam hanc panis et vini cum Verbo Patris hypostaticam unionem stabilire studet. Non ergo Rupertus is est qui de quibusdam sanctorum verbis dixerit « personaliter impanatum Christum, » etc.

3. Hanc propositionem, « ita personaliter in pane impanatus est Christus, sicut et in carne humana incarnatus Deus, » neque in terminis, neque in sensu in ullo Tuitiensis operum positam legi. Quo libro Rupertus dixit Christum in eucharistia esse personaliter impanatum? Qua pagina scripsit panem et vinum unam esse cum Verbo divino personam in sacramento? Qua linea expressit panem et vinum a Verbo personaliter assumpta, et ei in personæ unitatem conjuncta? Nihil istorum in Tuitiensis operibus legeris : non ergo Rupertus ex illis est quos Algerus dicere enarrat ita personaliter in pane impanatum Christum, sicut et in carne humana personaliter incarnatum Deum.

Alterum, quo ab istius erroris calumnia ex ipso Algeri testimonio vindicatur Rupertus, illud est : Algerus, hypostaticæ illius impanationis argumenta deducens, ait quod « ex quadam similitudine B. Augustini in libro *Sent. Prosperi*, suam sumunt et defendunt hæresim, qua dicit « sacrificium Ecclesiæ « duobus confici duobusque constare, sicut persona « Christi constat, et conficitur ex Deo et homine. »

Hæc autem quid adversus Tuitiensem, qui ne quidem sententiæ illius, quæ inter Augustinianas non legitur, usquam meminit; quique nullibi scribit « ita personaliter missæ sacrificium, id est Christum, in altari sacrificatum duobus constare in eadem persona; sicut persona Christi ex Deo et homine. » Quod ex præcitata sententia novatores isti, male subaudiendo, inquit, Algerus consequi dicebant. Quid ergo Rupertum hæc Algeri censura premit? Imo ipsa nostrum Tuitiensem absolvit, qui nihil istorum uspiam exposuit quæ ipsa expungit.

Porro Algerus eos solum hic impetit, qui, cum eis objiceretur elementorum species non esse unam cum Christo personam, sed ejus duntaxat sacramentum mysterium et figuram, opponebat ex Ambrosio, « quod sicut dicitur sacramentum assumpti hominis, sic dicitur sacramentum Dominici corporis. » Et ex maximo, « quod dicitur Deus sub carnis mysterio

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

veniens; » tandemque ex multis scripturis, « quod Deus dicitur apertus humana forma vel figura, sicut Christus in altari, panis forma vel figura. » At istorum qui in Ruperti libris objectum invenies aut propositum, cum nec prolata B. Ambrosii et B. Maximi verba in illis assiduo lectori usquam occurrant.

Sed nec Tuitiensis panem et vinum, sive panis et vini species, ullatenus dici patitur corporis Dominici figuram, sacramentum aut mysterium. Etsi enim ex catholicis divini Verbi tractatoribus nonnulli panem et vinum, seu panem et calicem, sive panis et vini specie, nonnunquam dixerint corporis et sanguinis Domini typum, figuram, signum, sacramentum et mysterium, sed ita ut corporis illius et sanguinis ab eucharistia non excluderent veritatem, his tamen vocibus plures alii, et Rupertus maxime, abstinendum judicarunt. Procul ergo a mente Ruperti fuit ea proferre testimonia quibus panis et vini species, corporis et sanguinis Dominici figura, signum aut mysterium dicerentur. Procul ergo ab Algeri denotatione Rupertus.

Verum si nihil eorum quæ, quos Algerus insequitur impanatores hypostatici opponunt, Tuitiensis abbas opponit; si nihil eorum quæ inferunt, Rupertus infert; si nihil eorum quæ ipsi assumunt, iste assumit: qua judicii æquitate iste inter ipsos, Catholicus inter novatores, Rupertus inter hypostaticos impanatores, et eorum dux censeri potuit? Quo æquitatis judicio justus cum impiis damnabitur? Si jura volunt eidem subesse damnationis supplicio, qui in eadem damnationis causa sunt, eadem jura vetant eidem subjici damnationi, quos nulla causa ei tenet obnoxios (120).

Sed maxime jura prohibent in eum sententiam ferri, quem nullus accusator denuntiat, et quem nullus testis reum probat. Si ergo ipsiusmet Algeri testimonio, quo uno damnandus Bellarmino veniebat Rupertus absolvitur: de Ruperti doctrina quid pronuntiandum nisi ipsam ab hypostaticæ impanationis errore purissimam nihil nisi catholicum sapere. Et hoc primum sit illius puritatis argumentum.

Alterum do. Sana adeo Tuitiensis doctrina fuit, et ab hypostaticis commentationibus aliena, ut nec invidiæ perspicaciores oculi vel figmenti illius umbram in Ruperti operibus potuerint deprehendere. In ipso harumce vindiciarum proloquio præfati sumus quos Rupertus æmulos sustinuerit, qui tamen neutiquam ei novam hanc et absurdam hypostaticæ impanationis hæresim objectarunt.

Si ferre non potuit hæc ardens æmulorum invidia quod Rupertus, nulla, ut ipsis videbatur, fretus auctoritate, scripserat Christum corpus suum Judæ non porrexisse; qui ferre potuit Tuitiensem adversus tot SS. Patrum testimonia, et ipsam totius Ecclesiæ A fidem impia novitate docere panis substantiam in eucharistia manere hypostatice unitam Verbo: unam fieri panis et vini, mysticis consecrationibus, cum Verbo divino personam?

Qua ergo fidei religione in eum ageris, quem nec ipsa invidia mordet? Qua legum pietate novæ hæreseos damnas, quem nec invidus accusat? Nihil in Ruperto leges quod æmulorum invidia studiosius non evolverit; sed errorem intelligis, ut damnes quem nec ipsa deprehendere potuit, ut caperet. Sic zelus quem scientia non dirigit ipsa nonnunquam invidia mordacior est.

Tertium, quo recta sancti illius doctoris fides potentius arguitur, illud esto. Rupertum perversæ istius impietatis non solum ejus æmuli, sed et summi B Ecclesiæ principes cœlestis in eo donum intelligentiæ commendant; eum ad scribendum votis omnibus impellunt, et ejus scripta multis laudibus celebrant: Cuno videlicet, seu Cono, qui cum S. Michaelis Syngebergensis cœnobio multa pietate præfuisset Ecclesiæ Ratisponensium præficitur; Fridericus illustrissimus Coloniensium archiepiscopus; sed et Guillelmus episcopus Prænestinus, sedis apostolicæ in Germania tunc legatus. Omni dignitatis et pietatis et doctrinæ splendore illustres hos Rupertus habet testes suæ fidei, ut cæteros sileam de quibus jam supra satis.

Sed et ipse Christi vicarius Ruperti libros gratulabundus excipit; noster enim Tuitiensis jam morti proximus, nempe post incendium Tuitii, suos, quos C *De divinis officiis*, et *in Joannem*, et *in Exodum* scripserat libros, et alios omnes ad summi pontificis pedes detulit. Quod qua fronte præstitisset doctor alioquin catholicus, si in eis hæresim Berengarianam deteriorem, ut notat Algerus, absurda et impia novitate tradidisset?

Quo tandem pietatis amore Cuno, episcopus Ratisponensis, quo scientiarum studio Fridericus archiepiscopus Coloniensis, quo fidei zelo Guillelmus sanctæ sedis legatus, et alii Rupertum ad nova semper opera provocabant; ejusque scripta, ea etiam quæ magis subsunt erroris suspicioni, eo omni quod puriori doctrinæ debetur studio pervolvebant; et suo summique pontificis nomini dicata prodire D gratulabantur? Alius a me suspicabitur libros tantis insignitos nominibus, summæ impietatis hæresim docuisse hypostaticam, videlicet divini Verbi in sacramento altaris impanationem.

Illorum omnium qui castissimam Ruperti fidem, et cœlestem ejus in Scripturis sacris intelligentiam protestati sunt, si testimonia hic regererem quæ supra posui, tum ubi ab omni errore Rupertum defendi, tum ubi singulare illud Ruperti donum eduxi, fidei doctrinæque sancti illius abbatis coro-

(120) Huic argumento accedat quod Joan. Paris, ord. Præd. in cit. Determin. eas scriptorum ecclesiasticorum sententias colligens quibus utcunque probari possit modus existendi corporis Christi in altaris sacramento per unionem hypostaticam panis et vini cum Verbo, mediante Christi corpore, nihil de Ruperti sententia; nullaque ex ipsius operibus verba protulit, quæ sane non siluisset si hypostaticam hujusmodi unionem panis cum Verbo in ipsis aperte doceri intellexisset.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nam retexerem. Quod ne cui grave sit ex jam prolatis catholicorum doctorum de Ruperti doctrina sententiis, quid nobis adversus illius censores juris sit, quæso, judicet quisquis non omnino desipit. Illi alta sapientes, ut Facundi verba loquar, l. IX, c. 5, respuunt et nihil pendunt sanctorum Patrum sententias, a quibus approbatus atque laudatus est noster Tuitiensis; nos humilibus consentientes, obedienter eas et cum debita veneratione suscipimus. Illi auctoritatem inconsulto tribuunt hæreticorum erroribus, asserentes eos bonorum virorum, et præ cæteris, Ruperti, prædicationis similia docuisse; nos autem nullam donantes hæreticis occasionem, proinde respondemus quod tales blasphemias, hypostaticæ videlicet impanationis, nunquam Ecclesia Christi susceperit; sed omnem novitatem, mox ut exorta est, refutavit.

Quarta intemeratæ Ruperti fidei brevis et efficax ista sit probatio. Qui verbis expressis innumerisque propemodum locis, ut de Tuitiensi ostendimus, professus est panem et vinum transmutari, verti et converti in Christi corpus et sanguinem, profecto sensisse credendus non est panis et vini substantiam hypostatica unione conjungi Verbo; vel nulla Patrum de transsubstantiatione fides, qui, ut jam observavimus, non aliis eam verbis nobis contradiderunt.

Ecquis alius horumce verborum sensus potest intelligi quam panem et vinum, desinendo esse quod erant, incipere esse Christi corpus et sanguinem, quod non erant; quam panem et vinum suam exuere naturam, ut carnis et sanguinis Christi substantiam induant; quam denique panem et vinum transmutata et conversa, ineffabilis Spiritus sancti operatione, in corpus et sanguinem Dominicum, jam non amplius esse panem et vinum; sed esse duntaxat Christi corpus et sanguinem? Qua grammaticæ lege, quo tropo, qua elocutionis figura panem et vinum transmutari et converti in corpus et sanguinem Domini, idem in sensu est, ac panem et vinum hypostatice uniri seu Verbo, seu corpori et sanguini Domini? Quis Catholicus hypostaticam carnis cum Verbo unionem, quam fide divina in Christo credit, unquam his verbis, « Caro transmutatur, vertitur et convertitur in Verbum, » aut expressit, aut expressam intellexit? Quis non audiret hæreticus Eutychianus, qui ineffabilem divini Verbi œconomiam his vocibus efferat, « Caro in Verbum transmutata, versa et conversa est? » et in oppositum quis non haberetur saltem in voce Catholicus, qui carnem hominis in personæ unitatem conjungi Verbo divino profiteretur? His enim vocibus, « Caro hominis in personæ unitatem divino Verbo conjuncta subsistit, » carnem in Verbum Dei transmutari et converti, sentire et intelligere, quis jure aliquo posset suspicari?

Cum ergo Rupertus libris integris, plenisque paginis stupendam panis et vini in corpus et sanguinem Dominicum conversionem et transmutationem, istis et nihilo diversis vocibus exprimat et demonstret; aliud omnino oppositum ab eo sentiri; manere quippe panis et vini substantiam divino Verbo hypostaticæ unionis nexu conjunctam, credere nefas est.

Esto, quis inquiet, hæc Ruperti verba in hunc sensum deducere non liceat. Si vero pluribus aliis in locis suum hunc de panis et vini cum Verbo Patris hypostatica unione sensum exposuit, et disseminavit errorem, quid injuriæ est damnare quod recta fides reprobat? At nec iis ipsis in locis ex ore suo Rupertus judicandus est, in quibus nihil protulit quod cum SS. PP. doctrina et fide non perfecte consonet. Et hoc ultimum est integræ fidei illibatæque doctrinæ Tuitiensis argumentum; quod ut prosequar,

Explanantur asperiora venerabilis Ruperti loca; et explicantur obscuriora. — Si quid aliquando subobscure locutus est Rupertus, nihil tamen protulit quod sanctorum Patrum sententiis non sit omnino conforme.

Primus occurrit locus in secundo capite lib. II. *De div. off.*, ubi Rupertus hæc habet :

« Unitas enim Verbi unitatem efficit sacrificii. Similiter enim unum Verbum et olim carnem de Maria Virgine sumpsit, et nunc de altari salutarem hostiam accipit. »

Alter locus ex ejusdem libri capite 9 proferter, in quo sic legimus :

« Verbum quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, panis et vini accipiebat substantiam, vita media, panem cum sua carne, vinum cum suo jungebat sanguine. Quemadmodum in corporeis sensibus menti et corpulento aeri media lingua intervenit, et utrumque conjungens unum efficit : sic Verbum Patris carni et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat et pani ac vino quod de altari assumpsit, medicum interveniens, unum sacrificium efficit. » Exilit hic criticus, sed cito resiliet, cum genuina istorum expositio Ruperti sensum dederit.

Tertius locus est in lib. VI *in Joan.*

« Quod si quis, ait Rupertus, a nobis quærat quomodo panis qui hoc anno de terra creatur, corpus Christi fit quod in cruce pependit, et vinum quod præsentibus expressum est acinis, ille sanguis ejus fit quem de latere suo fudit? interrogemus eum quomodo Filius hominis, qui utique de femina conceptus et de terra natus est, de cœlo descenderit? vel quomodo, antequam in cœlum ascenderet, jam in cœlo esse potuerit, juxta veritatem ipsius dicentis : *Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Hoc profecto si quis sapit, respondere poterit quod propter unitatem Dei et hominis Christi illud rectissime dictum sit; quia videlicet unus est Christus, Filius hominis cum Filio Dei qui de cœlo descendit; quique, cum esset in terra, nihilominus et in cœlo et ubique erat. Quippe quem locus nullus concludit, quia incircumscripta est natura Divinitatis. Ergo verbis paululum denutatis dicam ei : Nemo te sublevat in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cœlum nisi hic panis qui descendit de cœlo; hoc corpus Domini quod pependit in ligno, et hic sanguis ejus qui effusus est pro omni mundo, nempe si priorem sententiam vidit, de ista non video quid dubitet. Unitas enim Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce pependit, et istud quod nunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una, inquam, caro et unus sanguis sit. »

Quartus locus infra ex eodem capite petitur, ubi Rupertus ait :

« Verbum, quod est panis angelorum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem; sic idipsum Verbum jam dudum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo et in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est : nihilominus de pane isto visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis divinitas assumens in carnem suam transfert, vere et catholice censemus quia corpus Christi est. »

Quintus locus ex lib. VII *in Joan.* adducit.

« Non ita consensit fides nostra, ait Rupertus, ut non videat se frangere panem Dei, et integrum servare Filium Dei; quomodo senex Abraham videre potuit, ut et arietem percuteret, et filium aræ superpositum non læderet. Licet panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit, aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est, unum esse vel fieri non potuerit. Nam Dei Filius, id est Deus et homo, habet in se virtutem effectivam qua sibi uniat panem istum visibilem; Isaac autem illum sibi concorporare salva utraque substantia non poterat arietem . . . . Quia revera sicut Deus et homo unus est Christus, sic et ipse panis visibilis consecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. Et quia sicut in vera carnis morte divinitas nihil passa est, sic ubi in altari verum Christi corpus immolatur, frangitur et manducatur eadem Christi humanitas, quæ semel passa est et resurrexit, nihil patitur, nec enim jam moritur. »

Sextus locus ex decimo capite libri II *in Exod.* in quo Rupertus sic loquitur :

« Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis, Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit, sic substantiam panis et vini secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, et sanguinis ejusdem quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item quomodo Verbum, a summo demissum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem; sic panis et vinum, utrumque ab imo sublevatum, fit corpus Christi et sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ scilicet et humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte et catholice Deum confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de sancto altari, Christum dicimus et agnum Dei prædicamus. »

Ex tam evidentibus ipsismet Ruperti testimoniis Rupertum quis non damnet? At judicium præceps non raro injustum est. Ex Facundo (lib. X, c. 4) disce quod « et multa sicut sentimus eloquimur, et multa non sicut a nobis proferentur, ita suscipiuntur ab aliis. » Disce quod (lib. eodem, c. 5) « non ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur. »

Hæc omnia sunt quæ subodorari potui Tuitiensis loca, in quibus novæ et absurdæ hypostaticæ incarnationis sparsisse semina, vel fundamenta jecisse a minus æquis censoribus judicatur. Hæc itaque attentius modo expendere susceptarum est partium, ut videlicet, dato legitimo Ruperti sensu, quantum cum recta fide, cum SS. Patribus et secum in omnibus perpetuo Rupertus consenserit, palam omnibus fiat.

Quod ut felicius consequar, duo potissima a SS. Patribus circa corporis Christi sacramentum et ejus unitatem nobis tradita hic statuo : Christi corpus, quod in altari divina virtute conficitur, esse illud ipsum Christi corpus quod Verbo Dei in personæ unitatem, seu, ut loquuntur, hypostatice conjunctum est; et proinde ipsummet corpus Verbi, quod in sinu Virginis formatum et ex ea natum est, quod in cruce pependit, quod surrexit a morte, et sedet a dextris virtutis Dei.

Adeo ut istius unitatis qua corpus quod est in altari; et illud quod est in cœlo, non duo corpora sed unum sunt corpus, prima et maxima ratio sit unitas Verbi. Cum enim non sit nisi unus Christus in Verbo divino subsistens et non sit nisi unum corpus Verbi, consequens est non esse nisi unum Christi corpus, et quod in cœlo sedet et quod latet in sacramento.

Equidem scio ex doctoribus catholicis nonnullos corpus illud, quod in altari consecratur, secundum aliquam rationem distinxisse a corpore quod de Virgine natum et quod pro peccatis totius mundi cruci affixum est.

Epiphanius (121). « Hoc meum est, inquit, hoc et hoc videmus quod non æquale est, neque simile non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum. » Et Rabanus contra Paschasium expressius dicit, « aliud corpus Christi passum, aliud in sacramento. »

Ipse Lanfrancus (122) fatetur ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, et tamen non ipsum. « Ipsum scilicet in substantia, » ut suam et

(121) In anch.

(122) Lib. De corp. et sang. Domini, c. 18.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

aliorum simul mentem ibi explicat ; « non ipsum, in qualitatibus et exteriori specie seu forma.

Ne tamen aliud in cruce, et aliud in altari Christi corpus diceretur, prohibuerunt alii, et præ omnibus noster Tuitiensis qui, adductis omnibus in locis id unum attendentibus, probat non aliud, sed unum idem corpus esse et quod cruci affixum seu ex Virgine natum est, et quod in altari consecratur.

Juxta catholici, quem Lanfrancus exposuit, sensus rationem, nonnunquam a priscis maxime scriptoribus istud sacramentum; sive Christi corpus quod est in sacramento, catholice dici potuit, ut et catholice dictum est, corporis quod in ligno pependit, et sanguinis qui in cruce fusus est, typus, similitudo et figura. Quibus tamen vocibus, alio tempore ne moverent scandalum, alii parcendum voluerunt, inter quos spectatur abbas Tuitiensis.

Eodem utique sensu aliqui hoc corpus, quod est sub exteriori panis specie, dicere non dubitarunt visibile et videri, palpabile et tractari, ac etiam frangi, ut in Chrysostomo legitur. Quod aliis non visum est qui corpus illud quod est in sacramento, invisibile, intelligibile et spirituale; quod autem in cœlo, visibile et palpabile prædicarunt. « Caro, inquit Lanfrancus, carnis et sanguinis sacramentum est. Carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili, significatur Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifestum, plenum gratia omnium virtutum. »

Quamvis autem non una omnium vox consonet catholicorum Patrum, unus tamen omnium sensus est; nec ista vocum diversitas ullam fidei aut doctrinæ dissonantiam induxit, sed unam eamdemque adorandi hujusce sacramenti fidem variis modulis expressit.

Qui enim Christi corpus, quod Ecclesiæ precibus conficitur, dixerunt, secundum exteriorem videlicet panis speciem, aliud ab eo quod in cruce pependit, et quod modo sedet ad dexteram Patris : qui eucharistiam dixerunt typum et figuram Christi in cruce morientis : qui corpus in sacramento dixerunt invisibile et intelligibile, in cœlis autem palpabile et visibile : quique in altari Christi corpus absconditum dixerunt, in cœlis vero manifestum; hi omnes uno sensu et una fide professi sunt non esse duo Verbi divini corpora; sed unum corpus, sive quod e Virgine natum, in cruce passum et jam in cœlo gloriosum; sive quod mysticis consecrationibus in altari oblatum, et sub sensibili elementorum specie invisibiliter adorandum; utpote manens Verbo divino indivisibiliter unitum. Hanc corporis et sanguinis in altaris mysterio et Incarnationis comparationem seu ex unione Verbi cum carne, Justinus sic proponit (123) : « Non sicut communem panem, neque communem potum, ista (quæ per gratiarum actionem sacerdos benedixit) sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus est Jesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem propter nostram salutem habuit; similiter et eam in qua per preces Verbi ejus ab ipso gratiæ sunt actæ alimoniam, ex qua sanguis et caro per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse sumus edocti. Nam apostoli in commentariis a se factis, quæ Evangelia vocantur, sic edocent sibi præcepisse Jesum, qui accipiens panem et gratias agens dixit : *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum. Et similiter accipiens calicem et gratias agens dixit : Hic est sanguis meus*, » etc.

Quæ aureum Chrysostomi flumen de ista Dominici corporis veritate et unitate effudit, accipe (124) : « Corpus illud (quod est in sacramento) unitum est Christo. Hoc corpus, quod in altaris sacrificio frangitur, affixum verberatum. Hoc idem corpus, cruentatum, lancea vulneratum. Quod est in calice, id est quod e latere fluxit. Et alio in sermone ait (125), « quod corpus illud cujus in mensa efficimur participes et hic sanguis quem in altari delibamus, illius corpus est et sanguis, qui supra cœlos residet, qui ab angelis suppliciter adoratur; illius qui proxime assistit immortali Dei potentiæ. »

Breve sed quam potens et quam dulce Ambrosii eloquium (126) : « Hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. » Quod Hesychius pluribus explicat (127). « Sancta sanctorum sunt propria Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* »

Gregorius Nyssenus in sermone catechistico (128) de divinis sacramentis, cujus Euthymius Bessarion et Garetius habent mentionem, his omnibus expressius docet quod panis et vinum fiunt et sunt in sacramento unum Christi corpus Verbo divino hypostatice unitum; sicut panis et vinum, quibus Christus vescebatur, ipsum fiebant divinum ejus corpus in unitate personæ conjunctum Verbo.

Unde et hujusce quæstionis difficultatem, quomodo unum illud Christi corpus ex multis panibus sic conficitur, et singulis cœlesti huic mensæ accumbentibus ita distribuitur, ut nullam sui multiplicationem imminutionemve subeat, ea, quam Sacramentarii attendant, ratione dissolvit. Videlicet quod sicut panem et vinum ipsis vescendo Verbum fecit corpus et sanguinem suum, ita nunc Verbum proferendo, panem et vinum in quovis altari facit eumdem carnem seu corpus idem, et eumdem sanguinem suum; cum ex unoquoque pane et unoquoque vino unum et idem Christi corpus conficiatur; ita tamen ut qui hanc Christi carnem sumit sub una panis specie, non eam sumat sub altera, in qua nihilominus integra perseverat. Sicque sine sui diminutione divinum Verbum seipsum cunctis cre

(123) Apolog. II, sub finem.
(124) Hom. 24, in. I ad Cor.
(125) Hom. 5 in Epist. ad Ephes.
(126) Lib. De iis qui init., c. 9.
(127) Lib. VI, in Lev. c. XXII.
(128) Orat. 237, t. III.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dentibus impertit, per carnem quæ ex pane ad multiplicem sui distributionem, multiplicemque fidelium refectionem in altari conficitur.

Cyrillus *in Joan.* (129) paucis quidem sed luculentis istam Corporis Christi unitatem declarat, cum dicit carnem quam comedimus eam esse quæ, quia verbo, quod naturaliter vita est, conjuncta est, vivifica est.

Sed Remigius (130) eam nobis fusiori explicatione edisserit : « Caro, inquit, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ; et panis qui consecratur in Ecclesia, unum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita et iste panis transit in corpus Christi; nec sunt duo corpora sed unum corpus. Divinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illo, replet et istum panem; et ipsa divinitas Verbi, quæ implet cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, et fecit unum Christi corpus esse. » Silere hic non valeo hypostaticæ impanationis inventorem esse Remigium, non Rupertum, si hanc impanationem adducta habent verba Ruperti, quæ nihil aliud quam ista Remigii loquuntur et significant.

His Damascenus accedat (131), qui, etsi novator apud novatorem audit, Catholicus tamen apud Catholicum. Is corporis Dominici unitatem ex divini Verbi unitate repetens, totius nostræ disputationis rationem istis explicat : « Si volens ipse Deus Verbum caro factus est, et ex sanctæ Virginis purissimis sanguinibus in seipso sine semine carnem sustentavit, non potest panem sui ipsius corpus facere, et vinum et aquam sanguinem? *Quomodo fiet mihi istud*, dicit S. Virgo, *quoniam virum non cognosco?* Respondet Gabriel archangelus : *Spiritus sanctus superveniet in te, et obumbrabit tibi.* Et nunc interrogas quomodo panis fit corpus, et vinum et aqua sanguis Christi? Respondeo tibi et ego, Spiritus sanctus obumbrat, et hæc operatur supra rationem et intelligentiam : panis autem et vinum transmutantur. Quia mos et hominibus panem manducare, et vinum et aquam bibere, conjunxit his ipsis suam divinitatem, et fecit hæc suum corpus et sanguinem. Corpus enim secundum veritatem conjunctum est divinitati, quod ex sancta Virgine corpus est; non quod ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit; sed quod ipse panis et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei. Si autem modum requiris quo fiat, sat tibi sit audire quoniam per Spiritum sanctum; quemadmodum ex sancta Deipara seipso et in seipso Dominus carnem sustentavit. Quomodo naturaliter per commestionem panis, et vinum per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutatur et non fit aliud corpus præter quod prius erat ipsius : sic et propositionis panis, vinumque et aquam, per invocationem et adventum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus et sanguinem Christi, et non sunt duo, sed unum et idem. » Paucis intermissis : « Panis et vinum non sunt figura corporis et sanguinis Christi. Absit enim hoc! sed et ipsum corpus Domini deificatum ipso Domino dicente, Hoc EST CORPUS MEUM; non figura corporis, sed corpus; et non figura sanguinis, sed sanguis. »

Hæc omne Ruperti crimen dilunt, vel Damascenum hypostatici ejusdem erroris prius accusant et damnant; quippe qui iisdem omnino verbis quibus Rupertus, non solum corporis et sanguinis Christi veritatem in sacramento profitetur, figuram abjiciens; sed et quomodo hoc quod est in sacramento non aliud Christi corpus est ab eo quod e Virgine sumptum jam sedet in cœlo; et non duo corpora sed unum Dei corpus, disertissime explicat ex istius corporis unione cum Verbo, id est ex eo quod divinum Verbum sibi assumat hoc ipsum corpus quod est in sacramento; et quod propterea fit ipsum corpus Verbi, cujus non duo corpora, sed unum corpus esse credimus et profitemur.

Petrus Damiani (132), ab istis nihil recedens, non aliunde quam ex ista divini Verbi unitate deducit rationem, qua Christi caro distantibus locis diversisque temporibus consecratur, cum tamen una sit : « Tanta est enim, inquit, Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique in toto orbe terrarum sit panis corporis Christi, et calix sanguinis ejus. Quoniam divinitas Verbi una est, quæ totum implet mundum. Ita licet multis locis multisque diebus illud corpus consecretur, non sunt tamen multa corpora, sed unum corpus Christi. »

Alcuini ista diceres, qui verbis iidem, nec dispari sensu, jam exposuerat (132') hanc corporis Christi unitatem, quod in utero Virginis a Verbo assumptum est, et quod diversis in altaribus quotidie ab eodem Verbo assumitur. « Tanta est (verba sunt Alcuini) Ecclesiæ unitas in Christo, ut unus ubique sit panis corporis Christi, et unus calix sanguinis ejus; accipiens, inquit, hunc præclarum calicem : ideo dicit, *hunc accepit*, quod calix quem sacerdos catholicus sacrificat non est alius nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit. Quia sicut divini Verbi Dei una est, quæ totum implet mundum, ita licet multis locis et innumerabilibus diebus illud corpus consecretur, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum corpus Christi et unus sanguis, cum eo quod sumpsit in utero Virginis, et quod dedit apostolis. Divinitas enim replet illud quod ubique est, in singulis altaribus per mi-

(129) Lib. IV, cap. 2, maxime vers. 54, 55, 56, 57, 58, 59, 62, 63, 64, etc.

(130) Remigius, sive Remensis, ut contendit Villalpandus, sive Lugdunensis episcopus, ut inscribunt alii; sive Altissiodorensis monachus, ut Albertinus et alii sanius judicaverunt, hæc scripsit in cap. x, I. ad Corinth. Similia scribit in cap. XI, ejusdem Epistolæ.

(131) Lib. IV orthod. fidei, c. 14.

(132) Lib. Dominus vobisc., c. 8.

(132') Lib. De div. off.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

versum Ecclesiæ orbem, et conjungit ac facit ut sicut ipsa una est, ita conjungatur corpori Christi, et unum corpus ejus sit in veritate. »

Remigius Autissiodorensis (135) Alcuini mentem secutus, ipsius verba, quibus eam potius exprimeret, quasi transcripsit : « Tanta autem Ecclesiæ unitas in Christo est, ut unus ubique panis corporis Christi, » etc., ut in Alcuino.

Ipsa ergo meridiana luce clarius est unam hanc omnium esse catholicorum Patrum doctrinam, corpus illud, quod ex pane in altari conficitur, illud ipsum Christi corpus, quod ex purissimis intemeratæ Virginis sanguinibus formatum, Verbo Deo Patris in personæ unitatem indissolubili nexu conjunctum est; corpus illud, quod distinctis locis et temporibus in sacramento sanctificatur, et illud quod in cruce clarificatum est, non plura esse corpora, sed unum idem Christi corpus : singularem denique individuæ istius unitatis rationem esse ipsam divini Verbi unitatem, quæ non plura, sed unum corpus assumpsit et habet; in ea licet subsistat et vivat, sive quod in mysterio, sive quod in cœlo est. Et hoc primum Ruperti fidem potentissime vindicabit, catholicum sancti illius doctoris sensum evidentissime demonstrans.

Alterum quod ad clariorum doctrinæ Ruperti intelligentiam plenioremque ipsius cum catholicis scriptoribus concordiam præmitto, sit illud sacrosanctum horrendumque altaris sacrificium simul et sacramentum, stupendo et ineffabili Incarnationis mysterio seu divini Verbi œconomiæ a sanctis Patribus comparatur in multis.

1. Quod, ut jam posuimus, sicut unitas Verbi unitatem Christi constituit, ita ejusdem divini Verbi unitas et unitatem facit sacrificii.

2. Quod sicut ex duobus Christus componitur, Verbo scilicet et carne, ita sacramentum ex duobus fit, exteriori videlicet panis et vini specie, et Christi corpore, quod res sacramenti dicitur : ita ut non in unitate personali, sed in sola ex duobus compositione, instituta sit ista sacramenti corporis Christi et œconomiæ divini Verbi comparatio. Sic Algerus eam, quam Augustini putavit, sententiam interpretatus est (134).

3. Quod sicut Deus humana forma opertus venit, ita Christus in altari panis formam induit, non sic tamen ut panis veritatem habeat. Et sicut Incarnatio hominis assumpti dicitur mysterium seu sacramentum, ita consecratio Dominici corporis sacramentum vocatur; nec sic tamen ut corpus Dominici veritatem excludat.

Hæc S. Ambrosius et B. Maximus apud Algerum (135).

4. Quod sicut in Verbo Patris Deus factus est caro, ita in Verbo Dei panem et vinum Dei incarnati fieri et esse carnem et sanguinem catholice confitemur. Ita S. Justinus (136) cui succinit S. Greg. Nyss. (137). « Corpus, inquit, quia Deus Verbum in illo habitavit, divinam obtinuit dignitatem. Unde nunc etiam recte panem Verbo Dei sanctificatum, in Dei Verbi corpus credimus immutari. Ut enim illic Verbi Dei gratia efficit illud corpus, cujus firmamentum ex pane constabat, et ipsum etiam quodammodo panis erat : ita etiam hic panis per Verbum Dei et orationem sanctificatur; non quia comeditur eo progrediens ut Verbi corpus evadat, sicut alii cibi, sed statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a Verbo : *Hoc est corpus meum.* »

5. Sicut præter naturæ ordinem, mira potentia ex Virgine Christus nascitur, ita supra naturam divinæ virtutis ac operationis est, quod Christi corpus in altari ex pane conficitur. Ut tradit Ambrosius locis supracitatis (138).

Ex his autem quibus doctores catholici utrumque divini Verbi in carnem mysterium composuere, quis fuerit Ruperti sensus, quam pura illius doctrina, quamque catholica ipsius fides, iis ipsis locis quæ apposuimus, fit patentissimum. Cum enim Rupertus in cap. 2, lib. II, *De div. offic.* dicit quod unitas Verbi unitatem facit sacrificii, nihil sentit quod præfati scriptores non senserint; nihil loquitur quod ecclesiastici tractatores professi non fuerint, quos illius corporis quod e Virginis utero Verbum Patris assumpsit, unitatem cum eo quod in altari consecratur, ex hujus Verbi unitate explicantes, in superioribus audivimus.

Et ut facilior ac promptior primi istius ex Ruperti locis tibi sit intelligentia, attende Tuitiensem eo loci tria docuisse : 1. Verbum æterni Patris, eadem divinæ virtutis operatione de sancto altari panem, et vinum in corpus et sanguinem suum transferendo suscipere; qua nostram de Maria Virgine sibi carnem univit.

2. Panem illum quem heri sacrificavimus, et istum quem hodie vel cras sanctificabimus, non esse duo corpora : adeo ut credere aut dicere nefas sit in Ecclesia offerri Christi corpora, tot scilicet quot panes quotidie consecrantur, id est tot pene quot ministrant in Ecclesia sacerdotes.

3. Non duo corpora dici aut esse, hoc quod ex pane conficitur et in incruento immolatur sacrificio; et illud quod ex muliere factum in cruce pependit; sed unum idem esse, propter divini Verbi, in quo æque hoc atque illud subsistit et vivit, individuam unitatem.

Et ne indoctis et incuriosis imponere videar, ipsa Ruperti verba profero, quibus illud docet; nonnullis in tanti sacramenti fide adhuc titubantibus, illius veritatem, eo capite, sic obfirmans : « Ne ergo dicas in corde tuo, Quis ascendit in cœlum; hoc est Christum deducere; ut is qui in se resurgens a mor-

(135) In tractatu De celebratione missæ.
(134) Lib. cit., c. 5.
(135) Lib. cit., c. 6.
(136) In Apolog. II.
(137) Serm. cit. De div. sacram.
(138) Lib. De iis qui initiantur, c. 9; et lib. IV, De sacr., c. 2.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tuis jam non moritur, adhuc per sacri altaris hostiam, in suo mysterio pro nobis iterum immolatur. *Prope est enim Verbum in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus*, inquit Apostolus. Quoniam ergo prope est in ore tuo, et in corde tuo Verbum Dei, Verbum crucis Christus Dominus; si hujus verbi flumen super panem et vinum effuderis, et ordine qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum et vinum in corpus et sanguinem suum transferendo, suscipit; eadem virtute, eadem potentia, vel gratia, qua nostram de Maria Virgine carnem suscipere potuit quomodo voluit. »

Post hæc, alterum simul et tertium adversus eos qui corpus illud quod est in altari, dicebant non illud esse quod e Virgine natum cruci, affixum est, continuo subjicit : « Nec duo corpora dicuntur aut sunt; hoc, quod de altari et illud quod acceptum est de utero Virginis. Quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus sursum est in carne : hic in pane : alioquin et ille panis, quem heri sacrificavimus, et ille quem hodie vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora; nec recte dicimus offerri ab Ecclesia corpus Christi, meliusque diceremus corpora, quia quotidie pene tot offeruntur panes (materiam hic ponit sacrificii) quot habentur in Ecclesia sacerdotes. Sed hoc prohibet causa, convincit ratio, religio respuit. Unitas enim Verbi unitatem efficit sacrificii. Similiter enim unum Verbum et olim carnem de Maria Virgine sumpsit, et nunc de altari salutarem hostiam accipit. » Ex quo sic concludit : « Igitur unum corpus est et quod de Maria genitum in cruce pependit, et in sancto altari oblatum, quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini. »

In tribus his quæ objecto capite Rupertus tradit, quid, precor, erroris est? Error est, quod fides catholica credit, eadem virtute divina, et eadem Spiritus sancti operatione, Christi corpus ex pane in altari confici, qua in sinu Virginis formatum est? Error est, quod catholica fides profitetur, non esse plura quæ consecrantur Christi corpora; sed unum, uno etiam tempore, distantibus quantumlibet in locis, divini Verbi corpus ab Ecclesia offerri? Error est, quod divina fide certum tenemus, hoc quod in mysterio immolatur, Domini corpus, illud idem esse quod pro nobis in cruce passum, ima summis reconciliavit? Error, inquam, est, quod cuivis Catholico sapit, unum hoc esse corpus, quod unius divini Verbi corpus est, ex ipsa divini illius Verbi unitate arguere, ut unitas Verbi faciat unitatem sacrificii?

Hæc majorum doctrina, hæc fides est. Quid ergo Rupertus in eo capite scripsit quod sanctorum Patrum doctrinæ ac fidei minus consentiat? Quid dixit quod ab impio hypostaticæ impanationis errore totum non abhorreat?

Nec minus catholice Rupertus sensit in cap. 9 ejusdem libri *De div. offic.*, in quo inquirens quæ tremendi illius sacrificii materia sit eam acutissime comparat cum pontifice qui seipsum obtulit; ut ea comparationis arte, hujusce sacrificii, sicut est summi illius pontificis, materiam non simplicem exhibeat, sed compositam. « Materia, inquit, vel substantia sacrificii, quod erat tunc quando Christus accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas dixit : HOC EST CORPUS MEUM, et nunc est in manibus Pontificis nostri, non simpla est, sicut ne Pontifex ipse solius divinæ vel solius humanæ substantiæ est. »

Quænam autem sit illa sacrificii, sicut et pontificis, seu sacrificantis dupla substantia, his aperit : « Est enim tam in Pontifice, quam in sacrificio divina substantia, est et terrena. Terrena in utroque est, id quod corporaliter vel localiter videri potest. Divina in utroque; Verbum invisibile est, quod in principio erat Deus apud Deum. »

Ut vero tam in sacrificio quam in Pontifice divina illa esse substantia, quæ Dei Verbum est, et in sacrificio ipsum Verbi illius seu Pontificis corpus offerri, ex Christi verbis innotescat, subjungit Tuitiensis : « Nam cum diceret idem magnus Pontifex, panem et vinum tenens, HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, vox erat Verbi incarnati, vox æterni principii, vox antiqui consilii. »

At quomodo panis et vinum quæ offeruntur, in Verbi divini corpus et sanguinem, divini verbi virtute sic transmutantur, ut unum vere sit sacrificium, et illud quod in cruce consummatum est, et illud quod in altari peragitur? Quomodo Verbum, quod humanam acceperat naturam, id est in carne manens, panis et vini accipiebat substantiam, vita media panem cum sua carne, vinum cum suo jungebat sanguine?

Modum hunc, qui modum omnem excedit, ex Ruperto intellige, ubi istam corporis illius quod in sinu Virginis Verbo Deo conjunctum est; et illius quod ex pane et vino prece mystica conficitur, ineffabilem unitatem ex divini Verbi unitate sic arguit : « Verbum Patris carni et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, ac pani et vino quod de Altari assumpsit, medium interveniens unum sacrificium efficit. »

Quæ quid aliud significant quam Verbum divinum, cui et illud corpus quod de Virgine sumptum est, et illud quod in altari ponitur, in personæ unitatem conjunctum manet, esse quoddam veluti medium inter ista quasi duo Christi corpora, sua videlicet unitate efficiens ut jam non duo sint, sed unum corpus et unum sacrificium, cum unius divini Verbi et Christi nonnisi unum corpus sit et unum sacrificium?

Quid ergo Tuitiensis eo cap. docet quod superius explicato capite ad SS. Patrum mentem non docuisset? Ibi juxta catholicorum tractatorum et sensum et verba dixerat quod unitas Verbi unitatem facit sacrificii. Hic dicit quod Verbum medium interveniens unum efficit sacrificium. Quid ergo eo in capitulo Rupertus protulit, unde blasphemæ impanationis per hypostasin jure aliquo damnandus veniat?

Nec enim Ruperti censores opponant apud eum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

legi, quod « Verbum jungit panem cum carne, et vinum cum suo sanguine; » unio autem nonnisi duorum est. Sed B. Gregorium potius audiant docentem quod « istud sacrificium quod ante oculos sacerdotis in altari videtur, rapitur in excelsis et consociatur corpori Christi. » An jungi magis duorum est quam consociari?

Sed et audiant Chrysostomum expresse dicentem, corpus istud, quod in fidelium mensa apponitur, « esse unitum Christo. » Sciant denique omnium unionum illam esse perfectissimam qua res sic transit in aliam, ut eadem ipsa sit. Hæc ubi noverint. Tuitiensem non heterodoxum, sed sanctis Ecclesiæ doctoribus, et orthodoxæ fidei per omnia consonum æquius judicabunt.

Sed forsan grave et durum ad hæc illis est quod Rupertus eo in capitulo (cap. 9 lib. II *De divinis officiis*), dicat panem visibilem qui de terra crevit, esse in sacrificio; visibilem panem sacrificii comedi, et sacrificium construi ex verbo Dei et ex terræ fructibus, quibus solum vivit corpus.

At quid ista huc obtrudere, quorum catholicum et genuinum sensum jam dedimus ubi sanctum hunc doctorem ab impanationis errore defendimus, ibi panis nomine a Ruperto, sicut et ab Apostolo, et ab ipso Christo, non aliud intelligi vidimus quam Christi corpus sub exterioris panis specie; vel panem et vinum, quæ sunt materia ex quo fit sacrificium, per Christi Verbum in ejus corpus et sanguinem transmutanda. « Crede et hoc, inquit Tuitiensis (lib. VI *in Joan.*), quia panis iste visibilis et vinum, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint cibum, qui angelorum victus est. Panis cœlestis (ipse qui dicit, *ego sum panis qui de cœlo descendit*, Verbum scilicet Patris) panem terrenum nobis dat, quem in carnem suam transmutat: et sic Verbum, quod est panis angelorum, jamdudum caro factum, panis visibilis fit, et nihilominus de pane isto visibili vere et catholice confitemur quia corpus Christi est. » — « Panis videtur esse quod erat, inquit in alio loco (lib. VII *in Genes.*, c. 32), et tamen in veritate Christus est. » — « Quamvis enim, ut postea scribit (lib. IV *in Genes.*, c. 4), exteriori specie panis et vinum sit, in veritate Agnus est Dei. » Vel ut alibi loquitur: « Agnum Dei prædicamus. » — « Nec vulgaris, sed panis vitæ æternæ, » ait Rupertus explicans Exodum (lib. IV, c. 16), « qui est corpus Christi, proponitur. »

Eo sensu panem visibilem esse in sacrificio, et comedi, atque ex eo sacrificium construi, dicere quid prohibet? Hæc cum dicuntur quid movent stomachum cui sapit quod est fidei? Nonne fidei divinæ est panem esse in sacrificio, de quo Veritas dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita?* Nonne fidei divinæ est panem in sacrificio comedi, de quo Veritas dicit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum?* Quid ergo fidei divinæ contrarium protulit Rupertus, qui non nisi primæ Veritatis verba locutus est?

Et ne in tertio et quarto loco Rupertus suam de hypostatica impanatione sententiam manifestius indicasse nonnullis videatur, utrumque simul locum sic explanabimus, ut nihil in eis obscuri aut asperi vel obtusioris possit offendere.

Rupertus in sexto libro Commentariorum, quos in Joannem edidit, hanc proponit quæstionis difficultatem: « Quomodo panis qui hoc anno de terra creatur, corpus Christi fit quod in cruce pependit; et vinum quod præsentibus expressum est acinis, ille ejus sanguis fit, quem de latere suo fudit. »

Huic autem factum satis æstimat, si respondeatur, ut et ipse respondet, « quod propter unitatem Dei et hominis Christi illud rectissime dictum sit, quia videlicet unus est Christus, Filius hominis cum Filio Dei qui de cœlo descendit. »

Et eo uno responso omnem prius propositæ quæstionis nodum sic dissolvit: « Unitas enim Verbi, inquit, unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce pependit, et illud quod tunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una, inquam, caro et unus sanguis sit. » Adeo ut, eo etiam loci, Rupertus nihil aliud demonstret quam corporis illius quod in cruce pependit, et illius quod in altari conficitur, individuam unitatem.

Nec enim ibi Rupertus quærit (quod maxime observes) quomodo panis corpus Christi fit vel dicitur, sed quomodo panis fit illud Christi corpus « quod in cruce pependit; » nec quærit quomodo vinum Christi sanguis fit, vel esse dicitur, sed quomodo vinum fit et est sanguis ille quem Christus « de latere suo fudit. » Ut non de substantiæ panis unione cum corpore Christi præposita haberetur quæstio, sed de corporis quod ex pane consecratur, cum illo quod cruci appensum est, perfecta identitate (ut hac voce utar) formata intelligeretur.

Unde ad propositæ quæstionis conclusionem (quod et hic attendas) Rupertus minime ponit quod unitas Verbi facit panem dici, vel esse Christi corpus, et vinum ejus sanguinem: quod in hypostaticæ unionis sensum, etsi violenter, pertraheretur; sed quod unitas Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod in cruce pependit, et istud quod tunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, unus sanguis sit. Quæ hypostaticæ unionis intellectum sustinere nequaquam possunt.

Hypostatica siquidem unio neutiquam facit ut ex duobus quæ in uno supposito in personæ duntaxat unitatem consociata sunt, una fiat aut sit, aut dicatur substantia sive natura. Sed sicut in Christo duæ manent incommutatæ distinctæque substantiæ in una divini Verbi substantia conjunctæ, divina scilicet essentia et humana natura; et non ex his duobus una fit, aut esse dicitur: ita in Christo duo sunt et incommutata manent corpora, si in Verbo hypostatica duntaxat unione conjungitur illud quod censetur in panem, cum illo quod pependit in cruce

Ecquis enim, dato, quod fieri posse nemo negaverit, quod Verbum æterni Patris corpus panis simul

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et corpus hominis assumati in personæ illius divinæ unitatem quis, inquam, vel intelligat, vel audeat dicere unum esse divini Verbi corpus, non duo corpora? quis intelligat vel dicere audeat hoc quod est corpus panis, illud ipsum esse quod corpus est hominis propter indivisam Verbi unitatem?

Cum ergo noster Tuitiensis hic et aliis pluribus in locis doceat corpus illud quod ore sacro conficit Ecclesia, et illud quod cruci affixit obedientia, unum esse corpus, unam carnem, unum sanguinem, et unum sacrificium, et istam corporis et sanguinis Christi unitatem, ex adducta divini Verbi unitate ubivis demonstret, omni certo certius est istius corporis unitatem, quam Rupertus tot in locis probat a sancto illo doctore non intelligi personalem seu hypostaticam, quæ sicut ex duabus substantiis, unam non potest naturam constituere, sic neque ex duobus corporibus, unum potest corpus efficere. Itaque critici jam sileant, qui, falso intellectu decepti, falsam in Rupertum conjicere ausi sint. Qui si tamen hujus argumenti, quo uno falsus eorum sensus convincitur, vim et pondus non sentiant, hoc altero eos sic urgeo.

Si doctor et abbas Tuitiensis ex sæpius inducta Verbi unitate ostendere tantum instituit panem et vinum cum Verbo divino in personæ unitatem copulari; et ea ratione Christi carnem fieri et sanguinem, absque ulla panis et vini, secundum substantiam transmutatione, adeo ut jam ratione unionis illius hypostaticæ panis et vini cum Verbo, quod caro factum est, panis iste vere Christi caro et istud vinum vere sanguis Christi dicatur; sicut in Christo, propter ejusdem divini verbi unitatem, homo vere et catholice dicitur Deus: si, inquam, id unum tot probationibus intendit Tuitiensis; et hic, quem ejus critici putant, sensus stare posset, eadem profsus interpretandi ratione, panis et vinum vere dici possent anima Christi; panis recte dici posset Christi sanguis, et vinum posset legitime dici corpus Christi; sed et panis bene diceretur vinum, et vinum ex adverso bene panis diceretur.

Denique vere dici posset quod in sacramento panis vere est Deus; et quod in altaris sacrificio vinum vere est Verbum Patris æterni, sicut in Christo homo vere est Deus, et similiter catholice posset efferri quod Verbum panis factum est: quod Verbum vinum factum est in sacræ mensæ mysterio; quod Deus est vinum, quod Deus est panis in Ecclesiæ sacramento: sicut vere et catholice credimus et confitemur quod Verbum caro factum est, et in Christo Deus est homo. Data enim panis et vini hypostatica cum verbo unione, hæc omnia vera sunt, si ea posita, panis et vinum vere dici possunt Christi et Verbi divini caro et sanguis.

Impia hæc et horrenda Rupertum sensisse putas, quæ nec stultus fingeret nec blasphemus aut impius proferret? Dic ubi Rupertus, qui tot in libris, qui tot in paginis, istud corporis et sanguinis Christi mysterium exposuit, prædicatione vicaria dixerit Deum esse panem, Deum esse vinum; vel panem esse vinum, vinum esse panem; panem aut vinum esse animam Christi; et non solum dixerit panem et vinum esse corpus et sanguinem Christi et Verbi: sicut catholici Patres, qui divinam Verbi œconomiam nobis explicuere, non solum nobis tradiderunt in mixtura illa ineffabili hominem esse Deum, sed et Deum esse hominem nos edocuerunt. Cum ergo Tuitiensis nihil horum de corporis et sanguinis Dominici sacramento scripserit; imo panem non nisi in Christi corpus, et vinum non nisi in ejus sanguinem transmutari, tot in locis dixerit, quid ea fingis Rupertum sensisse quæ nec verbo nec scripto protulit? Quid ei errorem imponis, quo non magis in corpus quam in divinam substantiam panem mira Spiritus sancti operatione converti; nec magis Christi corpus quam Deum ex pane ab Ecclesia ore sacro confici, ex divini Verbi unitate probavit? Si impia hæc et sacrilega induxisse haud dubie censendus est, qui novam hanc hypostaticæ unionis panis et vini cum Verbo hæresim invexit, non dissimili profecto juris æquitate, qui tot tantæ impietatis blasphemias ferre non potest, exhorruisse et ipse judicandus est eam hæresim, ex qua non minus necessario et manifeste fluerent, quam panis et vini substantiam absque ulla sui transmutatione vere esse et catholice dici Christi, sive divini Verbi corpus et sanguinem.

Ex quibus ergo hypostaticæ impanationis Rupertum jam argues? Ex Verbi unitate, inquies, quam ipse probare contendit panem fieri Christi corpus in sacramento, et vinum ejus sanguinem. At quid inde? Ergo, subinferes, panem et vinum manere hypostatice unita Verbo Tuitiensis opinatus est?

Hæc ergo tua ratiocinatio: « Panis et vinum in altaris mysterio hypostatice Verbo unita manent. Ergo propter Verbi unitatem panis qui in altari sanctificatur, sive corpus quod in altari conficitur, fit ipsum Christi corpus quod in cruce pependit, » ut inde in Rupertum sic agas: « Rupertus docet propter unitatem Verbi panem fieri ipsum Christi corpus quod cruci affixum est; ergo et ipse panem et vinum in altaris sacramento in personæ unitate Verbo conjuncta manere censuit. » Quod in Tuitiensem male refunderes, nisi hypostaticam hanc panis et vini cum Verbo Patris unionem, quam Ruperto affigis, necessario præmittendam judicares, ex qua id alterum quod Rupertus vere docet, legitime consequeretur.

Atqui non Ruperti, sed tuus error sit, ex ista tua ratiocinatione jam videas. Ex Ruperto in Rupertum a posteriori, ut dialectici loquuntur, sic arguis: « Panis fit et est caro Christi, et vinum sanguis ejus est, propter verbi unitatem; ergo panis et vinum Christi carni et sanguini in personæ unitate seu hypostatice juncta sunt. »

Et ego ex Ruperto juxta te, pro Ruperto et in te a priori sic arguo: « Panis et vinum Verbo divino

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hypostatice unita sunt, ergo panis est caro Christi, et vinum sanguis ejus est.»

Ex antecedente ista panis et vini hypostatica cum Verbo unione, consequens, illa corporis Christi unitas si bene deducitur, quidni et ex Verbi ejusdem hypostatica unione cum natura hominis, aptissime sequetur Deum esse sanguinem, aut Deum esse carnem quæ est pars hominis? quidni et ex incomprehensibili illa divini Verbi unione, recte inferri posset sanguinem Christi esse carnem aut esse ipsam Christi animam, aut, reciproca prædicatione, animam Christi esse carnem, et carnem ejus esse sanguinem?

Nec enim usquam discrimen unius ab altero dabis, cum Dei in Christo non alia sit subsistentia quam carnis et sanguinis divini illius compositi: et anima, caro sanguisque in Christo æque uni eidem Verbo hypostatice copulata sint, ac panem, vinum, carnem sanguinemque Christi in sacramento uni eidem Verbi divini supposito inconfuse et hypostatice unita ex Ruperto supponis.

Si quid discriminis in istis intercipiatur, illud est, quod videlicet caro et sanguis partes sint unius perfecti corporis quod ex illis componitur: panis autem et vinum non sic in unius totius substantialis constitutionem confluunt; sed sunt completæ naturæ, quæ in concreto (parce logicæ vocibus, ubi ratiocinationis argutias discutimus) suppositum cum importent, in propositionem possunt subjici, ut de ipsis aliud quid prædicetur, si non secundum naturam, saltem secundum suppositum.

At ista disparitatis ratio non te juvat, sed jugulat. Si enim quod partis habet rationem nec est completum, ea ferre minime potest, quæ de supposito dicuntur; et idcirco dici nullatenus potest quod sanguis Christi est panis, sicut nec quod corpus Christi est Verbum Patris. Eodem prorsus argumento, quod in ordine partium est, nec subsistentem in se habet naturam, repugnat idiomatice tantum, et non formaliter (ut scholæ barbarice disputat), hoc est secundum suppositum duntaxat et non secundum naturam, de altero quantumvis subsistente enuntiari. Quomodo enim quod suppositi complemento non perficitur, secundum complementi illius perfectionem, quam non habet, alteri convenire prædicabitur?

Cum itaque enuntiatio catholica perhorrescat dicere quod sanguis est panis; vel quod caro, quæ pars est hominis, et Verbum Patris æterni, licet panis et sanguis in eadem divini Verbi persona subsistant, et idem sit carnis et Verbi suppositum eadem omnino ratione, catholica doctrina refugit pronuntiare quod panis est caro Christi; aut quod vinum sanguis Christi est; etiamsi datur panem et vinum uni eidem Verbo, cui caro et sanguis Christi, hypostatice esse conjuncta.

Non minus enim dialecticæ adversatur regulis, naturam aliquam, aut alicujus naturæ partem, a supposito abstractam, de altero secundum suppositi rationem dici, quam hujusmodi naturam, aut incompletam ejus partem, integro alicui et completo, non formaliter, sed tantum idiomatice subjici.

Vide ergo quam turpiter in dialecticæ leges, sed et quam graviter in fidei regulas pecces, dum ex eo quod, ut Rupertum sensisse confingis, panis et vinum in altaris sacramento hypostatice divino Verbo unita sunt, legitime consequi putas quod panis est caro Christi, et quod vinum Christi sanguis est.

Vide in quam portentosas quamque exsecrandas impietatis blasphemias te a te deducta compellit illatio. Si enim panis in sacramento est Christi caro, et vinum sanguis Christi est; quia panis in eodem, quo Christi caro, æterno Verbo subsistit; et vinum in ejusdem personæ unitatem cum sanguine Christi consociatum est: qui hypostaticam divini Verbi cum natura humana unionem profitetur, nonne et simili prorsus dialecticæ lege, consequenter debet confiteri quod Verbum in Christo sanguis est; quod Verbum in Christo est anima Christi: et reciprocatione mutua, quod in Christo sanguis est Verbum æterni consilii, quod in Christo rationalis anima est Sapientia Patris Filius Dei: cum Verbum divinum illud ipsum sit in Christo suppositum, in quo sanguis et anima Christi, ea quam nemo capere sufficit, virtute subsistant?

Nonne, inquam, catholice etiam dici posset Christi sanguis esse caro et anima Christi, vel e converso Christi anima esse caro, et caro esse sanguis Christi: cum in una Dei Verbi persona Christi sanguis, caro et anima complete perficiantur?

Impia hæc proferre aut sentire qui prohibet? an quod, ut supra ostendi, Christi sanguis et anima non sunt integra, sed partes? quæ, cum in se non importent suppositum, idiomaticæ prædicationi subjici non patiuntur: at ut et supra respondi, nonne et in tua illatione, caro et sanguis supponunt pro partibus, quæ cum etiam non sint completæ, secundum suppositi completam rationem subjecto nequaquam possunt attribui?

Vel ergo hæc horrenda admittas, quæ et audire fidelis mens refugit. Vel sicut horrenda hæc et impia, catholicæ fidei pietate detestaris, ejusdem fidei scientia et zelo, male inductam, ex falso supposita panis et vini cum Verbo Patris hypostatica unione consequentiam respue. Et sic tandem agnosce quod etiamsi ut verum concederetur panem et vinum cum Verbo Dei hypostatice unita manere in admirabili eucharistiæ sacramento, non propterea tamen dicendum foret in terribilibus et adorandis hisce mysteriis quod panis est caro Christi, nec quod vinum sanguis Christi est.

Et ita videris ipse qua censura justitia ille qui diceret, prece sacerdotis, panem in altari Christi carnem fieri quæ ligno appensa est, et vinum ejus sanguinem qui pro totius mundi peccatis effusus est, protinus de hypostatica panis et vini cum Verbo unione argueretur; cum tamen ista nulla connectat legitimæ consequentiæ necessitas.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Quis ergo jam adeo iniquus censor ut Rupertum personalis istius panis et vini cum Verbo unionis rem sistere, et ex eo probare sustineat quod tractator iste catholicus catholice docuit in mysticis consecrationibus panem fieri Christi carnem, et vinum Christi sanguinem?

Non ex hac, insurget alius, enuntiatione, quæ catholica est, error iste Tuitiensis edicitur, sed magis ex ratione quam, in suæ propositionis argumentum, ex divini Verbi unitate constanter assumit, et ex comparatione quam eo loci instituit, quod nempe, sicut de Christo ipso Veritas dicit eum ascendisse in cœlum, qui erat in cœlo, quatenus una eadem in Christo æterni Verbi persona, dum suæ majestatis gloria cœlum compleret, in triumphi pompa, captivam videlicet ducens captivitatem, super cœlos ascendebat: ita unitas Verbi, hoc est hypostatica Verbi Dei cum pane unio, efficit ut panis, etiam dum panis est, nihilominus vere dici possit et vere dicatur caro Christi.

At quocunque effugere tentes, et quocunque confugias, nostra te urget instantia. Si enim panem esse Christi carnem in altaris sacramento, sicut homo est, et dicitur Deus in Incarnationis mysterio, sensisse Rupertum ex his ejus verbis intelligis, quibus dixit quod unitas Verbi efficit ut panis, qui in incruento offertur sacrificio, illud Christi corpus sit quod in crucis supplicio immolatum est; qua interpretis fide hunc sensum auctori affingis, quem hæc ejus verba non solum non habent, ut mox evincam, sed nec admitterre possunt? cum ut planum jam fecimus, unio panis et vini in unitatem personæ cum Verbo; non possit efficere ut panis una Christi caro et vinum unum ejus sanguis sit vel esse dicatur.

Cum ergo abbas Tuitiensis hic et pluribus aliis in locis, nihil aliud ex adducta Verbi unitate, et ex assumpta incarnationis comparatione demonstraverit quam corpus illud, quod ex pane ore sacro Ecclesia conficit, et illud quod natum ex Virgine in ligno pependit, unam esse carnem, unum esse Christi corpus, et unum sacrificium: jam quis non videat et judicet Ruperti mentem ab impia hypostaticæ impanationis hæresi omnino liberam; sed et ejus doctrinam in ipsis etiam vocibus, rationibus et comparationibus, sanctorum Patrum fidei perfecte consentientem, ut hæc Ruperti cum catholicis Patribus, hac etiam in parte, concordia omnem hypostaticæ impanationis notam penitissime deleat?

Plura superius sanctorum Patrum testimonia certa fide protuli, in quibus corporis illius quod in sacramento proponitur, et illius quod ligno appositum est, indivisam unitatem ex eadem, qua Rupertus, divini Verbi unitate, et incarnationis ejusdem comparatione, uno ore et una mente explicant: quos tamen hypostaticæ impanationis redarguit hactenus nemo, si unum Albertinum exceperis, quem ecclesiasticæ fidei extorrem ex jam adductis potentius hic confutare in promptu esset, sed extra rem foret.

Quam ergo erroris umbram habet in Ruperto, ea sive ratio, sive comparatio, quæ in catholicis scriptoribus non infrequens occurrit, nulla tamen doctrinæ eorum, vel fidei labe aut injuria?

Rupertus proposito loco et aliis, nihil exposuit quod Petrus Damiani, quod Remigius Antissiod., vel etiam Remensis, ut Sanctius et alii putant, quod Alcuinus, quod Damascenus, pluribus retro sæculis non expresse dixerint. Quid ergo in Ruperto novam et absurdam impanationis hypostaticæ hæresim sapit?

Rupertus (*l. l.*), sciscitanti quomodo panis corpus Christi fit quod in cruce pependit, et quomodo vinum ille sanguis ejus fit quem de latere suo fudit, alteram, non minus difficilem quæstionem objicit, quomodo videlicet Filius hominis, qui de terra natus est, de cœlo descendit. Quam si quis dissolvere potest, respondebo, quod propter unitatem Dei et hominis Christi illud rectissime dictum sit, quia scilicet unus est Christus Filius hominis cum Filio Dei, qui et in cœlo et ubique erat. « De proposita quæstione, inquit Tuitiensis (lib. VI *in Joan.*), non video quid dubitet. Unitas enim Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce pependit, et istud quod tunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una, inquam, caro, et unus sanguis sit. » Ista in Ruperto. Nonne et eadem in Remigio legis (139-40), ubi eamdem quæstionem eadem ratione, eademque comparatione solvit et explicat? « Caro, inquit, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ, et panis qui consecratur in Ecclesia, unum corpus Christi sunt. » Nonne hæc Ruperti propositio?

Attende ad comparationem: « Sicut enim, subjungit Remigius, ista caro corpus Christi est, ita et iste panis transit in corpus Christi; nec sunt duo corpora, sed unum. » Nonne hæc a Ruperto inducta comparatio? Nonne et ipsa hæc a Ruperto data conclusio? Remigii ausculta rationem, qua et propositionis veritatem probat, et comparationis sensum explicat: « Divinitatis enim plenitudo, ait Remigius, quæ fuit in illo, replet et istum panem, et ipsa divinitas Verbi, quæ implet cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, et facit unum corpus Christi esse. » Quæ alia Ruperti ratio? quæ alia Ruperti conclusio?

Si ergo ista a Remigio instituta divini Verbi œconomiæ, et eucharistici sacramenti comparatio, « sicut illa caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ, corpus Christi est, ita et iste panis transit in corpus Christi; nec sunt duo corpora, sed unum, » impanatæ hypostaseos sensum nusquam habuit, ut quid eum in hac eadem a Ruperto adducta comparatione intelliges; sicut

(139-40) *In I ad Cor.*, c. x.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

idem qui de Virgine formatus et de terra natus A de cœlo descendit, propter unitatem Dei et hominis Christi, ita panis qui de terra creatur, corpus Christi fit quod in cruce pependit, et vinum ille sanguis ejus fit quem de latere suo fudit?

Si Remigii ratio hæc, « ipsa enim divinitas Verbi quæ implet cœlum et terram, ipsa replet corpus Christi, quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur, facit unum Christi corpus esse, » non hypostaticam impanationem, sed corporis Christi quod ab Ecclesia conficitur, et quod in utero virginali Verbi divinitas induit, perfectam unitatem seu identitatem fidelibus tradidit; quid Ruperti eadem ipsa ratio, « unitas enim Verbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod in cruce pependit, et istud quod tunc Ecclesiæ filles ore sacro conficit, unum corpus B sit, una inquam caro et unus sanguis sit, » hypostaticæ impanationis novam impietatem invexit, cum id unum inter Remigii Rupertique doctrinam distantiæ sit quod noster Tuitiensis, ut vides, longe clarius catholicam hujusce sacramenti fidem et sensum omni hæreticæ pravitati contrarium nobis exposuerit?

Denique Ruperti doctrinæ typum in Damasceno, Alcuino, Petro Damiani et iterum in Remigio videre vis? En inspice, quæ supra dedimus, ipsorum verba, et ipsa cum Ruperti objectis passibus attentus compone, ut ubi deprehenderis unam Ruperti et ipsorum fidem, unam Ruperti et ipsorum doctrinam, unam Ruperti et ipsorum vocem, tota diffugiat a Ruperti mente et verbis impanatici erroris umbra, et unum hoc tibi C supersit dubium, an Rupertus in Remigio, Damasceno, Alcuino et aliis fuerit prælocutus, an Alcuinus, Damascenus, Remigius et alii in Ruperto eadem iterum fuerint post locuti.

Nemo ergo Ruperti doctrinam hypostaticæ impanationis damnaverit, qui non sit et ipse damnandus, utpote qui, dum verba Ruperti ad impanationis hypostaticæ errorem inflectit, et ipse catholicam Ecclesiæ fidem traducat, catholicorum scriptorum videlicet doctrinam ad hujusce impietatis hæresim una cum Ruperto vi et injuria trahens.

Sed quis Catholicorum cum S. illo doctore, cæterisque SS. Patribus, id libere non profiteatur, quod adversus Tuitiensis fidem quarto loco perperam objectum est? quis, inquam, cum ipso ad illorum mentem libera rectaque fide non profiteatur, quod « sicut D de carne nostra quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ quia Deus est, sic nihilominus de pane isto visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis divinitas assumens in carnem suam transferi, vere et catholice censemus quia corpus Christi est? »

Quis porro cum Tuitiensi eo etiam loco unde ibi arguitur, catholica voce non confiteatur, quod « sicut Verbum caro factum est, non mutatum in carnem, ut Eutychiani somniaverant, » sed assumendo carnem; sic idipsum Verbum jamdudum caro factum, panis visibilis sit, non mutatum in panem sed assumendo, et in unitatem personæ suæ transferendo panem?

Nonne « panis visibilis vere fit » qui illam carnem assumit, de qua ipsa Veritas dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita?* Nonne panem assumit, et in unitatem personæ suæ transfert, qui illam carnem, quam ipse Christus vocat panem, sic assumit, ut Verbi caro vere sit, et eadem ipsa quam illud idem Verbum, Virginis in sinu, in personæ unitatem sibi ineffabiliter copulavit? Hæc venerabilis Ruperti fides. Nonne et nostra est?

Quid ergo critici in sancti illius abbatis doctrina temere damnant quod qui sanæ sunt fidei uno ore profitentur? quid ipse Claudius (141) iis Ruperti verbis evidenter assertam ausit dicere panis a Verbo divino assumptionem, quam cum Tuitiensi doctrina demonstravimus minime posse cohærere ex ipsismet verbis et ex dialecticæ regulis.

Quintum locum ex Ruperto in Rupertum adducunt, sed cujus recta fides ex sæpius dictis et repetitis adeo certa est, ut absque lectoris venia hic ipsum non ausim expendere. Jam enim quis dubitat « non ita fidem nostram censuisse ut non videat se, ut post Chrysostomum Rupertus loquitur (lib. VI *in Joan.*), frangere panem Dei, de quo vere et catholice fatemur quia corpus Christi est, et integrum servare Filium Dei, licet panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit, » cum vera sit ipsius caro Verbi quod caro factum est?

Quis jam dubitet quod « Dei Filius, id est Deus et homo, habet in se virtutem effectivam, qua sibi uniat panem istum visibilem, efficiendo scilicet ut panis iste visibilis consecratus cum illa carne quæ pependit in cruce una caro sit, unum sit Christi corpus. »

Quis tandem cum panis Dei frangitur, integrum tamen servari Filium Dei, ideo verum cum Ruperto non sentiat, tum quia « sicut Deus et homo unus est Christus, sic et iste panis visibilis consecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus; tum quia sicut in vera carnis morte divinitas nihil passa est, sic, ubi in altari verum Christi corpus immolatur, frangitur et manducatur; eadem Christi humanitas, quæ semel passa est et resurrexit, nihil patitur, nec enim jam moritur? »

Quæ fides clarius quam ista Ruperti, non panem, non corporis Christi figuram, sed ipsum verum Christi corpus in altari immolari, frangi et manducari, usquam professa est? Quæ fidei professio magis expresse magisque catholice quam ista Ruperti, negare potest hypostaticam impanationem, in cujus sensu panis, ut supra certum fecimus, una Christi caro, unum Christi corpus, nec dici nec esse potest? Unum igitur, ne tædio sim, circa quintum hunc Ruperti locum observabo.

Nonnulli, quos Pater non trahebat, ad eucharisticam corporis Christi veritatem accedere dura cervice recusantes, illud opponebant quod Apostolus dicit: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*; Christum enim

(141) *Réponse au traité De la Perp.*, p. 28.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

toties mori putabant quoties panis iste frangitur, si panis iste in veritate Christus est. Istud incredulæ impietatis litigium Rupertus, in hacce veritate tenda per omnia firmus, nobis sic declarat : « Istis autem, qui hodie murmurant et litigant, cum veritatem corporis et sanguinis Domini defendimus, magnam videmur servare duritiam; nam cum argumentosa fide per auctoritatem evangelicam arctati fuerint, ut negare non possint hoc Domini corpus illud esse quod pro nobis traditum est, et hunc ejus sanguinem illum esse qui pro nobis effusus est : cum, inquam, hoc illis constanter astruxerimus, ergo, inquiunt, si non figurate, sed revera panis iste Christus dicitur vel est, quotidie Christus patitur et toties moritur, quoties panis iste in commemorationem ejus frangitur; quod est contra Apostoli sententiam dicentis : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* »

Illud Umbraticorum objectum ut luce veritatis Rupertus dissolvat, duo hæc constanter astruit, 1. Corpus hoc quod in altari immolatur, frangitur et manducatur, esse verum Christi corpus quod pro nobis traditum est. 2. Nihilominus eam ipsam Christi humanitatem, quæ semel passa est et resurrexit nihil jam pati; nec enim jam moritur.

Utramque autem hanc apostolicæ sententiæ simul et corporis Christi in eucharistia veritatem ut defendat Tuitiensis, non pondus rationum, quod in rebus fidei vel leve vel nullum est, sed diversas ex fide adducit comparationes, quibus sensum carnalem comprimens, utcunque fidelibus explicat quomodo vera caro, quæ una et vera Christi est, seu verum Christi corpus, hic immolatur, frangitur et manducatur, nec tamen Christus quid patitur, sed manet in gloria.

Istis enim similitudinibus manifestius ostendit quatenus a fide minime abhorreat diversa vel etiam pugnantia uni rei convenire; si nempe secundum diversas spectetur rationes, secundum quas id quod in se unum est, quasi duo censetur, quia diversis his modis ipsum in seipso differt.

Ea mente Rupertus, objecto loco, Isaac et arietem proponit; cum enim duo hæc pro una re, uno videlicet Isaac, supponerentur, sic tamen Abraham percussit arietem, ut filium aræ suppositum non læderet. In quibus tamen id discriminis ipse intercipit quod Isaac et aries non substantia, sed signo duntaxat libero, unum essent; at vero in eucharistia panis iste visibilis, cum invisibili Filio Dei unum factus est, ipsi videlicet concorporata substantia corporis illius quod est in altari.

Quapropter Tuitiensis alia, quæ aptiora sunt, inducit, in quibus catholica fides de eodem diversa credit et prædicat, puta de uno Filio Dei, quod de terra natus sit, et tamen e cœlo descenderit; quod immortalis cum esset, et Dominus mortis, mortem tamen subierit; quod qui jam erat in cœlo, ipse tamen ascendit in cœlum.

Et ex his quæ animalis sensus non percipit, sed sola Christi fides agnoscit, Rupertus utcunque aperit absconditum illud divinæ pietatis sacramentum, in quo Ecclesia credit sub exteriori panis specie verum esse et unum Christi corpus; illud ipsum quod in cruce pependit et surrexit a mortuis, mysticis quotidie consecrationibus immolari, frangi et manducari; nec tamen propterea Christum quidquam pati aut ullatenus mori, sed mortis victorem et inferni, in cœlesti sedere gloriam.

Quasi noster Tuitiensis ad tanti explicationem mysterii populis fidelibus diceret: « Qui sanctas Scripturas legit, is didicit arietem percussum, Isaac illæso, cum tamen in signo una res essent. Sed qui credit, intelligit in durissimo carnis Christi supplicio et acerbissima morte divinam Christi naturam nullum passionis sensisse dolorem; cum tamen una esset, naturæ istius divinæ in Christo et carnis illius, persona, unus esset Dei Filius, unus Christus, Deus et homo, qui dum in cruce moritur secundum carnem, immortalis regnat secundum divinitatem. »

Ita qui credit, quidni et intelligat, dum vera Christi caro, in incruento altaris sacrificio immolatur, frangitur et manducatur, Christum nihil pati, Christum jam non mori, licet una sit Christi caro, et unum sit Christi corpus, quod, dum secundum panis speciem immolatur hic, frangitur et manducatur, secundum speciem propriam in cœlo vivit mortis Dominus.

Genuinum hunc Ruperti sensum quis reprobaverit, qui Umbraticis non faveat, quos Tuitiensis vehementi eucharistiæ veritatis zelo persequitur? Alter, qui nostram non solum erudiat fidem, sed et nostræ fidei pietatem accendat, quinti hujus loci sensus si quæritur, dixeris ibi a Ruperto doceri, quod sicut Verbi divinitas, quia vita est et spiritus, a sua vita et spiritu distrahi non potuit; ipsius tamen carne crudeliter affixa cruci; ita dum Christi corpus in sacramento frangitur et manducatur, Christi tamen humanitas nihil patitur, eo quod in ista corporis Christi fractione et manducatione, spiritus a Christi corpore non sejungitur, « sed, inquit Tuitiensis, caro simul cum spiritu, et spiritus cum carne manducatur. »

Sed ne cui durum sonet quod sanctus abbas dixerit Christi corpus frangi in altaris sacrificio, in quo exterior sola panis species disrumpi videtur, Chrysostomus audiatur (142), ubi hæc Apostoli verba, *et panis quem frangimus*, liberiori hac interpretatione sic explicat : « Quare addit (Apostolus) *quem frangimus*, hoc in eucharistia videre licet in cruce autem minime, sed oppositum; *os enim*, inquit, *non conteretur*. Sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur propter te, frangi sustinet. »

Berengarius ipse, suam ejurans hæresim, iisdem etiam verbis auctoritate apostolica fidem catholicam professus est (143) : « Ore, inquit, et corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eamdem fidem me tenere quam dominus et venerabilis papa Nicolaus

(142) Homil. 42 in 1 ad Cor.

(143) C. Ego Berengarius, d. 2, *De consecr.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et hæc sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendum tradidit, nihilque firmavit, scilicet panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem Domini non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate Christi corpus manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri; jurans per sanctam et homousion Trinitatem. »

Quibus verbis *frangi* et *atteri*, si Christi carnem non intelligas in partes discerpi aut comminui, sed veram Christi carnem, et non solam corporis Dominici figuram in quibuslibet minutionibus specierum panis particulis manere, et a manducantibus sumi, nihil in istis Berengarii, Chrysostomi et Ruperti vocibus offendiculi est.

Explanato itaque hoc quinto Ruperti loco, ad sextum festinus propero, ad quem nonnulli catholici hujusce doctoris scripta cursim evolventes, minus feliciter allidunt. Hi in Tuitiensi (lib. II *in Exod.*, c. 10) legisse sibi videntur, panis et vini substantiam a Spiritu sancto non mutari aut destrui, sed a Verbo Patris assumi : unde Rupertum hypostaticam panis et vini cum æterni consilii Verbo unionem et sensisse et docuisse nullo dubio pronuntiant.

Verum qui tot in pagiis scripsit panem et vinum verti, converti, mutari et transmutari in Christi corpus et sanguinem, qui eo etiam loci diserte et expresse fatetur, panem in altari Christi corpus fieri; qui hoc quod in altari sumimus, Christum esse et Agnum Dei prædicat, quomodo sensisse vel docuisse censeri potest, panis et vini substantiam in eucharistiæ sacramento non mutari?

Rupertus ibi quidem posuit panis et vini substantiam, videlicet secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutari aut destrui. Quod quis vel carnalis sensus non judicet? aut panem et vinum intellige non mutari; destructiva scilicet mutatione, quæ nobiliorem non introducat substantiam. Quod quis catholicus non profiteatur, qui panem credit in illud unum verum Christi corpus, quod a Verbo assumptum et cruci affixum, divina Spiritus sancti operatione mutari?

Vel panem et vinum intellige Christi corpus et sanguinem sic fieri, ut tamen non mutetur in corporis et sanguinis Christi speciem, hoc est ut seipse explicat, in carnis saporem et in sanguinis horrorem. Hæc, inquam, intelligat et judicet censura maturior, nec damnabit S. Ruperti fidem, sed eam laudabit in omnibus sanctorum Patrum sententiis et verba secutam.

Sed utquid, inquies, ex toties repetita Dominicæ incarnationis comparatione, et ex divini Verbi unitate tot in locis demonstrare studuisset eam carnem quæ est in sacramento, illam ipsam esse quæ in Virginis sinu concepta, et a Verbo Dei assumpta, in cruce transfixa est; quamvis in altaris sacrificio nec carnis sapor, nec horror sanguinis terreat, sed panis et vini suavis species ad mensam alliciat?

Opportune quidem et sapienter, adversus eos qui, Ruperti sæculo, ut notat Algerus (144), panem et vinum mutari dicebant in carnem et sanguinem non Christi, sed cujuslibet Filii hominis, sancti et Deo accepti; vel etiam adversus nonnullos ex scriptoribus catholicis, qui, ut in superioribus adnotavimus, aliam dicebant Christi carnem, quæ in pane consecrato ab Ecclesia offertur, et aliam quæ de Virgine nata in cruce appensa est.

Non extra rem igitur, sicut nec extra Patrum mentem et voces, Rupertus his in locis id unum quam maxime comprobare studuit, corpus hoc quod in altari prece mystica consecratur, illud ipsum esse Christi corpus quod ex charitatis obedientia Verbo Dei ad mortem aptatum est. Et carnis illius quæ eum in altari, tum in cruce, una vera caro Verbi est, individuam unitatem non alibide potentius quam ex divini Verbi unitate arguit. Sed nec extra fidem eucharistici sacramenti Rupertus ex incarnatæ Sapientiæ admirabili dispensatione, stupendum ac terribile corporis Christi explicavit mysterium; præclara et in his Ecclesiæ lumina scrutus.

Extra jus ergo, et gravi non in Tuitiensem modo, sed et in Ecclesiæ totius fidem ac pietatem injuria, purissimos hosce Ruperti doctrinæ latices, qui a limpidissimis Ecclesiæ fontibus continuo fluxerant, ad inauditas hypostaticæ impanationis novitates nonnulli deducunt.

Jam ergo conticescat calumniatrix quorumdam petulantia, ne dum Ruperti fidem falso erroris nomine deturpat, catholicorum Patrum doctrinam contumeliose dehonestet. Zelus hic ex impetu magis quam ex scientia ferveus jam se contineat, ne quam Ecclesia semper tenuit fidem in Ruperto incautius proscribat (145).

Vel si libet eos in pace quiescentium jam busta refodere, et ossa corrodere mortuorum, in hoc adamantino viro suos experiantur dentes, et cognoscent quod ita eis in ore frangentur, ut ultra neminem sub hac specie pietatis mordeant.

A Ruperti itaque doctrina procul sit cum nonnisi figuram aut signum corporis et sanguinis Christi in Dominica mensa posuisse, qui totus, non in umbra, sed in veritate; non in figura, sed re, nomine et effectu verum Christi corpus et sanguinem, sub exteriori panis et vini specie, ab Ecclesia ore sacro confici, ubivis contendit (146).

A Ruperti gloria procul, ab indignis Christi corpus non manducari; apud quem : « Non nemo indigne manducare potest, sed nemo indigne manducare debet : panis namque semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi

(144) In prologo.
(145) Hæc facund. l. IX et ult.

(146) L. I De divin. offic., c. 17; et epist. ad Cunonem, quæ inc. *Meditatus*, et alibi.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

caro esse desinit, sed (lib. VI in *Joan.*) non prodest A quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est. »

A Ruperti nomine procul sacrilega impanationis fatuitas; sed ipso hortante (147) : « Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet panem et vinum, exteriori specie non mutata, transferri in veram viventis corporis et sanguinis Christi substantiam. » — (Lib. IV *in Exod.*, c. 7) « Substantiarum enim ac specierum creator Deus efficaciter hæc in carnem et sanguinem Christi convertit, permanente licet specie exteriori. »

Et tandem a Ruperti fide ac pietate procul esto nova et absurda hypostaticæ impanationis impietas, qui plenis paginis scripsit et verbis expressis docuit panis et vini substantiam verti, converti, mutari, B transmutari in illud ipsum Christi corpus quod pro nobis in cruce pependit, et in illum ejus sanguinem qui ad exhauriendæ multorum peccata effusus est, panem denique illam fieri et esse carnem quam de Virgine Verbum Patris assumpsit, et in crucis ara Deo cruentatam obtulit : et vinum illum fieri ac esse sanguinem quem Christus de latere suo fudit. Quæ, ut ostendimus, nec blasphema hypostaticæ impanationis impietas ferre aut dicere potuisset.

Cum ergo Rupertus ea omni fide quæ Ecclesiæ filium, ea omni doctrina quæ divini Verbi interpretem, ea omni gloria quæ fidei propugnatorem, eo omni nomine quod sanctis et doctis celebrem, ea porro omni fidei pietate quæ catholicum simul et sanctum decet, has omnes de corpore et sanguine Christi in eucharistia catholicas veritates aperte docuerit, easque profanis et sacrilegis erroribus firmus opposuerit : venerabilis Ruperti fide quid purius? Doctrina Ruperti quid certius? Ruperti gloria quid illustrius? Ruperti nomine quid celebrius? Ruperti denique circa adorandum corporis et sanguinis Christi sacramentum fideli pietate quid sanctius? Omni ergo deleta erroris cujuslibet nota, Rupertum Tuitiensis cœnobii Patrem fide purum, doctrina certum, gloria illustrem, nomine celebrem, et erga eucharisticum corporis et sanguinis Christi mysterium catholica pietate fidelem pariter ac sanctum libere proposui, fideliter exhibui, constanter asserui, et feliciter vindicavi, *mendaces ostendens eos qui maculaverunt illum* (*Sap.* x).

(147) Epist. nuncup. ad Cun., cujus initium *Meditatus*, et l. III in Exod. c. x.

APPENDIX.

Injusta et inerudita Simplicii Verini *de Ruperto abbate Tuitiensi critica in libro De transsubstantiatione.*

Prelo subductis omnibus nostræ pro Ruperto abbate Tuitiensi Apologiæ paginis, in Simplicii Verini librum *De transsubstantiatione* incidi, in quo dum sectæ Protestantium fellcus hic scriptor, qui Cl. Salmazius est, Rupertum Tuitiensem in omnem contra eucharistiæ sacramentum errorem trahit; præsentiæ videlicet signi duntaxat aut virtutis, manducationis per fidem, impanationis, et hypostaticæ unionis panis cum Verbo, multa animadvertenda committit; quæ dimittere non debuit sancti illius doctoris vindex, sed per appendicis modum hic adjicere et emendare.

I.

De auctore librorum *De divinis officiis*, Verinus (147') sic dubitat, ut magis putet iis assentiendum qui illos negant a Ruperto Tuitiensi fuisse D compositos.

Primum hunc Verini lapsum corrigit Apologiæ prima pars, in qua accurata dissertatione opus hoc *De divinis officiis*, uni Ruperto Tuitiensi certo jure adjudicavimus.

Et quidem eo sub nomine hoc opus legitur in mss., codicibus qui in illustrioribus Belgii bibliothecis asservantur : in bibliotheca Alnensis monasterii in editione Leodicensi; in bibliotheca Elnonensi, in cujus codice desiderantur libri decimi caput vicesimum quintum et caput ultimum, quæ in excusis habentur : in bibliotheca S. Martini Tornacensi, in qua et aliud *De divinis officiis* opus a magistro Roberto, qui a Tuitiensi alius est, scriptum reperitur, cum prologo qui incipit : *Memini eum de ecclesiasticis officiis parva quædam*, etc. In bibliotheca Villariensi; in bibliotheca monasterii Bonæ Spei; in bibliotheca Trajectensi; in bibliotheca Camberonensi, ut nobis tradit Antonius Sanderus in *Bibliotheca Belgica*.

Nec alicujus momenti est ratio qua Verinus hujusmodi librorum auctorem in dubium vocat, utpote quæ nonnisi ex præconcepto errore, et ex falso Ruperti intellectu procedit. Verinus enim hujus operis auctorem non sensisse existimat realem veri corporis Christi in altaris sacramento præsentiam, sed divinitatem seu gratiam duntaxat in eucharistia cum pane conjunctam docuisse; Rupertum vero Tuitiensem, qui in Exodum haud dubie scripsit Commentarios, tenuisse censet non divinitatem modo, sed et Christi humanitatem esse hypostatice unitam pani.

Ex qua sententiarum pugnantia Verinus negandum voluit ab eodem Ruperto editos libros *De divi-*

(147') Lib. De transsubstantiatione, pag. 184, 185, 197.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

is officiis, a quo prodierunt *in Exodum Commentarii*. Error in errorem Verinum trahit. Et prima hæc circa Ruperti hoc opus hallucinatio manifeste prodit Simplicii Verini in evolvendis Ruperti libris inintelligentiam, qui hujusmodi opus cæteris Ruperti elucubrationibus perpetua accensent, et primitias esse frugum Ruperti ubivis protestantur.

Quid ergo mirum si Verinus, qui vel nunquam, vel levissime Ruperti libros evolvit, doctissimi illius scriptoris mentem non sit assecutus, et extraneos ei sensus affinxerit?

II.

Rupertum, qui indubie auctor est librorum *De divinis officiis*, intellexisse eucharistiæ sacramentum constare sola visibilium specierum, panis videlicet et vini substantia, et virtute divina qua pascuntur et sanctificantur animæ justorum, Verinus ex his quæ in libro II, cap. 9, *De divinis officiis*, leguntur, verbis astruit (148) : « Est tam in Pontifice quam in sacrificio divina substantia; est et terrena. Terrena in utroque est id quod corporaliter vel localiter videri potest: divina in utroque Verbum invisibile est, quod in principio erat Deus apud Deum, » etc.

Quam insulsa autem hæc sit Verini expositio sit cuivis obvium attendenti, 1. Quod terrena substantia Ruperto fuit non solum panis et vini substantia, ex qua sacrificium conficitur quidem, sed non constat sacramentum; sed ipsa etiam Christi caro, quæ, ut ait Rupertus, de terra nostra est, et in altari sub panis specie videtur. 2. Quod eo ipso in opere, non solum divinitatem, ut Verinus commentus est, sed ipsam simul Christi humanitatem, verum Christi corpus, verumque illius sanguinem, non in umbra, sed in veritate, ut loquitur Tuitiensis, non in figura, sed in re contineri in eucharistia Rupertus expresse profitetur, ut productis ex libri primi *De divinis officiis*, cap. 17, et ex libri II, capit. 2, 5, 16 et 22, testimoniis in Apologia speciatim demonstravimus. 3. Quod genuina, quam in Apologia dedimus, adducti a Verbo loci explicatio manifeste ostendit Rupertum eo loci nihil aliud sentire aut docere quam a Verbo divino in altaris sacrificio assumi panem transferendum et transmutandum in illam ipsam carnem quam in utero Virginis induit et ita ex pane visibili per verbum assumpto et in veram ejus carnem transmutato, et ex ipso Dei Verbo invisibili visibile constru sacrificium.

Non est itaque unde Verinus aut alius quis umbratici corporis defensor, Rupertum suo patrocinatum errori ducat; sed est unde has suæ fidei figuras abjiciens, catholicæ corporis Christi veritati firmus adhæreat.

III.

Qui in sacramento nonnisi panis et vini substantiam et divinam virtutem seu gratiam credit, is in illius sacramenti communione solam panis et vini substantiam ab indignis percipi concludat necesse est.

Sic Verinus (149) contendit quod qui indigne comedit, in suo et Ruperti sensu solum panem comedit, quod mali sacramentum quidem, sed non Christi corpus sumunt (150), juxta hæc Ruperti verba, « in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit. »

Injustum hoc Verini de Ruperti doctrina judicium nostra corrigit Apologia, tum ubi ex certissimis Ruperti testimoniis probat eum sensisse et expresse docuisse Christi corpus ore etiam sacrilego ab indignis manducari: tum ubi catholicum horumce verborum, *in illam in quo fides non est*, etc., intellectum multiplicem profert : nempe nihil quod percipienti sit utile, de sacrificio in illum in quo fides non est, pervenire : vel, in illum qui in hocce sacrificio Christum esse non credit, præter visibiles species nihil, secundum hanc fidem quæ solus panis et vini species in sacrificio agnoscit, de sacrificio pervenit. Quæ quantum a Verini judicio distent quis non videat?

IV.

Verinus in suæ contra transsubstantiationem disputationis progressu, de Ruperto dicere audet (151), quod non ille putavit panem revera mutari in Christi corpus : quod istis verbis, « cum vino accedit Verbum crucis, fit sanguis ille qui effusus est in remissionem peccatorum, » non tamen Rupertus transsubstantiationem panis in corpus, et vini in sanguinem confirmare voluit. Et tandem concludit Rupertus (152), sicut et alios Patres ipsos antiquiores, negasse ullam intervenire in his sacramentis substantiæ panis et vini et aquæ mutationem.

Quod qua veracitate sit dictum, judicet quisquis Rupertum ubivis docentem audivit quod panis et vinum prece mystica fiunt et vere sunt vera Christi caro, ipsa quæ pro nobis transfixa est, et verus Christi sanguis, ille qui effusus est in remissionem peccatorum; quod panis et vinum in carnis et sanguinis Christi substantiam vertuntur et convertuntur, mutantur et transmutantur, remanente licet exteriori panis et vini specie, ut in Apologia evidentissimis Ruperti testimoniis fuit comprobatum.

Ipsa enim æquivocis subjici expositionibus, vel ad divinitatis aut corporis Christi virtutem aut figuram, vel ad hypostaticæ impanationis sensus distrahi, legitima interpretandi ratio nullatenus sustinet. Ecquis, nisi summa in Ruperti fidem injuria, eum istis sub vocibus alienam occultasse doctrinam suspicabitur? aliud sentire et aliud loqui vel scribere de divinis sacramentis grande piaculum : quod absit a doctore catholico.

Nec violentæ Verini interpretationi (153) ullo modo favet, quod Tuitiensis diserte scripserit aquam

(148) Pag. 316, 318.
(149) Pag. 225.
(150) Pag. 247.
(151) Pag. 317 et 318.
(152) Pag. 320.
(153) Pag. 319.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qua lavantur fideles in baptismo, eam ipsam esse quæ ex aperto Christi latere profluxit : quam tamen nec Rupertus sensit in substantia fuisse mutatam.

Nam Rupertus nullibi unquam vel sensit vel scripsit baptismi aquam in eam converti et transmutari quæ de Christi latere cum sanguine effluxit; cum tamen innumeris propemodum locis scripserit panem et vinum converti in Christi corpus et sanguinem. Quæ verba Verinus hic fateri cogitur transsubstantiationem exprimere, ubi, ne illius veritatem admittat, nullo argumento patitur ut dicere quis possit « aquam baptismi in eam aquam converti quæ fluxit ex latere Christi. »

Verum nec Rupertus aquam regenerationis eam esse quam de Christi latere militis lancea eduxit, eo sensu definivit, quo panem in eucharistia fieri et esse illam Christi carnem, quæ cruci affixa est, nulla verborum aut sensus dubietate asseruit.

Cum enim Rupertus unam omnium aquarum, sive quæ in Rheno, sive quæ in Tiberi, sive quæ in sacris fontibus, sive quæ in cruce de Christi latere fluunt, unam esse substantiam non inepte judicaret, et eam quæ in regenerationis lavacro est, virtutem ex Christi sanguine manare, qui cum aqua simul de Christi corpore exivit, sapientissime dixit baptismatis aquam illam esse, tam secundum substantiam quam secundum virtutem, quæ Christi sanguine mista de ejus latere fluxit.

Hæc autem Ruperti doctrina, quid, quæso, adversus panis et vini in Christi carnem et sanguinem transsubstantiationem concludit.

Aqua baptismatis a Ruperto dicitur illa ipsa esse « ratione substantiæ, quæ omnium aquarum una in genere est; et ratione virtutis quæ in utramque ex Christi sanguine fluit, » quæ de Christi perforato latere cum sanguine exivit. Ergone, et cum panis Ecclesiæ ore consecratus a Ruperto dicitur ea ipsa Christi caro esse quæ in cruce suspensa mundum redemit, nulla panis et vini in Christi carnem et sanguinem transmutatio a Ruperto intelligitur? Quid ergo tot in paginis scripto dedit panem et vinum in ipsam carnis Christi et sanguinis substantiam converti et transmutari?

Si una carnis Christi et panis est substantia, una in aliam transmutari quomodo potest? si hæc illius virtutem duntaxat obtinet, quomodo non effectu solum, sed nomine ac etiam ipsa re panem fieri et esse Christi carnem a Ruperto definite profertur disertis verbis, quæ in Apologia protulimus? Imo (insurget criticus eliens) Rupertus panem et vinum esse Christi carnem et sanguinem, ex eo suadet quod vinum a sanguine, et panis ab humano corpore solis accidentibus differt. Quod quam inscite positum et physicæ contrarium, tam a transsubstantiationis veritate fissitum Salmazius ducit.

Nec diffiteor ego nullam ibi intelligi posse transsubstantiationem, ubi una substantia eadem est quæ altera. Sed et Cl. Salmazius, si a Tuitiensi panem et vinum in Eucharistia sic posita intelligit, ut ipsa simul in hoc sacramento sit corporis et sanguinis substantia, quæ substantiali duntaxat et non individuali unitate cum pane et vino sit eadem, fateatur necesse est a Ruperto non magis assertam in altaris mysterio carnis et sanguinis Christi, quam cujusvis alterius hominis individuam substantiam. Quod quis de Ruperto sentiret, qui expresse declarat panem et vinum fieri esse ipsum individuum Christi corpus quod cruci affixum est, ut Christus veraciter dixisse credatur : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.*

Verum nec eo loci Rupertus a transsubstantiationis veritate discessit, qui panem et vinum fieri et esse Christi sanguinem demonstrare nusquam ex eo intendit, quod unius ejusdem rationis est panis et carnis, seu vini et sanguinis substantia, ut ex pluribus contra Salmazium et alios Ruperti censores fit manifestum.

1. Una etsi concederetur panis et carnis, seu vini et sanguinis in genere substantia, non inde tamen consequi vel fatuus intelligeret panem et vinum fieri et esse Christi, magis quam alius carnem aut sanguinem. Sicut Verbum naturam quæ omnium hominum una est, assumens, non unius præ alio hominis naturam sibi copulavit.

2. Licet una panis et corporis humani esset substantia, nihilominus verum esset plures panes esse plura corpora; ut vel logicæ tiro plures panes admitteret plures esse substantias : nec eo dato stare posset ex pluribus panibus unum idem numero corpus confici.

3. Si de suo panis est ejusdem cum carne humana substantia, seu vinum ex insitis proprietatibus eamdem cum sanguine habet naturam, adeo ut sub illa ratione panis et vinum vere dicantur et sint ipsa Christi caro et ejus sanguis, falso et stulte omnino diceretur, quod operatione divina et ineffabili Spiritus sancti virtute panis et vinum inter mysticas preces fiunt Christi caro et sanguis.

4. Nec minus fatue doceretur quod unitas Verbi facit ut panis et vinum fiant et vere sint illa ipsa caro quæ confixa est, et ille ipse sanguis qui in cruce fusus est.

5. Denique non duæ in eucharistia forent panis et carnis substantiæ.

Cum ergo Rupertus, juxta Verini censuram (154), duas, præter divinam, in eucharistiæ sacramento substantias, panis scilicet et carnis Christi, his in libris admiserit : cum expresse pluribus in locis dixerit quod unitas Verbi facit unitatem sacrificii non modo substantialem (ut Verinus fingit [155]), sed individuam; qua fit ut panis illa una sit caro Christi quæ in cruce pependit, et vinum ille unus sanguis sit qui pro multis fusus est : cum diserte scripserit quod operatione divina et virtute Spiritus sancti panis et vinum in Christi carnem et sanguinem transeunt; quod plures qui quotidie a sacer-

(154) Pag. 585.

(155) Pag. 519.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dotibus offeruntur panes non sunt plura corpora, A sed unum illud quod hostia fuit pro peccatis : quod denique non qualecunque suum, sed suam carnem et suum sanguinem Christus dat hominibus, ut non cujusvis, sed unius Christi caro illa sit.

Quis a Ruperto sic dictum putet panem et vinum ejusdem esse substantiæ cum corpore et sanguine humano, ut inde probare voluerit panem et vinum, absque ulla substantiæ transmutatione, fieri, esse et vere dici Christi carnem et sanguinem?

Quis, qui humano sensu ducitur, non sanius judicet eo loci Rupertum ex quadam solummodo panis et vini cum carne et sanguine analogia, vel etiam substantiali aliqua similitudine utcunque explicare quomodo non omni rationi repugnet, nec ultra omnem potentiam sit panem et vinum transire B et converti in Christi carnem et sanguinem?

Quamvis enim Rupertus ejusdem esse substantiæ aquam et vinum, vinum et sanguinem nonnunquam dixerit, cum ex uno aquæ communi principio vinum et sanguis constituantur : non tamen ejusdem rationis, speciei vel naturæ substantiam aquæ vini et sanguinis noster Tuitiensis uspiam censuit, cum in vino et sanguine non solam aquam, sed ignem aquæ conjunctum opinatus sit, et diversas in rebus intelligat essentias, rationes et naturas.

Ea autem quibus res inter se differunt et diversas in essentia sortiuntur definitiones; idcirco Rupertus vocat accidentia, quia primæ substantiæ in suo esse jam constitutæ adveniunt, non vero quod res, seu ultimæ substantiæ, puta vino aut sanguini sic con- C tingunt, ut, ipsis recedentibus, ipsa tamen semper stet incorrupta substantia, quæ omnem vini et sanguinis servet entelechiam et essentiam, ut fusius in Apologia contra Gregorium a Valentia disseruimus.

Hæc si ad Cartesii placita quis deducere velit, quæ in formis, cum animam intelligentem exceperis, nullam a subjecto distinguunt substantiam, concedo lubens : modo, juxta Ruperti doctrinam et fidem tota panis et vini substantiam in individuam Christi carnem quæ in cruce passa est, et in individuum ejus sanguinem quem pro impiis effudit, converti et transmutari, exteriori duntaxat panis et vini remanente specie, catholice profiteatur, firmiter teneat et strenue defendat.

Nec audienda Verini sententia, quæ, ut Rupertum a transsubstantiationis fide alienum pronuntiet, corruptionem visibilium sacramenti specierum nullam contingere ex eo Ruperti testimonio probat (156), quo Tuitiensis sincere declarat Spiritus sancti operatione panem corpus, et vinum fieri Christi sanguinem; ita tamen ut substantiæ bonum non destruatur aut pereat; sed secundum visibilem seu exteriorem speciem in suo esse sic permaneat, ut secundum rem ad corporis et sanguinis Christi veritatem et dignitatem promoveatur.

(156) Pag. 320.
(157) Pag. 342.

Quasi vero nostro Tuitiensi, juxta Verini commentum, idem sit substantia quod exterior species, et mutationem res non subeat, quam non habet visibilis species, cum tamen distinctissime Rupertus panem et vinum in eucharistia fieri et esse re, nomine et effectu, sed non in exteriori specie, Christi corpus et sanguinem edicat.

Sic Verinus in sua capitur, quæ hæc non capit sapientia. Sic Salmazius in his cæcutit, ex quibus clarum omnibus ostentare se jactat Rupertum, ut et alios Patrum ipso antiquiores, negasse ullam intervenire in his sacramentis substantiæ rerum visibilium et corporalium, id est panis et vini et aquæ mutationem.

Quid Cl. Salmazius non invertit, ut cuncta in suos convertat errores? hanc Theophilacti vocem, εἶδος Salmazius vertit (157) *substantiam;* ipsis vocibus, quo jure viderit, sensus nusquam auditos præscribens, ut suæ serviant fidei.

Suo tandem ex ore Verinus judicatur (158), ubi ipse pro certo firmat stare minime posse, ut substantia panis maneat et simul sit verum corpus Christi.

Quid verius a Verino proferri potuit? sed qua interpretis fide Rupertum, ubi dicit quod panis est verum Christi corpus, eo sensu Verinus interpretatur, quem stare non posse ipsi certum est, hoc est, panem sic esse verum Christi corpus, ut simul sit et panis substantia? an quia panis ista vox retinetur, et ipsa panis substantia remanere a Verino censetur? Nunquid et ubi Christus dicit : *Cæci vident*, Salmazius putat cæcos adhuc esse qui jam vident? Desipit sane qui hæc sapit, et dialecticis tradendus est rudimentis, qui nondum didicit quod in mutationum enuntiationibus, res quæ mutatur, prioris sui status nomine exprimitur, ut et statum a quo res transit, et illum, ad quem transfertur propriis vocibus propositio clarius enuntiet. Quam ergo meretur fidem, qui scriptorum in istos inflectit sensus, qui nec stare possunt, nec in dialecticæ scholis admitti?

Equidem scio Rupertum dixisse quod Verbum in eucharistiæ sacramento non mutat aut destruit panis substantiam : sed et duplicem scio mutationis speciem : unam novi qua res sic desinit esse quod D erat ut in nihilum abeat, et alteram didici qua res sic incipit esse quod non erat ut ad altiora provehatur. Ex duabus autem his mutationum differentiis quænam a Ruperto intelligatur quis non videat, qui sibiipsi non tenebras aut mendacia fingit, cum Tuitiensis aperte adjecta hac voce, *aut destruit* eam duntaxat significet in pane non fieri substantiæ mutationem, qua panis sic destruatur, ut ex eo nihil sit, non tamen eam negans, qua sic esse suum amittat, ut ad carnis divini Verbi dignitatem veritatemque transferatur : ut in Apologia observavimus,

(158) Pag. 345.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ubi asperiora Ruperti loca explanavimus, et elucidavimus obscuriora.

V.

Profecto Verinus, seu ficto sub eo nomine Salmazius, in sua critica nec prudentior Grotio, quem stringit, nec felicior, dum hypostaticam panis cum verbo Dei, non tamen cum Christi humanitate, in altaris sacramento unionem concludit (159) antiquissimam esse, et a vetustis Patribus creditam traditamque. Sed vero sibi minime constans, post aliqua (160), dicit antiquos Patres hypostaticam panis cum divinitate conjunctionem nec tenuisse nec docuisse.

Eadem versatili mente, postquam finxit ex recentioribus Rupertum Tuitiensem in lib. II *De divinis officiis*, cap. 9, hanc divini Verbi cum pane hypostaticam unitatem sic tradidisse, ut solam divinitatem poneret (161) Christi quæ pani mystico adhærebat eodem modo quo divinitas in persona ejus et vero corpore cum humanitate juncta est, paucis interjectis (162), nostrum Tuitiensem in oppositum errorem novo figmento trahit, scribens quod Rupertus, suis in Exodum Commentationibus, non solam Christi divinitatem cum pane sacramentali conjunctam esse vult, sed etiam humanitatem; cum nempe Rupertus *in Exodum* ait : « Quomodo Verbum a summo demissum caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem ; sic panis et vinum. »

Hæc autem Ruperti loca, quæ in Apologia ex integro protulimus et mente sincera explicuimus, nullam hypostaticæ illius impanationis sive divinitatis sive humanitatis Christi fidem faciunt, sed Incarnationis duntaxat inducunt comparationem : ex quâ, ut ipse Verinus fatetur (163), minus consequenter quis deduceret hypostaticam Verbi divini cum pane a SS. Patribus in eucharistia intelligi unionem, cum similitudo singulis nusquam aptanda sit apicibus.

Porro Salmazius, sub ementito Verini nomine, non in Rupertum modo, sed et in Halmonem Halberstadensem, Remigium Remensem, Valeramnum et alios quosdam hunc refundit errorem, quasi qui senserint Divinitatem, quæ cœlum et terram implet, et quæ Christi corpori in cœlo manet unita, hypostatica eadem unione panis substantiæ in altaris sacramento sic conjungi, ut panis hæc substantia absque ulla sui transmutatione fieret, esset, et vere diceretur Christi corpus, unum cum eo quod sedet a dextris Dei.

Sic sibi mendax quod struit evertit. Remigio quidem similia dixisse et sensisse Rupertum in Apologia vidimus. At quam catholica utriusque sit doctrina, et ab hypostatica impanatione distans, ex eorum verbis, et ex ipsis dialecticæ regulis ibidem fusiori expositione demonstravimus.

Nec Remensem, sed magis Antissiodorensem hunccce Remigium exacta crisis pronuntiasset : quam nec Valeramnum ista scripsisse censuisset, qui vel nunquam fuit; vel, si ex adductis in prima Apologiæ parte Valeramnus est, de his saltem nihil usquam scriptis mandavit, ut in ea dissertatione adnotavimus.

Injusta ergo omni ex parte et prorsus inerudita Simplicii Verini, in libro *De transsubstantiatione*, de Ruperto Tuitiensi censura.

(159) Pag. 383.
(160) Pag. 394, 395.
(161) Pag. 184.
(162) Ibid.
(163) Pag. 395.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

EPISTOLA AD CUNONEM ABBATEM SIGEBERGENSEM.

Cuicumque fideli animæ, dum Verbo incarnato quodlibet impendit officium pietatis, non indignandum esse censet ejusdem Verbi auctoritas, tam vera quam mansueta, cum dicit : *Quid molesti estis huic mulieri ? Bonum enim opus operata est in me. Nam semper pauperes*, inquit, *habetis vobiscum, me autem non semper habebitis* (*Matth.* XXVI). Nunquid enim, quia dixit, *me autem non semper habebitis*, et hoc dicto in cœlum abiit, idcirco jam caput et pedes ejus unguento pretioso nemo ungit? At tu idem, cujus magnitudinis non est finis, cujus *cœlum sedes*, cujus *scabellum pedum terra es'* (*Isai.* LXVI), eodem ore tuo dixisti : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Ergo quodam quidem modo *me autem*, inquit, *non semper habebitis*, scilicet præsentia corporea, præsentia visibili ; quodam autem modo *vobiscum sum*, ait, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, videlicet incircumscriptæ divinitatis præsentia incorporea, præsentia invisibili. Constat autem quod ea quæ tunc, circa corpoream visibilemque illam præsentiam, gesta sunt eorum quæ sub ista in or-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

porea et invisibili præsentia, gerenda erant præsignativa fuerint. Mulier videlicet quæ fuerat peccatrix, cum pretiosum effunderet unguentum super caput, et super pedes quoque, ut Joannes refert, ipsius recumbentis in domo Pharisæi (*Luc.* VII; *Joan.* XII), Ecclesiam de gentibus præsignabat, quæ nunc illud spiritualiter agit, admissa in illam domum Judaici populi, de qua Apostolus ait : *Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum Patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX). Illuc inquam, admissa, ita ut idem Apostolus dicat : *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (*Ephes.* II), famatum hoc pietatis officium Domino Jesu Christo spiritualiter impendit. Et aliter quidem in activa, aliter autem in contemplativa vita. Nam in activa vita, pedes tantum ungit dum pauperibus vel egenis pro nomine ejus, cujus tanquam capitis membra infima sunt, corporalibus ministrat subsidiis. In contemplativa vero, caput et pedes ejus gratiosius ungit, dum de fideli sanctarum radice, sive medulla Scripturarum, plum conficiens sermonem suaviter tractat, quantum potest, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Itemque, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*ibid*). Cum igitur tale quid facimus, ne indignentur discipuli Domini, memores quia ipse dixit : *Sinite illum. Quid illi molesti estis? Quod habuit hæc fecit, prævenit corpus meum ungere in sepulturam* (*Marc.* XIV). Defensa est illo defensore, qui cor ejus melius noverat, fecitque securior de suo quod sibi complacuerat, expendit ubi voluit, et in quo voluit quod de suo emerat. Quanto melius sic expendit quam si vendidisset Judas, ut volebat, trecentis denariis fur loculorum Domini? Nunc enim domus impleta est ex odore unguenti (*Joan.* XII), quia ubicunque prædicatur Evangelium, dicitur et quod hæc fecit in memoriam ejus (*Matth.* XXVI) : fetor autem furti et invidiæ illius in æternum non delebitur. Nosti hæc, Pater mi Cuno, abba venerabilis et venerabilium studiosissime litterarum, quodque eo majus est, monachicæ columna religionis, qui in monte Sigebergensi, ad memoriam sancti archangeli Michaelis jam ecce annum ab ordinatione tua agens duodecimum (qui est ab Incarnatione Domini millesimus centesimus septimus decimus, cum indictione decima) Christo fideliter obsequendo, bono hactenus imples odore domum Domini. Nosti, inquam, hæc, nisi quia tu, imo per te Christus præsidio adfuit, nimirum qui molesti fuere huic operi, tantummodo dictis, fremuissent etiam in me factis. Quasi paxillus tu mihi factus es, fixus in loco fideli (*Isai.* XXII), in quo spei meæ possit vasculum suspendi. Proinde actum est, credo, per providentiam Dei et Patris, sine quo nec unus passer in terram cadit (*Matth.* X), ut in notitiam venirem tuæ charitatis et fidei, utque postmodum migraturus ab hoc sæculo Pater meus, vir vitæ venerabilis et sapientiæ memorabilis, Berengarius abbas Sancti Laurentii, in publico monte Leodii tuæ committerer fidei, tanquam pupillum tutori. Solus enim is qui nunc successit ei, vir fidelis et prudens Heribrandus, qui et ipse litterarum peritus pueritiæ meæ magister exstitit, illuc usque non possit mihi patrocinari, quo sicut scis invidia pervenerat nominis mei. Recordabor ergo nunc clamoris mei, et somnii jure inter seria computandi, quoniam non dubito illud præsagium fuisse hujus rei quæ nunc accidit, quod scilicet ille, quem jam dixi, moriturus in manu tua me dereliquit, inimicitias sustinentem odientium me gratis (*Psal.* XXXIV). Recordabor, inquam, clamoris mei in nocturna visione, quando clamabam sicut in responsorio cantare didiceram, clamorem illum magnum et novissimum B. Dionysii Areopagitæ : « Nunc jam, Domine, per coronam martyrii cum fratribus meis servis tuis suscipe me. » Cantabatur nescio quid de contra, et circa me, in medio quasi magnæ ecclesiæ choris fortiter et altissime perstrepentibus, et opprobria exprobrantium atque contendentium quæ nunc ceciderunt super me (*Psal.* LXVIII), illa cantationis imago per contrarium vaticinabatur. Stabam interim taciturnus et mitis, quia conjunctus eram lateri, et manu in manum tenebar jam dicti abbatis mei, cum ecce ille quasi alienæ manui, inanum meam indidit miro modo, quem vix eloqui possim, videlicet tanquam in chirothecam, singulis digitis meis in singulos manus illius digitos immersis. Quid illa mihi manus, Pater mi, nisi patrocinium significavit tuæ charitatis? Ille enim rebus excessit humanis, et me contra quem plurimi jam fuerant incitati; in manu tua, sicut tute scis, dereliquit. Cantabatur itaque, ut jam dixi, et multiplicante cantilenam turba, vocalis fragor invalescebat. Erupi tandem in vocem magnam et altam, et mihiipsi pro sua pulchritudine et compositione valde auditu mirabilem, omnium oculis in me conversis, decantans jam illud dictum responsorium B. Dionysii, me manu deducente, quam jam dixi, manum tuam figurante, ut nunc res ipsa probavit. Tua namque post Deum ope maxime tutus, et fretus testimonio, ecce respondeo exprobrantibus mihi verbum (*Psal.* CXVIII). Et dum facis etium scribendi auctoritatemque concedis superno muneri, quod mihi aspirasse sponte testaris, ad auditum publicum procedit hoc opus quod ante te cognitum incœperam ad gloriam et honorem sanctæ et individuæ Trinitatis. Proposueram enim tripartitum hoc facere, ab initio primæ creationis usque ad finem sæculi, ita videlicet ut primum ab ortu primæ lucis usque ad lapsum primi hominis. Secundum, ab eodem lapsu primi hominis usque ad incarnationem vel passionem secundi hominis Jesu Christi Filii Dei. Tertium, extunc usque ad sæculi consummationem, id est generalem mortuorum resurrectionem, ejusdem operis dividuum sit. Et primum quidem Patris,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

secundum Filii, tertium proprium est Spiritus sancti. Fecimus ergo de proprio Patris opere, a prima creatione, id est ab initio quo creavit Deus cœlum et terram, usque ad id quod Adam de paradiso ejectus est, libros tres; deinde de proprio Filii opere, quo a justitia vel morte Abel paulatim per figuras et visiones propheticas nobis appropinquans Verbum Domini pervenit usque ad susceptionem carnis et mortem crucis, libros trigenta. Deinde de proprio Spiritus sancti opere, scilicet ab incarnatione ejusdem Christi Filii Dei vivi, quem de Spiritu sancto Virgo concepit incorrupta, usque ad finem sæculi libros novem, simul fiunt libri quadraginta duo.

Verba ergo ipsa quæ fiunt hujusmodi : Nunc jam, Domine, per coronam martyrii cum fratribus meis servis tuis suscipe me. Juvant, fateor, dulcemque mihi faciunt hanc ollam spei meæ, quia videlicet per coronam martyrii, idem est ac si dicam per victoriam testimonii, licet magis testimonium perlatum usque ad effusionem sanguinis, Græco nomine martyrium, propter insigne significationis ad augendum appellari complacuerit. Porro testimonium Veritati quicunque perhibent certissime ab ipsa sunt veritate coronandi, quæ et cum ipsis fratribus meis, servis suis, me suscipere et adnumerare dignetur, testimonium sibi perhibentem voce et litteris. Inter eos tibi et omnibus sit pars in isto, et omni bono et fideli sermone Domini, per quos Christo suffragante animæ meæ, et quodammodo dicente : *Bonum opus operata est in me; prævenit enim corpus meum ungere in sepulturam* (*Marc.* XIV), videlicet non jam meam, sed suam, licuit et vacavit mihi utcunque et ubicunque cœptum opus triennio perficere, quod sancta Trinitas, cui dicavi illud, dignetur in odorem suavitatis acceptum habere.

PROLOGUS RUPERTI

IN LIBROS

DE SANCTA TRINITATE ET OPERIBUS EJUS.

Facies Moysi cum ubique ex collocutione Dei splendida sit, et idcirco figurativis cum vocibus seasum suum, qui per faciem intelligitur, velare oportuerit, tum vero in creatione mundi tanti splendoris est, quantum ferre nequaquam potuissent universi filii Israel, nisi illum grossiori textu litteræ, quasi pannis infantiæ, obvolvisset. Narrat enim nobis, in quantum homo ex prædicta Dei collocutione discere potuit, illam ineffabilem genituram Filii Dei, de qua dicit ipse Deus Pater in David : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV). Nihilominus et illos septem spiritus Dei dinumerat, quos hodie missos in omnem terram sancta catholica novit Ecclesia, scilicet spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et spiritum timoris Domini. Hæc sine dubio si absque velamine palam omnibus scripsisset, sicut nunc ubique in toto mundo prædicatum est, ex quo jam glorificato Jesu et Spiritu dato, *revelata facie gloriam Domini* speculari licet (*II Cor.* III), profecto nimis cornutam faciem, nimium Dei splendorem impatientibus lipporum oculis objecisset. At ille velamen talis litteræ suæ faciei prudenter oppandit : *Dixit Deus : Fiat, et factum est* (*Gen.* I). Septies dixit, et septies dictionis suæ bonitas sibi complacuit, et septimo die requievit (*ibid.*). Hoc talis litteræ velamine subjecto invenies illud quod ait : *Dixit Deus : Fiat*, hoc ipsum esse quod ait Pater in David : *Eructavit cor meum verbum bonum*, vel quod dixit evangelista Joannes de Verbo, quod *in principio* Deus apud Deum erat, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Porro septem boni operis ejus species, septem dies Dei sunt, quia videlicet propter benitatem suam, quæ est septiformis Spiritus sanctus, hoc Verbum de corde suo Pater genuit, quia septies dixit, et dicendo septem opera *valde bona* fecit (*Gen.* I). Licet autem futura sit octava dies, nihilominus tamen operis Dei septem sunt dies, quia videlicet homo, cujus universalis resurrectio dies octavus est, non in alia, sed in ipsa qua conditus fuit specie, resurrecturus est.

Horum dierum singuli ex vespere constant et mane, quia profecto omne quod factum est, in Verbo Dei erat, antequam fieret. Nam *quod factum est*, inquit evangelista, *in ipso vita erat* (*Joan.* I). Et vespere quidem erat, cum adhuc quod factum est, solummodo vita esset in ipso quia videlicet latebat in secreto Dei luminosa faciendi hæc omnia potestas vel præscientia. Tunc autem mane splendidum venit, quando hæc vita quæ in ipso erat, in actum vel species rerum patenter effulsit. De his omnibus suis in locis plenius dicendum est.

Igitur adorandam sanctæ Trinitatis gloriam, in hac peregrinatione quærentes, operum ipsius speculum sensibus nostris admovemus, ut quia pro conditione mortalitatis infirmos adhuc oculos in splendorem majestatis ejus figere non valemus, saltem opera ejus contuentes in lumine ejus aliquantulo, sine errore ambulemus. Est autem tripartitum ejusdem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Trinitatis opus, a conditione mundi usque ad finem ejus. Primum est ab exortu primæ lucis usque ad lapsum primi hominis. Secundum, ab eodem lapsu primi hominis usque ad passionem secundi hominis Jesu Christi Filii Dei. Tertium, a resurrectione ejusdem usque ad sæculi consummationem, id est generalem mortuorum resurrectionem. Et primum quidem Patris, secundum autem Filii, tertium vero Spiritus sancti proprium opus est. Plane inseparabilis Trinitas, unus Deus inseparabiliter operatur. Verumtamen singulis horum, id est, Patris et Filii, et Spiritus sancti, sicut personæ proprietas, ita et in perfectione mundi consideranda est actio propria, videlicet ut Patris creatio, Filii redemptio, sancti Spiritus proprium sit opus creaturæ innovatio. Denique, cum Pater per Verbum omnia facit, et Spiritus sanctus superfertur aquis, cooperantur quidem duæ personæ uni operanti. Verumtamen ipsa Verbi dictio, vel Spiritus emissio, propria Patris actio est. Item cum Filius, id est, Verbum Patris, ad salvandum mundum ingreditur, Pater quidem illud de corde suo eructat in uterum Virginis, et Spiritus sanctus corpusculum illi de materna substantia compingit, et sic duæ personæ cooperantur uni operanti : Verumtamen sola Filii persona est, quæ carne induitur, pariterque moritur. Nihilominus cum Spiritus sanctus per ejusdem Filii passionem in peccatorum remissionem datur, Pater quidem, ut ille protendat viscera sua super nos hactenus juste contenta, misericorditer laxat, et redivivus Filius hominibus insufflat, et sic duæ personæ uni cooperantur verumtamen propria Spiritus sancti persona Patris et Filii donum vel gratia est, tota exornatio creaturæ rationalis est.

Erit itaque in honorem Patris, et Filii et Spiritus sancti hoc opus tripartitum. Prima pars, de primorum hebdomada dierum. Secunda, de hebdomada sequentium mundi ætatum. Tertia, de gemina resurrectione mortuorum. Unde utraque hebdomada suppletur, et in octavam perficitur. Prima namque resurrectione animarum, quæ est remissio peccatorum, mors peccati, quæ est post septem dies admissa, deletur; secunda resurrectione corporum mors omnis carnis per septem ætates mundi mortuorum absorbetur.

His ita propositis, jam nunc aspiciendum est ad ostium apertum in cœlo, et ad sedem positam in eo, et supra sedem sedens, qui omnia condidit, exorandus est, per septem lampades ardentes, quas ante thronum suum appendit, et per septem cornua, totidemque oculos Agni, qui est in medio throni sui, ut prædictum creaturæ ornatum, ter septenarium digne nobis disserere præstet, secundum veritatem libri magni, quem de dextera ejus idem Agnus accepit, et aperiens ut solus erat dignus, septem ejus signacula solvit (*Apoc.* IV *et* V).

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

COMMENTARIORUM IN GENESIM

LIBER PRIMUS.

(Gen. cap. I, vers 1-25.)

CAPUT PRIMUM.

Quod extra se sancta Trinitas non habuerit exemplar, ut conderet hæc tria, cœlum, terram et omnem ornatum eorum.

(Cap. I.) Scripturarum omnium vertex sublimis, liber Geneseos sic incipit : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Duobus istis, scilicet cœlo et terræ, postmodum adjecit tertium, dicendo : *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Sane cœli nomine, invisibilis illa sanctorum angelorum patria, terræ autem vocabulo visibilis iste mundus designatus est. Porro, ornatus cœli, angelica creatura ; terræ autem, cum cætera quæ nascuntur, vel sunt in ea, tum præcipue genus humanum est. Quod habuit exemplar faciens hæc tria, nisi seipsum, Deus unus, qui est Trinitas? Plane non ideus, id est,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

formas, quas philosophi sæculares effinxerunt, sed seipsum Pater Deus, seipsum, inquam, attendit Deus unus Pater et Filius, cum eo, quo pariter uterque naturaliter ornatus est, sancto Spiritu, dum non solum cœlum incorporeum, sed etiam corpulentam creavit substantiam terræ, et utrumque simili compsit ornatu, cœlum scilicet, angelicis spiritibus, terram autem implens hominibus, quos æquales angelis esset facturus. Cœlum quippe et terra dum crearentur, jam tunc in consilio creantis, cui non accedit consilium novum, illud placitum erat ut Dei Filius terrenam substantiam indueret; ac proinde cœlum recte secundum personam Patris, terram autem creatam esse intelligimus secundum personam Filii, utriusque autem, scilicet cœli et terræ, ornatum eorum secundum propriam personam Spiritus sancti esse factum ex eo maxime liquet, quia priusquam mundi creaturam ornari cœptum esset, *Spiritus Dei*, inquit Scriptura, *ferebatur super aquas*, et exinde, septiformi ornatu expleto, *requievit*, ait, *Deus ab omni opere suo*, videlicet eo quod illam efficaciter creaturam in opere artis suæ esset assecutus, super quem requiescere haberet Spiritus ejus, qualem facere vel invenire gestiens, ante super aquas ferebatur. Igitur non extrinsecus quæras, aut suspiceris fuisse exemplar, sive quas dixerunt sapientes hujus sæculi creaturis adjutrices ideas (164), quia profecto, cum præter Deum nihil existeret, sola sibi, ut hæc tria faceret, exemplar fuit Trinitas.

CAPUT II.

Cur dicatur Genesis.

Sed antequam ipsa Scripturæ verba ingrediamur, quærendum est unde, vel cur liber iste Genesis vocetur. Etenim titulus iste, bene perspectus, vere secundum nomen suum libri hujus celsum illuminat caput. Dicitur enim titulus a Titane, id est sole, quo mundus iste illuminatur, quia videlicet præscriptione, quam titulum dicimus, quasi præmisso lumine, libri sequentis introitus aperitur. Unde ergo liber iste Genesis dicitur? A generationibus cœli et terræ, imo a generatione illius Dei quo istæ generationes creatæ sunt, antequam fierent, sicut in hoc libro scriptum est: *Istæ generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt in die quo fecit Deus cœlum, et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnem herbam regionis priusquam germinaret.* Quis est iste dies in quo hæc creata sunt, antequam orirentur sive germinarent, nisi ipse quem annuntiamus, diem ex die, diem, inquam, ex die, id est, Verbum ex Patre, in quo, sicut ait evangelista, vita erat (*Joan.* I), quod factum est antequam fieret. Hujus enim Verbi generationem geminam liber iste continet: alteram, quæ Divinitatis; alteram, quæ humanitatis est. Divinitatis namque genituram, sicut jam in præfatione dictum est, in eo tetigit quod ait de singulis: *Dixit Deus: Fiat. Et factum est.* Porro generationem humanitatis in eo liber iste patenter exprimit, quod ad Abraham loquens Deus: *Benedicam*, inquit, *tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* (*Gen.* XXII). Recte igitur et nobiliter liber iste dicitur Genesis, quia cum generationibus cœli et terræ, utramque eloquitur generationem, unius ejusdemque Dei, et hominis Christi Filii Dei. Nunc demum ipsa libri verba audiamus. Ait:

CAPUT III.

Quod Filius sive Verbum, per quod cœlum et terra creata sunt, principium sit.

In principio creavit Deus cœlum et terram. Cum ipsa creatio principium mundi sit, cur sic dictum est: *In principio creavit?* Idem enim est ac si diceretur: In principio principium fecit; sed si hoc modo vulgariter hic accipias principium, cum dicitur in principio creavit, vitium est in superfluitate dictionis. Bene ergo hoc loco principium sic accipitur, tanquam proprium quoddam Filii vocabulum, quia videlicet sic ipse voluit, qui cum interrogaretur a Judæis: *Tu quis es? Principium*, ait, *qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Nam vere in hoc principio creavit cœlum et terram Deus, quia *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Hoc et alia Scriptura fatetur, cum dicit: *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII), quæ videlicet sapientia non est alia quam Verbum Dei, Verbum Deus, qui, ut jam dictum est, seipsum principium nuncupavit. Non quidem nativa Scripturæ hujus lingua, scilicet Hebraica filium et principium eadem voce significat, filius quippe *ben*, principium vero *bresith* dicitur in illa lingua, sed et hoc dicimus, quod et si non voce, sensu tamen Filius principium est. Filius est, quia de Deo natus. Principium, quia creaturarum omnium prima et efficiens causa esse probatur. Itaque in principio, id est in Filio, in Verbo suo, in sapientia sua creavit Deus cœlum et terram. Creavit, inquam, id est, non ut philosophi gentilium vane putaverunt, sibi coævam habuit hylen, sive materiam, sed de nihilo fecit cœli et terræ substantiam. Quod si quis objiciat hominem quoque, cum non de nihilo, sed de terra factus sit, creatum dici, sicut scriptum est: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*; vel quod item dictum est: *Creavitque Deus cete grandia*; dicimus ad hæc, recte dictum, eo duntaxat respectu quia jam ipsa, de qua productæ vel sumptæ sunt species, creata fuerat materia, quibus nominibus, scilicet cœlo et terra, ut supra dictum est, significari universam creaturam visibilem et invisibilem simul. Et nihil excipi, ex symbolo quoque comprobatur apostolico, quocum dicimus: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ*, nihil creaturarum adjicientes, cuncta his nominibus visibilia simul et invisibilia, nos comprehendisse non dubitamus. Nam in alio nihilominus catholico fidei symbolo cum dicimus: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ*, statim exponentes quid dixerimus *cœli et terræ*, subjungi-

(164) Ideas Platonis intelligit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nus *visibilium omnium et invisibilium*. Igitur, quod dictum est, *in principio creavit Deus cœlum et terram*, idem est ac si diceretur : Per Filium suum Deus Pater creavit omnium visibilium et invisibilium substantiam universam, talem adhuc qualem subsecutus terram exprimit : *Terra autem erat inanis et vacua.*

CAPUT IV.

Cur non dixerit Deus, Fiat cœlum, et fiat terra, sicut dixit, « Fiat lux. »

Quare autem non dictum est : In principio dixit Deus : Fiat cœlum et fiat terra, et factum est ita, sicut postmodum dicitur : *Fiat lux, et facta est lux*, etc. Ad quod tripliciter respondendum est. Primo, quia cum, ut jam dictum est, ipsum principium Verbum Dei sit, superfluum vel ineptum fuisset dici : In principio dixit Deus, tanquam si diceretur : In Verbo suo dixit Deus. Deinde quia verbum imperativum, quale est hoc quod dicitur *fiat*, incongrue promittit, ubi nondum est aliquid cui imperetur, vel præceptum ponatur. Nondum autem erat aliquid, si, ut vere credimus et præsens Scriptura testatur, cœlum et terram creavit, id est, de nihilo fecit Deus. Ergo ne nihilo præceptum dedisse diceretur Deus quod incongrue esset, recte prius scribitur materiam qualemcunque confusam sive informem creavisse, et deinde præceptum rei jam existenti fecisse, ut discretas ac speciosas, quas non habebat, assumeret vel produceret formas. Tertium nihilominus et hoc sciendum tantarum scriptorem rerum sic dicere debuisse, quatenus nulli vacaret suspicari quod, ut supra dictum est, quidam de corde suo finxerunt philosophi, scilicet mundi quidem speciem, vel rerum quæ in mundo sunt, formas diversissimas fecisse, verum hylen, id est materiam, de qua cuncta hæc facta sunt, non a Deo factam, sed Deo semper fuisse coæternam. Igitur quomodo dici debuit, sic dictum est, quia *in principio creavit Deus cœlum et terram.*

CAPUT V.

Quod non sit mutabilitati ascribendum quod fecit Deus mundum, contra eos qui dicunt mundum Deo coæternum.

Sed hoc mutabilitati Dei ascripserunt quidam, quod fecit istum, quia non erat, mundum, illi videlicet qui volunt Deo mundum esse coæternum. Dixeruntque : « Aut Deo coæternus est mundus, aut certe mutabilis est Deus. Si enim tandem aliquando fecit quod in tantis æternitatis suæ spatiis non fecerat, profecto novo consilio usus est, ac proinde mutabilis est. » Ad hæc inquam : « Verissime, neque mutabilis est Deus, neque Deo coæternus est mundus. Nunquid mutabilitate utitur quis, quando sapientiam suam nolens esse occultam, pulchram orationem vel quidpiam ejusmodi, quod utique in mente habet secretum, describit in charta per atramentum et calamum, et advocat multos ut audiant sapientiam et intelligant utilem scientiam? Nunquid mutabilis animi vitio dicendus est pro eo quia quod occultum habebat utiliter fecit, in publico ut cognosceretur auditorio? Non utique de mutabilitate culpandus, sed de benevolentia collaudandus est. At vero mundus, et omnia quæ cœlo et terra continentur, quasdam clarissima sapientiæ Dei signa sunt, quæ videlicet sapientia sive Verbum sic erat in corde Dei, priusquam ista fierent, sicut in corde tuo sapientia vel ars prius est quam notulis visibilibus, aut opere aliquo illam significes. Unde evangelista cum dixisset : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), statim adjecit, *quod factum est*; *in ipso vita erat* (*ibid.*). Quæ videlicet sapientia Dei, ut sciretur, ut **3** esset, unde vel a quibus cognosceretur, *creavit Deus cœlum et terram*, et posuit in cœlo angelos et in terra homines, qui ex se ipsis et cæteris quæ facta sunt, tantum artificem utiliter cognoscerent. Ergo nisi tu nimium ingratus sis, non Deum in hoc mutabilitatis accuses, sed de magna benevolentia collaudes, et supplices gratias agas ei, quia, propter gratuitam bonitatem suam, *in principio creavit Deus cœlum et terram.* »

CAPUT VI.

Quare in illo principio intelligendum sit cœlum.

Jam quidem cum audimus cœlum et terram, animalis homo, qui nunquam in cœlo conversatus est, nec dicere potest cum Apostolo : *Vestra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III]; hic talis nec opinari potest qualis habitatio cœlum sit vel fuerit, mox ubi creatum fuit, quippe cum nec spiritualis homo quantumcunque cœlestia contempletur, dum vivit, sufficienter dijudicare possit, nisi quia magnus et immensus locus, magna et spiritualis est Patris domus, in qua ab initio mansiones multæ paratæ sunt beatis angelis et sanctis hominibus, ubi localis est et localiter sedet secundum veram hominis corpus, Pontifex summus, qui penetravit cœlos, Jesus Christus Filius Dei. Cujus videlicet spiritualis habitationis comparatione terra est quidquid carneis oculis cernitur, ut recte per Psalmistam *cœlum cœli* dicatur, qui cum præmisisset : *Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXIII), statim subjunxit : *Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum* (*ibid.*). Cœlum cœli dedit, eo quod comparatione ejus hoc visibile firmamentum, quod secundo die factum est, non jam cœlum, sed terra, aut, ut multum, quidam terræ ornatus sit, quia videlicet illud invisibile est, istud autem terrenis animantibus conspicabile est. Illud, inquam, cœlum cœli, quale factum sit, animalis homo nec opinari potest; terra autem forte statim animo ejus talis occurrit, qualis in sua forma conspicitur, scilicet herba virenti, liguisque et pomiferis vestita arboribus, et diversis animantium generibus plena. Proinde continuo sequitur : *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi.*

CAPUT VII.

Quomodo « terra inanis erat et vacua, » et quales « tenebræ erant super faciem abyssi.

Creatis, inquit, et cœlo et terra, cœlum quidem non omni ornatu inane vel vacuum erat, quippe quod ex lumine divinæ majestatis resplenduit, sicut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad illius similitudinem cœlum istud visibile et aer solis hujus refulgent lumine, verum *terra*, id est corpulenta substantia, *inanis erat et vacua*. Non quidem ipsa a divina magnitudine remota erat, cum de illo verissime Seraphim clament, dicentes : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria ejus* (*Isa.* VI), sed eam majestas eadem, et si jam potestate, nondum tamen actu impleverat vel ornatu, licet hoc prophetice de prædicatione Evangelii Christi dictum possit intelligi, qua effectum est ut non jam una gens Judæorum tantum, sed omnis terra Divinitatis impleretur notitia. Cæterum secundum quod jam dictum est, *terra erat inanis et vacua*, quia nondum illam Creator ab aquis aridam segregaverat, nondum firmaverat, nondum sidera cœli hujus palla vestiverat, nondum tot creaturarum generibus exornaverat. Itaque si diligenter litteram consideres, non cum sua, quæ tunc apparet visibili specie, creata est *in principio* terra, sed *erat inanis*, inanis scilicet ab omni germine, quod nunc in ea radicatur, *et vacua*, videlicet a cunctis animantibus quæ nunc in ea moventur. Præterea *et tenebræ erant super faciem abyssi*, id est super profunditatem aquarum, quæ nondum divisæ, neque ut appareret arida, congregatæ fuerant in unum locum. Tenebræ, inquam, corporeæ circa indiscretum mundi corpus erant, quia videlicet nondum firmamentum erat in medio aquarum, nondum ea quæ corporaliter lucent in eo et terram illuminant, sol, luna et sidera facta fuerant, quæ die quarto facta sunt. Itaque summatim breviterque ista præscripta est creaturæ informitas, tam ineps et vacua, ut frustra esset *in principio*, id est in Filio, creata, nisi quia *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, qui est tertia in Trinitate persona ; sic enim protinus subjungitur : *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.*

CAPUT VIII.

Quomodo « Spiritus Dei ferebatur super aquas. »

Deinceps namque creaturæ ejusdem formatio vel exornatio succedit, tantamque ex intentione Spiritus Dei meliorationem et tantum inopiæ suæ supplementum capit, quantum pro modulo suo meliorator ovum in eo quod calore volucris animatur et pullum producit. Quid autem putamus esse hunc spiritum, nisi bonitatem amoremque Dei, amorem non affectuum, sed substantialem, amorem, inquam, et vitam, virtutemque vivam in Filio et Patre manentem, vel ab utroque procedentem, Patri Filioque consubstantialem. Hic nempe ferebatur super aquas, nihilominus et super aridam quæ sub aquis latebat, quia videlicet, magno super creaturam suam Creator affectu ducebatur, ut quia non poterat esse quod ipse qui creaverat, tales ex ea faceret formas, in quibus Creatori conjungeretur, conviveretque et conregnaret creatura. Hic amor, hæc bonitas Creatoris Spiritus sanctus est. Quem nesciens Plato, cum hanc Scripturam legisset, spiritum mundi, id est aerem, arbitratus est, qui, secundum ordinem elementorum, aquis, utpote levior, supereminet. Et quia per cœlum quoque, de quo jam dictum est, *in principio creavit Deus cœlum et terram*, ignem significari suspicatus est, quatuor tantum elementa, scilicet ignem, terram, aerem et aquam, hoc loco dinumerata esse putavit, utpote spiritum hunc non cognoscens, qui plane non spiritus est mundi, sed Spiritus Dei, præsertim cum per tenebras, quæ erant super faciem abyssi, vicinius aer possit intelligi, qui desuper nullis adhuc luminibus radiabatur, et idcirco recte tenebrarum nomine designatur. Quare autem cum quatuor mundi elementa sint, hæc duo tantum, scilicet terram et aquam, scriptor sacræ hujus historiæ suis nominibus expressit, et aerem non proprio, sed tenebrarum nomine significavit ? Videlicet quia pertinuit ad propositum ejus species istas in ornatu creaturæ, quæ tunc erat informis, tam diversas tamque multiplices tunc existentes dicere unde exortæ sint. Constat autem quia de tenebris istis quæ erant super faciem abyssi lux effulsit, testante Paulo, cum dicit : *Quia Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris* (*II Cor.* IV). Non ait, in tenebris, sed *de tenebris Deus lucem splendescere* dixit. Porro de terra et aquis productæ sunt omnium species rerum quas novimus. Solus ignis, licet gignentibus terræ et aquis cooperetur, nihil tamen ex ipso gignitur, et proinde de hoc elemento non injuria siletur, et usque in quartum diem quo fons illius, scilicet sol, in firmamento libratur. Solem enim fontem esse ignis ætherei physici quoque qui diligentiores fuere attestantur.

CAPUT IX.

Quod in capite libri præmonstratur Trinitas.

Igitur in capite libri splendide præmonstratur creatricis præsentia Trinitatis. Etenim in nomine Dei, Pater ; in nomine Principii, Filius intelligitur ; et qui super aquas fertur, ipse est Spiritus sanctus. Jam quid tanto majestatis intenta præsentia factura vel dictura sit audiamus. Sequitur

CAPUT X.

Quod lux quæ facta est angelica sit creatura.

Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux. Fortitudo et sapientia Dei magna et terribilis, intento Spiritu suo vociferantis *super aquas*, et ineffabiliter clamantis *in virtute et magnificentia* (*Psal.* XXVIII), breviter atque suaviter, cum dicitur : *Dixit Deus ;* breviter, inquam, nostris intimatur sensibus. Quid enim ex hac brevissima enuntiatione colligimus, nisi, quod certissimum est, quia per Verbum suum omnia Deus operatus est. Nec vero ita sensibus pueri sumus ut putemus Deum vocalem dentibus, palato et labiis, cum plectro linguæ percussis, elementari sono dixisse, *Fiat lux ?* sicut nec in eo quod *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, phantasma illud admittimus, quod stans aut sedens in aliqua parte, magnum anhelitum suum super aquas omnes sufflando emiserit Deus. Non, inquam, sic infantiliter, aut carnaliter de Creatore spirituum Deo sentimus. Sed nec

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

illas affectiones quibus mente promovemur, ut, eo modo quo dictum est, verba per aerem transcurrentia mittamus, incommutabili atque impassibili Deo ascribimus. Quid ergo? Quid in eo quod dictum est, *dixit Deus*, nisi generationem Verbi æterni, Verbi Deo consubstantialis, de cujus effectu et nos et angeli rationales sumus, significatum intelligere debemus? Vere enim sine voce natum et omnia potentialiter continens Verbum tunc Pater actualiter generavit, quando cœlum et terram creavit, quando lucem et cætera fecit. *Eructavit* ergo *cor* Patris *Verbum bonum* (*Psal.* XLIV), et *ex utero*, id est de suæ substantiæ secreto, *ante luciferum* genuit illud (*Psal.* CIX), quando dixit: *Fiat lux.* Quid autem est hoc ipsum quod dixit: *Fiat lux?* Quænam est ista lux? Videtur enim nonnullis lucem tunc esse factam, non aliam quam aeris illustrationem, et tenebras illas quæ *erant super faciem abyssi*, sic alternantibus nocte et die divisas, ut, peracto diurni temporis spatio, duodecim horarum scilicet, lux exstingueretur et tenebræ succederent, et itidem transacto nocturni temporis spatio, lux refulgeret, atque ita, per triduum, dies et nox, absque luminaribus istis corporeis, sole scilicet et luna et stellis, ultro sibi invicem cesserint atque successerint. Sed hoc sensu unus hic dies omnium dierum pauperrimus est, quippe cum singuli dierum cæterarum substantiarum creatione vel formatione illustrati sint, hic dies non nisi accidentis cujusdam colore instabili injecto dimissus sit, cum dictum sit, *fiat lux*. Nam quæcunque cæteris diebus facta sunt, substantialia sunt et permanent, illa autem accidentalis lux tertio reaccensa deinceps omnino deperiit. Et vide utrum condignum sit tantæ majestati ut cæterorum dierum opera, verbi gratia, solem, lunam et stellas quæ quarto die facta sunt, et aquarum divisionem quæ secundo die facta est, statuerit *in sæculum et in sæculum sæculi*, præceptumque ponret illis quod *non præteribit* (*Psal.* CXLVIII), opus autem privæ lucis tale faceret, quod mutato consilio post exiguum triduum funditus exstingueret. Quid ergo? An idcirco *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, et dixit, *fiat*, quod dictum, ut vere boni verbi eructationem, sancta miratur et concelebrat Scriptura, ut talis tantummodo lux fieret accidens aeri mox interitura et nulla crearetur substantia? Melius magni et nominatissimi Patres intellexerunt naturam angelicam, lucis nomine significatam. Eorum sensum rationabilem magis approbamus et sequimur, angelicam creaturam recte lucem esse appellatam, lucem intellectualem, lucem, inquam, non solum quia vim discernendi habentem, verum etiam quia veri et incircumscripti luminis gratia refulgentem.

CAPUT XI.

Quod non pro similitudine, sed pro re vera lux dicta sit angelica creatura.

Nec vero pro similitudine, sed pro re vera lucem dicimus appellatam, id est non ideo quod similitudinem visibilis hujus lucis habeat. Nam ista potius visibilis lux, hæc astra visibilia secundum similitudinem lucis illius sunt facta, ut cognoscat spiritualis homo sic sanctos angelos, in eadem felicitate, differentis esse honoris et gloriæ, *sicut stella differt a stella in claritate* (*I Cor.* XV), sic eos in comparatione Solis æterni, scilicet Creatoris sui, veram lucem non esse, sicut stellæ circa solem in toto hemisphærio, nequeunt suum lumen ostendere. Hoc animadverso, jam non miramur hæsitantes quid Spiritus Dei super aquas intenderit, quid vox Domini super aquas, quid, inquam, Deus majestatis Dominus super aquas intonuerit? Dignus enim est effectus hic qui totius Trinitatis molimina consecutus est, scilicet Spiritus sancti super aquas spirantis, Patris intonantis, et ipsius tonitrui, id est Verbi quo dixit, *fiat*. Siquidem talis creatura causa digna est, propter quam, ut fieret, verbum illud intonatum est quod concutiens abyssos, vel aquas (*Psal.* XXVIII), et eas quæ super aquas erant tenebras, hujusmodi lucis fecit emicare catervas. Quid enim? Nunquid putamus quod de cœlo fuerint angeli, et non potius hic facti et in cœlum translati? (*I Cor.* XV.) Nempe non magis angeli facti sunt in cœlo quam homo plasmatus in paradiso; plasmatus namque fuit homo extra paradisum, et positus in paradiso, sicut scriptum est: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* Ita nimirum et angeli, extra paradisum conditi et in cœlum translati, non natura, sed gratia cœlum inhabitant. De cœlo namque nemo venit, nisi qui super omnes est, et inde super omnes, quia spiritus simplex est, et nullo compositus est, unde et humanum spiritum cum corpore induere potuit, quod facere nemo potuisset ex spiritibus angelicis. Angeli autem etsi, ad comparationem nostri, spiritus dicuntur et sunt, in comparatione tamen Dei corporei sunt. Habent namque, ut docti quoque et magni viri perhibent, corpora ex isto aere crasso atque humido, qui vento flante sentitur impulsus, præsertim qualis erat cum adhuc tenebræ essent super faciem abyssi, de quibus, ut Apostolus ait: *Deus lucem splendescere jussit* (*II Cor.* IV). Cujus eorum conditionis experimentum capere licet ex eis qui ceciderunt. Nam sicut homo mortuus redeundo in terram palam facit quia de terra sumptus fuit (*Gen.* III), sic isti qui deserto perenni fonte luminis exstincti sunt obscuritate sua palam faciunt quia, de tenebris cum essent, non natura, sed gratia splendidi facti sunt. Quod bene idem Apostolus perspiciens, non ait: *Deus* qui dixit in tenebris, sed *qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in faciem cordis nostri ad illuminationem claritatis in faciem Jesu Christi.* Etenim utriusque propositiunculæ non parva distantia est. Nam splendet in tenebris lux vera Deus, cum sedentibus in tenebris nobis illuminare dignatur. Splendescimus de tenebris nos, cum ab infidelitate exeuntes in faciem ejus per fidem aspicimus. Itaque cum angelos, quamvis subtilia corpora, tamen ex ipsorum origine habere constet, ex eo quoque

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

liquet quia et locales sunt, et, cum volunt, hominibus apparent. Quod si idcirco non permanent, sed ad horam sumptum de aere corpus habere putantur, quia non semper apparent, et cum apparuerint, repente disparent, nos econtra dicimus Dominum nostrum post resurrectionem tale corpus suum, utique terrenum, sic exhibuisse ut, cum vellet, repente hominibus appareret, et, cum vellet, protinus evanesceret. Habent ergo angeli corpus, ex illo utique aere et humore super quem cum ferretur Spiritus Domini, dixit : *Fiat lux*. Quare, inquis, non de cœlo fecit Deus angelos, ut essent natura cœlestes? Videlicet, quia non idcirco fecerat Deus cœlum, ut inde eos crearet, sed ut creatos sola in cœlum gratia sublevaret. Sed de hoc latius postmodum dicemus.

CAPUT XII.

Quod illa lux confitentur Creatori, secundum versiculum psal. CIII : « *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* »

Igitur non novo consilio utitur in nos Deus, dum, ut supra primæ originis nos reparet dignitatem et æquales faciat angelis, hoc necessarium proponit, ut renascamur ex aqua et spiritu Dei (*Joan.* III), baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nam et in conditione angelorum dixit, id est; Verbum suum, quod est Filius suus, edidit Deus, et tertia persona, Spiritus sanctus, super aquas ferebatur. Item non minus illis quam nobis humilitatis commonitio est ipsa sui conditio, quoniam ut nobis terra, vel pulvis, sic et illis tenebrosa abyssus existendi principium vel materia fuit. De tenebris enim, jubente Deo, lux ista resplenduit, ut supra dictum est. Unde non ingrati Creatorem suum incessabiliter laudant, confitentur, amant, adorant. Hujus eorum laudis vel confessionis assiduitatem et incessabilem intentionem mirifice Psalmista his verbis exprimere contendit : *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* CIII). Hoc procul dubio de hujus lucis formatione dixit. Sequitur enim : *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (*ibid.*), etc. Prius namque dixit : *Fiat lux, et facta est lux;* deinde firmamentum extendit, quod et cœlum appellavit. Ergo de pulchritudine laudis angelicæ dixit, *confessionem et decorem induisti*, adjungens, *amictus lumine sicut vestimento*. Magnificentius et dignitatem ejus qui laudatur et eorum qui laudant instantiam exprimere non potuit. Suo namque indumento jure quisque vestitur, quia non alterius, sed suum est; quod tunc illum non dedecet, si secundum habitudinem corporis ejus bene accommodatum est. Cum ergo dicit, *confessionem et decorem induisti*, amplissime gratulatur, et optime dicit dignum illum esse tantis confitentium angelorum laudibus, et decere illum quidquid boni clamare possint, aut norint, eo quod ipsa substantiæ vel vocis eorum organa ille fecerit, et in circuitu excelsi solii sui in magno honore feliciter constituerit, vel ordinaverit. Cum autem addit, *amictus lumine sicut vestimento*, nihilominus hanc lucem factam ab ea luce quæ fecit magnifice decernit. Amictus namque corpus quidem ornat vel honorat, sed ipse de corpore non est. Hoc ergo cum dicit, fatetur beatos spiritus lumen quidem esse, sed tantum distare ab illo a quo creati sunt, incircumscripto lumine, quantum distat amictus a corpore, id est, habere quidem verum lumen Deum in se, sed de ejus substantia non esse. Sequitur : *Et vidit Deus lucem quod esset bona, divisitque lucem et tenebras.*

CAPUT XIII.

Quod illa lux « *bona* » *dicta sit, non sicut de cæteris operibus est dictum,* « *et vidit Deus quod esset bonum.* »

Notandum in primis quod dictum est : *Vidit Deus lucem quod esset bona.* (*Nemo* enim *bonus, nisi unus Deus* [*Matth.* X]). Porro quicunque bonus prædicatur, sive homo, sive angelus, nonnisi respectu boni Dei recte bonus prædicatur, quia cum nemo sit bonus nisi unus Deus, quicunque bonus est, vel esse dicitur, nonnisi in tantum bonus est in quantum boni Deo participatur. Proinde non dictum est : Vidit Deus terram quod esset bona, vel luminaria quod essent bona, quia videlicet bonitatis capacia non sunt. Dictum est autem de singulis, *vidit Deus quod esset bonum*, id est, bona res, bona, inquam, id est, utilis res. Sola namque rationalis creatura divinæ bonitatis, id est spiritus Dei, capax est; et ideo homo vel angelus tantummodo bonus absolute dicendus est, videlicet in quantum homo vel angelus boni Dei particeps factus est. Igitur et hoc ipsum judicium quo *vidit Deus lucem quod esset bona*, lucem illam cogit intelligi quæ capax divinæ est bonitatis, lucem rationalem, lucem intellectualem, angelicæ creaturæ splendidam dignitatem. Quomodo autem dictum est, *et vidit Deus lucem quod esset bona?* Nonne antequam faceret, hoc ipsum viderat quia facere bonum erat? Nonne et evangelista sic dicit de Verbo isto in quo dixit, *fiat*, quia *quod factum est, in ipso vita erat?* (*Joan.* I.) Ergo quod vidit, id est, justo judicio ponderavit et conspectu suo dignum duxit. Sequitur enim : *Et divisit lucem et tenebras.* Divisio ista lucis et tenebrarum terribile Dei judicium super diabolum esse factum insinuat. De quo Psalmista : *Tu terribilis es*, inquit, *et quis resistet tibi? Extunc ira tua* (*Psal.* LXXV). Tanquam diceret : Quis tibi resistere 6 potest, cum ex quo tibi quis resistit, extunc terribilis exardescat ira tua? Nam ex quo diabolus resistit, id est, resistere voluit tibi, tu iratus es, et resistere non potuit; cecidit enim angelus et factus est diabolus. Hoc terribile judicium per divisionem insinuatur lucis et tenebrarum. Quæ enim sunt istæ tenebræ, nisi omnes angeli Satanæ cum eodem suo principe? Has utique tenebras Deus lucemque divisit, quia malos angelos a bonis separavit. Divisit, inquam, separatione immutabili, ita ut nec isti qui ceciderunt, resurgere, nec illi qui, cum peccare possent, peccando cadere noluerunt, ulterius unquam habeant vel possint peccando cadere. *Verbo* namque *Dei cœli*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). Ista lux, isti sunt cœli. Lux, inquam, quam Deus a tenebris divisit, et cœli quos Verbo suo, quos Spiritu, id est amore suo : Deus firmavit, ut jam obscurari vel dissolvi non possint : *congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos* (*ibid.*) : quæ omnia secundum litteram jam in illo exordio facta esse dubium non est. *Timeat* ergo *Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem* (*ibid.*), quia profecto qualis tunc destruxit consilia superborum spirituum, talis et usque in finem *Dominus dissipat consilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum* (*ibid.*). Unde autem venerint istæ tenebræ, jam dictum est, videlicet unde venit prædicta lux, inde venerunt et istæ tenebræ; fuerunt enim lucentes angeli, et proprio vitio facti sunt dæmones tenebrosi.

CAPUT XIV.

Quod angelica creatura sicut initium, sic habuerit et profectum.

Hic jam cum admiratione quæri solet quomodo bonæ substantiæ vitium subripere potuerit, et lux in tenebras demutata sit? Admirationis autem ea vel maxime causa est, quia non recogitant plerique angelos æque ut homines, mox ut creati fuerint, innocentes quidem, sed non repente summos exstitisse, nihilque præter Deum sine profectibus in summo consistere, vel firmamentum apprehendere quievisse. Hoc, inquam, plerique non recogitant, magnitudine nominis angelici sic præoccupati ut non vacet illis scire quia spiritualis creatura, sicut habuit initium, sic habere debuit et profectum, et ex necessitate quidem habet esse, sed ex voluntate tendere cœpit ad similitudinem bonæ essentiæ. De hoc ergo paucis respondendum est.

CAPUT XV.

Quod, voluntate Creatoris, ejusdem creaturæ pars quædam vitiata sit.

Primo omnium de creatore Deo pie sentiendum est, videlicet quod voluntate ejus nec angelus nec homo perierit, et non de utero ejus glacies egressa sit, vel gelu de cœlo sic genuerit ut vel malam creaturam creaverit, vel bonam naturam prior ipse relinquendo in malam demutaverit. Quid ergo, inquis? Si creaturam suam salvam esse voluit, quare non talem creavit ut omnino non esset alicujus vitii perceptibilis sive passibilis? Ad hæc, inquam, hujus rei a nota imagine Dei, scilicet ab homine, documentum capiendum est. Ecce homo naturaliter generare et operari potest voluntarie. Quod generat aliud esse non potest quam quod est ipse; quod operatur nullatenus esse potest quod est ipse. Gignit enim homo non aliud quam hominem. Operatur, verbi gratia, domum quam inhabitet, vel quam induat decoram vestem. Horum nihil est hoc ipsum quod est ipse. Laudatur autem, si hæc operatur scite vel commode, sicut est dignum se. Sic nimirum Deus gignit quidem hoc ipsum quod est ipse, scilicet Deus Deum, impassibilis impassibilem, immutabilis immutabilem, lux vera nihilominus veram lucem, videlicet unicum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, ante omnem creaturam primogenitum, imo et unigenitum. Operatus est autem vestimentum suum, de quo supra dictum est, secundum psalmum dicentem : *Amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* CIII), scilicet angelicam creaturam, dicendo, *fiat lux*, et hanc mundi fabricam, in qua *fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam*, quorum omnium nihil hoc ipsum esse debuit aut potuit quod est ipse qui fecit, vel compar ei quod idem Factor genuit, sicut fabricatura vel pictura nullo modo idem esse potest quod est faber aut pictor, vel quod ille de carne sua genuit. Dignum vero laude est, et curiositati nostræ debet sufficere quod talem creaturam potuit facere Omnipotens, quæ capax ejusdem Factoris possit existere, et divinitatem quam non habet per naturam valeat consequi per industriam. Igitur commutabilem oportuit esse angelum et hominem, utpote de nihilo creatos; etenim illud unde facti sunt de nihilo creatum est. Et creatus quidem est uterque purus et innocens, sic videlicet ut de ipsa innocentia vel proficere ad summa, vel deficere ad ima possit. Profecisse namque, imo et adhuc proficere sanctos angelos, Apostolus quoque testis est, scribens ad Ephesios : *Ut innotescat*, inquit, *principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* III). Itaque in eo statu factis omnibus angelis, ut proficiendo in Deo perficerentur, vel deficiendo in idipsum unde facti fuerant, id est, in tenebris, ejicerentur, alii quidem, dilectionem Creatoris recipientes, confessione et decore illum induerunt, et sic eis Creator amictus est sicut vestimento, assidue clamantibus : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI). Et sic, illis non existentibus ingratis, vidit Deus lucem quod esset bona, et in operibus suis lætatus est.

CAPUT XVI.

De invidia vel superbia diaboli.

Invidit magnus unus de magnæ curiæ principibus, cujus audivimus superbiam, quia *superbus est valde, et superbia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus* (*Isa.* XVI). Initium namque peccati ejus superbia fuit, qua tumens magnus nimis visus est, plenusque sapientia, et perfectus decore, et nihilo indigens sapientiæ Dei, cum in splendore suo complaceret sibi. Unde cum improprio apud Ezechielem dicitur Cherub, id est, *plenitudo sapientiæ Dei*, videlicet quia sapientiæ Dei ausus est sese comparare, dicendo : *Deus sum ego, et in cathedra Dei sedi ei* dedit *cor* suum *quasi cor Dei* (*Ezech.* XXVIII). Et paulo post dicit idem propheta cum improperio et ironia : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topasius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sardonius, carbunculus, et smaragdus. Aurum, opus decoris tui, et foramina tua, in die*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qua conditus es, præparata sunt. Tu Cherub extentus et protegens (*Ezech.* XXVIII), etc. Hoc, inquam, cum ironia dictum est, id est, quod revera omnis lapis pretiosus ornamentum ejus fuerit. Etenim novem angelorum ordines, qui per istos significantur lapides, solius Creatoris ornamentum sunt, et ipse amictus est hoc lumine sicut vestimento qui ad laudem et gloriam suam creavit eos, sed quia sic sibi convenire arbitratus est, in quo et falsus est. Quod videlicet ironice esse dictum ex alio propheta clarum est, qui sic illi improperat : *Dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). Nam per astra Dei iidem qui per novem lapides angelorum designati sunt ordines. Ergo sicut nunquam revera super astra Dei sedem suam posuit vel similis Altissimo fuit, sic non vere unquam omnis lapis pretiosus operimentum ejus exstitit, sed sic sibi arrogavit, sic dixit, sic putavit non vere lumen, sed rebellis lumini. Huic sensui forte illud repugnare videtur quod eadem auctoritate prophetica perfectus in viis suis perhibetur, cum dicitur : *In medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis, a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te* (*Ezech.* XXVIII). Durum est hic asserere illum non fuisse perfectum ; durius autem affirmare illum habuisse unquam in se Creatoris dilectionem, sine qua nulla est perfectio viarum. Nam etsi propheta prædictus dixit, *aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt*, non tamen et hoc dicit vel ullo modo significat quod ejusdem foraminibus auri ligaturam recepit, quia videlicet cum sit rationalis creatura, utique ingenium, intellectum et memoriam habuit, quibus quasi foraminibus spiritum amoris Dei, quod est aurum optimum, recipere cum deluisset, superbe recusavit. Ergo quod dicitur perfectus fuisse in viis suis, hypocrisim ejus percutit, quæ, etsi substantiales spiritus allicere et multos seducere potuit, Deum tamen latere nequivit, cujus judicium terribile innuitur, dicendo, *donec inventa est iniquitas in te*. Igitur contra Creatorem querendum non est cur non creaturam suam sic fecerit ut esset naturæ inconvertibilis, vel nullius vitii perceptibilis, quia videlicet tale hoc est ac si queraris de figulo, cur non omne figmentum quod finxit tale sit qualis est ipse, vel filius quem genuit de seipso.

CAPUT XVII.

Quod Creator bonus et clemens juste tamen fecerit quem malum præscivit, et de casu ejus.

Sed quæritur adhuc : Quare Creator bonus et clemens illum fecit, quem periturum esse præscivit? Mira et importuna, imo et violenta quæstio, et sic nepta ut in sensu ejus nulla sit ratio. Quid enim nisi quod futurum erat præscire potuit? Aut quomodo non fieret quod sic vel sic futurum esse præscitum fuisset? Vicinius rationi esset, si sic diceretur : Quare substantiam malorum spirituum Deus, vel hominum impiorum, subsistere permittit, quoniam male subsistit, et non sic funditus interire facit, sicut interit et esse desinit spiritus jumenti? Posset namque responderi justum esse ut semper sit in pœna cui pro culpa sua desit ut non sit semper in gloria. Porro Dei justitia nunquid mitior est quam ejus præscientia? Itaque sicut non injustum est quod nunc vitiatæ creaturæ non interimit funditus substantiam, sic non injustum fuit quod et præscitam damnavit malitiam, et tamen non omisit bonam creare naturam. Verum quia nihil satis est inquisitori contentioso, jam nunc dicamus ei cum Apostolo : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX). Illoque remoto, fateamur quia, cum vidisset Deus lucem quod esset bona, juste divisit lucem et tenebras, formosam formans in cœlo lucem et deformes abjiciendo tenebras. Sanctos enim angelos, quorum confessionem et decorem induerat, perpetua stabilitate firmavit, et pro parte illorum lætatus est in operibus suis; Satanas vero cum satellitibus sicut fulgur de cœlo cecidit (*Luc.* X). Sicut fulgur, inquam, quia sicut fulgur, decussum cum tonitrui fragore, nubibus motis breve lucet et repente disperet, sic ille, terribiliter indignatione Dei trementibus cunctis angelorum ordinibus cœlo excussus, in hunc aerem miser cecidit, ab omni luce exstinctus et jam in æternum lucem Dei non visurus. Et nunc quidem in hunc aerem illum esse dejectum et omnes satellites ejus, quos aereas catervas dicimus, passim in Scripturis habemus, verbi gratia, in Apostolo dicente : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Futurum est autem ut in infernum inferiorem, videntibus cunctis, præcipitetur, in ignem æternum, qui præparatus est ei et angelis ejus (*Matth.* XXV). Sicut enim homo propter primum peccatum de paradiso, in quo nequaquam conditus fuerat, ejectus est, ut operaretur hanc terram de qua sumptus fuerat, sic et ille de cœlo, quo per gratiam cum cæteris spiritibus receptus fuerat, in hunc, de quo creatus fuerat, rejectus est aerem caliginosum, nipote necdum sole, et luna et stellis illustratum, cum ille creatus est; in quo nec modo sibi ad recipiendam lucem, sol iste prodesse potest, et inde cum angelis suis et malis hominibus, propter peccata perseverantia, in die judicii præcipitandus est. Utrumque judicium ejus Petrus apostolus exprimens : *Peccantibus*, inquit, *angelis Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in diem judicii cruciandos reservari* (*II Petr.* II). Infernum sive tartarum sic appellavit istum aerem, videlicet ad comparationem cœli de cujus altitudine ceciderunt, qui tum et cœlum dicitur, unde et volucres cœli dicimus, ad comparationem illius inferni, de quo Psalmista : *Et liberasti*,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inquit, *animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV). Isaias quoque propheta, cum de primo ejus judicio dixisset : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV), etc., continuo de secundo adjunxit : *Verumtamen ad infernum detraheris profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient* (*ibid*).

CAPUT XVIII.

De appellatione diei et noctis, et quæ sit illa dies, et quæ sit illa nox.

Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Lucem, inquit, quam vidit quod esset bona, *appellavit diem, et tenebras*, quarum esse bonum non est, *appellavit noctem*. Diligenter animadvertendum. Prius vidit lucem quod esset bona, et deinde dividens lucem et tenebras, condigna singulis imposuit vocabula. Si literæ ordinem ita contexuisset : Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux; divisitque lucem et tenebras, appellavitque lucem diem et tenebras noctem, et vidit Deus quod esset bonum, putaremus tenebras sive noctem hic eo modo dici quo in in die quarto dictum est, *Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem*, sive ut item inferius dicitur, *lucem et tenebras* quorum utique divisio bonum est, ut positis, juxta Psalmistam (*Psal.* CIII), tenebris, et facta nocte in ipsa pertranseant omnes bestiæ silvæ : orto autem sole exeat homo ad opus suum, nocturna refectus quiete. Nunc autem tenebras a laude boni seclusit. Primum enim, ut jam dictum est, dixit quia vidit Deus lucem quod esset bona, et deinde divisit, et utrisque nomina invicem optata dedit, quia lucem diem, et tenebras noctem appellavit. Ergo istæ tenebræ sunt ejusmodi, in quibus nihil intelligitur boni. Et quidem tenebræ, de quibus istam lucem splendescere jussit, bonum aliquod erant in providentia Dei, quemadmodum lignum vel ferrum bonum est in manu periti artificis. Proinde et illas laudi suæ ascribens : *Ego*, inquit, *Dominus, et non est amplius, formans lucem, et creans tenebras* (*Isa.* XLV). Etenim tenebras, de quibus splenderet formata lux, ut jam dictum est, creasse, quæ et ferebantur super faciem abyssi, bonum fuit; verum formatam jam lucem in tenebras reverti, pessimum et apostaticum esse nemo cui dubium sit. Igitur, ne longum faciamus disputationis circuitum super appellatione diei et noctis, secundum spiritualium naturam oculorum, quales soli tunc erant, accipi oportet diem et noctem, spiritualem scilicet noctem, et spiritualem diem, videlicet bonorum angelorum pulchritudinem, et malorum horridam tetramque fœditatem, quibus nominibus res easdem nunc usque spirituales viri appellant, verbi gratia Paulus, cum dicit : *Omnes vos filii lucis estis, et filii diei : non sumus noctis et tenebrarum* (*I Thess.* V). Et multa ad hunc modum. Sed dicit aliquis : Hæc et hujusmodi per similitudines magis quam secundum rerum naturam dicta sunt, id est, non quod vere civitas illa cœlestis Jerusalem, cujus filii sumus, dies, aut quod illa civitas diaboli, cujus eramus quondam, vere nox sit, sed quod in illis quædam diei et noctis similitudo sit, et per metaphoram dicuntur quæcunque Scriptura loquitur in hujusmodi. Ad hæc inquam : Non illa invisibilia istorum visibilium, sed hæc visibilia illorum invisibilium imagines et similitudines sunt; non enim illa propter hæc, sed hæc propter illa facta sunt. Et in illis veritas, in istis umbra, imo et vanitas est. *Vidi*, inquit Ecclesiastes, *cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas* (*Eccle.* I). Verum quia apud sensus eorum qui de illis invisibilibus imbuuntur, ista priora sunt, et prius ab exsulibus nobis cognoscuntur quam illa prima nostra quam perdidimus, idcirco illa istius similia dicuntur, ut lippientes oculi, quia cœlestium claritatem spectare nequeunt, imagines eorum in istis speculis contemplentur. Igitur *lucem*, id est bonorum angelorum pulchritudinem, *diem, et tenebras*, id est malorum squalorem spirituum, Deus, sicut jam dictum est, *appellavit noctem*.

CAPUT XIX.

Item quomodo appellationes illas Deus posuerit.

Appellasse autem diem et noctem dicitur Deus, non quia vel Hebraice, vel Græce, vel Latine fuerit locutus, quippe qui nec linguam nec labia quæ moveret habuit, nec enim est corporeus sive loculis, sed quia sententiam cuique parti firmam posuit, quæ ulterius mutari non possit. Hæc appellatio dici, stabilimentum est felicitatis, firmamentum gratiæ et honoris, ut amplius lux illa, quæ hoc nomen ex ore Dei semel accepit diesque vocari meruit, jam non possit in tenebras converti, jam non valeat amoveri a fonte luminis æterni, tunc apostatantibus spiritibus lucifugis, in luce stare maluit, et idcirco jam in æternum lux decoris et pulchritudinis hujus provecta erit eo ut perfecta sit ad similitudinem Patris *luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I). Econtra; noctis appellatio firma et stabilis est ex ore ejusdem incommutabilis Dei semel prolata tenebrarum damnatio, ut quia venit illis pes superbiæ, et de loco suo moti, sua sponte ceciderunt, et iniquitatem operati sunt, jam semel expulsi non possunt stare inconvertibiles apostatæ. Quamvis quorumdam hæreticorum stulta compassio fuerit ausa promittere illis nescio quod tempus pœnitentiæ. Gravissime ergo dictum, sapienter est accipiendum, quia *Deus*, qui *non est homo ut mutetur, aut filius hominis ut mentiatur* (*Num.* XXIII), semel hujusmodi lucem diem, et hujusmodi tenebras appellavit noctem, et sic utrinque sententiam posuit quæ non præteribit. Proinde quisquis cum illo sentit, dicat vere quia lux illa dies est, et illæ tenebræ nox. Hoc enim intuenti, multa elucescunt in Scripturis, verbi gratia, ut illud beati Job : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna* (*Job* III). Quod idem esse claret ac si dixisset : Pereat ille, pereat, inquam, merito, ut vere pereat,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

id est, lux sive dies desinat esse diabolus, in quo secundum Adam natus sum, qui non jam vere, sed simulate dies; vere autem nox est, qui jam non computabitur in diebus anni, nec numerabitur in mensibus, quia videlicet semel obtenebratus et nox effectus est. Nulla unquam mutatione in pulchritudinem reformabitur illius lucis, quam Deus laude dignam ducens, diem appellavit. Tandem infertur :

CAPUT XX.

Cur non dictum sit, factæ sunt tenebræ et nox, dies primus, sed « factum est vespere et mane dies unus. »

Factumque est vespere et mane dies unus. Notandum hic in primis est quod non dixit : Factæque sunt tenebræ et lux dies unus. Hoc bene et prudenter a scriptore sacro observatum est. Quæ enim Deus divisit, quomodo conjungi vel unum quid efficere possint? 9 *Divisit* autem *lucem et tenebras, appellavitque lucem diem*, diem, inquam, totum et plenum absque consortio tenebrarum. Bene ergo dictum est : Factæ sunt tenebræ et lux dies unus, quia, sicut jam dictum est, quæ Deo dividente separata sunt, sociari vel unum quid efficere non possunt. Proinde quærendum est quod *vespere*, et quod *mane* factum sit, ex quibus sano intellectu *dies* unus valeat computari? Quod ut tandem expeditius fiat, primo illud sciendum est quod certam ob causam dictum sit, *dies primus*. Quid enim? Nunquid iste angelicæ claritatis dies, quamvis pulcher, quamvis decorus, dies est primus? Minime. Absit hoc! Nam longe minor est illo die sanctificato et benedicto in quo requiescit Deus, de quo in hoc libro post cæteros dies, ita scribitur : *Istæ generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo creavit Deus cælum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam virentem priusquam germinaret.* Quem enim putas hunc esse diem in quo creatum est omne virgultum, et omnis herba priusquam oriretur, vel germinaret in terra : quem, inquam, vel quid putas esse hunc diem nisi Verbum illud in quo omne quod factum est vita erat, priusquam fieret? Bene ergo dictus est hic non primus, sed unus dies, quia videlicet ille alius primus dies, imo et dierum dies est. Dicis ad hæc : Si ille est primus, cur iste non dictus est secundus? Videlicet quia dies ille non de ordine, nec de natura cæterorum dierum est, sed dierum originalis causa est, eorumque qui ex diebus cæteris Creatorem cognoscentes glorificant, et gratias agunt : eorum, inquam, hic dies perpetua merces est, ut requiescant in eo, post labórem dierum istorum respirantes, et ideo recte cæteris diebus in ordine non suppositus, sed superpositus est. Sed de hoc plenius suo in loco dicemus. Nunc demum, quia jam sensus patet, videamus quomodo factum est vespere et mane dies unus. Profecto quando dixit Deus : *Fiat lux*, vespere erat, quia sol dictionis hujus in corde Patris latebat, quia in verbo ejus lux ista nondum in actu exposita, sed in meditatione illius solis abscondita vita erat. Quando autem facta est lux, tunc mane factum est, in quo et lucifer ille, qui cecidit ante diem, primus emicuit, et exinde dies plenus est, et in oculis omnium nostrum lucet; omnes enim sciamus, et terrifico exemplo nobis est, divisio lucis et tenebrarum quæ illic facta est. Igitur *Factum est vespere et mane*, vespere, inquam, et mane, non tenebræ et lux, et exinde perseverat *dies unus*.

CAPUT XXI.

Quis et qualis sit ille « dies unus. »

Hic unus dies causa originalis est, cur Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, ut fieret ista lux, recte dicatur *spiritus timoris Domini* (*Isa.* xi). Ab hoc enim facto primum creatura Deo subdita didicit quod Creator vere timendus sit. Unde et Psalmista : *Initium*, inquit, *sapientiæ timor Domini* (*Psal.* cx). Quare ergo, inquis, alius propheta timorem in ultimo constituit, dicendo : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini?* (*Isa.* xi.) Videlicet, quia ille, in quem hæc dicuntur, cum non tantum homo, sed et Deus sit, licet, secundum humanitatem, *sapientia, ætate, et gratia* profecerit (*Luc.* ii), attamen, secundum id quod est et erat Deus, nullum profectum habuit; sed cum esset ipsa sapientia, de supernis suis ad ima nostra descendit. Verum creatura non solum humana, sed et angelica profecit, ut superius jam dictum est, testante Apostolo, et proficit, et profectus ejus initium est, habere timorem Domini, quia *initium sapientiæ timor Domini*. Et ab isto, scilicet cognitionis ejus initio, scilicet timoris, Græce dicitur θεός, quod nomen parce detortum, Latine dicitur Deus, eo quod jure timeatur. Quod in sua licet vanitate, tamen sciens quidam ethnicorum, dixit :

Primus in orbe deos fecit timor.

(Stat. *Theb.* III, 661.)

Verum illos qui non erant timendi, stultus timor deos fecit appellari; Creator autem quia solus jure est timendus, rationabili timore Deus nuncupatur.

CAPUT XXII.

De eo quod dixit Deus, « Fiat firmamentum. »

Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab eis quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Jam *confessionem et decorem* indutus, jam intellectuali, ut supra dictum est, *amictus lumine sicut vestimento* (*Psal.* ciii), magnificus Dominus cœlorum continens thronos, et tremenda majestate sedens super cherubim, socia terroris sui pietate intuitus est abyssos, et ut damna cœli repararet de profundis abyssi, vehementius operatus est, et sic opus suum incœpit. *Extendens cœlum sicut pellem*, et tegens *aquis superiora ejus*, ponens *nubem ascensum* suum, et ambulans *super pen-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nas ventorum. Faciens autem *angelos* suos *spiritus, et* A *ministros* suos *ignem urentem* (*Psal.* CIII). Hæc enim omnia secundi operis esse diei, Psalmista evidenter innuit, protinus subjungens opus diei tertii : *Qui fundasti terram super stabilitatem suam ; non inclinabitur in seculum seculi* (*ibid.*). Primum ergo, quid vel unde sit firmamentum, propter simpliciores dicendum est. Firmamentum non solidum quid, aut durum, ut vulgo putatur, sed aer est extensus, et adeo subtilitatus ut, licet videri queat, rectius tamen spiritus dici possit quam corpus, testante Ecclesiaste, cum dicit in luminaribus quæ visibiliter in eo feruntur : *Lustrans in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur* (*Eccle.* I). Hoc itaque cum solidum non sit, sed neque ita corpulentum, ut B hæc inferior pars aeris, aliunde tamen Scriptura illud nuncupavit firmamentum, videlicet eo quod *dividat aquas ab aquis.*

CAPUT XXIII.

Quæ sint illæ aquæ « super firmamentum. »

Magnorum quoque et illustrium virorum, in hoc quoque capitulo, scripta dissentiunt, videlicet in eo quod dictum est : *Et dividat aquas ab aquis, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* Alii namque, quod dictum est, *qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII), sic accipiunt, ut dicant : Superiora cœli, juxta Genesim, ab aquis teguntur, aquas super firmamentum positas esse dicat, quas angelorum multitudines intelligimus, juxta illud : *Et aquæ quæ super cœlos sunt,* C *laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII). Verum si hoc voluit citharœdus, præcenter ille laudum, Deum laudans de cœlis, laudans eum **10** in excelsis, cur dicturus, *et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*, præmisit, *laudate eum, omnes angeli ejus?* Universaliter namque dicendo, *laudate eum, omnes*, neminem angelorum ejus excepit, et proinde superflue repetisset, dicendo, *et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*, si aquarum nomine multitudines angelorum voluit intelligi. Item et in hymno trium puerorum, cum dicitur primo, *Benedicite, angeli Domini, Domino* (*Dan.* III), et deinde, *benedicite, cœli, Domino, benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino* (*ibid.*), profecto nomine aquarum aliud quam angelos Scriptura cogit intelligi. Præterea si aqua- D rum nomine, *quæ sunt super firmamentum*, intelligi oportet angelos, quomodo vel in quo hujusmodi aquæ divisæ sunt *ab his quæ* sunt *sub firmamento?* Nempe istæ sunt, de quibus postmodum dicit Deus : *Congregentur aquæ quæ* sunt *sub firmamento in locum unum, et appareat arida*, etc. Quomodo ergo ab istis aquis angeli divisi sunt ? Denique ab illis potius, qui reprobi facti sunt, spiritibus divisi sunt, utpote angeli lucis ab angelis tenebrarum, unde jam dictum est divisione lucis, et earumdem tenebrarum. Porro alii doctorum, nomine aquarum *quæ* sunt *super firmamentum*, nihil aliud quam aquas simpliciter intelligi volunt. Eorum procul dubio sententia justius atque tutius placet, videlicet ut a sacræ historiæ littera sensus non discrepet. Verumtamen non usque adeo consentimus aquas esse super firmamentum, ut concedamus etiam congelatas esse, quod aliqui magis conjecturaliter quam rationabiliter opinati sunt.

CAPUT XXIV

Quæ, vel qualis æstimanda sit illarum aquarum species.

Quod si a nobis quæritur, in qua ergo specie aquæ illæ super firmamentum sunt, si congelatæ non sunt? interrogemus eos, in qua specie fuerunt antequam fieret firmamentum? Verum hoc respondere nequeunt, quia chaos erat, et confusa moles, qualis ab humanis sensibus dijudicari non potest. Igitur criptam mundi hujus exiguam, quam in medio abyssi magnæ, mirabilis artifex Deus excavando fecit, in qua nati sumus, cum vix attendere possumus philosophando, quantum volumus, de circumanentium aquarum natura vel specie taceamus, quia videlicet nec istis aquarum reliquiis, quæ postea speciem vel formam suam acceperunt, omnino similes probabiliter definire valemus, nec aliquid fingere dignum arbitramur, ut verbi gratia, congelatas esse, sicut jam dictum est, opinemur. Unum hoc ut certum teneamus, cameram hujus mundi positam esse in medio aquarum, quia videlicet firmamentum, quod quasi tectum ejusdem cameræ est, undique ambiens auctoritate sacræ Scripturæ, factum est in medio aquarum. At enim, quia dixit Deus : *Fiat firmamentum in medio aquarum.* At quid ? *Et dividat*, inquit, *aquas ab aquis.* Quod ne quarum firmitatis haberet, semel dictum, iterum Scriptura hoc ipsum repetivit, dicens : *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant supra firmamentum.* Itemque, quia *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XIX), addidit, *et factum est ita.* Hæc enim trina repetitio in singulis operibus Dei, secundum vespere et mane et totum diem, observatur. Unde jam dictum est, et adhuc dicendum est : Igitur quia Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, spiritus pietatis est, hoc vere dignum se opus fecit, ut inopem fundum abyssi penetraret, et interiora ventris ejus tantis ornamentis illustraret, quorum novissimum et optimum Deus et homo Christus est, administrationem principatuum et potestatem in cœlestibus, ut ejus paulatim sapientia eis multiformis innotesceret (*Ephes.* III). Vere pius Dominus post ruinam caducorum spirituum, adorantes dominationes, et trementes potestates, refocillante pietatis opere erudivit ad veram humilitatis sapientiam, dum de interioribus abyssi, super cujus faciem erant tenebræ, Regem et Dominum ipsorum paratus educere, talem hoc modo incœpit fabricam. Hic ordo et nobis hodieque competit, ut omnis anima, prius timore, post amoris pietate compungatur. Etenim sic ut nos prius anginur timentes gehennam, et postea pro modulo nostro delectamur amantes æternam vitam, sic illi et prius in casu damnatorum an-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gelorum terribilem, et ex subsequentibus operibus Deum cognoverunt amabilem. An parum hoc illis profecisse putas ad pietatem, quod viderunt in tali firmamento suæ firmitatis similitudinem? Etenim sicut illæ aquæ, quæ super firmamentum sunt, non delabuntur, et quæ sub firmamento sunt super illud non levantur, sic nec illi beati spiritus ultra casuri, nec isti reprobi sunt amplius in statum proprium ulla mutatione revocandi.

CAPUT XXV.

Item de non impossibili aquarum positione « super firmamentum. »

Ita vehementer, ut supra dictum est, magnificatus est Dominus Deus noster, primum amictus lumine sicut vestimento, deinde extendens cœlum sicut pellem, et tegens aquis superiora ejus (*Psal.* CIII). Et mirum quidem opus magnifici Dei, quod aquarum molem subterfusi sustinet firmamenti natura subtilis. Verumtamen hæc ipsa admiratio ex præsenti exemplo tolerabilior fit, ne illud cuiquam incredibile sit. Quid enim terram gravissimam, de qua postmodum dicendum est, aliud sustinet, nisi undique circumfusus aer, idem licet crassior, et aquæ partim circumfluentes. Hoc enim admirans Psalmista : *Confitemini*, inquit, *Domino, qui facit mirabilia magna solus, qui fecit cælos in intellectu, qui firmavit terram super aquas* (*Psal.* CXXXV).

CAPUT XXVI.

De eo quod scriptum est, in psalmo memorato : « Qui ponis nubem ascensum tuum. »

Quid vero est quod ubi idem Propheta dixit : *Qui tegis aquis superiora ejus*, et protinus adjunxit : *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem* (*Psal.* CIII). Etenim mystice quidem prophetia est, de hoc ipso qui cœlum extendit magnificentissimo Deo, Dei Verbo, quia homo factus est et mortuus, post resurrectionem suam in cœlum ascendit. Tunc enim posuit nubem ascensum suum, et ambulavit super pennas ventorum : videntibus quippe apostolis suis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I). Verum hic nos litteræ sensum quærimus, ut certum historiæ fundamentum teneamus. Quid ergo est, *Qui ponis nubem ascensum tuum*, etc., nisi quia diversos sub eodem firmamento cœli hujus, id est aeris, motus huic habitationi necessarios beneficio **11** conditoris fieri, commendari debuit. Tunc enim posuit nubem ascensum suum, et iterum ambulat super pennas ventorum, quando ad temperandum cœli fervorem aquæ de mari, sive fluminibus stagnisque et paludibus exhalatæ glomerantur, actæque flabris ventorum iterum in terram per concretas pluviæ guttas deferuntur. Hoc modo et plane posuit nubem ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum, non quidem vagando in circumscripta ejus substantia, sed competens auxilium conferendo, quando vult et prout vult, ad regendum ea quæ condidit, providentiæ ejus semper indigentia. Hoc, inquam, modo facit *angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*. Etsi recte juxta præsentis loci causam accipias, magnificentius dici non potest. Spiritus namque procellarum hic intelligendi sunt, qui tam certis effectibus faciunt verbum ejus, et non magis aberrant a voluntate vel arbitrio ejus, quam rationales spiritus, quos angelos, id est nuntios, dicimus. Proinde qui facit, inquit, *angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*, id est, qui spiritibus tempestatum, sive procellarum, pro angelis vel nuntiis suis, et igne urente pro ministris suis utitur. Quod etsi alium sensum habere videtur, scilicet quod rationales angeli, secundum propriam vitam spiritus, et secundum corpora sua ignis urens fieri dicantur, ut quibusdam dubie visum est, illud tamen verum et certum est, quia hæc quæ dicta sunt, sic Domino mundi ministrant, ut consuetudine nuntiandi, tempora nobis nota fecerint, et perseverantia ministrandi illi nunc usque creaturam ejus enutriant. Et notandum quod non in præterito dixit, qui posuisti nubem ascensum tuum, qui ambulasti super pennas ventorum, qui fecisti angelos tuos spiritus, sicut postmodum ait, qui fundasti terram super stabilitatem suam, et terminum posuisti aquis quem non transgredientur, et fecit lunam et tempora, et posuisti tenebras, et facta est nox. Sed præsenti tempore dixit : *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus.* Non enim de creaturæ alicujus constitutione hic agitur, sed de accidente motu creaturæ, scilicet cœli hujus, quia videlicet spiritus isti, id est venti, non per se ipsi creaturæ, sed quasi quidam anhelitus sufflantis naturæ vel creaturæ motus sunt. Quæ cum semper moveatur eodem nutu Creatoris, quo et firmamentum superius semper volvitur, et inferius aquæ fluviales semper labuntur, non tamen semper æqualiter, vel constante motu, sed nunc animosius, nunc tranquillius agitur. Solum firmamentum eodem semper et invariabili celeritate volvitur, sicut contra, terra semper immobilis tenetur, nisi quod singulis annis secundum superiorem speciem permutatur. Media autem, scilicet aqua, et qui terræ est proximus aer, nunc quidem segnius, nunc vero rapidius feruntur : agente Deo cujus aspectus nullam in republica sua naturam otiari patitur. Sunt autem omnes hujusmodi spiritus duodecim, quatuor principales, et octo laterales, bini singulis principibus, dextra lævaque adhærentes, certis regionibus et nominibus suis ex longa consuetudine sui ministerii multis, et maxime pelagi cursoribus, jam cogniti. Sentque in amplissima mundi hujus domo, quasi magni patrisfamilias scopæ grandes, cunctas aeris corruptiones, suo quique tempore certatim everrentes.

CAPUT XXVII.

Item de igne urente, tonitruque, ac fulmine.

Interdum etiam, si quando ignis urens, qui et ipse pro parte sua necessarius minister est, nimis importunus exstiterit, non unus, sed plures e diverso insiliunt, et inter se obversis viribus animose con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

stringunt. Fit fragor illis colluctantibus, quam tonitruum dicimus, et inter eos ignis congustatus dissipatur, ac per scintillas fulgurando desilit, aut etiam nimis exasperatus fulminando terram ferit. Pavidum vulgus firmamentum confringi, vel cœlum ruere arbitratur. At illud secundum nomen suum firmiter stat, et nequaquam ulla tempestatis vi contingitur; nam nec infimum hujus circulum iste tumultus excedit. Recte igitur præterito quidem tempore dictum est, quia *Fecit Deus firmamentum, extendens illud sicut pellem*, præsenti vero, *Qui ponit nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* CIII).

CAPUT XXVIII.

De eo quod dictum est : « Vocavitque firmamentum cœlum. »

Vocavitque Deus firmamentum cœlum. Ubi vel quando vocavit Deus firmamentum cœlum? Et quidem quando ad Noe loquens : *Ponam*, inquit, *arcum meum in nubibus cœli* (*Gen.* IX), vel quod certius est, ad Abraham : *Suspice*, inquit, *cœlum, et numera stellas si potes* (*Gen.* XV), non enim in quocunque cœlo, sed in firmamento stellæ suspiciuntur, tunc sine dubio vocavit Deus firmamentum cœlum. Verumtamen quid hoc sibi vult, quod scriptor ipsum Deum astruit firmamentum cœlum vocasse? Non enim sine causa esse putandum est, quod de animantibus loquens quæ sine dubio præterierunt, *Adduxit*, inquit, *ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus* (*Gen.* II). Lucis autem nomen, id est diem, et tenebrarum, id est noctem, ipse Deus posuit, de quibus sane dubium non est quia præterire vel mutari non possunt. An et cœli et terræ perennitatem ex eo scriptor idem innuit, quia Deus firmamentum cœlum, et aridam terram nominans, per seipsum vocabula imposuit? Forte dicis ad hæc : Cœlum quoque et terra transitura sunt. Ait enim idem Dominus : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Sed rursus alia Scriptura dicit : *Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat* (*Eccle.* I). Proinde est distinguendum, quod cœlum, aut quæ terra, sive quomodo transitura sit, quoniam utramque Scripturam veram esse oportet, scilicet et eam quæ dicit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, et illam, quæ ait : *Terra autem in æternum stat*. Petrus apostolus cum dixisset in Epistola sua : *Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit*, ita subjunxit : *Cœli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum* (*II Petr.* III). Patet sententia, quia illam terram et illos cœlos, qui diluvio perierunt, et post diluvium repositi sunt, igni ultimo perdendos asseverat. Cum itaque dicit Dominus : *Cœlum et terra transibunt*, non **12** substantiam terræ, sed eam, quæ nunc est, qualitatem ejus transituram asserit, quippe cum de tempore illo quo certum est substantiam ejus non perisse dicat apostolus, *per quæ ille tunc mundus inundatus periit aqua :* multo magis nec pro eo quod dicit Psalmista : *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes* (*Psal.* CI), æstimandum est quod firmamentum periturum sit, præsertim cum et tunc percutientibus cœlis secundum quantitatem, et speciem hujus aeris, quos aqua excrescens occupavit, firmamentum nihilominus steterit. Sunt autem cœli superiores, in firmamento videlicet, per quos feruntur sol et luna, et præter hæc quinque stellæ quas dicunt planetas, id est erraticas, sed utrum et ipsi sint perituri igne, an hi soli qui etiam diluvio perierunt, disputatio est aliquanto scrupulosior inter doctos. Verumtamen cum Veritas dicat : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum* (*Matth.* XIII), de resurrectione loquens mortuorum : quid ibi facient sol et luna, ubi quasi tot erunt soles quot justorum corpora? Nempe etsi supererunt, lucere non valebunt, tam multorum corporum claritate reverberante lumen ipsorum. Sed et Joannes dicit : *Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis* (*Apoc.* XXII). Proinde scrupulosa, ut jam dictum est, inter doctos disceptatio est, utrum et ipsa luminaria cum ipsis per quos feruntur cœlis, sive circulis, peritura sunt? Igitur eorum quibus nomina per semetipsum Deus imposuit, et ipsorum quibus homo vocabula dedit, hæc observanda distantia est: quia illa quidem, quamvis mutata permanent, hæc autem transitoria sunt. De solo mari, pro eo quod dictum est in Apocalypsi : *Et mare jam non est* (*Apoc.* XXII), utrum illo magno incendio, cum judicabitur sæculum per ignem, exsiccetur, an in melius commutetur, non facile quis dixerit. Potest tamen intelligi, quod de turbulento præsenti sæculo dixerit, *Et mare jam non est*, quia videlicet, ut supra, cum dicit : *Et mare reddidit mortuos suos* (*Apoc.* XX), sub eodem nomine hoc sæculum intelligi oportet.

CAPUT XXIX.

Item quare vocavit firmamentum cœlum.

Quare vocavit Deus firmamentum cœlum, cum posset, uti faciendo cœperat, vocare firmamentum? Videlicet, quia firmamentum ad aliquid dicitur, et relativum nomen est; omne namque firmamentum alicujus firmamentum est. Et cum dicitur hoc firmamentum, oportet dici vel subaudiri divisiones aquarum, quia videlicet ad hoc illud Deus fecit, ut divideret aquas ab aquis. Sed hoc vulgus nescit. Cœlum autem absolutum nomen est; etenim cum dixeris cœlum, cujus sit cœlum non opus est quærere, sicut cum dicitur terra, vel mare, non necesse habes quærere cujus terra, vel cujus mare. Proinde quia communi sermoni commodius est uno in eadem re uti vocabulo, quam multis, recte vocavit Deus firmamentum cœlum, quia sic magis absolutum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vocabulum est cœlum, quam firmamentum, sicut homo et Adam magis absolutum est, quam creatura, vel figmentum. *Cœlum* autem *a cernendo* est dictum, congrua scilicet causa, quia videlicet oculos habentium neminem latet : unde et Græce *uranos* dicitur.

CAPUT XXX.

Quod factum est vespere, et mane dies secundus, et quid sit dies secundus.

Et factum est vespere, et mane dies secundus. Dies iste revelatio Creatoris est; dies, inquam, iste gentilium quoque oculis Deum manifestavit : *Invisibilia enim ejus*, inquit Apostolus, *a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I), quorum hoc unum vel maximum est, per quod *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*ibid.*). *Et factum est*, inquit, *vespere, et mane*, quia videlicet non casu factum est, sed vespere, id est, in illa occulta Dei sapientia dispositum, et factum est, prinsquam in actum visibilem exiret, et mane factum est, videlicet ut quod in oculis Dei erat, in publicum per evidens opus exiret, sicut jam de anteriori die dictum est. In hoc secundo die notandum est quia secundum Hebraicam veritatem, operis laudatio deest, quæ in cæteris diebus apposita est : *Et vidit Deus quod esset bonum*, sed in Septuaginta additum est. Cur ita scriptori, imo Spiritui sancto, qui per illum scripsit, complacitum sit, merito quæri solet. Ad quod primo respondendum est, quia decet unum quid totum esse, quod jure dicatur bene factum esse. At vero firmamentum una quidem et pulchra species est, verumtamen juxta intentionem operantis unum quid totum non est; quid enim intendebat ille architectus Deus, cum dixit : *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis?* Hoc utique, ut faceret mundi hujus amplam domum, pulchram domum, cujus quasi tectum hoc firmamentum est. Et sicut tectum domus pulchrum quidem opus esse potest, sed nondum domus, nisi quando fundamento, et parietibus superpositum est, atque idem non totum quid est; sic firmamentum pulchra quidem pars mundi, sed nondum mundus erat, antequam terra et mare proprias haberent species, quibus firmamentum præeminet. Itaque jam laudare, jam dicere, Vidit Deus quod esset bonum, nimis festinum fuisset. Quare ergo, inquis, non sicut hoc, ita distulit dicere et illud : *Factum est vespere et mane dies secundus?* Cur uni mundo non unum tantum, sed duos ascripsit dies? Ad hæc inquam : Numquid duos tantum, et non etiam tres in compositione mundi digessit dies, secundum tres ipsius partes? Nempe anterius dixit, *et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quam videlicet abyssum, confusam aquarum multitudinem, et profunditatem oportet intelligi, et in hoc secundo die dixit, quia *Divisit Deus aquas ab aquis.* Nec hoc, nec illud quod bonum esset Deum vidisse dixit, donec tertio die dicat Deus : *Congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum unum, et appareat arida;* tunc enim dicturus est, *Et vidit Deus quod esset bonum.* Adde quod ad eumdem diem pertinet, quia cum dixisset : *Germinet terra herbam virentem*, etc. subjunctum est, *et vidit Deus quod esset bonum.* Et ecce sicut tres mundi partes, et tres dies, sic nihilominus tria bona habes, formationem bonæ lucis, distinctum opus mundi, plantationem paradisi. Et nota quod cum sint bis terni dies, præter septimum, qui est diei requies, tam tertius primorum, quam et tertius sequentium duplici bonitatis laude decorati sunt, ut sicut septem dies, sic et septem sunt bonitatis species, septiformem Spiritum Dei mirabiliter ex semetipsis contestantes. Illius, id est tertii dici, nunc opus ingrediamur.

13 CAPUT XXXI.

De die tertio, et cur ibi dictum sit : « Vidit Deus quod esset bonum. »

Dixit vero Deus : Congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum unum, et appareat arida : factumque est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Hinc tandem scriptor Dei, imo et auditor Trinitatis, tribus partibus, id est cœlo, terra, et mari mundum habens explicitum tertia die, recte et opportune dixit, quia *vidit Deus quod esset bonum.* Notandum quippe super aquas ternarium potentiæ creatricis imperium. Primo, tenebræ erant super abyssum in principio creatam, et non dictum est quod esset bonum, deinde interposito firmamento divisæ sunt aquæ, neque tunc dictum est quod esset bonum, tertio congregatæ sunt aquæ in locum unum, et ita apparente arida, dictum est quia *vidit Deus quod esset bonum.* Hoc enim vere bonum est, quia Trinitati gratiæ suæ thesauros sub abysso quærenti, opus efficacissimum est. Sed jam nunc ipsa perscrutantis abyssum verba perscrutemur. *Congregentur*, inquit, *aquæ quæ sunt sub firmamento in locum unum, et appareat arida.* Aquæ profecto quæ sub firmamento sunt, reliquiæ, vel pars aquarum sunt, quæ sunt super firmamentum; sic enim dictum est : *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*, etc. Ergo divisio aquarum de qua supra dictum est, simpliciter sive litteraliter accipi debet, id est, non ea, quam dicunt philosophi divisionem vocis in plures significationes : sed ea quam dicunt totius in partes divisionem.

CAPUT XXXII.

Quomodo dictum sit : « Congregentur aquæ in locum unum. »

Congregentur, inquit, *aquæ in locum unum.* Quomodo congregentur dixit in locum unum, cum una non sit congregatio aquarum? Nec enim sic dictum est, congregationemque aquarum appellavit maria, sed, *congregationesque aquarum appellavit maria.* Quomodo ergo congregentur dixit in locum unum, nisi ac si diceret : Secedant hinc et hinc aquæ, et confluant seorsum et seorsum, nullumque operi proposito faciant impedimentum? Quo enim tendebat summa Artificis industria, nisi ad hoc quod ait : *Et*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

appareat arida? Aridam quærebat jamdudum latentem in profundo abyssi, antequam divideret aquas ab aquis, quam solus ibi esse noverat, qui solus creaverat. Quærebat, inquam, aridam, magni et pulcherrimi operis materiam, quod apud se pertractabat miro et ineffabili consilio, de infima et ignobili massa cœli sui superioris aurea perornaturus palatia. Hac ergo inventa, *vidit Deus quod esset bonum*, vidit, inquam, nec suus eum visus fefellit. Nam sicut tunc vidit, ita nunc factum est, quia videlicet de arida veritas orta est (*Psal.* LXXXIV), quæ ortum in cœlo superaret. *Et vocavit*, inquit, *Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.* Jam superius dictum est quam virtutem innuat positio divinæ vocationis, videlicet quod earum substantiam quibus nomina per semetipsum Deus imposuit, transituram non facile quis dicere posset. Et terram quidem secundum naturam quam condidit ipse, constat esse aridam. Etenim revera naturaliter arida est, et nisi ex humoris temperamento solidaretur, pulvis esset, omnique vento leviter cederet. Proinde sicut aliunde juvatur, et nunquam omnino in sua inopia relinquitur, recte illi nomen quoque mutatum est, ut jam non arida, sed terra vocetur. Item et quod jam consuetudinaliter mare dicitur, naturaliter congregationes aquarum est.

CAPUT XXXIII.

Item de congregatione aquarum, et de arida, et de eo quod dictum est in Psal.: « Qui fundasti terram super stabilitatem suam. »

Hoc mirabiliter dixit mirabilis Deus, hoc imperium protulit æterni Verbi genitor. Hoc dixit antiqua et secreta atque incomprehensibili dictione, et ita factum est. Et hoc admirans inclytus psaltes David, organista Dei : *Qui fundasti*, inquit, *terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi. Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram* (*Psal.* CIII). Quid mirabilius dici potuit eo quod ait : *qui fundasti terram super stabilitatem suam?* Sed et huic simile est quod in alio psalmo, dum confessionis huic divinæ bonitati decantat, dicens : *Qui fecit cælos in intellectu*, statim subjunxit, *qui firmavit terram super aquas* (*Psal.* CXXXV). Quid enim mirabilius dictum est, *qui fundasti terram super stabilitatem suam*, an *qui firmavit terram super aquas?* Imo cum vocibus hæc diversa sint, sensibus æquipollentia sunt : quis enim nesciat, non terram aquis, sed aquas terra sustineri? Undique aquis orbis terræ cinctus est, undique circumfuso aere vallatus est. Quod si antipodes nostri sub terra obversi pedibus essent, ut gentilium philosophi opinati sunt, non magis illis timendum foret ne caderent deorsum, quam nobis pavendum est ne ruamus in cœlum. Omnia namque A pondera in terram nisu feruntur, et undique a terra aquæ supportantur. Quid ergo dictum est : *Qui firmavit terram super aquas*, nisi ne si diceretur : Qui firmavit terram, nullum habentem fulcimentum, nisi ipsas quas potius ipsa portat aquas? Ergo firmavit terram super semetipsam, ergo fundavit terram super stabilitatem suam. Verum scioli hujus mundi philosophi hoc ipsum scientes, scilicet terram quasi centrum super inane pendere in medio mundi, olim irridebant sacram Scripturam quasi de imperitia et sensu puerili, quod terram super aquas firmatam esse dixerit, cum potius admirari vera sapientia et philosophia sit, quod super nihili nisi super humidum aerem gravem terram Creatoris imperium firmiter atque immobiliter stabilierit. Jam vero cum de con- B gregatione aquarum dicit : *Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*, fortitudinem verbi, majestatem imperii, per quod illud factum est, quantum potuit homo convenienter cum figura, quæ metaphora dicitur, expressit. Numquid enim aquæ animatæ sunt, aut sensibiles, ut diceret : *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt?* Simulque notandum quod, dum rem amplificare vel exornare nititur, sapiens quidem, sed pro rei quantitate infantulus, solœcismo quoque usus est, pro tempore præterito ponens futurum, fugient et formidabunt, pro eo ut diceret, fugerunt et **14** formidarunt. Quod tandem ait : *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque* C *convertentur operire terram*, hoc ita verum est, ut nec in diluvio terminum suum mare transgressum fuerit, quo terram operiret. Sed *rupti sunt*, inquit Scriptura, *omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt, factaque est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Gen.* VII). Quanto magis terminum suum maria jam non transgredientur, postquam per semetipsum juravit Dominus, dicens : Non adjiciam ultra aquas diluvii super terras, *ponam arcum meum in nubibus cæli, recordabor fœderis mei*, ut non perdam aquis diluvii omnem carnem? (*Gen.* IX.) Igitur mirabiles quidem elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus, qui circumdedit illud terminis suis, posuitque vectem et ostia, D et dixit : *Hucusque venies et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII). *Commoveatur mare, et plenitudo ejus* (*Psal.* XCV), quoniam ita expedit, aliter enim non valerent putentes aquæ ejus, nec aptæ essent alendis piscibus, præsidem suum hominem pascentibus. *Commoveatur*, inquam, nunc ventorum impulsu, nunc naturali accessu vel recessu, sic aquæ vegetentur, quæ in otio vel quiete morerentur. Tutam quippe reddidit Deus aridam, quod positum sibi terminum *non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

CAPUT XXXIV.

Quid opus fuerit aridæ, ut ascenderent montes, et descenderent campi.

Porro, quid opus erat idem aridæ, id est terræ,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ut ascenderent *montes, et* descenderent *campi in locum*, inquit, *quem fundasti eis?* (*Psal.* CIII.) Hic plane illud sciendum est quia, si terra æqualis ubique jaceret, non levior quam in mari ventorum tempestas in ea regnaret. Nam solet et nunc in locis illis, qui montibus carent, videlicet maxime Libya, tempestas, non minus quam in pelago turbare foris deprehensos quoscunque tam pedites, quam equo sedentes; etenim ubi per loca æqualia et nuda gignentium, ventus coortus arenam humo excitavit, magna vi agitata, ora oculosque implet, et ita profectum, incessumque impedit, ut in nullo mari majus naufragium. Quid si nulli usquam montes ascendissent, si cuncta in planum terra descendisset? Si ubi paululum ventis currere licet, tantas vires brevi colligunt, quid possent, si nullum in toto mundo haberent repagulum? Ergo nec istud magnifici Dei laudibus deesse debuit, quod *ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem* ille fundavit eis, fundavit, inquam, videlicet ut neque montes semel ascendere jussi descendant, neque campi semel depressi consurgant. Cum ita terræ fundator abyssum, quæ sicut vestimentum amictus ejus erat, dispulit, eadem ipse potentia competens aquarum subsidium per intimas ejus venas large diffudit; non enim sic ab increpatione ejus aquæ fugerunt, et congregatæ sunt in locum unum, ut hæc apparens sic de utero abyssi projiceretur, tanquam abortivum : sed indesinenter trahens aquas in omnes venas, copiosam fugit abyssi mammam, et ascendentem per nubes, rursusque labentem temporaneam et serotinam accepit de cœlo pluviem. Aliter intrinsecus dulcescentibus aquis, rigatur extrinsecus de superioribus suis. Item scatent fontes, fluunt amnes. Quod itidem laudans Psalmista : *Qui emittis*, inquit, *fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ* (*ibid.*). Prolude et Ecclesiastes, aquarum fluentium originem considerans : *Omnia*, inquit, *flumina intrant mare, et mare non redundat* (*Eccle.* I). Quare? Videlicet, quia non influit illuc, nisi quod exinde prædictis modis sumitur. Sed jam super terram emissum verbi potentis audiamus imperium.

CAPUT XXXV.

De eo quod dictum est, « *Germinet terra herbam virentem*, » *et de cujusque dictionis triplicatione.*

Germinet terra herbam virentem et afferentem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Factumque est ita. Et protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Factumque est vespere et mane dies tertius. Quia creatricis Trinitatis hæc sunt opera, bene testimonium suum sancta Scriptura ubique triplicat. Tria nempe dicta sunt, imo ter unum idemque dictum est. Dixit Deus, cujus dixisse ferisse est. *Factumque est ita, et protulit terra.* Et primum quidem secundum *vespere* est, id est verbi Dei secretum, in quo vita erat; quidquid *mane*, id est substantiali rerum productione; factumque est aliud secundum hoc ipsum mane, tertium secundum diem continuum quomodocunque perseverantis creaturæ. Hoc in cunctis sex dierum operibus invenies : *Dixit Deus : Fiant luminaria, et factum est ita, et fecit Deus duo luminaria magna.* Item : *Producant aquæ reptilio, creavitque Deus cete grandia, benedixitque illis Deus*, etc. Sed in creatione lucis dixit Deus : *Fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem et tenebras.* Ubique tria consonant testimonii verba, quia tota ubique vespere et mane et tota die creatrix operatur Trinitas. Et hæc est sanctæ ac justæ legis originalis causa, qua scriptor idem sanxit, ut testibus plus quam tribus nulla judicialis indigeat causa.

CAPUT XXXVI.

Item de herba virente, et herba semen afferente, de ligno pomifero, et de ligno, cujus solum semen est in semetipso.

Germinet, inquit, *terra herbam virentem*, etc. Omnis herba et omne lignum primo bifariam dividitur; est enim herba solummodo virens, ut fenum quod producit terra jumentis. Et est herba semen suum afferens, ut triticum vel apium, cæteræque species quas producit servituti hominum. Item, est lignum nullum afferens fructum, sed solum semen suum, ut fagus aut ilex, cæteraque ligna campi, et cedri Libani, ubi juxta Psalmistam : Passeres nidificant (*Psal.* CIII), quæ arbores nequaquam proprie dici possunt. Et est lignum pomiferum quod arborem dicimus, ut malus sive pirus, vel quodcunque tale afferens fructum, et in fructu *semen juxta genus suum*. Horum omnino nil Dei præceptum omittit in hac Scriptura. Non enim dixit solummodo *herbam afferentem semen*, sed et præmisit quod universalius est, *herbam virentem*. Item, non dixit solummodo, et produxit *terra lignum pomiferum et faciens fructum*, sed addidit *et afferens semen, unumquodque* in genere suo.

15 CAPUT XXXVII.

De plantatione paradisi, et de eo quod dictum est : « *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* »

Ab hoc ornatus terræ principio *plantaverat Dominus Deus*, ut inferius scriptum est, *paradisum voluptatis*, in quo formatum hominem posuit; *plantaverat*, inquam, non surculos aliunde petens, sed hujus præcepti sui vim semel infigens, unde natura vel virtus germinandi terra innata est. Cujus plantationis, quia mentio nunc se obtulit, quamvis suo loco plenius debeat dici, jam nunc tamen quærendum est ab eis qui omnem creationem repentinam et coæternam fuisse volunt, quomodo accipiant illud quod dictum est : *Plantaverat paradisum voluptatis a principio.* Nam propter illud quod alibi scriptum est : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII), volunt repente et absque ullis profectibus herbam maturam et ligna robusta, cum pomis et seminibus suis constitisse, simul luminaria in firmamento, simul reptilia maris et volatilia cœli efferbuisse, simul

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nihilominus animantia terræ; et ipsum hominem subito obambulasse in pedes. Hoc plane ratione dissentit, nec hujusmodi sensum præsentis lectionis textus admittit. Nam *a principio* jam dictum est, quia *plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis, et homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ*. Cæterum et illud, *qui vivit in æternum creavit omnia simul*, quomodo accipiendum sit, salvo ordine lectionis hujus, opportunius dicemus, cum ad illam creationis conclusionem venerimus, qua sic dicitur: *Istæ generationes cœli et terræ quando creatæ sunt*, etc. Nunc illud dicendum fuit, quod ab hoc ornatus terræ principio paradisum deliciarum plantavit Dominus Deus, quia profecto in ejus plantatione longe gloriosius effusum est hoc Domini gratiosum imperium, dicentis: *Germinet terra herbam virentem, et afferentem semen, lignumque pomiferum*, quam in isto penurioso humani generis exsilio, ubi terra homini laboranti in sudore vultus sui persæpe non dat fructus suos. Nam in illo delicioso terræ loco, et cœlis proximo, salubria cuncta sunt herbarum sive lignorum semina; in hac autem terra, de qua sumptus, et in quam propter peccatum rejectus est homo, pleraque nascuntur eidem homini noxia; nec mirum, *Maledicta* enim, inquit, *terra, in opere tuo, cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi*. Si maledictionis est, spinas et tribulos germinare pungentes, quanto magis a maledicto est afferre herbas et succos occidentes? Nonne unde est homini superfluam, et ad benedictionem, quæ in paradiso data est, non pertinentem gignere sobolem, dicente mulieri Domino: *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos*, inde et terræ ejus accidisse credendum est, ut diffundat humores varios, et noxios non pertinentes ad hæc benedictionis verba, *germinet terra herbam virentem*, etc.

CAPUT XXXVIII.

Item de eo quod dictum est, « unumquodque juxta genus suum, » et consubstantialem esse Deo Patri Filium.

Quis in his et in hujusmodi *adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Isa.* XL), et ostendit illi? Quis, inquam, ostendit illi, vel quo instructus fuit ab exemplari, mandare terræ ut afferret herbam lignumque unumquodque cum semine generis sui? Quærimus hoc a Judæis pariterque ab hæreticis, quicunque impio sensu Deum Patrem omnino sterilem esse volunt, negantes eum consubstantiale sibi protulisse Verbum, non credentes eum coæqualem sibi genuisse Filium. Vos Judæi, nullum, vos Ariani dissimilem dicitis illum habere Filium. Unde ergo non solum animantibus, sed etiam herbis terræ dedit habere singulis in semetipsis semen generis sui, si in semetipso nihil talis naturæ vel vigoris habuit? Sitis igitur vos fenum, quod Behemoth, id est animal, scilicet diabolus sicut bos comedat (*Job.* XL): sitis, inquam, sicut ligna silvarum, quæ fructum non ferunt, ad nihil utilia, nisi ut excidantur et in ignem mittantur (*Matth.* VII), quicunque Deum creatorem omnium, aut nullum, aut dissimilem sibi genuisse blasphemantes dicitis Filium. Natura namque Dei, neque sterilis est, qui creaturæ suæ fertilitatem dedit, neque genitura ejus degeneravit, ut gigneret aliud Deus quam Deum, qui dixit et factum est, ut unumquodque lignorum sive herbarum afferret in semetipso semen non aliud quam secundum genus suum.

CAPUT XXXIX.

Item de die tertio.

In hoc die tertio species illa divinæ bonitatis fulget, unde sanctus septiformis Spiritus tertio loco ascendentibus, post timorem et pietatem, *spiritus scientiæ* nuncupatur (*Isa.* XI). Pulcherrimæ namque scientiæ est, quod illum paradisum deliciarum talis ac tantus plantavit hortulanus, scientiæ, inquam, cujus spe inflatus est homo, dicente sibi diabolo: Comedite, et *eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III), indignabatur enim miser, inspiratus a diabolo, quod alienum hortum sub alieno custodierit imperio, aliquo sibi lignorum interdicto, et ideo tanquam medicinam captabat, ut haberet et ipse scientiam plantandi sibimet paradisos. Sed de hoc alias. Plane et in cæteris septem dierum operibus absque scientia nihil operatus est Deus. Verumtamen, secundum proprias distinctiones, singula de singulis potentiæ septiformis vocabula magis proprie sumpta sunt, verbi gratia, pisces quoque maris scientissime fecit et volatilia cœli. Verum in istorum natura jam illa creatricis potentiæ virtus cognoscitur, quæ *spiritus consilii* (*Isa.* XI) nuncupatur. Habent enim naturale quoddam mutui amoris consilium, quo concilientur invicem, qui consociet masculum et feminam, et amantes conveniant, ut pariter nidificent, ut fetus alant. Sic et in singulis cæterorum dierum operibus, præter scientia a Dei, aliud magis proprie consideratur et prædicatur. At vero ex opere hujus tertii diei, nihil melius quam multiplex prædicatur scientia Dei, quia videlicet præter suum esse nihil adhuc cooperantur extrinsecus, nisi quod significant tanti scientiam plantatoris. *Factum est igitur vespere et mane dies tertius*, sicut supra dictum est. Hoc opus scientiæ Dei subsequitur aliud opus cum evidentia magnæ fortitudinis.

CAPUT XL.

De die quarto, de luminaribus et virtute majoris luminaris.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, **16** *et annos, ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti.* Hoc plane dixit et fecit Deus in spiritu fortitudinis. Nam, ut taceam de luna et stellis quarum potentias pene soli utcunque noverunt physici, de sole quis ruricula nescit quod sine illo factura mundi, non solum infirma et egena, sed et nulli viventium fit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habitabilis? Dum ab hac regione habitabili paulo longius abest, nulli lignorum sive herbarum semini tellus idonea est. Pigrescunt arva, constringuntur flumina, frondibus moriuntur nemora, piger ad focos agricola damnosa ducit otia. Quid si idem sol diutius in longinquo absisteret, aut omnino nullus esset? Proinde cum propius ascensu suo nos visitans, arvorum duritiam radiis invalescentibus effringere cœperit, comparatur arieti. Cumque altius ascendens boum labores apparere fecerit, tauro dicitur similis, et cum segetes maturas, urgente desuper calore, solidaverit, comparatur leoni.

CAPUT XLI.

Item de eodem, et quod ante illud paradisus deliciarum floruerit, et quod illa sit terra promissionis.

Hic jam prætereundum non est quod de hoc magno præside hujus cœli eleganter prædicare solent physici, quod sit fons ignis ætherei, cor cœli, sive mens, et temperatio mundi. Nam quod mundum vere temperet, inquiunt, ratio in aperto est, ita enim non solum terram, sed ipsum quoque cœlum temperare sole certissimum est, ut extremitates, quæ a via solis longissime recesserunt, omni careant beneficio caloris, et una frigoris perpetuitate torpescant. Hanc eorum rationem contemnere difficile est. Nam hoc ipsum Psalmista tetigisse videtur, cum dicit : *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (*Psal.* LXXIV). Desertos quippe montes australi atque boreali polo subjacentes terras appellat, ob longinquitatem solis perpetuo gelu rigentes, quos inter mediamque zonam, quam perustam vocant, duas aiunt esse, hinc frigore, hinc calore temperatas, ut sint habitabiles. Quæritur itaque qualiter ante factum solem germinarit terra lignum pomiferum, herbamque virentem et afferentem semen, cum et nunc tandiu, sole in cœlo flammante, prædictæ partes perpetuo frigore steriles permaneant, propter hoc solum quod ab eo longius remotæ sint. Ad quod ecclesiasticis auribus facile respondetur, quia quod notum vel creditum non fuit curiosis illis mundanæ creatoræ scrutatoribus, paradisus ille, quem plantavit Dominus Deus a principio dicendo : *germinet terra herbam virentem, et afferentem semen, lignumque pomiferum*, etc. Hoc enim principium fuit omnium, quæ in mundo nasci jussa sunt : paradisus, inquam, ille, quem hac verbi sui dictione plantavit Dominus Deus, paradisus voluptatis est, paradisus deliciarum est, alterius cœli, alterius temperiei, non vicibus subjacens æstatis et hiemis, aut veris et autumni, sed perpetuæ voluptatis, et permanentium deliciarum paradisus est, semper floridus, semper lucidus, sempiterna suavitate, visu delectabilis ac gustu. Cujus perpetuas delicias hic idem scriptor sub nomine illius terræ repromissionis, ad quam rudem Dominus introducebat populum, ita gratiosis descriptionibus commendat : *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque et fontium, in cujus campis et montibus erumpunt flaviorum abyssi, terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus et malogranata, et oliveta nascuntur, terram olei et mellis* (*Deut.* VIII[1], etc. Item : *Terra enim quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi facto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est et campestris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus semper invisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus* (*Deut.* XI). Hæc idcirco nunc dicta sunt, ut certum sit ante hunc solem germinasse terram ad præceptum Domini, quia videlicet terra illa, cujus plenitudo tantis non potest exprimi descriptionibus umbraticis, non indiget ut reflorescat visitatione solis, *quam semper invisit Dominus Deus, in qua sunt oculi illius a principio anni usque ad finem ejus.* Sed jam potestatem ejusdem solis ac lunæ secundum ipsa Creatoris verba contemplemur.

CAPUT XLII.

Item de luminaribus et eorum magnitudinibus.

Fiant, inquit, *luminaria in firmamento cœli*, etc. Luminaria solem et lunam dixit. Sic enim sequitur : *Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti.* Utraque luminaria magna sunt relatione stellarum; quæ utique minoris potentiæ sunt, ad alterutrum autem relatione vel comparatione facta luminare majus sol, et luminare minus est luna. Nam, sicut curiosi hujus mundi philosophi investigaverunt, terra quidem major quam luna est, sed terra magnitudine sol, qui, præ altitudine circuli sui nostrorumque parvitatem oculorum, quasi parvus conspicitur, octies, inquiunt, est major. Amplius autem ex eo sol luminare majus est quam luna, quia lucet luce propria; nam luna relucet ab illo, luce scilicet non sua, sed aliena. Solis enim lumen corpus lunæ infunditur, et inde resplendescens solam refundit claritatem, non calorem, sicut et speculum cum splendorem de se vi oppositi eminus ignis emittit, solam ignis similitudinem, carentem sensu caloris ostendit. Alii tamen dicunt eam proprium lumen habere, sed globum ejus dimidium lucere, dimidium autem obscurum esse, dumque movetur in circulo suo, partem eamdem qua lucet paulatim ad nos converti, ut videri a nobis possit, et ideo prius quasi corniculatam apparere. Utralibet opinio vera sit, majus quidem luminare est sol, tam orbis sui quantitate quam luminis, sed hæc duo luminaria magna sunt, videlicet comparatione stellarum quæ longe minus illuminant mundum, et minoris potestatis sunt.

CAPUT XLIII.

De luminarium atque stellarum diversa positione in firmamento.

Sciendum vero quod licet cum dixisset, *fiant luminaria*, subjunxit, *in firmamento cœli*, pariterque de stellis, *et posuit eas in firmamento cœli* quamvis non diversa sit dictio, diversa tamen horum est positio. Nam, quod astronomici melius experti sunt, stellæ quidem omnes præter quinque planetas, id est erraticos, a præ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ter hæc duo luminaria magna, in firmamento fixæ sunt, et cum firmamento feruntur. Siquidem luminaria hæc, **17** et stellæ quinque, ut prædictum est, quas idolorum suorum nominibus sacraverunt, scilicet, Saturni, Jovis, Martis, Veneris atque Mercurii, circos habent proprios, qui contrario motu feruntur, volvuntur enim contra firmamentum. Horum altior circus Saturni, inferior lunæ, circulus habetur. Bene, inquit, *fiant luminaria in firmamento cœli*, id est unumquodque in sui firmamento cœli. Dicuntur enim et istorum luminarium et cæterorum planetarum circuli cœli, qui laudant Dominum, juxta Psalmistam dicentem : *Laudate eum, cœli cœlorum* (*Psal.* CXLVIII), id est, cœli, vel circi majores, minorum complexui circulorum. Non enim parva materia divinæ laudis est firmamentum, cursus eorum quem nunquam excedunt, incessanter currendo, seque in circulos suos reflectendo motu duplici, videlicet motu superioris firmamenti, quod dicunt aplanen, et motu proprio, quo contra ipsum jugiter feruntur. Utrumque motum Ecclesiastes, de sole loquens, exprimit his verbis : *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat ad austrum, et flectitur ad aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur* (*Eccle.* I). Hoc idem de luna et cæteris est sentiendum, quæ quanto majores vel minores circulos habent, tanto plus vel minus temporis gyrando et regyrando expendunt.

CAPUT XLIV.

De divisione diei et noctis, et potestate luminarium.

Ad quid fiant hæc luminaria? *Et dividant*, inquit, *diem et noctem*, etc. Hæc præcipua causa est cur facta sint luminaria. Unde et tertio repetitur, cum dicitur : *Luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti.* Itemque postmodum, *ut lucerent*, inquit, *super terram, et dividerent lucem et tenebras.* Si jam ante per semetipsum diviserat Deus lucem et tenebras, quid necesse erat ut luminaria dividerent diem et noctem sive lucem et tenebras? Imo, quomodo dividerent quod jam Deus diviserat, et nemo rursus confuderat? Ergo illic de intellectuali luce et spiritualibus tenebris dictum est; nam hic de corporeæ visionis luce et tenebris sermo est. Et has quidem tenebras Deus bene posuit, quippe cujus positione et præcepto, quod non præteribit, sol deorsum descendit, et tunc ex umbra terræ superius hemisphærium tenebrescit et nox fit, ut *in ipsa* pertranseant, *omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi*, ut orto sole congregentur *in cubilibus suis*, exeat autem *homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam* (*Psal.* CIII). Bene, inquam, hoc inter ea, quæ valde magnifica sunt, *opera tua, Domine, in sapientia fecisti* (*Ibid*). Proinde has tenebras scriptor præmisit, *ut dividerent*, inquiens, *lucem et tenebras*, ac deinde subintulit, *et vidit Deus quod esset bonum.* Illas autem tenebras a laude boni seclusit prius dicendo, et vidit Deus lucem quod esset bona, et tunc demum divisit, inquit, lucem et tenebras. Dividant, inquit, diem et noctem, ita videlicet ut luminare majus præsit diei, et luminare minus præsit nocti. Hoc et Psalmista conscribens in confessionibus Domini : *Confitemini*, inquit, *Domino qui fecit luminaria magna solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* (*Psal.* CXXXV). Et in Psalmo superius memorato : *Fecit*, inquit, *lunam in tempora; sol cognovit occasum suum* (*Psal.* CIII). Itaque si quæras quomodo luminare majus præsit diei, occidendo videlicet præest et renascendo. Nam sol cognovit occasum suum, quod metaphorice dictum est, videlicet quod ita certo tempore occidat, et tanquam sciens, quid agat, certa nihilominus hora revertatur ad ortum, et secundum eumdem occasum certis ex causis nunc certiorem, nunc tardiorem alternatim variatur longitudo brevitasque dierum. Nam altius ad aquilonem progrediendo, quia nobis tardius occumbit, diem producit. Rursusque ad austrum descendendo, quia nobis citius absconditur, diem breviorem efficit. Non enim aliunde dies, nisi quia sol super terram est, sicut econtra, nox non aliunde, nisi quia sole sub terram demisso, umbra terræ soli objecta super nos exaltata est. Et si antequam solis globus horizonti emergat, mane lucet illustratus aer, et dies est, hoc de vicinia solis fit, sicut econtra vespere cum jam nobis absconditus fuerit, non continuo, sed paulatim disparent, quæ supersunt reliquiæ luminis. Ita luminare majus præest diei semper. Luna vero temporaliter præest nocti. Unde et pulchre Psalmista : *Fecit*, inquit, *lunam in tempora.* Non enim cunctis noctibus vel toti nocti præest, sed pluribus noctibus, et plurimæ parti noctis deest. Crescit quippe temporaliter, decrescit nihilominus temporaliter. Item et aliter hic diei, atque aliter illa præest nocti. Hic enim præest diei, quia de seipso diem efficit; illa præest nocti, quia tenebras ejus aliquantulum superat, præsidio mutuati a sole luminis. Igitur dividant diem et noctem, inquit, scilicet, ut ille omnem diem suo lumine efficiat. Hæc aliquas noctes, vel aliquantulum noctis illustret.

CAPUT XLV.

De eo quod dictum est, « Et sint in signa et tempora, et dies et annos. »

Et sint, inquit, *in signa et tempora, et dies et annos.* Quatuor dicta, sunt signa, tempora, dies, et annos. Horum tria, scilicet signa, tempora, et dies ad solem pertinent, quia videlicet ex ipso percipiuntur, maxime horarum signa, quas cum observet rusticana quoque plebecula, magis ad serviendum Deo religiosa considerat Christi Ecclesia, et secundum ipsum variantur veris, æstatis, atque autumni, et hyemis tempora. Porro, quod in dies hoc luminare sit omnium palam subjectum est oculis. Per singulos namque ortus, singulos dies efficit. Porro, lunæ deputantur anni, cum suis partibus, id est, mensibus duodenis. Hebræi namque (quibus data, vel a quibus profecta est hæc Scriptura ad nos) so-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

los noverunt lunares menses et annos. Est autem mensis viginti novem dierum ac semissis. Annus autem siquidem communis, id est duodecim mensium sit, 354 dierum. Si autem embolismus, id est tredecim mensium sit, 384 dierum est. Romanis tamen luminare majus in annum est. Solarem namque computant annum 365 dierum, superaddito diei quadrante. Sed hic annus non adeo naturalis est, quippe cujus partes scilicet menses non naturaliter currunt, sed ad placitum dispositi sunt. Lunaris autem annus naturalis est, quippe cujus partes, id est, menses itidem lunares a natura veniunt. Unde et cuncti quantitatis ejusdem sunt, nisi quod semissem, qui 29 diebus superest, quia pro integro die computari non potest, servari oportet, ut alter 29, alter 30 dierum mensis habeatur. Hos annos, vel hujusmodi menses ante fidem **18** Christi, Romanus orbis non observabat, sed et nunc indoctum vulgus ignorat. Proinde et in communi usu annum computat Christi Ecclesia, qualem Scripturæ hujus ignara constituit gentilitas, et pro legitimo ritu festi Paschali, menses et annos Hebræorum secundum lunam, tam communes quam embolismales rationabiliter observat.

CAPUT XLVI.

Quare postremo dictum sit « et illuminent terram. »

Quare autem post hæc omnia continuo subjunxit, *et illuminent terram?* Videlicet ne putes ante hæc luminaria terram aliqua luce corporea fuisse illuminatam. Nam forte diceres : Jam et antea terra illuminata fuerat, sed non in signa et tempora, non in dies et annos distincta vicissitudine lux illa observabilis erat. Ut ergo superadjicerentur ista, idcirco facta sunt ista luminaria. Hunc omnino sensum litteræ textus excludit, dum hoc etiam adjicit, *et illuminent terram.* Nam ex hoc quoque palam datur intelligi quia super hanc terram nulla prius erat lux visibilis. Verumtamen, de illa terra paradisi, illud sciendum est quia mox, ut dixit Deus, *congregentur aquæ quæ sunt sub firmamento in locum unum, et appareat arida*, sic apparuit, ut postea nunquam disparuerit, sicut nihilominus mox, ut dixit Deus, *germinet terra herbam virentem*, etc., sic germinavit, sic floruit, et frondult, fructumque attulit, ut jam ultra deflorescere non possit. Nam, ut taceam de luce angelicarum specierum, quæ nunquam ibi desunt, si in hoc exsilio quædam terræ hujus particulæ, scilicet pretiosi lapides, quales maxime carbunculi sunt, sic apparent ut in nocte pro lucernis esse possint, quam splendide putas terram illam apparuisse, ubi neque hujusmodi lapidum, neque alicujus boni quod visum delectet quidquam potest abesse? Hunc ergo mundum tantummodo luminaria hæc illuminant. De quibus nec illud prætereundum est quod maxime horum causa firmamentum volubile esse oportuit, videlicet ut sol, qui tanti est fervoris ut, sicut superius dictum est, fons ignis ætherei appellatus sit, ad hoc factus, ut non solum illuminatio, sed et temperatio mundi frequens esset, et cunctis partibus adesset, et stellarum ordo notabilis toties regyrans notior existeret. Siquidem multo melius nunc est, cum sol fervidus breviter quidem, sed frequenter adest, quam si spatio sex mensium desuper terras exurens, itidem sex mensium spatio sub terra delitesceret, tanquam longam noctem cum eadem prolixitate, frigoris nobis relinqueret. Duodenis namque mensibus zodiacum circuit, quo circuita solo circumferretur, cessante motu firmamenti, et proinde quod nunc annus est, hoc tunc unus cum nocte sua dies existeret.

CAPUT XLVII.

Cur dicendo, « et stellas », non addidit, et sint in signa et tempora, et de eodem die quarto, et quid sit dies quartus.

Et fecit, inquit, *Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti; et stellas.* Notandum in hac repetitione, cum dicit, *et fecit Deus duo luminaria magna, et stellas*, non addidit, in signa, videlicet ne occasionem daret illis qui putant in stellis signa esse fatalia, homines quippe creaturæ magis, quam Creatoris imitatores, et a creatura mundi cognitum Deum non sicut Deum glorificantes, aut gratias agentes, in isto quoque *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I), dum stellis pene omnem Creatoris ascripsere potestatem, ita ut dicerent ex earum momentis vitæ et mortis sui fatalem pendere necessitatem. Hujusmodi suspicio de hac Scriptura nasci non potuit. Nam cum dixisset, *et fecit Deus duo luminaria*, sic subjunxit, *et stellas*, ut in signa subaudire non liceat. Attamen et stellæ in quædam signa, et in quædam tempora sunt, quæ salva pietate Christianus homo suscipere vel attendere queat, verbi gratia, de qualibus loquitur Scriptura : *Quis fecit Arcturum, et Hyadas, et Orionа?* (*Job.* IX.) Item : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi dissipare poteris? Nunquid produces Luciferum tempore suo, aut Vesperum super filios terræ congregare facies?* (*Job* XXXVIII.) Hæc et his similia suscipere, et ex illis serenitatis procellæ significationes attendere perniciosum non est, imo pavidis maxime nautis utile est. Amplius autem ex hujusmodi positionibus vel significationibus stellarum spiritualem sensum per idoneas similitudines capere laudabile est. Item, et tempora noctis de altitudine cujuslibet stellæ, ex his quæ fixæ cum firmamento fuerunt, admoto horoscopo, deprehendere jucundum artificium, atque innoxium exercitium, imo et nocturnæ laudis Dei, quibus horis fiat, pulchrum spectaculum est. Sed de hujusmodi ad præsens negotium non pertinet. Nam qui vere sapientiam quærit, et a creatura mundi Creatorem cognoscere, glorificare et gratias agere cupit, hoc solum de illa scire contentus est, quod, sacra testante Scriptura, creatrix divina instituit, videlicet quod ad hoc posuerit ea quæ prædicta sunt, id est luminaria et stellas, in firmamento cœli *ut lucerent super terram,*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ut præessent diei ac nocti. Et vidit Deus quod esset bonum, vidit, inquam, et verum vidit, neque in suo visu falsus est. Nam vere bonitatis ejus bonus hic effectus, bona inquam, et pulchri boni operis ejus quarta hæc species est, factumque est hoc vespere et mane, quia videlicet et erat prius in occulta et invisibili dispositione, et nunc est in hac visibili specie præclara dies Verbi æterni, pulchra et lucida clarificatio unigeniti Filii.

CAPUT XLVIII.

De die quinto, et quid sit dies quintus.

Dixit etiam Deus : *Producant aquæ reptilia animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque mutabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne reptile secundum genus suum.* Sicut jam superius dictum est, in hac specie creaturæ, id est in reptilibus maris et volatilibus cœli, quoddam naturale vel affectivum consilium est, quia, videlicet dictante genitali amore, masculus et femina conveniunt, et successioni propagandæ, tanto studio consulunt, quantum satis sit ad hoc providendum vel efficiendum, ne deficiat quasi desiderata posteritas ipsorum. Proinde indubitanter pronuntiare licet, hanc speciem boni operis Dei ad spiritum pertinere consilii, sicut supra memoratum et ante hoc præcedens opus esse monstratum est, de spiritu fortitudinis. Porro cur ab hujus operis quinto die scriptor exceperit jumenta et reptilia vel bestias terræ, cum illorum non altior quam horum essentia sit, pariter quippe funguntur quinque sensibus corporis, opportunius suo in loco dicendum est.

19 CAPUT XLIX.

De eo quod dictum est, « Producant aquæ reptilia animæ viventis. »

Producant, inquit, *aquæ reptilia animæ viventis.* Mirum quidem de fluxo aquarum elemento solida nasci vel produci corpora, sed mirabilius est quod de nihilo potens Conditor jam ipsum aquarum elementum fecerat. Cum autem dicit, *producant aquæ reptilia*, quid opus est adjici *animæ viventis?* cum ipsum nomen reptilium viventem animam satis exprimere possit? Etenim vivit et sentit omne quod repit, quamvis non omne quod vivit repat, vel repere possit. Vivit namque herba, virens et afferens semen, quam terra germinat. Vivit omne lignum pomiferum, vel habens semen suum in semetipso quod terra producit. Sed vita hujusmodi sicut sine sensu, ita et sine motu est. At vero omne quod repit, ut jam dictum est, etiam vivit. Quid igitur cum dixisset, *producant aquæ reptilia*, addidit, *animæ viventis?* Videlicet, ut animam reptilium distingueret ab anima hominum. Cum enim dicit, *animæ viventis*, subaudiri vult, et non etiam discernentis. Nam eo quidem vita reptilium vitam superat herbarum atque lignorum, quod sensibilis est; nam est illa vivunt quidem, sed non sentiunt : verum longe inferior est quam vita hominis, quia non solum sic vivit homo, ut sentiat : sed et vivit et sentit, et quod dignissimum est, discernit. Hoc ergo cum dicitur, *producant aquæ reptilia*, mox opportune subjungit, *animæ viventis*, viventis, inquam, tantummodo, non etiam discernentis. Itemque *et volatilia*, subauditur, producant aquæ animæ viventis, nihilominus et non discernentis. Nam acutius quidem volatilia quam reptilia sentiunt, sed nihilominus discretione vel ratione carentia sunt. Acutius autem illa sentire, non dubium est. Nam et acumine sensus illorum in tantum maligni spiritus abusi sunt ad augendum errorem gentilium ut auspices quoque sive augures ex eo constituti fuerint, quod ab avium garritu sive inspecta ventura sibi crederent bona, sive mala spectanda præsignari. Contra quod eximius eorum poeta paulo melius sentiens, ait :

Haud equidem credo, quia sit divinus illis.
Ingenium, aut fato rerum prudentia major.
Verum ubi tempestas et cœli mobilis humor,
Mutavere vias,
Vertuntur pecudes, et ovantes gutture corvi.
(Virgil. *Georg.*, I, 415.)

Dixit aves non scienter divinare, sed, pro cœli qualitatibus, diversos motus concipere. Quippe quæ spreta graviore terra, sursum spatiantur et aere leviore feruntur, mobilique corpore minus prægravatam superne ducunt agilem vitam. Econtra, reptilia gravior deprimit natura, tantoque in acumine sensuum prædictis volatilibus cedunt, quanto aeris natura crassius aquarum est elementum. Cum itaque dixisset, *producant aquæ reptilia, animæ viventis*, notandum quia nihil addidit. *Volatile*, autem, inquit, *producant*, et addidit, *super terram.* Sed et hoc nondum satis fuisset, nam et reptilia sub aquis terræ incubant, nec enim semper natant, et de terra sive arena victum quæritant. Ergo bene et hoc addidit, *sub firmamento cœli.* Hæc productionis volatilium plena et sufficiens definitio est, quia videlicet produxerunt aquæ reptilia animæ viventis, produxerunt, inquam, non etiam emiserunt, licet quædam ex illis, ut delphini sive phocæ ad horam patiente natura foras prodire audeant. Volatilia autem et produxerunt et *super terram sub firmamento cœli* emiserunt. Una namque hæc animantium species nihilo magis gaudet quam libertate volandi natabundis, sub firmamento cœli, spatiando pennulis, sicut cætera reptilia quæ retinuerunt aquæ, in semetipsis earumdem aquarum profundo et maxime fluvialibus undis. Porro volatilium quæque species, prout pennas densiores et minora habent corpora, ita et sub firmamento cœli, altius atque celerius evolant, verbi gratia, ut accipiter, ardea, sive aquila. Nam econtra, quorum corpora densa pennæ vero raræ vel parvæ sunt, tardius levantur, et minus volant, ut vultur, aut certe struthio, quæ etsi pennas habet, nullatenus tamen volare potest.

CAPUT L.

Cur, cum omnia volatilia aquæ produxerunt, non etiam sub aquis vivere possunt.

Quæri nunc potest cur, cum omnia volatilia aquæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

produxerint, non etiam sub aquis natalibus eadem vivere possint? Nam sunt quidem quæ dicantur aves marinæ, ut fulicæ, sive parva quidem sed nobilis alcyone, quæ nidificare dicitur in littoribus, patientia maris exspectante, intantum, ut per bis septem dies, donec pullos educat, nullatenus moveatur vel perturbetur fida tranquillitas. Sed hæc vel cætera cum de aquis producta sint, non etiam ab aquis vivere possunt. Cur ergo natura illis quasi a materno utero tam diversa succedit? Cur illic vitam retinere non possunt, unde vitam sumpserunt? Et quidem quæstio hæc difficilius solvitur, si aquarum nomine unius tantum elementi gurgites accipimus. Nunc autem et aer aqua potest recte dici, quippe qui ex aqua vel per aquam consistit. Unde dicitur in Epistola Petri apostoli : *Latet enim eos hoc volentes quod cœli erant prius et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo* (II Petr. III). Alia editio sic habet : *Cœli erant olim de aqua, et per aquam constituti*, significat autem aerem istum humidum atque turbidum : Hunc ergo cœlum appellare Scriptura consuevit. Unde scriptum est : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum* (*Jer.* VIII), Potest itaque et aer simul cum aquarum elemento intelligi. Sed contra forte dicitur : Potest hoc sensu et sic dici : Producant aquæ reptilia animæ viventis et volatilia, atque jumenta sive bestias. Nam et terra ut prædictum est, de aqua et per aquam consistit. De aqua videlicet, quia dixit Deus : *Congregentur aquæ in unum locum, et appareat arida. Et factum est ita.* Per aquam vero, quia divina dispositione venis aquarum tota intrinsecus plena est, sicut corpus animantis redundat venis sanguinis, ne videlicet ariditate deficeret, si aquarum irrigatio cessaret. Ad hæc, inquam, postquam Deus aridam apparere jussit, eamque terram appellavit, non licet illam aquæ nomine signari. At vero aeris nomen eadem auctoritate non est positum, sed ab hominibus dictus est aer ab altitudine; ἄϊρω namque Græce, *sursum tollo* dicitur Latine. Per hunc feruntur aquarum globi mari exhalante subvecti, ne putes hanc partem nomine firmamenti signatam, cum firmamentum dividat aquas ab aquis, per hunc autem aerem palam fit densa aquarum volumina ferri, ut nubes pene flumina sint. Cum ergo dicitur : *producant aquæ*, licet aerem quoque simul intelligi, quia videlicet, cum ascendentes aquæ per aeris spatia, vi frigoris vertantur in nives, eadem facultate per virtutem præcepti potuerunt verti in aves. Itaque et de aquis productæ sunt, et 20 tamen sub aquis vivere non possunt, quia forte nequaquam sub densis fluctibus vitam sumpserunt, sed de rarioris et per nubeculas volantis aquæ globis volantium avium corpuscula facta sunt. Verum quocunque modo produxerint, illud constat, quia produxerunt aquæ reptilia animæ viventis et volatilia super terram sub firmamento cœli, naturæ suæ terminis ab eo, cujus *præceptum*, quod semel *posuit, non præteribit* (*Psal.* CXLVIII), triformiter ibi definitis. Nam sequitur :

CAPUT LI.

De triplici distinctione creaturæ quam produxerunt aquæ.

Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et volatilia secundum genus suum. Cur ita distinxit : *Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem* cum et cete grandia comprehendi vel consignificari potuissent, si hoc solum dixisset, creavitque Deus omnem animam viventem atque motabilem? Etenim hoc dicto, nec cete grandia, nec parvos spiniculos excepisset. Cur ergo sic distinxit? Videlicet ut hoc etiam creatricis opus Trinitatis in tres divisum esse species insinuaret; viventium namque sive motabilium, alia per fetum veniunt, id est, catuligena sunt, quorum cete maxima sunt : alia per ovum veniunt, quorum multo plora genera sunt. Quibus adde, *et omne volatile secundum genus suum*. Et ecce nubes hujus quoque creationis opus tripartitum. Porro quod cum dixisset, *creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem*, adjunxit dicens, *quam produxerant aquæ*, congrue et in singulis operibus dici potuisset. Creavit enim et luminaria quæ fecerat, etc., omnia quæ fecerat distincte, Deus idem fecerat simul, eo videlicet respectu, quia sicut jam dictum est, quidquid *factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I). Quapropter et de omnibus in fine generationum istarum sic dicitur : *Istæ generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt in die quo creavit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur*, etc. Quomodo intelligendum est illud *quod creaverat Deus omne virgultum antequam oriretur*, sic et quod nunc dicuntur aquæ jam produxisse omnem animam viventem atque motabilem cum crearet illa Deus.

CAPUT LII.

Item de eodem : quod dictum est, « Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris. »

Benedixitque illis Deus dicens : *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur, super terram.* Ecce hic manifestius elucet, cur in istis operibus Dei singulorum factura operum tertio repetita sit. Videlicet quia *quod factum est in ipso vita erat*, primo dixit Deus, *producant aquæ reptilia animæ viventis, et volatilia super terram sub firmamento cœli.* Deinde quia quod *in ipso vita erat*, per visibiles essentias in actu demonstratum est. *Et creavit*, inquit, *Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et volatilia secundum genus suum.* Et quia per successiones suas eadem Creatoris potentia subsistere unumquemque oportebat, benedixit Deus illis, inquit dicens : *Crescite et multiplicamini*, etc. Tria sunt verba benedictionis, *crescite et multiplicamini, et replete aquas maris*, sed unus idemque sensus est, quippe qui uno tantum verbo rursum exprimitur, cum subjungitur, avesque multiplicentur super terram. Nec mirum. Etenim tria nomina sive

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tres sunt personæ ejus qui benedixit, sed unus idemque Deus est. Quare autem qui multiplicationes horum in benedictione fieri mandavit, herbam quoque virentem et afferentem semen, lignumque pomiferum et habens unumquodque semen suum in semetipso cum jussisset produci e terra, non benedixit itidem dicendo, *crescite et multiplicamini, et replete terram?* Aut unde illis tanta crementi aut benedictionis in multiplicatione copia, cum non eis quoque benedixerit Deus? Etenim ipsa quoque crescunt et multiplicantur et secundum genus cujusque passim nova veteribus, tenera robustis, plantaria, verbi gratia, fagis aut quercubus, de parvo semine succrescunt, et celsa in auras paulatim cacumina surgunt. Quid ergo amplius reptilibus maris, sive volatilibus cœli, quid, inquam, amplius quam terræ virgultis in suo genere benedictio competens fuit, vel in quo ejus effectus certius cognoscendus erit? Ad hæc, inquam, crescit quidem et multiplicatur herba virens, lignumque pomiferum unumquodque in genere suo, sed differt crementorum ratio pro diversa essentiarum qualitate. Etenim herbam virentem sive lignum pomiferum, eadem terra, quæ germinat vel producit, multiplicat, et semen illis ipsa importat et cadentia recipit, etiamsi serentis manus forte desit, et ideo multiplicandæ posteritati, solum ipsorum esse sufficit. Verum reptilibus sive volatilibus si nullus fuisset appetitus, non ipsa crescerent aut multiplicarentur, et non stetisset eorum genus. Cum ergo initium existendi accepissent, oportuit ejusdem Creatoris imperio naturalem illis medullitus inseri amorem vel appetitum, ut masculus ardens ad semen ingerendum, femina nihilominus avida foret ad recipiendum. Hoc illis benedictio contulit, et ob hoc necessaria fuit, nam inde reptilia creverunt, et multiplicata sunt, et repleverunt aquas maris, avesque multiplicatæ sunt ex eis. Ad hoc, tenet hæc animantia vinculo amoris magna hujus benedictionis vis. Quandiu enim emittentur *fontes in convallibus, et inter medium montium pertransibunt aquæ*, tandiu *super ea volucres cœli habitabunt, et de medio petrarum dabunt vocem* (*Psal.* CIII). Et quandiu irriguis superioribus et pinguedine terræ *saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit*, tandiu *illic passeres nidificabunt* (*Ibid.*). Et eodem amore vel desiderio et gallina languida vocem mutabit, et luscinia lætabunda parvulis ovis supersedens tota pervigil nocte decantabit, tanta cantilenæ suavitate ut tibi videatur hæc esse summa ejus intentio, quo possit non minus dulcibus modis fetus animare quam fetu corporis. Hinc educta progenies *vespere et mane, et meridie* quodam modo narrabit, et Creatoris laudem non ingrata natura annuntiabit (*Psal.* LIV) et ei *qui dat escam omni carni* (*Psal.* CXXXV), tanto concentu confitentur Deo cœli, ut erubescere debeat homo rationalis, si unquam dona Creatoris in escam mutus ab ejus laude perceperit. Item et quandiu steterit *hoc mare magnum et spatiosum manibus* in quo naves pertranseunt (*Psal.* CIII), quod qualiter transiturum sit, novit ipse qui dixit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV), tandiu perseverante hujus benedictionis virtute illic erunt *reptilia, quorum* **21** *non est numerus, animalia pusilla cum magnis*, et omnia non frustra creata exspectabunt ut det *illis escam in tempore* et eo *dante illis colligent*, et *aperiente* illo *manum suam omnia implebuntur bonitate* (*Psal.* CIII), tam balena quam rana, tam crocodilus quam murena.

CAPUT LIII.

Cur non dictum sit, vidit Deus volatilia seu reptilia quod essent bona, sed « vidit quod esset bonum. »

Et vidit Deus quod esset bonum, factumque est vespere et mane dies quintus. Si tam stabili justitia viveret homo, quam certo ordine servant ea quæ prædicta sunt, statutum benedictionis imperium recte formato homine, sicut dictum est, *et vidit Deus lucem quod esset bona*, sic nihilominus singulariter diceretur, et vidit Deus hominem quod esset bonus. Verumtamen nec dixit, nec dicere Scriptura debuit, et vidit Deus volatilia cœli, sive reptilia maris, quod essent bona ; sed *vidit Deus*, inquit, *quod esset bonum*, subauditur sic esse factum, in quo non creaturæ hujus, quod nullum est, laudatur meritum, sed bonum Creatoris ponderatur ingenium. Similiter cum dicitur : Et *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, non creaturarum prædicantur merita, sed (quod longe aliud est) Creatoris commendatur sapientia. Sola lux, quia voluntatem habere potuit, et voluntarie suam ad Deum essentiam direxit, bona dicta est, utpote boni Dei capax, quem quia cum amore exceperit, recte illi divinæ bonitatis communicata est laus.

CAPUT LIV.

Cur jumenta sive terræ animantia operis diei sextæ, cum homine deputentur.

Sexta creaturæ Dei species homo est, cujus in essentia is qui a timore sextus est intellectus manifeste præfulget. Hoc perspicuum est, rationalis enim creatura est, non solum intellectum, sed et ingenium atque memoriam habet, unde ad spiritualium cognitionem et Dei sapientiam pervenire potest. Sed cur jumenta, cum irrationabilia sint, sexto diei cum illo deputantur? Nihilo enim magis jumenta quam reptilia maris sive volatilia cœli, quinque corporis sensus excedunt, nec minus aut magis quam illa hæc rationis expertia sunt. Ad hæc inquam : Et si in eodem essentia gradu jumenta, in quo et volatilia sive aquarum reptilia tenentur, quia pariter corpora sunt animata et sensibilia, nec ultra valent : recte tamen cum homine dici sexto computantur, quia cujus homo, ejusdem partis mundi, scilicet terræ, ornatus quoque jumentorum genus est, et ejus potissimum substituta servitio sunt sicut videmus, quia neque volatilia, neque reptilia, quæ produxerunt aquæ, sed sola jumenta homini cooperantur et collaborant. Cum itaque illis, id est volatilibus sive piscibus, pro conditionis æqualitate, huic autem, id est homini pro materiali origine jumentorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

genus contiguum sit, recte potiori, id est homini cessit, ut cum illo unus divinæ operationis sit dies, cum quo unius partis mundi, scilicet terræ ornatus est. Sed jam ipsa Creantis imperii verba consulamus.

CAPUT LV.

De triplici specie jumentorum, reptilium atque bestiarum.

Producat, inquit, *terra animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ secundum species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo.* Sub uno genere animæ viventis, quam terra producit, tres species manifeste Scriptura distinxit, jumentorum, reptilium atque bestiarum, et nota diligenter præjudiciorum Dei investigabilium providentiam. Ab hac namque specie, id est a reptili homo seductus est : ab una, id est a bestiis terræ, juste peccator idem infestatur; ab una, id est a jumentis, ejusdem miseri hominis debilitas misericordia Dei resolvente juvatur. Dicuntur enim jumenta, quod sint quædam hominis adjumenta; reptilia vere repentia, sive serpentia; bestiæ quasi festiæ, per antiphrasim, quod sint infestæ. Hic jam quæritur quomodo serpenti dicatur pro maledictione, *super pectus tuum gradieris* (*Gen.* III), cum hoc a natura prius habuerit ut reperet, quod est super pectus suum graderetur. Etenim sicut jumenta, sic et reptilia jam fuerant jussa produci. Sed de hoc suo in loco opportunius dicendum erit.

CAPUT LVI.

Quod omne genus serpentum corruptum ex eo, sive venenatum sit, quod diabolus illo usus est ad mortem hominis.

Nunc illud sciendum quia repebat prius ut nunc omne hujus speciei vel generis animal, sed reptatus ejus nullum horrorem haberet, si non illo diabolus ad mortem domini ejus hominis usus fuisset. Multo magis vero, nec virus pestiferum vomeret, vel in seipso haberet, si non illum idem creaturæ Dei adulterator venificus illo suo malitiæ veneno polluisset, et per os ejus homini, ut jam dictum est, mortem insibilasset. Ecce hodieque (ut taceam quod multis sanctorum Christi servorum non solum innocuos, sed etiam obedientes legimus fuisse serpentes) gens tota esse traditur, quæ in mediis tutam agat vitam serpentibus. Unde ait quidam Romanorum auctor nobilissimus :

. . . . . *Gens unica terras*
Incolit a sævo serpentum innoxia morsu.
Murmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis.
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus.
Vel cantu cessante, potest.

(Lucan., lib. IX, 892, *Phars.*)

Quanto magis tunc homo cunctorum animantium præses et dominus, reptilibus quoque terræ ordine legitimo imperitaret, si vel diabolus per os serpentis nunquam sibilasset, vel si ipse homo cum in honore esset, sic intellexisset, ut venenum suasionis ejus non admisisset? Ergo bona quidem creatio cunctorum, sed homini, quia Deo contrarius factus est, existens sibimetipsi gravis, in malum jure versa sunt, ea quæ bene facta erant. Cæterum quia præscientiam ejus qui fecit quæ futura sunt, nec illud latebat quod alius, id est homo sive diabolus facturus erat, non mirum si truces homini peccatori bestias et venenata præparaverat animalia, qui infernum quoque futuris dæmonum vel hominum peccatis præparaverat. De istis enim æque ut cæteris non est dubium, quia in illo secreti sui vespere, dixit Deus : *Producat terra animam viventem in genere suo : et mane*, id est in primæva generis **22** hujus creatione, *factum est ita*, et per successiones posteritatis singulorum nunc usque facit Deus *bestias terræ in species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo.*

CAPUT LVII.

De adulterina permistione jumentorum.

Perseverat hæc posita semel naturæ lex, quibusque posteritatem suam propagantibus in genere suo, verbi gratia, nec de equina specie nascantur asini, nec de leonibus generentur ursi, nec de bobus cervi, nec de camelis procreentur elephanti, aut de bubalis onagri. Fiunt tamen quædam naturarum ex inæquali permistione adulterina, cum, verbi gratia, de equa et asino mulus, de hirco et ove nascitur tityrus, quod hominum instinctu fieri lex vetat, cum dicit : *Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus* (*Levit.* XIX). Hoc primus fecisse fertur Ana, filius Sebeon filii Esau scilicet, quod equarum greges ab asinis in deserto fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova, contra naturam, animalia nascerentur. Verumtamen et bestiæ, quæ sub hominum magisterio non sunt, contra naturam diversis ex speciebus permiscentur, ut leo, dum permiscetur pardæ, et nascitur leo pardus, et dum lupus cervæ commiscetur, lynces generantur. Et in reptilibus quoque permistionis inordinatio reperitur. Tradunt enim physici quia vipera nequissimum genus reptile, et super omnia quæ serpentini sunt generis astutior, ubi coeundi cupiditatem assumpserit, murenæ maritimæ copulam requirit, progressaque ad littus, sibilo testificata sui præsentiam ad conjugalem amplexum illam evocat. Murena invitata non deest, et venenatæ serpenti expetitos usus suæ conjunctionis impertitur. Et de his quidem jam satis dictum, deinceps ad hominis creationem (quæ nostra criminosa et laboriosa dies est) articulum promoveamus.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

IN GENESIM LIBER SECUNDUS.

(Gen. cap. I, vers. 25-31; II, vers. 1-25).

CAPUT PRIMUM.

De dignitate creaturæ hominis, et quod cum consilio providæ Trinitatis factus est.

SEQUITUR CAP. I. *Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis universæ terræ, atque omni reptili quod movetur in terra.* Ecce artificem omnium Dei sapientiam, gyrum cœli solam circumeuntem et in fluctibus maris solam ambulantem, a longe prosecuti, tandem ad eam quæ propositi vel operis hujus summa est, perveninus causam, scilicet ad nos homines, quos Creator noster facere dignatus est ad imaginem et similitudinem suam. Quid enim propositum est, nisi sanctæ Trinitatis gloriam per opera ipsius quasi per speculum contemplari? Et cujusque personæ proprietatem agnoscere ex proprii qualitate operis? Hæc plane humana, scilicet creatura illud potissimum opus est, quod eadem beata Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret. Hujus ergo creationis dignitatem, non per qualemcunque judicem, sed per digitum Dei, cujus est Scriptura hæc, diligenter expressam, reverenter, ut dignum est, audiamus. Ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Mutavit vocem suam, quippe qui hactenus de singulis dixit : *Fiat, et factum est; producat terra, producant aquæ, et factum est.* Nunc autem tanquam a circuitu terræ, cœli et maris, lassabundus resederit, et inter respirandum in mentem illi venerit, adhuc unum deesse quod deceret vel oporteret fieri : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Domine, inquit propheta, consilium tuum antiquum, verum fiat. An tibi parvum videtur consilium, his paucis sanctæ Trinitatis dictiunculis esse significatum? Magnum plane consilium in illo Sapientiæ consilio, in illo talium personarum, Patris, et Filii et Spiritus sancti, non tam sensu quam soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quidquam quæ circa nos acta vel agenda sunt illic defuisse? Plane ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra quæ futura erat, illic perspecta est, et inde totum consilium habitum, ut unaquæque persona suam operis partem susciperet, ut, scilicet, sicut jam dictum est, tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem perficeret, atque ita communi Trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta sæculorum, et fundamenta generationis et generationis suscitarentur. Laus sapientiæ Creatoris, honor gratiæ Liberatoris, gratiarum actio pietati Illuminatoris, adoratio uni indivisæ creatrici liberatrici et gubernatrici omnium Trinitati. *Repletur os* nostrum *laude, ut* tantam ejus *gloriam*, tantam ejus *magnitudinem tota die* cantemus (*Psal.* LXX).

23 CAPUT II.

Quæ distantia sit imaginis atque similitudinis, in eo quod dictum est : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. »

Primum illud quæsitu dignum est, quænam distantia sit imaginis atque similitudinis; et deinde clarebit quod non casu, sed pro rationis intuitu littera sic ordinata sit, ut non diceretur : *Faciamus hominem ad* similitudinem et imaginem nostram, sed *ad imaginem et similitudinem nostram.* Imago et similitudo hoc differunt, quod imago unius imago est; similitudo autem nunquam minus quam duorum similitudo est. Est autem imago Dei Filius ejusdem Dei Patris. Sicut de illo Apostolus, *qui est*, inquit, *imago Dei invisibilis* (*Col.* I). Imago, inquam, Dei invisibilis est, Filius æque invisibilis. Multis tamen modis imago dicitur; est enim imago hominis vel equi pictura in pariete, vel sculptura in ligno vel lapide; videtur in puteo imago solis vel lunæ. Non sic imago Dei dicitur Filius, sed ita ut sit, sicut in alio loco dicit Apostolus, *figura substantiæ ejus* (*Hebr*, I.), quia videlicet sicut substantia quælibet ex conspecta figura sua cognoscitur, sic Deus Pater per Verbum suum, quod est Filius, cognoscitur. Dicitur tamen et imago hominis proprietas substantiæ ejus, quo sensu illud de primo homine dictum necessario intelligitur : *Vixit autem Adam centum triginta annis, genuitque filium ad similitudinem et imaginem suam, et vocavit nomen ejus Seth.* (*Gen.* V). Est ergo filius imago patris. Sanctus autem Spiritus similitudo Patris et Filii, communis enim bonitas sive charitas est Patris et Filii. Ergo non recte dici putes potuisse : *Faciamus hominem* ad similitudinem et imaginem nostram, quia profecto Filius, sicut non Patris simul et Spiritus sancti, sed solius Patris Filius est, sic non Patris et ejusdem Spiritus sancti, sed solius Patris imago est. Econtra rectissime dictum est, *ad imaginem et similitudinem nostram*, quia videlicet Spiritus sanctus sicut Patris et Filii communis bonitas vel dilectio, sic eorumdem communis similitudo est.

CAPUT III.

Item de eodem.

Quid tandem est : *Faciamus hominem ad imaginem*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et similitudinem nostram, nisi, faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat evidentiam? Nam aspice hominem quempiam bene constitutum, verbi gratia, qualis nunc est ipse qui scripsit hæc, imo quales erant electi omnes, a quibus hæc eadem beata Trinitas in gloria sua videnda est. Utique vivunt, quod commune illis est cum jumentis, et discernunt quod commune illis est cum hominibus reprobis, vel etiam malignis spiritibus; et sancti vel justi sunt, quod proprium est filiorum Dei. Ergo quod ait : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, hoc dicere est : faciamus hominem viventem, rationalem, Deo similem. Paulo ante de brutis animantibus loquens : *Producat*, inquit, *terra animam viventem in genere suo*. Ejusmodi animam duplici honore præcellit hominis conditio, dum dicitur, ad imaginem et similitudinem nostram. Ad imaginem videlicet, ut sit rationalis; ad similitudinem nostram, ut rectus sit, sectando justitiam Dei. Horum altero, scilicet rationalitate carere non potest; alterum, id est divinæ rectitudinis vel justitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest. Sed ea, qua carere non potest homo, facultas rationalitatis, instrumentum est sive oculus quidam ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo inexcusabilis, cum ad similitudinem Dei non pervenerit : quia videlicet bono instrumento, ad hoc, propter quod sibi datum est, uti noluit. Verum cum primum fecit Deus hominem, non solum rationalem, sed et similitudinis suæ fecit honore pollentem. *Deus enim*, inquit Scriptura *fecit hominem rectum, ipse vero implicuit se multis quæstionibus* (*Eccl.* VII) : Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis Dei, sed facultas rationis in eo remansit, per quam revocatam audire, et ad restaurationem sui ducem ac præceptorem valeat sequi.

CAPUT IV.

Quod non dictum sit, ad similitudinem et imaginem nostram, sed « ad imaginem et similitudinem nostram.

Igitur rationalem et sanctitatis suæ participem Deus hanc esse volens creaturam : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Non dixit Scriptura quia dixit Deus : Fiat homo ad imaginem et similitudinem nostram, et factus est homo, sicut dixit : *Fiat lux, et facta est lux*. Quare? Videlicet quia non repente, sed operose agendum erat ut consummatus homo staret ad Creatoris sui imaginem et similitudinem. Angelica namque creatura semel facta jam nec in illis qui steterunt commovebitur nec in illis qui ceciderunt in antiquum restituetur. At vero homo post primam sui facturam casurus, et miserantis recreatione erat innovandus. Idcirco tres personæ quasi mutuo se cohortantur, dicendo: *Faciamus*. Sciendum tamen quod et illa pauciora verba, quibus dictum est : *Fiat lux, et facta est lux*, et hæc plura : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, parem angelorum et hominum electorum dignitatem vel gloriam significant. Nam et electus angelus, quia lux est, ad imaginem et similitudinem Dei factus et perfectus est : et homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus et refectus est, lux est. Et quia uterque rationalis est, ad imaginem Dei factus est; et quia bene constitutus ac Deo subditus est, ad similitudinem Dei factus est. Proinde sicut ille lux, vel angelus lucis; sic et iste lux dicitur et filius lucis. Nihilominus sicut quod dictum est : *Fiat lux*, solos electos angelos Creatori curæ esse innuit, et angelos tenebrarum excludit, quanquam et ipsos creaverit, sic et ista dictio : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, solos eos amplectitur quos prædestinavit ad vitam nec illos admittit, qui superflue de vitiata postmodum radice super numerum nasciturі erant. Itaque si quæratur cur intulerit Scriptura Deum sic dicentem : *Fiat lux*, dum dicere posset : Fiant angeli, vel fiant spiritus? interrogamus cur hoc totum dixerit idem Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, cum dicere posset solummodo : Faciamus hominem, et intellectui communi sufficere posset ad indicandum, quod eam, quæ nos sumus, substantiam significaret. Paria namque sunt, ut utrique recte respondeas, quod ad os Domini non pertinuerit mandare de illis quos ipse nescit. Nullo autem nomine solos qui ad se pertineant melius exprimere debuit angelos vel spiritus, **24** quam nomine lucis; nulla nihilominus definitione illos homines quos prædestinasset ad vitam æternam, melius designasset quam ista : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Igitur hic et illic suos angelos, suos homines congruis Deus vocibus, in Scriptura sua, per hunc interpretem suum expressit, et ab aliis, qui ad se non pertinent, sufficienti sermonis parcitate distinxit. Nunc jam litteræ ordinem prosequamur.

CAPUT V.

De præsidatu hominis, quod dictum est, « Et præsit volatilibus cœli, et piscibus maris et bestiis terræ. »

Cum dixisset Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, continuo subjunxit : *Et præsit volatilibus cœli et piscibus maris, et bestiis universæ terræ atque omni reptili quod movetur in terra*. Hæc divinæ dictionis pars latius patet quam illa quæ prædicta est, *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Omnem enim hominem complectitur. Unde enim piscibus maris, et volatilibus cœli, bestiis quoque et reptilibus terræ, homo præest, nisi ex eo quod ipse rationalis est, illa autem irrationalia sunt : hæc nempe differentia multum omnibus illis hominem præponit, quia non quomodocunque illis præest, ut solummodo dignior sit, sed ita etiam, ut omnium illorum naturas domare possit. Ergo ad hoc ut illis præsit homo, rationalem illum esse satis est. Verum illud nimis certum est, quod maxima pars hominum cum ratione polleat, a similitudine Dei vacui sint, et cum omnibus animan-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tibus, ut jam dictum est, omnes utpote ad imaginem Dei facti præsint, Deo sunt rebelles, et non subditi quam plurimi, unde et longe sunt a similitudine Dei. Itaque quod dictum est, et præsint volatilibus cœli, et cætera, latius excedunt dictionem illam : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, quia videlicet jumentis omnes homines præsunt; ad imaginem autem simul et similitudinem Dei, soli electi facti, imo et perfecti sunt. Præsint igitur natura homines jumentis, ipsi autem hominibus gratia præsint homines Dei. Imo quia cum in honore essent non intellexerunt, comparentur pro vitio suo homines jumentis (*Psal.* XLVIII) : qui autem dignitate naturæ suæ Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, similes Deo sint, filii Dei nominentur et sint, ut Joannes apostolus ait (*I Joan.* III). Sequitur :

CAPUT VI.

Cur subsecutus scriptor non dixerit, et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; sed tantum « ad imaginem. »

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. Quidnam id est, quod scriptor iste cum retulisset Deum dixisse : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, subsecutus unum ex his duobus omisit, dicendo : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum?* Nunquid casu vel oblivione tam magna parte conditionem hominis in suo sermone diminuit, quam in Dei dictione tam nobiliter utraque parte extulit? Non utique, sed scienter quid Deus intendisset, in verbis ejus expressit, et quid accepisset ipse in suo sermone prudenter observavit. Cum enim diceret Deus : *Faciamus hominem*, ipse utique illum ad imaginem et similitudinem suam facere intenderat : cum autem hoc ipse scriberet, homo per peccatum Dei similitudinem amiserat. Et quidem noverat iste quod illud Dei propositum nullus avertere posset, et in hac fide vel scientia, dum respiceret in eum Dominus, facies ejus splenduerat (*Exod.* XXXIV), verumtamen certa nondum persona consurrexerat, in quam absque ulla contradictione recuperata monstraretur illa divinæ similitudinis gloria, quæ in illa primi hominis persona deperierat. Erant sancti, erant homines justi quorum ex præcipuis erat hic ipse Moyses, sed nonnisi ex fide et spe venturi hominis, qui sic ad imaginem Dei et similitudinem fieret nascendo de virgine, ut in filios Adæ perditam Dei similitudinem refunderet, ubi sibi consimiles suosque filios efficeret, abolita vetere, reddita nova origine. Proinde ergo, cum scripsisset dixisse Deum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, hoc solummodo subscripsit : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*, ut subaudias, recreaturus aliquando ad similitudinem suam; nam illum quodammodo nondum fecerat ad imaginem et similitudinem, sed tantum ad imaginem suam, qui evanuerat et perdiderat illius similitudinis gloriam. Notandum quippe quod quæcunque Deus fecisse dicitur manent, et quibuscunque nomina posuisse scribitur, stabilia sunt. Dictum est quia fecit Deus firmamentum, et vocavit cœlum, et ipsum manet : dictum est, quia plantavit paradisum, et ille manet; sic, etc. Econtra, quæ moventur in terra et in mari non manent, sed semper aliis succedentibus alia accedunt, et idcirco cautum est ut non diceret Scriptura : Dixit Deus, fiant reptilia maris et bestiæ terræ, quorum esse cito præterit, sed dixit Deus : *Producant aquæ reptilia, producat terra jumenta vel bestias.* Et recte, manent enim ipsa producendi natura. Itaque certo tenore servato, dictum est : quia *creavit Deus hominem ad imaginem suam*, quod jam ita factum fuerat, ut deesse vel deficri non possit, rationalis enim est homo et æternus, quia factus est ad imaginem Dei : non dixit hoc totum, et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, quia nondum factum fuerat, ut mutari non potuisset.

CAPUT VII.

Quod mulier, æque ut vir, ad imaginem Dei facta sit.

Porro, cur hoc ipsum secundo repetiit, dicens : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, ipse statim aperuit subjungendo : *Masculum et feminam creavit eos.* Nam quia homo non unius tantum, sed utriusque sexus nomen est, et uterque sexus ad imaginem Dei creatus, quia uterque rationalis et æternus est, recte propter sexus duos, duplicem posuit enuntiationem creationis secundum imaginem Dei. Proinde *vir* quidem, ut cautissime ait Apostolus, *non debet velare caput, quoniam imago de gloria est Dei* (*I Cor.* XI): subsecutus, adjunxit idem : *Mulier autem gloria est viri* (*ibid.*). Non dixit, mulier imago et gloria viri est, sed *mulier* inquit, *gloria viri est.* Et causam reddens : *non enim*, inquit, *vir ex muliere est, sed et mulier ex viro* (*ibid.*). Etenim mulier æque ut vir imago Dei est, verum pro conditionis causa vel materia, mulier quædam viri gloria est. Igitur tum secundo repetiit. *Ad imaginem Dei creavit illum*, et continuo subjungit *masculum et feminam* **25** *creavit eos*, aperta significatione innuit quod tam masculum quam feminam, vel quod non magis masculum quam feminam fecit Deus ad imaginem suam, quia videlicet ibi, sicut ait idem Apostolus, ibi, inquam, ubi factus est homo ad imaginem Dei, non est masculus neque femina, ut verbi gratia, piscibus maris, et volatilibus cœli, cunctisque animantibus terræ magis præsit masculus quam femina.

CAPUT VIII.

De benedictione, qua dictum est : « Crescite et multiplicamini. »

Benedixitque illis Deus, dicens : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur in terra. Hujus benedictionis gratia illud profecto propositum Dei resonat, quod Apostolus intendens, cum dixisset : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

num (*Rom.* VIII), statim subjunxit, *his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*ibid.*). Quod propositum, quia nequaquam malis intercurrentibus averti potuit, pulchra deinde gradatione proventus ordinem ita subter annexuit : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ; quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit* (*ibid.*). Illud, inquam, Dei propositum hæc benedictio commendat, qua solus ad gratiam suam pertinentes, jam ante sæcula præscitos et prædestinatos præ oculis habens, tunc in illis generis nostri primis radicibus masculo et feminæ benedixit, duos tandem in plenitudine temporis vocatos et justificatos magnificabit, dicens illis congregatis et ad dextram suam constitutis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Cæterum superfluitas perditorum non ignorata, sed jam damnata, illic designata est ubi, post peccatum mulieri loquens, dicit idem Deus : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* (*Gen.* III).

A

B

CAPUT IX.

Item quid sit : « Crescite et multiplicamini, » vel in quantum, si non peccassent homines, debuissent multiplicari.

Crescite, inquit, *et multiplicamini* (*Gen.* III). *Crescite*, videlicet virtutum dignitate, *et multiplicamini* numerosa quantitate. *Crescite*, inquam, *et multiplicamini*, subauditur, usque ad cœli regnum, certumque numerum, qui utique solius ejus scientiam non latet, cui *capilli* quoque *capitis* nostri *omnes numerati sunt* (*Matth.* X). Porro quod sequitur, *et replete terram*, commune quidem est electis cum reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterque vivendo replent terram, sed in eo discernuntur, quod sequitur, *et subjicite eam*. Soli namque electi, quorum est terra viventium, hanc terram, quam corporibus repleverunt, libertate animorum sibi subjiciunt, quippe qui solum Deum proponentes, terrena omnia fortiter contemnunt. An et reprobi terram sibi subjiciunt, dum illam aratro vertunt, aut etiam armis capiunt? Ita plane quolibet modo terram subjiciunt, sed hic vel ille subjiciendi modus de benedictione Dei non est, cum econtra propter peccatum dictum sit homini, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Et arma non benedictionis gratia, sed cupiditatis invenerit immanitas. Itaque et hoc dictum est, *et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis universæ terræ, et omni reptili quod movetur in terra*, benedictionis est fructus, qui in electis manifestus apparet : quippe quos terræ vel brutis animantibus, cupiditas subjicere non potest vel poterit, quemadmodum reprobos de quibus scriptum est : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Attamen illi quoque cunctis præsunt animantibus rationis dignitate, præstat, inquam, solummodo ; isti autem non utcunque præsunt, sed etiam dominantur in illo quo Deo pie subditi sunt honore. Et hæc benedictio primis hominibus data crementi et multiplicationis causa effectiva est. Cæterum fuere nonnulli qui putarent eosdem homines non fuisse generatos, nisi admisso peccato fuissent ejecti de paradiso. Illi procul dubio quod valde absurdum est, Deo volenti ut homines nascerentur, peccatum hominis existimant fuisse necessarium, quasi non potuisset ipse talem ejus facere naturam quæ generaret, nisi adjuvisset peccatum. Verum contra hæc longa dissertatione opus non est, cum dicat Deus : *Crescite et multiplicamini et replete terram*, cujus dictio naturæ compositio est, nec solum naturæ hominis ad generandum, sed etiam naturæ terræ ad germinandum ; suavius est hoc sentire quod si homo non peccasset, tam multa tamque vitiosa progenies de carne ejus non pullulasset, sed solum prædictæ benedictionis fructum, id est, electos omnes et solos germinasset, non more jumentorum ruendo in libidinem, sed rationis imperio per mundam carnis naturam ædificando prædestinatam cœli progeniem. Peccatum quippe generandi naturam non ademit, sed generationis instrumenta corrupit ; et generi honorem eripuit. Consideremus cur oportuerit jumentis medullitus inseri libidinis ardorem, et indubitanter agnoscemus non pertinuisse ad hominem, ut eumdem ad generandum acciperet, in carne sua monitorem. Nempe quando dixit Deus cæteris animantibus : *Crescite et multiplicamini*, et replete aquas maris, avesque multiplicentur ex eis, ipsa non intellexerunt quid vellet Deus, vel quod posset de commistione masculi et feminæ propagari cujusque ipsorum genus. Propterea necessario monitorem acceperunt, urentem carnis suæ stimulum, ut insiliat masculus in feminam rabido libidinis turbine, nulla conscientia posteritatis propagandæ, sicque Creatori scienti serviat bruta ignorantia creaturæ. Verum homo rationalis est, et proinde si Creatorem dilexisset domumque ejus pia charitate ædificare voluisset, nullo alio monitore indiguisset ; sciens enim et prudens cœlesti reipublicæ militaris cives gigneret, et ad hoc opus carnis suæ ministerium eadem pietate impenderet, qua nunc linguam vel vocem suam ad hoc impendit sacerdos vel pontifex, ut male natos huic mundo, Deo per Christi gratiam bene regeneret. At ille spiritu depravatus diabolico, non Deo generare, sed sicut Deus ipse voluit esse ; tanta perversitate abductus, ut mallet ad honorem vel nomen suum, quam ad gloriam Creatoris sui filios facere. Non enim arbitrandum est illud promissum serpentis, quod dixit, *critis sicut dii* (*Gen.* III), sic esse dictum ac si diceretur, critis sicut angeli, cum præsumptionem ejus et vanam spem gravissima Deus ironia percutiens **26** dixerit, *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, eamdem in se uno pluralitatem personarum indicans, quam et supra cum diceret : *Faciamus homines ad imaginem et similitudinem nostram*. An ille ad honorem Dei generare cuperet, et non potius a generationis opere vacare mallet, qui ipse sicut

C

D

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus esse appetisset? Recte ergo Deus vindex adversus contumacem insurrexit, et bestialis arma libidinis in adversarium conjecit, ut serviliter vinctus et catenatus in pœna et verecundia sua generet, qui in honore et charitatis deliciis Deo generare potuisset. Cujus libidinis tumultum barbaricum, quoties eruditus quisque sentit, recte illud cum Psalmista clamat et dicit : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam, non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ* (*Psal.* XXXVII), etc. Sed de his vel hujusmodi locus postmodum opportunior ad loquendum erit. Nunc illud dixisse satis est, quod non per peccatum, sed per Dei benedictionem generandi usus homini datus sit, et per illam missos fuisse solos electos generari vel nasci, ita ut quandoque absque transitu mortis in æthereum translati paradisum beatis consocientur angelis in gloria, quam prævaricator angelus perdidit.

CAPUT X.

De eo quod dictum est : « Ecce dedi vobis omnem herbam etc., ut sint vobis in escam. »

Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universum lignum quod habet in semetipso semen generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Factumque est ita, sicut de homine loquens quem creavit Deus ad imaginem suam dixit, quia *masculum et feminam creavit eos*, et non dixit quomodo vel quo ordine prius virum, et deinde mulierem fecit de viro, sic et nunc eadem narrat Scriptura communiter homini cunctisque animantibus terræ dixisse Deum : *Ecce dedi vobis omnem herbam semen afferentem super terram, et universum lignum quod habet in semetipso semen generis sui, ut sint vobis in escam*, et dicit, quod ligna non qualiacunque, sed ligna paradisiaca, quæ cunctas hujus sæculi longe superant divitias, homini dederat ad vescendum, et quod unum ex omnibus eidem interdixerit. Nondum enim plena historia est, sed distinctio dierum, qua certe et clarissime operis Dei distinguuntur species, quibus explicitis tunc demum cæteris omissis, historia de homine ordienda est. *Ecce*, inquit, *dedi vobis* hoc sane datum Dei, naturæ positio vel constitutio est. Nec enim sola hominis ratio sapit, sed et gula ejus, et cunctorum animantium avida natura sentit, quod hæc sibi in escam data sunt. Appetunt quippe motu naturali ita ut videas maxime in gulosis avibus stomachum quoque ad guttura hiantia subsilire, dum festinant ad oblatam rapiendam escam sibi datam, natura teste. Itaque dicendo, *ecce dedi*, non herbam omne lignum digito ostendit, sed naturalem eorum appetitum animantibus in stomacho istorum fundavit, nec solum animantibus, quæ animantia sive animalia notum est esse vel dici, sed etiam in vermiculis, quæ usus publicus animantia sive animalia nuncupare dedignatur. Proinde non contenta fuit Scriptura dicere, *cunctis animantibus terræ*, sed addidit, *et universis quæ moventur in terra*. Adhuc autem, ne quid deesset, addidit, *et in quibus est anima vivens*. Sunt enim quædam viventia quidem, sed immobilia, quibus solus cessit sensus, cunctis aliis cogitationibus destitutus, quales sunt conchæ maris, aliaque quæ saxis hærentia nutriuntur. Nec ista divinam excepisse providentiam Scriptura indicat, dum non contenta dixisse *et cunctis animantibus terræ, et universis quæ moventur in terra*, addidit insuper, *et in quibus est anima vivens*. Et hæc Creatoris dictio sicut jam dictum est, naturalis appetitus constitutio est. Unde et signanter continuo ait : *Factumque est ita*. Quid enim *factum est ita*, nisi quod secundum dicentis nutum perseverat nascentium et evidentium natura, *producens*, ut ait Psalmista, *fenum jumentis, et herbam servituti hominum* ut educat *panem de terra, et vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet, ut saturentur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit?* (*Psal.* CIII). Aliter namque non viverent, sicut et ipsa herba, sive quodcunque lignum, neque virens, neque pomiferum esse, nisi certatim veluti ore sugens radicibus suis terræ succum traheret. Hoc est commune quidem, sed mirabile cunctis, quæ de terra nascuntur, paratum a Deo convivium, ut maternum terræ succum suis germina ejus radicibus combibant, et in grano herbarum pomoque lignorum, paulatim adultum atque grossatum succum eumdem in ora dentesque traducat cunctorum animantium. Contenta enim esset his epulis natura, nisi consuetudine gulæ, tam in hominibus quam etiam in bestiis soluta crevisset edacitas. Quod gentilium quoque quidam nobilis auctor ita declamat :

. . . . . *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratis,
Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum.
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ,
Discite quam parvo liceat producere vitam.
Non auro myrrhaque bibunt : sed gurgite parvo.
Vita redit, satis est populis, fluvioque, Cereque
(Luc. *an.* lib. IV, *Phars.* 375).

Verumtamen *omnis creatura Dei bona est*, inquit Apostolus, *et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV). Nam ejusdem Dei auctoritas miseris, et nunc infirmioribus quam in paradiso fuissent subvenit hominibus. Loquitur enim Deus ad Noe : *Omnes pisces maris manui vestræ traditi, et omnia quæ moventur et vivunt erunt vobis in cibum. Quasi herbam virentem tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*, (*Gen.* IX), etc.

CAPUT XI.

Quod vidit Deus « cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, » et cur non dictum, Vidit hominem quod esset bonus.

Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona ; in homine terrenarum omnium rerum præside cuncta quæ hactenus facta sigillatim compla-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cuerant, nec simul universali bonitatis laudatione decorata sunt, dicente Scriptura : *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Et notandum, quod licet homo divinæ sit capax bonitatis, utpote rationalis, non tamen dictum est : Et vidit Deus hominem quod esset bonus, sicut dictum fuerat, *et vidit Deus lucem, quod esset bona*, quia videlicet homo qui non intellexit, quod sibi adhærere Deo bonum esset, nondum singularem laudem meruerat. Attamen et hic, et cætera quæ tantus Opifex fecerat secundum **27** sapientiam ejus, dicta sunt valde bona. Et recte in ultima hominis creatione, cuncta collaudata sunt. Nam et propter hominem cuncta hæc sub firmamento cœli facta sunt, et omnium essentias in se homo continet, et adhuc uno, quod optimum est, rationalitatis privilegio cuncta superat. Nam ut essentiarum incrementa manifestius pateant, jam a principio mundanæ hujus creationis, repetendum est firmamentum, dividens aquas ab aquis : est quidem, sed esse ejus soli ex omnibus sensibus visui subjectum est. Terra vero est, et esse ejus visu simul et tactu comprehensivum est. Luminaria sunt, et esse illorum et visu nostro, et calore suo noscibile est, insuper et semper in motu est. In motu, inquam, locali, non simpliciter, ut firmamentum, neque ut terra in motu mutabilium qualitatum, sed in motu locali secundum duplicem modum. Nam et motu firmamenti quotidie circumferuntur, et præter hoc sicut jam superius dictum est, incessanter currendo propriis motibus in circulos suos reflectuntur. Horum esse animantium essentia superat, quippe quæ non solum nostris subjecta sunt sensibus, sed et ipsa funguntur quinque sensibus, visu, auditu, gustu, odoratu et tractu. Homo tandem super hæc omnia et supra quinque sensus corporis, hoc etiam habet, quod ratione utatur. Igitur in eo cui cuncta hæc subjacent, et qui dignitate præest omnibus, recte cuncta complacent, et valde bona judicantur.

CAPUT XII.

Item de die sexto, et quid sit dies sextus.

Factumque est vespere et mane dies sextus. Recte a spiritu timoris, ut jam dictum est, sexto loco spiritus intellectus per prophetam constituitur (*Isa.* XI), quia videlicet hic a judicio superborum atque damnatorum angelorum sexto loco, id est sexto die, homo, in quo manifeste viget intellectus, creatus invenitur. Magnus hic dies magnum atque longum mundo atque angelis, et hominibus spectaculum præbet. Etenim per hujus creationis opus, principatibus et potestatibus in cœlestibus maxime innotescit multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). In hoc hactenus, et ex hoc nunc et usque in sæculum mirabilis est Deus, mirabilis et gloriosus, terribilis atque laudabilis, et faciens prodigia quæ nos miremur. Sed prius diem septimum huic sexto superpositum aspiciamus, de quo protinus subditur :

CAPUT XIII.

De die septimo, et quid sit dies septimus.

(Cap. II) *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab omni opere suo quod patraverat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Istæ generationes cœli et terræ quando creatæ sunt, in die quo creavit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Tota hæc littera diem septimum commendat. Et quis iste sit dies, jam superius in initio dierum dictum est, videlicet, quia primus est dies, et quia cæteris diebus non tanquam minor postpositus, sed ut longe dignior superpositus est. Etenim dies iste splendor paternæ gloriæ, lux lucis, et fons luminis, dies dierum illuminans, sol ipse verus et indeficiens, dies non factus, sed omnem diem efficiens. Hujus diei proprietas vel propria dignitas diligenter nobis hoc loco spectanda est. Primum hoc a cæteris diebus differt, quod vespere et mane non habet, nec enim dixit Scriptura, quia factum est vespere, et mane dies septimus, sicut dixerat : *Factum est vespere et mane dies sextus ; factum est vespere et mane dies quintus*, similiterque de cæteris omnibus. Sed nec hoc saltem dixit, et factus est dies septimus. Sic omnino dicendum fuisse (ut dictum est) catholica fides consentit. Dies enim iste natus non factus est : genitus, non creatus est. Quomodo ergo vespere et mane haberet, vel quomodo factus recte diceretur ? Nam de singulis quidem cæterorum dierum erat, quando non erat, recte dicas, quia videlicet erat vespere quando non erat, et factum est mane, quando quilibet eorum cœpit existere. At vero de hoc die dicere, erat quando non erat, vel putare quod ulla eum vespera præcesserit, aut quod unquam mane novum essentiale ejus fuerit, hæreticorum est. Nam catholica fides nihil aliud de hoc die novit, nisi quia est. Igitur magna hujus, cæterorum dierum quoque in hoc distantia est, quod de illis sic dicitur, *factum est vespere et mane dies unus, dies sextus :* Hic autem repente quippe qui factus non est, sed erat, et est ante omnes, sic infertur : *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit*, etc.

CAPUT XIV.

Item de differentia diei septimi et cæterorum dierum.

Deinde et hoc a cæteris diebus iste differt, quia cæterorum dierum opus in illo completum est. Sic enim ait : *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere suo quod patrarat.* Et notandum diligenter quod non dictum sit : Complevitque Deus die septimo omne opus suum, quod fecerat ; sicut dictum est protinus *et requievit ab omni opere suo quod patrarat* : sed *complevit*, inquit, *Deus opus suum, quod fecerat.* Etenim non omne opus Dei quod fecerat ipse hoc felici et glorioso die completur, sed solum rationalis creaturæ opus, gloria ejus impletur. Denique non hoc firmamentum vel cœlum, non mare et arida, non terra germina sive plantaria, non sol et luna, non reptilia maris, sive volatilia cœli, non jumenta, aut bestiæ sive reptilia terræ, sed sola rationalis creatura, id est angelica

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lux, et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, sanctam hujus diei claritatem intuentur. Bene ergo non dictum est, complevitque Deus die septimo omne opus suum, sed, *complevit die septimo opus suum, quod fecerat*, quoddam opus suum, quamdam creaturam suam, rationalem creaturam suam quam fecerat. Requievit autem ab omni opere suo quod patrarat. *Ab omni*, inquam, *opere suo requievit*, quia nullam deinceps novam creaturæ speciem fecit : quoddam autem opus, id est angelicam creaturam, jam tunc in hoc septimo die complevit, in quo et ipse requievit, quandoque completurus eodem die eadem felicitate sapientiæ præelectam, et ex illis duobus, masculo et femina, nasciturum multitudinem humani generis. Quæ est enim completio creaturæ rationalis, nisi videre æternaliter sive immortaliter claritatem hujus diei ? Eo namque tendit tota prædestinatio Dei super his quos præscivit, tam hominibus, quam angelis, **28** quicunque secundum propositum ejus vocati sunt sancti, ut conformes eos faciat imaginis Filii sui (*Rom*, VIII). Hoc tamen differentia ut ille, quia unigenitus, idcirco et primogenitus in multis fratribus sit. Ibi plane completur opus Dei, ubi isti per quem facti eidem sunt reformati. Hoc est principium, et hic finis operis. Unde dicit ipse sic : *Ego sum* A *et primus et novissimus, initium et finis* (*Apoc.* I). In illo die suo tantus operarius Deus requiescit, sanctos jam dudum angelos participes habens suæ requietionis. Illo namque in die firmati, illo in die remunerati, et in suo quisque ordine glorificati sunt.

CAPUT XV.

De novem ordinibus angelorum.

Sunt enim eorum novem ordines ex authenticis Scripturis nominati, scilicet, angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim, atque seraphim. Quorum ad societatem quia constat electos homines colligi, unumquemque in suo ordine, et eisdem sanctis angelis similes fore, alios aliis secundum diversos ordinationis eorum gradus differentiasque claritatis, quæ intelliguntur ex ipsorum ordinum nominibus præscriptis, consequens esse putant plerique, quod de angelorum ordinibus cunctis peccantes angeli ceciderint, quod nulla Scriptura prodit. Quasi vero aliud sit, sanctos angelos firmari, aliud novem ordinibus distingui ; verbi gratia : Si antequam firmati fuissent electi spiritus, illi jam erant, alii throni, alii autem cherubim, et alii seraphim, quid post hæc pro firmamento acceperunt ? Quid enim huic firmitati vel firmamento potest adjici, quod est incendium divini amoris, quod intelligitur per nomen seraphim : vel in quo potest altius creatura firmari, quam in eo ut sit thronus Dei ? Ergo non antequam caderent apostatæ angeli, jam erant ordines distincti : sed illis cadentibus, isti qui permanserunt, in ea qua firmati sunt remuneratione sunt et ordinati, novemque ordinibus distincti. Alioquin non jam decem tantum, sed undecim drachmas illa evangelica mulier (*Luc.* XV) habuit, et non una tantum, sed duæ perditæ fuerunt, et cæteræ quoque diminutæ sunt, si angelorum jam ordinatorum unus ordo cecidit, et de cæteris ordinibus partes secum abstulit. Sed absit hoc, nam decem tantum drachmas habuit sapientia Dei, et ista quæ requiritur, antequam perdita, imo et antequam creata fuisset, secundum præscientiam vel prædestinationem Dei et decima et una erat ex illis. Igitur sanctorum ordines angelorum in Sabbato sunt, et ex eo throni, dominationes, principatus, et potestates, virtutes, cherubim, et seraphim sunt, ex quo requieverunt, et eodem die quo requievit Deus, ipsi quoque beata requie completi sunt, quam in requiem quisquis semel introierit, non laborabit in æternum.

CAPUT XVI.

De eo quod dictum est : « Benedixit diei septimo, et sanctificavit illum. »

Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Dubiumne hoc est, quod hunc æternitatis diem Pater benedixerit et sanctificaverit ? Primus ipse benedictus et sanctificatus dicit Judæis : *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum ?* (*Joan.* X.) Numquid hoc sine auctoritate vel testimonio Scripturæ dixit ? Plane sicut interrogatus ab eisdem Judæis dicentibus : *Tu quis es ?* ad hanc Scripturam respexit, et dixit : *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII) : in principio quippe non alio quam in Verbo suo creavit Deus cœlum et terram. Sic nihilominus cum dixisset : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X), dicentibus illis, quod blasphemaret, et hanc respiciens Scripturam, hæc dixit : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.* Non enim sic dixit quem Pater misit in mundum, et sanctificavit, ne dictum putes, de benedictio, ne assumptæ carnis, sive sanctificatione humanæ naturæ quam assumpsit, sed sanctificavit, inquit, et deinde misit in mundum. Et Propheta in psalmo, venturum esse hunc diem, et illuminaturum omnem mundum. *Hæc est*, inquit, *dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.* Et continuo : *O Domine, salvum me fac, o Domine bene prosperare : benedictus qui venturus es in nomine Domini* (*Psal.* CXVII). Hunc diem, quem fecit Dominus, benedictum dixit, eumdemque venturum esse in nomine Domini, de quo clarum certumque est, quia jam venit. Et subinde gratulabundus : *Deus*, inquit, *et Dominus*, subauditur est hic dies, *et illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris* (*ibid.*), id est vacate a servili opere peccati, contemplando *in condensis*, id est multiplicitate bonorum operum, hunc diem esse principem altaris, qui cum sit Deus, et Dominus, recte debeat adorari. Quid ergo, inquis ? Nonne et cunctos dies, qui jam ante hunc septimum diem descripti sunt, idem Dominus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fecit? Nam nisi aliter fecisset alios, et aliter hunc, quomodo diceret, de isto solo : *Hæc est dies quam fecit Dominus*, manifeste propriam hanc ejus esse volens differentiam, quod eum fecit Dominus. Fecit plane, sed aliter hunc, atque aliter illos fecit. Nam alios creando, hunc autem diem de semetipso fecit pigmendo, videlicet quomodo diem visibilem hunc facit hic visibilis sol. Non facit enim extra se operando, sed de se ipso splendorem emittendo. Igitur iste dies quem fecit Dominus, qui tunc quidem, quando Propheta hæc quæ prædicta sunt de illo scripsit, venturus erat, nunc autem benedictus jam venit in nomine Domini, ipse est quem fatemur Filium Patris, ante sæcula benedictum, *qui est*, ut Apostolus ait, *Christus super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Benedictus, inquam, et sanctificatus : Pater enim illum, ut jam dictum est, sanctificavit, et misit in mundum

CAPUT XVII.

Quæ sit illa requies diei.

Quid autem erat opus dici vel scribi, quod hunc, in quo totius benedictionis et sanctitatis summa consistit, Pater benedixit et sanctificavit? Quidnam, inquam, opus erat hoc scribi, nisi ut significaretur quod in isto tali die requiescere non habent maledicti et non sanctificati, quicunque male utuntur diebus terræ et malis. De talibus enim dicit : *Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (*Psal.* XCIV). Et benedictus et sanctificatus est hic dies requiei, lætitiæ, et exsultationis : quia benedictis Dei Patris, sanctificationem spiritus **29** custodientibus, paratus est ab origine mundi (*Matth.* XXV). Sciendum tamen quod in illo die tam bono, tam felici, aliter nos, aliter Deus requiescit. Nos enim vere lassi, vere peregrini et captivi, soluta captivitate præsenti, respirabimus illic, sicut consolati : et hic post labores et onera reficiemur, invenientes requiem animabus nostris. At vere Deus in illo die sic requiescit, ut tamen nunquam laboraverit, quippe qui dixit tantum, et omnia facta sunt. (*Psal.* CXLVIII). Quid ergo est, Et requievit Deus in die isto, nisi quia comparatio diei hujus ad cæteros facta est? Nam appende dies omnes supra scriptos, et præter duo, scilicet, præter angelum et hominem, nihil est quod in seipso noverit parare locum Deo. Et in istis quidem inhabitat Deus, sed oportet ut prius sibimet in illis mansionem paret ipse Deus, ut in brachio suæ fortitudinis operetur, et gratiam construat, in qua ad requiescendum nominis sui gloria digne collocetur. Nullus enim angelorum vel hominum aliter, nisi per operosam ipsius gratiam, habitationi ejus fit idoneus. Operatur itaque in illis ipse primus, et antequam domus vel mansio sua perficiatur quasi laborat, unde et lassabundus querelam depromens : *Laboravi*, inquit, *sustinens* (*Isa.* I). At vero solum hunc diem, id est unicum Filium suum, sicut non creavit, sed genuit, ita nec accidentali dono bonum fecit, sed essentiali bonitate bonum semper habuit, solusque hic est, in quo justificando nihil omnino laboravit, aut profectum ejus exspectando, patienti, patientiam aliquando habuit. Ad creandos angelos et homines sapientiæ suæ impensas contulit, et propter illos salvandos sive discernendos, misericordiam et judicium, hinc et inde magnis impendiis ædificavit, ut totus miratur orbis, et universa jam dudum magnificat curia cœli. In isto solo nihil unquam fuit quod resisteret ei, sive illa in sinu ejus pausavit, sive militaturus jussu ipsius naturam nostræ carnis induit. Igitur hic unus est, in quo Deus requievit, et sic super nos requiescit, non nisi pro quanto conformamur huic, pro tanto super nos requiescit. Ait itaque hæc sacrosancta non hominis, sed digiti Dei Scriptura : *Et requievit Deus die septimo ab omni opere suo quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.*

CAPUT XVIII.

Quod non dictum sit, Ab omni opere suo quod creavit Deus et fecit, sed, « Quod creavit ut faceret. »

Magna ad hæc etiam nolentibus vel dissimulantibus : magna, inquam, hic et mira sententia ingeritur, ita dicendo, quia *in ipso cessavit ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret*. Non dixit ab omni opere suo quod creavit aut fecit, sed *quod creavit ut faceret*, quia videlicet antequam in illis diebus essentiarum, quæ supra distinctæ sunt, omnia faceret, in isto septimo die creavit, creavit, inquam, cœlum et terram antequam faceret, creavit omne virgultum agri antequam oriretur. Ergone, inquis, prius creavit, quod post faceret? Plane ita est. Hunc enim littera sensum ingerit, et auditorem cogit. Quod si non audisti, si forte dormitasti, ipse protinus scriptor interrogationis suæ manu te vellit atque percellit, et quod interrogare tu debueras, interrogat dicens : *Istæ generationes cœli et terræ, quando creata sunt?* Et continuo respondet : *In die quo creavit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur, omnemque herbam virentem antequam germinaret*. Bene ergo et excellenter dictum est, *quod creavit Deus ut faceret*. Nam, ut sæpe jam dictum est, quod factum est in ipso vita erat. Proinde cum dicitur : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII), subaudiamus, antequam faceret. Sic etenim hic habemus, *creavit ut faceret*, creavit, inquam, omnia simul in sua sapientia, ut unumquodque illorum in sua propria faceret essentia. Nam ne putes sic esse dictum, creavit omnia simul, ut intelligendum sit, repente in propriis speciebus vel formationibus constitisse omnia simul, nec herba virens, nec ligna pomifera cœlo et terra vel uno momento minora exsisterent. Sequitur, ut dicit. *Non enim pluerat Dominus Deus super terram et homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ* (*Gen.* II). Ergo cum jam essent cœlum et terra, nondum statim erat omne virgultum agri, et omnis herba virens, sed paulatim creverunt eadem virgulta

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

agri, quæ sponte nascuntur, et operante homine germinavit humus multa, quæ non sponte produceret hæc terra peregrinationis ejus. Igitur hic dies benedictus et sanctificatus ille est, in quo creavit Deus omnia simul, omnia in illo præsentia videns simul, quæ distincte esset facturus, et in illo requievit in quo creavit, per quem omnia fecit. Et hic dies septimus sapientia nominatur et est, unde in sæpedicto propheta, septimus a timore spiritus sapientiæ ponitur (*Isa.* XI). Proinde ipsa Sapientia sic loquitur *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, a principio ab æterno ordinata sum et antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; nondum fontes abyssi eruperant, nec montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar* (*Eccli.* XXIV). Et post pauca : *Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Ergo non tunc primum, postquam omnia facta sunt, in hoc dies suo Deus requievit, sed antequam quidquam faceret, requiescebat in illo tali requie, qualis recte vocetur ludus et deliciæ sapientiæ. Per singulos dies ludebat ista sapientia, et per singulos ludos videns et delectatus Deus dicebat, Quia bonum est. Sic enim scriptum et supra dictum jam est, quia *vidit Deus quod esset bonum*, et quia *vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, multum sibi ipsi in ista sapientia artifex Deus complacebat. Hinc est illud, quod cum baptizaretur hæc ipsa sapientia incarnata, tali illam voce testificando declaravit : *Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui* (*Matth.* III). Non dixit, in te mihi complaceo, ne putes hoc solum placere illi, quod inciperet nondum salvare in illo, quanquam hoc opus magnæ laudis sit, sed *in te*, inquit, *mihi complacui*, contestans, quod hic ille sit per quem cum faceret omnia, complacebat sibi per singula bonos operarius videndo quod esset bonum. Ipse qui incarnatus est, qui venit benedictus in nomine Domini; ipse, inquam, dies septimus est, in quo Deus requievit, in quo priusquam faceret omnia creavit, non alius quam Verbum Dei, Verbum Deus, filius Dei unigenitus.

30 CAPUT XIX.

De lege Sabbati carnalis.

Proinde lex etiam Sabbati carnalis, lex fuit sancta et justa, et bona (*Rom.* VII). Nam sicut signum circumcisionis incarnationem, et immolatio paschalis agni passionem futuram prædicabant ejusdem unigeniti Filii Dei, sic et Sabbatismos ille requiem annuntiabat, quæ post hanc vitam reposita est sanctis et electis, ubi Deus in luce sapientiæ suæ requiescit, qui et ipsam requiem illis pro mercede præparavit. Porro spiritualis homo non uno die hebdomadis, sed omni tempore sabbatizare satagit, semper intentus verbo Dei, juxta Psalmistam, qui de hoc sabbato loquitur : imo per quem loquitur ipse Sabbatorum Dominus : *Vacate*, inquiens, *et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Vacate namque a sæculi actibus et in sancto et quieto studio videte quoniam Dominus est Deus, illius inchoatio Sabbati est, quam et contemplativam vitam dicimus, quam optimam partem esse testatur ipsa Veritas : *Maria*, inquiens, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Cujus suavitatem jam in præsenti suis amatoribus dulciter aspirantem sciens idem Dominus alibi loquitur : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* I). Hactenus sex diebus generationum cœli et terræ dinumeratis, cum septima quæ est requies Dei, nunc denum ad sextum, id est ad hominem, Scriptura redit, historiamque orditur ab ea quam superius jam attigit, conditione ejusdem hominis. Nam sequitur :

CAPUT XX.

Quod hominem Deus de limo terræ fecit, et de eo quod dicit Apostolus : « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? »

Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Supra jam dixerat, quia creavit Deus hominem, sed non dixerat quomodo et unde fecit eum. Dixerat, quia *masculum et feminam creavit eos*, sed non dixerat quod feminam fecit de masculo. Et quidem de creatione masculi, et feminæ si nihil amplius diceret, quam quod supra dixerat *masculum et feminam creavit eos*, forte et de isto similiter opinaremur, quod ita Deus masculum et feminam creaverit simul, ut neuter altero prior crearetur, repente exorti, mutuos sibi præbuerint conspectus : sicut, verbi gratia, de sole et luna hodieque inter doctos diversa sententia est : aliis dicentibus, quod lunam creans Deus, statim plenam ostenderit, soli opponens remotam dimidia parte cœli ; aliis e contra asserentibus, quod utrumque ut simul fecit, ita et in coitu posuerit, ut paulatim luna de sublatere solis emergeret, cum cremento mutuati luminis. Sublata est hujusmodi dubitatio historica narratione, quæ sic inchoatur : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ.* Solum namque masculum hic intelligi oportet, quia postmodum de masculo femina formata est. *Formavit*, inquit, *de limo terræ.* Duo dicta sunt, quæ et diligenter advertere operæ pretium est, quia videlicet formavit, et non undecunque, sed de limo terræ formavit. Hoc namque (sicut dignum erat) perpendentes homines sancti, pulchra plasmata in gloriam et honorem præparata, hunc ipsum Creatorem suum plasten, seipsos autem lutum appellaverunt, eleganti confessione, lacrymosa declamatione. *Et nunc Domine*, inquit Isaias, *tu Pater noster es, et nos lutum : et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos* (*Isa.* LXIV). Et ad Jeremiam loquitur idem plastes noster Deus : *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

domus Israel (*Jer.* XVIII), etc. Ostenderat enim illi figulum facientem opus suum super rotam. *Et dissipatum est*, inquit, *vas quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum sicut placuerat in oculis ejus ut faceret* (*Isa.* XLV). Hinc idem qui supra dicit Isaias : *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samiis terræ* (*ibid.*). Hæc et illis similia sciens ille jurisperitus cœlestis Paulus ait : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid potest figmentum dicere ei qui se finxit : Quare me fecisti sic? Aut nunquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX.) Itaque et nos cum legimus quia formavit Dominus hominem de limo terræ, non discutiendum nobis est cur ita fecerit, sed potius illud timendum unicuique nostrum de seipso, ne vas quod fecit ipse, dissipetur in manibus ejus, et, hoc abjecto, faciat aliud vas, sicut placuit in oculis ejus ut faceret. Attamen sobrie quærere, id est, mirare licet cur Deus posset ruinas angelorum novis angelis reædificare et totidem quod ceciderunt simul creare et in cœlum levare, ut unius generis esset plebs cuncta, omnisque nobilitas cœlestis patriæ? cur homines alterius naturæ vel conditionis fecit, quos reponeret pro angelis, et non cunctos aut multos simul, sed unum tantummodo plasmavit, de quo propagarentur cæteri? Hoc, ut prædictum est, et similia sobrie quærentibus nobis non incongruit, neque propter nos facta vel dicta est illa Apostoli objectio : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* nec illa sententia Domini, qua propter irrisores dictum est apostolis : *Nolite margaritas vestras mittere ante porcos* (*Matth.* VII). Quærimus enim non alta sapientes, ut Deo respondeamus, aut judicia ejus comprehendere præsumamus, sed ut appropinquantes pedibus ejus, de doctrina illius accipiamus. Unde et hoc in præsenti responsum accipimus, quo dignum est ut contenti simus, quia quod habuit hoc de thesauro cordis sui protulit omnium artifex Deus. Dicit nobis evangelista de Verbo ejus : *Quod factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I). Nonne ergo qualis in ipso vita erat, talia foris opera fieri oportebat? Eleva si habes oculos, et vide non in angusto theatro, sed in orbe terrarum ludentem, et cum filiis hominum deliciantem Dei sapientiam (*Eccli.* XXIV), et recogita sic ludendo cum filiis hominum, quæ vel quanta fecerit, quæ vel qualia dixerit : Cœli eruditi sunt spectando hoc terrarum circo ejus ludum, vel delicias habitas cum filiis hominum, et aliquis homuncio fastidit quasi ludum superfluum? Nempe ex hoc spectaculo innotuit, ut Apostolus ait, principatibus vel potestatibus multiformis Dei sapientia (*Ephes.* III).

31 CAPUT XXI.

De eodem quod prædictum est, « et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. »

Igitur quia sic voluit, et sic Sapientia dictavit, unum de quo cæteri propagarentur, formavit hominem de limo terræ. De limo, inquam, terræ. Manifestum est hoc, quia secundum corpus homo terra est. *Terra enim*, inquit Dominus, *es, et in terram ibis* (*Gen.* III), et ex hoc satis arguitur terram esse quod in terram it. Sed non itidem aperte innuit Scriptura qualis substantia, vel quæ materia sit animæ (*Eccl.* III). Hoc tantum dicendo : *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Nihilominus et supra cum dicit : *Producat terra jumenta animæ viventis*, materiam corporis jumentorum terram esse satis exprimit; sed non etiam viventis animæ illorum materiam definit, quam tamen dubium non est de aere sumptam in tenues auras rursus dissipari, et ita mori ut non sit. Dicit autem Ecclesiastes : *Idcirco unus interitus est hominis et jumenti, et æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius. Cuncta jacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendit sursum, et si spiritus jumentorum descendit deorsum?* (*Eccle.* III.) Ergo non juxta Platonicos de cœlo cecidimus nos humanæ animæ, sed æqua, inquit Ecclesiastes, æqua, inquam, utriusque, id est hominis et jumenti, conditio est, et similiter spirant omnia. Æqua est conditio eorum, et similiter spirant et unus est utriusque interitus, sed non unus idemque finis. Nam spiritus jumentorum finitur, descendit enim deorsum, id est hunc infimum exstinctus revolvitur in aerem : humani autem spiritus nullus est finis, revertitur enim ad eum qui fecit illum. Dicendo namque, *quis novit*, non ipse dubitat, sed tanquam concionator paucitatem miratur illorum qui hoc attendere curent. Nihil, inquit, habet homo jumento amplius, æqua enim est utriusque conditio, et unus interitus. Quid ergo est ratio qua solus homo insignitur? Quoddam munus, quoddam talentum a Creatore commissum. Quod sentiens etiam quidam auctorum sæcularium, dixit : Infra lunam nihil est nisi mortale et caducum, præter animos munere deorum hominum generi datos. Commissum, inquam, est homini rationis talentum (*Luc.* XIX), quod si bene expenderit, ipse remunerabitur : si autem in terram defoderit, auferetur ab eo, et ipse punietur. Nunquid enim ratio erit apud inferos? *Quodcunque potest manus tua* (inquit idem qui supra Ecclesiastes) *instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas* (*Eccl.* IX); non quia deficere possit hominis rationalitas, sed quia sempiterna illic fatiganda erit insania. Hoc ergo differt spiritus hominis a spiritu jumentorum, quod hic rationalitatem accepit munere Dei, ille autem brutus permansit. Hoc, inquam, differt, quia hic tanquam cera sigilli testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est : ille autem signatus non est. Quam signationem et supra innuit Scriptura dicendo : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, et nunc ubi cum dixisset : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ*, confestim addidit : *et inspiravit in faciem ejus spira-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

culum vitæ. Quid enim est inspiravit, nisi, ut in alia editione habetur, insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ? Nunquid corpus est Deus, et collectum aerem contractis buccis in faciem plasmatis sui insuflasse putabitur? Hoc nempe ridiculum est. Sed *inspiravit* dictum est, quia verbi ejusdem imperio, quo de tenebris lucem splendescere jussit, per quam intelliguntur angeli, substantiam sibi subjectam ipse citavit, et oculos rationis assumere vel aperire fecit, occultisque visceribus plasmati hominis velociter inseruit. Similiter et cum legimus, quia *immisit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et ædificavit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*, subaudiendum est quia inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ambos enim creavit *masculum*, inquam, et *feminam creavit eos*. Isti nempe creati, cæteri qui ex ipsis nascuntur, recte dicuntur procreati. Quorum animas non ex traduce fluere, omnium orthodoxorum una est sententia, ne (quod ridiculum est) tot consequatur quotidie animas perire, quod pereunt semina. Quare ergo, inquis, omnes in Adam moriuntur, si non ex traduce, id est ex viro semen transfundente pariter et animæ derivantur? Ad hæc, inquam : Nunquid auctoritate Dei solus masculus et non etiam femina Adam dicitur? Sic enim scriptum est : *Hic est liber generationis Adam in die quo creavit Deus hominem, masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt* (*Gen.* v). Nam quomodo in Latina lingua homo, sic in illa lingua Adam, de utroque sexu dicitur : Porro quod Latine dicitur *vir*, hoc Hebraice dicitur *Isch* : in quo discretio est sexus masculini : quod autem Latine *mulier*, hoc Hebraice dicitur *Ischa*. Cum ergo Eva concipit, inanimatum quidem prævaricatoris masculi semen suscipit, sed ipsa nihilominus prævaricatrix est, de cujus corpore vivo, semen ipsum vivificatur in genere suo per benedictionem qua dictum est : *Crescite et multiplicamini*. Unde et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo quod esset mater cunctorum viventium, id est quod ex ipsa nascentium vita sumeret exordium. Eva enim transfertur in vitam. Quia vero uterque scilicet, masculus et femina, prævaricator, et uterque Adam est, recte is qui nascitur et moritur in Adam mori dicitur : quia videlicet hæreditate vitæ, quam parens uterque juste perdidit, filius juste privatur.

CAPUT XXII.

Cur hoc tantum dictum sit : « Et factus est homo in animam viventem. »

Igitur hoc dicto, quia formavit Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, dignitas pulchre exprimitur conditionis humanæ, quæ a cunctis longe diversa sit animantibus, tam formatura corporis, quam vivificatione Dei inspirantis. Utrumque perspicuum est. Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cœlum intuetur, terramque calcans pedibus recto pectore incedit, et sidera vel cœlestia regna superne positis meditari commovetur oculis. Animus vero sive spiraculum, quod spiravit Deus in faciem ejus, multarum artium bonarum atque utilium repertor est, ex dono rationis quod sibi collatum est.

Sed eo magis attendendum est, quod subauditur, *et factus est homo in animam viventem*. Hæc enim dictio re quæ supra descripta est, longe minor est. Siquidem jumentum quoque in animam viventem factum est, dicente **32** Deo : *Producat terra jumenta animæ viventis*. Cum autem dixisset Deus. *Faciamus hominem*, addidit, *ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis universæ terræ, et omni reptili quod movetur in terra*, quare ergo tantum honori hujus facturæ detractum est, hoc solum dicente Scriptura : *Et factus est homo in animam viventem?* Videlicet, quia qui factus est homo, rationis dono non bene usus est, et honorem suum non intellexit, sed comparatus est jumentis : recte illi jam formato a Scriptore quasi detractum est illud quo superior est jumentis. Quod sentiens Apostolus : *Factus est*, inquit, *primus homo in animam viventem, novissimus vero in spiritum vivificantem* (*I Cor.* xv). Qui habet aures audiendi, audiat pulchram musicæ hujus consonantiam, id est Scripturarum concordiam, dum hic præcentor ait : *Factus est primus homo in animam viventem*, et alius succinit : *novissimus vero in spiritum vivificantem*. Non ergo casu, sed sancta et prudenti industria primus ille imperfectum emisit canticum, tandiu decantandum donec venirent qui scirent supplere et ad finalem perducere sonum : sicut hodie fit, cum jam in frequenti et celeberrimo usu habemus dicere : *Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem*, addentes adhuc : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes* (*Id., ibid.*). Sequitur.

CAPUT XXIII.

De plantatione paradisi ; et quod homo non formatus in paradiso, sed positus fuerit.

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Jus possessionis Dei pulchre Scriptura defendit, tali verbo utens : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis*. Item et hominis infirmam legem vel causam insinuat dicendo, *in quo posuit hominem quem formaverat*. His namque verbis quodam modo declarat solum Deum (quod verum est) legitimum esse paradisi Dominum, hominem autem in eodem paradiso advenam, et Domini Dei fuisse colonum. Quod idem Dominus populo suo patenter inculcat sub imagine terræ Chanaan, de hoc paradiso voluptatis loquens, quem revera constat esse terram et lacte et melle manantem. *Terra*, inquit, *mea est, vos autem advenæ et coloni mei estis* (*Levit.* xxv). Ergo gratiæ fuit, quod hominem foris plasmatum in paradiso posuit : justitiæ vero, quod datum peccanti rursus abstulit. Cur autem illum in paradiso posue-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rit, postmodum Scriptura dicit, videlicet *ut operaretur et custodiret illum*. *Paradisus* autem Græce, *hortus* dicitur Latine, qui quantæ voluptatis, sive quantarum sit deliciarum, quod Hebraice dicitur *Eden*, item Scriptura statim manifestat cum dicit : *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi.*

CAPUT XXIV.

Item de paradiso, quod vere terræ locus sit.

Sed jam hic antequam in hunc sermo noster paradisum progrediatur, nullatenus prætereundum est, de isto quoque pulcherrimo deliciarum Domini hortulo, scrupulose disseruisse magnos et illustres viros, sensu longe diverso. Nam alii, spiritualem omnino sequentes intelligentiam, narrationem hujus sacræ B Scripturæ negléxisse videntur historicam, tanquam visibilia illa et corporalia non fuerint, sed intelligibilium significandorum causa hoc modo dicta vel conscripta sint, arboresque istas et ligna pomifera sive fructifera in virtutes vitæ moresque convertunt : quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi. Alii vero, consultius Scripturæ veritati adhærentes, hæc inquiunt, et si qua commodius dici possunt de intelligendo spirituali paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen et illius historiæ veritas fidelissima, rerum gestarum narratione commendata credatur. Non enim idcirco non fuerunt duæ mulieres, Agar et Sara, et ex eis duo filii Abrahæ, unus de ancilla et unus de libera, quia duo Testamenta in eis figurata dicit Apostolus, aut ideo de nulla petra, Moyse percutiente, aqua defluxit, quia potest illic figurata significatione etiam Christus intelligi, eodem Apostolo dicente : *Petra autem erat Christus* (*Gal.* IV). Porro, illis qui litteram vel historiam hoc loco prætérire volunt, istud maxime scrupulum movet, quod de quatuor fluminibus ex paradiso fluentibus, duo, Tigris et Euphrates, esse scribuntur. Nam Salustius, inquiunt, auctor certissimus, asserit, tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari, ex quo animadvertimus aliter de paradiso et fluminibus ejus intelligendum. Sed esto. Etiam si Salustius ille auctor certissimus sit, et verum dicat, horum fluminum fontes in Armenia demonstrari : non infirmatur tamen litteræ veritas, quæ dicit paradisi fluvium in quatuor capita dividi, quorum hæc duo sunt. Siquidem omnes aquæ potabiles atque salubres, ubicunque fluant, vel undicunque appareant, de fonte paradisi per occultos meatus originem trahunt, et ex ejus dulcedine hoc habent, ut potabiles sive salubres sint. Nam et supra hoc modo dictum est : *Sed fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ;* superficiem, inquam, quia profecto in superficie patet effectus, sive fructus irrigationis in herbis virentibus, in lignis pomiferis. Hoc denique notandum est, quod non dictum sit, et fluvius egrediebatur de paradiso, qui deinde dividitur in quatuor flumina, sed qui deinde A dividitur in quatuor capita. Nam ille fons universam (ut jam dictum est) terram irrigat; et quemadmodum jecur in corpore animalis, quod dicunt physici fontem esse sanguinis, cunctis venis sanguinem ministrat vitamque animantis hoc ministerio retentat : sic ille fons universam terram per venas occultas vegetat, et in multos redundat fontes et flumina, sed eorum omnium quatuor ista sunt capita, id est principalia flumina. Igitur et fontes horum, scilicet Tigris et Euphrates, sibi libet, in Armenia demonstrentur, et tamen per viam quam novit auctor fluminum Deus, de paradiso secundum veritatem Scripturæ hujus manare credantur.

CAPUT XXV.

Item de paradiso, quod eum plantavit Deus a principio.

Sed quomodo hunc paradisum plantasse dicitur Dominus Deus a principio? Si enim dixerimus, sic esse dictum a principio, quod antequam cœlum et terram faceret, paradisum **33** plantasset, hoc humana ratio sentire non potest, quippe cum paradisus localis et terrenus est locus, imo et quidam terræ ornatus. Et quidem a principio sic intelligi potest, quia (sicut superius jam dictum est) *omne virgultum agri et omnem herbam regionis creavit Dominus antequam oriretur*, vel *priusquam germinaret*, in die quo creavit cœlum et terram, scilicet eo modo de quo scriptum est : quia *quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan.* I). Verum hoc itidem de cœlo et terra, et de omnibus quæ facta sunt dici potest, quia sic a principio cuncta fecerat Dominus Deus, quia qui vivit in æternum creavit omnia simul. Hoc ergo promptius intelligi potest, quia a principio Dominus Deus plantavit paradisum, idem esse ac si diceretur : Ab initio mundanæ exornationis, quando, illo jubente, terra herbam lignumque germinavit. Distinctis namque tribus partibus mundi, id est cœlo, terra, et mari, primus ornatus fuit plantatio paradisi, dicente Deo : *Germinet terra herbam virentem*, etc. Ipsam plantationem deliciosam breviter hoc modo describit : *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali.* Palam est sane intellectui plantationem hujusmodi, paradisum, id est hortum esse magnæ voluptatis, in quo Scriptura, sive horum scriptor digitus Dei, tam diligenter quasi studium plasmatoris commendare curavit. Sic enim singula pene verba posita sunt, ut prope sub oculis legentium Deum designaverit operarium diligentem ac sollicitum, plantantem ac radicantem summaque cura conquirentem omne quod pulchrum visu, et ad vescendum suave fore crederet, taliaque deliciarum instrumenta excogitantem, quibus consitis, ipsius qui plantasset scientia merito laudari debuisset.

CAPUT XXVI.

Item de eodem, quod propter hominem plantavit eum Deus.

Et quidem quod dixit Scriptura : *Plantaverat Do-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

minus Deus paradisum, hoc repetivit, dicendo : *Produxit Deus de humo omne lignum*, et quod dixerat *paradisum voluptatis*, hoc aliquantisper exposuit, dicendo : *Omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Verumtamen dicendo, *plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis*, rei dignitatem altius declamavit. Nam quod ait : *Produxitque Deus de humo omne lignum*, etc., mediocris sermo narrationis est, verbo *plantantis* felicis rei æternitatem, nomine voluptatis eleganter ejusdem expressit jucunditatem. Verbum namque *plantantis*, plantatoris ejus sive hortulani studium innuit qui nunquam transitoriis rebus studuit, ita ut cura sibi sit de illis, testante Apostolo cum dicit : *Numquid de bobus cura est Deo?* (*I Cor.* IX.) Nomen autem voluptatis omnis indigentiæ sensum excludit, quia videlicet non sicut hic, ita ex necessitate manducalitur et illic. Etenim in hac hominis peregrinatione, cibus est mortalitatis solatium, illic autem immortalitatis delectamentum. Et hoc sciendum, quia propter solum hominem hunc terrenum paradisum plantavit Dominus Deus, illum autem paradisum cœlestem et angelis plantavit et hominibus. Nam angelus, qui terrenum non habet corpus, unius spiritualis paradisi delicils est contentus : homo autem qui ex corpore constat et spiritu, duplici paradiso deliciabitur. Illic æterna resurrectione beatificatus, secundum animam sola cibabitur divinitatis felici visione : secundum corpus autem vescetur omni ligno pulchro et suavissimo, non pro necessitate, sed pro magna et ineffabili voluptate. Nunquid enim ex necessitate Dominus noster post resurrectionem suam manducavit coram discipulis suis? Non utique, sed ex potestate, et nunc quidem quia potuit, manducavit immortalis propter mortalium utilitatem : nunc autem et in æternum poma sui paradisi manducare potest, propter suam voluptatem. Attamen quia sancti angeli (sicut alio loco jam dictum est) qualiacunque habeant corpora, et sanctorum hominum hospitali charitate interdum adeo delectati sunt, ut appositos cibos manducasse legantur, potest credi quod eadem potentia multo magis tunc epulis nostris sint condelectandi, ubi viderint nos simul congregatos hæreditate patris nostri cibari, quos cum viderent in primo parente præjudicatos exsulare, amica condoluerunt charitate, per ampla septa vacui paradisi. Si rempublicam suam sic disposuit Dominus, si domum suam sic ordinavit prudens paterfamilias Deus, et ipsi velimus.

CAPUT XXVII.

Quod paradisus terrestris ad exemplar plantatus sit cœlestis paradisi, itemque de ligno paradisi quod in medio erat.

Sciendum autem est hunc paradisum terrenum ad exemplar cœlestis paradisi fuisse compositum, in quo, quasi ligna pulcherrima fuere angelicæ fortitudines, et lignum vitæ Deus ipse, cujus felices angeli beata semper vivunt visione. Quod maxime Ezechiel propheta commendat his verbis, loquens contra principem tenebrarum diabolum, sub nomine regis Pharaonis, inter cætera : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus illius. Omne lignum in paradiso Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit illum, et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.* Et post pauca : *Cui assimilatus es, o inclyte et sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam* (*Ezech.* XXXI). Hæc et hujusmodi propheta cum dicit, non utique veritatem infirmat hujus historicæ narrationis, sed pulcherrimam rationem consilii divini nostris in hoc paradiso sensibus sublucescere facit. Igitur primum illud quærimus in quo maxime terrenus hic paradisus cœlesti similis sit, et tunc demum litteraturæ vestigia prosequemur. Similitudinem cœlestis paradisi duo maxime hujus paradisi perferunt ligna, causas contrarias habentis, scilicet, *lignum vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali.* Hæc enim causas habere contrarias recte dixerim, quia videlicet si causam rite perpendas, sicut hoc lignum vitæ, sic illud revera dicendum est lignum mortis. Ironice enim dictum esse lignum scientiæ boni et mali, perspicuum erit. Dixit enim Deus : *Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini;* et verum dixit. Dixit contra serpens : *Comedite, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*, et falsum dixit. Deus, inquam, verum, et serpens falsum dixit; nec enim comedendo dii facti sunt, aut scientiam ampliorem acceperunt, ut bonum et malum omnino scirent, 34 sed juxta veritatem Dei statim et in anima mortui, et in corpore mortales effecti sunt. Hoc itaque lignum ironice dictum est *lignum scientiæ boni et mali* ut ipso nomine suo monumentum legentibus repræsentet diabolici mendacii. Nam vere palam est quia per inobedientiam manducantis homini lignum mortis exstitit, quæ tamen mors non ex ligni natura, sed ex manducantis culpa processit. Ita pulcherrima quidem, sed non minus terribilis quam pulchra, consilii divini ratio per hæc nobis elucescit : quia videlicet sicut ad examinandam omnem angelicam creaturam diabolum in cœlo cum electis angelis posuit, sic ad examinandum hominem in hoc paradiso cum ligno vitæ lignum interdicendum plantare voluit. Utrumque præ cæteris pulchrum, et illud lignum, et illum fecit angelum. Et quidem pro specie sua vanis et superbis angelis plusquam Deus : hoc autem interdictum lignum pro sua pulchritudine, plusquam non interdictum lignum vitæ, primis hominibus complacuit. Nam de appetita pulchritudine ligni. Scriptura sic dicit : *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit* (*Gen.* III). De illo autem vanitatis principe, propheta prædictus sumpta similitudine ab hujus paradisi lignis : *Omne* inquit, *lignum paradisi Dei*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

non est assumulatum ei, et pulchritudini illius, quoniam speciosum fecit eum, et multis condensisque frondibus, et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in paradiso Dei (*Ezech.* XXXI). *Ligna*, inquit, *voluptatis*, non quæ sunt, sed *quæ erant in paradiso Dei, æmulata sunt eum*, quia videlicet spiritus illi qui æmulati sunt speciem superbiæ ejus dicentis : *Ero similis altissimo* (*Isa.* XIII), ejusque vanitatem plus quam Dei sapientiam mirati vel sectati sunt, erant quidem in paradiso Dei, sed modo ibi non sunt. Igitur quomodo in illo cœlesti paradiso Deus vere lignum vitæ, qui sanctos angelos sua pascit dulcedine, secum assumpsit in cœlum : illum rebellem suum regem superbiæ, sic idem magnus et metuendus Deus, terribilis in consiliis super filios hominum, cum ligno vitæ in isto paradiso plantavit, et lignum hoc, in quo contumax homo deprehenderetur per culpam inobedientiæ, sicut illi omnes spiritus qui filii essent superbiæ, convincerentur et judicarentur in suo rege, Deo rebelli. Illic et omnes principes cœlorum fuerunt, quorum nulli proprium nomen positum invenitur, nisi illi qui æque ut Deus voluit esse et magnus nominatus. Alii namque communi nomine lux, ille autem cum sit tenebrarum portitor, per contrarium Lucifer est appellatus. Hic itidem et *omne lignum pulchrum visum et ad vescendum suave produxit de humo Dominus*, circa lignum vitæ, et nullum eorum proprio nomine nuncupatur, nisi hoc solum, quod revera (ut jam dictum est) lignum mortis exstitit, per contrarium autem lignum nuncupatum est *scientiæ boni et mali*. Non enim, ut nonnulli arbitrati sunt, proprium cujusdam ligni vocabulum est omne, ut per hoc quod dictum est *produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave*, unum lignum debeat accipi, sicut et per lignum vitæ nonnisi unum et per lignum scientiæ boni et mali nihilominus nonnisi unum oportet intelligi. Nam et infra cum dixisset callidus serpens : *Cur præcepit vobis Deus ut non comederitis de omni ligno paradisi*, videlicet permisto mendacio suæ quæstioni mulier respondit : *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne vescaremur*. Cum ergo dicat *de fructu lignorum*, multa intelligenda sunt in eo, quod dicitur omne lignum. Et nota quod non modo lignum vitæ, sed etiam hoc lignum quod interdictum est, dicitur esse in medio paradisi, quia videlicet, in hoc quoque quædam similitudo est Dei et adversarii ejus diaboli. Cum enim recte dominari deberet in medio creaturæ suæ Deus, non tulit æmulus majestatis, ille adversarius, ut hic dominaretur solus, sed præsumpsit ut et ipse dominaretur, ederetque medius quasi altissimus, et millia millium starent vel ministrarent in circuitu throni ejus.

CAPUT XXVIII.

Quod « fons ascendebat de terra, qui inde dividitur in capita, » itemque de triplici significatione paradisi.

Quid tandem illud sibi vult, quod *fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ, qui et* inde (ut postmodum discendum est) *dividitur in quatuor capita?* Plane non minus in hoc fonte, quam illo ligno vitæ mirabilis creator mysterium meditatus est. Quid enim? Nonne propheta supradictus, ab aquis fontis hujus similitudine derivata, dicit de eodem (de quo supra): *Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, erant enim rami ejus juxta aquas multas?* (*Ezech.* XXXI.) Et de his humilibus mente spiritibus, qui, illo superbiente et dejecto, stabiliti sunt et firmati. *Et consolata sunt*, inquit, *in terra infirma omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano universa, quæ irrigabuntur aquis.* Quæ autem sunt aquæ illæ quibus irrigantur ligna hæc, infirma quidem, sed præclara, infirma quidem, sed tamen egregia? Illorum namque infirmitas, quia humilitas est, vera fortitudo est : sicut, contrario modo, fortitudo robusti illius, contra hæc dicuntur, vera infirmitas est. Quæ, inquam, illæ sunt aquæ, quibus irrigata et consolata sunt hæc ligna, nisi inundationes charitatis, nisi emanationes Spiritus sancti, qui sic illos sua dulcedine implevit, ut recte dicantur ligna voluptatis? Igitur dum talem hunc Dominus Deus plantavit in terra paradisum, et dividendum in omnes terras fecit inde ascendere fontem, magnum meditatus est mysterium, magnæ gratiæ fudit imaginem. De qua re tunc opportunius dicemus, cum ad glorificationem Domini Jesu, et datum Spiritus sancti pervenerimus, quæ, juxta propositum, tertia pars erit operis hujus.

Nunc interim sciendum est duos rationalis creaturæ esse paradisos: unum scilicet, sanctorum societatem angelorum, et alium, Ecclesiam electorum hominum, et horum utriusque hunc, de quo loquimur, terrestrem paradisum imaginem esse vel similitudinem. Etenim sicut in isto, lignum vitæ plantatum fuit, et lignum per quod mors introivit in mundum, sic in cœlo contra Deum vitæ auctorem diabolus auctor mortis exstitit, sic nihilominus in genere humano lignum vitæ Christus, et contrarium ejus lignum mortis Antichristus erit, qui jamdudum per membra sua ministerium operatur iniquitatis. Item, sicut de hoc paradiso terreno *fons* ascendit *irrigans universam superficiem terræ, qui et inde dividitur in quatuor capita*, omnemque terram reddit aptam frugibus alendis : sic et de illo cœlesti paradiso fons manare dignatus est, id est, gratia Spiritus sancti, tanta copia rigans massam generis humani, ut cum sanctorum **35** et electorum omnium cedris, olivis et vineis, vitæ quoque lignum, id est, Christum Deum et hominem fecerit terra nasci virgineæ carnis, circa quæ fluenta Scripturarum in quatuor capita divisit, quæ propheta in quatuor animalium diversas facies distinguit, scilicet hominis, leonis, vituli, atque aquilæ volantis. Non enim solummodo quatuor Evangelia, sed et omnis Scriptura divinitus inspirata, certam hanc habet intentionis suæ quadrifidam faciem, ut eumdem Dominum nostrum ostendat mansuetum nobis, ut vere hominem : fortem contra diabolum, ut leonem (*Ezech.* I), id est Deum omni-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

potentem : immolatum pro nobis ut vitulum electum atque saginatum : resurrexisse atque in cœlum ascendisse, ut volantem aquilam. Sed de his alias dicendum erit. His breviter de paradisi pro veritate historiæ decursis, nunc demum cœptum litteræ prosequamur ordinem.

CAPUT XXIX.

Item de eodem fonte et fluvio qui egrediebatur de paradiso.

Et fluvius egrediebatur de paradiso, *qui inde dividitur in quatuor capita.* Sicut superius jam dictum est, non dixit, qui inde dividitur in quatuor flumina, sed in quatuor, inquit, capita, id est, principalia flumina. Non enim *fons*, qui (ut supra Scriptura dixit) *ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ*, quatuor fluminibus dissipatur in exitu paradisi, sed *irrigans universam superficiem terræ*, quam multos fontes efficit, et in quam plura redundant flumina, quorum ista sunt capita. Et hoc, miram terræ paradisiacæ dulcedinem commendare intendit, quia videlicet aquarum natura falsa est, nec potui habilis, sicut ia semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abysso in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est, paradisi fontem, quodammodo lacteam assumit dulcedinem, et irrigat universam terræ superficiem, ut, juxta Psalmistam : *Potent omnes bestiæ sylvæ, et exspectent onagri in siti sua* (*Psal.* CIII), imo ut dulcesceret omnis terra, ad nutricandam herbam virentem, lignumque pomiferum, quod producere jussa fuerat. Quod maxime valet in terris orientalibus, non solum pomis et vini, sed et pretiosorum aromatum fertilibus, quia cum ex optimis quondam Sodomorum et Gomorrhæorum terra fuit (*Gen.* XIII), quæ, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut hæc ipsa Scriptura testatur (*Gen.* X), irrigabatur, sicut paradisus Domini. *Nomen*, inquit, *uni Physon, ipse est qui circuit totam terram Evilat, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est, ibique nascitur bdellium et lapis onychinus.* Physo ipse est, quem nostri, mutato nomine, Gangem vocant. Porro, Evilat regio est Indiæ, nomen habens ab Evila filio detectam, *ubi*, inquit, *nascitur aurum.* Et alibi quidem *nascitur aurum*, sed *aurum terræ illius optimum est, ibique bdellium invenitur, et lapis onychinus.* Bdellium arbor est aromatica, de cujus natura Plinius plenissime scribit (PLIN., *lib.* XII, *cap.* 9). Onyx autem gemma est, sic appellata quod habeat in se permistum candorem in similitudinem unguis humani, Græci enim unguem onychem dicunt. Præterea et aliæ gemmæ multæ pretiosissimæ, carbunculus, smaragdusque ibi nascuntur. *Et nomen fluvio secundo Gyon*, qui et Nilus dicitur, Æthiopiæ fluvius. *Ipse est* enim, inquit, *qui circuit omnem terram Æthiopiæ*, tantæ commoditatis fluvius, ut eum pro maximo Deo suo quondam coluerit Ægyptus, quippe cujus fluentis irrigata, cunctisque exinde copiis saturata, nunquam superne fusis indiguit imbribus. Nam sub maximo solis æstivo fervore, crescentibus undis diffunditur, nec ante autumnale æquinoctium decrescendo ripis suis iterum restringitur. Unde Lucanus :

. . . . . *Nilus neque suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem,
Ante parem nocti Libra sub judice Phœbum.
(LUCAN., l. X *Pharsal.*)

Et de his quidem nulla potest opinio refragari, huic veridicæ historiæ, quoniam de paradiso oriantur. Nam aliud non habet quod dicat quis. Proinde de Nilo, qui et Gyon, ait idem qui supra :

Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam : sed vincit adhuc natura latendi.

De Gange autem qui et Physon :

Movit et Eoos bellorum fama recessus.
Qua colitur Ganges toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum.
(LUCAN. *ibid.*, lib. III.)

Cæterorum, id est, Tigris et Euphratis, ortum Armenia vel Perside monstrari, et nihilominus tamen scripturam hanc, sive historiam veracem esse, superius jam dictum est. Sane Tigris propter velocitatem cursus sui, nomen a velocissima bestia tigride sumpsit. Euphrates vero *fertilitas* interpretatur, sic appellatus, pro eo quod in morem Nili per agros diffundatur, terrasque fertiles efficiat. De quorum natura dicit idem qui supra :

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum est tellus si misceat amnes.
Quod potius sit nomen aquæ, sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ.
At Tigrum subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque legit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
(LUCAN., *ibid.*, lib. VII.)

CAPUT XXX.

De præcepto homini dato ne comederet de ligno scientiæ boni et mali.

Tulit ergo Dominus hominem et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. Præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Apostolus cum dixisset : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* continuo subjunxit : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? Aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Ecce qui sunt, quibus dedit Deus? Angelus et homo. Cum cæteris creaturis suis sane nullam Deus dati aut accepti rationem habuit, quippe quibus præter naturalem essentiam nihil dedit. Angelis cœlum, homini autem paradisum dedit. Huic et huic dedit, et huic et huic prior dedit. Quid enim hic vel hic prior dederat illi? Primus ergo ille dedit, conditione tamen præscripta, ut retribueretur sibi. Quid autem retributionis ab

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

angelo, nisi delectionem. quid ab homine exegit, nisi fidem per dilectionem operantem? Ait enim Scriptura : *Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur et custodiret eum.* Quid enim operaretur, aut a quo custodiret eum? Operaretur utique opus Dei, quod non est aliud nisi opus fidei, nisi officium spei, nisi obsequium charitatis. Dicat aliquis : Cur **36** non absque ulla conditione, absque ullo præcepto posuit illum in paradiso? Nonne melius fuisset nullum dedisse præceptum, quam positione præcepti facere prævaricationi locum? Ubi enim præceptum non esset, nec prævaricatio. Ad hæc inquam : Unde ergo homo copularetur Deo, si non illi subligaretur obedientiæ jugo, si non acciperet commissum, in quo deberet fidelis existere Deo? Ubi enim nullum commissum est, ibi et nulla comparet fides. Porro, *sine fide impossibile est Deo placere* (*Hebr.* XI). Quasi vero nunc aliter agat Deus, aut aliter quempiam acceptum habeat, nisi per fidem. Itaque ut operaretur per fidem, idcirco tulit eum in paradisum, et ut custodiret eum, scilicet, ne deserta fide vel dilectione Creatoris, simul perderet datum optimum. Igitur et vere bonus et sapiens Deus, et prior dedit, et cum rationabili conditione dedit paradisum homini. Sed pergunt quærere adhuc homines, curiosi Dei, negligentes autem sui, volentes cognoscere sensum Domini, et audentes consilium dare illi. Si, inquiunt, Deus salvum aut beatum volebat esse hominem, cur non fecit inconvertibilem? cur non fecit immutabilem? cur non statuit illi naturam nullius rationis passibilem? Verum contra hujusmodi objecta superius paucis respondimus, cum de primogenito perditionis, vel principe mortis diabolo loqueremur, videlicet nihil præter Deum inconvertibile, vel incommutabile esse per naturam, nullamque nisi proficiendo vel operam cum gratia Dei adhibendo, statum virtutis incommutabilem assequi creaturam. Nunc oculis nostris, non persuasione serpentis, sed in Spiritu sancto apertis, mandatum Creatoris, quod ille infeliciter prævaricatus est, intueamur; ait : *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Magna largitas donorum, et non grave largitoris mandatum : *Ex omni*, inquit, *ligno paradisi comede, de ligno autem uno ne comedas.* Levis in tanta copia fuisset continentia, si non defuisset continentiæ dux benevolentia. Illud sane sciendum est, per anticipationem (quod schema Græce prolepsis dicitur), dictum hic esse lignum scientiæ boni et mali. Non enim ex ore præsentis veritatis Dei dicentis : *In quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini*, sed ex posteriori fallacia diaboli, nominis hujus origo manavit (ut superius jam dictum est) qui manducare persuadens : *Eritis*, inquit, *sicut dii, scientes bonum et malum.* Dolenda Scriptor memoria lignum illud notavit, tanquam diceret : Ex omni ligno paradisi edendi licentiam dedit, solum illud quod ex eventu per contrarium dicitur scientiæ boni et mali lignum, interdixit.

CAPUT XXXI.

Quod fidem, spem, charitatem, homo Deo debuit, sed ingratus non exhibuit.

Ex omni, inquit, *ligno paradisi comede*, etc. Tria duxit digna imperare majestas Trinitatis, *ex omni ligno comede*, et *de hoc ne comedas*, et *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* His tribus propositionibus tres ab homine virtutes exigens, id est, charitatem, spem et fidem : quas nunc, reciprocato ordine, a nobis exigit eadem Trinitas unus Deus, fidem, spem et charitatem : quia illa cadendo descendit, nos resurgentes a fide, per spem ad charitatem Dei ascendamus. Nam in eo quod hominem gratis fecit, et gratis nihilominus in illo voluptatis loco, in illo tali paradiso deliciis affluenti, patrem futurum multitudinis sanctorum posuit, plane debitorem magnæ charitatis eumdem sibi efficit hominem, et valide suis beneficiis obligavit. At ille ingratus tantæ gratiæ debitum charitatis non rependit, in quo ob magnitudinem nequitiæ nullus est qui æstimare possit. Item in præcepto dicentis, *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas*, spem insignem exhibere debuit. Spem, inquam, habere, et de bono Deo sperare debuit, quod is qui gratis tanta jam bona sibi contulerat, profecto subjectionem et obedientiam in præcepto custodienti, majora quæ promittebat, id est, cœlestem paradisum et sanctorum angelorum societatem, quandoque conferret. At ille procul dubio spei hujus virtutem non habuit de futuris, quia videlicet (sicut jam dictum est), charitatem non habens, primum ingratus erat præsentibus bonis. Item in comminatione dicentis : *In quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini*, fidem habere debuit, fidem, inquam, habere firmiter et credere, quod non invidendo divinitatem homini, Deus tale lignum interdixisset se, inevitabilem prævaricationis pœnam veraciter prænuntiasset. At illa infelix mulier, infelicis viri socia tam in pœna quam in culpa, serpenti magis quam Deo credidit, serpenti, inquam, dicenti : *Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus quia quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*, magis quam Deo credidit, et hunc veracem, Deum autem (quod auditu quoque scelus est) per invidiam mentitum fuisse putavit. Ita Deus bonus, sapiens et justus, naturam suam observavit, divinitatem suam attendit, propositumque tenuit, dum in uno præcepto suo tres a creatura sua similitudinis suæ virtutes, id est, fidem, spem, et charitatem, quas offerri sibi dignum erat, recte exegit. Nos igitur unum locuti et aliud, quippe qui in illo vetere parente nostro perdidimus, et in gratia novi parentis nostri secundi hominis Jesu Christi misere negligimus, non addamus ultra loqui, quod nequissimum est, discutiendo Dominum Deum nostrum, cur sic vel sic fecerit : cur homini tale præceptum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dederit, vel cur non potius illum, quasi pullum onagri, liberum natum esse permiserit. Quid ergo, inquis? Nonne Scriptura dicit : *Omnia quæcunque voluit fecit, in cælo et in terra* (*Psal.* CXIII). Quomodo ergo omnia quæcunque voluit fecit Dominus, qui nec illud quod præcepit, quod utique nisi fieri voluisset nequaquam præcepisset, ad effectum perducere valuit? Etenim in isto plasmate suo, fidem, spem et charitatem, secundum præceptum suum invenit. Ad hæc inquam : Nequaquam frustratum est consilium vel propositum Dei, valente enim de trunco illo virtutes illas reflorescere fecit. Nam ille quidem ad hoc opus Dei manens exstitit, et contra opus vel præceptum Dei, manus incontinentes, per concupiscentiam extendit, sed inventus est de genere ejus homo secundum cor Dei, qui contentus ab omni concupiscentia manus ad pœnalem sibi obedientiam in ligno crucis extendit, et, sub pedibus suis conculcato peccato, legenda virtutis exempla multis millibus sequentium se proposuit.

A

B

CAPUT XXXII.

De eo quod dictum est, « Non est bonum esse hominem solum, » quodque nec mulier in paradiso facta sit.

Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sui. Siquidem talis esse putatur **37** ordo rerum, qualis est verborum, videlicet, quod prius tulerit Dominus hominem in paradisum voluptatis, et præceptum illi dederit, quam hoc ab eodem dictum sit : *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sui,* item et illud existimandum erit, quod mulieri non præceperit, et proinde, quod absurdum est, consequenter dici potuerit illam non fuisse prævaricationis ream, cum præceptum nequaquam acceperit. At illa sibi quoque præceptum fuisse patenter ostendit, ita respondendo serpenti : *Ex fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de ligno autem quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus.* Præterea si antequam hæc diceret Dominus Deus, jam hominem in paradiso posuerat, ergo et asini, et equi, cæteraque animantia terræ munda, sive immunda, in illo erant voluptatis loco, quem pro magno reputat gratiæ Dei beneficio, si adipisci queat rationalis homo. Nam post hæc verba Dei continuo Scriptura subjungit : *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et volucribus cœli, adduxit ea ad Adam,* etc. Melius itaque hæc dictio Domini Dei : *Faciamus ei adjutorium simile sui,* superiori loco conjungitur, ubi dictum est : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,* imo et adhuc altius, scilicet, ubi dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quare ergo, inquis, tandiu mulieris facturam Scriptura narrare distulit? videlicet ut singulas historiæ partes secundum proprias causas rationabiliter ordinaret. Constat enim quia non propter mulierem vir, sed mulier propter virum facta (*I Tim.* II), et cum illo in paradiso posita est. Idcirco bene prius cum formatione viri narrationem digessit, quod eum Dominus Deus tulerit, et in paradisum posuerit, et ipsum paradisum descripsit. Item vir non est seductus, sed mulier. Etenim non per virum mulierem, sed virum per mulierem decepit diabolus. Idcirco formationem mulieris nunc usque distulit, ut continuaret historiam infelicitatis, quæ per mulierem ad virum pervenit. Hunc modum narrationis Tichonius recapitulationem dicit, ubi ad intelligendum difficultatem Scripturarum, septem regulas valde utiles conscripsit. Ad hunc modum illud pertinet, quod hac eadem Scriptura postquam dictum est, ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam et familias in nationibus suis, post aliquanto sic dicitur : *Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem.* Et tunc narratur quomodo divisæ sint linguæ, quas jam ante dixerat divisas fuisse. *Cumque proficiscerentur,* inquit, *de oriente, venerunt in campum de terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni* (*Gen.* X), et reliqua. Igitur formato homine, hoc etiam dixit Dominus Deus, dixit, inquam, ejusdem sapientiæ suæ dictione, in qua dixit omnia, in qua fecit omnia : *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sui* (*Gen.* XI). Non, inquam, est bonum, non est utile, non conducit ad propositum nostrum esse hominem solum. Proposuimus enim præscitos et prædestinatos de primo homine propagare, sanctos imagini ac similitudini nostræ conformes futuros. Ergo ut propositum istud impleatur : *Faciamus ei adjutorium simile sui.* Adjutorium, inquam, ad multiplicandam prædestinatam progeniem sanctorum. Et notandum, quod ad faciendum hujusmodi adjutorium eadem loquitur pluralitas personarum, quæ ad faciendum locuta est virum. Dicit et nunc eadem Trinitas unus Deus : *Faciamus ei adjutorium.* Addendo autem *simile sui,* cuncta comprehendit quæ in faciendo viro dixit, *ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et bestiis universæ terræ, et omni reptili quod movetur super terram.* Præter sexum enim in nullo substantia mulieris differt a substantia viri, videlicet, quod minus mulier quam vir cunctis animantibus præsit dignitate conditionis, quia non minus est rationalis, nec minus illis aspirare licet ad similitudinem Creatoris, sicut jam superius dictum est, ubi Scriptura de hac factura loquens in die sexto : *Masculum,* inquit, *et feminam creavit eos.*

C

D

CAPUT XXXIII.

De eo quod dictum est : « Adæ vero non inveniebatur similis ejus. »

His ita a Domino Deo dictis, magnum nobis continuo Scriptura spectaculum fecit, ut merito arrectis animis quæramus quid Dominus faciat, quid velit, quid intendat? *Formatis,* inquit, *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ et volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam.* Et paulo post :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Ergone istud nesciebat Dominus Deus quod in cunctis animantibus terræ, aut volatilibus cœli, nullum homini simile haberetur, quod competens illi copularetur adjutorium ad propagandum sicut volebat vel sicut proposuerat, genus humanum? Hoccine, inquam, ille nesciebat, nisi quodammodo arrepta minatoria virga coram se cuncta minasset ad Adam, ut quasi communi inquisitione Deus cum homine consultaret, quærens si quid forte simile ejus inter omnia ista reperiri possit? Nam ac si cessato labore defecisset Deus, *Adæ vero* (inquit Scriptura) *non inveniebatur adjutor similis ejus.* Quid ergo in hoc tanto studio Dominus intendit, nisi ostendere homini, ut intelligeret honorem suæ conditionis, quod nihil sibi compar esset, in jumentis sive cæteris animantibus cujuslibet generis? Hoc enim ad amorem Creatoris rationali homini proficere debuit, quod, congregatis omnibus coram se, ipse absque dubio polleret honore singulari, non solum secundum privilegium rationis, verum etiam secundum figuram corporis, quia cum cuncta videret humi prona sive quadrupedia, caudamque trahentia, aut etiam toto corpore repentia, solum se recta statura, liberoque pectore principatum omnium obtinere gloriari poterat, si in Domino Deo suo gloriari voluisset. Hoc ergo intendente Deo, ut digna sibi a plasmate suo gratia haberetur, quæ profecto eidem esset fructuosa, bene Scriptura studium ejus insinuans: *Formatis*, inquit, *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, id est*, ut videret quod nullius eorum digna esset natura sortiri vocabulum ab hominis nomine pro aliqua similitudine natum vel detortum: *Omne enim*, inquit, *quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus.* Et adhuc subjungitur: *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia, et omnes bestias terræ. Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Videlicet singulorum consideravit naturas, et ex qualitatibus diversis, diversa formavit vocabula, ut, v. g., Latinus caballum a *cavando* nuncupat, eo quod terram cavet ungula. Asinum **38** ab *assidendo*: porcum quasi spurcum, eo quod spurcus sit: et canem, eo quod canorum continet venando latratum. Et multa hujusmodi. Ita nimirum ille in lingua primitiva, quæ facta divisione linguarum in gente remansit Hebræa, nomina formavit singulorum, consideratis proprietatibus naturarum, et nullius naturam talem esse perspexit, ut recte nomen illi dare haberet cognatum suo nomini sicut de muliere postmodum recte dixit: *Hæc vocabitur virago, quia*, inquit, *de viro sumpta est.* Et hoc, ut jam dictum est, revera homini ad amorem Creatoris, et ad gratiarum actionem plurimum valere debuisset.

CAPUT XXXIV.

De costa Adæ, et de conjunctione viri et uxoris suæ.

Immisit ergo Dominus soporem in Adam. Cumque obdormiisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit costam quam tulerat Dominus de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Ergo, inquit, quia non erat bonum esse hominem solum, adductis autem cunctis animantibus ad Adam, ipso perspiciente *non inveniebatur illi adjutor similis ejus*, idcirco quasi recurrit creator ad operosum omnipotentiæ suæ verbum, dicendo: *Faciamus ei adjutorium.* Sopor utique quem Dominus Deus immisit, non vigilias rationis claudere debuit, sed, obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, ut scire posset quid erga se ageret omnium artifex sapientia Dei. Unde et postmodum, mulier sibi adducta, dicere potuit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Fortassis idcirco Septuaginta pro verbo *ardema*, quod apud Hebræos profundum soporem significat, extasin, id est, excessum mentis transtulerunt.

Quid autem hoc sibi vult, quod cum posset mulierem æque ut virum formare de limo terræ, maluit costam viro subducere, eamque in mulierem ædificare? Quid, inquam, hoc voluit, nisi ut firmam et insolubilem debere esse ostenderet unici conjugii charitatem? Proinde cum a Pharisæis tentaretur Dominus de dimittenda uxore dicentibus, quia *Moyses mandavit nobis librum repudii, respondens ait: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Et iterum dixit discipulis suis. *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchabitur* (*Marc.* X). Non ergo, o conjuges, mandatum novum scriptum est vobis, dum præcepit Dominus vel apostolus ejus (*I Cor.* VII), mulierem a viro non discedere, non, inquam, mandatum novum scriptum est vobis, sed mandatum vetus, quod ab initio audistis. Ecce enim vetus ab initio conjugii constituta rationabilis, imo et naturalis causa mandati. Ecce, inquam, quia non undecunque, sed de costa viri fecit viro auctor conjugii Deus adjutorium hujusmodi. Nunquid absque injuria factoris suis vir costam suam abjicere poterit? *Si cæcus, si claudus, si vel parvo vel grandi, vel torvo naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus*, vel quamlibet ejusmodi habens maculam, non accedet ad ministerium Domini secundum mandatum legis (*Levit.* XXI), quanto magis qui costam integram corpori violenter exemit vel abjecit, merito ab altari, imo et a communione totius Ecclesiæ Dei debet arceri? Etenim mox ut pro adjutorio hujusmodi quilibet vir, quamlibet mulierem assumpserit, mediante fide et testimonio ejus, qui hanc mulierem ad hunc virum adduxit, costa ejus est, os ex ossibus ejus, et caro de carne ejus est. Igitur si illam ultro reliquerit pro qualicunque causa, excepta causa fornicationis, jam apud Deum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vir non erit, nec pro integro corpore reputabitur, quia videlicet una est costa mutilatum : costa, inquam, non qualicunque, sed bene ædificata, diminutum est corpus. Item et mulier, si virum reliquerit, jam apud Deum in numero non erit, quia non corpus integrum, vel tota caro, sed pars esse convincitur ex lege conditionis, quia de viro sumpta probatur.

CAPUT XXXV.

Item de eo quod dictum est : « Quod Deus conjunxit, homo non separet. »

Sola causa fornicationis utrumque excusare poterit, quia videlicet in fornicatoribus et adulteris perit omnis causa conjugii. Quam enim ob causam viro Deus mulierem fecit? Videlicet ut esset in adjutorium illi. Cujus quæso in adjutorium rei vel operis? Utique in adjutorium propagandæ sobolis, secundum benedictionem quam super masculum et feminam Deus idem dederat, dicendo : *Crescite et multiplicamini, et replete terram*, etc. Huic autem causæ non studere, sed potius suæ libidini intendere convincitur quicunque vir sive mulier legitimum thorum transgreditur. Etenim mulier multis subacta viris, non fecundior, sed turpior fit. Vir autem multis mulieribus impensus, plures quidem potest procreare liberos, sed jamdudum spinis et tribulis generis nostri plenus orbis, tali studio non indiget. Olim in sanctis hominibus, nec licentia non solum venialis, verum etiam inculpabilis exstitit, ut, verbi gratia, in patriarcha Jacob, cujus ex semine benedictionis auctor venturus erat Christus Deus super omnia benedictus, qui sicut destruere habebat Adæ peccatum, sic etiam reformare debebat honorabile connubium et thorum immaculatum, imo et de satione conjugum temporaneam et serotinam metere frugem virginum. Igitur sola fornicationis causa recte conjugatorum excusantur divortia, ita tamen, ut aut permaneant sic, aut reconcilientur qui ab invicem discessere pro hujusmodi causa (*I Cor.* VII). Hoc tamen modo illud observari fas est, quod ait tam fortiter quam suaviter ipsa Sapientia, per quam, vel in qua factum est hoc : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Homo namque separat quod Deus conjunxit, cum per odium vel propter novam luxuriam, seu pro simili qualicunque causa divortium fit.

CAPUT XXXVI.

Quod Deus, vel quomodo solus Deus legitime separat quod ipse conjunxit.

Quid, si separet ipse qui conjunxit? Hoc plane legitimum est, nec enim separatio vel divortium, sed honesta mutatio conjugii, cum causa Dei discedunt ab invicem, ut vacent orationi casti conjuges, amorem spiritus carnali copulæ præferentes. Quod ubi concorditer inter utrumque convenit, per qualemcunque nominem cohortantem, forisque verba **39** facientem ad hoc excitati sint, non homo separat quod Deus conjunxit, imo quod Deus bene in carne conjunxit. Deus idem in spiritu melius conjungit. Et hoc duntaxat tunc rite procedit, si una voluntas idemque propositum in utroque conjuge sit. Nam altero ad sanctum otium, ad vacandum orationi tendente, si alter concedat quidem, recte procedit : sed si alter diversæ intentionis sit, nec ejusdem militiæ fidem vel militiæ illius propositum profiteri velit, profecto non Dei, sed hominis consilium est, et idcirco statim reclamandum est, *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Quod si quis ejusmodi sic dimidiatus, aut mutilatus, tonsuram etiam ecclesiasticam acceperit, et sacri Christi militiæ jam cingulo redimitus incesserit, reclamante illa, quæ in sæculo relicta est, corporis parte, militare pro suo voto non poterat, sacrorum canonum jure coercitus, ne sua sanctitas fiat compari suæ adulterii causa. Adeo valenter dictum est, *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Cui dicto Apostolus consentiens : *Alligatus es*, inquit, *uxori? noli querere solutionem* (*I Cor.* VII), subauditur per hominem. Nam nisi Deus, quo teste legemque ferente alligatus es, te solverit uxoris animum præparando, ut idem habeat votum, vel propositum castitatis, tu solutionem nullatenus invenire poteris. Hanc legem præcunte natura, statim et protoplasti sanxit sententia, ait enim : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

CAPUT XXXVII.

Quomodo vel unde scire potuerit Adam : « Hoc nunc os de ossibus et caro de carne mea. »

Quamvis soporatus fuerit Adam, tamen non clam illo fuisse quod factum hæc ejus dicta manifeste comprobant. *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Tanquam diceret : Hoc paulo ante tantummodo os ex ossibus meis, id est, costa fuit de costis meis, nunc autem et caro est. Proinde sicut prius os meum erat, ita et nunc postquam costa ædificata est, recte caro mea, caro, inquam, de carne mea est. Non ergo ut ille quid ageretur nesciret, sed ut magnum sacramentum in eo præfiguraretur, immisit in Adam soporem Dominus. Quod Apostolus perspiciens : *Magnum, inquit, sacramentum hoc est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Non, inquit, sacramentum hoc esse dico, in illo viro, et in illa femina, non inquam, in eo quod de viro sumpta est femina, quod misit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et ædificavit costam quam tulerat de Adam in mulierem, et quod dixit Adam : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, etc. Nam illa carnalia sunt facta, et ab illo Adam carnaliter dicta, scilicet, absque spiritualium futurorum conscientia. Cæterum in Christo et in Ecclesia sacramentum magnum hoc est, quia sic admisit in se Christus soporem mortis susceptæ pro voluntate Patris obedientia, et tulit Deus de latere ejus sanguinem et aquam, de latere, inquam, ejus dormientis, id est, iam mortui, sanguinem et aquam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

per lanceæ vulnus eduxit, unde ex tunc usque ad finem sæculi ædificare non desinit, ut gloriosam Ecclesiam *non habentem maculam, aut rugam* (*Ibid.*) exhibeat illi. Igitur alio quidem respectu in alia editione bene scriptum est: *immisit ergo Dominus extasin in Adam*, quia videlicet occlusis sensibus corporis, ratio tamen vigilavit ut non nesciret quod os ex ossibus suis sublatum, et caro de carne sua ædificata fuerit. Alio autem nihilominus recte dictum est, quia *immisit Dominus soporem in Adam*, *soporem*, inquam, id est, gravem et profundum somnum, quod Hebraice dicitur *tardema*, scilicet, quia de profundo mortis somno regeneranda erat novo Adæ, nova conjux Ecclesia.

CAPUT XXXVIII.

De eo quod dictum est: « Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.»

Hæc inquit, *vocabitur virago, quia de viro sumpta est*, hoc ad illud respicit quod supra dictum est, quia *formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea*, quærendo videlicet adjutorium illi, sicut deinde subjungitur: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ*, et nulli eorum hominis vocabulo cognatum nomen posuit, scilicet quia nullum eorum simile sibi esse perspexit. At vero in hanc similitudinem sua recognoscens, vidit quid vocaret eam, et vocavit nomen ejus virago, dicens, *quia de viro sumpta est*. Nam quia de viro sumpta est, congrue nomen quod illi poneretur a vocabulo viri, deductum est. Sciendum autem quod in Hebræa quidem lingua manifestam nominis etymologiam sive derivationem litteratura resonat. Vir namque Hebraice isch, et mulier ischa dicitur. At vero Latine vir et mulier secundum vocem sive litteralem sonum commune nihil habent, sed pro mulliere virago positum est, quod nomen a viro sumptum est. Bene itaque suam vir in muliere recognoscens substantiam: *hæc*, inquit, *vocabitur virago, quia de viro sumpta est*. Et adjecit: *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*. Hoc pro lege habetur, ut patrem et matrem homini relinquere liceat, poscente causa idonea: uxorem autem nemini nisi volentem relinquere, nec humana concedit lex, nec divina, nisi pro sola, ut superius dictum est, fornicationis causa. Proinde cum dicit lex: *Qui dixit patri suo et matri suæ, Nescio vos, et fratribus suis, Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt* (*Deut.* XXXIII), cum, inquam, hæc dicit sancta et justa lex, notandum quod solam uxorem præterit, quia videlicet patrem et matrem, fratres et filios nescire licet ei qui custodire eloquium et pactum ejus cupit, et quamquam reclamantes vel invitos relinquere jure licebit: sola autem uxor est, quam nisi volentem, et idem propositum amplectentem, dimitti fas non est. Ergo dum dicit: *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*, conjugii copulam omnium carnalium necessitudinem maximam atque fortissimam fore pronuntiat, adeo ut semel copulati jam non sint duo, sed caro una.

40 CAPUT XXXIX.

De ingratitudine hominis, qua in omnibus a laude Creatoris mutus exstitit.

Hic tandem animadvertendum est quam pertinaciter homo primus, homo terrenus, a Creatoris laude mutus perstitit, quam obstinatis labiis ab omni gratiarum actione abstinuit, et ingratum Domino Deo silentium dedit: formante Deo et inspirante *spiraculum vitæ*, factus in animam viventem, non suspiravit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plastæ sui faciem, ut adoraret et eum glorificaret, et ei gratias ageret. Item ab eodem Domino Deo positus in paradisum voluptatis, nullas ei gratias egit, et taciturna ingratitudine tantum tamque facilem deliciarum Dei locum, quasi rapinam arbitratus occupavit. Ecce nunc tertio divinæ dignationis dono locupletatus est, in eo quod fecit ei adjutorium simile sui, adjutorium, inquam, ad hoc ut crescere et multiplicari posset, et de se uno propagata felici progenie terram viventium repleret. Sive hoc tertium, sive secundum, ut supra dictum est, beneficium Dei fuerit, tribus plane divinæ beneficentiæ dilatatus muneribus, tacet adhuc, et nihil quod laudem Domini resonet, eloquitur, nec ullum dilectionis vel gratiæ verbum in ore ejus fuisse Scriptura testatur (*Eccl.* VII). Qui ergo gratiam Dei non agnovit, non mirum quod ad hoc ut peccaret, et peccatum suum non agnosceret quia res vicina est. Eodem quippe intuitu et suum malefactum, et divinum erga se cognoscit homo beneficium.

CAPUT XL.

De eo quod nuditatem suam non erubescebant.

Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant. Non erat hoc ignominiæ, sed honoris, quod nudi erant; non erat insipientiæ, sed securitatis quod nuditatem suam non erubescebant. Quid enim? Nunquid hoc a factore suo accepit, quod confusibilis et verenda est factura Dei? Aut nunquid confusionem hujusmodi natura et non potius conscientia facit? Est quidem quasi in naturam versum hoc tormentum confusionis, verumtamen non ex conditione primæva, sed ex juniori culpa origo ejus pullulavit; etenim ideirco nuditatem nostram erubescimus, quia conscii nobis sumus quantam infirmitatem, imo quantam adversum nos rebellionem carnis nostræ portemus. At vero tunc sana erat cordis conscientia, quippe quam nulla sollicitabat oculorum concupiscentia. Siquidem concupiscentia carnis pœna est peccati, qua præcedens punitur superbia mentis: Deus, inquit Scriptura, fecit hominem rectum. Hoc plane testimonium verum est quia rectissimus Deus hominem nonnisi rectum fecisse creditur. Rectitudo autem hominis eo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ret, ut carni spiritus, utpote inferiori superior præsit et imperet, et hæc illi jussa adsit, atque obtemperet. Medius namque inter Deum et carnem suam rationalis spiritus hominis positus est, ut Deo pareret et carni imperaret. Quem ordinem quia prior ille turbavit et rupit, abjiciendo præceptum Dei, subditus est qui erat superior spiritus, infimæ carni : ut justa pœna inferiori subjaceat, qui superiori recte subesse contempsit. Hinc illa confusio faciei de conscientiæ secretis ad publicos oculos prorumpens, et sub nuira velamentorum solatia pœnalem ignominiam ire compellens. Hæc, inquam, infirmitas, vel rebellio carnis adversus spiritum nondum erat. Bene igitur *nudus erat uterque, et non erubescebant*, quia quod erubescerent non habebant. Illa nuditatis securitate perdita nos ingemiscimus, eo quod gloria et honore spoliati, et panniculis obvoluti simus. Nam ista vestiti vere incedimus nudi, etiam si, quod impossibile est, sic vestiamur, sicut vestiuntur lilia agri. *Etenim nec Salomon in omni gloria sua vestitus est sicut unum ex his* (*Matth.* VI). Si, inquam, vestiri possimus sicut hæc vestiuntur, sic quoque spoliati et nudi sumus. *Unde et Salvatorem exspectamus*, inquit Apostolus, *Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Phil.* III). Nunquid enim quando *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII), tunicis operientur et pallis? Non utique, sed ad gloriam figuli vel factoris sui quæcunque illic fuerint vasa misericordiæ, mutuis cum gloria conspectibus parebunt, foris fulgidi, et intus jucundi : corpore integri, et animo læti : corpore, inquam, simul et anima beati

IN GENESIM LIBER TERTIUS.

(Gen. cap. III, vers. 1-24.)

41 CAPUT PRIMUM.

De calliditate serpentis, et quod homo prius per superbiam tumuit intus quam foris per serpentem tentaretur.

Humani generis vox illa est in David : *Priusquam humiliarer ego deliqui* (*Psal.* CXVIII). Hoc vere dixit, non quod juxta quosdam hæreticos anima cujusque nostrum, priusquam in corpore humiliaretur, sublimis fuerit in altitudine cœli, et ibi deliquerit, et propter delictum suum humiliata, id est, proprii corporis carcere conclusa sit. Perversus hic sensus est. Sed *priusquam humiliarer ego deliqui*, subauditur secundum Adam, id est, priusquam compararer jumentis, et similis fierem illis, ego in honore positus non intellexi (*Psal.* XLVIII), non auctorem honoris mei Deum glorificavi, aut gratias egi, quin et præceptum ejus transgressus sum, et in hoc deliqui. De quo delicto diligenter notandum qualiter Scriptura narrationem incœperit (CAP. III) ; ait : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus ;* gloriam sive honorem et securitatem hominis præmiserat dicens : *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescant.* Et continuo subjungit : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Quidnam hoc sibi vult, quod non solummodo dixit, sed serpens erat callidior, sed conjunctiunculam interposuit *et*, dicendo, *sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ?* Hoc utique intendit, et ad hoc auditorem trahit, ut non putet initium peccati sive tentationis Adæ vel uxoris ejus cœpisse ab exteriori persuasione serpentis. Prius namque intus ad cor hominis per semetipsum locutus est spiritus diaboli, ut superbiret, Deumque præceptorem ferre, vel mandatum ejus portare despectui haberet. Nisi enim intus per superbiam prius tumuisset, foris tentatus tam facile non cederet. Ut ergo duplicis substantiæ creatura, scilicet homo, qui ex corpore constat et anima, duplicem corporis et animæ pertraheretur ad mortem, prius in anima spirituali corruptus est superbiæ vitio, deinde et corporeo contra Dei mandatum infectus est cibo. Quod et ipse nostræ reparator substantiæ Dominus noster Jesus Christus pulchre parabolica insinuatione testatur cum dicit : *Homo quidam ascendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones* (*Luc.* XVIII). Non dixit solummodo : homo quidam incidit latrones, sed *descendebat*, inquit, *ab Jerusalem in Jericho, et* tunc demum *incidit in latrones.* Nisi enim descenderet, non incidisset, quia videlicet nisi mente superbiret, dati præcepti prævaricationem non incurrisset. Descendebat, quia mente tumebat ; tumore namque ascendere, veraciter descendere est, quia videlicet ubi mens elevatur, ipsa elevatione dejicitur. Unde Psalmista : *Dejecisti*, inquit, *eos dum allevarentur* (*Psal.* XXVII). Igitur cum dictum est : *Erat autem uterque nudus, et non erubescebant*, illico subaudiendum fuit, quia tantis ingrati beneficiis, Deo subesse despiciebant, et conscii quantæ generationis forent patres et principes, jam sicut dii, id est, revera dii haberi volebant. Sicut enim non semper pro similitudine, sed aliquando ponitur pro veritatis ostensione, ut illic : *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV). Sicut consolati, inquit, id est, vere consolati. Hoc, inquam, subaudiendum est et continuo subjungendum : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Et est sensus : Per semetipsum intus corrupit hominem diabolus, et non solum per semet-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ipsum intus, sed et per serpentem circumvenit exterius.

CAPUT II.

Utrum serpens in paradiso esse potuerit.

Quæritur autem quomodo serpens in paradiso esse potuerit, si nonnisi hominis habitatio credenda est, eidem pro magna gratia Creatoris data boni operis et diligentissimæ custodiæ, sicut superius dictum est, conditione interposita. Nam si serpentibus communis erat paradisus, consequitur quod et lupis atque leonibus cæterisque bestiis non careat ille deliciarum locus, et proinde nec tantæ beatitudinis existimabitur, ut merito paradisus voluptatis, vel ab ipso Domino Deo plantatus fuisse dicatur? Et quidem hujusmodi objectio difficilius solveretur, si hoc apertius Scriptura dixisset, quod infra septa paradisi serpens mulierem fuisset allocutus. Nunc autem cum ita dicat, *sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus*, et deinde subjungit, *qui dixit ad mulierem*, etc., libera nobis relinquitur facultas asserendi quod non serpens præsertim a diabolo corporaliter invadente possessus in paradiso fuerit, sed mulier corpore et oculis vaga dum incontinenter deambulat, forte prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, et serpens, utpote astutus, dulcedini terræ propius vel ambitiosus inhitur, locus diabolo datus est, et occasio porrecta unde tentaret. Et sciendum quod serpens, antequam fieret organum diaboli ad perditionem hominis, sapiens vel prudens **42** poterat dici. Unde et in alia editione scriptum est, *sed et serpens erat sapientior cunctis animantibus terræ*. Postquam autem prudentia ejus malitiæ diaboli conjuncta est, et opportunum ministerium mortis præbuit, callidus et nequam, sive versipellis, rectius potest nuncupari. Prudentia namque ejus antequam illi patri mendacii ministerium præbuisset, talis erat, ut discipulis Christi, ipso teste Christo, adhuc immutabilis sit, ait enim: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* x): prudentes, inquit, non etiam nocentes, quemadmodum illi venenum habentes in accidenti pollutione diaboli, sed, e contra, simplices sicut columbæ.

CAPUT III.

Item utrum serpentem, qui loqui videbatur, homo irrationalem per naturam esse nesciret.

Item et illud quæritur, utrum nesciret mulier quod serpens, æque ut cætera animantia, irrationalis esset, et sua facultate loqui non posset. Si hoc nescivit, minorem (quod absurdum est) intelligentiam in illo lucido Dei paradiso habuit, quam nunc habet in hac obscuritate vitæ plenæ miseriis, ubi licet caro quæ corrumpitur aggravet animam (*Sap.* IX), scit tamen nullam præter suam rationalem esse vitam. Si autem (quod verum est) scivit serpentem non nisi alieno spiritu potuisse loqui, profecto in eo mire seductionis immensitas est quod quasi omnipotentiam spiritus ejus mirata est mulier, qui per irrationabile animal humana formare verba potuisset. Quod si ita est, imo quia ita est, non jam dubium remanet, qua ex radice tam vasta, tamque amara idololatriæ arbor pullulans expanderit se in omnes gentes, vel unde miseris hominibus innatum fuerit, quod tanta instantia, tamque dementi et stulta reverentia voces articulatas, astutia dæmonum formatas per innumera quæsierunt simulacra, pro Deo diabolum, pro veritate colentes mendacium. Hoc, inquam, dubium jam non remanet, unde tanti erroris vitium tam tenaciter hominibus inhæserit: quia videlicet mater nostra, mater cunctorum viventium Eva, prima felle hujus nequitiæ intrinsecus amaricata est, quando in illa facundiam male diserti serpentis, quasi divinam diabolici spiritus sapientiam mirata, et stulte venenata est. Igitur diabolus quidem, sive Satanas, ipse draco magnus et serpens antiquus est. Verumtamen non solus, sed alio serpente, id est, terreno animante invectus, dupliciter hominem decepit infelicem, dum et mentem ejus suggestionis veneno, et carnem vetito inficiens cibo, duplicem nihilominus animæ et carnis intulit mortem. Terrenum quippe animal nos littera cogit intelligere, dum dicit, qui *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Et hujus deceptionis intuitu diabolus in Scripturis sanctis, non leo, sed serpens sive draco dicitur, quia videlicet non per vim, sed per calliditatem effectum nostræ mortis est adeptus, quippe qui in homine nihil adhuc juris habuerat, nec invitum ad aliquod peccatum pertrahere poterat, nondum enim erat illud quod congemiscens Apostolus: *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Quanto nec magis illud erat quod nunc aperta quoque interdum persecutione rugit? Proinde quia non impugnando coegit, sed blandiendo primum hominem ad peccandum illexit, exinde serpens antiquus, sive serpens tortuosus dicitur. Quia vero semel admissus, deinceps crudeliter et furiose super genus humanum tyrannizavit, leo dictus est, utrumque habens malignitatis et sævitiæ nomen, juxta Psalmistam dicentem: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC). Sed jam subsequentem nostræ proditionis consideremus ordinem.

CAPUT IV.

De percunctatione serpentis dicentis ad mulierem: « Cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis. »

Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Dominus ne comederetis de omni ligno paradisi? Cur, nisi quia caupo nequissimus est, suam interrogationem mendacio polluit, dicendo: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* Quamvis enim quod sub interrogatione profertur nec verum nec falsum sit, mendacium tamen hic serpens manifeste sibilavit, rem sicut erat se nescire simulans, ut paulatim felle suo miseram audientis venenaret animam. Non dixit: Cur præcepit vobis Deus ne de illo uno comederetis, sed de omni, inquit, ligno paradisi? Cur ergo nisi ut, sicut jam dictum est, pau

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

latim serpendo venenum odii, quo ardebat ipse contra Creatorem, magis ac magis injiceret homini, et cum aggeratione quasi indigni præcepti conflaret indignationem, excitaretque audaciam rebellandi? Et vide quanta subtilitas fallaciæ deceptoris. Tria nempe dixerat Dominus Deus : *Ex omni ligno paradisi comede.* Hoc unum est. Aliud vero : *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Tertium quoque : *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc ultimum quod ait, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris,* quasi nesciat, dicit : *Cur præcepit vobis Deus?* Superiora duo scilicet ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem illo ne comedas, confundit ac permiscet, et de duobus veris unum falsum complet dicendo, *ne comederetis de omni ligno paradisi.* Verum dixit Veritas (*Joan.* VIII), quia *ille homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus,* subaudi mendacii, quod loquitur; etenim cum omnia secundum auctoritatem Scripturarum loqueretur Christus veritas, in hoc quoque dicto Scripturarum, procul dubio præsens caput attendebat cum diceret, quia ab initio diabolus homicida erat. Tanquam diceret : Ab initio suæ confabulationis cum homine diabolus homicida est et mendax, quia videlicet ecce initio suæ locutionis invenitur mendax, et homicidium intentat. O igitur antiquum peccatorem et vetustum homicidam vere serpentem, et vere versipellem et nequam! Sed antequam ejus prosequamur male facetam nequitiam, audiamus in respondendo mulieris insipientiam.

CAPUT V.

De vitiosa responsione mulieris.

Respondet ei mulier : De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur; de ligno autem quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne vesceremur, et nec tangeremus illud, ne forte moriamur. Hæc verba jam vitiatæ mentis indicia sunt. Nam quantum in se erat, depravavit mulier verba præceptoris **43** Domini tribus modis, quibus usque hodie depravare nititur sanctam Scripturam omnis qui est ex parte diaboli, scilicet appositione, diminutione, mutatione. Apposuit namque dicendo, *ne tangeremus illud,* quia videlicet Dominus Deus hoc tantum dixerat, *de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Diminuit vero, quia cum certa et affirmativa enuntiatione dixerit Deus : *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris,* hæc, dubium vel frivolum volens esse illud, *ne forte,* inquit, *moriamur.* Mutatione autem, quia cum dixerit Dominus, *ex omni ligno paradisi comede,* et unum solummodo interdixerit, lignum scientiæ boni et mali, hæc ait, *de ligno autem quod est in medio paradisi præcepit nobis,* et mentita est. Nam et lignum vitæ erat in medio paradisi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo jam impatienter ferebat, et murmurabat, quod quasi parcus vel avarus Deus pretiosa medii paradisi reservaret, et viliora quæque per circuitum colligendo in cibum homini concessisset. Sic, inquam, tribus modis, id est appositione, diminutione et mutatione sanctum præceptum Dei mulier stulta depravare contendit. Porro quantæ damnationis sit apponere quid, vel diminuere de verbo Dei Joannes testatur in Apocalypsi cum dicit : *Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto, et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferat Deus partem ejus de ligno vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto* (*Apoc.* XXII). Igitur veraciter (ut superius jam dictum est) antequam per corporeum vel visibilem serpentem diabolus loqui inciperet, jam per semetipsum intus ad aurem cordis locutus fuerat, pronamque voluntatem vel consensum ad exterius peccati opus peragendum fore præsenserat. Proinde cætera quæ sequuntur, sic nobis accipienda sunt, tanquam stupri vel adulterii diabolici opus consummatum, nam antehac, veluti quædam conditiones occulta inspiratione vel suggestione condelectante animo factæ sunt. Sequitur :

CAPUT VI.

De blasphemia diaboli, qua Dominum mendacem æstimare voluit, dicendo : « Nequaquam morte moriemini. »

Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Quid hac intentione funestius, sermone malignius, præsumptione atrocius? Quid enim. Ecce exsecrabamur superbiam diaboli, qua tumens dixerat : *In cœlum conscendam, super astra Dei ponam solium meum, ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV) : hoc, inquam, exsecrabamur, quod hic rebellis lumini Altissimo se fore similem dixit. Quid dicemus, quando e contra Altissimum sibi similem facere contendat? Mendax enim ipse est, invidus ipse est. Mendax autem sibi similem, id est, mendacem vult facere Deum, dum dicit : *Nequaquam morte moriemini.* Quid enim hoc aliud est, nisi mentitus est ille qui dixit *morte moriemini?* Item vere invidus, præcepti Dei causam esse invidam audet asserere, cum dicit : *Scit enim Deus quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii.* Nam cum dixisset, *nequaquam morte moriemini,* quasi quæreretur quare ergo tam severe interdixit, quare tam minaciter prohibuit : *Scit, enim* inquit, *quia aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii.* Quid ergo hac blasphemia draconis horribilius? Quid hac præsumptione nequissimi nebulonis sceleratius? Quasi parum fuerit quod superbiendo Dei similitudinem perdidit, adhuc detrahendo similem sibi Deum asserere præsumit : imo Deum mendacem, se autem veracem habendum esse misero persuadet homini. Non ergo manus Domini vindicta simplici contenta sit, quæ illum de altitudine cœli dejecit, sed exaltetur adhuc, et super hunc inimicum suum confortetur, ut mittat eum in gehennam ignis (*Matth.* XXV). Sed jam singula serpentis verba prosequamur :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT VII.

Quod nequiter mendax illuserit, dicendo : « Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii. »

Nequaquam morte moriemini. Jam derisor est, et dubia respondet, ut cum Dei veritas impleta fuerit, nihilominus tamen ipse veracem se esse cum hostili cachinno confirmet. Nam cum duæ mortes sint, altera animæ et altera corporis, quadam morte non statim erant morituri, scilicet ea quæ animam a corpore dividit. Non enim quia comederunt, idcirco eodem die corporaliter mortui sunt : sed quia comedendo mortem animi sibimet eodem die conciverunt, idcirco misericordia Dei corpore mortales facti sunt, ne, sicut ipse diabolus, irrecuperabiles essent, male et misere vivendo in æternum. Igitur quemadmodum Apollo Delphicus fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, sic jam nunc ludebat idem Dei et hominum inimicus, æquivocatione mortis nequiter abusus, odibilium sophistarum maximus. *Qui* enim *sophistice loquitur odibilis est*, uti ait sapiens quidam (*Eccli.* xxxvii). Nihilominus et cætera quæ sequuntur æquivocando cuncta confundit ac perturbat, alio sensu loquens, et alio sua dicta intelligi volens. *Scit enim Deus*, inquit, *quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri*, etc. Hoc utique volebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiæ, divinitatem quoque et omnium scientiam Deus invidens homini, tale lignum illi interdixit. Hoc, inquam, intelligi volebat in suo sermone, cum sentiret ipse aliter eventurum esse, qui tamen sensus ejus circa hæc ipsa verba pene ineffabili versabatur aversione. *Aperientur*, inquit, *oculi vestri*, videlicet in agnitionem vestræ confusionis. Est enim quædam infelix oculorum apertio, qua revelati erunt oculi impiorum, quando, sicut liber sapientiæ testatur, videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, et gementes præ angustia spiritus, dicent intra se pœnitentiam agentes : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii* (*Sap.* v), etc. Sed et apud poetam eximium secundum hanc operationem oculorum loquitur insultando inter tormenta tyrannus inferorum :

Discite justitiam moniti, et non temnere divos.
(Virgil., l. ix *Æneid.*)

Item, cum diceret : *Et eritis sicut dii*, falsis utique diis, id est sibi suisque sequacibus angelis apostaticis, similes illos facere intendebat, cum aliud (sicut jam dictum est) intelligi vellet in hac promissione sua, cui nimirum suaviter sonanti, quasi vino venenum mortis commiscuerat, Nihilominus et addendo, *scientes bonum et malum*, hoc mollebatur, ut eos habere faceret, et boni perditi memoriam, et mali inventi experientiam, cum hoc aliud vellet intelligi, quod omnem per illum cibum consecuturi essent scientiam, et nihil **44** eos lateret, quæ profecto scientia solius Dei est.

CAPUT VIII.

Quod eodem vitio diabolus hominem decepit, quo ipse cecidit de cœlo.

Considera nunc quanta hic allevatio juxta sensum ejus, qui decipitur, quanta sit dejectio juxta sensum ejus qui decipit. Sub eadem pollicitatione dum dicitur : *Aperientur oculi vestri*, hæc sapientiæ altitudinem, ille cogitat conscientiæ confusionem. Sub eadem dictione dum dicitur *et eritis sicut dii*, hæc rapere Dei celsitudinem, ille suimet similem cogitat invenire damnationem. Item sub eadem pollicitatione scientiæ *boni et mali*, hæc plenitudinem scientiæ, ille cogitat experimentum miseriæ. Molestissimum hoc fallaciæ genus est, in quo is qui decipit et palmam obtinet mendacii, et gloriatur quod verus sit verumque dixerit. Qui autem decipitur, non habet unde insultantem falsitatis arguere possit, quamlibet ille fallacissimus sit. Laborat hic sensus noster in barathro tanti hujus mali, quia videlicet tantæ caliginis, tantæque profunditatis est, ut sapientium quoque oculis vix conspicabilis sit. Quid enim? Quis hic ita decipientem accusare potest ut excuset eum qui deceptus est? Deus qui decipientis intentionem et decepti spem considerat, sicut scriptum est (*Job.* xii) : ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur; nunquid hic alterum magis altero excusatum habere salva justitia, nulla satisfactione placatus? cur enim diabolum dejecerat e cœlo, nisi quia superbiendo dixerat : *Ero similis Altissimo?* Nempe hoc eodem flatu tumida, dixit mulier : dixit, inquam, quia putavit quod comedendo fieret similis Altissimo. Quis ergo inter utrumque postularet et auditorem, vel judicem, sive defensorem Deum, cum utrumque constaret Dei factum esse inimicum. Siquidem juxta veram rationem justitiæ, deceptum prius oportebat reconciliari, tunc demum postulare judicium super impio, crudeli et sanguineo scelere deceptoris. O ergo vere necessarium hominibus adventum Mediatoris Dei et hominum, qui solus potuit et pacem inter Deum et homines reformare, et deceptoris hominum dolosam præsumptionem in judicium adducere! Sed de hoc alias, nunc instantia percurramus.

CAPUT IX.

Quomodo vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et quomodo viro suo dederit, ideoque duplici pœna quam vir ejus mulctata sit.

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit, deditque viro suo qui comedit, et aperti sunt oculi amborum. Edici satis digne non potest quam non leviter dictum sit : *vidit igitur mulier.* Quasi nondum vidisset, sicut non vidisse dicta est. Et revera nondum eo modo viderat, quia hac præsumptione qua nunc intuita est, necdum consideraverat. Notandum quippe quod non dixerat Scriptura, vidit igitur mulier lignum et tulit de fructu ejus et comedit, sed *vidit mulier*, inquit, *quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Vidit igitur, id est, consideravit, diligenter intuita est, curiosius attendit, et judex eorum quæ audierat ipsa esse voluit. Audierat quod dixisset Deus : *In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini*, audierat serpentem e contrario dicentem, *Nequaquam moriemini*. Inter hæc anceps, naturam ligni propriis sensibus dijudicare voluit, ut sciret cui potissimum, Deo videlicet, vel serpenti, palmam concederet veritatis. At illi qui de hoc judicare debuerant interiores oculi exteriorum jam erant oculorum concupiscentiis præpediti, ut non viderent; neque solam mortem corporis, vel quod duplicem illatura esset mortem : non natura ligni, sed transgressio mandati. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni consideravit, et deprehendit, male cauta quod in fructu ligni non esset venenum mortis : erat enim *bonum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile*. Hæc omni sermoni quæ dixerat Deus repugnantia judicavit esse, magisque sermoni serpentis concordare veramque assertionem ejus demonstrare. Sic vidit et sic sacrilega temeritate diabolo magis quam Deo, serpenti magis quam Creatori credidit, *et tulit de fructu ligni et comedit*. Nec satis illi hoc fuit quod comedit, sed insuper *et viro suo dedit*. Quomodo autem dedit, nisi jam abusive vel imperio vel importunitate muliebri? Non enim persuasit illi ut in eo sibi crederet, in quo crediderat ipsa serpenti. *Vir* namque, inquit Apostolus, *non est seductus, sed mulier* (*I Tim.* II). Qualis autem vel quanta sit muliebris importunitas, passim non solum divina, sed etiam humana testantur exemplaria. Ergo cogendo potius quam seducendo, imperando magis quam aliquid fingendo hoc effecit, ut obediret vir suæ voci plus quam Dei. Unde et a Domino Deo dicitur illi : *Quia audisti vocem uxoris tuæ, ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti : maledicta terra in opere tuo*. Mulieri quoque redditur adordinati pœna imperii, dicente eodem Deo : *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*. Propterea duplicis verecundiæ pœna mulier, vir autem simplici dedecore affectus est. Viro namque in solas genitales corporis partes : mulieri autem quæ non tantummodo Deum offendere, sed et viro imperare præsumpsit : sicut illas partes, sic prope et caput non velare turpe est. Et hoc omnino pro turpitudine haberi, quia a vindice Deo positum est; pro turpitudine, inquam, hoc haberi ipsa natura docet. Unde Apostolus cum dixisset : *Ideo debet habere mulier velamen super caput suum propter angelos*, subinde ait : *Vos ipsi judicate : decet mulier non velato capite orare Deum. Hoc*, inquit, *ipsa natura docet nos*, quia profecto naturale nobis judicium est, *mulieri non velanti caput idem esse, ac si decalvetur. Nam si non velatur*, inquit, *mulier et tondeatur*, subauditur, quod turpissimum est. *Si autem turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum*. E contra, *vir si comam nutriat, ignominia est illi : et si velato capite orat, deturpat caput suum* (*I Cor.* XI). Itaque jam non quæstione opus est, utrum vir mulieri, an viro mulier debeat principari : quia videlicet ipsa natura docet, adeo minoris capitis esse mulierem quam virum, ut hic velando, illa non velando deturpet caput suum. Igitur quod imperiosa temeritate mulier viro vetiti ligni fructum dederit, ipsa docet diminutio capitis muliebris, dicente Deo : *Et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*.

45 CAPUT X.

Quomodo dictum sit : « Et aperti sunt oculi amborum, » et quod confusio libidinis illius peccati pœna sit.

Quomodo tandem dictum est : *et aperti sunt oculi amborum?* Nunquid cæci erant antequam comederent, et comedendo illuminati sunt? Non utique, jam enim et mulier viderat quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile. Jam et ad Adam adduxerat Dominus cuncta animantia ut videret quid vocaret ea. Non ergo exteriores, sed interiores quos contra Deum clauserant, aperti sunt oculi amborum, quia videlicet veracem Deum, serpentem vero in sua miseria falsissimum cognoverunt. Nam protinus sequitur : *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata*. Ergo id quod dictum est : *Et aperti sunt oculi amborum*, duplicem constat habere sensum. Nam si ad exspectationem illorum respicias quam ex promissione serpentis conceperant, dicentis : *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum*, acerba nimis ironia est, et gemituosa conquestio Scriptoris dicentis, *et aperti sunt oculi amborum*, quod idem est ac si diceretur, et non juxta promissum serpentis aperti sunt oculi amborum, nisi quod acerbius nunc sub affirmatione ironica dicitur, quasi aperta voce negaretur. Porro, si verum eventum exspectes, magnæ confusionis demonstratio vel agnitio est, de qua et protinus subinfertur quod jam dictum est. *Cumque cognovissent se esse nudos*, etc. Cum, inquit, nudos se esse cognovissent, id est, cum se honore in quo positi erant et conditi, spoliatos et jumentis comparatos, sine omni protectione Dei nudatos esse animadvertissent. Nam tale est et illud, quod item dicit Scriptura hæc veridica, quæ veris nominibus res appellata, et congruis acta verbis prout oportet enuntiat. *Videns igitur Moyses populum quod esset nudatus, spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis et inter hostes constituerat nudum* (*Exod.* XXXII), etc. Igitur duplex quidem sensus in eo quod dictum est, *et aperti sunt oculi amborum*, sed verus utrobique genitus, magnum undique ex mutuæ confusionis opprobrium, Deus iratus, diabolus risu cachinnoso dilatus, uterque sexus ignominia percussus et inter hæc omnia reorum et animi torquebantur, et oculi confundebantur. Statim namque genitalis pars corporis, utrumque peccatorem ob superbiæ meritum injussis motibus similiter colaphizare (*II Cor.* XII) incœpit. Ignominam hujus passionis pudendam esse natura sponte cognoscit, sine doctore intelligit, ultranea fuga confitetur. Cur hoc?

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quia hoc rationali creaturæ inesse non debuit, sed ab offenso Deo non intelligenti honorem suum imposita est, ut compararetur jumentis. Quidquid enim homini a Deo sive propitio sive irato institutum est, hoc omnino natura hominis nescire non potest. Idcirco sicut ratione quam propitius Deus dedit, carere non potest, sic istam passionem libidinis confusibilem esse, nescire illi impossibile est. Erubescit in ipsis conjugibus, et mutuum alterutræ nuditatis refugit intuitum, sicut et isti conjuges primi, qui nondum habentes quos erubescerent nisi semetipsos, qui erant caro una, *consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata*, id est succinctoria.

CAPUT XI.

Quod exinde filii iræ fuerimus, quia de peccato et justa peccati pœna generati sumus.

Verumtamen hæc pœna sua rari sunt, qui libenter velint carere. Est enim miro modo et pœnaliter dulcis et dulciter pœnalis, ita ut plurimi nec illud saltem agnoscere queant, quod plaga sit, quod contumelia naturæ rationalis, et ignominia superborum sit. Unde et rarus est, qui sub hoc flagello scienter dicat : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi* (*Psal.* XXXVII), etc. Pauci tamen qui sub hac percussione dolent, Deumque suppliciter pro remedio sanitatis orant, tandem aliquando post laborem in pace sua, miserantis experiuntur gloriam, his non dubium est hanc passionem carnis Dei furorem esse vel iram, quia videlicet quantum profecerunt ipsi in amore Creatoris, tantum frenare quærunt motum libidinis, et quantum Deo subjecta est anima, tantum eidem animæ subjicitur caro propria. Itaque quia nos omnes tali ex natura, cui Deus iratus est, nati sumus, recte filii iræ dicebamur tam gentes quam Judæi, testante Apostolo, cum dicit : *Eramus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II), proinde quis est cui secundum carnem liceat gloriari, quod sit Dei? Quotus enim est patrum nostrorum carnalium, qui idcirco generet, ut Domino Deo servos, et paradiso ejus colonos multiplicet? Nempe vix aliquis est, cui summa sit intentio concupiendi, ut liberos faciat saltem sibi, et augeat numerum cognationis. Pene omnes una causa trahit, scilicet ardor explendæ libidinis, non solum respectum Dei, sed et ipsam obruens memoriam posteritatis. Igitur qui non propter Deum generari tali ex conditione nascimur, non debiti, sed gratiæ est quod Patrem Deum habemus, quod filii Dei nominamur et sumus. Nam natura filii iræ fuimus. Verum quam juste hæc ira generi humano superinducta fuerit, ex subsequentibus amplius apparebit.

CAPUT XII.

Quia hoc ipsum quod se absconderunt a facie Domini infidelitatis et impœnitentiæ fuerit.

Cumque audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Abscondendo se uterque de Deo male sensit, et sibi insipienter providit, tanquam impœnitens, tanquam infidelis. Nam e contra fidelis homo dicit : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : et si descendero ad infernum, ades. Si assumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris. Etenim illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII). Hic Deum ubique præsentem adesse confidit, nec loco quemdam, sed iniquitate ab illo longe fieri. Et cum paulo supra dicat : *Intellexisti cogitationes meas a longe, semitam meam et funiculum meum investigasti* (*Psal.* LXXXVII) : hoc plane confitetur novus homo, homo fidelis, quia Deus in omni loco bonos et malos respicit, et universas quoque mentium cogitationes intelligit. Et ut vere pœnitens in alio loco dicit : *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo* (*Psal.* XXXVII). Item : *Et ego ad te, Domine, clamabo, et mane oratio mea præveniet te* (*Psal.* LXXXVII). 46 Hæ voces novi hominis sunt. Nam iste vetus homo longe alio sensu abscondit se a facie Domini, male de oculis omnia videntis sentiens ut infidelis, et ut impœnitens non solum iniquitatem suam non annuntiavit, et non solum otio ejus Dominum Deum non prævenit, sed audita voce ejus adhuc latere voluit, imo et præveniente Deo redargutus transgressor, se ipsum potius defendendo, Deum incusavit. Ergo de tam vitiosa radice arboris non mirum vitiosos fructus erupisse, malum succum radicis referentes in semetipsis, cum declinant cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, vel cum operantes iniquitatem latibula requirunt, quasi Dei fallere possint oculum, verbi gratia, cum juxta beatum Job oculus adulteri observat caliginem, dicens : *Non me videbit oculus, et operiens vultum suum perfodit in tenebris, sicut in die condixerant sibi* (*Job.* XXIV). Sed ubi se absconderunt? *In medio*, inquit, *ligni paradisi*. Hoc improprie videtur dictum, quia non sit in medio paradisi, vel in medio lignorum paradisi, sed *in medio ligni paradisi*. Quod enim medium habet unum lignum, in quo abscondi valeant corpora duorum hominum? Absconsionem ergo hic oportet intelligi non tam corporis, quam animi, quem Deus maxime requirit. Quomodo secundum animam absconderunt se in medio ligni? Videlicet amando concupiscentiæ vitium, quod contraxerant per fructum ligni. Nam quandiu peccator blandum amat vitium, tandiu clausus et absconditus animus pressum tenet oris ostium, et ad Deum vocantem non egreditur per simplicem confessionis occursum. Unde ipse Dominus : *Omnis*, inquit, *qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* (*Joan.* III). Hoc vere est abscondi a facie Domini Dei, non quod talis effugiat oculos Domini, cum scriptum sit : *Vultus autem Domini super facientes mala* (*Psal.* LVIII), sed quod talis non meretur videre faciem Domini, eo quod se ab illo, quantum in ipso est, abscondat. Et recte quisque in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eo vitio dicitur absconditus, quo delectus, per confessionis, januas nusquam egreditur, cubante cum illo deceptore suo diabolo, sicut ad beatum Job loquitur Dominus, quia *sub umbra dormit in secreto thalami, in locis humentibus* (*Job.* XL). Adam igitur et uxor ejus absconderunt se in medio ligni paradisi, quia videlicet usurpationem ligni, quod erat in medio paradisi, maluerunt apud se continere, quam Domino Deo confiteri.

CAPUT XIII.

Quomodo Deus in paradiso ad auram post meridiem deambulasse dicitur.

Quid tandem illud sibi vult, quod interposuit Scriptor, dicens : *Deambulantis in paradiso ad auram post meridiem?* Exilia quidem ad majestatem Dei videntur hæc dicta, quod tanquam homo post curas vel post laborem pransus dormiat, et sopori suo vel quieti suæ deputatas habeat horas meridianas, ac deinde post somnum deambulando grave corpusculum recreat, ac dulci relevat aura. Sed ne mireris, nam revera tunc homini Deus nimium dormierat. Si enim tunc non dormisset is de quo nunc dicitur : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel* (*Psal.* CXX), nequaquam tantum malum accidisset, nequaquam tantum damnum rei familiari, fur diabolus intulisset. Igitur quod dictum est, cum *audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*, non sermonis vacui superfluitas, sed gravissima opportuno in tempore querela est. Quo exemplo licet nobis cum propheta dicere : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge* (*Psal.* LXIII). Si enim eidem Psalmistæ recte licuit dicere : *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII), pro eo quod tardiuscule subvenit, capta quippe fuerat jam arca Dei, et sacerdotes ejus in gladio ceciderant, Osni, et Phinees (*I Reg.* IV) : quanto magis tunc tanquam crapulatus a vino, toto meridie dormisse dicendus est, quando illo tacente, tantum malum universo generi humano partum est. Et notandum, quod non post noctem, sed post meridiem Dominus Deus excitatus deambulasse dicitur. Dominus enim lux est, et tenebræ in illo non sunt ullæ. Proinde sive cum vigilat, sive cum nobis dormit, nunquam noctem, sed semper habet meridiem, quia semper lux ipse est. Quid ergo, inquis? Culpandusne est Deus, quia toto meridie dormivit, et eo dormiente lupus ovem centesimam tulit? Non utique, sed tota culpa illius est, quia custodem suum dormire permisit. Nam ut ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormitet aut dormiat, inquietare debet. Unde et per Prophetam spiritus ejus dicit : *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei* (*Isa.* VI). Quomodo non dandum est silentium ei? Videlicet toto die et tota nocte non tacendo laudare nomen Domini. At ille, scilicet Adam et uxor ejus, uterque pari pertinacia silentium tenuit, quia, sicut superius jam dictum est, neque quia formavit, neque quia in paradiso Deus hominem posuit, neque quia ad propagandum genus humanum, utrumque, scilicet masculum et feminam, conjunxit, ullam gratiarum actionem reddidit, nec ullum piæ confessionis verbum de ore cujuslibet eorum sonuit in auribus Dei. Itaque nec ejus culpa est, qui dormivit, sed ejus qui tam ingratum silentium, ut merito dormire possit, ei præbuit. Igitur magnitudine negligentiæ hominis et justitiæ Dei, Scriptura valenter et proprie satis expressit, dum Dominum Deum assimilavit homini tam quiete tamque licentiose in meridie dormienti, ut, peracto somno, etiam deambulare ad auram et spatiari vacet sibi, nemine interpellante, vel curam afferente alicujus negotii.

CAPUT XIV.

Quod non Adam prior invocavit Deum, sed Deus prior vocavit Adam.

Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit : Adam, ubi es? Dixitque Adam : Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. Non reus et prævaricator Adam Deum prior invocavit, sed Deus judex prævaricatorem prior vocavit, cum hoc illi magis expediret, ut præoccupare et faciem ejus in confessione, et dignam satageret saltem post peccatum satisfactionem offerre. Recteque dicitur illi : *Ubi es?* quia videlicet movit pedem suum, et in loco suo non est. Locus enim hominis Deus est, extra quem nusquam bene est. Unde et beatus Job cum dixisset : *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam ;* continuo subjunxit : *neque cognoscet eum amplius locus ejus* (*Job.* VII). Non dixit, neque cognoscet amplius locum suum, sed *neque cognoscet* eum, inquit, *amplius locus ejus*, quia profecto postquam semel dixerit, *Nescio vos* (*Matth.* XXV), neminem damnatorum cognoscet Deus, neminem 47 perditorum requiret amplius. Bene ergo locus suus post lapsum hominem, locus, inquam, suus, id est Deus, requirens dicit : *Adam, ubi es?* Sane qui ultro nolebat agnoscere ubinam esset, id est quantum in malum decidisset, hac saltem percunctatione Dei pulsatus evigilare et videre debuerat ubi esset. Hoc enim benignitas quærentis intendebat, ut is qui quærebatur seipsum inveniret, et sciret quid perdidisset, quid commeruisset. At ille id quod quærebatur non respondit. Dixit enim : *Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, et abscondi me.* Non dixit : Ecce adsum. Nec enim Deo aderat, aut obedienter adesse volebat, qui post inobedientiam se absconderat. Et notandum quod culpam suam tacuit, quæ causa sibi erat pudendæ nuditatis, et ita nudum se esse questus est, ut Deum potius incusaret, quod talem facturam hominis formasset. Non enim dixit : Vocem tuam audivi in paradiso, et timui eo quod præceptum tuum prævaricatus essem, sed *timui*, inquit, *eo quod nudus essem.* Non ergo factum suum, sed facturam Dei in semetipso reprehendit. Et quam perversus hic timor est, qui non

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

facti sui gerere pœnitudinem, sed solam pœnæ suæ se fatetur habere confusionem. Perseverat hæc usque hodie perversitas in filiis Adæ, ut aliqua pœna pro suis malefactis affecti, non quod ipsi fecerint, sed semper accusent quod sibi a judicibus suis factum sit, donec penitus atteratur spiritus rebellis, et humilietur vulnere intolerabili, stultitiam suam non agnoscunt, quemadmodum scriptum est: *Et sola vexatio dabit intellectum auditui* (*Isa.* XXVIII). Quin etiam deprehensi atque convicti culpam dum negare nequeunt, proterve defendunt, unde et inexcusabiles sunt. Nam audi qualiter isti deprehensi culpam defenderunt. Sequitur :

CAPUT XV.

Quod uterque, scilicet Adam et Eva, peccatum suum defenderit.

Cui dixit : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti ? Dixitque Adam : Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti ? Quæ respondit : Serpens decepit me et comedi. Quia suæ nuditatis, ut supra dictum est, homo tacuit, idcirco Deum loqui, et eamdem in homine causam arguere oportuit. Est autem hæc regula divinæ æquitatis, ut homo si justificari velit, id est si seipsum accuset, *justus* enim *in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII). tunc mitius ac mansuetius agat cum illo misericordia Dei. Si autem homine tardante, priorem Deum oporteat loqui, et narrare quid homo fecerit, tunc districtius arguat atque corripiat non in mansuetudine atque misericordia, sed in furore et in ira sua. Bene ergo non suaviter dixit : Tu enim de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti : sed aeriter invectus est, judiciario more interrogans, reumque dissimulantem aspera quæstione pulsans : *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti ?* Ac si diceret : Hæc ipsa scientia qua nudum te esse perspexisti, culpa est, quia spina est. Unde enim tales tibi aperti sunt oculi, nos et concupiscéntia commoveret, et conscientia verberaret, atque ita ferre non possent ut nudus incederes ? Unde, inquam, hunc visum accepisti, quo indice tuam nuditatem invenisti, nisi quod ex illo ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti, et hanc mercedem iniquitatis quam oportuit, in temetipso recepisti, ut confusionem tuam recipiscas, et ex concupiscentia tua confundaris? Quid ad hæc ille? *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi et comedi.* Antequam diceret *comedi*, scutum defensionis arripuit dicens : Mulier quam dedit mihi, statim interponendo *quam dedisti mihi sociam*, procaciter Deum percussit linguæ acumine. Quia quippe peccaverat, et peccatum suum a Dei nuntiatione redargutum et cognitum noverat, salvum hoc solum diceret : Comedi, et magni debitor dimissi, id est magni reus peccati procidens roget eum dicens : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Sed, ut jam dictum est, scutum defensionis prætulit, dicens : Mulier dedit mihi, quasi firmitatis aut rationis haberet aliquid hæc defensio, et non potius accusatio esset, quam excusatio quod se mulieris datum, fatebatur Dei prætulisse imperio. Ita sane rationis infatuato, in Deum quoque culpam retorquere voluit pro eo quod mulierem sociam dedisset sibi. Et non dixit : Mulier quam dedisti adjutorium mihi, cum dixerit Deus : *Faciamus ei adjutorium simile sui* (*Matth.* XVIII) ; sed, ut totus erat in felle amaritudinis, dulciora nomina vel verba fugiens, pro eo ut diceret quam fecisti adjutorium mihi, *quam dedisti mihi sociam*, inquit. Eadem pertinacia mulier non absolute dicit : Comedi, sed scutum prætendens ad excusandas excusationes in peccatis, *serpens*, inquit, *decepit me, et comedi.* Quasi vero Dominus Deus requisisset, quis persuaserit, et non potius quare hoc fecerit : sciens utique quod sacrilega mente hoc fecisset, credendo serpenti, in eo quod ait : *Et eritis sicut dii.* Dicendo namque *Quare hoc fecisti ?* mulierem ad conscientiam vocare voluit, ut recogitaret, et diceret, Quid feci ? At illa intelligere nolens, respondit alia pro aliis. Non enim dixit, quia decepta spe hujusmodi sic feci, sed *serpens decepit me, et comedi.*

CAPUT XVI.

De quatuor peccati ejusdem incrementis.

Interea reus circum volando laborabat misericordia, sed undique obtrusa resistit, aditumque illi denegat vitiata creatura. Quarto namque peccati incremento fit, ut nullus veniæ locus sit, scilicet cum cogitationi opus, operi consuetudo, et consuetudini adjicitur defensio, unde et nunc per prophetam Amos idem Dominus dicit : *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum* (*Amos.* I), etc. Videlicet sub nominibus Damasci, Gazæ, et Tyri, cæterarumque gentium cuilibet peccatori tertio peccanti, Deum indulgentiam dare posse significat, quem quarto peccantibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam esse daturum enuntiat. Quæ peccati quatuor incrementa beatus Job mystice deplorans in istis primis hominibus adimpleta dicit ex persona generis humani. *Quare non in vulva mortuus sum ? Egressus ex utero non statim perii ? Cur exceptus genibus ? Cur lactatus uberibus ? Nunc enim dormiens silerem* (*Job.* III), etc. Peccatum namque primorum hominum, antequam pareret in effectu operis, id est in præsumptione vetitæ arboris, latebat in secreto animi superbientis, et Deo ingrati, quemadmodum puer antequam nascatur in mundum, coalescit intra tumentem matris uterum : nisi enim intus prius tumuisset, sicut alio in loco 48 jam dictum est, foris tentati tam facile non cessisset. Item, quomodo infans editus excipitur genibus et colligatur, et deinde ut duret blandis nutriculæ lactatur uberibus ; sic iidem peccatores peccatum suum, et eamdem carnis suæ pœnam pro qua nuditatem suam erubescebant, amplexati sunt, libidine oblectati, et deinde redarguti a Deo, sibimetipsis blandientes,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

factum suum defendere ausi sunt. Itaque repulsa venia, juste tandem super illos datur sententia et primo in ipsum peccati principem a quo totius mali initium emanavit. Nam sequitur :

CAPUT XVII.

De inimicitiis inter mulierem et serpentem positis, et quod de peccato serpentis Deus non anæsierit, dicendo : « Quare hæc fecisti ? »

Et ait Dominus Deus ad serpentem : Quia hoc fecisti, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ. Ab homine, cui cum iratus est, misericordiæ recordari habet, Dominus Deus requisivit, et cum eo de facto ratiocinari dignatus est : cum serpente autem sibi ejusmodi nulla ratio est. Scriptum est enim, quia *secundum multitudinem iræ suæ non quæret* (*Psal.* IX). Scimus autem quia super antiquum serpentem diabolum, ira Dei multa et interminabilis est. Ille vero serpens per quem ille draco locutus est, id est terrenum animal, nullam omnino rationem Deo redditurus est, quippe qui creatura irrationalis est. Igitur bene absque requisitione causæ vel facti, sententiam super serpentem judex Deus edicit, quam et in utrumque serpentem clara et aperta enuntiatione spargit sic : *Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ. Inimicitiam ponam inter te et mulierem*, etc. Non imprecantis animo dixit, maledictus sis, sed enuntiativa designatione *maledictus es*, inquit. Hoc nempe more Domini observandum est, quod is qui omnia fecit valde bona, nullam corrumpit creaturam maledictione a semetipso effusa. Cum igitur ad serpentem dicit, *maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ*, malum ejus meritum judiciaria æquitate tali sententia denuntiat. Odibile namque illud genus animantis factum esse denuntiat, *super cuncta animantia et bestias terræ*, ex eo quod minister diabolo exstitit ad perditionem ejus, qui ita est factus, ut præesse debeat cunctis animantibus et bestiis terræ. Non enim idcirco serpens malitiosus et venenatus est, quia dixit Deus : *Maledictus es*, sed quia diabolo polluente, omnino odibilis factus fuerat, idcirco sic a Domino Deo pronuntiatum est. Dicit enim Pythagoras, de medulla hominis mortui, quæ in spina est, serpentem creari, quod et alius quidam in libro suo commemorat, dicens :

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Quod si creditur, merito evenit ut sicut per serpentem mors hominis, ita et hominis morte serpens nascatur. Fertur autem, quod nudum hominem non sit ausus contingere.

CAPUT XVIII.

Quomodo dictum : sit « Super pectus tuum gradieris. »

Sed quid sibi vult quod sequitur, et dicit : *Super pectus tuum gradieris ?* Numquid antequam diabolus per os ejus locutus fuisset, pedibus aut cruribus ambulabat pectore a terra sublato, et postea pedibus ademptis super pectus suum gradi cœpit squamis suis et costis pro pedibus et cruribus utens-, et presso repens incessu ? Nonne et antequam hominem fecisset Deus dixit : *Producat terra jumenta et reptilia et bestias in genere suo ?* Quomodo ergo nunc pro pœna infertur quod a natura illam prius habuisse negare non possumus ? Igitur sub nomine serpentis quem invasit diabolus, ipse percutitur, et qui per superbiam suam similem se Altissimo fore putavit, propter malitiam suam infimæ creaturæ, quam ipse vitiavit, judicatur fieri pœnaliter similis. *Super pectus tuum gradieris*, inquit, tanquam diceret : Sicut hoc reptile cujus calliditate abusus es, super pectus suum graditur, et seipsum in terram premit : sic tu, diabole, cum sis rationalis spiritus, rationale tuum semper gravi fatuitate onerabis, et quocunque te verteris, semper intentionem tuam deorsum conferes, et factis premes contrariis. Verbi gratia : Invidendo evacuasti meritum hominis, sed hoc facto gratiæ Dei locum aperuisti, cui amplius invidebis, dum homo seipso tanto fit altior, quanto gratia Dei cujuscunque creaturæ meritis est major. Ab hinc usque in finem, dum Deo volens adversaris, Deo nolens cooperaris, et ita circulum habens in naribus tuis (*Job.* XL) *super pectus tuum gradieris*, quia miro modo et mala intendis, et bona facis, dum persequendo hoc ipsum quod ut destruas persequeris, dum quasi malleolus aurum Dei nequiter affligis, et affligendo ad gloriam extendis. Interea *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Terram, inquam, comedes et non cœlum, id est non quorum conversatio in cœlis est (*Philipp.* II), sed terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt. Malus operarius, et nequam servus, Deo tamen utilis, fatigationem iracundiæ tuæ talium devoratione consolaberis.

CAPUT XIX.

Item de eo quod dictum est : « Inimicitias ponam inter te et mulierem. »

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Hoc a fraudibus inimicitiæ differunt, quod fraudes pactam sermonis vel cujuslibet rei prætendunt superficiem. Inimicitiæ vero manifestam contrarietatis habent intentionem. Constat autem quod subdolus diabolus in serpente mulieri non tanquam armatus adversarius occurrit, sed tanquam fidus consiliarius lateri ejus in via sese adjunxit. Cum igitur dicit Deus, *ponam inimicitias inter te et mulierem*, profecto magnum gratiæ suæ opus promittit, quod victorem diabolum qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine. Porro hæ inimicitiæ non per ipsam mulierem, sed per semen illius exercendæ et usque ad victoriam perducendæ sunt. Proinde cum dixisset, *inimicitias ponam inter te et mulierem* continuo subjunxit, *et semen tuum et semen illius*. Quo enim de semine hæc dicuntur, nisi de uno qui est Christus ? Ipse namque solus ita semen mulieris est, ut non etiam viri semen sit, quare recta additio est : cum dictum sit a Domino Deo, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen illius* su

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

auditur Christus. Nam hic plane cum illo antiquo serpente fortiter sese exercuit, nec unquam illi in aliquo consentaneus fuit. Unde et liberior atque expeditior fuit, accinctus gladio super femur suum, potentissimus, speciosus et pulcher, intendit prospere, processit **49** et regnavit (*Psal.* XLIV), hostemque publicum ante pedes suos productum contrivit et vulneravit, juxta Psalmistam dicentem : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum in virtute brachii tui* (*Psal.* CXXXVIII). Tunc adimpletum est mulieri, in isto semine suo, quod hic fuerat prædictum, *ipsa conteret caput tuum*. Unde in alio psalmo Propheta dicit : *Tu contribulasti capita draconum in aquis, tu confregisti capita draconis* (*Psal.* LXXIII). Quis omnium nostrum, quicunque viri pariter ac mulieris commistum semen sumus, inimicitias cum isto deceptore integras se habere gloriabitur? Nonne omnes Dei potius inimici fuimus, nisi quia per hoc unicum unius mulieris semen reconciliati sumus? Ergo secundum illius quidem gratiam, nunc filii vel amici Dei sumus, et cum illo dracone inimicitias habemus, secundum nos ipsos autem, vel secundum primos parentes nostros socii et consentanei rebellionis ejus fuimus, et necdum perfecta fide, adulterinas ejus blanditias respuimus. Nam, quoties ad aliquod peccatum pertrahimur, ille primum nobis capite blanditur, deinde nos ventre oblectat, tandemque cauda ligat, quia videlicet tribus modis omnis ejus tentatio perficitur, suggestione, delectatione, consensu. Inter hæc proculdubio nequaquam veras contra illum inimicitias habemus. Certissime igitur hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem qui deceptus est, deceptoris caput omne contrivit, quando ad destructionem peccati beata Virgo sine peccato, novum hunc et cœlestem hominem mundo edidit. *Et tu*, inquit, *insidiaberis calcaneo ejus*, id est, ingeres te in extremis vitæ illius, *insidiaberis*, inquit, sed non etiam mordere poteris. Hoc plane licet subaudiri, quod verbis aliis idem filius mulieris evidenter astruit, dum mox ducendus ad passionem, dicit : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV).

CAPUT XX.

Item de eo quod dictum est : « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis, » etc.

Præterea inter mulierem et semen ejus, et hoc genus animantis, per quod mulier seducta est, grandes inimicitiæ positæ sunt. Utrinque non tam rationis judicium quam sensus naturalis perpetuum servat odium. Hæc enim etsi non semper actu, semper tamen potestate quadam conterit caput illius : ille autem, utpote humi depressus et non arduus, calcaneo hujus insidiatur. Nam, si nuda mulieris planta dentem serpentis prævenerit, et vivacissimum caput ejus vel leviter presserit, statim totum cum capite corpus repente interit, ita ut nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis aut vectibus certe, nec gladiis concidentibus, cito aut leviter effici potest. Siquidem excisum caput, cum tribus aut duobus digitulis, vivere et abire perhibetur. Hoc quoque quod prædictum est, ita esse ipsorum qui per industriam exploraverunt, fida relatione comperimus. Unde et fertur, quod nudum corpus ejus contingere non ausus sit. E contra ille, quamlibet exiguus sit, si vel extremæ plantæ dentulum infixerit, occidit. Morsu namque infusa pestis per venas vegetatione corporis aucta discurrit, animamque eximit. Adeo graves inter utramque naturam inimicitiæ positæ sunt, antiqui mali super novum exhibentes monimentum. Mox ut venenum morsu injectum sanguinem hominis tetigerit, paulatim serpit et inimicum suæ naturæ animal interficit. Unde sic ait quidam :

Noxia serpentum est admisto sanguine pestis.
Morsu virus habent, et fatum in dente minantur.
(Luc. *lib.* IX *Phar.*)

Omne enim venenum frigidum est; idcirco anima, quæ ignea est, fugit venenum frigidum. Serpentum vero quot genera, tot venena : quot species, tot pernicies : quot colores, tot habentur et dolores. Maledictum quippe animal est, ex quo diabolo ad ministerium mortis propria calliditate suffragatum est, et exinde homini naturaliter inimicum est. Sed quid mirum hoc malum a Deo permitti homini, cum et ipse homo ad interfectionem proximi, serpentum sese armet venenis, et quod non habet natura virus, acquirat pervicacia, comparet pecunia? Hoc enim auctor idem qui supra tali exsecratione declamat :

Sed quis erit lucri nobis pudor? inde petuntur
Hue Lybicæ mortes, et fecimus aspida mercem.
(Id., *ibid.*)

Proinde, quia homines ipsi quodammodo serpentes fiunt, dum non tantum spiritualiter venenum aspidum sub labiis eorum, sed realiter quoque venenum aspidum in sistarciis eorum patiantur; et ipsi nec murmurent, quod venantur, et intereunt tot homines pestibus serpentum.

CAPUT XXI.

De tribus in mulierem quasi verberibus sententiæ Dei.

Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios tuos, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Hæc tria divinæ sententiæ verbera nimium notis erumnis, sexum femineum indesinenter cruciant. Novissima tandem super hæc peccati ejus pœna mors est. Verum hoc illi malum cum viro commune est. Quare, inquit, mulier, præter hoc, in sexu proprio triplicem pœnam habet? Videlicet quia peccati quantitas in muliere triplo major, quam in viro est : primo, quia credendo serpenti plus quam Deo seducta est. Secundo quia pulchritudinem et suavitatem ligni delectabiliter concupivit. Tertio, quia non contenta transgressione propria, postquam comedit, viro quoque dedit. De quo notandum, quia cum requireretur a Deo dicente : *Quare hoc fecisti?* id est, quare viro tuo dedisti, non habens quid saltem vanæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

defensionis obtenderet, aliud pro alio respondit, dicens : *Serpens decepit me, et comedi.* Itaque triplici peccato triplex quoque vindicta præter communem sibi cum viro mortem reddita est. Nam quia serpenti credidit, dicenti : *Eritis sicut dii*, juste ipsa contra hoc, quod Deus vivorum et non mortuorum Deus est, non vivorum, sed mortuorum mater esse meruit, dicente Deo : *Multiplicabo conceptus tuos.* Omnis enim conceptus ejus anima et corpore in peccato ipsius moriuntur, et nemo illorum Deo vivit, nisi vivificentur in Christo. Item, quia *vidit quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, pro illo visus sui delectamento contrarius hic redditur uteri dolor, nam *in dolore*, inquit, *paries filios tuos.* Tertio quia viro suo dedit, et eum ad comedendum illexit, importunitate muliebri, idcirco *sub viri potestate*, inquit, *eris, et ipse dominabitur tui.* Ita pro seductione, *vir* enim, inquit Apostolus, *non est seductus, sed mulier* (*II Tim.* II), pro seductione, inquam, quia seducta est, conceptuum multiplicitas, pro gulæ oblectamento uteri dolor, pro temerario imperio servitus illa pœna ei reddita est. De subjectione **50** viri qua mulier ei subjecta est, et dominatione ejusdem, qua mulieri dominatur, jam superius dictum est. Sed adhuc recte quæri potest : Quid illud sit, mulierem viri sub potestate esse, et virum mulieris dominum esse, quoniam utrumque dixit : *et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui?* Ad hoc respondendum valentioris esse dominationis, mulierem sub domino, quam sub potestate viri esse. Nam et secundum Romanas leges, sub viri potestate est mulier antequam in manum viri conveniat, sub potestate, inquam, viri, verumtamen non tanquam domini, sed tanquam tutoris, ita ut sine auctoritate ejus testamentum illi facere non liceat. Quæ autem in manu viri convenit, multo magis quandiu vixerit vir, testamentum illi sine viro facere non licebit, unde et capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri convenit. Adeo apud gentiles quoque, qui in hanc Scripturam non legerant, vel hujus veri Dei præcepta non observabant, hæc lex naturaliter valuit : quam Dominus naturæ imposuit, dicens mulieri : *et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quædam tamen barbaræ nationes, sicut cæteræ, ita et hunc naturæ ordinem confuderunt, ut mulier sine capite, id est sine viro suo, super viros ageret potestatem et dominium. Unde et apud Romanum defensorem, mulier causam suam tuetur, sic inter alia dicendo :

Non urbes prima tenebo
Femina Nilicas ; nullo discrimine sexus,
Reginam scit ferre Pharos.
(Luc. *I.* x.)

Verum hoc non tam jus aut lex, quam usurpatio dicenda est. Recte ergo non tam dixit : *sub viri potestate eris*, nam et puerulus masculus sub viri, id est tutoris, potestate est, sed addidit; *et ipse dominabitur tui*, scilicet, ut nunquam mulier libera sit de subjugo viri, sed ejus tam ætas, quam conditio primum sub potestate viri tutoris, et deinde cum in manum viri per legitimas conjugii tabulas venerit, sub dominio viri sit. Verum castis et fidelibus mulieribus hanc tertiam pœnam benevolentia nullam aut levissimam efficit. Et non solum non obest, sed etiam laudi est. Propter quod et Petrus apostolus mulieres ad subjectionem spontaneam cohortans dicit : *Similiter mulieres subditæ sint viris suis* (*I Petr.* III). Sic enim aliquando et sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, etc. His ita dictis adhuc de multiplicatione conceptuum aliqua dicenda sunt.

CAPUT XXII.

Item de eo quod dictum est : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. »

Multiplicabo, inquit, ærumnas et conceptus tuos, subauditur, super numerum. Nam et electorum quidem numerus multiplex est, sed eorum multiplicatio tota ex benedictione est Dei dicentis, ut supra jam dictum est : *Crescite et multiplicamini, et replete terram*, etc. Hæc autem multiplicatio non benedictionis, sed damnationis est : non gratiæ, sed iræ, non clementiæ, sed vindictæ. Unde et non ait tantum : *Multiplicabo conceptus tuos*, sed multiplicabo, inquit, *ærumnas tuas et conceptus tuos.* Mulier quippe quanto fecundior, tanto ærumnosior. Post singulos conceptus dolor cruciat per singulos partus, suus eam sanguis fatigat, quippe quæ et cum sana videtur, menstruis fluoribus laborat. Mulier namque unum et solum est menstruum animal. Quanta putas hæc ira, quanta est vindicta, concipi vel nasci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum vel vitam æternam non pertineant, quibus proinde melius erat si nati non fuissent? Nempe si incorrupta naturæ nostræ terra permansisset, non Dei benedictionibus pestem maledicti serpentis superinduxisset, solas bonas arbores, id est solos bonos germinasset homines, et nullum agrestium lignorum, quæ ad hoc nata sunt, ut excidantur et in ignem mittantur, quia fructum non ferunt, succi ejus abundantia produxisset. Hæc fortis atque terribilis nimis, et timenda magis quam discutienda divini judicii severitas est.

CAPUT XXIII.

Item de multiplicitate conceptuum, et quod inde fuerit, ut Rebecca quoque conciperet Esau et Jacob.

Nimium pii homines et insulsa pietate hanc ipsam Dei severitatem reprehendentes, mallent non nasci, et omnino non esse homines, qui sic male nati sunt, ut sint divinæ benedictionis exsortes. Hi ergo quare generant? Quare ipsi vel parentes ipsorum magis in carne sua, quam in benedictione Dei seminant, dum magis pro explenda libidine, quam pro multiplicanda Domini Dei familia opus generationis perpetrant? Nempe, sicut jam longe superius dictum est, ex mentis superbia profecta est carnis incontinentia, et ex carnis incontinentia pullulat conceptuum multiplicitas. Sed dicit quis : Nunquid non in sanctis et continentibus hominibus invenitur progenies ab

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ipsis educta super numerum? Nonne, verbi gratia, Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri alterum electum, alterum reprobum edidit, sicut scriptum est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Gen.* xxv). Ad hæc inquam : Nonne omnes et quæ sanctæ dicuntur mulieres, præter unicam Filii Dei Genitricem, in iniquitatibus et in peccatis conceperunt vel concipiunt? Non derogatur quidquam hic beatis matribus sanctorum, quæ magna fide beatam progeniem, de qua Deus et homo Christus natus est, ædificaverunt. Verumtamen, sicut in dolore pepererunt filios suos, sic et in iniquitate non solum originali, verum etiam in propriæ libidinis peccato conceperunt. Peperisse autem et hanc ipsam Rebeccam in magno dolore, ipsa Scriptura testatur, dicens : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Qui exaudivit eum, deditque conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in utero ejus parvuli. Quæ ait : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere* (*Ibid.*). Itaque, nec sine peccato libidinis concepit, quæ in tanto dolore peperit, ut pene non concepisse maluerit. Quod ne de hac admodum juvencula dubium adhuc esse putes, dicit ipsa quæ prima nostræ fidei mater est, Sara jam anus, cui præ senectute muliebria, id est menstrua, jam fieri desierant : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* (*Gen.* xviii.)? Igitur, cum reprehendant homines Deum, quod infaustos mulieris conceptus multiplicet : seipsos potius, vel parentes suos accusent, quod suos ipsi concubitus multiplicent non gignendæ proli ad honorem Dei, sed suæ potius studentes libidini. Non enim quia dixit Deus : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos*, idcirco natura mulieris conceptibus superfluis fluxa facta est : sed quia peccavit mulier, et peccato suo vitiata est, idcirco prædixit Deus quid illi ex vitio suo esset proventurum. Etiamsi uno ex concubitu **51** habuit Rebecca geminos, Jacob et Esau, sicut prædictum est, quanquam non incongrue possit intelligi ex uno concubitu id esse, ac si diceretur ex unius concubitu : non quæstionibus ventilandum, cur non utrumque dilexerit Deus, sed gratiæ illi agendæ sunt, quod duobus vermiculis de una massa peccatrice scaturientibus, saltem unum eorum dilectione sua dignum fecit, quia qui utrumque juste relinquere poterat, alterum misericorditer diligens assumpsit, alterum juste odio habens reliquit. Sed jam de ejusmodi alias dictum est, videlicet quod inepte quærat quis, cur Deus vel illos angelos creaverit, vel homines illos peraditat nasci, quod male acturos vel perituros esse novit.

CAPUT XXIV.

De sententia quæ dicta est in virum, et quod utile fuerit hominem post laborem reverti in cinerem propter edomandam ejus superbiam.

Adæ quoque dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti : maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris. Quia audisti, inquit, *vocem uxoris tuæ.* Tanquam diceret : Quia mulier quam ego dedi tibi sociam, dedit tibi, et comedisti : *maledicta terra in opere tuo*, etc. Hujusmodi dictio in libro Numerorum legitur hoc modo : *Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus, eras movete castra et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri* (*Num.* xiv), et reliqua tali occursione prolata sententia, manifestissimam habet justitiam. Nam hoc modo reus ex ore suo judicatur, eademque responsione qua defendi se arbitratur, conclusus apud judicem suum tenetur. Quid enim? Nunquid mulier major erat Domino Deo? *Maledicta* ergo *terra in opere tuo.* Non ait maledicta terra in semetipsa, quippe quæ cum res sit inanimata et insensibilis, nec benedictione, nec maledictione secundum semetipsam digna est, vel ejus perceptibilis. Sed *maledicta*, inquit, *in opere tuo*, id est, propter opus tuum. Vel *maledicta in opere tuo*, id est laboriosa sit tibi operatori vel cultori suo. Hoc enim sequens versiculus patenter innuit, quo exponens quid dixerit, ipse *in laboribus*, inquit, *comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Quid enim affert, si non laboraveris, si non operatus fueris : utique *spinas et tribulos germinabit tibi*, etc., talia quæ sponte producit, *et comedes herbas terræ*, id est fenum quod itidem sponte producit jumentis. Itaque *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*, id est, si sudaveris, si arando et serendo laboraveris, tunc demum panem tuum, id est, tibi necessarium dabit. Secundum Hebraicam veritatem non sic dictum est, cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. Sed sic se habet ordo litteræ : *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Sicque subjunctum est, *spinas et tribulos germinabit tibi*, ut subaudiri debeat, si non laboraveris, si non operatus fueris. Itaque *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* At ille tuus panis vitam tibi nequaquam perpetuabit, sed infirmitatem tuæ mortalitatis aliquam diu sustentabit, *donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Ecce ultima percussio mors carnis est. Saltem hæc plaga superbiam cineris domare, et redigendas in lutum cervices, quandoque flectere habebat. Jam antea quidem miser homo vere mortuus, quia Deo mortuus erat, scilicet morte peccati, quæ animam a Deo separat. Dixit enim Deus, quia *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* At ille recenti petulantia carnis delibutus, ejus mortis amaritudinem non sentiebat : quemadmodum et nos hodie, cum tam multos quotidie carne quoque morientes videamus, lasciviente adhuc sanguine jocamur et ridemus, jamque gaudiis æternis privati, et mox temporalibus quoque privandi, tamen læti cumus. Quid si nunquam carne morituri essemus? Quomodo anima mortem, et futurum in fine sæculi judicium, surdis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

auribus præteriremus, qui cras morituri, hodie superbimus? Quid, inquam, si interim, dum vivimus absque laboribus, et absque sudore vultus sui omnis homo pane suo vesceretur, cum semper in sollicitudine famis et alternante rerum penuria, præterea nunquam de imminente morte nobis incertis, tamen adhuc semetipsam caro nostra pro superbia nesciat, et libidinibus diffluat? Bene ergo Deus bonus, ne malam mortem animæ suæ homo nesciret, et securus usque ad ultimi judicii diluculum in suis voluptatibus dormiret, morte carnis illum præcellit ut saltem ejus instantis metu aliquis evigilet. Et interim, quia saturitas panis et otium istam quoque posset abolere sollicitudinem, voluit illum non sine laboribus et sudore vultus sui vesci pane suo, quin etiam fortiter laborantem nonnunquam sterilibus annis magna ex parte privari fructu suo. Hoc non inutile homini esse adeo verum est, ut gentilium quoque poeta eximius dicat :

.....Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam volvit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda.
Nec torpore gravi passus sua regna veterno.

(Virg. l. I *Georg.*)

Inutile testatus est esse regno patris, quem Jovem esse dicebat, torporem vel otium, quamvis utpote gentilis præteriret, quod ex otio nascitur peccatum. Qui tamen gloriabundus, alio loco et cujusdam infantuli adulatoriis vacans blanditiis, pro magna felicitate spontaneas divitias sic inter cætera promittit :

Molli paulatim flavescet campus arista.
Incultisque rubens pendebit sentibus uva.
Et duræ quercus sudabunt roscida mella,

(Virg. in *Bucol.*, *Eclog.* IV.)

et reliqua. Sed non mirum de hoc nullius bonæ professionis homine ethnico, cum et plerique nominis Christiani professores fuerunt, qui non ignorantes saturitatem panis et otium peccatum fuisse Sodomorum, mille annos Christo rege futuros esse prædicaverunt, dicentes : Tunc nobis centupla omnium rerum, quas dimisimus carnaliter esse reddenda : non recogitantes, quod si in cæteris digna sit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro (*Matth.* XIX).

CAPUT XXV.

Quod non iræ, sed miserantis fuerit gratiæ, quod Deus mortalem voluit esse hominem.

Igitur non iratæ justitiæ, sed miserantis est gratiæ, quod vitiatum hominem Deus mortalem esse, et interim dum vivit in laboribus pane suo vesci voluit, ut videlicet antequam veniat dies judicii, quo cum antiquo peccatore diabolo damnandi sunt omnes iniqui (*Matth.* XXV), resipiscant aliqui laboribus et doloribus, tandemque ipsa morte eruditi, quatenus vel sola vexatio det intellectum auditui (*Isa.* XXVIII). Quod gentilium **52** quoque quidam philosophus Plotinus sentiens, et rationabiliter utilem esse arbitratus hominibus mortalitatem : Tunc Pater, inquit, misericors mortalia illis condebat corpora. Adeo hoc expedire persensit, ut Deum in eo misericordem assereret, quod homines mortales esse voluit. Porro, illorum qui nec tantis paternæ disciplinæ verberibus afflicti resipiscunt, damnatio justa est, quia culpa inexcusabilis est. Quid enim ultra faciat Deus, ut eos e malis coerceat? *Super quo*, inquit, *percutiam vos ultra, addentes prævaricationem?* Et subinde : *Terra vestra deserta, et civitates vestræ succensæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili* (*Isa.* I), etc. Hæc cum per prophetam dicit, profecto illud patenter innuit, quod et universum genus humanum et ipsa tandem morte percusserit, ut non sicut immortalis diabolus, adderent prævaricationem, sed potius ab antiquæ prævaricationis superbia per humilitatem pœnitentiæ refugerent. Ad hoc valet et illud, quod ejusdem mortis diem vel horam homini incognitam esse voluit, ut, dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperque suspectum superbire non sinat. Dixit enim indefinite, *donec revertaris in terram de qua sumptus es*, et non dixit usque ad tot annos vel tot dies, quibus transactis statim reverteris in terram, de qua sumptus es. Ita ergo vivere hominem voluit, quasi altera die judicandum et rationem de propriis factis redditurum. Et vide quam terribiliter hominem, qui existimavit inique quod esset Deo similis, arguat, et statuat eum contra faciem suam (*Psal.* XLIX), dicendo : *quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Hujus sententiæ persecutionem adeo natura sentit, ut hominibus antiquitus in summa afflictione pro maximo doloris instrumento capita cinere aspergere solemne fuerit. Verum hæc propriæ conditionis recordatio tunc utiliter se aperit, cum ex sapienti humilitate procedit, juxta exemplum patris Abrahæ, dicentis : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII). Cum enim hoc humiliter nos recordamur, misericorditer et ipse recordatur, sicut scriptum est : *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, et recordatus est quoniam pulvis sumus* (*Psal.* CII). Sequitur.

CAPUT XXVI.

De eo quod vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam.

Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium. Mira narrantis digressio. Necdum sententia terminata est tantæ calamitatis, ut vacet hinc divertere ad dicendum nobis quo nomine reus jam convictus, et pendens sub judicis manu, suam uxorem nuncupavit. Narraverat dixisse Deum, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es et in pulverem reverteris*, moxque dicturus erat Deus : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quis hic locus erat, ut insereret, quia *appellavit Adam nomen uxoris suæ Evam?* An forte non digressio, sed hic se habet ordo rerum, sicut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ipsa narratio? Si ita est, imo quia ita est, nec enim A negligenter, sed maxime prudenter hic interpres Dei narrationem suam prosecutus esse credendus est, mira peccatoris simul et contemptoris surditas, et superbæ mentis ejus duritia breviter deprompta est. Quid enim insanius quam in tali articulo Evam dicere eam, quæ non habet vitam? Eva namque transfertur in *vitam*. Dixerat autem Deus : *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et illa comederat, ac viro suo dederat, et dando occiderat, et nunc impræsentiarum dicebat, *quia pulvis es et in pulverem reverteris*, et sic utraque morte, corporis scilicet et animæ, jam mortuus et adhuc moriturus erat, tam ipse quam uxor sua. Quid ergo insanius quam in illo talis causæ judicio illam nuncupare Evam, id est vitam, quæ nec saltem habebat vitam, dicere, B *matrem cunctorum viventium*, eam, quæ potius mater est cunctorum morientium? Omnes enim in peccato ejus moriuntur, et nemo filiorum ejus vivit, nisi qui per unum hominem Christum vivificantur. Et quidem si hoc alias dixisset, verbi gratia, superius ubi dixit : *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est :* si, inquam, tunc dixisset : hæc vocabitur Eva, quia mater cunctorum viventium est, nullam nobis admirationem fecisset, quia videlicet et secundum sensum ejus cunctorum viventium, id est, hanc infelicem vitam ingredientium mater est. Nunc autem in eo mirabile est, quod ubi mortis corporeæ sententia ferebatur, jam spirituali morte mortuus, illic uxorem suam Evam, id est vitam, appellavit. Similiter et hoc C notandum, quod nusquam sacra Scriptura nomen istud, quod est Eva, commemorat, nisi hoc loco, et paulo infra, cum dicitur, *cognovit Adam uxorem suam*. Ibi sicut et hic, si rite perspicias, miranda cordis impœnitentis duritia est, mira quoque carnis inuitur superbia, gloriantis adhuc in ipsa pœna sua de posteritate futura. Hoc inter nominis utriusque positionem, quæ sunt, scilicet, Adam et Eva, distare manifestum, est, quia nomen hoc quod est Eva, præsumptor homo superba æstimatione adinvenit : illud autem, scilicet Adam, Dominus Deus utrique sexui posuit, sicut postmodum scriptum est, *masculum et feminam fecit eos, et vocavit nomen eorum Adam in die quo conditi sunt* (*Gen*, v). Igitur quod cum dixisset Deus, *quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, continuo subjunctum est, *et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium*, idem est ac si diceretur : Sicut superius dicente Deo, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, non credidit, sed comedit, quia mulierem, quæ prior comederat, non statim corporaliter mortuam esse vidit : sed et nunc dicenti, *donec reverteris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*, adeo non credidit, ut econtrario vocaret nomen uxoris suæ Evam, id est vitam, eo quod mater esset cunctorum viventium.

CAPUT XXVII.

De tunicis pelliceis, quas fecit illis Deus.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et indnit eos, et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Et hoc leviter dictum, ac pene risui proximum videtur, quod Dominus Deus tunicas pelliceas fecerit Adæ et uxori ejus. Nec enim ejusdem dignitatis est, detractas mortuis animantibus pelliculas consuere, et tunicas facere, cujus sunt ea quæ hactenus de Domino Deo dicta sunt, verbi gratia, cœlum sicut pellem extendere, terram fundare, solem, lunam, et stellas in firmamento ponere (*Psal.* CIII), postremo ipsorum animantium, quorum **53** pelliculæ sunt, naturas condere. Unde et B nonnulli hoc opificium Deo ascribere in tantum refugerunt, ut dicerent tunc primum corpora illis facta esse, et idcirco pro corporibus, tunicas pelliceas esse dictas, quia, sicut nunc tunicis vestiuntur corpora, sic tunc Deus propter peccatum corporibus vestierit animas. Sed hic error verius omni irrisione dignus, jamdudum explosus est. Melius sapere oportet terrena corpora quasdam quidem esse animarum tunicas, verumtamen ipsa prius esse facta quam animas. Sic enim supra scriptum est, quia prius formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, et deinde inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Quid ergo, inquis? Nunquid Dominus Deus sutor aut pellifex erat, et impensa artis opera tunicas fecit pelliceas? Fecit utique tunicas pelliceas, quia sic præsens testatur C Scriptura, non tamen et cogit nos confiteri quod eo modo quem rideant, sed eo modo quem flere debeant omnes tunicati, fecerit illas. Fecit enim, id est faciendi necessitatem illis imposuit. Talia quippe tamque misera propter peccatum corpora esse voluit, quæ sine tunicis pelliceis durare non possint. Et notandum quod non qualescunque tunicas, sed tunicas fecit illis pelliceas. Hoc optime dictum est. Nec enim solummodo ob libidinem turpia vel pudenda, sed etiam ad patientiam frigoris infirma sunt nuda sexus utriusque corpora. Bene ergo non tantum tunicas, sed et tunicas pelliceas illis fecisse dicitur Dominus Deus, quia juste talia voluit illorum esse corpora, quæ non solum tegi propter turpitudinem, sed etiam D calefieri opus esset propter infirmitatem. Habes itaque duo miseriæ solatia cum labore et indigentia homini proposita, victum scilicet et vestitum ; victum, ubi paulo ante dixit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo ;* vestitum, ubi nunc dictum est : *Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et indnit eos.*

CAPUT XXVIII.

De eo quod dictum est : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. »

Ita demum jam spiritualiter homine mortuo, et corporaliter morituro, victus quoque pariter et vestitus indigente effecto, idem Dominus Deus exclamat : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Ecce (quod est ostendentis adver-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

blum) cum dicit Dominus Deus, magnum in præsenti fragorem incutit cunctis aures audiendi habentibus. Quid enim ostendit? *Adam*, inquit, *quasi unus ex nobis factus est*. In Adam (quod interpretatur *terrenus*) virum simul et mulierem intellige, quia viri pariter et mulieris commune nomen est, sicut jam dictum est. Quid est : *Quasi unus ex nobis factus est*? Quasi Deus factus est. Eadem enim Trinitas hic loquitur, quæ et superius locuta est pluraliter ad semetipsam, dicendo : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Eadem, inquam, Trinitas hic ostendit, qualis Adam vitio suo factus sit, quæ supra proposuerat, qualem illum facere voluerit. Dicit ergo, *quasi unus ex nobis*. Nempe ex tribus personis Trinitatis, unus est Pater, unus est Filius, unus est Spiritus sanctus. Et hi tres unum quidem sunt, sed non unus. Alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. *Adam* ergo, inquit Dominus Deus, *quasi unus ex nobis factus est*, ut jam non simus nos Trinitas, sed quaternitas, quanquam non cum Deo Deus, sed contra Deum affectaverit esse Deus. Gravissima hæc more Domini Dei et acerba nimis ironia est. Quis enim vel qualis Adam ? Adam in anima jam mortuus, et corpore quoque in brevi moriturus, indigens victu et necessario coopertus atque cooperiendus vestitu. Sed enim quilibet ex nobis, sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, neque mortuus est, neque morietur, neque propter famem victu, neque propter turpitudinem aut frigus indiget vestitu. Ergo non vere sed ironice dictum aut dicendum est, quia hic talis quasi unus ex nobis factus est. Et cur talli ironia irridendus est ? Videlicet quia stulte et superbe fallacissimo diabolo credidit dicenti : *et eritis sicut dii*. Ecce quomodo sicut Deus vel quasi unus ex nobis factus est, quomodo sciens bonum et malum factus est. Non quomodo ipse speravit, sed sic factum est istud, quomodo deceptor voluit. Non sic scit bonum et malum, quomodo omnia prospiciens Deus, sed jam expertus bonum, sic nunc experitur et malum, quomodo non Deus. Hoc modo quasi affirmativa enuntiatione dictum, pravitate dicentis adjuvante, multo acerbius denegatum est, quam si negativa dictione exclamasset, sic dicendo : Ecce Adam nequaquam ut sibi permissum fuerat, quasi unus ex nobis factus est. Et quidem ille non solum nequaquam sicut Deus, sed pene factus erat sicut diabolus, sed acceleravit et prævenit miserator Dominus Deus, ne Deo mortuus, sic immortalis permaneret homo, sicut diabolus.

CAPUT XXIX.

De eo quod dictum est : « Videte ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitæ. »

Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum, emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. Ecliptica, id est defectiva, locutione pro re et tempore scriptor in persona Dei usus est, quem locutionis modum cum gravitas adjuvat pronuntiantis, hoc ipsum in quo deficere videtur, valentius exprimit. Ubi enim dixit, *nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum*, deficit quidem sermo, sed graviter deficit, et subaudiri promptum est, emittamus eum de paradiso voluptatis. Sequitur enim scriptor in sua persona, ubi Dominus Deus deficit de sermone, et continuo dicit : *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis*. Ergo, inquit, quia quasi unus ex nobis factus est, imo quasi similitudinis nostræ gratia privatus est, quia comedit et mortuus est, et exinde aperti sunt oculi ejus, et cognovit quod nudus esset, jam nunc illum de hoc paradiso voluptatis emitti opus est, et illi expedit quia talis factus est, quem jam saturitas et otium non juvet. Ut quid hoc tantopere agendum est ? Videlicet *ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat*, et hoc facto talis, tam miser factus Adam, *vivat in æternum*. Quid enim, si cum talis factus sit, *vivat in æternum ?* Utique nil nisi malum æternum. Jam enim miser factus, si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam habebit ? Parcamus illi, ne hoc modo male sit quasi unus ex nobis, ne sicut quisque nostrum æternus est : æternus enim Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, sic et ille æternus sit, et ob hoc veracem se esse, rideat oculus nequam diaboli, qui Dei similitudinem illi repromisit. Etenim malum quidem illi est temporalem esse, sed pessimum est æternum esse. Mala nimis **54** et falsa est hæc similitudo Dei, multo melius illi est esse omnino dissimilem Dei. Quomodo ? Videlicet ut quia miser est, sit etiam temporalis. Hoc est esse omnino dissimilem Dei, Deus enim et æternus est, et felix, et est ejus æterna felicitas, felix æternitas. Horum alterum, id est felicitatem, perdidit diabolus, æternitatem vero non amisit, et est ejus æterna infelicitas, infelix æternitas. Parcamus, inquam, homini, et quia felicitatem perdidit, æternitatem quoque præripiamus infelici, ut in neutro sit quasi unus ex nobis. Nobis est æterna felicitas, felix æternitas, sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, ut tunc illi commodius reformetur æternitas, cum fuerit recuperata felicitas. In magna ergo ira magnæ misericordiæ Dominus Deus recordatus est, in hoc ipso, quod lignum vitæ non concesserit misero homini, quippe quem voluit sic esse similem sibi, ut esset utrobique dissimilis diabolo, id est, ne viveret homo æque ut diabolus, usque ad ultimum judicium, et æque ut ille absque temporali morte transiret ad æternum incendium. De hoc jam superius diximus, ubi secundum eamdem misericordiam dicit, *quia pulvis es, et in pulverem reverteris*.

CAPUT XXX.

Item de eodem ligno vitæ, et quod Adam nesciverit esse lignum vitæ.

Nunc illud notandum, quod non dixerit solum, ne mittat manum suam, sed *ne forte*, inquit, *mittat manum suam*. Plane per hoc liquet, quod non sic fuerit illud lignum vitæ : lignum ut est herba

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

aliqua sanitatis medicamentum. Siquidem medicinalis herba forte sumpta, non perpetuam confert sanitatem, sed studio provisa servatur contra forte redituram infirmitatem. De hoc autem ligno dicit, *ne forte comedat, et vivat in æternum.* Ergo nequaquam (ut nonnulli arbitrantur) frequentandum erat necessario lignum, tanquam perpetuandæ vitæ transitivum medicamentum, sed semel hoc sumpto viveret corpus in æternum. Nihilominus et per hoc intelligitur, quod hactenus Adam nescierit lignum illud lignum esse vitæ, dum dicitur, *ne forte.* Ille namque forte fecisse quid, vel invenisse dicitur, qui in conscientia non habuit, esse in loco, vel in re hoc ipsum quod consequitur : veluti qui terram vertit, serere volens, nec aliud intendens et thesaurum invenit. Dixit autem Deus, *ne forte mittat manum suam,* tamen certus quod non scienter mitteret, licet quasi dubitans aut sollicitus velut homo, ne casu id eveniret. Igitur nec Adam cognovit, nec ipse serpens diabolus scivit, quod etiam lignum vitæ plantasset Dominus Deus in medio paradisi. Si enim vel ille scisset, nunquam consilium suæ malignitatis ita dimidiasset; sed, sicut illud lignum temerare persuasit, ut miseros faceret, sic et istud præripere suasisset, ut æternaliter miseros, vel misere æternos efficeret. Nec vero sic mirandum tanquam incredibile, quod inanimatum et insensibile lignum vivacitatis æternæ fructum potuerit afferre. Nunquid enim non et in hoc paupertatis nostræ exsilio, multa nascuntur, quæ naturali virtute mortalitatis nostræ naturam in statum meliusculum permutare comprobantur ? Nonne circa ea maxime, quæ in terra radicantur, medicina quæ non nisi a Deo versatur ? Ut de cæteris taceam, nonne mandragorarum potenti auxilio sterilis uterus Rachelis adeo melioratus est, ut conciperet et pareret, primumque Joseph, et secundum Benjamin, licet cum periculo mortis enixa est ? Sed et usque hodie medici pro commendatione artis non fabulosum, sed verum illud fuisse contendunt, quod in libris gentilium legitur, Æsculapium medicaminibus herbarum suscitasse mortuum, et ob hoc illum esse fulminatum, videlicet ne assuescerent homines artem, per quam effugerent utile sibi mortis edictum. Cur igitur incredibile videatur cuiquam in illo paradiso voluptatis (quod plantavit Dominus Deus) materiale lignum vitæ esse potuisse, quod virtute sua manducantem hominem defenderet a corporali morte, donec emeritus post obedientiam, plenus jucunditate cum beatis angelis frueretur divinæ majestatis visione. Sed jam cœptum prosequamur ordinem.

CAPUT XXXI.

Quod de salute Adæ a multis dubitetur, et quod emissus a paradiso, in Ebron sepultus est.

Emisit, inquit, *eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam.* Repetitio sententiæ confirmatio est. Nam, quod dictum fuerat hoc modo, *emisit eum Dominus Deus,* hoc repetitum est, dicendo : *Ejecitque Adam.* De quo utrum aliquando per Christum misericordiam consecutus sit, per quam salvati et liberati sumus, hodieque nonnulli dissertant, pro eo quia videlicet nusquam canonica Scriptura testatur illum egisse pœnitentiam. In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est : *Hæc* (subauditur sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum : cum solus esset creatus, custodivit, eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia* (*Sap.* x). Verum hæc Scriptura neque de canone est ; neque de canonica Scriptura sumpta est sententia hæc, quomodo cætera quæ de patribus in eodem libro cum laude sapientiæ commemorantur ; verbi gratia, hæc venditum justum, subaudis Joseph, *non dereliquit,* et reliqua. Quod ergo illic dictum est, *eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia,* majore libertate parvipenditur, quam suscipitur, quia quando vel ubi peccatum suum agnoverit, aut pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur. Amplius autem, quod dictum est, et dedit illi virtutem continendi omnia, nullum certum sensum præsentat, quia profecto præter unicum hominem Jesum Christum, nullus est homo habens virtutem continendi omnia. Itaque quia de illo vetere Adam nihil usquam boni operis invenitur, et novus Adam illi est oppositus. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv), salvatio ejus et a multis libere negatur, et a nullo satis firmiter defenditur. Ne quis tamen temere definiat, constat et hoc (ut ecclesiastica refert Historia [*lib.* iv, *c.* 26]) ab Eneraticis hæreticis inventum esse, quibus Tatianus auctor exstitit. Sane licet in Adam vir simul et mulier intelligantur, et uterque sit ejectus vel emissus ; tamen quod dictum est, *ut operaretur terram de qua sumptus est,* melius de solo viro accipitur, qui de terra sumptus est, nam mulier de carne vel ossibus viri sumpta est. Unde et ipsa natura docet, decere virum ut operaretur terram, nam mulieri magis congruit, ut erga corpus viri in quolibet opificio serviliter occupetur. Proinde cum dicitur, *ut operaretur terram de qua sumptus est :* commode subauditur, et mulier operaretur circa cultum viri, de qua sumpta est. Ubi autem vel in qua parte terrarum hic infelix operarius habitaverit, non legimus : nisi quod eum sepultum esse in Ebron civitate, **55** decem et quatuor millibus ab Hierosolymis distante, sacra Scriptura testatur. Sic enim in libro Josue scriptum est : *Nomen Hebron antea vocabatur Cariatharbe, Adam autem maximus ibi inter Evachin situs est* (*Jos.* xiv), etc. Porro, Chriatharbe interpretatur *civitas quatuor,* sic dicta, pro eo quod tres patriarchæ, Abraham, Isaac et Jacob, et ante hos Adam maximus ibi siti sint. Sequitur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXII.

Quis sit ille gladius collocatus ante paradisum voluptatis flammeus atque versatilis.

Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Et hic ira grandis, necessariæ nobis misericordiæ societatem non relinquit. Iræ namque justi Dei est, quod ante paradisum flammeum gladium collocavit : misericordiæ vero, quod eumdem gladium versatilem esse voluit. Gladius versatilis sententia est divini judicii, quæ talis est ut possit versari, id est, non semper eadem districtione claudat hominibus aditum paradisi. Flammeus autem esse dicitur, quia revera judicium Domini judicium flammæ ignis est, juxta Apostolum, dantis vindictam his qui male egerunt (*II Thes.* I). Porro, cherubin nomen est angelicarum fortitudinum. Hæc ante paradisum esse posita ad custodiendum ligni vitæ aditum, cum legimus, miramur : cum tamen publica fide teneamus, et confiteamur, quod per ignem transituri (*I Cor.* III), et non nisi per angelorum ministerium examinati, paradisum intraturi simus. Terribile valde est quod ex hoc loco cum cæteris Scripturarum locis collato concipitur, verbi gratia cum eo quod dicit Apostolus : *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*ibid.*). Quid enim ex hujusmodi dictis colligimus, nisi ad hoc flammeum gladium atque versatilem ante paradisum esse collocatum, ut quicunque deinceps admittendi sunt, illuc transeant per examinatorium ignem? Tanquam diceret : Quia multiplicandi erant conceptus Evæ, et futura erat confusa, vel permista multitudo bonorum et malorum, nullos autem Dominus Deus admittere volebat, nisi quos ipse nosset ex nomine, et sic discussos ut dicere possint : *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* (*Psal.* LXV), etc.; idcirco collocavit ante paradisum cherubin et flammeum gladium atque versatilem. Et recte angeli, qui in hujusmodi præsunt cherubin, id est plenitudo scientiæ, vocantur. Ipsi namque judicandi plenam habent scientiam. Sciunt enim quid in libro cujusque nostrum sit scriptum, id est, bene habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisque nostrum. Quotidie singulariter legunt, et in novissimo universaliter recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est : *Judicium sedit et libri aperti sunt* (*Dan.* VII). Recte itaque cherubin non tam ad laudem ipsorum, quam ad terrorem nostrum dicti sunt, quia nostra illis occulta publicanda sunt. Sciendum autem, quod tam animabus quam corporibus ignis ille molestissimus est, et inaccessibilis cunctis mortalibus. Mortuis autem, id est mortuorum fidelium animabus, a tempore Dominicæ passionis exsuperabilis est, et corporibus quoque illorum in resurrectione erit pervius. Porro ante eamdem Domini nostri passionem, nulli omnino filiorum Adam pervius fuit, donec fusus de corpore ejus sanguis cum aqua ignem illum exsuperavit, non quod substantiam ejusdem ignis exstinxerunt : sed quia illis, qui eum exspectaverant, hanc virtutem contulit, ut eis ille nocere non posset ignis. Secutus est confestim latro ille venerabilis (*Luc.* XXIII), quem confessum in cruce, continuo munierat fides sanguinis Christi, contra illum ignem, ne obsisteret illi. Consequimur et nos omnes, fundamentum quod est Christus, habentes alii aurum vel argentum, alii lapides pretiosos, alii ligna, fenum, stipulam, id est, diversorum quinque ponderum vel modiorum peccata portantes. Et, sicut horum alia aliis facilius vel difficilius igni consumuntur, ita quique nostrum pro diversitate peccatorum, alii citius, alii tardius purgati, paradisi felicitatem ingredientur. Hic ignis non solum hoc loco, sed et plerisque Scripturæ locis gladius dicitur, ut illic : *In igne enim Domini devorabitur omnis terra, et in gladio ejus omnis caro* (*Sophon.* III). Igitur dum dicit scriptor iste divinus : *Et collocavit ante paradisum cherubin, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, brevius quidem ac secretius rem attigit, scilicet, judicium ignis, per quod transituri sumus, quam in plerisque Scripturæ locis invenitur, sed diligenter intuentibus, terribilius enuntiavit difficultatem regressionis, qua filii benedictionis in hoc exsilio generati, per gratiam Dei illuc revocantur.

CAPUT XXXIII.

Cur non solum flammeum gladium, sed et cherubin Deus collocasse dicitur.

Minus quam ea quæ dicta sunt, videtur sonare illud quod in fine positum est, *ad custodiendam viam ligni vitæ*. Hoc idem namque constat dici potuisse, si non esset arcendus quisque ab illo ligno vitæ, nisi quandiu viveret in isto corpore propter causas superius jam dictas : ad hoc profecto sufficeret flammeus gladius, nec opus esset ut cherubin quoque ante paradisum collocarentur. Ille quippe ignis cunctis viventibus est inaccessibilis, et ante afflatus ejus est intolerabilis, quam possit ullatenus scire ubinam paradisus est. Sic enim ab omnibus compertum est, qui Nilum contra sequentes, ut caput ejus invenirent, potuerunt bibere calentem, et non potuerunt ad ejus pervenire originem. Sic enim Romanus actor dicit :

..... *Illos rubicunda perusti*
Zona poli tenuit, Nilum videre calentem.
(*Luc*, lib. X *Phar.*)

Non pertinet hic ad nos, quid tales homines de quinque zonis cœli dicant, quia de Scripturis veritatis non habent fundamentum, cum sint opiniones vel conjecturæ sæcularium, sed hoc cum illorum confessione, certum comprobamus, quod propter

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

intolerabilem ignis vaporem nemo mortalium potuit unquam Nili fluminis consequi fontem, cujus constat secundum hanc Scripturam ex paradiso manare originem. Ergo, sicut jam dictum est, etiam si non cherubin ante paradisum collocarentur, sufficisset ad abigendos homines flammeus gladius. Quod si objicitur ad hæc, Enoch et Heliam adhuc viventes in paradisum esse translatos, dicimus potuisse quidem Dominum Deum transferre illos illæsos per ignem jam dictum, quippe qui transferendo Heliam per **56** currum levavit igneum (*IV Reg.* II); verum hoc nusquam Scriptura dat intelligi, quod illos tulerit in ipsum paradisum, ubi comederent de ligno vitæ, et viverent in æternum, sed ita sublati sunt ut in secreta quadam regione terræ ducerentur, ubi in magna carnis et spiritus quiete viverent, quousque ad finem mundi redeant et mortis debitum solvant. Igitur non solam repulsam hominum, quod solum littera videtur sonare, dicendo *ad custodiendum viam ligni vitæ*, sed judicia quoque de admittendis et non admittendis, rationabili discretione facienda, significat ipsum nomen custodiæ, ob quam non solus flammeus gladius, sed cherubin quoque dicitur excubare. Verum de hoc jam superius dictum est. Aliqui doctorum ita distinguunt, ut flammeum gladium, id est murum igneum, in circuitu paradisi propter homines, angelorum vero custodiam propter malignos spiritus positam esse intelligant. His ita duntaxat assentimur, ut spiritibus quoque maligais ignem corporeum pœnalem esse non negemus. Ignis namque æternus juxta evangelicam veritatem paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). Sanctis autem angelis non nocet ignis, quippe quos impassibiles justitia fecit, sed nec animabus justis quas, ut supra jam dictum est, mundavit et munivit fides sanguinis justi Dei et hominis Jesu Christi

CAPUT XXXIV.

De duabus exinde succedentibus hominum generationibus, et cur generatio Cain non nisi usque ad Lamech texatur, qui a Cain sextus, ab Adam vero fuit septimus.

Hactenus altum sanctæ hujus Scripturæ verticem rependo potius, quam gradiendo transegimus, et deinceps lucidi atque amœni campi fessis sese aperiunt pedibus et ingerunt obtutibus. Hactenus, inquam, ut possibile fuit, diximus qualiter Deus Pater, per Verbum suum, quod est ejus Filius, et propter benitatem suam, quæ est sanctus septiformis Spiritus, sex diebus omnia condidit, et septimo die requievit : hominis quoque quem in paradiso posuit, peccatum qualiter judiciali sententia percussit, eumque de paradiso ejecit. Deinceps illud dicendum erit, qualiter, vel quo ordine, Verbum ipsum, per quod omnia facta sunt, eidem ejecto atque captivo homini paulatim innotuit per totidem ætates mundi, adeo creaturæ suæ appropinquans, ut carnem de carne nostra sumeret, quam et pro salute mundi Deo Patri suo, verum in sacrificium obtulit, quo facto et ipse in requiem suam introivit, et liberum hominem secum requiescere fecit. Verum antequam tantæ hujus dignationis speculationem ingrediamur, pauca de duabus generationibus notissimis dicenda sunt, quarum ex altera filii hujus sæculi, ex altera filii Dei, per jam dictum unicum Filium Dei salvandi, magis fidei quam carnis successionibus supputantur. Generationum istarum sicut opera contraria sunt, et semper sibi invicem adversantur, sic originales vel principales causæ ex adverso prodierunt. Nam generationis electorum causa ex gratia Dei est, dicentis : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I), etc. Generationis autem reproborum ex ira ejusdem dicentis ad mulierem : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos* (*Gen.* III). Quæ prior jussa est nasci, ipsa præpediente fluxu peccatorum, tardius crevit. Primo enim sic scriptum est : *Adam vero cognovit Evam uxorem suam. Quæ concepit et peperit Cain dicens : Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem ejus Abel* (*Gen.* IV). Ille primus in generatione iniquorum, iste primus computatur in generatione justorum. At ille tanto cum tripudio matris exceptus, ut juraret sibimet in admiratione gaudii sui dicens : *Possedi hominem per Deum*, et ob hoc vocaret nomen ejus Cain, Cain quippe interpretatur *possessio*. Ille, inquam, primum humanæ generationis miraculum, et falsa felicitas, vanumque gaudium infelicium, occidit fratrem suum Abel, quod interpretatur *luctus*. Et hoc illi nomen congruit, non solum quia primi luctus causa fuit parentibus, verum etiam quia primus illorum est, de quibus dictum est : *Beati qui lugent, ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Interea jam generare valente Cain, et generatione peccatorum pullulante, nec unus computatur surculus, de quo bonæ generationis speraretur fructus, donec inter multiplices conceptus, inter multos filios et filias unus nasceretur, qui et vocaretur Seth, id est *positio*, eo quod pro Abel positus esset, ut electæ generationis principium existeret. Sic enim inferius scriptum est : *Cognovit quoque Adam adhuc uxorem suam dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain* (*Gen.* IV). Hujus enim nomen (ut jam dictum est) vocaverunt Seth : Ab hoc nonus, ab Adam vero decimus. Noe nascitur patre Lamech, dicente prophetico spiritu : *Iste consolabitur et requiescere faciet nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Deus* (*Gen.* V). Ob hoc vocavit eum Noe quod interpretatur *requies*. Econtra a Cain sextus, ab Adam vero septimus, Lamech nascitur, non quod plures ex illo latere non fuerint generationes, sed quia non eatenus attinuit ad rem illarum, usque ad diluvium texere successiones, scriptore illud intendente, quota generatione occisus fuerit Cain, qui occidit Abel. Fuisse namque et alias generationes post Lamech, ante diluvium, ex ipsa littera manifestum est : *Lamech*, inquit, *accepit uxores duas, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum, et nomen fratris ejus Tubal,*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ipse pater fuit canentium cythara et organo (*Gen.* IV), etc. Sciendum quippe est occiso Abel tardius propagare cœpisse generationem hanc, in qua decimus invenitur Noe. Siquidem Seth centesimo trigesimo anno Adæ natus est. *Vixit Adam*, inquit Scriptura, *centum triginta annis, et genuit filium ad similitudinem et imaginem suam, vocavitque nomen ejus Seth* (*Gen.* V). Quomodo ergo per Seth usque ad diluvium plures, per Cain vero pauciores haberentur generationes? Sed, ut jam dictum est, illud scriptor in illa generatione quæ anterius cœpit intendit, ut illum designaret, a qua occisus est Cain, et idcirco sequentes generationes negligentius prætereundo reticuit. Noe tandem ex illa massa, quæ in diluvio perierat residuus, et fide sua justus appellatus, genuit Sem, Cham, et Japhet, de quibus rursus impletus est orbis, et boni ac mali generati sunt. De Sem primogenito Noe decimo loco natus est Abraham secundum Hebraicam veritatem. Nam, quod apud Lucam evangelistam (*Luc.* III) undecimus invenitur, ex vulgata Septuaginta interpretum editione est, apud quos inter Asfaxat et Eber ponitur Cainan, quod nomen in Hebraico non habetur. Itaque secundum Hebraicam veritatem a primogenito Noe Sem decimus Abraham nascitur, cujus cum semine pepigit fœdus Dominus Deus ejus, ut esset Deus universis gentibus dimissis, ut vias suas ingrederentur, reipsa nimium esse veracem Dei sententiam contestante, qua dixit mulieri seductæ a diabolo : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos.*

57 CAPUT XXXV.

Item de conjunctione utriusque generationis, quod ne in illa propositum Dei perire potuerit.

Quis inter hæc æstimare sufficit constantiam propositi Dei in eos, quos præscivit et prædestinavit, quos jam proposuerat vocare sanctos, cum diceret primis duobus masculo et feminæ, quos creaverat : *Crescite et multiplicamini?* (*Gen.* I) Quomodo? nisi per multam virtutem benedictionis et bonæ voluntatis ejus, in tanta multiplicitate adversæ generationis, tam ante quam post diluvium, vigere vel superesse usquam potuit genus electorum? Vicit Dei bonitas iniquitatem nostram, et ad hunc Abram locutus repromisit ei, quod benedicerentur omnes gentes in semine ejus, quod est Christus. *Et credidit*, inquit Scriptura, *Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV). Verumtamen nec in illo carnis ejus per Saram unico semine, scilicet, Isaac simplex electorum generatio fuit aut pura, sed cum duos illos generasset, alter ad Cain, alter pertinuit ad Abel. *Jacob enim*, inquit Dominus, *dilexi, Esau autem odio habui.* (*Gen.* XXV; *Mal.* I). Proficiente deinceps fidelis Abrahæ progenie, magis ac magis in illa quoque gente conceptus mulieris multiplicati sunt, et talis secundum carnem propagatus est Israel, cui Deus merito per Prophetam diceret : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Gen.* XXII). Interea ventum est ad David, et huic aliquid plus dictum est de illo semine supernæ benedictionis. Nam, cum ad Abraham Christus homo tantum designatus fuisset per repromissionem, qua dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, jurante Domino David veritatem, et dicente ad eumdem regem et prophetam : *De fructu ventris tui ponam super sedem suam* (*Psal.* CXXXI). Jam rex Christus designatus est. Deinde in transmigratione Babylonis, destructo templo vetere, novum reædificari conceditur, in typum novi sacerdotii, quod vetere sacerdotio decedente successurum erat et ostenditur Zachariæ prophetæ (*Zach.* III) Jesus sacerdos magnus indutus sordidis vestibus, quibus nostra peccata figurantur, quæ super se suscepit pontifex magnus Jesus Christus, et auferuntur ab eo sordida mortalitatis nostræ vestimenta, et induitur mutatoriis, id est, nova resurrectionis et immortalitatis gloria. Itaque Dei Filius homo rex atque sacerdos præmonstratus, tandem de Spiritu sancto conceptus ex Virginis utero nascitur semen benedictionis, per quod omnis maledictio superetur.

CAPUT XXXVI.

Item determinationes sive distinctiones sex ætatum mundi quamdam habentium similitudinem cum primis sex diebus sæculi.

Istæ sunt sex ætates mundi certis terminis, certisque gratiæ distinctæ incrementis. Prima namque ab Adam : secunda a Noe : tertia ab Abram : quarta a David : quinta a transmigratione Babylonis ; sexta ab incarnatione Domini. Et in prima factis tantummodo, ipse Christus præfiguratur. In secunda jam et ille præsignatur itidem factis, et præterea sermone familiari Dominus Deus cum hominibus fœdus componit. Tertia jam nasciturus promittitur, in quo benedicendi sumus. Quarta, jam rex. Quinta, jam sacerdos quoque fore præmonstratur. Sexta, tandem ipse per mysterium Incarnationis mundum ingreditur. Istæ sex ætates, sex primis diebus respondent, de quibus hactenus dictum est, sed quæ in illis diebus facta sunt naturalia, in istis autem ætatibus doctrinalia sunt. Nec enim hic novæ naturæ formantur, sed deformata natura hominis, ad reformationem præparatur. Proinde et illa dierum opera (sicut jam in principio hujus operis dictum est) ad personam Patris : hæc autem proprie pertinent ad personam Filii. Itaque sicut Pater Filio, et Filius Patri in nullo est dissimilis, sic eodem ordine quo et in illis diebus demonstratum est : eodem, inquam, in istis ætatibus demonstrandum est, intimatum esse timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilii, intellectus et sapientiæ spiritum. Nam in eo quod, ejecto homine de paradiso voluptatis, cherubin et flammeus gladius atque versatilis ante paradisum collocatus, et deinde diluvium in mundo inductum est, timor : in eo quod per arcam cum paucis justitiæ suæ consortibus Noe servatus est, et cum hominibus Deus pactum suum constituit, pietas : in eo quod ad Abraham repromissio facta de incarnatione Christi, et lex posteris ejus data

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est, scientia : in eo quod victoriosis populi Dei regibus rex idem Christus repromissus est, fortitudo : in eo quod fidelis et misericors pontifex in restauratione templi secundum Zachariam prophetam præsignatus est, consilium : in eo quod incarnatus et passus sensum aperuit hominibus ut intelligerent Scripturas, intellectus : in eo quod ingressus in gloriam suam visione suæ majestatis omnia cœlestia implet, sapientia recte commendatur. Siquidem et septima ætas, et septimus dies, una eademque divinæ festivitatis requies est. Hanc speculationem verbi Dei, per tot incrementa mundo manifestati, jam nunc ingressuri, ipsum rogemus Verbum Patris ut lucerna sit pedibus, et lumen semitis nostris.

[Finis primæ partis libri hujus de sancta Trinitate et operibus, respicientis opera Patris, primæ personæ Trinitatis ejusdem.]

IN GENESIM LIBER QUARTUS.

(Gen. cap. III, vers. 24; IV-X).

58 CAPUT PRIMUM.

De cunctis veteribus sanctis, quid minus ante adventum Christi habuerint.

Humanæ creaturæ præparatio salutis est, eodem verbo catechizari, per quod et facta est, quatenus et prius corde credat ad justitiam, et postea ore confiteatur ad salutem (*Rom.* x) per sacramentum passionis ejus necessariam accipiendo peccatorum remissionem. Et nos quidem qui nunc vivimus, quorum beatitudinem ille apertis oculis cadens suspirabat, quando dicebat : *Heu qui victurus est, quando ista faciet Deus?* (*Num.* xxiv) Nos, inquam, sicut quando volumus catechizamur, et catechizamus, et sic nihilominus sacramentum perfectæ salutis, quando volumus accipimus et damus, quia videlicet non vivimus quando ista fecit Deus, quando mortem pro omni mundo subiit Dei Filius, ut omnes nos in morte ejus baptizaremur (*Rom.* vi). At vero sanctis vel justis anterioribus non eadem plenitudo fuit. Nam futuri quidem illi fidem habuerunt, sed præsens regenerationis sacramentum non habuerunt. Unde dicit Apostolus : *Juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed a longe aspicientes et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites essent super terram* (*Hebr.* xi), etc. Itaque defuncti adhuc apud inferos detinebantur, in illam cœlestem Ecclesiam non ante admittendi, donec veniret sacerdos magnus, Jesus Christus, qui mundaret eos sacramento suæ passionis. Nam quemadmodum catechumeni, quamlibet perfectæ et eruditæ fidei sint, non communicant sacris altaribus Ecclesiæ præsentibus nisi prius fuerint baptizati, sic et omnes veteres sancti non debebant admitti cœlestibus sanctis, donec per mortem suam Christus expiaret in illis maculam primæ prævaricationis. Igitur omnis sanctorum vel electorum anterior populus, universum quod passionem Dominicam præcessit Ecclesiæ corpus, sic in præsenti negotio nobis habendum est, quemadmodum catechumenus unus, qui qualiter quibus dictis vel factis in figuram contingentibus catechizatus, id est instructus fuerit, jam nunc partim dicere incipimus, nec enim universa comprehendere possumus.

CAPUT II.

De Abel, quod unigeniti Filii Dei testis primus fuerit.

(Cap. IV.) Electo jam homine in paradiso voluptatis, confestim quod ad exspectationem pertinet Filii Dei Scriptura subjunxit, dicens : *Et collocavit ante paradisum cherubin et flammeum gladium atque versatilem* (*Gen.* iii). Gladium dicendo flammeum atque versatilem suscitavit auditorem ad rememorandam misericordiam et judicium futurum, ut cum timore et spe exspectaret eum, qui suis fidelibus gladium illum flammeum exstingueret, et versatilem versaret. Deinde quo ordine flammam ejusdem gladii foret exstincturus, tali narratione præfiguravit, imo præfiguratum ostendit. *Fuit autem Abel pastor ovium et Cain agricola. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, ad Cain vero et ad munera ejus non respexit* (*Gen.* iv). Primus unigeniti Filii Dei testis Abel, voluntarium Deo de primogenitis gregis sui sacrificium obtulit, id fide passionis ejusdem unici et dilecti Filii Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit. Paulus namque apostolus dicit : *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur* (*Hebr.* xi). Fide, inquit, plurimam, nam cultu vel religione parem uterque obtulit hostiam. Siquidem uterque cui debuit obtulit, et proinde uterque recte obtulit, sed non recte uterque divisit. Nam ille, Cain scilicet, cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Hujusmodi portionem Deus non accipit, sed *Præbe*, inquit, *fili, cor tuum mihi* (*Prov.* xxiii), at ille, ut jam dictum est, cor suum retinuit sibi et fructus terræ Deo obtulit. Porro Abel primo cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam, ut jam dictum est, hostiam per fidem obtulit, credendo scilicet futurum esse, ut versaretur gladius ille, quem collocaverat Dominus Deus ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitæ : credendo, inquam, futurum esse illud semen mulieris, quod conteret caput antiqui serpentis. Hac fide emeritum non dubitandum est illum prophetiæ quoque percepisse spiritum, ut illud semen, de quo dictum fuisse audierat serpenti, *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*, scire non tantum fore semen mulieris, sed et Filium Dei, qui verus Agnus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dei 59 per suam innocentiam, malitiam serpentis conculcaret, et per ipsum suum sanguinem flammeum gladium restingueret. Itaque cum primo, ut jam dictum est, obtulisset seipsum, obtulit et munera de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Ita plurimam hostiam obtulit quam Cain. Proinde testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo. Nam protinus subditur : *Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus* (*Gen.* IV), id est, respiciente Deo ad munera ejus, palam factum est, quod ad ipsum respexit Deus. *Ad Cain vero, et ad munera ejus, non respexit* (*ibid.*). Videlicet quia respectu Dei non erat dignus is qui offerebat, consequenter nec ipsa ejus munera. Sciendum autem, illum Dei respectum visibili signo claruisse, sicut et de aliis hominibus justis sacræ fides Historiæ testatur (*Levit* IX,) quod holocausta illorum consumpserit ignis, datus divinitus.

CAPUT III.

De verecundia Cain, et quo modo dictum est : Quare concidit vultus ejus, et qualiter a Deo correptus est.

Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, et subter te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Vehementer, inquit, iratus est, quod ab effectis claruit protinus, quia concidit vultus ejus, videlicet ira in odium versa tabali pondere declinavit in terram vultum et oculos ejus. Terram namque aspiciunt, qui crudelia meditantur. Unde est illud in Psalmo : *Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram* (*Psal.* XVI). Utrumque ab illo requirit Deus. Dixit enim : *quare iratus es*, addiditque, *et cur concidit facies tua?* Siquidem etiam si non occidere vellet, jam pro tali causa iratum fuisse scelus est, peccatum diabolicum est, quia diabolum imitatur, qui alterius justitiæ invidet. Alias autem moveri vel irasci humanum est, dummodo ira prius resideat, quam peccati opus generet. Quapropter in psalmo dictum est : *Irascimini et nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV). Ac si diceret : Et si ad horam ut homines movemini, nihil tamen per iram operemini, et de hoc ipso quod moti vel irati fuistis, cito pœnitemini. Sed hanc iram qua iratus est Cain, nusquam Scriptura concedit, quam ipsa est invidia diaboli. Bene ergo Deus utrumque requirit, dicendo, *quare iratus es, et concidit facies tua*, quia videlicet iratus fuerat invidendo, et conciderat facies ejus, parricidium meditando. Ita percunctando vocat illum mitis ad misericordiam, ad conscientiam suam, invitat eum ad cor suum, ut videat ipse quid cogitet, bonum scilicet sit, an malum. Amplius autem subjungendo : *Nonne si bene egeris, recipies*, etc. Forti illum invectione pulsat, ut vultum suum sublevet a terra, ut mentis oculos A sustollat a terra, scilicet, ut trabem de oculo suo ejiciat, et procul aspiciat, videatque prudenter quid magis expediat, quid eventurum sit, quis finis, quis fructus succedat, si malum quod cogitatione deliberat, opere perficiat. *Nonne*, inquit, *si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, sed subter te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Quod est dicere : Quia tu mente deliberas perpetrare opus peccati, en ego, priusquam id facias, ne postea quam feceris, quasi de ignorantia te excuses, dico tibi : *Nonne* scis quia *si bene egeris, recipies? Sin autem male*, subaudiitur, et illud recipies : nam *statim in foribus peccatum aderit*, ut quocunque te verteris, quidquid agere volueris, tecum sit comes in itinere, princeps in opere. Et tunc quidem subter te B erit, et dominabitur tui, quia videlicet omnis qui facit peccatum servus est peccati (*Joan.* VIII) : nunc autem antequam facias illud, dum adhuc est in appetitu, ipse *appetitus ejus subter te erit, et tu dominaberis illius.* Verbi gratia quemadmodum is, qui nondum rex creatus est, subter populum est, et populus dominabitur illius, ita ut eum recipiat si volt.

CAPUT IV.

De voce sanguinis Abel, et quod idipsum de Christo loquatur, vita et morte sua quod litteris prophetæ loquuntur et Evangelia.

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum, et occidit eum. Jam quia hæc et cætera quæ sequuntur de Abel, manifesta C sunt, audiamus quid justi hujus vita vel mors loquatur, quid clamet ad Deum sanguis ejus. Ait enim Apostolus, ut supra dictum est, quia defunctus adhuc loquitur (*Heb.* XI). Et nunc ipse Dominus ad Cain : *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vox itaque sanguinis qui ad Deum clamat non inarticulata, id est, sensu carens esse putanda est. Quid enim nisi hoc ipsum nobis de Christo loquitur vita et morte sua, quod litteris prophetæ loquuntur et Evangelia ? totum utique quod fecit, quod pertulit, parabola est, vel figura Domini nostri Jesu Christi. Primo, quod fuit ille pastor ovium, a mysterio non vacat hujus qui dicit : *Ego sum pastor bonus, ego sum pastor ovium* (*Joan.* X). Plane qui D hunc pastorem bonum, pastorem magnum despectui habuerunt, præcipue Annas et Caiphas, cæterique fures et latrones, qui hunc pastorem ovium occiderunt, omnes omnino cum illo Cain unum corpus fuerunt. Alia fuere membra, sed unum corpus ex eis et ex omnibus quicunque innocentiam vel justitiam persequuntur : et unus spiritus, unum caput est eorum diabolus. Et pro diversis quidem officiis sive personis plures erant juxta parabolam evangelicam (*Matth.* XXI) mali et male perdendi agricolæ, sed pro unanimi crudelitatis intentione totus eorum cœtus unus erat Cain, et unus agricola, qui Dominicæ vineæ fructus non ipsi Domino, sed sibimet male congregabat. Ventum est ad horam legitimam sacrificii, et obtulit iste talis Cain munera Domino de

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fructibus terræ, Abel autem de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Hora qua hujus Abel sacrificium sacrificio oppositum illius Cain fuit, et illo reprobato istud complacuit, illa recte intelligitur vespera Paschæ veteris, quando Judæis ritu solemni suum pascha manducantibus, hic pastor idemque verus Agnus Dei, sacerdotio suo functus est, accipiens panem et vinum, et benedicens : *Accipite*, inquit, *et bibite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur : hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur* (*Matth.* XXV). Tunc itaque obtulit Cain munera Domino de fructibus terræ, videlicet inanimatum et sine fide sacrificium. Mortuum quippe erat sacrificium crudelium. 60 Et si ante quamdam habuerat vitam vel sensum illud Judaicum sacrificium, scilicet in eo quod verum Christi præsignabat vel præcurrebat sacrificium, attamen extunc et usque in perpetuum mortuum est : et nihil boni conferre potest, quia sine charitate Dei magno cum odio Filii Dei oblatum est, imo quia tempus figurarum præteriit, et dies veritatis jam lucet. Unde et bene dictum est : *Factum est autem post multos dies*, etc. Multis enim antea diebus sacrificium illud celebratum et non reprobatum fuerat, quod in fine sæculorum reprobatum est. Econtra tunc Abel obtulit de primitiis gregis sui, et de adipibus eorum, quia vere sacrificium quod illa nocte Pontifex noster Jesus Christus instituit, quamvis exteriori specie panis et vinum sit, in veritate Agnus est Dei, primogenitus omnium agnorum vel ovium, quæ pertinent ad caulas cœli, ad pascha paradisi.

CAPUT V.

De sacrificio Abel, quod veraciter secundum mysterium respicist Deus ad Abel, id est ad Christum et ad munera ejus, nec jam respiciat ad Cain, id est ad Judaicum populum et ad munera ejus.

Et notandum quod non dictum sit tantummodo *de primogenitis gregis sui*, sed additum, *et de adipibus eorum*. Etenim hoc verum panis et vini sacrificium, non modo caro et sanguis, sed spiritus et vita est, quia Verbum verum quod incarnatum est, et vera divinitas in pane et in vino est. Unde et vere credimus et confitemur quia panis vitæ æternæ est, quia calix salutis perpetuæ est. Iste adeps in hoc primogenito est arietum vel ovium, scilicet in carne et sanguine ejus vera divinitas et verum Dei Verbum. Unde et nos hodieque cum Propheta dicimus illi : *Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat* (*Psal.* XLIX), ut videlicet sicut tunc ubi per semetipsum hoc sacramentum condidit, ita et nunc ubicunque per Ecclesiæ manus ipse conficit, pinguedo spiritus et vitæ assit : ne quemquam nostrum propter peccata sua divinæ virtutis adeps refugiat, et ipse macrum sacrificii corpus solummodo dentibus indigne conterendo corporis et sanguinis Domini reus existat. *Et respexit Dominus*, inquit Scriptura, *ad Abel et ad munera ejus : ad Cain vero et ad munera ejus non respexit.* Palam cum prophetico quoque testimonio comproba-

tum est, quia jam non respicit Dominus ad istum Cain, et ad munera ejus. Dicit enim illi per Psalmistam : *Non accipiam de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos* (*Psal.* XLIX). Ac deinceps : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Ibid.*) Et confestim de sacrificio hujus veri Abel, ad quod Deus respicit : *Immola*, inquit, *Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (*ibid.*). Et in Isaia : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Deus. Plenus sum : holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Quis quæsivit hæc de manibus vestris?* (*Isa.* I.) Et subinde : *Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta* (*ibid.*). Et in cæteris prophetis multa talia. Item cum prophetico quoque testimonio palam est, quia ad hunc Abel, et ad munera hæc ejus, munera, inquam, panis et vini Deus respicit. Dicit enim de isto Spiritus sanctus in David : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CV). Ut autem tota similitudo perficiatur, pius sacerdos Abel, post illud sacrificium justitiæ, foras a maligno fratre evocatus, occiditur : quia videlicet illa sacratissimæ cœnæ vespera Sacerdos idemque sacrificium Dominus Deus noster Jesus Christus, suis manibus oblatus, et in odorem suavitatis acceptus, ab impio discipulo traditus, ab illo Judæorum populo, secundum carnem fratre suo, comprehenditur, et foras extra portam civitatis eductus crucifigitur. Hæc sunt quæ defunctus Abel adhuc loquitur, et sub altare Dei inter omnes animas interfectorum propter verbum testimonii ejus (*Apoc.* VI), primus dat vocem, qua et in cœlo generationem Cain malam et adulteram condemnat, et in terra sanctam electæ generationis Ecclesiam ædificat.

CAPUT VI.

Quæ sit terra, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem hujus Abel, super quam ille Cain, id est Judaicus populus, vagus est et profugus

Quo clamore, quasi moleste excitatus, *Dominus ait ad Cain : Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit : Nescio. Numquid ego sum custos fratris mei? Dixitque ad eum : Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ergo maledictus es super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cumque operatus fueris eam, non dabit fructus suos : vagus et profugus eris super terram.* Et illius de quo hæc historia texitur stultitia simul et procacitas, quantam verbis nemo consequi valet, denotatur, dignaque pœna scelus fratricidæ percutitur : et præterea mysterium, quod nunc palam omni mundo factum est, ex Judæis interfectoribus Christi præsignatur. Nam revera quod tunc dixit uni perdito Cain : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, nunc illi populo recte dici, est nemo qui neseiat. Quæ est enim terra, de qua nunc figurata, sed propria locutione recte dicatur, quod aperuit os suum, et susceperit de manibus Judæorum sangui-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nem fratris eorum. Nempe ipsa est sancta Christi Ecclesia, terra utique bona, terra fructifera, quæ juxta Apostolum (*Heb.* VI), sæpe venientem super se bibens imbrem, germinat herbam opportunam illis a quibus colitur, et proinde accipit benedictionem Deo : sicut e contra terra proferens spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. hæc terra cum sit rationalis, tanto præstantior est terra inanimata et insensibili, quanto sanguis hujus Abel quem suscepit, aperiens os suum in voce exsultationis et confessionis melius clamat, quam sanguis illius Abel clamare poterit, sicut Apostolus idem qui supra dicit : *Sed accessistis*, inquit, *ad Novi Testamenti mediatorem Jesum sanguinis aspersionem multo melius clamantem, quam Abel* (*Heb.* XII). Nam ille sanguis clamando unius tantum hominis nefarium scelus accusabat, et si (quod verum est) aliud futurum annuntiabat, soli Deo adhuc audibilis vel intelligibilis erat : hic autem ex ore terræ fidelis, quæ anima nos, pro omni mundo interpellat, et universorum peccata excusat, ipsos quoque qui fuderunt illum ad pœnitentiam invitat, impœnitentibus futurum judicium palam annuntiat. Super hanc maledicto subjectus vagus atque profugus est iste Cain molestius quam fuit ille super terram, in qua civitatem quoque primus ædificavit, quam et vocavit ex nomine primogeniti filii sui Enoch. Sed nec illud secundum litteram satis **61** aperte constat quod terra operanti illi non dederit fructus suos, sed spinas et tribulos germinaverit illi, de isto autem satis notum est, quia cum Ecclesia patriarcharum et prophetarum se putet operari, legem eamdem lectitando, et easdem cæremonias observando, quas et illi non dat fructus suos, id est, utilitatem, quam imperfectam, licet ante passionem Dominicam conferebat, nulli conferri potest : sed, econtra, spinas et tribulos germinat, dum non modo non justificatur quis, verum etiam suam exinde damnationem accumulat. Porro, quod vagus et profugus sit super hanc terram, id est, propter Christi Ecclesiam, manifestum est, impleto quod de illo populo loquens ipse : *Et cadent*, inquit, *in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes* (*Luc.* XXI). Hoc, inquam, super terram, id est propter Christi Ecclesiam, factum est. Nam et ipse sanguis, hoc ut fieret, flagitabat in psalmo, ubi cum dixisset Deus : *Ostendit mihi super inimicos meos* (*Psal.* LVIII), statim subjunxit, *ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.* Sed quid? *Disperge*, ait, *illos in virtute tua.* Igitur ut hoc ipsum proficeret ad augendam memoriam vel notitiam ejus in populis, vagum et profugum hunc populum ipse Christus esse voluit, quia videlicet et eorum sparsa captivitas, et captiva cum ejus ipsorum Scriptura perhibent testimonium, quod hic frater ipsorum quem occiderunt justus erat, et nihil horum quæ prædicamus fides Christiana confinxit. Itaque littera quoque de hoc negotio manifeste agit, nec minus evidenter istum quam illum percutit Cain, quia nec ita vagus aut profugus fuit ille super terram, ut propriam civitatem non haberet, nec ita operanti fructus suos terra dare recusavit, vel spinas et tribulos adeo germinavit illi, ut sumptus ad ædificandam civitatem non inveniret.

CAPUT VII.

Quomodo intelligendum sit : « Qui occiderit Cain, septuplum punietur. »

Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra. Omnis igitur qui invenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Desperati, et de Dei clementia male sentientis est, quod ait : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Quid autem deprehensus timet incultus iste agricola? *Ecce*, inquit, *ejicis me hodie a facie terræ*, etc. Hoc timet, ne agricolari sibi non liceat, ne terram quam solam amat, vel præsentem vitam pro admisso facinore perdat, ne ponatur adversus illum lex a Domino, ut quicunque illum invenerit occidat. Idcirco Dominus de hoc ipso, quod solum timebatur, respondens : *Nequaquam fiet ita*, ait : Sed quid? *Omnis*, inquit, *qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Aliter atque aliter diversi interpretes hunc locum transtulerunt. Nam pro eo quod hic secundum Hebraicam veritatem scriptum est, *sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, Symmachus : *septies ulciscetur*, Aquila, et Theodotion transtulerunt, *septem vindictas exsolvet.* Itaque varia translatio varium sensum generavit. Hæc una sententia est quam non præterire libet : Cain, septempliciter peccavit. Primo, quia in sacrificio Domini, ut superius jam dictum est, non recte divisit; secundo, quia fratri recte dividenti invidit; tertio, quia correptus a Domino non audivit; quarto, quia fratrem dolo circumvenit, dicens : *Egrediamur foras;* quinto, quia occidit; sexto, quia requisitus a Domino, dicente : *Ubi est Abel frater tuus*, respondit procaciter dicens : *Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego?* septimo, quia convictus desperavit dicens : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Quia ergo pro septemplici peccato maledicto subjacuit, vagus et profugus ac tremens, ut nonnulli perhibent, qui occiderit, inquit, septem vindictas exsolvet, id est septemplicis peccati ejus pœnam longam compendiosa morte finiet. Volunt enim peccatum Cain, morte corporis fuisse deletum, pro quo scriptum est : *Non enim vindicabit Deus bis in idipsum* (*Nahum.* I). Sed hæc ratio quam infirma sit, et ipsa fides scit, et sanctorum Patrum sententia diligentior evidenter astruit : Hoc enim dictum, de illis accipi convenit, quorum in pœna vel ante pœnam confessionem Deus accipit, et idcirco post eamdem pœnam temporalem, non illis æternam superadjicit ut, verbi gratia, latroni illi qui in cruce confessus est, non injuste Dominus aperuit paradisum, quia *non vindicabit Deus bis in idipsum.* Nam alter latro; de temporali ad æternum transvectus supplicium. De quo etiam recte

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dicas, quia nec in illo vindicavit Deus bis in id-ipsum, nam esse una vindicta bene dicitur, quæ hic incœpta perficitur in sempiternum. Igitur, quia nec illud præsens littera dat intelligi, quod Cain tremulo corpore vixerit; illud tamen videndum, quod multo aliter secundum Hebraicam veritatem dictum est : *Sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.*

CAPUT VIII.

De eo quod dictum est : « Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies. »

Quid ergo est, septuplum punietur? Utique sicut homicida in æternum punietur, subaudîtur, nisi pœnitentiam egerit. Quemadmodum et ubi dictum est : *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* (*Matth.* XXVI), videlicet illo quem metuens in psalmo dicebat : *Qui redemisti David servum tuum, de gladio maligno eripe me* (*Psal.* CXLIII). Nempe si non subaudieris, *nisi pœnitentiam egerint*, sententia non stabit. Sed et in cæteris ubicunque tale quid scriptum est, verbi gratia in propheta : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Vel in Evangelio : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V), subaudiri oportet, *nisi pœnitentiam egerit*, alioquin sermo secundum fidem non procedit. Ita ergo et hic, cum dicitur : *sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, id quod jam dictum est subaudiri, et æternam pœnitionem oportet intelligi. Septenario namque numero significatur universitas non solum apud ecclesiasticos, sed etiam apud gentiles philosophos. Itaque septuplum, id est, plena et consummata vindicta punietur, subaudîtur, nisi pœnitentiam egerit. Constat autem quod is qui occidit Cain, scilicet Lamech, pœnitudinem gessit. *Dixit* enim *uxoribus suis Adæ et Sellæ : Audite sermonem meum, uxores Lamech, audite sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum.* Proinde et multo aliter de pœna sua continuo pronuntiavit, dicens : *Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies.* Dixerat Dominus : *Qui occiderit, septuplum punietur*, hic autem qui occiderit, dicit *septuagesies septies ultio dabitur*. Videtur quidem secundum **62** quantitatem numeri plus esse, *septuagesies septies ultio dabitur*, quam *septuplum punietur*; sed profecto minus est. Non enim quantitas utriusque numeri, sed natura hic attendenda est : et quidem tam septenarius, quam septuagesimus septimus numerus impar est. Sed non omnium imparium numerorum eadem natura est. Imparium namque alii simplices vel incompositi, alii compositi, alii sunt medii. De compositis et incompositis tantum nunc ad rem pertinet. Incompositus, impar numerus dicitur is cujus nulla pars præter unitatem invenitur, ut sunt ternarius, quinarius, undenarius, et cæteri tales, quorum præter unitatem, nullus mensor numerus invenitur. Compositus vero numerus dicitur is quem alius præter unitatem numerus metitur, ut sunt novenarius, quindenarius, et cum unitate vicenarius. Nam ter terni, novem : quinquies terni, sive ter quinque, quindecim : septies tres, sive ter septem, viginti unus. Hoc ergo septenarius, et septuagesimus-septimus differunt, quod septenarius incompositus, ac per hoc insolubilis : septuagesimus septimus vero compositus ac per hoc magis solubilis habetur. Nam septenarium præter unitatem, nullus metitur numerus : septuagesimi septimi vero, et septenarius, et undenarius, mensores sunt. Nam undecies septem, vel septies undecim, septuaginta septem perficiunt. Cum igitur dicit Deus : *Sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, insolubilis pœna debet intelligi, et subaudiri oportet, nisi præcedens pœnitentia solubile, id est, remissibile peccatum fecerit. Cum autem dicit Lamech, *septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies*, insolubilis vindicta Cain, et solubilis vindicta Lamech debet intelligi. Et recte videlicet, quia Cain pœnitentiam non egit, ipse vero Lamech pœnitentiam egit, quia peccatum suum confitetur. Et nota quod manifeste Scriptura contradicit eis qui putant peccatum Cain suprema morte deletum, cum de illo jam mortuo dicit, *septies ultio dabitur de Cain?* Ad hunc locum spectat illud quod cum Petrus diceret Domino : *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei, usque septies?* (*Matth.* VIII) ille quia omnia secundum Scripturas loquitur, respondit : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (*Ibid.*) : usque septies namque peccare, est incessanter et insolubiliter id est absque pœnitentia peccare sicut Cain : septuagies septies vero peccare est, peccatum quidem admittere, et per pœnitentiam illud solvere, quod fecit Lamech. Cæterum quod apud Lucam dicit idem Dominus : *Et si septies in die peccaverit frater tuus in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi* (*Luc.* XVII), de propriis injuriis accipiendum est quas septies, id est quoties admittuntur, dimittere debemus ne audiamus illud a Domino : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui?* (*Matth.* XVIII.) Nam de his quæ in Deum admittuntur, illud intelligi oportet, quod de Matthæi Evangelio prædictum est, et illud quod idem Lucas ante hæc dixerat : *Si peccaverit frater tuus, increpa illum. Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.*

CAPUT IX.

Cur Dominus Cain in signum posuerit, ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum, cum in lege dicat : « Cognatus occisi, statim ut invenerit homicidam, jugulabit. »

Posuitque Dominus Cain in signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum : egressusque est Cain a facie Domini, et habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden : et reliqua. Dicat aliquis : In lege jubet hic idem Dominus Deus, dicens : *Si per odium quisquam hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus manu percusserit, et mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit. Cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit* (*Num.* XXXV). Cum ergo Cain, non quemcunque hominem, sed fratrem suum uterinum per

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

odium occiderit, et cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus sit, cur idem Deus tantopere vetuit, ne ille jugularetur, dicens : *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur* : insuper et *in signum posuit* eum *Dominus, ut non interficeret eum omnis qui eum invenisset?* Ad hoc breviter dicendum : Lex illa valet jure propinquitatis. Cognato enim conceditur, ut jugulet eum, qui per odium occidit. Sed quis occidere posset Cain jure propinquitatis? Quis enim propinquior quam Abel huic esse potuit? Abel filios non genuit, propinquos nullos habuit, nisi propinquos Cain, et in hoc quoque Domino nostro fuit similis, qui traditus Pontio Pilato præsidi, dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo fuisset regnum meum, ministri utique mei decertarent ut non traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc* (*Joan.* XVIII). Igitur sicut jus legale est quod postea Dominus Deus mandavit, vel concessit, ut percussorem jugularet cognatus occisi, sic jus naturale est, quo Cain vetuit occidi ab homine, quia videlicet cum non superessent cognati, causa ejus qui occiderat ad hominum neminem pertinuit, sed ad Dominum Deum : Lamech ipse qui illum occidit, magis ad Cain, quam ad Abel pertinuit, quippe qui ab illo descendit sexto generationis loco. Siquidem *Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Maviael, Maviael genuit Mathusael, Mathusael genuit Lamech.* Bene ergo posuit Dominus Cain in signum, ut non cum interficeret omnis qui invenisset eum. Ubi notandum quod non dictum sit : Et posuit Dominus signum in Cain, ut, verbi gratia, tremulo corpore viveret, vel cornu in fronte gestaret, vel tale quid, quod non ex auctoritate Scripturæ, sed ex Judaicis fabulis est, sed *posuit*, inquit, *Cain in signum*, id est, quasi signum, videlicet, ut sic non auderet aliquis pro ultione contingere illum, quomodo nemo debet amovere regis vel imperatoris signum. De quo placito suo, quis reprehendere posset legis auctorem ante datam legem, cum sub lege viveus homo, licet rex, pene fecerit idem? Accessit enim mulier Thecuites ad regem David, et dixit : *Heu, mulier vidua ego sum. Mortuus est enim vir meus, et ancillæ tuæ erant duo filii. Qui vitati sunt adversum se, et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversus ancillam tuam, dicit : Trade eum, qui percussit fratrem suum* (*II Reg.* XIV), etc. Ac deinceps : *Recordetur*, ait, *rex Domini Dei sui; ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum.* **63** *Qui ait : Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te* (*ibid.*). Illud simile est huic. Hoc modo rex in signum posuit illum qui occiderat, reum habiturus eum quicunque ex cognatis ulcisceretur sanguinem occisi, veluti qui regii temerasset signum edicti, sa ienter utique; quia ex hujusmodi ultione multiplicantur proximi sanguinis, et proinde nemo jure reprehendit. Quanto magis cum per semetipsum Deus hoc agit, sapientiæ debet ascribi, et reus habendus erat, qui hujus modi edictum ejus temeravit? Sed confessus est hoc vulnus suum, ac livorem animæ suæ recognovit, dicendo : *Quia occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum*, et ideireo, sicut jam dictum est, peccatum ejus sub remissionis numero positum est. Sciendum autem virum ipsum Cain, adolescentulum autem ductorem ejus frustra a quibusdam intelligi, cum unus idemque Cain vir pariter et adolescentulus recte possit accipi, vir, scilicet, per actum, adolescentulus autem per ejus stabilitatem.

CAPUT X.

Quod prima terrenarum civitatum causa homicidium sit

Notandum tandem quod prima terrenarum civitatum causa homicidium sit. Nam quia Cain fratrem suum occiderat, et ob hoc omnibus odiosus, vagusque et profugus super terram erat, ideireo civitatem qua intaretur ædificavit, egressus, id est profectus a facie Domini, nec habens sortem in civitate ejus cœlesti. Isque primogenitum suum vocavit Enoch, quod interpretatur *dedicatio*, et ex ejus nomine conditam civitatem nuncupavit. Hunc imitantur omnes qui festinant ad festivitatem terrenæ felicitatis, nec futuram exspectant dedicationem regni Filii Dei. Et ideireo quemadmodum ille septimam generationem non vidit, sextus enim ab ipso Lamech illum occidit, cum illa longævitate aliqui octavam quoque generationem videre potuerint. Verbi gratia : Seth, qui Mathusalem jam supra quam centenarium videre potuit, sic et ipsi non pertingunt ad salibatum, id est septimum diem æternæ requietionis. Unde et illud dictum sapientis : *Hæreditas ad unam festinatur in principio, in novissimis benedictione carebit* (*Prov.* XX). Econtra, in generatione justorum, qui septimus nascitur Enoch nuncupatur, iisque ambulans cum Deo, non inveniebatur, quia tulit eum Deus. Siquidem justi per fidem in septima mundi ætate dedicatam sibi sperant requiem, et eorum spes in illud proficiscitur, quod in præsenti non videtur. *Non enim habemus*, inquiunt, *hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Heb.* XIII). Hæc hactenus de tribus hominibus dicta sunt Abel, Cain, et Lamech, uno justo, et alio peccatore et impœnitente, tertio peccatore quidem sed confitente, quibus divisionibus ex tunc usque hodie universi homines distincti sunt. Tertia namque pars, quæ est impœnitentium, secundum Apocalypsim Joannis, combustioni deputata est, cum dicit : *Et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et facta est tertia pars maris sanguinis, et tertia pars navium interiit* (*Apoc.* VIII). Justi namque, id est, doctores irreprehensibiles, auditores quoque, id est pœnitentes salvantur : tertia pars, id est impœnitentium congeries igni comburitur, post mortem carnis septupla recipiens pro omnibus peccatis suis, sicut de Cain jam mortuo dictum est, *septies ultio de Cain.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XI.

Quomodo dictum sit « Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. »

Mortuo igitur Abel, aliud principium sumitur hoc modo : *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Ab hoc, inquam, principium sumitur texendarum generationum, per quas derivati sunt patres nostræ fidei, ex quibus Christus secundum carnem. Propter quod et continuo subditur: (CAP. V.) *Hic est liber generationum Adam*, etc. Et paulo post : *Vixit autem centum triginta annis, et genuit filium ad similitudinem et imaginem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Seth autem interpretatur *resurrectio* sive *positio*, resurrectio videlicet, quia quæ in Abel occubuerat, in isto generatio justorum quodammodo resurrexit vel positus est (*sic*), ait : *Posuit mihi Deus semel aliud pro Abel.* Cur enim genituram ejus tantis verborum luminaribus Scriptura insignivit, addendo etiam, *genuitque ad similitudinem et imaginem suam*, scilicet homo rationalis rationalem, mortalis mortalem, cum hoc idem de cæteris quoscunque genuit filiis et filiabus recte dici potuerit, nisi quia hunc in capite generationum, abjecto Cain tanquam abortivo, positum voluit agnosci? Proinde annum quoque patris quo genitus est, hic apposuit, dicendo : *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit Seth.* In hac serie non secundum primogenitos, sed secundum justos, nativitatum tempora vel anni supputantur, manifeste ex appositione hujus anni centesimi tricesimi colligitur sicut jam dictum est. Jam generat primogenitum Cain et non dictum est quoto anno : sed nec posteritatis ejus ulla mentio fieret, nisi quia illum quintus de posteris ipsius occidit, scilicet, Lamech. Sic ergo et in cæteris, non secundum primogenitos, sed secundum merita generationes singulorum hoc modo sancta contexuit Scriptura : *Adam genuit Seth. Seth genuit Enos. Iste cœpit invocare nomen Domini*, vel quia secundum nomen suum, quod interpretatur *vir*, perfecte Deum coluerit : vel quia creatorem Deum, cum hoc ipso nomine, quod est Dominus, primus invocavit. Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, Jared genuit Enoch, Enoch genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, Lamech genuit Noe, sub quo factum est diluvium, anno ab Adam millesimo sexcentesimo quinto.

CAPUT XII.

Quid sit quod, multiplicatis hominibus, filii Dei filias hominum acceperunt uxores sibi.

CAP. VI. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram*; et reliqua. Multiplicitas hominum quanta fieri potuerit, vel unius ætate hominis illius ævi, æstimari non potest, quippe cum ex uno Abram, sterilem, usque ad senectam habente conjugem, per annos fere quadringentos et non multo plures, tanta multitudo successerit, ut, excepta progenie Esau, imo exceptis progeniebus concubinarum, quas Abraham ex Agar et Cethura suscepit, quorum pene A singulæ progenies Abraham proprias gentes assecuta sunt, per solum Jacob nepotem 64 ejus stirps tanta processerit, ut in exitu de Ægypto ad sexcenta millia pugnatorum numerati sint, exceptis mulieribus et parvulis (*Exod.* XII). Non ergo mirum quod Cain primogenitus Adæ civitatem ædificavit, ubi tanta vivacitate hominum atavis vel proavis usque ad pronepotem vel abnepotem filios vel usque ad septimam vel etiam octavam generationem nongentenos aut minus septingentenos annos viventibus pariterque filios ac filias generantibus, uti non uni civitati, sed pluribus cives sufficere potuerint. Non enim audiendi sunt, qui breves annos, verbi gratia, menstruos vel quaternorum mensium in illa ætate computari volunt, quia videlicet contra legem in B lege Moyses annos non supputavit, sed quales ipse observandos festis vel sacrificiis cæterisque sacris ritibus egit, tales et numeravit, scilicet, annos secundum lunam, communes quidem duodecim mensium : embolismares vero tredecim mensium. Igitur multiplicatis jam hominibus, *videntes*, inquit, *filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant.* filii Dei [et] filii hominum hoc loco differunt, quia filii Dei de generatione Seth, filii autem hominum de generatione sunt Cain. Quorum talis permistio quam pernitiosa bonis moribus fuerit, ex junioribus facile colligi potest, verbi gratia, ex Salomone, qui cum esset filius David vel filius Abraham, ac per hoc de filiis Dei, ex eo quod accepit uxores sibi de filiabus hominum : C *amavit enim mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Cethæas, de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel : Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vos* (*III Reg.* XI) : ex eo, inquam, depravatus est, quia *averterunt cor ejus mulieres*, ut adoraret deos earum et ædificaret fana idolorum. Proinde sapienter, et ante legem, quæ hujusmodi connubia prohibuit, sancti viri sibi vel filiis suis præcaverunt, ut Abraham cum dixit ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat : *Pone manum tuam super femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cæli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus* D *Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac* (*Gen.* XXIV). *Sed et Rebecca dixit : Si acceperit filius meus Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere* (*Gen.* XXVII). Claret igitur, malum non parvum fuisse filiis Dei, *quia videntes filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.*

CAPUT XIII.

Quid sit quod dictum est : « Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, eruntque dies ejus centum viginti anni. »

Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quia caro sunt, eruntque dies illius centum viginti annorum. Olim in Hebræo sic scri-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ptum esse putabatur : *Non judicabit spiritus meus homines istos in æternum.* Et hic erat sensus : Quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur, siquidem de eo quod scriptum est : *Non vindicabit Deus bis in ipsum*, magni et illustres viri ut supra jam dictum est, diversa senserunt. Nunc autem sic secundum Hebraicam veritatem legimus : *Non permanebit Spiritus meus in hominibus in æternum quia caro sunt.* Et est sensus : Ecce homines omnes caro sunt, et omnes carnem sequendo viam suam corruperunt. Nonne ergo pro re dixit : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Nunc ergo videte ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum, et dimisit eum de paradiso voluptatis?* Quid enim futurum erat, si viveret homo in æternum, cum certissime moriturus, et quotidie moriens, etiam nunc corruperit omnino viam suam? Igitur sicut tunc providens dixi, sic et nunc confirmata sententia dico, quia spiritus meus, id est, spiritus a me ad imaginem meam factus, non permanebit in hominibus in æternum, quia cum deberent esse spirituales homines, caro sunt, solaque quæ carnis sunt, sapiunt. Adeo in sententia perdurabo, ut non modo non vivat homo in æternum, verum etiam brevius vivendi tempus, et pauciores sint anni singulorum. *Et erunt*, inquit, *dies centum viginti annorum.* Alii quidem paulo plures, alii paulo pauciores, post diluvium vixerunt annos, ut Jacob, qui centum et quadraginta septem, ut Joseph, qui centum et decem vixit annos, sed ejus qui hæc scribit, scilicet Moyses, dies fuere centum et viginti annorum. Sic enim de eo scriptum est : *Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est* (*Deut.* XXXIV). Miroque ac pene ineffabili modo vir mitissimus super omnes homines quæ morabantur in terra, seipsum in illa congerie morientium, ac propter corruptionem vitæ suæ pauciore tempore viventium opportune et importune ingerit, quodammodo deflens, quod illic secundum Dei præscientiam percussus ipse fuerit, ut morituras non saltem tempora Mathusalæ implere posset, quatenus ingrediatur terram repromissionis, sed sint dies sui pauci id est anni tantum centum et viginti. Aliter : Sed erunt dies eorum centum et viginti anni, hoc est habebunt centum et viginti annos ad agendam pœnitentiam. Quia vero pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus exspectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis induxit diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato. Hæc antiquior sententia est.

CAPUT XIV.

De eo quod dictum est : « Gigantes autem erant super terram. »

Gigantes autem erant super terram in illis diebus. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi. Pro gigantibus alii cadentes, alii violentos transtulere, ex Hebræo interpretantes. Cadentes autem recte dicuntur, id est superbi, quicumque potentes a sæculo sunt vel viri famosi. Nam hoc ipsum superbire cadere est, juxta illud in psalmo : *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* VIII). Alias autem si pro magnitudine staturæ gigantes placet hic accipi, nunquid commistio filiorum Dei et filiarum hominum aliam naturam fecit, ut nascerentur homines mirandæ proceritatis? Ergo gigantes, id est superbi, videlicet ex eo superbientes, quod essent utraque gente generosi, scilicet, tam secundum Seth, quam secundum Cain. Inde etiam Absalon materiam habuit superbiendi, quod sanguis suus esset derivatus ex duobus regnis. Mater enim ejus Maacha filia fuit Tolomæi regis Gessur. Sed et Ismael, quamvis esset nothus, id est humano genere impar, tamen quia consanguinitatem trahebat duabus ex gentibus, quippe **65** qui paterno genere Hebræus, materno autem genere erat Ægyptius, potens sæculo fuit, vir famosus, id est *homo ferus* (*Gen.* XVI) sive superbus.

CAPUT XV.

De eo quod dictum est, « pœnituit eum quod hominem fecisset super terram. »

Videns autem Dominus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et præcavens in futurum, *et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo*, inquit, *hominem quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse eos.* Laborat hic sermo divinus, et quasi in versanda nimiæ magnitudinis mole pene confringitur, dum illud intellectui nostro planum facere intendit quod satis explicare nullus sermo sufficit, videlicet quomodo Deus sine motu sæviat et sine crudelitate occidat, quomodo salva pietate ultionem, et cum tranquillitate agat vel habeat furorem. *Pœnituit* enim, inquit, *quod hominem fecisset in terra*, et præcavens in futurum, *et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo*, inquit, *hominem, pœnitet enim me fecisse hominem.* Qui per prophetam suum dicturus erat : *Sic parturiens loquar* (*Isa.* XLII), utique jam parturiens locutus est. Nam quemadmodum parturiens illud concepit non sine sensu doloris emittit, et tamen dolere mavult quam non emittere quod concepit : sic Deus non sine sensu pietatis profert sententiam judicii, et tamen, victa pietate, miserias malorum mavult videre quam non proferre quod justitia dictante concepit. Quare? Quia videlicet utilius est, morbo ferramentum altius imprimere quam palpando putredinem fovere. Itaque quod pœnituisse dicitur, quod hominem fecisset in terra, et tactus esse dolore cordis intrinsecus, pietatis est : quod autem non victus eodem dolore, inquit : *Delebo hominem quem creavi a facie terræ*, severi judicii vel severitatis judiciariæ est illud edictum, postquam dictum sit, *Pœnitet me fecisse eos*, ne edici potest quam gravissime dictum sit. Tale quid et alibi dicit : *Pœnitet enim me quod constituerim Saul regem super*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Israel (*I Reg.* xv). Sane hujusmodi dictum, non impassibilis Dei mutabilitatem, sed fixam ejus indicat sententiam, ad prioris facti destructionem vel valde necessariam meliorationem ejusdem.

CAPUT XVI.

De Noe et causa diluvii, et quod triforme sit judicium Dei.

Noe vero invenit gratiam coram Deo. Hæc sunt generationes Noe. Noe vir justus atque perfectus fuit, cum Deo ambulavit, et genuit tres filios, Sem, Cham, et Japhet, etc. Magnæ virtutis testimonium est huic viro, in tanta plenitudine peccatorum cum Deo ambulasse; magni meriti præconium illi est, in tanta plenitudine sive multitudine cœlestis iræ gratiam invenisse, eo quod justus atque perfectus fuerit in illis talibus tanquam corruptis generationibus suis : magnum omnino negotium, quod in mundo universo diluvium inducitur, et in primis tanti hujus facti intentio merito vel utilitas quæritur. Quid enim in hoc maxime intendit Deus? Hoc scilicet, ut scirent ventura sæcula quantum ille peccatis adversetur. Denique sic totum mundum quasi hominem unum susceperat erudiendum. Scimus autem quod homini, dum adhuc puer est, agendum sit, quod timeat ne, dimissus suæ voluntati, præceps et infrænis in malum (ad quod prona est humana natura semper) secure collo ruat : *Percute*, inquit Scriptura, *filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte* (*Prov.* xxiii). Recte igitur et utiliter ut sapientiam Dei decuit, petulantem atque in carne et sanguine lascivientem mundum recentem, tanquam stultum puerum, corripuit, tali percutiens verbere quod tota sua ætate non queat oblivisci. Historiam omnes novimus, mysteria requiramus. Primo sciendum triforme unius Trinitatis esse judicium. Primum videlicet, quo diabolus de cœlo dejectus : et ultimum quo idem in fine sæculi cum angelis suis, et malis hominibus in ignem æternum est mittendus : medium hoc, quo diluvium mundo inducitur. De quo nec illud prætereundum, qui sicut tempore vel ordine, sic et qualitate medium est. Etenim primo quidem et ultimo soli reprobi feriuntur, et soli electi reservantur : isto autem nec soli electi reservantur, nec soli reprobi suffocantur. Credendum quippe est, aliquos hoc diluvio periisse, quorum eodem periculo mortis peccatum deletum sit, juxta quod scriptum est : *Non enim vindicabit Deus bis in idipsum*, plerosque autem ex eis, utpote impios, ab illo temporali aquarum diluvio, ad æternum transisse incendium, juxta quod idem scriptum est : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Jer.* xv). De his autem qui superfuerunt, tam magna gratia Dei reservati, cum tres tantummodo filii Noe fuerint, unus reprobus exstitit, et in omnibus maxima reproborum sylva successit. Hoc ergo judicium proprie personam prædicat Filii Dei, qui solus naturam nostram susciplendo divinitatis suæ fortitudinem nostræ humanitatis conditione temperavit, et antequam veniret opus sui adventus in hoc tali cataclysmo præfiguravit. Et primum ipse Noe eumdem mediatorem Dei et hominum, tam nomine quam opere signavit. Nomine videlicet, quia nomen ipsum, quod est Noe, interpretatur *requies*. Requies autem nostra vera est ipse, qui dicit : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matth.* xi). Opere autem quomodo Christum significaverit, deinceps plenius dicendum erit. Igitur non absque divino præsagio, vocavit illum pater Noe dicens : *Iste consolabitur*, vel requiescere nos faciet *ab operibus nostris in terra cui maledixit Dominus*.

CAPUT XVII

Quam requiem nomine suo significet Noe, et de arca, et de mysterio arcæ.

Quæ autem est requies vel consolatio, qua consolatur nos iste verus Noe, scilicet Filius Dei, nisi peccatorum remissio, quam in baptismo suo nobis tribuit, secundum similitudinem illius qui per fidem suam in illo diluvio paucas animas secum reservavit. Illud namque diluvium baptismatis figuram fuisse Petrus quoque apostolus testatur, cum dicit : *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et nos nunc similis formæ salvos facit baptisma* (*I Petr.* iii), et reliqua. Itaque diluvium baptisma : hi qui in diluvio perierunt, peccata nostra 66 quæ in baptismate deleantur, præsignaverunt. Et hoc modo mystice prophetia completur, dicentis : *Iste consolabitur* vel requiescere nos faciet *ab operibus nostris*. Unus erat Noe, et in illo unum salvatum est semen ad recuperationem orbis terrarum, quia videlicet unus est Christus, in quo est nostra salus, *et non est in aliquo alio salus; nec enim nomen aliud sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* iv). Arca vero quia sanctam significavit Ecclesiam, quæ utique ex hominibus consistit, ipsa quoque secundum quamdam similitudinem fieri jussa est humani corporis, videlicet ut haberet trecentos cubitos longitudinis, quinquaginta latitudinis, triginta altitudinis. Ita longitudinis mensura sexies latitudinem, decies altitudinem mensuram continebat. Sic nempe corpus hominis prostrati vel resupinati, in longitudine sexies latitudinem, decies suimet continet altitudinem. Porro ipsa arca antiquam significat omnium electorum Ecclesiam; ligna levigata, id est bitumine lita, viros sanctos, patriarchas atque prophetas, quorum ex fide tenacissimum compacta est eidem Ecclesia, significant. Bitumen namque est ferventissimum et tenacissimum gluten, quod et asphaltum dicitur, ab Asphaltite lacu. Tenacissimam ergo in fide concordiam significat sanctorum. Et hanc arcam noster Noe, scilicet Christus Dei Filius, antequam in hunc mundum veniret, fabricavit, testante Paulo cum dicit : *Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo illius. Amphoris*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem habet honorem domus qui fabricavit illam. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant, Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos (*Hebr.* III). Itaque arca, sicut jam dictum est, antiquam Ecclesiam Noe, qui et illam ædificavit et in illam introivit, Christum Dei Filium, qui eamdem Ecclesiam et tanquam Deus de electis suis condidit, et tanquam homo sub legem ejus introivit; septem vero animæ quæ cum illo ingrediuntur, primitivam Evangelicæ gratiæ electionem significant, scilicet, apostolos omnesque Christi discipulos, qui cum illo ambulaverunt. Et ab illo missum de cœlo sanctum septiformem Spiritum acceperunt; animantia tandem munda et immunda, multitudinem figurant electorum, quos tam de Judæis quam de gentibus venientes illi, Spiritu Christi jubente, susceperunt. Quod ex alio Scripturæ loco manifestius liquet. Sic enim in Actibus apostolorum legimus, quia *cum esuriret Petrus et vellet gustare, cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum :* Surge, Petre, occide et manduca (*Act.* X). Et iterum : *Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris.* Hoc viso, ille instructus continuo venientibus ad se gentibus quid intellexisset, aperuit, inter cætera dicens: *Sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dici hominem.* Ac deinceps : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus illi* (*ibid.*). Igitur et hic ubi tam de mundis quam de immundis animantibus masculus et femina in arcam jubentur admitti, jam illud Deus præsignavit, quod postea Petro ostendit, scilicet, nullum genus hominum a gratia Dei rejici, sed Creatori omnium acceptam fore fidem vel conversionem cunctorum. Et notandum, quod eorum, scilicet, animantium admissio, quater in hac lectione repetitur, ut videlicet a quatuor partibus mundi collectio futura præsignetur.

CAPUT XVIII.

De mansiunculis et schemate ejusdem arcæ.

Mansiunculas, inquit, *in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus.* Ergo tali schemate fabricata, id est inferius trecentis cubitis ampla, et deductim ascendendo cum in cubito esset consummata, ubi sinus altior, illic angustior, et econtra, ubi humilior, illic amplior. Sic profecto sancta Ecclesia diversis ordinibus est distincta : et quisque ordo, quanto est arctior, tanto est et celsior : vel e converso, quanto quisque ordo est laxior, tanto et humilior; quanto altior, tanto angustior : ut, verbi gratia, viduitatis propositum, quanto conjugali proposito castitate arctius, tanto et meritum ejus altius : et virginalis propositi decus, quanto altius, A tanto in pancioribus invenitur : qui ordo, quia unum quod est necessarium liberius exsequitur, pulchro uno summitatis cubito designatur dignitas ejus. In hujusmodi ordinibus mystice completur manifestius quod dictum est, *cœnacula et tristega*, id est, tricamerata in arca *facies*. Nec vero cuiquam incredibile videatur, tantæ capacitatis arcam de lignis bituminatis posse fieri : cum de lapidibus cæmentatis, civitates immensas constet exstrui, præsertim cum non in uno aut duobus, sed totis centum annis, opus peractum sit. Præterea, ne de paucitate cubitorum causeris, habent geometræ cubitos majores, ita ut unus illorum sex contineat cubitos communes. Et Moyses, qui eruditus erat omni sapientia Ægyptiorum, utique cubitos computasse geometricales credendus est. Quod si ita est, æstimari non potest B quantæ capacitatis arca illa fuerit, tot cubitis tam magnis, in longitudinem, latitudinem, altitudinemque porrectis, ut non generum animantia bina et bina, septena et septena, sufficientibus spatiis explicare quiverit. Quod tandem est ostium in latere hujus arcæ deorsum positum? Utique salutare Baptismi Christi sacramentum, quod de patefacto ejus latere manavit, sine quo Ecclesiam ingredi vel a peccatis suis nemo potest eximi.

CAPUT XIX.

Quanto tempore, dum fabricaretur arca, exspectaverit Dei patientia.

(Cap. VII.) *Eratque Noe sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.* Exinde C colligitur quandiu exspectaverit eos Deus ad pœnitentiam, secundum Petrum apostolum in Epistola sua dicentem : *Qui increduli fuerunt aliquando in diebus Noe cum fabricaretur arca* (*I Pet.* III). Denique Noe *cum quingentorum esset annorum*, præcepit Deus dicens : *Fac tibi arcam.* Sexcentorum autem erat annorum, quando inundantibus aquis ingressus est in eam. Igitur circiter annos centum increduli fuerunt, prædicante illis publica arcæ fabricatura, et tanto tempore exspectavit eos Dei patientia : *Ipsi autem secundum duritiem suam et cor impœnitens thesaurizaverunt sibi iram in die iræ* (*Rom.* II). *Et facta est*, inquit, *pluvia super terram quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.* Quadraginta diebus D et quadraginta **67** noctibus, omne quod ab incarnatione vel passione Dominî residuum est, signatur sæculi tempus, quo baptismi aquæ inundare, forisque relicta ingredientium in Ecclesiam peccata, obruere non cessent. Nam sicut in transitu filiorum Israel per mare Rubrum, Ægyptii qui submerguntur, malignos spiritus vel peccata significant, ne impii qui in diluvio perèunt arca superstite cum paucis, peccata decidentia recte figurant.

CAPUT XX.

Item de diluvio, et quod dictum est : « cataractæ cœli apertæ sunt. »

Rupti sunt, inquit, *omnes fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt.* Quod ait, *et cataractæ cœli apertæ sunt*, et per hyperbolen accipiendum est, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sic esse dictum, ob insinuandam inundationis magnitudinem, quæ tanta fuit ut firmamentum quod fecit Deus in medio aquarum, ut divideret aquas ab aquis, dissipatum esse videretur secundum vulgi opinionem. Dici nos quidem cataractas cœli occultas esse vias, per quas de cœlo utique aereo pluvia descendit. Verum hoc dicendo more vulgi magis, quam Scripturarum sensu loquimur. Neque enim solidum quid aut durum est cœlum, ut recte possit intelligi cataractis, id est fenestris in modum parietis intercisum, quibus apertis, aquæ fundantur deorsum, quæ clausis eisdem continebantur sursum. Alias autem si vere solutum putandum est, pro eo quod dictum est, *et cataractæ cœli apertæ sunt*, videris quomodo verum sit, quod Psalmista de cœlestibus canendo dicit: *Statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi, præceptum posuit, et non præteribit.* (*Psal.* CXLVIII). Quod si quæras, unde ergo venerunt tantæ moles aquarum, quæ cuncta operuerunt, ita ut quindecim cubitis essent altiores super montes quos operuerant? Facilis patet responsio, quia videlicet inde venerunt quo ablerant dicente Deo: *Congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum unum, et appareat arida* (*Gen.* I). Constat enim quia jam factum fuerat firmamentum, dividens aquas ab aquis, et tantæ sub firmamento remanserunt ut etiam tunc nusquam pareret arida. Unde Psalmista cum dixisset, *qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi* (*Psal.* CIII), continuo, ut scias nec montium cacumina ab aquis eminuisse *super montes*, inquit: *stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt* (*ibid.*), futurum tempus ponens pro præterito, quod solecismum grammatici appellant. Item si quæras quo, data requie, recesserint? Notum est, secundum Ecclesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem revertantur abyssi (*Eccle.* I).

CAPUT XXI.

De timore Domini, et quod vere Dominus secundum hunc actu timendus sit.

Quæ hactenus dicta sunt, ex quo super prævaricatorem hominem agi cœptum est judicium, fere omnia timoris plena sunt, et ex eis palam fit omni creaturæ quod vere *Deus*, juxta Psalmistam, *terribilis in consiliis sit super filios hominum* (*Psal.* LXV). Unde et hoc ipsum nomen, quod est Deus, Græca etymologia accessit. Græce namque *theos*, Latine dicitur *timor*, et exinde creator noster dicitur Deus, quod vere sit timendus. Unde est illud dictum Sapientis: *Fili, noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum, et dicas: Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius* (*Eccle.* V). Nunc demum accedendum nobis est intus, id est ad ipsum Noe et uxorem ejus, et filios ejus, et uxores filiorum ejus, et, ab hoc eodem secundæ ætatis mundi initio, consideranda, ex his quæ dixit, quod fecit cum illis idem Deus, quod ascendentibus nobis recte sanctus propheta post spiritum timoris posuit spiritum pietatis (*Isai.* XI), quia videlicet *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX), pietas autem secundus est gradus ascensionis, jam charitatem provocans, quæ *perfecta timorem foras mittat* (*Joan.* IV).

CAPUT XXII.

De pietate ejusdem Domini, juxta quam recordatus est Noe, sicut Scriptura dicit; et de vero Noe Christo cujus post aquas tribulationis Deus Pater recordatus est, resuscitando illum a mortuis; et de columba quam emisit, id est gratia Spiritus sancti quam dedit.

(CAP. VIII.) *Recordatus autem Dominus Noe, cunctorumque animantium et omnium jumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ*, etc. Non prætereundum in primis quia quæcunque tangit pius affectus incognitum non habet multum fuisse quod Noe vir justus atque perfectus, in tali tempestate, passus est. Nam, ut taceam quod arca illa per totum annum tempestuosus illi et inquietus carcer exstitit, tunc namque maxime *steterunt spiritus procellæ et exaltati sunt fluctus ejus*, atque ascendendo *usque ad cœlos*, et descendendo *usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat* (*Psal* CVI); ut, inquam, hoc taceam, non vere justus aut perfectus Noe fuisset, si in illa multitudine communis hominum miseriæ de propria salute sua ridere potuisset, præsertim cum de impassibili Deo dicere Scriptura non dubitaverit, quia tunc temporis *dolore cordis intrinsecus tactus est* (*Gen.* VI). Fidenter dicere licebat, quia non Jeremias pro incendio civitatis, vel captivatione gentilis, quam vidit, tot in animo cruces pertulit, nec tot contumelias vel terrores audivit, venturum prædicendo Babylonicum exercitum quod iste audisset, nisi quia non minor erat illis qui tunc temporis erant *a sæculo potentes viri et famosi* (*ibid.*). Itaque et si nulla in corpore, magna tamen in animo passione fluctuavit, et in eo maxime illi congruit vox illa capitis sui dicentis in Propheta secundum veritatem suæ passionis: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII). Nam et illæ aquæ, quibus tunc peccatores deleti sunt, quodammodo veraciter usque ad animam illius introierunt, et istæ aquæ baptismi, quibus nunc peccata nostra delentur, pene cum ipsa Domini Jesu anima de corpore ejus exierunt. Igitur in eo quod *recordatus Dominus Noe, cunctorumque animantium et omnium jumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ*, et quod Noe post diutinam exspectationem emisit corvum, qui non reversus est ad eum, emisit quoque columbam quæ primo et secundo reversa est, tertia autem emissa, non est reversa: magnum quidem et pulchrum est pietatis opus, sed

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

maximum 68 atque pulcherrimum est, quod in eo mystice præsignatur. Recordatus est enim Deus Pater Christi Filii sui, postquam intraverunt aquæ usque ad animam ejus, postquam tribulationes mortis pertransierunt animam ejus, cum teneretur in sepulcro conclusus : et *adduxit Spiritum super terram, Spiritum*, inquam, id est, reducem vitam adduxit super terram exanimi corporis, suscitavit enim illum a mortuis. Sed et super omnem terram, per unius resurrectionem adduxit Deus spiritum, dedit enim ex tunc hominibus Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, qui ita nebulas cordium dissipat, tentationumque fluctus exsiccat, quomodo ille spiritus quem tunc Deus super terram adduxit, humidum hactenus, frigidumque aerem calefaciendo, aquas imminuit, et usque ad siccum paulatim eliminavit. Nam spiritum hic juxta litteram calidum ventum, vel etiam ipsum solem, qui hactenus sub densis nubibus latuerat, intelligimus. Dicit enim de illo Ecclesiastes : *Lustrans universa per circuitum pergit spiritus, et in circulos suos revertitur* (*Eccle.* I). Sed dicit veridica Scriptura, quia jam imminutis aquis, jam apparentibus montium cacuminibus, exspectavit Noe dies quadraginta, et tunc dimisit corvum, illoque non redeunte, emisit columbam. Magnum mysterium, et magnum verum veritatis præconium. Etenim postquam Dominus noster a mortuis resurrexit, et opertos montes suos tristitia in lætitiam relevavit, novit fides Christiana quia tacitus ipse dies quadraginta sustinuit, et tunc demum in cœlum ascendens, ex tunc evacuato priscæ legis servitio, novam baptismi prædicari jussit gratiam, misso Spiritu sancto de cœlo. Corvus emissus est, et jam non revertitur, quia infidelis Judæorum populus, de Ecclesia patriarcharum et prophetarum ejectus, foris vagatur, et veterum sacrificiorum cadaveribus inhians, de antiquorum Patrum carnali prosapia, vana loquacitate gloriatur. At vero sancta apostolica Ecclesia Spiritu sancto accepto missa revertitur, juxta quod de sanctis Evangelii prædicatoribus per admirantem prophetam dicitur : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX.) Volant enim ut nubes, pluviam pacis mundo afferentes, et quasi columbæ ad fenestras ejus revertuntur, a quo ad ministerium nostræ salutis missi sunt, gloriam avide contemplantes.

CAPUT XXIII.

Item de eadem columba, id est Spiritus sancti gratia, quomodo tertio sit emissa.

Illi quidem quivis quasi columbæ sunt, sed una est columba Spiritus sancti gratia, propter quam illi columbæ dicti sunt, et illum, scilicet, Spiritum sanctum in sua maxime persona, illa columba significavit quam de arca Noe sanctus emisit. Quare autem tertio, nisi quia de sacramentis Christi vel Ecclesiæ, Trina spiritus sancti gratia, cuique fideli animæ depromitur? Prima namque gratia est : remissio peccatorum : secunda, diversorum distributio donorum : tertia, remuneratio in resurrectione mortuorum. Tertio, nempe ipse, qui caput est Ecclesiæ, Christus, unctus est; primo, quando de Spiritu sancto conceptus est : secundo, quando super eum ad Jordanem Spiritus sanctus in specie columbæ descendit : tertio, quando resurrexit a mortuis. In cujus figura David, qui tam Christi quam Ecclesiæ typum gessit, tertio in regem unctus est. Primo videlicet, quando unctus est a Samuele (*I Reg.* XVI) in domo patris sui. Secundo, quando unctus est in Hebron super Judam solum (*II Reg.* II) Tertio, quando unctus est super Israel universum (*II, Reg.* V). Igitur prima emissio columbæ ipsa est remissio peccatorum, quam verus Noe, id est requies nostra Christus, post resurrectionem suam confestim emisit, insufflans et dicens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum peccata remiseritis, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). At illi nondum ausi sunt exire ad publicum, et annuntiare hominibus talem gratiam, propter metum Judæorum. Bene ergo de columba illa dictum sit, quia cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversum est ad eum in arcam. *Aquæ enim*, inquit Scriptura, *erant super universam terram*, illæ videlicet aquæ, quæ, juxta Psalmistam (*Psal.* LXVIII), intraverunt usque ad Domini Jesu animam, quia apostoli adhuc infirmi metuebant. Et non mirum corvus, qui juxta litteram non reversus est, quod invenire potuit, et columba non invenit, ubi requiesceret, Feet decrescentibus aquis jam apparuissent cacumina montium. Corvus namque facilius requiescere potuit, quia cadavera abunde invenit : columba vero quia cadaveribus non pascitur, et si ad sedendum aliquod montis jugum invenire potuit, tamen absque victu requiescere non potuit. *Exspectatis autem ultra septem diebus aliis, rursus dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum virentis olivæ in ore suo.* Secundo emissa columba rediit ad vesperam, et virentis olivæ ramum in ore suo devexit, quia secundo datus est Spiritus sanctus apostolis die Pentecostes, circa finem vitæ, quemque illorum ad cœlestis Ecclesiæ requiem cum æterno perfectæ pacis præmio revocavit. Tertio nihilominus emissa jam non est reversa, quia profecto cum resurrexerint a mortuis, quæ, ut supra jam dictum est, tertia erit effusio Spiritus sancti, nusquam mittentur unde redeant, nec enim ad operandum, sed ad regnandum immortaliter exibunt. Sic et singulis electorum, tertio eadem columba advenit : primo, cum baptizatur quis in remissionem peccatorum; secundo, cum accipit per episcopos impositionem manuum; tertio, ut jam dictum est, in resurrectione mortuorum (*Ephes.* II). Ecce quam vere dictum est, quia invenit Noe gratiam coram Deo. Vere enim gratiam hic alter Noe invenit, qui nos Deo reconciliavit, et solvens inimicitias in carne sua, de filiis iræ filios gratiæ, de filiis gehennæ filios fecit vitæ æternæ.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXIV.

De viri justi Noe obedientia, quod sicut ad præceptum Dei ingressus, ita et ad præceptum ejusdem egressus est.

Igitur sexcentesimo primo anno, mense primo, die prima mensis, imminutæ sunt aquæ super terram, et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit undique, viditque quod exsiccata esset superficies terræ. Mense secundo, septima et vicesima die mensis arefacta est terra. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu et uxor tua, etc. Notandum diligenter quod dictum est, quia *primo mense, prima die mensis, aspexit Noe, et vidit quod exsiccata esset terra*, et deinde subjunctum est, *mense secundo, septima et vicesima die mensis arefacta est terra.* Cum enim jam vidisset Noe *primo die primi mensis, quod exsiccata esset terra*, quid sibi vult, quod itidem dicit Scriptura, quia *mense secundo septima et vicesima* 69 *die mensis*, tanto postliminio, scilicet quinquagesimo quarto die, ab eo quo viderat Noe exsiccatam esse terram, *arefacta est terra?* Videlicet ut commodius subjungeretur quod subjunctum est: *Locutus est Deus ad Noe dicens: Egredere de arca.* Tanquam diceret: Tot diebus prius exsiccata fuerat terra, cum tandem, Deo jubente, egressus est Noe de arca. Ergo viri justi atque perfecti magna in hoc quoque justitia vel perfectio commendatur, laude digna, quod tandiu carcere conclusus, non erupit solutus mox ut terram vidit, sed sicut præceptum ingrediendi fideliter accepit, sic et egrediendi licentiam obedienter sustinuit. Nunc ipsa diluvii tempora, id est quo anni tempore inundare cœperit, quandiu sine detrimento terram aquæ obtinuerint, quo arca super montes Armeniæ requieverit, quo nihilominus tempore cacumina montium apparuerint, vel terra arefacta, et ipse Noe cum omnibus arca egressus sit, investigandum est, secundum præcedentis ordinem lectionis.

CAPUT XXV.

De anno ejusdem diluvii, et quo anni tempore inundare cœperunt aquæ diluvii.

Mense, inquit, *secundo, septima decima die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt* (*Gen.* VII). Mensis secundus secundum legem ipse est, qui apud Romanos Maius dicitur, qui et secundum legem vel naturam temporum dicitur longis et serenis diebus extendi atque produci, et omnium quæ in mundo sunt ad concupiscentiam carnis et ad concupiscentiam oculorum pertinentium, pulchritudine illo tempore terra vestitur. Qui enim Romanis dicitur Aprilis apud hunc Moysen primus est in mensibus anni. Sic enim dicit ex auctoritate Dei legem daturus de esu paschalis agni: *Mensis iste principium vobis mensium primus erit in mensibus anni* (*Exod.* XII). Et ne illud scrupulum moveat, quod secundum nativitatem Noe possint hic annorum vel mensium principia, vel fines computari, revocetur ad memoriam quod ante exactum annum diluvii mense plus minus integro, A columba quam emisit Noe, reversa est, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Itaque quocunque anni tempore Noe nativitas exstiterit, verno tempore hunc annum impletum fuisse, illud quoque indicio est. Non ergo parum incautos cepit illos repentinus ille laqueus judicii, qui ferventiore voluptatis tempore supervenit. Unde recte Dominus: *Sicut factum est*, inquit, *in diebus Noe, sic erit et in diebus Filii hominis: edebant, et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem quo ingressus est Noe in arcam, et venit diluvium et perdidit omnes* (*Matth.* XXIV). Ab illo die facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Extunc aquæ inundantes, et quindecim cubitus super omnes montes altius emi- B nentes, centum quinquaginta diebus terram obtinuerunt. Nam tot diebus transactis, continuo decrementi illarum indicium adfuit. Siquidem *septimo mense*, inquit Scriptura, *septima et vicesima die mensis requievit arca super montes Armeniæ* (*Gen.* VIII). Quadraginta quippe dies pluviæ cum centum quinquaginta diebus additæ, sex menses lunares efficiunt, et paulo plus quam decem dies supersunt, quia mensis mensem die superat. Erat autem septima decima dies mensis, quando primum pluviæ inundaverunt. Itaque non decimo, sed septimo ac vicesimo die mensis septimi requievit arca: quia non primo, sed, ut jam dictum est, decimo septimo die mensis rupti sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt. Diligenter annum istum prosequatur, qui unus est C ex nongentis et quinquaginta annis Noe, ut luce clarius sit, non breviores [quod nonnulli suspicati sunt] sed tanti temporis, quanti habentur et nunc fuisse annus illorum hominum, qui tot annos recenti adhuc sæculo vixerunt. Sane mensis qui septimus fuit ab initio diluvii, ipse est qui apud Romanos November dicitur. Unde magis miranda tempestas illius judicii, quam non adjuvit ulla natura temporis, sed econtra, Maio, quo mense, ut jam dictum est, sol altius incedit, et cœlum naturaliter candescit, erupit imbrium vis, et circa tempus hiemis, id est mense Novembri, jam imminutis aquis arca requievit, tantis tamque diutinis dissecta procellis. Decimo tandem mense diluvii, qui est apud nos Februarius, D primo die mensis apparuerunt cacumina montium. Exspectatis deinde quadraginta, bisque septenis diebus, qui sunt dies fere duorum mensium, Februarii scilicet atque Martii, annus completus est duodecim mensium, cum illo mense Aprili, qui jam exactus fuerat, quando primum inundaverunt aquæ diluvii. Igitur cum dictum fuerit superius, *anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, rupti sunt omnes fontes abyssi*, et nunc post tam diligentem supputationem dierum vel mensium, dicitur *anno sexcentesimo primo, aperiens Noe tectum arcæ, vidit quod exsiccata esset terra*, manifeste liquet annos singulos duodecim mensium, menses autem alios triginta, alios undetriginta dierum in illis tot annorum hominibus computasse secundum lunam, cujus duodenis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mensibus supercrescentes undecim solaris anni dies embolismis cedunt.

CAPUT XXVI.

Quid secundum mysterium sit, præcipiente Domino egredi de arca.

Mense, inquit, *secundo septima et vicesima die mensis* (decem videlicet diebus ultra annum exactis, ex quo diluvii aquæ inundaverant) *locutus est Deus ad Noe dicens: Egredere de arca tu, et uxor tua*, etc. Non contentus fuit dicere Deus: *Egredere de arca tu, et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum*, sed de animantibus quoque cunctis sollicitus: *Cuncta*, inquit, *animantia quæ sunt apud te, tam in volatilibus, quam in bestiis, et universis reptilibus quæ reptant super terram educ tecum?* Hoc etiamsi Deus præceperit, scilicet cuncta animantia educere, Noe faciendum esse sciret, et ita factum fuisse sciremus nos, etiamsi Scriptura non narraret. Nunc autem Deum sic præcepisse et sic factum esse narrat, ita subjungendo: *Egressus est ergo Noe et filii ejus, et uxores filiorum ejus cum eo. Sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quæ reptant super terram secundum genus suum arca egressa sunt.* Quid sibi vult hoc, quod digitus Dei, qui non nisi idonea scribere novit aut loqui, tantas impendit moras in hujusmodi? Nempe si nihil nisi litteram hic acceperis, hoc scribere ex abundanti fuit. Igitur ad memoriam nunc redeat, quod superius jam dictum est, arcam illam quam et fabricavit, et cum suis ingressus est Noe, antiquam patriarcharum et prophetarum Ecclesiam signasse, quæ Dominus noster et antequam in hunc mundum veniret, condidit, et in qua cum venisset homo factus, tribulationes mortis pertulit, permanentibus cum eo paucis quibus et dicit: **70** *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (*Luc.* XXII). In eamdem Ecclesiam ingressa sunt cum Noe universa animantia, munda sive immunda, quia videlicet quicunque, sive de mundis Judæis, sive de immundis gentibus, ad Christum colliguntur, fidei Patrum antiquorum inseruntur, nec aliter ad Christum pertinent, nisi Ecclesiæ illi incorporentur. Verumtamen in eorum carnalibus cæremoniis permanere non sinuntur, videlicet ut carnaliter circumcidantur, aut sabbatizent, aut genum immolent, aut in cæteris ejusmodi (quæ umbræ erant futurorum) ullatenus judaïzent. Igitur dum illud quasi superfluum tam diligenter totics repetitur, istud quod valde necessarium est, in figura prophetatur, quod ingressuræ quidem forent necessario gentes quotquot ex eis salvari cuperent, in illam antiquorum exspectationem, sed non mansuræ intra carnalem illorum religionem. Hic dictum, *et ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam*, idem est juxta mysticum sensum, ac si diceretur: abjectis carnalibus, quæ prius pro lucro erant, et nunc pro detrimento reputatis, seminate in spiritu, ut de spiritu metatis vitam æternam (*Col.* II).

CAPUT XXVII.

Quam recte sacrificium Noe de servatis cunctis animantibus obtulerit, in figuram nostri, de quibus Christus viventes hostias offert Deo Patri.

Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Altare quod ædificavit Noe, et holocausta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, sua præsentia præteritorum beneficiorum memoriam confitentes, ut dignum erat. Qui enim arcam facere jusserat homini in qua salvaretur, digne illi homo altare ædificat, in quo idem Salvator suus adoretur. Et qui non solum hominem, sed propter hominem, jumentorum quoque et cunctorum animantium reliquias in eadem arca servaverat, merito illi cunctis pecoribus et volucribus mundi super altare ab homine offeruntur holocausta. Hoc non scripta, sed naturalis lex æquum esse docuit, quia videlicet hoc ipsa ratio dignum et justum esse naturaliter sentit, ut de suis donis honoretur in primis ipse qui dedit. Amplius autem et in hoc mysterium Domini nostri Jesus Christi præfulsit, qui egressus de illa Synagogæ arca, in qua per passionem suam mundi salutem acquisivit, novum sacrificii ritum instituit, et quod illic servatum est, hinc in holocaustum Deo Patri tam per semetipsum, quam per manus sacerdotum suorum offerre non desinit. Ipsum denique corpus, quod illic in ligno pependit, ipsum sanguinem qui illic effusus est, cum honorifica gratiarum actione, illi offerimus, qui eum a morte salvavit. Præterea de cunctis animantibus mundis, munda autem sunt omnia, quæcunque autem hactenus fuerunt immunda, illa suo sanguine mundavit, juxta quod Petro apostolo dictum est: *Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* X), de cunctis ergo animantibus, id est hominibus, ille holocausta offert Deo et Patri, dum cum ipsius gratia facimus, quod nobis præcipit, vel obsecrat nos ipse per Apostolum suum, dicentem: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* II). Sumusque omnes hoc faciendo sacerdotes, sicut in Apocalypsi gratias agentes dicimus illi: *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos regnum Deo nostro et sacerdotes* (*Apoc.* V).

CAPUT XXVIII.

De eo quod dictum: « Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. »

Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et dixit ad eum: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim et cogitatio cordis humani sunt prona in malum ab adolescentia sua: non igitur percutiam omnem animam sicut feci. Ac si diceret: Ecce nunc terræ maledixi propter homines. Nam propter homines diluvium induxit super eam, et illa quæ repleta erat iniquitate eorum, pene fuit cum ipsis deleta, suumque amisit formam, dum aquæ obtinuerunt eam. At illa nihil peccaverat. *Sensus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim et cogitatio hominis, sensus, inquam, et cogitatio hominis prævaricatoris, et non ipsa terra insensibilis, *prona sunt in malum ab adolescentia sua. Igitur non* ultra *faciam sicut feci*, id est, non ita confusa ultione cum homine, qui solus peccat, terram quoque insensibilem, vel jumenta, quorum sicut nulla justitia, sic nullum peccatum est, delebo, ut nunc delevi. Sed quid? *Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent.* Talis annus, qualis hic exstitit, ultra non erit, qui careat vicissitudine temporum, qui totus procellosis expendatur pluviis, nulloque modificetur beneficio caloris aut temperamento hiemis, quo natura usquam incidatur sementis, et nulla colligatur messis, sed erunt commodæ vices naturæ, nunc æstu, nunc frigore vicissim terras aut sata coquente. Nunquam ita confundetur naturæ vultus, aut situs mundi, cunctis diebus, id est usque ad finem sæculi. Hoc ergo de Spiritu quidem pietatis est, quod odoratus est Dominus odôrem suavitatis, non quod carnium nidoribus oblectetur, nec enim caro ipse est aut corpus, ut talium ducatur odoratu, sed quia spiritus est, et in hostiis corporalibus offerentis cor intuetur, et si pium est, contritione ejus delectatur suavis Dominus, plus quam homo corporali, quantumvis suavi odore mulceatur, juxta quod scriptum est, quia *sacrificium est Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L). Hoc, inquam, pietatis quidem est, quod sacrificium justi in odorem suavitatis accepit, et quasi magno munere delinitus, dixit, *Neqnaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Sed hæc eadem pietas dissoluta vel remissa non est, nec deposita disciplinæ virga, pueris suis, si delinquenti impunitatem pollicetur, dum protinus subjungit hujusmodi rationem : *Sensus enim et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua*, singulari sensus nomine, quinque sensus corporis significans, qui proni sunt in malum, præsertim ubi cogitatio cordis, qua restringi vel gubernari debuerant, et ipsa prona in malum eisdem sensibus, pro armis utitur ad opus malum. Deinceps namque terra quidem secura sit, et quisquis sic super eam ambulat, ut sensus vel cogitatio ejus non sint prona in malum : sed timeat solus ille homo, cujus sensus sive cogitatio sunt prona in malum. Etenim terra quidem deinceps in æternum stat, et potius aquæ quæ tunc homines deleverunt cum terra fortassis deficient omnino, juxta illud quod in Apocalypsi dictum est, *Et mare jam non est* (*Apoc.* XXI), sed homines alio judicio distincti, secundum propria merita singuli retributionem recepturi sunt.

71 CAPUT XXIX.

De eo quod cum dixisset : « Sensus enim et cogitatio hominis in malum prona sunt, » addidit : « ab adolescentia sua. »

Sane cum dixisset, *sensus enim et cogitatio cordis humani in malum prona sunt*, bene addidit, *ab adolescentia sua.* Adolescentia namque, prima intelligibilis ætas est. Unde quod antecedit vitæ humanæ, tam naturali quam scripta lege, magis liberum est. Quod autem accedit ex tunc boni malique legitimum habet judicium. Proinde et quidam sapientum sæculi vitam hominis, Y græcæ litteræ similem dixerunt, quæ ab uniductu incipiens finditur in bivium. Sic namque homo in infantia vel pueritia simpliciter graditur viam, boni ac mali non perpendens distantiam : ubi autem adolescentiæ metas attigerit, utriusque discretionem, duce ratione, percepit. Unde si dextram elegerit, præmium consequitur virtutis ; si autem sinistram, pœnas malorum incurrit. Unde et quidam poetarum maximus ait :

Hinc iter Elysium nobis, at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.
(Virg. lib. VI *Æneid.*)

CAPUT XXX.

De benedictione, in qua dictum est : « Et terror vester sit super cuncta animantia terræ. »

(Cap. IX.) *Benedixitque Deus Noe et filiis ejus et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini, et implete terram, et terror vester ac timor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur in terra.* Hæc jam secundo istis creaturæ reliquiis Deus benedicit. Nam et paulo ante benedixerat eis, dicens : *Ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam.* Bene et fideliter. Nam propter Dominum nostrum Jesum Christum, postquam resurrexit a mortuis, his effusa est super homines abundantia supernæ benedictionis : gemino quippe dono, data est apostolis gratia Spiritus sancti. Primo, quando datus est eis ab ipso insufflante, ac dicente : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX). Secundo, quando venit de cœlo idem Spiritus sanctus in igne apparens illis, et super singulos eorum sedens (*Act.* II), sic intrinsecus ignivit ut de indoctis eruditos, de idiotis sapientes, et de timidis fortes efficeret. Unde et signanter in hac secunda benedictione dictum est : *Et sit terror vester super cuncta animantia.* Exinde namque minis contonando, miraculis coruscando, verbis plaudo, terribiles facti sunt omni homini bestialiter viventi. Notandum quippe, quod non dixerit, *et sit terror vester* super cæteros homines, sed *super cuncta*, inquit, *animantia terræ, et super omnes volucres cœli.* Hoc bene perspicientes hujus nostri Noe filii, vel domestici viri, terrorem suum non nisi super eos qui bestialiter vivunt, exercere voluerunt : nam in quantum rationabiliter vivunt, quippe subditorum, in tantum pares eos existimant sibi, vel etiam præferunt : quemadmodum Paulus ille vas electionis, dum dicit quibusdam : *Non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum* (*II Cor.* IV). Juxta litteram fere hæc eadem in primis hominibus, Adam et uxore ejus, dicta fuerant, *crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* Sed hic

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

additum est, ex largitate Dei, dicentis : *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.* Tunc enim dictum est solummodo sic. *Ecce dedi vobis omnem herbam virentem, afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, erunt vobis in cibum.* Attamen felici adhuc et infirmitatis experti homini, tenuis ille victus, sufficientior exstitit, quam infirmo nunc et moribundo carnium esus esse possit. Porro, hæc homini potestas super cuncta animantia nunc jure accrevit. Nam et tunc propter hominem condita, et nunc propter hominem reservata duplici ex causa hoc ipsum homini debent, quod sunt. Igitur et si antehac absque ulla Dei præcipientis auctoritate, hæc homo in cibum præsumpsit, jam ex hoc nunc ante legem, et deinde per legem potestate accepta, jure sibi vendicat eadem in esum, ut is potius contra Dei faciat imperium qui prohibere tentaverit, testante Apostolo, cum quibusdam dicit : *Attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, abstinentium a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV). Sequitur :

CAPUT XXXI.

De eo quod cum dixisset : « Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum, » addidit, « quasi olera virentia tradidi vobis omnia excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. »

Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis : sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : et de manu hominis, et de manu viri, et fratris ejus, requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Bona et honesta exceptio dicentis, *excepto quod carnem cum sanguine*, nisi prius effuso sanguine, *non comedetis.* Quare autem carnem cum sanguine non comedetis? *Sanguinem enim*, inquit, *animarum vestrarum requiram.* Mira argumentatio, nec vana tamen, sed gravissima, qua cum proposuisset de sanguine pecorum : *Carnem*, inquiens, *cum sanguine non comedes*, rationem continuo subjungit de sanguine hominis. Valet enim ad augendam æstimationem sanguinis humani, ut videlicet non leve quis arbitretur, sanguinem hominis intus in conscientia ponere : cum sanguinem pecudis non sibi liceat in os forinsecus immittere. Idcirco et per legem denno mandavit ut, quando locus sanctuarii procul esset, funderetur in terram victimarum sanguis (*Lev.* XVII), earum, scilicet, quas in proprios esus præparabant : quando vero sanctuarium præsens esset, funderetur in altari, sicut est in libro Deuteronomii ; *Sanguinem hostiarum tuarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris* (*Deut.* XII). Hinc est illud in libro Regum : *Et versus ad prædam, tulit oves et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra, comeditque populus cum sanguine. Et ait Saul : Prævaricati estis* (*I Reg.* XIV), etc. Si ergo prævaricatio est, brutum sanguinem ad os mittere, quanto magis abominatum esse debet homini, veras munditias profitenti, sanguinem hominis in conscientia recondere? Igitur ut ex comparatione minoris claresceret, **72** quanti sit reatus peccatum homicidii, recte cum dixisset, *carnem cum sanguine non comedetis*, statim subjunxit : *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis.* Sed quomodo de manu bestiarum requirit Deus sanguinem hominis? Nam quod de manu, inquam, viri, quantumvis extranei, et de manu fratris ejus, sicut sanguinem Abel requisivit de manu Cain, propter quem maxime, ut nonnulli perhibent, diluvium mundo induxit. Sed de manu bestiæ, verbi gratia lupi forte hominem jugulantis, quomodo sanguinem hominis requirit? Ergo vel hoc intelligendum, quod ipsæ bestiæ persæpe ab hominibus captæ pœnas exsolvunt : vel, quod rationabilius videtur, nomine bestiarum, maligni spiritus intelligendi sunt qui pro morte animarum hominum æternum accepturi sunt judicium. Igitur quicunque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, quia omnis homicida punietur, subauditur, nisi pœnitentiam egerit. Hæc enim subauditio necessaria est in ejusmodi divinis sententiis, ut, verbi gratia, *anima quæ peccaverit ipsa morietur*, et similia.

CAPUT XXXII.

Item de eadem re.

Hac exceptione servata, *quasi olera*, inquit, *virentia tradidi vobis omnia*, id est, impune trucidabitis, et manducabitis omnia quasi olera, quæ virentia quidem sunt, sed insensibilia. Olera namque et quæcunque ejusmodi, vivunt quidem per virorem, sed non ea vita est, quam recte dicere possis animam, licet Epicurei, quos imitati sunt etiam sordidissimi Manichæi, qui dixerunt quod, mortuo homine, anima ejus in porcum vel canem, deinde in arborem vel frutetum seu quamlibet herbam degenerando devovatur ; et inde quoque olera habeant animas eorum arbitratu, quorum stultitiam Flaccus quoque nobilis satyricus irridens, cuidam dicit :

Verum seu pisces, seu porrum, et cæpe trucidas,
Utere Pompeio.

(Hor. *Ep.* I, 12, 21.)

Trucidas, dixit, pro eo, ut diceret, comedis, quia videlicet juxta sectam suam, tot animas trucidabat, quot quotidie porros aut cæpe vel alia manducabat. Itaque in carnibus manducandis nulla injustitia est. Imo in non manducandis, nisi pro voto religioso fiat, superstitio est injusta, qua nimium usus fuisse fertur Pythagoras, qui non solum ab omni animali, verum etiam ab omni legumine abstinebat, præcipue a faba, quasi consanguinea, dicens, quod cocta sanguinis humani trahat colorem, vel quod viridis in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pixide ærea diu servata, verratur in sanguinem. Quem item irridens idem qui supra, dicit :

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur olusculà lardo.

(In., *Sat.* II, 6.)

In tantum namque Pythagoras pro causa jam dicta fabam quasi cognatam reputasse perhibetur, ut quadam die cum effugium non haberet, malucrit per medios latrones ire, quam per segetem fabæ. Sed jam hujusmodi ridicula per Dei sapientiam explosa sunt, et divinæ auctoritatis valent seria, juxta quæ et Apostolus dicit : *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (*I Tim.* IV). *Omnia*, inquit, *tradidi vobis, et omne quod movetur in terra et vivit, erit vobis in cibum.* Nullam hic mundorum et immundorum distinctionem fecisse videretur, nisi supra jam dixisset quia *tollens Noe de cunctis volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare.* Sed et in loco suo hic idem Moyses, de hujusmodi legem daturus est discretionis

CAPUT XXXIII

Quid significet quod tertio quoque dictum est : « Crescite et multiplicamini. »

Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam. Tandem et hoc tertio, unius ejusdemque benedictionis verba super hominum reliquias edita sunt. Sicut tertio columbam emisit ipse Noe, sic tertio nihilominus super ipsum et filios ejus sermo benedictionis effusus est. Et recte, quia videlicet, ut supra jam dictum est, columba Spiritus sancti gratiam significat et benedictio Dei non aliud quam Spiritus sancti effusio est. Igitur unus idemque Noe et tertio benedictionem accipit, quia videlicet unus idemque Christus, et quia Deus est, Spiritum sanctum mittit et tribuit, et, quia homo est, benedictionem tam in scipso quam in suis accipiat membris. In scipso, dum de Spiritu sancto concipitur ex utero Virginis, dum baptizatur et Spiritus sanctus visibili specie super illum descendit, dum resurgit a mortuis et ita ingreditur in gloriam regni sui, sicut in typum ejus, ut superius jam dictum est, tertio fuit unctus rex David. In membris autem suis, dum per fidem ejus in baptismo, quisque nostrum remissionem peccatorum accipit, dum deinde manuum impositionem, dum tandem in resurrectione æternam pro eadem fide percipit remunerationem. Et notandum quod in ipso benedictionis verbo triplici, pulchre signantur hæc eadem incrementa hujus gratiæ Spiritus sancti. Primo namque dictum est, *ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam ;* secundo dictum est, *crescite, multiplicamini ;* additumque est, *sit terror vester super cuncta animantia terræ ;* tertio, *crescite et multiplicamini et ingredimini super terram et implete eam.* Ultimum hoc dictum cum primo pene unum est, quia dictum est primo, *ingredimini super terram, crescite et multiplicamini super eam*, hic vero, *crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram et implete eam.* Unum, inquam, hæc esse videntur, sed ipso differunt ordine verborum. Illic prius dictum est, *ingredimini super terram*, ac deinde, *crescite et multiplicamini super eam ;* hic autem prius, *crescite et multiplicamini*, ac deinde, *et ingredimini super terram et implete eam.* Illic itaque, *ingredimini super terram*, inquit, et subauditur, ad operandum : hic autem, *ingredimini*, subauditur, ad regnandum. Sunt enim duæ prædestinatorum vocationes : altera, qua vocamur ad fidem, de qua dicit Apostolus : *Quos autem prædestinavit, illos et vocavit* (*Rom.* VIII); altera, qua vocandi sumus ad regnum, juxta fidem Evangelii, dicente rege his qui a dextris ejus erunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Bene ergo in prima benedictione prius est ingredi terram, et sequens, crescere et multiplicari, quia videlicet qui præsentem Ecclesiam ingredimur, crescere et multiplicari debemus, alios vocando, juxta illud : *Qui audit dicat : Veni* (*Apoc.* XXII). In ultima vero prius est crescere et multiplicari, et sequens ingredi super terram, et implere eam, quia profecto post omnia crementa vel multiplicationes erit illa ingressio in regnum Dei, post quam jam non est crescere et multiplicari, jam, inquam non est audire et dicere, *veni*. Horum medium est, ubi cum dixisset, *crescite et multiplicamini*, statim addidit, **73** *et sit terror vester super cuncta animantia terræ*, quo videlicet secunda significatur effusio Spiritus sancti, qua, ut superius jam dictum est, sancti apostoli fortes et fervidi effecti, non solum non timuerunt, sed etiam timendi et terribiles cunctis bestialiter viventibus esse meruerunt.

CAPUT XXXIV.

De eo quod dixit Deus : « Ecce ego statuam pactum meum vobiscum. »

Hæc quoque dixit Deus ad Noe et ad filios ejus : *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos. Et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii : neque erit deinceps diluvium dissipans terram. Dixitque Deus : Hoc signum fœderis inter me et vos : Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram.* Unum est quod hic nos in primis quærere oportet, scilicet pactum, quod vel quale sit, de quo dicit, *ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos?* Neque enim per se præsenti loco satis elucet ubi vel quando pactum hoc statuerit, quæ veraciores (*sic*) dati et accepti fuerint in constitutione pacti. Sine dato quippe et accepto, pactum non solet statui, nec minus inter duos fit, ut, verbi gratia, inter Abraham et regem Palæstinorum Abimelech. Nam et ille puteum reddidit, quem vi abstulerant servi sui, et hic oves et boves, et præterea septem agnas gregis seorsum statutas pro testimonio dedit. Hic vero nulla condonatio est. Dicit quidem Deus, *nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii*, verum hoc non ipsa pactio vel constitutio, sed tenor fœderis est, quemadmodum illud quod

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prædictus Abimelech ab Abraham exegit dicens : *Ne noceas mihi et posteris meis, stirpique meæ* (*Gen.* xxi). Item et hoc dixit Deus, *ponam arcum meum in nubibus*, verum hoc non ipsum fœdus, sed signum fœderis est. Etenim *erit*, inquit, *signum fœderis inter me et inter terram*. Præterea sciendum quod non dixerit præsenti tempore, ecce ego statuo, sed futuro, *ecce*, inquit, *statuam pactum meum vobiscum*, et quod non tantum dixerit vobiscum, sed addiderit *cum semine vestro post vos*. Dicit quidem et postmodum, *erit signum fœderis quod constituti inter Deum et omnem carnem super terram*. Sed illic quoque pro futuro recte accipitur præteritum, juxta illud quod scriptum est : *Qui fecit quæ futura sunt* (*Eccl.* iii). Quærendum igitur est hoc pactum, et clarum erit quanti valeant cætera quæ nunc ex ore Dei procedunt. Dicimus itaque quia pactum non multoties quidem promissum, sed unum et semel initum, pactum, inquam, unum, quo solo inimicitiæ solvuntur, quæ erant inter Deum et homines, incarnatio vel passio Christi Filii Dei est, illic absque ulla contradictione certa est constitutio pacis cum ratione dati et accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eumdem Christum Filium suum, ut salventur per ipsum.

CAPUT XXXV.

De pacto vel pacti signo.

Hujus pacti duo tantum signa quidem præcipua, sed multæ promissiones vel significationes præcesserunt. Primum est signum quod nunc datur, dicente Deo, *hoc signum fœderis inter me et vos; arcum meum ponam in nubibus*, secundum quod datur Abrahæ ab eodem dicente : *Circumcidetis carnem præputii vestri, et erit signum fœderis inter me et vos* (*Gen.* xvii). Ubi notandum illud quod signum pacti, nonnunquam recte dicatur pactum, quia videlicet cum dixisset, *hoc est pactum quod observabitis : circumcidetur ex vobis omne masculinum*, continuo subjunxit, *et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me et vos* (*ibid.*). Sed de hoc suo loco plenius dicendum erit. Nunc de isto, scilicet arcu Dei videndum, quomodo illius unici pacti vel fœderis signum sit.

CAPUT XXXVI.

De eo quod in Christo pactum unum cum hominibus Deus fecerit, et quod pacti ejus illud quod cum Noe pepigit, signum fuerit. Et de arcu, qui Græce iris dicitur, id est pax.

In eo Deus pactum cum hominibus pepigit, per Christum Filium suum, quod de illo in cruce moriente nos sibi reconcilians, lavit nos a peccatis nostris in sanguine ejus, deditque nobis per illum sanctum charitatis suæ Spiritum, dedicans illum, quo renasceremur, aquæ et Spiritus sancti baptismum. Talis namque Christi Filii Dei arcus iste, qui in nubibus apparet, signum est. In eo quippe multi quidem et pene innumeri colores videntur, sed præcipui sunt et magis hi duo apparent, cæruleus et igneus. Cæruleus aquæ baptismum quo visibiliter ablulmur, igneus Spiritum sanctum significat, quo invisibiliter peccata nostra consummantur, ut ab utrisque secernamur, et ab illis qui præterito aquæ diluvio perierunt, et ab illis qui futuro ignis judicio perituri sunt. Igitur signum fœderis, id est signum Filii Dei, et propter electos judicati et super reprobos judicaturi, arcus iste in nubibus cœli. Et istud quidem signum est in nubibus, quod non adjiciat Deus ultra perdere aquis diluvii omnem carnem; ipse autem Deus, quem nubes susceptit, quique ultra nubes, et super omnes cœlos elevatus est, signum æternæ recordationis est in oculis Dei Patris, et in sempiternum memoriale nostræ pacis, ut jam postquam ille in carne sua inimicitias solvit (*Ephes.* ii), firmæ sint amicitiæ Dei et hominum, non jam servorum, sed amicorum et filiorum Dei. Recte itaque cum dixisset, *neque nequam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii*, addit : *neque erit deinceps diluvium dissipans terram*, quia nec terra ultra delebitur diluvio aquarum, nec nostra caro post resurrectionem ullo turbabitur diluvio miseriarum vel passionum inundantium. *Hoc*, inquit, *signum inter me et vos et omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generatione sempiterna*. Nam istud quidem signum cum nubibus transibit, ipsum autem fœdus, cujus signum est, id est memoriale nostræ redemptionis, in sempiternum permanebit in conspectu Patris in carne Filii ejus, in cicatricibus vulnerum manuum, pedum et lateris ejus. Unde et quia ipse est pax nostra, bene hoc signum fœderis Græce dicitur iris, id est *pax*. Cujus causas ignorantes, curiosi mundi hujus philosophi, dicunt eum fieri causaliter ex objecto solis cavæ nubi radios suos infundentis, sed quoquo modo fiat, opus Dei est, non casu, sed ratione, pro signo se exhibens divinæ recordationis.

74 CAPUT XXXVII.

De tribus filiis Noe, et cur non dixerit : maledictus Cham, sed « maledictus Chanaan. »

Erant igitur tres filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japheth. Porro Cham ipse est pater Chanaan. Ipse est, inquit, pater Chanaan, subaudiatur, habitatoris terræ hujus, quam tu, o Israel, ingredieris possidendam. Non enim quod vel solus filius vel primogenitus fuerit hic patris sui Cham, idcirco dixit scriptor, *ipse est pater Chanaan*, sed quia præ cæteris gentibus hanc nosse debebat Israel, cum qua sibi causa grandis erat. Cujus videlicet gentis maculam antiquam continuo scribere properat, ut non adeo mirum sit vel incredibile quod illam ad ingressum eorum terra evomere debeat. Ait ergo : *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam, bibensque vinum, inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foris*, etc. Huc enim ad ignominiam gentis multum proficit, quod ob servilem patris nequitiam traxerit ex illo hæreditariam maledictionis pœnam. Proinde semel, et secundo, atque tertio gentem eamdem hic percutit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dicendo : *Porro Cham ipse est pater Chanaan.* Ac deinceps : *Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, scilicet verenda patris sui nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foris.* Nam hic adversariam gentem nominare in tali patris ejus nuntio, gravis exprobratio est. *Deinde cum evigilasset Noe, et didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, Maledictus, inquit, Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Maledictus Chanaan*, dixit, cum nondum natus vel non solus esset ille filius Cham. Adeo posteros Chanaan detestatur ut totum maledictionis illius opprobrium vel pœnam in illos redundare pronuntiet. Minorem quoque illum appellat, qui patris pudenda divulgaverat, cum fuerit natu medius, minorem, inquam, non tam ætate quam pro vitio et morum indignitate. *Servus servorum*, inquit, *erit fratribus suis.* Non dixit solum, *servus erit*, quo nomine interdum etiam bona vel voluntaria servitus solet significari, sed *servus servorum*, inquit, *erit.* Quo additamento servitus extrema, imo servilis nepertia solet exprimi, nisi cum subjectione Dei, dum per egregiam humilitatem seipsum profitetur quis servum servorum Dei. Hæc narratio jam in præsenti, dum scribitur, valet eis quibus scribitur, videlicet ad corroborandos, scientes quod hostem eorum Chanaan jamdudum oderit Deus. Idem enim est ac si diceret : Confortamini et estote robusti. Sicut enim jam fecit Deus Cham in filio ejus Mesraim, hoc est Ægyptiis (de Mesraim namque secundo filiorum Cham nati sunt Ægyptii), quos Deus propter nos afflixit variis plagis, et in mari Rubro tandem obruit, sic multo magis faciet eidem Cham in isto filio ejus Chanaan, id est in istis populis, contra quos Deo duce proficiscimini, qui de illo nati sunt (*Gen.* XIV). Nam et antequam fieret pater vester Abraham, maledictus et servus vester fore pronuntiatus est iste Chanaan, dicente adhuc eodem patre, propter eum quem prophetico spiritu prævidebat, patrem vestrum Abraham. *Benedictus Dominus Deus Sem*, id est Deus Abraham, Abraham quippe natus est de Sem, *sit Chanaan servus ejus.* Ne ergo dicatis : *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est*, vel *quia proceræ staturæ est* (*Num.* XIII). Ne, inquam, hæc vel hujusmodi dicatis, quia revera populus maledictus est, vobisque servus et tributarius erit, sicut per patrem Noe prophetatum est. Sciendum quippe totum illud esse in Spiritu prophetiæ. Nam quia de Sem nasciturus erat unus Dei cultor Hebræorum populus, idcirco dixit : *Benedictus Dominus Deus Sem.* Quia vero de Japheth dividendæ erant insulæ gentium, et earum plenitudo per fidem ventura et habitura erat in domo Dei Judæorum, non quidem dixit Dominus Deus Japheth, quia falsos et multos deos coluerunt, sed *dilatet*, inquit, *Deus Japheth et habitet in tabernaculis Sem.* Illis juxta litteram dictis, altiorem sensum ponamus, juxta quem et hujus, id est Japheth, idem Chanaan sit servus, quia de isto quidem dictum est, *sit Chanaan servus ejus.*

CAPUT XXXVIII.

Item mystice de ebrietate Noe et de nuditatione ejus, quod per illam humilitas passionis Christi significetur, quam despicit Cham, id est quivis hæreticus.

Quam vineam Dominus Deus noster, qui, ut sæpe jam dictum est, per Noe figuratur, plantaverit, incognitum esse sacra Scriptura non sinit, verbi gratia, cum dicit : *Vineam de Ægypto transtulisti ; ejecisti gentes, et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram* (*Psal.* LXXIX). Et in Isaia : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filii olei, et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea, et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas* (*Isa.* V), etc. Item nec illud latere potest quod illa vinea, bene plantata et decora prius, postea in amaritudinem vitis alienæ conversa, ipsum plantatorem amaro mortis poculo potavit, et consummata amaritudine inebriavit, ita ut obdormiret somno mortis, nudatus, id est infirmus vel passibilis inventus, quippe qui *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus est ut homo* (*Phil.* II). Realiter quoque dicenti : *Sitio*, vinum obtulit myrrhatum, vinum vel acetum cum felle mistum (*Joan.* XIX ; *Matth.* XXVII). Igitur Noe de vinea quam plantavit, ipse inebriatus est, et in tabernaculo suo nudatus, ipse est Christus, a populo, cui legem dedit, ipse morte affectus, et in eadem gente sua despectui habitus, unde et gemebundus Isaias loquitur : *Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus. Et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem* (*Isa.* LIII), etc. Quicunque hæreticus sub Christiano nomine, propter hujusmodi infirmitates, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, verum Deum de Deo vero negat ante sæcula natum, id est Cham, quod interpretatur *calidus*, videlicet impatiens, semperque calens ad rixam, atque contentiosus, qui infirmitatem patris nuntiat foris, juxta quod Joannes de hujusmodi : *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II), dum negant in Christo quod virtutis est. Illud solum prædicat quod est infirmitatis et turbam facit. Econtra, qui susceptam a virtute Dei, nostram infirmitatem digne venerantur, scientes quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I), ipsi sunt Sem et Japheth, id est inclyti atque dilatati. Sem quippe *inclytus* sive *nominatus*, Japheth vero *latitudo* interpretatur. Majores sive doctores atque prælati in domo hujus Noe, id est in Ecclesia Christi, nominati sunt et inclyti ; **75** auditores vero sive subditi, quam plurimi sunt, et idcirco nomina Japheth, id est latitudinis, recte intelligendi sunt. Tertius est Cham, id est caterva falsorum fratrum. Præter has hominum partes nulla invenitur in filiis Noe, id est, qui Christiano censentur nomine. Et duæ quidem salvæ sunt ; nam tertia periit, sicut habemus in Apocalypsi, vel quia projecti cauda draconis qui trahebat tertiam partem stellarum cœli (*Apoc.* XII), vel quia ad cantum tubæ an-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gelicæ, et tertia pars creaturæ interiit (*Apoc.* VIII). Quomodo illi qui per Sem et Japheth designantur, illam infirmitatem honorant, quam in Christo hæretici despiciunt? Dorso aversi, pallium imponentes, infirma patris operiunt, id est reverenter præteritas passiones Domini recolentes, venerando sacramentorum ordine vestiunt, qualia in domo Dei agere sanctum, intelligere pium est. Hoc primi fecerunt apostoli, et deinde apostolici viri, atque cum illis, et post omnes illos, religiosi observant et fideles Christiani. Illis ergo recte servus servorum est Chanaan, id est omnis hæreticus, quia videlicet dum blasphemat et contendit, imo etiam corporaliter persequitur (quod maxime furor fecit Arianus) illorum gloriæ servit, et perficiendis coronis famulatur. Et bene dictum est, *maledictus Chanaan*, et non maledictus Cham, quia, videlicet dum in futurum sæculum pœna illorum reservatur, quasi non in semetipsis, sed in posteris puniuntur. Interpretatur autem Chanaan *motus eorum*. Quæ interpretatio talibus congruit, quia pro motu, id est, pro opere patris sui maledicti sunt.

CAPUT XXXIX.

Quæ sint mystice tabernacula Sem, in quibus habitavit Japheth.

Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem. Jam quia notum, et supra jam dictum est, in Sem Judæos, in Japheth vero gentes, quæ promissiones Judæorum consecuturæ erant, benedici prophetico spiritu patris: certius nunc scire licet quæ sint tabernacula Sem et quo introitu admissus cœperit in illis habitare Japheth. Tabernacula Sem, privilegia sunt Judæorum, quæ Apostolus his verbis enumerat: *Quorum est*, inquit, *adoptio filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). In his ille populus aliquando habitabit solus, nam nos gentes foris eramus. *Eratis* enim, inquit idem Apostolus, *in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* V, 2). Hæc enim omnia unius Hebraicæ linguæ clausura tenebat, quæ in diebus quibus divisio vel confusio linguarum facta est, remansit in domo vel familia Heber, unde et lingua ista Hebraica dicta est. (CAP. X.). Itaque hæc quæ prædicta sunt, aperte vocantur hic tabernacula Sem, id est, non quod cunctæ generationes Sem in illis habitaverint, sed pars, videlicet pars populi Israel, qui per Abraham descendit ex Heber pronepote Sem. Porro de Japheth nati sunt Græci et Latini. Filii namque Japheth fuere septem: Gomer, a quo Galathæ; et Magog, a quo Scythæ; et Madai, a quo Medi; et Javam a quo Jones, qui est Græci, unde et mare Ionium dicitur: et Thubal a quo Itali et Heberi, qui et Hispani, a quibus Celtiberi; et Mosoch, a quo Cappadoces, unde et urbs apud eos Mazeeba dicta est; et Thiras, a quo Thraces, quorum non satis immutatum vocabulum est. In his, et in cunctis pene gentibus Græca et Latina lingua principatum obtinent, altera videlicet propter sapientiam Græcorum, altera propter potentiam Romanorum, per quas aperta sunt tabernacula Sem gentibus universis ad inhabitandum, quia videlicet per illas, annitentibus multis translatoribus, Scripturarum scientiam, et perinde unius Dei notitiam apprehenderunt. Et Judæi quidem, quibus illa tabernacula primum ædificata fuerant, et nonnulli quoque de cæteris gentibus tabernacula Sem introierunt, sed generationes Japheth, quibus maxime Europa possessa est, habitando prævaluerunt.

CAPUT XL.

Item de tribus filiis Noe, quod eorum generatione tres mundi partes impletæ sunt.

Filii Cham: Chus, Mesraim, et Phuth, et Chanaan. Chus usque hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur; Mesraim, Ægyptus; Phuth, Libyes, a quo et Mauritaniæ fluvius usque in præsens Phuth dicitur, omnique circa eum regio Phuthensis. Porro, Chanaan, ut jam dictum est, obtinuit terram, quam Judæi deinceps possederunt, ejectis Chananæis. *Filii Sem, Alam, et Assur, et Arphaxat, et Lud, et Aram.* Hi ab Euphrate fluvio partem Asiæ usque ad Indicum Oceanum tenent. Est autem Alam, a quo Alamitæ, princeps Persidis: Assur Ninivem civitatem condidit. Arphaxat, a quo Chaldæi; Lud, a quo Lydda; Aram, a quo Syri, quorum metropolis est Damascus.

Singulas gentes quæ de his tribus filiis Noe disseminatæ sunt, prosequi longum est. Hoc ad summam compendio dictum sit, quia Sem in filiis suis Asiam, et Cham maxime Libyam, et Japheth Europam possederunt, ut tres partes mundi a trium generatione implerentur, in quibus etiam Ecclesia Christi sanctæ Trinitatis fide explananda præmonstrabatur

CAPUT XLI.

De ædificatione turris Babel.

Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni, etc. Jam superius, ubi septem filios Japheth in ordinem digessit, ita subjunxit: *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam et familias suas.* Hoc per regulam, quam Ticonius recapitulationem appellat, colligendum vel continuandum est, quia videlicet illic non dictum est qualiter divisæ fuerint, et hic idcirco reperitur, ut narretur quomodo vel quam ob causam divisio vel confusio ejusmodi facta est. *Erat*, inquit, *terra labii*, id est linguæ unius, *et sermonum eorumdem*, scilicet quia quique sermones vel singulæ voces in omni terra significabant idem. *Invenerunt*, inquit, *campum in terra Sennaar.* Ipsum campum quem invenerunt, Scriptura nunc vocat Sennaar, scilicet ab eventu, locum congruo nomine significans, interpretatur enim Sennaar *excussio dentium*, vel *fetor eorum*, videlicet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

excussio dentium, id est sermonum sive verborum quæ sine dentibus non fiunt. Plurimum namque dentes juvant ad loquendum, qui tunc illis quodammodo excussi sunt, quando solitam loquendi **76** facultatem dentati, id est, superbi vel fortes illi, perdiderunt. Nihilominus recte dicitur et fetor eorum, quia videlicet fetorem superbiæ eorum tali ausu usque ad nares Dei emiserunt. Cui sicut humilitas, vel spiritus contribulatus, sacrificium est in odorem suavitatis, sic econtra superbia fetor horribilis est. Cujus eorum superbiæ mirandam magnitudinem Scriptura insinuans, introducit Deum descendentem, ut videat civitatem et turrim, quam ædificabant, inquit, filii Adam, et dicentem : *Ecce unus est populus, et unum labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, etc. Descendit ut videret, de illo ait Scriptura, qui omnia scit antequam fiant, et nusquam abest, quia videlicet et causa talis erat, quam indiscussam cœleste judicium nullatenus omittere deberet, et sic loqui debuit Scriptura, ut nil temere esse credendum insinuaret. Si enim is qui omnia scit, descendere hic dicitur ut videat, et alibi dicit : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII), quanto magis homo qui falli potest, antequam sententiam proferat, rem diligenter investigare debet ? Et notandum quod hic illos appellat filios Adam. Potest quidem idem intelligi cum dicit, *quam ædificabant filii Adam*, ac si dixisset filii hominum, quoniam Adam apud Hebræos communi genere homo dicitur, sed hoc loco sicut voce, sic et sensu, ad eumdem qui primus fuit conditus debet referri. Ita namque acrius multo percutit eos, qui dixerunt, *et celebremus nomen nostrum*, et turrim superbiæ, qua cœlum attingerent ædificare cœperunt : quia videlicet hoc modo specialiter imitabantur prævaricationem Adæ, qua diabolum secutus est, dicentem : Comedite, *et eritis sicut dii* (*Gen.* III), et hoc modo æque ut ille ascendere voluit super altitudinem nubium et esse similis Altissimo (*Isai.* XIV).

CAPUT XLII.

De confusione linguarum, et quod per donum Spiritus sancti omnes linguæ rursus adunatæ sunt in ore apostolorum.

Ecce, inquit, *unus est populus, et unum labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere impleant.* Ergone, si illa facultas mutæ linguæ sublata non fuisset, cogitationes suas opere implere, id est, turrim tantæ altitudinis quivissent exstruere, cujus culmen in cœlum pertingeret? Non utique ad cœlum æthereum, cujus altitudinis stadia geometræ conjecturis suis numerare non possunt, sed forte ad cœlum aerium, a quo volucres cœli dici consueverunt. Cum ergo de stulta eorum præsumptione dicit Deus, *nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere impleant*, subaudiendum est, quantum in ipsis est. Satis enim diabolum imitantur dicentem : *Ascendam super altitudinem nubium* (*Isa.* XIV), qui, quantum potest, extollit se adversus Deum altissimum. *Venite igitur*, inquit Dominus, *descendamus et confundamus ibi* labium *eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Tanquam diceret : Inveni in quo digne quod merentur juxta modum culpæ retribuam eis. Quoniam perversa via tendunt ad cœlum, veram viam abscondamus ab eis, qua veraciter itur ad cœlum. Etenim cum hæc diceret Deus, futurum erat ut sanctam per famulum suum Moysen conderet Scripturam, unius Dei continentem notitiam, qua sola vere itur ad cœlum. Una autem tantum scribendi lingua erat quæ utique tunc omnium erat, quæ et hactenus dicitur Hebræa. Ut igitur cum datæ fuerint illæ margaritæ cœlestis doctrinæ, non conculcentur a porcis hujusmodi, *venite*, inquit, *confundamus ibi* labium *eorum*. Hoc tam mirandæ vindictæ incommodum, quo maxime homines a semetipsis dividuntur, solus facere potuit Deus. Proinde cum dicit pluraliter, *venite, descendamus, confundamus*, non angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas et unus Deus. Quod ex opposito remedio magis liquet. Ubi enim in ore apostolorum omnia revocantur genera linguarum (*Act.* II), eadem Trinitas sese aperit hominibus et eo die primum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti humiles hominibus baptizantur, quæ vera structura est altissimæ turris, qua in cœlum fugiat homo Deo conregnaturus.

CAPUT XLIII.

De Nemrod, quem Josephus eorum principem fuisse asserit qui turrim ædificaverunt.

Horum principem Josephus Nemrod se asserit, de quo superius dicit Scriptura : *Et Chus genuit Nemrod. Iste cœpit potens esse in terra, et erat robustus venator coram Domino* (*Gen.* X). Potens, inquam, cœpit esse in terra, et robustus venator erat, quia prius in populo insuetam tyrannidem quasi venando arripuit. Regnavitque in Babylone, quæ ab eo quod ibi confusæ sunt linguæ turrim ædificantium Babel, appellata est. Babel enim interpretatur *confusio*. Regnavit autem et in Arach, hoc est in Edissa, et in Achad, quæ nunc dicitur Nisibis, et Chalamne, quæ postea verso nomine, a Seleuco rege, dicta est Seleucia. De terra illa exivit Assur, *et ædificavit Ninivem et Rechoboth civitatem.* Ubi non putemus duas urbes esse significatas, sed quia Rechoboth interpretatur *platea*, ita legendum est : *Et ædificavit Ninivem, et plateas civitatis.* Dictaque est Ninive a Nino, Beli filio. Interpretatur autem Nemrod *tyrannus* sive *transgressor*, significatque diabolum, qui in hoc mundo tyrannidem arripuit, quam et in cœlo meditari ausus fuit, dicendo : *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). Et *ob hoc revera exivit proverbium* : Sicut *Nemrod ro-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lustus venator coram Domino, subauditur, sic est omnis qui extollit in altum cornu suum, qui loquitur adversus Deum iniquitatem (*Psal.* LXXIV). Dum eum exemplo illius celebrare se putat nomen suum, potius sempiternum econtrario conquirit opprobrium. Ipsa quoque civitas sive turris, cujus exstruendæ princeps ille fuit Babel, id est confusio, passim in Scripturis spiritualem significat civitatem diaboli, contrariam civitati Dei. Vocatur enim et est illa Babylon meretrix, quæ sanguinem sanctorum bibit; et econtra civitas Dei, Hierusalem, id est visio pacis, in qua pacifico et vero Regi in æternum et ultra conregnabunt omnes pacifici, veri beati, quia vocabuntur et erunt filii Dei (*Matth.* V).

IN GENESIM LIBER QUINTUS.

(Gen. cap. XII-XVIII.)

77 CAPUT PRIMUM.

Quod in Abraham tertiæ ætatis mundi initium fuerit.

Scrutamini Scripturas, dicit Judæis ipsa, quam in Scripturis habemus, vita Christus Filius Dei vivi: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere* (*Joan.* V). Quid deinde? *Et illæ sunt*, inquit, *quæ testimonium perhibent de me* (*ibid.*). Hoc nobis præsenti opere facere propositum est. Et ecce scrutando ad eam partem agri pervenimus, de qua recte dicus: *Habet argentum venarum suarum principia* (*Job.* XXVIII), in qua situs est pluribus testimoniorum ejus acervus, argenteus scilicet, ad Abraham patrem credentium, et, secundum nomen suum, patrem multarum gentium, ad quem primum ejusdem beati seminis repromissio facta est. Propter quod et initium est alterius, id est, tertiæ ætatis mundi, in qua Christus repromissus est, et lex per Moysen data, cui *si crederitis*, ait ipse, *crederitis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V). Hic scientia est, et proinde tertio loco, a spiritu timoris spiritus scientiæ ponitur, quia tertia mundi ætate, scientiam magnæ salutis et repromissionis sermone et legis conscriptione Deus hominibus tradidit. Hanc igitur ætatem ingressuri, sanctum scientiæ Spiritum invocamus, in quo sensu congessit eodem invenire et proferre nos effleiat repositum in hoc agro thesaurum testimoniorum Christi Filii Dei.

CAPUT II.

De Abraham, quod (ut aiunt plerique) de Ur Chaldæorum, id est de incendio, Dei auxilio liberatus sit.

(CAP. XII.) *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et multiplicabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Abram, quod interpretatur *pater excelsus*, Hebræus erat ex Heber, cujus in domo vel familia renansserat lingua primitiva, quæ ex tunc ab eodem dicitur Hebræa, natus anno centesimo nonagesimo primo, a nativitate Phaleg, cujus in diebus terra divisa est, a diluvio autem 292, a Sem filio Noe decima generatione editus. Sem namque genuit Arphaxad, Arphaxad genuit Sale, Sale genuit Heber, Heber genuit Phaleg, Phaleg genuit Reu, Reu genuit Sarug, Sarug genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abram. Cainan, quippe qui apud Lucam Evangelistam inter Arphaxad et Sale ponitur (*Luc* III), in Hebraico non habetur. Porro causam cur tali viro terra sua, id est, terra Chaldæorum, digna non fuerit, hanc Hebræi tradunt, et ecclesiastici illustres viri veram esse defendunt, scilicet quod Abram in ignem missus fuerit, eo quod ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, et Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit, et hoc esse quod dictum est: *Mortuus est Abram ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum*, quod videlicet ignem nolens adorare consumptus sit. Nam Abram, inquiunt, eodem vallatus incendio, Dei auxilio liberatus est. Unde et postmodum eidem Dominus: *Ego*, inquit Dominus, *qui eduxi te de Ur Chaldæorum* (*Gen.* XI). Alioqui indissolubilis, aiunt, erit quæstio in eo quod dictum est postmodum, *septuaginta quinque annorum erat Abraham cum egrederetur de Haran* (*Gen.* XII). Si enim Thare pater Abram, cum adhuc esset in regione Chaldæorum, septuaginta annorum genuit Abram (*Gen.* XI), et postea in Haran ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodo post mortem ejus Abram exiens de Haran septuaginta quinque annorum fuisse memoratur, cum a nativitate Abram usque ad mortem patris ejus, centum triginta quinque anni fuisse doceatur? Igitur vera est illa Hebræorum traditio, quod egressus sit Thare cum filiis suis de igne Chaldæorum, et quod Abram auxilio Dei sit liberatus, et ex illo tempore ei dies vitæ et tempus reputetur ætatis. Potest tamen recte intelligi, quod Thare cum suis omnibus statim quidem post persecutionem venerit in Haran, et cum proposuisset in terram Chanaan, illic remoratus sit. Abram autem, jubente Deo, ut egrederetur de terra et de cognatione sua, egressus sit. Sic enim se habet ordo narrationis.

CAPUT III.

Cur non dixerit Deus solum: « Egredere de terra tua, » sed addidit, « et de cognatione tua. »

Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Haran filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, venerunteque in Haran, et habitaverunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

annorum, et mortuus est in Haran (*Gen* xi). *Dixit* A *autem Dominus ad Abram*, subauditur cum venisset in Haran, vivente adhuc patre ejus, Thare scilicet : **78** *Egredere de terra et de cognatione tua*, etc. (*Gen.* xii), Cur enim non dixit solum : *Egredere de terra tua*, sed addidit, *et de cognatione tua*, nisi quia alibi terra, et alibi cognatio ejus erat? Siquidem terra ejus Chaldæa erat, cognatione autem ejus nunc in Haran, id est, in Syriam, profugiendo devenerat. Quod ergo cum dixisset, *egredere de terra*, addidit, *et de cognatione tua*, idem est ac si diceret : Sicut de terra Chaldæorum corpore egressus es, animo quoque sic egredere ut nunquam illuc redeas, insuper et hinc, ubi nunc habitas, egredere de cognatione tua. Nam quod in Haran, id est, in Syria, cognatio Abram illo egrediente resederit et ibi coaluerit, illud satis B indicio est, quod servus Abraham adjuratus ab eo dicente : *Non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo, Isaac* (*Gen.* xxiv). Profecto, inquit Scriptura, perexit Mesopotamiam Syriæ ad urbem Nachor. *Ad terram et ad cognationem meam*, inquit, *proficiscaris*, quia videlicet cum hæc diceret, jam cognatio ejus cum Syra gente commista fuerat, jamque illam terram pro sua habitabat. Unde et usque hodie Syra lingua Hebrææ cognata, id est, ex magna parte similis est. Sed jam promissionis verbum audiamus.

CAPUT IV.

Unde et ex quo propheta fuerit Abram.

Faciamque te, inquit, *in gentem magnam, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Gen.* xii). Ex hoc jam pater excelsus Abram propheta est. Etenim sancti omnes viri, quos prophetali nomine honorat domus Dei, ex eo prophetæ dicuntur et sunt, quod præscire meruerunt incarnationem Filii Dei. Ecce autem huic primo revelat Deus illud secretum consilii sui, dum dicit, *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*. Non aliam sine dubio benedictionem huic commemorat, nisi illam, qua per semen Abrahæ (quod est Christus) in omnes gentes gratia Spiritus sancti effusa est. Ergo jam propheta Abraham, propheta Isaac, propheta Jacob, sed patriarcharum nomine, hoc ipsum nomen in illis pene opertum est. Sed dicit Deus ab Abimelech regem Geraræ de Abram : *Nunc ergo redde uxorem viro suo, quia propheta est, et orabit pro te, et vives* (*Gen.* xx). Et in psalmo tam de isto, quam de cæteris patriarchis ejus posteris : *Et corripuit pro eis reges;* subauditur dicens : *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* civ). Non ergo quia breviter dictum est, parum esse putemus quod huic revelatum est, sed parvulam sermonis hujus aperientes thecam, quid habeatur intrinsecus, diligentius contemplemur.

CAPUT V.

Qualem mercedem, vel quod præmium proposuerit illi Deus jubendo ut egrederetur.

Quasi operarium electum Deus ad operandum conducens, cum dixisset, *egredere de terra et de cognatione tua*, continuo sperandam quasi taxando mercedem, primo ait : *faciamque te in gentem magnam*, deinde *et benedicam tibi*, nec non et addidit, *et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus*, tandemque, *atque in te*, ait, *benedicentur universæ cognationes terræ*. In omnibus iis nec unum iota, vel apicem, unum vacare, aut carere rei pondere certo arbitremur. *Faciamque te*, inquit, *in gentem magnam*. Non dixit gentem multam. Etenim gens illa quæ promittitur, quæ pro benedictione nunc offertur, comparatione aliarum B gentium, non valde multa futura erat. *Non*, inquit Moyses, *quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus aliis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, et custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris* (*Deut.* vii). Bene ergo non ait, *Faciamque te* in gentem multam, sed *in gentem magnam*. Nam vere magna gens, cujus Dominus Deus ejus, quam magnificavit, et honoravit magnus Dominus, de qua magnos patriarchas atque prophetas vel scribas peritos, ac diversorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognovit mundus. *Et benedicam tibi*, inquit. Notandus ordo verborum. Si enim prius dixisset benedicam, et deinde subjunC xisset faciamque te in gentem magnam, forte benedictionem in eo duntaxat promitti putaremus, ut generatio carnis ex eo propagaretur. Nunc autem prius in gentem magnam fore, et tunc benedici promittitur, ut videlicet illam intelligas benedictionem, de qua Propheta canit in psalmo : *Etenim benedictionem dabit legislator* (*Psal.* lxxxiii), quæ utique quia post legislationem datur, illa debet intelligi gratia Spiritus sancti, de qua Joannes dicit : *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* i). Sed hæc benedictionis gratia communiter omnibus fidei ejus sequacibus promissa vel data est. Sequitur ergo et superadjicit quod illius magis proprium sit : *Et magnificabo*, inquit, *nomen tuum, erisque benedictus*. Magnificatum D namque est hodie nomen Abrahæ, videlicet cum nomine Dei magno et tremendo, dum per orbem terrarum prædicatur nominis Dei talis definitio : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* iii; *Matth.* xxii). Vera magnificentia nominis Abrahæ hæc est. Unde et Apostolus : *Ideo*, inquit, *Deus non confunditur eorum vocari Deus* (*Hebr.* xi). Itaque *magnificabo*, ait, *nomen tuum, erisque benedictus*, videlicet ut nomen tuum in ipsa invocatione nominis mei magnifice commemoretur, et ita eris benedictus, ut quicunque tibi maledixerit, econtrario ille sit maledictus. *Maledicam* enim, inquit, *maledicentibus tibi, et benedicam benedicentibus tibi*. Verumtamen quoniam hæc promissio sic terminatur, *atque in te benedicen-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur omnes cognationes terræ, et quod ait *in te*, oportet intelligi in semine tuo, sicut et in repromissione tandem dicturus est, *possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXII), recte sic accipitur, *et magnificabo nomen tuum, eriisque benedictus*, ut hoc sit, magnificabo nomen seminis tui, dando illi nomen quod sit super omne nomen (*Phil.* II), quod Apostolus confitens: *Qui est*, inquit, *super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Sic enim Levi cum adhuc esset in lumbis hujus patris, decimatus esse recte dicitur, eodem Apostolo dicente, et ut ita dictum sit, per Abraham et Levi, qui decimas accipit, decimatus est, cur non et Christus recte promissiones accepisse dicatur in eo, cujus et ipse in lumbis erat secundum carnem? (*Hebr.* VII.) Cum ergo dicitur Abrahæ, *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*, recte Christo dictum accipitur, tanquam ita diceretur: *Postulabis a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II).

79 CAPUT VI.

Quomodo egressus est, juxta Apostolum, « nesciens quo iret. »

Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot (*Gen.* XII). *Egressus est*, inquit, subauditur, nesciens quo iret. *Fide* enim, inquit Apostolus, *qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem acceperus erat in hæreditatem; et exiit, nesciens quo iret* (*Hebr.* XI). Qui enim hoc solum dixit Deus, *et veni in terram quam monstravero tibi*, et ipsam illi terram nondum demonstravit, profecto nescientem quo ire jussit, et miro modo (quæ vera peregrinatio est) et exspectando ire, et eundo exspectare præcepit ubinam requies daretur sibi. Et ita egit. Sic enim Scriptura dicit: *Cumque venissent in terram Chanaan, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra.* Et continuo subjungit: *Apparuitque Dominus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc.* Ac si diceretur: Quia nesciens quo iret, exierat, tandiu quasi vagus, et sine tecto pertransivit in illum, et in illum locum, donec appareret ei Dominus, et juxta sponsionem suam ostenderet, et quam esset illi daturus terram. Bene igitur Apostolus ait: *Quia fide exivit, nesciens quo iret.* Sed et aliud erat, in quo fides ejus spectanda est. Nam superius jam dictum est: *Erat autem Sarai sterilis, et non habebat liberos* (*Gen.* XI). In uno igitur imperio duabus rebus, quodammodo repugnantibus, fortiter obedientiam fidemque præbuit, quia et cum Chananæus tunc esset in terra, terram illam sibi dandam, et cum uxor sua sterilis esset semini suo hæreditandam, Deo promittente, credidit. In utroque *confortatus est fide*, ut ait idem Apostolus, *dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est et facere* (*Rom.* IV). Tandem ergo demonstrata sibi terra, quam Deus promiserat, æstimans fidelem eum qui promiserat habitat confidenter, *ab occidente habens Bethel, ab oriente Hai.* Bethel *domus Dei*, Hai *festivitas* interpretatur. Porro Bethel hoc loco per anticipationem dicta est. Nam Jacob Bethel appellavit nomen ejus, quæ prius Luza vocabatur. Itaque contra tenebrarum spiritualium occidentem, habens domum Dei, et ab oriente veri luminis agens festivitatem magnæ spei, ædificavit altare Domino qui apparuerat ei; et non ingratus tantæ gratiæ beneficiis, et juris sui possessionem futuram, jam sacris Dei sui præoccupat atque dedicat titulus. *Perrexitque ultra vadens et proficiscens ad meridiem.* Meridies significat perfectionem. Bene ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab hac aurora jam dictæ fidei suæ ultra vadens, et progrediens de virtute in virtutem, sine dubio, ad plenum et æternum pervenit perfectionis diem.

CAPUT VII.

De peregrinatione ejus in Ægyptum, et quid significet quod « flagellavit Deus domum Pharaonis propter Saram. »

Facta est autem fames in terra, descenditque Abram in Egyptum ut peregrinaretur ibi; prævaluerat enim fames in terra. Cumque prope esset ut ingrederetur in Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier, et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est; et interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui, etc. Non parvipendens uxoris pudicitiam venalem fecit, ut bene sibi esset propter illam, sed periculo se exemit, ne moreretur propter illam, certissime sciens quod, qui eduxerit eum de Ur Chaldæorum, potens esset servare illam ab igne, id est, a libidine Ægyptiorum. Quare, inquit, non eadem fide confisus, quod liberare posset eam Dominus de manu Ægyptiorum, ut non moreretur propter eam, secure dixit esse uxorem suam? Videlicet quia timebat Dominum, quia nolebat tentare Dominum Deum suum. Is namque Deum tentat, qui, quanta potest parte, periculi se non expedit, et illic poscit miraculum Dei, ubi nonnihil proficere potest humanæ rationis ope, quæ in promptu sit. Bene igitur vir prudens utrinque sollicitus, videlicet ne et se interficerent, et illam reservatam suæ libidini subjugarent, quam potuit partem periculi sustulit, et cætera fideliter Deo curanda reliquit. — Etiam quidem in aperto litteræ est victoriosa viri obedientis perseverantia, quia facta fame in terra peregrinationis suæ, maluit adhuc in terra Cham, quæ est Ægyptus, peregrinando aliena solatia quærere, quam ad terram vel ad cognationem suam, de qua Deo jubente fuerat egressus, aliquatenus respicere. Verum ipsa facies præsentis historiæ jam sereno lumine arridet, et translucentia nobis ingerit mysteria, quibus plena est. Non enim ab re est, quod Abram facta fame descendit Ægyptum et flagellatur Pharao propter eam, cujus progenies postmodum itidem facta fame in eadem terra Chanaan descensura erat in Ægyptum (*Gen.* XLVI), et ita-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Sellandus esset Pharao plagis notissimis propter eam. Non, inquam, absque Dei consilio est, quod dives reversus ex Ægypto, postmodum contra reges accingitur, et Lot filium fratris sui liberat, ac deinde a Melchisedech sacerdote Altissimi benedicitur, cujus gens, scilicet Israel, postmodum de Ægypto in manu potenti et brachio excelso egrediens, contra reges multos et fortissimos pugnare habebat, ducum fide et armis, carnales qui in populo erant protegentibus, totamque gentem de servitio hostium persæpe liberantibus donec procederet natus de Virgine rex et sacerdos Altissimi, Christus Dei Filius, benedictionem, id est, peccatorum remissionem per veram corporis sui et sanguinis sacrificium, Abrahæ et semini ejus largiturus. Igitur apostolica præcunte auctoritate, qui, sumpta hinc allegorica similitudine de ancilla et de libera: *Hæc enim*, inquit, *sunt duo testamenta* (*Gal.* IV). In uno Abraham justorum omnium in illis temporibus viventium ex fide cœtum, in Sarai uxore ejus Dei testamentum, in Lot multitudinem intelligamus Israelitarum, qui, secundum carnem tantum, Israelitæ fuerunt.

CAPUT VIII.

Item de eadem, et quid significet quod sustulit Pharao Saram in domum suam.

Ingressus est Abram in Ægyptum, et viderunt, inquit, *Ægyptii mulierem quod esset pulchra nimis, et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum, et sublata est mulier in domum Pharaonis. Flagellavit autem Deus Pharaonem plagis multis et domum ejus*, etc. Hæc res gesta ulterius rei gerendæ veraciter prophetia est. Descendit enim postmodum Israel in Ægyptum, cum testamento Dei quod disposuerat ad Abraham avum suum, et ad Isaac patrem suum cum omnibus **80** quæ habebat, cum filiis et nepotibus, quia vocaverat Deus famem super terram, et omne firmamentum panis contriverat, et miserat ante eos Joseph (*Psal.* CIV). Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, quodammodo quæsivit Abram Sarai uxori suæ auxilium, quæsivit enim et promptum invenit Israel testamenti Dei solatium, ut bene sibi esset propter illud, et viveret anima ejus ob gratiam illius. Apparuit enim illi Deus per visum, dicens: *Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere, et descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi* (*Gen.* XLVII), etc. Cum hac pollicitatione descendit, et bene usi sunt eo Ægyptii propter gratiæ Dei pulchritudinem, quæ cum illo erat, fueruntque ei oves et boves, et asini, et servi, et famulæ, et cameli, etenim habuit possessionem in Ægypto in optimo terræ solo Ramesses, et ibi auctus est vehementer (*Gen.* XLVII). Surrexit deinde alius Pharao, qui non noverat Joseph (*Exod.* I), et hic procul dubio sustulit Sarai in domum suam. Tulit enim ab Israel Dei testamentum, nec enim sub illo colebat Deum patrum suorum. *Vacatis*, inquit, *otio, et idcirco dicitis: Eamus et sacrificemus Domino* (*Exod.* V). Sed flagellavit eum Dominus Deus plagis maximis, et dolum ejus: *Ego enim*, inquiens, *induravi cor ejus et servorum illius, ut facerem signa mea hæc in eis, ut narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis* (*Exod.* X). Tunc plane reddidit uxorem viro suo. *Nunc igitur*, inquiens, *ecce uxor tua, tolle eam et vade. Surrexit* enim ille *Pharao nocte, et omnes servi ejus cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto. Vocatisque Moyse et Aaron nocte, ait: Surgite et egredimini a populo meo, et vos et filii vestri: Ite, immolate Domino sicut dicitis* (*Exod.* XII). — (CAP. XIII.) Et tunc *ascendit Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo ad australem plagam. Erat autem dives valde in possessione auri et argenti.* Etenim permissus cultui Dei sui populus, ascendit de Ægypto cum omnibus quæ habebat, dicente Pharaone, *oves vestras et armenta assumite ut petieratis* (*ibid.*), erantque divites in possessione auri et argenti, spoliaverant enim Ægyptios, jubente Domino per Moysen, ut postularet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea et vestes.

CAPUT IX.

De regressu Abram et Lot ex Ægypto, et quid significet quod ab eo divisus est Lot.

Cum itaque egressi essent de Egypto Abram et Lot. *Non poterat*, inquit Scriptura, *capere eos terra, ut habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa, et non quibant habitare communiter. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso, sit jurgium inter te et me, et inter pastores meos, et pastores tuos, fratres enim sumus* (*Gen.* XIII), etc. Quantum ad moralem præsentis loci sensum attinet, divitiarum derogatio est, quia propter divitias non quibant habitare communiter, quos, quandiu tenues fuere, amor Dei et fraternus propinquitatis funiculus conjunxerat, quippe quos pariter junctos tenuerat, ut simul exirent de terra et de cognatione sua. Simulque senioris Abram mansuetudo et æquitas demonstratur, dum dicit: *Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est, recede a me, obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo. Si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Hujusmodi usque hodie inter hæredes recte servatur æquitas, ut ob finienda jurgia major dividat, minor eligat. Sed cœpto jam cursum dirigamus ordine. Jurgia quæ fuerunt in exitu Israel de Ægypto, inter eos, qui secundum fidem genus Abrahæ fuerunt, et inter eos qui secundum carnem tantum, quamobrem revera non potuerit eos capere terra, ut habitarent simul: bene omnes novimus, quia videlicet tandiu jurgati sunt, ut lapidare voluerint Moysen et Aaron, et constituere ducem sibi et reverti in Ægyptum. Denique tandem divisi sunt ab alterutro, juravit enim Dominus Deus in ira sua, quod non viderent terram pro qua juravit patribus eorum. *Vivo ego, ait Dominus, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

facerem omnes, qui numerati estis a viginti annis et supra, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun (*Num.* XIV). Bene ergo postquam divisus est Lot ab eo, loquitur Dominus ad Abram: *Leva*, inquiens, *oculos, et vide a loco in quo nunc es ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem. Omnem terram quam conspicis dabo tibi, et semini tuo*, quia videlicet postquam consumpta est generatio eorum qui jurgati sunt, tunc demum introduxit Dominus filios eorum in terram quam promiserat Abram. Sed et postquam ingressi sunt in illam terram, divisi sunt ab alterutris, et in paucis eorum, fuit Abram habitans inter Bethel et Hai, in loco altaris quod fecerat, invocans ibi nomen Domini. In plerisque autem fuit Lot habitans in Sodomis, quia videlicet pauci perseveranter coluerunt Deum cœli, Deum Abraham patris sui, plerique vero servierunt diis alienis, *et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum* (*Psal.* CV). Nec incongrue Lot, quamvis in persona sua justus fuerit, typum tamen gerit vitiosæ multitudinis, nam et in Evangelio Lazarus amicus est Domini, sicut testatur ipse, dicens: *Lazarus amicus noster dormit* (*Joan.* XI), et tamen eadem dormitione sua, vel quatriduana sepultura typum gerit peccatoris, jam consuetudine nequitiæ inveterati, jamque mala opinione fetentis.

CAPUT X.

De eo quod dictum est : « Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ, » et quo jure semen ejus terram illam possidere debuerit.

Faciemque semen tuum sicut pulverem terræ (*Gen.* XIII). Si quis possit hominum numerare pulverem, semen quoque tuum numerare poterit. Hoc de solo semine illo accipiendum, cui terram illam, quam nunc demonstrabat Dominus, erat daturus, quamvis et aliæ gentes de carne Abrahæ ortæ sint, ut Agareni, ut Madian, ut Idumæi. Nam et Balaam hoc in prophetia sua tali modo confirmat: *Quis*, inquit, *dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel?* (*Num.* XXXIII.) Sed quid est, hanc gentem pro multitudine comparari innumerabili terræ pulveri, cum testante Moyse, ut superius dictum est, cunctis populis pauciores fuerint (*Deut.* VII)? Non ergo ad comparationem cæterarum gentium, sed ad quantitatem electorum, qui ex illa gente futuri erant, hoc est referendum, quia videlicet cum soli electi pertineant ad numerum, gens autem illa maxima ex parte reprobata vacuum nobis fecerit locum, bene pulveri terræ comparati sunt, quem dinumerare nobis quidem impossibile; Deo autem judicetur superfluum, apud quem soli electi noti **81** sunt. *Surge*, inquit, *et perambula terram in longitudine et latitudine sua, quia tibi daturus sum eam. Movens igitur Abraham tabernaculum suum, venit et habitavit juxta convallem Mambre, quod est in Hebron, ædificavitque ibi altare Domino* (*Gen.* XIII). Non casu, sed ordinatissima Dei dispositione jussus perambulare terram, venit in Hebron, nec solum inhabitavit ut peregrinus, sed et postmodum emit agrum cum spelunca duplici a filiis Heth habitatoribus terræ in possessionem monumenti (*Gen.* XXIII). *Adam* enim *maximus ibi*, sicut in libro Josue legitur, *situs est inter Enacim* (*Jos.* XIV). Unde et postmodum Cariatharbe dicta est, id est, civitas quatuor, eo quod primus Adam, deinde tres patriarchæ Abraham, Isaac et Jacob ibi sepulti fuerunt. Dum ergo illic, ubi primus parens orbis terrarum situs est, ædificat altare nomini Domini, hoc jam titulo sese prædicat hæredem totius mundi. Et dum locum eumdem comparat in possessionem monumenti, jus quoddam suo collocat semini, ut non solum cœlesti arbitrio, pro eo quod Chananæi peccatores essent, sed et quadam sæculari justitia filii Abrahæ terram illam reposcerent, quam habitatores ipsius patri suo in possessionem sepulcri vendidissent. Sane Mambre, a quo nunc dicitur convallis Mambre, ipse est frater Aner et Eschol, qui erant, ut postmodum dicitur, fœderati Abrahæ.

CAPUT XI.

De eo quod Abraham propinquum suum Lot liberaverit.

(CAP. XIV.) *Factum est autem in illo tempore ut Amraphel rex Senaar, et Arioth rex Ponti, et Chodorlahomor rex Elamitarum, et Thadal rex gentium, inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, et contra Bersa regem Gomorrhæ, et contra Semaab regem Adamæ, et contra Semeber regem Seboim, contraque regem Bale, ipsa est Segor. Omnes hi convenerunt in vallem silvestrem, quæ nunc est mare Salis*, etc. Diviso Lot ab Abraham et habitante in Sodomis, bella consurgunt, et Lot captivus ducitur, quia videlicet pro eo quod commistum est genus Abrahæ inter gentes, quod futurum erat, pro eo quod contaminata est terra in operibus eorum, et fornicati sunt cum diis alienis, suscitavit eis Dominus hostes, verbi gratia Moab, et Ammon, et Madian, et cæteras gentes, *et iratus est*, sicut ait Psalmista, *furore Dominus in populo suo, et abominatus est hæreditatem suam, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos, et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum* (*Psal.* CV). Hæc omnis terra quinque civitatum Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, atque Bale sive Segor, antea irrigabatur sicut Paradisus Domini : Nunc autem eadem Pentapolis, in testimonium nequitiæ, fumigabundam terram, igne consumptam reliquit. Vallis quoque Silvestris, quæ nunc est mare Salis, sive vallis Salinarum, in qua fuerunt antea putei Bituminis, ex tunc, id est, post Dei iram et sulphuris pluviam, in mare Mortuum versa est, quod et stagnum Bituminatum appellatur. Bale, quæ et Segor (*Isa.* XV; *Jer.* XLVIII), lingua Hebræa *devoratio* dicitur. Tradunt Hebræi hanc eamdem in alio scriptorum loco Salissam nominari, dicique rursum vitulum conternantem, quod, scilicet tertio motu terræ absorpta sit, et ex eo tempore quo Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim divino igne subversæ sunt, illa Segor, id est *parvula* nuncupatur. Siquidem So-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gor transfertur in *parvum*. *Et percusserunt*, inquit, *Raphaim* in Astarothcarnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim, id est, in Save civitate. Raphaim *gigantes* sive *robusti*, Zuzim et Emim *terribiles et horrendi* interpretantur. Quibus nominibus gentes, quas percusserunt, fortissimæ fuisse significantur. *Reversique venerunt ad fontem Misphat*, id est, judicii, *ipsa Cades*. Et per anticipationem hic dicitur fons Judicii, scilicet, quod ex eventu postea tale nomen acceperit. Significat autem locum apud petram, qui fons Judicii nuncupatur, quia ibi Deus populum judicavit (*Num.* xx). *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum in Asasonthamar*. Hoc oppidum postea vocatum est Engadi, balsami et palmarum fertile. Porro Asasonthamar in lingua nostra resonat *urbs palmarum*. Thamar quippe *palma* dicitur. Regio B quoque Amalecitarum hic per anticipationem dicitur, nam Amalec unus fuit de posterioribus Esau. *Ecce* autem *unus qui evaserat nuntiavit Abram Hebræo qui habitabat in convalle Mambre Amorræi fratris Escol, et fratris Aner*, etc. Hebræus interpretatur *transitor*. Habitabat in convalle Mambre, hoc est in Hebron, ut supra jam dictum est. Quare autem, cum jam toties Abram nominatus sit, et adhuc in hac Scriptura nominandus sit, ut nusquam Hebræus dicatur, hoc illum loco Hebræum, id est, transitorem nominari placuit? Videlicet ob commendandam magnitudinem rei ac virtutis, quod scilicet transitor, id est, peregrinus et advena Deo protegente fecerit rem quam indigenæ quinque reges facere non poterant, et de victoribus quatuor regibus unam ultionem, et plenam reportaverit victoriam. *Et persecutus est eos usque Dan*, ad Phœnicis oppidum, quod postea Paneas dictum est. Dan autem unus est e fontibus Jordanis. Nam et alter vocatur Jor, quod interpretatur *rivus*. Duobus ergo fontibus, qui haud procul a se distant, in unum rivulum fœderatis, Jordanis dicitur appellatur. Sed jam ad sensum supra cœptum revertamur. Capto ab hostibus Lot, Abram assumptis copiis *et divisis sociis*, subauditur, Aner et Escol et Mambre, super hostes *irruit*, victorque propinquum liberum reducit, quia videlicet tradito genere ejus in manus gentium, non defutura erat (licet in paucis) fides ejusdem Abrahæ, quæ sæpe liberaret eos, Deo recordationem habente fœderis ejus quod D pepigit cum Abraham, et suscitante eis salvatores, verbi gratia, Aod contra Moab (*Jud.* III), et Barac contra Jabin regem Chanaan, et Gedeon contra regem Madian, aliosque suis temporibus duces sive salvatores, tandemque gloriosos reges, bellicosos inimicarum gentium victores.

CAPUT XII.

De rege Sodomorum, qui egressus est illi in occursum; et de Melchisedech, qui benedixit eum proferens panem et vinum.

Egressus est rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis Regis. At vero Melchisedech rex Salem, proferens A *panem et vinum, erat enim sacerdos Altissimi, benedixit ei, et ait : Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Regis Sodomorum, qui homines pessimi erant et peccatores coram Domino nimis, et Melchisedech regis Salem sacerdotis 82 Altissimi, dignitates vel merita valde sibi contraria sunt, et tamen utrique Abram victori obviarunt. Nec vero de Melchisedech dubium vel incognitum cuiquam est, quin Christum significet, cui, sicut ait Spiritus sanctus in David : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Quid econtra rex Sodomorum, nisi populum significat Judæorum, qualis tunc temporis erat, quando Christus rex et sacerdos summus, nascendo de Virgine, patri nostro Abrahæ obvius factus est? Væ genti peccatrici, inquit Isaias, illius temporis Judæos intuens : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis* (*Isa.* I). Ac deinceps : *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes facti essemus* (*ibid.*). Item : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ* (*ibid.*). O igitur magnum et mirabile præsentis hujus narrationis mysterium! Triumphatoris celebrat occursum Abrahæ rex Sodomorum, pessimorum utique et peccatorum nimis hominum, quia profecto futurum erat novissimo tempore, ut victoriosam fidem patriarcharum et prophetarum C celebrarent viri pessimi, et peccatores nimis, scilicet, Scribæ et Pharisæi cæterique Judæi, non quidem natalibus, sed revera moribus principes Sodomorum, velut sepulcra foris dealbata, per hoc ipsum quod celebrarent opera patrum, intus autem plena ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII), per hoc quod secreto vivebant secundum sulphureas carnes Sodomorum : At vero Christus rex justitiæ, rex Salem, id est, pacis, rex, inquam, idemque pontifex magnus, illorum talium hominum diebus natus, sacerdotio suo functus est secundum ordinem Melchisedech. Protulit enim panem et vinum, dicens : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* (*Matth.* XXVI), et sic obtulit semetipsum pro fideli Abraham verum sacrificium, et benedixit ei; per suum enim sanguinem benedictionem, id est, peccatorum remissionem acquisivit illi, imo et omnibus electis qui exspectaverunt eum ab origine mundi.

CAPUT XIII.

Item de Melchisedech, et quod Hebræi tradunt hunc fuisse Sem filium Noe.

Apostolus præsentis loci memor : *Hic enim*, inquit, *Melchisedech, qui obviavit Abrahæ reverso a cæde regum, et benedixit ei, cui decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem quia interpretatur* rex justitiæ, *deinde autem et rex Salem, quod est* rex pacis, *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus Filio Dei manet sacerdos in æternum* (*Hebr.* VII). Hæc et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cætera quæ subjungit idem Apostolus, occasionem suspicionis male intelligentibus præbuerunt, ut putarent hunc Melchisedech non hominem fuisse, sed angelum, aut certe (quod dementius erat) ipsum, qui sub hominis figura visus sit, esse Spiritum sanctum. Verum alii quam multi in hoc unum consenserunt ut dicerent eum hominem fuisse Chananæum, regem urbis Hierosolymæ, quæ prius Salem, postea Jebus, ad extremum Hierusalem appellata sit. Nec mirum, inquiunt, si sacerdos Dei altissimi describatur absque circumcisione et legalibus cærimoniis, et genere Aaron, cum Abel quoque et Enoch et Noe placuerint Deo, et victimas obtulerint, et in Job volumine legerimus quod ipse et oblator munerum fuerit et sacerdos, et quotidie pro filiis suis hostias immolaverit (*Job* I). Verumtamen et aliud Hebræi autumant. Tradunt enim hunc esse primum filium Noe, et eo tempore quo ortus est Abraham, habuisse ætatis annos trecentos nonaginta. Nempe, si per ætates singulas annorum numeros supputes, tot annos, id est, trecentos nonaginta, ab ortu Sem usque ad generationem Abraham invenies. Mortuus est autem Abraham centesimo septuagesimo quinto ætatis suæ anno. Ratione igitur deducta, invenietur Sem abnepoti suo decimi gradus Abrahæ supervixisse annos triginta quinque. Simulque et hoc traduit quod usque ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti in stirpe Noe, cujus series et ordo describitur, fuerint sacerdotes, et Deo victimas obtulerint, et hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Jacob. Salem autem non, ut Josephus arbitratur, esse Hierusalem, sed oppidum aiunt esse juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, de quo in Evangelio quoque legimus : *Erat autem Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi* (*Joan.* III). Nec differt utrum Salem an Salim nominetur, cum pro voluntate lectorum ac varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur. In isto quoque libro Geneseos scriptum est, quia venit Jacob in Socoth, et ibi fecit sibi domos atque tentoria, et transit in Salem civitatem regionis Sichem quæ est in terra Chanaan (*Gen.* XXXIII). Considerandum quoque est quod Abrahæ a cæde hostium revertenti, quos persecutus usque Dan, non de via Hierusalem, sed de oppido metropolis Sichem in itinere fuit. Stultum igitur est id quod in typo dicitur, eo quod sacerdotium Christi finem non habeat, sic quosdam referre ad anagogen, ut historiæ veritatem auferant. Non enim quod ab Apostolo dictum est, *sine patre, sine matre, sine genealogia*, sic idem intelligi voluit, quasi Melchisedech absque patre et sine matre fuerit, sed sic dixit eo quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraham a cæde hostium revertenti, et nec ante nec postea ejus nomen feratur ascriptum. Dicendo autem, *manet sacerdos in perpetuum*, affirmat quod Aaron sacerdotium, id est, populi Judæorum et principium habuerit et finem ; Melchisedech autem, id est, Christi, neque initium dierum, neque finem habentis, et in præteritum et in futurum æternum sit.

CAPUT XIV.

Item quod non Melchisedech Abrahæ, ut Hebræi putant, sed, ut Apostolus ait, Abraham sacerdoti Melchisedech decimas dederit omnium.

Igitur benedicens Melchisedech dicit : *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum et terram, et benedictus Deus excelsus quo protegente hostes in manu illius sunt. Et dedit illi decimas omnium.* Ambigue dictum est, dedit illi. Nec enim in voce discretum est sive in sermone, quis, cui, Abramne sacerdoti Melchisedech, an ipse sacerdos Melchisedech Abræ decimas dederit. Et Hebræi quidem sic æstimant quod Melchisedech, id est, Sem, hoc abnepoti suo jure debuerit, et decimas prædæ atque victoriæ non ab eo acceperit, sed ipse dederit ei decimas substantiæ suæ, et debitam largitatem ostenderit in nepotem. Utrumque enim intelligi potest propter dicti ambiguitatem, et quod ipse acceperit decimas spoliorum, et quod Abrahæ dederit decimas substantiæ suæ. Verum Apostolus in prædicta **83** Epistola ad Hebræos apertissime definit, non Abraham suscepisse a Melchisedech decimas divitiarum, sed de spoliis hostium partes accepisse pontificem (*Hebr.* VII).

CAPUT XV.

De eo quod Abraham nihil accipere volebat ex omnibus, et mystico numero trecentorum octodecim vernaculorum ejus.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram : Da mihi animas, cætera tolle. Qui respondit ei : Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas : Ego ditavi Abram ; exceptis his quæ comederunt juvenes, et partibus virorum qui venerunt mecum ; Aner, Escol, et Mambre. Isti accipient partes suas. Spiritualiter quoque hic locus evangelicum virum ædificat. Etenim quisquis vexillum crucis erigit, et nomen Christi prædicat, sicque legitime certans, fanaticum errorem, sive hæreticam barbariem expugnat, et exinde non quæ sua sunt quærit, sed quæ Jesu Christi, ipse quodammodo est Abram, qui cum trecentis octodecim vernaculis suis, quatuor reges devicit, et eos qui spoliaverant spoliavit, atque propinquum liberavit, et hoc facto ab homine sive per hominem ditari noluit, dicens regi Sodomorum quia *a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Siquidem numerus præscriptus totus sacer est, quo et sancta Nicæna synodus, non humana industria, non compositione aliqua, sed divina agente providentia gavisa est, in qua vastator Christianitatis Arius superatus et damnatus fuit. Hujus siquidem numeri illic insigne splendult, id est trecenti octodecim convocati adfuerunt episcopi, qui numerus, ut prædictum est, totus sacer est. Nempe si Nicænis, id est Græcis uti numerando velis elementis, tau, T, CCC, I et H explicant XVIII ; T. tau crucem, I et H, cum supra ducta linea, no-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

men Jesu significant. Et nota quia hic nomen Jesu genitivo casu, et non nominativo effertur, et ideo hic littera S sigma, non additur, sed cum I H superposita linea scribitur, quibus numerus XVIII completur. Sane tau, T litteræ super transversa linea deest, quæ si adderetur, jam non crucis species, sed ipsa crux esset. Cum igitur hujusmodi prælialores pugnando, non terrenum lucrum, sed solum quærunt humanæ salutis fructum, et dicunt cum Apostolo : *Non* enim *quæro datum, sed requiro fructum* (*Phil.* IV), probe patrem Abram imitantur dicentem : *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quod non accipiam ex omnibus quæ tua* sunt. *Isti*, inquit, scilicet Aner, Escol et Mambre, *accipient partes*. Quod qui imitantur, videlicet utendo potestate sua, quam habent auctore Domino, qui ordinavit his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere (*I Cor.* IX), juste quidem faciunt, sed minoris gloriæ sunt quam illi qui hac eadem potestate sua uti nolunt.

CAPUT XVI.

Quid moraliter significet quod quatuor quinque reges vicerunt.

Moralem nihilominus suavitatem ex hoc loco capere possumus. Etenim quatuor reges do quinque regibus victoriam facientes, quatuor sunt animi passiones, quinque corporis sensus captivantes, quæ in gentilium quoque philosophorum libris memorantur frequenter, scilicet, gaudium, dolor, spes, timor. Quas poeta eximius uno versiculo expressit, dicens :

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque...
(VIRG. lib. VI *Æneid.*)

Ubi fides quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V), has animi passiones superaverit, et interiorem hominem ab illarum captivatione liberaverit, plane exemplo patris Abrahæ laudabiliter triumphavit ; et ideireo sacerdos Altissimi, idemque Altissimus, scilicet Christus Dominus, occurrit illi cum sacrificio salutari. Dignum enim illum judicat qui debeat cœlestium ejus sacramentorum particeps fieri. Magnum namque, et victoriosum est non gaudere de prosperis, nec dolere de adversis hujus mundi, non sperare prospera, nec timere mundi hujus adversa. Quam victoriam prædicans apud quemdam, philosophia canit :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor assit.
Nubila mens est,
Hæc ubi regnant.

(BOETIUS *De consol. philosop.* lib. I in fine.)

Quisquis ille est, contemnat a rege Sodomorum quidquam accipere, nec dicatur quod ille eum ditaverit : id est, caveat facere coram hominibus justitiam suam, ut videatur ab eis ; et illam incurrat sententiam qua dictum est : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI).

CAPUT XVII.

De sermone Domini, qui factus est ad Abraham post illam victoriam.

His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens : Noli timere, Abram. Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Dixitque Abram : Domine Deus, quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer erit hæres meus. *Addidilque Abram : Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Quid ea quæ hactenus sunt gesta figurent, sequentis hujus visionis verba pronuntiant, maxime cum dicitur : *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et servituti eos subigent et affligent quadringentis annis, verumtamen gentem cui servituri sunt, ego judicabo.* Et unum idemque duplici prophetia factorum, scilicet quæ promissa sunt, et dictorum quæ sequuntur, veritas Dei indubitanter futurum esse confirmat. *Noli*, inquit, *timere, Abrum. Ego protector tuus sum.* Tanquam diceret : Jam accepisti gustum protectionis meæ, primum in eo, quod propter uxorem tuam Sarai flagellavi Pharaonem, et domum ejus plagis maximis, et divitem te inde ascendere feci ; deinde et in eo quod me protegente hostes, scilicet quinque reges, in manu tua fuere. Ergo de cætero fidentior esto, quod ego protector tuus sim, et generis tui, et merces tua magna nimis, ut peregrinus factus propter me, utrobique gaudeas, scilicet et in præsenti de protectione mea, qua tibi tolerabilis sit ipsa peregrinatio tua, et in futuro de mercede nimis magna. Nec vero quod ait ille, *Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam absque liberis*, etc., diffidentis animi est, sed contriti et humiliati cordis, et cum nimia humilitate Dominum consulentis, videlicet ut flebili conquestione pulsatus Deus, certius quid respondeat de superiori promissione sperandi seminis. Nam dictum quidem illi fuerat superius, *faciamque te in gentem magnam, et si quis possit hominum numerare pulverem, semen quoque tuum numerare poterit* (*Gen.* XIII). Verum hoc nequaquam satis **84** erat, cum adoptivi possent filii vel hæredes, seminis æquivocatione significari. Itaque quasi proprii seminis definitionem efflagitans cum dixisset : *Ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus, Eliezer* erit hæres meus, addidit adhuc vigilanter pulsando, *mihi* quoque *non dedisti semen, et ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Eliezer, *Deus meus adjutor*, Damascus *bibens sanguinem* interpretatur, a quo conditam aiunt Damascum civitatem, quo in loco fertur protomartyr Abel fuisse occisus.

CAPUT XVIII.

Item de eodem, et quod dictum est : « Suspice cœlum et numera stellas ejus, si potes. »

Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice cœlum et numera stellas, si potes.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Gen.* xv). Hic duo Deus repromittit, naturam videlicet et gratiam unius ejusdemque seminis. Dicendo namque, *sed qui egredietur de utero tuo ipsum habebis hæredem*, semen definit quod habiturus sit, scilicet, non per adoptionem, sed per naturæ proprietatem; subjungendo, *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes, sic erit semen tuum*, cœlestem præsignat gratiam vel gloriam, qua clarificandum est idipsum semen. Superius cum dixisset: *Leva oculos et vide a loco in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem, omnem terram quam conspicis dabo tibi et semini tuo* (*Gen.* xiii), non dixit, sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, sed *faciam*, inquit, *semen tuum sicut pulverem terræ*, quia videlicet non omnes qui terram illam possessuri erant propter Abram, stellis comparandi erant, neque numerandi sicut stellæ cœli apud illum de quo veraciter dicitur: *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans* (*Psal.* cxlvi), sed multiplicandi erant super numerum pulveris, terramque amaturi potius quam cœlum. Hic autem ubi eduxit illum foras, *suspice*, ait, *cœlum, et numera stellas, si potes*, et quia non poterat, *sic erit*, inquit, *semen tuum*, quia profecto pro eo quod educenti foras, et dicenti sibi, *egredere de terra et de cognatione tua*, ille obedivit, cœlum pro mercede magna nimis parator illi, et omnibus quicunque exemplo ejus sequuntur educentem foras et dicentem singulis: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* lxiv). Erunt enim omnes sicut stellæ cœli, id est, multi quidem, sed certa multitudine numerati, vel certa numerositate multiplicati, omnesque ex nominibus suis vocati et noti. Nec vero pro sola multitudine vel numerositate, sed et pro differenti claritate dixit, *sic erit semen tuum*. Nam sicut non solum *alia claritas solis, et alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum*, sed etiam *stella a stella differt in claritate* (*I Cor.* xv), sic non solum alia gloria Dei, et alia gloria sanctorum Abrahæ filiorum, sed etiam ipsi differentem ab invicem diversis pro meritis suis gloriam habebunt.

CAPUT XIX.

De eo quod dictum est: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. »

Credidit, inquit, *Abram Deo*, et *reputatum est illi ad justitiam*. De hoc Apostolus: *Dicimus*, inquit, *quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo reputatum est? in circumcisione, an in præputio. Non in circumcisione, sed in præputio* (*Rom.* iv), etc. Vatent enim ad enervandam Judaicæ justitiæ confidentiam, cui et supra dixerat: *Ubi est gloria tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei* (*Rom.* iii). Neque enim Abram factis, in quorum lege Judæus gloriatur, scilicet cibis aut potibus, aut variis baptismatibus et justitiis carnis studuerat aut inservierat, quippe qui nec saltem circumcisus erat, quando justificatus est, sed credidit, inquit, Abraham Deo, et credenti sola fides ad justitiam reputata est. Et recte fides justitiæ meritum habet, nam econtra sine fide esse, injustitiæ summa est. Etenim primo homini infidelitas ad injustitiam reputata est, videlicet quia non credidit Deo dicenti: *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* ii). Si enim credidisset non tam facile de illo signo comedisset. Quale ergo oportuit adversus justitiæ mortem, hic pater noster sumpsit antidotum, quia *non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, et emortuam vulvam Sarræ, sed confortatus est data gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promisit Deus, potest et facere* (*Rom.* iv).

CAPUT XX.

De eo quod dictum est: « In illo die pepigit Domin fœdus cum Abram. »

Dixitque ad eum: Ego sum Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam ut possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam? Non utique diffidendo quærit, qui tam pias benevolentiæ voces præmittit: *Domine, quid dabis mihi, Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim?* Sed quare sicut nunc ait: *Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam*, non ita paulo ante dixit: Domine Deus unde scire possum quod qui egredietur de utero meo, ipsum habiturus sim hæredem, sed *credidit Deo et reputatum est illi ad justitiam?* Quid enim plus est, hæreditatem possidere quæ erat, an hæredem accipere magnam gentem quæ non erat? Non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitavit, sed tanquam pius pater futuris filiis providit, ne forte peccantibus illis pœniteret Deum hujus suæ promissionis; et idcirco in promissione aliquid sibi dari optavit firmamentum fixæ stabilisque veritatis, et quasi interpositionem juramenti. Nec moratus Dominus Deus, quod optabat amicus fidelis, cum petere non auderet, sponte obtulit. Continuo namque respondens: *Sume*, inquit, *mihi vaccam trimam, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. Qui tollens universa hæc, divisit per medium, et utrasque partes contra se posuit altrinsecus; aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram*, etc. Hæc visio sic terminatur: *In die illo pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens: Semini tuo dabo terram hanc.* Hoc fœdus juramentum quoddam est, quo se Dominus obstrinxit, quomodo homo voluit, quo debitor posset jure teneri, si quando aliqua intercurrente peccati causa, vellet levare manum suam, et facere quid contra id quod promisit. Cujus juramenti memor Moyses, cum dixisset ut disperderet eos, stetit in confractione in conspectu ejus, dicentemque Deum, *dimitte me ut deleam eos*, tenuit homo viriliter, dicens: *Quare, Domine irasceris in populo tuo? Memento Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurasti, dicens:* **85** *Universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini tuo, et possidebitis eam* (*Exod.* xxxiii). Itaque quotiescunque habeamus in hac Scri-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ptura fœdus vel pactum, nondum fœdus est humanæ reconciliationis, sed firma promissio futuri fœderis, propheticaque imaginatio pacti unici, quo in solo Christo Deus sibi homines reconciliavit.

CAPUT XXI.

Quid sibi voluerit quod ait : « Sume mihi vaccam trimam, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturemque et columbam. »

Sume, inquit, *vaccam trimam*, etc. Omnis hæc assumptio, prophetica assumptio est. Vacca siquidem, capra, et aries, quæ profecto servilia sunt animantia, nam et lacte suo dominos suos pascunt, et lanis operiunt, tres præsignant generationes, per quas semen Abrahæ serviturum erat in terra non sua, nam *generatione quarta*, inquit Dominus, *revertentur huc*. Est autem vacca trima, et capra trima, et aries trium annorum. Cur hoc? Videlicet quia patres vel patriarchæ primi, per quos invocatum est nomen Domini super illos, tres numero sunt, a quibus denominationem suscipere Dominus Deus dignatus est, ut diceretur : *Deus Abraham et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III). Sub istis namque nominibus Trinitas unus Deus, sæculis illis prædicari voluit, quia nondum capere possent homines manifesta nomina ejusdem Trinitatis, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Volucres quæ descenderunt super horum animantium cadavera, quas et abigebat Abraham, rapaces et importunos dominos Ægyptios scilicet significaverunt, qui per Abrahæ meritum devoratione generis illius tandem abigendi erant, a generatione quarta, qua erant reversuri, per liberam significatur avium naturam, per turturem scilicet et columbam. Nec solum pro libertate ejusdem reversionis, verum et pro spirituali gratia prophetarum et sacerdotum, quorum primi vel principes in eadem reversione Moyses et Aaron exstiterunt. Proinde *tollens*, inquit Scriptura, *omnia hæc divisit per medium*, subauditur quadrupedia, *et utrasque partes contra se altrinsecus posuit ; aves autem non divisit*. Etenim carnales, qui per quadrupedia signantur, lites et seditiones murmurando contra Dominum facturi erant, spirituales vero unanimem servare concordiam, imo et seditiosos ad pacem revocare habebant.

CAPUT XXII.

Quid significaverit quod « sopor irruit super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invasit eum. »

Cumque occumberet sol, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum, dictumque est ad eum : Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, etc. Bis in hac visione solis occubitus et tenebrarum mentio facta est. Primo cum dicitur : *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum*. Secundo, cum item dicitur : *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas*. Hæc tenebrarum iteratio geminam seminis Abrahæ adversitatem significat. Primam videlicet, qua fratrem suum Joseph vendiderunt (*Gen.* XXXVII), quæ causa fuit peregrinationis et servitutis illorum. Secundam, qua post mortem Joseph a Pharaone tribulati et afflicti sunt (*Exod.* I). Et prior quidem adversitas, res fuit iniquitatis, propter quod et signanter dictum est : *Sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum*. Sequens vero adversitas res afflictionis exstitit, unde et sine interpositione horroris, *facta est caligo tenebrosa*, inquit, *et clibanus fumans apparuit*. Et quia semen illud Abrahæ in ipsa afflictione visitandum et liberandum erat in manu forti, multis et magnis præeuntibus ac sequentibus miraculis, lampas quoque ignis inter divisiones illas apparuit. Clibanus namque fumans imago fuit fornacis Ægyptiæ, qua servituri erant in luto et latere coctili. Lampas vero ignis transiens per divisiones illas, signum divinæ charitatis, qua erant per multa miracula illustrandi, de quibus et Psalmista : *Illuxerunt*, inquit, *coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, et contremuit terra ; in mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis* (*Psal.* LXXVI). Siquidem simplicem litteram sequaris, et illa quidem lampas transiens inter divisiones illas, id est, inter seditiones Judaicas clarissima fuit, sed ipso transitu suo sese alias migraturam esse declaravit, nam ecce translata est ab illis gloria, et ad gentes transivit. Igitur quia dicente Deo : *Semini tuo dabo terram hanc*, econtra ille : *Domine Deus*, inquit, *unde scire possum quod possessurus sim eam*, congrue talis præmonstrata est imaginatio, quæ haberetur pro juramento, quod sine pœnitentia foret, et sine dubio compleretur ea, quam audierat, Dei promissio.

CAPUT XXIII.

De eo quod dictum est : « Generatione quarta revertentur huc. »

Quæritur tandem, quomodo in Exodo scriptum sit : *Quinta generatione egressi sunt filii Israel de terra Ægypti* (*Exod.* XIII), cum hic prædixerit Deus, *generatione autem quarta revertentur huc*. Ad quod compendio dicendum, quia juxta aliam quidem genealogiam quarta, juxta aliam vero quinta generatione egressi sunt. Nam secundum genealogiam Levi, ex qua fuerunt Moyses et Aaron, qui filios Israel eduxerunt de terra Ægypti, quarta generatione exisse reperiuntur, hoc modo : Levi genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar. Caath cum patre suo ingressus est Ægyptum. Rursus Eleazar cum patre suo Aaron egressus est Ægyptum. A Caath usque ad Eleazar generationes quatuor. Secundum vero genealogiam Juda, quinta generatione egressi inveniuntur, hoc modo : Juda genuit Phares, Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminabad genuit Nahasson (*Ruth.* IV ; *Matth.* I). Phares cum patre suo Juda ingressus est Ægyptum. Nahasson princeps tribus Juda in deserto describitur, cujus filius Salmon terram repromissionis intravit. A Phares usque ad

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Nahasson generationes quinque. Itaque verum utrumque est, quia et juxta sacerdotalem tribum quarta, et juxta regiam quinta generatione egressi sunt. Verumtamen, juxta Hebraicam veritatem, sicut eruditissimus vir Hieronymus testatur, ubi Septuaginta posuerunt, *quinta autem generatione ascenderunt filii Israel de terra Ægypti*, melius legitur, sicut Aquila quoque transtulit, *et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti* (*Exod.* XIII). Præterea in eo quod rationem hujusmodi subjecit Dominus, nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus, **86** notandum quod non propter justitias suas filii Israel terram illam obtinuerunt, cum propter iniquitates suas illæ deletæ sint nationes. Unde hic idem Moyses in Deuteronomio sic dicit : *Ne dicas in corde tuo : Propter justitiam meam introduxit me Deus, ut terram hanc possiderem, cum propter iniquitates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter justitias tuas et æquitates cordis tui ingredieris, sed quia illæ egerunt impietatem, te introeunte deletæ sunt, ut compleret verbum suum Dominus, quod juravit patribus tuis, cum durissimæ servitutis populus sis* (*Deut.* IX).

CAPUT XXIV.

De eo quod dictum est : « Ingredere ad ancillam meam. » Quid mysterii contineat secundum Apostolum.

CAP. XVI. — *Igitur Sarai non habebat liberos, sed habens ancillam Ægyptiam, nomine Agar, dixit marito suo : Ecce conclusit me Dominus, ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, si forte ex illa saltem suscipiam filios*, etc. Hoc loco testem Paulum citemus Apostolum, videlicet, quod non hic popularis historia conscripta, sed cœlestia sint cognata mysteria. *Scriptum est*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta* (*Gal.* IV), etc. Hunc auctorem sequentes quoniam experimentum habemus jamdudum ejus qui in eo loquitur Christus (*II Cor.* XIII), per Sarai testamentum sive pactum quod disposuit Deus ad Abraham, per Agar legem, quæ post quadringentos et triginta annos facta est accipimus. Et ut manifestius dictum sit, in Sarai legem fidei, qua Abraham justificatus est (*Rom.* IV), in Agar mystice legem factorem agnoscimus, quæ *nihil ad perfectum adduxit* (*Hebr.* VII). *Ecce*, inquit, *conclusit me Deus ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios.* Tanquam diceret. *Libera illa quæ sursum est* mater omnium nostrum : Ecce nondum tempus est ut, revelata Evangelii gratia, *spiritum adoptionis filiorum* per Christum homines accipiant (*Rom.* VIII), accipit Israel interim *spiritum servitutis in timore* (*ibid.*), ut saltem ex cæremoniis carnalibus et figurativis sanctionibus, aliquantula qualiscunque justitiæ opera faciat. Sic enim prius Abraham de ancilla filium suscepit secundum carnem, quam de libera per repromissionem, quomodo Dei populus in lege carnali operatus est, *solummodo in cibis et potibus, variisque baptismatibus, et justitiis carnis* serviens (*Hebr.* IX), priusquam fide Patrum evangelicam producente gratiam, veram justitiam, id est æternam redemptionem, totus inveniret mundus per Christi sanguinem. Et notandum quod, non jubente, sed tantum permittente Deo, sibi Abram ancillam suam, ut saltem ex ea susciperet Sara filium, quia veteres cæremonias permisit quidem, sed non mandavit Deus Israeli, sicut per prophetam Jeremiam testatur, cum dicit : *Holocaustomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus* (*Jer.* VII), etc. Cæterum decem præcepta legis, in his duobus pendentia : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII) : patenter magis ad tabulas pertinent legitimi matrimonii et quamvis primum in monte Sina conscripta fuerint, nihilominus tamen et ante legem naturaliter valuerunt, et post legem servilem in libertate Evangelii amplius valent.

CAPUT XXV.

Quid significaverit superbia ancillæ despicientis dominam suam.

At illa, concepisse se videns, despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram : Iniquе agis contra me. Ego dedi ancillam meam in sinu tuo : quæ videns quod concepit, despectui me habet, etc. Notum omnibus est quia Synagoga, cum sit ancilla, superbit, et dominam suam despicit, id est, de carne Abrahæ gloriatur et fidem illius parvipendit. Volentes enim, inquit Apostolus, *suam justitiam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X). Antequam peperisset Sarai, quæ sterilis fuerat, id est, antequam, nascente Christo, testamenti Dei fuissent impleta promissa, tunc illi ancillæ superbire vacabat (*Rom.* IV), non tamen impune ; reclamabant enim tabulæ, id est, decem præcepta, quæ *lex sancta* est (*Rom.* VII), et justa et bona. Ejus quasi Saræ reclamantis vocibus convincebatur lex carnalis (*Hebr.* VII), veluti Agar, quod nequaquam ab illa impune despiceretur, vel quod frustra se liberam arbitraretur, verbi gratia, cum adversus Heli propter filios ejus loquitur Deus : *Idcirco juravi domui Heli, ut non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum* (*I Reg.* III). Amplius autem tumores ancillæ verberat Sarai, cum dicit veræ et sanctæ legis Spiritus per os David : *Deus deorum Dominus locutus est : Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* XLIX). Et multa his similia in prophetis. *Affligente igitur*, inquit, *eam Sarai fugam iniit. Cumque invenisset illam angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine qui est in via Sur, in deserto dixit*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis, aut quo vadis ? Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manus ipsius. Quidquid lex sancta jubet dicendo : *Non concupisces, non mœchaberis* (*Exod.* xx), etc. Quidquid, inquam, in tabulis duabus digito Dei scriptum est, hoc servili carnalium Israelitarum multitudini, volenti mœchari et amanti concupiscentias suas, pœna est. Et si se timore pœnæ cohibebat, hoc ipsum afflictio est, quia timor pœnam habet. Ideirco populus carnalis hujusmodi non ferens imperia, multoties confugit ad gentium idola, quorum sub cultura concupiscere, fornicari, et mœchari licitum esse putabat. Igitur tutius ancilla fugam iniit affligente domina et erravit in deserto Sur, quod est in via Ægypti, quoties carnalis multitudo spiritualia non ferens sanctæ legis imperia, confugit ad gentes a Deo desertas ut, more illarum, a freno et chamo justitiæ libera, suas sequeretur concupiscentias. Et bene ancilla Ægyptia per viam fugiebat Ægypti : hoc etiam modo manifeste significans eumdem servilem populum, quia multoties dixit : *Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum* (*Num.* xiv). Sur autem interpretatur *murus*. Quo nomine et vana spes ejusdem populi bene exprimitur, qui commiscendo se inter gentes, evasisse manum Domini, et a lege ejus tutum se esse arbitrabatur. Itemque toties angelus Domini revocavit ancillam dicens : *Agar ancilla Sarai,* **87** *unde venis ? aut quo vadis ? revertere ad dominam tuam : et humiliare sub manu illius*, quoties in tribulatione clamantes Deus audivit : et salvatores eis suscitavit, nonnunquam angelum suum mittens, uti quando Gedeonem convenit (*Jud.* vi), vel quando Samson (*Jud.* xiii) prænuntiavit.

CAPUT XXVI.

De eo quod dictum est : « Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, » et quod ancilla videntis non faciem, sed posteriora vidit.

Hic, inquit, *erit ferus homo. Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione omnium fratrum suorum figet tabernacula.* Hoc de illo quem tunc Agar in utero gestabat palam intelligi est, quia his dictis significatum est, semen ejus habitaturum esse in eremo, id est, in Sarracenos vagos, incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere jungitur incursant, et impugnantur ab omnibus. Porro ille jam dictus carnalis populus, qui fide Abrahæ vacuus, de carne Abrahæ gloriatur, quam ferus sit, feritate qua non tam leoni nobili, quam stulto sit onagro comparabilis, totus orbis audivit, quia vere *manus ejus contra omnes : et manus omnium contra eum*, maxime ex quo dictum est, vel certe impletum, quod fuerat dictum : *Ejice ancillam et filium ejus.* Ex tunc enim maxime universas gentes odit, et multo amplius ex tunc vesanit propter filium liberæ, primogenitum, scilicet Christum, qui gentilem populum eadem libertate qua liber ipse est liberavit. Unde Apostolus ait : *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* iv). Quandiu potuit, et quantum potuit, persecutus est : jam vero non valens, adhuc tamen blasphemare audet. *Vocavit autem nomen Domini, qui loquebatur ei, dicens : Tu Deus, qui vidisti me. Dixit enim : Profecto, hic vidi posteriora videntis me. Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me.* Quia Dominus in angelo loquebatur, ideirco dictum est : *Vocavit nomen Domini qui loquebatur.* Quare autem non vidit faciem, sed posteriora videntis? Videlicet, quia non facie, sed in posterioribus desiderabat gaudere videntis. Per posteriora namque Domini, terrena vel transitoria : per faciem recte intelliguntur cœlestia vel æterna. Et profecto nulla cœlestia promissa, verbi gratia, qualia de libera dicta sunt : *Et dabo tibi ex ea filium cui benedicturus sum, et statuam pactum meum* ad eum, et his similia. Nulla, inquam, talia audierat, quæ se exauditam esse sciebat, unde et filio suo nomen Ismael, quod interpretatur *auditio Dei*, impositura erat. Tetrenum est omne quod audierat, scilicet : *Multiplicabo semen tuum : et non numerabitur præ multitudine*, et *hic erit ferus homo*, etc. Recte ergo ancilla, videntis non faciem, sed posteriora vidit. Sic et Synagoga illius populi, qui secundum carnem natus est, nequaquam faciem Domini, sed posteriora vidit, quia videlicet interiora sanctæ legis, ubi fulget facies, id est, notitia Dei : ubi splendida est facies Moysi, nullatenus ferre valuit, sed solam exteriorem litteram intuitus est, utpote animalis, et non percipiens *ea quæ sunt Spiritus Dei* (*1 Cor.* ii). Præterea nunc quoque postquam ejecta est ancilla, et filius ejus, futurum est ut videat posteriora videntis, quia præsentem gratiam Dei qui videre noluit, præteritam quandoque videbit. Cum enim *plenitudo gentium* subintroierit, tunc *omnis Israel salvus erit* (*Rom.* xi). Juxta hoc et Moysi in typum ejusdem populi dictum est. *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris* (*Exod.* xxxiii). *Ipse est inter Cades et Barad.* Cades et Barad regiones sunt deserti, inter quas et Sur desertum : ubi, sicut jam dictum est, invenit angelus Agar. Tunc etiam invenietur in deserto Sur, id est, intra murum. Sur enim interpretatur *murus* : intra murum, inquam, quem ædificavit incredula contra Deum, de quo Psalmista : *Et in Deo meo*, inquit, *transgrediar murum* (*Psal.* xvii). Invenietur, inquam, inter Cades et Barad, id est, inter vivificantem spiritum, et occidentem litteram claudicans et errans. Cades enim *sancta*, Barad interpretatur *grando*. Et revera lex Domini secundum vivificantem spiritum sancta secundum occidentem litteram grando est.

CAPUT XXVII.

Item de ortu Ismael, et quomodo dictum sit, quia « secundum carnem natus est. » Itemque de ætate patris, qua ille natus est.

Peperitque Abræ filium, qui vocavit nomen ejus Ismael. Ismael *exauditio Dei* interpretatur, sicut jam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dictum est. *Octoginta et sex annorum erat, quando peperit ei Agar Ismael.* Dum nascitur Ismael, octoginta et sex annorum pater est : dum nascitur Isaac, ille centenarius est. Hac quippe ætate patris natus est Isaac. Porro octoginta et sex annorum quantitas duobus disponitur terminis. Est enim in deceno limite octonarius, in singulari senarius. E contra, centum annorum quantitas simpla est, id est, uno limite contenta : et est tertia unitas eademque tetragona. Nam decies decem dilatantur in centum. Ergo quod ait Apostolus : *Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem* (*Gal.* IV), diversa quoque hæc in utraque generatione pulchre significat quantitas annorum : nam ex conveniente naturaliter viri et feminæ carne vel sanguine, natus est Ismael : quia videlicet natura fert ut de viro, quamvis sene, juvencula concipiat, qualis erat Agar. Econtra, ut anus, qualis erat Sarai, de viro sene concipiat, natura ferre non solet. Proinde dum nascitur Ismael, pulchre numerus paternæ ætatis compositus est. Senarius perfectus numerus in singulari limite, ipse quodammodo est Abram, perfectorum vir operum, sed parvi et frigidi sanguinis : octonarius autem qui et a philosophis femina dicitur, ipse in deceno limite, quodammodo est Agar, infirmior quidem, quia femina, sed fecundior viro, quia juvencula. Senarium numerum ideo perfectum dicunt, quia suis constat ex partibus, scilicet media, quæ sunt tria : et tertia, quæ sunt duo : et sexta, quæ est unum. Namque tria duo unum senarium perficiunt. Octonarium idcirco feminam dicunt, quia pariter par, id est, usque ad extremas unitates, solubilis est. Solvitur enim in duos quaternarios : quaternarius vero medietas, in duos binarios : et binarius in duas insecabiles unitates. Itaque femina dicitur, sicut econtrario numerus impar, verbi gratia : septenarius, quia insolubilis est : nec enim in duas partes æquas dividi potest, mas appellatur. Sub his ergo numeris recte naturalis secundum carnem generatio Ismaelis invenitur. Econtra, dum nascitur Isaac, cujus generationem unica Dei gratia operata est, paternæ ætatis numerus plenus et integer : unus et simplex, id est, solo limite centeno sub unitate contentus est. **88** Unitas namque apud eosdem philosophos, neque mas neque femina dicitur : et proinde recte sub centena unitate paternorum annorum Isaac nascitur, cujus generationem neque viri neque feminæ natura, sed sola divinæ promissionis veritas operatur. Cujus generationis deinceps, inter Deum et hominem præparatoria sic inchoantur colloquia.

CAPUT XXVIII.

De Isaac vel promissione ejus.

Postquam vero nonaginta novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum : Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus. Ponam fœdus meum inter me et te : et multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem. Nonagesimus nonus Abram, tertius decimus Ismaelis annus est. Ergo C. ejusdem, qua ætate patris Isaac natus est, quartus decimus Ismaelis annus est. O igitur magna et mira divinæ ordinationis pulchritudo! Cum jam pater Abram ævo frigidus est, et e contra, filius ancillæ, calide Ismael adolescentiæ fines ingreditur, tunc fidei fructus Isaac de libera nascitur, quia videlicet futurum erat ut jam senescente populo Dei, vigente in paucissimis fide, et ubique abundante servili iniquitate, repromissus Abrahæ Christus nasceretur. Hac illius ætate, quid Dominus loquitur? *Ego*, inquit, *Dominus omnipotens : ambula coram me, et esto perfectus.* Non jam hoc est proficiendi præceptum, sed perfectionis datum. Idcirco recte præmittit : *Ego Dominus omnipotens*, quia videlicet ut ambulet coram Domino Abram, vel alius quis, et perfectus sit, hoc omnipotentiæ Domini : hoc omnipotentis Dei opus est. *Omne* enim *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I). Quare autem hoc hactenus non dixit, cum multoties apparuerit, et locutus illi fuerit? Quare, nisi quia et hoc ad mysterium pertinuit. Sicut enim nativitas Isaac typus fuit incarnationis Christi, per quam sanctorum populus exspectatam perfectionem obtinuit : sic tunc demum hoc debuit dici : *Ambula coram me et esto perfectus;* quando ejusdem Isaac dono omnipotentis Domini generatio parabatur. Unde et perfectionis vinculum continuo subjunxit : *Ponamque fœdus meum inter me et te : multiplicabo te vehementer nimis.* Quod enim fœdus tunc promisit, nisi sacramentum incarnationis et passionis Christi, quod nunc in reconciliationis humanæ contulit fœdere suo? Nam quod superius dictum est : *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram*, juramentum fuit, quod juravit ei dicens : *Semini tuo dabo terram hanc* (*Gen.* XV). Hoc autem quod hic promittit signanter, dicendo, *inter me et te* mediatoris Dei et hominum promissio et adventus ejus est. Et quia per positionem hujus fœderis amplianda erat propagatio generis Abrahæ spiritualis, continuo subjunxit : *Et multiplicabo te vehementer nimis.* Non contentus fuit dixisse *vehementer*, sed addidit, *nimis*, quia videlicet ejusmodi multiplicatio promittitur : cujus neque quantitatem comprehendere, neque dignitatem æstimare quisquam hominum possit : quæ in spiritu potius quam in carne Abrahæ sit. Ad hæc audienda idoneus *cecidit Abram pronus in faciem*, subauditur gratias agens.

CAPUT XXIX.

Quod in vero Isaac, id est Christo, impleta sit promissio dicentis : « Multiplicabo te vehementer nimis, » et de augmentatione nominis Abrahæ.

Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Hoc utique est quod dixit : *Multiplicabo te vehementer nimis.* Plane hæc multiplicatio vehemens et nimia est, patrem esse multarum gentium, patrem esse omnium credentium sive qui ex circumcisione, sive qui ex præputio sunt. Nam in Christo est hoc pactum de quo nunc ait : *et pactum meum tecum.* Nec enim qualecunque, sed singulariter ma-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gnum est pactum : quod enuntiaturus præmisit, *Ego* A *inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te, daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ : omnem terram Chanaan in possessionem sempiternam, eroque Deus eorum :* quia jam dictum est Abraham typum tenere antiqui populi sanctorum, distinctio quam nunc fecit Deus, dicendo, *inter me et te, et semen tuum post te;* itemque, *ut sim Deus tuus, et seminis tui fœdere sempiterno,* sic recte accipienda est, ut in nomine Abraham omnes electos, qui ex carne simul et fide ejus sunt in nomine seminis ejus, quod post ipsum, omnes electos, ex gentibus intelligamus, qui non quidem caro et sanguis Abrahæ, sed per fidem seminis ejus, quod est Christus, semen sunt Abrahæ (*Rom.* II) : semen, inquam, posterius : quanto naturalibus ramis qui fracti sunt B posterior est oleaster, qui inseritur. Item sub nomine terræ Chanaan, recte intelligitur illa terra viventium, quæ evomuit maledictum illum Chanaan, qui vere ex antiquo maledictus est, id est, diabolum quam videlicet terram, omnem per fidem prædictum Abrahæ semen possidebit in æternum. Alioquin, si solam hic accipias terram, quam tunc Chananæi homines inhabitabant, quomodo stabit quod dictum est : *Dabo tibi in possessionem æternam?* Interpretatur autem Chanaan *motus eorum.* Quo nomine recte significatur superborum motus angelorum : quibus venit *pes superbiæ,* et manu peccati sui moti sunt, et *ceciderunt,* et *expulsi sunt, nec stare potuerunt* (*Psal.* XXXV). Nec solum hoc loco, sed pene C in omnibus ejusmodi Dei sermonibus illa intelligenda terra est, quæ revera fluit lac et mel, quam respicit Dominus Deus noster, e principio anni usque ad finem ejus, id est, semper. *Dixitque iterum Dominus ad Abraham : Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis.* Tanquam diceret : Meæ fuerit gratiæ, spontaneum cum homine pactum inire : hominis sit, tantam non negligere gratiam, et pactum Dei sui non facere irritum. Nam ego quidem non *profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita* (*Psal.* LXXXVIII) : verumtamen quisquis irritum fecerit, ego ultor existam : Tu ergo, quoniam homo es, et homo nonnisi operoso studio veritatem tenere potest, D quæ naturaliter in Deo est : tu, inquam, sollicitudine adhibita custodi pactum meum, et post te semen tuum.

Hoc, inquam, pactum in Christo est, mediatore Dei et hominum, per quem solum Abram pater factus est multarum gentium : imo quod dictum quoque sanctissimum et dignissimum est, pater omnium Dei filiorum. Omnes enim quotquot filii Dei dicuntur et sunt, nonnisi per Christum talem gratiam acceperunt, per quem redempti et Deo renati sunt. At ille scilicet Christus, secundum veritatem carnis assumptæ semen Abrahæ est. Igitur omnium quorum Deus pater est, omnium, inquam, illorum et Abraham pater est. Bene ergo *cecidit in faciem,* adorans et gratias agens, cum tanti hujus muneris acceperit largitatem : multiplicationis ejusdem insigne in ipso ponit titulo nominis. *Nec vocabitur,* inquit, *ultra nomen tuum Abram, sed vocaberis Abraham : quia patrem multarum gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissime : et ponam in gentibus : regesque ex te egredientur.* Dicunt Hebræi quod ex nomine suo Deus, quod apud illos tetragrammaton dicitur, *h* litteram Abrahæ et Sarræ addiderit. Dicebatur enim primum Abram, quod interpretatur *pater excelsus,* et postea vocatus est Abraham, quod transfertur *pater multarum, gentium* enim quod sequitur, non habetur in nomine, sed subauditur. Nec mirandum quare cum apud Græcos et nos, *a* littera videatur addita, nos litteram *he* Hebræam additam dixerimus. Idioma enim linguæ illius est, per *e* quidem scribere, sed per *a* legere, sicut e contrario *a* litteram sæpe per *e* pronuntiant. Et hoc ad rationem promissionis valenter accedit, quod in patris hujus nomine, cujus est secundum carnem filius Dominus Christus Jesus Filius Dei, jam una præfulget littera nominis Domini. Cur enim vel unam non haberet litteram nominis Domini, pater ejus, in quo est totum nomen Domini? Sic enim Moysi dictum est de eo : *Et est nomen meum in illo* (*Exod.* XXIX). Non dixit : super illum, quod commune est omnium quorum hic pater est, ex multis gentibus credentium, juxta illud quod et in Apocalypsi dicitur de unoquoque credentium : *Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, et nomen meum novum* (*Apoc.* III), sed est nomen meum in illo : quod proprium est unici Filii qui, cum sit Deus et Dominus, per omnia tam nomine, quam et re, Deo et Domino Patri consimilis et coæqualis est. *Et ponam,* inquit, *in gentibus, regesque ex te egredientur.* Reges hic recte accipiuntur, qui apud ipsum pro fidei merito noti sunt de quibus ipse in Evangelio : *Dico enim vobis,* ait, *multi reges et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Luc.* X). Potest tamen non absurde universaliter tam de iniquis quam de justis regibus accipi. Nam et Ismael loquens, *duodecim,* inquit, *duces generabit.*

89 CAPUT XXX.

De eo quod dictum est : « Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te. »

Et statuam pactum meum, inquit, *inter me et te, et*

CAPUT XXXI.

De circumcisione, quod signum fuerit justitiæ fidei, et cur id in illa corporis parte poni debuerit, et quod post adventum promissi seminis, quod est Christus, circumcisio recte cessare debuerit.

Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri. Hoc loco pactum pro signo pacti æquivoce oportet accipi. Nam sequitur continuo *ut sit signum fœderis inter me et vos.* Quod Paulus quoque apostolus confirmans, cum dixisset : *Quomodo ergo*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

reputata est Abrahæ fides ad justitiam, in circumcisione an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio, continuo subjunxit : *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium* (*Rom.* IV). Itaque, cum et hic Scriptura exponens quomodo circumcisionem appellaverit pactum, dicat, *ut sit signum fœderis*, et Apostolus eamdem circumcisionem appellat *signum* vel *signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio;* manifestum est circumcisionem carnis, non ipsum fœdus, sed signum fœderis : non ipsam justitiam, sed signaculum fuisse justitiæ fidei. Hic jam quæritur : Cur tali in loco, tali in parte corporis signaculum justitiæ fidei pater noster Abraham acceperit? Si enim, inquit Judæus, signaculum pro signo justitiæ datum est circumcisionis cauterium, cur non potius in ea parte vel membro corporis datum est quod nudum esset, ut semper pateret? Huic ineptæ objectiunculæ ut multum pueriliter respondeam, aio : quia si in naso aut in labio, vel certe in auricula, sive in oculo, signum circumcisionis Deus posuisset, damnosa utique macula faciem hominis deturpasset. Verumtamen pro re magis serio respondendum est. Signum fœderis, secundum Moysen, et signaculum justitiæ fidei, secundum Apostolum, circumcisionem esse, jam supra diximus, quod diffiteri, nec Judæus, nec Ebionita possit hæreticus. Constat vero quod fœdus ipsum vel *fides quæ Abrahæ ad justitiam reputata est* (*ibid.*), in promissione seminis exstitit, in quo benedicentur omnes gentes. Hoc nempe est quod credidit Abraham et reputatum est illi ad justitiam. Qua ergo in parte corporis hujusce fidei signaculum magis congrue daretur, quam in ea per quam semen ipsum naturaliter trajicitur? Illic utique congruentius signaculum posuit sponsor, et promissi sui debitor Deus, ut et ipse promissionis et homo exspectationis suæ, semper commoneretur : debitorem namque se fortiter tenere voluit, qui promissi seminis signum in ipso seminis effusorio credenti posuit homini. Simulque et illud sciendum, quia sicut Noe fidei suæ, recte in nubibus positum est signum, dicente Deo : *Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum* (*Gen.* II) : videlicet prædicenti Deo crediderat quia diluvium aquarum de nubibus inundaturum erat ; sic recte nihilominus Abrahæ, quia crediderat dicenti Deo quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes, in loco seminis, id est, in genitali corporis parte, signum ejusdem fidei positum est. Nunc vide quanti sacrilegii sit, post adventum ejusdem seminis, adhuc injicere carni suæ signaculum ejusdem circumcisionis. Nempe, juxta præscriptam veritatem circumcisionis susceptio exspectandi seminis illius professio est. Quisquis circumciditur, semen quod Abrahæ promissum est, etsi non conscientia, signo tamen illo, venturum, se exspectare profitetur. At ille, scilicet Christus, jam venit, jam natus est, jam illo dato in benedictionem cunctis gentibus veritas Dei impleta est : igitur quisquis adhuc circumciditur, venisse negat eum, quem tali signo venturum se exspectare pronuntiat, et perinde illum qui jam venit utique Christum esse denegat. Recte itaque et veraciter Apostolus : *Si circumcidamini*, inquit, *Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* VI).

90 CAPUT XXXII.

Item de circumcisione et cur infans octo dierum jussus est circumcidi.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Præter illud quod circumcisionis signum pro testimonio erat genti illi, quia fidem haberet venturi seminis Abrahæ, id est Christi, in eo quoque mysterium est, quod non quocunque, sed octavo die *circumcidetur*, inquit, *infans in vobis*. Octavus namque dies infantis, octavam significat ætatem mundi, qua circumcidetur infans, id est, exspoliabitur orbis omni corruptione mortalitatis, et novus erit mundus, universali resurrectione regeneratus. Illi enim qui digni habebuntur sæculo illo et ex mortuis resurrectione *non nubent, neque nubentur* (*Matth.* XXII), neque enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis erunt, et filii sunt Dei cum sint filii resurrectionis. Bene ergo infans octo dierum circumcidi jubetur, quia videlicet, quod circumcisio signat, octava ætate mundi perficietur. *Omne masculinum in generationibus vestris tam advena, quam emptitius circumcidetur, et qui non fuerit de stirpe vestra*, subauditur : si in vestram voluerit transire coloniam. Sic enim in Exodo cum dixisset : *Hæc est religio phase, advena et mercenarius non edent ex eo* (*Exod.* XII), *etc.*, continuo subsecutus, ait : *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domino, circumcidetur prius omne masculinum ejus, eritque sicut indigena terræ* (*ibid.*). Tales instantissime perquirebant Pharisæi, ut in carne eorum gloriarentur, quibus Dominus dicit : *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum. Et cum factus fuerit, facitis eum filium perditionis duplo quam vos* (*Matth.* XXIII). Lustrantes enim totum orbem propter negotiationes et diversa lucra, quæ tam a discipulis indigenis captabant, quam a peregrinis, per imaginem sanctitatis studii, habebant de gentibus facere proselytum, id est, advenam circumcisum miscere populo Dei. Sed qui ante dum esset ethnicus, simpliciter erraverat, et erat semel filius perditionis, videns magistrorum vitia, et intelligens destruere eos opere, quod verbis docebant, revertebatur ad vomitum suum (*II Petr.* II) et gentilis factus majore erat pœna dignus. *Erit pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum.* Hoc dicto Judæi carnis circumcisionem defendere contendunt, quia videlicet dictum in fœdus æternum, tanquam hoc idem sit ac si diceretur : Exercendæ circumcisionis ritum servabitis in æternum. Sed jam supra dictum est, non fœdus circumcisionem, sed fœderis esse signum : *Circumcidetis*, inquit, *carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et vos. Alias autem quomodo circumcidendi ritus æternus esse poterit, cum sine dubio nascendi vel generandi successio finem habitura sit. Igitur, quod ait, *erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*, sensu supradicto, ad Deum qui vera caro de carne illorum est, respicit Christum mediatorem Dei et hominum, in quo veraciter pactum fœdus est æternum, quia *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II), in quo omnes inimicitiæ dissolutæ, et cœlestia cum terrestribus pacificata sunt.

CAPUT XXXIII.

De eo quod dictum est : « Masculus cujus præputii caro, » etc., et quid ante adventum Christi circumcisio contulerit.

Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Tanquam diceret : Masculus qui supra dictum fœderis mei signum non susceperit, id est, non circumcidit carnem præputii sui, ille fidem seminis tui negavit. Porro, sine fide seminis tui, quod est Christus, salvari impossibile est. *Delebitur* igitur *anima illa* de populis suis, id est, non connumerabitur inter populos quorum te patrem constitui. Quare? Videlicet *quia pactum meum irritum fecit*, id est, quia in Adam prævaricatus est, cujus tunc erat in lumbis, et tunc exortus, prævaricationem illius quam tuam fidem sequi, et imitationem peccati quam exspectationem seminis tui, suscipere maluit. Unde enim inter Deum et homines inimicitiæ, nisi quia primus homo pactum Dei in paradiso prævaricatus est? Ergo qui non accipit ejus testimonium, per quem solum illæ inimicitiæ solvuntur, qui, inquam, non signatus est ante adventum ejus signaculo, quale tunc positum fuit : et qui non signatur post adventum ejus signaculo ipsius, quale nunc positum est, merito perit pro eadem culpa primæ prævaricationis. Quærat nunc aliquis : Cur ergo sancti patres ante adventum Christi non introibant in regnum Dei, si per fidem Christi in circumcisione fuerant justificati et ipsi? Ad quod e diverso respondemus : Cur sacramentis sanctæ Ecclesiæ, verbi gratia, corporis et sanguinis Domini communioni non admittuntur catechumeni nostri? Nonne corde credunt, et ore confitentur fidem Christi? Videlicet, inquis, quia nondum sacro fonte sunt regenerati. Ita plane veteres sancti, idcirco ab illa cœlesti gloria non debebant in communionem gloriæ et visionis recipi divinæ claritatis, nec fas erat ut inter candorem innocentiæ vel claritatis angelicæ reciperentur qualescunque humani generis justitiæ, quæ omnes, testante Isaia, sic erant sicut pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV), nisi prius lotæ essent sanguinis et aquæ de Christi latere profluentis inundatione.

CAPUT XXXIV

De eo quod dictum est : « Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. »

Dixit quoque ad Abram : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum ex eo orientur. Sublato uno elemento, id est *i*, addita est *e* littera quæ per *a* legitur, et vocata est Saraa. Idioma namque, ut supra jam dictum est, linguæ Hebræis est per *e* quidem scribere, sed per *a* legere, sicut e contrario *a* litteram sæpe per *e* pronuntiant. Porro Sarai interpretatur *princeps mea*. Sara *princeps* absolute. Causa autem immutati nominis eadem huic quæ et Abrahæ est. Illa namque *Hierusalem quæ sursum est, quæ libera* (*Galat.* IV), et mater omnium nostrum est, antequam nasceretur verus Isaac, id est, *risus*, scilicet, Dominus noster Jesus Christus, risus noster et gaudium nostrum, unius princeps erat populi Judæorum. Nam nos gentes, ut ait Apostolus, eramus illo in tempore *sine Christo, et alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum,* **91** *promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* II). At nunc jam non sumus *hospites et advenæ :* sed sumus *cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*ibid.*). Itaque sicut jam non Abram, sed Abraham, id est, *pater multarum gentium*, sic jam non dicitur Sarai, id est, *princeps mea*, quæ dictio solius esset populi Judæorum, sed Sara, id est, *princeps*, ut subauditur, multarum gentium. Nam, sicut Abraham pater, sic et per eamdem fidem mater nostra Sara est. *Daboque tibi*, inquit, ex ea *filium cui benedicturus sum, eritque in nationes*, subauditur, per ipsum semen unum, in quo et tu eris, ut jam dixi, pater multarum gentium : Christum enim prænuntiat in Isaac, qui est utique in nationes, quia per fidem ejus et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Proinde cum dicit, *cui benedicturus sum*, nihilominus subaudiendum est, ita ut benedictio ejus redundet in omnes gentes, sicut jam prædixi tibi quia *in te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Gen.* II, 12). *Ex eo reges populorum orientur*, inquit, subauditur, per fidem. Nam, secundum carnem ex Isaac, populorum quidem, scilicet, Israel et Edom reges orti sunt, sed hoc majus et laudabilius est, magisque ad promissiones magnifici oris Domini pertinet, quod ex semine Abrahæ secundum Isaac per fidem Christi renati sunt gentium reges, vel quam plurimi Ecclesiarum idonei rectores.

CAPUT XXXV.

De risu Abrahæ dicentis in corde suo : « Putasne centenario nascetur filius? »

Cecidit Abraham pronus in faciem, et risit, dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Dominum : Utinam Ismael vivat coram te. O virum æterno risu vere dignum, et sempiternæ jucunditati bene præparatum, quia ita cecidit in faciem ut rideret, ita risit ut in faciem caderet, illius utique adorans omnipotentiam cujus in promissione audierat singularem gratiam. *Putasne*, inquit, *centenario nascetur filius?* subauditur, talis futurus, et nascetur de *Sara nonagenaria?* quæ cum per ætatem debuit parere, sterilis erat. Hoc enim subaudiendum est, præsertim, cum post obi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tum Saræ, et cum jam uxorem duxisset Isaac, jamque adultus, non dubitavit idem Abraham ducere uxorem nomine Cethuram, nec frustra, quippe, de qua suscepit filiorum copiam. Ergo putasne quod in corde suo dixit, non dubitando, sed suam ipse felicitatem ineffabiliter admirando. Quod vero ore proprio ad Dominum dixit, *Utinam Ismael vivat coram te*, plane reverentis et pudorati animi est, confitentis illud quod permittebatur longe abundantius esse, quam petere ipse auderet. *Et ait Dominus ad Abraham : Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac;* et cætera. Imperiosa hæc sermonis Dei repetitio est, notam fidem hominis excitantis, ut aures audiendi habeat, nec humilitate nimia dissimulet audita grandia. *Sara*, inquit, *uxor tua pariet tibi filium*, sicut jam dixi, quia tu risisti, quod subaudiendum est, vocabitur nomen ejus Isaac, quia revera ridebit in novissimo generositas tua. Isaac namque *risus* interpretatur. Quo nomine recte seminis Abrahæ, qui est Christus, felix nativitas significatur, qui universitati sanctorum, quorum ex carne vera caro, et verus homo ipse est sempiterni risus et interminabilis gaudii causa est. De quo idem ait : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). Quod gaudium vel quem risum, omnium pulchre unus illorum prægustavit, clausus adhuc in utero, dicente matre ejus ad Mariam : *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* (*Luc.* I). Eorum omnium, cum sint unum corpus et unus spiritus, mystice hæc vox est : *Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* Et est sensus : Hactenus cum floreret rerum status, temporibus regum nobilium, non venit Christus, nunc senium quoddam generis Abraham, *Ablatum est enim sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus* (*Gen.* XLIX); putasne ergo nunc veniet qui mittendus est? Putas, videbo? Putas, durabo? Putas, hic me inveniet illa nativitas? Eorum namque hujusmodi suspiria, Simeonis expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui *responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum* (*Luc.* II). Christum igitur Isaac et nomine signat et munere, quia et senibus parentibus datus, et a risu nomen sortitus est.

CAPUT XXXVI.

De eo quod dictum est : « Super Ismael quoque exaudivi te, » et quomodo intelligendum sit : « Pactum vero meum statuam ad Isaac. »

Super Ismael quoque exaudivi te : Ecce benedicam ei, et augebo et multiplicabo eum valde. Duodecim duces generabit, faciamque illum in gentem magnam : Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. Utrum Ismael in persona sua ad sortem electorum pertineat et vivat coram Domino, juxta petitionem patris dicentis, *Utinam Ismael vivat coram te*, præsertim quia respondit Dominus, *Super Ismael quoque exaudivi te, ecce benedicam ei*, etc., alterius nobis Scripturæ auctoritate certum non est. Nusquam enim tale quid de Isaac et Ismael Scriptura patenter edicit, quale est illud : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Matth.* I). Quamvis hæc eadem Scriptura dicat : *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc et filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI). Et eumdem ludum Apostolus persecutionem vocat, dicendo : *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum Spiritum, ita et nunc* (*Gal.* IV). Non tamen omnino consequens est, quod a Deo prædictus vel ejectus sit, præsertim cum post pusillum ibidem scriptum sit : *Exaudivit autem Deus vocem pueri de loco in quo erat.* Tradunt quidem Hebræi ludum illum ejusmodi fuisse, quod idola luto fecerit, juxta quod alibi scriptum est : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII). Sed et e diverso dicunt alii quod adversus Isaac, quasi majoris ætatis, joco sibi et ludo primogenita vindicaret. Sed de hoc alias. Nunc illud dictum sit, quamvis reproborum typum gesserit, non omnino consequens vel constans esse, quod et ipse in sua persona a Deo reprobatus sit, dicente illo : *Super Ismael quoque exaudivi te*, quia dixerat Abraham : *Utinam vivat Ismael coram te. Duodecim*, inquit, *duces generabit* (*Gen.* XXV). Hi duces, id est, filii ejus inferius sunt descripti. Primo genitus Nabaioth, deinde Cedar, et Adbeel, et Mabsam, Masma quoque, et Duma, et Massa, et Hadar, et Thema, Jethur, et Naphis, et Cedma. *Pactum vero statuam ad Isaac.* Pactum nec hoc loco circuncisionem vult intelligi, **92** quæ potius, ut supra jam dictum est, signum est pacti. Nam et Ismael circumcisus fuit. Sequitur enim : *Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham : tulit autem Abraham Ismaelem filium suum, et omnes vernaculos domus suæ, et circumcidit*, etc. Ergo pactum, quod proprie est ad Isaac, redemptio vel reconciliatio generis humani est, quam in Isaac per Christum fieri statutum est ab eo qui promisit : statutum, inquam, quia fidelis est, et propositum ejus infirmari non potest.

CAPUT XXXVII.

De centesimo ætatis anno Abrahæ, quo natus est Isaac, et quod ubi nasciturus jam datur, Trinitatis mysterium in forma angelorum se homini manifestare designatur.

(CAP. XVIII.) *Apparuit iterum Dominus ei in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei.* Hic annus ætatis Abrahæ centesimus ad illam secundum Divinitatis consilium respicit plenitudinem temporis, de qua dicit Apostolus : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Gal.* IV). Proinde totus illi festivus atque solennis, et divinis est revelationibus, maxime, quia quam hactenus vidisse non legitur figuram sanctæ Trinitatis, hoc tempore videre meruit. Ecce enim

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

apparuit, inquit Scriptura, iterum *ei Deus in convalle Mambre sedenti, in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque sublevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui et adoravit in terra, et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*, etc. Ubi nasciturus Isaac, non jam solum, ut ante promittitur, sed et datur, Trinitatis mysterium in forma trium angelorum, se homini manifestare dignatur, quia videlicet ubi Christus nascitur ex semine Abrahæ, ejusdem Christi Filii Dei incarnationem præsentia suæ majestatis, tota Trinitas, in hospitio virginei ventris operatur : et exinde nomen ejusdem Trinitatis, nomen Patris et Filii et Spiritus sancti toto mundo publica prædicatione declaratur. Nam Pater est qui virginem impræguat; Filius, qui natura induitur humana, Spiritus sanctus, cujus operatione concipit virgo, quæ virum non noverat. Sed jam ipsa litteræ sequamur vestigia. *Apparuit*, inquit, iterum. Incertum reliquit quanto intervallo post illa quæ supra narrata sunt, hoc factum sit : sed certum tamen est quod brevissimum tempus interfuerit. Nam et in præcedenti visione, cum dixisset Deus, *Pactum vero meum statuam ad Isaac*, addidit continuo, *quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero* : et in hac iterum dicit : *Revertens veniam ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium :* potest tamen intelligi, quod ait *in ipso fervore diei*, idem esse ac si diceretur in fervore ipsius diei, subauditur, cujus præcedente nocte apparuerat, et de circumcisione mandatum dederat illi.

CAPUT XXXVIII.

Quid significet, quod tunc apud hominem, angeli, sive Deus in angelis tam familiariter hospitatus est, et pene nihil a consueta hospitalitate susceptio illa differt.

In ipso, inquit, *fervore diei.* Satius exprimi non potuit qualitas vel proprietas ejus quæ nunc apparuit visionis. Idem enim est, ac si dictum fuisset : Non jam in usu noctis, non in aliqua spirituali solummodo visione, sed homine, hujus solis in aspectu oculorum vel sensu communi. Nam revera ad communes pertinent sensus cuncta hæc quæ in hac visione narrantur. *Cumque sublevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*, et cætera, usque ad id quod dicitur : *Igitur pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur* (*Gen.* XIX). Quidnam est in quo hæc acta vel dicta cœlestium hospitum in communi schemate, sive omnimodo gestu differant hominum apud amicos suos hospitantium? Ille hospitalis Pater familias currens in occursum quasi hominum, præ lassitudine tecto et refectione indigentium : *Afferam*, inquit, *paxillum aquæ, ut laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis.* Quid humanius homini diceres, quem præ labore itineris et inanitate ventris pene deficere, debilis vel concisus anhelitus proderet? Item quid pro- A nius responderent fessi viatores, de bono, et comi hospite lætantes? *Fac*, inquit, *ut locutus es.* Festinanter ille ad Saram, tanquam pro amicis esurientibus : *Accelera*, inquit, *et tria sata farinæ simul commisce, et fac subcinericios panes. Currit ipse ad armentum et tollit vitulum tenerrimum et occidit, datque puero. Qui festinavit et coxit illum.* Apponit tandem cœnam opimam, *butyrum et lac et vitulum quem coxerat : ipse vero stat* coram eis edentibus et bibentibus, secundum morem vel disciplinam ministrantium. Tunc illi, ut mos est bene refectis hospitibus, exhilarati ac lætabundi : *Ubi est*, inquiunt, *Sara uxor tua?* Ac deinceps unus qui in rebus illis erat Dominus Deus : *Revertens*, inquit, *veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit Sara filium.* Sic omnino loqui solet B homo, qui semper in incertitudine est futurorum, e ipsius vitæ suæ. *Veniam ad te, vita comite*, id est, veniam ad te, si vita comes fuerit. *Risit Sara*, videlicet pudibunda mulier tanquam venerandos erubescens homines. *Postquam*, inquit, *consenui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Desierant* enim illi *fieri muliebria*, id est, menstrua, scilicet, secundum ætatem, præ raritate sanguinis. Unde et duplex videbatur importunitas concipiendi vel pariendi ei, quæ et cum sanguine abundaret, fuerat sterilis. Perterritæ et dicenti : *Non risi* jucundius, adhuc imminens Dominus, *Non est inquit*, ita, *sed risisti.* Apud Lot quoque pene, idem quod homines dicunt et faciunt, angeli (*ibid.*) vocati ad hospitium, *Minime*, inquiunt, *sed in platea manebimus*, vixque C compulsi divertunt ad eum. Ille quoque ingressis *fecit convivium, coxit azyma, et comederunt.* Quid, inquam, hic est quod discrepet ab hominum confabulatione, vel consultatione communi? Nam levia sunt hæc aut ludicra. Non utique, sed Dei et hominis vere filii Dei, et vere Filii hominis vera et sancta sunt præconia. Quid enim tunc parabatur, nisi ut Isaac nasceretur, in typum ejus, qui eum fecerit terram in sempiterno tempore, et impleverit eam pecudibus 93, etenim ea quæ sunt, omnia per eum facta sunt (*Joan.* I), post hæc in terra, videndus, et *cum hominibus* erat conversaturus (*Baruch.* III). At ille non utcunque videndus, non quomodocunque cum hominibus erat conversaturus, sed in veritate humaD næ substantiæ, vere de femina conceptus et natus, verus homo, vera caro factus erat in nobis habitaturus. In nobis, inquam, per omnia, utpote de suis invisibilibus, ad nostra visibilia profectus. Habitavit enim in nobis, cum in illo femineæ secreto naturæ, de quo nos non sine peccato processimus singuli, decem non mensibus absque peccati contagione hospitatus est, et inde tanquam *sponsus de thalamo suo procedens, in sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII), tenera ut infans circumdatus carne, et vagitus emittens infantiæ, *factus sub lege*, subditusque Joseph et Mariæ, circumcisus et tanquam peccator legali hostia mundatus, pasus famem, et fraudem tentatoris perferens, persecutionesque hominum sustinens, et contristatus usque ad mortem,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

de loco ad locum fugiens, ad extremum autem factus obediens usque ad mortem. Recte igitur et pulchre dum illud præsignatur, jam cœlestia terrenis conjunguntur : ita ut in nullo cœlestes spiritus dissimiles se exhibeant hominibus in colloquio, in convictu, in omnimodo, tam dictorum quam factorum, gestu vel habitu. Et notandum in hac lectione, verba secundum numeros variari, id est, nunc alia singulariter, nunc alia pluraliter dici. Cujus varietatis hæc ratio est. Ubi dicuntur vel aguntur ea quæ ad Deum pertinent, omnia dicuntur singulariter : ubi inter hospites pene sola sonant humana, dicuntur omnia pluraliter. Nam ut manifestius fiat quod dicitur, ubi adorat Abraham; non pluraliter dicit : Domini mei, si inveni gratiam in oculis vestris, ne transeatis A servum vestrum; sed singulariter : *Domine*, inquit, *si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*, quia videlicet unus in tribus personis Dominus vel Deus est, qui singulariter et solus adorandus est. Ubi autem offert quod non Dei, sed hospitum est, loquitur pluraliter : *Sed afferam pauxillum aquæ, ut laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore, et confortate cor vestrum, et postea transibitis.* Item ubi jucundi et bene refecti de Sara interrogant, scriptum est pluraliter, *dixerunt : Ubi est Sara uxor tua?* ubi autem continuo promittitur, quod dare vel facere solius Dei est, singulariter scriptum est : *Revertens veniam ad te, et habebit Sara filium.*

IN GENESIM LIBER SEXTUS.

(Gen. cap. XVIII-XXV.)

CAPUT PRIMUM.

De mansuetudine et ira Dei, qui tam familiariter apud justum hospitatus, tam terribiliter ad Sodomam divertit.

Promissio vel adventus Christi Filii Dei, sicut electis in multitudine misericordiæ, sic reprobis in abundantia est iræ et vindictæ. *Ira* enim, inquit Apostolus, *et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco* (*Rom.* II). Bene ergo is cujus in Evangelio suo simul ira revelanda erat et gratia, jam in præfiguratione adventus sui, dum præfiguratur in Isaac, utriusque rei narranda toto orbe præmittit exempla. Penes ipsa piorum tabernacula, castis indulget deliciis, et ridentibus pene arridens atque congaudens materiam multiplicat, causamque confirmat risus æterni : ac deinde Sodomam divertens terribilem super impios et peccatores pessimus pluit iram, in exemplum ignis æterni. Illic mansuetudinem, hic Filii sui Deus veritatem præostendit et justitiam. Cui Propheta in epithalamio præcinens, cum dixisset : *Intende prospere, procede et regna* (*Psal.* XLIV), continuo subjunxit, *propter veritatem et mansuetudinem et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua* (*ibid.*). Sed jam ipsa veritatis et Justitiæ præsentia ingrediamur ostenta.

CAPUT II.

De peccato Sodomorum, et quod in illo typus præcesserit Judæorum, qui Dominum illudentes crucifixerunt.

CAP. XVIII. *Cumque surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam, et Abraham simul gradiebatur ducens eos. Homines Sodomitæ*, ut superius jam dictum est, *pessimi erant et peccatores* B *nimis coram Domino.* Notum, imo notatum et infame est toti mundo peccatum, scilicet saturitas panis et otium (*Ezech.* XVI), in quo male nimis semetipsis abusi sunt : commutantes *naturalem usum in eum qui est contra naturam, masculi in masculos turpitudinem operantes, et* ita *mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes* (*Rom.* I), quia videlicet hoc peccatum teterrimum, et peccatorum præcedentium pœna est. Proinde extunc et usque in sæculum, publicanis quoque et ethnicis, ne dicam omnino castis naribus, nimium fetet memoria eorum. Hi plane typum gesserunt falsorum Jerosolymitarum, eorum qui Dominum nostrum Dei Filium crucifixerunt, testante **94** Isaia, cum de illis prophetica voce dicit : *Audite verbum Domini, principes* C *Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei* (*Isa.* I) populus Gomorrhæ. Delectatus itaque Dominus hospitio patris Abrahæ, dirigit oculos contra Sodomam, deducente se Abraham, vim pene passurus, a peccatoribus, quia videlicet doctrinis et miraculis exhilaratus, apud discipulorum benevolentiam, in quibus secundum fidem erat Abraham, eisdem apostolis deducentibus, Jerosolymam illam, quæ spiritualiter Sodoma vocatur (*Apoc.* XI), ascendit crucifigendus a pontificibus, pharisæis, senioribus quoque et scribis populi.

CAPUT III.

De eo quod dictum est : « Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? »

Dixitque Dominus : *Num celare potero Abraham,* D *quæ gesturus sum*, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam, et benedicendæ sint in eo omnes nationes terræ? Scio enim quod præceperus sit filiis suis, domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam et judicium; ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad eum. Mira exordientis dignatio, qua Deus hominis et excitare attentionem, et captare quodammodo curat benevolentiam; quippe qui ab ejusdem auditoris sui quibusdam laudibus suum sic inchoat sermonem : *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Subauditur enim : tantis repugnantibus causis; primo quia futurus est in gentem magnam; futurus, inquam, magis secundum fidem quam secundum carnem, in gentem magnam ac robustissimam, videlicet cujus mirando fortitudinem recte dicam, quia *regnum cœlorum vim patitur et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI). Deinde *scio enim*, inquit, *quod præceptarus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini;* quod scilicet bono prius exemplo per semetipsum, postea scripto et doctrina legis, per posteros suos egit. Quantæ putas laudationes vel testificationes sunt homini dicta hæc ex ore Dei? Non ergo Abraham apud Deum parvi æstimator, cui tales et tantas ob causas, consilium suum celare se non posse testatur Deus. Et hæc quidem illi digne secundum suam personam dicta sunt, qui genti suæ magnæ ac robustissimæ, hodieque recepit, *ut custodiant judicium et justitiam*, scientes peccatoribus districtam exemplo Sodomorum timendam esse Dei sententiam. Cæterum, juxta mysterium jam dictum, quando passurus Dominus fixerit oculos suos contra Sodomam illam, id est Jerosolymam, non celavit Abrahæ, id est apostolis suis, carne et fide filiis Abrahæ, quam gesturus erat ipse, sciens quod futuri essent in gentem magnam ac robustissimam, videlicet illam quam ex tunc diffusam per totum orbem videmus Ecclesiam, terribilem ut castrorum aciem ordinatam (*Cant.* VI), et quod per ministerium illorum benedicendæ essent in semine Abrahæ omnes nationes terræ, et quod præceptarus esset filiis, id est auditoribus suis, ut custodirent justitiam et judicium, futuram credentes resurrectionem, et judicium universale vivorum et mortuorum.

CAPUT IV.

De clamore Sodomorum et Gomorrhæ, et de precatione Abrahæ.

Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est, ut sciam. Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam. Quantum ad præsentem locum historiæ temerarium hominum prohibetur judicium, ne facile audita credant, vel inexperta judicent, cum Deus omnium qui falli non potest, qui et antequam fiant, omnia novit, dicere dignatus sit : *Clamor Sodomorum multiplicatus est, descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere impleverint.* Porro mystice dicendum, quia Sodomorum, id est Jerosolymorum clamor crebro ascenderat ad Dominum, evangelica testante parabola, quia mali et male perdendi agricolæ servos domini vineæ semel et iterum ac tertio ad se missos ejecerunt, imo et contumeliis affectos occiderunt (*Matth.* XXI). A Novissime ergo missus filius unicus, æstimante patre ac dicente, *Verebuntur filium meum* (*Ibid.*), recte dixit : *Clamor Sodomorum multiplicatus est : descendam et videbo*, etc. Descendit enim et vidit utrum clamorem qui ascenderat, opere complevissent, et vidit, inquam, id est, expertus est, quam pessimi essent, didicit in semetipso quam crudeliter, quam odiose sanctos prophetas, et justos homines occidissent. *Converterunt se*, inquit, *et abierunt Sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram Domino, et appropinquans ait : Nunquid perdes justum cum impio?* etc. Hoc plane ex ipsa orationis qualitate clarum est, quia vere Abraham coram Domino stabat, et Domino appropinquans erat, quia videlicet in oratione non suam, sed Dei gloriam intendebat; non B inquam, suam, sed Dei voluntatem fieri postulabat. Dixit enim : *Absit a te, ut rem hanc facias et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius! Non est tuum hoc; qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.* Ergo consulebat Domino fidelis famulus, quatenus sic ageret et sic judicaret, ut de suis ipse judiciis digne laudaretur. Proinde Dominus Deus monitorem hominem non aspernatus, et quodammodo arguentem non dedignatus, singulis ejus concedit propositionibus, *dimittam*, inquiens, *omni loco, propter quinquaginta; non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque; non percutiam propter quadraginta; non faciam si invenero ibi triginta; non interficiam propter viginti; non delebo propter decem.* Fortis enim erat vera fortitudine C homo, qui fortissimum Dominum tenebat. Fortis, inquam, et fortiter seipsum confringens, qui dicebat : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*; et : *Ne, quæso*, inquit, *indigneris, Domine, si adhuc loquar;* et : *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum;* et : *Obsecro, ne irascaris, Domine, si adhuc loquar semel.* Hæc enim fortitudo vera est, scilicet spiritus humilitatis, et mens subdita justitiæ Dei, quam idem propheta qui in primordiis libri sui dixerat : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ* (*Isa.* I) deplorans in hominibus defecisse : dicit circa finem ejusdem libri flebili conquestione : *Non est qui invocet nomen tuum, non est qui consurgat ut teneat te* (*Isai.* LXIV). Videbat utique in Spiritu, versum Dominum ad Sodomam illam, nec esse quemquam qui teneret illum, propter abundantem D **95** malitiam. Nam quid gemeret subserutus aperuit. *Deserta facta est* Jerusalem, *desolata domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustione ignis* (*Ibid.*). Hoc enim irrecuperabiliter sub Vespasiano et Tito factum est.

CAPUT V.

Item de eadem re, et quod non casu sapiens homo taliter numerum diminuerit, prius quinquaginta, deinde quadraginta, ad extremum ponendo decem.

Sed quid sibi vult degradatio numerorum hujusmodi? Nunquid homo cum Deo loquens, casu et sine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

scientia et sensu, sicut in buccam venerunt, ita insertas effudit diminutiones numerorum? Non utique, sed cum ratione elocutus est quæ, etsi nobis non ad plenum liquent, nonnihil tamen pulchritudinis sensibus nostris exinde sublucet. Illud namque præclarum in his numeris divinitus provisum animadvertimus, quod non solum arithmeticis qualibuscunque rationibus, sed et musicis proportionibus ita contexti sunt, ut omnes musicæ concordiæ symphonias complectantur, excepto quinquagesimo numero, qui propter alias rationes sacratus est. Nam quadraginta quinque cum quadraginta comparati epogdoum, id est sesquioctavam proportionem reddunt, quam musici tonum appellant. Quadraginta cum triginta collati, epitritum, id est sesquitertiam proportionem efficiunt, quam symphoniam diatessaron vocant; triginta cum viginti comparati, hemiolion, id est sesquialterum constituunt, quam symphoniam diapente dicunt. Viginti cum decem collati dupli sunt, quam maximam consonantiam, id est diapason nominant. Item triginta cum decemtriplarem, quadraginta cum ejusdem quadruplarem proportionem efficiunt, quarum altera diapason cum diapente, altera reddit bis diapason. Quid igitur hi numeri, nisi tanti intercessoris veram indicant dignitatem, videlicet quod ita duntaxat Dominum Deum suum peccatoribus parcere cupit, ut proficiat ad nominis ipsius laudem et honorem? Cantabilem namque misericordiam decet illum facere, talem, scilicet, quæ non discrepet a judicii veritate, testante Psalmista cum dicit : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c). Proinde, quia jam dictis in numeris omnis consonantiæ vis conclusa est, *Abiit Dominus*, inquit Scriptura, *postquam cessavit loqui ad Abraham, et ille reversus est in locum suum;* quia videlicet quod extra laudem justi judicii Dei, homo sapiens a Deo suo petere nec vult nec debet. Adeo non suam quæsivit voluntatem, ut quantumcunque haberet curam pro nepote suo Lot, nullam tamen os ejus de illo fecerit mentionem.

CAPUT VI.

Cur duo Sodomam venerunt, et quare vespere venerunt.

(Cap. XIX.) *Venerunt duo angeli Sodomam vespere sedente Lot in foribus civitatis.* Bene duo angeli venerunt, ut in testimonio duorum justum staret judicium. Hoc enim ad illud respicit, quod supra dixerat Dominus : *Descendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere implerint, an non est ita, ut sciam.* Sicut illa idcirco dicta sunt, ut de inexperta culpa temerarium nemo promat sententiam, sic duo venerunt Sodomam, ut minus quam duobus testibus, nulla damnatio terminet accusati causam. Et bene non tres, uti ad Abraham, sed duo tantum venerunt Sodomam. Etenim non quidem cordibus impiorum revelatur Trinitatis mysterium, verumtamen et Dei Filius inter peccatores super terram visus est, et cum hominibus impiis conversatus est (*Bar.* III) : et Spiritus sanctus visibili specie apud eosdem apparuit, super ipsum quidem Dominum in specie columbæ (*Matth.* III), super discipulos autem in specie ignis (*Act.* II). Bene ergo non tres, sed duo in civitatem impiorum venerunt angeli, quia tempore visitationis sic duæ personæ Filii, et Spiritus sancti hominibus innotuerunt, ut peccatores et impii omnes inexcusabiles sint. Vespere, inquit, venerunt. Ipsum tempus vel hora visitationis tristissimæ peccatorum causæ congruit. Abraham meridie visitatus est. Apparuit enim illi Deus supra, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei. Visitatur justus et mane, juxta illud : *Mane astabo tibi et videbo* (*Psal.* V). Item : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ* (*Psal.* C). Et alibi : *In matutinis meditabor in te* (*Psal.* LXII). Porro, quod dictum est, *sedenti in foribus civitatis*, illi congruit, qui animo non sedebat in sceleribus civitatis. Unde Petrus apostolus : *Aspectu enim, inquit, et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam istam iniquis operibus cruciabant* (*II Petr.* II).

CAPUT VII.

De eo quod non nisi compulsi oppido a Lot, in hospitium ejus diverterunt.

Qui cum vidisset eos surrexit et ivit obviam eis, et adoravit pronus in terram, et dixit : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi. Lavate pedes vestros, mane proficiscemini in viam vestrum. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum. Quod primo dixerunt, *minime, sed in platea manebimus*, et deinde illo compellente, licet tanquam inviti diverterunt tamen ad illum, non mutabilitatis est, tanquam sit apud Dominum vel sanctos ejus angelos, est et non; sed, pro causis diversis, diverse dictum et actum est. Diversa namque, imo et contraria causa Lot erat causæ Sodomorum. Quod ergo dicunt, *minime sed in platea manebimus*, detestatio est civitatis, in qua cœlestibus vel sanctis nullatenus communicanda erant amici jura hospitii. Quod autem compulsi et quasi inviti cum aversione totius civitatis divertunt ad illum, separata et propria est gratia justitiæ ejus meritis. Porro hæc imago futuræ rei veritati bene concrepat. Crucifigendus namque Dominus in illa civitate, quæ, ut dictum est, spiritualiter Sodoma dicitur : ita nulli unquam adulatus est, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam inveniret mansionem, sed in agro parvulo apud Lazarum, sororesque ejus hospitatus sit. Verumtamen illa vespera qua tradendus erat, divertit ad quemdam, et manducavit pascha cum discipulis suis (*Matth.* XXVI). Cui cœnæ bene concinit quod sequitur. Ingressus autem *fecit convivium, et coxit azyma, et comederunt.* Azyma namque cum agno Paschali Dominus noster illa nocte in civitate comedit. Lot siquidem paucorum typum tenet illorum, qui sceleri Judæorum non consenserunt (*Matth.* XXVII), qui, quamlibet pii fuerint, tantum a fide apostolorum minus habuerunt, quantum justitia Lot a perfectione Abraham.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

96 CAPUT VIII.

Quomodo Sodomitæ domum circumdederunt, priusquam irent cubitum, et quod tali itidem hora Judæi Dominum comprehenderunt.

Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum, a puero usque ad senem omnis populus simul vocaveruntque Lot et dixerunt ei : Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc ut cognoscamus eos, etc. Nihilominus et priusquam irent cubitum, ecce turba, et qui vocabatur Judas venit (*Luc.* XXII). Dicebat enim ille suis : *Quid dormitis? Surgite et orate, ne intretis in tentationem.* Item increpando : *Dormite jam et requiescite : ecce appropinquabit qui me tradet* (*Matth.* XXVI). Igitur juxta prophetam jam dictum, vere princeps Sodomorum, et vere populus Gomorrhæ (*Isa.* I). Ille tenebrio veloti viros ignotos, contra naturam, isti Dominum Deum, de quo dicebant, *hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* IX), mendacio, id est, mendacii accusatione maculare volaerunt contra omnem creaturam. Ecce quam prope vidit, quam moleste hic et illic expertus est Deus verum, et vere operibus completum fuisse illum qui ad ipsum ascenderat, clamorem Sodomorum. Hic enim, inquit, *viri civitatis, omnes a puero usque ad senem vallaverunt domum. Educ* viros, inquiunt, *huc, qui introierunt nocte ad te, ut cognoscamus eos.* Obsecrante illo, ac dicente : *Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum facere hoc,* etc. Illi econtra, *Recede illuc :* Et rursum : *Ingressus es ut advena, numquid ut judices? Te ergo ipsum magis quam hos affligemus.* O ergo iniqua libertas, et libera iniquitas, quam molesto clamore cœlum pulsaverat! Quid illi alii Sodomitæ, ille populus Gomorrhæ? Cum impediret turba quæ venerat ad diem festum conatus eorum, timebant enim plebem, conduxerunt sibi traditorem, et vim vehementissimam, scilicet militarem manum Romanorum, et cum fustibus et gladiis irruentes exierunt (*Joan.* VIII) : turbam adventitiam, quæ de regione ascenderat, utpote ante Pascha, indignam auditu judicantes et dicentes : quia turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt.

CAPUT IX.

Quid significet, quod ostium clauserunt, et eos qui foris erant percusserunt cæcitate.

Vimque faciebant Lot vehementissime jamque prope erant ut infringerent fores, et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt Lot clauseruntque ostium, et eos qui erant foris percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. Et contra illos alios principes Sodomorum, contra illum alium populum Gomorrhæ, posterius prophetatum est : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur ut sanem eum* (*Isa.* VI). Recte igitur postmodum igne sulphureo cœlitus consumendi, prius cæcitate percussi sunt, ita ut non possint invenire ostium ; nam istis æternis ignibus cruciandi, nunc interim mente excæcati sunt, ut ita invenire non possint illum qui dicit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X). Porro quia *novit Dominus pios de tentatione eripere*, impios autem æternis ignibus cruciandos reservare (*II Petr.* II), introducto ad se Lot, et eis qui foris erant cæcitate percussis, *dixerunt : Habes hic tuorum quempiam, generum, aut filios aut filias? Omnes qui tui sunt educ de urbe hac. Delebimus enim locum istum.* Sic plane Dominus aliquos de gente Judæa, qui non consenserunt sceleri eorum, vel qui pœnitentiam egerunt, intromisit ad se manu misericordiæ et gratiæ suæ : et illis interna, ut jam dictum est, cæcitate percussis, præcepit istis ut non remanerent in civitate illorum, id est ut non communicarent religioni vel carnalibus sacrificiis eorum, quæ ex tunc odit ipse, propheta Isaia testante, qui cum exclamasset illud quod jam dictum est : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ* (*Isa.* I), continuo qui audire deberent adjunxit : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, ait Dominus? plenus sum.* Et post pauca : *Neomeniam, et Sabbatum et solemnitates cæteras non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta* (*ibid.*), etc. Igitur *omnes, qui tui sunt,* inquit, *educ de urbe hac* : quia videlicet postquam manus suas impleverunt sanguine Christi, sicut subinde idem propheta : *Manus enim vestræ,* inquit, *plenæ sanguine sunt* (*ibid.*) ; fugienda est omnino his, qui salvari cupiunt, illa Synagoga, illa malignantium ecclesia.

CAPUT X

De eo quod dictum est : « Noli post tergum tuum respicere, sed » etc., juxta moralem et anagogicum sensum.

Dissimulante autem illo, apprehenderunt manum ejus, eo quod parceret Dominus illi, et eduxerunt eum, posueruntque extra civitatem. Ibique locuti sunt ad eum dicentes : Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac. Adhuc usque ad id quod dictum est : *Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor,* moralis sensus magis pollet. *Dissimulante,* inquit, *illo.* Videlicet quamvis comparatione Sodomorum justus esset, adhuc tamen a perfecta justitia minus habens, et minoris fidei quam Abraham, amœnitate Sodomorum tenebatur et irriguis pene paradisiacis artis, et ideirco quasi non satis intelligeret quod dicebatur, cum percelleretur nuntio instantis periculi, dormitantes oculos et amore divitiarum pressos avertebat a lumine præsenti. Sic persæpe is qui jam cœlestia novit, cui per Evangelium Christi revelata est ira Dei, jamque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi, et concupiscentia sua illectus, dissimulat auditas et bene sibi cognitas futuri judicii minas, et æterni ignis pœnas sulphureas, eo intentus ut concupiscentiæ suæ effectu quoquomodo perfruatur. Quo ita *dissimulante,* si apprehen-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

derit manum ejus Deus, parcens illi, et eduxerit eum ante effectum peccati, et posuerit extra civitatem, id est extra tentationis inclusionem, tunc demum ad se reversus dicit : *Quæso, domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut servares animam meam*, etc. Etenim quando volenti perire, id est, opus peccati peragere, citius Deus succurrit, et quacunque occasione voluntatem ejus in hora insaniæ impedit, vere manum ejus apprehendit, et de medio Sodomorum illum educit, eo quod parcat illi. Quo facto, statim sentiens gratia Dei se esse liberatum, confunditur quidem intra semetipsum, quod habuerit ad horam voluntatem malam, sed gratias agit gaudens, quia vere magnificavit Dominus cum illo **97** misericordiam suam. Quid porro est quod dicit : *Nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum et moriar. Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea, nunquid non modica est et vivet anima mea?* Hoc plane illud est, quod videmus plerosque nimium conscios infirmitatis suæ, modica fide non audere altius propositum arripere, ne forte deficiant sub onere, meliusque fuerit eis contentos esse mediocritate, non audientes Scripturam dicentem : *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* (*Isa.* XL) : Item : *Viriliter age, et confortetur cor tuum* (*Psal.* XXVI). Mons enim de quo recte dicitur, *sed in monte salvum te fac*, illa perfectio est, de qua Dominus noster in Evangelio dicit adolescenti diviti : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Hæc perfectio vitæ mons justitiæ est. Proinde quod dicit : *Noli post tergum respicere, et non stes in omni circa regione*, juxta sensum hunc, præceptum necessarium est : quia videlicet *nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX). Quod vero addidit, *sed in monte salvum te fac*, familiare consilium est, quemadmodum de servanda virginitate, de qua Apostolus : *Præceptum*, inquit, *Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII), quia videlicet ejusdem propositi est nihil possidere, et sine uxore esse. Itaque et permissio Domini dicentis ad Lot : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es, festina et salvare ibi :* par est ei sententiæ, quam Apostolus pro remedio, vel per indulgentiam suggerit eis, qui non possunt in prædicto monte salvari. Quod si se non continent, inquit, *nubant. Melius* est enim *nubere quam uri.* Item : Vir *debitum uxori reddat, et uxor viro.* Hæc enim mediocritas ut salvetur, precum patrociniis indiget : nec enim eorum est, qui judicaturi sunt : sed eorum qui judicio quidem astabunt, sed salvabuntur misericordia superexaltante judicium. Unde cum dixisset Dominus : *Ecce in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.* Deinde subjunctum est : *idcirco vocatum est nomen urbis Segor :* quod interpretatur *parvula*, subauditur, quia dixerat Lot : *Nunquid non modica est, et vivet anima mea?* Nam antea vocabatur *Bale.*

A Etenim parva vita sæcularium est, pro qua opus est ut suscipiat Dominus intercessorum preces : spiritualium vero magna, cujus laus ex Deo est, et tanquam mons istis præeminet eisque subvenire potest. *Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor*, id est, sole oriente, quo videlicet orto, venit Sodomorum perditio : Lot ingressus est Segor, scilicet, in similitudine futuri, quando, apparente ad judicium sole justitiæ Christo, consummabitur peccatorum perditio : illos autem quibus parcere dignum erit, fugientes ab ira suscipiet miseratio.

CAPUT XI.

Quare non qualemcunque ignem, sed ignem sulphureum Dominus pluerit, et quod dictum est : « Dominus a Domino. »

B *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.* Quia clamor, inquit, Sodomorum ascenderat ad Dominum; ipse autem : *Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam :* horrendam nimis per semetipsum injuriam sic esse comperit; igitur [ut dignum erat] *pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem*, id est, ignem sulphureum vel sulphur igneum. Quare non qualemcunque ignem, sed ignem pluit sulphureum? Videlicet quia carnes eorum non qualiscunque luxuriæ, sed ejus libidinis igne arserant, quæ est contra naturam. Quia ergo talem carnis C fetorem miserant ad cœlum, recte de cœlo fetorem igneum vel ignem fetidum receperunt. At ille talis ignis, tale illud incendium futuri, ut jam dictum est, judicii, et æterni ignis fuit exemplum. Bene ergo dictum est. *Pluit Dominus* a Domino, quia videlicet judicium illud facere accepit Filius Dominus, a Patre Domino, sicut ipse ait : *Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio* (*Joan.* V).

CAPUT XII.

Quid significet, quod respiciens uxor Lot post se versa est in statuam salis.

Respicienque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. Abraham autem consurgens mane ubi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam et Gomor- D *rham et universam terram regionis illius, viditque ascendentem favillam de terra, quasi fornacis fumum : cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, et liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat.* Sensus litteræ hic est : Respiciens uxor Lot, quia prævaricata est mandatum dicentis : *Salva animam tuam, noli respicere post tergum*, etc., pœna tali punita est, ut obrigesceret et verteretur in statuam salis. Ne autem tale quid obveniret ipsi Lot, Abraham consurgens mane, quia qua hora videlicet cogebant Lot angeli ut egrederetur, et dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus : illa, inquam, hora, consurgens Abraham stetit ubi steterat prius cum Domino, id est, in eadem intentione cordis, dignum ac strenuum agens interces-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

soris officium. Quod protinus ab effectu claruit. *Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, et liberavit Lot.* Quod idem est ac si diceretur : Ex eo constitit Abraham stare coram Domino, quia recordatus est Dominus Abrahæ, et liberavit Lot de subversione urbium, in quibus habitaverat. Porro et juxta manifestam prædictæ allegoriæ claritatem, jam dudum a temporibus apostolorum factum est ut secundum mortalitatem, hodieque fieri non dubium est, illud quod hoc uxoris Lot exemplum prædocet. Aspexit enim retro pars eorum qui de Sodomorum sacrilegiis, id est sanguineis Judæorum cæremoniis exierunt, iterum super Evangelium Christi circumcisionem adducere volentes, et observationes Judaicas cum fide Christi necessarias esse dicentes : Quos ita post tergum respicientes, Apostolus detestans ait : *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octava die, ex genere Israel, de tribu Benjamin ; Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ in lege est conversatus sine querela. Sed quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora.* Et post pauca : *Fratres, ergo me non arbitror comprehendisse : unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora* **98** *extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis* (*Phil.* III). Moraliter quoque quoties stultus ad stultitiam suam, sicut canis ad vomitum suum revertitur (*II Petr.* II), in quocunque ordine vel proposito fuerit, exemplo uxoris Lot in statuam salis convertitur, id est, insensatus quidem et sibimet inutilis efficitur, sed aliis prodest, dum finem ejus attendentes corriguntur, quemadmodum petram salis lingentibus animalibus palatum sapidum redditur, et edendi aviditas reparatur. Proinde Dominus in Evangelio cum dixisset : In illa hora qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa (*Matth.* XXIV) : et qui in agro, similiter non redeat retro, continuo subjunxit : *Mementote uxoris Lot ; quicunque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicunque perdiderit illam, vivificabit eam* (*Luc.* XVII), etc. Bene ergo non in statuam qualemcunque, sed in statuam versa est salis, cujus meminisse proficit ad sapientiam, secundum Evangelium Christi.

CAPUT XIII.

De filiabus Lot, quæ cum patre suo dormierunt.

Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo. Timuerat enim manere in Segor, et mansit in spelunca ipse, et duæ filiæ ejus. Dixitque major ad minorem : Pater noster senex est, etc. Quæritur quare cum primum fugæ montis Segor prætulerit, et eam in habitaculum suum liberari cupiverit, nunc de Segor rursum ad montem migret ? Respondebimus veram illam esse Hebræorum conjecturam de Segor, quod frequenti terræ motu subruta, Bale primum, et postea Salissa appellata sit; timueritque Lot, dicens : Si cum cæteræ adhuc starent urbes, ista subversa est, quanto magis nunc communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis filias etiam dedisse coitus principium. Qui enim cæteras viderat subrui civitates, et hanc stare, seque Dei auxilio erutum, utique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. Illud quoque quod in excusatione filiarum dicitur; eo quod putaverint defecisse humanum genus, et ideo cum patre concubuerint, non excusat patrem. Denique Hebræi quod sequitur : Et nescivit cum dormivisset cum ea, et cum surrexisset ab eo, appingunt desuper quasi incredibile, eo quod rerum natura non capiat coire quempiam nescientem. Notandum tamen quod non dictum sit, non sensit quando coeunt, sed *non sensit* dictum est, *quando accubuit filia, nec quando surrexit.* Sed jam mysticum prosequamur intellectum. *Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte,* etc. Sic profecto plerumque hi, qui per modicam fidem sanctioris propositi celsitudinem, ut supra jam dictum est, arripere non audent, et ad hoc se infirmos esse fatentur, et indignos quodammodo, dicentes singuli illud de Evangelio : *Rogo te, habe me excusatum* (*Luc.* XIV); fortes, imo temerarii sunt ad rapiendum sancti honoris propositum, et injussi aliis in honore regiminis præesse non metuunt, qui jussi vel moniti sibimet in sanctitate vitæ præesse diffisi sunt. Ex qua infidelitate hoc illis consequenter evenit, ut cum filiabus suis incestu nefario commaculentur. Quid enim subjectæ illis plebeculæ, nisi quædam sunt filiæ, quas despondere debuerant, non sibimet, sed uni viro virginem castam exhibere Christo? (*II Cor.* II.) At illi non Christi, sed suam quærentes gloriam, dum quas amant laudes ab illis accipiunt, vinum bibunt filiarum, et inebriati subversione turbida, adulterant verbum Dei, dormitantes, omne malum incaute, nullum bonum caste prædicantes. Inde nati sunt Moab, quod interpretatur *ex patre*, subauditur diabolo, et Ammon, id est, *filius populi mei*, sive populus turbidus, scilicet omnes hæreseos sectæ. Super quibus in Deuteronomio Dominus loquitur : *Ammonites et Moabites etiam post decimam* dictæ plebeculæ (*Deut.* XXIII). *Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos, juxta morem universæ terræ.* Quod est dicere : apostolus vel episcopus noster magnus et sapiens est, et non est præter eum qui digne verbum Dei prædicet inter omnes qui se dicunt apostolos et ministros Christi, vel dispensatores mysteriorum Dei. Ille quilibet hæresiarches, quia supra modum apostolus est, dum delectatur hujusmodi favoribus, profecto malo filiarum vino inebriatur, et ita filios generat, qui usque in æternum Ecclesiam Domini non ingrediantur. Et de hujusmodi ebrioso recte dicas, quia non sensit quando accubuit filia, neque quando surrexit. Nescit enim stultus quod opus ejus spirituale sit adulterium et nefarius concubitus.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Sacerdos enim *et propheta*, inquit Isaias, *nesciérunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino* (*Isa.* XXVIII).

CAPUT XIV.

De eo quod peregrinatus est Abraham in Gerari.

(CAP. XX). — *Profectus inde Abraham in terram australem, habitavit inter Cades et Sur, et peregrinatus est in Gerari. Dixitque de Sara uxore sua : Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Gerari, et tulit eam.* Jamjam nascituro Isaac, cum promissus et ex nomine prænuntiatus esset, peregrinatur jam vice aliena, ita ut tollatur ab eo Sara, dicente illo : *Soror mea est*, et non audente confiteri, quod esset uxor sua. Quid hoc præsignat, nisi quia futurum erat ut prope nascituro Christo, cum jam per prophetas ex nomine prænuntiatus esset, dicentes verbi gratia : *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII), iterum peregrinaretur semen Abrahæ in terra non sua, scilicet in captivitate Babylonica? Tunc enim post peregrinationem Ægyptiam servituti subjecti sunt septuaginta annis, et Saram pene tulit alienigena. Nam præter Danielem et tres ejus socios, nemo ausus ibi confiteri sanctæ legis Dei conjugalia fœdera fuerat, sæviente Nabuchodonosor, et fornace succensa. Porro Gerara civitas metropolis erat Palæstinæ, terminus Chananæorum ad australem plagam inter Chades et Sur, hoc est inter duas solitudines, de quibus jam superius dictum est. Interpretatur autem Gerara *incolatus* sive *advenæ propinquantes*. Abimelech *pater meus rex*, sive *patris mei regnum*, quibus nominibus recte intelliguntur advenæ, id est, gentiles, incolæ futuri regni Dei, de quibus diceret semen Abrahæ, scilicet, Christus, Patris mei regnum, sive Pater meus rex, subauditur, est eorum.

CAPUT XV.

Quod aliter Abimelech, atque aliter Pharaonem corripuit Deus propter Saram uxorem Abrahæ.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam. Et ait : Domine, num gentem ignorantem, et justam **99** *interficies?* etc. Aliter hunc, atque aliter Pharaonem Deus corripuit propter Abraham ; Pharaonem namque flagellavit plagis maximis et domum ejus. Hujus autem satisfactione suscepta dicentis : *Nonne ipse dixit mihi : Soror mea est, et hæc dixit mihi : Frater meus est? In simplicitate mea et munditia manuum mearum feci hoc. Et ego scio*, inquit, *quia per ignorantiam fecisti, et ideirco non permisi te ut tangeres eam.* Siquidem ut Abrahæ semen ab Ægyptia servitute liberaretur, et Ægyptum plagis maximis flagellavit Deus. Ut autem a Babylonica captivitate solveretur, non plagis cæsus, sed divino nutu Cyrus rex Persarum præventus ut transduceret vocem in universo regno suo, etiam per Scripturam dicens : *Hæc dicit Cyrus, rex Persarum : Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso* (*II Par.* XXXVI). *Ascendat Jerusalem quæ est in Judæa, et ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerusalem* (*I Esdr.* I). *Cogitavi mecum dicens : Forsitan non est timor Domini in loco isto, et interficient me propter uxorem meam : alias autem et vere soror mea est, filia patris mei*, etc. De hoc ejus timore, quo et apud Pharaonem timuit, jam superius dictum est. Illud in Sara mirandum fuit, quod in illa ætate cum esset anus, adhuc videbatur appetibilis. Significat autem pulchritudinem divinæ religionis, quæ illo quoque tempore, quando captivi ducti sunt Judæi, videbatur inter gentium errores imitabilis, et æmulabantur eam, quamvis non caste gentes quæ erant in circuitu eorum. Unde scriptum est in libro Machabæorum primo : *Et jejunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinere in capite suo, et dissciderunt vestimenta sua, et expanderunt librum legis, de quibus scrutabantur gentes, similitudinem simulacrorum suorum* (*I Mach.* III), videlicet ut more divinæ legis exhiberent simulacris suis ritum, vel ordinem sacrificiorum.

CAPUT XVI.

De eo quod dictum est : « Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, » etc. Et quid significet quod, orante Abraham, domus Abimelech sanata est.

Saræ autem dixit : *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt. Quocunque perrexeris, memento te esse deprehensam.* Allusit ad appellationem ejus, dicens : *Dedi fratri tuo.* Ac deinceps deprehensæ fatigans pudorem : *Hoc*, inquit, *erit tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt*, tanquam diceret : Quoniam vere frater tuus est, filius patris tui, et non matris tuæ, veraciter dicere poteris ad omnes : Frater meus est, et hoc nomine velabitur, et celabitur, quod ille tuus vir, quod tu uxor ejus sis. Hæc ubi jocose dixit, statim serio subdidit : *Quocunque*, ait, *perrexeris, memento* quod frustra tali nomine oculos tuos velaveris, dicendo quod frater tuus sit, nec enim potuisti aut poteris latere, quod uxor ejus sis, Deo pro te corripiente reges, sicut me corripuit, tuorumque amovit oculorum velamentum, dicendo : *habet enim virum. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem, ancillamque ejus, et pepererunt. Conclauserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abraham.* Et ad hoc præsens mysterium spectat, quod orante Abraham sanata est alienigenæ domus sterilitas. Futurum quippe erat ut, orante sive interpellante semine Abrahæ, scilicet Christo, qui etiam, ut Apostolus ait, interpellat pro nobis (*Rom* VIII), sanaretur gentilitatis sterilitas, et impleretur illud de cantico Annæ prophetissæ : *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est* (*I Reg.* II). Domus namque Abimelech, id est gentium, quorum hodie Deus pater est, Ecclesia est, in qua domo alia est uxor, scilicet quæcunque anima unitur Domino Deo ; alia ancilla, quæ ti-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

more vel pro causa temporali inservit fidei, vel doctrinæ verbo. Omnes tamen pariunt, sive per amorem Deo uniantur, sive per timorem vel temporalem causam fidei verbo inserviant, quia quocunque modo Christus annuntietur, auditores credendo filii Dei sunt.

CAPUT XVII.

De nativitate Isaac.

(Cap. XXI.) *Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat, et implevit quæ locutus est. Concepitque et peperit filium in senectute sua tempore quo prædixerat ei Deus : vocavitque Abraham nomen filii sui Isaac, quem genuit ei Sara. Et circumcidit eum die octavo, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum. Hac quippe ætate patris sui natus est Isaac.* Hoc ad laudem et gloriam veritatis factum est Dei, B quod concepit et peperit Sara filium, fidei pretium, gaudium parentum, domus splendorem, generis decus, posteritatis spem. Idcirco recte præmissum est, *visitavit Dominus Saram, sicut promiserat, et implevit quæ locutus est.* Visitatio namque Dei, larga gratiæ ejus donatio est. Porro ut cœptum prosequamur mysterium, tunc *visitavit Deus Saram* generosam principem illam, quæ desursum est, quæ vere libera et omnium nostrum mater est (*Gal.* IV), quando verus Isaac verum gaudium nostrum, scilicet Christus Filius Dei, de illa secundum carnem natus est. Tunc, inquam, *visitavit* illam Dominus Deus, *sicut promiserat*, et implevit quæ locutus est. Unde in cantico Evangelii Zacharias dicit : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus* (*Luc.* I). Et Apostolus : *Quotquot enim*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo per ipsum amen Deo ad gloriam nostram* (*II Cor.* I). Et hunc peperit Sara illa, tempore quo prædixerat ei Deus. Prædixit enim Deus per quemdam, dicens : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium* (*Gen.* XLIX); et ita factum est. Vix enim ablatum erat sceptrum de Juda, regnante Herode alienigena, et natus est ille de Virgine Maria. *Vocavitque Abraham filium suum Isaac.* De nomine Isaac, quod interpretatur *risus*, quia Christo conveniat, et de octavo circumcisionis die, nec non centenaria ætate Abrahæ, jam superius dictum est.

CAPUT XVIII.

De eo quod dixit Sara : « Risum mihi fecit Deus. » Et quod supernæ matris Jerusalem, Patris quoque Dei risus et gaudium sit Christus.

Dixit Sara : Risum mihi fecit Deus. Quicunque audierit, conridebit mihi. Rursumque ait : Quis auditurus crederet Abraham, **100** *quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam senì ?* Contraria vel repugnantia sibi videntur, *quicunque audierit conridebit mihi*, et *quis auditurus crederet Abraham.* Etenim qui audiens conridet, utique auditui credit, in quo et gaudet ; et econtra, qui audiens non credit, profecto auditui non conridet, aut congaudet. Dixit enim utrumque A *quicunque audierit conridebit mihi* : et *quis auditurus crederet Abraham ?* Igitur prophetice dicta hæc esse intelligi oportet de ortu Isaac futuri, cujus hic forma est, et esse paria prophetiæ Simeonis dicentis, cum illum in ulnis gestaret : *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II). Nam, qui audit et non credit, juxta quod propheta dixit : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est ?* (*Isa.* LIII) ei in ruinam : et qui audiens conridet, et in resurrectionem positus est. Itaque sicut subdivisa dictio est, ita : *Dixitque Sara : Risum mihi fecit Deus, quicunque audierit, conridebit mihi, rursumque ait : Quis auditurus crederet Abraham ;* ita de divisione bonorum et malorum, fidelium et infidelium intelligendum est. Dicat itaque illa, quæ ut jam dictum est, per Saram intelligitur, mater omnium nostrum, Jerusalem libera, quæ sursum est (*Gal.* IV), dicat, inquam, nato sibi vero Isaac, *risum mihi fecit Deus, quicunque audierit conridebit mihi.* Ecce enim vere illi totus conridet orbis, quia filius ejus unicus magnum et verum gaudium toti mundo attulit. Ploret itaque ancilla, quæ est a monte Sina *in servitutem generans* (*ibid.*), ploret, inquam, illa, et filia ejus, quoniam hunc patris et liberæ matris risum odit, quia videlicet jam hæres non erit. O pium desiderium, pia spes, et longa suspiria populi sanctorum, curvi et anheli, utpote longo jam senio provecti, quomodo in gaudium sublevatus, et in risum est dilatatus ? quomodo abstersa est omnis lacryma ab oculis ejus ? C Quomodo risit mater illa Jerusalem, ubi talis illi natus est filius ? Nam, quantam tunc habuerit materiam ridendi, testatur Isaias, cum dicit : *Excutere de pulvere, sede, Jerusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Deus : Propter hoc sciet populus meus nomen meum, in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum* (*Isa.* LII).

CAPUT XIX.

De ablactatione Isaac, et de magno convivio in die ablactationis ejus.

Crevit igitur puer, et ablactatus est : fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. Quid opus erat hoc fieri, vel scribi, nisi quia certi subest pulchritudo mysterii, quæ lactantes adhuc parvulos ad D solidum cibum provocare possit ? Est enim quoddam lac, et quædam infantia, quam verus Isaac, scilicet Christus, cito excessit : quam et supergredi oporteat quemque idoneum imitatorem Christi. In quo qui tardiores existunt redarguuntur per Apostolum dicentem : *Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ. Parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Hanc infantiam puer Jesus spiritualiter excessit, testante Luca, cum dicit : *Et Jesus proficiebat sapientia, ætate apud Deum et homi-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nes (*Luc.* II), non quod aliquid antea nesciret, cum sit ipsa sapientia Dei, sed quia paulatim de carnalibus legis cæremoniis intermittens sermonem, ferebat pueros ad perfectionem. Illic profecto grande convivium est, cum destitutis lacteis, id est infantilibus ritibus, verbi gratia, brutorum animalium sacrificiis, transducit suos ad verum et unicum sacrificium corporis et sanguinis sui. Nam hoc est grande convivium, de quo propheta dicit : *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ* (*Isa.* XXV). Et quia per hoc convivium peccata solvuntur, continuo subsecutus : *Et præcipitabit*, inquit, *in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam ordituset super universas nationes, et præcipitabit mortem in sempiternum* (*ibid.*). Et quia convivator iste verus Isaac, id est verus risus et vera lætitia est, post modicum adjiciens, *iste dominus*, inquit, *sustinuimus eum, exultabimus et lætabimur in salutari ejus* (*ibid.*). Igitur, siquidem simplicem sequaris litteram, lenia sunt hæc ; si autem interiorem sentias spiritum, multum attinuit ad rem narrare, quia *crevit puer, et ablactatus est*, et quia *fecit Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.*

CAPUT XX.

De ludo Ismaelis cum Isaac, et de eo quod dictum est : « Ejice ancillam, » etc.

Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ, ludentem cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc et filium ejus ; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Notum ac celeberrimum hunc locum expositio fecit Apostoli scribentis ad Galatas : *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera ; sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera, per repromissionem* (*Gal.* IV). Et post pauca : *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura ? Ejice ancillam et filium ejus* (*ibid.*) etc. Sane, secundum litteram, quid de hoc ludo Hebræi opinati sunt jam superius dictum est, scilicet, vel quod manibus suis idola formaret e ludo Ismael, vel quod, ut majoris erat ætatis, joco sibi primogenita vindicaret. Porro juxta sensum mysticum jam dictum Apostolus ludum istum persecutionem appellat, cujus in similitudinem tunc temporis carnales Judæi et carnalis circumcisio spiritualem Judaismum et spiritualem circumcisionem impugnabant. Igitur ablactato Isaac ludentem cum illo Ismaelem Sara non tulit, quia videlicet transacta dispensatione ministerii, quo pro hominibus functus est, factus sub lege Filius Dei, cum illuderet populus carnalis, permanens in vetustate litteræ, novis et spiritualibus filiis, scilicet Christi discipulis, non tulit hoc sanctus novæ gratiæ Spiritus, et dixit : *Ejice ancillam hanc et filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Qualiter vero ejiciatur ancilla et filius ejus, subinde apostolus idem aperuit : *Ecce*, inquit, *ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* V) etc.

Amplius autem in eo ancilla vel filius ejus ejicitur, ne ludat cum Isaac, quod Jerusalem illa, quæ serviebat cum filiis suis, et famosissimum illum templum Dei destruitur, et populus ille captivus in omnes gentes ducitur, **101** et sic totus ordo servilium cæremoniarum dissipatur : quod factum est sub Vespasiano et Tito, principibus Romanorum, videlicet ne novæ legis Ecclesiæ, vetus Synagoga tunc vehementius insultaret, sic in statu pristino perseveraret, quæ nunc etiam sic ejecta superbire, et primogenita sibi vel filio suo ascribere audet. Illam utique ejectionem idcirco passus est ille filius ancillæ, quia lusit, quia filium liberæ Christum regem, totius libertatis principem, illusit, flagellavit, crucifixit et occidit ; et deinde domesticos ejus, libertos ejus male pertinaci ludo persecutus est.

CAPUT XXI.

Item de eadem re, et quid significet quod filius ancillæ ejicitur.

Dure hoc accepit Abraham pro filio suo. Cui dixit Dominus : Non tibi videatur asperum super filio et super ancilla tua. Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Per Abraham, ut jam sæpe dictum est, sanctos intelligimus Patres, Abrahæ non solum per carnem, sed etiam per fidem hæredes, quales Petrus, Paulus, et cæteri apostoli tunc temporis fuere, quando hæc ancilla cum filio suo ejecta est. Nam revera hi *dure* acceperunt imperium dicentis : *Ejice ancillam hanc et filium ejus.* Dicit enim unus ex his, Paulus apostolus : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto ; quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX). Verumtamen quoquomodo id accipiat hic Abraham, ancillam hanc cum filio suo ejici oportebat. Dixit enim illi Dominus : *Non tibi videatur asperum, super filio et super ancilla tua ; omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Numquid juxta litteram legitimum est, ut vir voci uxoris suæ, et non potius uxor viri sui voci obaudiat ? Ergo juxta mysticum potius sensum, Abraham omnia quæcunque dicit Sara, vocem ejus audiat, id est prædicatorum vel apostolorum chorus, omnia quæcunque dicit sancta et prophetica Scriptura, de Judæis et gentibus, vocem ejus audiat. Quod et facit, dum illius lusoris, id est Judaici populi, importunitate fatigatus, dicit : *Vobis quidem oportebat primum*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prædicari verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). Sic enim præcepit nobis Dominus : *Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* (*Isa.* XLIX). Igitur ad vocem Saræ ancilla cum filio suo ejicitur, cum ex auctoritate Scripturæ populus carnalis pro perfidia sua foris relinquitur : *Quia in Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen.* Etsi plures fuerint concubinarum vel carnis filii, in *Isaac*, qui non secundum carnem, sed per repromissionem natus est, *vocabitur tibi semen.* Ex illo namque nascetur, qui vocabitur semen tuum, illud videlicet semen, in quo, sicut promisi tibi, benedicentur, et semen tuum vocabuntur omnes gentes. Omnes enim sunt Isaac, qui nascuntur tibi, non secundum carnem, sed secundum fidem : sicut Isaac non secundum carnem natus est, sed secundum repromissionem. Sic enim et Apostolus exponit, qui cum dixisset : *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ ; neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii :* statim hoc testimonium intulit : *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Et hoc ipsum aperiens subjunxit, *id est, non qui filii carnis, hi filii Dei* dicuntur; *sed qui filii promissionis, æstimantur in semine* (*Rom.* IX). *Sed et filium ancillæ*, inquit, *faciam in gentem magnam, quia semen tuum est ;* semen tuum, inquit, est, non tamen dixit, *in illo vocabitur tibi semen;* nec enim tale semen est, quod vocetur id quod notum ex nomine apud Deum habeatur. Verumtamen et hic filius ancillæ, qui prædicto modo ejectus est, futurus est *in gentem magnam*, quæ digne vocetur et nominetur Abrahæ semen, scilicet, cum plenitudo gentium subintroierit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI).

CAPUT XXII.

Quid mystice significet, quod « tollens Abraham panem et utrem aquæ imposuit scapulæ ejus. »

Surrexit igitur Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum et dimisit eam. Quæ, cum abiisset, errabat in solitudinem Bersabee. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erat, et abiit. Seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere. Dixit enim : Non videbo morientem puerum, et sedens contra, levavit vocem suam et flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri. Postquam lusit filius ancillæ cum filio liberæ, mane surgens Abraham emisit ancillam et filium ejus, quia, postquam illusit Christo, ut supra jam dictum est, Judaici populi servilis nequitia, matutina resurrectione celebrata, de domo et hæreditate patris Abrahæ, projecta cum suis alumnis est Synagoga. Quomodo vero emisit ancillam illam? *Panem et utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum et dimisit eam.* Ergone sic avarus fuit dives ille regum victor, trecentorum decem et octo vernaculorum dominus, ut præter *panem et utrem aquæ* nihil filio donaret, quem tristis ejiciebat, nec saltem unum illi asellum commodaret, sed ea *scapulæ* matris imponeret? An adhuc et ipse puer, imo juvenculus, quem annorum non minus, quam octodecim jam esse vel fuisse non dubium est, cum utre aquæ matris quoque cervicibus insedit, quia sic dictum est, *cum consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter arborem unam, et abiit.* Igitur in his quæ tam ridicula videntur, littera servit spiritui, et ea sub vili textu sermonis futura præcinit, quæ nunc præsentia totus aspicit orbis. Ejecta namque ancilla, panem non qualemcunque, sed panem hordeaceum, et utrem non vini sed aquæ in scapula portat, sub onere curva, quia videlicet Synagoga, hæreditate patris Abrahæ perdita, solum litteralem legis sensum bajulans, sub onere importabili anhelat. Nam importabile esse onus occidentis litteræ, Petrus quoque apostolus testatur, cum dicit : *Quid tentatis cervicibus discipulorum imponere jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* (*Act.* XV). Bene igitur non vini, sed aquæ utrem, neque saltem asello, sed *scapulæ ejus imposuit ;* et puerum, quem deficiente aqua ipsa, per desertum oberrans moribundum subter arborem infeliciter abjiceret, tradidit; quia videlicet sic futurum erat, ut ejecta et a Deo deserta Synagoga, carnali legis scientia magis onerata quam refecta incederet : et filios suos, in peccato suo morientes, subter arborem crucis abjiceret, perseverante **102** sententia super illos, quam edixit mater crudelissima : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII).

CAPUT XXIII.

Item quid significet quod vocavit angelus Domini Agar, aperuitque oculos ejus Deus, ut videret puteum aquæ.

Vocavitque angelus Domini Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar? noli timere. Exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est : Surge, tolle puerum, et tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum, aperuitque oculos ejus Deus. Quæ videns puteum aquæ, abiit et implevit utrem deditque puero bibere, et fuit cum eo. Hoc tandem futurum est, cum plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* XI). Tunc enim vocabit angelus magni consilii Synagogam dicens : *Quid agis, Agar?* id est, adversa vel conversa, *noli timere*, etc., et aperiet oculos ejus, amoto velamine quod nunc positum est super cor eorum (*II Cor.* III), et vero intellectu videbit puteum Scripturarum, puteum aquarum viventium, dabitque filio suo potum, id est verum Scripturarum auditoribus suis propinabit intellectum. Notandum quod non dictum sit, exaudivit Deus vocem Agar, cum ipsa levaverit vocem suam et fleverit, sed *exaudivit Deus vocem pueri.* Denique mater ipsa non suam, sed filii mortem deplorabat. Pepercit igitur Deus ei pro quo fuerat et fletus. Ex eo quod ait, *surge, et accipe puerum, et tene manum ejus*, manifestum est eum non oneri matri fuisse, sed comitem. Quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratur affectus. Verumtamen supra prudenter sic Scriptura dicit, *abjecit puerum*, tanquam ille matris cervicibus insederit, quia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

videlicet nunc interim, donec Synagogam, ut prædictum est, vocet angelus Domini, oneri est indoctus populus Pharisæorum, et Scribarum suorum Synagogæ, et pro eorum, quos erudire putatur, perditione premitur ampliori damnatione.

CAPUT XXIV.

De fœdere pacto inter Abraham et Abimelech, et quid mystice significet.

Eodem tempore dixit Abimelech et Phicol princeps exercitus ejus ad Abraham : Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi et posteris meis, stirpique meæ. Sed juxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi et terræ in qua versatus est advena. Notandum in primis, et ex prioribus et ex præsenti loco, quod Isaac non sit natus in terra promissionis, sed in Geraris Metropoli Palæstinorum, ubi et Bersabee oppidum habebatur. Quod et ipsum a mysterio non vacat. Christus enim sub imperio Romano natus est, et erat populus Dei sub principibus alienigenis et tributis serviens. Natus est ergo in Geraris, quæ metropolis erat Palæstinorum, id est ruentium, et Romam significat, quæ mater futura erat et regina pereuntium. Nec movere debet quod, cum supra dixerimus, peregrinationem, qua peregrinatus est Abraham in Geraris, signum fuisse Babylonicæ captivitatis, nunc dicamus illud, quod natus est Isaac in Geraris, significasse quod Christus sub servitio nasciturus erat Romani imperii : Roma namque erat altera Babylonia, Unde Petrus in Epistola sua : *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia quæ est in Babylone collecta* (*I Petr.* v), Romam tropice designans. Sciendum quippe quod quando Babylonia illa, a Medis et Persis subversa est, tunc Roma condita vel nata est, et ab illa captivitate usque ad Christum, pene una et jugis fuit servitus Judæorum. Nam ex quo illuc captivi cum rege suo ducti sunt, nunquam regem legitime habuerunt, neque jugo gentium caruerunt, sed languente, et paulatim decidente statu ducum, et sacerdotum conflictantium, tandem alienigenam regem Herodem, sub quo Christus natus est, sortiti sunt. Bene igitur Abraham, ex quo illi Isaac ex nomine repromissus est, usque ad nativitatem vel ablactationem ejus sub Abimelech in Geraris peregrinatus est, quia videlicet a temporibus prophetarum, per quos Christus prænuntiatus est, usque ad nativitatem ipsius, regnum temporale Judæorum sub jugo gentium, pene continuo detritum est. Verum, postquam Isaac ablactatus et filius ancillæ ejectus est, Ahimelech et Phicol princeps exercitus ejus veniunt ad Abraham, confitentes quod Deus cum illo sit in universis quæ agit, et rogantes eum, atque dicentes : *Jura per Dominum ut non noceas nobis*, etc. Postquam enim Synagoga, cui primum oportebat loqui verbum Dei, repulit illud, et indignam se judicavit æternæ vitæ, apostoli ad gentes conversi sunt (*Act.* xiii), imo et gentilium nonnulli ultro ad eos venerunt, quodammodo dicentes : Deus vobiscum est in universis quæ agitis. Jurate ergo A nobis per Deum, ut non noceatis nobis et posteris nostris, stirpique nostræ. Nam, quando gentes confessionem fidei sanctis apostolis obtulerunt, et ab illis Patribus consilium quæsierunt, quomodo et in præsenti peccatorum remissionem acciperent, et in posterum in ultimum judicium evaderent, similia his et pene eadem dixerunt. Et per Ahimelech quidem, quod interpretatur *pater meus rex*, vel *patris mei regnum*, multitudo intelligitur gentium, quas fecit Christus esse Patris sui regnum. Per Phicol vero principem militiæ, quod interpretatur *os omnium*, principes bellicarum virium, id est, duces, reges vel imperatores, cæteræque potestates, qui et ipsi fidem Christi consecuti sunt, et os omnium ad confitendum verum Deum, licentia vel auctoritate B sua latius aperuerunt.

CAPUT XXV.

Puteus quem vi abstulerant servi Abimelech, quid mystice significet.

Dixitque Abraham : Ego jurabo. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius. Respondit Abimelech : Nescivi quis fecerit hanc rem, sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi, præter hodie. Antequam juret, causam omnem simultatis determinat, ne qua præteriti motus scintilla subsideat, et pro puteo aquæ vir tantus regem increpat, quia videlicet non res indigna erat, præsertim in illis terris, ubi naturaliter magna vivæ aquæ penuria est. Porro mystice puteus aquæ, quem vi abstulerant servi Abimelech, sacra Scriptura est, C quam philosophi gentium vi abstulerant, id est, non recto sensu, sine prædicatore, et sine Dei Spiritu, legentes diripuerant, verbi gratia, Plato, cum in Timæo formationem mundi de principio hujus libri Geneseos furatus, subdole atque perverse alia pro aliis dixit. Itaque pro hujusmodi puteo Abraham increpavit Abimelech, exempli causa, quando Paulus apostolus stans in medio Areopagi, ait : *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo* **103** *ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis* (*Act.* xvii). Et post pauca : *In ipso enim vivimus, et movemur et sumus sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*ibid.*). *Nescivi*, inquit, D *quis fecerit hanc rem, sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi, præter hodie.* Plena et sufficiens excusatio, tribus partibus perfecta est; nam in omni quæstione, cum de facto agitur, parum est, ad conscientiæ puritatem, scire a quo factum est, cum scieris an factum, vel quid factum sit, præsertim si tacendo consensisse videaris. Cunctis ergo culpæ partibus rationabiliter se exuit, cum ad summum dicit : *Et ego non audivi præter hodie.* Hæc et supradicti Athenienses et cæteræ poterant dicere nationes : Nos nescimus hanc rem, sed et nullus patriarcharum aut prophetarum indicavit nobis, et non audivimus præter hodie. Nam et hoc idem Apostolo dixerunt : *Nova enim infers auribus nostris* (*ibid.*).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXVI.

Quid sibi velint septem agnæ, quas fecit Abraham stare seorsum, mystice.

Tulit igitur *Abraham oves et boves, et dedit Abimelech, percusseruntque ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech : Quid sibi volunt septem agnæ istæ quas stare fecisti seorsum? At ille : Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint in testimonium mihi quoniam ego fodi puteum istum.* Oves quas dedit Abrahæ Abimelech agniculos pariunt, et dulci lacte teneros fetus alunt; boves autem nunc in area triturant, nunc vertendo terram operantur, et ponem educunt ad cor hominis confirmandum. Scimus enim quia Patres apostoli singulis populis, vel civitatibus magistros, et rectores majores pariter et minores ordinaverunt : qui, et tanquam oves lacte, id est inchoationis sermone, parvulos auditores imbuerent, et tanquam boves, de qualibus Apostolo teste, lex dicit : *Non alligabis os bovi triturauti* (*I Cor.* IX; *Deut.* XXV), solido pane cibarent eos, qui, pro consuetudine exercitatos sensus habentes, feruntur ad perfectionem. Hoc modo Abraham et Abimelech, id est Patres qui ex Judæis erant, et gentes, fœdus percusserunt, et in unam domum sociati sunt, mediante angulari lapide Christo, *qui facit utraque unum, ut duos condat in semetipso* (*Ephes.* II), in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem *interficiens inimicitias in semetipso* (*ibid.*). Porro septem agnæ, quæ in percussione fœderis seorsum constituuntur, septiformem significant gratiam Spiritus sancti, cujus nobis in baptismo, quo in Christo fœderamur, dona distribuuntur. Quæ videlicet agnæ seorsum constituuntur, quia profecto non in potestate hominis sunt dona Spiritus sancti. Etenim baptismum quidem aquæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnes æqualiter per officium ecclesiasticum exhibemus; ipsius autem sancti Spiritus dona, non qualia vel quanta volumus damus aut accipimus, sed ipse *Spiritus* sanctus *operatur omnia, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Quidquid autem loquitur aut operatur per nos hic septiformis Spiritus testimonium verum est, quod pater Abraham foderit puteum istum, id est quod secundum semen suum, quod est Christus, condiderit, atque compleverit omnem veritatem Scripturarum. Bene ergo dictum est, *ut sint in testimonium mihi, quia ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus iste Bersabee, quia ibi uterque juravit. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. Surrexit autem Abimelech, et Phicol princeps militiæ ejus, et reversi sunt in terram Palæstinorum.* Ubi hic legitur puteus juramenti, in Hebræo habetur *Bersabee*. Duplex autem est causa cur ita appellatus sit, sive quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ accepit; septem enim dicuntur *sabee*, sive quod ibi juraverit, quia *juramentum* sabee similiter appellatur. Quod si ante hanc causam supra nomen hoc legimus, sciamus per prolepsim dictum esse, sicut et Bethel et Galgala, quæ utique usque ad tempus quo ita appellatæ sunt, vocabantur aliter.

CAPUT XXVII.

Ad mysterium pertinere quod plantavit Abraham nemus in Bersabee.

Abraham vero plantavit nemus in Bersabee et invocavit ibi nomen Domini, Dei æterni. Et fuit colonus terræ Philistinorum diebus multis. Et hoc utique ad mysterium pertinet; nam Abrahæ fides a Judæis translata, et in gentibus plantata, grande ex diversis hominibus tanquam de diversis lignis nemus effecit ad invocandum ibi nomen Domini Dei æterni, quale et per prophetam Isaiam Deus ipse desertæ gentilitati promittens, hoc modo, diversa diversorum merita distinxit : *Dabo in solitudine cedrum, et spinam et myrtum, et lignum olivæ. Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul, ut videant, ut sciant, et recogitent pariter* (*Isa.* XLI). In nemore hujusmodi, usque hodie invocatur secundum fidem Abrahæ nomen Domini æterni, et ita rejecta terra populi sui Judaici, colonus est Abraham terræ Philisthinorum, quod interpretatur *potione cadentium*, quales prius fuimus nos; nunc autem fixæ et pulchræ sumus plantationes Domini, juxta Apostolum, qui cum præterita vitia nostra tetigisset : *Et hæc quidem*, inquit, *fuistis, sed ablati estis, sed sanctificati estis, et justificati estis in nomine Domini nostri Jesu in Spiritu Dei nostri* (*I Cor.* VI).

CAPUT XXVIII.

De tentatione qua tentavit Deus Abraham, dicens : « Tolle filium tuum, » etc.

(CAP. XXII.) Quæ postquam gesta sunt, *tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum :* Abraham, Abraham. *Et ille respondit : Adsum; ait illi : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram Visionis, atque offeres eum ibi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Thesaurum fidei et timoris Domini, quem in exemplum bonum nobis filiis suis hic pater multarum gentium thesaurizavit, examinator cordium Deus occultum esse noluit, sed hactenus longa peregrinatione, et diuturna seminis sui exspectatione satis spectatum, adhuc uno tentationis incendio, validissime conflagrare curavit. Ex hac namque fortissima tentatione fides ejus splendidissima rutilat, Apostolo teste, cum dicit : *Fide Abraham obtulit Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus* (*Hebr.* XI). Item : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII), qui ex amore descendit, ex isto clarius splenduit, ipso testante Domino, cum postmodum dicit : *Nunc cognovi quod timeas Dominum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Recte igitur scriptor hic præfatus est, dicens : **104** *Tentavit Deus Abraham*, videlicet non ut ipse sciret, quem nulla cogitatio latet; sed ne ignoraremus nos futuri filii, qualis ille

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fuerit Pater, cujus nobis fides ad imitandum proposita est. Sic negotiatori quærenti quæque pretiosa, venditor sedulus quidquid libet examinat, non ut ipse quæ vendit cognoscat, sed ne emptor dubitet dare omnia sua et comparare illa. Verba tentantis hæc sunt : *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram Visionis, atque offeres eum ibi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Filium unigenitum hic appellat, et addit, *quem diligis*, et ex nomine Isaac expressit, videlicet, ne parum præsentes adessent patris affectus sui in ipso articulo tantæ hujus tentationis. Ubi nunc dicitur *in terra Visionis*, in Hebræo habetur *Moria*. Aiunt Hebræi hunc montem esse in quo postea templum conditum est, in area Ornam Jebusæi, sicut et in Paralipomenon scriptum est : *Et cœperunt ædificare templum, in secunda die mensis, in monte Moria* (*II Par.* III). Qui ideirco *illuminans* interpretatur, *et lucens*, quia ibi est Dabir, hoc est oraculum Dei et lex et Sanctus spiritus, qui docet homines veritatem, et inspirat prophetas. Verumtamen quid opus est ab Hebræis nominis hujus, id est terræ, vel montis Visionis etymologiam dubitabilem quærere, aut ut opinabilem investigare, cum ex præsenti loco Scripturæ manifeste constet, propter præsentiam sive respectum gratiæ Dei, Abraham locum illum appellasse nomine eodem? Nam quia Dei tentantis oculos super se apertos atque defixos præcordialiter sensit, clamante angelo Domini, cum arripuisset gladium : *Abraham, non extendas manum tuam super puerum*, et : *Nunc cognovi quia times Deum*, deinde subjungitur : *Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt : Unde usque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.* Constat ergo quod ob causam prædictam jubilans atque ineffabiliter gratulabundus Abraham, illum suæ lætitiæ locum Visionis nomine signavit, in quo visum se esse a Domino veraciter confiteri potuit. Itaque sicut cætera multa, sic et hoc per anticipationem paulo ante dictum est, *vade in terram*, cum additamento nominis hujus, id est *Visionis*.

CAPUT XXIX.

Item de eadem re, et quod mons, in quo postea fundatum est templum, is fuerit ad quem immolandus ductus est Isaac.

Igitur Abraham, de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros suos : Expectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Quia timorem Domini sibi ante oculos proposuerat, ideirco mox, audito jubentis imperio, vicino obedientiæ pede moram pati nescivit in faciendo. *De nocte consurgens*, et sternens asinum suum. Porro asini nomine non rusticitas, sive ignobilis paupertas tanti viri detegitur, quem magnum et inclytum sive divitem fuisse non ignoramus; quippe quem et tot regum victorem supra legimus. Sed uno asini nomine quodlibet subjectionis genus commode signatur, non solum propter Latinam nominis etymologiam, quia asinus ab assidendo dicitur, verum et propter hujus animantis naturam, quod magis servile et magis oneriferum est. *Die tertio*, inquit, *vidit locum procul.* Notandum quod de Geraris usque ad montem Moria, id est sedem templi, iter dierum trium sit, et consequenter illuc die tertio pervenisse dicatur. Mysse igitur quidam dicunt Abraham illo tempore ad quercum habitasse Mambre, hoc est in Hebron, cum inde usque ad montem Moria vix unius diei iter plenum sit. Nec vero fallaciter, sed fideliter dixit : *Expectate hic cum asino. Postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, credendo scilicet quod et a mortuis Deus immolatum puerum illum sibi suscitare posset. Jam quoniam ea quæ sequuntur secundum litteram patentia sunt, nunc, ut sapias medullitus, et in Abraham, cujus præceptum, et in Isaac, cujus obedientia præfigurata sit, altius intueri libet quid potissimum Deus intenderit in opere famosæ hujus tentationis. Nec enim satis est dixisse quod ut cognosceret, id est cognoscere nos faceret, quantum haberet Abraham timorem Domini, ideirco sic illum tentavit, præsertim cum protinus ubi dixit, *nunc cognovi quia timeas Deum*, continuo subjunxerit, *per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi*, etc.

CAPUT XXX.

Item cur Deus tentaverit Abraham, et quod non absque justitia et sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, et quia sic homo dilexit Deum ut filium suum unigenitum daret.

Nunquid enim noluus illam hominis fortitudinem Deus incidit ut necesse sibi esset interponere juramentum, ut ratio compelleret Deum jurare homini per semetipsum, quia majorem se non noverat alium? *Homines enim*, inquit Apostolus, *per majores sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. Abrahæ autem promittens Deus, quoniam neminem habuit majorem se per quem juraret, juravit per semetipsum* (*Hebr.* VI). Num, inquam, Deus invitus, aut imprudens adigi potuit ad juramentum hujusmodi? Non utique, sed volens et providens tentando magnam in gravi causa, Deus homini præparavit victoriam, quam et sanctus Job suspirans ait ad eumdem Deum : *Desiderium meum, Omnipotens, audi, et tribue mihi auditorem, qui æquitatem proponat contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum* (*Job.* XXXI). Nam proposuerat quidem Deus per multam misericordiam præjudicati in Adam generis humani judicium, per Christum adducere ad victoriam, sed absque judicio vel justitia facere misericordiam, non cadit in Deum. Unde et Psalmista : *Misericordiam*, inquit, *et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C). Item : *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam* (*Psal.* LXXXVIII). Et alibi : *Misericors Deus et justus* (*Psal.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CXIV). Et multa in hunc modum, testantia non dissociata esse in Deo misericordiam et judicium, sive veritatem et mansuetudinem. Ut ergo omnino ex sola misericordia staret salus hominis, sed misericordia et veritas obviarent sibi, quæsivit misericors Deus capitulum in homine, per quod posset juste debitor ipse teneri, quæsivit, inquam, ab homine unigenitum sibi filium immolari, ut suum ipse Filium justa vicissitudine deberet homini. Igitur cum dicit idem Filius in Evangelio suo : *Sic enim dilexit Deus mundum ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III), non est dilectio remissa, vel misericordia carens justitia. Nam et homo sic timuit Deum ut offerre illi non dubitaverit filium suum unigenitum. **105** Proinde in hoc maxime facto puer Isaac recte unigeniti Filii Dei figuram tenere creditur, quem habebat unigenitum pater excelsus, et in eo pater multarum gentium est effectus, quem cum diligeret, non pepercit illi propter Deum, quem miro modo immolavit, et tamen non tetigit gladio. Sed arietem videns inter vepres hærentem cornibus, assumpsit, et obtulit holocaustum pro filio. Sic enim Deus Pater *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII), qui tamen secundum naturam, qua Deus est, mori non potuit, sed ea immortaliter atque impassibiliter permanente, secundum naturam hominis, quam assumpsit, inter vepres, id est inter scelera Judæorum, clavis nærens cornua crucis, vere passus, vere mortuus, et vere sepultus est.

CAPUT XXXI.

Quid significet quod Isaac pater duxit ad immolandum; quid per ignem, gladium, quod portavit Isaac, ligna, et quod pater filium colligavit, intelligatur.

Hunc Isaac pater duos habens pueros, ducit ad immolandum, quia videlicet jam dictum Filium suum Deus Pater, cum utriusque, Novi scilicet et Veteris Testamenti, consonantibus præconiis tradidit ad passionem pro salute omnium. Et exspectate hic, inquit, donec revertamur ad vos, quia profecto in illa hora, voces omnium Scripturarum conticuerunt, ita ut nullus ei perhiberet testimonium, nec ipse saltem sua voce per qualiacunque repugnaret Scripturæ testimonia, scilicet ne crucis differretur utilitas. Quid porro est quod *tulit* pater *ligna holocausti et imposuit super Isaac filium suum; ipse vero portabat ignem et gladium?* Quid inquam, nisi quod ipse Dominus noster, juxta Joannis Evangelium, bajulavit crucem suam? Sic enim ait : Quia *exivit* Jesus, *bajulans* ipse *sibi crucem* (*Joan.* XIX). Bene ergo Isaac ligna portat holocausti sui, quia Christus ipse bajulaturus erat lignum suæ passionis. *Ipse vero portabat ignem et gladium.* Per ignem Spiritus sanctus recte intelligitur, per quem semetipsum obtulit Filius Dei, testante Apostolo, cum dicit : *Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (*Hebr.* IX). Gladius vero non solum mortem, sed et potestatem significat imperialem. Gladium ergo pater ipse portabat, quia videlicet in manu fuit non Judæorum, sed Dei Patris gladius, id est potestas Dominicæ mortis, ubi, quando, vel quo mortis genere deberet interimi. Ignem quoque portabat holocausti, quia profecto sicut Filius per Spiritum sanctum semetipsum obtulit, sic et Pater per eumdem charitatis Spiritum, proprium Filium suum pro nobis omnibus tradidit. *Cumque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum*, mira videlicet patientia, subjectum et pro voluntate patris sustinentem intentatæ mortis tormentum. Ergone et Deus Pater suum colligavit Filium? Colligavit plane : verum non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio, ne seipsum defenderet, ne oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret. Nam hoc est quod in psalmo canit ipse : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me* (*Psal.* LXXII). Hæc omnia sustinens Isaac soli tandem ictui gladii subducitur, et aries, ut jam dictum est, pro illo immolatur, quia, videlicet risus cœlorum, ille *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I) secundum naturam, qua Patris risus et angelorum sanctorum gaudium est, mortem nullatenus admisit, licet, secundum naturam, qua nostri est similis, vere mortuus fuerit.

CAPUT XXXII.

Quomodo usque hodie in monte Visionis, id est sancta Ecclesia, verus Isaac Christus in sacramento immoletur.

Pulcherrimum atque sanctissimum est persentiscere quemadmodum et usque hodie in monte Visionis, id est in sancta catholica Ecclesia, extra quam nemo unquam Deum videbit, offeratur jugiter idem Filius Deo Patri, et tamen immortalis perseveret atque impassibilis. Etenim huic immolationi jure assimilatur sacrificium patriarchæ pii ac fidelis, quia videlicet sicut illuc, ita et hic non sanguis funditur filii trucidati manibus crudelium, sed vivus atque integer permanens Deo Patri Filius idem et manibus præsentatur, et ore sumitur fidelium. Ergo in hoc sancto sacrificio sacerdotalis ordo ipse est pater Abraham, pater, inquam, multarum gentium, quia profecto per ministerium paternitatis ejus, multæ gentes Deo regeneratæ sunt. Quemcunque ad sanctum altare divina vocat gratia, fidemque ejus electio sancti Spiritus sacerdotali dignitate remunerat, eo ipso quod vocatur et eligitur ad tale munus, profecto jubetur illi ut tollat filium suum quem diligit Isaac, eumque Domino in terra Visionis in holocaustum offerat. Sic enim veraciter dictum nullus ambigit : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est* (*Matth.* XII). Cur sacerdos vel pontifex, cujus et in corde per fidem Christus habitat, et ex ore ejus prædicantis concipitur in audientis anima, cur, inquam, hic talis eumdem Christum suum filium appellare dubitet? *Abraham ergo de nocte consurgens, sternit asinum suum*, quia sacerdos Dei, omnia dedecoris abjiciens, premit et subjugat omnem irrationabilem carnis suæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

motum, *ne forte*, inquiens, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Duxit et duos pueros secum, id est Vetus pariter et Novum recipit Testamentum. *Omnis* enim *scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII). Portat quoque ignem et gladium, quia profecto sine igne Spiritus sancti nemo dignus est ad tantum accedere mysterium et sine gladio verbi non immolatur hoc salutis holocaustum. Adest Christus præsens tanquam Isaac, juxta veritatem suam, qua dicit : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Duo pueri jussi subsistunt. Etenim in hora sacrificii voces utriusque Testamenti, quæ canendo atque legendo comitatæ fuerant, pariter conticescunt. Summum namque præstandum silentium est, ut Christi Domini nostri passio sic per solum sacerdotem celebretur, sicut ille fugientibus omnibus suis, relictus et solus, et, *torcular*, inquit, *calcavi solus* (*Isa.* LXIII). Qui si, ut jam dictum est, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, illic est, quomodo in tali congregationis causa non adest? imo totus adest, totus sancto incumbit altari, non ut iterum patiatur, sed ut fidei, cui præsentia sunt omnia præterita, ejus passio memoriter repræsentetur. Ita Christus, et iterum immolatur, et tamen impassibilis permanet et vivus, quemadmodum illic Isaac immolatus, et tamen gladio non est attactus. Frangitur pro illo panis, et comeditur; sed licet ille panis jam sit ipse Christus, Christus tamen integer permanet et vivus. Quomodo, **106** inquis, panis qui videtur, est Christus? Ad hæc inquam(165) : Quòmodo quælibet metalli species, verbi gratia, aurum sive argentum, valido igne conflatum atque resolutum, revera et aurum est, et ignis quoque dicitur et est. Etenim aurum videtur et est quod erat, et tamen verissime ignis dicitur, et est quod non erat. Idcirco sic omnino panis admotus vel immersus terribili atque ineffabili mysterio passionis Christi, adhuc panis videtur esse quod erat, et tamen in veritate Christus est, quod non erat. Igitur sicut ignis, licet divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit, sic panis iste solemni fractione divisus, non minus in singulis partibus, quam in toto habet sacramenti aut virtutis, quin omnia peccata consumat, si habeat pabulum fidei, quemadmodum parva licet ignis scintilla, si fomenta ignis non desint, magnam silvam comburit. Et quidem quoniam holocaustum, totum incensum dicitur, hoc vero sacrificium Dominicæ passionis holocaustum est, de quo Psalmista : *Et holocaustum tuum*, inquit, *pingue fiat* (*Psal.* XIX), congrue nunc et e vicino, scilicet de igne corporeo ad ignem incorporeum et invisibilem, similitudo sumpta est. Verum de hac re multum tractare nunc locus non est. Hoc solum ad præsentem causam pertinet quod sicut Isaac ille immolatus, et non tamen occisus est, sic et Christus hic immolatur quidem, sed impassibiliter sacrificatur et immortaliter.

CAPUT XXXIII.

De repromissione Dei, et de eo quod dictum est. « *Possidebit Semen tuum portas inimicorum suorum.* »

Cum clamasset angelus Domini de cœlo, et, sicut jam superius dictum est, per semetipsum jurasset, quia neminem per quem juraret habuit majorem, dixissetque : *Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris*, de quibus, scilicet stellis cœli et arena maris, jam alio loco diximus, hoc quoque subjunxit : *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Hoc verbum promissionis de benedicendis gentibus in semine ejus, nunc vice altera Dominus locutus est. Nam et in primordio quando dixit illi : *Egredere de terra, et de cognatione tua*, hoc promisit, dicens : *Atque in te benedicentur universæ cognationes terræ* (*Gen.* XII). Proinde quia semel et iterum hoc promisit Deus, recte promissio jam dicitur, differt tamen aliquantisper. Ubi nullum adhuc Abrahæ præcesserat meritum, tantummodo promisit : ubi vero jam per obedientiam emeritus est, cum interpositione juramenti repromisit, *ut per duas res immobiles*, inquit Apostolus, *quibus im possibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem* (*Hebr.* VI). Nam et hoc ad nos respicit, quod *appellavit* Abraham *nomen loci illius, Dominus videt. Unde dicitur usque hodie : In monte Dominus videbit.* Hoc nempe apud Hebræos exivit in proverbium, ut, *si quando in angustia constituti sunt, Domini optent auxilio sublevari, dicant* « *in monte Dominus videbit,* » *et hoc est, sicut Abrahæ misertus est, miserebitur et nostri.* Unde et in signum dati arietis, solent etiam nunc cornu clangere. Juramento ergo interposito auxit quoque benedictionem, sic : *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Portæ inimicorum, potestates sunt tenebrarum, quas semen Abrahæ, Christus nunc possidet, juxta quod ipse prælocutus est : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* (*Matth.* XII; *Luc.* XI). Hoc autem per passionem et mortem ejus actum est. *Suscitavit* enim *illum Deus* a mortuis, *solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II). Bene ergo hoc loco, ubi immolatus est Isaac, primum ait, *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, et deinde, *atque in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, quia videlicet sic futurum erat, ut, immolato Christo, primum inimicorum suorum portas, portas, inquam,

(165) Caute legenda est hæc similitudo. Metallum quippe, dum ignis virtute resolvitur, ignitum quidem dici revera potest; nequaquam vero ignis, quemadmodum de mystico sacri altaris pane veraciter dicimus, quod sit corpus Christi.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inferni victor ille obtineret, ac deinde, dato Spiritu sancto, benedictio, id est pœnitentia et peccatorum remissio, prædicaretur in omnes gentes.

CAPUT XXXIV.

Quod S. Job, et Balaam de stirpe Nachor fratris Abraham descenderit.

His ita gestis, nuntiatum est Abraham quod Melcha ç-oque genuit filios Nachor fratri suo. Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus, Camuel patrem Syrorum, et Cased, et Azau. Pheldas quoque et Iedlaph, ac Bathuel, de quo nata est Rebecca, etc. Hoc nuntiatum est Abraham, subauditur nolenti accipere filio suo Isaac uxorem, de filiabus Chananæorum inter quos habitabat, et sollicito, unde sibi nurus esset speranda, digna filio suo. Nam hæc sollicitudo vel occasio est idonea, cur hoc illi nuntiatum esse sancta narret Scriptura. *Hus*, inquit, *primogenitum*, etc. Primogenitus Nachor fratris Abraham, de Melcha uxore ejus, filia Aran, natus est Hus, de cujus stirpe Job descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis ejus : *Vir erat in terra Hus, Job nomen ejus* (*Job* I). Male igitur quidam æstimant Job de genere esse Esau. Siquidem illud quod in quibusdam codicibus in fine ipsius libri habetur, eo quod de Syro translatum est, et quartus sit ab Esau, et reliqua quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur. Secundus natus est de Melcha Buz, et ex genere hujus est Balaam, ille divinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Elin (*Job* XXXII), primum vir sanctus et propheta Dei, postea per inobedientiam et desiderium numerum, dum Israel maledicere cupit, divino vocabulo nuncupatus, diciturque in eodem libro : *Et iratus Elin filius Barachel Buzites*, de hujus videlicet Buz radice descendens. Camuel vero pater est Damasci qui et Aram sive Syria dicitur. Cased quoque quartus est, a quo Casdim, id est, Chaldæi postea vocati sunt.

CAPUT XXXV

De morte Sarræ, et coemptione sepulcri ejus.

(Cap. XXIII.) *Vixit autem Sara centum viginti septem annis, et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaam. Venitque Abraham ut plangeret et fleret eam.* Arbee interpretatur *quatuor*. Dicitur autem civitas Arbee sive Cariatharbe, eo quod quatuor nominati illi sepulti sint, videlicet maximus Adam, sicut in libro Josue scriptum est (*Jos.* XIV), et deinde Abraham, Isaac, et Jacob. Porro mors Sarræ finem legis et prophetarum significat, de quibus Dominus : *Lex*, inquit, *et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI). Et Apostolus : *Finis*, inquit, *legis Christus* (*Rom.* X), quia videlicet illo dato, prophetiæ sive promissiones, quas per Saram superius intelligi diximus, continuerunt. Unde **107** notandum quia Deus ulterius Abrahæ apparuisse non legitur. Nec vero damnosus est iste finis legis et prophetarum, sicut nec mala mors Sarræ. Mors quippe justorum pretiosa et optabilis requies est, sed illi finis perfectio est vel consummatio, quem significans ipse qui finis est, ut jam diximus, cum *accepisset acetum, dixit : Consummatum est* (*Joan.* XIX). — *Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens : Advena sum et peregrinus apud vos; date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum*, etc., usque *appendit pecuniam quam Ephron postulaverat. Audientibus filiis Heth, quadringentos argenti siclos, et probatæ monetæ publicæ*. In Hebræo primum nomen ejus scribitur Ephron, secundum Ephran. Postquam enim pretio victus est, ut sepulcrum venderet et acciperet argentum, licet cogente Abraham, sæu littera, quæ apud illos pro o legitur, ablata de ejus nomine est, et pro Ephron appellatus est Ephran, significante Scriptura non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur, qui sepulcra venditant, et non coguntur ut accipiant pretium, sed a nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum, et perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur, qui invitus acceperit.

CAPUT XXXVI.

Item de agro et spelunca duplici in qua sepulta est.

Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre, tam ipse quam spelunca et omnes arbores ejus, in cunctis terminis per circuitum Abrahæ, in possessionem videntibus filiis Heth, et cunctis qui introibant per portam civitatis illius. Quia non parva de re agitur, hoc quod jam semel dictum est, iterum ac tertio repetitur, ut tribus testimoniis confirmatio tota perficiatur. Sequitur enim : *Atque ita sepelivit Abraham uxorem suam Saram in spelunca agri duplici, qui respiciebat Mambre, hoc est Hebron in terra Chanaan.* Et continuo : *Et confirmatus est ager, et antrum quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.* Quod tertio dicitur, et *ager* et *antrum*, idem est quod secundo dictum fuerat, *ager* et *spelunca duplex*, sive *spelunca agri duplicis*. Itaque tribus testibus sive testimoniis confirmatio facta est. Non enim solummodo in personis, sed etiam dictis aut factis iteratis, testium numerus solet computari, testante Paulo, cum dicit Corinthiis : *Ecce hoc tertio paratus sum venire ad vos*, continuo subjungit : *In ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum* (*II Cor.* XIII). Quid enim hac tali coemptione factum est, nisi quod jus legitimum semini Abrahæ collatum est, ut non solummodo judicio Dei, qui juste peccatores de terra illa exterminare haberet, sed etiam judicio hominum, terram eamdem repetere jure deberet, quam pater ipsorum quadringentis siclis argenti et probatæ monetæ publicæ coemisset? Quid enim, si non totam terram illam pater Abraham comparavit? Pars totum justiori causæ vindicare debuit, præsertim ubi quod jure exigeretur pro parte non concederent adversarii. Unde et apud auctorem Romanorum nobilem, quidam decertans, sic inter cætera declamat : *Omnia dat qui justa negat.* Sed jam nec in isto sensum mysticum præterire libet.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXVII.

De eadem re, juxta sensum mysticum.

Confirmatus est, inquit, *ager quondam Ephronis*, etc. Mystice namque idem est ac si diceretur: Confirmatus est in fide Abrahæ, et seminis ejus per passionem Christi, cujus in typum Isaac paulo ante immolatus fuerat; confirmatus, inquam, est in hæreditatem illi totus mundus; atque in eo Sara, id est, sancta legalis atque prophetica Scriptura venerando sepulcro quievit; mortua quidem non credentibus Judæis, sed impleta atque consummata gentibus per creditum adventum Christi Filii Dei. Ager namque Ephronis cum spelunca duplici, Ephronis, inquam, quod interpretatur *pulvis inutilis*, peccatores significat, tam et anterioris quam et posterioris populi, qui prius erant sicut *pulvis*, *quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I), sed confirmati sunt rore Spiritus sancti, juxta Psalmistam dicentem: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII). Hic *ager* respicit *Mambre*, quod interpretatur *divisio* sive *perspicuum*, intelligit namque quanta futura sit divisio bonorum et malorum illo die, quem respicit, quem sollicite attendit, qui dies erit extremi judicii. Ita jam *in spelunca duplici* hujus *agri*, id est in conscientia utriusque populi, *Sara*, id est testamentum Dei, confirmatum in Christo requiescit. Arbores per hujus agri circuitum eminentiores, homines sunt, qui verbo et exemplo minoribus fructificare, id est, proficere possunt. *Videntibus*, inquit, *filiis Heth*, id est, formidantibus omnibus verbum quod factum est, vel judicium quod futurum est: Heth namque *formido* vel *stupor* interpretatur. Talis igitur ager, ut in illo Sara sepeliretur, pretio prius comparari et confirmari debuit *Abrahæ*, *in possessionem monumenti*; quia videlicet oportebat nos pretio magno emi, nec esse servos peccati, ut tunc demum reconderentur apud nos eloquia Dei, et promissiones patrum, consummatæ in corde Christi, quam præcedens obitum Saræ immolatio Isaac, præsignavit. Nam ad summum, quia, sicut jam dictum est, primus homo pater orbis terrarum Adam illic situs est, recte per agri illius coemptionem totius orbis intelligimus acquisitionem.

CAPUT XXXVIII.

De eo quod dictum est: « Pone manum tuam super femur meum, » etc., quidque Isaac conjugium mystice significet.

« CAP. XXIV. » — *Erat autem Abraham senex, dierumque multorum, et Dominus in cunctis benedixerat ei.* Non hoc vulgari more propter ætatis prolixitatem dictum est, *erat senex, dierumque multorum.* Quippe cum de illis, qui ante eum fuerunt, alii triplos, alii quadruplos, imo et nonnulli septuplos ætatis ejus dies habentes, nihil tale dictum sit: Ergo *senex, dierumque multorum*, id est perfectæ fidei, multorum operum bonorum. *Et Dominus in cunctis benedixerat ei*, id est, bona cuncta quæ omnibus gentibus facturus erat, in semine ejus Deus prædixerat, et cum juramento firmaverat ei. Tali præfatione digna subsequitur narratio: *Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cæli, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus* **108** *Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Fidei simul et casti laus est conjugii res gesta hæc; quia videlicet nec senex Abraham nurum de Chananæis quæsivit, unde aliquod suppeditare posset solatium suæ peregrinationi. Nec juvenis Isaac uxorem ambivit, quam concupisceret oculis, sed eam quam nunquam viderat, secundum voluntatem præstolatus est patris. Non enim in Abraham magno caret merito fidei, neque in Isaac vero testimonio castitatis, quod et ille peregrinationem suam propter Deum, in quo confidebat, sic amplexatus est, ut eorum, qui Deo non placebant, propinquitatem nullam sibi aut posteris suis admitteret. Et hic ita juventutis petulantiam supergressus est, ut illam exspectaret conjugem quam Deus daret, non quam concupiscentibus oculis, ipse cum dote magna rapuisset. Assimilatur ergo etiam in hoc Filio Dei, qui nullam propria voluntate, id est humano judicio, animam assumit sive rejicit, juxta quod ait ipse: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem Patris mei* (*Joan.* V). Nam si ad naturalem spectes carnis affectum, eadem teneritudine suam fovere debuisset patriam, qua videns civitatem Hierosolymam veris lacrymis *flevit super illam* (*Luc.* XIX). Sed *descendi*, inquit, *de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI).

CAPUT XXXIX.

Quis sit servus Abrahæ, mystice.

Pone, inquit, *manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cæli.* Tradunt Hebræi quod in sanctificatione sua, hoc est, in circumcisione sua jurare jusserit. Nos autem dicimus quod illum adjuraverit in semine suo, hoc est in Christo, qui ex illo nasciturus erat, juxta Matthæum loquentem: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Notandum præterea quod non ipsum Isaac, quem Deo jussus obtulerat, adjuret pater, neque ipsum ad quærendam sibi uxorem mittat, ut quæcunque sibi placuerit, illam accipiat, quia videlicet nec futurum erat ut ipse Christus, postquam passus est, per semetipsum Ecclesiam sibi de hoc mundo colligeret corporali præsentia. *Non*, inquit, *accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias filio meo Isaac uxorem.* Chananæi, inter quos habitabat pater, Judæi erant, quorum ipse nomine tenus Deus erat, unde et dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX), scilicet pro parte eorum qui recte dicti sunt Ismael, qui secundum carnem natus est. Chananæi namque recte dicuntur eamdem ob causam, videlicet, propter quam et per prophetam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sic illi populo exprobatum est : *Pater tuus*, inquit, *Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI). Illius populi multæ filiæ, id est, multæ fuerunt hæreses vel sectæ, scilicet traditiones Pharisæorum, Sadducæorum, et eorum qui Samaritæ dicti sunt, et quod cæteræ, ut fertur, ferme novem dissensiones hæresum. *De filiabus* ergo illorum *ne accipias*, ait, *uxorem filio meo Isaac*, quia videlicet secundum nullam eorum sectam institui dignatur Deus Pater unicam Filii sui sponsam novam, scilicet *Ecclesiam, quæ non* habeat *maculam, aut rugam* (*Ephes.* V). — *Sed ad terram et cognationem meam proficiscaris.* Proficisci nempe ad terram et cognationem patris, servum fidelem atque prudentem, id est, attendere fidem per quam justificati sunt illi, qui vere Dei populus, Deoque per amorem justitiæ quodammodo B cognati fuerunt, et secundum sensum illorum sanctam instituere Ecclesiam, verbi gratia, dicentium : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XLII.) Subauditur, non. Sed quid? *Immola Deo sacrificium laudis* (*ibid.*). Et innumera his similia, quæ observare, et observanda tradere, id plane est veram et Dei Filio dignam conjugem informare. Quando autem Deus Pater sic adjuravit servum suum? Tunc utique, quando sanctum apostolis misit Spiritum, per quem sic obtinuit corda eorum, ut nihil aliud omnino, nisi quod volebat Deus de hujusmodi loqui, aut agere possent : *Si*, inquit, *noluerit mulier venire mecum, num reducere debeo filium tuum illuc, unde egressus est?* Quod C est dicere : Si nemo ex Judæis voluerit, relicta circumcisionis carnalisque cæremoniarum justitia, solam necessariam, quæ ex fide est, suscipere justitiam, num concedendum vel ferendum erit ut fidem Evangelii communicemus vel commisceamus carnali Judaismo, de quo Christus circumcisus, vel circumcisionis minister egressus est, aliam viam instituendo, dum dicit : *Baptizate omnes gentes* (*Matth.* XXVIII). — *Cave*, inquit, *ne filium meum reducas illuc.* Et continuo solita fide confirmatus : *Dominus*, ait, *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo.* Et continuo : *Sin autem noluerit mulier sequi te, non teneberis juramento.* Eadem omni conditione libertas et conscientiæ D munditia indicitur evangelico viro. Si noluerint suscipere te, pulverem pedum tuorum excute in eos (*Matth.* X). Vehemens repetitio serio virum fortem locutum esse innuit : *Filium tantum meum, ne reducas illuc; ne*, inquam, *reducas illuc*, sed potius dic : *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (*ibid.*). Item : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Gal.* V), etc., his similia.

CAPUT XL.

Quid significant cameli, et quæ bona Domini ejus, ex quibus secum tulit.

Posuit ergo servus manum suam sub femore Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc. Hic quoque servus, qui per illum intelligitur, A scilicet apostolorum prædicatorum chorus, *posuit manum suam sub femore Abraham*, profitendo scilicet incarnationis Christi fidem, *et juravit super sermone hoc.* Juravit, inquam, id est gravi se astrinxit necessitate dispensando mysterium hoc; unde et dicit unus ex his : *Nam si evangelizavero, non est mihi gratia; necessitas enim mihi incumbit. Væ mihi est si non angelizavero Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (*I Cor.* IX). Ergo vere juravit, qui nisi evangelizaverit, væ illi, eo quod perjurii reus sit. *Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum.* Sapienter pro re et tempore servus ille senior sic abiit, scilicet cum decem camelis, ex omnibus bonis Domini sui portans secum. Præsentibus namque honoribus debebat instrui puella, ut non parvas viri aut socerî sui sciret speraretque divitias. Sic plane servus jam dictus, id est, prædicator evangelicus, cum magnis missus est muneribus, illis videlicet, de quibus dictum est : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Psal.* VI). Et : *Ipse dedit quosdam quidem* 109 *apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores* (*Ephes.* IV). Ita uniculique servorum fidelium *data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*ibid.*). Ex his bonis Domini sui Jesu Christi, sive Patris ejus Dei portaverunt secum, ut ex præsentium gloriosa testificatione miraculorum cognosceret ipsa quæ petebatur Christo sponsa, quod vere magnus, divesque et potens sit ille in cœlo et in terra. Quid porro sibi volunt decem cameli, quos tulit de grege domini sui? Ea nimirum quæ graviora sunt legis, qualia delinquentes illi mentbæ et anethi decimatores recte tali elogio denotati sunt, ut diceretur de illis, *culicem liquantes, et camelum glutientes* (*Matth.* XXIII). Idcirco recte decem sunt cameli, quia videlicet decem præceptis, quæ in tabulis scripta sunt digito Dei (*Exod.* XXXI), continetur omnis vera justitia legis, quam solam servari oportet in Evangelio Christi, rejectis omnibus justitiis carnis, quas Apostolus *detrimentum* facit pro Christo et arbitratur *ut stercora* (*Phil.* III).

CAPUT XLI.

De Mesopotamia, ad quam profectus est servus, deque prudentia ejus, quomodo petiverit Rebeccam.

Profectusque perrexit Mesopotamiam ad urbem Nachor. Genitalis hujus Abrahæ terra Chaldæorum fuit, sed persecutione urgente, ut superius dictum est, egressus fuerat Thare cum suis, *ut irent in terram Chanaan* (*Gen.* XII); resederant autem in Haran, hoc est, Syria, quam ex meso quod est *media*, et potamo, id est *fluvio*, appellant Mesopotamiam. Duobus enim fluminibus Tygri et Euphrate ambitur. Servus ergo jussus proficisci ad terram et cognationem domini, pergit Mesopotamiam, quia videlicet terram illam pro sua cognatio ejus inhabitabat, et in ea coaluerat, in qua et Thare mortuus est. *Ad urbem*, inquit, *Nachor.* Isto et aliis sacræ hujus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

historiæ testimoniis ostenditur etiam Nachor frater Abrahæ exisse de regione Chaldæorum, sedesque constituisse in Mesopotamia, ubi cum patre suo habitaverat Abraham. Cur ergo cum Scriptura non commemoravit, quando ex gente Chaldæa cum suis profectus est Thare, et habitavit in Mesopotamia, ubi non solum Abraham filius ejus, verum etiam Sara nurus, et Lot nepos ejus commemorantur, quod eos duxerit secum? Cur putamus nisi forte quod a paterna et fraterna pietate desciverat, et superstitioni adhæserat Chaldæorum, et postea inde sive pœnitendo, sive persecutionem passus, quod suspectus haberetur, et ipse emigravit? *Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ, vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit : Domine, Deus domini mei Abraham, occurre mihi hodie, obsecro, et fac misericordiam cum domino meo Abraham*, etc. Veraciter seniorem hunc supra nominavit Scriptura. Nam quod seniore dignum fuit, nec ipse petendæ puellæ judicium suis commisit oculis, qui solam faciem, non etiam mores aut virtutem pervidere possent, sed secundum herilem fidem credens quod domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spem. Igitur, inquit, *puella cui ego dixero : Da mihi aquam de hydria tua ut bibam*, etc. Credidit enim homo quod explorata, et hoc judicio deprehensa frugalitas domini sui moribus conveniens, digna foret cui inaures aureas, armillasque appenderet, quod et fecit protinus, adorans et benedicens Deum atque dicens : *Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suum a domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait : Non comedam, donec loquar sermones meos : Respondit ei : Loquere. At ille : Servus, inquit, Abraham sum*, etc. Bene ergo et veraciter Sapientia dicit : *Sicut frigus nivis in die messis, sic legatus fidelis, qui misit illum, animam ejus refrigerabit* (*Prov.* xxv). Quo enim potuit modo, legatus fidelis melius enitl ad refrigerium animæ ejus qui illum misit? Supplicem præmisit orationem, ad Deum domini sui, muneribus benevolentiam puellæ amplius animare studuit, opportunitatem dicendi egregie sustinuit, et cum gratus esset hospitibus, siluit adhuc, donec in conspectu suo panis poneretur, et tunc demum inter maxima fœdera hospitii, id est in præsentia panis appositi, sermonem ingressus est, a veris incipiens laudibus Dei, et Abraham domini sui. Jam quoniam hæ pennæ columbæ deargentatæ satis perspicuæ sunt, id est plana superficies litteræ, jam intimam, ut supra cœptum est, pulchritudinem rimando prosequamur allegoriæ.

CAPUT XLII.

De eadem re ad sensum mysticum.

Cum, inquit, *camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum*. Sic procul dubio, servus prudens, id est prædicator evangelicus, verbi gratia Paulus apostolus, juxta puteum accubuit, et ibi puellam decoram nimis convenit, id est sanctæ Scripturæ spiritualibus oculis intendit, et ad Christi gloriam quam illi ascriberet sanam doctrinam, et pulchrum sermonem adinvenit. Unde bene compta soror, et amica Sapientia recte dicit, respiciens in eum : *Et qui elucidant me, vitam æternam habebunt* (*Eccli.* xxiv). Rebecca namque decora puella, ipsa mystice est sancta Testamenti Dei Scriptura; quæ et per Saram, teste Apostolo (*Gal.* iv), significabatur supra, hac sola distantia, quod per illam implenda, per istam figuratur jam impleta. Unde notanda litteræ diligentia, quod, cum dictum fuisset, *virgo pulcherrima*, additum est : *Et incognita viro*. Incognita viro, id est abscondita, quod in Hebræo dicitur aalma. Quod quidem in Isaia habetur; nam in eo loco ubi in nostris codicibus scriptum est : *Ecce virgo concipiet et pariet* (*Isa.* vii), in Hebræo legitur : *Ecce aalma concipiet, et pariet*. Ergo aalma, quod interpretatur *abscondita*, id est, virgo nimia diligentia custodita, majoris videtur laudis esse, quam virgo. Virgo quippe, juxta Apostolum, potest esse corpore, et non spiritu (*I Cor.* vii). Abscondita vero quæ virgo est, epithetum virginitatis habet. Etymologiam absconditæ sapientiæ habet. Siquidem in libro Job scriptum est : *Unde ergo sapientia invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium* (*Job* xxviii). Sed et ipsa nomina bene rei congruunt. Rebecca, inquit, *filia sum Bathuel, filii Melchæ, quem peperit ex Nachor*. Rebecca interpretatur *patientia*, Bathuel *virgo Dei*, Melcha *regina*, Nachor *requies luminis*. Etenim sacræ Scripturæ doctrina patientia est : *Quæcumque*, inquit Apostolus, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* xv). Et est filia Bathuel, id est, virginis Dei; nam ab illis nata, vel condita est, quorum virgineas animas ut sermo bonus inde nasceretur, Deus sibi copulavit. Melcha id est *regina*, hunc Bathuel peperit; regina, inquam, libera scilicet *illa quæ* **110** *sursum est Jerusalem, quæ* revera omnium ad hunc Isaac pertinentium *mater est* (*Gal.* iv). Peperit autem ex Nachor id est ex *requie luminis*, in quo Jerusalem regina illa requiescit. Servus qui non sibi, sed Domino suo quæsivit et invenit illam, ipsi sunt qui veraciter dicunt : *Non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum* (*II Cor.* iv). Item : *Non enim sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei* (*II Cor.* ii). Et his similia. Ergo regias inaures et armillas puellæ domum servus appendit, quoties veritati divinæ Scripturæ quilibet minister Christi, et dispensator ministeriorum Dei testimonia necessaria suppeditat incarnati, et pro omni mundo immolati veri Isaac, id est Filii Dei. *Inaures*, inquit, *appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem*. Quia *in duobus præceptis universa lex pendet, et prophetæ* (*Matth.* xxii), bene inaures duorum; quia vero in decem præceptis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

operari convenit, armillæ pondo decem fuere siclorum. Siclus Hebraice dicitur secel, Latino autem sermone corrupte siclus appellatur, unciæ pondus habet. Igitur quia multæ sunt filiæ, quarum fallax gratia et vana est pulchritudo (*Prov.* XXXI). *Puella*, inquit, *cui ego dixero, Da mihi aquam de hydria tua ut bibam, et illa dixerit, Bibe, et camelis tuis potum tribuam, ipsa est quam præparasti*, Domine, filio domini mei. Nam revera quæcunque Scriptura vivis aquis idonea est ad refocillandam animam, ne quis siti pereat, ipsa est præparata Filio Dei, soror et amica, quæ filios illi nascentes, pariente gratia, lacte et vino suaviter atque fortiter enutriat : nec vero servus ille fidelis comedere voluit, aut debuit in domo, donec loqueretur sermones suos, et totius domus consensum obtineret : quia videlicet quandiu quis Christo sacræ Scripturæ testimonia denegat, cum hoc nulla evangelico viro communicatio est. Quin etiam pulverem qui adhæsit illi, de civitate illorum, qui sunt ejusmodi, extergat in eos (*Matth.* X). Prius enim est secundum imperium mittentis, ut in quamcunque domum intraverint, primum dicant, *Pax huic domui* (*Luc.* X) : Et si ibi fuerit filius pacis, cum requieverit super illam pax evangelica, tunc demum *in eadem*, inquit, *domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt* (*ibid.*).

CAPUT XLIII

De Laban fratre Rebeccæ, et de muneribus quæ dedit Rebeccæ mystice.

Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem ubi erat fons. Dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini. Cur foris stas? etc. Laban *candidus* interpretatur, significatque ipso nomine mundum temporali gloria nitidum. Nunc quidem ubi videns, *inaures et armillas in manu sororis*, procurrit et dicit : *Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas?* et postmodum ubi loquitur, *a Domino egressus est sermo, et non possumus extra placitum ejus quidquam aliud tecum loqui.* Mundum in bono significat, videlicet pro parte illorum quos primo auditu confestim evangelica delectavit gratia, quique germano affectu videntes et intelligentes, ex ornatu, id est, dulcedine et dilucidatione Scripturarum, completam esse veritatem Dei, et confirmatas esse promissiones patrum, baptizari et remissione peccatorum candidari properaverunt. Cæterum ubi Jacob bene servientis *mercedem decem vicibus commutavit* (*Gen.* XXXI), et fugientem quidem persecutus, sed tandem illi fœderatus est, mundum pro parte illorum significat, qui primo bonis credentium operibus adversati quidem sunt, sed tandem illis satisfieri potuit, et victi ratione resipuerunt. Itaque revelata gratia Evangelii, candidi, qui per Laban intelliguntur, emicuerunt. *Si dormiatis*, inquit Psalmista, *inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri* (*Psal.* LXVII). Columbam illic appellavit ipsam Scripturam : quam hic intelligimus per puellam : per pennas deargentatas, pulchra et extrinsecus quoque in littera lucida, significans sacra eloquia : per pallorem auri, illa quæ intrinsecus sunt pretiosissima Christi et Ecclesiæ mysteria. Statimque et illos designans qui hic intelliguntur per Laban, id est candidatos sive albatos : *dum discernit*, inquit, *reges super eam*, id est, dum apostolos, prophetas, et doctores sive pastores ponit ad dispensandam sacram Scripturam, *nive dealbantur in Selmon* (*ibid.*), quod interpretatur *umbra offendiculi*, vel *imago fortitudinis*, significatque Christum qui non credentibus *lapis offensionis* (*I Petr.* II), credentibus autem imago est fortissimi, scilicet Dei Patris. Eas quoque laudes, quas hic ille servus, coram depromit Domino vel Filio Domini sui, dicens : *Servus Abraham sum*, et *Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est, et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat.* Ibidem Propheta secundum illum Dei Patris Filium subnectit : *Mons*, inquit, Dei, *mons pinguis. mons coagulatus, mons pinguis. Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitavit in finem* (*Psal.* LXVII), etc. Et sicut hic servus adorat pronus, benedicens Deum, *prolatisque vasis argenteis et aureis ac vestibus, dedit eas Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus et matri dona obtulit, dixitque : Dimitte me ut vadam ad dominum meum. Nolite me retinere, quia dominus direxit viam meam.* Sic et in eodem psalmo reges, quos discernit cœlestis, super eamdem columbam dona illius decantando promit, dicentes : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus* (*ibid.*). Et continuo gratulantes dicunt : *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum* (*ibid.*).

CAPUT XLIV.

Prompta ad inquirentes responsio puellæ dicentis : « Vadam, » quid significet. Et de meditatione Isaac egresso in agrum.

Vocemus puellam et quæramus ipsius voluntatem. Cumque venisset vocata, sciscitati sunt : Vis ire cum homine isto? Quæ *respondit : Vadam.* Jam ante responderant Laban et Bathuel, dicentes : *A Domino egressus est sermo, et non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.* Quid ergo est quod nunc hæsitantes frater et mater dicunt, *vocemus puellam?* Hoc profecto judicii vel experimenti apostolici signum est. Primitivæ namque Ecclesiæ, quæ ex Judæis fuit sub apostolis, typum tenet hæc domus Rebeccæ. Murmuraverunt autem quidam dicentes Petro apostolo : *Quare introisti ad viros præputium habentes? Et dicebant : Quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvi fieri* (*Act.* XI). Tunc profecto id agere volebant, ut non Rebecca ad Isaac proficisceretur, sed Isaac propter Rebeccam reverteretur, quod pater Abraham abhorruerat, dicens : *Cave ne filium meum reduces illuc.* Vocata ergo puella

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cum interrogaretur, *Vis ire cum homine isto?* cito ac breviter respondit, *vadam*. Consulta namque sacra Scriptura, utrum gratiam Dei vellet cum Christo ad gentes dirigi, cito, ut in Actibus apostolorum legimus, respondit verba hæc: *Post hæc revertar, et ædificabo tabernaculum David quod cecidit et diruta ejus reædificabo, et erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc* (*Act.* xv). — *Igitur Rebecca et puellæ ejus ascensis camelis secutæ sunt virum.* Quod hic cum Rebecca puella, hoc in psalmo prædicto cum columba argentea et aurea juvenculæ tympanistriæ, et quod hic servus, hoc ibi præcipue Benjamin adolescentulus, *ibi*, inquit, *Benjamin adolescentulus, in mentis excessu* (*Psal.* lxvii), id est, Paulus apostolus, de tribu Benjamin, usque ad tertium cœlum raptus (*II Cor.* xii). Istæ, inquam, puellæ, illæ sunt juvenculæ tympanistriæ comitantes Rebeccam, et auream ferventibus studiis honorantes columbam tympanizando, id est, testimonia Christi dulciter personando, et tympanistrio conceptu clamando adversus feras et tauros, id est, hæreses et hæresiarchas superbos. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento* (*Psal.* lxvii). Ita Scripturarum decor virgineus, ut Christo filios pariat, ad gentes proficiscitur; jam enim Christus præcesserat illuc. Hoc namque per illud innuitur, quod dictum est: *Habitabat enim Isaac in terra australi, et egressus fuerat ad meditandum in agro.* Secundum litteram terra austri Geraram significat, unde a patre quondam ad immolandum abductus fuerat. Studiumque boni viri prædicatur, meditantis in testamento Dei Abraham patris sui, et ob hoc solitudinem amantis. Qualem Scriptura commendat, cum dicit: *Bonum erit homini, cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, et levabit se super se* (*Thren.* vii). Mystice autem illud significat, quia Dominus Jesus solus orans meditabatur secundum voluntatem Patris de cæremoniis Judæorum egredi, et in deserta gentium agrestium proficisci. Et hoc in terra australi, id est, in dispositione Spiritus sancti, inclinata jam die, id est, novissimo sæculi tempore. *Eo tempore*, inquit, *ambulabat ad puteum, cujus nomen est Videntis et Viventis.* Quo videlicet nomine Agar puteum illum, ut superius jam dictum est, appellavit. Mirum atque perpulchrum est quod et Rebecca ad puteum inventa, et ad puteum nihilominus tendens, inventus est Isaac, qui videlicet, quanquam una sit aqua sapientiæ vel scientiæ Dei, alius tamen legis, et alius est puteus Evangelii, quo sanctus et vivificans Scripturæ Spiritus, Christo vocante, contendit.

CAPUT XLV.

De casto pudore Rebeccæ, quæ, conspecto Isaac, pallio operuit se. Et quid mystice significet quod introduxit eam Isaac in tabernaculum Saræ.

Cumque levasset oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca autem, *conspecto Isaac, descendit de camelo, et ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixit ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se. Servus autem cuncta quæ gesserat narravit Isaac.* Nemini dubium est quod hanc puellam non caro et sanguis, sed Deus ipse viro fideli præparaverit, et secundum spem fidelis Abrahæ, qua dixerat: *Dominus Deus cæli ipse mittet angelum suum coram te, ut accipias inde uxorem filio meo*, sic factum est. Profecto hæc, non præ amore fervidæ adolescentiæ festinans ad amplexus viriles, supra interrogata: *Vis ire cum homine isto?* tam cito respondit: *Vadam*; nam illas quæ ejusmodi sunt, propheta sic denotat, dicens: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et ambulabant podibus suis, et composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit* (*Isa.* iii). — Hæc *autem, conspecto Isaac, descendit de camelo, tollensque cito pallium, operuit se.* Nunquid ergo cum diceret: *Vadam*, concupisci aut concupiscere juveniliter ardebat, quæ tanta festinatione pulchritudinem suam operiebat viso Isaac? Non utique, sed superno potius nutu præventa peregrinari cum fide Abraham et Isaac, et futuram inquirere quam præsentem habere civitatem malebat. Sic profecto sana omnis doctrina, et evangelica religio pudice ambulat, et sub honesto et humili sacramentorum velamine Christi amatoris sui, sese obsequio præsentat. Filiæ vero fallacis gratiæ, et vanæ pulchritudinis (*Prov.* xxxi), id est, cunctæ hæreses, ambulant extento collo, et nutibus oculorum eunt et plaudunt, et tanquam importunæ meretriculæ videri et appeti amliunt. Unde et in alio loco ejusdem prophetæ dicitur tali meretriculæ sub nomine Tyri: *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita: Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit* (*Isa.* xxiii). — *Serens autem cuncta quæ gesserat, narravit Isaac.* Vere prudens et fidelis servus, pro magno fidei suæ testimonio narravit cuncta quæ gesserat, ad laudem et gloriam Dei, qui propter eumdem Isaac, viam ipsius direxerat, dignus magna recipere præmia libertatis. Hoc nimirum ad commendationem boni servi satis est, scilicet Filio Dei gratulabunda confessione assistere et narrare, id est, confiteri quod sedulo ejus officio factum est. *Nam omnis qui confitetur Filium, et Patrem habet*; sicut, e contrario, *omnis qui negat Filium, nec Patrem habet* (*I Joan.* ii). — *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ, et accepit uxorem. Et intantum dilexit, ut dolorem qui ex morte matris acciderat temperaret.* Quid magni erat, secundum corticem litteræ, quod juvenis intantum dilexerit adolescentulam conjugem, ut dolorem qui ex morte matris acciderat, temperaret? Ergo medulla sensus spiritualis carere non debet, quia revera Christus Dominus, secundum humanum affectum, doluit super matre sua Synagoga, quippe qui et *civitatem videns flevit super eam* (*Luc.* xii); sed adeptus novam reginam, de qua sibi nova gens na-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

scitura esset, recte dolorem temperavit, et delectabiliter consolatus est.

CAPUT XLVI.

De cæteris filiis Abrahæ et de morte sua, et Ismaelis.

(Cap. XXV.) *Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Cetturam, quæ peperit ei Zamram, et Jecsan, et Madan, et Madian, et Jesboc et Sue.* Cetura Hebræo rmone *copulata* dicitur aut *juncta*. Quam ob causm suspicantur Hebræi mutato nomine eamdem sse Agar quæ, Sara mortua, de concubina transierit n uxorem : Sed cum continuo scriptum sit: *Et dedit braham universa quæ habebat Isaac, filiis autem oncubinarum largitus est munera, et divisit eos ab saac filio suo cum adhuc viveret*, liquet Cetturam on fuisse Agar, **112** filius namque non concubinaum, sed concubinæ Scriptura dixisset. Sed quod B ncertum est relinquentes, hoc certis auctoribus icimus, quod de Cetura filii Abraham, juxta histoicos Hebræorum occupaverint Troglodites et Araiam usque maris Rubri terminos. Traditum est utem et ab eis qui Græco sermone barbaras historias texuerunt, unum ex posteris Abrahæ, qui appelatur Aser, duxisse adversus Libyam exercitum, et bi devictis hostibus consedisse ejusque posteros ex omine atavi Africam nuncupasse. *Et filii Dadan*, nquit, *fuerunt Assurim et Latusim, et Loomin :* Assuim *in negotiatores* transferri putant; Latusim *æris errique metalla cudentes*; Loomin vero *philarchas*, d est, principes multarum tribuum atque populo-

. Alii ab hoc Assurim vocatos esse Syros con-
endunt, et a plerisque filiis Abrahæ ex Cetura oc- C
upatas Indiæ regiones. *Fuerunt autem dies vitæ brahæ centum septuaginta quinque anni, et deficiens ortuus est in senectute bona provectæque ætatis et lenus dierum, congregatusque est ad populum suum.* e septuaginta Interpretibus in nostris codicibus ditum est: *Et deficiens mortuus est*, quod non conenit, nec enim viri justi est deficere et imminui. A Illud quoque quod legimus, *plenus* cum additamento *dierum*, de Græcis codicibus sumptum est. Quod cum sensum exponere videatur, eo quod luce et operibus diei plenus occubuerit, tamen magis ad anagogen facit, si simpliciter ponatur *plenus*. Porro quod dictum est : *Congregatusque est ad populum suum* per similitudinem est intelligendum, quia videlicet quemadmodum de agris congregatur matura messis in horreum, sic de publico vitæ hujus, congregantur electi temporibus suis, singuli in secreta quiescentium. *Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ, et hæc omnia filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, et Adbel, et Mabsam : Mabsam quoque et Duma, et Massa, Hadar et Thema, et Jethur, et Naphis, et Cedma*, Duodecim filiorum primogenitus fuit Nabajoth, a quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum Nabathema usque hodie dicitur, quæ pars Abrahæ est. Nam et familiæ eorum oppidaque et pagi, ac minuta castella et tribus, eorum appellatione celebrantur ab unoquoque ex his, Cedar in deserto, et Duma alia regio : et Thema ad austrum, et Cedma ad orientalem plagam dicitur. Quod autem in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus *contra faciem omnium fratrum suorum habitabit*, verius est illud, quod nos posuimus, *Coram omnibus fratribus suis occubuit*, id est, in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis et nullo prius morte prærepto. Fratres autem pro filiis appellari, Jacob quoque Laban demonstrat, dicens : *Quod est peccatum meum, quia persecutus es post me, et quia scrutatus es omnia vasa mea? Quid invenisti de universis vasis domus tuæ? Ponatur coram fratribus meis et fratribus tuis, et dijudicent inter nos* (Gen. xxxi). Nec enim possumus credere, ut Scriptura commemorat, quod Jacob, exceptis liberis, secum fratres aliquos habuerit.

IN GENESIM LIBER SEPTIMUS.

(Gen. XXV-XXVIII.)

CAPUT PRIMUM.

e generationibus Isaac, quod ipsæ aliter sint generationes Isaac, et aliter generationes Christi.

(Cap. XXV.) *Hæ quoque sunt generationes Isaac lii Abraham : Abraham genuit Isaac.* Quas hic oyses generationes dicit Isaac usque ad sua temra digesturus, ipsas evangelista Matthæus Jesu hristi Filii Dei generationes appellans usque ad ipsum ens continuat. Præmisso namque frontis titulo, *liber eneralionis Jesu Christi filii David, filii Abraham Matth.* 1), protinus a præsenti capitulo sacram geealogiam sic inchoat : *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob.* Porro aliter hujus atque aliter D illius generationes sunt. Nam illius videlicet Jesu Christi generationes præcedentes magis secundum fidem, quam secundum carnem observatæ : et econtra hujus, scilicet Isaac generationes magis secundum carnem quam secundum fidem succedentes digestæ sunt. Unde et illic ad summum generatione carnis deficit, nec enim dictum est, aut dici debuit: Joseph autem genuit Jesum, qui vocatur Christus, sed *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*ibid*). Econtra hic generatio fluxæ carnis, dum impetrato Rebeccæ conceptu colliduntur in utero ejus parvuli, de quibus recte dicat Deus, *Jacob dilexi, Esau autem odio habu*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

(*Mal.* 1). Igitur quia generationes Isaac, quem genuit Abraham, generationes sunt Jesu Christi filii David, filii Abraham, prosequamur eas, et tanquam generatione Judæorum, secundum carnem, qua illi filii Abrahæ sunt, et tanquam generationes gentium, secundum fidem, qua idem Abraham, per Christum pater est multarum gentium.

113 CAPUT II.

De eo quod Isaac quadragenarius duxit uxorem, et in tabernaculum Saræ introduxit.

Isaac *cum quadragesimo esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in utero ejus parvuli.* Sara nonagenaria peperit Isaac, eademque vixit centum viginti septem annis et mortua est; Isaac vero *cum quadragesimo esset annorum, uxorem duxit Rebeccam.* Ergo tribus annis ante nuptias Rebeccæ, Sara defuncta est. Sic procul dubio ante passionem Christi, qua prædicationis evangelicæ gratiam ille copulavit, tribus annis a diebus vel baptismo Joannis, mortua est lex et prophetia, non sibi, sed Judæis, testante ipso cum dicit: *Lex et prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt* (*Matth.* XIII). Nam ex quo præsentem et testimonio Joannis declaratum Christum Filium Dei vivi blasphemare cœperunt, reliquit omnis sanctitas, omnisque vita iniquos cœtus eorum, eo quod essent concilium vanitatis, et ecclesia malignantium, præter paucos, qui fidem retinentes Abrahæ, tabernaculum Saræ esse meruerunt. De qualibus in psalmo dicitur: *In circuitu ejus tabernaculum ejus* (*Psal.* XVII). In hoc tabernaculum introduxit Isaac Rebeccam, et accepit uxorem, id est apertis illorum sensibus immisit Christus spiritualem Scripturarum intellectum, et novam sibi instituit Ecclesiam. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in utero ejus parvuli. Quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

CAPUT III.

Cur sterilem Dominus filio Abrahæ præparaverit.

Quia Dei donum erat, et non ex hominibus, ut in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi manum Dei, ut ad cognoscendum non dormitaret ingratitudo hominis. Quid autem in re hujusmodi melius erudiret fidem, vel obstrueret os omnium, quam vel sterilitas feminarum? Bene igitur præparavit quidem Rebeccam providentia Dei, nec falsus est servus Abrahæ, dicendo: *ipsa est quam præparasti, Domine, filio domini mei:* verumtamen talem præparavit, in qua non posset omnis caro, sed sola fides coram Deo gloriari: sterilem namque uterum providit; nam ne putes casu id actum, considerandum adhuc quod non solus Isaac, nec solus Abraham, sed tres ordine continuo principes populorum, et columnæ Patrum Abraham, Isaac et Jacob steriles conjuges sortiti sunt, Abraham Saram, Isaac Rebeccam, Jacob Rachelem pro qua servivit, quam et pene solam vocat uxorem suam. Unde quia fetus illarum, scilicet Isaac, Jacob et Joseph, non filii carnis, sed filii sunt promissionis, recte in illis ejus seminis Abrahæ, quod est Christus, in quo tota promissionis summa consistit, figura maxime præfulgere comprobatur, quia videlicet in typum illius, et Isaac immolatus est, et Jacob servivit, et Joseph venditus atque appellatus post carcerem salvator mundi, liberavit Ægyptum a periculo famis. Deprecantem igitur Isaac pro uxore sua exaudivit Dominus, quia videlicet sic ipse providerat, et sic præparaverat, ut fides orationi adjuvaretur, et prædestinatio seminis deprecationi sterilitatis adimpleretur. Hoc dicto, Scriptura confestim ex adverso subjungit: *Sed collidebantur in utero ejus parvuli.* Quod est dicere: Conceptus quidem materia erat gaudii, sed gaudium conceptioni conturbabat dolor materni uteri. Collidebantur autem parvuli non in contentione, vel scientia certandi, sive affectione vincendi; sed eodem Dei nutu permoti, quo non solum irrationabilia pecora, verum etiam inanimata elementa præsagio futurorum promoveri solent, aut permutari, qualia jam sæpe facta, et adhuc majora futura sunt, testante Domino cum dicit: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione maris et fluctuum* (*Luc.* XXI). Sed juxta mysticum sensum in utero matris collidebantur parvuli, quod in Actibus apostolorum factum est: gentiles namque admissos Judæi propellere contendebant, saluti eorum invidentes (*Act.* XI).

CAPUT IV.

De eo quod dictum est: « Duæ gentes in utero tuo, » et cætera, et quid spiritualiter significent.

Perrexitque ut consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi e ventre tuo dividentur, populusque populum superabit et major minori serviet. Locum hunc timendum est homini, et cum reverentia tractandum, Apostolo clamat, cum dicit: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX.) Dixerat enim *cum nondum nati fuerunt, aut aliquid egerunt boni aut mali, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*ibid.*). Quid autem tractabat cum hæc diceret Apostolus? Divisionem utique et collisionem filiorum carnis, filiorum promissionis, scilicet quod non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque quia semen sunt Abrahæ omnes filii. Unde testimonium Scripturæ subnectens: sed *in Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen*, id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Igitur cum hac auctoritate Apostoli, in ista parvulorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

collisione, illam intelligimus præfiguratam esse collisionem filiorum carnis et filiorum promissionis, quæ protinus innotuit ubi verus Isaac, scilicet Dominus Jesus Christus, matrem omnium nostrum, sanctam Scripturam, secundum quam Deo renascimur, in conjugium suum, id est evangelicæ prædicationis usum assumpsit. Tunc Aalma, id est, abscondita virgo, illa pulcherrima quæ sterilis fuerat, scilicet sapientia, sive legis prophetarumque doctrina quæ nihil ad perfectum adduxerat, quandiu virum Christum non habuerat, geminos concepit, id est amota occidente littera, per Spiritum vivificantem omnem animam hominis ambivit, Judæi primum et Græci. Geminos, inquam, concepit, id est Judæos pariter et gentiles, nihil inter hos et illos discernens, ad vitam vocavit. Hoc est Rebecca illa quod interpretatur *patientia*. Nam de hoc evangelicæ gratiæ utero, et Apostolus dicit : *Quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit* (*Rom.* II). De his verissime dictum est : *Populus populum superabit, et major serviet* **114** *minori.* Populus namque qui de gentibus venit, Judaico populo secundum vocationis ordinem recte minor dicitur, qui hospes testamentorum erat et promissionis, et sine Deo in hoc mundo. Nam ille major est, cujus, ut idem Apostolus ait, *adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa, cujus patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Quomodo autem minor majorem superaverit, et supplantaverit, et major servierit minori, et juxta historiam notum est, quia percussit David Edom (*I Reg.* VIII ; *I Par.* XVIII), et tributarium fecit. Et juxta spiritualem sensum pulchre Apostolus in eadem epistola per similitudinem ostendit olivæ et oleastri. *Fracti sunt*, inquit, *naturales rami, et tu cum esses oleaster, contra naturam insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide sta* (*Rom.* XI). Ergo majorem incredulitate fractum, et minor in fide stans superavit, et major servit minori, dum oleastro naturalis olivæ ramus in societatem cedit radicis olivæ et pinguedinis.

CAPUT V.

De geminorum ortu : quidque significet quod junior prioris tenuerit plantam.

Jam tempus pariendi venerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. Qui prius egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, et idcirco appellavit eum Jacob. Quia rufus erat, idcirco vocatum est nomen ejus Esau, quod interpretatur *rubeus*. Nam quia totus erat in morem pellis hispidus, idcirco vocatus est Seir, id est pilosus. Utriusque schema vel habitus prodidit, quis et in utero princeps fuisset duelli, et post uterum intentator futurus esset inimicitiarum vel odii, quisve et in utero superasset, et post uterum victoriæ palmam juste repetiturus esset. Nam sicut ille rufus, et hispidus prior egressus est, sic et in utero prior cum fratre collisus est, et post uterum fratri quieto mortem machinaturus erat, et sicut iste lenis erat ab utero protinus sequens plantam fratris erat cum lenitate et modestia, nulla vi sive injustitia, sicut subsequenter ipsa declarabit Scriptura. Porro juxta allegoriam, tempus pariendi, tempus est auditu verbi conceptam fidem profitendi. Unde et Apostolus, qui jam eo usque Galatas parturierat ut bene crederent et bene currerent, quia subversi a pseudo-apostolis et fascinati fuerant non credere veritati, ita ut recte diceretur ante illorum oculos Jesus Christus proscriptus, in eis crucifixus, materno dolore affectus, dicebat : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Tunc ille qui prior egressus est, id est, qui de priorato contendebat, et cui primum Dei verbum loqui oportebat, rufus egressus est, et hispidus, id est sanguine Christi pollutus, et intractabilis asperis moribus. Et hic talis non bene egressus est, sed male, juxta quod in psalmo scriptum, et de hæreticis quoque intelligendum est : *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa* (*Psal.* LVII), etc. Sequens vero gentium populus egressus quidem est, de credulitate cordis ad confessionem oris : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confitetur ad salutem* (*Rom.* X), sed de matris affectibus egressus non est, quemadmodum nec ille lenis et simplex. *Rebecca* namque *diligebat Jacob.*

CAPUT VI.

Quod Isaac Esau, Rebecca vero Jacob dilexerit, quodque ille primogenita vendiderit.

Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, Jacob autem simplex habitabat in tabernaculis. Quia junior prioris plantam tenuerat, jam victor in oculis Dei, qui occultæ pugnæ solus spectator et judex fuerat, protinus narrandum fuit, qualiter illum supplantaverit, ut notum sit, non illum qui supplantavit victorem injuste, sed eum qui sic supplantari potuit, victum judicari juste in conspectu ejus qui dixit : *Populus populum superabit, et major serviet minori. Factus est*, inquit, *Esau vir gnarus venandi, et homo agricola ; Jacob autem simplex habitabat in tabernaculis.* Ecce jam in studiis horum tanta diversitas quanta Cain et Abel studia fuere dissimilia. Nam et Jacob æque ut Abel simplex, et, ut sequentia declarabunt, pastor fuit ovium ; Esau autem, sicut Cain, homo agricola, et quod sequentia docebunt, invidendo fratri, licet non actu, voluntate tamen fuit fratricida. Dixit enim : *Venient dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum* (*Gen.* XXVII). Ergone talem filium pater sanctus amare debuerat, aut odivisci vel parvipendere poterat, quod illi fratrem minorem cœleste judicium prætulerat ? Sed notandum quia differt utriusque dilectionis enuntiatio. Absolute namque Scriptura dicit : *Rebecca diligebat Jacob.* Conjuncte vero. *Isaac*, inquit, *amabat Esau*, subnectit enim causam *eo quod de venationibus ejus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vesceretur. Ergo idem est ac si hoc solum diceretur : Isaac de venationibus Esau libenter vescebatur. Nec hoc dicto consequitur quod moribus quoque ejus delectaretur : sicut de Jacob necessario conceditur, quem absolute Rebecca dilexisse dicitur : *Coxit autem Jacob pulmentum. Ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait : Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua. Ille respondit : Ecce morior : quid mihi proderunt primogenita? Ait Jacob : Jura ergo mihi. Juravit Esau, et vendidit primogenita, et sic accepto pane et lentis edulio, comedit et bibit, et abiit parvipendens quod primogenita vendidisset.* Ergo juste Jacob supplantatori omne consilium cœli et terræ palmam victoriæ concedit. Nec enim fratrem B suum fraude circumvenit, simplex namque erat, sed cum simplicitate columbæ prudentiam habens serpentis, quale habuit pretium sapienter poscenti guloso apposuit, et quod habebat ille, manifesto nomine, sine dolo, sine vi, quæ justa et legitima venditio est, vicissim flagitavit. Aiunt Hebræi a Sem primogenito Noe, quem et Melchisedech fuisse affirmant, omnes primogenitos sacerdotes exstitisse, et hæc esse primogenita quæ Esau Jacob vendidit. Nunc sensum allegoricum prosequamur.

CAPUT VII.

Quid spiritualiter ista significent.

Ecce morior inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* In Epistola ad Hebræos ubi dictum est : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix* C *amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut profanus*, continuo subjungitur : *ut Esau qui propter unam escam* **115** *vendidit primogenita sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam* (*Hebr.* XII). Ergo Judæus qui deest gratiæ Dei, in quo est radix amaritudinis, ipse est Edom ille, qui propter unam escam primogenita sua vendidit. Sed quænam illa rufa coctio fuit, quam hic talis Edom tanta aviditate petivit, tanto dispendio comedit? Aut quando hic Jacob, id est *supplantator*, scilicet, gentilis populus tale pulmentum coxit? O mirum et magnum spectaculum hujusce edulii hujus rufæ coctionis! Etenim sanguinea mors Christi, rufa coctio fuit Judæis. Unde et prophetice dictum est : *Saturati sunt filii, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis* (*Psal.* XVI). Nam contendentes satiari de pœnis innocentis, clamaverunt Pilato dicentes : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Hoc, inquam, clamaverunt contra illud, quod prophetavit gentilis lavans manus suas, et dicens : *Mundus ego sum a sanguine hujus justi; vos videritis* (*ibid.*), nesciens quid loqueretur aut quid ageret, sicut nec Caiphas, quando prophetavit et dixit, quod expediret *unum hominem mori pro populo* (*Joan.* XVIII). Manus quippe gentilium, illam Dominicæ mortis coctionem rufam A coxerunt, insistente hoc Edom ut saturaretur sicut jam dictum est et dimitteret *reliquias suas parvulis suis* (*Psal.* XVI), munditias autem manuum populo gentilium concessit, quæ vera primogenita sunt. Ex tunc enim Romano imperio, cujus ille minister et vox fuit, quando dixit : *Mundus ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis;* Romano, inquam, imperio primogenita cesserunt, id est, principatus sacerdotii tali commercio transivit illuc, translatus ab Edom, id est, a sanguineis Judæis. Bene igitur Apostolus inquit : *Sicut Esau qui propter unam escam primogenita sua vendidit*, addens et illud : *Et non invenit locum pœnitentiæ, quamvis cum lacrymis requisisset eam* (*Hebr.* XII). Non enim valent illæ lacrymæ, quæ pro temporali gloria donum cœleste amittunt, sicut lacrymæ Esau, imo sicut lacrymæ Judæorum, quando pro ruina templi vel civitatis ejulaverunt, pro peccatis autem non ploraverunt. Ergone, inquis, ille Isaac, id est *risus*, in quo quando videbimus, tunc vere beati erimus, talem amabat Esau, et de venationibus ejus vescebatur et illa Rebecca, sanctus et vivificans Scripturarum Spiritus, talem Jacob diligebat, qui agni Dei carnes in ara crucis coxerat? Ita plane, nec longa probatione opus est. Nempe et Christus Dominus adeo secundum humanum affectum venatorem illum dilexit, ut locum quoque venationis ejus, id est, civitatem vel templum, unde tot victimarum venationes acceperat, ruiturum prædicens veras lacrymas fuderit (*Luc.* XIX). Et sanctæ Scripturæ Spiritus, ita gentilem populum diligebat, ut quodammodo festinans ad illum diceret : *Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum* (*Isa.* LXV), et multa his similia. Sed et singulariter quemque nostrum tanto hæc Rebecca plus diligit quanto simplicior quisque habitat in tabernaculis. Nam econtra, quanto quisque plus habet de Esau tanto minus a Rebecca diligitur, id est, quanto amplius foras evagatur, tanto minus sacræ Scripturæ lactatur uberibus, intusque reposito pane cibatur. Quod si etiam citius patris Isaac venator sit, id est Christum prædicare consueverit : si per hoc quæ sua sunt quærit, non quæ sunt Jesu Christi, primogenita sua vendit et Esau similis sit. Quietum vero et simplicem, ut dictum est, Rebecca diligit, valde D enim quieti cordis est sacræ Scripturæ ex animo conciliari. Unde est illud : *Sapientia scribæ in tempore otii, et qui minoratur actu, percipiet eam* (*Eccli.* XXXIII).

CAPUT VIII.

Quid significet, quod orta fame abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum.

Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abrahæ, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, apparuitque ei Dominus, et ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, etc. Ordo præposterus, nec enim habitanti in Gerara, quæ metropolis erat Palæstinorum apparens Deus diceret : *Semini tuo dabo omnes regiones has* (*Gen.* XII

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ergo præposterе prius dictum est, quia *abiit ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.* Et deinde quod apparente et jubente sibi Domino Deo potius illuc, quam alias diverteret. Et hoc non frustra præposteratum esse postmodum liquebit. Jam quia patet lectionis superficies, mysteriorum series continuanda est. *Orta*, inquit, *fame post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abrahæ, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.* Postquam modo supradicto, Edom, ille, id est, Judaicus populus primogenita sua vendidit, orta est fames Isaac et domui ejus, id est, Christo et apostolis ejus, illa videlicet fames, de qua Propheta in psalmo loquitur : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes et circuibunt civitatem* (*Psal.* XCVII). *Ipsi vero dispergentur ad manducandum* (*Psal.* LVIII). Non enim inveniebant canes, egregii scilicet apostoli, de quibus et alibi idem Propheta dicit : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (*Psal.* LXVII) : non, inquam, inveniebant copiam escarum apud inimicos Christi Judæos, ex quibus et ipsi secundum carnem erant, paucos quippe ex illis manducare, id est, convertere, et sibimet incorporare poterant. Unde Petro esurienti, quia de Judaismo parum comederat, ostensum atque præceptum est, ut gentes apprehenderet et manducaret. *Vidit* namque *vas quoddam velut linteum quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cæli, dictumque est ad eum : Surge, Petre, macta et manduca* (*Act.* X). Item: *quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris* (*ibid.*). Ex tunc qui hactenus famem patiebantur, dispersi sunt ad manducandum, et murmurantes eo quod saturati non fuissent, et dicentes : *Vobis quidem primum loqui verbum Dei oportebat, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). *Abiit igitur Isaac in Gerara*, scilicet Christus ad regem Abimelech, etc. Abiit, inquam, in istis equis suis super quos ascenderat, id est, prædicatoribus suis, quos mittebat, de quibus et alibi scriptum est : *Qui ascendis super equos tuos et quadrigæ tuæ salvatio* (*Habac.* III). Et peregrinari cœpit in Gerara, id est in gentibus, quas ante nesciebat. Gerara namque metropolis erat Palæstinorum, quod interpretatur *ruentium*, significatque Romam vel Romanum imperium, quondam caput perentium. Abimelech pater meus rex, vel *patris mei regnum*, bene multitudinem significat gentium, non quod pridem sic esset, sed quia ex tunc sic factum est, ut eas recte tali nomine Christus appellaret.

116 CAPUT IX.

Quod timuerit Isaac confiteri Rebeccam sibi sociatam esse conjugio.

Apparuitque ei Dominus, et ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi, etc. Secundum hunc sensum mysticum ordo litteræ, ut ante jam diximus, præposteratus est : etenim postquam ad gentes conversi sunt Christi apostoli, non quo volebant ipsi, proficiscebantur, sed quo vocabat eos Spiritus sanctus, verbi gratia, in Actibus apostolorum scriptum est : Quia *vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia, tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu. Cum autem descendissent Troadem, visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans et deprecans eum dicens : Transiens in Macedoniam adjuva nos* (*Act.* XVI). Et profecti sunt in Macedoniam, certi facti quia vocasset eos Deus evangelizare eis. Igitur in Ægyptum descendere vetitus Isaac, habitavit in Gerara. *Sed interrogatus a viris loci illius super uxore sua*, dixit : *Soror mea est. Timuerat enim profiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne interficerent eum propter pulchritudinem illius.* Sic plane persecutione urgente fideles timebant palam evangelicam celebrare gratiam, et in latibulis se continentes, agebant tamen ut poterant religionem Christianam, *egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, et in speluncis et in cavernis terræ* (*Hebr.* XI). Sed et illuc usque perscrutatus est illos, quia eis *dignus non erat mundus* (*ibid.*). Sequitur ergo : *Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua. Et accersito eo ait : Perspicuum est quod uxor tua sit.* Baptizantes namque clam in cryptis et cæmeteriis martyrum, et cætera celebrantes ut poterant fidei sacramenta, quæ pro joco erant sapientibus mundi, quorum sapientiam Deus stultam fecit (*I Cor.* I), persæpe deprehenderunt, et ad publicum auditorium protraxerunt. Tandem et ipsi terreni principes jugum Christi susceperunt, et ejus quam prius impugnabant evangelicæ fidei, vel Christianæ religionis defensores esse cœperunt. Unde et protinus subditur : *Præcepitque populo, dicens : Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Nempe et primus Constantinus lege edixit quid pateretur quisquis Christiano esset molestus, et deinceps tam gladiis regum quam verbo sacerdotum Christiana religio defensatur.

CAPUT X.

De eo quod dictum est : « Sevit autem Isaac, » et cætera ; et quod invidentes Palæstini puteos ejus obstruxerunt.

Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in anno isto centuplum. Benedixitque ei Dominus, et locupletatus est homo, et ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. Habuit quoque possessionem ovium et armentorum, et familiæ plurimum. Serere pacati et quieti temporis est. Vix enim aut nunquam tempore belli terra bene exculta scritur, ita præsertim ut semen in messe centuplicetur. Igitur per sationem Isaac, cujus centupla inventione locupletatus est homo, proficiens atque succrescens, et magnus vehementer effectus est, illa recte intelligitur magnificentia nominis Christi, qua in pace Ecclesiæ dilatatum, et multiplicatum est se-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

men Verbi Dei, cum sacerdotali auctoritate concurrente potestate imperiali, scilicet ut liceret operariis Evangelii exire ad seminandum, et non liceret adversariis Christi latissimum totius orbis erroribus suis vindicare agrum. *Ob hæc invidentes ei Palæstini, omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo intantum ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nostri factus es valde.* Postquam magnificentia nominis Christi Romanum quoque cepit imperium, et idola contempta sunt, invidia suborta est hæreticorum, per quos diabolus, quia non poterat vi persecutionis exstirpare Evangelium, veritatem corrumpere conatus est Scripturarum. Bene ergo postquam magnus factus est vehementer nimis, ob hoc, inquit, invidentes Palæstini sive Philisthiim quod interpretatur *positione cadentes, omnes puteos quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo :* nam putei, quos foderant servi patris Christi Dei, omnes Scripturæ sanctæ sunt, quas condiderunt Moyses et prophetæ, atque apostoli omnes servi Dei. Hos puteos, id est has Scripturas, quantum in ipsis fuit, hæretici illo tempore obturaverunt, ut non facile inveniri posset ubinam esset doctrina veritatis, intantum ut diceret ipse Abimelech : *Recede a nobis quoniam potentior nostri factus es valde.* Intantum namque aucta est invida hæreticorum vis ut regum quoque et imperatorum corda obtineret, eorumque gladiis utens, pene atrocius quam gentilium error in Christianos desæviret. Porro quod dicit Abimelech, quia *potentior nostri factus es valde*, juxta hunc eumdem sensum constans est; etenim terreno imperio potentius factum est in gentibus cœleste imperium intantum ut feros principes et barbaras nationes, quas imperatorum gladius non attingeret, sacerdotum lingua liget, et latius Romanæ Ecclesiæ pontifices quam Romani imperii dominentur Cæsares. Quamvis enim multis aucta victoriis Roma jus imperii sui terra marique protulerit, minus tamen est quod illi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.

CAPUT XI.

Quid significet, quod pro duobus quidem puteis pastores Geraræ contenderint, de tertio vero non ; et quod Abimelech amicique ejus cum Isaac fœdus inierint.

Et ille discedens, ut venirent ad torrentem Geraræ, etc. Ab hæreticis discedit Christus ; nihil enim cum Deo, nihil cum Christo aut cum Spiritu sancto illi operantur, sed totum quidquid illorum est, diabolo relinquitur. Ipse autem Christus ad torrentem, id est ad auctores Scripturarum, proficiscitur, ad eos qui de cœlo imbrem exspectant, quem et suscipientes in magnum excrescunt torrentem. *Rursum*, inquit, *fodit alios puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, et quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim.* Semper enim quæcunque hæresis exsurgat, semper utique et præsto Christus adest, et de suis aliquos præparat, scientia et sermone ornatos munere suo, qui stare valeant adversus loquaces hæreticos, et mera veritate Scripturarum sitientes potare parvulos. *Appellavitque eos eisdem nominibus quibus pater ante appellaverat*, id est, eadem veritate, eodem Spiritu **117** veritatis fecit eos intelligere Scripturas, quo auctores illarum, quos Pater ante adventum Filii miserat, et quos ipsi Filio dederat, scripserunt eas. *Foderuntque in torrente, et repererunt aquam vivam. Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac dicentium : Nostra est aqua.* Quos foderunt servi patris ejus illos replentes obturaverunt, quos vero servi illius foderunt, non quidem obturaverunt, sed pro illis jurgati sunt et contenderunt. Sic profecto hæretici sacras Scripturas, quæ maxima ex parte ante adventum Christi conscriptæ sunt, terrenis sensibus suis obturaverunt ; quæ autem ab adventu, sive a passione ve resurrectione Filii, sacramenta vivæ aquæ, id est, charismata Spiritus sancti data sunt, non quidem obstruxerunt, sed pro illis contenderunt, dicentes : *Nostra est aqua*, quod est dicere : Nostra sacramenta vera sunt sacramenta, nos quod damus sanctum est, vitale et vivificum est, apud nos solos Ecclesia est. Hoc dicentes mentiuntur pastores, non enim in angulo uno terræ vel in parte cujusquam hæresiarchæ conclusa vel coangustata, sed in omnes gentes diffusa credi debet Ecclesia, juxta quod Filio promisit Deus Pater loquens in Propheta : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Sunt autem putei tres, quos servi hujus Isaac foderunt. Tria namque sunt sancti Spiritus charismata : baptisma scilicet, et impositio manuum, et renovatio cunctorum in generali resurrectione mortuorum, juxta quæ et David in typum Christi et Ecclesiæ, sicut jam alias diximus tertio rex unctus est. Et pro duobus quidem, pastores illi contendunt, pro tertio vero non contendunt, quia videlicet de baptismo, et de impositione manuum rixantur nunc hæretici, sibique vindicando contendunt. Ubi autem universali regeneratione immutabuntur, rixari non poterunt, contendere non audebunt. *Itaque vocavit nomen ejus Latitudo dicens : Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram.* Denique inter calumnias et inimicitias dilatatur Christus et Ecclesia ejus, et super omnem terram crescit magnificentia nominis ejus. *Ascendit autem ex illo loco, in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui*, etc. Futurum hoc est in fine sæculi ut sopitis cunctis jurgiis, tam Judæorum quam hæreticorum, ascendat et altare suum ædificet Christus, ubi nunc non est, et fodiat puteum abundantiæ sive saturitatis reliquiis Israel, ut bibant vivam Scripturarum aquam, simulque Abimelech et Ochozath amici illius, et Phicol dux militum, simulque reges et principes, Judæi pa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

riter et gentiles, cum Christo fœdus inibunt. Ochozath, pro quo in Hebræo habetur collegium amicorum ejus, non tam hominem significat, quam amicorum turbam, quæ cum rege venerat. in quibus fuit et Phicol princeps militiæ ejus. *Fecit ergo eis convivium. Et post cibum et potum surgentes mane, juraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac in domum suam pacifice.* Cum fœdus inierint novissimum faciet illis convivium Christus in regno Patris eorum, et unumquemque dimittet in locum suum, id est, retribuet unicuique secundum opus et meritum proprium, locum vel mansionem condignam : *multæ* enim *in domo Patris sunt* (*Joan.* XIV). *Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac dicentes : Invenimus aquam.* Finis omnium, quæ de Isaac sunt, gratulatio est dicentium : *Invenimus aquam.* Et recte. Nam, ipso die quo complebuntur omnia quæ de Christo sunt, laus et gratiarum actio personabit, dicentium : Quia per te, Christe, invenimus fontem *aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV). *Unde et appellavit eum Abundatiam, et nomen urbi impositum est Bersabee usque in præsentem diem.* Hoc loco nomen civitatis Bersabee interpreatur *puteus abundantiæ*, sive *puteus saturitatis* ; licet enim supra ex verbo juramenti, sive ex septenario ovium numero, quod Sabee dicitur, asseruerimus Bersabee appellatam, tamen nunc ex eo quod aqua inventa est, Isaac ad nomen civitatis, quæ ita vocabatur alludens, declinavit paululum litteram, et pro stridulo Hebræorum *sin*, a quo Sabee incipitur, Græcum *sigma*, id est, Hebræorum *samech* posuit. Civitas ergo aquarum viventium, id est, electorum omnium, beata societas, puteus saturitatis, sive abundantiæ vocatur, completo videlicet quod Psalmista nunc imprecatur illi dicens : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* CXXI).

CAPUT XII.

De uxoribus Esau, quæ ambæ animum Isaac et Rebeccæ offenderunt.

Esau vero quadragenarius duxit uxores Judith filiam Berei Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ. Superioribus sermo continuandus est, ubi dictum est : *Et abiit parvipendens quod primogenita vendidisset* (*Gen.* XXV). Et ecce in initio narrationis filiorum, degeneratio supplantati et adhuc supplantandi Esau denotatur, qui magis ac magis declinando, minori fratri locum fecit, ut magis ac magis imminens teneret plantam ejus. Nam, sicut superius primogenita sua propter escam vendidit, sic et nunc uxores ducens alienigenas, per concupiscentias suas animum Isaac et Rebeccæ offendit, quia benedictionem seminis Abrahæ contempsit. Si enim in illa benedictione filios generare optasset, nequaquam duxisset uxorem de filiabus eorum, quos et Pater improbasset, et avus Abraham vitandos judicasset, et super quibus matrem Rebeccam vitæ suæ tæderet. At ille et horum judicium contempsit, et Dei promissiones non curavit, videlicet affinitate hominum habitatorum terræ laudabilem et inclytum se posse fieri, magis quam ope vel gratia Dei. Unde et nomina cognationis eximia præsens Scriptura non omisit : *Judith*, inquit, *filiam Berei Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci.* Judith *laudans*, Berei *putei mei*. Basemath *in nominibus*, Elon *roborans* sive *quercus* interpretatur. Ipsis nominibus manifeste coargui videtur quod laudari, et sine Deo ditari, nominatus esse, et in terra roborari appetens, peccatorum se affinitatibus immerserit, super quos merito *irruat formido et pavor* (*Exod.* XVI) secundum nomen Hethæi, quod interpretatur *formido* sive *pavor*. Qui ergo intus a gratia Dei excidit, merito foris quoque reprobatus est, quod protinus sequens narratio declarabit.

CAPUT XIII.

De eo quod senuerit Isaac, et cur unam tantum benedictionem habuerit.

(CAP. XXVII.) *Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat. Vocavit autem Esau filium suum, et dixit ei : Fili mi. Qui respondit, Adsum. Cui pater : Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram et arcum,* **118** *et egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Hic jam præterundum non est cur unam tantum benedictionem habuerit Isaac. Sic enim Esau ejulando dixit : *Num unam tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque obsecro ut benedicas. Dixerat namque pater : Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi. Frumento et vino stabilivi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* Quærendum ergo cur unam tantum benedictionem habuerit, quale sit frumentum et vinum, quod divisis communicari non possit, ut clarescat simul, cur eamdem benedictionem justius Jacob, quam Esau hæreditate possidere debuerit. Primo dicimus non multa semina, sed unum esse semen (*Gal.* III), quod est Christus, de quo promissum fuerat Abrahæ, quod in illo omnes gentes benedicerentur. Quam vero præter illud semen benedictionem haberet pater? Necessario igitur unam tantum habuit. Erant autem duo fratres, et ex illis duo populi contra alterutrum dividendi, juxta veritatem dicentis : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur* (*Gen.* XXV). Quomodo ergo illis divisis communicaret unum semen, quod est Christus? Ille quippe unus est, et non in divisione, sed in unitate est. Oportebat igitur alterum alteri præferri, et prælatus est quem Deus commendavit, non quem caro et sanguis commendare volebat jure primogeniti. Ejus supplantationis præsens lectio, juxta simplicem litteram, aperta narratio est. Ipsa autem primogenita tradunt Hebræi hæreditatem vel successionem fuisse sacerdotii, vel vestimenta illa sacerdotalia fuisse, de quibus hic scriptum est : *Et*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vestibus Esau valde bonis, quas apud se domi habebat, induit eum. Primogenitorum namque jure, aiunt illum fungi debuisse officio sacerdotali, et idcirco jam habuisse vestimentum sacerdotale, quo indutus Deo victimas offeret, sicut et omnes primogeniti, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur.

CAPUT XIV.

Qualiter imitandum in Ecclesia sit Rebeccæ exemplum, Jacob pro Esau ad benedictionem instruente.

Hic ergo jam et illud quæritur, quomodo sacerdotium sic fraudulenter subreptum, ratum esse debuerit, cum lex usque hodie sit, ut quisquis invocatus ad benedictionem ordinationum accesserit, easque aliunde ascendendo rapuerit, benedictio non solum irrita judicari, sed et maledictionem illi jure debeat converti? Ad hæc facilis patet responsio, quia videlicet nequaquam damnabili modo benedictionem ille subripuit, imo quisquis hodie, non ejus promovetur exemplo, nos, secundum Evangelium loquentes, dicimus quod *non per ostium* ingressus sit, sed *aliunde* ascenderit (*Joan.* x). Lex enim est ut non pro munere quolibet, manus, obsequii, aut linguæ, quempiam debeat quis ordinare, sed eum quem pro vitæ merito elegerit testimonium præsentis Ecclesiæ. Quid ergo? Nonne Isaac, juxta anagogen, personam gerit eorum qui pro commodo vel pro pastellatico favorabiliter ordinare contendunt? Cum enim dicit : *Sume arma tua, pharetram et arcum, et egredere foras; cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum;* et deinde subjungit, *et benedicat tibi anima mea antequam moriar*, nonne manifeste commodum pro benedictione flagitat? Nec tamen in hoc sancto viro derogatur, sed magis placet id quod in illo provisor futurorum, ad ædificationem nostram Spiritus sanctus operatur. Igitur Isaac præsenti loco cujusque summi pontificis; Rebecca Ecclesiæ, quæ subjectio est, personam gerit; duo filii, Jacob et Esau, illos præsentant qui in domo Ecclesiæ contrariis moribus et diverso fine sanctum propositum erudiendi proponuntur. Et quidem sacerdos summus commissæ sibi Ecclesiæ, tanquam vir conjugi, vel tanquam caput corpori præest. Verumtamen ordinandorum electio, non penes ipsum solum, sed penes Ecclesiam est, illo nempe in curis plurimis senescente, et interdum curarum exteriorum pulvere oculis ejus caligantibus, ipsa filios suos clarius atque expeditius videt, novit actus, intuetur propositum, considerat profectum vel defectum singulorum. Cum ergo audierit quod pontifex cujuspiam indigni delinitus obsequiis, eum promovere ac meliori præferri voluerit, exemplo Rebeccæ debebit uti, quæ et viri sui placitum non reprehendit, et tamen egit consilio, ne pater majorem, venationibus ejus delectatus, præferret meliori, memor quid sibi dictum fuisset a Deo, quia *major serviet minori.* (*Gen.* xxv). Itaque nequaquam ille damnabili furto subripuit, sed potius ordine servato justitiæ, dignus accessit voluntate Dei, et ejus electione, quæ fuerat conscia meriti.

CAPUT XV.

Sanctum virum, cur Deus in amorem declinare permiserit reprobi, et quid hædi duo vestesque Esau significent.

Item quæritur cur sanctum virum Deus in amorem reprobi declinare permiserit, cur a nesciente et non vidente illum qui non vocatus fuisset benedici voluerit? Hic primo dicimus non venisse Dominum *nisi ad oves perditas domûs Israel*, nec voluisse panem accipere *filiorum*, et dare eum *canibus* (*Matth.* xv), et benedictionem primam Judæorum populo detulisse, quibus credita sunt eloquia Dei, et repromissio, et legislatio, et confessio testamenti (*Rom.* ix), verum, quia credere noluerunt illi, ad Jacob, id est, ad minorem populum benedictionem esse translatam, neque tamen majorem filium penitus fuisse despectum, quia cum subintravit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* xi). Itaque cœptum superius sensum allegoricum in promptu habemus, et jamdudum traditum a sanctis Patribus, nunc ore totius Ecclesiæ celebratur. *Senuit* namque verus *Isaac*, scilicet Dei Filius, *et caligaverunt oculi ejus*, quando vetustate et senio nostræ naturæ indutus, morte quoque corporea fuit obscuratus. In ipsa caligine senectutis jussit primogenito suo Esau : *Sumè*, inquiens, *arma tua, pharetram et arcum, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum.* Etenim tota vita et in ipsa morte sua, priorem populum ad pœnitentiam per semetipsum invitabat, et per apostolos suos, post gloriam suæ resurrectionis, ut credendo illum sibi cibum offerret, de quo dicit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* iv). At ille tardavit, et nunc usque vagatur foris. Interim Rebecca, id est mater gratiæ, cujus affectus ab humano affectu patris hujus, in alium filium declinaverat, juniorem filium, id est, populum gentium subintrare suasit, ad præoccupandum hæreditatem benedictionis, non vacuum, sed cum duobus hædis. *Non enim apparebis*, inquit lex, *vacuus in conspectu Domini Dei tui* (*Deut.* xvi). Et quidem unus **119** sufficere poterat esui, etenim nec unus homo sufficere posset ad esum hædi (*Exod.* xii), sed et hoc in figura contigit, quia videlicet eum, qui accedit ad gratiam benedictionis Christi professionem habere oportet, Novi pariter et Veteris Instrumenti, et talis confessio cibus est Christi Filii Dei. *Et vestibus*, inquit, *Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Has vestes paterfamilias in Evangelio nominibus suis exprimit; reverso ad se filio qui perierat et inventus est, qui mortuus fuerat et revixit : *Cito*, inquit, *proferte stolam primam et induite eum, et date annulum in manu ejus, et calcea menta in pedibus ejus* (*Luc.* xv). Quæ senior ille filius, id est, prior populus pro culpa sua perdidit. *Pelliculasque hædorum circumdedit manibus, et colluvia protexit.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XVI.

Non mirandum quod falsus est Isaac, ut adeo dixerit, « Vox quidem vox Jacob, manus, » etc

His ita falsus est Isaac, ut diceret : *Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Nec mirum quod vir justus aliquid ignoraverit et contra voluntatem suam fecerit. Nullus enim homo, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est indutus humanam, plenam habuit scientiam et certissimam veritatem. Denique Paulus *ex parte* cognoscit, et *ex parte* prophetat, et *nunc per speculum* vidit *in ænigmate* (*I Cor.* XIII), et secundum quod oportet orare nescire nos dicit (*Rom.* VIII), quia, *cum venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur* (*I Cor.* XIII). Samuel propheta connumeratus Moysi in sacerdotio Dei (*Psal.* XCVIII), ad ungendum regem missus cum maximum filiorum Jesse vidisset Eliab, ait : *Ecce coram Domino Christus ejus. Et dixit Dominus ad Samuel : Nolite respicere faciem ejus, neque staturam, quoniam reprobavi eum, quia non quo modo videt Deus, homo videt. Homo enim videt in facie, Deus autem inspicit cor* (*I Reg.* XVI). Et per singulos semper ignorans, usque ad David nescisse describitur. Elisæus quoque, qui duplici glorificatus est spiritu, cujus ossa vitam exanimi cadaveri reddiderunt (*IV Reg.* XIII), cum Sunamitis ad eum venisset in montem, et ad pedes ejus flebiliter corruisset, Giezi prohibente ne faceret, ait : *Dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine est, Dominus abscondit a me, et non nuntiavit mihi* (*IV Reg.* IV). Plura sunt, quam ut exemplis debeamus docere, sanctos viros et Deo charos ea tantummodo scisse quæ eis a Domino revelata sunt, ignorasse vero quæ eis revelata non fuerant, et ad singulas visiones Zachariam atque Danielem interrogare angelum, et suppliciter deprecari ut exponat sibi quæ sunt illa quæ viderant.

CAPUT XVII.

De benedictione ejus, quemadmodum super Christo intelligatur.

Statimque ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam benedicens ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus. Vestimenta prædicta, scilicet stola prima quam habemus in lavacro, et calceamenta pedum quæ sunt antiquorum exempla sanctorum, annulus quoque, id est fidei signaculum, cæteræque virtutes, sive orationes pœnitentium, magni et suavissimi odoris sunt. Talibus ergo delectatus benedictionis auctor : *Ecce*, inquit, *odor filii mei, sicut odor agri, quem benedixit Deus*, subauditur, sit. Sequitur enim : *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini.* Siquidem agri est, quem benedixit Deus, accipere de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini, et talium abundantia repleri, id profecto a Deo est benedici. Est autem rationali creaturæ ros cœli non aliud quam gratia Spiritus sancti quæ peccata remittit; pinguedo autem terræ, vel abundantia frumenti et vini, adapertio sensus ad intelligenda quæ latent in Scripturis mysteria regni Dei. Illic enim latet granum frumenti quod *cadens in terram mortuum fuit*, et *multum fructum* attulit (*Joan.* XII), et *vinum* quod lætificat *cor hominis*, et oleum in quo faciés hilarescit (*Psal.* CIII). Igitur cum dicit : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Deus*, et continuo subjungit, *det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini*, prophetat simul et optat illud quod nunc factum est, et fit usque in finem sæculi, scilicet quod seminis Abrahæ per fidem velut unus est ager latitudo totius mundi, gemino fecundatus munere Spiritus sancti, altero quod est in remissionem peccatorum quo vero cœli rore innovatur facies orbis : altero, quod est diversarum distributio gratiarum, ejusdem Spiritus sancti quo ditescimus in omnibus, juxta Apostolum, *ut in ulla gratia nihil* nobis *desit* (*I Cor.* I). His dictis quasi de toto corpore ad caput verba convertit. Et *serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.* Quis enim est ille, cui serviant populi, et quem adorent tribus, nisi caput seminis Abrahæ, et Isaac et Jacob, scilicet Christus, qui non tantum homo, sed et Deus et homo unus est Jesus Christus? Ille nempe *fratrum suorum Dominus*, et coram illo omnes *filii matris* ejus, id est, omnes cives supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, jure incurvantur, quia videlicet omnes fratres ejus per adoptionem sunt Filii Dei, et omnes adoptati fratres ejus; ille autem solus est naturalis filius idem hominis et idem Dei filius, ex altero quidem frater, ex altero autem fratrum suorum adorantium Deus, servientium Dominus. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Maledicit Christo qui blasphemat Christum, ut, exempli gratia, venenatæ linguæ Scribarum et Pharisæorum dicentium : *Dæmonium habet* (*Joan.* X); *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII), et his similia. E contrario benedicit Christo, qui confitetur et laudat Christum, qui corde et labiis dicit : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI). Dicit autem Apostolus quia *nemo loquens in Spiritu Dei, dicit anathema Jesu; et nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII). Igitur quia qui Christo maledicit, Spiritu sancto caret, quod est vere maledictum esse, et qui benedicit illi, in Spiritu sancto loquitur, quod est vere benedictum esse. Spiritus quippe sanctus vera et sola benedictio est Dei, recte *qui maledixerit*, inquit, *tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur.*

120 CAPUT XVIII.

Quod carnales Judæi similes Esau sint, qui spiritualem benedictionem non quæsivit, deque odio Esau.

Vix Isaac sermonem complevérat, et egresso Jacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos, intulit patri, dicens : Surge, pater mi, et comède de venatione filii tui, et benedicat mihi anima tua, etc. Per-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

spicuum est quod Esau, sicut fide carebat, sic nec scientiam, nec spem seminis illius habebat, quod est Christus, in quo benedictionis paternæ summa constabat. Dicit enim inter alia : *Num unam tantum benedictionem habes, pater?* Sed de hoc jam supra dictum est, cur unam tantum benedictionem habuerit, et cur una eadem benedictio duobus fratribus communicari non oportuerit, scilicet quia divisi illi, et dividendi erant, juxta responsum dicentis : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur* (*Gen.* XXV). Itaque, quoniam in his gemiuis fratribus liquido patet illud quod futurum erat usque in finem sæculi, scilicet ut divisis contra se illis, qui ex carne tantum, et eis qui ex fide sunt Abrahæ, eorum tantum Christus foret hæreditas, qui esset ex fide, quorunque secundum carnem fluxissent ex homine. Extremum sermonem, id est, benedictionis reliquias audiamus. Ille qui non unam, sed multas quærebat benedictiones dicens : *Num unam tantum benedictionem habes, pater?* magnoque ejulatu fleret. *Motus Isaac, dixit ad eum : In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Hæc pinguedo terræ et hic ros cœli ab illo differt, qui supra in benedictione Jacob præscriptus est. Ille namque talis est quem consequatur servitium populorum, et adoratio tribuum, incurvatio fratrum, et benedictio cunctorum, quicunque Dei benedictione digni sunt. Hanc autem terrena consequuntur. *Vives*, inquit, *gladio, et fratri tuo servies.* Quod et, secundum historiam, factum est. Posuit namque David in Idumæa custodes, statuitque præsidium, et facta est universa Idumæa serviens David (*I Par.* XVIII), rectius tamen hic illa intelligitur servitus, de qua Sapientia dicit : *Servo sensato liberi servient* (*Eccli.* X). Hoc loco pinguedo terræ et ros cœli temporalis est saturitas ventris. Et hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippe qui propter unam escam primogenita sua vendidit. Hanc diebus Titi et Vespasiani Judaicus populus, magno ejulatu requisivit, tenens in manibus cibos, non quibus libenter Isaac vesceretur, de venatione sua quos coxerat, id est, incredibili pertinacia magis quam tolerantia inter gladios hostium et sanguinem suum victimas importunas offerens, ita ut ante aram (quod mirum erat hostibus spectaculum) et cadentes offerrent, et caderent offerentes. Verum jam sacerdotii dignitas ad juniorem transierat filium, ejusque oblationibus plenus pater, jam rebus ipsis loquebatur quod per prophetam fuerat prælocutus : *Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* I). Sane quod hic tandem dictum est. *Tempusque veniet cum excutias, et solvas jugum ejus de cervicibus tuis*, et secundum historiam factum est, et secundum allegoriam futurum est. Nam et temporibus Joram filii Josaphat recessit Edom, *ne esset sub ditione Judæ* (*II Par.* XXI), et circa finem sæculi is qui nunc est Esau, serviens in littera non erit, ut nunc est *velamen habens malitiæ libertatem*, *sed* erit *sicut* sunt *servi Dei* (*I Petr.* II), quibus nunc servit, codices suos ad usum illorum circumferens : erit, inquam, et ipse sicut servi Dei, servus quidem justitiæ, liber autem peccati (*Rom.* VI). Porro qualis illius fletus vel ejulatus fuerit, lectio manifestat, cum protinus subjungit : *Venient dies luctus patris mei, ut interficiam Jacob fratrem meum.* Recte ergo ut Apostolus ait : *Pœnitentiæ locum non invenit, quamvis cum lacrymis requisisset eam* (*Hebr.* XII). Talis enim erat animus ejus in ipso fletu et ejulatu, qualis et Cain, quando propter Abel decidit vultus ejus (*Gen.* IV).

CAPUT XIX.

Quid significet quod benedictionis subreptionem illam æquanimiter Isaac toleravit, et quod ad Rebeccæ suggestionem, Jacob ad uxorem misit accipiendam.

Nuntiata sunt hæc Rebeccæ. Si hæc dixit in corde suo, quomodo nuntiata sunt Rebeccæ? Sed sciendum quia ille quidpiam dicit in corde suo, qui illud quod dicit non vult audiri in publico, sicut e contrario ille palam loqui recte dicitur, qui illud quod dicit, ubicunque dicat in publico audiri vult. Unde et Dominus qui discipulis multa secreto dixerat, dicit tamen pontifici : *Ego palam locutus sum mundo, et in occulto locutus sum nihil* (*Joan.* XVIII). *Quæ mittens et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum : Ecce jam Esau frater tuus minatur ut occidat te; nunc ergo, fili, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos*, etc. Omne consilium pro Jacob a Rebecca sumit initium. Ipsa ad subripiendam benedictionem illam submisit, ipsa fugæ consilium prior porrigit, et deinde pro conjugio quoque ejus sollicita, dicit ad Isaac : *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ nolo vivere.* Isaac et subreptionem benedictioni æquanimiter tolerat, et consilium vel placitum ejus optimum comprobat, ut communicato consensu mittatur Jacob ad accipiendam uxorem de filiabus Laban. Sic nimirum omne consilium salutis gentium coram Domino nostro Jesu Christo ab auctoritate Scripturæ processit. Nam ille quidem, pro humano affectu Judaicum populum fovere volebat, quemadmodum *gallina congregat pullos suos sub alas* (*Matth.* XXIII). Verumtamen, exigente Scripturarum veritate ut relinqueretur illis domus sua deserta (*ibid.*), si ille non contradixit neque retrorsum abiit, quomodo et Isaac pro defraudatione Esau, vel submissione Jacob, nullum contra Rebeccam, vel contra Jacob verbum fecit. Monstrat illa qualem nos gentes tenere debeamus religionem, scilicet de fide Patrum, non de cæremoniis Judæorum, sicut in Actibus apostolorum placitum esse legimus Spiritui sancto apostolis (*Act.* XV), et Christus quanquam nihil super hac re præcepisset dum cum illis esset, sed potius dixisset : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X), judicium tamen hoc appellat, et ratum duci

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XX.

Item de eadem re, et quod Esau in Judæorum typum auxerit peccatum suum.

(Cap. XXVIII.) *Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit, præcepitque ei dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan, sed vade et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel,* **121** *patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban, avunculi tui.* Quem jam ipse nesciens imo quem Deus benedixerat per ipsum nescientem, eum nunc vocat ex nomine, et scienter benedicit, id est, datum in illo confirmat subreptæ benedictionis. Porro Esau, sicut superius dictum est, alienigenis uxoribus cum offensione paterni et materni animi adhærendo, non jam Abrahæ, non Isaac, aut Rebeccæ filius erat, quippe qui non in benedictione seminis Abrahæ, sed nomine suo in carne sua generare, et aliam quam Dei domum ædificare cœperat. Benedixit ergo filium suum pater Isaac. At vero finis ejusdem benedictionis, non alius sperabatur quam ipsum semen Abrahæ, quod est Christus. Recte ergo benedicentis hæc verba sunt. *Deus autem omnipotens benedicat tibi et crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum, ut det tibi benedictiones Abraham et semini tuo post te, ut possideas terram peregrinationis tuæ quam pollicitus est avo tuo. Videns autem Esau, quod pater suus benedixisset Jacob, probans quoque, quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque his quas prius habebat, Mahelet filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabajoth.* Aut velut insipiens aut at vere stultus, fecit hoc Esau. Nam, si tædium matris aut offensionem paterni animi lenire voluit, insipientiæ fuit hoc pacto id facere velle, et hac intentione inconsultis parentibus, quos jam in aliis uxoribus offenderat, ad servilia declinare tabernacula, quod erat cum ejectis exire foras. Sic nempe Sara locuta est : *Ejice ancillam et filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI), et sic factum fuerat. Sin autem, quod verius est, quia parentibus quoque propter Jacob iratus erat, sicut Cain, et conciderat vultus ejus, idcirco ut eos amplius offenderet, egit ita, procul dubio stultus fuit. Utrolibet modo, conjugia sua cum offensione parentum triplicaverit, excusationem non habet; simul enim insipiens et stultus peribunt (*Psal.* XLVIII). Sic et Judæi, qui et prius propter traditiones hominum traditiones Dei reliquerunt (*Matth.* XV), et postea persequentes Christum ac discipulos ejus amplius in Ismaelem degeneraverunt testante Apostolo, cum dicit : *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* IV) utrolibet modo id faciant, sive per insipientiam, sive per stultitiam *excusationem de peccato suo non habebunt* (*Joan.* XV).

CAPUT XXI.

De peregrinatione Jacob, et de visione ejus.

Igitur egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haram

A *cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere, post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* Non ergo frustra Apostolus patres nostros peregrinos vocat et advenas. Cum enim dixisset : *Juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus, sed a longe aspicientes eas, et salutantes ;* addidit continuo : *Et confitentes, quod peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem* (*Hebr.* XI). Ecce illorum ejusmodi confessionem sive exspectationem, in Jacob agnoscere promptum est. Nunquid adeo tenuis erat et pauper,
B ut de terra sua exiret per necessitatem in baculo suo, sicut postmodum fatetur ipse cum dicit : *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior ?* (*Gen.* XXXII.) Nam, quod ita solitarius exierit testatur et illud, quod non habuit ubi caput reclinaret, nisi quod *tulit de lapidibus qui jacebant et supposuit capiti suo, et dormivit in eodem loco.* Nonne pater ejus vehementer magnus erat? sic enim paulo ante scriptum est : *Quia locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est, in tantum ut ipse Abimelech diceret : Recede a nobis, quoniam potentior nostri factus es valde* (*Gen.* XXVI). Sed et avus hujus Abraham regum victor, nulli dubium, quin dives et inclytus fuerit. Quid igitur nisi magna et
C imitatione digna paupertas spiritus in hoc patre nostro Jacob spectanda nobis proponitur in tali ejus exitu, cum ad accipiendam uxorem proficiscitur, fide paterna exspectans, quod de semine suo salus mundi, et omnium gentium benedictio Christus nasceretur? O profugium cœlestis asyli protectione dignum, qui sola fide absque lectione Scripturarum doctus erat, quod ad possidendam benedictionis hæreditatem, ad seminandam beati seminis exspectationem, non pompatice, sed humiliter et conscientia supplici esset ingrediendum. Porro quam veraciter dictum sit : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* XXXIII), ex isto claret quod continuo sequitur : *Viditque in somnis scalam*
D *stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac.* Hunc imitantur quicunque benedictione Dei Patris et Filii ejus Jesu Christi, cum gratia Spiritus sancti missi, ad spirituale semen seminandum depositis sæculi oneribus, nudi et expediti ad destinatum tendunt, vigilantque et in omnibus laborant, et sobrii sunt, nihil se scire judicantes *nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II), et cum Apostolo dicentes : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII). Illis porta cœli aperitur, et ascendentibus scala hæc erigitur, quæ huic apparuit, per quam et ascendentes et descen-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dentes angeli monstrantur. Non aliud sine dubio descensus ille, et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in hoc sæculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cœlum. Latera enim ejus scalæ dicimus, nostrum esse corpus et animam. In quæ latera diversos gradus humilitatis vel disciplinæ evocatio divina inseruit ascendendos.

CAPUT XXII.

Mystice de eadem visione.

Verumtamen, ut ad rem præsentem propriamque viatoris attineat personam, dicendum est juxta allegoriam quid significet scala hæc, sublimitate sua tangens cœlos, portamque apertam habens innixo sibi Domino. Hæc plane magna est dignatio supernæ propitiationis, quæ super hunc peregrinum talem vel profugum viscera sua non continuit, quin properaret ostendere, quam tutum illi et semini ejus præpararet refugium, in altitudine cœli. Quid enim illi est scala hæc tantæ altitudinis, nisi illa seminis series, quam omnes novimus secundum evangelicum librum generationis Jesu Christi Filii Dei? Ejus namque gradus scalæ supremus est, cui et Dominus fuit innixus, non alius quam Joseph in illa generatione **122** novissimus vir *Mariæ de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* (*Matth.* I). Nonne scalæ innixus fuit Dominus cum hujus paterna ope et pia vectatione indigens uteretur Deus, homo factus, de loco ad locum fugiens Herode persequente. Pupillus in hoc mundo, id est absque carnali patre genitus? Vidit igitur scalam summis suis innixum habentem Dominum, tangentem cœlos, aperientemque cœli portam, et tali figura prævidit sibi innixum Dominum, generationem suam, id est, de se incarnatum habituram, per quam cœlos attingeret et portam cœli hactenus clausam hominibus introiret. Et hoc somnium rei congruit ac tempori, secundum personam vel negotium ejus qui vidit. Tunc enim ibat cum benedictione Dei, et præcepto patris sui, ut uxorem acciperet *de filiabus Laban avunculi sui*, cum fide et spe ejus, quæ ad avum ipsius facta est repromissionis. *Vidit et angelos ascendentes et descendentes per eam.* Angeli Dei, id est, nuntii sancti, prædicatores sunt veritatis, nuntii vel testes utriusque, divinæ pariter et humanæ generationis Jesu Christi. Hi nunquam sursum et deorsum fixi consistunt, nunquam enim parum Deum aut parum hominem prædicant esse semen Abrahæ Jesum Christum, sed sursum ac deorsum inoffenso pede currentes, dicunt ascendentes, quia *in principio erat Verbum*, dicunt descendentes, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Descendendo, Deum hominem factum; ascendendo, fatentur Deo hominem unitum. Idcirco recte duo generationis hujus prædicatores, Matthæus et Lucas, ascensum hunc et descensum sibi diviserunt, ut ille ab Abraham descenderet usque ad Virginis uterum (*Matth.* I); hic ab ipso, qui putatur filius Joseph, ascenderet usque ad Deum (*Luc.* III). *Terram*, inquit, *in qua dormis tibi dabo, et semini tuo.* Hoc de semine carnis dictum est, porro quod sequitur : *Dilataberis ad occidentem et orientem, septentrionem et meridiem, de semine fidei dixit*, sic enim conclusit. *Et benedicentur in te, et in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Illud ante, hac post Christi seminis ejus adventum factum est. Nam in duodecim tribubus suis, terram, in qua dormiebat, tunc illi dedit : in Christo totum mundum per quatuor partes ejus benedixit. Nec non et quod addidit : *Et ero custos tuus quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc; nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi :* tam de ipso, quam de semine ejus dictum et factum est, non enim dimisit donec reduceret eum dicentem : *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior* (*Gen.* XXXII). Non dimisit semen ejus, donec de Ægypto educeret eos in hanc terram, *cum argento et auro*, ita ut in *tribubus eorum non esset infirmus* (*Psal.* CIV). Non dimisit nihilominus dilatare in quatuor partes mundi semen ejus, quod est Christus, sicut scriptum est : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII).

CAPUT XXIII.

De eo quod ait, « Vere Dominus est in loco isto, » et quis ille locus.

Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis est locus iste, inquit ; non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. Dominus est in loco isto cum dicit, subaudiendum est, præsentia gratiæ; nam et in isto, et in omni loco est magnitudine præsentiæ. Siquidem de majestatis immensitate verissime dictum est : *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI). Item : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus* (*Isai.* VI). *Pavensque, quam terribilis est locus iste inquit : non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Notandum quod non ipsum Dominum, sed locum pavescit, et terribilem esse dicit. Quidnam pavoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco illo in somnis vidit. Nempe et in aliis locis tam huic quam patribus ejus Abrahæ et Isaac multoties idem Deus apparuit. Ergo non dubium quia propheta fuit, sicut et in psalmo de hoc et de prædictis ejus patribus scriptum est : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV), et hic per spiritum prophetiæ dilatato corde, quid significaretur hujusmodi somnio, prævidit illumque locum, cujus iste figura erat, expavit. Qui videlicet locus Ecclesia Dei est; unde Psalmista : *Deus*, inquit *in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVIII), Ecclesiam ergo Dei futuram, et in ea terribilia Dei opera, quæ, ut ait Apostolus, innotuit *principatibus et potestatibus in cœlestibus multiformis sapientia*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dei (*Ephes.* III), iste miratus expavit, sicut expaverat prophetico nihilominus spiritu Habacuc, quando dixit : *Domine, audivi auditum tuum et timui* (*Habac.* III), consideravi opera tua et expavi. Quorum videlicet operum hæc summa est, quod sicut paulo ante jam dictum est, per humanitatem Christi aperta est porta cœli et cœlestia juncta sunt terrenis.

CAPUT XXIV.

Quæ causa fuerit, ut surgens mane, lapidem quem supposuerat capiti tolleret, erigeretque in titulum perfundens oleo.

Surgens ergo mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Quæ causa vel ratio fuit, ut *surgens mane* tolleret *lapidem, quem supposuerat capiti suo et* erigeret *in titulum fundens oleum desuper, nomenque urbis appellavit Bethel,* quod interpretatur *domus Dei ;* eadem omni homini, omni loco dominationis ejus esse debet ædificandi domum nomini Domini. Primum est, ut hujus exemplo confitens quod peregrinus sit et advena super terram, *lapidem* supponat *capiti suo,* id est conscientiam suam collocet in Christo, ut dormiens requiescat in illo, juxta præceptum vel consilium ipsius dicentis : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). In illa requie sua dormiens somniet, id est, credendo videat *nunc per speculum et in ænigmate,* quia *facie ad faciem* (*I Cor.* XIII) videre non potest jam præteritum, quod ille vidit futurum, scilicet scalam cui Dominus innixus sit, id est evangelicam, de qua jam supra dictum est, generationem Jesu Christi filii David, filii Abraham, quæ cœlum attingit et portam cœli nobis aperuit, quæque soluto pariete inimicitiarum (*Ephes.* II), cœlestibus terrestria conjunxit, et completum est quod ipse prædixerat : *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlos apertos, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I). Hæc inquiam dormiens et dicens : *Ego dormio, et cor meum vigilat, tota nocte somniet* (*Cant.* V), id est, tota vita sua in pace et quiete cordis sui meditetur. In hac enim fide quisquis erigit altare ad invocandum nomen Domini, ipse est Jacob per unitatem fidei, hac distantia, quod ille futura somniavit et credidit, hic autem præterita vel præsentia legit vel audit, et nihilominus credit. Hæc igitur dicta **123** Jacob evigilantis et exclamantis : *Vere Dominus est in loco isto,* et cætera quæ sequuntur, bene catholica Christi Ecclesia, de ore ejus rapuit, et de omni loco in quo invocatur nomen Domini veraciter protestatur, et constantissime dicit : *Terribilis est locus iste, hic domus Dei et porta cœli.* Ubi enim sanctum celebratur baptisterium et corporis ac sanguinis Domini conficitur sacramentum, unde animæ fideles cœlo renascuntur et angelorum descendentium et ascendentium manibus feruntur in cœlum, quid nisi *porta cœli,* et infernalibus portis *terribilis locus est?* Et illic lapis tituli, et hic lapis altaris, solemniter perfusus oleo benedictionis Christum significat, quem unxit Deus oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal.* XLIV). Quod autem in parietibus, visibilis structuræ lapides singuli, hoc in spirituali ædificio sunt homines singuli. Proinde non vane consecratio templi vel altaris festivis laudibus, per annos singulos celebrari consuevit. Nam sicut altare Christum, et singuli lapides parietum, singulos significant electos, vivos utique lapides (*I Petr.* II) superædificatos super fundamentum apostolorum et prophetarum ad construendum unius Ecclesiæ templum (*Ephes.* II), sic omnia quæ sub nominibus altaris, lapidumque sive fundamentorum atque murorum decantamus, opportunæ gratiarum actiones sunt, pro principali unctione Christi sancti sanctorum et pro regeneratione quorumque fidelium ; nec enim poterat fieri, ut quisque nostrum diem suæ regenerationis annuatim solemnizaret, nec rursum omittenda erat absque memoriali celebritate tantæ gratiæ jucunditas quæ singulis nostrum de domo Ecclesiæ collocata est. Igitur qui diversis temporibus nati, diversis nihilominus temporibus Ecclesiæ sacramentis quæ suis in locis aguntur, renati sumus, opportune pro particularibus festis universalia locorum in quibus vitalia Dei dona percepimus, festa celebramus.

CAPUT XXV.

De voto Jacob.

Vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Dominus mecum, et custodierit me in via per quam ambulo ; et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum. Hoc et corporaliter ab eis, qui ejusmodi facultates habent, et spiritualiter ab omnibus, tam ab illis qui utuntur hoc mundo, quam ab illis, qui nihil habent in hoc mundo, agendum est : *Quoniam cogitatio hominis,* inquit Psalmista, *confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi* (*Psal.* LXXV). Ac deinceps : *Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera, terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ* (*Ibid.*). Verum nec ipsa voventis oratio conditionalis a nobis prætereunda est ; nam cum dixisset : *si Dominus fuerit mecum, et custodierit me in via per quam ambulo,* hoc etiam addidit filius potentis, ut superius jam dictum est, magnique vehementer ac divitis hominis : *Et dederit mihi panem ad edendum, et vestimentum ad induendum.* Hoc tanquam pauper, et ut vere Dei mendicus dixit. Nec mirum, cum et rex maximus atque fortissimus in psalmo egenum se et pauperem profitetur. *Ego vero,* inquit, *egenus,* sive ego mendicus autem *et pauper sum* (*Psal.* LXIX). Item : *Quoniam inops et pauper sum ego* (*Psal.* LXXXV). Bonum ergo ex patribus exemplum filiis provisum est ut quantumcunque divites simus, dicamus mendici omnes ante fores superæ gratiæ : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI). Nec vero solum panem spiritualis alimoniæ, sed panem quoque vitalem dignemur a Patre omnium Deo flagitare (*Joan.* VI), ut illum quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

que ex dono ejus fateamur nobis esse, qui solus potuit et dignatus est creare, non minus regi in solio fulgenti, quam sedenti ad molam necessarium viduæ. Triplicem itaque ut veri pauperes precemur panem a Patre sub uno nomine, panem scilicet vitæ æternæ, de quo dixit : *Et panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita* (*Ibid.*). Panem intelligentiæ, de quo dixit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut.* VIII ; *Matth.* IV) ; panem quoque quem solus ipse producit de rore cœli et de pinguedine terræ simulque vestimentum quo operiamur, vestimentum scilicet sanctitatis et justitiæ. His acceptis non ingrati offeremus illi decimas et hostias de universis : decimas, videlicet, ut habeat mercedem suam, quia dignus est operarius qui altario deservit. Hostias autem pacificas, id est, victimas labiorum confitentium nomini ejus, ut ad ipsum pacem habeamus, et omnia in charitate faciamus.

CAPUT XXVI.

De eo quod veniens in terram orientalem, puteum viderit in agro, gregesque circa eum tres.

(CAP. XXIX.) *Profectus igitur Jacob venit in terram orientalem, et vidit puteum in agro tresque greges ovium accubantes juxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus, rursum super os putei ponerent.* Plana et aperta est hujus narrationis littera, sed in ipsa planitie sua, grandem studioso lectori admirationem faceret, nisi jam præcedentium Patrum auctoritas rationes illi aperuisset. Quis enim divinis rationibus carere arbitretur, quod hic ingenuus tantorum Patrum filius, tam laboriosa servitute, toties immutata mercede, in pascendis ovibus pro uxoribus servivit, præsertim sub custodia Dei, qui dixerat ei, *et ero custos tuus quocunque perrexeris?* (*Gen.* XXVIII.) Non ita, sed admotam fidei oculis in isto quoque speculo rutilantis desuper solis imaginem, id est, Filii Dei pulchram et veram contemplemur allegoricam similitudinem, simulque juxta anagogen cuicunque ministro ejus fideli normam imitabilem. Igitur Esau reprobato, Jacob electus, et paterna benedictione sacratus, ad accipiendam uxorem præcepto patris ejusdem, peregre proficiscitur, id est, electus ex millibus Deus et homo Jesus Christus, gratiam benedictionis diffusam habens in labiis suis, et in æternum benedictus ad conjungendam sibi Ecclesiam, in exsilio mundi hujus officio sanctæ prædicationis accingitur. Venit autem ad *puteum, cujus os grandi lapide claudebatur*, et de quo *pecora adaquabantur, ubi moris erat, cunctis ovibus congregatis, lapidem* devolvere, *et refectis gregibus, rursus super os putei* ponere. Ridicula hæc, et cætera quæ sequuntur, vel inania, publicisque auribus indigna, plane sapientes hujus sæculi judicarent : nisi palam sub grosso velamine litteræ splendidam sensuum majestatem dispensatores mysteriorum Dei monstrare consuevissent. Quid ergo ? Magnum sane et admirabile mysterium. *Venit* enim *in terram orientalem* vir iste, cujus, juxta prophetam, *nomen est Oriens* (*Zach.* VI), et ipso adventu suo terram suam, quam, juxta Psalmistam, benedixit fecit esse orientalem, illuminando scilicet his qui in tenebris et in umbra mortis sedebant (*Psal.* LXXXIV). Venit ad *puteum*, cujus **124** *os grandi lapide claudebatur*, juxta quem *tres ovium greges* accubabant, id est, venit ad aperiendam Scripturam, quam et Judæi, et Samaritani atque gentiles modis omnibus disgregati exquirebant (*Luc.* I). Nam et Judæi et Samaritani Scripturam sanctæ legis eamdem apud se habebant, et tamen sic ab invicem erant disgregati, ut, sicut evangelista testatur, nec saltem in hausta putei (*Joan.* I), id est, aquæ elementaris conterentur Judæi Samaritanis. Porro gentiles ab utrisque longius diversi erant, quippe qui nec Deum cœli colebant, et tamen eamdem Scripturam per septuaginta interpretes translatam scire tendebant. Sed frustra hi vel illi taliter accubabant, nam Scripturæ sacræ puteum Scribæ et Pharisæi grandi lapide clauserant, id est, traditionibus Dei relictis, propter traditiones suas pravo sensu obstruxerant. Unde illis in Evangelio manifeste improperatur, dicente Domino : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis* (*Luc.* XI). Item : *Quare vos transgredimini mandatum Dei, propter traditiones vestras? Nam Deus dicit : Honora patrem tuum et matrem tuam ; vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri suo, et matri suæ, munus quodcunque est ex me, tibi proderit* (*Matth.* XV). Et his similia.

CAPUT XXVII.

Qui mystice pastores fuerint, quibus de adoptandis locutus est ovibus, et quæ Rachel ipsa.

Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis? Qui responderunt : De Haran. Haran iracundus sive *decus* interpretatur. Quod nomen bene pastoribus illis congruit, qui pascebant semetipsos, quos et fratres vocat, quasi notos, et tamen ut ignotis dicit : *Unde estis*, quia videlicet secundum carnem quidem fratres ejus erant, sed secundum spiritum nesciebat illos, qui vel unde essent. Iracundi namque erant, et decori, id est, intus rapina et homicidio pleni, de foris autem religiosi ac severi, veluti sepulcra dealbata, quæ foris pulchra apparent oculis hominum, intus autem plena sunt ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII). *Quos interrogans : Numquid*, ait, *nostis Laban filium Bathuel? Dixerunt : Novimus. Sanusne est, inquit? Valet, inquiunt, et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.* Laban *candidus*, Nachor *requies luminis*, Rachel *ovis* sive *videns Deum* interpretatur. Hoc autem secundum accentuum vel litterarum evenit diversitatem, ut diversis sæpe significationibus nomina commutentur. Significat autem Laban mundum universum pro parte illorum qui per Christi redemptionem, ad æterni luminis requiem pertinent, quem scilicet illo candidavit baptismate, per fidem passionis suæ, sicut ait Propheta in psalmo : *Asver-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). Rachel namque filia ejus, eam significat partem electorum quæ ex Judæis est, nam altera filia nomine Lia, quod interpretatur *laboriosa*, ejus Ecclesiæ typum tenet, quæ in gentibus est. Per indicia ergo illorum, quibus investigavit, fratres unde estis, in domum illam quam quærebat, Jacob pervenit, quia videlicet per electionem sive per magisterium eorum, sedentium super cathedram Moysi, testimonium certaque habetur discretio, qui ad Christum pertineant, vel qui ejus sint. *Dixitque Jacob : Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges. Ante date potum ovibus, et sic ad pastum eas reducite. Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges.* Quid est quod melius hic advena, quam indigenæ pastores tempus ovium noverat, nisi quod Christus pastor bonus, melius quam Scribæ et Pharisæi curare sciebat animas? Quid ergo est dicere, *ante date potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite*, nisi præcipere pastoribus quatenus sic dicant, ut priores faciant, id est, ut quod verbis prædicant, faciorum suorum exemplo prædoceant. Quod qui non faciunt, eis utique diei, id est, divini operis multum superest, nec tempus est, ejusmodi mercenariis ut reducant *ad caulas oves*, ubi reddatur eis quasi debita merces. Tales illi erant pastores Israel, quibus per Ezechielem væ prænuntiatum est, qui non oves ad pastum reducere, sed semetipsos poterant pascere (*Ezech.* XXXIV). Unde et dicunt : *Non possumus, donec omnia pecora congregentur*, etc. Moris quippe illis erat ab omnium animarum instructione vacare, donec de cunctis regionibus et de gentibus etiam ad diem festum, verbi gratia Paschæ vel Scenopegiæ, ad adorandum in Hierusalem congregarentur, et tunc pro arbitrio suo quasi amoto lapide, levem exiguæ doctrinæ aquam illis fundebant, scilicet docentes decimare *menthan cyminumque*, et *anethum* ; et nullo vitæ exemplo propinantes, quæ graviora sunt legis judicium, *justitiam* et *fidem* (*Matth.* XXIII).

CAPUT XXVIII.

De eadem, et quod osculatus est eam, elevataque voce fleverit.

Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui. Nam gregem ipsa pascebat. Quum eum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo putens claudebatur, et adaquato grege, osculatus est eam. Elevataque voce, flevit, etc. Quanto melius hic, pastoribus illis lapidem amovit, gregemque adaquavit, qui damnatis traditionibus pharisaicis, veritatem Scripturæ sine personarum exceptione prædicavit (*Matth.* XXII), non exigens ut ad se plebium greges congregarentur, quamvis ultro irruerent, et de civitatibus properarent ad eum (*Luc.* VIII), sed circuibat per civitates et castella (*Matth.* IX), pœnitentiam, inquiens, agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, quod erat elevata voce flere (*Matth.* IV). Unde et quodam loco non pœnitentibus dicit : *Lamentavimus, et non plorastis* (*Luc.* VII) ; *sic adaquato grege osculatus est eam*, quæ plane jam aliquæ, sed parva futuræ conjugis confœderatio fuit; quia videlicet non valde multos ex Judæis prædicatione sua sibi copulavit. Idcirco autem illam osculatus est, quod *consobrinam suam* esse *sciret*. Consobrini dicuntur, quasi consororum, eo quod ex sororibus, sive ex fratre et sorore sunt progeniti. Et quidem omnes Judæi secundum carnem, Domino erant propinqui ; sed non ille, hoc de omnibus scivit, id est, non omnium propinquitatem appropinquavit, cujus scire appropinquare est et approbare. Quos ille suo more scivit, illorum parvam quantitatem osculatus est, id est, sibi adjunxit, suaque illis secreta revelavit tanquam amicis. *At illa festinans nuntiavit patri suo.* Bene, nam per illos paucos, quos ex Synagoga discipulos habuit, toti mundo, cujus totum in Laban, partes autem in filiabus ejus, ut ante diximus, secundum electionem figurantur, Dominus Christus innotuit. Auditis autem causis itineris, quam prono illum affectu exceperit, brevi confestim enuntiatione declarat. *Os meum es, et caro mea.* Idem enim est ac si diceret : En mea sunt tua, *tu enim os meum es, et caro mea.* Rursus ille quam benigno servitio sese **125** submiserit, quamque temperanter conjugium exspectavit, ex sequentibus manifestum est : *Et postquam impleti sunt dies mensis unius, dixit ei : Num quia frater meus es, gratis servies mihi? Dic ergo quid mercedis accipies? Habebat vero duas filias, nomen majoris Lia, minor appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, et venusto aspectu. Ecclesia de gentibus, quæ ut supra dictum* est per Liam figuratur, *lippis erat oculis ;* etenim idololatriæ vitio sordueraat, in vitiis mentis ejus, et corrupta fuerat rationis vis, nec videre poterat claritatem ejus, quæ in cœlo est, unius veræque deitatis. E contrario, Synagoga quæ per Rachelem significatur, pulchra *facie et venusto erat aspectu*, videlicet ex eo quia *notus in Judæa Deus, et in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV).

CAPUT XXIX.

Quid significet, quod Jacob pro conjugio ejus serviat, et quod Laban pro Rachel superinduxerit Liam.

Quam diligens Jacob, ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Respondit Laban : Melius est ut tibi eam dem, quam viro alteri, etc. Hoc proprium hujus patriarchæ est quod in peregrinatione pro uxore ducenda, semeptisum tradens spontaneo servitio, subditus fuit; neque enim hoc de aliquo cæterorum legimus alicubi sicut et patris ejus illud quod a patre suo ad immolandum ductus est (*Gen.* XXII), et filii ejus Joseph, quod a fratribus suis venditus (*Gen.* XXXVII), emptoribus suis in famo prævenit, proprium fuit. In quibus omnibus manifeste singuli, ut sterilibus erant matribus, Dei dono progeniti, propriam prætulere similitudinem nasciturі de Virgine Christi Filii Dei. Quænam fuit servitus, qua ille pro Rachel, id est, pro Sinagoga ser-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vivit? Nempe illa de qua dicit Apostolus : *Quia, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Phil.* II). An non servire mundo fuit, pœnitentiam agere, imo et pœnitentiæ baptismo baptizari propter peccata mundi, ut juxta prophetam, illa projiceret *in profundum maris* (*Mich.* VII), tandemque in crucem ascendendo servilia portare onera sæculi, id est, super se tollere peccata mundi, quibus erat gravatus? Hujus servitutis merces Rachel, id est, Synagoga esse debuit; illam namque propter patres amavit Christus, et propter illam ad servitutem se venisse testatur, cum dicit : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Sed enim Laban pro Rachel Liam subintroduxit, quia videlicet subsistente Synagoga Ecclesia gentium de toto mundo quasi nescientis ad Christi thalamum introivit; dum populus, quem, juxta Psalmistam, non cognovit (*Psal.* XVII), vel gens quæ juxta Isaiam, nomen ejus non invocavit (*Isai.* LV), ad servitium ejus, ad delicias amoris ejus, id est, ad Spiritus sancti gratiam properavit.

CAPUT XXX.

Item de eadem re, et quid significet quod post Liam, junioris quoque nuptiis potitus est Jacob, et de earum ancillis.

Quid est quod facere voluisti? Nonne, inquit, *pro Rachel servivi tibi? Quare imposuisti mihi? Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, et hanc quoque dabo tibi*, etc. Non parvo enim secundum humanitatem ducitur affectu pro illa gente Christus vel ejus apostoli, quod maxime ex gemitu doctoris gentium agnoscitur, cum dicit : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quia tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo*, (*Rom.* IX), etc. Ad hæc mundus omnis, imo Conditor mundi qui hunc eumdem Filium vel servitorem misit cum auctoritate Scripturarum, respondet et dicit : *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, et hanc quoque dabo tibi.* Quod est dicere : Non est consilii vel propositi divini, o Christe Fili Dei, ut populo gentium, qui et antiquior et numerosior est, illam gentem tuam præponat in gratia Evangelii tanquam Judæorum tantum, et non etiam gentium Deus sit. Nunc interim cœptas cum Ecclesia gentium nuptias perage usque in finem sæculi, et cum plenitudo earum subintraverit (*Rom.* XI), tunc et Synagoga copulabitur tibi. Sane singulis conjugibus, singulæ dantur ancillæ, eodem ex viro filios parituræ, quia videlicet in utraque Ecclesia sunt aliqui qui per amorem, alii qui per timorem, vel propter aliud quid, quam propter Christum, Evangelio Christi serviunt : imo sunt alii qui catholicam integre professi fidem spiritualem Christo regenerant sobolem, alii quidem, ut Apostolus ait, sunt, qui *speciem quidem habentes pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III), extra catholicam Ecclesiam prædicant et baptizant. Eorum sectæ quasi concubinæ sunt. Attamen, qui apud illos generati sunt, si ad catholicam matrem redeant, hæreditate Patris inter liberos non carebunt. Talium ignobilitatem concubinarum ipsa quoque nomina suis interpretationibus denotant. Zelphan quippe *fluens os*, ab ore, non ab osse. Bala *inveterata* interpretatur, quæ nomina sectis hæreticorum bene congruunt; fluunt enim ab ore per loquacitatem vel contentionem, et pristinam vitæ retinent vetustatem.

CAPUT XXXI.

Item de eadem re juxta anagogiam.

Adhuc, juxta anogogem, et alia præsentis loci ratio est. Nam quod viro ecclesiastico ad perfectionem tendenti sciendum est, scilicet duas esse vitas, activam videlicet atque contemplativam, quas et gentiles philosophi adulterantes, alteram practicen, alteram theoricen dixerunt, et per activam ordinate pervenire posse ad contemplativam, certissimo gesta hæc res exemplo est. *Jacob* denique de terra sua *egressus*, ad *puteum* venit, et illic Rachelem pulchra *facie, venustoque aspectu* invenit, statimque in amorem ejus incidit, quoties quisque supplantator vitiorum Christum sequi cupiens, sacræ Scripturæ studiis incumbit, et inde contemplativæ vitæ pulchritudinem delectabilem esse comperiens, protinus ad ejus amplexus prorumpere gestit. *Optimam* quidem *partem* eligere vult, *quæ non auferetur*, sedere scilicet *ad pedes Domini* et jugiter audire *verbum illius* (*Luc.* X), juxta consilium dicentis : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Sed altera prior quæ sollicita est turbatur erga plurima (*Luc.* X). In sex enim exercetur misericordiæ operibus, quæ apud evangelistam Matthæum hoc modo dinumerantur : *Esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me* (*Matth.* XXV). In his activæ **126** vitæ operibus eruditum, tandem ad contemplativam posse progredi, et hunc legitimum esse ordinem vivendi, propheta quoque testatur cum dicit : *Bonum erit homini, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et levabit se super se* (*Thren.* III). Et in Job : *Ingredieris in abundantia sepulcrum* (*Job* V), id est, cum ditatus fueris activæ vitæ redditibus, tunc demum non defecturus quiescere poteris intra contemplationis latibulum. Hæc per Liam, quod interpretatur *laboriosa*, fecundam quidem, sed minus videntem recte figuratur. Nam quasi lippis oculis minus contemplatur spiritualia, dum sollicita est et turbatur erga plurima. Porro Rachel pulchra quidem, sed sterilis, contemplativam designat, quæ, dum uni quod necessarium est intendit, venusto aspectu plus videt, et sancto vacans otio quasi minus parit. Igitur dum repente quis, omissis gradibus, festinando ad arcem contemplationis, Rachelem præripere contendit, bene nonnunquam cum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

illo agitur, ut prius Liæ teneatur nuptiis, videlicet protractus foras ad actiones laboriosas frequentis ministerii. Qui, si contra quid mussitet, vel querulo gestu strideat, dicit ei sancta Scriptura : *Non est in loco nostro consuetudinis ut minores ante tradamus adnuptias*, id est, non ita se habet ordo ut ad contemplativam quæ minus operando minor est, ante usum activæ vitæ quisque prosiliat : *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, et hanc quoque* poteris obtinere. Nam sicut sex diebus cuncta Deus operatus est, et in septimo requievit ; sic prius oportet quemque in sex prædictis misericordiæ operibus exerceri, ut tunc demum jure in contemplativa sabbatizare possit : *Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente. Quod Liam despiceret*, id est, minus diligeret. Sic enim prædictum est, *quia tandem potitus nuptiis optatis, amorem sequentis priori prætulit.* Nec injuria ; nam hæc jure data vel accepta, illa autem fraude ad ejus torum fuerat introducta. Et notandum quia *videns Dominus, quod Liam despiceret*, non in eo miseratus est, ut de lippa venustam aspectu faceret ; sed in eo ut *sorore sterili permanente, vulvam ejus aperiret.* Semper enim activa vita minus videt, et lippis perseverat oculis, et est talis, qualem Apostolus mulierem in Ecclesia docere non permittit. *Salvabitur autem*, inquit, *per filiorum generationem* (*I Tim.* II), id est, per operum misericordiæ exhibitionem. Quam enim causam subjiciet rex sedens in sede majestatis suæ cum dixerit : *Venite benedicti, Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi : esurivi enim et dedistis mihi manducare, et quidquid fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis.* (*Matth.* XXV.) *Salvabitur* ergo *per filiorum generationem* (*I Tim.* II), illa, quæ ad virilem non pervenit perfectionem, id est, vita illorum qui non in solis actibus remanserunt, et nunquam ad contemplativæ gratiam profecerunt, justificabitur per operum bonorum exsecutionem.

CAPUT XXXII.

De nominibus filiorum Jacob.

Omnium patriarcharum nomina, simulque compendiosa lectio nominum etymologiam repræsentat. *Et vocavit, inquit, nomen ejus Ruben, dicens : Quia vidit Deus humilitatem meam.* Ruben interpretatur *visionis filius. Et concepit alterum filium, et dixit ; Quoniam audivit Dominus haberi me contemptui, dedit etiam istum mihi ; vocavitque nomen ejus Simeon.* Ab eo quod sit audita, Simeon nomen imposuit. Simeon quippe interpretatur *exauditio.* De tertio vero sequitur : *Et concepit adhuc et peperit filium, et dixit : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, Id est, erit mihi in hac vita comes, et ejus dilectio ad mortem usque deducet me, et prosequitur, *eo quod* genuerim *ei tres filios. Et idcirco appellavit nomen ejus Levi*, quod interpretatur *additus. Quarto concepit et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino. Et ob hoc vocavit eum Judam.* Juda *confessio* dicitur : a confessione itaque confessoris nomen ejus est dictum. Verumtamen hic confessio pro gratiarum actione, aut pro laude accipitur, ut frequenter in Psalmis et in Evangelio : *Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI), id est gratias ago tibi, sive glorifico. (CAP. XXX.) *Et concepit Bala et peperit filium. Dixitque Rachel : Judicavit me Dominus, et dedit mihi filium. Propterea vocavit nomen ejus Dan.* Causam nominis expressit, ut ab eo quod judicasset se Dominus, filio ancillæ judicii nomen imponeret. Dan quippe interpretatur *judicium. Rursumque Bala concipiens peperit alterum. Pro quo ait Rachel : Comparavit me Dominus cum sorore mea, et invalui. Vocavitque nomen ejus Nephthali*, quod interpretatur *dilatatio.* Et peperit Zelpha ancilla Liæ filium. Et *dixit* Lia : *Feliciter. Et vocavit nomen ejus Gad.* Gad enim *eventus* sive *procinctus* interpretatur. A bono enim eventu sive felicitatis suæ procinctu, tali filio ancillæ suæ nomen imposuit. *Peperitque Zelpha alterum. Dixitque Lia : Hoc pro beatitudine mea ; beatam quippe me dicent mulieres.* Et ab eo quod beata dicatur ab hominibus, filium suum beatum vocavit. Aser enim *beatus* dicitur, duntaxat in præsenti loco. Nam in aliis, secundum ambiguitatem verbi, possunt et *divitiæ* sic vocari. *Exaudivit Deus preces Liæ, concepitque, et peperit filium quintum, et ait : Dedit mihi Deus mercedem, quia dedi ancillam meam viro meo. Et vocavit nomen ejus Issachar.* Etymologia nominis hujus ab eo sumpta est, quod ait : *Dedit Deus mercedem meam.* Issachar enim interpretatur *merces.* Is quippe dicitur *est*, sacher *merces.* Hoc autem ideo, quia *mandragoris filii* sui Ruben introitum, qui Racheli debebatur, ad se viri emerat. *Rursum Lia concipiens, sextum peperit filium, et ait : Dotavit me Deus dote bona.* Dotis enim indigebat pro commendatione sua, quæ non expetita, insuper et indotata viro clam tradita fuerat. Interpretatur autem Zabulon *habitaculum fortitudinis*, ex eo videlicet sumpto vocabulo, quod ait habitabit mecum vir meus, quia peperi *ei sex filios.* Et est sensus : Propterea jam secura sum, nec futurum mihi divortium timeo, sive repudium. *Quia sex filios genui Jacob. Et post hæc peperit filiam, et vocavit nomen ejus Dinam.* Hæc transfertur in causam. Jurgii enim in Sichimis causa exstitit (*Gen.* XXXIV). Post filios et parentum ponenda sunt nomina : Lia interpretatur *laborans*, Rachel *ovis*, cujus filius Joseph, ab eo quod sibi mater alium addi optaverat, vocatur *augmentum.*

127 CAPUT XXXIII.

De Ruben primogenito, et quod primogenita sua reputata sint Joseph.

Ruben itaque primogenitus fuit. Sed, cum violasset torum patris sui, primogenita ejus Joseph, ut in Paralipomenon legitur, data sunt et non est reputatus in primogenitum. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt, *primogenita autem reputata sunt Joseph* (*I Par.* V). Non ergo quod odiosa fuerit Lia,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dilecta autem Rachel, idcirco primogenita data sunt Joseph; sed, quia culpa sua perdidit is cujus erant; deinde, cui voluit dedit pater illa. Nam pro ejusmodi causa, talem fieri transpositionem et lex vetat : *Si habuerit homo*, inquit, *uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerítque substantiam inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia : iste etenim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita* (*Deut.* XXI). Igitur primogenita tunc jure transposita, quando Ruben perdidit, Joseph duplicia patre dante accepit, videlicet ubi dixit : *Ecce ego morior, et erit Dominus vobiscum, reducetque vos in terram patrum vestrorum : daboque tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo* (*Gen.* IV). Sacerdotium vero, quod et ipsum eatenus primogenitorum fuisse Hebræi tradunt, datum est Levi. Ita primogenita, quæ unus perdidit, tripartita divisa sunt, ut Judas principatum, Joseph duplicia, Levi acciperet sacerdotium. Porro, cur in Apocalypsi Judas primus ponatur (*Apoc.* VII), et deinceps nullus generationis hujus ordo servetur, alia ratio est, quæ ad præsentem locum non pertinet.

CAPUT XXXIV.

Quæ sint spiritualiter in Christo conjuges liberæ, et quæ ancillæ.

Aures nimium pudicas præsens lectio diverberat, nimium fatigantur audire æmulationes quatuor mulierum de uno viro concertantium. Sed habeant cum simplicitate sua prudentiam, sciantque totum quidquid est dictum vel factum, redolere magnum liberorum desiderium, tantaque instantia properent animæ prudentes, spirituale de Christo viro suo semen concipere vel parere, quanta illas aviditate virum suum præripere, quanto audiunt gaudio filios suos in partus suscipere. Nam hujus Christi nostri, unius viri, sunt conjuges liberæ, sunt et concubinæ ancillæ. *Sexaginta*, inquit, *sunt reginæ, et octoginta sunt concubinæ* (*Cant.* VI). Quæcunque est regina sive libera vero amore ingemiscit et parturit : Verbi gratia cum dicit : *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Sed non eo contenta sit. Tanta beati seminis multiplicandi aviditate dilatetur ut ancillas quoque viro huic permittat, et dicat : *Quid enim, dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Phil.* I). Fieri namque potest, quia sæpe factum est, ut quem ancilla vel concubina concepit, eum super genua liberæ pariat, id est, ut is, qui per annuntiationem invideatis verbum audivit, confiteatur et teneat in catholica matre Ecclesia veræ et unicæ perfectionem fidei, et ita nihil differat a legitimis filiis in acceptione paternæ hæreditatis. Nunquid enim, quando *ejecit* Dominus *gentes a facie* filiorum Israel *et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* (*Psal.* LXXVII), Gad, et Aser, et Dan, et Nephthalim aliquid minus vel tardius acceperunt, pro eo quod essent ex concubinis sive ancillis? Itaque et in hujusmodi asperitate quidem exterioris paleæ simplicium sensus offenditur; sed interiore grano perfectiores, quorum est solidus cibus, non minime delectantur.

CAPUT XXXV.

Quod Joseph nato, dixerit « socero suo : Dimitte me, ut revertar. »

Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo : Dimitte me, ut revertar in patriam et ad terram meam. Da mihi uxores et liberos meos, pro quibus servivi tibi ut abeam. Tu nosti servitutem qua servivi tibi. Sic præmissum est, *nato autem Joseph* ut procul dubio subintelligas, quia nondum nato illo hæc dicere Jacob renuisset. Si enim etiam tunc timuit ne auferret filias suas, et idcirco clam illo profectus est, sicut ait, quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas, quanto magis Rachelem quam amabat, auferri sibi timere poterat, si proficisci vellet, cum adhuc nullum in ea filium sibi suscepisset? Ergo, quia per nativitatem Joseph velle uxoris confirmatum sibi esse credidit, recte nato Joseph ista dixit, vel hæc dicta ejus relatura nato Joseph Scriptura præmisit, simulque ad exaggerandum jus suæ dimissionis, ut dimitteretur exire cum uxoribus suis : *Tu*, inquit, *nosti servitutem qua servivi tibi.* Sed nec illud prætereundum, quod ait : *Ut revertar in terram et ad patriam meam* peregrinationem patrum suorum, patriam terramque suam vocans propter Deum : et e contrario, terram patrum suorum peregrinationem suam vocans, cum dicit : *Apud Laban peregrinatus sum* (*Gen.* XXXII).

CAPUT XXXVI.

Quid sit spiritualiter, quod Jacob virgas ex parte decorticaverit : conceptusque tempore in conspectu ovium posuerit.

Et ait Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo. Experimento didici quod benedixit mihi Deus propter te. Constitue mercedem tuam, quam dem tibi. At ille respondit : Tu nosti quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives factus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur ut provideam aliquando etiam domui meæ. In præsenti lectione habemus quia tollens Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit, illa vero quæ integra erant, viridia permanserunt. Quid est virgas virides amygdalinas, atque ex platanis, ante ora gregum ponere, nisi per Scripturæ sacræ seriem antiquorum Patrum vitas atque sententias in exemplum populis præbere? In quibus dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus, et dum, plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus. In primis igitur et præsentem locum hac similitudine considerandum suscipiamus. Est enim hæc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vita patris nostri Jacob virga jure nominanda, quia **128** videlicet, juxta rationis examen, recta est. Proinde ex parte dectracto cortice litteræ, in eo quod spoliatum est interim allegoriæ candor appareat: et ex parte cortice servato, res sicut gesta est in exemplum trahenda permaneat. Quomodo? Videlicet ut nunquam in Evangelio Christi carnaliter, exemplo hujus patriarchæ nostri Jacob licito quadruplicanda conjugia prædicemus. Imo etiam uno, quod solum licitum est, abstinere consulamus: *vetera* enim hujusmodi *transierunt, et ecce facta sunt omnia nova* (*II Cor.* v). Post legem datam, non valuit hoc exemplum ad duas sorores in conjugium unius viri ducendas, quanto minus valere debet post legem sub evangelicæ gratiæ præsentia? Fuerit tunc *tempus seminandi* vel *lapides spargendi*, nunc autem *metendi*, et *lapides colligendi* tempus est (*Eccle.* III). Igitur in hujusmodi detracto litteræ cortice, intimus quæratur candor allegoriæ, ut superius jam dictum est. Porro quod deinceps ait Jacob, *justum est igitur ut provideam aliquando etiam domui meæ*, scilicet congruæ mercedis exactione, sic in Evangelio Christi pro exemplo haberi debet, ut nullatenus amoveatur exterior cortex litteræ, sed res ut gesta est sic habeatur pro lege consonante auctoritate evangelica qua dictum est: *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* x).

CAPUT XXXVII.

De eo quod dixit Laban: « Experimento didici quod benedixit mihi Deus propter te. »

Dicamus ergo huic mundo, cujus typum Laban tenere supra diximus, quoniam ipse fatetur, et dicit: *Experimento didici quod benedixit mihi Deus propter te*, dicamus, inquam, illi in persona capitis nostri Christi, propter quem illum Dominus benedixit: *Tu nosti quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* Quid enim habebat hic mundus antequam Christus veniret? Quid, nisi modicum legalis scientiæ, quam et pauci noverant, modicumque carnalium cæremoniarum, quarum ritu umbratico perpauci unum Deum utcunque colebant? At *nunc dives*, inquit Christus, *effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Vere dives effectus est mundus universus præclara nimis veri Dei notitia, benedixitque illi Deus ad introitum Christi Filii sui omni benedictione spirituali, qua et in primis illi omnia peccata condonavit, licet plerique retrorsum abeant, et convertantur post Satanam; et deinde multiplicia dona contulit Spiritus sancti: *Justum igitur est*, inquit, *ut aliquando provideam etiam domui meæ.* Quænam domus Christi est, nisi illa domestica ejus familia, quæ altario deservit, et de sacramentis spiritualibus rationales plebium greges pascit? Hic est ordo apostolicus, sacerdotalisque ac leviticus, qui prius gratis servivit, annuntians Evangelium regni Dei, non solum gratis, sed etiam periculose, recipiendo scilicet mala pro bonis, donec Lia pariter et Rachel Christo conjungerentur, id est, utrisque activæ scilicet et contemplativæ vitæ varietates per orbem terrarum in ordinibus suis multiplicarentur. Tandem ad ipsum Laban, id est, ad ipsos mundi reges, imperatores, cæterosque principes ac summos hominum abundantia gratiæ pervenit: *Justum igitur* fuit Christum *aliquando* providere *domui* suæ, id est, de regum palatiis, de principum thesauris ac prædiis suas Ecclesias ditare, ut esset unde haberet sufficientiam in sumptus necessarios altario servientium, in usus pauperum ac peregrinorum, in restaurationes ecclesiarum vel cœmeteriorum.

CAPUT XXXVIII.

Jacob an in hoc justitia sua sibi responderit, cum stropham commentatus sit novam, dum adversus naturam albi et nigri pecoris, arte pugnavit.

Dixitque Laban: Quid dabo tibi? At ille ait: Nihil volo. Sed si feceris quod postulo, iterum pascam et custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, et separa omnes varias oves, et sparso vellere, et quodcunque fulvum, rufum, et maculosum fuerit tam in ovibus quam in capris, erit merces mea. Respondebitque mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te. Hic jam quæritur utrum vere in hoc illi justitia sua responderit, vel quomodo secundum actum ejus, justitia illius dici vel esse potuit. Quid enim ille egit? Nonne stropham novam commentatus est, contra naturam albi et nigri pecoris, naturali arte pugnavit? *Tollens* enim *virgas populeas, et amygdalinas, atque ex platanis, et ex parte decorticans*, varium virgarum fecit colorem, ut ubicunque in virga corticem reliquisset, antiquus permaneret color; ubi vero tulisset corticem, color candidus permaneret, inque nitorem pandaretur. Observabatque, et tempore quo ascendebantur pecora, et post calorem diei ad potandum avida pergebant, discolores virgas ponebat in canalibus, admissisque arietibus et hircis, in ipsa potandi aviditate oves, capras, faciebat ascendi, ut ex duplici desiderio, dum avide bibunt, et ascenduntur a maribus, tales fetus conciperent, quales umbras arietum et hircorum desuper ascendentium, in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis, varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu feminarum esse naturam, ut quales perspexerint sive mente conceperint, in extremo voluptatis æstu quo concipiunt, talem sobolem procreent: cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri. Et Quintilianus in ea controversia, in qua accusabatur matrona quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentetur hanc conceptuum esse naturam, quam supra diximus. Hoc ergo quæritur utrum recte ab hoc in tali facto Justiliæ responsum speretur, inquo dolus vel impostura manifeste convincitur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXIX.

Item de eadem re, et quomodo in arte illa excusabilis sit.

Ad hæc dicimus quia et ante hanc strophan jamdudum Jacob contra Laban causam justitiæ habebat, etsi tempus sibi placiti coram illo, cum legitima defensione daretur, substantiam illius jure tollere debebat. Ille namque unam postulanti filiam in conjugium, et pro una servitium suscipienti, alteram quoque peregrino et advenæ per fraudem imposuerat, illam, videlicet, cujus nuptias, quia despicabilis erat, difficiles sibi fore sciebat. Nec enim sine magna dote quis illam strenuus acciperet, quam facies, quæ multum valet, expetibilem in hujusmodi non fecerat. Si, inquam, tempus sibi placiti daretur, Laban pro hoc in jus vocare **129** habebat, quia filias suas alendas illi sine dote imposuerat, insuper et pro ea quam irrogatus extruderat, servitium septem annorum extorserat. At ille peregrinus erat et advena, idcirco violentum et fortiorem indigenam in jus vocare non poterat. Arte igitur necessario, pro filia contra patrem usus est, ut ad filiam, cui competebant bona patris, aliqua devenirent. Et de hoc illi in omni tempore placiti, justitiæ responsum præsto est. *Igitur quando primo tempore ascendebant oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum, ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent. Quando vero serotina admissura erat, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban; et quæ primi temporis, Jacob.* Et in hoc evidentissimæ respectus justitiæ est. De primi namque temporis nuptiis, sicut jam dictum est, ex parte Laban injustitiæ causa suberat: pro serotinis autem nuptiis Rachel nihil querelæ habebat, nihil dotis jure repetere poterat. Juste itaque omnia temperavit, ut et ipse fructum laboris sui acciperet, et Laban non penitus spoliaretur.

CAPUT XL.

De eo quod dictum est: « Ditatusque est homo ultra modum, » et quid mystice significet.

Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos. Hic insigniter homo dictus est, ubi qui tenuis venerat, dicitur, quia *ultra modum ditatus est.* Quod si in isto insigne et admiratione dignum est, quanto magis in homine illo, cujus hic typus est? Etenim ille vere ac singulariter homo, quia Deus et homo, qui pauper fuerat: nam, *cum dives esset*, inquit Apostolus, *pro nobis pauper factus est* (*II Cor.* VIII): et ecce ditatus est, non solum in seipso, ubi gloria et honore coronatus, et *super opera manuum* (*Psal.* VIII) Patris constitutus est: verum etiam in præsenti domo sua, id est, Ecclesia, ubi illa supradictis ejus ministris, jamdudum servatur dignitas, quam illis auctoritas evangelica juste vindicat, dicendo: *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X). Adæquata est enim plerisque in locis domus Christi regum palatiis, habetque corporaliter *greges multos, ancillas, et servos, camelos et asinos*, tanta copia, ut non solum spiritualia, sed etiam carnalia indigentibus, abunde porrigere sufficiat. Non quod in his gloriemur, nam *gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I), sed quod gratiarum actionis causa nobis esse debeat, quod religionem teneamus in abundantia, quam ille Pater noster Christus acquisivit inopia, et mendicitate sua. De omnibus respondebit illi justitia sua: cras, id est in futuro judicio, *quando placiti tempus erit.* Quid respondebit? Videlicet quod respondendum significavit Apostolus; cum diceret: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si vestra carnalia metamus* (*I Cor.* IX). Nonne hic, cæterique apostoli vel apostolici viri; cum possent vel scirent Rachelis amplexibus frui, id est contemplativæ vitæ dulcedine pasci, ad Liam, id est ad activam vitam, propter hunc miserum mundum declinaverunt? Nonne qui cœlum mente inhabitare, et volebant, et poterant ex gratia Dei, adusque disponenda conjugia descenderunt: verbi gratia, dicendo: *Vir uxori debitum reddat et uxor viro?* (*I Cor.* VII.) Nempe hinc est illa cujusque talium querela: *Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Jure igitur qui in nobis loquitur Christus, virgas partim decorticans, partim in eis corticem linquens, in canalibus ponat, in conspectu ovium, ut varios in earum contemplatione fetus concipiant: et sic substantiam Laban auferat unde ditescat, id est, partim allegoricam, partim historicam de Scripturis proferendo doctrinam, suos animet auditores ad hoc, ut ministris altaris bona cum hilaritate ingerant, quia videlicet nemo est *qui pascat gregem, et de lacte ejus non comedat; qui plantet vineam, et de fructu ejus comedere non debeat* (*I Cor.* IX): licet invideant filii hujus sæculi, quemadmodum et illi filii Laban, de quibus protinus subditur.

CAPUT XLI.

Quod utile fuerit Jacob verba filiorum Laban audisse, quodque uxores suas pater quasi alienas reputarit et vendidit, quod hæc carnalia in typum acciderint spiritualium.

(CAP. XXXI.) *Postquam autem audivit verba filiorum Laban, dicentium: Tulit Jacob omnia quæ fuerant patris nostri, et de illius facultate ditatus factus est inclytus: animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius, maxime dicente sibi Domino: Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam.* Hæc verba filiorum Laban, Jacob in bonum cooperata sunt, et illa vultus ejus austeritas, de qua vocatis ad se Rachel et Lia dixit: *Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius.* Bonum quippe illi erat audire vocem Domini Dei, dicentis: *Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum*, et imitatorem esse perpetuum obedientiæ et peregrinationis, ut hæres quoque in æternum existeret benedictionis Abraham, avi sui, et Isaac patris sui, quibus non parva cura fuit nun-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quam reverti illuc, unde ut exirent præceperat illi Deus. Unde est illud : *Cave ne filium meum reducas illuc.* Ac deinceps : *Filium tantum meum ne reducas illuc* (*Gen.* XXIV). Igitur et hæc quæ prædicta sunt, et ea quæ postmodum ad Rachelem et Liam loquitur, *Sed pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus*, etc., in illud bonum sancto viro cooperantur, ut quo vocabat Deus, illuc ipsa adversitate impellente, citius insequeretur. Nihilominus et ipsis conjugibus in idipsum bonum cooperata est inclementia patris non amabilis, de qua protinus conqueruntur, et dicunt : *Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, et hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit et vendidit, comeditque pretium nostrum?* Hoc vento adverso navigium feliciter impellente, ultro portum aspiciunt, et dicunt : *Sed Deus tulit opes patris nostri, et nobis eas tradidit, ac filiis nostris. Unde omnia quæ præcepit tibi Dominus, fac.* Hæc, inquam, illis quoque cooperata sunt in bonum suum, ut citius talem sequerentur virum, et cum patribus tanti meriti, promissiones acciperent eorumdem patrum, essentque in exemplum spiritualium ad instructionem animarum, qualium quilibet in psalmo dicentem audivimus Spiritum sanctum, sive Patrem Christi Deum : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam ; obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV). Nam, sicut illas conjuges Jacob adversa hæc impulerunt, ut illum relinquerent patrem, qui filiarum comedisset pretium, et talem sequerentur virum : sic et adversa mundi plerumque dilectam Deo juvant animam, ut anhelantius **130** tendat ad Deum. Unde et illi per prophetam dicit Deus : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc* (*Osee.* II). Ipse Jacob antequam ejusmodi spinis offensus fuisset, cum adhuc molliter exciperetur, dicente Laban : *Inveniam gratiam in conspectu tuo ; experimento didici quod benedixit mihi Deus propter te*, etc., tardavit reverti, et dixit : *Si feceris quod postulo, iterum pascam et custodiam pecora tua.* Nunc autem ubi læsus fuit, surrexit itaque Jacob, ait Scriptura, et impositis liberis et conjugibus suis super camelos, abiit pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. Ita et in cæteris planum est veram esse sententiam Apostoli dicentis : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* (*Rom.* VIII). Sane in eo quod dicit Jacob : *Levavi oculos meos, et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos, et diversorum colorum, dixitque angelus Domini ad me : Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, respersos, et maculosos, vidi enim omnia quæ fecit Laban* manifestat quod strophan illam, quam de virgis exercuit, cœlesti auctoritate egerit, quia videlicet pro causa superius dicta, justum erat ut tolleret Deus substantiam Laban et daret illi.

CAPUT XLII.

Quod Rachel patris sui idola furata fuerit.

Eo tempore Laban ierat ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui. Et si non aliunde, saltem ex hoc satis advertere poterat Jacob, *quod non esset facies Laban erga se sicut heri et nudiustertius*, quia, quod apud antiquos magnæ frequentiæ amicorum, et festivæ erat lætitiæ, scilicet tondere oves absque ipso qui custos gregum erat, ille agebat. Nam illo relicto, et omnibus qui ad eum pertinebant tam conjugibus quam filiis, *ierat ad tondendas oves suas.* Bene ergo discessus ejus, fuga dicitur, cum protinus subditur : *Noluitque Jacob indicare socero suo quod fugeret. Et Rachel*, inquit, *furata est idola patris sui.* Hoc loco primum Scripturæ auctoritas, idolorum nomen vel cultum præsentat. Recte ergo in illa evangelica lectione, qua legitur mulier a duodenni fluxu sanguinis sanata (*Matth.* IX), et puella duodecunis resuscitata (*Marc.* V ; *Luc.* VIII), illud divinum a Patribus animadversum est, quia, quando mulier sanata est, tunc puella mortua est, sicut quando mulier cœpit infirmari, tunc illa puella nata est, in typum videlicet gentilitatis et Synagogæ : quia, quando gentes in idololatria fluere cœperunt, tunc in istis patribus Abraham, Isaac, et Jacob, Synagoga nata est, et quando gentilitas per fidem Christi sanata, tunc Synagoga præ invidia et infidelitate mortua est. Porro Rachel, quæ *idola furata est*, claret quia perfectæ fidei nondum erat. Sed antequam obiret, opportune nimis ad Jacob dictum est : *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra. Dederunt ergo ei. At ille infodit eos super terebinthum* (*Gen.* XXXV). Nec multo post scriptum est : *Mortua est autem Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est, Bethlehem* (*ibid.*). Non ergo parvo bono suo virum fidelem sortita vel secuta est, cujus fide salvata est. *Sanctificata est quippe mulier infidelis per virum fidelem* (*I Cor.* VII). Et proinde recte et rationabiliter ab Apostolo dictum est : *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum eo, non dimittat eam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* (*ibid.*). Et post pauca : *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies?* (*ibid.*) Porro ubi nunc idola legimus, in Hebræo theraphin scriptum est, quod transfertur in figuras vel imagines. Hoc autem ideo, ut sciamus quid in Judicum libro theraphin sonet (*Jud.* XVIII).

CAPUT XLIII.

Quomodo iniquus in somnis viderit corripientem se Deum ne aspere quidquam contra Jacob loqueretur.

Cumque abiisset tam ipse quam omnia quæ juris sui erant, et amne transcisso pergeret contra montem Galaad, nuntiatum est Laban quod fugeret Jacob. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

septem et comprehendit eum in monte Galaad. Non quod eo tempore Galaad mons diceretur, sed per anticipationem illo vocatur nomine, quo postea nuncupatus est. Est autem ad tergum Phœnicis et Arabiæ, collibus Libani copulatus, extenditurque per desertum usque ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit quondam Seon rex Amorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse. *Viditque in somnis sibi dicentem Deum : Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.* Non audivit hic Deum vocantem se ex nomine, ut vocare solitus erat Jacob; nec enim ejus erat meriti, propter quod nosset eum Deus ex nomine, sed tantummodo vidit, scilicet iratum, comminantem, et dicentem : *Cave.* Nempe et hoc ipsum quod vidit, non propter se, sed propter alium vidit, ut sciret ille, quantam sui curam gereret Deus, propter quem indigno apparere, vel ab indigno videri dignaretur. Sic et propter Isaac Abimelech corripuit (*Gen.* XXVI); et propter Abraham Pharaonem flagellavit (*Gen.* XII, 20); juxta psalmum dicentem, *non reliquit hominem*, subauditur Laban, *nocere eis; et corripuit pro eis reges* (*Psal.* CIV), subauditur Pharaonem et Abimelech. *Et dixit ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas, quasi captivas gladio? Cur me ignorante fugère voluisti, nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis?* etc. Hæc dicens cavit quidem juxta comminationem Dei, *ne* loqueretur *quidquam durius contra Jacob*, sed ipsum cautelam suam mendacio infatuavit, ita ut manifeste ex ore suo, redarguendus sit, si enim hæc illum cura tangebat, quod non fuisset passus Jacob, *ut* prosequeretur se *cum gaudio, et canticis et tympanis et citharis*, quare illum, sicut ipse fatetur, corripuit Deus, ne durius quidquam loqueretur? Rectius ergo sibi cavisset, si verum confitens, Deo et bene merito clienti, dignam satisfactionem citius obtulisset.

CAPUT XLIV.

Quod, quamvis propheta esset Jacob, ignorabat tamen quod Rachel furata esset idola.

Stulte, inquit, *operatus es. Etsi ad tuos ire cupiebas, et desiderio tibi erat domus patris tui, cur furatus es deos meos?* Hic loquendi tempus erat viro sapienti, qui utique non solum in hoc, verum etiam in cæteris erat sapiens, licet eum simplicem Scriptura **131** appellavit, dicendo : *Jacob autem simplex habitavit in tabernaculis* (*Gen.* XXV). Simplicitati namque columbæ, prudentiam serpentis sociaverat, et de utroque unam sibi sapientiam formaverat, quippe qui eluso Laban dives revertebatur patrocinante sibi justitia : igitur cum stultitia coarguereture ab illo, dicente : *Stulte operatus es, adhuc* patienter siluit; ubi autem ab eodem interrogatus est, *cur furatus es deos meos*, sic ad interrogata dedit responsum, ut prius stultitiæ pelleret elogium. Ait enim : *Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis, apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Tanquam diceret : Quod inscio te profectus sum, non solum injustitiæ non est argumentum, verum etiam stultitiæ repugnans sapientiæ vel rationis effectum. Stultus namque in jure dicendus est, qui eum unde malum sentit sibi imminere, non cavet : ego autem cavendum a te, non dubius sciebam, quippe cum tu immutaveris mercedem meam decem vicibus. Si igitur non mihi cavissem, ut inscio te proficiscerer, cœlesti meipsum tutelæ committens, et credens custodiæ quam mihi pollicitus est; tunc potius ego stultus damnis meis arguentibus invenirer. Porro de eo *quod me furti arguis*, cedo : nunc jus esto. *Apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Fratres hic appellat filios suos, quamvis intelligere liceat aliquos cum Laban venisse propinquos, quales jure fratres appellaret more usitato. *Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola.* Igitur propheta quidem Jacob, et propheta Isaac, sicut in psalmo, ubi dictum est : *Nolite tangere christos meo*, statim subjungitur : *et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV), sed neque hic, qui domesticum furtum ignoravit, neque ille qui in benedicendo filio falli poterat, neque quisquam hominum unquam omnia scivit, vel semper subjectum prophetiæ Spiritum habuit, præter eum, qui homo cum sit, Deus etiam est, et omnia scit, cum sit ipsa sapientia Dei. Non ergo parum in verbo contra semetipsum offendit, qui tam cito protulit sententiam, non tamen injustam. Etenim si morte dignus est, qui idola colit, quanto magis qui pro amore idololatriæ furtum facit? Imo, si juste aliqui Judæorum, sicut in lib. Machabæorum legitur (*II Mach.* XII), idcirco corruerunt, quia sub tunicis suis habebant de donariis idolorum, quanto magis juste necari debuerat, qui *ipsa furatus esset idola?* Sed pepercit Deus Jacob, ut lateret furtum sua providentia, simulque ejus quæ furtum fecerat astutia : *Illa* namque *festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper. Scrutantique omne tentorium, et nihil invenienti, ait : Ne irascatur dominus meus, quod coram eo assurgere nequeo, quia, juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo quærentis est;* videlicet dum et afflictæ leviter credit excusationi et femineis ægre scit approximare immunditiis.

CAPUT XLV.

Quam sit dictum proprie, tumens Jacob cum jurgio præteritam commemorando servitutem.

Tumensque Jacob cum jurgio ait : Quam ob culpam meam et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, et scrutatus es omnem supellectilem meam? Mira hic proprietate dictum est : *Tumensque Jacob cum jurgio.* Tumor namque vel jurgium servilis motus est, neque hoc quisquam de liberi vel ingenui hominis ira recte dixerit, aut proprie. At vero Jacob in hac utique causa liber non erat. Quamvis enim nesciret, penes ipsum tamen causa servilis, id est, culpa furtumque erat, et nunc tanquam omnino munda esset supellex, quia ille nihil invenerat, fortiter

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

litem in judicio proponit, et *cum jurgio* dicit : *Quid inveniisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis, et judicent inter me et te.* Quam enim tumida et jurgiosa ironia est, qua protinus subjungit: *Idcirco viginti annos fui tecum, oves tuæ et capræ steriles non fuerunt. Idcirco*, inquit, ut tu exardesceres post me, et scrutareris *omnem supellectilem meam*, quæ magna indignitas est. *Idcirco*, inquam, id est, hujus vicissitudinis spe, *viginti annis fui tecum*, tanta fide, tanta veritate, cum Domini benedictione, quæ mecum, ut tu quoque confessus es, ad te ingressa est, quanta ex his quæ jam dico comprobari potest. *Oves tuæ et capræ steriles non fuerunt*, subauditur, nec ego subtractis fetibus steriles annos fuisse causatus sum. *Arietes gregis tui non comedi.* Quod videlicet facere solent mercenarii, et qui pastores non sunt : quique non greges, sed semetipsos pascunt. *Nec captum a bestia ostendi tibi.* Videlicet in excusationem mei, ut non cogerer numerum reddere tibi. *Ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas.* Quanquam esset excusabilis causa. *Diu noctuque æstu urebar et gelu.* Utpote in terra ubi secundum naturam cœli gravis æstus per diem, grave nihilominus gelu per noctem. Hæc et cætera fidelitatis opera commemorans, tandem fortissimum justitiæ suæ invehit argumentum. Præmisso namque : *Afflictionem meam, et laborem manuum mearum respexit Deus*, protinus adjungit : *Et arguit te heri.* Certum namque est præconium justitiæ, Deum testem aut defensorem habere ; proinde de Laban continuo victoriæ palmam justo concedens aliud ingreditur. *Filiæ meæ*, inquit, *et filii et greges tui, et omnia quæ cernis mea sunt ; quid possum facere filiis et nepotibus meis? Veni ergo, ut iniamus fœdus.*

CAPUT XLVI.

Quid spiritualiter velit quod Laban Jacob persecutus est, et quod Rachel dixit : « Secundum consuetudinem feminarum accidit mihi. »

Et ecce usque hodie, Christum vel Christi alumnos, mundum fugientes, id est nihil in hoc mundo possidere cupientes, insequitur mundus, dum eos semper quidem malis exemplis, nonnunquam etiam vi sibimet conformare nititur. Usque hodie, inquam, sic fugientes insequitur mundus, et usque hodie Rachel insectatoris sui mundi idola furatur. Quoties enim hi qui habitu vel ordine religionis contemplativam pollicentur vitam, ad avaritiam, *quæ est simulacrorum servitus* (*Ephes.* v), aspiciunt, ita ut nonnunquam de rebus ecclesiasticis fraudem faciant, sive, quod et plerumque fit, spiritualia Dei dona tribuant pro pecunia, Rachel veternosi patris sui furatur idola. Porro quid contemptibilius, quid abjectius, quam quod *abscondit* ea *subter stramenta cameli, et sedit desuper*, simulans quod secundum *consuetudinem feminarum* sibi acciderit? Scrutatur quippe Laban tentorium Rachelis, si forte sua illic idola inveniat, quando sæculares homines, illam simulacrorum servitutem, quam sibi solam esse licitam putant, id est, ejusmodi avaritiam in moribus religiosorum furtim subesse denotant, vulgo jam sciente quia vendentes **132** et ementes Jesus de templo suo iratus et rigidus cum flagello ejiciat (*Matth.* xxi). At illi occasionem quamlibet prætendunt, quæ rationabilis quidem esse videatur, rationis tamen veritate careat, quemadmodum camelus munditiei quippiam habere videtur, quia ruminat, sed vere mundum non est animal, quia non findit ungulam. Et illa quidem fortassis mentita est, dicendo, quia secundum *consuetudinem feminarum nunc accidit mihi ;* sed revera de anima cujusque talium qui de prædicta simulacrorum servitute furtum faciunt, recte propheta dicit : *Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis suis invenient eam* (*Jer.* II). Interea tamen Deus propter eos qui Christi sunt, quique in sancta Ecclesia ejus usque ad finem sæculi non deerunt, jugiter arguit mundum, cujus redargutiones sæcularium corda paulatim evincunt. *Cum*, inquit Christus, *venerit Paracletus spiritus veritatis, ille arguet mundum* (*Joan.* xvi). Ait ergo redarguens a Deo : *Veni ut iniamus fœdus.* Verba fœderis hæc sunt: Intueatur Dominus et judicet super nos, quando recesserimus a nobis. Si afflixeris filias meas, et si introduxeris uxores alias super eas, nullus sermonis nostri testis est absque Deo qui præsens respicit. Hæc cum diceret, maxime pro Lia sollicitus erat, quam inexpetitam, indotatam, vultu despicabilem nescienti clanculo immiserat. Illam namque, non repugnante justitia, pene ut concubinam repudiare poterat, quippe cui fidem maritalem non dederat, neque coram testibus vel amicis Laban nuptias ejus celebraverat, antequam ad illam ex more ingressus fuisset. At ille non solum non repudiare intenderat, verum etiam pro jure ejus, ut prædictum est (*Gen.* xxx), arte usus, effecerat ut non abiret indotata, scilicet ubi, virgis variis in canalibus positis coram ovibus, mutata est conceptuum natura.

CAPUT XLVII.

Quid significet quod Jacob et Laban in confœderationem sui tumulum testimonii fecerint, et super eos ederint.

Tulit itaque Jacob lapidem et erexit in titulum, dixitque fratribus suis : Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum. Hic plane scivit Jacob votum suum fuisse acceptum, quod voverat in Bethel, sentitque Dominum fuisse secum, et custodisse se in via per quam ambulaverat, et dedisse sibi *panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum*, seque reverti *prospere in domum patris sui*, quia sedatus est Laban (*Gen.* xxviii). *Itaque et hic tulit lapidem, et hic erexit in titulum, fecerunt que tumulum :* utrobique mysterium pene idem est. Nam et illic lapis erectus in titulum vocandus domus Dei, *Christum* significat, qui est caput corporis Ecclesiæ quæ est domus Dei, et hic lapis primus in acervo testimonii Christum eumdem designat principem martyrum id est testium Dei. Quid enim est,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Laban et Jacob in confœderationem sui lapidem erigere in titulum, lapidesque congerere in *acervum testimonii*, et desuper comedere pro pactione postulati fœderis? Quid, inquam, nisi quod pene jugiter cernimus, post diuturnos tumores sævaque jurgia sæculares potentias Ecclesiiis, vel sacerdotibus conciliari respectu martyrum, et Christi Domini ac regis eorum? Nempe post inimicitias super acervum testimonii pariter comedere, id est, post quaslibet injustitias in basilicis martyrum satisfactione data vel accepta, deinde ob confirmationem pacis corpus et sanguinem Christi pariter manducare et bibere. Bene ergo dictum est quia *juravit Jacob per timorem*, id est, per Deum, *patris sui Isaac*, Deus enim a timore nuncupatur, quod Græce *theos* dicitur. Quid juravit? Videlicet quod malum contra Laban A nullum cogitaret, neque ad illum mali intentione, transiret præsentis acervi testimonio commonitus. Bene. Etenim quotquot sacerdotes vel ministri Christi sumus, post reconciliationem altaris adversariis nostris indultam, nullam de præteritis molestiis coram communi judice Deo querelam depromere habemus. *Quem vocavit*, inquit, *Laban tumulus testis, et Jacob, acervus testimonii, unusquisque juxta proprietatem linguæ suæ.* Acervus lingua Hebr. *Gal.* dicitur, *Aad* vero testimonium. Rursum lingua Syra acervus *Igar* appellatur, *Seduth* testimonium. Jacob acervum testimonii *Galaad* lingua appellavit Hebræa, Laban vero idipsum, id est, acervum testimonii *Igarseduth* a gentis suæ sermone vocavit. Erat enim Syrus, et antiquam linguam parentum provinciæ in qua habitabat sermone mutaverat.

IN GENESIM LIBER OCTAVUS.

(Gen. XXXII-XL.)

133 CAPUT PRIMUM.

Quod Esau animalis non intellexerit quid spirituali Jacob paterna contulerit benedictio.

Animalis homo, inquit Apostolus, *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia namque est illi, neque intelligere potest, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Non ergo putandum quod Esau perceperit vel intellexerit quid minus haberet a fratre suo Jacob, aut quid amplius illi paterna contulisset benedictio. Animalis enim erat ea tantummodo sapiens quæ sunt hominis, et quidquid spiritus Dei est, stultitia erat illi. Unde nec pro bono sapientiæ, sed pro miseria stultitiæ, fraternam peregrinationem atque servitutem reputabat. At ille, quia spiritualis erat, intelligebat omnia scilicet non tantum humana, sed humana pariter et divina, et spiritualibus spiritualia comparans, terrenamque fratris exaltationem parvipendens, suam e contrario afflictionem et laborem, gloriosa intrinsecus consolabatur scientia, ubi a nemine judicandus, ipse judicabat omnia. His igitur sibi obviantibus, jam et nobis spiritualiter examinandum est quid amplius huic et quid minus illi fuerit, in quo hic ex paterna benedictione creverit, et in quo ille imminutus sit, pro eo quod, venditis primogenitis suis, benedictionem quoque jure perdidit. Nam si carnaliter examinentur, fortior procul dubio judicabitur interim ille qui supplantatus est quam qui supplantavit.

CAPUT II.

Quod Jacob revertenti angeli, tanquam victori, obviam fuerunt dicenti: « Castra Dei sunt hæc. »

(Cap. XXXII.) Primum ergo pro magnificentia viri accipimus quod dictum est: *Jacob quoque abiit itinere quo cœperat, fueruntque obvium ei angeli Dei.* B *Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. Et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.* Non dictum est quia apparuit angelus, vel apparuerunt angeli ei, quod et multis accidit, sed dictum est quia *fuerunt ei obviam angeli Dei*, quod insigne sonat victoris et emeriti, cui, pro gloria triumphi, pompa cœlestis obviam procedens, festiva exceptione lætum obsequium præbuerit. Nec vero paucos vidit qui dixit, *castra Dei sunt hæc; et* ob hoc *appellavit nomen loci illius Mahanaim*, id est castra; multiplicia namque castra sunt angelorum. Unde et in prophetis qui pro hujusmodi visionibus Videntes appellantur (*I Reg.* IX), usitato dicitur, *Dominus Deus exercituum*, quod Hebraice dicitur *Sabaoth*: Et recte talem habuit occursum qui sub obedientia C peregre militaverat, in fide certaverat, in spe victoriam perfecerat, in charitate dilatata ejus anima profundissimas beneficiis divinis gratias agebat. *Minor sum*, inquit, *cunctis miserationibus tuis, Deus patris mei Abraham: in baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis egredior*, etc. Amplius autem et quod paulo post subditur: *Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus, et ecce vir luctabatur cum eo, usque mane. Qui cum videret quod cum superare non posset*, etc. Veram in isto ultra modum hominis magnitudinem, veramque non carnis, sed spiritus indicat fortitudinem, unde judicare non possit animalis homo Esau, qui veniebat cum quadringentis viris, in hac sola D fortitudine sua gloriabundus. At ille, antequam spiritualis et ejusmodi glorificationibus indignum Esau judicare et in seipso per hæc scire poterat, non leviter benedictionem adimpletam, vel adimplendam esse, qua dictum sibi fuerat: Crescere te faciat Dominus meus, per quam *fratrum suorum*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dominus erat constitutus (*Gen.* XXVII). Et quidem ille jam talibus quoque abundare coperat, qualium copiis extollebatur Esau, sed eadem meliorum comparatione parvipendens, gloriabatur potius in humilitate sua cæterisque virtutibus, quas veras divitias recte computabat. Porro vanitatem illius quam optime noverat, utpote *spiritualis* homo, qualis, ut jam dictum est, *judicat omnia*, vanitatem, inquam, illius oblatis ultra obsequiis saturare festinabat, munera præmittens domino suo Esau, præcipiensque suis : Hæc et hæc dicetis, sic et sic *loquimini domino meo Esau*, et deinde ipse progrediens et adorans in terram, suosque omnes submittens instructos et prædoctos ad adorandum, id est inclinandum coram Esau. Et dicit : *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*, id est quod ex vultu tuo sedatum esse adverti odium tuum, ut non percuteres matrem cum filiis, ita lætus accepi ac si viderim vultum Dei, cujus præsentia veraciter cognoscitur ex præsentibus beneficiis suis. Et notanda trementis diligentia, qua sic disposuit, ut Rachel et Joseph extremi starent et extremi adorarent, quia videlicet, quæ misera spes erat, si percuteret occurrentes, fortassis antequam hi extremi attingerentur, satiata crudelitas dehisceret, et in istis extremis maximam vitæ ejus partem reservaret. Econtrario utramque ancillam et liberos earum in principio, Liam vero et liberos ejus in secundo posuit **134** loco, ut quique ordines, sicut profundius hæserant affectibus patris, ita longius absisterent gladio ferientis. Sed jam super isto quoque capitulo breviter aliquid juxta anagogen dicendum est.

CAPUT III.

Quod in hoc Jacob Christi in cœlum ascendentis, excepti victoris ab angelis, typum gesserit.

Igitur Jacob, postquam præceptum patris peregit, revertenti obviam fuerunt angeli Dei, ut sciamus quia post obedientiæ laborem cuique viro fideli superest supernis illum revelationibus glorificari, et cœlestium spirituum crebra visitatione jam in hac vita remunerari : sic ipse Christus, postquam tentationes evicit, exceptus est victor ab angelis. *Reliquit* enim *eum* tentator, *et ecce accesserunt angeli, et ministrabant ei* (*Matth.* IV). Sic pro modulo suo quique electorum quanto superiores hominibus fiunt, tanto proximi Deo effecti ministerio fruuntur angelorum, qui *omnes*, ut Apostolus ait, *administratorii spiritus sunt, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I). Locus autem ipse, ubi horum visitatio declaratur, Ecclesiæ secretum est, qui et recte dicitur Mahanaim, id est *castra*. Nam et ipsa Ecclesia *terribilis* est, *ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI). Sed huic victori adhuc intus est, quem metuat scilicet Seir, sive Edom, ille qui sub nomine fratris cuncta agit hostilia; metuat, inquam, et si non sibi, quia forte citius mori quam ejus imitatione potest corrumpi, at saltem parvulis suis, ne forte percutiat matrem cum filiis. Intus enim est talis Esau, qui et Seir, id est *pilosus*, dicitur, sive Edom, id est *terrenus* sive *sanguinolentus*, qui tenera Ecclesiæ nutrimenta pejus nonnunquam interficit exemplis, quam gladio externus hostis. Prælatus ergo vel Pater, quicunque ejusmodi est, imminente Esau, dividit suos in duas turmas, id est tenuioribus fortiores deputat custodias. Ipse interim pervigilans, *quasi rationem pro animabus* eorum redditurus (*Hebr.* XIII), dicit ad Dominum : *Minor sum cunctis miserationibus et veritate quam explesti servo tuo, erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.* Huic orationi illa Prophetæ vox in psalmo consona et pene eadem est : *Memento, Domine, filiorum Edom in diem Jerusalem, qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI). Timendum quippe est patri pro filiis suis quod illi dicunt de Jerusalem, id est de Christi Ecclesia, cujus et si profitentur nomen, oderunt religionem. Quid enim dicunt *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea?* Hortantur semetipsos, ut exinaniant vel evacuent omnem disciplinam vel religionem, *usque ad fundamentum in ea*, id est usque ad nudum nomen Christianum, quod solum habere consentiunt, ut nomine sint Jacob, id est Christi, operibus autem sint Edom et absque jugo vivant. *Memento* ergo, *Domine, filiorum Edom in diem Jerusalem*, id est, retribue retributionem suam imitatoribus Edom, in consolationem Jerusalem in tempore tribulationis, pacem videre cupientis. Hi cum exaltati fuerint, ita ut non possint apostolica virga corripi, non solum tolerandi sunt in spiritu mansuetudinis, verumetiam honoribus prævenientibus demulcendi, ut odium quod contra spirituales habent, quia carnales sunt, temperari vel mitescere possit.

CAPUT IV.

Quod hæc vox, « In baculo meo transivi, » etc., tam Christo Domino quam cuilibet fideli Christiano conveniat.

Illa sane orationis ejus pars, qua dicit Deo : *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, tam Christo Domino quam cuilibet perfecto congruit Christiano, sive ille prælatus, sive subditus sit, dummodo patriarchæ hujus fidem vel justitiam sectari meruerit : Christo videlicet, quia solus ab omnibus relictus in passione et morte sua, quam pertransivit in baculo, id est pro arbitrio suo, baptismi sacramentum, quod per Jordanis nomen solet intelligi, nobis condidit, et nunc cum duabus turmis, Judæorum scilicet et gentium, regreditur, quia priorum pariter et sequentium dominatur, quorum salutem est operatus. Christiano autem, ei qui domui Christi prælatus est, ideirco congruit, quia in solo quidem et simplici Christianæ confessionis vel fidei verbo transivit regenerationis ejusdem sacramentum. Nunc autem sancti Spiritus donis ditatus et Ecclesiæ Dei præpositus, duas turmas suscepit alendas, alteram videlicet parvulorum, quibus adhuc lacte opus est,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

alteram perfectorum jam, quorum solidus cibus est (*Hebr.* v). Nihilominus et subditorum culpiam, qui perfectionis metam attigit, dicere competit cum eodem Jacob, *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, eo videlicet respectu quia quisque nostrum nudus venit ad baptismum, nihil habens, præter solum sustentantem se Christianæ confessionis baculum, et nunc duabus turmis regreditur, quia et peccatorum remissionem, quam omnes æqualiter in baptismo accipiunt, et præter hoc per impositionem manuum divisam accepit gratiam Spiritus sancti. Nam *unicuique nostrum*, inquit Apostolus, *data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV). Nunc ordinem historiæ prosequamur.

CAPUT V.

De eo quod, omnibus suis vadum Jacob traductis, luctabatur cum eo vir usque mane, et de mutatione nominis Jacob in Israel.

Cumque matutine surrexisset, tulit duas uxores suas, et totidem famulas cum undecim filiis, et transiit vadum Jaboc. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Jaboc fluvii nomen est, et interpretatur *lucta* sive *arena*. Fluit autem inter arenam, hoc est Philadelphiam, et Gerasam in quarto ejus milliario, et ultra procedens Jordani fluvio commiscetur. *Vir*, inquit *luctabatur cum eo usque mane. Matutine* surrexerat, et *usque mane* luctatus est, id est ante diem surrexerat sacras celebrare excubias, juxta illud Psalmistæ : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus* (*Psal.* LXII). Et *usque mane*, id est usque ad auroram, cum viro luctatus est. Sic enim ait ille, cum eum superare non posset : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Quod*, inquit, *nomen est tibi? Respondit : Jacob. At ille : Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Sensus hic est : Non vocabitur nomen tuum *supplantator*, hoc est Jacob, sed vocabitur nomen tuum *princeps cum Deo*, hoc est Israel. Quomodo enim princeps ego sum, sic et tu qui mecum luctari potuisti **135** princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, sive angelus Dei, pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc est, cum Esau quem formidare non debes? Illud nempe quod omnium pene sermone detritum est, ut Israel interpretetur *vir videns Deum*, sive *mens videns Deum*, non tam vere quam violenter B. Hieronymo videtur interpretatum.

CAPUT VI.

Quæ illa Dei et hominis lucta significet.

Famosa lucta et totius orbe Ecclesiæ per orbem celebrata, qua homo cum Deo luctatus est, et tandiu tenuit donec a victo benediceretur ille qui vicit, dicens : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, et, accepta benedictione, victor claudicare cœpit, res, cujus hoc præsagium est, ab exitu filiorum Israel de Ægypto usque ad incarnationem passionemque Christi Filii Dei protracta est. Tam A longa colluctatio fuit fortissimi victoris Jacob et Dei victi, quamvis fortissimus sit spirituum universæ carnis. Primo ergo non negligenter sciendum luctam ejusmodi fuisse ut contenderet Deus abire, Jacob certaret abeuntem Dominum retinere. Sic enim ait ille vir : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Econtrario Jacob : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Igitur Jacob cum Deo luctatur, et victor benedictionem extorquet, quasi invito et nolenti, ac dicenti : *Dimitte me*, quia videlicet sic futurum erat ut comminaretur Deus sese a semine ejus recedere propter peccata ejusdem gentis rebellis et incredulæ. Quod ubi primum locutus est, consurrexit Moyses, Deumque reluctantem et ipse luctando tenuit, ne hoc faceret. *Cerno*, inquit ille, *quod populus iste* B *duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). Moyses magnitudine periculi percitus, et quodammodo brachiis illum more luctantis arctius stringens, dicensque : *Non dimittam te.* « *Cur*, inquit, *Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? Ne, quæso, dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret eos in montibus, et deleret e terra; quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitiam populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum fidelium quibus jurasti per temetipsum* (*ibid.*), etc. Illic jam, id est in conflatione vituli, coram quo saltaverunt cantantes et dicentes : *Isti sunt dii tui, Israel* (*ibid.*), illic, inquam, colluctatio vehemens inchoata est C Exinde namque Deus ab Jacob discedere conatus est, et quoties peccaverunt filii Israel, serviendo diis alienis, toties iratus Dominus, et aversus ab illis, quasi luctando se excussit ut dimissus abiret. Sed perseveravit cunctis diebus fortitudo Jacob. Nullo enim tempore defuerunt fideles in populo illo, in quibus tam secundum fidem quam secundum carnem esset Jacob pater, in tantum, ut cum solum se esse putaret Elias dicens : *Domine, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam*, dixerit ei Dominus : *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt curvata ante Baal* (*III Reg.* XIX). Itaque longo luctamine detentus D est Deus, nec ante dimissus, donec benediceret Jacob, donec compleret benedictiones suas legislator, dando benedictionem illam in qua benedicerentur omnes gentes, sicut primum ad patrem multarum gentium Abraham locutus est. Tunc enim revera Deus benedixit Jacob, quando de semine ejus Christus carnem assumens, antiquam maledictionem solvit, utramque benedictionem, id est gratiam sancti Spiritus, post passionem suam effudit.

CAPUT VII.

De eo quod nervus femoris Jacob emarcuit, et propterea Judæi omnem nervum non comedant.

Dando autem benedictionem, *tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Ipse vero claudicabat pede. Quamobrem non comedunt filii Israel nervum*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui exaruit in femore Jacob usque in præsentem diem. Nervus femoris propagationem significat carnis. Antequam veniret Christus, et modo prædicto benedictionem daret, virebat et florebat carnale genus Israel, legitimumque ac sanctum erat, singulas tribus per familias, domos, ac viros distinguere diligenter, donec fructus iste benedictionis exiret, ne incertum foret qua ex tribu, qua de familia prodiret, quem de tribu Juda, de domo et familia David nasci debere pronuntiatum fuisset. At ubi venit hic, qui solus generationum texendarum causa erat, cunctas genealogias vel genealogiarum fabulas (*I Tim.* I; *Tit.* III), quas deinceps Judæi texere conantur, cum Apostolo contemnimus et devitamus, imo et arbitramur *ut stercora* (*Philip.* III). Ergo vir ille nervum femoris Jacob tetigit, ergo nervus femoris Jacob exaruit. *Quamobrem*, inquit, *non comedunt filii Israel nervum qui in femore ejus exaruit.* Nullum nervum comedunt propter illum unum femoris nervum, qui caput et quoddam principium est omnium corporis nervorum. Nec frustra tali lege onerati sunt, videlicet, quia futurum erat, quod nunc est, quia ipsi potius in femore Jacob emarcuerunt, imo ipsi illud quod exaruit femur Jacob existunt.

VIII.

Quod Jacob pro reproborum parte claudicavit, et pro parte electorum faciem Dei vidit.

Exinde pro parte reproborum claudicat Jacob, juxta illud : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII) : pro parte autem electorum idem Jacob dicit : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Nam revera antequam benedictionem, ut jam dictum est, dedisset legislator, ut videretur *Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII), *Deum nemo viderat unquam* (*Joan.* I) : per illam autem benedictionem effectum est ut videamus *nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), cum præsentem finierimus peregrinationem. Unde et non ab re dictum est : *Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus Phanuel*, quod interpretatur *facies Dei.* Effusa namque benedictione ortus est sol justitiæ populo sanctorum, tam mortuorum quam vivorum, dando salutem, ut Zacharias ait, *in remissionem peccatorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (*Luc.* I). Præsenti tempore dixit, *sedent*, nam cum hæc diceret, adhuc omnes in tenebris erant, et *Deum*, ut jam dictum est, *nemo viderat unquam.*

(CAP. XXXIII.) Item pro parte reproborum Jacob adorat Esau, et munera offert, infirmum quippe est genus ejus, cunctisque hodie populis imbecillius, et ubique dispersum, multa tributa solvit dominis suis et regibus. Pro parte autem electorum, verbi gratia, quales apostoli fuerunt, ne saltem ad modicum simul cum illo gradi patitur. *Parvulos* **136** enim, inquit, *habeo teneros, et oves ac boves fetas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Hic magnæ discretionis exemplum est. Parvulus enim est et tener, qui nondum in fide et sapientia perfectus est, et quasi feta ovis, cujus inchoatio vel propositum nondum comprobatum est usu operis. Tales carnalium societate facile corrumpuntur, quorum, juxta prophetam, totum *gaudium et lætitia* est *occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur* (*Isa.* XXII). Unde et Apostolus : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV). Bene igitur pater Jacob ejusmodi viatores vel cursores improvidos devitans, *Parvulos*, inquit, *habeo teneros, et oves ac boves fetas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges*, quamvis hoc exemplo in bonis quoque operibus uti oporteat, quatenus sic omnia pastor discernat et temperet, ut et fortes sint quod cupiant, et infirmi non refugiant.

CAPUT IX.

Quod omnis qui sacræ Scripturæ studiis accinctus incumbit, sensum verbi Dei tenere contendens, instar Jacob cum Deo luctetur.

Cæterum et bene juxta anagogen claudicat Jacob ille, qui cum Deo luctatus est, et longo atque assiduo luctamine usus, victoriæ palmam de illo feliciter consecutus est. Luctatur enim cum Deo, quandiu sacræ Scripturæ studiis accinctus incumbit, sensumque verbi Dei fugientem tenere contendit. Quare verbum Dei dilectam atque diligentem animam, tenere se cupientem, tantopere refugit? Cum multas ob causas, tum et idcirco ut aviditatem magis ac magis excitet inquirentis, ut ejus desiderio, quem quærit, adversantes intentioni suæ ver beret, atque in servitutem redigat sensus improbæ carnis. Itaque brachiis quasi ad luctandum protentis, quæcunque talis anima dicit : *Dilecte mi, apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis* (*Cant.* VIII). Econtra ille, more reluctantis, pene obversus, *Averte*, inquit, *oculos tuos, quoniam ipsi me avolare fecerunt* (*Cant.* VI). Dulcis colluctatio, et omni pace jucundior. Tandem victrix dicit conscientia Jacob : *Inveni quem diligit anima mea. Tenui illum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ* (*Cant.* III). At ille grandi quidem spiritus commodo, sed et magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is qui vicit, quia tetigit qui victus est nervum femoris ejus et emarcuit. Quomodo claudicat? videlicet uno pede terræ innitens, alterum a terra suspendens, id est activam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, et contemplativæ pro ejus dulcedine totis viribus inhærens. Iste claudus salit vel ascendit sicut cervus, terramque vix tangere dignatur, nam *conversatio ejus in cœlis est* (*Phil.* III). Verumtamen ex parte, uno enim tantum pede nunc interim illuc suspensus est, donec veniat quod perfectum est.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

X.

Quarel, fixis tentoriis, nomen loci illius Socoth, id est tabernacula, vocavit.

Et Jacob venit in Socoth. Ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula. Quia recentem adhuc spirabat visionem, qua cives illius civitatis viderat, cujus spe manentem hic civitatem (*Heb.* XIII) habere nolebat, vel in qua visione cum conditore civitatis illius Deo luctatus fuerat, bene locum, quo primum post hæc venit, appellavit Socoth, id est *tabernacula*, videlicet respectu faciei Dei, de qua cognominaverat Phanuel, a cujus gloria peregrinus erat. Tabernacula namque militantium sunt. Unde et contubernales dicuntur milites, qui sub eodem tabernaculo commorantur. *Transivitque in Salem urbem Sichimorum,* B *quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ.* Salem civitas ipsa est quæ et Sichem. Prius namque dicebatur Sichem, quod antiquius nomen hactenus perseverat, nisi quod corrupto nomine legitur Sichar, ut in Evangelio : *Venit Jesus in civitatem quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob filio suo Joseph* (*Joan.* IV). De quo prædio protinus subjungitur : *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.* Porro ab Jacob appellata est Socoth. Error oboritur, quomodo Salem Sichem civitas appelletur, cum Jerusalem, in qua regnavit Melchisedech, Salem sit dicta. Aut igitur unius urbs utraque nominis est, quod etiam de pluribus Judææ C locis possumus invenire, ut idem urbis et loci nomen in alia atque alia tribu sit; aut certe istam Salem, quam nunc pro Sichem nominatam dicimus, hic interpretari *consummatam* atque *perfectam*, et illam, quæ postea Jerusalem dicta est, *pacificam* nostro sermone transferri. Utrumque enim accentu paululum declinato hoc vocabulum sonat. Tradunt Hebræi quod claudicantis femur Jacob ibi convaluerit et sanatum sit, propterea civitatem eamdem curati atque perfecti vocabulum consecutam. *Postquam*, inquit, *reversus de Mesopotamia Syriæ.* Hic subaudiendum est, cum secundum votum quod voverat in Bethel, debuisset ire, et quod postmodum fecit ibi altare, vel domum Deo ædificare. Sic enim vovit, *fundens oleum* super lapidem quem erigebat D *in titulum : Si reversus fuero prospere, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei* (*Gen.* XXVIII). Postquam ergo reversus est, mature debuit ascendere in Bethel, et vota reddere, quod et paulo post fecit, adversitatibus admonitus, eodem Deo vota sic exigente : *Surge et ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas fratrem tuum Esau* (*Gen.* XXXV).

CAPUT XI.

Quod Dina filia Liæ sibi corruptionis causa a Sichem principe terræ illius vi oppressa sit.

(CAP. XXXIV.) *Egressa est autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset* A *Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit, et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem*, etc. Dina quod interpretatur *causa*, secundum nomen suum, et sibi corruptionis et aliis jurgiorum gravis causa fuit. In quo? In eo videlicet quia exivit videre filias regionis illius, filia vaga, visu dissolutâ, facie decora. De qua (quoniam superficies historiæ patet) illud breviter dicendum, quia talis puellæ exemplum omni animæ religiosæ professionis cavendum est. Nam si foris invenerit, opprimet eam corruptor diabolus, qui per Sichem filium Hemor recte significatur. Sichem namque *humerosus;* Hemor autem *asinus* interpretatur. Est autem diabolus humerosus vel fortis ut leo sive ursus, stultus ut asinus. Nec vere spiritualiter tantum, sed B etiam corporaliter, nec per se solum, sed et **137** per sui similes, id est, asininos homines, circumveniet eam, videlicet *quorum* juxta prophetam *carnes sunt ut carnes asinorum :* et *ut fluxus equorum fluxus eorum* (*Ezech.* XXIII). Sic plerumque accidit : Et *virgo Israel cecidit, nec fuit qui suscitaret eam* (*Amos* V). Porro hanc Dinam, uxorem fuisse Job Philo asserit, et hanc esse ex qua quatuordecim filios et sex filias genuerit, septem videlicet filios et tres filias ante percussionem, totidem filios ac totidem filias post percussionem. *Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis.* Doli hujus Jacob conscium vel participem non fuisse, illud quoque indicat quod ait ipse : *Simeon et Levi vasa iniquitatis bellantia, in* C *consilio eorum non veniat anima mea* (*Gen.* XLIX), etc. Dolus in eo exstitit, quod sancta et utilia locuti sunt, non ut proselytos ad salutem facerent, sed ut securos pariter et saucios tertia die, quando naturaliter gravissimus vulnerum dolor est, sic imparatos levius occiderent.

CAPUT XII.

Quod Jacob jussus sit ædificare altare in Bethel, et quod ex eo de diis alienis in familia sua scisciatus sit.

(CAP. XXXV.) *Locutus est Dominus ad Jacob : Surge, ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Hac eadem visione Jacob tandem perdoceri potuit esse in domo sua scelus idololatriæ, nec posse se stare D coram inimicis suis, eosque fugare, quandiu domus ejus illo contaminata esset scelere. Nam protinus subditur : *Jacob vero, convocata omni domo sua, ait : Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Plane hoc ordine et his profectibus ascendendum est in Bethel, id est *in domum Dei*, quæ non est alia quam Ecclesia Christi. Primum est, pristinos abdicare errores, et unius veri Dei profiteri fidem, quod est auferre deos alienos in medio nostri, deinde baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quod est mundari : ac deinceps ambulare in novitate vitæ, quod est vestimenta mutare. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eorum. Inaures enim habebant viri, more cæterorum orientalium populorum, quod mollis et effeminati erat animi instrumentum. Significant autem inaures falsæ doctrinæ phaleras sermone nitidas, sed sensu veritatis vacuas esse, cujus nos fabulosa dicacitas *cum essemus gentes ad simulacra muta* (*I Cor.* XII), tanquam Sirenarum cantus pertrahebat. *At ille infodit eos subter terebinthum quæ est post urbem Sichem.* Terebinthus arbor resinam generans pretiosissimam, lignum crucis, quod virtutis est optimæ, significat, subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, ut eorum ultra nullum vestigium reperiatur. *Cumque profecti essent, terror Domini invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.* Non ergo frustra, sed pro re necessaria divinitus suggestum est beato Jacob, ut diceret: *Auferte de medio vestri deos alienos.* Nam antehac ipse timidus, et periculose incedens, adorabat Esau, et domus ejus cædibus ac sanguine turbabatur: nunc autem *terror Domini invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes.*

CAPUT XIII.

Quod, ædificato altari in Bethel, Jacob sua vota solvit, et quare mors Deboræ sit memorata, alumnæ autem Rebeccæ sit tacita.

Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse et omnis populus cum eo; ædificavitque ibi altare, appellavitque nomen loci Domus Dei. Luza pristinum nomen civitatis erat, quod interpretatur *nux* sive *amygdalus*, id est longa nux, nunc autem Bethel, id est, *Domus Dei* dicitur. Ibi vota sua solvit exemploque est omni homini, ut quod voverit Deo, reddere non moretur. *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum. Vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus.* Quid hoc est quod Deboræ nutricis mors hic memoriæ commendatur, et ejus, cujus nutrix fuerat, scilicet Rebeccæ, mors nusquam invenitur? Num dignior existimata est nutrix quam alumna, ut pro dignitate mors ejus fieret cognita, illius autem pro indignitate maneret incognita? Ergo hic granum sub palea quærendum est. Nempe sicut Rebecca sancti Spiritus gratiam, sic nutrix ejus Debora legem significat Moysi sanctam et justam et bonam. Quod ex ipso ejus vocabulo suscipere amplius placet. Debora namque *apes* interpretatur. Scimus autem quod apis et mel in ore dulcifluum, et molestum sub cauda gestat aculeum. Sic plane lex sancta in facie sua, quæ Judæis velata est, vivificantem Spiritum in posterioribus suis, quæ sanctus apostolus obliviscitur, occidentem habet litteram (*Philip.* III). Igitur Deboræ quidem, quæ Rebeccam nutrivit, mors invenitur, quia videlicet ascendentibus in Bethel, id est in domum Dei, occidens littera legis relinquitur, vivificans autem spiritus perseverat, et ubique glorificatur. *Et sepulta est,* inquit, *ad radices Bethel,* id est, in primo introitu domus Dei. Debora sepelitur sub quercu, quia videlicet in initio surgentis Ecclesiæ in primordiis religionis Christianæ, quæ tota spiritualis est, carnalis sensus legis, et cunctæ carnales cæremoniæ, sub ligno crucis obruuntur. Quod quia hactenus a Judæis sine sacerdote et sine templo sedentibus deploratur, recte vocatum est nomen loci *Quercus fletus.*

CAPUT XIV.

Quod Jacob ubi vota solvit, benedictionem accipit, et de differentia triplicis mutationis nominum Abraham.

Apparuit autem iterum Deus Jacob, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei dicens: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel. Ubi votum solvit Jacob, benedictionem percipit, qua et illud, quod in somnis viderat, quando votum vovit fugiens Esau, et id quod novissime audivit cum Deo luctatus, repetitione confirmatur. *Non,* inquit, *vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Et adjecit scripto, dicens ex ore suo, *et appellavit eum Israel.* Quo dicto firmissimam vocabuli auctoritatem tenendam expressit, quia profecto mutabilis non est vocatio Dei. Porro quod addidit: *Ego* sum *Deus omnipotens, cresce et multiplicare, gentes et populi nationum erunt ex te,* jam ante expositum est, quia multis vicibus idem promissum est, unde et recte non jam repromissione, sed propter iterationem **138** frequentem dicimus Dei repromissiones. Hic jam pro dignitate vocantis nomen ejus Israel prætereundum non est, triformem esse positionem vocabuli sive appellationis in his tribus partibus nostris Abraham, Isaac, et Israel. Aliter namque Abraham, aliter Jacob, atque aliter Israel Deus ipse nuncupavit. Siquidem nomen Abraham tantummodo adauxit, nomen Isaac totum antequam nasceretur immutabiliter posuit, nomen Israel totum pro toto nomine Jacob commutavit. Differentiarum causa vel ratio citius clarescit, si prius in animo constet Abraham anterioris, Jacob posterioris figuram tenuisse populi, medium autem Isaac Christi, qui utrumque populum seipso velut duos parietes conjunxit (*Ephes.* II), lapis angularis. Item et anteriorem populum priusquam veniret Christus, aliquid habuisse vitæ vel justitiæ: quia profecto erat jam *notus in Judæa Deus,* et *Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV): posteriorem vero qui ex gentibus est nihil boni habuisse, cum serviret dæmonibus, eique, juxta prophetam, *non populus meus* vel non plebs mea *vos* veraciter diceretur (*Ose.* I). His ita animadversis, promptum jam est intellectui quam recte nomen Abraham una tantum syllaba adauctum, Jacob autem in Israel nomen omnino sit permutatum, quia videlicet anterior Hebræorum populus, qui ex fide patrum justificabatur quidem, sed arcebatur tamen a paradisi ingressu, uno tantum augmento indigebat, ut in Christo perficeretur, posterior autem gentium populus inchoationem pariter et perfectionem vitæ vel justitiæ de Christi sumpsit adventu. Porro nomen Isaac neque auctum neque commutatum, imo nec ab hominibus positum, sed, antequam nasceretur, ore Dei nominatum, quia pro-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fecto Christi justitia neque augeri unquam indiguit, neque minui potuit, nec enim ex accedenti dono est, sed antequam in terris appareret ipse justitia, ipse vita, ipse Deus et Dei Filius erat. Post verba hujus duntaxat visionis addidit scriptor: *Et recessit ab eo.* Quomodo a sancto et justo recessit? Eo videlicet modo, ut permitteret eum tentari, vel tribulari, ut, magnis adversis occurrentibus, ad augmentum meriti premeretur, quæ ab hoc loco usque ad descensum ejus in Ægyptum continuantur. Primum est, quod protinus subjungitur.

CAPUT XV.

Quod mortua est Rachel, et quod ejus sit descripta mors, Liæ autem tacita.

Egressus inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam. In qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus cœpit periclitari. Ac deinceps: *Mortua est autem Rachel in via quæ ducit Epheratam, hæc est Bethlehem.* Vernum tempus significat cum in florem cuncta rumpuntur, et anni tempus electorum est, vel cum transeuntes per viam carpunt et eligunt e vicinis agris quodcunque ad manum venerit diversis floribus invitati. Ephrata vero et Bethlehem unius urbis vocabulum est, sub interpretatione consimili. Siquidem in *frugiferam* et in *domum panis* vertitur, propter eum panem qui de cœlo se descendisse dicit (*Joan.* VI). *Mortua est*, inquit, *Rachel.* Sicut supra dictum est, non carere mysterio, quod Deboræ nutricis mors adnotata, et Rebeccæ mors tacita est; sic et nunc sciendum, non frustra mortem Rachelis inveniri, cum Liæ mors scripta non sit. Quid enim Rachel, nisi primitivam ex Hebræis; quid Lia, nisi collectam ex gentibus signat Ecclesiam? Moritur ergo Rachel, et mors Liæ silentio premitur, quia videlicet Synagoga palam per infidelitatem a gratia vitæ excidit, Ecclesia vero gentium vivit per fidem usque in finem sæculi. Et notandum quod Rachel in partu obiit. Nam Synagoga tunc mortua est, quando Christum et ejus apostolos emisit. Quæ enim assumptio, nisi vita ex mortuis? Unde et Rachel. *Egrediente anima præ dolore, vocat filium suum Benoni, quod interpretatur filius doloris mei.* Doluit enim, id est invidit, et dolenda sorte inde mortua est, quod ex ipsa vita assumpta sit. Pater autem vocavit filium illum Benjamin, id est *filium dextræ.* Quia profecto ille est filius apostolorum chorus, quem considere fecit cum Christo ad dexteram suam *in cœlestibus* (*Ephes.* II).

CAPUT XVI.

De eo quod dixit « trans turrim gregis, » quis locus sit.

Egressus inde fixit tabernaculum trans Turrim gregis. Loci hujus vel nominis æquivocatio quibusdam errorem fecit. Quidam enim arbitrati sunt locum hunc esse ubi postea templum ædificatum est, et turrim Ader turrim gregis significare, hoc est congregationis et cœtus quod et Micheas propheta testatur, dicens: *Et tu, turris gregis nebulosa, filia Sion* (*Mich.* IV), etc.; illoque tempore Jacob translocum, ubi postea ædificatum est templum, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ pastorum, juxta Bethlehem locus est, ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit (*Luc.* II), vel Jacob pecora pavit, loco nomen imponens, vel (quod verius est) quodam vaticinio futurum jam nunc mysterium monstrabatur. *Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala concubina patris sui. Quod illum minime latuit.* Sic ille effluendo cum esset primogenitus meruit audire: *Effusus es sicut aqua; non crescas, ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus* (*Gen.* XLIX). Similes sunt ei omnes hæretici, qui plebem Christi adulterino commaculant semine doctrinæ nequam. Unde Bala, quod interpretatur *inveterata*, recte hoc loco concubina dicitur. Nulla enim nisi concubina inveterata hæreticorum libidini sese prostituit. Nam quæ legitima uxor est, id est, quæ virum suum Christum agnoscit, neque seipsam ignorare, neque adulterinum concubitum admittere potest.

CAPUT XVII.

De generationibus Esau patris Edom.

(CAP. XXXVI.) *Hæ sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, et hæc nomina filiorum ejus.* Esau et Edom et Seir, unius hominis nomen est, et quare varie nuncupetur, supra dictum est. *Eliphaz filius Ada uxoris Esau*, iste est Eliphaz, cujus Scriptura recordatur in Job volumine (*Job.* II). Quod autem sequitur: *Isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir*, altius repetivit; jam enim enumeraverat filios Esau, et exponit qui ante Esau principes fuerunt Horræorum, qui in lingua nostra interpretantur *liberi.* In Deuteronomio manifestius legitur quomodo venerunt filii Esau, et interfecerunt Horræos, ac terram eorum hæreditate possederunt (*Deut.* IV). Idcirco autem Horræorum recordatur, quia primogenitus filiorum Esau, ex filiabus eorum acceperat concubinam Theman, et ex ipsa natus est Amalec. Quod autem dicitur *Theman, Genez*, et *Amalec*, etc., sciamus postea regionibus Idumæorum ex his vocabula imposita. *Iste est*, inquit, *Ana qui invenit aquas* **139** *calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui.* In Hebræo scriptum est: *Iste est qui invenit haimim.* Multi putant illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, cujus rei inventio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, juxta Punicæ linguæ vicinitatem, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo significari. Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admissos esse ad asinos, et ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur qui vocantur haimim. Plerique putant quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde, contra naturam, nova animalia nascerentur.

CAPUT XVIII.

Quare dicturus de ætate Joseph, qui Christi solis justitiæ typum gessit, præmiserit, « Hæ sunt generationes ejus. »

(CAP. XXXVII.) *Habitavit autem Jacob in terra*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Chanaan, in qua peregrinatus est pater suus. Et hæ A *sunt generationes ejus : Joseph cum sedecim esset annorum pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer.* Deinceps Joseph sanctissimus stella magna et lucida, de hoc altissimo sanctæ Scripturæ cœlo lumen suum dare incipit, qui pene solus claro vitæ suæ ordine præostendit, qualiter sol justitiæ Christus processurus esset ab initio usque ad finem diei, id est, ab incarnatione sua usque ad consummationem sæculi. Vitæ ejus narratio sic incipit : *Et hæ sunt generationes* Jacob. *Joseph cum sedecim esset annorum*, etc. Supra dixerat : *Erant autem filii Jacob duodecim*, eorumque catalogum ediderat, nunc autem dicturus, *Joseph cum sedecim esset annorum*, præmittit : *et hæ sunt generationes* Jacob. Et est sensus : Duodecim quidem filios habuit, sed in uno B Joseph suam generationem, id est, suæ vel paternæ similitudinis effudit pulchritudinem. Nam sicut et pater suus ex sterili Rebecca, naturam inopem, divina juvante gratia, progenitus, et divina benedictione donatus est (*Gen.* xxxv), sic iste nihilominus ex sterili Rachel dono Dei susceptus est, futurus ejusdem benedictionis hæres.

CAPUT XIX.

Quod Joseph adhuc puer grandiores fratres æmulos suos crimine pessimo accusarit.

Joseph (inquit) *cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer.* Non ita superefluit sermo Dei, ut nos docere velit quod hac ætate quisque adhuc puer sit, dum præmisso, *cum sedecim esset annorum*, subjungit *adhuc puer*, sed ut citam justitiæ vel meriti mireris perfectionem, quæ continuo subtexitur, idcirco sic utrumque vigilanter dictum est, *sedecim annorum, et adhuc puer.* Et *erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui. Accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Hoc enim diligenti inspectione dignum est quia grandiores fratres *accusavit adhuc puer.* Quod utique non fecisset, si non puritatis amorem, zelumque justitiæ jam haberet, quod in puero vel adolescente maxime laudabile est. Quo autem crimine fratres suos accusaverit, quia Scriptura non edixit, vagæ opinioni locus datus est, quia multa sunt vitia quorum consummatum opus pessimum est. Aiunt D tamen viri illustres crimen Sodomitici fuisse sceleris. Porro quod distincte dictum est, *et erat cum filiis Balæ et Zelphæ, uxorum patris sui*, æmulationem jam insinuat fratrum, qui erant ex Lia, cum quibus esse non audebat, quia cum de libera essent, grandiores habentes animos filium dilectæ Rachelis non libenter aspiciebant. Invidentiæ causa protinus subjuncta est. Dicit enim Scriptura : *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum. Fecitque ei tunicam polymitam.* Et continuo. *Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Sed notanda paternæ dilectionis causa posita est, eo quod in senectute genuisset eum. Nunquid enim secundum corpus senex erat quando genuit eum, juvenis autem quando cæteri nati sunt? Siquidem præter Benjamin cunctos infra quatuordecim annos genuerat. Restat ergo senectutem illam hic assignari, de qua Sapientia dicit : *Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* iv). In illa namque veraciter senectute Israel genuit Joseph, quia propter illam justitiæ suæ senectutem talem habere meruit hæredem. Nec enim vir justus lætatur in multitudine filiorum si mali sunt, sed in eo tantum agnoscit se patrem, si filium relinquat post se, qui justitiæ consequatur hæreditatem. Unde est illud Sapientis : *Mortuus est pater* B *illius, et quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se. In vita vidit et lætatus est cum illo, in obitu suo non est contristatus* (*Eccli.* xxx). Dignam ergo ob causam diligebat eum, et tanquam perfecto jamque pleno dierum, id est virtutum, fecit ei tunicam polymitam, id est manibus artificis mira varietate distinctam, usque ad talos pertingentem, videlicet ob virtutum multiplicitatem, vel justitiæ perfectionem. Itaque *videntes*, inquit, *fratres, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Magnitudinem odii diligenter expressit, dicendo, *nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Nam revera odium tunc magnum ac molestissimum est, quando virus animi lingua dissimulare non potest. Hæc secundum sensum litteralem dicta sunt. Cæterum jam C dicendum vel intuendum est quam pulchra ex hoc speculo suo Christi Filii Dei, veri solis imago resplendeat.

CAPUT XX.

Quomodo Jacob, Patris, Joseph autem Filii Christi typum gesserit.

Igitur in mysterio Joseph, id est *adauctus*, Christus est Dei Filius, qui omni Spiritu sancto plenus est, *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* ii). Hic et sex et decem annorum cum sit, siquidem et sex opera universæ creationis ipse explicuit, et Decalogum legis cum digito Dei scripsit, adhuc puer pavit gregem patris sui, id est, formam servi indutus rationalium Dei Patris ovium D curam suscepit. *Eratque cum filiis Balæ et Zelphæ, uxorum patris sui.* Bala *inveterata*, Zelpha *fluens os* interpretatur. Quibus nominibus Scribæ subintelliguntur et Pharisæi dierum malorum inveterati et ore fluentes vitiatam traditionibus suis doctrinam legis. Cum illis erat, audiens eos, et interrogans illos, et non quidem ipse, sed propter ipsum Moyses (*Joan.* v), in quo sperabant ipsi, accusavit eos apud Patrem crimine pessimo. Nam *si non venissem*, inquit, *et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc* **140** *autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum* (*Joan.* xv). Cui dubium est, quod Pater diligat istum Joseph? *Pater* enim,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inquit Joannes, *diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus* (*Joan.* XIII), eo quod in senectute genuisset eum. Qua in senectute genuit ille Pater talem Filium? In senectute æternitatis genuit eum, secundum quam et ipse dicitur et est *Antiquus dierum* (*Dan.* VII). In illa senectute, in illa naturæ antiquitate, sine numero annorum, sine initio dierum, sine vicissitudine temporum, genuit ille senex et antiquus Pater illum æque senem et æque antiquum Filium, et idcirco diligit eum, fecitque ei tunicam polymitam. Quænam est hujus filii tunica, nisi sancta legalis et prophetica Scriptura? Cujus enim ob causam, cujus ob testimonium vel gloriam, nisi hujus Filii sui texuerunt digiti Dei omnem Scripturam, quam jure fatemur divinitus inspiratam. Fecit ergo Pater Filio suo tunicam polymitam varie pulchram, et pulchre variam. Hanc similem genituram, hanc tunicam polymitam, dilectionemque paternam: *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XIII), Patre prædicante per Psalmistam in quo dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi* (*Psal.* XLIV), etc., usque ad finem psalmi. *Videntes autem*, inquit, *fratres ejus, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* Notum est quia nimis oderant hunc dilectionis filium fratres maligni tanto odio ut non possent ei quidquam pacificum loqui. Unde ait ipse in David: *Cum his qui oderant pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX). Item: *Et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis* (*Psal.* CLXXXVIII). Cuncta loquebantur hostilia: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII); et *dæmonium habet*, et *insanit*; et *Quid eum auditis?* (*Joan.* VIII) et his similia. Sed nunquid viderunt quod illum Pater amaret, vel quod ille Filius Dei Patris esset? Utique. Nam *si cæci*, inquit, *essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem dicitis quia videtis; peccatum vestrum manet* (*Joan.* IX). Plane viderunt, et idcirco excusationem non habent de peccato suo.

CAPUT XXI.

De somnio Joseph, quod retulit fratribus suis

Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis, quæ causa majoris odii seminarium fuit. Præter causam supra dictam, accidit hæc etiam causa in augmentum odii. Hoc ita dictum est, ac si diceretur: Accidit ut sermo ejus majoris odii seminarium fieret. Et hoc recte dictum est, quia *accidit*, neque enim studio quidquam horum dixit, id est non in conscientia ejus fuit, quod hujusce somni relatio seminarium fieret majoris odii. Denique hoc simplicis aut innocentis non fuisset animi velle amplius urere odientium animas auspicio suæ futuræ felicitatis. *Putabam*, inquit, *nos manipulos ligare in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Item: *Vidi*, ait, *per somnium, quasi solem et lunam, et stellas undecim adorare me.* Hæc somnia, quoniam cuncti novimus in illo Joseph qualiter subsequens rerum compleverit effectus, restat nunc ut ea secundum easdem causas vel exitus evangelicis Domini nostri Jesu Christi parabolis consonare sciamus. Etenim sicut in somnio, sic et in parabola, dum aliud dicitur, aliud intelligitur, quemadmodum et aliud umbra, et aliud corpus, et tamen nonnunquam ex umbra corpus cognoscitur. Et hoc nulli dubium quin sicut in hunc causa somniorum, sic et in Dominum nostrum causa parabolarum majoris odii seminarium fuit, majoris invidiæ fomitem ministravit, exempli causa seminatur parabola hæc: *Homo erat paterfamilias qui fodit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est* (*Matth.* XXI), etc. Etenim sicut eminentiam Joseph præsignavit illud quod manipulus ejus consurgere et stare visus est, eumque circumstantes adorare manipuli fratrum, sic et Dominus noster excellentiam suimet innuit ad summam parabolæ, dicendo sic: *Nunquid legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris* (*Matth.* XXI). Et quemadmodum illi conjicientes quid sibi vellet somnium, amplius invidentes dixerunt: *Nunquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* sic et isti intelligentes intentionem parabolarum amplius zelati sunt, *et quærentes eum tenere*, inquit evangelista, *timuerunt turbas quia sicut prophetam eum habebant* (*ibid.*). Porro minus in somnio visum quam in parabola est dictum. Non enim habetur in somnio qualiter manipulus Joseph consurgere et stare, et a circumstantibus manipulis suorum fratrum adorari deberet, cum parabola hæc personet quod Judæi Dei Patris Filium extra portam civitatis ejectum occisuri forent, et deinde subjuncto testimonio psalmi dicentis: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII), palam confirmet quod sic abjectus vel reprobatus, in caput gentium deberet constitui. Igitur pro quanto Joseph Christi gessit typum, pro tanto et hæc ejus somnia parabolis ejusdem Christi similia sunt. Et duo quidem somnia fuerunt, sed pro uno habita vel habenda sunt, quemadmodum et ipse ad Pharaonem: *somnium*, inquit, *regis unum est. Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei vel velocius impleatur* (*Gen.* XLI). Et alterum quidem e terra vel ex agro, alterum vero somnium fuit e cœlo, quia videlicet adoranda a fratribus suis ejus felicitas non de terra tantum, sed et de cœlo, non solum ex hominibus, sed etiam ex Deo, imo primam et maximam ex Deo laudem erat habitura.

CAPUT XXII.

De interpretatione somnii ex eo quod Jacob dixit: « Num ego, etc., adorabimus te super terram? »

Sed quid ita pater somnium interpretari conatus est: *Num ego et mater, et fratres tui adorabimus te super terram?* Cum ejus matrem Rachel obisse sciret,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quomodo illam, quæ defuncta fuerat, adorare posse sentiebat? An matrem ejus hic appellat eam quæ superverat, uxorem suam, consuetudine, non natura? Etenim matertera cum dicatur, quod sit mater altera, recte matrem ejus Liam hic appellare poterat. Verumtamen nec de patre palam legitur, quod adoraverit nisi quando jurante Joseph quod patrem asferret de terra Ægypti, conderetque in sepulcro majorum, adoravit juxta Septuaginta fastigium virgæ ejus pater Israel. Cæterum, juxta Hebraicam veritatem, melius legitur, *adoravit Deum conversus ad lecruli caput* (*Gen.* XLI). Ergo pro parte totum ponitur, vel intelligitur quia revera et pater pro filio gratias agendo cœlestem adoravit gratiam, quod sine dubio fecisset et mater si adhuc viveret. Quod et si littera cuiquam in hac parte infirmari videatur, firmiter sciendum est quia, juxta spiritualem sensum, veritas omnis in Christo perlicitur. Quis enim hoc loco pater ejus, nisi anterior **141** populus, de quo est incarnatus, qui a die passionis vel resurrectionis ejusdem Filii sui in cœlesti regno pro parte electorum fulget sicut sol? Et quæ luna, nisi præsens Ecclesia, quæ mutabilitati subjacet, et minus lucet quandiu peregrinatur in ista vita? Singuli autem electorum stellæ sunt, secundum se, quidem imperfecti, quasi in undenario numero, sed eorum perfectio stella duodecima, stella, inquam, perfecta et matutina, ipse Christus frater ipsorum est. Omnes adorant sol et luna, et stellæ omnes cuncta cœlestia, universa terrestria, majora sive minora, illum venerantur et adorant. *Mihi*, inquit, *curvabitur omne genu et confitebitur omnis lingua* (*Isai.* XLV). Quis enim manipulus ejus, nisi ab ipso seminata, ad messem usque perducta et perducenda fides evangelica? Porro manipuli fratrum, lectiones sunt legis et prophetarum, quas Judæi legentes quasi manipulos ligant vel colligunt. Ecce palam omnibus est, et de toto mundi agro spectatur manipulus Christi stans, et manipuli fratrum ejus circumstantes et adorantes, id est Evangelium, fida messis et frumentum optimum, solum et unicum Christi asserens imperium, omnesque legis et prophetarum lectiones illi testimoniorum præbent obsequium debitumque adorationis famulatum. Imitentur ergo fratres invidi manipulos suos, quod quandoque facturi sunt, cum adorando, cujus manipuli ipsorum jam adorant manipulum.

CAPUT XXIII.

Quod Joseph obediens patri in Sichem, missus ad fratres suos, Christi Patri suo obedientis usque ad mortem typum gesserit.

Cumque fratres illius in pascendis gregibus morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt greges in Sichimis; veni, mittam te ad eos. Hæc erat causa paternæ sollicitudinis, quia pascebant filii oves ejus in Sichimis, videlicet ubi dudum populo terræ illius odiosos fecerat illos furor ipsorum pertinax et indignatio dura. Eadem sollicitudine æger superius locutus est: *Turbastis me, et odiosum fecistis Chananæis, et Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus; illi congregati percutient me et delebor ego et domus mea* (*Gen.* XXXIV). Non ergo ab re sollicitus, *fratres*, inquit, *tui pascunt greges in Sichimis, veni, mittam te ad eos.* Gratam filiis fore visitationem pater arbitratus est, quia non qualemcunque hominem, sed eum quem diligebat filium mitteret ad eos, *vade*, inquiens, *et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora, et renuntia mihi quid agatur.* Breve quidem, sed præclarum Scriptura interposuit obedientis filii verbum, dicendo. *Quo respondente: Præsto sum.* Perseverantiam quoque benevolentiæ vel attentionis ejus illud indicat, quod, cum non invenisset eos in Sichem, tandiu quæsivit eos errans, et duce sive indice indigens, donec inveniret eos in Dothaim. Hoc plane in mysterio illud est quod in Christo Dei Filio mirandum et imitandum prædicat Apostolus, quia *factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Fratres ejus, secundum carnem, Scribæ et Pharisæi, in Sichimis pascebant oves, id est, secundum exemplum Sichimitarum, docebant, imo decipiebant insipientes. De qualibus Psalmista: *Sicut oves*, inquit, *in inferno positi sunt, mors depascet eos* (*Psal.* XLVIII). In quo, secundum exemplum Sichimorum? In eo videlicet quia circuibant mare et aridam ut facerent unum proselytum, et cum factus esset, faciebant eum filium perditionis, duplo quam semetipsos (*Matth.* XXIII). Sic enim Sichimitis fecerunt patres eorum dolo circumvenientes eos, ut circumciderentur, proselytos fecerunt, et incautos interfecerunt (*Gen.* XXXIV). Et ad ejusmodi pastores cum a Deo Patre mitteretur passurus Filius, *Præsto sum*, ait. *Dominus* enim, inquit, *aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii* (*Isai.* L). Venit ergo ad tabernacula pastorum, ascendit Hierosolymam ad diem festum (*Joan.* VII), renuntiaturus Patri quid ageretur, non locali recursu vel retrogradis passibus, sed *clamore valido* sui sanguinis (*Hebr.* V), quo fratrum illorum scelus crudelissimum jugiter in cœlum annuntiatur.

CAPUT XXIV.

Quod Joseph dolore mortis circumdatus similitudinem mortis Christi et passionem ejus figuravit.

Perrexit ergo post fratres suos, et invenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit. Venite, occidamus eum, etc. Non opus erat ut, gratia similitudinis Filii sui, Deus illum permitteret occidi, resuscitaturus a mortuis, quamvis et hoc illi possibile fuerit, cum omnipotens sit. Occidi namque non jam mortis similitudo, sed ipsa est mors. *Si enim complantati*, inquit Apostolus, *facti fuerimus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI). Nunquid hæc dicens suadet nobis corporaliter exstingui?

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ergo pro similitudine satisfuit viventem absque dispendio vitæ doloribus mortis circumdari, et ita communicare futuris passionibus Christi. Ut autem evaderet mortem dicentibus illis : *Ecce somniator venit. Venite occidamus eum, et videamus si prosint illi somnia sua :* Divisio malorum, præsidium justo fuit : Dixit enim Ruben. *Non interficiamus animam ejus, nec effundamus sanguinem, sed projicite eum in cisternam hanc quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo.* Forte quia se magis suspectum fore totumque pondus criminis in se versandum existimabat, quippe qui primogenita perdiderat quæ in illum ex altera uxore primogenitum pater transferre cœperat. Hic profecto divisus est a cæteris, et cavendum erat illis, ut non offenderent eum, cum posset offensus rem indicare patri. Igitur acquiescentes uni, *confestim ut pervenit ad ipsos, nudaverunt Joseph tunica talari et polymita, miseruntque in cisternam quæ non habebat aquam.* Sed hoc pacto, si ibi relinqueretur, mortem non evaderet; si autem Ruben, ut facere intenderat, eriperet eum de manibus eorum et redderet patri suo, non implerentur divinitus provisa ejus somnia. Facta est igitur et alia divisio, sicque in tres divisi sunt partes, ut citius propositum Dei ordine suo percurreret. Nam sequitur : *Et sedentes ut comederent panes, viderunt viatores Ismaelitas. Dixit ergo Judas fratribus suis : Quid nobis prodest, si occidamus fratrem nostrum? Melius est ut venudatur Ismaelitis,* etc. Hoc profecto ex semetipso non dixit, sed quemadmodum ille Caiphas qui prophetavit, dicens : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XVIII), sic et iste nutu Dei prophetavit melius fore Joseph venundari quam occidi, magisque sibi profuturum, si Ismaelitis venderent, quam si occiderent et sanguinem ejus celarent. Hæc potius voluntas Dei fuit, sed ille quidem cogitavit de fratre suo malum, Deus autem convertere noverat illud in in bonum. *Num*, inquit ipse Joseph, *Dei resistere possumus voluntatem? Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum* (*Gen.* L). Hæc et Psalmista testatur, **142** dicens : *Misit ante eos virum*, et continuo subjungens, *in servum venundatus est Joseph* (*Psal.* CIV). Illi, inquam, cogitaverunt malum de fratre suo qui in servum illum vendiderunt : Deus autem vertit in bonum, mittendo ante eos virum. Hoc vero fuit Christo comparari, vere ferro passionis transverberari. Sic enim qui supra cum dixisset : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, statim adjecit, *ferrum pertransiit animam ejus* (*ibid.*). Ferrum pertransiens animam, appellat animæ angustiam. Quæ quam vehemens fuerit, fratres testantur ad invicem loquentes : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus* (*Gen.* XLII).

CAPUT XXV.

Quod fratres Joseph mittentes tunicam hœdi sanguine tinctam nunciaverunt patri mortem ejus. Et de luctu patris.

Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hœdi quem occiderant, tinxerunt mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent : Hanc invenimus : vide utrum tunica filii tui sit, an non. Hoc deliberaverunt, et non ipsi dicere voluerunt *hanc invenimus*, sed submiserunt qui ferrent, seque invenisse dicerent, videlicet sic tutius innoxii parerent, sic dissimulandi sibi laborem minuerent, sic animum patris, a suspicione sui sceleris longius repellerent. Sed nunquid vel sic tam diligentem fallere potuerunt? Et si huic sancto viro præter humanam nihil adfuit conjecturam, nunquid totum ejus spiritum suæ fallaciæ tenebris obvolvere valuerunt? Dicit nempe quodam loco sic : *Vos scitis quod duos filios genuerit mihi uxor mea. Egressus est unus, et dixistis : Bestia devoravit eum* (*Gen.* XLIV). Quidnam dixistis, nisi et eos qui dicerent submisistis? Ergo illa fera pessima, illa bestia sævissima, quæ, quantum in se fuit, devoraverat, qualis esset, non omnino patrem latere poterat. Sed quid ageret? Qualiter feram illam constringeret? Quomodo de ventre bestiæ filius quem devoratum putabat filium extrahi posse putaret? Tacendi potius et dissimulandi quod conjicere poterat, tempus illi erat, ne si notam sibi illam feram, id est, filiorum invidiam audacem atque violentam querelis manifestis exagitaret, majorem in rabiem dentes ejus acueret. Itaque in acerbissimo dolore vim sibi faciens, et verba sua moderans : *Tunica*, inquit, *filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Nec hoc dicens falsus aut mentitus est. Talis namque sævitia cum leone et urso feræ, aut bestiæ vocabulo, rectissime æquivocari potest. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Qualem ergo invidiæ suæ requiem quale zeli sui refrigerium abactores Joseph adepti sunt? Nempe si gravis illis erat ad videndum frater, quia diligebatur, gravior multo esse poterat pater, quia cum languore vel tristitia universa domus coram oculis eorum perpetuo dolore cruciabatur, nimioque labore consumebatur. *Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem recipere, et ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quia mortuum esse putabat filium suum; omnes autem mortui, quanquam justi ante Christi adventum descendebant in infernum, idcirco dixit : *Descendam in infernum ad filium meum*, pro eo ut diceret : Cum vita mea finiam præsentem luctum, non nisi moriendo cessabo lugere filium meum. Sed quonam instrumento liberi ejus congregati aderant ad leniendum patris dolorem? Quis enim dolorem ejus mitigare poterat, nisi quem medullitus dolor ipse mordebat? Hæc namque veri doloris natura est. *Si enim*, inquit Apostolus, *ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me* (*II Cor.* II)? At illi non in veritate plorare, vel fideliter contristari poterant, quippe qui pro medio tristitiæ suæ, pro lenimento torquentis invidiæ fra-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

trem abegerant. Qua ergo fronte congregati aderant? Ait enim quidam sæcularium :

Heu! quam difficile est crimen non prodere vultu!
(Ovid, *Met.* II, 447.)

Patris lacrymæ, quia vulneratam cordis venam invenerunt, freno laxato currebant quantum volebant, nec retineri adjunctis habenis poterant, quia forti impetu sese excusserant. Verum lacrymæ fratrum conclusæ erant, nec leviter quamvis calcaribus urgerentur, erumpere volebant. Ergo cum lenire vellent verum patris dolorem, noluit consolationem recipere, noluit eos audire, noluit eos saltem ad luctum invitare, non curavit saltem (quæ extrema consolatio est) eorum voces secum in fletum excitare. Solent namque et hoc facere qui omni gaudio destituti, solis pascuntur lacrymis suis, solis feriuntur gemitibus, quomodo, verbi gratia, Jeremias propheta loquitur : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus* (*Thren.* I).

CAPUT XXVI.

Item de re eadem. Et quod sicut Isaac, sic et Joseph ad occidendum impetitus, non tamen mortuus, Christi passionem præfigurabat.

Igitur quemadmodum puer Isaac ad immolandum ductus, colligatus et aræ impositus, non tamen etiam gladio percussus, sic et iste a fratribus suis ad occidendum impetitus, in cisternam projectus, ac venditus est, non tamen etiam occisus, recte dicitur passus, et in passione sua Filio Dei assimilatus. Item et quemadmodum aries pro Isaac in holocaustum oblatus mysterium similitudinis Filii Dei peregit, cujus divina impassibiliter permanente natura sola passa vel mortua est humana, sic et hædus jugulatus, quo tunica Joseph talaris et polymita sanguine ejus intingeretur, eamdem figuram vel similitudinem prætulisse dignoscitur. Tunicam Christi polymitam sanctam esse Scripturam superius jam diximus, qua videlicet tunc invidi fratres Judæi, quantum in ipsis fuit, dilectum Patris Filium nudaverunt, quando illum detestati sunt, et eum quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, hunc esse negaverunt. Ecce respice in manibus Judæorum Christi tunicam, id est legalem ac propheticam Scripturam; sanguine illo cruentata est, sanguine hædi, id est ejusdem Christi non sua, sed aliena peccata portantis, et idcirco per hædum significati, in manibus Judæorum polluta est. Quidquid legere, quidquid sabbatizare contendunt, omne quod sanctum se habere putant, sanguine plenum est, sed et ipsæ manus Judæorum plenæ sunt sanguine. Quinam sunt hi quos miserunt, quibus tunicam istam patri afferendam imposuerunt? Nimirum nos sumus, qui neque filium istum vendidimus, neque hædum (quod ipse idem est secundum naturam humanam) peccata nostra portantem occidimus, sed ubi factum est, audivimus, et supervenientes jam intinctam tunicam suscepimus. Non quidem nos illi miserunt, sed et nos et Patres nostros apostolos emiserunt, ejecerunt, anathematizaverunt: verumtamen quin spoliis hæc auferemus, prohiberé non potuerunt. Quoties igitur Patri assistimus, quoties cantantes aut psallentes sive legentes sacram Scripturam tractamus, **143** familiariter Deo dicamus : *Hanc invenimus, vide utrum tunica sit Filii tui, an non.* Et respondet nobis : *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Gens enim illa, quondam Patris domus vel hæreditas, hunc fera pessima vel bestia dicitur et est, et vocatur hyæna. Sic enim in propheta dicit Filius ipse : *Facta est mihi habitatio mea quasi spelunca hyenæ* (*Jer.* XII). Jamdudum scissis vestibus hic pater indutus est cilicium, id est laceratis et abjectis a se ornatibus veterum cæremoniarum, contempto ritu sacerdotum vel ornatu sacrificiorum, admisit et astruxit sibimet multitudinem pœnitentium idololatrarum. Plane congregatis cunctis, qui ejusmodi sunt liberis ejus, ut delinliant dolorem ejus, id est ut sacrificiis et Mosaicis lectionibus illi adulentur, omnino non vult eos audire, et dicit : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* I). Sed quid? *Descendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum. Lugens*, inquam, id est, gemitibus inenarrabilibus lugentes faciens, ad eos descendam, qui cum in inferno sive in monumentis sint, audiunt vocem Filii mei, et in hoc descendam, ut quicunque audierint vivant (*Joan.* V).

CAPUT XXVII.

Quomodo Joseph, semel venditus viginti denariis a fratribus, secundo venditus sit Putiphar eunucho in Ægypto a Madianitis.

Et illo perseverante in fletu, Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphar eunucho magistro militiæ

Quæritur de isto qui nunc eunuchus asseritur, quomodo postea uxorem habere dicatur. Tradunt Hebræi emptum ab hoc Joseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, et, a Domino virilibus ejus arefactis, postea electum esse juxta morem hierophantarum in pontificatum Heliopoleos, et hujus filiam esse Aseneth, quam postea Joseph acceperit. Ecce secundo *in servum venundatus est Joseph* (*Psal.* CIV). Et hoc interesse notandum est, quia primæ venditionis pretium Scriptura non tacuit, viginti enim argenteis vendiderunt eum fratres sui Ismaelitis, secundo autem quanti venditus sit, dicere neglexit. Et recte : Quia Ismaelitæ sive Madianitæ negotiatores permisti, quod suum erat, et quod emerant licenter jam vendiderunt. Fratres autem hoc faciendo malum, ipsi venundati sunt, et idcirco sciendum fuit quanti seipsos vendiderunt, id est quam parvo pretio tam ingentis peccati servi facti sunt. Nam tali in negotio viginti argentei, quid sunt inter tantos? Siquidem cum decem fratres unius venditores fuerint, singulæ portiones eorum, boni argentei sunt. Parvo igitur venundati sunt, nisi quod et illi non tam marsupiis suis consulere quam invidiæ suæ satisfacere curaverunt. Porro Madia-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nitis qui emerunt et rursus vendiderunt Joseph, illi fratrum nequissimi comparabiles sunt, scilicet principes sacerdotum, qui et vendiderunt Christum, et ut sibi venderetur, pecuniam discipulo spoponderunt : vendiderunt, inquam, quia, juxta suam occasionem, ut locum et gentem sibi servarent, quasi rursus vendentes eum Pilato tradiderunt. Nam si, secundum Apostolum, ex Ismael sunt omnes qui sequuntur eos qui vel secundum spiritum nati vel promissionis filii sunt (*Gal.* IV), quanto magis illi Ismaelitæ recte dicantur, qui hunc usque in mortem persecuti sunt, non utcunque secundum spiritum natum, sed ex sancto Spiritu conceptum, cui *non ad mensuram Deus spiritum dat* (*Joan.* III), sed in eo *corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitat?* (*Col.* II.) Hæc mira venditio eorum fuit, cum propter locum et gentem regem suum et loci et gentis suæ solum præsidium tradiderunt, dicendo : *Ne forte veniant Romani et tollant nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Et pretium quidem emptionis eorum similiter supputatum est. Triginta namque argenteos traditori discipulo dederunt. Ubi notanda diligenter, secundum distantiam personarum, differentia quoque divinitus provisa pretiorum. Binarius namque et ternarius in denone limite viginti et triginta faciunt. Ergo quantitas pretii, quo Joseph venundatus est, binarius ; pretii vero quo emptus est Christus, ternarius est. Et recte. Nam Joseph, utpote purus homo, solummodo ex anima constat et corpore, Christus vero ex anima et corpore, simul ex veritate constat divinæ naturæ. Bene igitur illic binarius, hic autem pretii quantitas ternarius est. Porro et illic, ubi in Ægypto venditus est Joseph, et hic ubi gentibus traditus est Dominus noster, pretium vel emolumentum vendentium sive tradentium definitum non est. Attamen in propheta dicente : *Paveant illi, et non paveam ego, induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus meus* (*Jer.* XVII), justa merces iniquitati illorum concessa est. Nam quia paventes, imo paverem simulantes, dixerunt, *et venient Romani, et tollent nostrum locum*, non solum hac simplici contritione contriti sunt, sed et duplicata est contritio illorum, scilicet ut et locum perderent, et æternam animæ mortem incurrerent.

CAPUT XXVIII.

De conjugio Judæ et filiorum ejus. Et quod alienigena Thamar et adulterinus concubitus Judæ os Judæorum gloriantium in carne obstruxerit.

(Cap. XXXVIII.) *Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram, viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue. Et uxore accepta, ingressus est ad eam. Quæ concepit et peperit filium, vocavitque nomen ejus Her. Rursum concepto fetu, natum filium vocavit Onan. Tertium quoque peperit, quem vocavit Sela. Quo nato parere ultra cessavit. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuitque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini, et ab eo occisus est*, etc. Ubique Deus gratiæ suæ dona circa electos suos ita dispensat ac moderatur, quatenus et justitia fidei sit, unde prædicetur, et præsumptio carnis sit unde non glorietur, ut, juxta Apostolum, *omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo* (*Rom.* III), *neque glorietur omnis caro coram illo* (*I Cor.* I). Ecce enim Judæis carnalibus in carne gloriantibus magnæ erat confidentiæ, quod patres eorum vocati sunt sancti, et ipsi sanctas habuere conjuges, alienigenas, id est Chananæorum inter quos habitabant filias abominati, sed ecce os illorum obstruit alienigena Thamar, et adulterinus Judæ concubitus, unde duces suos, principes suos, reges suos, prophetas suos, et seipsos emanasse, si dissimulare velint, palam coarguuntur. Omnis gloria gentis, cuncta nobilitas populi hujus, ex hoc adulterio profluxit, ut, sicut jam dictum est, *omne os obstruatur*, et de meritis suis nemo glorietur, sitque solus *justus et justificans eum qui ex fide est* Deus (*Rom.* III). Jam quia patet litteræ textus in superficie declivi, pulchritudinem spiritus introrsum quæramus ad honorem **144** ejus qui neminem venit vocare justum, sed omnes peccatores et impios (*Matth.* IX). Neque enim arbitrandum est quod frustra talibus ex principiis nasci voluerit patres, ex quibus ipse secundum carnem nasciturus erat (*Rom.* IX), qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

CAPUT XXIX.

Quid mystice per adulteram Thamar significetur.

Igitur Thamar (quod interpretatur *amaritudo*) pœnitentiam significat, quæ omni homini necessaria est, ex quo primus peccavit Adam, in quo moriuntur omnes. Her et Onam, quorum alter *pellicens*, alter interpretatur *mœror eorum*, qui uxorem Thamar ducere jussi, filios ex ea non genuerunt, et mortui sunt propter suam nequitiam, eos qui ante legem et sub lege fuerunt designant, qui pœnitentiam agere jussi, neglexerunt, imo et exspectatione Dei nequiter abusi, tempora pœnitentiæ perdiderunt. Judas, qui tandem ad illam ingressus, duos ex ea filios uno genuit concubitu, Christum designat, qui tandem agendam pro omni mundo pœnitentiam suscepit, et uno mortis experimento duorum populorum salutem et vitam æternam, quasi parturiens in dolore mortis fructificavit. Latius, secundum litteræ ordinem, sensum hunc explicemus. *Mortua filia Sue, uxore Judæ, ille post luctum consolatione accepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas*, Judas *confessio*, Hiras *vidi fratrem meum*, Odollamites *testimonium in aqua*, Thamna *vetans* interpretatur vel *deficiens*. In Juda ergo Christum quem et Apostolus vocat *confessionis nostræ pontificem* (*Hebr.* III). In Hiras Joannem Baptistam, qui dicit : *Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei* (*Joan.* I). In eo quod dicitur Odollamites, ipsum testimonium propter quod venit in aqua baptizans. In Thamna Judæos vetantes et vetando

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

deficientes. In morte filiæ Sue (quod interpretatur *loquens*, sive *cantilena*) silentium intelligimus legis et prophetarum, qui usque ad Joannem prophetaverunt. *Tunc ascendebat Judas ad tondendas oves suas et cum eo ille Hiras;* tunc enim Christus venerat ad oves quæ perierant domus Israel (*Matth.* xv), et cum eo vel ante eum, Joannes Baptista, baptizans in aqua et prædicans lavacrum ad tonsuram ovium necessarium, id est pœnitentiam dignosque pœnitentiæ fructus (*Matth.* III), necessarios ad deponenda onera peccatorum.

CAPUT XXX.

Quid mystice significet quod Thamar arrhabonem accepit, donec mitteretur hædus?

Annuntiatum est hoc Thamar, id est, amaritudini, *sumptoque habitu meretricio, sedit in bivio.* Audita est enim vox illius opilionis gregis Dominici, clamantis et dicentis : *Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). Ex tunc omnis qui de peccatis suis timuit, amaricatus est, et sic publica confessione se ostendit quæque anima peccatricem, quemadmodum talis habitus asserebat Thamar esse meretricem, sumpserat enim theristrum, id est æstivum ac subtile palliolum, sedens in bivio, per quod intelligitur legis et gratiæ confinium. Vidit Judas noster, id est miseratus est, adamavit, id est satisfactionem ejus suscepit. Quomodo enim concubitu ejus frui voluit, nisi quia communicare dignatus est pœnitentiam amaritudini? Usque adeo facere hoc ille non dedignatus est, ut inter pœnitentes ipse a servo suo baptismum pœnitentiæ susciperet. Sed quænam conventio fuit, vel qua pro mercede inter utrumque convenit? *Mittam*, inquit, *tibi hædum de gregibus.* Quid porro est huic Thamar hædum pro mercede dari, nisi Christum pro pœnitentibus sacrificari? Nam ille quidem, secundum suam innocentiam, agnus est Dei, secundum peccata aliorum quæ in se expianda susceperat, hædus fuit. *Quid tibi*, inquit, *vis pro arrhabone dari? Respondit : Annulum tuum, armillam, et baculum quem in manu tenes.* Annulus fidem, armilla dilectionis operationem, baculus spei significat fortitudinem. Ista recte Thamar pro arrhabone postulat, donec accipiat hædum. Fide namque, spe et charitate pœnitens anima subarrhatur, donec sacrificatum pro peccatis suis facie ad faciem videat Christum. Accusata quoque his tribus defenditur testimoniis quod nequaquam vagam sequendo turpitudinem fornicata sit, sed de Juda conceperit, quia videlicet in die judicii fide, spe et charitate vocata, justificata, et magnificata defensabitur, quod non alio quam de Christi Spiritu conceperit, dicens juxta prophetam : *A timore tuo Domine, concepimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram* (*Isai.* XXVI).

CAPUT XXXI.

De partu Thamar et quid significent gemini in utero ejus, quod unus manum prius protulit et alter maceriam destruxit.

Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero ejus. Atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens, Iste egredietur prior. Illo vero trahente manum, egressus est alter. Dixitque mulier : Quare divisa est propter te maceria? Et ob hanc causam vocavit nomen ejus, Phares. Postea egressus est alter in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zaram. Tempus est vel dies partus, hoc tempus acceptabile, et hic dies salutis est (*II Cor.* VI), ab hora passionis Christi, cujus amaritudo, id est mors, omnem hominem, tam Judæum quam Græcum, ad æternam vitam parturivit. Nam isti sunt duo gemini, qui in utero Thamar reperti sunt discordantes, et quasi de privilegio nascendi contendentes, quos Apostolus exæquare et ad pacis concordiam formare cupiens exterret minis, mulcet promissis. *Ira*, inquit, *et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. Non est enim personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II), etc. *In ipsa*, inquit, *effusione infantium unus protulit manum.* Unus ille qui primo manum protulit, Judæus est, qui primus legem accepit, et cui *primum oportebat loqui verbum Dei* (*Act.* XIII). At ille repulit illud, et indignum se judicavit æternæ vitæ. Manum ergo coccino ligatam cito retraxit, id est conscientiam Christi sanguine pollutam avertit. *Alter* protinus *egressus est*, Græcus, id est, gentilis populus ad lucem venit, et Deo natus est. *Quare*, inquit, *divisa est propter te maceria?* Hoc profecto a semetipsa non dixit, sed verum prophetavit, quod nunc palam factum est, *quia* videlicet *cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI). Hæc interruptio Israel, divisio maceriæ est, quam et significat nomen Phares; interpretatur enim *divisio.* Alterum *appellavit Zaram.* Quo nomine pellenda designatur cæcitas quæ contigit in Israel, **145** ut, post præsentem infidelitatis noctem, veram videat lucem, respiciens ad orientem. Zara namque interpretatur *oriens.*

CAPUT XXXII.

Quod Joseph venditus eunucho a Domino liberatus sit, ne in turpe ministerium assumeretur.

(Cap. XXXIX.) *Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus fuerat illuc.* Superioris narrationis serie interrupta, præsenti repetitione Scriptura redintegrat. *Igitur*, inquiens, *Joseph ductus est in Ægyptum*, etc. Statimque, juxta Psalmistam in beatitudinibus justi dicentem : *Apud Dominum gressus hominis dirigetur, et viam ejus volet; cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* (*Psal.* XXXIII). *Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis agens prospere.* Ubinam ceciderat sic venditus, vel qua collisione ne collideretur, *supponit manum suam Dominus?* Nempe, juxta

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

superius dictam Hebræorum traditionem, in malam servitutem ceciderat, quem ad turpe ministerium vir ille Ægyptius emerat, sed, Domino supponente manum suam, non collisus est; aruit enim, inquiunt, idem dominus ejus, et factus est eunuchus. Et fortasse propter hoc ipsum tanto pondere dictum est : *Qui optime noverat esse Dominum cum eo*, quod videlicet tali circa semetipsum didicerat experimento. Supposuit ergo manum suam Dominus, non quidem ad hoc ut totus sublevaretur, sed ad hoc tantum, ut non collideretur, id est peccato alieno non inquinaretur, vel ut adversitate non frangeretur. Nondum enim *sicut vasa figuli probat fornax*, sic et hunc virum receptibilem caminus tentationis satis probaverat (*Eccli.* XXVII). Necdum satis spectatum fuerat quantus esset intus, qui jam placebat extrinsecus. Adaugeatur igitur, secundum nomen suum, Joseph, nec enim frustra sic appellatus est, nec a semetipsa locuta est mater, sed divino præsagio præeunte, augmenta virtutum ejus grandia fore vaticinata est, quamvis hoc nomen imponens, futura nesciret. Adaugeatur, inquam, et propter quem Deus virum mirabiliter enervat, ne vim pateretur, ipse per virtutem, feminam vincendo, dignum se illo miraculo fuisse contestetur. Sequitur

CAPUT XXXIII.

Quod in Joseph quatuor virtutes notentur, eo quod dominam suam libidinosam spreverit.

Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. Post multos itaque dies injecit domina oculos suos in Joseph, et ait : Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, etc. In hac tribulatione, in hoc abscondito tempestatis discrimine (*Psal.* LXXX), ubi exauditus atque probatus est Joseph, quatuor agnoscimus virtutes, temperantiam, justitiam, fortitudinem et prudentiam. Quid enim temperantius eo quod dicenti non cuilibet, sed dominæ suæ : *Dormi mecum*, adolescens suum non inclinavit animum? Quid justius eo quod ait : *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum?* Quid fortius ea perseverantia, quod hujusmodi verbis per singulos dies loquebatur et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum? Quid prudentius eo quod illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret : *Dormi mecum. Ille relicto in manu ejus pallio, fugit et egressus est foras?* Tutius nempe judicavit vestimentum suum cum temporali dispendio excutere et ignem procul a se abjicere, quam silentio diu premendo flammam femineam in sinu suo alligare, cum periculo animæ. Recte igitur hunc Psalmista virum nuncupavit dicens : *Misit ante eos virum* (*Psal.* CIV). Sed tantorum virum virtutum mente invictum, corpore mulieres captaverunt. Nam sequitur : *Cumque vidisset mulier res eum in manibus suis, et se esse contemptam, vocavit homines domus suæ, et ait ad eos : Ecce introduxit dominus meus virum Hebræum, ut illuderet nobis*, etc. *His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde, tradiditque Joseph in carcerem ubi vincti regis custodiebantur.* Itaque liber peccati, servus autem justitiæ cum esset vir, per mulierem compeditus est, sed corpore tantum, non mente, et ita *humiliaverunt in compedibus pedes ejus, et ferrum pertransivit animam ejus.* Deum judicem et conscium suum sustinentis, *donec veniret verbum ejus* (*Psal.* CIV). Atque in hunc modum non longe a vero fuit, quod dixit pater Israel, *fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph* (*Gen.* XXXVII). Revera namque bestia vel fera pessima fuit ei mulier illa, libidine saucia, suique contemptus dolore exasperata, quæ et si non devoravit animam ejus consensu peccati, momordit tamen, et acri dolore tanquam ferreo dente transverberavit. Hæc de sensu litterali. Cæterum in typum Domini Salvatoris illa feminæ tragœdia, Synagogæ vesania est. Et secundum historiam quidem tempora divisa sunt : *post multos namque dies injecit domina oculos in Joseph*, sed secundum sensum mysticum res conjuncta et ordo continuus est. Nam Dominus noster, cum a Judæis fratribus suis comprehensus, et tota nocte irrisiones vel opprobria passus fuisset, subsecuta luce ante præsidem adductus, et cum testibus falsis accusatus est. Dicendum igitur quid in Christo Synagoga concupierit, quid non adeptam se esse dolens, Christum præsidi suo tradiderit.

CAPUT XXXIV.

Item de eadem re mystice.

Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. Omne quod de Christo sancta prædicat Scriptura, pulchrum ac decorum est, sed non *absque eo quod intrinsecus latet* (*Cant.* IV), verbi gratia : *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent; reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* (*Psal.* LXXI) : et quidquid ejusmodi de Christo canitur aut legitur, pulchrum est, sed unam eamdemque pulchritudinem, aliter Synagoga carnalis, aliter Ecclesia spiritualis intuita est. Illa, quam hoc solum delectat quod in mundo est, quod *concupiscentia carnis* et *concupiscentia oculorum*, quod ambitio spiritus, *et superbia vitæ est* (*I Joan.* II); illa, inquam, cum legeret venturum Messiam, id est Christum regem magnum et speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), sperabat totum carnaliter futurum, scilicet quod secundum hominem sessurus esset super solium David, in illa Jerusalem quæ prophetas occidit, in illa Sion quæ lapidavit eos qui ad se missi sunt, ut inde dominaretur a mari usque ad mare et a flumine usque ad **146** terminos orbis terrarum, Æthiopibus et insularum regibus coram illo procedentibus, regibus Arabum et regibus Saba in illam auream et gemmatam Jerusalem munera offerentibus et dona adducentibus (*Matth.* II), omnibus omnino regem illum et civita-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tem adorantibus, gentibusque cunctis avaritiæ Judaïcæ sub tanto rege servientibus. Nempe hæc et hujusmodi de Christo carnaliter sentire, et secundum hominem sperare, id erat petulantem mulierem incestos oculos in pulchrum Joseph injicere. Sed Christus talem intellectum non admittit, imo taliter intelligentem odit ac refugit, et jamdudum sic legentem, sic sentientem Synagogam sprevit, effugiensque cum suo vivificante spiritu, solam illi occidentem litteram reliquit (*II Cor.* III). Bene igitur Joseph *relicto* in manu adulteræ *pallio fugit, et egressus est foras.* Fugit enim qui et dixit : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). *Fugit*, inquam, *et egressus est foras*, quod præsignavit etiam facto, quando tollentibus lapides Judæis, ut jacerent in eum, ipse *abscondit se et exivit de templo* (*Joan.* VIII). In argumentum ergo fidei, retentum pallium ostendit marito revertenti domum, et ait : *Ingressus est ad me, ut illuderet mihi. Retentum ostendit marito pallium*, id est, coram præside suo vana protulit testimonia Scripturarum in argumentum fidei, quod Dominus Jesus aut seductor sit aut illusor, verbi gratia : *Nos*, inquiunt, *legem habemus, et secundum legem debet mori, quoniam Filium Dei se fecit* (*Joan.* XIX). Item : *Commovet universam Judæam, docens a Galilæa usque huc, et dicens se Christum regem esse* (*Luc.* XXIII). Pilatus sane, vel potius Cæsar talis synagogæ maritus tunc fuit, qualem per eunuchum Ægyptium significari nunc decuerat. Nam quomodo illa quæ maritum habet eunuchum, nec vere maritum habet, nec a lege viri soluta est, ut cuicunque voluerit nubat, sic Judæa neque virum suum, scilicet, Deum, qui in propheta loquitur : *Amodo voca me, vir meus* (*Jer.* III), tunc habebat, neque tanquam vidua sive virgo erat, quia regem suum Dominum suum non habens, adulando ambiebat Cæsarem, dicens : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). His autem auditis, ille tradidit illum in mortem, ferrumque pertransiit animam ejus, nec solum animam, sed et carnem ejus; manus enim et pedes ejus clavis confixi sunt, et lancea perforatum est latus ejus.

CAPUT XXXV.

Quomodo Joseph, in carcerem conjectus, a Domino non sit derelictus.

Factus est ergo *sicut homo sine adjutorio* quidem, quantum ad judicium vel opinionem hominum, verumtamen, *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII), libertatis ejus hæc vera similitudo est. *Dedit*, inquit, *ei gratiam Dominus in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu ipsius universos vinctos, qui in custodia tenebantur : et quidquid fiebat, sub ipso erat.* Et quidem bene, et cum Sapientiæ digna laude de illo justo dictum est : *Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum* (*Sap.* X), quia præjudicium passus est, non habens adjuvantem hominem, qui pro eo causam diceret, vel cujus fiducia servus solitarius judicium postularet. Recte et ille dixerit : *Factus sum sicut homo*, vel certe sum homo *sine adjutorio.* Quia vero Sapientia cum illo descenderat in foveam, id est, in cisternam, quo fratres ejus submiserunt eum, et in vinculis, id est in carcere Ægyptii non dereliquit eum, recte nihilominus idem dixerit non quidem *inter mortuos liber*, sed inter vinctos regis liber. Nam liberali animo traditus *in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et ubi clausus*, prosequente Sapientia, *gratiam* invenit *in conspectu principis carceris, qui et tradidit in manu ejus universos vinctos, qui in custodia tenebantur, et quidquid fiebat, sub ipso erat.* Et fortassis quia, vinctis universis sub manu ejus traditis, nullius personam accipiebat, sed eadem sedulitate cunctis ministrabat, idcirco dictum est : *Non noverat aliquid cunctis ei creditis.* Nam si personam acciperet, aliquid novisset. Verum hic illius quoque propria dicamus, cujus illa prophetica conquestio : *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* (*Psal.* XVII).

CAPUT XXXVI.

Quod sicut Joseph, sic et Christus in carcerem missus omnia in potestate ejus fuerint.

Illi qui propter peccata nostra descendit in carcerem mortis, scimus quia Deus Pater gratiam dedit. *Lex enim*, inquit Joannes, *per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Illi, inquam, Deus *gratiam dedit in conspectu principis carceris* id est in conspectu suo, qui solus potestatem habet vitæ et mortis. Etenim, secundum historiæ veritatem, alius quidem homo fuerit, Pharao sedens in loco regni, et alius qui erat sub illo princeps carceris; nam, secundum hunc spiritualem sensum, unus idemque et altissimi solii rex, et inferni princeps carceris, est. Hici quidem potest diabolus princeps carceris quoniam dicitur et princeps mundi : at non taliter princeps est carceris, ut a carcerali pœna aut vinculis sit liber, quemadmodum ille cujus gratiam Joseph innocens habuit, sed sic est princeps carceris, vel præpositus mortis, ut principalem accipiat sententiam damnationis. Igitur *in conspectu principis carceris*, id est, in conspectu suo Deus Pater homini Jesu Christo gratiam dedit. Nam idcirco in carcerem eumdem præcepto Patris ille descendit, ut gratiam inveniret et misericordiam opportunam captivis impetraret, diceretque juxta prophetam *his qui vincti erant : Exite*, et *his qui in tenebris : Revelamini* (*Isa.* XLIX). Unde et protinus subditur : *Qui tradidit in manu ipsius universos vinctos qui in custodia tenebantur, et quidquid fiebat sub ipso erat.* Hoc nempe est quod antequam traderetur, ipse dixit : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Omnia, inquam, scilicet cœlestia, terrestria et infernа, ut, juxta Apostolum, *in nomine Jesu* Domini nostri *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II), prius autem infernorum, deinde cœlestium, et post hæc terrestrium. Prius enim ad inferna descendit et mortuis vitam, vin-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ctis tolutionem reddidit, deinde cœlos ascensu adorandus ab omnibus, qui jam erant in cœlo, hominum spiritibus, et angelis sanctis, et post hæc prædicatum est nomen ejus gentibus, ut adorarent eum omnes reges, et omnes gentes servirent ei (*Psal.* LXXI). Constat igitur quia *tradidit* princeps carceris *universos vinctos in manu ejus*. At ille non novit aliquid, cunctis ei traditis, id est, omni judicio sibi dato nullius personam accipit, sed in æquitate judicans, et cum justitia reddit unicuique secundum opera sua.

147 CAPUT XXXVII.

Quod sicut Pharao e duobus reis unum suspendit, alterum in pristinum statum restituit: sic Deus cui vult misereatur, et quem vult indurat.

(CAP. XL.) *His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægyptii, et pistor domino suo. Iratusque est Pharao contra eos (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) et misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis.* Manifestis immorandum non est. Verumtamen ab eis, qui judicia Dei scrutari et reprehendere audent, verbi gratia dicentis ad Moysen: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit* (*Exod.* XXXIII), et dicunt: *Ergo cui vult misereatur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX), quærendum est in hac lectione an Pharaonem hic reprehendere velint. Quid enim: *Accidit*, inquit, *ut peccarent duo eunuchi domino suo.* Ambo peccaverunt ei, ambobus iratus est, ambos in carcerem misit. Exinde recordatus amborum, alterum ex ipsis pristinum in gradum restituit, alterum in patibulum suspendit. Ecce et hic misertus est cui voluit, et clemens fuit in quem sibi placuit. Poterat de utroque supplicium sumere, quoniam uterque peccaverat; poterat utrique donare, quoniam sibi uterque peccaverat. Hoc namque judici justitia concedit, ut factam sibi injuriam donet cui velit, et hæc donatio non solum non reprehensibilis, verum etiam laudabilis est. Cæterum in causa vel accusatione aliena, non eamdem tribulantibus licentiam permittit ordo judicii, vel suscepta cura ministerii. *Non enim sine causa*, inquit Apostolus, *gladium portat* (*Rom.* XIII). Quod autem in ipsum Pharaonem uterque peccaverit, Scriptura patenter expressit. Cum enim dixisset: *Accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis et pistor*, addidit, *domino suo.* Communem ergo iram, vel communem utrique poterat exhibere clementiam; verum hoc vel illud pro potestate facere noluit, sed medium tenens in alterum quidem iram, in alterum clementiam ostendit. An hoc in illo quisquam reprehendit? Non utique cum firmamento rationis. Nam sicut clementia honor est principi, sic et *honor regis judicium diligit* (*Psal.* XCVIII). Etenim ubi totum punitur, regia severitas crudelitate polluitur; ubi vero totum remittitur, facies majestatis sine metu disciplinæ contemnitur. Quis porro nesciat mundum universum, totam humani generis massam, sic esse vel fuisse in manu Dei, tanquam duos reos, vel duos vinctos in manu regis aut judicis? Etenim ex quo pater omnium protoplastus Adam peccavit, universi secundum illum rei, omnes propter illum fuimus vincti. Ergo duo sunt rei, sed unus assumitur et alter relinquitur. Siquidem hanc universitatis divisionem triformiter propter tres vinctorum ordines Dominus insinuat, cum dicit: *Duo in agro, unus assumetur, et unus relinquetur. Duæ molentes in unum, una assumetur, et una relinquetur* (*Matth.* XXIV). *Duo in lecto, unus assumetur et unus relinquetur* (*Luc.* XVII). Tu ergo, *o homo, quis es, ut respondeas Deo* (*Rom.* IX), cum Pharaoni respondere non possis? Quoniam omnes rei et omnes sunt vincti, an non habet potestatem Deus, contra quem reatus admissus est, saltem æque ut Pharao, uni donare, ab alio pœnam exigere? Imo quoniam homo qui per gratiam ad gloriam imaginis et similitudinis Dei factus fuerat (*Gen.* I), per vitium suum factus est lutum, *an non habet*, inquit Apostolus, *potestatem figulus, facere de eodem luto, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* (*Rom.* IX.) Non enim dixit: An non habet aurifex sive argentarius potestatem facere de eodem auro, sive de eodem argento aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; quod indignum posset judicari, sed a figulo luti argumentum similitudinis competenter edixit. Figulus namque luti nihil luto adimit faciendo de illo vas in contumeliam, cum ipsum lutum contumeliosum sit; multum autem illi confert, dum ex eo vas in honorem facit. *Et nunc, Domine*, inquit propheta, *Pater noster es tu, et nos lutum, et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos* (*Isa.* LXIV). Lutum sumus, non solum quia de luto facti sumus, quod ad querelam nostram non pertinet, verum etiam quia cum argentea ratione vel aurea plastæ nostri similitudine splendescere debuimus, patre nostro peccante, omnes cum illo in lutum recidimus, et mortales facti sumus. Quod utrumque vir sanctus dolens: *Comparatus sum*, inquit, *luto, et assimilatus sum favillæ et cineri* (*Job* XXX). Obstruitur itaque omne os; nihil enim Deus adimit eis, quos esse vasa contumeliæ permittit, quia suo sunt vitio lutum facti. Facit autem gratis quod non debuit, cum aliqua ex eis format vasa honoris.

CAPUT XXXVIII.

Quod sicut Pharao mediante Joseph unum reum, sic Deus de cruce unum latronem mediante Christo assumpserit.

Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. Viderunique ambo somnium nocte una, juxta interpretationem sibi congruam, etc. Ecce qui somniator fuerat, et nihil somnia sua profuerant, ille somniorum aliorum interpres fieri incipit, ut videant qui invidebant fratres quia multum somnia sua prosint illi. Et quam pulchre Joseph duorum medius vinctorum in carcere, et utrique somnii sui proferens interpretationem congruam, in hoc quoque forma est vel umbra Salvatoris nostri, qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

duorum medius latronum, in cruce utrique, juxta fidem vel meritum suum, dignam dedit sententiam. Quantum enim interest? Illic Pharao de carcere mediante Joseph, hic autem Deus de cruce mediante Christo unum assumit, et unum relinquit. Et illic figura, hic autem exemplum est. Universitatis divisio supradicta, illic tantum præfigurata, hic autem et in re demonstrata est. Quomodo *duo in agro, duo molentes, duo in lecto, et eorum unus assumitur, et unus relinquitur*, ut supra dictum est, sic duo in carcere, quorum unus a Pharaone assumptus est, et unus relictus est, duo nihilominus in cruce, quorum unus a Deo assumptus, et unus relictus est. Verumtamen utrobique mysterium est. Nam sicut pincernam Pharao pristinum in gradum restituit, magistrum vero pistorum in patibulo suspendit, et sicut latronum alter confitens, paradisum cum Domino introivit, alter vero mortuus est in peccatis suis, sic per Christi passionem gentilis populus in gratiam recipitur, et Judaicus in iram missus est. Unde Apostolus huic, tanquam pincernæ regi suo poculum laudis porrigenti, vel tanquam latroni paradisum intrecunti, dicit: *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eum quidem qui cecidit, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI), etc. Sed et quod eloquium Domini in eo inflammavit Joseph, ut ea quæ nemo aperire poterat, obscura somniorum aperiret, et secundum illa prophetaret, **148** ad mysterium vel typum ejusdem Filii Dei pertinet, super quem septiformis Spiritus adeo requievit ut prophetas omnes adimpleret, sensumque apostolis suis ad intelligendas Scripturas aperiret. Sequentia percurramus, in eo quoque mirantes altitudinem divini consilii, quod succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Nam sequitur:

CAPUT XXXIX.

De Pharaonis somnio, et quod illud nemo præter Joseph interpretari potuerit.

(CAP. XLI.) *Post duos annos vidit Pharao somnium: Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ et crassæ nimis, et pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, et pascebantur in ipsa amnis ripa, in locis virentibus. Devoraverunt-que eas, quarum mira species et habitudo corporum erat*, etc. Quæ facturus erat Deus, ostendit Pharaoni. Quis enim facturus erat illa? Quis, inquam, nisi ipse, de quo verissime est dictum: *Faciens pacem, et creans malum?* (*Isa.* XLV.) Nam Psalmista pulchre ita sentiens: *Et vocavit*, inquit, *famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit* (*Psal.* CIV). Hoc ergo ostendit quia vocaturus esset famem super terram, durum utique carnificem, tristemque ministrum, cujus austeritate constringeret eos, qui comederant fratris sui pretium. Numquid qui in servum vendiderant fratrem, non et ipsi servi fierent? Et qui quasi in prædam subduxerant hominem, non et ipsi in prædam hominum irent? Hoc nempe firmiter memoriæ commendandum est, quia juste in servitutem Ægyptiorum traducti sunt filii Israel, et aliis merito servierunt, quibus eorum scelere *in servum venundatus est Joseph* (*ibid.*). Sola autem gratia Dei visitati sunt, sola clementia, non merito suo, de illa domo servitutis liberati sunt. Bene igitur quæ facturus erat Deus, ostendit Pharaoni, et idcirco ostendit, ut prævisa leniretur multis populis magnitudo periculi, et illis labor inde maximus obveniret, a quibus fratrem oportebat, quem vendiderant, sub pœna et fame vindice adorari. Sed quomodo dictum est, *ostendit Deus Pharaoni*, cum illa somnia quæ viderat, non intellexerit, neque quisquam ex conjectoribus Ægyptiorum, cunctisque sapientibus, ad quos miserat, interpretari potuerit? Verum hoc ille recte dixerit apud quem certa jam erat interpretatio, quam per ipsum mox Deus ostenderet Pharaoni. Porro sicut somnium regis interpretari nemo potuit, nisi solus Joseph, sic Dei Patris consilium, in Scripturis sub velamine litteræ absconditum, aperire nemo, præter Dominum Jesum Christum, dignus inventus est. Unde in Apocalypsi dicit Joannes: *Et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre illum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum et solvere septem signacula ejus* (*Apoc.* V).

CAPUT XL.

Quod sicut Joseph de carcere eductus regio triumphat ornatu, sic Christus, victo mundi principe, gloria et honore coronatus, a Patre suo super opera manuum suarum constitutus sit.

Igitur Joseph, ad regis imperium de carcere eductus, tonso crine quem longa custodia nutriverat, ac veste mutata, stola vestitus byssina, annulum regis torquemque circa collum habens auream, sedensque super currum regis, qui et *constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus, sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret* (*Psal.* CIV), appellatus, inquam, lingua Ægyptiaca Salvator mundi, eo quod ab imminente famis excidio orbem terræ liberaverit, talis, inquam, Joseph, et sic procedens, *clamante præcone ut omnes coram eo genuflecterent*, suscitati a mortuis, et incorruptionis atque immortalitatis stola induti Filii Dei Jesu Christi pulchra similitudo clarissimumque speculum est, quem, dudum minoratum *paulo minus ab angelis, gloria et honore* coronavit Pater, et constituit *eum super omnia opera manuum suarum, et omnia* subjecit *sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII). Pro compedibus in quibus humiliaverunt pedes ejus torquem auream suscepit, pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, stola byssina, Deo judice, indutus est; pro servili nomine, regium gestat annulum, et pro carceris humilitate super altum sedet imperii currum. Perseverat in victore atque triumphatore, cum altitudine gloriæ et honoris modestia et humilitas mentis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Quid enim? Nunquid non poterat jam exaltatus ventu- A ros ad se fratrum suorum camelos sive asinos regiis anticipare curribus grandi tuba canente ante se, qua et æmulis fratribus insultaret, et sanctum patrem diuturno luctu fatigatum, ad suæ lætitiæ festivitatem invitaret? Poterat plane, sed de suo spiritu nil præsumens, totusque de divino arbitrio pendens, reliqua tempora sua manibus ejus committebat, quem curam sui habere hactenus comperérat. Igitur quidquid de patribus Abraham, Isaac et Jacob laude dignum dicit Apostolus : *fide demorati sunt in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitantes, et confitentes qui peregrini et hospites sunt super terram* (*Hebr.* xi). Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere : et siquidem illius meminissent, de qua exierant, habebant utique B tempus revertendi, totum, inquam, hujus non jam peregrinatio, sed captivitas hujus patientia ,vel potius passio superat. Plus namque in servum venundatum quam peregrinum esse voluntarium, plus in carcere quam in aliena terra degere, plus in compedibus humiliari quam in casulis fuit habitare. Nam nisi propter spem iste eamdem amplecteretur captivitatem, propter quam et patres ejus suam amplexi sunt peregrinationem, habebat utique jam liber, tempus convocandi patrem, quemadmodum et illi si civitatis suæ meminissent, inquit Apostolus, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem ut illi meliorem civitatem, sic et iste meliorem appetit patrem, quanquam et illius ex Deo juste speraret consolationem. Præterea quia in servum venundatus est Joseph, jure quoque et ex lege humana illorum se agnoscebat proprium quibus venundatus est. Recte itaque et cum laude digna fide, sicut in domo, sicut in carcere, sic et in curru Pharaonis tam humiliter servivit quam fideliter, illud semper attendens quia servus emptitius est, non illud quia per prudentiam pater Pharaonis effectus **149** est. Sic et Christus, ex quo a fratribus suis Judæis negatus et gentibus est traditus, quanquam pro humano affectu gentem illam diligat, suntque, ut Apostolus ait, *charissimi propter patres* (*Rom.* xi), tamen apud eos quodam jure tenetur, quibus traditus est, eosque jure ignorat a quibus ignoratus est, et negat eos a quibus negatus est.

CAPUT XLI.

Quod sicut Joseph Ægyptum paverit, sic nos steriles Salvator noster cibo evangelicæ gratiæ enutriverit.

Ecce illos quasi oblitus, terram Ægypti regio curru circuivit, id est pulchris evangelicæ gratiæ quadrigis, de quibus Habacuc : *Qui ascendis*, inquit, *super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio* (*Habac.* iii). Utique quando *vertit Pharao nomen illius, vocavitque nomen illius lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi*, non a semetipso locutus est, sed hanc salvationem veraciter prophetavit. Circuivit, inquam, terram Ægypti, et alendorum curam omnem Ægyptiorum suscepit. Ægyptus enim (quod interpretatur *tenebræ*) nos gentes aliquando fuimus, quibus tunc illuxit Dominus, dicente Apostolo : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* ix). Nec vero qualiscunque Ægyptus, sed Ægyptus esuriens ac steriles nos aliquando fuimus, nunc autem et in Domino lux, et in Salvatore nostro panibus repleti sumus, fratribus Christi, secundum carnem, id est Judæis fame pereuntibus. Et quidem secundum historiam divisa fuere tempora saturitatis, sed secundum hunc sensum mysticum tempus unum idemque est, quo et comedimus nos Ægyptii, et esuriunt fratres Christi Judæi ; statim ut ascendit Christus in currum suum, et exivit per hanc Ægyptum, simul egressæ sunt de flumine hinc septem boves pulchræ et crassæ nimis, et aliæ totidem fœdæ confectæque B macie, simulque pullulaverunt hinc septem spicæ plenæ atque formosæ, inde septem aliæ tenues et percussæ uredine. Boves pulchræ et crassæ nimis, sive spicæ plenæ atque formosæ Christianorum, qui Scripturarum vivificantem sequuntur spiritum, septem annis, id est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ; septenario namque solet numero universitas designari. Boves vero fœdæ confectæque macie, sive spicæ tenues et percussæ uredine, Judæorum sunt, qui occidenti litteræ incumbunt, et semper legentes semperque legendo solam Scripturæ paleam sectantes, nullum saturitatis possunt dare vestigium. Hanc Ægyptiis saturitatem, et hanc Judæis famem Dominus prænuntians : *Ecce*, inquit, C *servi mei comedent, et vos esurietis ; ecce servi mei bibent, et vos sitietis* (*Isa.* lxv).

CAPUT XLII.

Quod Joseph ob duos filios suos laborum suorum oblitus sit, cum domo patris sui, quibus ex hac typum Christi gesserit.

Nati sunt autem Joseph filii duo, antequam veniret fames, quos ei peperit Asteneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Notandum quod Domini quondam, et emptoris sui filiam uxorem acceperit, qui ad id locorum pontifex Heliopoleos erat. Neque enim fas absque eunuchis idoli ipsius esse antistites, ut vera illorum, super eo quod ante jam diximus, Hebræorum suspicio comprobetur. *Vocavitque nomen primogeniti Manasses, dicens : Oblivisci me fecit Dominus* D *omnium laborum meorum, et domus patris mei. Nomenque secundi appellavit Ephraim, dicens : Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Hoc quoque Domino nostro ita mystice congruere arbitremur, quatenus et nos exemplo ejus obliviosi primum, et deinde fructuosi simus, secundum nomina Manasses et Ephraim, quorum alter *oblivio*, alter *fructificans* interpretatur. Nam ille propter nos oblitus est domum Patris sui, id est, gentem illam, in qua Pater ejus Deus Synagogam et templum, multosque filios, id est, sui nominis adoratores habuit, et propter nos grano frumenti assimilatus est, quod cecidit in terram et mortuum est, ut multum fructum afferret (*Joan.* xii). Hoc, inquam, ejus exemplo, et nos obliviscamur domum nostram, id est, omnem cognatio-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nem carnis, ubicunque nos ab eodem Domino nostro Jesu Christo devocare contendit, juxta quod unicuique fideli animæ dicit Spiritus sanctus in David : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* XLIV). Nam et ipse Christus in Evangelio dicit : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem suam, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Quo fructu id faciat, ut secundum nomen Ephraim dicat : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, idem in alio loco denuntiat, cum dicit : *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Quod tandem venientibus Ægyptiis ad Pharaonem et alimenta petentibus, rex ait : *Ite ad Joseph, et quidquid vobis dixerit facite*, nos itaque de illius dictum sciamus potentia, et pariter noverimus quod nemo, nisi per nomen Domini nostri Jesu Christi, consequi possit a Deo vitæ æternæ alimenta. *Non enim est in aliquo alio salus*, ait Petrus apostolus, *nec enim nomen aliud sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV). Et ipse dicit : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV). Et Joannes Baptista [evangelista] : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* (*Joan.* III).

IN GENESIM LIBER NONUS.

(Gen. XLII-XLIX.)

150 CAPUT PRIMUM.

De eo quod dictum est ad B. Job : « Nunquid feriet tecum pactum, » etc. qualiter in Christo implendum, in Joseph figuratum est.

De diabolo loquens ad B. Job Dominus inter cætera dicit : *Nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum?* (*Job* XL) subauditur ut ego. Hoc quam veraciter dicat, præsens attestatus est Scripturæ locus, ubi quod de B. Joseph in typum Christi Filii sui proposuerat intus bonitas Dei, foris invidia diaboli per fratres ejus operante, ad effectum pervenit. Nam et ille qui idcirco venditus est, ne, sicut somniarat, adoraretur a fratribus suis, idcirco adoratus est, quia venditus. Et Dei Filius, qui idcirco reprobatus est ab ædificantibus, ne ipse, sicut in parabola evangelica prædixerat, fieret lapis *in caput anguli* (*Matth.* XXI), idcirco quia reprobatus et crucifixus est, *factum est hoc a Domino, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal.* CXVII). Igitur voluntate quidem adversatur, et propterea Græco vocabulo dicitur Satanas, id est *adversarius;* actu autem servus est sempiternus, et sic servit tanquam sit fidelis, ita cooperatur et bonis proficit, tanquam adjuvare velit Spiritum Domini, et sic vigilantia procedit, tanquam maturet consilium dare et ostendere illi. Igitur cum laude sapientiæ Dei dicendum abhinc qualiter, fratrum opitulante invidia, somnia Joseph impleta sint, quali ambitione stantem manipulum ejus, manipuli illorum circumsteterint et adoraverint, sive sol et luna cum undecim stellis.

CAPUT II.

Quomodo fratres Joseph adorantes, somnium ejus impleverint.

(CAP. XLII.) *Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis? Audivi quod triticum venundetur in Ægypto. Descendite et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia.* Inopiæ magnitudo quanta fuerit, primæ patris voces insinuant dicentis : *Quare negligitis?* etc. Primo, ut excitet et attentos faciat redargutionis manu percutit, deinde narrat quid audierit. Tertio pertonat quid velit : *Descendite in Ægyptum*, scilicet inquiens brevemque tandem sermonem terribiliter ita concludit, *ne consumamur inopia. Descenderunt igitur fratres Joseph, ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento ab Jacob, quia dixerat fratribus ejus : Ne forte in itinere quidquam patiatur mali.* In Benjamin qui erat uterinus frater Joseph, paternus refocillabatur animus, crebris et pene continuis exhaustus singultibus, propter Joseph, de quo patri, ut jam superius dictum est, suspicio non levis esse poterat quod fratrum perisset malitia. Proinde Benjamin domi retentus est ab eodem dicente : *Ne forte in itinere quidquam patiatur mali. Cumque adorassent eum fratres sui, et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos : Unde venistis?* etc. Primo introitu benevolentiam principis ambientes adoraverunt, id est regio more salutaverunt? Quam autem ob causam adoraverunt? Videlicet ut emendi quæ vellent haberent licentiam; nam ut alimenta emerent, idcirco cum saccis suis advenerant, quod facere absque Joseph imperio vel nutu non poterant. Edixerat enim, et hanc legem statuerat Pharao dicens : *Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem* (*Gen.* XLI) : manum videlicet ad accipiendum, aut pedem efferendum, *in omni terra Ægypti.* Bene igitur et propria secundum rem futuram imaginatione, hæc adoratio per somnium illi præsignata fuerat, quando narrans fratribus dicebat : *Putabam ligare nos manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum* (*Gen.* XLI). Ecce enim revera quodammodo manipuli eorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

manipulum ejus adorant, dum non ob aliud ignotum sibi principem Ægypti adorant, nisi quia defecerant manipuli eorum, ille autem de manipulis plenum habebat horreum. Et, ut juxta Pharaonis quoque somnium dictum sit, idcirco adorant, quia spicæ illorum tenues et percussæ uredine superiorum copiam annorum devoraverant; ille autem per sapientiam spicas plenas atque formosas partim ab illarum ediacitate liberaverat, et in horreis recondiderat. Stabat namque et sublimis erat manipulus Joseph, circumstantes autem humiles manipuli fratrum manipulum ejus adorabant.

CAPUT III.

Qualiter et quanta prudentia ab illo discreti sint.

Recordaturque somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos : Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ venistis, etc. Et in agnoscendis fratribus imaginem **151** retinet Joseph mansueti et veri Filii Dei, cui in cantico epithalamii dicitur per os David : *Intende prospere, procede et regna propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam* (*Psal.* XLIV). Justitiæ namque et idoneæ severitatis fuit, quod peccatores tandiu flagellat et corripit verborum suorum stimulis, clavisque acutis tandem configit, donec peccatum suum agnoscant et dicant : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus.* Et crimen eorum satis vicino, licet non proprio nomine tetigit, dicendo : *Exploratores estis.* Pro eo ut diceret : Fures estis. Nam fecerant furtum, imo sacrilegium, ubi sancto patri filium fratremque suum furati sunt et vendiderunt. Proinde cum dicerent : *Non est ita, domine, duodecim servi tui fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan, minimus cum patre nostro est, et alius non est super.* Continuo ubi dixerunt, *et alius non est super : Hoc est*, inquit, *quod locuti sum : Exploratores estis.* Quod *unus non est super*, ex eo vos *exploratores*, ex eo vos fures estis. Notanda quippe calliditas, quia, cum dixisset, *exploratores estis*, continuo subsecutus verbum commutavit ; non enim dixit, ut exploretis : sed ut videatis infirmiora terræ venistis. Infirmitatem namque terræ videre venerant, scilicet quod non adeo infirma etiam tempore famis esset, quin ipsa suo præsidio aliis terris subvenire posset. Alias autem et vere, quando præsentia patris cunctisque arbitris destitutum fratrem videntes, dixerunt : *Venite, occidamus eum* (*Gen.* XXXII), *immunita terræ* consideraverunt et inspexerunt, et proinde reducto in se digitulo, sine mendacio dicere potuit : *Immunita terræ hujus considerare venistis.* Veritati igitur et justitiæ assignandum est quod, quasi ad alienos, durius loquitur, dicens : *Exploratores estis, immunita terræ hujus considerare venistis, et per salutem Pharaonis, non egredietmini hinc, donec experimentum vestri capiam, tradiditque eos custodiæ tribus diebus.* Itemque : *Et frater vester*, inquit, *unus ligetur in carcere, fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini.* Porro mansuetudinis opera quis explicare poterit ? Inter ipsa severitatis acta vel dicta flevit, et tandem cuncta quæ potuit bona pro malis reddidit. Non ignorabat rem fore difficilem, ut fratrem suum minimum adducerent, imo et idcirco ab illis exigebat, ut ex rei difficultate laborantes, merita sua perpenderent, ut jam cœperant, dicentes : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Qui et postmodum dicturi sunt : *Deus invenit iniquitatem servorum suorum* (*Gen.* XLIV). Nam sicut animam ejus cruciaverunt et corpus, etenim *humiliaverunt in compedibus pedes ejus, et ferrum pertransivit animam ejus* (*Psal.* CIV), sic pius tortor et per triduum humiliavit in compedibus eorum pedes, et propter illum fratrem minimum, sicut sequentia declarant, ferro transverberavit animas eorum, usque dum, pietate superatus, reputaret divino judicio satisfactum. Nam nisi ad hoc tenderet, poterat utique primo intuitu fratrem se fratribus ostendere.

CAPUT IV.

Quod exemplo Joseph, principes Christianos, uti dignum sit, erga Judæos Christianorum inimicos.

Quo exemplo, hodieque dignum est agere principes Christianos erga fratres Christi, Judæos, id est, non occidere eos, auctoritate Spiritus sancti per Psalmistam ex persona ejusdem Christi protestante sic : *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei* (*Psal.* LVIII). Sed quid ? *Disperge illos in virtute tua* (*ibid.*). Non ergo illos occidere, sed ad cognitionem sui reatus hoc exemplo convenit evocare. Nam sicut tunc adoraverunt illi principem Ægypti, nescientes esse Joseph quem vendiderunt, sic hodie Judæi Christianis principibus subjecti sunt, nescientes hoc modo se esse subjectos pedibus Christi, quem negantes patres ipsorum crucifixerunt. Igitur quemadmodum Joseph illos in ultionem sui non occidit, sed pia tortura ad pœnitentiam compulit, ut dicerent, *merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, etc., sic et hodie Christum, id est, nos vel omnes in quibus loquitur Christus, non decet ut captivos vinctosque Christi Judæos occidant, sed ut multum ad pœnitentiam compellant. Quod fructuose simulque salubriter interdum a sanctis Patribus actum est, scilicet ut patrimoniorum suorum rusticos Judæos ad Christum venire minime consentientes, tanto pensionis onere gravarent ut ex ipsa actionis suæ pœna compellerentur ad fidem festinare, et e contrario, perductis ad Christi gratiam pensionis onera relevarent, quia et si ipsi minus fideliter veniant, hi tamen qui de eis nati fuerint jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, inquiunt, aut filios ipsorum lucrabuntur.

CAPUT V.

Quod Jacob Benjamin filium suum cum illis mittere timuerit.

At illi portantes frumenta in asinis, profecti sunt, etc. Dimissi fratres et quasi non dimissi revertuntur, nam eorum pedes quidem compedibus absoluti, sed animi cum Simeone vinci retinentur. Nesciebant

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

autem quod eos dominus terræ diligeret, et idcirco, ne exterriti non redirent ad eum, unum ex eis in vinculis retinuisset. Reversi igitur, quasi infausta renuntiant: *Locutus est nobis dominus terræ dure, et putavit nos exploratores esse*, etc. Stuporem sive terrorem simul omnibus adauxit, quod, cum frumenta effunderent singuli, repererunt in ore saccorum ligatas pecunias. Putaverunt enim contra se subtiliter agi, et devolvendæ in eorum calumniæ occasiones paratis artibus inquiri. Unde et postmodum in Ægypto ad dispensatorem locuti sunt: *Oramus, domine, ut audias. Jam ante descendimus ut emeremus escas, quibus empiis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccolos nostros, et invenimus in ore saccorum pecuniam, quam nunc eodem pondere reportavimus. Non est in nostra conscientia quis eam posuerit in marsupiis nostris* (*Gen.* XLIII). Omnibus itaque exterritis additur ad cruciatum mentis eorum et luctuosa patris querela, dicentis: *Absque liberis me esse fecistis.* Pene quod sentiebat edixit. Cum enim dicit, *absque liberis me esse fecistis*, et continuo subjungit: *Joseph non est super*, quid aliud dicit, quam: absque Joseph me esse fecistis? Simul quoniam **152** et continuo prosequitur: *Simeon tenetur in vinculis, et Benjamin auferris*, et de Joseph conscientia reos torquebat, timere poterant quod suspicaretur pater, quia Simeonem pro frumento vendidissent, et sic pecuniam reportassent, itemque malitiose Benjamin auferre vellent. Deinde et cum dicit: *Non descendet filius meus vobiscum. Frater ejus mortuus est, ipse solus remansit; si quid ei adversi contigerit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos ad inferos*, palam datur intelligi quia, si audeat, plus dicere velit, præsertim quia præmisso, *si quid ei adversi contigerit*, non ait, descendent cani mei, sed *deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Nempe sic se habente dictorum serie, quod dicit: *Si quid ei adversi contigerit*, idem est ac si dicat: Si quid ei adversi feceritis. Sed pareit ori, neque dolori cuncta permittit, ne, quod viri iracundi est, satis turbatam amplius turbet ipse domum suam.

CAPUT VI.

De sponsione Judæ, dicentis: « Si non reduxero eum tibi, » etc. Et quomodo sol et luna et undecim stellæ adoraverint Joseph.

(Cap. XLIII.) *Interim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, et emite pauxillulum escarum. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille, sub attestatione juramenti, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum*, etc. Magna rei difficultas, magna paterni animi angustia, grandis fraternæ conscientiæ pœna. Sed quid diutius quasi somno consopitus pater, gaudio foris præstolante, in profundo tristitiæ premitur? Oportet impleri et alterum somnium, quoniam jam unum impletum est. Oportet, inquam, quoniam manipuli fratrum jam manipulum Joseph, ut supra dictum est, adoraverunt, et tempus est ut sol, et luna et stellæ undecim adorent Joseph. Traditur ergo tandem Benjamin commissus Judæ, dicenti: *Si non reduxero eum tibi, ero peccati in te reus omni tempore.* Et hanc sponsionem pater sapiens libentius accepit. Nam quod ante hunc dixerat Ruben, duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi, nec suscepit pater, nec suscipere aut probare debuit. Igitur profectæ in Ægyptum stellæ undecim, id est, fratres universi adorant Joseph, munera tenentes in manibus, modicum resinæ et mellis et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum. Sol autem, id est, ipse pater, et in eo maternus lunæ, id est, Rachelis, affectus; sol, inquam, remanens et corpore absens, adorat tamen cum dicit pro Benjamin: *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, et remittat vobiscum fratrem vestrum, quem tenet, et hunc Benjamin.* Vel certe tunc quoque iste sol, id est, pater Jacob, adoravit Joseph, quando protinus *resalutatis fratribus clementer*, mox ut dixit: *Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit? illi responderant: Sospes est servus tuus, pater noster adhuc vivit*, et *incurvati* pro illo *adoraverunt*, nimis [*f.* nomine] ejus ambitiose supplicantes, ut senectutis ejus intuitu illis esset propitius, cujus mentionem facere ipse dignaretur. Nam ubi in persona sua præsens pater ipse adoraverit, sicut jam longe superius dictum est, non invenitur. Et notandum quanta fuerit in Joseph altitudo honoris, quanta maturitas vel dignitas in illo cum spiritu mansuetudinis, quem pro uno dignationis suæ verbo, quo dixerat, *salvusne est pater vester? adhuc vivit?* iterum *adoraverunt incurvati.* Bene ergo, fratres, visuri eratis quid illi profutura essent somnia sua.

CAPUT VII.

De pietate Joseph qua viso Benjamin se continere non potuit.

Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi: Festinavitque quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lacrymæ et introiens cubiculum flevit, etc. *Attollens oculos Joseph.* Jam ante dictum fuerat, quia *steterunt coram Joseph. Quos cum ille vidisset et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium, quoniam mecum comesuri sunt meridie.* Quid ergo est, quod quasi nondum viderit, ita nunc dicitur, *attollens autem oculos Joseph, vidit Benjamin fratrem suum uterinum*, nisi quia primum ita vidit ut dissimularet, nunc autem ita vidit ut ejus visione denuntiationis suæ meminisse videretur, qua dixerat: *Non videbitis faciem meam, absque fratre vestro minore?* Necdum enim scire merebantur illi adorantes quod, inter summa regni negotia, princeps Ægypti et dominus terræ talium meminisse potuisset. Sed dum affectata austeritate quasi in alienos intenderet, rupit pietas injussa, nimiumque ultronea præ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

paratam fortitudinem pectoris, et dissimulandi virtus non fuit, unde et quasi fugam iniens, festinavit in cubiculum et ploravit, quia erumpebant lacrymæ, et non poterat se continere. Victus itaque commotis visceribus suis, et tumultuantibus lacrymis, cessit, easque, quantum voluerunt currere, permisit. *Rursusque lota facie egressus, continuit se, et ait : Ponite panes*, etc. Hoc convivium, ut de illo quoque secundum mysterium aliquid loquamur, recte cum Benjamin, id est, filio dextræ, celebratum est : sic enim in fine mundi, cum plenitudo Ægyptiorum, id est, gentium, subintraverit (*Rom.* XI), fratres Jesu Christi, scilicet Judæi, filio dextræ, id est apostolicæ fidei, in convivio corporis et sanguinis ejusdem Christi fratris sui fœderabuntur, et tunc revera cum opulento fratre suo bibentes inebriabuntur. Hoc tantum interest quod hic antequam agnoscerent fratrem suum dicentem : *Ego sum Joseph* (*Gen.* XLV), convivium factum est, illic autem prius oportebit Christum agnosci et tunc demum eos prædicto ejus convivio participari.

CAPUT VIII.

De convivio quod fecit Joseph fratribus suis, et de ordine primogeniti, juxta primogenita sua.

Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul seorsum (illicitum enim est Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum esse putant hujuscemodi convivium) sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Primogenitus juxta primogenita sua sedit, et minimus juxta ætatem suam, id est, quo erat quisque natu prior, eo sedit et superior ; et e contrario, quo erat quisque natu minor, eo sedit et inferior. Summus sine dubio conciorum et maximus, utpote dominus domus, et convivii princeps, sedit ipse Joseph, coram quo sederunt omnes, utpote longe minores. Quid ergo sibi vult hoc loco ista Scripturæ diligentia, cum præmisso, *quia sederunt coram eo*, addidit, *primogenitus juxta primogenita sua*, nisi ut insinuaret jam ex tunc ipso usu cessisse Joseph primogenita? Sic enim et in Paralipomenon libro legitur : Quia *cum violasset Ruben thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israel, et non est reputatus ille in primogenitum. Porro Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt : Primogenita autem reputata sunt Joseph* (*I Par.* V). Etenim quod primogeniti erat, accepit enim duplicia, dicente patre Jacob : *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio et arcu meo* (*Gen.* XLVIII). Igitur Joseph post carcerem primogenitus in hoc etiam Christo assimilatur, qui est *primogenitus ex mortuis* (*Col.* I), *et primogenitus ex multis fratribus* (*Rom.* VIII), et secundum renovationem orbis principium creaturæ Dei, novæ namque creaturæ oportet subaudiri. Quod et evangelista Lucas considerans, cum de virgine Maria, quæ nullum deinceps erat paritura, dixisset : Et *peperit filium suum*, statim adjecit, *primogenitum* (*Luc.* II), quanquam et secundum divinam generationem recte primogenitus debeat dici. Prius enim quam aliquid crearet Pater illum genuit. Ægyptios et Hebræos, quibus illicitum erat et profanum pariter convivari, et tamen eadem domo, eodemque epulantur convivio, licet seorsum hi, et seorsum illi, Joseph auctore vel principe convivii, duo parietes sunt, scilicet gentes et Judæi, quos hactenus discordes Christus in semetipso conjungit (*Eph.* II), et ad unius fidei concordiam quandoque perducet. Quod dictum est, *et inebriati sunt cum eo*, idioma linguæ Hebraicæ est, ut ebrietatem pro satietate ponant, sicut ibi : *Rivos ejus inebrians multiplica genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur* sive inebriabitur *germinans* (*Psal.* LXIV), haud dubium quin terra pluviis irrigata.

CAPUT IX.

De eo quod dixit : « Scyphum meum pone, » etc. Et de oratione Judæ pro Benjamin.

(CAP. XLIV.) *Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens : Imple saccos eorum frumento quantum capere possunt, et pone pecuniam singulorum in ore sacci. Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci minoris*, etc. Forte quis æstimet hoc voluisse Joseph, ut hac occasione uterinum fratrem suum Benjamin quasi ex jure retinere posset, præsertim quia postmodum dicturus est : *Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus, vos autem, abite liberi ad patrem vestrum.* Sed hoc indignum sancto viro quis non æstimet? Siquidem fratris venditio et fratrum ejusmodi circumventio parum in crimine differunt. Ergo id potius quod evenit illum intendisse arbitremur, quoniam *Dominus erat cum Joseph, et omnia opera ejus dirigebat* (*Gen.* XXXIX), cujus cum directione hoc opus illum prædicta intentione agere potuisse ratio negat, quippe, quia justitiæ repugnat, quia veritati non appropinquat. Quid tandem evenit? Cum dixisset Joseph, *qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus, vos autem, abite liberi ad patrem vestrum, accedens propius Judas*, multis coram astantibus secreta paternæ domus, quæ ad testimonium ipsius Joseph multum valebant, tali narratione exposuit, ut duorum causa fratrum, quorum alter ipse, et alter erat Benjamin saxeis etiam pectoribus lacrymas gemitumque eliceret, tandemque suam ita concludit orationem : *Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi, dicens : Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaque servus pro puero in ministerium domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem absente puero, ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.* Quid hoc justitiæ ordine pulchrius? Nempe qui hic servitio se addicit, ipse est cujus consilio in servum venundatus est Joseph. Sic enim supra habemus, quia dixit Judas fratribus suis : *Ecce Ismaelitæ transeunt, venite, venundetur* (*Gen.* XXXVII). Igitur et in hac sic illitu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dine doli, laus est viri gloriosi, quia per occasionem argenti sui, consultorem venditionis in hanc necessitatem compulit, ut optaret servus fieri, et sic argenteos quos accepit vendito fratre, et per fratrum marsupia divisit, insectatus est, ut aliud quidem pro alio argentum conscientiis eorum excuteret, attamen tali pœna nonnihil macula illa reos liberaret.

CAPUT X.

De eo quod dixit : « An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia. »

Verumtamen præter hæc quæ dicta sunt, et in hoc et in eo quod *tribus diebus eos custodiæ tradidit*, alia ratio est. Nunquid enim sine vero aut cum mendacio dixit : *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Etenim augurari quidem gentilium est, et ex lege Dei illicitum est, attamen rem divinam, id est futurorum intelligentiam, qua gratia somniorum quoque fides erat interpres, verbo augurandi recte illum significasse non dubium est. Ergo quidquid hactenus in fratres suos egit, præsentialiter quidem illis aliquantula pœna fuit, sed revera non tanquam augur, sed tanquam Dei vates pro intuitu futurorum tunc illa præsentia gessit. Sciebat enim quod pro culpa suæ venditionis, servituri essent Ægyptiis in tribus generationibus suis; generatione autem quarta reversuri, unde et moriturus dixit fratribus suis : *Post mortem meam visitabit vos Deus, et ascendere faciet de terra ista, ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. Asportate vobiscum ossa mea de loco isto* (*Gen.* L). Sed et illud præscire poterat, quod educendi essent cum auro et argento, sicut scriptum est : *Et dices filiis Israel ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea* (*Exod.* XI), etc. Nam et Abrahæ utrumque prædixerat Deus : *Generatione autem quarta revertentur huc, et gentem cui servituri sunt, ego judicabo, et post hæc exibunt cum magna substantia* (*Gen.* XV). Bene igitur in prophetia trium generationum serviturarum in Ægypto, et exspoliationis Ægyptiæ, tribus illos diebus in custodia tenuit, et abeuntibus argenteum scyphum suum imposuit. Item in auspicio Ægyptiorum, qui fugientem Israel persecuturi erant, misit exsecutorem post illos, qui eos quasi ad judicium cum pluvia turbatione revocaret, et sicut tandem cantaturi erant filii Israel, dicentes : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* (*Exod.* XV), ita recte et ipse tristitiam fratrum inopinabili gaudio terminavit, dicendo : *Ego sum Joseph.*

154 CAPUT XI.

De agnitione mutua, ubi dixit fratribus suis : « Ego sum Joseph. »

(Cap. XLV.) *Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus. Unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis : Ego sum Joseph. Adhuc Pater meus vivit?* Postquam bene accepit grandem esse vel fuisse pro se calamitatem patris, et eamdem calamitatem ne innovaretur aut invalesceret grandi curæ esse fratribus suis, *non*, inquit Scriptura, *poterat se ultra cohibere Joseph.* Venerat enim dolor quasi usque ad partum, et virtus non erat parienti. Nam quomodo mulier gravida tristitiam habens, quando imminet hora ejus (*Joan.* XVI), tacet quidem et silet, quantum valet, et patiens est; hora autem ipsa qua parturit, loquitur, et erumpit, et clamat, neque se cohibere potest, quia dolori invalescenti clamando satisfaciat. Sic ille qui hactenus se continuerat utcunque, gemitus intercidens et abscondendo deglutiens, ac violentia lacrymarum fluenta dividens, hora qua os aperuit, dicturus, *ego sum Joseph*, citius ac properantius erupit incondito clamore doloris turbo violentissimus, vocemque cum fletu in altum extulit, quam et foris audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. Tandem dixit : *Ego sum Joseph*, et quasi grandi pavoris fulmine excusso fratres attonitos, et quasi amentes reddidit. *Nec enim poterant respondere illi, nimio timore perterriti.* Bene ergo præceperat *ut egrederentur cuncti foras, ut nullus interesset alienus cognitioni mutuæ.* Non enim alienis jam communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentia pius frater edicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non potuerunt fratres remotis etiam cunctis arbitris. *Ego*, inquit, *sum Joseph.* Et continuo : *Adhuc Pater meus vivit?* Quod utique non ut sciret interrogando dixit : jam enim interrogaverat et audierat quia vivit, sed dolenter admirando quod adhuc viveret, et nimis compatiendo, quod in luctu sui causa consensisset, tanta calamitate oppressus quantam vel ex eo conjicere potuit, quod Judas novissime narrans ita concluserat, *ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum testis assistam.* Perterritis itaque nimio terrore : *Accedite*, inquit, *ad me. Et cum accessissent prope, ait : Ego sum Joseph, frater vester quem vendidistis in Ægypto*, etc. Magna moderatio ubi dixit : *Ego sum Joseph. Adhuc pater meus vivit?* Quia nimis perterriti sunt idcirco quasi impetum turbinis paulisper retinuit, consolationeque interposita, dicendo, *accedite ad me;* et hac illis invitatione aliquantulum refocillatis dictum repetit, cursumque expositionis suæ continuavit. Et tanta priorem austeritatem dulcedine ac lenitate superavit ut merito etiam in hac parte illi Samaritano similis existimetur, qui revera vulneribus, id est peccatis hominum, vinum et oleum ut curarentur, infudit.

CAPUT XII.

Quomodo dixit : « Nolite pavere » et quod tantas moras perpeti potuerit, qui dixit : « Festinate, et adducite eum ad me. »

Nolite, inquit, *pavere, nec vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus. Nolite pavere* cum dicit, subaudiendum est, me;

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dei namque pavor et terror illis præsertim in tali scelere non debuerat abesse. Nam quod ait : *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus*, tale est ac si dicat Christus Judæis : Non vestro consilio dicentium : *Ne forte veniant Romani et tollant nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI), sed Dei voluntate moriturus eram pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi congregarem in unum. Vestrum enim consilium fuit, verbi gratia, ut diceretis : *Quando morietur, et peribit nomen ejus ?* (*Psal.* XLI.) Dei autem voluntas, ut per passionem mortis, *gloria et honore* me coronaret, et constitueret me *super opera manuum suarum* (*Hebr.* II ; *Psal.* VIII). Ita *non vestro consilio*, inquit Joseph, *sed Dei voluntate huc missus sum :* vestrum quippe fuit consilium, ut nihil mihi prodessent somnia mea. Dei autem volontas ut faceret *me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, et principem in omni terra Ægypti.* Cum ergo dicit : *Nolite pavere, nec vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium est, quod fames cœpit esse in terra, et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, neque meti, præmisitque me Deus ut reservemini super terram. Non vestro consilio, sed Dei huc voluntate missus sum* ; cum, inquam, hæc dicit, non culpam eorum nullam facit, sed pro conscientia animi timore perterritis, nec audentibus loqui, sceleris sui magnitudinem ad horam subtegere, ut sapiens medicus satagit. *Festinate*, inquit, *et ascendite ad patrem meum, et* hæc et hæc *dicetis ei.* Et infra : *Festinate*, ait, *et adducite eum ad me.* Qui sic justo patris desiderio nunc festinat, quomodo tantas hactenus potuit perpeti moras ? Videlicet quia si patrem prius invitasset, quam congregatos ad se fratres suos omnes, sub spe solidissima composuisset, grandem nimis in domo patris sui turbam concitasset. Jam quippe consolatis omnibus, postquam osculatus est omnes, et super colla singulorum flevit, et sic pro vera remissione ut certi essent de pace ejus et gratia satisfecit, postquam osculo confirmati lacrymoso, jam ausi sunt loqui ei, postquam binas singulis stolas protulit, adhuc tamen sollicitus hortatur, et dicit : *Ne irascamini in via. Ne* inquit, *irascamini*, ne rixemini, ne, dum alius alio justior, vel innocentior videri vult, et a se in alium crimen depellere contendit, invicem provocetis, et contra invicem dividamini. Tempore igitur opportuno festinans Joseph : *Dicite*, inquit, *patri meo quia quinque anni residui sunt famis, nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quæ vidistis*, ut sit ex me vel gloria mea quod invitet, si ex metuendo famis periculo quod impellat, et sic festinet. *En oculi vestri.* En, inquam ut certi vosipsi certum facere patrem meum debeatis, *oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin vident, quod os meum loquatur ad vos. Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis : Venerunt fratres Joseph.* Adjungit Pharao suas simul invitationes, proferuntur **155** opes Ægypti, et promittuntur ampliores. Regiæque mittuntur subvectiones parvulis et conjugibus transferendis, ne pater Jacob parum confortetur, aut in aliquo dubitet.

CAPUT XIII.

Quid significet quod singulis fratribus suis jussit proferri stolas binas.

Singulis proferri jussit stolas binas. Benjamin vero dedit trecentos siclos *argenteos, cum quinque stolis optimis, tantumdemque pecuniæ ac vestium mittens patri suo.* Ad hoc primum exemplo perfectæ charitatis, profectum esse arbitremur dictum illud Sapientis, quo et Paulus utitur apostolus : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII). Hic enim inimicis suis, qui inter comedendum vendiderant eum, dictum est enim supra, quia sedentes ut comederent panem, viderunt viatores Ismaelitas venire de Galaad, et dixerunt : *Melius est ut vendatur Ismaelitis* (*Gen.* XXXVII), inimicis, inquam, suis, qui manducando esurientem vendiderant, cibum dedit et potum ; etenim *cum eo*, ut supra dictum est, *inebriati sunt*, et eis a quibus tunica talari et polymita nudatus est, ecce binas singulis dedit stolas. Porro finem cunctorum Christi mysteriorum, quæ digitus Dei in Joseph præfiguravit, in hoc agnosci promptum est, quod non unam tantum, sed *singulis binas stolas* largitus est. Etenim nunc quidem electorum animæ, ubi deposito carnis onere feliciter lætantur, una stola, id est, sola sui met beatitudine perfruuntur ; ubi autem omnes resurreximus, quicunque immutabimur, binas stolas singuli, id est animæ simul et corporis duplicem gloriam, obtinebimus. Proinde usque ad hunc descensum in Ægyptum ab initio narrationis de isto beato Joseph mysteria Christi secundum similitudinem ejus spectata sint ; nam ex hoc aliud principium sumitur, et sacramentorum mirabilium series alia texitur, quæ jam in Ecclesia Christi celebri collatione frequentata et nota, secundum ordinem historiæ quam novo retractatu recurrimus, speculari duce Spiritu sancto conabimur.

CAPUT XIV.

De eo quod nuntium detulerunt ad Jacob de Joseph adhuc vivente.

Nuntiaverunt Jacob dicentes : Joseph vivit et dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credidit eis. Quomodo tantæ rei nuntium pater acciperet, compendio Scriptura pulchre sic expressit, ut nullo verborum circuitu melius explicari potuerit : *Quasi de gravi somno evigilans*, inquit. Qualis enim astat qui de gravi somno repente percitus evigilat ? Attonitus utique et stupidus ad intelligendum vel respondendum, segnis et hebes præ mortuis sensibus. Unde

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

protinus, cum e contra necdum credenti *referrent* omnem ordinem rei, et illevidisset plaustra, et universa quæ miserat, eadem proprietate usa, *revixit*, inquit Scriptura, *spiritus ejus, et ait : Sufficit mihi, si adhuc filius meus Joseph vivit ; vadam et videbo illum antequam moriar. Revixit spiritus ejus*, id est, discernendi facultatem recepit, ut multitudinem gaudiorum suorum accipere posset, et rationem habere cum eis sciret quorum repentinus adventus imperatum nihilque tale opinantem animum magna inundatione oppressisset.

CAPUT XV.

Quid timuerit Jacob, ut diceret illi Deus : « Noli timere et descende in Ægyptum. »

(Cap. XLVI.) *Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum Juramenti. Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem nocte vocantem se, et dicentem sibi : Noli timere et descende in Ægyptum*, etc. Puteus juramenti, superius habemus unde cognominatus sit, scilicet ex eo quod Abraham et Abimelech illic fœdus percusserunt ; ille locus ideireo namque vocatus fuit Bersabee, quia ibi uterque juravit (*Gen.* XXI). *Noli*, inquit, *timere, et descende in Ægyptum*. Patet ex hoc quia Jacob in Ægyptum descendere timebat, alioqui frustra diceret ei Deus : *Noli timere*. Et forte ideireo timebat quia difficilem fore reditum non ignorabat. Nam præter hoc quod propheta erat, sicut de illo et patribus ejus, ex persona Dei Psalmus dicit : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV), illud quoque timorem hunc illi incutere poterat, quod ad Abraham sopore et horrore magno et tenebroso oppressum Deus locutus est : *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis* (*Gen.* XV). Nam et hoc dictum fuisse sciebat, et Ægyptios gentem illam fore existimabat, præsertim quia magnus et tenebrosus horror domesticæ malitiæ jam præcesserat. Timenti igitur consolatio divina fiduciam subministrat, *Noli timere*, inquiens, *et descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem*. Summa consolationis hæc est : *Joseph quoque ponet manum super oculos tuos*. Hoc enim pro maximo habens, postmodum dicit Jacob : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te reliquo*.

CAPUT XVI.

Quomodo Scriptura hic dicat : « Omnes animæ domus Jacob fuere septuaginta, » Lucas autem dicat « septuaginta quinque. »

Surrexit Jacob a puteo Juramenti, venitque in Ægyptum cum omni semine suo, filii ejus et nepotes, filiæ et cuncta simul progenies. Quamquam timuerit posteris suis, Deo tamen confortante hoc melius sibi et optabilius arbitratus est, ut super oculos suos manum poneret Joseph. Unde et dicebat : *Sufficit mihi si Joseph filius meus vivit*. Filiorum nominibus, qui ingressi sunt in Ægyptum ordine suo supputatis, tandem ita series concluditur : *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuere septuaginta*. Quod, excepto Joseph et filiis ejus, septuaginta sex animæ, quæ egressæ sunt de femore Jacob introierunt in Ægyptum, nulla dubitatio est. Ita enim paulatim per singulos supputatus numerus approbat. Repererunt autem animas tres in Ægypto, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus. Septuagesimus autem ipse fuit Jacob. Quod si e contrario nobis illud opponitur, quomodo in Actibus apostolicis in concione Stephani dicatur ad populum, septuaginta quinque animas ingressas esse in Ægyptum (*Act.* VII), sciendum, hoc quidem illum ex septuaginta **156** sumpsisse interpretibus, ubi sic scriptum est : *Filii autem Joseph qui nati sunt in Ægypto animæ novem*. Verum in Hebræo *duæ* sunt, non *novem*. Ephraim quippe et Manasses nati de Aseneth filia Putipharis in Ægypto, antequam Jacob intraret in Ægyptum et famis tempus ingrueret, constat quia tempore quo ingressus est Jacob in Ægyptum, non ejus ætatis erant ut filios generare potuissent. Quod si quæritur cur S. Lucas qui supradictæ scriptor est historiæ, in gentes Actuum apostolorum volumen emittens, non secundum Hebraicam veritatem septuaginta, sed septuaginta quinque animas, juxta septuaginta Interpretum editionem, ingressas in Ægyptum esse dixerit, facilis excusatio est. Non enim debuit contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quæ jam fuerat gentilibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo tempore duntaxat septuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucas, qui ignotus et vilis et non magnæ fidei in nationibus dicebatur. Hoc autem generaliter observandum quod ubicunque S. apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abuntur quæ jam fuerant divulgata in gentibus. Licet plerique tradant Lucam evangelistam, ut prosolytum, Hebræas ignorasse litteras.

CAPUT XVII.

Quomodo quisque nostrum debeat in amore Christi hujus exemplo uti, dicentis : « Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. »

Juncto Joseph curru suo ascendit obviam patri suo. Vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. Dixitque pater ad Joseph : Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te reliquo. Hoc miræ pietatis dictum de ore patris hujus arripientes dicamus omnes, dicamus singuli vero Joseph, id est Domino nostro Dei Filio, qui vere Salvator mundi est : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te reliquo*. Quando, Christiane, defungeris, imo et dum vivis, quia moriturus es, dic unico Dei Patris Filio, Salvatori tuo : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te reliquo. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII), et in hora qua quisque nostrum moritur, superstitem illum relinquimus, qui solus, quod nos non possumus, in quo nos deficimus, depositis corporibus, et de animabus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nostris curare sit idoneus. Ille namque nobis superstes est ut causam nostram emendet, qui idcirco mortuus est, ut animas nostras vivificaret : et idcirco resurrexit, ut corpora nostra resuscitaret, et ad dexteram suam in cœlestibus in corpore et anima quemque nostrum constitueret. *Scio enim*, inquit B. Job, *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum* (*Job* XIX).

CAPUT XVIII.

De patrum humilitate qua se coram Pharaone pastores ovium et peregrinos professi sunt.

Et ille locutus est ad fratres, et ad omnem domum patris sui : Ascendam et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei : Fratres mei et domus patris mei venerunt ad me, et sunt viri pastores ovium, etc. Sanctum peregrinorum studium, Deo peregrinantium Scripturæ locus exprimit, scilicet quod hominibus non solum non placere, sed etiam displicere quæsierunt, et quod vere non hic manentem habentes civitatem, futuram et manentem inquirere studuerunt (*Hebr.* XIII).

(CAP. XLVII.) Primus *Joseph ingressus nuntiat Pharaoni, dicens : Pater meus, et fratres, oves eorum, et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan, et ecce consistunt in terra Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque vivos statuit coram rege*, primogenitos, *et interrogati a rege dicente : Quid habetis operis? responderunt : Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri.* Quare? *Quia detestantur*, inquit, *Ægyptii omnes pastores ovium*, videlicet, quia superbiunt in equis, et curribus, plus cæteris gentibus, et ob hoc humile pastorum opus, veluti ignominiam despiciunt et detestantur. *Postmodum introductus pater ante regem, interrogatus est ab eo : Quot sunt dies vitæ tuæ?* Nunquid nil aliud rex sapiens locutus est cum venerabili sene, nisi quod interrogavit eum, *Quot sunt dies vitæ tuæ?* Sed profecto solum hoc scribi dignum fuit, propter memorabile responsum, dicentis : *Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Ultro, peregrinum se confessus est, et hanc vitam miseram, peregrinationem dicere maluit, melioris vitæ vel patriæ civis, id est, cœlestis. Eo sensu percontationem regis vera correctione supplevit, cum dicente illo : *Quot sunt dies vitæ tuæ?* respondit : *Dies peregrinationis vitæ meæ parvi sunt et mali.* Parvos videlicet dies suos pro humili conscientia dixit, malos pro continuatione tribulationis. Parumque illi visum est, quod peregrinum se confessus est, nisi etiam patres suos peregrinos fuisse assereret. Nam protinus subjungit : *Et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.* Adeo hominibus placere, vel ad pompam sæcularium tam pater quam filius se extendere dedignati sunt. Bene ergo Apostolus in laudem fidei patrum istorum inter cætera dicit : *Et confitentes quod hospites et peregrini sint super terram* (*Hebr.* XI). Forum confessio nusquam clarior aut certior invenitur quam hoc loco ubi peregrinus iste in aula regis non oblitus patriæ cœlestis, ultro peregrinum se confitetur. Igitur vetus pastoribus ovium spiritualium et omnibus, qui cœlestem patriam inquirunt propositum est exemplum, ut humilitate gloriosa contenti vanam et inopem despiciant altitudinem sæculi, dicantque ubicunque equitantes Ægyptios viderint : *Ili in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*Psal.* XIX); dicant coram terrenæ patriæ civibus, aut regibus : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII).

CAPUT XIX.

Quoto patris anno Joseph natus sit.

Porro quod dicit : *Centum et triginta annorum sunt dies peregrinationis meæ*, facilem pandit aditum ad investigandum quoto ætatis ipsius anno Joseph natus sit. Imo et quoto ætatis anno uxores Liam et Rachel sororem ejus acceperit. Nam et de fratre ejus Esau, superius Scriptura dixit, quod *quadragenarius uxores duxit* (*Gen.* XXVI), et de Isaac patre ejus, quia, *cum quadraginta esset annorum, Rebeccam uxorem acceperit*, et quia *sexagenarius erat, quando nati sunt parvuli* (*Gen.* XXV), de isto autem non est dictum qua ætate uxorem acceperit. Centum ergo et triginta annorum cum se esse dixerit, Joseph autem triginta annorum fuerit, **157** quando stetit in conspectu Pharaonis regis, et exinde septem fertilitatis anni, cum biennio subsecutæ famis effluxerint, qui sunt simul ætatis Joseph triginta novem anni, constat procul dubio quod nato Joseph Jacob nonagenarius exstiterit. Cui ætati quatuordecim annos adime, quibus Laban pro filiabus servivit, et manifeste liquet quia jam septuaginta sex annorum erat, quando, præcepto patris peregre profectus, uxores accepit. Viginti namque annis servivit, quorum ante sex posteriores natum fuisse Joseph qui legit, intelligit. Nato quippe Joseph, cum dixisset Jacob socero suo : *Dimitte me ut revertar in terram, et ad patriam meam* (*Gen.* XXX), tunc demum conventione iterata, qui pro filiabus quatuordecim annis servierat, addidit, *ut serviret annis sex.*

CAPUT XX.

De eo quod Joseph subjecit omnem terram Ægypti, vendentibus eam illis præ magnitudine famis.

Intravit igitur Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham (*Psal.* CIV), id est, in eadem Ægypto. Ægyptii namque ab uno de posteris Cham, scilicet Mesraim, exorti sunt. Attendamus quid deinceps actum sit. Postquam benedicto rege, Jacob egressus est foras, et possessionem dante Joseph, accepit in optimo terræ solo Ramesses ubi præceperat Pharao, *venit cuncta Ægyptus*, inquit Scriptura, *ad Joseph, dicens : Da nobis panes. Quare morimur coram te, deficiente pecunia? Quibus ille respondit : Adducite pecora vestra, si pretium non habetis, et sustentavit eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei : Cur*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

morimur, te videnle? Eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne perennte cultore redigatur terra in solitudinem, etc. Hos habuit effectus, illud quod vocavit Dominus famem super terram, et ad hoc vocatio ejus profecit, ut Israel intraret in Ægyptum, et in servitutem redigeretur superbia Ægyptiorum, quam et Scriptura paulo supra denotavit, dicendo : *quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium* (*Gen.* XLVI). Proinde sapientibus quoque, qui nitore gaudent eloquii, placeat et illud quod methonymice Psalmista dixit : *et vocavit famem* (*Psal.* CIV). Bene ergo tanquam strenuus lictor astitit vocanti, et voluntatem fecit imperantis, cum duos reos, veluti uno carcere arctavit, et alter scilicet Israel, qui fratrem suum vendidit, flagellatus generatione quarta solveretur ad gloriam : alter, id est, Ægyptius populus superbiens in curribus et equis, educeretur ad pœnam. *Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, et cunctos populos ejus, a novissimis terminis Ægypti, usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis. Dixit ergo Joseph : Ecce, ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet. Accipite semina et serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem et in cibos, familiis et liberis vestris.* Tanquam diceret : Vobis possessiones vendentibus et dicentibus : *Eme nos in servitutem regiam*, non mittam super vos aliud pondus, verumtamen id quod cœpistis tenete æquo conditione. Quinta pars fructuum per septem fertilitatis annos de cunctis regionibus sub curam et custodiam Pharaonis recondita est pro salute vestra : *quintam* ergo deinceps *partem regi dabitis*, cui vos in servitutem venditis. *Ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti regibus quinta pars solvitur.* Et quidem quia superborum tunc cervicibus victrix fames insederat, leti susceperunt conditiones servitutis, dicentes : *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum dominus noster, et læti serviemus regi.* Verum ubi rediviva saturitas famem depulit, pariter et superbia revixit. Et fortassis inde inimici filiis Israel facti sunt, et inde versum est cor eorum, ut oderent populum Domini, et dolos facerent in servos ejus, quia quos tempore famis subjicientes se regiæ servituti suscipiens et pascens, dictus est Salvator mundi : tempore saturitatis a posteris eorum, qui se vendiderant, odio cœpit haberi memoria ejus, tanquam fuisset proditor libertatis.

CAPUT XXI.

Quod oportuerit Joseph de transferendo corpore ejus adjurari, et cur sanctus vir in terra illa sepeliri noluerit.

Cumque appropinquare cerneret Israel diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, ut auferas me de terra hac, condasque in sepulcro majorum meorum. Ergone de obedientia filii pater diffisus est, nec aliter securus esse potuit? Non utique sic, sed rationem in ore ponere voluit, quam in transferendo patrem haberet coram Pharaone et servis ejus, compendio dicens : Pater enim meus adjuravit me, suspicionemque fugeret, ne alienum ab amore terræ Ægyptiæ videretur animum gerere. Quid autem patriarcha tantus, civis cœli, cui viventi totus mundus exsilium fuit, tantopere de corpore suo curavit, et serio scire voluit quo loco pulvis in pulverem, et cinis reverteretur in cinerem? Videlicet quia terra repromissionis Domini erat Dei, dicentis, verbi gratia : *Terram in qua dormis, dabo tibi, et semini tuo* (*Gen.* XXVIII), et his similia, quæ tam illi quam etiam patribus suis de terra illa locutus est Deus, et repromisit. Donum autem Dei qualecunque sit, sive magnum sive parvum, cœleste sive terrenum, pro honore vel charitate dantis pretiosum est, et esse debet in oculis sapientis. Si ergo moriturus, continuo promissiones terræ, quas acceperat, tanta cum gratiarum actione veneratus est, ut saltem mortuo corpore illam tenere cuperet : quanto magis vivi posses ores curare debuerunt, sic in ea vivere, ut non iratus Deus, donum suum ingratis rursus auferret? Exemplum enim vivis mortuus dedit, ut in spe patriæ cœlestis pignus amarent, requiem æternæ hæreditatis. *Quo jurante adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.* Scilicet quia postquam juravit filius, jam de effectu petitionis erat securus. *Ad lectuli*, inquit, *caput.* Sanctus quippe et Deo deditus vir oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.

158 CAPUT XXII.

Quod Joseph ad ægrotantem patrem assumptis duobus filiis properaverit, et de benedictionibus ejusdem patris.

Nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater ejus. Qui, assumptis duobus filiis Manasses et Ephraim, ire perrexit, id est, ire properavit, et eo totus intendit, ad accipiendas partes de divitiis paternis; ad videndos thesauros benedictionis quos pater thesaurizavit filiis suis. Idcirco filios suos secum assumpsit Manasses et Ephraim. *Dictumque est seni : Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.* Quamvis intelligi recte valeat quod ob adventum filii quem diligebat confortatus sit gaudio, sicut dudum dixerat : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo* (*Gen.* XLVI) : tamen et hoc sciendum, quia sancto prophetiæ spiritu super eum irruente confortatus est. Unde enim fiduciam vel auctoritatem habere poterat, ut diceret : *Et iste quidem erit in populos et multiplicabitur, sed frater ejus junior major erit illo*, et his similia, nisi quia virtute prophetici spiritus invaluerat? Confortatus igitur adeo mente est, qui ægrotabat corpore, ita ut corpus quoque fessum alleviaretur mentis alacritate,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et etjus *oculi* corporei *caligaverant præ nimia senectute, nec clare videre poterat*, interioris ejus hominis acies clarificata est, ut ventura nuntiaret, et possidendam hæreditate benedictionem daret. Itaque sic incipit : *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan, benedixitque mihi et ait : Ego te augebo, et multiplicabo, et faciam in turbas populorum, daboque tibi terram hanc, et semini tuo in possessionem sempiternam.* Unde habeat dandæ benedictionis jus aut officium, prælocutus est. Non dixit : Pater meus Isaac benedixit, quamvis et hoc factum sit : sed *Deus omnipotens*, inquit, *benedixit mihi*, quia benedictio non hominis est, sed Dei, et tunc valet hominis benedictio, cum ex Deo procedit, vel confirmatur testimonio Dei. Dicat quis : Cur Abraham moriturus, non Isaac, item eo modo quo et Isaac Jacob, et Jacob filios suos benedixit? Videlicet quia Isaac jam ex quo in holocaustum Deo oblatus est, benedictionem hæreditate possedit, neque opus fuit illum sermone consecrari, qui re ipsa in typum Salvatoris sanctum sacrificium et hostia viva esse meruit. Item : Si quærat quis cur non Isaac duos tantum habens filios, utrumque benedixerit, cum Israel plures habens, singulos benedixerit, benedictionibus propriis? facilis responsio est, quia duo filii Isaac in duos erant populos dividendi, sicut oraculum divinum prædixerat illi (*Gen.* xxv), vel Rebeccæ matri : plures autem filii Jacob una gens, et unus populus in unitate paternæ fidei Deum verum et vivum hæreditate possessuri, vel ab ipso erant possidendi. Post istos patriarchas tres, in quibus omnipotens Trinitas invocanda est, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, jam non invenitur eodem successionis ordine, et cum potestate benedictio carnalibus filiis data esse, sed per sacerdotum ministerium deinceps ex lege Moysi, in populum communiter exorata est, effectu non semper vel ubique prosequente.

CAPUT XXIII.

Cur dixerit, « Duo filii tui mei erunt, Manasses et Ephraim reputabuntur mihi. »

Deus, inquit, *omnipotens apparuit mihi, benedixitque mihi*, etc., ut supra. Quorsum istud? Videlicet ut recogites, et scias, quia paternæ fidei meritis actum est; quatenus dicere posses : *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domum patris mei*, et ob hoc vorares nomen primogeniti tui Manasse. Itemque : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, et ob hoc vocares nomen secundi Ephraim. Nam ex eo quod mihi sponte peregrinanti benedixit Deus, et ita dixit : *Ego te augebo, et multiplicabo, et faciam in turbas populorum*, ex eo, inquam, tu quoque non intuitus exsul, et in servum venundatus in laboribus tuis, et in terra paupertatis tuæ crevisti. Nec enim opem cœlestem vos filii parentibus, sed nos parentes Abraham, Isaac, et Jacob, vobis filiis thesaurizavimus. *Duo igitur filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam venirem huc ad te, mei erunt Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi.* Ac si dicat : Quoniam ego, antequam huc venirem absens tibi profeci, etenim in magnis doloribus fides paterna pro te decertavit, tuamque salutem parturivit, in qua et duos filios procreasti jure ipsi filii mei erunt : *Sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi*, etc., quod dicit hoc est : Sicut Ruben et Simeon duæ tribus erunt, duosque populos procreabunt, et sic hæreditabunt repromissionis terram, sic et filii tui. *Reliquos autem filios, quos post mortem meam genueris*, ostendens necdum illo tempore procreatos, *tui erunt et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Non, inquit, accipient separatim terram, nec funiculos habebunt proprios, ut reliquæ tribus, sed in tribubus Ephraim et Manasse quasi appendices populi communicabuntur. Quam autem ob causam mihi reputabuntur, et mei erunt? *Mihi enim*, inquit, *quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus. Et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ.* Mihi, inquit, id est, in meum detrimentum, vel dum parit mihi filium mortua est mater tua Rachel, quam ego diligebam, et ex qua filios adhuc suscipere optabam, *eratque vernum tempus*, subauditur mihi, *et ingrediebar Ephratam*, quod interpretatur *frugifera*, videlicet cum illa post hiemem sterilitatis optato partu floresceret, et frugifera mihi esse inciperet. Idcirco hi duo filii tui mei erunt, ut mortuæ conjugi semen suscitem et supplcam adoptione, quod minus habui naturali generatione. Quod pro magno id acceperit Joseph, scilicet ut duo filii sui principes, et capita tribuum fierent in Israel, illud indicat, quod cum tulisset eosdem filios suos de gremio patris deosculantis, et circumplectentis eos, adoravit pronus in terram.

CAPUT XXIV.

Quod Jacob, filiis Joseph benedicens, commutatione manuum crucem Christi præfiguravit.

Et posuit Ephraim ad dextram suam, id est ad sinistram Israel, Manassen vero in sinistram suam, ad dextram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim junioris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui **159** *major natu erat, commutans manus.* Cur ita fecerit ipse reddit causam, cum Joseph graviter accipiente, et dicente : *Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus : pone dexteram super caput ejus, renuens ait : Scio, fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur, sed frater ejus major erit illo, et semen illius crescet in gentes.* Sine dubio transpositio manuum crucis expressit figuram. Nunquid in eo sic manus commutando casu crucem figuravit? Nunquid non poterat, eadem ratione data, Manassen ad dexteram, Ephraim vero ad sinistram suam posuisse? Poterat plane, sed propheta erat, et prophetico spiritu sciebat quod per crucem componenda esset benedictio quam venturus Legislator daret, vel qua in illo semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Qui enim postmodum de illo qui mittendus erat, et qui exspectatio gentium

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

turus erat, id est, de Christo dixit : *Lavabit vino stolam suam, et sanguinem uvæ pallium suum* (*Gen.* XLIX), nescire poterat quali torculari ipsa uva premenda vel ipsum vinum foret extorquendum? Igitur tanquam propheta simul et patriarcha, quomodo verbis verum prophetare potuit dicendo : *Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur, sed frater ejus junior, major erit illo*, sic et manuum positione crucem Christi præfigurare scivit, per quam priori junior, id est, Judaico præferendus erat populus gentilis. Ad ipsum Joseph dicit : *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio et arcu meo.* Sichimam dicit sive Sichem quæ apud Joannem evangelistam Sichar vitiose dicitur, quod errore inolevit, et est nunc metropolis urbs Samaritanorum. Quod autem dicit se eam in arcu et gladio possedisse; arcum hic et gladium justitiam vocat, per quam meruit peregrinus et advena, interfecto Sichem et Hemor, de periculo liberari. Vel certe in gladio et in arcu meo tuli, id est, in fortitudine mea emi, scilicet in pecunia, quam in multo labore et sudore acquisivi.

CAPUT XXV.

Quod vocaverit filios suos, « Congregamini ut annuntiem vobis, » etc.

(CAP. XLIX.) *Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: Congregamini ut annuntiem vobis quæ ventura sunt diebus novissimis. Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Vocatio hæc non ut simplex littera resonat, nec solum duodecim homines invitat, sed universos qui se agnoscunt, vel profitentur esse filios Jacob convenit et congregat. Et profecto quicunque sumus ex fide Patris hujus, quicunque Deum Abraham, Deum Isaac, et Deum Jacob in veritate confitemur, et colimus, filios nos esse Jacob, et fideliter agnoscimus, et veraciter dicimus. Nos igitur invitat pater Jacob tuba prophetica, cum dicit : *Congregamini ut annuntiem quæ futura sunt vobis in novissimis diebus*, iterumque personat ac dicit : *Congregamini*, videlicet ut et corporibus congregemur in eisdem parietibus, in eadem domo Dei, in eadem schola Christi, et, quod magis expedit, mentibus congregemur, in unitate fidei, in societate spiritus, in vinculo pacis. Tandemque congeminat, quo attentum faciat auditorem : *Audite*, inquiens, *filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Non enim unus corporis auditus satis est, sed alium quoque id est, interioris hominis, auditum adhibere oportet, ubi spiritus loquitur et annuntiat quæ ventura sunt. Itaque tanquam filii in domo patris sub fidei magisterio, morumque disciplina eruditi, audiamus his diebus novissimis quæ tunc ventura erant, nunc autem jam venerunt et facta sunt diebus istis, diebus utique novissimis testante Paulo : *quia nos summus in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X), et Joanne dicente : *Filioli, nunc novissima hora est* (*I Joan.* II).

CAPUT XXVI.

De benedictionibus Ruben, et amorum ille typum gesserit.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei. Prior in donis, major imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. Sensus hic est. Tu es primogenitus meus major in liberis, et sedebas juxta ordinem nativitatis tuæ, et hæreditatem quæ primogenitis jure debebatur, id est : Sacerdotium sperabas accipere, et regnum. Hoc quippe in portando onere, et prævalido robore demonstratur. Verum quia peccasti, et quasi aqua quæ vasculo non tenetur, voluptatis es impetu effusus, idcirco præcipio tibi ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quod primogeniti ordinem perdidisti. Itaque duobus præmissis, *tu fortitudo mea*, tu *principium doloris mei*, duo subjuncta respondent. Unde enim *tu fortitudo mea?* Ex eo, videlicet, quia *prior in donis, major imperio.* Unde *principium doloris mei?* Ex eo quia *effusus es sicut aqua*, ascendendo *cubile patris tui.* Hoc enim principium doloris ejus exstitit, non quod in nullo ante doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo ejus de isto accidit, deinde incrementum accepit de venditione filii. Huic videlicet Ruben similis est, quicunque thorum Dei Patris, id est plebis ejus regnum adulterino introitu ascendit, scilicet non audientium salutem sive profectum, sed gloriæ suæ quærendo voluptatem, quemadmodum iste ascendendo patris sui cubile, non exinde generare sobolem, sed proprii corporis quæsivit explere libidinem. Sic et ante Christi adventum Pharisæi, Sadducæi, Samaritæ, cæterique temporis illius hæretici, vel hæresim auctores, thorum Dei Patris, id est sanctæ legis Scripturam violenter ascendentes, plebem ejus iniquo semine corruperunt, et post Christi adventum Cerinthus, Marcion, atque Ebion, cæterique hæresiarchæ thorum ejusdem Christi, id est doctrinam Evangelii non vocati, ascendentes suis quique locis, vel temporibus plebem ejus perversa doctrina commaculaverunt. Unde sciendum quod non libera, sed ancilla, non uxor legitima fuit quam adulteravit Ruben, et dicta est Bala, quod interpretatur *inveterata.* Denique et quæcunque plebs sive quæcunque anima libera, vel Christi uxor est legitima, vero amore Christum diligens, adulterium non recipit, incestum non admittit; quæ autem ancilla est, non habens Spiritum Domini in quo est libertas (*II Cor.* III), quæ inveterata est, et ambulat in vetustate peccati, cito adulterio succumbit, facile hæretico consentit. Talium iniquo cœtui Spiritus dicit : *Tu primogenitus meus, tu fortitudo mea*, gravissima ironia pro arrogantia vel præsumptione ejus dici recte intelligitur, quia sic illi videtur, sic prædicat, sic de se arbitratur. Dicit enim : Quod ego do, sanctum est, quo ego baptizo, quod ego consecro plenum atque perfectum est, apud me solum veritatis fortitudo est. Quod autem ex repugnanti additur, et *principium doloris*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mei, vera Patris conquestio est, **160** quia revera sub lingua ejus labor et dolor (*Psal.* x), quia *concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (*Psal.* vii). Cur enim pater tales non vocet, principes doloris sive laboris sui? Etenim per prophetam illis dicit : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis : In quo confiximus te? In decimis, et primitiis, in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota* (*Mal.* iii). Item : *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris. Et dixistis : In quo eum fecimus laborare* (*Mal.* ii), etc. Et hic ergo tanquam dicat Patri adulter hæreticus : In quo ego *principium doloris tui? Effusus es*, inquit, *sicut aqua*, videlicet per oris tui incontinentiam. Incontinenter enim et sine discretione fluunt hæretici verbis aquaticis. Sunt enim cisternæ veteres, *quæ non valent continere aquas* (*Jer.* ii).

A

CAPUT XXVII.

De benedictionibus Simeon et Levi, et quorum typum gesserint.

Simeon et Levi, fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilio eorum ne veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea. Quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua effoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio illorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et disperdam eos in Israel. His verbis palam significat non sui fuisse consilii, quod Sichem et Emor fœderatos viros interfecerunt, contraque jus pacis et amicitiarum sanguinem fuderint innocentem, et quasi quodam furore sic crudelitate grassati, muros hospitæ urbis everterent (*Gen.* xxxiv). Unde et dicit : *Maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura : Dividam eos in Jacob, et disperdam eos in Israel.* Levi enim hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus sortibus paucas urbes ad habitandum accepit. De Simeon vero in libro Jesu scriptum est, quod et ipse proprium funiculum non sit consecutus, sed de tribu Juda quiddam acceperit. (*Jos.* xiv). In Paralipomenon autem libro manifestius scribitur, quod cum multiplicatus fuisset, et non haberet possessionis locum, exierit in desertum (*I Par.* iv). Verum quia de diebus novissimis se prophetare dicit : *Congregamini et annuntiabo quæ ventura sunt vobis diebus novissimis*, recte de Phatisæis prophetice dictum intelligitur, qui utique secundum Simeon et Levi primos circumcisionis suæ proselytos, scilicet Sichimitas interfecerunt, vasa iniquitatis bellantia fuerunt, quia cum circuissent mare et aridam, ut proselytos facerent, tandem *in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum*, Christum enim occiderunt, et murum templi (quod est corpus ejus) clavis et lancea suffoderunt, et hac faciendo proselytos et omnes auditores suos secum filios perditionis fecerunt. At ille *vir propheta potens in opere et sermone* (*Luc.* xxiv), sicut de templo corporis sui prophetaverat, dicens : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* ii), sic fecit, et in ultionem furoris eorum, et indignationis duræ, sic dixit : *Dividam eos in Jacob, et disperdam eos in Israel.* Jacob namque vel Israel ipsi esse desierunt, et gentes per fidem hoc nomen hæreditaverunt. Cur autem nolit eos occidere, sed dividere ac dispergere, Psalmista in persona ejus edicit, ubi præmisso, *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*, continuo subjungit : *Ne quando obliviscantur populi mei.* Et ait : *Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* lviii).

B

C

D

CAPUT XXVIII.

Quid sit in benedictionibus Juda.

Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti, ut leo et quasi leæna. Hic os suum latius aperuit, spiritumque attraxit, et clarius edixit quod gaudenter totus exaudiret orbis: *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui.* Constat quidem, quia de tribu Juda reges exstiterunt, at illi, præter David, Ezechiam et Josiam, omnes peccaverunt, neque adeo fortes fuerunt ut merito in laudem fortitudinis eorum tantus patriarcha tantopere dilatare debuerit os suum. Unus igitur de omnibus electus sit rex Christus in quem ista recte dicantur. Juda quippe, quod interpretatur *confessio*, ipse est nostræ confessionis princeps et auctor, sine quo non erat nobis confiteri, sine quo non fieret quod scriptum est : *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* cxxi), neque transiret quisquam *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis* (*Psal.* xli). *Juda* ergo *te laudabunt. Te*, inquam, Christe, confitebuntur fratres tui, et *laudabunt* et prædicabunt te omnes filii Dei, et pro hoc ipso etiam laudabunt te, quod sunt *fratres tui*, quod nominantur, et sunt filii Dei viventis. Nam nisi per te recepti et per te fuissent adoptati, essent semper, ut erant, omnes inimici, omnes filii mortis, filii iræ, filii diaboli. Jure ergo te laudabunt. Quomodo laudabunt? Quid laudantes clamabunt? *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum.* Hoc vere laudabile, hoc laude canora dignum est, quia vera fortitudo, quia gloriosa victoria est. Ad quid enim *manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum?* Videlicet ad hoc, ut depressi et incurvati aut te adorent, aut expellantur de finibus tuis, claudendi carceribus in vinculis sempiternis. Pro meliori parte victoriæ continuo subjungit : *Adorabunt te filii patris tui.* Qui inimici tui ipsi filii Patris tui, sed prius secundum meritum suum inimici, postea per gratiam tuam filii Patris tui. Ad hoc *manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, ut adorent te illi, et reconcilientur tibi, fiantque ex inimicis fratres tui, fiant filii Patris tui. Ita *mirabiliter deducet te dextera tua*, cervicibus inimicorum tuorum impressa, ita *populi sub te cadent, in corda inimicorum regis* facti *sedes tua, Deus, in sæculum sæculi* (*Psal* xliv). Nam quia Deus es tu, idcirco parum dictum erat, *te laudabunt fratres tui*, suppletum ergo es, di-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cendo, *adorabunt te filii Patris tui*. Quæ autem causa vel materia laudis, aut unde tibi dignitas adorandæ majestatis? Ait : *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti*. Quia catulus leonis tu es, id est, Filius Dei fortissimi, cunctarumque fortitudinum vel virtutum principis, idcirco adorabunt te filii Patris tui ; et quia tu ad prædam, fili mi, ascendisti, et infernum debellasti, idcirco jure *te laudabunt fratres tui*. Quamvis enim dicantur et sint fratres tui, vel filii Patris tui, non tamen ut tu catulus, sic et ipsi dici vel esse possunt catuli leonis. Non enim natura, sed adoptione sunt filii Dei, Patris tui, unde et præter te, fili mi, nullus ad prædam ascendere, nullus infernum spoliare potuit. Tu solus prædator mortis, *requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leæna*. Hoc mirabile est. *Requiescens*, id est, moriens, *accubuisti ut leo*, nec enim moriendo defecisti, aut imminuta est fortitudo tua. Nec vero tantum ut leo apertis accubuisti oculis, sed et *quasi* **161** *leæna*, quam ut sæviat grandis agit amor, et affectus grandis erga fetus suos esurientes ad prædam excitat. Accelerasti enim *spolia detrahere*, festinasti *prædari* (*Isa.* VIII), ut ad catulos, id est, apostolos tuos magnæ prædæ gaudium, magnum reportares triumphum resurrectionis.

CAPUT XXIX.

De eo quod ait : « Quis suscitabit eum ? » et : « Non auferetur sceptrum, » etc.

Quis suscitabit eum ? Hactenus prona mente blandientis affectu loquebatur pater ad illum principem fortitudinis, suum secundum carnem filium : nunc tota irruente admiratione, quasi astantem circumspicit orbem universum, et dicit interrogans, ut interrogando totum in admirationem excitet genus humanum : *Quis suscitabit eum ?* Et recte nos quoque de præterito dicamus : *Quis suscitavit eum ?* Elias viduæ filium suscitavit (*III Reg.* XVII). Ipse Lazarum suscitavit (*Joan.* XI). *Quis spiritum* ejus *adjuvit ?* (*Isa.* XL.) Ipse nempe nullo indigens proprio rugitu evigilavit, potestatem enim habuit ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X). Jam quasi quæreretur quando ille veniet, et quod signum temporis adventus ejus, continuo sequitur : « *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Hoc omni homini oculos habenti certum et præclarum est. Quando enim, vel ex quo ablatum est *sceptrum de Juda, et dux de femore ejus ?* Videlicet ex tunc, quando regnum Judæorum Romanis tradentibus adeptus est Herodes alienigena, patre Idumæo, matre ortus Arabica. Et quidem reges jamdudum defecerant a tempore captivitatis Babylonicæ; duces tamen qui essent de gente illa, perseverarerunt usque ad contentiones Hircani et Aristobuli, qui ex commistis tribubus, sacerdotali scilicet et regia, orti, regnum et sacerdotium discordibus sibi dividentes animis, contendendo et invicem pugnando, tandem occasionem porrexere Romanæ potestati locumque aperuerunt alienigenæ Herodi. Ita paulatim deficiente et claudicante femore Judæ, tandem potestas omnis ab eo sublata est. Unde prudenter non tantum dictum est, *non auferetur sceptrum de Juda*, sed additum est, *et dux de femore ejus*. Tunc primum ergo sublatum est sceptrum de Juda, quando tulit illud Herodes (*Matth.* II), qui utique Judæus non erat. Quis autem nesciat quia tunc venit qui mittendus erat ? Tunc enim Jesus Christus Dei Filius in Bethlehem Judæ de Virgine nasci dignatus est (*Luc.* II). Cum ergo dicit, *non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, firmum sermonem propheticum prophetarum sanctissimus, tanquam lucernam lucentem *in caliginoso loco* attollit (*II Petr.* I), ut sciat inquisitor regni Dei quando vel ex quo certus esse debeat de adventu ejus, quem laudare et adorare habeant omnes fratres ejus, cuncti filii Patris ejus. Huic lucernæ, huic prophetico sermoni *Simeon* senex, *homo justus et timoratus*, in Spiritu sancto attendens, cum sciret, et videret, regnante alienigena, ablatum esse sceptrum de Juda, et ducem de femoribus ejus, intellexit tempus esse ut veniret qui mittendus erat ; et idcirco ad januas cœlorum, unde venturum illum sperabat, tandiu suspensa prece pulsavit, donec *responsum* acciperet *a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum* (*Luc.* II). Et vidit, et sicut legebat in hoc Scripturæ loco, *et ipse erit expectatio gentium*, ita credidit et confessus est eum esse *lumen ad revelationem gentium* (*ibid.*). Unde autem scire poterat ipse pater Israel, ut diceret, *et ipse erit expectatio gentium ?* Ex Deo videlicet, non solum quia propheta erat, sed et quia sic ad Abraham Deus locutus est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII).

CAPUT XXX.

Qualis sit illa expectatio gentium, secundum quod ait : « Ligans ad vineam pullum suum, » etc.

Qualis vero sit expectatio gentium, subsequenter notis nominibus et clara similitudine propheticum hoc declarat oraculum. *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.* Quanto affectu, cum de tertia persona loquatur, apostrophen faciat ad secundam, dicendo, *o fili mi*, nulla valet lingua verbis consequi, vix illa valet mens persentiscere, benigna venia charitatis. *Ligans*, inquit, *ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.* Pullum asinæ novimus, cui supersedit Dominus Jesus, hoc est gentilium populum, quem utique nunc ad vineam suam allegavit, quando apostolicæ Ecclesiæ, quæ ex Judæis est, illum gratia sua copulavit. Quod per pullum, idem per asinam ; et quod per vitem, idem intelligimus per vineam. Una vitis, vel una est vinea omnium electorum ab initio sæculi usque ad apostolicam fidem, una cum capite suo Christo Ecclesia. De semetipso caput Christus dicit : *Ego sum vitis, et Pater meus agricola est* (*Joan.* XV). De Ecclesia, quæ est corpus ejus, propheta dicit : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in cornu filio olei (*Isa.* v), etc. Ad hanc vitem, ad hanc vineam, nos gentes Christum exspectantes, donec illum facie ad faciem videamus, nunc interim ligati sumus tanquam pullus vel asina, cui animali recte comparatur gentilitas, propter antiqua stultitiæ onera. Ligati, inquam, sumus ad hujusmodi vineam, scilicet ut post paleas, asinorum pabulum, botrum manducemus suavissimum, et in Spiritu sancto Scripturarum vinum bibamus optimum. De quo protinus subditur : *Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum.* Ideireo ergo ligabit ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam, ut lavet vino stolam suam et sanguine uvæ pallium suum. Nihil verius. Quod per pullum et asinam, idem per pallium et stolam, id est unam eamdemque intellige Ecclesiam. Nam una eademque gentilitas, antequam lavacro isto renasceretur, asina vel pullus petulcus erat ; postquam vero lavit eam Christus, stola vel pallium ejus est, de quo in psalmo dicitur : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron ; quod descendit in oram vestimenti ejus* (*Psal.* CXXXII). *Lavabit* ergo *vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum*, id est emundabit Spiritu sancto Ecclesiam suam, et sanguine passionis fidelem populum suum. Uva enim ipse est, de quo in Canticis canticorum sponsa dicit : *Botrus cypri dilectus meus mihi* (*Cant.* I). Hæc uva, sive hic botrus torculari crucis expressus sanguinem suum fudit, et Spiritum sanctum dedit, unde et lavit stolam suam, id est mundavit Ecclesiam suam, *ut exhiberet sibi* sponsam *gloriosam non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* v). Pulchritudinem hujus propheticæ laudis Spiritus sanctus ita concludit : *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Oculi hujus pulcherrimi septem esse, et in Zacharia propheta (*Zach.* III), et in Apocalypsi Joannis legimus · *Qui sunt*, inquit, *septem Dei spiritus, missi in omnem* **162** *terram* (*Apoc.* v). Primo vinum hoc loco, vetustam legimus austeritatem legis, sicut mustum aliis Scripturæ locis novam evangelicæ gratiæ significare doctrinam. Constat autem quia septiformis gratia Spiritus sancti, quam accepimus ex gratia Evangelii, vetustate legis pulchrior atque dulcior est. Dentes quoque hi sunt qui in corpore ejus (quod est Ecclesia) fortes sunt ad capiendum solidum cibum. Et hi profecto lacte candidiores, id est illis quibus pro infantia sensuum lacte litteræ opus est, sanctiores atque pulchriores sunt. Dicat itaque : *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.*

CAPUT XXXI.

De benedictionibus Zabulon et Issachar.

Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium attingens usque ad Sidonem. Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens. Juxta litteram, quia de Zabulon dixerat quod maris magni esset littora possessurus, Sidonem quoque et reliquas Phœnicis urbes contingeret, nunc ad mediterraneam provinciam redit, et Issachar quia, juxta Nephtalim, pulcherrimam in Galilæa possessurus est regionem, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem fortem vel osseum vocat, et humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ, et in vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans, aiunt Hebræi, per metaphoram significari quod Scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum, et ideo ei omnis tribus servivit, quasi magistro dona portantes. Ergo nos potius hæc, et illud, quod postmodum de Nephtalim dicitur : *Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis*, cuncta ad doctrinam Salvatoris referamus, eo quod ibi vel maxime docuerit, sicut in Evangelio scriptum est : *Et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtalim, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilææ* (*Matth.* IV), etc. Igitur, juxta anagogen, Zabulon et Nephtalim, provinciamque mediterraneam obtinens Issachar, apostoli sunt vel apostolici viri, qui habitantes in littore maris, et in statione navium, videlicet quia facti sunt piscatores hominum, ad hoc semper intenti fuerunt, ut de profundis et falsis fluctibus multitudines educerent piscium rationalium. *Vidit requiem*, inquit, *quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens.* Hoc, inquam, vidit Issachar, quod interpretatur *merces*, sive Zabulon, id est *habitaculum fortitudinis*, scilicet quisquis datorem æternæ mercedis atque largitorem habitaculi fortissimi prædicantem audivit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave, et onus meum leve* (*Matth.* XI). Bona ergo mercede, secundum nomen suum, Issachar *supposuit humerum suum ad portandum* onus leve, quia vidit et invenit requiem animæ suæ.

CAPUT XXXII.

De benedictionibus Dan, et quid ad litteram, et quid ad allegoriam habeant.

Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus Israel. Fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine. Samson judex Israel de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit : Nunc video in Spiritu comam nutrire Samson Nazaræum tuum, cæsis hostibus triumphare, quo in similitudinem colubri regulique obsidentis via nullum per terram Israel transire permittat, se etiam si quis temerarius virtute sua, quasi equi velocitate confidens, eam voluerit prædonis more populari, effugere non valebit. Totum autem per metaphoram serpentis et equitis loquitur. Videns erg

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tam fortem Nazaræum tuum, quod et ipse propter meretricem mortuus est, et mortuos nostros occidit inimicos, putavi, o Deus, ipsum esse Christum, Filium tuum. Verum quia mortuus est, et non resurrexerit, et rursus captivus ductus est Israel, alius mihi Salvator mundi, et mei generis præstolandus est, ut veniat cui repositum est : *Et ipse erit expectatio gentium.* Aliter, *fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Nonnulli de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod loco hoc *Dan* et *coluber* asseritur *cerastesque mordens.* Unde et non immerito dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad aquilonem castra metatus est, illum scilicet signans qui in corde suo dixerat : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV). De quo per prophetam dicitur : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus* (*Jer.* VIII). Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur. Cerastes enim Græce, cornua dicuntur. Serpens hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur, quia contra vitam fidelium, cum morsu pestiferæ prædicationis, armatur etiam cum cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? *Fiat* ergo *Dan coluber in via,* quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur : sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit *cerastes in semita,* quia quos fideles reperit, et sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, et in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus etiam hunc mundum significat, vel insinuat qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes istius equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere, ut cadat ascensor ejus retro. Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, et non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur (*Act.* IX). In faciem enim cadere est in hac vita suas unumquemque agnoscere culpas, easque pœnitendo deplorare. Retro vero, quo non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere, et in quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris sui laqueis capta Antichristum exspectat, bene Jacob eodem loco reprimitur in electorum voce conversus est, dicens :

163 *Salutare tuum exspectabo, Domine,* id est, non sicut infideles Antichristum. Sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, credo fideliter Christum.

CAPUT XXXIII.

De benedictionibus Gad, et quid habeant secundum utramque sensum.

Gad accinctus præliabitur ante eum, et ipse accinetur retrorsum. Totum hoc, ut Hebræi asserunt, illud est quod ante populum suum, scilicet ante Ruben et dimidiam tribum Manasse ad filios suos, quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversus eos vicinarum gentium grande repercrit, et fortiter dimicando hostes vicerit, quod et partim ex libro Jesu Nave (*Jos.* XXII), et maxime ex Paralipomenon (*I Par.* V) colligere poteris. Verum hic sensus Judaicus aridus nimis est et exiguus, nec ad novissimos dies istos pertinet, de quibus sicut in initio profitetur pater Israel, hæc omnis enuntiatio est. Igitur altius hoc indagandum est. Etenim duobus adhuc modis intelligi potest : Gad accinctus prælitator ante populum suum, qui prælitatur quidem ante eum trans Jordanem, mystice Judaicus populus est; nos autem populus ille sumus, ante quem iste accinctus prælitatur. Arma ejus sacri codices sunt, quibus accinctus quidem, sed retrorsum tantum, et non ante accinctus est; nec enim arma sua ipse videt, id est ipsas non intelligit Scripturas, quibus ante nos pro veritate dimicat, nosque adjuvat, dum libros per orbem bajulat, ex quibus vera et non a nobis esse conficta probamus, quæ de Christo prædicamus prophetarum testimonia. Sed de hoc alias plenius dicendum erit. Aliter, quoniam hæ non solum propheticæ futurorum annuntiationes, sed et tam de præsentibus quam de futuris paternæ institutionis sunt, sic postmodum Scriptura dicit : *Finitisque mandatis, quibus filios instituebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit,* licet et in bono accipere, ut sit dictum : Gad tunc rite observabit nomen suum, si accinctus prælietur ante populum suum, *accinetus retrorsum,* id est, de futuro cautus, et providens. Prælium autem ad quod filios instituere deceat virum sanctum, talis causa decet esse qualem ob causam, verbi gratia, Machabæi fratres prædiati sunt, imo ut ad Evangelicam feramur perfectionem, talia debent esse prælia eorum qui veraciter accincti sunt, qualium victorias honorantes prædicamus in eis qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et moriendo quam occidendo vincere maluerunt.

CAPUT XXXIV.

De Aser benedictionibus.

Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. Aser *beatus* interpretatur. Bene ergo allusit ad nomen ejus, dicendo : *Pinguis panis ejus.* Pinguedo namque vel abundantia panis quædam beatitudo est, vulgi judicio. Unde Psalmista : *Beatum,* inquit, *dixerunt populum cui hæc sunt,* scilicet, *promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oves fetosæ, abundantes in egressibus suis, boves crassæ* (*Psal.* CXLIII). Et hac beatitudine sua *præbebit,* inquit, *delicias regibus,* deliciosa namque est regibus populi servitus, ubi *pinguis* est *panis ejus.* Verum illis diebus novissimis, de quibus se annuntiare pollicitus est, Aser, id est, *beatus est populus cujus est Dominus Deus* (*ibid.*) *ipse pinguis panis ejus,* quemadmodum dicit :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Vere enim pinguis *est* iste *panis Dei, qui descendit de cœlo,* quia *dat vitam* huic *mundo. Præbebit* ergo *delicias regibus Aser,* qui hujus panis pinguedine perfruitur; *regibus*, inquam : id est, eis qui semetipsos student regere, ut sint digni mensa regalis curiæ, delicias præbebit vitalis alimoniæ, sive eucharistiam porrigendo, sive pinguem medullam Scripturarum exponendo.

CAPUT XXXV.

De benedictionibus Nephtalim.

Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Hebræi putant, propter temporaneas fruges et velocitatem terræ uberioris, Nephtalim cervum emissum dici, et propter Tyberiadem, quæ legis habere videbatur notitiam, eloquia pulchritudinis prophetari. Sed hoc sensu super temporaneis frugibus, et velocitate terræ uberioris, non magni ponderis est. Ergo melius est, si cuncta ad doctrinam Salvatoris referamus, eo quod, sicut jam supra dictum est, ibi vel maxime præclicaverit, *dans eloquia pulchritudinis*, quippe cui verissime dictum est : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV), et tanquam cervus emissus currendo rem omnem brevi tempore confecerit. Unde illi in Canticis canticorum sponsa dicit : *Revertere : similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel* (*Cant.* II). Aliter : *Nephtali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Ac si dicat : Qui dignus est hoc nomine censeri, quod interpretatur *latitudo*, oportet ut dilatato corde tanquam cervus emissus, currat viam mandatorum Dei, detque eloquia pulchritudinis, quemadmodum cervus ille qui in emissione sua currens, stationis impatiens dicit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis* (*II Cor.* VI). Hæc et hujusmodi eloquia charitatis, eloquia sunt pulchritudinis, qualia quisquis dat, jure dicitur Nephtalim, quia profecto cor ejus charitas dilatavit, quæ vera nitet pulchritudine eloquii.

CAPUT XXXVI.

De benedictionibus Joseph.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, inviderunique illi habentes jacula. Iterum latius ut in Juda, sic et in isto pater suos pandit affectus, maxime propter Christum, quem, per prophetiæ spiritum, et de illo nasciturum, et de isto videbat fuisse præsignatum. *Filius*, inquit, *accrescens Joseph*, subauditur *nomine*. Joseph namque *accrescens* sive *adaucius* interpretatur, *accrescens* subauditur etiam *effectu*, crevit enim terra paupertatis suæ, et magnus vehementer est effectus. *Et decorus*, inquit, *aspectu*. Quis hoc diffamavit, aut unde hoc sancto patri intimatum fuit quod filius suus *decorus* esset *aspectu* ? Ait : *Filiæ discurrerunt super murum*. Nisi filiæ vagæ ac petulantes, discurrentes super murum, injecissent oculos in eum, dixissentque : Dormi nobiscum, non adeo memoriæ datum fuisset eum aspectu fuisse decorum. Nunc autem quia decor aspectus
164 ejus causa certaminis, et vinculorum, magnæque fuit victoriæ occasio, digne scitur et prædicatur filius fuisse *decorus aspectu*. Dicendo, *filiæ discurrerunt*, pluralem pro singulari posuit, quod frequens et usitatum est in Scripturis, ut plus enuntietur ob amplificationem rei, qui tropus dicitur synecdoche. Una namque, scilicet domina ipsius, filia magis dicenda quam mater familias, injecisse in eum legitur oculos suos (*Gen.* XXXIX), filia, inquam, stulta et incustodita, cujus et incontinentia denotatur dicendo, *discurrerunt super murum*. Qualis apud Salomonem describitur. *Garrula ac vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens : Intexui funibus lectum meum, strati tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo, non est vir in domo mea, abiit via longissima* (*Prov.* VII). Hæc et his similia dixit, sed filius *accrescens et decorus aspectu* non attendit verbis oris ejus, nec abstracta est mens ejus in viis illius, nec deceptus est semitis ejus. Talis est filius Joseph. *Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, inviderunique illi, habentes jacula*, subauditur fratris. In quo exasperaverunt, aut in quo jurgati sunt? In eo videlicet quod videntes quia a patre plus cunctis fratribus amaretur, *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui* (*Gen.* XXXVII). Ergo jurgabantur, et jurgando exasperabant eum, quia dictante odio *non poterant quidquam pacifice*, non poterant quidquam sine jurgio *loqui*. *Habentes* itaque, *jacula*, scilicet in ore suo. *Dentes* quippe *eorum arma* fuerunt, *et sagittæ* (*Psal.* LVI) dicentium : *Venite, occidamus* (*Gen.* XXXVII), venite, venundemus eum; inviderunt, et invidiam suam opere compleverunt. Sed quid deinde? *Sedet in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum ejus, et manuum illius, per manum potentis Dei Jacob. Inde pastor egressus est lapis Israel.* Illi inviderunt habentes livoris sagittas, et zeli sui jaculis ipsi vulnerati. Verum hic arcum suum, et arma pugnandi in Deo posuit, qui fortis est pugnator, et vincula ejus, quibus fratres ejus eum ligaverant, ab ipso soluta sunt et disrupta, ut ex ejus semine tribus Ephraim nascatur fortis ac stabilis, ac instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israel. Hoc est quod ait, *inde pastor egressus est*, scilicet regiæ tribus pater Ephraim de Joseph natus est. *Lapis*, id est, fortitudo Israel. Aliter : Ipse Joseph pastor, cum dicit : *Ego pascam vos, et parvulos vestros* (*Gen.* L), qui tempore famis vigilantissima pastoris cura multos pasceret populos. Inde scilicet de vinculis brachiorum et manuum suarum egressus est, per manum potentis Dei Jacob, et ipse *lapis*, id est fulcimentum est Israel. Hoc enim ad mysterium magis accedit, quia videlicet pastor bonus, cujus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hic in typum præcessit, de vinculis mortis egressus est, per manum potentis Dei Patris, qui est Deus Jacob, factusque est *in caput anguli* (*Matth.* XXI) lapis Israel egressus de vinculis suis, *quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II). *Lapis*, inquam, Israel, lapis angularis, *quem reprobaverunt ædificantes* (*Psal.* CXVII). Sequitur :

A

CAPUT XXXVII.

Cur dixerit : « Benedictiones patris tui confortatæ sunt. » Et cur Joseph Nazaræum appellarit.

Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. Benedictionibus cœli desuper, et benedictionibus abyssi, id est, in rore cœli, et in pinguedine terræ ; *benedictionibus uberum et vulvæ*, id est, in Ephraim et Manasse populosa multiplicitate. Tanquam quæreretur ab ipso, unde scierit, ut diceret : *Deus omnipotens benedicet tibi* benedictionibus his atque illis, continuo subjunxit : *Benedictiones patris tui confortatæ benedictionibus patris ejus.* Ac si dicat : *Benedictionibus* Isaac patris mei, sive Abraham, benedictiones istæ, quibus nunc ego pater tuus Israel te benedico, utique ita confortatæ sunt, ut non dubium finem vel incertum habeant effectum. *Benedictionibus*, inquam, Abraham sive Isaac, per quos ad me patrem tuum benedicendi jus ac facultas ex Deo hæreditaria gratia manavit, benedictiones meæ tandiu fortes esse, tandiu consistere jussæ sunt, *donec* veniat *desiderium collium æternorum*, id est, Christus, desiderabilis exspectatio omnium justorum. Adeo valent et fortes sunt, ut, secundum illas, non solum tuæ posteritatis incrementum, sed et illud venire debeat, et impleri sanctorum omnium desiderium, in quo omnes gentes secundum benedictiones patris mei Abraham benedicendæ sunt. Confortatæ igitur, et veritatis firmamento subnixæ *fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Quod dixerat, *in capite Joseph*, repetivit dicendo, *et in vertice Nazaræi inter fratres suos*, scilicet alludens intonsis quondam ejus capillis, quos longa carceris custodia nutrivit, quia videlicet Nazaræorum est pro voto servare crines (*Num.* VI), et hoc illi pro Nazaræo, id est, consecrato recte imputari debet, quia pro sacra castitate hoc passus est. Porro Nazaræus revera Dominus noster Jesus Christus inter fratres suos est, sanctus quippe sanctorum est, cujus in vertice universæ complentur benedictiones patris sui, *benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ*, id est, jugiter parientis et lactantis Ecclesiæ, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil.* II). De isto namque sive de capite ejus Propheta dicit in psalmo : *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso* (*Psal.* XX).

B

C

D

CAPUT XXXVIII.

De benedictionibus Benjamin.

Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. Elegantissima transfigurationum proprietas. *Catulus leonis Juda : Benjamin* autem *lupus rapax.* Ille rex, iste armiger. Ille exspectatio gentium, iste vorator gentium. Manifesta quippe de Paulo apostolo prophetia est. Quemadmodum Juda Christus, quia de tribu Juda erat nasciturus, sic Benjamin Paulus, quia de tribu Benjamin **165** erat assumendus. Ipse enim dicit : *Nam et ego Israelita sum de semine Abrahæ, de tribu Benjamin* (*Rom.* XI). Item : *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octava die ex genere Israel, de tribu Benjamin* (*Philip.* III). *Benjamin lupus rapax.* Hoc certe malum erat. Sed audi quod sequitur : *Mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Si malum erat lupum rapacem esse, et mane prædam comedere, bonum sit vespere spolia dividere. *Mane lupus rapax prædam* comedebat ; nam in adolescentia *persecutor, et blasphemus, et contumeliosus* (*I Tim.* I), quoscunque invenire poterat *hujus viæ viros ac mulieres, vinctos ad principes* perducebat (*Act.* IX). Sed *vespere*, id est usque ad finem vitæ suæ dividet *spolia* sua, sacra scilicet evangelicæ prædicationis eloquia, de quibus Psalmista : *Lætabor*, inquit, *ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (*Psal.* CXVIII). Hebræi, quia Paulum nesciunt et a veritate longe sunt, hoc ita edisserunt : Altare, quo immolabantur hostiæ et victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte Benjamin fuit. Hoc ergo, inquiunt, significat quod sacerdotes mane immolent hostias, et ad vesperam dividant ea quæ sibi a populo ex lege collata sunt. Lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris expositione ponentes, et spoliorum divisionem super sacerdotibus, qui, servientes altari, vivant de altari.

CAPUT XXXIX.

Cur dicatur : « Hi omnes in tribubus Israel duodecim, » cum duo filii Joseph additi sint.

Et hi omnes in tribubus Israel duodecim, subauditur patres et principes sunt, id est de singulis horum singulæ tribus exortæ et denominatæ sunt, et sunt tribus duodecim. At vero istis Ephraim et Manasses appositi sunt, dicente patre ad Joseph : *Duo igitur filii tui, qui nati sunt in terra Ægypti, antequam venirem huc ad te, mei erunt : Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon, reputabuntur mihi* (*Gen.* XLVIII). Cur ergo non jam quatuordecim, sed tantummodo duodecim computantur tribus Israel? Sed sciendum quod ubi Simeon et Levi numerantur scilicet in propria generatione carnis, Ephraim et Manasses, qui adoptivi filii sunt, numerari non possunt. Et econtrario, ubi Ephraim et Manasses inseruntur, videlicet in possessionibus, propriisque tribuum singularium funiculis, Simeon et Levi re-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lecti sunt, isti enim proprios, ut superius jam dictum est, funiculos non consecuti sunt, sed in omnibus sortibus paucas urbes habuerunt, juxta patris prophetiam dicentis: *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Itaque quocunque respicias, sive ad funiculos distributionis, sive ad proprietatem generantis, duodecim tantummodo sunt tribus Israel. In Apocalypsi Joannis, Dan qui natus fuit filius Israel relinquitur, et qui adoptatus fuit Manasses assumitur (*Apoc.* VII). Item Ruben qui natus fuit, licet parvus, numero assumitur, et Ephraim adoptatus quamvis multiplex relinquitur (*ibid.*), ad insinuandum videlicet quod ad consequendam hæreditatem pro qua signamur in frontibus nostris signaculo Dei vivi, neque soli nati, neque soli adoptati filii Israel, id est, neque soli qui ex Judæis, neque soli qui ex Græcis, sed communiter tam ex his quam ex illis assumuntur vel reprobantur, quos vel fides commendaverit, vel infidelitas reprobabiles fecerit.

CAPUT XL.

Cur de sacerdotio Aaron et Levi nil meminerit.

Benedixitque singulis benedictionibus propriis, et præcepit ei dicens: Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, etc. Hic item quæritur, cum singulis benedixerit benedictionibus propriis, cur de sacerdotio Aaron in tribu Levi, quod in illa gente sanctissimum atque celeberrimum fuit, nullam mentionem fecerit. Nam et si recte dicit, *Simeon et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilio illorum ne veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum*, etc. Attamen filii Levi postea in ultionem vituli laudabiliter arma corripuerunt, et proinde illis dictum est: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio* (*Exod.* XXXII). Hoc ergo quæritur cur illud sacerdotium in benedictionibus suis pater omiserit, nullamque Levitici prædicaverit laudem ministerii? Ad quod primo dicendum quia de novissimis diebus se annuntiare professus est, illud autem sacerdotium, sive ille Leviticus ordo ad istos novissimos dies, ad istos fines sæculorum non pertinet. Deinde et hoc sciendum quia sacerdotium Aaron non pro benedictione datum, sed pro significatione benedictionis fuit concessum. Nec illa sacrificia taurorum, aut vitulorum, seu arietum et hircorum, non a Deo jussa fuere, sed permissa, sicut et prophetæ testantur (*Hebr.* VII; *Psal.* XXXIX, XLIX), quod suo loco dicendum erit plenius. Cæterum verum sacerdotium secundum ordinem Melchisedech in tribu Juda Christo fuit repositum, dicente David: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Et si recte perspiciens, hic idem pater in benedictionibus Judæ de isto non tacuit, dicendo: *Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum.* Lavare quippe vino stolam, et sanguine uvæ pallium suum, id est, dare pœnitentiam et remissionem peccatorum per sanguinem suum, veri et unici sacerdotis officium est. Sane quod dicit: *Ego congregor ad populum meum*, id est descendo ad inferos, ubi Salvatorem, qui mittendus est et qui erit exspectatio gentium, universus exspectat, donec veniat, populus sanctorum. De cura quam habet sepeliendi corporis sui, jam superius dictum est.

CAPUT XLI.

Quod Joseph patrem defunctum cum planctu magno sepelierit in terra Chanaan.

Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes super lectulum et obiit, appositusque est ad populum suum. (CAP. L.) *Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris, flens et deosculans eum*, etc. Hanc omnem curam pro mortuo habitam, quod patri filius pias impendit lacrymas, quod præcepit servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem, quod celebratis exsequiis, planctu magno atque vehementi sepelivit eum *in terra Chanaan, in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ad Ephron Hetheo, contra faciem Mambre*; hæc, inquam, omnia paternæ curæ officia a Joseph exhibenda divinum oraculum brevi consolationis responso promiserat ipsi Jacob, *Joseph* quoque inquiens **166** *ponet manum suam super oculos tuos* (*Gen.* XLVI). Quod ille pro magno accipiens: *Jam lætus*, inquit, *moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo* (*ibid.*). Porro quod flevit eum Ægyptus septuaginta et aliis septem diebus, non imitandum exemplum est eis qui se peregrinos et hospites super terram esse profitentur, qui hic manentem non habent civitatem, sed futuram inquirunt (*Hebr.* XIII). Nam quod filii quoque Israel Moysen et Aaron tricenis diebus flevisse dicuntur in Scripturis (*Num.* XX; *Deut.* XXXIV), hoc ex Ægyptia consuetudine populo nondum erudito supererat, deinceps quippe melioribus paulatim assuefactus, ab illa superstitione desivit, Scriptura dicente: *Modicum plora super mortuum, sciens quoniam requievit* (*Eccli.* XXII). Planctus autem, aut fletus in hujusmodi non semper proprie dicitur; sunt namque et ludi funerei, qui planctus nomine significantur. Cæterum veri tantum planctus, et veri fletus viris dignis mediocriter exhiberi conceduntur. Unde et quidem Sapiens dicit: *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpusillius, et non despicias sepulturam illius, et sic luctum super meritum ejus, uno die vel duobus* (*Eccli.* XXXVIII). Nec mirum Ægyptios ita flevisse planctu magno atque vehementi, ut etiam nomine locus exinde signaretur. *Appellatusque est Planctus Ægypti.* Nam et Flaccus dicit, quia

> ..... qui conducti plorant in funere, dicunt
> Et faciunt..... plura dolentibus ex animo.....
>
> (HORAT. *De art. poet.* vers. 431.)

Non quidem Joseph vir sapiens Ægyptios conduxit aut postulavit ut flerent, sed dum aliud intendit, hoc etiam ex abundanti sibimet sponte occurrere permisit. Quid enim intendit, dicendo ad familiam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Pharaonis : *Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis, eo quod pater meus adjuraverit me, dicens : En morior, in sepulcro meo quod fodi in terra Chanaan sepelies me. Ascendam igitur et sepeliam patrem meum, ac revertar.* Hoc utique intendit, ut, in transferendo patrem, vitaret invidiam, præcludendo os obloquentium, qui forte dicerent « quia non diligit terram nostram. » Nec frustrata est hujus humilitatis providentia ; non solum enim hanc invidiam, non solum iram Pharaonis evasit, sed ita omnes in gratiam ejus sunt locuti, ut insuper irent *cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu, haberetque in comitatu currus et equites,* fieretque *turba non modica.* Igitur sicut prudenter benevolentiam quæsivit, sic et exsequias Ægyptias sapienter admittere debuit, nihil nocituras sancto proposito peregrinationis, in qua illud potius flendum est, quia incolatus suus prolongatur eis (*Psal.* CXIX), a quibus melior patria, melior civitas speratur.

A

B

C

CAPUT XLII.

De clementia Joseph qua fratribus suis indulsit, et quod ipse quoque de transferendis ossibus suis mandaverit.

Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis malum omne quod fecimus, mandaverunt ei : Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut tibi hæc verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, etc. Ingenitæ clementiæ laus est, quod auditis verbis fratrum suorum dicentium : *Nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc, flevit Joseph.* Sanctissimum et optimum donationis vel remissionis genus hoc est, ubi illis qui peccaverunt non flentibus, sed tantummodo confitentibus, solus ille flet qui peccatis offensus indulget, et adorantibus pro indulgentia pias quoque reddit lacrymas cum venia. Attamen ubi mulcet pietas, illic pariter pungit veritas, ne sic de remissione ejus qui læsus est fratres gaudeant, quatenus a sollicitudine judicii Dei mentis oculos claudant. *Nolite,* inquit, *metuere. Num Dei possumus resistere voluntati?* Hoc plane pietatis est. *Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in præsentarium cernitis, et salvos faceret multos populos.* Hoc asperæ veritatis est. Utile omnibus qui præsunt hinc exemplum sumendum est, ut cito quidem in se peccantibus dimittant, et insuper bona pro malis retribuant, sed de Dei judicio peccatores nimium securos esse non sinant. *Vixitque centum decem annos, et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem.* Ad fortitudinem paternarum benedictionum, inter quas et benedictiones edixit uberum et vulvæ, et de quibus ait : *Benedictiones patris tui confortatæ sunt* (*Gen.* XLIX), hoc referri debet, quod vidit Ephraim progeniem usque ad tertiam, et quod *filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph,* id est quod natos filios Machir nutritio affectu gestavit in genibus suis proavus Joseph. Sic et illud matris ejus Rachelis dictum accipiendum est : *Ingredere ad famulam meam, ut pariat super genua mea* (*Gen.* XXX), id est, ut quod pepererit illa ego adoptatum gestem, sicut mater super genua mea. Et hic quoque de transferendis ossibus suis mandavit : *Post mortem meam,* inquiens *Deus visitabit vos, et ascendere faciet de terra ista : asportate vobiscum ossa mea de loco isto.* Quod fecit et Moyses, sicut scriptum est in Exodo (*Exod.* XIII). Non tamen eodem sepulcro cum patribus suis Abraham, Isaac et Jacob conditus est in Hebron, sed in Sichem, quam, ut supra dictum est, dedit Jacob absque sorte tribui Joseph, et ibi mausoleum ejus usque hodie cernitur.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN EXODUM COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

(Exod. cap. I-XI.)

167 CAPUT PRIMUM.

Continuatio præcedentis libri Geneseos, et sequentis Exodi, et quod Pharao diabolum, agnus vero paschalis Christum præfiguravit.

Qua causa, vel quo ordine intraverit Israel in Ægyptum, et Jacob accola factus sit in terra Cham, præcedentis libri Geneseos extrema parte narratum est, scilicet quia « vocavit Dominus famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit ; sed præmisit ante eos virum, » non pro meritis ipsorum,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nam « in servum venundatus est Joseph, et humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrumque pertransiit animam ejus, » patienter sustinentis spemque suam in Deo ponentis, « donec veniret verbum ejus. » Tandem venit, et « eloquium Domini inflammavit eum, » tanquam lucernam celso candelabro dignam, lumenque ejus clarescere cœpit ab interpretatione somniorum. Proinde « misit rex et solvit eum, misit princeps populorum et de carcere dimisit eum (*Psal.* CIV). » De compedibus expedivit eum, dicensque: Num invenire potuimus virum qui Spiritu Dei plenus sit? « constituit eum dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret, » deinde, juxta conjectoris veritatem, « vocavit Dominus (ut jam dictum est) famem super terram, et ob hoc intravit Israel in Ægyptum (*ibid.*), » et « habitavit in terra Gessen, et possedit eam, auctusque est et multiplicatus nimis (*Gen.* XLVII). » Hæc, inquam, præcedentis libri extrema parte narrata sunt. Deinceps sequentis hujus libri Exodi primæ partes illud continent, quia « convertit cor eorum ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus, et quia misit Moysen servum suum Aaron quem elegit ipsum, posuitque in eis verba signorum suorum (*Psal.* CIV). » In his et in cæteris, uti positum est atque inceptum, litteram cursim vellicabimus, et quæ intrinsecus condita sunt mysteria Christi Filii Dei, diligenter pro posse, ipso adjuvante, proferre integra fide conabimur. Primo omnium fere nemo est qui nesciat Pharaonem illum regem novum « qui ignorabat Joseph » diaboli gessisse typum; paschalem agnum qui immolari jussus est, Christum Dei Filium; Ægyptum, hunc mundum; transitum filiorum Israel per mare Rubrum, Christi præsignare baptismum. Igitur ut ad hæc recto proficiscamur ordine, altius recurrentes, quæramus et illud, quid significet introitus filiorum Israel in Ægyptum, ut sicut exitum, sic et introitum in figuram contigisse sciamus omnium peregrinorum, cœlestem patriam incolatu præsenti exspectantium.

CAPUT II.

Quod ille Israel universos electos, et ille Ægyptus hunc significavit mundum, in quo omnes electi peregrinantur.

Universo Israeli, beatæ genti, et populo « quam elegit Dominus in hæreditatem sibi (*Psal.* XXXII), » primum justitiæ ac salutis instrumentum est scire et confiteri quod suam ob culpam, in hoc exsilium projectus sit, procul a facie Dei, longe a terra viventium, in qua debuit videre bona Domini (*Psal.* XXVI), per solam autem gratiam fieri quod quandoque eripitur de præsenti sæculo nequam, et transfertur in regnum Filii dilectionis Dei. Verum hujus confessionis scientiam Israel idem non apprehendisset, nisi similitudinis extrinsecus accidentis introductione ad intellectum justitiæ profecisset. Ut ergo similitudo idonea parvulis introducendis non deesset, factum est ut ille particularis sive carnalis **168** Israel intraret in Ægyptum, tali causa vel ordine, ut suæ culpæ fuerit, quatenus intraret; Dei autem gratiæ, quatenus inde liberatus exiret. Ecce enim quærenti cur factum sit ut intraret ille in Ægyptum, si respondeas, quia Deus ita fieri voluit, verum quidem est quod dicis, sed minus quam veritas habet responsum tuum comprehendit. Restat enim adhuc quæri cur ita voluerit Deus. Deus nempe justus est, et nihil est quod sine ratione velit aut jubeat fieri. Prosequente ergo rationis inquisitione, responderi oportet idcirco Deum hoc voluisse, quia domus Israel peccavit, fratrem enim suum in servum vendidit. Ob hoc juste Deus illud voluit, propter hoc famem vocavit, et illi tanquam duro exactori reos suos juste tradidit, ut abi geret in Ægyptum, in illud ergastulum quo præmi serant fratrem suum. Sane pater Israel liber a culpa fuit, idcirco præeunte ac subsequente consolatione intravit. Audivit enim Deum patris sui Isaac, per visionem nocte vocantem se et dicentem sibi: « Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere, et descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Joseph quoque ponet manum suam super oculos tuos (*Gen.* XLVI). » Ita ille quia sine culpa, idcirco cum gratia intravit; domus autem ejus, quia culpam admisit, sub virga districtionis coercenda juste ad ergastulum nesciens ambulavit. Itaque Dei justitiæ fuit quod populus ille serviturus in Ægyptum intravit; gratiæ vero, ut prædictum est, quod illum Deus eduxit. Acta igitur in parte res est, quæ universitatis parabola existeret, id est, cujus ex similitudine plenius erudita universa « generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob (*Psal.* XXIII), » in initio justificationis suæ semetipsam accusaret, claroque concentu hinc suæ culpæ, inde divinæ confessionem justitiæ decantaret. Tunc etenim Israel terram fluentem lac in promissione accepit, quando « tulit Deus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, » proposita conditione hac, « ut operaretur, » subauditur, obediendo præcepto Dei, et ita « custodiret eum » sibi (*Gen.* II). Tunc autem inter comedendum idem Israel fratrem suum vendidit in Ægyptum, quando ille « in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V) » per gustum cibi vetiti semetipsum venundedit diabolo. De qua venditione per prophetam Deus inclamans: « Gratis, inquit, venundati estis, » et gratuitam continuo liberationem promittens subjungit, « et sine argento redimemini (*Isa.* LII). » — « Vocavit igitur Dominus famem super terram, ut Israel intraret in Ægyptum (*Psal.* CIV), » quando dixit Adæ: « Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III), » et, præscripta sententia hac, emisit eum in hujus mundi exsilium. Hæc enim habitatio recte dicitur Ægyptus, quod vocabulum in *tenebras* vertitur, quia tenebræ hic sunt ubi Deus non videtur. Ibi Pharao novus Ægypti rex; hic diabolus novus regii nominis adulter, imo vetus tyrannus, tenebrarum princeps. Ibi Ægyptii odientes Israel; hic « principes et pote-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

states mundi, rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ in cœlestibus, contra quos, juxta Apostolum, nobis colluctatio est (*Ephes.* VI). » His ita præmissis, deinceps sequentia liberatricis gratiæ mysteria, secundum Scripturæ hujus ordinem, sunt pertractanda.

CAPUT III.

De nominibus filiorum Israel, quod recte initio ejusdem libri præscripti sint.

(CAP. I.) « Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob; singuli cum domibus suis, et uxoribus introierunt. Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, Zabulon, et Benjamin, Dan, et Nephthalim, Gad, et Aser. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta. Joseph autem in Ægypto erat. » Hoc libri principium, et si ad solam litteram species, periti historiographi laudem egregiam possidet, qui quod in præcedenti libro latius dixerat, hoc ipsum breviter hic repetere idoneum ratus est. Poterat enim ab eo, quod continuo sequitur, ordiri sic : « Joseph mortuo, et universis fratribus ejus omnique cognatione sua, filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. » Essetque hujusmodi principium fini præcedentis libri satis cohærens atque contiguum. Sed voluit libri hujus corpus exhibere integrum. Idcirco caput præmisit eximium, nominibus scilicet filiorum Israel, qui introierunt in Ægyptum, veluti quibusdam stellis illustratum. Hæc plane capitis illustratio, tam pro historiæ quam pro allegoriæ digna exspectatione, valet, quia videlicet quorum, sive secundum litteram, sive secundum spiritum, in hoc libro continetur exitus de Ægypto, recte eorumdem introitus præsentatur in principio. Digne igitur in foribus collaudato fabricæ architecto, jam gradiamur intus, et hanc domum perspiciamus Scripturæ latissimæ, quam exstruxit refertam thesauris cœlestibus.

CAPUT IV.

Quod Pharao in eo etiam similis fuerit diabolo, quod perversa sollicitudine dixit : « Ecce populus, » etc.

« Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, et ait ad populum suum : Ecce populus filiorum Israel multiplicatus et fortior nobis est : Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur e terra. » Hic nempe si prudenter legas, necessario subintelligis, filios Israel solitos fuisse suspirare ad terram, quæ patribus eorum repromissa fuerat. Hoc auditum a patribus, venientibus filiis spem verbosam auscultantibus, Ægyptiis iracundam excitabat invidiam. Bene ergo rem aperit dum præmisso, « ne si ingruerit contra nos bellum, » non addidit expugnatis nobis obtineat terram, sed « egrediatur e terra. » Porro novus spiritualiter Ægypti rex, qui sic sollicitus est, et sic loquitur, diabolus est, rex Ægypti, id est tenebrarum princeps, rex, inquam, Ægyptiorum, id est omnium superborum, A Domino ad beatum Job dicente : Quia « ipse est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI). » — « Ecce, inquit, populus multiplicatus et fortior nobis est, » etc. Hoc iratus dixit, quia vidit et doluit, per fraudem suam non perire benedictionem potuisse Creatoris, quia in electorum prædestinatione primis parentibus nostris benedicens, inquit : « Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam (*Gen.* I). » Nam de reproborum luxuriante propagine postmodum dixit ad mulierem seductam : « Multiplicabo
169 ærumnas tuas, et conceptus tuos (*Gen.* III). » Verum quantacunque invidia locutus sis, diabole, hoc verum dixeris, et hoc sine mendacio locuti sunt omnes Ægyptii satellites tui, quia multiplicati et fortior vobis populus sumus, et si ingruerit, imo dudum ingruit contra vos bellum, principe belli Christo, Filio Dei, suæ crucis attollente vexillum, addimur inimicis vestris, scilicet sanctis ac beatis angelis, quibus fortioribus caduca terga vertistis fugiendo, expugnatisque vobis, egredimur e terra, quia cœlum nos exspectat.

CAPUT V.

De eodem, et quod inter oppressiones Pharaonis filii Israel creverunt, similiterque inter diaboli infestationes electi Dei proficiunt.

« Venite, inquit, sapienter opprimamus eum. » Hoc dixit : « Præposuitque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus. » Subauditur, ut non sineret eos conjugales complexus inire filiosque procreare, labore, vel injuria, voluptatis oblivionem afferente. « Ædificaverantque urbes tabernaculorum Pharaoni Phithon, et Ramesses. » Hoc agebat naturæ hostis demens et inefficax, qui, quasi sole æstivo, radices arborum, ne in flores aut poma prorumperent, exurere certabat. Æstu namque laboris operosi naturæ radix non arescit, sed potius, post laborem, cibi, potusque ac somni avidior fit ; quibus rebus voluptas non emori solet, sed refota gliscere et prorumpere gestit. Frustra igitur sic invidia pugnabat, præsertim ubi cœli ros et terræ pinguedo, id est, Dei et patrum benedictio sterilem esse Israelem non sinebat. Sequitur ergo : « Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. » Et continuo : « Oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes, » etc. Notandum valde est quid de hoc Psalmista senserit. Nam, cum dixisset, « et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus, » ita subjunxit, « Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus et dolum facerent in servos ejus (*Psal.* CIV). » Quid enim ? Nunquid hoc dicendo odientes Ægyptios justificat, aut odium eorum excusat ? Non utique. Sed nimium peccatores fuisse indicat quos tales Deus inveniret, ut ex conspectis beneficiis suis cor eorum in odium servorum suorum converteret. Non enim sic intelligendum est quod cor eorum de bono converterit in malum, quod de corde bono cor fecerit malum, sed sic : « Convertit cor eorum in odium, » quemadmodum sol molle lutum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

convertit in durum. Sed de hoc alias ubi Deus loquitur : « Ego indurabo cor Pharaonis et servorum ejus (*Exod.* XVII, 9). » Hic illud dixisse sufficiat, quod lutosam illorum gratiam, in qua dudum Israel exceperat propter Joseph, felicium advenarum ita splendor ussit, ut in odii duritiam converteret, et unam et meritam illis pœnam Deus retribueret, ut quia, non solum non compatiendo, verum etiam illudendo affligebant eos : idcirco, quemadmodum illa luti et lateris opera prius mollia, deinde coquenti igni fiebant dura, sic eorum corda paulatim æterna indurarentur impœnitentia. Nunc ad illum Pharaonem et illos Ægyptios sermo redeat, de quibus nos Christi gratia liberavit. « Venite, inquit, sapienter opprimamus eum, » etc. Hujus sapientis et sapienter opprimentis quam gravia sint onera, quibus humanum genus afflixit, jamdudum præsentiscere cœpimus, ex quo vocem audivimus, in Evangelio suo, sic dicentis Liberatoris : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum, » etc., usque ad « onus meum leve (*Matth.* XI). » Nam antequam hoc dixisset, nos laborem nostrum nesciebamus, imo peccati oneribus delectabamur, sub quibus et animæ sensum vitæ exspiraverant, et corpora nostra instante mortalitate languebant. Tot autem juga sunt servitutis illius quot vitia, tot onera quot peccata, quæ persequi nimis longum et difficile, imo impossibile est. Hoc tantum dixerim, quia ex quo intravit Israel in Ægyptum usque ad vespertinam immolationem agni, id est, ex quo Adam de paradiso cecidit, usque ad passionem Christi Filii Dei, « non cessavit ille exactor, non quievit tributum, non solutum est jugum dominantium (*Isa.* XIV). » Nam ex tunc facta est pax, reddita libertas, nec enim, ut ante, ita nunc agit quidquam pro imperio, verumtamen ut latro insidiosus post nos incedit, et invidus insectatur liberatos, vacuas esse gemens urbes quas ædificavimus illi Phithon, quod interpretatur *os abyssi*, unde nos Christus eduxit, et Ramesses, quod interpretatur *de tinea*, a qua medicus ille capita nostra purgavit.

CAPUT VI.

Quod rectissime Pharao similis diabolo prædicetur, in eo quoque quod ait : « Si masculus fuerit, interficite, » etc.

« Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis : Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite illum ; si femina, reservate. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares, » etc. Et si merito quorumlibet visibilium inimicorum Israel nominibus sancta Scriptura utitur, quoties contra spiritualia nequitiæ invehitur, verbi gratia, cum dicit Psalmista : « Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus te testamentum disposuerunt tabernacula, » etc., usque « in adjutorium filiis Lot (*Psal.* LXXXII), » multo magis Ægyptiam justissime isto modo infamat nequitiam, diabolicam scilicet in Pharaonem regem Ægypti et in servos ejus transfigurando superbiam. Exempli causa, hæc dicit Dominus in Ezechiele : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum ; et ponam frenum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt, et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui (*Ezech.* XXIX), » etc. Ecce enim Pharao, vel Ægyptus primo loco contra Israelem, diabolum imitatur in tribus, imo in quatuor scelcribus suis, secundum scelera super quibus, juxta Amos prophetam, Damascum, Gazam, Azotum, Tyrum, cæterosque finitimos hostes Israel non convertere se profitetur Deus (*Amos.* I). Primum sceluş Pharaonis est quod hoc intendit opprimendo filios Israel, quatenus, voluptate generandi emortua, filii non procrearentur. Secundum, quod obstetricum dolo agere nititur, ut nati parvuli clam interimantur. Tertium cum aperta sæviens persecutione præcepit omni populo suo, dicens : « Quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen projicite, quidquid feminei, reservate. » Quartum, quod mandante sibi Domino ac dicente : « Filius meus primogenitus Israel, dimitte filium meum ut serviat mihi (*Exod.* IV), » at ille superbe respondit : « Quis est Dominus, ut audiam vocem **170** ejus, et dimittam Israel ? Nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* V), » et his similia. Merito ergo in Scripturis, merito in ore totius Ecclesiæ pro diabolo Pharao decantatur, et per Pharaonem diabolus intelligitur, ad gloriam Christi cujus victoria de tali Pharaone liberati sumus. Etenim ille est qui hoc egit ab initio, quantum in se fuit, ut nullus Israelita verus verbo prædicationis spirituales Deo filios gigneret, deinde ut nascentes ejusmodi parvulos, obstetricante hæretica malignitate occideret, tandemque cassatis artibus, aperta persecutione armatus est, ut in illa flumina filios gratiæ projiceret de quibus Psalmista : « Elevaverunt, inquit, flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam (*Psal.* XCII), » etc., magnas et apertas persequentium inimicorum significans tempestates. Et notandum quod hic quoque spiritualis Pharao masculinum magis quam femineum sexum odit, ea videlicet discretione, quam observans vir sapiens dicit : « Melior est iniquitas viri, quam bene faciens mulier (*Eccl.* XLII). » Vir namque pro virtute est, is qui præest vel regere potest. Mulier vero, quæcunque anima pro imperfectionis suæ mollitia, quia deceptibilis est, rectore indiget, et sine disciplina si fuerit, fit opprobrium in Israel. Porro ejusmodi viro accidens iniquitas, augendæ virtutis occasio fit, sicut David (*II Reg.* XII). Mulieris autem ejusmodi bene factum si claruerit coram hominibus, cito illud levis ventus humanæ gloriolæ tollit, et si monitor desit vir, hoc ipsum qualecunque

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sit, cessat fieri, vertiturque in apostasia. Sapiens ergo hic Pharao talem virum odit et jubet interimi, certus quod talem feminam viro destitutam, consentientem sibi adulterare possit.

CAPUT VII.

De mendacio obstetricum, et qualiter benefecerit eis Deus, quia timuerunt Deum.

Timuerunt, inquit, obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares, etc. Hic importune nimis de mendacio disputatur, quod non justificari possint obstetrices mentiendo, dicentes : « Non sunt Hebrææ mulieres sicut Ægyptiæ. Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt. » In tempore namque parientibus aderant, de quibus dictum est, quia « conservabant mares. » Quod quisquis pro culpa objicit, restat ut Rahab meretricem mendacii redarguat, quæ tollens duos exploratores, quos Josue miserat, abscondit et quærentibus ait : « Fateor, venerunt ad me, sed ego nescieham unde essent. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt. Persequimini cito, et comprehendetis eos (*Jos.* II). » Ergo qui obstetrices pro tot infantibus servandis mentientes accusant, consequitur ut multo magis pro duobus hominibus liberandis mentientem non justificent Rahab, quam et prophetica simul et evangelica justificat auctoritas. In Evangelio namque Christi mater assumitur et parens veritatis, quæ Christus ipse est, quia sic mentita est Rahab. « Salmon quippe genuit Booz de Rahab (*Matth.* I). » Et Propheta de eadem in typum Ecclesiæ de gentilibus præcinit : « Memor ero Rahab et Babylonis (*Psal.* LXXX). » Apostolus autem usque adeo nullam omnino veritatem charitati præponit, ut optet ipse anathema esse a Christo, qui, subauditur, veritas est pro charitate, id est pro fratribus suis, qui sunt cognati ejus « secundum carnem, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX). » Prædixerat enim quia « neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei (*Rom.* VIII). » Nullas igitur quasi mendacii tenebras adscribamus lucido charitatis operi, ubi sic homicidam impium fefellerunt ut vitam reservarent hominum, præsertim cum Deus hoc ipsum laude et remuneratione dignum duxerit, Scriptura continuo dicente : « Bene igitur fecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos, » subauditur, æternas ; æternum quippe est quod Deus ædificat.

CAPUT VIII.

De ortu atque elegantia Moysis.

(Cap. II.) « Egressus est post hæc vir de domo Levi, accepta uxore stirpis suæ, quæ concepit, et peperit filium. Et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, » etc. Principio dicendum quia non factum est de omnibus impium regis imperium dicentis : « Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite, quidquid feminei, reservate. » Alioquin quomodo alius ante hunc elegantem infantulum, scilicet Aaron evasit, triennio natus ante eum ? Nempe cum dictum sit, quia *post hæc*, subauditur impii regis edicta, vir ille de domo Levi egressus est et accepit uxorem, sine dubio et Aaron *post hæc* eadem natus fuit, siquidem una eademque uxor illi, sicut alio loco Scriptura testatur, « peperit Aaron, Moysen et Mariam (*Exod.* VI). » Quod autem triennio senior Moyse Aaron fuerit, manifestius postmodum scriptum est hoc modo : « Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta tres quando locuti sunt ad Pharaonem (*Exod.* VII). » Sed et parvulos, et viginti annorum juvenculos, in exitu suo filii Israel habuerunt. Claret igitur quod non impletum est universum nequam regis præceptum, alioquin non fuisset in exitu Israel de Ægypto vir inter eos infra ætatem octoginta annorum, neque ante Moysen quidem, sed neque post illud regis præceptum evasisset Aaron. Proinde littera præsens diligentius intuenda est. Sic enim videtur significare quod, cum omnes infantuli projicerentur, mater hujus, propter elegantiam studiosior facta, tribus eum absconderit mensibus ut saltem hic servaretur aliis pereuntibus. Verum huic sensui, quæ prædicta est evidentissima ratio refragatur. Potius ergo illud constat, ne propter elegantiam ejus quæ jam ardere cœperat, magis inflammaretur invidia : etenim breviter quidem et parce de semetipso loquens Moyses dixit, infantem se esse elegantem (*Exod.* II) ; sed revera tanta fuit elegantia, quanta divinum illum splendorem præsignari decuit, quo postea facies ejus ex collocutione Dei splendida facta est (*Exod.* XXXIV). Neque enim elegantia studiosa nato mox infantulo inesse potuit. Notandum deinde quod ubi obstetrices Deum timentes in sancta Scriptura nominatas esse jure voluit, pro eo quod charitatem utilem præponere vero inutili, dixit enim mox, « quarum una vocabatur Sephora, » quod interpretatur *pulchritudo*, sive *placens*, « altera Phua, » id est, *perfectio*, illic patrem et matrem nominibus suis non expressit, ita dixisse contentus : « Egressus est post hæc vir de domo Levi accepta uxore stirpis suæ. » Verum tamen alibi, non quidem amota hac humilitate ; sed observata lege historiæ, et nomen patris Amram, quod interpretatur *populus excelsus*, et matris suæ nomen ponit Jocabed, quod interpretatur *ubi est gloria mea*, sive *est gravis*. « Quæ peperit ei, inquit, Aaron, Moysen, et Mariam (*Exod.* VI), » quorum Aaron mons fortitudinis, sive **171** *mons fortis*, quod nomen utique dignitati sacerdotii congruit, Moyses *sumptus ex aqua*, sive *assumptio*, quod a causa legis quæ per eum data est non discrepat, de divinæ namque Sapientiæ abundantia sumpta est, Maria vero *illuminatrix*, ut *stella maris* : prophetia, namque, quæ per illam signi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cata est, et nos illuminat, et nostro mari, id est, huic sæculo stella est, ubi attendimus illi « tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucescat dies et lucifer oriatur in cordibus nostris (*II Petr.* I). »

CAPUT IX.

Quid præsagierit quod infantulus, in fiscella positus et a filia Pharaonis inventus, matri suæ nutriendus traditus sit.

« Sumpsit, inquit, fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, » subauditur in papyrione. Sic enim deinde de filia Pharaonis subditur : « Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, » etc. Quantum ad litteram fugitiva matris pietas, et dolenda insinuatur sedulitas, verumtamen non sine fide et spe, qua tutori Deo pupillum suum committebat, in quo gratiæ ejus elegantia præfulgebat, magnum quidem cœli civem, sed in terra nimie peregrinantem. Scirpus namque genus aquosæ genestæ est, sine nodo; papyrus levis canna, de qua Lucanus sic inquit :

Cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
(LUCAN. *Phars.*, lib. IV, 135.)

Bitumen autem contra sentinam aquæ tenacissimum præsidium est. Hoc ergo sategit, quantum potuit, quantumvis infans scirpeo cophino suaviter cubaret, et levi papyro conserta cymba sine pondere supernataret et bituminata sentinam omnem aquæ excluderet. Porro mystice totum administrandæ per illum Scripturæ præsagium est. Elegans quippe infantulus vili scirpo collocatur, quia futurum erat, eo scribente, ut elegantia spiritus vilitate litteræ tegeretur. Ipse papyrio scriptoris ejusdem futuri calamum præsignat, ituri cum impetu « fluminis, qui lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » contra illa vasa papyri, id est vasa scriptorum falsitatis, de quibus per prophetam dicit : « Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos suos in vasis papyri super aquas! » (*Isa.* XVIII.) Nec enim terra illa, scilicet diabolus sive Antichristus, in terreno corpore futurus (qui propter superbiam dicitur cymbalum alarum, id est accentus blasphemiarum) aliud mittit quam mendacium per legatos suos paganos, suos hæreticos in mare hujus sæculi, in suis vasis papyri, id est scriptoribus suæ partis, unde adversus Deum consistit, quo contra per hunc elegantem infantulum missurus erat Deus elegantiam veritatis. « Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi Hebræam mulierem, quæ nutrire possit infantulum? Respondit ei : Vade. Perrexit puella, et vocavit matrem ejus, » etc., et hoc futuri præsagium quod filia Pharaonis infantulum sic invenit, et tali nutrice alitum, sibi in filium adoptavit. Futurum erat quidem ut scholæ gentilium sanctarum complacerent elegantiæ Scripturarum, verbi gratia, Ptolomæo Philadelpho, qui, cum omnium Scripturarum utilium studio flagraret, leges quoque Dei per istum conscriptas, sibi in Græcum transferri summa instantia deposcens, accepit ab Eleazaro Judæorum pontifice septuaginta seniores, quibus ea interpretantibus relegens, oppido lætatus est. Nam quod hic egit, simile quodammodo fuit quod soror pueri, scilicet Maria, quæ procul stetit, præstolans eventum rei, matrem ejus vocavit, quæ et « Nutrivit infantem, et adultum tradidit filiæ Pharaonis. » Mater quippe sanctæ Scripturæ hujus lingua Hebræa est, quam ad interpretandum vel transferendum in Græcum evocare illa vera philosophia persuasit, ut prædictum est. Porro elegans infantulus eleganti prospiciens e cœlo, miserationis occursu exceptus est, ut matri suæ cui natus fuerat non periret, et aliam matrem præpotentem adoptandus inveniret, cujus auctoritate « omni quoque scientia Ægyptiorum, » ut in Actibus apostolorum legimus, eruditus est (*Act.* VII).

CAPUT X.

Quod Moyses Ægyptium quemdam de fratribus suis percutientem redarguit, et liberatorem suæ gentis se fore præscierit.

« In diebus illis, postquam creverat Moyses, egressus ad fratres suos, vidit afflictionem eorum, et virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis, » etc. : « Postquam creverat, » id est, per annos quadraginta. Sic enim Stephanus protomartyr in concione Judæorum orationem faciens loquitur : « Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel, et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum, et fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio (*Act.* VII), » Et qua fretus auctoritate id fecerit, continuo subsecutus, ait : « Æstimabat autem intelligere fratres suos quomodo Deus per manus ipsius daret salutem illis (*ibid.*). » Cum enim hæc dicit profecto illud significat quod Moyses gentis suæ liberatorem fore se presciret. « At (illi inquit) non intellexerunt; » id est intelligere noluerunt. Nam et continuo subsequitur : « Subsequenti vero die apparuit illis litigantibus, et reconciliabat eos in pace, dicens : Viri fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? Qui autem injuriam faciebat, repulit eum, dicens : Quis te constituit principem et judicem super nos? Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? » (*Ibid.*) Hanc unius negationem omnibus adscribit postmodum, dicens : « Hic est Moyses, quem negaverunt, dicentes : Quis te constituit principem et judicem? » (*Ibid.*) Et recte. Nam cunctis profitentibus uni negare non licuisset, præsertim pro omnibus, quia non dixit super me, sed « super nos. » Amplius autem injustam negationem exaggerans, inculcat, et replicat illum, « principem designans et judicem. » « Hunc, inquit, Deus principem et redemptorem misit, hic eduxit illos, hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine, cum angelo qui loquebatur

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ei (*Deut.* XVIII), » etc. Hæc et hujusmodi cur eorum attulerit, novissima exclamatione depromit : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? » Nempe subauditur, Moysen negaverunt, Samuelem abjecerunt, David de regno exturbaverunt, alios lapidaverunt, alios secuerunt, alios in occisione gladii interfecerunt (*Hebr.* XI). Tandem ita concludit, « et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus nunc vos proditores et homicidæ fuistis (*Act.* VII). » Igitur Moyses in exemplum hujus negatus est a dicentibus : « Quis te constituit principem et judicem super nos? » Videlicet quemadmodum negandus erat Justus a dicentibus : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX), » quemadmodum hic negatus a suis, abiit acquirere sibi Ecclesiam de gentibus, sic Moyses negatus fugit suos, et uxorem **172** accepit alienigenam de filiabus sacerdotis Madian. Porro talis egressus Moysi ad fratres suos, ut videret afflictionem eorum, illa negatio, quam Apostolus in catalogo patrum fide nobilium commemorat, recte esse dicitur, qui sic ait : « Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis habere peccati jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remuneraticnem. Fide dereliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis (*Hebr.* XI). » Unde hoc quod non veritus sit animositatem regis? Videlicet quia fugiens animum regis, non tamen armaturam deposuit zeli, eadem quippe justitia vel pietate septem filias sacerdotis Madian a pastoribus defendit, et oves earum adaquavit, qua et virum percusserat Ægyptium, eo quod percussisset quemdam de Hebræis fratribus suis, et qua nihilominus altera die Hebræos rixantes conspiciens, eum qui faciebat injuriam corripuit, unde « invisibilem » quem « tanquam videns sustinuit (*ibid.*), » hoc modo vel ordine videre meruit.

CAPUT XI.

De clamore filiorum Israel ad Dominum, et quod non vivente, sed Pharaone mortuo, vociferati sunt.

« Post multum vero temporis, mortuus est rex Ægypti, et ingemiscentes filii Israel, propter opera vociferati sunt ad Dominum. Ascenditque clamor eorum pro operibus, et audivit gemitum eorum, » etc. Quare dum viveret Pharao non ingemuerunt, non vociferati sunt filii Israel ad Dominum? Videlicet, quia nimietas oppressionis ingemiscere non sinebat, vociferari prohibebat. Hoc namque habet violenta tyrannorum vis, ut eis quos opprimunt liberationem optare pro crimine audaciæ vel contumaciæ sit. Et quidem gemebant prius afflicti Ægyptiis illudentibus atque ad amaritudinem vitam illorum perducentibus; sed differt utrum quis clunculo gemat tacitoque gemitu dolorem sub pectore consumat, an publico conventu in auditu quorumlibet clamosam in altum depromat querelam. Unde cuidam victo sub victoris potentia dictum est favendo :

O miseri, quorum gemitus edere dolorem!
Qui te non pleno pariter plausere theatro.

(LUCAN. *Phars.* VII, 43.)

Ergo et ante filii Israel gemebant quidem, sed non audebant gemere palam. Nunc autem quia mortuus est Pharao rex Ægypti, publicis conventibus gemuerunt, gemitumque in cœlum sustulerunt, ut ascenderet clamor eorum ad Dominum, qui et audivit gemitum eorum, et recordatus est, id est non oblitum se ostendit esse fœderis quod pepigit cum Abraham, et Isaac, et Jacob. Porro, juxta anagogen, morale est quod præsenti loco Scriptura intendit. Quandiu vivit Pharao, id est, quandiu regnat peccatum, regnat in mortali corpore, et non ingemiscit animus, neque ad Dominum vociferatur, sed libens et servitutis pessimæ laborem, vel contraria onera sentiens subigitur operibus duris luti ac lateris, omnique famulatui quo in terræ operibus premitur. Gemit quidem utcunque et suspirat, interdum etiam plorat. Sed differt utrum quis gemendo et plorando lotum lavet, an luti operibus abjectis melius propositum arripiat, et pro auxilio Dei fortiter in cœlum clamet, et si moriatur impius rex Ægypti, si juxta prophetam, « computrescat jugum a facie olei (*Isa.* X), » cessetque amor peccandi vera confessione Spiritus sancti, tunc ingemiscet Israel, et libere vociferatur, ascenditque ad Dominum clamor ejus, et audit Liberator gemitum ejus.

CAPUT XII.

Cur Deus apparuerit Moysi in flamma ignis potius quam in alia specie elementari, et quid significet quod rubus ardens non est combustus.

(CAP. III.) « Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui, sacerdotis Madian. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, » etc. Ordo verborum est : Filii Israel, ingemiscentes propter opera, vociferati sunt ad Dominum. Dominus autem audiens gemitum eorum, apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi, ubi pascebat oves Jethro soceri sui, Madiam sacerdotis. « Dixit ergo Moyses : Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. » — « Magnam, inquit, visionem videbo. » Vere magna fuit illa visio, et cunctorum per fidem videntium vocibus prædicatur hactenus in toto mundo. Et hujus causa visionis, si Deo illustrante animadversa fuerit, declaratio est operis subsequentis, et ipsa « intellectum dat parvulis (*Psal.* CXVIII). » Hoc ergo primum quærimus cur eo tempore, tali pro causa, Deus apparens homini, potius in flamma ignis quam in alia aliqua qualibet specie videri voluerit? Deinde quare rubus ardens non combustus sit? Deus invisibilis, qui nec loco circumscribitur, nec ullis sensibus corporis percipitur, quoties visibiliter hominibus apparet, rebus ipsis congruam assumit speciem, propter quas apparere dignatur. Quis autem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

visionis hujus magnæ subsequentes effectus fortissimos atque clarissimos fuisse nesciat? Nam etsi tunc non fuimus, attamen potentiæ vel virtutis Dei, quam tunc notam fecit claritas magna lucet nobis, et terribilium ejus miraculorum memoria mirabilis in oculis nostris est. Unde et hodie mirantes dicimus : « Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia (*Exod.* xv). » Item : « Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine (*ibid.*), » et his similia. Recte igitur in igne, quod elementum forte ac lucidum est, Deus hic apparuit, fortitudinem suam quodammodo præparans, cum dicit : « Ego scio quod non dimittet vos Pharao rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam (*Exod.* III). » Item ad Pharaonem : « Id- B circo autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra (*Exod.* IX). » Quare autem rubus non comburitur, et Moyses tanquam comburendus appropinquare prohibetur, nisi solvat calceamentum de pedibus suis? « Cernens enim Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi et ait : Moyses, Moyses. Quo respondente : Adsum, ne appropies, inquit, huc. » Et continuo : « Solve calceamentum de pedibus tuis ; locus enim in quo stas terra sancta est. » Hoc nimirum ita dixit, tanquam continuo comburi potuisset appropiando, nisi solvisset calceamentum de pedibus suis. At certe rubus non comburebatur, et virgultis quorum de medio lucebat sanctus ignis erat innoxius. Quid ergo hoc C sibi vult? Illud nempe quia « Deus noster ignis quidem consumens est (*Deut.* IV), » verumtamen igni elementario multum dissimilis iste ignis est. Ignis namque corporeus, quo in corporalibus administrationibus utimur, quod quartum mundi elementum dicimus, res ipsas comburit quibus continetur, procul autem positis innoxius est. Deus autem noster verus et perpetuus ignis, suam e contrario naturam vel potentiam exerit. Nam illis intra quos est non solum innoxius, verumetiam salutaris et clementissimus **173** est ; longe autem positis, et digne appropinquare nolentibus nimium damnosus existit, de quibus Psalmista dicit : « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). » D Quod in beata virgine Maria clarius atque conspicabilius est. Totus enim hic ignis, subauditur Christus Deus et homo, novem in utero ejus mensibus habitavit, et levem carnis vel animæ ejus stipulam sive fenum, non solum non combussit, verum etiam majore cum virginitatis honore gratiaque formati exinde hominis, quem assumpsit, perenniter illustravit. Et ad illud templum ignis æterni, quanto quis per fidem propius accedit, tanto decentius illo igne fulgescit. Nam e contrario quanto longius, sive Judæus, sive paganus, sive hæreticus absistit, tanto citius ut cera liquescit, cum ignis ille apparuerit. Hoc interim appropinquantibus nobis agendum est ut calceamenta non habeamus in pedibus, quæ sunt de mortuorum A animalium pellibus, id est, ut mortuorum mortifera et in peccatis suis morientium exempla non imitemur. Nam ille quidem corporaliter nudis pedibus accedere jussus est, quod est solemne humilitatis instrumentum, nobis autem hoc spiritualiter ita ut prædiximus agendum est, scientes quia Deus noster, ad quem accedimus, « non est mortuorum, sed vivorum (*Matth.* XII). »

CAPUT XIII.

De humilitate Moysi, qua jussus ire ad Pharaonem toties recusavit.

« Clamor filiorum Israel venit ad me undique, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum de Ægypto. » Notandum, quod cum dixisset, « clamor filiorum Israel venit ad me, » addidit « undique, » ut subaudias tam ab Ægyptiis opprimentibus, quam a filiis Israel ingemiscentibus. Utrinque enim venit clamor, sed modo valde diverso. Nam clamor filiorum Israel, tanquam defensorem et judicem ad iram provocantium ascendit ad Dominum. « Veni, inquit, mittam te. » Prius « veni, » deinde « mittam te » dixit. Hoc non leve est in ore Dei præsenti ac corporaliter astanti dixisse, « Veni. » Non, inquam, leve est, neque deinceps leviter actum, ut qui corpore Deo præsens aderat, animo quoque ad obediendum parato adesset. Palam est ex subsequentibus, quia nondum venerat, quo toties ire jussus fuerat. Primum dicenti, Veni, » continuo respondit : « Quis ego sum ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Ægypto? » Bonum quidem et imitatione dignum humilitatis exemplum est, Deo vocanti ad tantum tamque gloriosum ministerium dicere : « Quis ego sum? » ut pro conscientia vel æstimatione ipsius, subaudiatur nullus. Quapropter talem velut ex abrupto salientem ejus percunctationem placido vultu suscipiens Dominus Deus, « Ego, inquit, ero tecum, et hoc habebis signum quod miserim te. » Ac si dicat : Etsi tu nullus es, ego Dominus, qui Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob sum, « ego (inquam) ero tecum, » in ore tuo verba proferens, et in manu tua signa faciens ; ex hoc, inquam, significabitur omnibus quod miserim te, sine quo non potest homo quidquam facere. Proinde : « Cum eduxeris populum meum de Ægypto, » tu præsenti non ingratus visioni, sed agendarum memor gratiarum, « immolabis Deo super montem istum. » Bonum, inquam, hoc, et imitandum placidæ humilitatis exemplum est. Verumtamen nec illud contemnendum, quod quidam ejusdem, id est, prophetalis ordinis, vir magnam et ipse videns visionem, scilicet Deum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant implentia templum, eidem Domino percunctanti ac dicenti : « Quem mittam, » etc., continuo et alacriter se offerens, dixit : « Ecce ego, mitte me (*Isa.* VI). » Cum igitur quis ad hoc vocatur a Spiritu sancto, ut mittatur contra Pharaonem, id est contra diabolum, scilicet ut aliquo fungatur ministerio

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

salutis animarum, sic inter hos viam teneat regiam, ut non declinet ad dextram, sive ad sinistram, videlicet ut nec nimius sit dicendo, « Quis ego sum ut eam? » nec importunus vociferando, « Ecce ego, me mitte. » Nam hinc pertinaciæ, illinc præsumptionis cavendum est vitium. Interim « faciem suam absconderat Moyses, » id est stabat demisso capite; sed sic absconditus inveniri, sic demissus magis merebatur a Domino sublevari. Nam accrescente paulatim gratiæ fiducia, ait ad Dominum :

CAPUT XIV.

De eo quod dixit : « Ego sum qui sum. Qui est, misit, » etc.

« Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum, misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus? quid dicam eis? » Videlicet quia nomen Dei fanaticus error commune fecerat multis, idcirco proprium quærebat vocabulum hujus Dei qui loquebatur sibi : « Nam etsi sunt, inquit Apostolus, qui prædicantur dii sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater (*I Cor.* VIII). » — « Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. » Ad unam percunctationem duo reddidit, quia fortis erat inquisitor qui pulsabat, fortis, inquam, vera fortitudine, quæ est virtus humilitatis, quæ et usu vel exercitio divinæ collocutionis, in tantum robur excrevit ut fortem et iratum Deum postmodum tenere posset, stans in conspectu ejus in confractione cordis. Duo, inquam, nomina sua deprompsit, quorum alterum, scilicet « Ego sum qui sum » natura est, alterum vero gratiæ vel dignationis (*Exod.* XXXII), videlicet, « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, quod nomen mihi (inquit) est in æternum. » Et hoc quia gratiæ est, idcirco jam supra non interrogatus ultro protulerat, dicendo : « Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob. » Verum hic addidit quod illic non dixerat, « hoc nomen mihi est in æternum, » scilicet propter dignæ nominandam fidem illorum vel ob obedientiam illorum, in qua peregrinos et hospites se esse confessi sunt super terram, meliorem exspectantes patriam, id est cœlestem (*Hebr.* XI). « Ideo enim, inquit Apostolus, non confunditur Deus eorum vocari Deus (*ibid.*). » Hoc ergo, inquit, nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum, » subauditur secundum ea quæ operatus vel operaturus sum in illis adoratoribus meis, et in semine eorum, His duobus sumptis, « Ego sum qui sum, Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos, » iterumque : « Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos. » Ergo non esse deos consequitur eos quos Abraham nescivit, quos Isaac ignoravit, quos Jacob non cognovit. Et hoc pro tempore et re hic oppor-

A tune **174** responsum est, scilicet ut cessent filii Israel quasi pro multitudine deorum proprium Dei sui quærere vocabulum, hoc tantum scire contenti quod est qui mittit ad eos Moysen, non ut cæteri falso dicitur Deus, sed est. Præterea non solum multitudini illorum qui non sunt, sed et omni numerositati creaturarum se eximit Creator dicendo : « Ego sum. » Quid enim? Nunquid aliquid eorum quæ creata sunt, simpliciter vel absolute *esse* dicendum est? Non utique, quia nihil eorum simplex vel incompositum est. Quidquid enim præter Deum est, ex materia simul et forma constare dicitur, ut manifestum est; verbi gratia, statua, cujus est materia æs, forma autem quælibet effigies quam finxit artifex, ut puta Jovis aut Serapis. Proinde quod statuam vocamus, non est quod est; nam non unum
B idemque aut simplum est. Sed nec ipsum quidem æs simplum quid est, quippe cujus materia terra est, ab ipsa multum differens æris specie. Terræ quoque nomen a forma tractum est, dicitur enim terra, quod gravis et sicca, suumque esse sumpsit exile, quam materiam creatam esse constat informem. At vero Dei substantia forma simplex est sine materia ulla, ac proinde est quod est, nec enim potest illi quidquam inesse, præter id quod substantialiter est; nec enim potest hoc esse subjectum, nec ab aliquo accidente quemlibet motum sive mutationem admittit, videlicet cum sit forma carens materia, unde pateretur accidentia? Denique quod formata quælibet, homo sive jumentum, et cætera vicibus per-
C mutantur, hoc illis ipsorum materia fert. Inde « homo quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job* XIV). » Inde est quod « sicut herba mane transit, mane floret, vespere decidit, indurat ac arescit (*Psal.* LXXXIX). » Igitur Deus qui non formatus, sed forma tantum est, recte tam diis, qui dicuntur quidem, sed non sunt, quam creaturis omnibus, quarum diversissimæ formationes vel naturæ sunt, solum se excipiens, suum edixit proprium vocabulum, dicendo : « Ego sum qui sum. Et hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. » De terra quam repromittit, dicens : « Visitans visitavi vos, ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, et
D Hethæi, et Amorrhæi, » etc., Jam locis aliis dictum est, quod terræ viventium figuram gestaverit, quæ revera rivis fluit lactis et mellis. Etenim sicut populum illum a Pharaonis servitute liberatum in illam terram Dominus induxit, sic universam electorum multitudinem, a jugo diaboli solutam, supernæ patriæ restituit, de qua malignos spiritus sub hominibus intelligendos expulit. Chananæus namque *possidens*, Amorrhæus *amarus*, Gergesæus *colonum ejiciens*, Jebuzæus *calcatus*, Hethæus *formidans*, Pherezæus *separans*, Hevæus *ferus* interpretatur. Quæ cuncta in malo accipi, et malignis spiritibus valent utiliter adscribi.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XV.

De eo quod dictum est : « Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, » et quod jure dictum sit : « Et vos spoliabitis Ægyptum, » et qualiter spoliemus nos ejus exemplo.

« Ingredierisque tu et seniores Israel ad regem Ægypti, et dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos. Ibimus per solitudinem viam trium dierum, ut immolemus Domino Deo nostro, » etc. Hoc ita factum est. Transito namque mari Rubro, cum cecinisset Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, dicentes : « Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare, » ingressi sunt (inquit) in desertum Sur, ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam, et venerunt in Matha (*Exod.* xv).» B Ecce qualem viam Hebræis, exituris de Ægypto et ad terram promissionis ituris, Dominus Deus ipsorum coram Pharaone profiteri imperat. Ad hoc manum validam exerit : « Extendam (inquiens) manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, » ad hoc, inquam, « ut eant non per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est (*Exod.*, xiii), » sed per solitudinem, ad hoc tantum ut immolent Domino Deo suo. Ergo quisquis Hebræum, id est transitorem, se esse et de Ægypto exisse profitetur, ut transeat, secundum nomen Hebræorum, quorum Dominus Deus est, ad patriam cœlestem, non habens « hic mansuram civitatem, sed futuram » inquirens (*Hebr.* xiii), hanc vitam teneat, solitarius incedat, id est, remotus tam ab Ægyptiis quam a Philisthiim. Ægyptii namque *tenebrosi*, Philisthiim *potione cadentes* interpretantur. Et talium utique societas illi cavenda est, qui ad hæreditatem Dei pervenire, qui Domino Deo suo immolare cupit victimas justitiæ. « Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis. Et cum egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospite sua vasa argentea et aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum. » Non injusta præceptio. Ægyptii namque violenter subegerant Israel, qui non erat vernaculus aut emptitius, illudentes ei, et affligentes operibus luti ac lateris. Justa ergo vice spoliare habebant oppressores suos, veluti non dominorum direptores, sed ut vere hostium victores, quatenus dolore auri et argenti sui nimium concitati persequerentur abeuntes, et ita perirent in mari, transeunte ad salutem Israel. Porro nos, juxta anagogen, egredientes, ut dictum est, omni auro et argento cunctisque pretiosis vestibus spoliare debemus Ægyptum, ut sive aurei dialecticorum circuli, sive argenteæ rhetorum phaleræ sint, sive quarumlibet artium philosophicarum telæ ac vestes, quibus Ægyptius male utens mendacium ornat ac vestit, non permaneat horum quidquam, quin cum hujusmodi Hebræis transeat in servitium veri Dei, ad ornatum veritatis, ad famulatum dominæ nostræ Sapientiæ cœlestis. Is ipse Moyses, cum dicuntur hæc, primus hoc modo spoliavit Ægyptum. Fuit enim, ut jam superius A dictum est, eruditus omni sapientia Ægyptiorum, sed eadem spolia contulit, ut hæc Scriptura testatur, in thesaurum Domini Dei sui. « Hæc, inquit, ponetis super filios et super filias vestras, » id est, docebitis eos tollere quæ ejusmodi sunt Ægypti spolia, ut sciant omnia probare, quod bonum est tenere, ab omni specie mala se abstinere (*I Thess.* v).

CAPUT XVI.

De signis quæ Moysi monstrabantur in testimonium.

(Cap. IV.) « Respondit Moyses, et ait : Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum : Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. Ait Dominus : Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. » Justa Dei exspectatio ; nam veridica est, et sana hæc hominis B oppositio. « Non credent, inquit, mihi, » subauditur, nisi signa viderint. Nam usque hodie « Judæi signa quærunt, et Græci sapientiam inquirunt (*I Cor*, i).» Ergo Dominus hæc opponentem placide sustinens : **175** « Projice, inquit, virgam, quam tenes, in terram. Projecit, et versa est in colubrum. » Et Dominus : « Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. » Et rursum : « Mitte manum tuam in sinum tuum, » etc. Quia ratio consentit ut « in ore duorum aut (ut multum) trium testium, stet omne verbum (*Deut.* xix), » idcirco duo hæc signa pro testibus dextra lævaque composuit. « Ut credant, in C quit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob.» Item : « Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. » Addit et tertium, tanquam a tergo consequentem testem, eos qui duobus testimoniis non crediderint, quasi sanguinea mortis pœna condemnantem. « Sume, inquit, aquam fluminis et effunde super aridam, et quidquid hauseris de flumine vertetur in sanguinem. » Horum testium veritatem sive testimoniorum constantiam litteralem omnes agnovimus : mysticam auctoritatem requiramus. Nam sicut populus in Ægypto serviens, universam procul dubio multitudinem electorum in hoc mundo peregrinantium sic, signa hæc, per quæ debuit vel potuit D agnoscere tempus visitationis suæ, significare debuerunt alia signa meliora, per quæ debuit aut potuit cognoscere tempus ejus (quæ per Christum facta est) redemptionis suæ.

CAPUT XVII.

De causis eorumdem signorum mysticis.

Quid igitur virga hæc, nisi illam significat humanitatem Christi Filii Dei, quæ de radice Jesse sumpta est? Tunc enim veraciter in terram projecta est, atque in colubrum versa, ita ut fugeret Moyses, quando unigenitus Dei Filius per assumptionem humanitatis in hunc mundum venire, et mortem subire dignatus est, ita ut in eum credere fugiat ille carnalis Israel. Hoc facto, « Extende, inquit, manum tuam, et apprehende caudam ejus, » scilicet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ut iterum vertatur in virgam ; quia videlicet post-quam omnia consummata sunt, qui mortuus fuerat, iterum rediit in vitam. Et bene per colubrum mors Christi præfigurata est, quia per astutiam colubri mors evenit humano generi, quam in corpore suo Christus veraciter suscepit. Moyses ergo caudam colubri apprehendit, et coluber in virgam rediit, quia fides electorum passionem vel mortem Christi consecuta est, « quia resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Sed post hoc signum, pars maxima Judaicæ gentis resiliit et credere renuit. Cui ergo comparabitur ? « Mitte, inquit, manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam albam instar nivis. » Nempe manus protracta de sinu leprosæ, Synagoga est a gratia Dei projecta. Ex quo latus Salvatoris sui lancea rupit, retracta est manus illa de sinu ejus, peccatorum suorum lepra candente perfusa. Quod longe Propheta prævidens gemebundus ait : « Ut quid avertis manum tuam, et dextram tuam de medio sinu tuo in finem ? » (*Psal.* LXXIII.) Ecce videmus populum illum a castris Dei segregatum, et ad arbitrium summi sacerdotis haud dubie, lepræ condemnatum, habentem vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, clamantem, id est diffiteri non valentem, contaminatum se ac sordidum (*Lev.* XIII). Nuda est lepra, facies autem velamine perfidiæ contecta. His duobus signis attestantibus, quisquis non credit quod qui mittendus erat jam venerit, isque sit Jesus Christus, qui solus a Pharaone spirituali, scilicet diabolo, liberare nos potuit, restat ut tertium contra illum impleatur signum, scilicet « quidquid hauserit de fluvio vertatur in sanguinem, » id est, quidquid attingere tentaverit de Scripturarum fluentis, male necessario intelligat ad suam damnationem. Fiet tandem ut manus eadem in sinum gratiæ retracta et prolata, iterum similis sit carni reliquæ. « Cum enim plenitudo gentium subintroierit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). »

CAPUT XVIII.

De eo quod ait : « Obsecro te, Domine, mitte quem missurus es, » etc.

« Ait Moyses : Obsecro, Domine, non sum eloquens. Ab heri et nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. » Claret ex isto quia cuncta hæc non uno die dicta vel acta sunt, ex eo videlicet quod ait : « Ab heri et nudiustertius, » etc. Nempe nudiustertius, idem est ac si dicas : nunc dies est tertius ex quo, inquit, locutus es ad servum tuum. Ac si diceret : Antequam loquereris ad servum tuum, videbar mihi eloquens, et velocis linguæ et expeditæ ; nunc autem, ex quo loqui cœpisti, et occulta sapientiæ tuæ manifestare mihi, hoc de me didici et sensi quod eloquens non sim, neque tam expeditæ linguæ ut ea quæ nunc agenda intelligo, digne valeam coram hominibus eloqui. Moyses namque, propheta esse incipiens et illa intus flamma illustratus quam foris viderat, tanta sibi imponi mysteria sentiebat, quantis administrandis indignum se et imparem recte et laudabiliter se judicare poterat. Proinde et hanc objectionem ejus, tanquam rationabilem amplectens Dominus, dixit ad eum. « Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, aut surdum, et audientem, videntem, et cæcum ? » Sine dubio subaudiendum, quod is qui hæc omnia fecit, ipse linguam, paulo ante hebetiorem, cito acuere possit. « Perge igitur, inquit, et ego ero in ore tuo, docebooque te quid loquaris. At ille : Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. » Tandem nobis aperuit quid vellet, quo tenderet toties excusando Moyses. « Mitte, inquit, Domine, quem missurus es. » Quem enim Dominus missurus erat cum hæc diceret, nisi illum qui nunc missus est, quem patriarcha Jacob annuntiaverat exspectationem fore gentium, desiderium collium æternorum ? (*Gen.* XLIX.) Non ergo ex diffidentia, salutari imperio ministrare recusabat ; sed sciens quod ministerium suum nihil ad perfectum duceret (*Hebr.* VII), audebat urgere Dominum, ut mitteret eum qui mittendus et perfectam salutem operaturus erat. « Iratus Dominus in Moysen ait : Aaron frater tuus levites, scio quod eloquens sit. « Iratus, inquit, Dominus in Moysen. » Multum irasci visus est, quia tenerum pietatis desiderium valde afflixit in eo quod ad postulata non respondit. Præ ira, inquit, humano generi debita Christum suum differens, de illo siluit, et hæc et hæc alia pro aliis dixit. Hos geminos ire jussit, Moysen tanquam legem, Aaron tanquam sacerdotium, sed uterque homo, et neuter Deus et homo, et proinde nihil ad perfectum adduci poterat eorum ministerio. Quid enim magnum erat educere populum de loco in locum, de Ægypto in terram Chanaam, scribere occidentem litteram, et non vivificantem conferre gratiam (*II Cor.* VI), offerre pro populo sanguinem hircorum, aut vitulorum, et non salvum facere populum a peccatis eorum ? (*Hebr.* IX.) Nempe hoc unum **176** erat illi necessarium, educi vel transire de peccato ad justitiam, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de hoste ad Dominum, de diabolo ad Deum, quod per solum faciendum erat, et nunc factum est, Filium Dei unigenitum, Deum et hominem, Jesum Christum. « Iratus igitur in Moysen est, » inquit, id est non ita propitius fuit Moysi ut non differret complere desiderium obsecrantis, ut dicenti : « Mitte quem missurus es, » saltem diceret : Mittam post tot annos, vel illo tempore, indignum eum arbitratus scire tempora, vel momenta quæ posuisset in sua potestate (*Act.* I).

CAPUT XIX.

Quod Moyses a cognato suo postulans dimitti, secretum quod audierat tenuit.

« Abiit Moyses et reversus est ad Jethro cognatum suum, » etc. Cognatum suum, hic appellat eum propter filiam ejus quam uxorem duxerat, id est socerum suum. Non dixit : « Vadam, » ut fratres meos educam de Ægypto juxta Dei mei imperium,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui mihi apparuit eo quod viderit afflictionem et audierit clamorem eorum, sed secretum hoc tenuit. « Vadam, inquiens, ad fratres meos in Ægyptum ut videam si adhuc vivant. » Non enim suam, sed Dei gloriam quærebat, quam ille satis opportuno tempore sine præcurrente vocis suæ nuntio visurus erat. Interpretatur autem Jethro *superfluus ejus*. Igitur quicunque hic est, quicunque hunc imitatur, superfluum hujus sit propalare gratiam sibi collatam coram hominibus, ut videatur ab eis, sed opportunum tempus exspectet, donec ultro clarescat secretum Dei, et opportune lucescat lux ejus coram hominibus, ut videant et glorificent Patrem Deum qui in cœlis est (*Matth.* IX). « Cui ait Jethro : Vade in pace. »

CAPUT XX.

Quod Dominus voluerit occidere Moysen, et quod Sephora circumcisis filiis tetigit pedes ejus, et quid ista mystice significent.

« Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian : Vade, revertere in Ægyptum. Mortui sunt enim, qui quærebant animam tuam. » Mortuus enim fuerat ille Pharao qui audivit quod occidisset Ægyptium, et quærebat occidere Moysen, et hic post multum tempus, ut supra dictum, id est post alios quadraginta annos, sicut Stephanus protomartyr in Actibus apostolorum testatur (*Act.* VII), mortuus fuerat. « Tulit Moyses uxorem suam, et filios suos, » etc. Antequam progrediamur, dicendum quid de hac uxore et filiis Moysi actum sit. « Cum esset, inquit, in diversorio in itinere, occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora petram acutissimam, et circumcidit præputium filii sui, » etc. « Volebat, inquit, occidere eum. » Quare? quia filios suos non circumciderat. Verum hoc obsistente uxore alienigena facere nequiverat in terra alienigena, in terra non sua. Igitur, vidente Sephora, volebat Dominus occidere eum, ut quæ ratione noluerat adduci, præsentia periculi cognosceret salutare esse semini Abrahæ omne masculinum ejus circumcidi. Nihil ergo cunctata, quid potius eligeret, viri necem, an filiorum circumcisionem, « tulit illico acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui. Tetigitque pedes ejus dicens : Sponsus sanguinum tu mihi es. » Ut quid tetigit pedes ejus? Videlicet ut dimitteretur. Nam protinus sequitur : « Et dimisit eum, postquam dixit : Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem. » Idcirco « tetigit pedes, » id est importune supplicavit, ne illum longius sequi compelleretur, exterrita vel imparata tantis visionibus, utpote quibus gentiliter vivens nondum interesse merebatur. Tangens ergo pedes ejus dixit : « Sponsus sanguinum tu mihies. » Non dixit : vir sanguinum, neque conjugii, sed [« sponsus, » nc,] crudelitatis respectu hoc dixisse putaretur. Siquidem vir sanguinum crudelitatis et homicidiorum, in communi usu, significat triste carnificium. Melius ergo, quamvis improprie, dictum est, « sponsus sanguinum, » quamvis sponsus non consueverit dici, nisi dum est in celebratione nuptiarum. Postea reversa est ad eum, Scriptura dicente : « Cumque audisset Jethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Dominus Moysi et Israel populo suo, et quod eduxisset Dominus Israel de Ægypto, tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat, et duos filios ejus (*Exod.* XVIII), » etc. Quod et ipsum a mysterio non vacat. Alienigena quippe uxor Moysi Sephora, quod interpretatur *pulchritudo* sive *placens*, alienigenam, ut superius dictum est, gentium significat Ecclesiam. At illa non interfuit victoriæ, quam vir ejus Christus de principe tenebrarum diabolo moriendo consummavit, sed solus vir ille pugnavit, solus triumphavit. Postquam antiquorum populum sanctorum de tenebris inferni per suum sanguinem eripuit, tunc et ipsa accessit, tunc adducta est in equis et quadrigis evangelicis, et victoriæ sacramentum in baptismate suscepit. Cæterum et quotidie filios suos mater Ecclesia circumcidit circumcisione spiritali, ne fides Christi moriatur in illis, tangitque pedes ejus, dicitque inter circumcidendum filiis suis : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II), » et his similia.

CAPUT XXI.

De eo quod ait Dominus : « Ego indurabo cor Pharaonis. »

« Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum : Vide ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. » Homini, qualem ignorat Apostolus, imo qui in Apostolo loquitur Christus, dicens : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? » (*Rom.* IX) etc.; homini, inquam, id est secundum carnem sapienti, scrupulum fecit, et suspicionem generavit hic locus, ubi cum dixisset Deus : « Vide ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone, » continuo subjunxit : « Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. » Dicit enim : « Quid ergo adhuc queritur? Voluntati ejus quis resistit? » (*ibid.*) Verum hic talis idcirco offendit, quia flammæ ejusdem, quæ illic apparuit Moysi, divinam lucem non attendit, ut sciat quid sibi desit. Deest enim quod quærat, priusquam suam, quæ prædicta est, querelam proferat, videlicet ut quando dicit Deus : « Ego indurabo, » modum indurationis non penitus ignoret homo, id est quid agente Deo induratus fuerit Pharao. Quid enim? « Nunquid iniquitas apud Dominum? » (*ibid.*) Nunquid gloriam suam quærens Deus, cor Pharaonis, quod prius tenerum fuerit, indurasse putabitur, ut per occasionem duritiæ ejus, ipse mirabilia faciendo glorificaretur? Absit! Non hoc sensu accipiat homo dixisse Deum, « indurabo. » Sed enim ille oderat filios Israel, omnesque Ægyptii, ut supra dictum fuit, et ipsum odium surrexerat ex invidia dicentium : « Ecce populus filiorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Israel multus et fortior nobis est (*Exod.* I), » etc. Nec enim aliter, juxta Psalmistam, « convertit cor eorum ut odirent populum ejus (*Psal.* CIV), » nisi dum benedicit et multiplicat populum suum, cor eorum invidens profecit, imo conversum est in asperum odium. Est autem invidiæ vel odii proprium, ut quanto eis, quibus invidetur, majora conferuntur beneficia, tanto magis ipsa invidia vel odium confirmetur. Siquidem quo amplius splendescit cui invidetur, tanto magis indurescit atque uritur invidus. Pleni sunt libri talium exemplis. Verumtamen vel unum proferamus exemplum. Pulsatus Deus est a propheta, dicente : « Quare fecisti nos, Domine, errare a viis tuis, et quare cor nostrum indurasti, ne timeremus te? » (*Isa.* LXIII.) Primum hoc modo respondet eidem prophetæ : « Quæsierunt me, qui ante non interrogabant. Invenerunt me, qui non quæsierunt (*Isa.* LXV). » Deinde dicit et Patri Filius Dei : « Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum (*ibid.*). » Nempe idem est ac si dicat : In eo feci vos, o Judæi, de viis meis errare, et in eo cor vestrum induravi, ne timeretis me. In eo, inquam, quod a non quærentibus me gentibus, inveniri volui, quorum salutem vos odio habetis. Nam propter odium illorum vos indurati estis, et eos in via socios habere non ferentes, aversi estis. Ita, licet aliud intendens, ego vos errare feci de viis meis, et cor vestrum induravi. Igitur, dum dicit Deus : « Ego indurabo cor Pharaonis, » subaudiendum est, non eum corrumpendo, sed filios Israel, quos inique odit ipse, compatienti charitate visitando. Hoc enim ego quidem facio intentione charitatis, sed illi invidenti proficiet ad duritiam cordis, ad incrementum odii. Sic uno eodemque solis jucundo lumine et glacies dura liquescit, et lutum molle durescit. Idcirco sæpius quidem sic dicitur in sequentibus. « Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non dimisit populum. » Sed et nonnunquam sic habes, quia ipse « Pharao induravit cor suum. »

CAPUT XXII.

De eo quod dictum est : « Filius meus primogenitus Israel. »

« Dicesque ad eum : Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi : Dimitte populum meum, ut serviat mihi, et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. » Cum, inquit, omnia ostenta quæ posui in manu tua feceris coram Pharaone, et ille, indurato corde, non dimiserit populum, tandem dices ad eum : « Filius meus primogenitus Israel, » etc. Quamvis etiam, si solus esset Dei populus ille Israel, posset tamen dici « primogenitus, » sed non e converso, omnis primogenitus unigenitus. Hoc quod dicit, « filius meus primogenitus Israel, » minoris filii, scilicet respectu gentilis populi dictum oportet intelligi. Et justa quidem comparatione populo illi pro parte electorum concedimus omne privilegium primogeniti, quibus, ut Apostolus dicit, « credita sunt eloquia Dei, quorum est adoptio filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Verum ubi primogenitus iste juniori fratri invidet, et odio ejus cæcatus offendit in lapidem offensionis et petram scandali (*I Petr.* II), intrare non vult in domum patris, pro eo quod frater suus venit, et pater lætus vitulum saginatum occidit illi (*Luc.* XV); ubi, inquam, sic agit primogenitus, talem illum fatemur primogenitum, qualis fuit Cain, qualis Ismael, qualis Esau. Notandum quippe quod, præter Sem primogenitum Noe, cunctos fere patriarcharum primogenitos, aut propria nequitia destruxit, aut divina auctoritas junioribus postposuit. De eo quod « Cum Moyses esset in itinere in diversorio, occurrit ei Deus, et volebat eum occidere, » jam supra dictum est.

CAPUT XXIII.

Quod Moyses et Aaron loquentes contra Pharaonem, legem et vetus sacerdotium significent, et quid significet : « Pharao sævior effectus est. »

« Dixitque Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit ei obviam in monte Dei, et osculatus est eum. Narravitque Moyses Aaron cuncta verba Domini, pro quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel, » etc.

(CAP. V.) Cuncta capituli hujus historica superficies plana est, videlicet quia superbe respondens Pharao : « Quis est, inquit, Dominus ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel ? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. » Non solum non dimisit Israel, verum etiam auxit afflictionem eorum. « Et nequaquam, inquit, ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius, sed ipsi vadant et colligant stipulam, et mensuram laterum quam prius faciebant imponetis eis, nec minuetis quidquam. » Quibus vociferantibus ad Pharaonem, ac dicentibus : « Cur sic agis contra servos tuos? vacatis, inquit, otio et idcirco dicitis : Eamus et sacrificemus Domino. » Hæc, inquam, secundum litteram plana sunt. Porro sub littera fulgidus allegoriæ sensus hic est. Pharao quod interpretatur *dissipans*, diabolus est, et regnum ejus mors. « Regnavit, inquit Apostolus, ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* V). » Usque ad Moysen regnavit, inquit, mors, id est peccatum per quod mors in hunc mundum introivit, nullam ante legem ex præceptis justitiæ contradictionem habuit, cunctis in anima mortuis, et corpore morientibus. Moyses namque et Aaron, contra Pharaonem agentes, legem significant et legis sacerdotium, per quæ justitia contra diabolum, ad destructionem peccati et mortis, vocem aliquam habere cœpit. At ubi venit mandatum legis, regnans peccatum et mors infremuit. « Quid ergo dicemus, inquit idem Apostolus. Lex peccatum? Absit! Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

piscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat (*Rom.* VII)) » Hæc quia melius ex singulis hominibus cognoscitur, continuo sequitur : « Ego autem sine lege vivebam aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit (*ibid.*). » etc. Quando enim sine lege vivit homo? Tunc videlicet, quando adhuc sine timore peccat, quando nullum adhuc propositum habet ut peccato resistat, sicut, verbi gratia, juvenculus aut adolescentula vaga. Quando autem venit mandatum? Tunc profecto, quando metu pœnæ futuræ veterem proponit consuetudinem relinquere, et propter mandatum justitiam tenere. Illic pugna est. « Nam caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcunque volumus illa faciamus (*Gal.* V). » Talis homo postmodum in eodem Apostolo dicit : « Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem **178** legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII). » Quando liberat ista Dei gratia? Tunc videlicet, quando bellicosus animus, post tentationes carnis adhuc in corpore manens, consolationis spiritu demulcetur, et post colaphos stimulantis Satanæ aurea libertatis torque donatur. Sic unus homo, sic triplici statu totus proficit mundus. Antequam lex subintraret, regnabat quidem mors, et ille fortis armatus custodiebat atrium suum, erantque in pace omnia quæ possidebat (*Luc.* XI). Verumtamen peccatum non adeo imputabatur, ut et prævaricatio nuncuparetur, « ubi enim non est lex, ibi nec prævaricatio (*Rom.* IV). » et idcirco lentius grassabatur in subditos ille tyrannus. At ubi lex subintravit, et fortis illius munitiones explorare venit, ille hoc præsentiens, infrendens fremuit, et tandem captivorum libertatem suspirantium colla concidit, donec fortior superveniens vinceret eum et spolia ejus diriperet (*Luc*, XI), cantantibus eis quos liberavit, quia « per Moysen lex data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. (*Joan.* I). » Igitur « ex eo die, inquit Moyses, quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer de nomine tuo, Domine, afflixit populum tuum. » Illis congemiscentibus ac dicentibus quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium ut occideret nos, quia, videlicet « cum venisset mandatum, inquit Apostolus, revixit peccatum, ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit (*Rom.* VII). »

CAPUT XXIV.

De eo quod dictum est : « Et nomen meum Adonai non indicavi eis. »

(CAP. VI.) « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Ego sum Dominus, qui apparui Abraham, et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis. Pepigique cum eis fœdus,» etc. Decem nominum quibus apud Hebræos vocatur, septimum est Adonai, quem nos generaliter Dominum dicimus. « Et nomen meum Adonai, inquit, non indicavi eis, » subauditur, quod indico tibi. Sed quomodo nomen hoc eis, quibus in Deo omnipotente apparuit, non se indicasse asserit? Primum ad Abraham dicit : « Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus (*Gen.* XVII). » Ecce hic, et Dominum et Deum omnipotentem, quod est Adonai, palam se nuncupavit. Ergo quod hic dicit « non indicavi, » sic accipiendum est, ut subaudias quantæ esset potentiæ vel virtutis. Magnalia namque et terribilia facturus, hæc loquitur, ad ostensionem gloriæ nominis sui, qualia non fecit in diebus Abraham, Isaac et Jacob, quibus tamen in Deo omnipotente apparuit, quique hoc ipsum quod omnipotens esset non quæsierunt miraculis explorare ratione contenti. Unde et fides eorum gloriosior ac majoris habetur meriti. Econtra Pharaonis duritia, quæ faciendorum causa fuit signorum, detestabilior exstitit, et quanto plura facta sunt, tanto justius æternum contemptor incurrit interitum. Hoc, inquam, cum dicit, « et nomen meum Adonai non indicavi eis, » subaudiendum est, quod jam nunc, poscente causa, indicabo tibi, quam gloriosum et quam terribile sit. Nam et paulo ante dixit : « Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni, » et postmodum dicturus eidem Pharaoni : « Idcirco autem posui te ut ostendam in te fortitudinem meam (*Exod.* IX). » Sane illud sciendum quia nomen Domini tetragrammaton, quod ineffabile dicitur, ubicunque scriptum est, Hebræus Adonai, et Latinus Dominum dicit, ut, verbi gratia : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, et confirmamini (*Psal.* CIV). » — « Pepigique cum eis fœdus, inquit, ut darem illis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. » Ordo verborum est : Abraham, et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente apparui, et pepigi cum eis fœdus, ut darem illis terram Chanaan. Porro illud sciendum non hoc esse totum fœdus, vel fœderis causam, dare illis terram Chanaan; sed partem fœderis pro toto posuit. Summa namque fœderis est in hoc sermone : « Atque in te benedicentur omnes cognationes terræ (*Gen.* XII), » in quo Christi Filii Dei incarnatio promittitur manifeste. Hac propositione data, « pepigique cum eis fœdus, ut darem eis terram Chanaan, » nunc promissi debitorem jure se teneri consentiens, sumit et dicit : « Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos, et recordatus sum pacti mei. » — « Recordatus sum, » inquit, id est, non oblitum me esse ostendi, subau-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ditur, cum te misi servum meum, et Aaron, et posui in vobis verba signorum meorum. Et continuo concluſit sic : « Ideo dic filiis Israel : Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, » etc. Dicendo « super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, et Jacob, » palam fecit ad quid dixerit, « et nomen meum Adonai non indicavi eis, » videlicet eo quod nunc levando manum suam, illud indicari velit in brachio excelso et judiciis magnis. « Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieverunt ei propter angustiam spiritus, et opus durissimum. » Hæc videlicet a Domino pro consolatione dicta, vel mandata fuerant. At illi perfectæ fidei spem non habentes firmam gemebant sub afflictione inimicorum, et idcirco non acquieverunt. Sic nimirum, juxta anagogen, ubi exacerbatum pro contradictione legis, ut supradictum est, regnum peccati, populum Dei sub suo servitio curavit, ut sæpe factum est, ita ut dicerent : « Eamus et serviamus diis alienis (*Deut.* XIII), » frustra lex et prophetæ locuti sunt; non enim eos audierunt. Sic nihilominus nonnunquam in hominem, qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed aliam patitur legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ (*Rom.* VII), frustra ad horam redargutio fit; proximus enim est desperationi.

CAPUT XXV.

Qualiter in Moyse et Aaron impletum probetur quod dictum fuerat : « Generatione autem quarta revertentur huc. »

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua. Respondit Moyses coram Domino : Ecce filii Israel non me audient, et quomodo me audiet Pharao, præsertim cum sim incircumcisus labiis? » Hanc incusationis suæ narrationculam vix ingressus, qua dicit se incircumcisum labiis, repente digressionem facit hujusmodi : « Isti sunt principes domorum per familias suas. » Cur hoc? Videlicet ob comprobandam veritatem Dei, quia ad Abraham de hac servitute et subsequenti liberatione filiorum Israel, ante locutus, cum dixisset : « Scito præ-
179 noscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis, » ita præfinivit dicens : « Generatione autem quarta revertentur huc (*Gen.* XV). » Hoc nempe est quod dicit : « Et hæc nomina filiorum Levi, per cognationes suas, Gerson, Caath et Merari. Filii Caath : Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel. Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron, et Moysen, et Mariam. » Claret itaque quartam esse generationem. Levi namque genuit Caath, genuit autem Caath Amram, Amram genuit et Moysen, et Mariam. Idcirco iterum ac tertio repetendo, designat dicens : « Iste est Aaron et Moyses, hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, iste Moyses, et Aaron in die qua locutus est Dominus ad Moysen in terra Ægypti, » ut subaudias, qui in generatione sua quarti sunt a Levi. Et notandum quia primo sic dicit : « Isti sunt Aaron et Moyses, » deinde præposterat : « Iste Moyses et Aaron. » Nativitatis namque ordine Aaron, vocatione autem vel administrationis privilegio Moyses prior est apud Deum. Porro, ut digressionem illam pro se factam, et idcirco in se terminatam sursum, a Ruben scilicet, inciperet, humilitatis prudentia cautum est, videlicet ne in tribubus duodecim suæ solius, id est, Leviticæ meminisse videretur. Illud quoque non prætereundum quia primus legis sacerdos Aaron ex ea tribu accepit uxorem, cui verum in Christo sacerdotium debebatur. « Accepit enim Aaron uxorem, inquit, Elizabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, » videlicet de tribu Juda.

CAPUT XXVI.

Quod ait ad Moysen : « Ecce constitui te deum Pharaonis. »

« Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus : Loquere ad Pharaonem regem Ægypti omnia quæ ego loquor tibi. Et ait Moyses coram Domino : En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao? (CAP. VII.) « Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris omnia quæ mando tibi, ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. » Post prædictam digressionem, illud quod supra dicere prosequitur. Nam quod illic dixerat, « præsertim cum incircumcisus labiis sim, » hic idcirco repetit, ut adjiciat quidnam Dominus ad hoc responderit. « Ecce, inquit, constitui te deum Pharaonis. » Gloriosa virtutum regina humilitas, quæ in cœlum volare consuevit, locuta est in eo, dicente se incircumcisum esse labiis, et idcirco dignum ac pro sua reverentia magnificum accepit responsum, ut audiret homo privatus regnantis hominis se esse deum. Nec dixit Deus auctor deorum : Ecce constituam, sed, « ecce constitui te deum Pharaonis, » subauditur a constitutione mundi, nec enim ille Deus deorum novo quidquam consilio constituit, aut destituit. Ac si dicat : Quoniam tu mitissimus virorum, pro tam glorioso negotio, cum Pharaone dimicare, et cum regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo usque ad novissima terræ te deprimis, ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque te deum, non quem ille fideliter adoret, sed quem serviliter formidet : ut imperes aquis pro potestate Dei, ut ranas crees, ut imperes terræ, ac cineri, faciasque in rege, et in exercitu ejus ciniphes et vesicas, imperes aeri, et pestem valde gravem generet, imperes igni, et cum grandine mistus feratur super peccatores. Ita imperando elementis deus eris Pharaonis. Et quia Pharao saltem cum hujusmodi deo loqui non est dignus, Aaron frater tuus erit propheta tuus, plagas quas tu facies, pronuntiaturus, sive tanquam minister illaturus. Ergo sunt dii, in quorum synagoga, juxta Psalmistam, stetit Deus, quos in medio dijudicat, quibus loquitur : « Ego dixi : Dii estis, et filii

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Non enim solus hic est, quo Pharao non erat dignus, sed et alii plures, quales cum commemorasset Apostolus, ita concludit, dicens : « Quibus dignus non erat mundus (*Hebr.* XI). »—« Tu, inquit, loqueris omnia quæ mando tibi ; ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. » Item et superius dixerat : « Ipse loquetur ad populum pro te, et erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent (*Exod.* IV). » Et est sensus, sicuti sic diceretur : Tu Deus Pharaonis constitutus, cui ego Deus deorum loquor « facie ad faciem, uti loqui solet homo ad amicum suum (*Exod.* XXXIII); » non dignaberis multa loqui, vel orationem protelare cum rege Ægypti, vel faciem tuam aperire popularibus ineruditis, sed loqueris prophetæ tuæ Aaron, et contra Pharaonem et ad populum tuum, exemplo mei, qui nec verborum indiciis ago cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo mortalibus filiis hominum, sed per prophetas meos mando quæ illi audire emerentur, vel quod facturus sim judicium. Porro, « tu illi eris in his quæ ad Deum pertinent. » De te enim loquente pariter et audiente ille accipiet quid loquatur. Et isti duo homines pauco tempore ita egerunt, alter potestatem in sermone habens, alter potestati in faciendis coram Pharaone signis obtemperans, usque ad immolationem paschalis agni. Verum et lex, quæ per Moysen data est, et sacerdotium quo primus Aaron functus est, idem eadem differentia egerunt usque ad immolationem paschalis veri agni, scilicet Christi Filii Dei (*Joan.* V). Nam postea neque Moyses stat pro illo populo contra spiritualem Pharaonem, id est diabolum, sed potius accusat eumdem populum, et de medio sublatum est sacerdotium Aaron, non jam habens altare vel templum. Antea cum legeretur, Moyses præerat sacerdotibus de genere Aaron, in his quæ ad Dominum pertinent. Formidabant enim Moysen lectione sua, ut facerent sacrificia secundum exemplar quod in monte viderat, et illi pro populo loquebantur contra Pharaonem, id est diabolum ; nunc autem remotis sacerdotibus illis, et statuto sacerdote secundum ordinem Melchisedech, populo illi os suum clausit, et faciem suam velavit, ad istum conversus Moyses. « Sed ego, inquit, indurabo cor ejus, » etc. De hac induratione supra dictum est ; nunc cætera prosequamur.

CAPUT XXVII.

De ætate Mosi et Aaron, et unde clareat quod nequam regis edictum non fuerit impletum.

« Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. » Hanc, id est octogenariam ætatem Moysi Stephanus protomartyr in Actibus apostolorum ita distinguit : « Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus, ut visitaret fratres suos filios Israel. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit eum (*Act.* VII). » Et post pauca : « Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi (*ibid.*) » Porro utrumque, scilicet Aaron et Moysen, natum constat post illud impii Pharaonis edictum dicentis : « Quidquid natum fuerit masculini sexus in flumen projicite ; quidquid feminei, **180** reservate (*Exod.* I). »—« Post hæc enim, » inquit Scriptura, id est post ista Pharaonis dicta et acta, « egressus est vir de domo Levi, accepta uxore stirpis suæ (*Exod.* II), » etc. Cum igitur et Aaron, qui de illa uxore triennio ante Moysen natus est, servatus fuerit, et in exitu Israel de Ægypto parvuli, atque infra viginti annos adolescentuli exstiterint, claret quia tale nequam regis edictum non prævaluit, et ut nato Moysi timeretur, magis elegantia ejus, de qua superius dictum fuit, causa erat. « Quando locuti sunt, inquit, ad Pharaonem Moyses et Aaron, Moyses octoginta annorum erat. » Porro cum in deserto præfuisset populo quadraginta annis, mortuus est. Eratque non plus quam centum et viginti annorum. Non ergo relinquitur opinabili licentiæ locus, ut vel dubitare liceat, multo, an pauco tempore, coram Pharaone steterint in faciendis prodigiis. Nam nè ante quadragesimum annum egressionem ex Ægypto obiisse illum suspicari vacet, moriturus ipse in Deuteronomio dicit : « En quadragesimus annus est, ut recogites in corde tuo, sicut homo erudit filium suum, sic Dominus erudivit te (*Deut.* VIII), » etc. Additi autem quadraginta prioribus octoginta annis, sine dubio fiunt centum et viginti omnes anni Moysi, sicut in Deuteronomio scriptum est : « Quia Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est (*Deut.* XXXIV). » Igitur octogesimo primo ætatis suæ anno, in initio anni, id est verno tempore, Moyses stetit coram Pharaone, et peractis signis, eodem tempore anni eduxit filios Israel de terra Ægypti.

CAPUT XXVIII.

De mystica ratione signorum quæ facta sunt coram Pharaone.

« Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Cum dixerit vobis Pharao : Ostendite signa. Dices ad Aaron : Tolle virgam, et projice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum, » etc. Quoniam narratio signorum in superficie litteræ plana videtur, mysticas potius, adjuvante Domini Spiritu, requiramus rationes, et tunc littera quoque bene procedentem sensum dignior apparens ipsa sequetur. Et primo quærendum quid mystice rationis habeat hæc divina dispositio, quod ante immolationem paschalis agni, quo res omnis confecta est, decem fieri numero signa placuit, quibus Pharaonem superari non posse noverat, antequam faceret ipse qui fecit. Primum fuit signum, ubi virga Aaron versa in colubrum, devoravit virgas incantatorum. Secundum, ubi aqua fluminis versa est in sanguinem. Tertium, ubi ranæ descenderunt de aquis, et operuerunt terram. Quartum, ubi pulvis terræ versus est in ciniphes. Quintum, ubi Deus misit omne genus muscarum. Sextum, ubi mortua sunt peste animantia Ægyptiorum. Septimum, ubi sparso cinere in cœlum facta sunt vul-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nera vesicarum turgentium. Octavum, ubi dedit Deus tonitrua et grandinem, et discurrentia fulgura super terram, et grando et ignis pariter mista ferebantur. Nonum, ubi dixit Deus, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus. Decimum, ubi factæ sunt tenebræ horribiles in omni terra Ægypti. His decem quidem signis sive plagis vexatus quidem Pharao, et attrita est Ægyptus, non ita ut dimitteretur ab Ægyptiis Israel. Post hæc tandem tolli jubetur agnus in domos filiorum Israel, immolandus decima quarta die mensis primi ad vesperam, et in illo res omnis peracta est. Mortua sunt eadem nocte omnia primogenita Ægypti, et ita Pharao victus, mollia locutus est, dicens : « Egredimini cito, et abeuntes benedicite mihi (*Exod.* XII). » Et filiis Israel transeuntibus, Pharao rursus induratus, et omnes Ægyptii insequentes in mari Rubro submersi sunt (*Exod.* XIV). Quorum ergo in figura hæc facta, recte quærimus.

CAPUT XXIX.

De decem mandatis, quæ pendent in dilectione Dei et proximi.

Diximus supra (quod omnibus notum est) per Pharaonem diabolum, per Moysen legem, per Aaron vetus significatum esse sacerdotium, et per illa regnum diaboli, regnum peccati et mortis non destructum, sed motum fuisse et exasperatum propter mandatum. Sunt autem legis decem præcepta, quæ in Dei et proximi dilectione pendent universa. Primum est : Non habebis deos alienos coram me. Secundum : Non facies tibi sculptile. Tertium : Non assumes nomen Dei tui in vanum. Quartum : Memento ut diem Sabbati sanctifices. Quatuor hæc ad dilectionem Dei pertinent. Deinde eorum quæ ad proximi dilectionem pertinent, in ordine vero : Quintum est : Honora patrem tuum et matrem. Sextum : Non occides. Septimum : Non mœchaberis. Octavum : Non furtum facies. Nonum : Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Decimum : Non concupisces. His decem justitiæ præceptis, qui servaverunt ea veteres sancti ante adventum Christi, vexaverunt quidem spiritualem Pharaonem, id est diabolum, repugnantes et resistentes illi, ut de regno mortis exirent, sed non prævaluerunt; « nihil enim lex ad perfectum adduxit, inquit Apostolus (*Hebr.* VII), » uno quoque de veteribus, scilicet Isaia propheta consonanter prædicante : « Sicut pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » Tandem in hunc mundum ingreditur immolandus verus Agnus, et sacrificium justitiæ futurus Christus Filius Dei, et quod per justitiam hominum, quantumvis fortiter præcepta legis adimplentium, fieri non potuit, ipse per suum sanguinem solus implevit. « Nam quod impossibile erat legi, inquit Apostolus, quæ infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis (*Rom.* VIII). » Igitur quemadmodum vespertina immolatio illius agni, per quem Pharao victus et Israel liberatus est, Agnum Dei, Christum, significavit vel passionem ejus, per quam in novissimis diebus diabolus victus et mundus liberatus et salvatus est, sic illa decem signa, vel plagæ, quibus ille Pharao flagellari quidem, sed non vinci potuit, decem legis præcepta significaverunt, quorum observatione, mortis regnum inquietari quidem, sed non destrui potuit. Nunc eorumdem signorum singula, testantibus plagis Pharaonis, digito Dei effecta qualiter præceptorum singulis, quæ in tabulis lapideis eodem digito Dei scripta sunt, conveniant dicendum est.

CAPUT XXX.

De signis Aaron et magorum coram Pharaone.

« Tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, et arcana quædam, similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. » Hoc fecit Moyses tanquam deus Pharaonis, quia quod solius divinæ potestatis est, virgam inanimatam **181** in verum animal convertit, videlicet quia transformavit in colubrum. « Devoravit enim, inquit, virga Aaron virgas eorum. » Et recte, illæ enim virgæ erant quod fuerant, sed per incantationes Ægyptias et arcana quædam fascinaverant magi oculos hominum, ut virgæ viderentur eis speciem habere draconum. Devorari ergo, et non devorare potuerunt, quæ devoratrices esse videbantur, et non erant. Mystice hic digitus Dei clare præostendit, primum eorum quæ scripturus ipse erat in tabulis lapideis : « Non habebis deos alienos coram me (*Exod.* XX). » Virga namque Moysi versa in colubrum, in mysterio est omnipotens sermo Dei, qui missus est in terram in similitudinem carnis peccati. Porro virgæ magorum fallaciæ sunt dæmonum, qui se pro diis coli fecerunt. At ille, scilicet Sermo Dei, carne indutus, deos gentium dæmonia esse convincens, ut solus ipse adoraretur, cunctos fallaces deos devoravit, dicens publica prædicatione, cum summa potestate : Non habebis deos alienos coram me, » volentibus quidem, sed non valentibus operarii mendacii, contra veritatem stare, quorum illi magi Pharaonis patres vel exemplaria prima fuerunt. « Quemadmodum enim, inquit Apostolus, Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim istorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum (*II Tim.* III). »

CAPUT XXXI.

Quid significet quod aquæ in sanguinem versæ sunt.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. » Et post pauca : « Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum ac paludes, et omnes lacus aqua-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum, ut vertantur in sanguinem, et sit cruor in omni terra Ægyti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. » Secunda hæc plaga pœnam significat mandati secundi prævaricatoribus debitam, quod dictum vel in tabulis scriptum est : Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem ; non adorabis ea, neque coles (*Exod.* xx). » Sequitur enim : « Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem (*ibid.*). » Hoc denique ubi auditum est et observari cœptum, omnes Ægyptiorum aquæ, id est idololatrarum conscientiæ sanguineæ factæ sunt ; multum enim sanguinem sanctorum fuderunt, quemadmodum isti Ægyptii qui pro eo, quia dixerunt filii Israel : « Eamus et sacrificemus Deo nostro (*Exod.* v), » crudelius in eos debacchati sunt. Unde quia masculos eorum in aquam projecerunt, merito realiter quoque illis aquæ in sanguinem conversæ sunt, ut affligerentur bibentes aquam fluminis, et postea persequentes illos in mari Rubro submersi sunt. Sic omnibus imitatoribus eorum, adorantibus sculptilia et in simulacris suis gloriantibus, et propter illa sanguinem fundentibus sanguinem reddidit fortis zelotes Dominus, ut bibant, et bibentes affligantur, non uno aut duobus, sed totis septem diebus, sicut scriptum est : « Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium. » Quo numero significatur universitas sæculorum. Nam in sæcula sæculorum, in sanguinem versi permanebunt fontes aquarum, id est profunditates sapientiæ, sculptilia facere scientium, et pro illis veri Dei adoratores persequentium : Unde in Apocalypsi auditur angelus, dicens : « Justus es qui es, et qui eras sanctus, quia hæc judicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, et sanguinem eis bibere dedisti, ut digni sunt (*Apoc.* xvi). »

CAPUT XXXII.

Quid significet quod fluvii ranas ebulliverunt.

(Cap. VIII.) « Dixitque Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis, et ebulliet fluvius ranas, » etc. Et tertium legis est mandatum : « Non assumes nomen Domini tui in vanum (*Exod.* xx). » Hujus mandati prævaricatoribus fœditatis opprobrium in ranis præfiguratum est. Quinam sunt vaniloqui isti, qui nomen Dei in vanum assumunt, nisi maxime loquaces poetæ, non solum in fluviis Ægyptiorum, sed in cæterarum fabulantes atque coaxantes paludibus gentium? Vel qui justius comparantur fœditati ranarum, quam poetæ perstrepentes in theatris ridicula figmenta fabularum? Hi plane assumunt nomen Dei in vanum, verbi gratia cum adultero Jovi, et meretriculæ Veneri, nomen divinitatis ascribunt. Et illæ quidem ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes et ingredientes domum regis, et cubiculum lectuli ejus, et super stratum ejus, et in domos servorum ejus, et in populum ejus, et in furnos ejus, et in reliquias ciborum ejus, istæ autem ranæ, id est fabulosi poetæ corporaliter aures lectitando, et oculos gesticulando delectaverunt, sed animis exitiales exstiterunt.

CAPUT XXXIII.

Quid quod ciniphes sint in omni terra Ægypti, quas malefici facere non valentes dixerunt : « Digitus Dei est hic. »

« Dixit Dominus ad Moysen : Loquere Aaron, extende virgam tuam, et percute pulverem terræ, et sint ciniphes in omni terra Ægypti. Feceruntque ita, » etc. Ciniphes muscæ sunt minutissimæ, aculeis permolestæ. Hic malefici Pharaonis defecerunt. « Nam fecerunt, inquit, malefici similiter, ut educerent ciniphes, et non potuerunt. » Supra dictum est quia fecerunt similiter incantationibus suis, ut verterent aquas in sanguinem ; « fecerunt similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægyti. » In isto defecerunt. « Et dixerunt ad Pharaonem : Digitus Dei est hic : » Hoc dixerunt victi, videlicet ad consolationem pudoris sui. Ac si dicerent : Siquidem pugnaret contra nos homo, prævaluissemus ; nunc autem qui pugnat, non hominis, sed Dei digitus est, et idcirco danda nobis est venia, quia vincimur. Quidnam hoc est quod malefici incantationibus suis aquas in sanguinem vertere et ranas educere potuerunt, ciniphes autem non potuerunt? An ciniphes videri quoque potuerunt, sed quia molestos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter fecisse convicti sunt? Nempe quia sanguinis horror, et ranarum fœditas comprehenditur solo visu, idcirco præstigiatores ranas falsissimas et sanguinem fallacem fascinatis oculis ostenderunt. Ciniphes autem, quia molesto quoque aculeo, aperte dijudicantur, idcirco non fecerunt, quia quod verum esset, quod veraciter sentiretur, homines sine Deo creare non potuerunt. Porro, juxta anagogen, pulverem terræ percutere, et ciniphes facere, est in condemnationem superbiæ hominis, qui utique pulvis est, talia in Scripturis verba facere, quæ sensus audientium, quia intelligere digni non sunt, a vero repellant, quemadmodum ciniphes et oculis ne videant, et auribus ne libere audiant, molestæ atque importunæ existunt. Verbi gratia : Quartum legis mandatum : « Memento ut diem Sabbatorum sanctifices (*Exod.* xx). » Tali dictione præventus Ægyptius, **182** qui se dicit Judæum esse, et non est, nihil aliud hic imperari arbitratur, nisi Sabbatum, quale odit Dominus, testante ipso, cum in propheta dicit : « Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram, kalendas et solemnitates vestras odit anima mea (*Isa.* i). » Ita plane præventus, illud Sabbatum, illum septimum diem intelligere non meretur, quo « complevit Deus opus suum quod fecerat, in quo requievit, cui benedixit et quem sanctificavit (*Gen.* ii), » sicut ipse ait : « Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum (*Joan.* x). » Sine hujus reverentia Sabbati, de quo et Psalmista :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Hæc est dies, inquit, quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII). » Quid sunt in æstimatione Judæorum Sabbata, et aliæ festivitates, nisi quod in oculis Ægyptiorum importunæ ciniphes liberum lucis aspectum prohibentes? Itaque in convertendo aquas in sanguinem, et educendo ranas, id est in prædicando futurus malorum pœnas, et contemnendo loquaces poetarum fabulas inimici prædicatoribus veritatis, utcunque comparare se possunt, « sed ultra non proficient (*II Tim.* III). » Non enim quemadmodum ipsi cæcati sunt, sic versa vice veritatis discipulos per sua sophismata, tanquam per ciniphes vagas et volatiles circumvenire poterunt. « Digitus, inquiunt, Dei hic est. » Notum quidem, et celeberrimum apud fidelem Dei Ecclesiam est Spiritum sanctum digitum Dei esse vel dici. Nam et ipse Filius, de Spiritus sancti loquens potentia : « Si ego, inquit, in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei (*Matth.* XII, *Luc.* II). » Sed et plures digiti in ejusdem Spiritus significatione dicuntur, quemadmodum et unus est Spiritus, et tamen septem spiritus ante thronum legimus. Unde et Psalmista : « Quoniam videbo, inquit, cœlos tuos opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII). » Pluraliter dixit digitorum, videlicet ob pluralitatem donorum unius ejusdemque Spiritus sancti. Sed nunquid homines mente corrupti, videlicet incantatores et malefici illi, ita spiritui proximi erant, ut scienter dicerent, « digitus Dei est hic, » id est proprietatem considerando ejus personæ, causamque propter quam diceretur digitus Dei? Ergo nec isti a semetipsis locuti sunt, id est nescientes quid dicerent, proprietatem nobis confessi sunt Spiritus sancti, nihil aliud intendentes, nisi ut dicerent, virtus vel operatio Dei est hic.

CAPUT XXXIV.

Quid significet quod missum est omne genus muscarum, et quid in eo quod Moyses ait : « Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. »

« Dixitque Dominus ad Moysen : Consurge et sta in diluculo coram Pharaone; egredietur enim ad aquas, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quia si non dimiseris eum, ecce ego mittam in te et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas omne genus muscarum, » etc. Grande spectaculum Deus universo orbi præstitit, cum superbiam Ægyptiorum non de leonibus et ursis, sed de ranis domuit et muscis. « Dixit, inquit Psalmista, « et venit cœnomyia, (*Psal.* CIV), » id est canina musca. Dignam illis fecit contumeliam, videlicet caninas sordes, et contumeliosam ipsorum superbiam omni genere muscarum domando. Hæc plaga quinta est. Porro quintum legis mandatum dicit sic : « Honora Patrem tuum et matrem tuam ut, sis longævus super terram quam Dominus Deus dabit tibi (*Exod.* XX). » Pulchre hæc ex adverso respondent sibi. Nam istine honoratores parentum sunt in terra viventium longævi, illinc omnes contumeliosi, brevi pereunt honore, velut gratia Patris et Creatoris Dei indigni, quemadmodum scriptum est de ejusmodi : « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti (*Eccle.* X). » Ergo potens et magnus Pharao rex Ægypti, a muscis pene victus est. Nam sequitur : « Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis : Ite, sacrificate Deo vestro in terra ista. Et ait Moyses : Non potest ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro. Quia si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus non obruent. » Gravis Ægyptiorum detestatio, et eorum qui vere adoratores unius Dei esse cupiunt, pulchra instructio. Primo sciendum quia de nullo hic pecore agitur quod vel abominandum, vel colendum sit Ægyptiis, ut Domino Deo vero mactetur aut immoletur. Nam per prophetam ipse loquitur : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc præcepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus (*Jer.* VII), » etc. Quænam ergo sunt abominationes Ægyptiorum, nisi fides et omnes animi virtutes? Vel quæ colunt Ægyptii, nisi omnia vitia? Abominabilis namque est superbis humilitas, et injustis universa justitia. Dicit autem Scriptura : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies (*Psal.* L). » E contrario tumidam cervicem et cor crassum Ægyptii colunt. Sed enim hæc primitus mactare debet verus Israel, et tunc demum, spiritum contribulatum, et cor offerre contritum atque humiliatum, ut legitimum et rite ordinatum sit sacrificium. Igitur « abominationes, inquit, Ægyptiorum, » id est veritatem et sanctitatem « immolabimus; et ea quæ colunt Ægyptii, » scilicet omnem falsitatem omnemque pravitatem, unum verum Deum colendo, in nobismetipsis immolabimus. Sed omnes qui hoc ordine volunt immolare, persecutionem patiuntur : Ait ergo : « Quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. » Juxta anagogen non auditur Pharao dicens : « Ite, sacrificate Domino Deo vestro, » sed tantum « in ista terra, » cum dicit Apostolica veri sacrificii tuba : « Nolite jugum ducere cum infidelibus : Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? » (II *Cor.* VI.)

CAPUT XXXV.

Quid significet quod super agros, et super jumenta, pestis gravis facta est.

(Cap. IX.) « Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et loquere ad eum. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quod si adhuc renuis, ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos, et camelos, et asinos, et oves, et boves pestis valde

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gravis, » etc. Hæc jam sexta peccatorum plaga sexti A mandati transgressoribus flagellum illis pronuntiat. Nam et illic dicitur : « Non occides (*Exod.* xx). » Et hic occisoribus infantum filiorum Israel, quos in fluvium projecerunt, mors in aquis eorum consecutura eos approximat. Primum in animalia vindicta grassatur, non repente irruens, sed paulatim ad ipsos usque progrediens, ac pedetentim corripiens peccatores, ut inexcusabiles sint. Nam de tali retardatione Dei vindictæ Apostolus dicit : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ (*Rom.* II). » **183** Cum ergo hæc dicit, subaudiendum B est, quemadmodum Pharao sibi thesaurizavit, cujus exemplum ex auctoritate præsentis Scripturæ cavendum est omni homini cuicunque peccanti vindicta quasi tarde occurrit, ne cum venerit, tanto copiosior quanto tardior obveniat, duro atque impœnitenti, quemadmodum et huic cui magis ac magis indurnti cor suum, tandem æternæ iræ totus thesaurus, quem congregavit, in mari Rubro incubuit.

CAPUT XXXVI.

Quid significet quod pulvis factus est super omnem terram Ægypti.

« Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron : Tolle manus plenas cineris de camino, et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone, sitque pulvis C super omnem terram Ægypti, eruntque in hominibus et in jumentis vulnera et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti. » Hæc plaga septima, septimo mandato, imo ei qui mandati septimi transgressor est, meritam pœnam præsagit. Mandatum quippe septimum est : Non mœchaberis (*Exod.* xx). Quid autem est adulter combustus libidinis igne sulphureo, nisi cinis de camino? « Omnes enim adulterantes, inquit propheta, quasi clibanus succensus a coquente (*Ose.* VII). » Tollitur ergo et spargitur in cœlum cinis de camino, fiuntque vulnera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterii incendio, ad cœleste judicium, et æterna pœna turgens, totusque ulcerosus, sempiternum in anima et corpore portat incendium. « Nec D poterant, inquit, malefici stare coram Moyse propter vulnera quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. » Ecce tertio victi sunt, unde et deinceps nulla fit mentio maleficorum; periit enim memoria eorum. Primo virgis suis, non sine confusione exarmati sunt, quia virga Aaron devoravit virgas eorum. Secundo confusi, quia cum non potuerunt cinifes educere, dixerunt : « Digitus Dei hic est. » Hoc jam tertio sic superati sunt, ut non possent respirare spe ullius victoriæ. Ulcerosi quippe et ipsi, nec jam poterant stare coram Moyse. De simili confusi : e certi sunt, quicunque resistunt veritati. Insipientia enim eorum, inquit Apostolus, manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit (*II Tim.* III).

CAPUT XXXVII.

Quod grando et ignis pariter mista ferebantur, et de eo quod ait Deus : « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. »

« Dixitque Dominus ad Moysen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi, » etc. Et subinde : « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et enarretur nomen meum gentibus in omni terra, » etc. Terribilis hujus sententiæ Apostolus ita meminit : « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam, ut annuntietur nomen meum in universa terra (*Rom.* IX). » Protinus quicunque est protervus scrutator judiciorum Dei dicendo : « Quid adhuc queritur? voluntati ejus quis resistit? » (*ibid.*) recte indignantem eumdem Apostolum audit : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? » (*ibid.*) Ita ille qui propter suam proterviam cognitione Dei secretorum dignus non est, ab auditorio suo procul repulsus, convertitur ad eum qui mente subdita in timore Domini, vel exiguam rationis stillam a cœlesti magisterio deposcit, et dicit huic : « Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam (*ibid.*), » etc. Cum hæc dicit, profecto Deum ab hominum suspicione defendit, ne liceat cuiquam suspicari quod idcirco vel Pharao, vel quisquam alius iram sibi iniquam thesaurizavit, quia in hoc ipsum Deus illum excitavit. Nam idcirco potius Deus Pharaonem excitavit, subauditur in regnum, et idcirco summam illi potestatem contulit, quia vas iræ fuit, et quia jamdudum aptus erat in interitum, idcirco corripiendis superpositus est misericordiæ filiis, ut esset « virga furoris et baculus in manus Domini super eos (*Isa.* X), » quos per tribulationem in gloriam transferre præparavit. Igitur cum dicit : « Idcirco excitavi te, » subaudiendum est in regnum, permittendo videlicet, non agendo, ut in summum ascenderes imperium, et haberes potestatem secundum nequitiam vel duritiam cordis tui, sæviendo in populum meum. « En, inquit, pluam hac ipsa hora eras, grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est. » Ac deinceps : « Et pluit Dominus grandinem super terram Ægypti, et grando, et ignis mista pariter ferebantur. » Octava hæc plaga est, jam cunctis superioribus propinquior ad implendam eorum perditionem. « Percussit enim grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad pecus. » De hominibus nondum quisquam fuerat mortuus, sed hæc plaga jam illorum primitiæ feriuntur. Porro octavum legis mandatum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est : « Non furtum facies (*Exod.* xx). » Sane cum sint plures differentiæ furti, pessimum illud constat furtum esse, quod est veritatem Dei in injustia detinere. Huic peccato meritam pœnam hæc plaga denuntiat, quæ de cœlo facta est, ubi « grando et ignis mista pariter ferebantur. » —Revelatur enim ira Dei de cœlo, inquit Apostolus, super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei manifestum est in illis; Deus enim illis revelavit (*Rom.* I). » Hoc denique quod dixerat, « qui veritatem Dei in injustitia detinent, » subsecutus exponit : « Quia cum cognovissent Deum, inquit, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum (*ibid.*). » Item quæ sit ira Dei, quæ de cœlo super impietatem revelatur, quæque hic per grandinem et ignem designatur, terribiliter exprimit, cum protinus subdit : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis » (*ibid.*), etc. Grando hæc, et ignis iste « cunctam, inquit, herbam agri percussit, et omne lignum regionis contrivit, » quia, videlicet hæc quæ prædicta est ignominia, secundum Apostolum, cunctam humanæ substantiæ pulchritudinem cœlesti ira in vasis iræ injecta polluit, universam rationalis creaturæ dignitatem omni modo destruit. Multa quæ sequuntur, quoniam per se patent, studio proficiscendi præterimus.

184 CAPUT XXXVIII.

Quod levatæ sint locustæ super universam terram Ægypti.

(Cap. X.) « Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam et devoret omnem herbam quæ residua fuit grandini. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, et Dominus induxit urentem ventum tota die illa et nocte. Et mane facto, ventus urens levavit locustas quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, » etc. Ecce quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra complevit Dominus pugnando pro Israel, ranæ, ciniphes, muscæ atque locustæ fuerunt castrorum ejus acies, et ex ejusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios composuit legiones. Singuli milites secundum se breves quidem et infirmi, verum pro exercitibus Pharaonis satis valentes fuere, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset, istæ phalanges locustarum strenua peregere militia. « Operuerunt enim universam superficiem terræ, vastantes omnia. Quamobrem festinus Pharao, » tanquam ad deditionem, « vocavit Moysen et Aaron, » duces tanti exercitus, atque primates imperatoris ejus Dei. « Peccavi, inquit, in Dominum Deum vestrum, et in vos. Sed nunc dimittite peccatum meum, etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat mortem istam a me. » Hoc et supra dixit : « Peccavi etiam nunc. Dominus justus, ego et populus meus impii (*Exod.* IX). » Hoc et illud velut dedititius dixit, sed ubi data est requies, velut refuga induravit cor suum, nec dimisit filios Israel. Non ergo satis est cuiquam dixisse, « peccavi, » nec prodesse potest confessio non admista fide. Attamen a locusta victus est fortis rex. Proinde satis eleganter cum dixisset quodam loco per prophetam : « Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et eruca (*Joel* II), » continuo addidit : « Fortitudo mea magna quam misi in vos (*ibid.*). » Fortitudo, inquit, mea magna, locusta, bruchus et eruca, » subauditur, non supernarum virtutum et fortitudinum cœlestium, sed infirmorum atque imbecillium comparatione hominum, in infirmitate sua superbientium, qui cerviecm erigunt contra Deum, quam pulici subjiciunt. Hæc locustarum plaga nona est. Porro nonum legis mandatum hoc est : « Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium (*Exod.* xx). » Hoc videlicet maxime hæretici faciunt, et omnes qui loquuntur mendacium. At vero in Apocalypsi Joannis hæreticorum mendacii vis per speciem locustarum hoc modo designata est : « Et ascendit, inquit, fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol et aer. De fumo exierunt locustæ in terram (*Apoc.* IX). » Et illic, ubi de fumo exierunt locustæ in terram, et hic ventus urens levavit locustam, mystice idem intelligendum, videlicet, quia sicut locustæ proprium non habent volatum, sed vento in perniciem Ægyptiorum sunt levatæ, sic omnes falsi testes, sive in foro, sive in ecclesiastico concilio, contra sanguinem proximi, sive contra fidem Christi falsa de Scripturis testimonia proferentes, volare se putant pennis scientiæ, sed procul dubio per inane tolluntur vento diabolicæ superbiæ, ad subversionem audientium, ad perditionem sibi consentientium.

CAPUT XXXIX.

Quod « factæ sunt tenebræ horribiles in terra Ægypti. »

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum, et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ ut palpari queant. Extendit Moyses manum in cœlum, et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat. Ubicunque autem habitabant filii Israel, lux erat. » Hæc tenebrarum horribilium densitas, recte Ægyptiis secundum nomen et meritum suum illata est, Ægypti namque nomine dicuntur et re, quia videlicet invidia et odio filiorum Israel oculi eorum fuerant obtenebrati. Porro ut ab ipsis Ægyptiorum tenebris teipsum liberes, quæ decima plaga est, et decimum legis mandatum tibi audiendum est, scilicet : « Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non asinum, non bovem, nec omnia quæ illius sunt (*Exod.* xx). » Ut, inquam, cum Ægyptiis non maneas in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tenebris, sed cum Israel in luce habites; hoc tibi mandatum observandum est. Quid enim magis quam concupiscentiæ oculus totum hominem obscurat? « Lucerna corporis tui, inquit Dominus, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint (*Matth.* v). » Quid, inquam, tenebrosius oculo nequam, verbi gratia, cum videt mulierem ad concupiscendum eam, cum intuetur aliquam rem proximi, ut rapiat eam? Nempe hic talis neminem proximum agnoscit. Si enim agnosceret proximum, non faceret in eo quidquam eorum quæ suadet illi « cupiditas, radix omnium malorum (*I Tim.* vi). » Unde signanter de Ægyptiis est dictum quia « tribus diebus nemo vidit fratrem suum. » Cupiditate namque præoccupatus animus, non videt fratrem suum, non agnoscit proximum suum, eo tantum intentus ut loquatur contra illum falsum testimonium, ut furetur, quia concupivit quæ illius sunt, ut mœchetur uxorem ejus, quia concupivit eam, quod procul non est videre fratrem vel agnoscere proximum. « Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Ite, sacrificate Domino. » Sequitur paulo post : « Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. » Quinimo et sic ait : « Recede a me, cave, ne ultra videas faciem meam, » etc.

CAPUT XL.

Conclusio eorumdem signorum, et prælibatio mysterii cur per hæc signa non victus Pharao tandem immolatione Agni Paschalis superatus sit.

Igitur, sicut superius dictum est, decem plagæ Ægypti, quibus Moyses et Aaron affligere quidem Pharaonem, sed non ita ut dimitteret populum, vincere potuerunt, mystice decem legis præcepta sunt, quæ observando quisque justus, pugnare quidem diabolum, sed ita non superare potuit, ut in seipso funditus destrueret peccati vel mortis regnum. Porro immolatio agni, quam eadem nocte subsecuta est mors primogenitorum Ægypti, et « ortus est clamor magnus, neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus (*Exod.* xii), » quid significet jamdudum totus novit Israel Dei, et ititem jam supra dictum est, quia passionem significavit Christi Filii Dei, per quam et originale peccatum et omnia deleta sunt peccata mundi. Ita jam abhinc narratio tanti operis Dei prosequenda est in laudem et gloriam ejusdem Agni Dei sancti et immaculati, qui solus tulit peccata mundi, una tantum plaga crucis suæ spiritalem tangendo Pharaonem, ut salutem perficeret populi sui, quam lex decem præceptorum decretis ad perfectum adducre non potuit.

IN EXODUM LIBER SECUNDUS.

(Exod., cap. XII—XV.)

185 CAPUT PRIMUM.

Consideratio rursus tertiæ ætatis mundi, qua primo sancta Scriptura condita, secundum similitudinem diei tertii.

Revocemus ad memoriam quod ab Abraham tertiam mundi sumimus ætatem, tertio mundanæ creationis diei, quadam similitudine respondentem, et ejus qui rursum a spiritu timoris tertius est spiritus scientiæ veras divitias possidentem. Tertio namque die, dicente Deo : « Germinet terra herbam virentem faciemem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum (*Gen.* i), » paradisum voluptatis plantatum esse accepimus. Et hac tertia mundi ætate, loquente pariter et scribente eodem Deo per Moysen, sanctam Scripturam conditam novimus vere paradisum voluptatis, vere deliciarum hortum, hortum conclusum, fontem signatum (*Cant.* iv), cujus emissiones paradisus malorum punicorum. Hinc enim cæteræ omnes Scripturæ habent principium. In illo paradiso, « plantaverat Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio ejus (*Gen.* ii). » In isto Scripturæ paradiso plantavit pulchra et suavia, patriarcharum plantaria, et in medio eorum speciosa ligni vitæ, id est, Christi mysteria. Proinde in hac ætate diutius immoramur, pomorum fructibus delectati, dum de singulis lignorum aliquid carpere cupimus, nova semper pulchritudine oculos invitante, atque ideo aviditate mentis nunquam contenta repositis. Cuncta siquidem visu pulchra, cuncta sunt ad vescendum suavia. Lignum enim vitæ est in medio eorum; cuncta enim dicta vel acta in vitæ auctorem Christum respiciunt. Igitur quia ad hoc medium, id est paschalem agnum pervenimus, libet diutius immorari, dulce est enim vitæ mysticis fructibus uberius pasci. Paucis interpositis, quæ per se satis patent, ita sequitur :

CAPUT II.

De mense paschali, quem dicit primum esse in mensibus anni.

(Cap. XII.) « Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti : Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas, » etc. « Mensis iste, » inquit. Quis iste mensis? Is videlicet, quem illi Nisan, nos Aprilem dicimus. Verum non quomodo apud nos, id est Romanos, sic et apud illos mensis vel annus computatur. Nam Romani solarem annum in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

menses placitos per Kalendas diviserunt. Hebræi secundum legem solos lunares menses et annos noverunt. Unde quoties in hac Scriptura sancta sive in lege, sive ante legem quota die mensis quid factum, quidve dictum sit indicatur, nihil aliud quam lunæ ætas significatur. Et alius quidem 30, alius autem 31 dierum mensis habetur, videlicet, quia lunæ cursus 29 diebus ac semisse, id est duodecim horis perficitur. Iste igitur « mensis, » quem lunam Aprilis mensis dicimus, « principium, ait, vobis mensium erit. » Signanter dixit « vobis. » Nam Ægyptiis, principium erat mensium, mensis qui September nominatur apud Romanos, et apud illos dicitur Toth. Nec contentus dixisse « principium mensium, » addidit, « primus erit in mensibus anni. » — « Principium » videlicet « mensium » pro verni temporalis naturali ordine, « primus in mensibus anni » pro paschali divinæ auctoritatis festivitate. « Primus » enim, id est præcipuus, et cæterorum mensium festivum decus « vobis, inquit, habebitur. » Hujus principii mensium, sive primi mensis, hic tenor est legitimus, ut post lunam mensis Martii, qui apud illos dicitur Adar, sequens luna, si vel uno die citius ante æquinoctium plena evenerit, non habeatur « principium, » vel « primus mensis in mensibus anni, » sed superioribus duodecim mensibus additus annum peragat tredecim mensium. Unde et Græce embolismus, id est *supercrescens*, dicitur : nam duodecim mensium lunarium, annus communis dicitur, quo prolixior est solaris annus undenis diebus. Unde fit ut multivagus nusquam certo loco consistat lunæ discursus, et luna mensis Aprilis, quem propter Paschæ rationem quærimus nunc in Martium mensem, nunc in Aprilem incidat, nunc aliquot dies mensis Maii occupet, rectius tamen Aprili deputetur. In qua ejus vagatione nos tamen certa regula dirigimur ut, post æquinoctium vernum, ubicunque primum occurrerit plenilunium, is sine dubio paschalis sit terminus.

CAPUT III.

De decima die, et quartadecima ejusdem mensis, et de mysterio agni ejusdem.

« Decima die, inquit, mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. » Hoc loco nihil aliud familias a domo differt, nisi quod a parietibus domus ejus habitatores. « Per domos, » inquit, id est inter domesticos parietes, « et per familias vestras, » id est **186** singuli ad esum familiæ vestræ tolletis agnum. Sed forte familiola tam exigua sit alicubi ut ad vescendum agnum eadem hora sufficere non possit. Ait ergo : « Si autem minor est numerus ut sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui conjunctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad vescendum agnum. » Et continuo : « Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus. » Non, inquit, licebit, ut secundum quantitatem domesticæ familiolæ suæ, majorem quisque vel minorem tollat agnum, sed erit secundum æquali A tatem, id est omnibus ubique « masculus, » apud omnes « anniculus, » id est, unius anni. Ut autem non desint qui vescantur, providebit, et de vicina domo sumet domunculæ dominus. « Juxta quem ritum tolletis et hædum. » Hoc per anticipationem dictum est. Necdum enim ipsum tollendi agnum dixerat ritum, et jam dicit, « juxta quem ritum tolletis et hædum. » Et est sensus : Sive agnum sive hædum tollat quis pro causa bene erit, dummodo in tollendo, immolando, vescendo, ritum eumdem observetis. Ritum eumdem continuo subnectit : « Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus. » Ut quid tandiu ante « tolletis, » tanto tempore servaturi ? Videlicet ut dum ille præsto est, causa quoque ejus corda vestra sollicitet, ne sitis immemores vel imparati quia transeundem est, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus, exituras castrorum acies excitet. « Et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel, ad vesperam. » Tot utique agni vel hædi erant quot in universa multitudine filiorum Israel domus vel familiæ esse poterant. Verumtamen recte immolabis eum, dixit singulariter, non solum quia plures agni, vel plures homines sint, ut philosophi perhibent, participatione speciei unus agnus vel unus homo, sed quod magis ad rem attinet, quia in omnibus unitas sacramenti, in cunctis unius erat futuri, de quo postmodum dicendum erit. « Et sument de sanguine agni, et ponent super postem utrumque, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. » Cur ita fieri jubeat, primus aperire videtur, cum dicit : « Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis. Et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. » Et paulo post : « Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios. » Ait Moyses ad seniores Israel : « Cumque viderit sanguinem in superliminari ac in utroque poste, transcendet ostium, et non sinet percussorem ingredi. » Non per semetipsum percutit, sed potestatem dat angelo percutienti, angelo malo, sicut et Psalmista testatur, cum dicit : « Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos (*Psal.* LXXVII). » Ergo nec ipsa subita Dei, sed missa in eos ira indignationis ejus est, quæ transit. Et recte percussori traduntur angelo malo, postquam subjici noluerint per semetipsum corripienti, et decem plagis ad pœnitentiam invitanti Deo. Porro quod ait, « videbo, » id est fidem vel attentam credentium exspectationem approbabo. Nec enim obliviosus est, aut errabundus incedit Deus, ut nisi signum sanguinis viderit in postibus, nesciat quibus in domibus sit, aut non sit comestus agnus, et errore deceptus percutiat pariter justos cum peccatoribus. Ita non quidem sanguis agni bibitus est; alio namque loco Scriptura dicit : « Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, excepto quod carnem cum sanguine non co-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

medetis (*Gen.* IX). » Sed nihilominus proficit, cum ejus intuitu non sinitur percussor domum ingredi. « Et edent, inquit, carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus, » etc. Quid causæ secundum litteram, vel utilitatis hæc habeant, quod cum azymis panibus, et cum lactucis agrestibus agnus comedi jubetur scire non possumus. At vero quod ait : « Nec remanebit ex eo quidquam usque mane, si quid residui fuerit, igni comburetis. » Idcirco secundum litteram debet intelligi, quia videlicet qui comedat hoc sacrum mane, Hebræus nullus erit, media nocte cogentibus exire Ægyptiis. Et nunquid consueverat populus ille carnes comedere crudas, ut dicatur eis, « non edetis ex eo crudum quid? » Porro quod « sic, inquit, comedetis eum : Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinantes, » potest idcirco factum vel dictum intelligi, ut qua hora fieret clamor in Ægypto, quod mox futurum erat mortuis omnibus primogenitis, illi essent parati, urgentibus Ægyptis et exire compellentibus nullamque omnino in proficiscendo moram facere sinentibus. Proinde jam et nos proficiscamur, videlicet ab ista litterali gloria, « quæ evacuatur, » ad permanentem in facie Christi gloriam vivificantis Spiritus (*II Cor.* III).

CAPUT IV.

Mystice de eodem agno, quod in illo figura, in nostro autem Pascha veritas sit.

Jam phase sive pascha, id est transitum nostrum, novimus, Apostolo dicente : « Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V). » Illic figura, hic autem veritas. Illic umbra, hic autem corpus est. At vero, inquis, per eamdem fidem salvati sunt illi, per quam salvamur et nos. Acquiescimus, quia per eamdem fidem, sed non per eumdem fidei scientiam, non per eamdem fidei confessionem. Hodie palam exigitur ut corde credas ad justitiam, et ore confitearis ad salutem (*Rom.* X), quia verus est Agnus, Christus Filius Dei, qui nos morte sua redemit de morte, qui nos sanguine suo consecravit, et resurrectione sua in vitam reparavit. Et hoc præfiguratum fuisse, in illa immolatione paschalis agni, in illo transitu filiorum Israel, in illa submersione curruum et exercitus Pharaonis, filiis Israel per mare Rubrum transeuntibus, manifestum est. Nunquid jam illi habebant fidei vel confessionis scientiam? Et quidem Moyses et prophetæ, alii plus, alii minus, secundum placitum Spiritus sancti dividentis « singulis prout vult (*I Cor*, XII), » sacramenti hujus habuere notitiam, sed qualiter hoc a populo subtegere deberent in uno Moyse omnibus significatum est. Ubi enim cognitionem secretorum cœlestium accepit, facies ejus secundum similitudinem mentis refulsit, sed splendorem eumdem non valentibus sustinere filiis Israel, velamine operuit (*Exod.* XXXIV). Nunquid splendidam faciem tantum operuit, et splendoris causam, scilicet sacramentorum Christi Filii Dei cognitionem, publica cunctis prædicatione operuit? Non utique, sed sicut faciem tantum operuit sub velamine, sic secretum spiritus abscondit sub tegumento litteræ. Sed et prophetæ palam annuntiare prohibiti sunt. Unde uni illorum dicitur : « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis (*Isa.* VIII). » Et alii dictum est : « Tu ergo signa visionem, quia post dies multos erit (*Dan.* VIII). » Item : « Vade, Daniel, quia clausi, signatique sunt sermones usque ad tempus præfinitum (*Dan.* XII). » Igitur fides quidem exigebatur a populo Israel, scilicet ut crederent quod Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus **187** Isaac et Deus Jacob, unus et solus verus Deus esset, et quod in semine Abrahæ benedicendæ essent omnes gentes, sed illud ab eis exigi non poterat quod non eis erat annuntiatum, ut crederent scilicet quod hoc modo vel tali ordine benedictiones illæ implendæ forent in Christo. « Si enim cognovissent, inquit Apostolus, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Quid « cognovissent? » — « Sapientiam, inquit, quam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur sapientiam Dei, in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam suam, quam nemo principum hujus sæculi novit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*ibid.*). » Itaque et hanc immolationem agni paschalis, et cætera quæcunque, ut ait Apostolus, « in figura contingebant illis (*I Cor.* X), » sic accipimus et sic legimus, tanquam actuales prophetias vel promissiones Christi venturi, clausas sub sigillis quæ solus aperire posset idem Agnus Dei (*Apoc.* V), quod et fecit postquam resurrexit a mortuis, dicente Evangelista : Quia « tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Idcirco vero passionis ejus mysterium in hujusmodi figuris præfiguratum est, quia non caperet mundus, ut sibi jam tunc dictis manifestis prænuntiaretur, nec hujusmodi manifestatio Spiritus in eo tempore ad utilitatem daretur.

CAPUT V.

De testimonio Joannis, dicentis : « Ecce Agnus Dei, » et quid significet quod agnus in plenilunio immolari jussus sit.

Et in hac quidem figura agni, qualis res indita sit, eo maxime clarescit quod Joannes, Christum digito demonstrans : « Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Cum enim hæc dicit, profecto, ut est « lucerna ardens et lucens (*Joan.* V), » illam nobis illustrat vesperam qua omnis multitudo filiorum Israel istum, de quo diximus, agnum tali ritu immolavit, et cuncta quæ illic acta sunt in tenebris, hic in vero lumine manifesta dicit. Cuncta splendida, cuncta divinæ rationis sunt plena. Primum ipsum quo immolatur agnus plenilunium, mystice illa plenitudo temporis est de qua dicit Apostolus : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* IV). » In

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

plenitudine namque temporis, id est quando multis jam impletus erat electorum numerus apud infernalem Ægyptum, redemptionem suam exspectantium, tunc venit Filius Dei, tunc venit Agnus Dei tollere peccata mundi. Quid illud quod non ante, sed post vernum immolatur æquinoctium? Nempe ab æquinoctio verno superare incipit dies noctem; nam ante illud tempus prolixiores tenebras, brevioremque habemus lucem. Ergo et in hoc mysterium est quia, videlicet ab immolatione Agni incontaminati et immaculati Christi, cœpit lux justitiæ peccatorum tenebras superare, nam antea longa et profunda peccatorum nox, brevis autem et nubilosa legalis justitiæ lux erat. Sed et ipsa mensis Nisan, id est Aprilis, verna temperies, cum tellus reflorescit totusque post hiemem, quasi post senium, rursus juvenescit orbis, nonne sensatum hominem docet quatenus renovatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, et charitate floridus, paschalis agni epulis intersit spiritualibus?

CAPUT VI.

Quod verus Agnus Christus, secundum legis mysterium, decima die civitatem intraverit, et quarta decima ad vesperam manducandi corporis et bibendi sanguinis sacramentum instituerit.

Bene ergo verus iste Agnus immolationis suæ tempus ipsum, quod typico præscripserat agno, per omnia providit. Mense primo, decima die mensis, quo secundum legem agnus in domos Judæorum tollebatur, intravit in sanctam civitatem Hierusalem, turbis deducentibus, et quandiu item secundum legem servatus est, tandiu et iste circa civitatem eamdem et circa templum demoratus est, id est usque ad quartam decimam diem mensis ejusdem, sanctæ Scripturæ herbam ruminans, et ad vitæ æternæ pascua interim suos auditores jugi halatu invitans. Tandem quarta decima die, ad vesperam, ubi illum paschæ veteris agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse novi sacrificii Agnus continuo capiendus et ducendus ad immolandum, jam in angustia passionis agonizans, prius propriis manibus Deo Patri semetipsum immolavit, accipiens panem et vinum, et mira atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis et sanguinis sui sacramentum. Nam, quod deinde manibus peccatorum crucifixus et mortuus est, idem Agnus præteritorum atque præsentium salus omnium continuo fuit, et ad illos qui in inferiori Ægypto, id est in infernalibus detinebantur tenebris descendit, quique per quinque retro actas mundi ætates ibidem fuerant collecti. Unde et constat recte quinque diebus, a decima scilicet usque ad quartam decimam mensis agnum servari, quia, videlicet ex quo in typum ejusdem Filii Dei primus Abel agnum obtulit, quinque fluxerunt ætates mundi quarum in fine immolandus erat hic verus Agnus Dei. Continuo, inquam, ut manibus impiorum occisus est Filius Dei, destructum est regnum mortis, et soluta captivitas populi Dei, non valentibus eos tenere Ægyptiis, quos ita cum principe eorum diabolo mortis præposito virtus sanguinis Christi obruit, quomodo illos Ægyptios homines regemque eorum Pharaonem, cum curribus ejus, profundum maris involvit. Quod vero manibus suis, ut jam dictum est, corpus et sanguinem suum sub specie panis ipse summus Pontifex obtulit, et « hoc facite in meam commemorationem dixit (*Luc.* XXII), » eorum salus est qui in ista vita detinentur, quibus Ægyptus hic mundus est, quibus vera captivitas sub diabolo mundi principe ignoratio Dei est. Nisi enim hoc sacramentum corporis et sanguinis sui cum mysterio baptismi in quo similitudo est mortis ejus instituisset, nobis omnibus quicunque nondum eramus, sive omnibus qui tunc erant gentes, et ad simulacra muta, prout tunc ducebantur, euntes (*I Cor.* XII), quando Christus pro peccatis nostris semel mortuus est, mors ejus nihil profuisset. Solos enim illos in illa hora lavit a peccatis quos, sive mortuos, sive vivos, mors ejus fideles invenit. Ritum ergo legitimum manducandi corpus et bibendi sanguinem Domini nostri Jesu Christi de ritu spiritualiter metiamur illius typici agni, in gloriam et honorem hujus veri Agni Dei qui tollit peccata mundi.

188 CAPUT VII.

Quid dictum sit : « Tollat unusquisque agnum per familias et domos suas, » quomodo annuatim et quotidie celebrat Ecclesia.

« Decima die, inquit, mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos suas, et servabitis eum usque ad quartam decimam diem, et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam. » Hoc agit solemni ritu omnis Israel, id est Ecclesia Dei, cum, redeunte anni tempore quo Christus passus est, ante quinque dies, sacrosanctæ ejus passionis, illum ejus ingressum in sanctam civitatem atque occursum puerorum cum ramis palmarum (*Matth.* XXI) religiosa deductione, vel exceptione, laudes canendo imitatur. Ea sola distantia ut qualicunque feriarum luna eveniat decima quæ est secundum Hebræos decima dies mensis, sive luna quarta decima, quæ est quarta decima dies mensis, semper tamen in prima hebdomadæ, id est Dominica die, hunc processionis occursum, et in sexta mortem, itemque in prima celebret ejusdem resurrectionem, ut qui morte et qui resurrectione ejus semel sacratus est dies, is mortis et is resurrectionis memoria per omnes annos sacer perseveret. Cæterum ad immolationem vel esum Agni, non una vespera, sed totus annus sanctæ Ecclesiæ acceptus est. Quocunque die, quacunque in domo Israel immolare vel edere libet, Scripturæ hujus mysterium observandum est. « Si autem minor numerus est, inquit, ut sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui conjunctus est domui suæ, » etc. Numerum hic mystice sic pene oportet intelligi quomodo et in psalmo, cum Propheta dicit : « Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sciam quid desit mihi (*Psal.* xxxvm). » Numerus enim hominis (ut secundum præsentem causam loquamur) tunc sufficiens est, quando is qui Agnum manducat, mysteria ejus penetrare prævalet. Sed ad hæc quis tam idoneus? Quis infantiam tantum supergressus est, tantamque dierum bonorum multitudinem collegit, ut ad capiendum totum cibum tam solidum nihil sibi desit? Ergo quoties hunc Agnum immolamus, recte paucitatem nostram confitentes in nobis, quia totum ejus mysterium capere non possumus, assumimus vicinum, qui conjunctus est domui nostræ, scilicet apostolorum et martyrum chorum, qui per eamdem fidem propinqui sunt familiæ Christianæ. Denique sine illorum invitatione, nunquam comedere præsumimus. Dicimus enim : « Communicantes et memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper virginis Dei genitricis Mariæ, sed et beatorum apostolorum et martyrum tuorum. » Quod idem est ac si dicamus id, eamdem fide nos immolare et comedere agnum Dei in qua virgo concepit et peperit, quam apostoli sancti prædicaverunt, pro qua beati martyres passi sunt. Ita vicinis assumptis, nos per Dei gratiam ad esum Agni sufficimus, quia, videlicet et si totum ejus mysterium comprehendere non valemus, satis tamen est quia nihil de illo quod apostolicæ fidei sit contrarium sentimus.

CAPUT VIII.

De eo quod dictum est : « Erit agnus sine macula, masculus anniculus. » Et quid sit hædum tolli.

« Erit autem, inquit, absque macula masculus anniculus. » Macula peccatum est. At ille « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*Isa.* LIII; *I Petr.* II). » Erit ergo, inquit, « absque macula, » id est « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus (*Hebr.* VII), » in quo nulla est iniquitas. Sed parum haberet gloriæ sola innocentia, si non adesset fortitudo quoque ad agenda perfectæ justitiæ opera. Erit ergo, inquit, et « masculus. » Masculus enim, hoc est fortis, quia nihil femineum, hoc est molle vel fluxum admittit. Unde et in Apocalypsi dicitur, de muliere magna, quia « peperit filium masculum qui recturus erat gentes in virga ferrea (*Apoc.* XII). » Additur adhuc quia erit « anniculus. » Anniculus, id est perfectus; perfectionem enim ab illo consequimur, quemadmodum et ipse in propheta testatur : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domini et diem ultionis Deo nostro (*Isa.* LXI; *Luc.* IV). » Annum, inquit, placabilem pro his quos ad gloriam præparavit, et diem ultionis pro his quos in iram destinavit. Annum quippe placabilem sive acceptabilem, plenam acceptionem dicit, quam et Apostolus prædicat his verbis : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI), » etc. De hujus anni illius, imo et nostri plenitudine dicitur ei per os Psalmistæ : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ (*Psal.* LXIV), » subauditur, cum venerit ad te omnis caro remuneranda in illa dierum æternorum longitudine. Et quia is, qui sua non habuit, aliena peccata portavit, sequitur lex et dicit : « Juxta quem ritum tolletis et hædum. » Sicut enim propter suam innocentiam in agno, sic propter iniquitates omnium nostrum, quas Deus posuit in eo, recte idem figuratur in hædo. Sive ergo agnus, sive sit hædus, qui apud illum et illum immolatur, unus idemque in mysterio est Christus, a suis (quia nulla sunt) mundus, pro alienis peccatis offerendus. Vel mala æstimatione hominum, hædus, id est peccator, vera autem verissimæ similitudine innocentiæ agnus erit. Quod utrumque propheta considerans : « Et nos, inquit, putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum : ipse autem vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra (*Isa.* LIII). » Et servabitis eum usque ad decimam quartam diem mensis hujus. De hoc jam dictum est.

CAPUT IX

Quid sit ad vesperam agnum immolari, et prius postes sanguine ejus signari, ac deinde carnes ejus manducare.

« Et immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. » Vespera præsens sæculi ætas, in qua nos sumus, « in quos, ut ait Apostolus, fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X), » recte dicitur. Porro « universa multitudo filiorum Israel » universitas credentium est. Quæ quandocunque sit per orbem terrarum diffusa unus est Agnus quem in tot locis immolat, unus est panis quem frangit, unus est Christus, cujus manducat carnem et sanguinem bibit, dummodo id quod sequitur spiritualiter testimonium habeat catholicæ fidei : « Sument, inquit, de **189** sanguine, et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. » Quidnam sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicimus. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste sanguis Agni est positus, quando sacramentum passionis illius ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem ejus necdum velit, solum in uno poste sanguinem posuit. Qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem habitamus? Cujus domus superliminaris est ipsa intentio quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus, Agni sanguinem ponit. Vel certe domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus, habitamus. Et in superliminari domus, Agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus. Aliter : « Sument de sanguine agni, » etc. Notandum quia prius oportet domum signari sanguine Agni, et tunc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

demum carnes ejus in illa manducari. Hoc vere legitimum ac necessarium est, nec aliter digne fieri potest. Etenim prius oportet quemque baptizari in morte Agni, id est Christi, prius, inquam, complantatum fieri, similitudini mortis ejus, ut sit et resurrectionis (*Rom.* VI), atque ita consecrata domo, tunc demum intus mensæ vivificæ participari. Sunt autem notæ sanguinis tres, duæ scilicet in utroque poste, tertia in superliminari. In nomine enim Patris et Filii et Spiritus sancti baptizamur, quæ tria nomina sive tres personæ sunt, sed unus Deus. Cujus videlicet trini nominis confessio, dum fide passionis Christi perornatur, unius ostii duo postes cum superliminari Agni sanguine titulantur.

CAPUT X.

Qualiter in sacramento altaris observandum sit quod dictum est : « Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. »

« Et edent carnes nocte illa assas igni. Non edetis ex eo crudum quid, vel coctum aqua, sed tantum assum igni. » Signata domo comedimus, quia, videlicet per baptismum consecrato cuique, et a macula veteris cibi per quem periit humanum genus emundato, corpus et sanguis Christi traditur, quo cibo non superbe fieri velit sicut Deus sed humiliter in gratiam filiorum Dei adoptari mereatur. In nocte quippe agnum comedimus, qui in sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem conscientias nostras non videmus. « Carnes, inquit, assas igni, » id est excoctas molestia passionis. Unde quia vis ipsa passionis, eum valentiorem reddit ad resurrectionem, dicit in persona ejus Psalmista : « Aruit tanquam testa virtus mea (*Psal.* XXI). » Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur ut solidetur. Virtus ergo humanitatis ejus, velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit. Amplius autem, quia de Spiritu sancto, qui æternus est ignis, Virgo illum concepit, et ipse per eumdem Spiritum sanctum, ut Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam vivam Deo viventi (*Ephes.* V), eodem igne assatur in altari, operatione namque Spiritus sancti panis corpus, vinum fit sanguis Christi. Sed istud non capit humana sapientia. Repellitur ergo illa non tam sapientia quam curiositas, dum repetendo dicit : « Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. » — « Crudum » namque comedere nihil aliud est, nisi quod videtur æstimare, et « coctum aqua » comedere est, quomodo sit velle carnaliter dijudicare. Sed comedetis, inquit « assum tantum igni, » id est, totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus effectus non est destruere vel corrumpere substantiam, quamcunque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat (166). Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam, operatione sua ex utero Virginis, Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit, sic substantiam panis et vini, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, et sanguinis ejusdem quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item, quomodo Verbum a summo demissum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem, sic panis et vinum, utrumque ab imo sublevatum, fit corpus Christi et sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utrumque, divinæ scilicet et humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte et catholice Deum confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de sancto altari, Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus.

(166) Hæc opinio post in Concil. Lateranensi sub Innocentio III reprobata est. Substantia enim panis et vini non permanet, sed convertitur in corpus et sanguinem Christi. Ideo non admittitur adducta similitudo.

CAPUT XI.

Quid significent azymi panes cum lactucis agrestibus.

« Et azymos panes cum lactucis agrestibus. » Alterum horum, scilicet quod de azymis jubetur, tam in re quam in mysterio observamus, ut videlicet azymum panem ad conficiendum Christi corpus habeamus, et mystice vetus fermentum a nobis, scilicet fermentum malitiæ et nequitiæ, secundum Apostoli præceptum, expurgemus (*I Cor.* V). Alterum vero, id est quod de lactucis agrestibus præcipitur, tantum spiritualiter attendimus, quia videlicet auctor hujus sacramenti, non eas corporaliter adhibuit, sed solummodo panem et vinum benedicens dedit discipulis suis. Unde mirandum quo Græcorum consuetudo auctore tradita inoleverit, qui fermentatum panem quærunt, et a sacramento Christi azymum rejiciunt, cum nulli dubium esse debeat quod Dominus noster non nisi de azymo illud primitus effecerit. Etenim neque fermentatum nocte illa secundum legis edictum inveniri licebat in cunctis domibus Israel, neque ipse apud se habendo fermentatum, legitimam porrigere debebat occasionem inimicis suis, cum diceret lex : « Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ (*Exod.* XII). » Sed de hoc adversum illos abundeque jamdudum a Romana sede disputatum est. Porro, azyma et lactucas agrestes ut spiritualiter edamus, ab ipsis qui primi hoc egerunt apostolis evidens exemplum habemus. Etenim in eo vetus fermentum expurgaverunt, et erant nova conspersio epulando in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V), quia præsens passio Christi mundabat illos ab omnibus peccatis quibus corruptus homo primus totam generis sui massam fermentaverit. Dixit enim illis in illa cœna sacrosancta, hic verus Agnus Dei : « Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum **190** vobis (*Joan.* XV). » Nisi enim quia sermonem meum audistis et credidistis, nequaquam per hanc passionem meam mundaremini. Quasi præteritum dixit, « mundi estis, » eo videlicet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

modo quo postea ibidem ait ad Patrem : « Et jam non sum in mundo (*Joan.* XVII), » cum nondum peractum, sed agere cœpisset ut transiret ex hoc mundo. Lactucas vero agrestes, quæ valde amaræ sunt, simul comederunt, quia profecto propter illa quæ dicebantur jam in summa tristitia erant, et per totum triduum amaritudini passionis ejus satis moleste communicaverunt. Eorum ergo exemplo nos carnes agni cum lactucis agrestibus comedimus, cum corpus Redemptoris accipientes, nosmetipsos pro peccatis nostris affligimus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ.

CAPUT XII.

Quid sit agnum totum vorari, caput quoque cum pedibus et intestinis.

« Caput cum pedibus et intestinis vorabitis. » Hoc facere omnes communiter possunt, singulatim quique adimplere non possunt. In magna namque et in parva domo, sunt et perfecti, quorum sit solidus cibus quale est osseum caput; sunt et parvuli, quorum infirmo dente vix intestina mollia terantur. Denique caput agni vorare est alta divinitatis Christi eloquia viriliter capere, verbi gratia, quale est : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Pedes vorare est nec illud ignorare quia « Verbum caro factum est. » Intestina vorare cum pedibus est verborum illius occulta et mystica mandata cum aviditate sumere, vel certe singulas infirmitatis ejus actiones sive passiones in usum virtutis assumere, verbi gratia, quod esuriit, quod flevit, quod contristatus est, ad summum, quod tentatus est, « pro similitudine absque peccato (*Hebr.* V). » Vorare cum dicit, quid aliud quam pigritiæ nostræ torporem reprehendit, qui ejus mysteria atque verba et per nos non requirimus, et dicta ab aliis audimus inviti? Totum ergo vorandum est, dum tempus habemus. Ait enim : « Non remanebit ex eo quidquam usque mane. » Dicta quippe hujus magna sunt sollicitudine discutienda, quatenus, priusquam dies resurrectionis appareat, in hac præsentis vitæ nocte omnia mandata ejus intelligendo et operando penetrentur. Sed quia valde est difficile ut nihil ex eo remaneat, id est ut omne Agni eloquium intelligi et omne ejus mysterium possit penetrari, recte subjungitur : « Si quid autem remanserit, igni comburetis. » Quod ex Agno remanet igni comburimus, quando hoc quod de mysterio incarnationis ejus intelligere ac penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus, ut non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit. Sed hoc igni tradit, cum Spiritui sancto reservat.

CAPUT XIII.

Quid sit renes accinctos et calceamenta in pedibus habere et baculos tenere.

Quia igitur qualiter edendum sit Pascha cognovimus, nunc a qualibus edi debeat agnoscamus. « Sic autem comedetis illum : Renes vestros accingetis. » Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur; unde Psalmista postulat, dicens : « Ure renes meos (*Psal.* XXV). » Si enim voluptatem libidinis in renibus, id est, si libidinem in lumbis suis esse nesciret, eos uri minime petiisset. Unde quia potestas diaboli humano generi maxime per luxuriam prævaluit, de illo voce Dominica ad Job dicitur : « Potestas ejus in lumbis ejus (*Job* XL). » Qui ergo Pascha comedit, accinctos renes habere debet, ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, voluptates edomet, carnis luxuriam restringat. Neque enim cognovit quæ sit solemnitas incorruptionis qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet. Hæc quibusdam dura sunt, sed angusta est porta quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII). Et habemus jam multa exempla continentium. Unde et bene adhuc subditur : « Calceamenta habebitis in pedibus. » Quid sunt enim pedes nostri, nisi opera? Quid vero calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ vero sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniantur pedes, nisi antiqui Patres qui nos ad æternam patriam præcesserunt? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum vitam respicere, et nostra vestigia a peccati vulnere custodire. « Tenentes baculos in manibus. » Quid lex per baculos, nisi pastoralem curam designat? Et notandum quod prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere, quia illi debent curam pastoralem suscipere qui jam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ edomare, ut cum aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus enerviter non succumbant. Bene ergo subditur, « et comedetis festinantes. » Notandum et hoc quod dicitur « festinantes. » Mandata Dei, mysteria Redemptoris, cœlestis patriæ gaudia, cum festinatione cognoscenda, et præcepta vitæ cum festinatione implenda sunt, quia enim adhuc hodie licet bene agere scimus, utrum cras liceat ignoramus.

CAPUT XIV.

De eo quod dictum est : « Est enim phase, id est, transitus Domini, » et de percussione primogenitorum.

Causam faciendorum omnium quæ hic præcepta sunt, ita subjungit : « Est enim phase, id est transitus Domini, et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. » Ideirco, inquit, postes vestros sanguine agni signabitis, et hoc ritu carnes ejus festinantes comedetis, carnes videlicet agni, subditur enim quia « phase est, id est, transitus Domini. » — « Domini » non est in verbo phase, sed interpretationi est additum, quia necessario subaudiendum est. Sequitur enim, et dicit ipse Dominus : « Transibo per terram Ægypti nocte illa. » De eo quod ait, « et videbo san-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

guinem, » jam supra dictum est. Porro transire de loco ad locum, Dei non est, quippe qui loco nullo tenetur, sed ubique est. Ergo quod dicit, « transibo, » secundum figuram temporis illius, pro simili dictum est, id est, egrediar ad modum gigantis, in fortitudine contra hostem irruentis, et post abscessum suum victoriæ suæ vestigia plena relinquentis planctibus. Unde liber Sapientiæ dicit : « Cum enim quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exsiliens de cælo a regalibus sedibus venit, durus bellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus, insimulatum imperium tuum portans, **191** et stans replevit omnia morte (*Sap.* XVIII). » Cæterum de illo transitu qui per istum figuratur dicit evangelista sanctus : « Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia ejus hora venit, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). » Ille enim vere transitus Domini, imo omnium nostrum transitus est. Nam illo transeunte ex hoc mundo ad Patrem, transivimus et nos ejusdem Patris gratia de vinculis ad absolutionem, de tenebris ad oculorum nostrorum revelationem. Transivit ille de hoc mundo quidem, qui et ipse quodammodo dicitur Ægyptus, transivit per Ægyptum inferiorem, id est infernum, qui, secundum nomen Ægypti, vere jam tenebrosus est et locus horridus. Et quoscunque invenit illic dignos filios Israel signatos fide sanguinis sui a justo Abel, qui primum in typum illius obtulit agnum, usque ad latronem quem sanguine suo signavit in ipsa hora transitus sui, cunctos liberavit, percutiendo primogenitum Pharaonis, id est, peccatum primæ prævaricationis quod originale dicitur, quod persuasio diaboli generavit. Igitur postes certatim signandi, et carnes agni festinanter edendæ sunt ; transiit enim Dominus ultra non reversurus. Mortuus enim semel resurrexit, et « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Isto transitu ejus contenti estote, et postes signate omnes filii Israel ; alium enim transitum sperare non licet. Veniet quidem idem Dominus, sed per Ægyptum inferni non transibit amplius, non ultra pro illis qui nunc in tenebris exire jussi sunt morietur.

CAPUT XV.

Quid sit mystice septem diebus azyma comedere, et quis sit primus dies quo fermentum non sit inveniendum in domibus.

« Habebitis autem hunc diem in monumentum et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, culta sempiterno. Septem diebus azyma comedetis. » Præclarum monumentum, grande et magnificum memorialis instrumentum, septem diebus non comedere fermentatum. Hoc summa diligentia cavendum esse, confirmando subjungit : « In die primo non erit fermentatum in domibus vestris. » Subauditur ne dum præsens est, facilius possit quis in prævaricationem labi. Est autem primus dies azymorum, decima quarta mensis. Quid enim ? Numquid de fermento panum cura est Deo ? An propter peccatum dicit diabolicæ superbiæ, quo fermentatum est genus humanum in primi parentis prævaricatione ? Septem ergo diebus, id est, tota vita nostra, ab hoc fermento caveamus. Nam per gratiam fit ut primo die non inveniatur, deinceps nostri studii sit ne iterum corrumpatur. Etenim primo die solemnitatis nostræ, id est, mox ut quisquis nostrum signatus est Christi sanguine, id est, baptizatus, in illius morte omne peccati veteris fermentum vacuatum est, vestigia ejus nulla supersunt, inveniri non potest. Idcirco grandi interminatione iterum atque iterum prohibendo repetit : « Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel a primo die usque ad diem septimum. » Ordo verborum est : Quæcunque anima fermentatum comederit a die primo usque ad diem septimum peribit de Israel. Et continuo subjungit : « Dies prima et dies octava hujus festivitatis erit æque venerabilis. » Octava namque dies in primam diem et septem dies dispertivit. Nam deinceps ait : « Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque in diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. » Plane hoc dicto dies octo complexus est. Protinus adhuc fortissimum vinculum adhibens proponit : « Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. » Continuo subdit : « Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. » Nec mora, quasi currens sub uno spiritu concludit : « Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris edetis azyma. » Quisnam ille primus dies, nisi is de quo Psalmista : « Hæc est, inquit, dies quam fecit Dominus, » subauditur illucescere nobis, subjungens ita : « Exsultemus et lætemur in ea ? (*Psal.* CXVII.) » Hæc dies plane est Christus, dies magnus et præclarus, in quo de Ægypto eximus, in quo de tenebris vocati in admirabile lumen educti sumus (*I Petr.* II). Propter quod dicit : « Dies prima erit sancta atque solemnis. » Itemque de eodem Psalmista : « Constituite, inquit, diem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII), » id est, positi in condensis et multiplicitate bonorum operum, vacate a peccatis, secundum diem quæ illuxit nobis, usquequo perveniatis ad cognitionem divinitatis ejus, in cujus fide tanquam in altari quidquid boni in nobis est, Deo offerimus. Dies itaque prima, inquit, sancta erit atque solemnis. Qui enim velut agnus occisus est ex infirmitate hominis, ipse verus dies æterna claritate fulget ex virtute Dei. Hanc diem sequuntur nostri dies septem continua celebritate, ut septimus quoque eadem festivitate sit venerabilis : tota namque vita nostra sic agenda est, ut in eo consummetur a quo cœpit. Tantæ namque diligenter observandæ festivitatis causam interposuit : « In eadem enim, inquiens, ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti. » Signanter dixit exercitum vestrum, videlicet quia non ad otia sive

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ludicra eximus de terra Ægypti, de domo antiquæ servitutis, sed ad pugnandum, adversus principes et potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* II), quippe cum tempus sit ut regnum Dei vim patiatur, et nos violenter agendo diripiamus illud (*Matth.* XI) : idcirco illud interposuit, « Nihil operis facietis in ea, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, et observabitis azyma. » Propugnatoribus namque regni Dei, nihil de omni mundo curandum est, sed, juxta Apostolum, habentes victum et vestitum, his contenti sint (*I Tim.* VI), præoptantes tamen et primum quærentes panem verbi Dei, et interim sine ulla oblivione observent azyma, de quibus sæpe dictum est.

CAPUT XVI.

Quid sit cum fasciculo hyssopi postes sanguine signari, et foras usque mane non egredi. Quodque aliud sit, verbum istud custodiri, atque aliud, cæremonias istas observari.

« Vocavit autem Moyses omnes seniores Israel, et dixit ad eos : Ite tollentes animal per familias vestras, immolate phase, fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem. » Animal dixit generali nomine, tam hædum significans quam agnum, quorum utrumlibet tolleret quis, ut supra dictum est, præceptum perficeret, præscriptum observando ritum, « fasciculum, inquit, hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine. » Quasi jam esset sanguis in limine, sic locutus est et non dixit, quem ponetis in limine. Unde et qualiter habendus esset sanguis in limine, utrum agnus in limine deberet occidi, an alio quolibet modo deberit illic effundi, incertum reliquit. Cæterum de sanguine veri Agni, Christi Filii Dei, certum est quia non in abscondito, vel intus repositus, sed omni mundo palam expositus est, **192** ut quicunque domum suam signare velit, ut liberetur de manu percussoris diaboli, cito inveniat, cito et velociter salus illi occurrat, dummodo sic faciat : Tollat fasciculum hyssopi, et intingat in sanguine, id est, recitet symbolum, spem totam constituens in sola salutifera Christi passione, et inde tres notulas faciat in utroque poste, et in superliminari, baptizatus videlicet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Hyssopus namque herba humilis est, nasciturque in petrosis locis, et deponit tumorem pulmonis. Significat vero fidem et humilitatem passionis Christi, per quam superbiæ tumor deponitur, quo primus homo corruptus contra suum Creatorem intumuit. Quod sperans Psalmista, dicebat : « Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Igitur hyssopus tinctus agni sanguine, quo domus signetur, humilitas mentis est cum passionis Christi fide, in quo quisque credentium baptizetur. « Nullus, inquit, vestrum egrediatur ostium domus suæ usque in mane. » Quare ? « Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios. » Et hoc nobis vigilantissime observandum est, ut usque mane, id est, usque ad finem hujus nostræ nocturnæ vitæ, intra catholicæ Ecclesiæ claustra maneamus, neque per hæreses vel schismata, tumultuando foras erupisse quis inveniatur. Nam quisquis foris foerit inventus, reputabitur Ægyptius, et cum Ægyptiis pariter pertranseuntis Domini flagello percutietur. « Cumque viderit sanguinem in superliminari, transcendet ostium, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et lædere. » De hoc jam superius dictum est, quia sicut ex hoc loco constat, quamvis dicatur Dominus Ægyptios percutere, non tamen per seipsum percutit, sed percussori scilicet angelo malo potestatem dat percutiendi. Tandem ita concludit : « Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in sempiternum. Cumque introieritis terram quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est vobis, observabitis cæremonias istas, » etc. Quod dixit, « custodi verbum istud, » hoc idem repetisse cuilibet forte videntur, dicendo, « observabitis cæremonias istas, » verum non ita est. Verbum enim, id est ratio, tantum differt hoc loco a cæremoniis quantum significatum vel sensus a signis distat et litteris. Cæremoniæ namque significationes sunt, id est, figuræ vel umbræ futurorum; verbum autem ratio vel veritas sacramentum, quæ in Christo, ut jam pro posse diximus adimpleta sunt. Recte ergo cum dixisset, « custodi verbum istud legitimum, » addidit, « in æternum. » Ubi autem dixit, « observabitis cæremonias istas, » non addidit, in æternum. Etenim quæcunque cæremoniæ carnales datæ sunt, temporalem statum habuerunt, propter transgressiones positæ usque ad tempus præfinitum, donec veniret id quod sub ipsis promittebatur, verbum Domini manens in æternum. Porro qualiter positioni illarum, contrarium non sit illud quod per Jeremiam prophetam dictum est : « Quia non sum locutus patribus vestris, nec præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum (*Jer.* VII), » alio loco plenius erit dicendum.

CAPUT XVII.

Quid innuat quod medio die non sunt cæsa primogenita, sed media nocte.

« Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto. Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. » Grande flagellum, et mira continuatio percussionis inuitur, Scriptura dicente, « a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere. » Ergo iram Dei, nec reges pro turrium altitudine, nec superbi pauperes effugiunt, pro tabernarum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

obscuritate. De hoc jam supra dictum est quia, quod omne primogenitum per immolationem agni Dominus percussit, illud significat quod originale peccatum mundi Deus in passione Christi Filii sui delevit. Verum, hac eadem salva significatione, poterat media die cunctis vigilantibus idem fieri. Cur ergo potius medio noctis dormientes placuit interfici? Videlicet ut historicum quoque exemplum dormitantibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes quia quisquis, exemplo Ægyptiorum, thesaurizaverit sibi iram, nihilominus exemplo illorum improvisam accipiet vindictam. Sic enim et universale judicium duris corde et impœnitentibus ex improviso superveniet, tanquam laqueus et tanquam fur. Idcirco Dominus adventum suum, quo perdendi sunt impii, mediæ nocti comparavit, verbi gratia, cum in parabola prudentium virginum atque fatuarum dicit : « Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei (*Matth.* XXV). » Sed et ipse media nocte surrexit, atque in exemplum discretionis piorum atque impiorum, pias mulieres angelica visione et allocutione demulsit, impios autem ac fatuos custodes exteruit, et velut mortuos magno terræ motu præcunte reddidit (*Matth.* XXVIII). Proinde per os Psalmistæ sancta Ecclesia dicit : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* CXVIII.) » Illud enim tempus sacris vigiliis, et confessioni saluberrimæ deputatum est, ut videlicet Domino profunda nocte confitentes, commoneamus nos quatenus illa hora quæ prævideri non potest non simus imparati. Ille ergo clamor magnus, qui ortus est in Ægypto, salubriter interiori auditu fatigat nos, ut non dormiamus, sicut Ægyptii, sed vigilemus, et sobrii simus. « Qui enim dormiunt, inquit Apostolus, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (*I Thess.* V). »

CAPUT XVIII.

De eo quod Pharao dixit : « Abeuntes benedicite mihi, » et quod illi nocte exeuntes litteralem legem prævaricati sunt.

« Vocatisque Moyse et Aaron nocte ait : Surgite egredimini a populo meo, vos et filii vestri. Ite, immolate Domino, sicut dicitis. Oves vestras et armenta assumite, ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi. » Si nocte vocatis Moyse et Aaron hæc dixit, quomodo illud, quod supra dictum est, « nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane » juxta litteram stabit? Sed fuerit hoc illis mane, quod vocati exire compulsi sunt transacta jam media nocte, et aspirante præsentis lætitiæ luce. Cæterum illi manifeste hanc legem transgressi sunt qui qua nocte agnum eodem ritu immolaverant, exierunt ad comprehendendum Dominum Jesum. Unde et eos Scriptura prophetica in uno traditore, qui cum accepisset buccellam exiit continuo cum esset nox (*Joan*, XIII), sic occulte quidem, sed graviter accusat : « Cor ejus congregavit iniquitatem sibi, et egrediebatur foras (*Psal.* XL). » « Oves vestras et armenta, » inquit, subauditur, ne qua ut pridem remorandi causa sit, « assumite, ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi. » Tandem duri cordis Ægyptius rex molle aliquid locutus est. Et quidem supra quoque semel et iterum dixit, « peccavi, » sed non dixit, abeuntes ignoscite mihi, nunc autem etiam « abeuntes, inquit, benedicite mihi. » Nunquid non et hoc futurum erat, ut ille superbus, cujus hic typum gerebat, mollia loqueretur? Nempe sic de illo Dominus ad beatum Job loquitur : » Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur ad te mollia? (*Job* XL.) » Quis enim dubitet quod ei mollia locutus fuerit infernum spolianti, cum adhuc in corpore viventi clamaverit, dicens : « Quid tibi et nobis, Jesu Nazarene, venisti perdere nos : scio quis sis, Sanctus Dei (*Luc.* IV). » Nec enim frustra Propheta dicit in eum : « Tu humiliasti sicut vulneratum superbum (*Psal.* LXXXVIII). » Nam sicut superbus, quantumvis ante percussionem stet rigidus, sub ictu tamen vulneris a tumore descendit, verba deponit, cervicem demittit, sic superbiæ rex diabolus, quantumlibet antea ut fortis armatus confidenter locutus sit, ubi tamen fortiorem sensit, arma deposuit, spolia reddidit (*Matth.* XII), et mollia non ex pietate, sed præ dolore locutus est, et adhuc in extremo judicio molliora cum omni corpore suo locuturus ipse caput iniquorum. Sed « non parcam ei, inquit Dominus, verbis potentibus, et ad deprecandum compositis (*Job* XLI), » quia videlicet sera et indigna pœnitentia est, quam cruciatus extorquet. Hæc idcirco dicta sint, ne laudantium Dominum dignæ admirationi pulcherrimum illud desit miraculum, quod agnus exiguus vicit, et contrivit leonem maximum, pressitque os superbi, ut molle proferret eloquium. Porro quod hic dictum est : « Feceruntque filii Israel, sicut præceperat Dominus, Et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam, et spoliaverunt Ægyptios, » non sic putandum est quod tunc primum cum exire compellerentur, illa petierunt, neque enim abeuntibus commodarent Ægyptii, sed sic intelligendum est : « petierunt, » ac si diceretur, quæ petierant asportaverunt. De cujus etiam spolii justa causa spiritualiter nobis imitanda, jam superius est dictum.

CAPUT XIX.

Quid sit vulgus promiscuum et innumerabile cum eis ascendere.

« Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia virorum absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum et innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta, et animantia diversi generis multa nimis. » Quamvis in pluribus eorum non beneplacitum fuerit Deo, siquidem postrata sunt corpora eorum in deserto (*I Cor.* X), nomen tamen filiorum Israel, numerusque perfectus, scilicet centuplex senarius, eos tantum significat qui sic ad Christum veniunt fugientes hunc mundum, ut et digni gratia vel adoptione filiorum Dei, et apud Pa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

trem omnes numerati sunt. Cæterum « vulgus promiscuum et innumerabile, » quod ascendit cum eis, eo ipso quod innumerabile fuit, typum eorum gessit qui quam plurimi ad fidem nomine tenus veniunt, et verbo tenus confitentur se nosse Christum. De qualibus Propheta in psalmo dicit : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX). » Porro quod sequitur : « Coxeruntque farinam quam dudum conspersam de Ægypto tulerant, et fecerunt subcinericios panes azymos, neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis et nullam moram facere sinentibus, » idem est ac si diceretur : Etiamsi non fuissent a fermentato prohibiti, tanta fuit instantia exire compellentium ut non possent fermentari. Ejusmodi dictio sæpe dicto consensit azymorum mysterio, quia videlicet quod azymi, id est sinceri, de tenebris peccatorum nostrorum exivimus, non hoc industriæ nostræ, sed divinæ gratiæ debet ascribi, quæ spirituales Ægyptios cum suo fermento citius absistere compulit.

CAPUT XX.

De quadringentis et triginta annis, quibus habitaverunt filii Israel in terra Ægypti, unde incipiendo debeant computari.

« Habitatio autem filiorum Israel, qua manserant in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. » Hoc, si ad solas quatuor generationes respicias, quia generatione quarta exierunt filii Israel de Ægypto, stare non potest, etiam si Levi, Caath, et Amram, non prius quam centenarii essent, filios genuissent, et Moyses quartus a Levi jam centenarius coram Pharaone stetisset, præsertim, cum Levi et cæteri filii Jacob jam grandes, et singuli cum conjugibus suis, et filiis introierunt in Ægyptum. Unde ergo vel quo potius a principio istos quadringentos triginta annos numeremus, Apostolo teste habemus, qui cum dixisset ad Galatas : « Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus, non dicit et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (*Gal.* III), » statim intulit : « Hoc autem dico : Testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem (*ibid.*). » Igitur a promissione Dei dicentis ad Abraham cum ille esset septuaginta quinque annorum : « Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te, » sive, ut in alio loco dicit (*Gen.* XXII), « in semine tuo benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* XII), » quo verbo Apostolus dicit, « confirmatum testamentum a Deo (*Gal.* III), » hos annos computari oportet, et scire quia, cum hac servitute filiorum Israel, peregrinatio quoque patrum intra quadringentos et triginta annos comprehensa est. Et recte, nam et pater Abraham post eamdem promissionem primus in Ægypto peregrinatus est. Unde et reversus erat quando dictum est ei : « Scito quod peregrinum futurum sit semen tuum, in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis, necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus (*Gen.* XV). » Ubi notandum quia non dixit, et affligent quadringentis et triginta, sed tantum quadringentis annis, jam enim aliquid de hac summa diminutum fuerat a prædicta confirmatione testamenti. Itaque summæ quadringentis triginta annorum, detrahere primum viginti quatuor annos, qui ex quo locutus est Deus ad Abraham usque ad nativitatem Isaac interfuerunt, et quadraginta annos Isaac ante nativitatem Jacob. Itemque nonaginta annos Jacob, quibus exactis genuit **194** Joseph, ac deinde centum viginti annos Joseph, quo vivente cuncta fuere prospera, et non remanent servituti filiorum Israel plures quam centum quadraginta quatuor anni, sicut ante nos diligenter a temporum scriptoribus pernotatum est. Et nota diligenter quia sceleris quod in fratrem suum filii Jacob commiserunt, in decuplum filiis eorum in tertiam et quartam generationem, pœna secundum tempus reddita est. Ille namque venditus ab eis, quatuordecim annis servivit, quippe qui cum venumdatus esset, sexdecim erat annorum, quando autem de carcere eductus coram Pharaone stetit, triginta erat annorum. Quatuordecim vero decies multiplicati, centum et quadraginta fiunt. Igitur ut dictum est in decuplum illis pœna servitutis repensa est. « Quibus expletis, ait, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. » Hoc dicto palam innuit Scriptura quia non saltem una die remorati sunt ultra annos quadringentos triginta.

CAPUT XXI.

De eo quod dictum est : « Nox ista observabilis Domino, » etc. Et de nocte paschali Christianorum.

« Nox ista observabilis Domino quando eduxit eos de terra Ægypti. Hanc observare debent omnes filii Israel, in generationibus suis. » — « Nox ista, » subauditur, quando immolatus est agnus, et primogenita Ægypti cæsa sunt. Equidem alia nox fuit illa, cujus in vigilia matutina, respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis et nubis, interfecit eorum exercitum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum (*Exod.* XIV). Verum nox una pro duarum noctium rebus gestis, Domino observabilis jussa est. Et recte : nam una eademque liberatio Israel, quæ in morte primogenitorum inchoata, in submersione Ægyptiorum cunctorum peracta est. Non ergo nova vel præsumpta auctoritate, sancta Romana Ecclesia duarum itidem noctium acta, una eademque nocte celebrari instituit unius scilicet qua comprehensus et ad mortem ductus, primogenitum Pharaonis, id est superbiam diaboli cruce sua transfixit ; alterius vero, qua resurgens a mortuis plenum gaudium tam de animarum redemptione quam moriendo acquisivit, quam de corporum resurrectione quam resurgendo acquisivit, toti mundo attulit. Hæc, inquam, duarum noctium acta una nocte celebrare instituit, in laudem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et gloriam veri Agni, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo devicit, et vitam resurgendo reparavit. « Hanc, inquit, observare debent omnes filii Israel. » Ita plane faciunt. Omnes filii Israel, imo omnes filii Dei, qui dispersi fuerant, congregati in unum, post hujus noctis sacramentum, qua Christus Dei Filius tanquam agnus occisus pro filiis, tanquam leo resurrexerit, noctem istam concordi ubique tripudio concelebrant, illam esse non dubitantes, de qua scriptum est : « Et nox ut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis (*Psal.* CXXXVIII). » Idcirco noctem æque ut diem sequentem, sancta Ecclesia quantum potest concelebrat, eodem namque victoriosæ resurrectionis obsequio in vespera, quo et sequenti die persultat. Prius enim vespertinum quam matutinum sacrificium tantæ solemnitatis immolat. Cur hoc ? Videlicet quia est resurrectio prima quæ noctem, et resurrectio secunda quæ diem illustrat. Resurrectio prima est remissio peccatorum, quam renascentes ex aqua et Spiritu sancto in illa paschali vespera accipiunt, et ita jam in anima resurgunt. Resurrectio secunda resuscitatio corporum est, quæ jam in Christo facta, et tandem in omnibus facienda est. At vero præsens Ecclesia, quæ nox aliquando erat, hac prima resurrectione fit lux, et sicut dies illuminatur. Per hanc enim quisque nostrum, et nunc, dum in corpore est, veritate fulget, et post corporis solutionem tota vespera Sabbati, donec lucescat in prima Sabbati (*Matt.* XXVIII), quæ ipsa octava erit, illuminabitur ut dies, et interim sola anima sabbatizat, quia in requie est. Recte igitur ante lucem primæ Sabbati ipsa vespera Sabbati jucunditate illuminatur paschalis sacrificii præcentore Christo, dicente : « Et nox ut dies illuminabitur, et nox illuminatio in deliciis meis. »

CAPUT XXII.

De eo quod Dominus ait : « Hæc est religio phase. »

« Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Hæc est religio phase : omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. Advena et mercenarius non edent ex eo. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. » — « Hæc est, inquit, religio phase. » Plane religio sancta et justa et bona. Quid enim ? Numquid alienigenam pro vili conditione refutat ? Procul dubio repugnat quod dicitur, « omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. » Ergo alienigena quandiu fuit liber, non vescetur, ubi autem in servum fuerit emptus, ipse vescetur ex eo. Quare ? Videlicet quia alienigena, dum liber est, postquam hodie comederit phase, cras vel continuo, si volet, communicabit superstitioni Ægyptiæ, non dijudicans inter utrumque, similiterque mercenarius, quia stabilitatem in domo Israelitica non est professus; et idcirco non habet unde ad phase semel gustatum constringatur. Igitur Deus, non quia sit Deus carnalis Israel tantum, et non gentium, sed propter vagam instabilitatis licentiam, refutat alienigenam et mercenarium, cum admittat servum emptitium. Cæterum spiritualis phase religio, certum est quod nullum admittat nisi servum emptitium, id est eum tantum, qui susceperit per baptismum emptionis Christi sacramentum. Etiamsi jam sit catechumenus, non vescetur, sed quasi mercenarius a cœtu vescentium segregabitur, ut nec saltem consistat in domo, dum hoc phase immolatur, dum a domesticis fidei comeditur. Sed et in alterius sectæ homines, in quoscunque hæreticos, vel schismaticos, hoc phase dividere nefarium est, etiam si sanguine Agni signatos se habere dicant suarum frontium postes. Ait enim : « In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras. » Hæc jussio, secundum litteram, illud necessario fieri cogit, quod superius dictum est : « Si autem minor est numerus, ut sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui conjunctus est domui suæ, » etc. Porro secundum spiritum unitas sanctæ Ecclesiæ commendatur attentius, scilicet, ut manducaturi mensam Dominicam simus domus una, id est idipsum dicamus omnes, et non sint hæreses in nobis et schismata. Tunc enim non una in domo comeditur Agnus, sed foras carnes ejus efferuntur, quando indiscrete tribuitur scindentibus unitatem fidei, cum in scissura mentium Deus non sit. Ergo cum præsenti testimonio Scripturæ licet confidenter dicere quia non est verum sacrificium, quod sit extra unitatem Ecclesiæ. « Nec os, inquit, illius confringetis. » Hoc testimonio sanctus evangelista sic usus est : « Ad Jesum autem cum venissent, et viderunt **195** eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura (*Joan.* XIX). » Et subinde : « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo (*ibid.*). » Ergo et juxta proprias vocum significationes prophetia manifesta est. Et nihilominus tamen quotidie nobis mystice observandum est ut os illius, id est verbum per quod subsistit, cibi et potus hujus sacramentum non confringamus, sed integrum atque illibatum custodiamus. Qui enim quidpiam de divinitate Agni hujus perversum sentit, ipse sibi os illius confringit. Præscripto quod intus manducari, et nihil de ossibus ejus foras efferri debeat, tandem de illis qui foris sunt consilium dat : « Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domino, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ et colono qui peregrinatur apud vos. » Ergo quisquis adhuc peregrinus et nondum domesticus fidei est, sive ille paganus, sive sit hæreticus, aut certe falso Judæus, circumcidatur Domino circumcisione cordis et aurium, quod est in Israelitarum transire coloniam, et tunc vescetur carnibus Agni, quæ non debent extra unam catholicam Ecclesiam efferri. Possumus per indigenam et colonum quorum lex eadem sit, et eum qui ex circumcisione est et eum qui ex præputio est intelligere populum, quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum alter qui ex circumcisione est indigena recte dicitur, alter qui ex præputio, colonus; hospes enim testamentorum, et alienus olim erat « a conversatione Israel (*Ephes.* II). » Utriusque populi eadem lex est, ut, tam hic quam ille, omissis cunctis superstitionibus vel justitiis carnis, solam Christi quærant gratiam, et per hunc angularem lapidem quasi duo parietes in unam domum conveniant.

CAPUT XXIII.

De Socoth, id est, tabernaculis, et de duabus solemnitatibus Paschæ et Tabernaculorum.

« Fecerunt omnes filii Israel sicut præceperat Dominus, et in eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Egypti. » Dicendo, « in eadem die eduxit Dominus, » ad memoriam revocare contendit, ubi hæc et ea quæ adhuc sequuntur præcepta sint data, scilicet in Socoth, ubi primum tetenderunt tabernacula, profecti de Ramesse. Congregati enim in Ramesse, quod interpretatur *commotio tineæ*, sive *tonitruum gaudii*, videlicet ubi servilem tineam deposuerunt, et in gaudium exierunt, illic, ut dictum est, primum tabernacula tetenderunt. Unde et ex ea re, locus nomen accepit. Socoth quippe interpretatur in lingua nostra *tabernacula*, sive *tentoria*. Et ob hoc septimo mense solemnitas Tabernaculorum constituta est, non quod illuc septimo mense venerint, sed unum ejusdemque gaudium exitus, in duas solemnitates ita dispartitum est, ut in principio anni, id est, primo mense solemnitas Paschæ, vel azymorum, in medio autem anni, id est septimo mense festivitas ageretur Tabernaculorum, quinta decima die mensis septimi, quota videlicet die mensis primi venerunt in Socoth, et post ergastula Ægyptiorum propria libertatis suæ tentoria fixerunt.

CAPUT XXIV.

De eo quod ait Dominus : « Sanctifica mihi omne primogenitum, » etc., et cur addiderit dicens : « Quod aperit vulvam. »

(Cap. XIII.) « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus quam de jumentis. Mea enim sunt omnia. » Et post pauca : « Cumque introduxerit te Dominus, » ait Moyses, « in terram Chananæi, separabis omne primogenitum, quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes. » Lex ista propria primogenitorum est. Cæterum illa tam primogenitorum quam et posterius natorum lex communis est, quæ in Levitico hoc modo scripta est : « Cumque expleti fuerint dies purgationis ejus, » scilicet mulieris, quæ filium vel filiam peperit, « pro filio vel filia deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, etc. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ, unum in holocaustum, et alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur (*Lev.* XII). » Itaque primogenitus hominis dupliciter legi debitor fuit, primum ut Domino sisteretur redimendus, deinde ut hostia pro illo sicut pro cæteris daretur. Utrumque in deductione Domini, evangelista hoc modo denuntiavit : « Tulerunt, inquit, eum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Moysi : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II). » Hoc pro lege primogeniti, quia videlicet Dominus noster, cum sit matri suæ unigenitus, consequenter est et primogenitus, quamvis non e converso, primogenitus omnis sit etiam unigenitus. Sequitur evangelista : « Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum (*ibid.*). » Hoc pro lege matrum communi, quia videlicet sic fieri tam pro filia quam pro filio, lex absque ulla exceptione jussit, non pro redemptione partus, sed pro emundatione parientis. Porro quod dicit : « Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, » subauditur, non de alienigenis sive mercenariis, « pretio redimes, » non tam jussio quam permissio est. Nam qui pretio redemit, bene quidem fecit. Verumtamen Anna, quæ Samuelem non redimere voto proposuit, melius fecit. Quare autem cum dixisset, « sanctifica mihi omne primogenitum, » addidit, « quod aperit vulvam? » Videlicet ut dubium non esset quod intendit. Vult autem primogenitum omnis uteri, quod plus est quam primogenitum viri. Sæpe enim factum est et fit ut plures unius uxoris viri sint. Ne ergo suspicari liceret quod de quamlibet multis uxoribus unum deberet primogenitum unus vir, recte cum dixisset, « omne primogenitum, » addendo « quod aperit vulvam, » suam exactionem definivit. Porro quod dicit, « sanctifica, » id est, sanctione legis, quam violari vel præteriri non liceat, mihi vindica. Quod deinde ait : « Primogenitum asini redimes ove; quod si non redemeris, occides, » cum litterali rectitudine, moralem quoque suavitatem continet, scilicet ut præcedentia carnis opera posteriore spiritus correctione quisque saperet. Peccatum namque carnis primogenitum asini, eleemosyna vero, qua præcedens peccatum redimitur, recte dicitur ovis. « Quod si non redemeris, **196** inquit, interficies, » quia videlicet qui peccata sua redimere renuit, morti sempiternæ semetipsum addicit.

CAPUT XXV.

De lege cæremoniarum, et quod non fuerit ejusdem auctoritatis et stabilitatis, cujus Christi præcepta, quæ sola referuntur scripta esse digito Dei.

« Sanctifica mihi, inquit, omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus, quam de jumentis : mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum : Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, de domo servitutis, » etc. Notandum quod, cum dixerit Dominus : « Sanctifica mihi omne primogenitum, » hic internuntius Domini alia præloquitur ad populum, et dicit ut meminerint diei hujus, cum eos introduxerit Domi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nus in terram Chananæi, ut custodiant ejus cultum statuto tempore a diebus in dies. Hodie mense novarum frugum, id est, quinto decimo die Aprilis, quo jam secundum temperiem aeris, apud illos primævæ fruges vesci possunt, hoc intendens, ut agnum et azyma, quorum usum semel acceperunt, diligenter per omnes annos observent. Hoc dicimus, ne ignoremus quid Judæis respondeamus, arbitrantibus carnales cæremonias suas ejusdem auctoritatis sive stabilitatis esse debere cujus et illa decem præcepta vitæ quæ in tabulis lapideis scripta sunt. Verum ipse legislator hoc pro summa differentia de illis dixit, quia scripta sunt digito Dei, quod nusquam dixit, nec dicere debuit de hujusmodi, quas transitorias fore noverit cæremonias; et Apostolus cum dixisset : « Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandas promissiones (*Gal.* III), » protinus ait : « Quid igitur lex? Propter transgressores posita est, donec veniret semen cui repromiserat ordinata per angelos in manu mediatoris (*ibid.*). » Legem cæremoniarum ordinatam dixit, non in manu vel digito Dei, sed in manu mediatoris Moysi, cum testamentum a Deo confirmatum asseruerit, sicut e converso, Moyses præcepta vitæ digito Dei scripta dicit, cum de sacrificiis vel solemnitatibus observandis nihil tale dixerit. Igitur non tantum hic, ubi Moyses injussus repetit de azymis, legemque dat de festis annuis, sed et ubicunque per manum ejusdem mediatoris, populo illi aliqua instituuntur eorum, sine quibus testamentum a Deo cum Abraham confirmatum fuit, sic accipienda sunt, non tanquam jussa, sed tanquam permissa, videlicet propter transgressiones, ut verissime Apostolus ait : Vincula enim quædam fuerunt propter transgressiones posita, scilicet ut dum talium sacrificiorum vel festorum ritu detinerentur, non vacaret eis errare a Deo suo, in suis adinventionibus, et illicitis idolorum cultibus. Proinde confidentibus in illis loquitur per prophetam idem Deus : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus. Et ambulate in via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis (*Jer.* VII). » — « Non sum locutus, » ait, id est, non præcepi. Nam quæcunque talium velut ex ore meo Moyses jussit, non me jubente, sed me permittente præcepit. Et in David (*Psal.* XLVI) : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » et multa his similia.

CAPUT XXVI.

De primogenitis Domino sanctificatis, et quod filii Levi usque ad Christum in carnali sacerdotio fuerint reputati.

Quo jure primogenitum omne exigat, ratione subjuncta manifestat : « Cum, inquit, interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid est hoc? respondebis ei : Quia in manu forti eduxit nos de terra Ægypti, de domo servitutis. Nam cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum. Idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo. » Consentimus æquitati quotquot in hoc sanctarum legum auditorio consistimus jurisperiti, vel sensum habentes veritatis, quia jus est ut pro quorum liberatione, illa corporaliter primogenita cæsa sunt, ab eis liberatori suo deberetur omne primogenitum. Sed loquitur Dominus in libro Numerorum ad Moysen, dicens : « Ego tuli Levitas a filiis Israel, pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel. Erunt que Levitæ mei, meum est enim omne primogenitum (*Num.* III). » etc. Item : « Numera, inquit, primogenitos sexus masculini, a mense et supra, et habebis summam eorum. Tollesque Levitas mihi, pro omni primogenito filiorum Israel (*ibid.*). » Quæritur ergo : Si omne primogenitum de filiis Israel, pretio redemptum est, quo jure tolluntur Domino Levitæ, pro omni primogenito filiorum Israel? Vel si Levitas tollere habebat pro primogenitis, qua rectitudine pretium pro primogenitis dari jussit vel accipi? Ad hæc inquam : Sacerdotium verum primogenitorum est. Etenim eorum omnium unus futurum erat ut fieret sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, quem multis locis Scriptura sancta primogenitum appellat, videlicet respectu omnium filiorum Israel, id est, omnium filiorum Dei, ut Apostolus dicit : « Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII). » Amplius autem Lucas dicturus : « Tulerunt eum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum aperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II), » præmisit ita de Virgine, dicens : « Et peperit filium suum primogenitum (*ibid.*), » videlicet ut, cognitor legis Domini, subaudiat quod vocaretur Domino sanctum, cui summum et verum repositum erat sacerdotium. Porro illud carnale sacerdotium legis, veri hujus sacerdotii vicarium fuit, nec tanquam necessarium vel ad salutem sufficiens positum est, sed quasi pædagogus propter transgressiones, donec veniret cui repromiserat sacerdotium, testatur Deus, dicens, quod in illo benedicerentur omnes gentes (*Gal.* III). Ergo quia primogenitorum, ut jam dictum est, sacerdotium erat in Christo repositum, carnale autem sacerdotium, hujus fuit vicarium; justum erat ut quorum videlicet primogenitorum filii Levi vicem egerunt, eorum quoque ad necessarium victum acciperent pretium, proprios funiculos inter fratres suos filios Israel non habituri, juxta sententiam pa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tris sui Jacob dicentis : « Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel (*Gen.* XLIX). » Igitur quia propter transgressiones vicarium sacerdotium positum est, donec verum veniret sacerdotium, quod primogeniti est jure, et vacantia primogenita redimebantur, et eorum **197** vicarii sacerdotes ac ministri, illorum pretio locabantur ministraturi pro ipsis, donec primogenitus veniret, qui seipsum non redimeret, sed assistens Domino per proprium sanguinem amoto statim vicario, tolleret sacerdotium suum secundum ordinem Melchisedech.

CAPUT XXVII.

De eo quod dictum est : « Non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, » etc.

« Igitur cum dimisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum, sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum. » In cantico suo paulo post Moyses dicit : « Ascenderunt populi et irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan (*Exod.* XV). » Cum dixisset « ascenderunt populi et irati sunt, » quasi quæreres, qui populi? et quomodo irati sunt? « Dolores, inquit, obtinuerunt habitatores Philisthiim, » etc. Principes Edom conturbatos fuisse, robustos Moab tremuisse, omnes habitatores Chanaan obriguisse, habitatores autem Philisthiim doluisse dicit, id est, invidisse. Igitur maxime habitatores Philisthiim erant vitandi, non frustra, quia aliis timentibus soli contra Israel jam hostilem coquebant invidiam. Sed nunquid Dominus contra Pharaonem et Ægyptios pro Israel pugnare poterat, et contra Philisthæos non poterat? Plane et contra istos poterat, sed in hoc sicut in cæteris factis, quæ superficies historica continet, spirituale instrumentum rationabiliter providebat. Spiritualiter namque hoc agit in omnibus electis suis, in Ægypti exitu, id est in initio conversionis, vel dum novitius est conversi animus, nec totus exivit de pristinis erroribus, peccatum a vitiis paret viam, quatenus qui vocati sunt, tranquille et delectabiliter egrediantur, ne subitis tentationibus pulsati, a proposito sancto vix incepto deterreantur. Præterea et illa gens erat, quam Dominus Israeli reservare decreverat utiliter, ut per illam exercercetur, et quasi proximo flagello castigaretur, quoties legem Dei sui relinqueret, quod sæpe futurum erat. Igitur non quasi timidus, ut simplex sermo sonare videtur, sed bene providus, « non eos duxit per viam terræ Philisthiim, sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum. » — « Circumduxit, » et circumducendo erudivit, sicut ipse hic Moyses ait in cantico Deuteronomii : « Circumduxit eum et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui (*Deut.* XXXII). » — « Et armati, inquit, ascenderunt. » Videlicet in nostri exemplum, qui non ad otia, de Ægypto hujus sæculi, sed ad bella vocati sumus, contra barbaricas acies vitiorum, adversus phalanges malignorum spirituum, quanquam ipsi nondum essent idonei ad bellum ante Rubri maris transitum, sicut et nos nihil fortiter agere potuimus, ante perceptum salutare baptismi Christi sacramentum. « Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum, eo quod adjurasset filios Israel, dicens : Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum (*Gen.* L). » Admirandus ordo divini judicii. Venditores fratris fecit Deus descendere post eum in Ægyptum, et non ipsi viventes vivum reduxerunt, sed ipsis defunctis illic remanentibus, filii eorum mortuum revexerunt, eisque in peregrina terra sepultis, hic vero reconditus in terra et hæreditate patrum.

CAPUT XXVIII.

De eo quod dictum est : « Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo. »

« Profectique de Sôcoth, castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis. » Etham interpretatur *fortitudo*. In eo quod dicitur, « in extremis finibus solitudinis, » ostenditur locum inter confinia esse eremi et Ægypti. « Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columnam nubis, et per noctem in columnam ignis ut dux esset itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Ubique in hoc sanctæ Scripturæ cœlo lucida occurrunt sidera, omnia in fontem sui lumi is, scilicet in verum solem Christum respicientia, et nullus locus vacuus est. Ecce columna nubis per diem, et columna ignis per noctem, dux itineris utroque tempore in conspectu filiorum Israel, videlicet juxta oculorum naturam, qui ut sequi valeant, et sub sole nubem, et in nocte facile dignoscunt ignem. Quisnam est hic dux itineris, nisi qui et dux et via nobis est Jesus Christus Filius Dei? Ipse nempe columna ignis, quia verus Deus; ipse idem columna nubis, quia verus homo est. Unde signanter et proprie loquens Scriptura non dixit : « Dominus autem præcedebat eos » in columna nubis, et in columna ignis, sed in alio casu quem accusativum dicunt grammatici, « in columnam nubis, et in columnam ignis, » id est, sicut columna nubis, et sicut columna ignis. Cum adhuc esset nox, erat tantum ignis; ubi autem dies gratiæ, vel tempus miserationis advenit, nubes factus est qui ignis erat, id est, homo vel caro factus est, carnem induendo qui Deus erat. Plus est sol igneus, sol justitiæ in die, quam ignis splendidus ignis verbi, prophetici in nocte. Sol ut tolerari possit venit in nube, id est, Deus, ut cum hominibus conversaretur, venit in carne. Hinc jam opportune propheticum arripimus testimonium. Ait Isaias : « Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isa.* XIX), » etc. Cum præsenti nunc historia illa conferatur prophetia, etenim quæ hic factis,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eadem illic mysteria signata sunt dictis. Siquidem Ægyptus hunc mundum, filii autem Israel, electum significant populum Christi, nunc pro parte illorum, qui ejus usque in finem sæculi sequuntur adventum. Nam supra ubi agnus immolatus, et Ægypti primogenita cæsa sunt, Ægyptus infernum, filii autem Israel electum Christi significabant populum, pro parte illorum qui adventum vel passionem ejus præcesserunt, et apud inferos repositi, illuc venturum exspectaverunt.

CAPUT XXIX.

De ejusdem columnæ sensu mystico.

Igitur columnæ hujus mysteria novimus quæ in nocte, id est, nondum revelata luce gratiæ, ignis erat, et exiguum, id est, perpaucis in prophetalem gratiam lucebat : exiguum, inquam, videlicet comparatione dici præsentis, quando totus fons ignis verus Sol et fons luminis totus cum nube suæ carnis venit. Quamvis sit sol in nube, clarius tamen lucet quam dudum ignis in nocte. Ad quid ejusmodi columna nos præcessit? Videlicet ut ostenderet nobis viam fugiendi a Pharaone rege Ægypti, id est a diabolo principe hujus mundi, ad hoc **198** ut aperiret nobis viam maris Rubri, id est, gratiam baptismi sanguine suo rubentis, ut ingressi cum Pharaone, Ægyptii post nos in mare, id est, baptizatos nos in mortem Christi persequentes, idololatræ gentes perirent de memoria nostra cum diis, imo cum dæmoniis suis, et confunderentur « omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis (*Psal.* LXIX). » Quid aliud propheta supradictus capitulo prædicto declaravit? Cum dixisset : « Ecce ascendet Dominus super nubem levem (*Isa.* XIX), » id est, accipiet mundam carnem, quæ hic intelligitur per nubem candidam, « et ingredietur Ægyptum, » statim subsequentes ejus effectus intulit hujusmodi : « Et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus, et occurrere faciam Ægyptios adversum Ægyptios (*Ibid.*). » Et post aliqua : « Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecerunt Egyptum in omni opere suo, sicut erat ebrius et vomens (*ibid.*), » etc. Hoc tantum interest similitudinis, quod hinc omnes reprobi per Ægyptios, et omnes electi per filios Israel significantur. In illa autem prophetia dividuntur Ægyptii contra Ægyptios, subauditur, electi contra reprobos, eo videlicet intuitu quod omnes homines, tam qui e nobis assumuntur quam qui relinquuntur, omnes, inquam, nos eramus gentes ad simulacra muta prout ducebamur euntes (*I Cor.* XII). Pro parte reproborum, qui cum diis suis et principe diabolo relicti sunt, dicit : « Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarii Pharaoni dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi sunt nunc sapientes tui (*Isa.* XIX), » etc. Pro parte vero electorum, qui a diabolo recesserunt, subsecutus ait : « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Et erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum (*ibid.*), » quæ cuncta nunc persequi onerosum est. Proinde quomodo Dominus populi sui ductor fuerit in columna nubis, et persecutores ejus in profundum demerserit, prosequendum est.

CAPUT XXX.

De mystica castrorum positione.

(CAP. XIV.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et contra Beelsephon. In conspectu ejus castra ponetis supra mare. » Phihahiroth *os nobilium*, Magdalum sive Magdol, ut in plerisque codicibus habetur, *magnitudo* sive *turris*, Beelsephon *Dominus aquilonis* interpretatur. « Reversi, » inquit, subauditur de Ethan, ut non irent, sicut jam dictum est, per terram Philisthinorum. Ethan interpretatur *fortitudo*. « Tu, inquit Psalmista, siccasti fluvios Ethan (*Psal.* LXXIII), » id est, annihilasti sapientiam fortium. Ergo contrariam fortitudinem, tam Ægyptiorum quam Philisthinorum, id est, tam dæmonum et eorum qui illos colunt, quam et Judæorum sive hæreticorum, secundum nomen Philisthiim, *potione cadentium*, quia « miscuit eis Dominus spiritum vertiginis, » sicut est ex propheta supra dictum (*Isa.* XIX) ; has, inquam, contrarias fortitudines fugientes, castrametentur e regione Phihahiroth, quod, ut jam dictum est, interpretatur *os nobilium*, et significat nobilem doctrinam vel fidem apostolorum. « Inter Magdalum et mare, » id est, inter magnam turrim fortitudinis, scilicet, Christum, et sanctum ejus baptismum. « Contra Beelsephon, » id est contra diabolum, aquilonis dominum, qui ausu superbiæ elatus, « Sedebo, inquit, in monte testamenti, in lateribus aquilonis (*Isa.* XIV), » id est, eos possidebo, qui frigidi remanebunt a dilectione Creatoris. Tali utique positione spiritualiter castra metantur nostri catechumeni, quando fugientes hujus mundi Ægyptum, ubi simulacra muta coluerunt, et abominati sunt omnes sectas hæreticorum, qui æstimatione sua Ethan, id est fortes, sunt, veniunt ad mare, scilicet ad unici et veri baptismi sacramentum, quod in una sancta catholica atque apostolica Ecclesia quærendum atque confitendum est. Quid hoc præcepto intendat Dominus, subdendo manifestat : « Dicturusque est Pharao super Israel : Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos. » Ordo præposterus. Nam sensu prius est, « et indurabo cor Pharaonis, » posterius vero, « dicturusque est Pharao super filiis Israel. » Sed ut competentius secundum personam sermo continuaretur, « et indurabo cor Pharaonis ac persequetur vos, ac glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, » sic recte commutatum est. Porro de verbo hoc, « et indurabo, » modo superius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est dictum, quia videlicet indurabo, id est, odium ac livorem ejus felicitate exeuntium torquebo. « Dicturus est, inquit : Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum, » id est, hinc terra Ægypti, inde terra Philisthiim, atque inde rursus deserto, a quarto climate mare Rubro conclusi, effugere non poterunt. « Et glorificabor, inquit, in Pharaone, et in omni exercitu ejus. » Proprie tam secundum historiam quam secundum allegoriam dictum est, « et glorificabor, » quia videlicet, cum multa fecerit magnalia in Ægypto, nullo magis glorificatus est quam eo quod sic terribiliter Pharaonem et exercitum ejus demersit in mari Rubro. Et cum in cœlo et in terra magnalia fecerit absque numero, de nullo gloriosius prædicatur quam de eo quod per humilitatem Christi Filii sui diabolum dejecit, et consilium ejus præcipitavit. Porro quod tandem dicit, « et scient Ægyptii, » id est, nescire non licebit Ægyptiis, « quia ego sum Dominus, » verbi gratia, cum dicent, occurrentibus sibi aquis : « Fugiamus Israelem ; Dominus enim pugnat pro eis. »

A

B

CAPUT XXXI.

De ejusdem Pharaonis, diaboli typum gerentis, induratione.

« Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus, » etc. Nonne hic est Pharao, qui supra dixit : « Surgite, egredimini, et abeuntes benedicite mihi? (*Exod.* XII.) » Quomodo ergo nunc dictum est, « et nuntiatum est regi quod fugisset populus? » An quia petierant filii Israel ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam, et spoliaverant Ægyptios, et vulgus promiscuum atque innumerabile, forsitan de mancipiis Ægyptiorum dominos suos fugiens, ascenderat cum eis, idcirco sic dictum est, « et nuntiatum est quod fugisset populus. » Etenim ea ipsa quoque causa non parum innuit ut spoliis Ægypti potiti filii Israel, quanto cupidius onustati, tanto libentius ac properantius irent ad imperium Domini, Pharao autem tanto ad persequendum promptiorem haberet exercitum, quanto insanius accepissent auro vel argento suo se esse spoliatos ab eis quos dudum libertate spoliaverant. Unde inflammati sequo invicem cæco furore inflammantes : « Quid, inquiunt, voluimus facere, ut dimitteremus Israel, 199 ne serviret nobis? Junxit ergo currum suum Pharao, et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, quidquid curruum in Ægypto fuit, et duces totius exercitus. « Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israel. At illi egressi erant in manu excelsa, » etc. Sæpe usa est, et nunc extrema vice sancta utitur Scriptura, verbo illo terribili : « Induravitque Dominus cor Pharaonis, » nihil verita, ne loquatur lutum sive figmentum contra figulum, et dicat : « Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? (*Rom.* IX) Nam si quid tale mutire audeat, dicetur ei : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? (*Ibid.*) » etc. Sed de hoc jam alio loco plenius dictum est. Spiritualiter, « tunc nuntiatum est regi Ægypti quod fugisset populus, » quando percepit diabolus quod exaltato super omnes cœlos Christo vocatis ad fidem ejus cunctis gentibus templa sua derelinquerentur, et simulacrorum ejus sordes abjicerentur. Nam de illis quos de inferno amisit, quos triumphator Christus paradiso restituit, et intra muros supernæ pacis collocavit, nullum postea nuntium audivit, nec anhelanti post illos ejus invidiæ spes ulla superesse potuit. Tunc ergo quando resurrectionis Christi gloria prædicari cœpit, et signum victoriæ ejus effulsit, ut audirent omnes gentes, quod jam judicatus esset princeps hujus mundi (*Joan.* XVI), et idcirco transfugerent ad regnum victoris, titulumque ejus acciperent in frontibus suis, tunc, inquam, audito tristi nuntio, tulit currus electos, quidquid curruum in Ægypto fuit, verbi gratia, Neronem, Trajanum, Decium, Diocletianum, vel Maximianum. Isti enim et cæteri hujusmodi currus Pharaonis, currus electi fuere diaboli, et equi ejus, juxta Apocalypsim, rufi (*Apoc.* VI), id est, sanguinei. Super hos ascendit, et persecutus est filios Israel, id est persecutionem publicam excitavit contra omnes in Christum credentes. « At illi, inquit, egressi erant in manu excelsa. » Elegantissima oppositio. Excelsi videbantur prædicti currus Pharaonis, et duces diabolici exercitus, sed revera manus Domini excelsa est, in qua egressi sumus, excelsa, inquam, manus Domini, et excelsus Agnus Dei, cujus sanguine redempti exivimus.

C

D

CAPUT XXXII.

De eo quod levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se et timuerunt, juxta sensum mysticum.

« Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos suos, viderunt Ægyptios post se, et timuerunt valde, » etc. Juxta historiam, parva nimis est nec dignis profectibus erudita, secundum quæ viderant opera Dei, illorum fides dicentium ad Moysen : « Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine. » Porro juxta altiorem sensum, tunc « levantes filii Israel oculos suos, viderunt Ægyptios post se, » quando auditores Evangelii præcedentis columnæ jam illuminatos oculos cordis habentes, respiciunt præteritos errores in quibus fuerunt, et conferentes veritati quam novo nuntio audierunt, valde « admirati sunt, et conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos ; verum ibi dolores ut parturientis (*Psal.* XLVII), » id est, dolores non vani, sed fructum afferentes gaudii sempiterni, quemadmodum parturiens postquam pepererit, dolorum vel pressuræ suæ jam non meminit, propter gaudium nati hominis (*Joan.* XVI). « Et ait Moyses ad populum : Nolite timere, state, et videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum : Dominus autem pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. » Hoc sicut in veritate historiæ factum est, ita veraciter in abundantia spiritalis gratiæ per Christum hactenus fa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ctum est, et fit jugiter, quia videlicet quoscunque Ægyptios, quæcunque opera tenebrarum, post se vident catechumeni Ecclesiæ, venientes ad catholicæ fidei baptismum, nequaquam ultra videbunt, nec erit eorum recordatio usque in sempiternum. Ibi enim per Christi sanguinem deletur omne peccati chirographum, dato Spiritu sancto in peccatorum remissionem : Christus enim multorum peccata tulit, eorum sine dubio qui per baptismum communicant similitudini mortis ejus et resurrectionis (*Rom.* VI). Unde pulchre ac fideliter inquit : « Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis, » non quod iterum pugnet Christus, aut iterum moriatur, sed quia omnium qui crediturі erant, peccata tulit pugna præterita vel mors ejus.

CAPUT XXXIII.

De eo quod ait Moysi Dominus : « Quid clamas ad me? » Et quid significet virga elevata super terram.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut ingrediantur filii Israel in medio maris per siccum, » etc. « Quid, inquit, clamas ad me? » Hoc plane magnæ gratiæ, hoc dignæ et gratiosæ acceptionis est dixisse Dominum ad unum Moysen, in tali tempore, « Quid clamas ad me? » Quid enim? Nonne et Ægyptii clamabant? Nonne et paulo ante dictum est quia « levantes oculos suos, viderunt Ægyptios post se, et timuerunt valde, clamaveruntque ad Dominum? » Clamabant plane et isti, grandemque turbam faciebant vocibus confusis. Sed quid sequitur? « Forsitan, inquiunt, non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine. » Ergo clamabant quidem, sed non clamabant digne, ut merito diceret eis Deus, Quid clamatis ad me? Clamabant enim sine fide, qui clamor vanus et indignus creditur Dei auribus. At vero Moyses quid clamavit? « Nolite, inquit, timere, state, et videte magnalia Dei, Dominus pugnabit pro vobis, vos tacebitis. » Hoc vocis corporis ad populum, hoc grandi vociferatione fidei dixit ad Dominum. Recte igitur solum hunc audivit illa columna nubis, illa columna ignis. Sic nimirum eadem columna, jam vere columna nubis, id est, idem Deus jam indutus nube carnis, dum cum turbis ambularet, et a turbis comprimeretur, subito inclamavit : « Quis est qui me tetigit? Mirantibus omnibus ac dicentibus, turbæ te comprimunt et affligunt, et tu dicis : Quis me tetigit? » (*Matth.* IX.) Ille in sententia persistens, ait : « Tetigit me aliquis (*ibid.*). » Ita plane hoc loco Moyses, quia filiis Israel sine fide clamantibus, solus cum fide locutus est, solus audiri magno clamore potuit, quemadmodum illic mulier, quia turbis Dominum irreverenter comprimentibus ipsa cum fide reverentissima fimbriam vestimenti ejus tetigit, sola sentiri meruit. « Tu autem, ait, eleva virgam tuam, » etc. Juxta altiorem sensum, quo hactenus cucurrimus, virga Moysi quam super mare jubet Dominus elevari, ut dividatur mare, et ingrediantur filii Israel per siccum in medio maris, potestas est Christi Filii Dei, et unica regula baptismi, quam super aquas extendere jussit **200** ducibus populi sui, scilicet, apostolis, postquam resurrexit a mortuis : « Data est mihi, inquit, omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Ad hanc enim, quasi virgam, id est, voce potestativam dividuntur aquæ ut ingrediantur filii Israel, filii acquisitionis et salutis, id est, aperit se gratia Spiritus sancti suscipiens filios diaboli, renascituros in filios Dei, filios iræ regenerandos in filios gratiæ.

CAPUT XXXIV.

De eo quod dictum est : « Qui divisit mare in divisiones, » juxta Psalmistam.

Aiunt Hebræi quia non una divisio, sed duodecim factæ fuerint maris divisiones, videlicet secundum numerum duodecim tribuum filiorum Israel, ut unaquæque tribus per suam divisionem incederet, et hoc esse quod in Psalmo pluraliter dictum est : « Qui divisit mare Rubrum in divisiones (*Psal.* CXXXV). » Quod si ita est, nec hoc quidem a mysterio vacat, quia videlicet multæ sunt in uno spiritu, quæ baptizatis in Christo aperiuntur, gratiarum divisiones. Et non uni cunctæ tribuuntur, sed alia aliis plus vel minus, secundum beneplacitum unius ejusdemque spiritus, dividentis singulis, prout vult (*I Cor.* XII). Attamen primum donum et summa baptismi utilitas, quæ est remissio peccatorum, sciendum quia non particulariter distribuitur, neque alii plus, alii minus donantur, sed omni æqualiter pari gratia, in dissimili donationis abundantia; omnium, inquam, peccata absorbentur, et baptismi fluctibus omnes Ægyptii, cuncti reatus, tam originalis culpæ quam actualium criminum, confestim obruuntur. Cæterum spirituales gratiæ, quales Apostolus commemorat, dicens : « Unicuique nostrum datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem per Spiritum datur sapientia, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum (*ibid.*), » etc., dubium non est quin nulli conferuntur omnes, præter unum caput corporis Ecclesiæ, quod est Christus (*Ephes.* V), « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II). » Igitur si cui placet plures factas fuisse divisiones, non quidem ad recipiendum nos invitos cogere potest, quia certam de Scripturis sanctis auctoritatem non habet; verumtamen ipse, hoc sensu litterali suscepto, habet quod mystice subintelligat utiliter.

CAPUT XXXV.

De eo quod dictum est : « Angelus Domini pariterque columna ignis, priora dimittens, abiit post eos, » et quid mystice significet.

« Tollensque se angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Hoc ex motu columnæ priora dimittentis, et post tergum stantis agnosci vel prævideri potuit quod angelus Dei qui præcedebat castra Israel, post eos abierit. Neque enim angelus, sive ille erat Angelus magni consilii, sive angelicorum spirituum aliquis, in quo esset virtus liberatoris Dei, per semetipsum apparebat omnibus; neque hoc littera cogit intelligi, alioqui non necesse esset ut vel per diem columna nubis, vel per noctem columna ignis appareret coram populo dux itineris. Sed quomodo una eademque columna, et nubes tenebrosa, et noctem illuminans erat, nisi quia, secundum diversa, imo contraria merita una eademque virtus, piis lucebat, impios excæcabat. Ergo in hoc quoque mysterium pulcherrimum est, quia videlicet unum eumdemque « Christum, inquit Apostolus, prædicamus, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I), » quod valde est obscurum; « ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (*ibid.*), » quod valde est luminosum. Quid porro sibi vult quod illa columna talis, priora dimisit, et post tergum Israel intra castra Ægyptiorum et castra Israel stetit? Hoc nempe mystice illud figurat quod optime credit et firmiter catholica tenet Ecclesia, quia Dominus noster Jesus Christus qui nos præcessit, qui antequam sciremus eum, abiit, transivit, et præcursor pro nobis cœlum introivit, ipse tamen adest in hora sancti baptismi, juxta veritatem ipsius, qui mox, ut dixit, « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), » ita concluſit: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*ibid.*) » Tendamus securi quo ille per passionem suam præcessit, nam ubi ad baptismum accessimus, ipseper passionis ejusdem sacramentum post nos stare cœpit, nosque intra gratiæ suæ muros includens, peccata nostra nobis exclusit, ut tota nocte, id est, tota vita præsenti, nos consequi, vel ad nos accedere non possint.

CAPUT XXXVI.

De ingressu filiorum Israel per medium maris Rubri. Et de sacramento baptismatis.

« Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente, et vertit in siccum, divisaque est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, » etc. Clara est gloriosæ magnificentiæ Domini res gesta, quia « divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, » et quia « interfecit Dominus exercitum Pharaonis, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, » et ita scierunt ipsi Ægyptii quia Dominus ipse est Deus, ut dicerent: « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. » Sed fugientes involvit eos Dominus in mediis fluctibus, « respiciens supra castra eorum vigilia matutina, » id est, quarta vigilia. Quatuor enim computabantur vigiliæ noctis, ternis horis per singulas vigilias computatis. Porro sensu mystico « vigilia matutina, » ipsa est resurrectio vitæ Dominica. Matutino namque tempore sedit angelus ad sepulcrum Domini, et post profundam tristitiæ noctem, magni gaudii diem mulieribus et per illas lugentibus apostolis, evangelizavit. Hinc est illud in Psalmo: « A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino (*Psal.* CXXIX). » Custodiam matutinam dixit custodiam militum mane exterritam, in exemplum omnium impiorum; nam mulieres lætificatæ sunt in exemplum omnium piorum. Quid speret Israel in Domino ab illa custodia matutina? Videlicet quia in se, quod in illo factum erat extunc innotuit, futurum est quia resurrexit a mortuis, « quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio: et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus (*ibid.*), » subauditur, quemadmodum redemit illos filios Israel ex omnibus Ægyptiis hominibus. Itaque vigilia matutina qua pertransierunt filii Israel Ægyptiis remanentibus, mystice nobis gaudium est Dominicæ resurrectionis, in **201** qua veterem deponentes hominem, renati sumus, diabolo remanente cui renuntiavimus et omnibus pompis ejus. Dicit enim Apostolus: « Quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* IX). » De hujus igitur facti gloriosi mysterio celeberrimo jam silere non debemus, habentes canticum Moysi, quod sequitur: « Quia hic est sapientia, quæ aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas (*Sap.* X), » ut victricem manum tuam laudemus pariter, Domine Deus noster. Nam ab ore nostro quicunque gratiam hanc sumus consecuti, canticum hoc non debere deficere innuit illud de Apocalypsi: « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius, et numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens (*Apoc.* XV), » etc. Ecce stamus supra mare vitreum, videlicet laborantes servare innocentiam quam accepimus per baptismum, « mare, inquam, vitreum, » videlicet propter puram quam ibi facimus relinquendorum confessionem peccatorum, sed et « igne mistum, » id est Spiritu Sancto vivificatum, quo peccata ipsa consumpta sunt, qui et hoc loco mystice designatur per ventum urentem, cum dicitur, quia « cum extendisset manum supra mare, abstulit illud Dominus vento flante vehementi et urente tota nocte. » — « Habentes ergo citharas Dei, » id est mortificationem carnis, quam Deus præcepit, « cantantes canticum hoc Moysi servi Dei, et canticum Agni » utrobique exsultantes, et pro re gesta quæ facta est per manum Moysi, et pro mysterio Agni immaculati et incontaminati, Christi, quod ille in eadem re prophetice intellexerit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXVII.

Canticum Moysi ad laudem Christi Domini, qui peccata nostra in mari Rubro, id est in baptismate, demersit.

(Cap. XV). « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. » Prima vox præcentoris admonitio est, adhortans omnes, qui in Sunamite sunt choros castrorum, ut sublevent concentum secundum magnitudinem festivitatis, secundum quantitatem sive qualitatem divinorum operum. « Cantemus, inquit, Domino. » Cantemus spiritu, cantemus et mente. Nam et Apostolus dicit : « Psallam spiritu, psallam et mente (*I Cor.* XIV). » Denique spiritu cantare vel psallere, id est rem gestam memoriter tenere, et eam solam pro materia cantationis habere. Cantare autem mente, id est in exteriore facto mysterium interius persentire. Cantemus igitur Domino. Quare? « Gloriose enim magnificatus est. » In quo? « Equum et ascensorem projecit in mare. » Vere gloriosa magnificentia, etiamsi solum factum exterius attendas. Si autem et mysterium interius perspicias, ibi gloriosior magnificentiæ abundantia est. Nam hic mundus per equum, diabolus per ascensorem significatur. Quando illum ascensorem, et talem equum projecit? Tunc videlicet, quando dixit : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII), » et subsequente protinus exponens actu quid dixerit, accepit « cornua crucis in manibus et ibi abscondita est fortitudo ejus, et obrepere ausa mors, deinceps victa iret ante faciem ejus, et egrederetur diabolus ante pedes ejus (*Habac.* III). » Tunc projecit, et ex tunc projicere non desinit illum in mare, nobis quidem vitreum, et Spiritus sancti igne mistum; illi autem piceum, igneumque ac sulphureum. Nam illud quidem mare, quo transierunt filii Israel, unum idemque istos emisit, et illos absorbuit; verum nostrum mare, quo baptizamur in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, equum istum et ascensorem ejus nequaquam admittit, sed dum nos per illud mare vitreum transimus, ille in profundum inferni projicitur. Hoc valde gloriosum est quod sic fecit Dominus. Olim ascensorem istum, « In cœlum ascendam, dicentem, et supra astra Dei exaltabo solium meum (*Isa.* XIV), » detraxit, et projecit in istum aerem caliginosum : nunc autem sedentem super equum, id est super infrenatam stultitiam superbientium, et a se deceptorum hominum, dejecit in profundum laci, in barathrum ardentis inferni. « Verumtamen, inquit propheta, ad infernum detraheris in profundum laci; qui te viderint, ad te inclinabuntur, eque prospicient (*ibid.*), » etc. Ecce videmus, adhuc in die judicii visuri sumus, tunc enim « cunctis videntibus præcipitabitur (*Job* XL). » — « Cantemus igitur Domino, » ait hic doctus, et bene vocalis præcentor : « Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. » Accepta commonitione, chorus universus unum ex multis membris corpus, tali initio ingreditur carmen delectabile : « Fortitudo mea et laus mea Dominus. » Quid deinde? « Et factus est mihi in salutem. » Ergo fortitudo quia facta est tibi in salutem? Plane « fortitudo mea, » nam fortitudo capitis mei, fortitudo mea est, imo caput meum si forte est, fortitudo mea est. Quis autem nesciat, quia Dominus ipse magnificus caput meum est, ex quo « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » et ego una Ecclesia, quæ ad carmen hoc vocata sum, unum corpus ejus sum? Licet igitur universo simul corpori, licet singulatim quibusque membris gloriari, salva capitis gratia, et dicere quia « Fortitudo mea est, factus est mihi in salutem, » et hæc laus mea est, et laus capitis totum corpus non dedecet. Alias autem nisi caput istud fortissimum haberem, sicut hactenus ex quo bibi calicem iræ ejus de manu Domini, et potavi usque ad feces propter Adæ prævaricationem, sicut hactenus, inquit, non fuit qui suscitaret me ex omnibus filiis meis, quos genui (*Isa.* LI), ita et usque in sempiternum dormirem, sicut bestia illaquenta plena indignatione Domini. « Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei, et exaltabo eum. » Iste, inquam, quondam despectus, et novissimus virorum, vir dolorum, et sciens infirmitatem (*Isa.* LIII), qui moriendo talem equum, et talem ascensorem sic projecit, Deus meus est. Et homo est, et Deus meus est. « Glorificabo eum, » non erubescam eum. Sed dicunt mihi adversarii populi, qui ascenderunt et irati sunt, quos dolores obtinuerunt, scilicet synagogæ Judæorum, conciliabula hæreticorum : Si Deus tuus iste est, ergo Deus recens, Deus alienus est in te, et non facis secundum Scripturæ præceptum, sed contra Scripturam, dicentem : « Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum (*Psal.* LXXX). » Dicam ad hæc, et cantabo confidenter : « Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei » Abraham, « et exaltabo eum. » — « Abraham, inquit, pater vester, exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII). » Item : « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*ibid.*). » Igitur Deus recens non est in me, neque adoro Deum alienum, sed Deum patris mei, Deum antiquum. Nam etsi filius, etsi genitus, vel natus est, nec **202** uno tamen puncto sive atomo junior est Patre suo, antiquo dierum. Istum glorificabo, istum exaltabo, dicamque : « Dominus quasi vir pugnator (omnipotens nomen ejus), currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare. Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis. » Per parenthesin lege Omnipotens nomen ejus, videlicet, ut in medio orationis suggilletur adversarius, cui nimium videbatur ut diceretur Dominus (*Exod.* V). « Quasi vir pugnator, » inquit, id est ad modum viri pugnatoris hæc fecit. Sicut enim vir pugnator, pro modo vel qualitate hostis sui semetipsum aptat et armis induit, sic iste, secundum naturam hostis sui, novis et mirabilibus modis bellum ordinare debuit. Erat autem hostis ejus non caro et sanguis, sed principatus qui-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dam et potestas aerea, rector mundi hujus, tenebrarum harum, spiritualis nequitia in cœlestibus (*Ephes.* VI). Non ergo materiali gladio super femur suum semetipsum potentissimus accinxit, non loricam vel galeam ferro textam induit, sed contra ejusmodi principatum vel potestatem superbiæ, humilitatem et obedientiam induit contra spiritualia nequitiæ, charitatis fortitudinem induit, et præcinxit se. Ita quasi vir pugnator currum Pharaonis aerei, quo super altitudinem nubium equitare se credidit, ut esset Altissimo similis (*Isa.* XIV), et exercitum ejus tam vitiorum quam dæmonum, quos proposuerat in templis vel delubris gentium, projecit in mare. Moriendo quippe accepit potestatem in cœlo et in terra, et omnia traxit ad se (*Joan.* XII). Ex tunc electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro, undosa namque tribulatio ejus, de qua dicit in Psalmo : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII), » inundavit super capita eorum ex hora qua in latere percussus lancea, fudit sanguinem et aquam, et ita « abyssi operuerunt eos, » et periit memoria eorum, « et descenderunt in profundum quasi lapis, » propria iniquitate depressi. Nihil enim juris habent in omnibus quorum hic Deus est, et qui glorificant eum, qui hunc patris sui profitentur Deum. Inde laudes, inde gratiarum actiones. « Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos. » Sit vox ista maxime martyrum nostrorum; per illos enim dextera Domini, quæ cœlos fundavit et terram, mirifice glorificata est miraculis, templa dæmonum evertit, idola disperdidit. Ita « percussit inimicum, » non ferro, sed sanguine martyrum, « in multitudine gloriæ suæ, » in laudem et honorem gloriosæ gratiæ suæ, o sancta Ecclesia, deposuit adversarios tuos. Dicant ergo victores isti, præliatores fidei, propugnatores veritatis : « Misisti iram tuam quæ devoravit eos sicut stipulam, et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Steiit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. » Iram tuam, id est zelum tuum, misisti, Domine Deus; zelatus enim es pro gentilibus te ignorantibus, quæ in errorem adductæ ad simulacra muta ibant, prout ducebantur (*I Cor.* XII), et devoravit ira tua, sive zelus tuus, deos fanaticos, sicut devorat ignis stipulam. Ubi nunc adulter Jupiter? Ubi Venus meretrix? Ubi cæterorum portenta deorum, ubi sunt equi eorum qui sub illis contra martyres tuos hinnierunt, id est reges et præsides truculenti, qui pro illis martyrum sanguinem fuderunt? Devoravit eos ira tua « sicut stipulam, et in spiritu furoris tui, » id est in comminatione futuri judicii. « Congregatæ sunt aquæ : » juxta litteram, « in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, » illud est quia « abstulit eas Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, eruntque quasi murus ad dextram et lævam, » quæ res utique fugientibus opem, persequentibus portabat furorem. Cæterum juxta cœptum mysterium, « aquæ, populi sunt (*Apoc.* XVII). » Unde est : « Beati qui seminatis super omnes aquas (*Isa.* XXXII). » Item : « Intonuit Dominus super aquas multas (*Psal.* XXVIII). » Istæ aquæ spiritum furoris, id est comminationem futuræ examinationis sentire vel audire potuerunt, quia rationales sunt, et a timore ejus congregatæ sunt. Ubinam « congregatæ sunt? » — « In medio mari. » Sic enim ternaria repetitione usus, per tropum, qui periphrasis, id est circumlocutio dicitur, et ornandæ rei causa fieri solet, tandem determinavit : « Congregatæ sunt aquæ, stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. » Aquarum enim nomine, ut jam superius dictum est, populus significatur, unde vel abyssorum vel fluentis vocabulo fluidam et profundam populorum signat miseriam, juxta quod alibi de isto persecutore dicitur : « Absorbebit fluvium et non mirabitur (*Job* XL). » Sed stetit hic fluvius vel hæc fluens unda : tunc stetit, quando « congregatæ sunt aquæ, » id est populi multi, ut stanti et terno Deo per fidem unirentur. Et alio loco Scriptura dicit : « Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? » (*Jer.* XVII.) Ergo et « abyssi congregatæ sunt in medio mari, » quando pravi homines, de occultis tenebrarum, de profundis vitiorum confluxerunt ad unicum et universale Christi baptisma. Medium enim recte dicitur id quod commune vel publicum, aut universale est, quod nos dicimus catholicum. Et hoc expedit congregationi aquarum, ut congregentur ad medium; nam quod in parte est, non est authenticum. Illud hæreticorum est, qui angulos quærunt, quibus aquæ furtivæ dulciores sunt (*Prov.* IX). « Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, et implebitur anima mea. » Hoc dixit « inimicus, » id est diabolus, qui antonomastice, id est quasi proprio nomine, dicitur inimicus. Quid mirum, si hoc dixit, habens fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus, et falsus est, qui dixit : « In cœlum conscendam (*Isa.* XIV), » et affectans similis esse Altissimo, et spes ejus cum frustrata est? Quid, inquam, mirum, si de cordibus renascentium in Christo, jam exclusus, sic dicit et loquitur, qui de cœlo projectus, cum angelis suis adhuc « adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? » (*II Thess.* II.) « Persequar, inquit, et comprehendam. » Persequar, quantum licet; nam de his qui mare ingressi sunt, neminem comprehendit, nisi fictum aliquem aut hypocritam. In quo habet fiduciam, ut dicat « dividam spolia, implebitur anima mea. » Ait : « Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. » Gladium evaginare, id est apertam persecutionem excitare, sicut econtrario arcum intendere, id est occulte velle decipere. Utrumque Psalmista exprimens persecutionis modum : « Gladium, inquit, evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum (*Psal.* XXXVI). » Ergo « evaginabo, inquit, gladium meum, » id est a cordibus exclusus, manifesta utar tyrannide regum, imperatorum, vel paganorum crudelium. Et quia non pertingo ad ani-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mas, corporaliter interficiet eos manus mea, potestas mea, permissio divina. Sed « qui fecit eum, » ait ad B. Job Dominus, « applicabit gladium ejus (*Job* XL), » id est, non quantum volet, sed quantum utile est, sævire aut interficere permittetur. Non ergo timeat victoriosus populus Dei festinans ad hæreditatem quam promisit Deus; etenim inimicus iste, dum persequitur, dum occidit, proposito magis illorum proficit, ut citius ad patriam perveniant peregrini. Inde fatuus esse convincitur, quia dum pro se contra Deum, vel contra Dei **203** populum agere nititur, contra se potius agit, et Dei propositum adjuvat, ut perficiatur. Diciturque ad B. Job de illo : « Nunquid pones circulum in naribus ejus? » (*Job* XL.) Hoc enim dicto fatuitas ejus maxime denotatur. Et subinde : « Nunquid feriet pactum tecum, et accipies eum servum sempiternum (*ibid*). » Subauditur, ut ego, cui voluntate adversando sic ille cooperatur, tanquam juraverit obsequiam, seque servum studeat exhibere fidelissimum. Sequitur : « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Certum hoc tenet catholica fides quia mare Christi nobis ingressis aspirat Spiritus Domini, Spiritus gratiæ et remissionis, deponens, juxta prophetam, omnes iniquitates nostras, et projiciens in profundum maris omnia peccata nostra (*Mich.* VII). Hæc ruina diaboli est. Quod enim primum in semetipso caput nostrum fecit in præsentia suæ mortis, « delens quod adversus nos erat, ut Apostolus ait, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum inquit, tulit de medio, affigens illud cruci et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos (*Col.* I) : » quod, inquam, tunc in semetipso caput nostrum fecit, hoc idem in baptismo facit in membris suis, ubi est similitudo mortis ejusdem, cui complantamur, ut idem Apostolus ait (*Rom.* VI). Recte igitur dicas et veraciter cantes quicunque de hoc mari ascendisti in Christo renatus, quia « operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus, » impleta veritate dicentis prophetiæ : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum ; et ponam frenum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt, et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui (*Ezech.* XXIX). » Et nota quod superius lapidi, videlicet propter gravedinem peccati, hic autem eos plumbo comparavit, scilicet propter pœnam vel retributionem peccati, secundum Zachariam prophetam, apud quem talentum plumbi mittitur in os ejus iniquitatis (*Zach.* V). Iterum laudes, iterum gratiarum actiones. « Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia. » Hoc contra illud, quia dixit iste Pharao : « Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). » Parum erat prædicasse in illo fortitudinem, dicendo : « Quis similis tui in fortibus, Domine, » nisi et sanctitatem prædicaret, addendo : « Quis similis tui, magnificus in sanctitate? » Hoc enim a se differunt hoc loco fortitudo et sanctitas, quod alibi judicium et misericordia. Fortitudo judicii contra superbientes, sanctitas misericordiæ super pios fugientes. Secundum hæc duo subjungit nomina laudis, « terribilis atque laudabilis, » terribilis videlicet pro judicii fortitudine, laudabilis pro misericordiæ sanctitate. Secundum utraque ista, « et faciens, inquit, mirabilia. » Quæ mirabilia? « Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. » Hoc est mirabile fortitudinis, unde es tu, Domine, terribilis? « Devoravit, inquit, eos terra; » terra, inquam, juxta B. Job, tenebrosa, et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (*Job* X). « Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum. » Hoc mirabile sanctitatis vel misericordiæ est, inde es tu, Domine, laudabilis. « Terribilis atque laudabilis » tam diversa mirabilia fecisti, « et portasti eum, inquit, in fortitudine tua. » Tempore præterito pro præsenti usus est, « portasti, » inquiens, pro eo ut diceret, portabis, certissime sciens quia quod cœpit perficeret, vel quia propositum ejus infirmare nemo posset. Quod autem est habitaculum Dei sanctum? Nunquid terra peccatorum, terra Chananæorum? Fuerit quidem illic habitaculum sanctum, id est, civitas sancta Hierusalem vel templum, et sancta sanctorum ; verum non propter se illa sancta fuere, sed propterea quia cœlestium erant exemplaria sanctorum. Ergo non tam locum illum terrenum quam terram viventium, cujus illa erat umbra, dixit habitaculum Dei sanctum ; quo per gloriosam ductoris Dei magnificentiam, portandum prævidebat esse universum sanctorum populum in fortitudine Dei, quæ non est alia, quam Filius Dei. « Ascenderunt populi, et irati sunt, » etc. Unde scire poterat ut diceret quasi præteritum quod futurum erat, « tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan? » Nam de eo quod ait, « dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim, » illud forte responderi possit quia vicina erat terra Philisthiim, et antequam mare ingrederentur, cavendum illis erat ne per eos transire conarentur, sicut superius jam dictum, eo quod eorum dolor, id est invidia, jam exeuntibus ex Ægypto innotuisset. Verum Edom dicentibus : « Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam (*Num.* XX), » necdum responderat : « Non transibitis per me, alioqui armatus occuram tibi (*ibid*). » Neque dixerat rex Moab : « Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere (*Num.* XXII). Unde ergo, nisi ex prophetico spiritu jam ista cantare noverat? Porro

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

spiritualiter Edom, id est, *terrenus* vel *sanguinolentus*, et Moab, quod interpretatur *ex patre*, subauditur diabolo, Chanaan quoque, quod interpretatur *commotio*, Philisthiim, quod interpretatur *potione cadentes*; omnes illos et nominibus significaverunt, et factis suis præfiguraverunt, qui Christo victo coronato, gloriam ejus cœlis enarrantibus, atque in omnem terram exeunte sono apostolorum ejus, victi diaboli causam quasi tuendam susceperunt, et spiritu ejus inflammati in omnes in Christo credentes ascenderunt et irati sunt. « Irruat, inquit, super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui. » Formido de futuris, pavor de præsentibus. Hoc juste illis imprecatur, qui gloria Dei cruciantur, cunctis videlicet hostibus fidei, vel nominis Domini tam visibilibus quam invisibilibus. « Fiant immobiles quasi lapis. » Videlicet ut mobilibus, et bene ad Deum currentibus nocere non possint. « Donec pertranseat populus tuus, Domine. » Subauditur, qui manentem hic non habet civitatem, sed futuram inquirit (*Hebr.* XIII). « Donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti. » Repetitio pertranseuntis populi est quidem in littera quoque ornatus sermonis vel cantici, sed in mysterio placet magis, si post priorem Hebræorum sequentem quoque gentium populum intelligere velis, quem suo sanguine emptum ductor Christus possedit, Patre dicente : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » — « Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine. » Hoc secundum similitudinem vineæ dictum Psalmista quoque amplectens canit Domino : « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam (*Psal.* LXXIX), » etc. « In monte, inquit, hæreditatis tuæ. » Terra quidem montosa est, quam dedit Dominus populo illi, sed incomparabiliter **204** ea celsior est terra, quam recte dicas montem hæreditatis Domini, præsertim cum protinus subjunxerit, « firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine : sanctuarium tuum, Domine, quod confirmaverunt manus tuæ. » Ergo mons, in quo magnum sit plantari populo Dei, quod recte vocetur firmissimum habitaculum Domini, quod operatus ipse sit, quod sanctuarium sit Domini, quod manibus suis ipse confirmaverit, ille est Libanus, de quo prophetia plantationem apostaticam ejectam dicit esse his verbis : « Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus (*Ezech.* XXXI). » Et post pauca : « Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum (*ibid.*). » Ac deinceps : « Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter voluptatis ligna? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies, cum his qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus (*ibid.*). » In hoc monte primum, quod est mirabile, latronem plantavit, dicendo : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » — « Dominus regnabit in æternum et ultra. » Pulcherrimi cantici clarissimus et valde sonorus finis hic est. Nam quod sequitur : « Ingressus est enim Pharao, » etc., subjungendo ad caput redit et universa quasi brevi epilogo concludit : « Dominus regnabit in æternum. » Certum hoc habet omnis qui novit Dominum, quia « Dominus regnabit in æternum. » Sed quis hoc ipsum capiat, quod dicitur « in æternum? » Significatum hujus vocis nimis spatiosum est. Longitudinem et latitudinem sive altitudinem ejus noster intuitus permetiri non potest. Hac voce audita, forte levamus capita nostra, sed non tota videmus æternitatis spatia. Addidit « et ultra, » velut si dicat : Quantum videre in longinquum potes regnabit Dominus, et ultra quam videre potes, ultra id quod ipsa vox, qua dicitur « in æternum, » animo vel intellectui tuo infert. Quasi quæreres : Unde scis quia Dominus regnabit, rationem reddit hujusmodi : « Ingressus est enim Pharao, » etc. Ergo nisi ille in mare ingressus fuisset, et nisi Dominus eum super aquas reduxisset, Dominus non regnaret? Plane regnaret ubique potestate, sed non regnaret illa hominum possessione quam propheta suspirans : « Et possederunt nos, inquit, domini absque te (*Isa.* XXVI). » Nisi, inquam, fuisset oppressus ille Pharao spiritualis, Dominus non regnaret in nobis, id est, nisi fuisset ejectus princeps mundi, non possideret nos Christus Filius Dei, non regnaret in nobis Salvator mundi.

CAPUT XXXVIII.

Maria idem canticum cum mulieribus post viros canitans, cujus rei nobis mysticum exemplum dederit.

« Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens : Cantemus Domino, » etc. Pulcher narrationis ordo. Prius Moyses cum viris, deinde Maria cum mulieribus unum idemque canticum canit. Nos hunc ordinem spiritualiter intelligentes, saltem ut mulieres cum mulieribus, quoniam infirmæ animæ sumus, eadem fide cantemus; nam apostolos et apostolicos homines, quicunque armati de Ægypto ascenderunt, et ad præliandum fortes sunt, viros esse fatemur, et eorum comparatione, cum quasi mulieres simus, nequaquam eorum choro consistere, vel eodem tono personare valemus. Notandum quia Mariam hic prophetissam Scriptura nuncupavit, quia videlicet sicut prædictum, partimque expositum est, futurorum prophetiam verba continent hujus cantici, cum sonare videantur tantum de præsentibus et præteritis. Et pulchre sumpsisse dicitur tympanum, quod modulationis instrumentum, corium est in ligno extentum, significatque carnis mortificationem sine qua nulla potest anima proban se exhibere cantatricem. « Egressæ sunt,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inquit, omnes mulieres post eam. » Mulier a mollitie dicta est. Sed oportet ab ipsa mollitie sua fidelem animam parumper egredi, quatenus viros imitari et digne Deo canere possit.

IN EXODUM LIBER TERTIUS.

(Exod. cap. XV-XXIV.)

205 CAPUT PRIMUM.

Quomodo, juxta Paulum, monemur ne, sicut multi filii Israel in nube et mari baptizati, sic nos in Christo baptizati, malis operibus baptismi gratiam perdamus.

Ignorare nos Apostolus non vult ea quæ prædicta sunt, et quæ sequuntur, in figura nostri facta esse, scripta esse autem ad correptionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x). Quomodo ad correptionem nostram? Videlicet ut non jam nos comprehendisse, vel hoc solum nobis sufficere arbitremur, quod in Christo baptizati sumus (*Gal.* III), et hac fiducia decepti, susceptam baptismi gratiam malis operibus iterum perdamus. Hanc enim inutilem nobis confidentiam rumpere nitens : « Nescitis, inquit, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. (*I Cor.* IX.) » Ac deinceps : « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra. Petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri (*I Cor.* x), » etc. Igitur concupiscentias, et idololatriam illorum, fornicationes quoque, tentationes, atque murmurationes illorum sic prosequamur, quatenus de prostratis eorum corporibus prædictæ correctionis emolumentum capiamus et ante omnia de figuris rerum corporalium cum auctoritate ejusdem apostoli spiritualia mysteria Christi Filii Dei juxta propositum nostrum perscrutemur. Nam « hæc omnia, inquit, in figura contingebant illis (*ibid.*). »

CAPUT II.

Quomodo juxta aquas Mara Dominus populum tentaverit.

« Tulit autem Moyses filios Israel de mari Rubro, et egressi sunt in desertum Sur. Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam, et venerunt in Mara, » etc. Sur desertum inter Cades et Barath : ubi invenit angelus ancillam Saræ Agar (*Gen.* XVI). Extenditur autem usque ad mare quod ad Ægypti confinia pervenit. Interpretatur autem Sur *murus* sive *directus*. « Ambulaverunt, inquit, tribus diebus, » etc. Hoc quod non inveniebant aquam, et quod venientes in Mara « non poterant bibere de aquis ejus, eo quod essent amaræ, unde et congruum loco nomen imposuit, A vocans illud Mara, id est amaritudinem, » pro tentatione factum est. Sic enim habes : « Ibi constituit ei judicia, atque præcepta, et ibi tentavit eum. » Tentatus autem, continuo reprehensibilis populus inventus est. Nam « murmuravit contra Moysen, dicens : Quid bibemus? » Non quia dixit, sed quia murmurando dixit, « quid bibemus? » recte arguitur. Sed hæc prima tentatio improbitas fuit. Ergo mansueta Dei patientia suaviter corripit, et dicit : « Si audieris vocem Domini Dei tui, etc. cunctum languorem quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego enim Dominus Salvator tuus. » Ac si dicat : Si non murmurare aut contentiose agere incipias, ego, qui Ægyptum contrivi in ira mea, ductor tuus ero in misericordia mea. Alias autem, si Ægyptiorum B peccata rebellando secutus fueris, cunctum languorem inducam super te, quem in Ægypto posui. Grande et hic mysterium est.

CAPUT III.

Quod Moyses sedulus nutritius, filios Israel tanquam parvulos exceperit, et quid aquæ Mara significent.

« Tulit Moyses, inquit Scriptura, filios Israel de mari Rubro. » Puta dixisse, quia tulit nutritius sedulus parvulos alumnos de novæ regenerationis sacramento. Nam illi quidem nonnisi in figura baptizati erant, nec ita ut nos in Christo renati erant (*I Cor.* x), ac proinde illi quoque, sicut omnes homines, futura emundatione sanguinis Christi adhuc indigebant. Verumtamen propter eamdem præfiguC rationem baptismi, in ipso ascensu suo de mari Rubro illos significabant parvulos, quibus B. Petrus apostolus dicit : « Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles et sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*I Petr.* II). » Constat autem ejusmodi infantes oportere affectu nutritio portari, quandiu parvuli sunt, quandiu lacte illis opus est, et non solido cibo (*Hebr.* V). Et hæc maxima rectoribus populorum cura impendet, ut ejusmodi quasi in humeris tollant, juxta prophetam dicentem : « Pueri eorum in humeris portabuntur et super genua consolabuntur (*Isa.* LXVI). » Bene ergo dictum est et proprie, « tulit, » quia videD licet grande onus super se tollit quisquis infantiles hominum mores, recte et secundum Deum portare intendit. Quod primum hic Moyses in **206** seipso expertus, dicit ad Dominum : « Cur afflixisti servum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Nunquid ego concepi universam multitudinem hanc, vel genui eam, ut dicas mihi : Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram pro qua juravi patribus eorum? » (*Num.* XI.) « Et venerunt, inquit, in Mara. » Mara, cujus aquas bibere non poterant, eo quod essent amaræ, legem significat veterem, cujus carnales cæremonias nos parvuli sanguine Christi redempti non possemus portare. Sed neque patres ipsi potuerunt, apostolo Petro dicente : « Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus (*Act.* XV). » Profecto quibus hæc dicebat parvulis, aquas de Mara propinare volebant, quas neque ipsi præ amaritudine bibere poterant? « Clamavit Moyses ad Dominum, qui ostendit ei lignum, » Hoc lignum, quod Moysi, imo per gratiam et nobis ostendit Dominus, sanctæ et vivificæ crucis lignum est. Lignum enim in aquas Mara mittere et sic eas in dulcedinem vertere, est Dominicæ passionis sacramentum cum littera legis conferre. Quod quam dulce sit, qui experiri meruit ipse novit, qui bibit ipse sapit.

CAPUT IV.

Quid per Elim, quid per duodecim fontes, quid per septuaginta palmas significetur.

« Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ, et castrametati sunt juxta aquas. » Quid erat opus scire nos numerum fontium, numerumque palmarum, nisi et in his quoque scitu dignum subesset mysterium? Elim namque vertitur in *arietes*. Ergo, quoniam et in Psalmo cantamus : « Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron (*Psal.* LXXVI); » et in Evangelio de nobis Pastor dicit : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* X); » ipsum ovile Dominicum hic accipiamus per nomen Elim, id est arietum. Arietes namque duces gregum et ovilis principes sunt. Porro per abundantiam fontium duodecim, copiamque palmarum septuaginta, demonstrari nobis arbitremur ovile ipsum quam sit delectabile ovibus ad manendum, quam commoda sit statio educandis filiis arietum, de quibus Psalmista : « Afferte, inquit, Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* XXVIII). » Quid enim per plenitudinem duodecim fontium, nisi universitatem debemus intelligere doctorum? Nam quia duodecim apostoli sunt, quorum primarium est docendi officium, recte duodenario numero designantur omnes, qui apostolica doctrina tantum profecerunt, ut sedere valeant in ordine doctorum in medio Dominici ovilis, id est, in medio Ecclesiæ aperire os suum. Nec mirum quod apostolicus ordo, vel apostolicorum hominum universitas, juxta talem concluduntur numerum, scilicet duodenarium, quomadmodum arithmetici dicunt, superfluum, eo quod ex duodenarii partibus conficitur, supra ipsius sit duodenarium. Videlicet quia media pars ejus senarius est, tertia quaternarius, quarta ternarius, sexta binarius, duodecima unum, qui simul compositi sedecim efficiunt, qui utique numerus superat quatuor unitatibus duodenarium. Hoc, inquam, non mirum, nam et in Ecclesia doctores superflui fuerunt, qui eloquentiam sine sapientia habentes, hæreses et schismata fecerunt, et in initio fidei, plerique supra modum apostoli, id est pseudoapostoli, reperti sunt. Quid autem per septuaginta palmas florentes circa ipsos fontes, nisi pios ac fortes accipimus martyres? Nam de talium quolibet Scriptura dicit : « Et erit tanquam lignum quod plantatur super aquas, quod ad humores mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus » etc. (*Jer.* XVII.) Hic igitur nobis spiritualibus ovibus salubris amœnitas ovilis nostri designata est, ut non timeamus lupos, contra quos martyres nostri pugnaverunt, unde modo coronati sunt, et accipiunt palmas, tantas et tales quantas intelligere licet per hunc numerum septuagenarium, qui ex septenario et denario compositus est, quorum alterum septiformis spiritus gratia, alterum legis Decalogus commendat. Delectet nos duodecim frequentare fontes, ut merito de ovibus Ecclesiæ suæ Christus sic pronuntiet : « Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas (*Cant.* IV). »

CAPUT V.

De murmuratione filiorum Israel pro carnibus, et de specie mannæ.

(CAP. XVI.) « Profectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et contra Aaron in solitudine, » etc. Desertum Sin idem dicit Scriptura esse quod est Cades : interpretatur autem Sin *tentatio*, Sinai *tentatio mea*. Quod nomen rei satis congruit, videlicet quia murmurantes dixerunt filii Israel : « Utinam mortui essemus per manum Domini in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus carnes in saturitate, » etc. Nam hujusmodi murmurationem tentationem esse Psalmista manifeste testatur, dicens : « Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? » (*Psal.* LXXVII.) Tentatio hujusmodi peccatum illorum fuit. Non enim quia petierunt escas, sed quia dixerunt : « Nunquid poterit Deus mensam parare in deserto, quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ et torrentes inundaverunt. Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? » (*ibid.*) : idcirco in peccatum reputatum est illis. « Ideo enim, inquit Psalmista, audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel (*Ibid.*). » Sicut jam dictum est, non quia petierunt escas, quibus necessario caro mortalis alitur, sed quia, cum peterent, « non crediderunt

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

In Deum, nec speraverunt in salutare ejus (*Psal.* LXXVII). » Plana est historia quomodo pluerit illis manna admanducandum, et sicut pulverem carnes (*ibid.*), scilicet gregem coturnicum. Erat autem manna, sicut alio loco scriptum est, « quasi semen coriandri (*Exod.* XVI), » videlicet herbæ, quæ Græce corion dicitur, « coloris bdellii (*Num.* XI), » scilicet aromaticæ arboris, de cujus natura Plinius plenissime scribit : pro coturnice autem plerique ortigometram legunt, alii autem pro ortigometra coturnices interpretati sunt cum sit aliud genus avium, quamvis conturnicibus non usquequaque dissimile. Alii autem ortigometras duces coturnicum esse affirmant ob Ortigia, in qua abundant, insula nominatas. Jam nobis intro tendentibus ad mysterium quod de hoc capitulo sumptum toto orbe celebratur juxta quod veraciter dicitur in Psalmo : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Primo, **207** inquam, nobis notandum est quanti reatus sit murmurationis malum, dicente Moyse ad populum : « Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. » Non tamen prima vice, ubi pro aqua murmuraverunt, neque secunda, ubi nunc pro carnibus murmurant, pœna correpti sunt, patientia Dei usque ad tertiam vicem supportante. Tertio namque murmurantes, apud sepulcra concupiscentiæ, non jam solis verbis correpti, sed pœna mortis multati sunt. « Adhuc enim, inquit, Scriptura, carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus, et ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis (*Num.* XI). » Unde hactenus in sancta Ecclesia justa est patientia, ut quisque pro quolibet vitio, usque ad tertiam vicem verbis corripiatur, et tunc demum, si non emendaverit, puniatur.

CAPUT VI.

De ordine præposterato, an prius panis petentibus datus sit et post aqua de petra percussa secundum historiam, an e converso secundum Prophetam.

Non idem ordo est in Propheta quo hæc sancta et veridica Scriptura historiæ contexta est. Hic enim res gestæ quæ factæ sunt eodem et narrantur ordine, id est prius panis petentibus datus, et post aqua de petra percussa producta esse memoratur. At vero in Propheta taliter præposteratum est, « Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa, et eduxit tanquam flumina aquas (*Psal.* LXXVII), » etc. Hoc primum posito, ita subjunctum est : « Et apposuerunt adhuc peccare ei (*ibid.*). » In quo? « Dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? » (*Ibid.*) Hæc ita cum dicit, manifeste prius esse vult, quod percussa petra « fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt » posterius autem, quod « mandavit nubibus desuper, januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad mandducandum. » Cur hoc? Videlicet, quia parabolice loquitur, sicut in initio Psalmi proposuit, dicens : « Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio (*ibid.*). » Quarum videlicet parabolarum ne difficilis esset solutio subsecutus Apostolus, cum dixisset : « Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra (*I, Cor.* X), » continuo subjunxit : « Petra autem erat Christus (*ibid.*). » Hoc enim dicto, quasi uno solari radio per fenestram injecto totius domus tenebras dispulit, ut clare videremus quod aliam petram aliamque profluentem aquam de petra, in parabolis prædictis, sapere debeamus. Dominus quoque cum dicentibus sibi Judæis : « Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare (*Joan.* VI), » continuo contradicit respondendo : « Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*ibid.*). » Profecto ostendit alium esse panem in Propheta, cujus testimonio fuerant abusi, aliumque in hac historia quem patres suos manducasse recolebant Judæi. Igitur cum auctoritate multiplici, scilicet cum testimonio Prophetæ loquentis hæc in parabolis, cum fide Apostoli dicentis hæc omnia in figura contigisse illis (*I Cor.* X), cum veritate Christi, panem se esse asserentis, et in percussione petræ, cum ad ipsum locum venerimus, passionem Domini, et in largitate panis cum rore supra castra descendentis, in præsentiarum corpus ipsius, quod de sancto sumimus altari, fideliter intelligamus.

CAPUT VII.

An congrue juxta mysticum sensum talis historicus ordo potuerit a Propheta præposterari.

Sed dicit aliquis : Etsi petræ interruptio, Christi passionem et manna Christi mensam significavit, paratam nobis in terra salutem, nec sic oportuit historica facta præposterari ut prius diceret Propheta percussam fuisse petram ut aquæ fluerent, et deinde mandatum esse nubibus desuper et manna illis deplutum esse, ut ederent. Nam antequam molestia crucis perculeretur Dominus Jesus Christus, ipse verbo suo januas cœli aperuit, et hoc manna pluit eadem quippe nocte, qua tradebatur, propriis ipse manibus sanctam eucharistiam, ut hoc faceremus nos, ipse consecravit. Ad hæc inquam : Non ante passionem suam Dominus noster, sed in ipso suæ passionis articulo hoc fecit. Jam enim venditus erat, jam tradebatur, jam tristis erat anima ejus usque ad mortem, jam pavebat, et mœstus erat, jam factus in agonia, et orans sanguineas guttas desudabat, jam se, propter certitudinem mortis instantis, in mundo non esse dicebat. Unde et hoc notandum quia cum aliis locis panis hujus, id est, suimet esum necessarium commendaverit, dicendo : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI), » nusquam tamen nobis ostendit, quomodo posset, vel deberet hoc fieri, nisi in hora illa, qua tradebatur, qua, ut jam dictum est, in angustia passionis agonizabat. Cur hoc? videlicet quia pas-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sionis ejus opus res et virtus est sacramenti, qua substantia panis et vini in veritatem nobis convertitur corporis ejus et sanguinis. Unde Apostolus : « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (*I Cor.* II). » Sed et illud nemo qui nesciat; prius esse ut invitetur quisque ad fidem Dominicæ passionis, quam ad participationem hujus panis, id est, ut prius baptizetur in morte ejus quam ad sanctum altare admissus communicet carni et sanguini illius. Recte igitur sic Propheta historicos actus præposteravit, ut prius diceret interruptam fuisse petram, ut fluerent aquæ, posterius januas cœli apertas, ut homo cibaretur angelorum pane.

CAPUT VIII.

Quando dicit Apostolus : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, » etc; et Christus dicit Judæis : « Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater, » etc., utrum figuræ et res in hoc idem sint.

Item dicat aliquis : Cum dicat Apostolus de patribus : « Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (*I Cor.* X), » quomodo dixit Christus, ubi Judæis loquitur : « Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*Joan.* VI). » Dicimus ad hæc : Cum dicit Apostolus, « escam eamdem » nullatenus littera innuit illum subaudire voluisse, eamdem quam nos. Equidem ante nos magni Patres hanc relationem subintellexerunt, sed sicut a quodam pro alia re dictum est, quamvis grandis sint auctoritatis, et sanctitatis vel sapientiæ ipsorum magnitudo nos opprimat, nos magis evangelica Christi auctoritate ducimur quam cujuslibet eloquentiæ argumentis. Nec enim ratio patitur, ut figura et res idem sint. Dixit autem Apostolus, tam de hoc quam de cæteris quæ **208** facta sunt, quia « in figura contingebant illis (*I Cor.* X). » Proinde cum dicit : « et omnes » omniumque deinde distinctionem facit, dicendo « sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo, nam prostrati sunt in deserto, » planum intellectui est idem esse ac si dicat, unam escam omnes manducaverunt, et unum omnes potum biberunt spiritualem, id est non naturali ordine, sed spirituali virtute provenientem, et tamen in illam repromissionis terram non omnes introierunt, videlicet in figura nostri, qui omnes eodem sacramento corporis Christi participamur, et tamen in illam terram viventium non omnes pariter sive bene, sive male vixerimus, simus admittendi. Igitur et quod Veritas de præterito tempore negans de præsenti vero confirmans : « Non Moyses, inquit, dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, » et quod veritatis Apostolus dicit : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt, » non esse repugnantia sive contraria, ratio manifesta convincit. Nunc jam de hujus panis mysterio dicturi aliquid, ad caput lectionis redeamus.

CAPUT IX.

Quid significet quod murmurantes contra Moysen dixerint : « Sedebamus super ollas carnium, » etc.

« Sedebamus, inquiunt, super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate. Cur in desertum istud induxistis nos, ut occideretis omnem multitudinem fame? » Murmuratio hæc filiorum Israel, Judaicæ contentionis forma est. Sicut enim illi post immolationem agni, submerso Pharaone, et omni exercitu ejus, transito mari Rubro, nimia ingratitudine respexerunt ad ollas carnium Ægypti, et ad panes illius saturitatis, cum fuissent servi et multa afflictione ad amaritudinem perducti, sic post passionem Agni immaculati et incontaminati Christi, jam foras misso hujus mundi principe, novitii Judæorum in Christo baptizati, stulta pertinacia respicientes vetera taurorum et arietum sacrificia, quæ Dominus Deus in prophetarum dictis manifeste contemnit, contendebant, dicentes : « Quia nisi circumcidamini, et nisi incedatis per omnia secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri (*Act.* XV). » Moyses ad hæc : « Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. » Hoc plane apostoli dicere potuerunt. Nunquid enim ab ipsis Evangelii prædicatoribus carnalium sacrificiorum reprobatio sumpsit initium? Non utique. Sed ab ipso Domino, verbi gratia, cum diceret in Psalmo : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo (*Psal.* XLIX). » Et multa his similia. Dicant ergo duces credentium apostoli, qui populum carnali consuetudine prægravatum educunt ad spiritualem sensum per baptismum Christi : « Nos enim quid sumus? » Videlicet quia dum in corpore vivimus vestro arbitrio, longe minoris auctoritatis sumus quam prophetarum (qui dudum excesserunt) quisquam vel minimus. Nec mirum, nam et ipsi cum adhuc viverent adeo contempti sunt ut occiderentur, quos quia vos minores estis, quasi honorantes sepulcra eorum ædificatis (*Matth.* XXIII). At vero, confitemini quia Deus deorum Dominus per illos locutus est, quod non vos arguat in sacrificiis vestris, hoc potius dicens : « Immola sacrificium laudis Domino (*Psal.* XLIX). » Igitur « non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum; » id est, non contenditis contra novitatem evangelistarum, sed contra vestrorum antiquitatem prophetarum.

CAPUT X.

Quis sit ille panis, quem de cœlo pluebat Dominus filiis Israel in deserto.

« Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus, ut colligat quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea an non? Die autem sexta parent quod inferant. et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. »—« Pluam vobis, » inquit. Huic verbo consonans Propheta dixit : « Et mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum (*Psal.* LXXVII). » Quid autem per manna intelligi velit, inmens continuo subjungit : « Panem cœli dedit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

els, panem angelorum manducavit homo (*ibid.*). » Quis nam hic panis cœli, panis angelorum? Nunquid angeli illo pane cibantur in cœlo quem populus ille colligens similem coriandro frangebat mola, sive terebat mortariolo? Ergo panis cœli, panis angelorum ipse est, qui in Evangelio suo dicit : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI). » Hic enim victus est, et vita est angelicæ substantiæ, nam in eum desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I). Quod quia facere contempsit angelus, cecidit et factus est diabolus. Qui et hujus panis, sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, et mors illum sequitur. Digna ergo Prophetæ exclamatio, digna admiratio, quia januis cœli apertis, « panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Unde hoc? Videlicet ex eo quod « mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, » id est præostendit apostolis sive etiam prophetis, de quibus illud est : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII), » id est occulta scientia in prophetis et deinde per semetipsum clausas prius hominibus januas cœli aperuit, solutis in carne sua veteribus inimicitiis, sicque terrenis cœlestia conjunxit, id est homines angelis sociavit, ut eodem vescantur pane cœli, illi in cœlestibus in manifesto conspectu divinitatis, isti adhuc in terra positi in sacramento pietatis, de quo dicit Apostolus : « Magnum est, inquit, sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III). » Equidem illic « panem cœli, panem angelorum » singulariter; hic autem « ego pluam vobis panes, » pluraliter dictum est. Nullam tamen suspiceris dissonantiam, nam et illic pluraliter subjunctum est, « cibaria misit eis in abundantiam (*Psal.* LXXVII). » Ergo secundum se panis unus Christus vel unum corpus Christi, verumtamen secundum locales Ecclesias et secundum offerentium personas, sive accipientium innumerabiles populos, cibaria sive panes recte dicas pluraliter. Verbum ipsum pluit, quo utraque Scriptura usa est, in ista Deo dicente : « Ecce ego pluam, » in illa autem, « et pluit illis manna ad manducandum, » eamdem ubique terrarum paratam omnibus pusillis et magnis significat copiam, ut de se ipso magnus Propheta dicat : « Parasti in conspectu meo mensam (*Psal.* XXII). » Et de nobis, licet minimis : « Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi (*Psal.* XXI). »

209 CAPUT XI.

Mystice de eo quod dictum est : « Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies. »

« Egrediatur, inquit, populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies. » Profecto et nobis spiritualiter egrediendum est, ut colligamus quantum sufficere potest. Unde egrediemur? De pristina conversatione, de vetustate vitæ. Nondum enim deposito A vetere homine, non est nobis manna colligere, non est nobis hunc panem Dominicum manducare. Præterea, si digne manducare cupimus, ab omni curiositate corporei sensus egrediamur, ut videlicet, visu, gustu, odoratu, et tactu dijudicandum non esse arbitremur, an verum sit corpus Christi, an vera sit caro, id quod sumimus. Nam istis permanentibus colore, odore, atque sapore, est quod sufficiat fidei, quod satis sit catholicæ pietati. « Spiritus est, inquit, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ locutus sum vobis spiritus et vita sunt (*Joan.* VI). » Verba fidei, verba veritatis, sufficit prolata esse super substantiam panis et vini, ut inspiretur spiritus et vita æterna creaturis inanimatis, quamvis species exterior B non mutetur in illis : sufficit, inquam, ad salutem credentis, ad vitam digne percipientis. Tantum ergo unusquisque colligat, quia tantum sufficit. Colligat unusquisque quæ sufficiant, id est, credat verba Domini spiritum esse et vitam, et per ea panem et vinum, exteriori specie non mutata, transferri in veram viventis coporis et sanguinis Christi substantiam. Nam mutari visibiliter in speciem novam, id est, hoc in ovinam carnem, illud in sanguinis horrorem, non prodest quidquam, imo et infidum est.

CAPUT XII.

De eo quod dictum est : « Ut tentem eum, utrum ambulet in lege, an non. »

Ait postremo : « Ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non. » Ergone justum fuit ut vel C illum tali modo tentaret populum, vel hodieque super tali cibo et potu tentet hominem Christianum? Plane æquum fuit, ut illum Deus tentaret populum; nam ille populus tentabat Deum. Hoc jam superius dictum fuit, quod in eo fuerit magnitudo peccati eorum, non quia petierunt, sed quia tentando et murmurando escas petierunt, quia juxta Psalmistam, « Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo. Dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? » (*Psal.* LXXVII.) Ergo dum tentantibus ostendit Deus, quid ipse possit parando mensam illis, æquum fuit ut ipse versa vice tentaret eos, ne nescirent quales erant ipsi. Pene huic simile est quod dicit Deus in cantico Deuteronomii : « Ipsi me D provocaverunt in eo qui non erat Deus, et ego provocabo eos in eo qui non est populus (*Deut.* XXXII). » Tentati quippe deprehensi sunt, quod non ambularent in lege ejus, id est in fide ejus, dum diffidentes de crastino, colligerent plus quam sufficeret « per singulos dies, » sicut habes in sequentibus. Porro ut de hoc spirituali cibo et potu tentemur nos, æquum esse manifesta defendit ratio. Tentatus enim est homo a diabolo, et victus est : tentetur a Deo, ut illius tentatoris fraudem vincat et tali antidoto juxta naturam morbi competenter vitæ suæ subveniat. Tentati, inquam, sunt primi homines a diabolo dicente : Comedite « et eritis sicut dii (*Genes.* III), » et crediderunt ei plusquam Deo, dicenti : « In quacunque die comederitis ex eo, morte morie-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mini (*Genes.* III). Proinde tenietur a Dei Filio dicente de pane et vino. «Comedite, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI);» comedite et eritis filii Dei, et credamus verbo ejus plusquam oculis nostris carnalibus, quibus nonnisi exteriorem panis et vini speciem intuemur, et ita iniquam credulitatem parentum nostrorum pia credulitate in nobismetipsis evacuemus.

CAPUT XIII.

Quod in Sabbato non colligebant, sed de manna reposito die sexta, manducabant, et de duplici Sabbato.

« Die autem sexta, parent quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. » Quod inferant, inquit, id est quod reponant Sabbato sequenti quo vacare vel requiescere debeant in commemorationem Creatoris, qui sex diebus operatus est, et in septimo requievit. Sed diximus nos in prima parte hujus operis, quod illi dies alterius conditionis intelligendi sint, et quod longe aliud quam hominis sit Sabbatum, id est, Dei requies. Cur ergo de hujusmodi Sabbato, quale hactenus observant carnales Judæi, tunc cura fuit? Videlicet, quia dupliciter utile hoc homini fore prævidit. Primum, ut sicut omnia in figuram contingebant illis, ita et illud figurativum Sabbatum figura esset spiritualis sabbati, et sua carnali similitudine, illius recordationem faceret operatio Dei non solum quandiu observatum est, sed et quandiu legitur aut legendum est (*Exod.* VI). Deinde ut uno ex septenis diebus, refrigeraretur hominis mercenarii pietas, providit, sicut alio loco lex dixit: « Sex diebus operaberis, » septima cessabis ut requiescat bos et asinus tuus, ut refrigeretur filius, ancillæ et advena (*Deut.* V). Si ergo verum Dei agnovimus Sabbatum, ubi requiescente illo, et lætante in operibus suis, nunc deposito carnis onere, cum eo requiescunt animæ sanctorum, sciamus et illud quia manna, quod nobis datum est, Sabbato non invenietur, ut colligatur, sed quod ante collectum est, tunc manducabitur, quando facie ad faciem videbitur. Neque enim qui nunc baptismum perdit, illic aliud invenire poterit; neque is qui nunc corpus Dominicum manducare, et sanguinem bibere indigne præsumpserit, vel omnino contempserit, illic inveniet hostiam quam pro peccatis suis offerre, vel in remissionem peccatorum sumere possit. Proinde quod hac sexta ætate paramus, duplum sit quam dudum colligere solebat populus Dei: nam ille solam litteram legens Deum coluit: nobis, quia « Verbum caro factum est (*Joan.* I), » Deus et homo Christus colendus et adorandus est.

CAPUT XIV.

Quod Moyses populo carnes et panes promittit, cum Dominus solummodo de panibus dixerit; et quare dictum sit: « Vespere scietis... mane videbitis. »

« Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam Domini. Audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus quia murmurastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit Dominus vobis vespere carnes edere, et mane panes in saturitatem, » etc. Notandum **210** quod cum Dominus de panibus solummodo dixerit: « Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, » Moyses ad populum mandata perferens, quasi de suo, carnes promittit: « Dabit, inquiens, Dominus vobis vespere carnes edere, et mane panes in saturitatem. » Et quidem Dominus inferius loquens ad Moysen: « Loquere, ait, ad filios Israel, vespere comedetis carnes, » etc. Verumtamen ex Moysi prius quam ex Domini ore vespertinas carnes promitti audimus. Quid ergo per carnes, nisi vetera sacrificia, quid per manna, nisi novum sacrificium accipimus? Etenim sicut jam superius pertractatum est et prophetæ testantur, illa Dominus sacrificia promisit fieri, non jussit; hoc autem novum corporis et sanguinis sui sacrificium per semetipsum tradidit, et « hoc facite in memoriam meam (*Luc.* XXII), » dixit. Recte igitur saturitatem panis prius ipse Dominus, et deinde Moyses, pollicitus est. Quid autem per vesperam nisi vetustam, quid per mane nisi novam novæ vitæ claritatem intelligimus? «Ad vesperam (inquit Psalmista) demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* XXIX). » Nam quia circa vesperam primus Adam, inobediens convictus et judicatus, in hanc mortalitatem devenit, matutino autem novus Adam, obedientia peracta, in immortalitatem atque incorruptionem resurrexit: recte hic per vesperam veterem vitam, in qua carnes taurorum et sanguinem hircorum sacrificaverunt Judæi; per mane autem novam vitam intelligimus, in qua, præcurrente summo sacerdote Christo, sacrificant, et pane cœli saturantur Christiani. Ad illam vesperam demorabatur fletus cunctis ad inferos descendentibus, ab hoc autem matutino lætitia est, quia cœlum patet, paradisus apertus est. Dicat itaque: « Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam Domini... Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus. » Ac si dicat: Quoniam recordati estis, quia sedebatis super ollas carnium, tota ista vespera, quæ lucifluum Christi adventum præcurrit, carnalibus sacrificiis, qualibus avelli non potestis, vobis inservire licebit: ita tamen, ut per illa sciatis et memoriæ repræsentetis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, verbi gratia, per vespertinam immolationem agni paschalis, et « mane videbitis gloriam, » id est, gloriosam resurrectionem Domini, cujus comparatione gloria non est, quod eduxit vos de terra Ægypti.

CAPUT XV.

Quid significet quod « coturnix castra, et ros per circuitum castrorum » operuerit superficiem terræ in similitudinem pruinæ, dicentibus filiis Israel: « Manhu. »

« Factum est ergo vespere, et ascendit coturnix et operuit castra: mane quoque ros jacuit per cir-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum in similitudine pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu, quod significat : Quid est hoc? » Præclara rerum imaginatio et decora figurarum distinctio. Coturnix castra operuit, ros autem cum quo pariter et manna descendit, non in castris, sed per circuitum castrorum jacuit : non, inquam, castra, sed superficiem terræ operuit, ipsumque minutum in solitudine apparuit dicentibus filiis Israel : « Manhu. » Ros Spiritum sanctum significat, de quo in Psalmo habemus (*Psal.* CXXXII) : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron... sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, » sic « bonum et jucundum est habitare fratres in unum, » quod fit per unum et solum dilectionis Spiritum. Aaron quippe quod interpretatur *montanus*, Christus est, cui sicut barba capiti, sic adhærentes perfecti et fortes apostoli, tunc ejusdem capitis unguento maduerunt, quando ejus sancto Spiritu repleti sunt, et ejusdem unguenti ros, id est gratuitum donum descendit in montes Hermon, atque Sion, id est in Ecclesiam utriusque populi gentilis et Judaici, quorum alter, scilicet gentilis per Hermon, quod interpretatur *anathematizatum*, alter, id est Judaicus intelligitur per montem Sion. Ros ergo qui cum manna descendit, Spiritum sanctum significat, per cujus sanctificationem ad invocationem sacerdotis conficitur corpus Christi. Coturnix castra operuit, ros autem per circuitum castrorum jacuit, quia videlicet cum Synagoga carnalibus vacante sacrificiis commune nihil est huic vero et vivo pani qui cum isto rore descendit. De castris illis exeundum tibi est, quicunque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendis. Castra solummodo coturnix, ros autem superficiem terræ operuit, et in solitudine minutum apparuit, quia videlicet non uni genti, sicut legem de carnalibus sacrificiis, sed universæ terræ et solitudini cunctarum gentium gratiam Spiritus sancti et panem de cœlo verum, id est semetipsum Christus dedit. Erat autem « quasi pilo tusum, » quod plane Christum significat in ligno crucis attritum per passionem. Descendit autem « in similitudine pruinæ, » quia videlicet illi genti pro parte reproborum frigidam fecit nebulam infidelitatis et invidiæ. Unde et dixerunt ad invicem : « Manhu, » quod significat : Quid est hoc. Hoc enim dicere cœperunt, ex quo dicente illo, « Ego sum panis vivus, qui descendi de cœlo, » et qui manducat carnem meam, habet vitam æternam (*Joan.* VI), et his similia, litigaverunt, et murmuraverunt, dicentes, « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » (*ibid.*) Tunc, inquam, dicere cœperunt : « Manhu, » et usque, hodie sive Judæi sive hæretici sequaces eorum dicere non desinunt, cum dicimus eis : Caro Christi est et dicunt semper : Quomodo est, Quomodo est?

CAPUT XVI.

Quod filii Israel tentati a Domino, in tribus rebus infideles reperti sunt.

« Feceruntque filii Israel, et collegerunt, alius plus, alius minus, et mensi sunt ad mensuram Gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, sed singuli juxta id quod poterant edere, congregaverunt, » etc. Tentati filii Israel Domino dicente, ut supra dictum est, « ut tentem eos, utrum ambulent in lege mea, an non, » in tribus rebus tentationem inciderunt, et infidi reperti sunt. Primum, quia audito sermone Domini dicentis, « colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, Gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum, » collegerunt, « alius plus, alius minus. » Nam quod tamen « mensi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus, » hoc virtutis et operis fuit divini, et ad mysterium pertinet, de quo paulo post dicendum erit. Secundo, tentationem circa rem eamdem inciderunt, cum dicente Domino per Moysen : « Nullus relinquat ex eo in mane, » non audierunt eum, sed « dimiserunt ex eis quidam usque mane. » Tertio, quia venit dies septima, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. **211** Tripliciter ergo prævaricatione peracta, « usque quo (ait Dominus) non vultis custodire mandata mea? » Porro Gomor mensura attica duodecim sextarios habens est decima pars Ephi, sicut in sequentibus habes. Ephi ergo, ut batus, una est mensura, id est, modiorum trium.

CAPUT XVII.

Quod non secundum quantitatem portionis corporis aut sanguinis Christi, alius plus, alius minus colligat de gratia Spiritus sancti.

« Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, » etc. Hoc pro virtute cibi et spiritualis potus, id est corporis et sanguinis Christi, sciendum et firmiter tenendum est, quia non pro quantitate portionis, quam ore percipit, secundum visibilem speciem panis et vini, alius plus, alius minus consequitur de gratia Spiritus vivificantis, sed singuli juxta id quod possunt edere, congregant, id est, quod possunt credere remissionem peccatorum percipiunt, et vitam æternam. Sicut enim pater noster qui primus peccavit, cujus nos iniquitatem portavimus, non pro quantitate morsus sui sive pomi quod momordit, sententiam vel damnationem justam accepit, tantumque illi valuit pomum unum momordisse, quantum quidquid pomorum in arbore illa fuit, devorasset, ad consummationem infidelitatis, et inobedientiæ : sic econtrario, quisque nostrum non pro quantitate portiunculæ vivifici panis, quæ frangitur illi, quam ore sumit, aut dentibus terit, gratiam vel vitam accipit, sed tantum illi valet ad consecutionem justitiæ exiguum quid percepisse, quantum valeret, si totum quod oblatum est, proprio solus perciperet ore. Recte

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ergo sancta Christi Ecclesia, panes non valde grandes, sed exiguas ad conficiendum corpus Christi componit similas et valde tenues, neque vini multum, sed exiguum quid infundit, quia (sicut jam dictum est) nec qui plus colligit habet amplius, nec qui minus paraverit, reperiet minus.

CAPUT XVIII.

De eo quod dictum : « Nullus relinquat ex eo usque mane, » et quod avari colligentes, in Deo spem suam non ponant.

« Dixitque Dominus per Moysen ad eos : Nullus relinquat ex eo usque mane. » Juxta litteram fides exigitur a populo, ut totam sui curam Deo committentes, solliciti non sint de crastino (*Matth.* VI). Quorum inobedientiæ, vel minimæ fidei pœnam dignam miraculum illud præsignavit, quod cum dimisissent « quidam ex eis usque mane, scatere cœpit vermibus, et computruit. » Hoc enim exemplo commoveri se sciat infidelis avarus, qui spem suam in Deo non posuit, et idcirco divitias recondendo mammonæ servit. « Videbunt justi, inquit Psalmista, et timebunt : et super eum ridebunt et dicent : Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum (*Psal.* LI). » Nam eum qui hujusmodi est, et nunc quandiu vivit, curarum atque sollicitudinum vermis comedit, et in futuro vermis qui non morietur comesturus est. Porro spiritualiter scatens de manna vermiculus ille est, qui loquitur in Psalmo : « Ego autem sum vermis, et non homo (*Psal.* XXI), » sicut vermis sine concubitu de manna scaturit, sic solus sine virili semine de virgineo ventre conceptus et natus est Christus Filius Dei. Sed hoc ubi prædicatur infidelibus Judæis, scandalum est illis : sordidum enim et indignum Deo reputant, de femina potuisse nasci. Computruit ergo talibus manna verum, quod de cœlo descendit; sed quod hoc pacto infirmum est eis, fidelibus virtus est, et sapientia. De eo quod dicit : « Hoc est quod locutus est : Requies Sabbati sanctificata est Domino; » itemque : « Sex diebus colligite, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur, » et cætera, jam superius dictum est. De urna aurea, quæ cum manna reponi jussa est coram Domino, ad servandum in generationes sempiternas, alio loco opportunius dicemus.

CAPUT XIX.

Quod Judæis de suis non gloriandum meritis, et quæ sit percussa petra, e qua emanavit aqua.

(Cap. XVII.) « Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin, per mansiones suas juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgatus contra Moysen ait : Da nobis aquam ut bibamus. » Ac deinceps : « Cur nos exire fecisti de Ægypto, ut occideres nos ac liberos nostros, ac jumenta siti? » Ubicunque murmurationes ac jurgia, et beneficia Dei sponte venientia, nulla præveniunt merita. Non ergo ille populus glorietur, quod pro suis meritis magnificaverit eum vel honoraverit Dominus. Nam magnificentiam et honorem non solum non promeruerunt, sed confusione et opprobrio dignos se fecerunt. Obstruatur ergo omne os, et subditus fiat omnis mundus Deo. Quæ enim vel in hac parte distinctio Judæi et Græci? Omnes peccaverunt; et egent gloria Dei (*Rom.* III). Primus Moyses dicit : « Ne dicas in corde tuo : Propter justitiam meam introduxit me Deus, ut terram istam possiderem (*Deut.* IX). » Item : « Scito igitur, quod non propter justitias tuas Dominus Deus dederit tibi eam, cum durissimæ cervicis sis populus. Ex eo die quo es egressus ex Ægypto, semper adversus Dominum Deum tuum, in solitudine contendisti (*ibid.*). » Et David : « Omnes, inquit, declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). » — « Scimus, inquit Apostolus, quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, » etc. (*Rom.* III.) Sola igitur glorificetur gratia Dei, quæ et tunc murmurantibus contra Dominum, et jurgia concitantibus, et manna de cœlo, et aquam de petra produxit, et nunc blasphemantibus Judæis atque gentilibus ita clementer astitit, ut panem vitæ (de quo jam supra dictum est) et aquam salutis perpetuæ ori eorum apponeret, rogantibus interea legatis ejus ac dicentibus : « Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* V). » Cum pane et aqua occurrens nobis inimicis suis, cum pane, inquam, corporis sui, et aqua, quam percussa petra, id est, Christus ipse crucifixus effudit, nos Deo Patri in reconciliationem venire deposcit. Quæ enim petra illa sit, quæ percussa est cunctis sitientibus notum est, Apostolo præcinente : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X), » unde jam superius dictum est. Porro per aquam quæ de petra fluxit, non solum sanguis intelligendus est Christi Filii Dei, sive aqua visibilis quæ de patefacto ejus latere cum eodem sanguine cucurrit; sed et invisibilis gratia Spiritus sancti, de qua mulieri Samaritanæ ipse dicit : « Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Et alibi : « Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem, » inquit, evangelista, « dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » Ut continuo subjunxit : « Nondum enim erat Spiritus **212** datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* XVI). » Ergo nisi petra percussa fuisset, aqua non fluxisset, id est nisi Christus per passionem hinc abisset, ad nos, sicut ipse ait, Paracletus iste non venisset. Verumtamen et alias de hoc mysterio dicendum erit.

CAPUT XX.

De pugna Amalec contra Israel prima; quomodo Moyse orante superatus sit.

« Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros, et pugna contra Amalec. Cras ego stabo in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vertice collis, habens virgam Dei in manu mea, » etc. In hac pugna Israelis contra Amalec, est quod jure miremur quodque nullus pugnæ legitimæ peritus a mysterio vacare arbitretur. Quid enim? Nunquid hic hostis Amalec major aut fortior erat cunctis hostibus Israel, aut solus hic erat, contra quem necessario tali modo pugna fieret? « Moyses, inquit Scriptura, et Aaron et Hur, ascenderunt super verticem collis. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graves, » etc. Num, inquam, sine certi causa mysterii provisum est, ut tali ordine vinceretur hic hostis? Ipsum ergo mysterium diligenter indagandum est. Ante omnia sciendum, quia primus ex omnibus gentibus iste Amalec egressum ex Ægypto Dei populum gratis impugnavit. Propterea de illo Balaam in prophetia sua dicit : « Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur (*Num.* XXIV). » Porro qualiter eum impugnaverit, ita legitur in libro Deuteronomii : « Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit (*Deut.* XXVIII). » Lassos hic Hebræi immundos secundum legem extra castra manentes intelligunt, quos cecidisse Amalecitæ dicuntur, quia, sicut ipsi tradunt, eorum circumcisionem amputaverunt, et in subsannationem Dei in cœlum projecerunt. Igitur quia sic principium gentium factus est Amalec, et primus ex omnibus post exitum ex Ægypto, pugnavit contra Israel, et ipsum nomen Amalec *populus lingens* interpretatur, recte omnium visibilium et invisibilium inimicorum populi Dei, de hoc mundo ad Deum fugientis typum tenere judicatus est, et ita contra illum pugnatum est, ut qualiter diabolus cum omnibus, qui ex parte ejus sunt expugnandus sit, pugna ipsa figuraret. Venit Amalec, venit populus lingens, et post concupiscentias suas vadens, cujus princeps et dux diabolus est : et communicato consilio, cum spiritibus malignis, peregrinantem in hoc sæculo Dei populum impugnavit semper, et impugnare non desinit. Contra hunc Moyses in montem ascendit, et cum eo Aaron, quod interpretatur *montanus*, sive mons fortitudinis. Per Moysen legem, per Aaron Christum, per Hur, sanctum intelligimus Spiritum. Ut quid enim data est lex, nisi ut pugnare doceret, et ut secundum illam homo contra diabolum manus suas, id est, opera justitiæ in cœlum sustelleret? (*Hebr.* VII.) Sed « manus, inquit, Moysi erant graves, » quia videlicet nihil ad perfectum adducere poterat lex. « Sumentes igitur lapidem, posuerunt subtus eum in quo sedit, » quia videlicet ad hoc in mundum venit Christus Filius Dei : et ad hoc glorificato illo, datus est Spiritus sanctus, ut legi, quæ infirmabatur, solida substitueretur gratia Evangelii, in quo sederet Moyses, id est, in quo adimpleretur lex. « Aaron, inquit, et Hur, sustentabant manus ejus ex utraque parte. » Nam difficultatem occidentis litteræ, quam « neque patres nostri, neque nos (*Act.* XV), » inquit apostolus Petrus, « portare potuimus, Christus et quem ille misit Paracletum, suavem nobis atque portabilem fecerunt in Spiritu vivificante. » Ita « factum est, inquit, ut manus ipsius non lassarentur usque ad occasum solis, fugavitque Josue Amalec et populum ejus in ore gladii. » Igitur bellum Christianis indictum hoc exemplo monstratur, et belli effectus orationis instantia aperitur. Orat enim Moyses et vincit, cessat et vincitur. Didicit Christianus, quid egerat, invenit quid fugiat; didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat. Moyses enim contra hominem, et pro aliis orando pugnabat. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere nolit, dum orando cessavit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat, non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyse excusari non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari?

CAPUT XXI.

De eo quod dictum est Moysi : « Scribe hoc in libro, » etc.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue. Delebo enim memoriam Amalec de cœlo. » Non solum ex eo Saul abjecisse sermonem Domini redarguitur, et pro peccato inobedientiæ, quasi pro scelere idololatriæ projectus a Deo est, quia per Samuelem mandatum est ei a Domino dicente : « Recensui quæcunque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto, nunc igitur vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus (*I Reg.* XV), » ipse autem versus est ad prædam, et fecit malum in oculis Domini, verum et ex hoc, quia sic dictum, et sic fuerat scriptum : « Scribe hoc ob monumentum in libro, delebo enim memoriam Amalec sub cœlo. » Cum enim is, qui sine auctoritate de nihil usquam scripsit, hic ejus imperium interponit dicentis, « scribe hoc, » et deinde subjungentis, « delebo enim memoriam Amalec sub cœlo, » magno utique judicii pondere futurum prævaricatorem premit, ne parvæ videatur audaciæ, quod, non parcente Deo, parcere ausus sit, vel quod, justitiæ vindictam imperante Deo, ipse ad prædam se converterit. Porro spiritualiter in libro cordis cujusque nostrum scriptum esse vult quia diabolum antiquum inimicum Israel, et angelos ejus, et homines sequaces ejus, perdere habeat, et memoriam eorum sub cœlo delere, videlicet dicendo : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV), » ut hac Scriptura permanente in cordibus nostris, nunquam cum illo pacem habeamus, neque pugnare jussi contra hunc Amalec, inobedientes simus. Quod enim uni mandatum est dicendo : « Et trade auribus Josue, » ad omnes nos pertinet, et omnibus audiendum traditum est. Si ita pugnantes deleverimus Amalec, melius triumphabimus, quam Saul, qui parcendo illi triumphalem superbiæ fornicem rexit, meliusque placebit obedientia nostra, quam illius victimæ. Nam hoc inuit quod sequitur : « Ædificavitque Moyses altare, et vocavit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens : Quia manus solius [*al.* solii] Domini, et bellum Dei erit contra Amalec a generatione in generationem. » Suam quippe animam in Dei templum ædificavit, qui vicit, ut stans jugiter supposito lapide manibus ejus non lassetur « usque ad occasum solis, » id est, usque ad finem vitæ præsentis, dicatque cum David : « Dominus illuminatio **213** mea et salus mea : quem timebo? » (*Psal.* XXVI.) Ac deinceps : « In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Circuibo et immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis (*ibid.*), » etc.

CAPUT XXII.

Quod Moyses cognati sui consilia audiverit, juxta sententiam Salvatoris, « quia filii hujus sæculi prudentiores, » etc.

(CAP. XVIII.) « Cumque audisset Jethro sacerdos Madian cognatus Moysi omnia quæ fecerat Dominus Moysi et populo suo Israel, eo quod eduxisset Dominus Israel de Ægypto, tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat, et duos filios ejus. » Quam ob causam remiserit uxorem et filios suos Moyses superius scriptum est, videlicet ob circumcisionem, tetigit enim pedes ejus, et ait : « Sponsus sanguinum tu mihi es (*Exod.* IV). » Et dimisit eum postquam dixerat, « sponsus sanguinum. » Notandum hoc loco quod ei, in quo Deus loquebatur, quem principem plebis suæ constituerat, non homo, sed Deus, per quem mirabilia tanta Deus fuerat operatus, consilium dedit homo ethnicus : « Stulto, inquiens, labore consumeris et tu et populus iste, qui tecum est. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Dominum pertinent. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat, et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi. » Ergo ex hoc quoque loco veram esse claret evangelicam Domini sententiam, dicentis : « Quia filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua (*Luc.* XVI). » Nam in genere quidem causarum ad Dominum pertinentium, Moyses prudentissimus erat omnium lucis filiorum, « neque surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moyses quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis quæ misit per eum (*Deut.* XXXIV). » Verum in genere causarum pertinentium ad rempublicam hominum prudentior illo cognatus ejus inventus est, in quo hodie quoque plerosque filios sæculi videmus filiis lucis prudentiores. Quod sciens Apostolus ita Corinthiis loquitur : « Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad judicandum (*I Cor.* VI). » Contemptibiles eos vocat comparatione nobiliorum, qui causarum ad Dominum pertinentium minus capaces sunt. Nam in Christi Ecclesia non ex genere carnis, sed ex regenerationis gratiæ spiritualibus donis, cuncta censetur nobilitas. Igitur quoties filii lucis a filiis hujus sæculi quidpiam percipiunt quod sit auditu vel imitatione dignum, hoc exemplo superioribus erit utiliter ad inferiorum consilia descendendum.

CAPUT XXIII.

Quod Moyses Deo immolavit, in signum quod ab eo missus est.

(CAP. XIX.) « Mense tertio egressionis Israelis de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel tentoria fixit e regione montis, Moyses autem ascendit ad Dominum. » Quod dicit « mense tertio in die hac, » idem est ac si dixisset, mense tertio in die mensis prima. Hic immolaturus erat Moyses, et implenda veritas ejus qui miserat eum dicentis : « Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum (*Exod.* III). » Hæc immolatio Moysi pro signo veritatis fuit, quod Deus eum miserit, non quia immolavit, sed quia inter immolandum Deus clarissima suæ præsentiæ signa dedit, ita ut perterriti ac pavore concussi filii Israel, dicerent Moysi : « Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* XIX). » Et Dominus, ad Moysen : « Hæc, inquit, dices filiis Israel : Vos vidistis quod de cœlo locutus sum vobis (*Exod.* XX), » etc. Ergo sic immolasse super montem istum, signum fuit Moysi ; quod Dominus misisset eum. Porro hic mensis tertii primus dies a primi mensis quarta decima die, qua Agnus immolatus est, juxta lunarem supputationem, quadragesima septima est. Dixit autem Dominus ad Moysen in die hac : « Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. » Ac deinceps : « Jam advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operuit montem. » Hic dies a prædicta immolatione agni quadragenarius nonus est. Quibus adde unum, et fiunt quinquaginta, qua die, videlicet quinquagesima, dixit Dominus ad Moysen : « Daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel (*Exod.* XXIV). » Igitur legis et gratiæ summa secundum numerum consonantia est, quia videlicet a paschali vespera quinquagesimo die, lex in tabulis lapideis digito Dei scripta « per Moysen data est ; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I), » quinquagesimo nihilominus a resurrectione ejus die, Spiritu sancto misso de cœlo, in cordibus apostolorum scripta est.

CAPUT XXIV.

Quomodo simul impleti sunt dies Pentecostes Judæorum, et dies Pentecostes apostolorum.

Hic jam quæritur quomodo dies Pentecostes Judæorum in Dominicam completi fuerint, qua et Spiritus sanctus super apostolos venit, juxta fidem Evangelii. Constat quippe quia quinquaginta dierum ultimus in eamdem feriam semper erumpit, in quamcunque illuxerit et primus. Quis autem nesciat quia prima dies azymorum Judæis in quintam feriam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

anno illo evenit, qua vespera Dominus noster traditus, subsequente die Parasceves crucifixus est, Sabbato quievit, et deinde prima Sabbati, id est prima die post Sabbatum, quam extunc Dominicam dicimus, resurrexerit? Quomodo ergo illa festivitas, id est Pentecostes, in primam Sabbati tunc emicuit? Ad hæc sciendum, quia quinquagesimo quidem ab immolatione agni die in exitu Israel de Ægypto lex data est, sed non itidem per annos singulos, ab immolatione agni quinquagesimo die solemnitas ejusdem muneris celebrari jussa est, siquidem in Levitico scriptum est : « Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos, feretis spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui levabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit vobis altera die Sabbati, et sanctificabit illum. Numerabitis ergo ab ipso die, in quo obtulistis primitiarum spicas, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, et sic offeretis sacrificium Domino novum. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum (*Lev.* XXIII). » Perspicuum est, hoc esse præceptum legis ut in quamcunque feriam cecidisset quarta decima dies primi mensis, cujus in vespera foret immolandus agnus paschalis, post eamdem immolationem, exspectaretur altera Sabbati, id est dies quæ Sabbato succedit, et **214** ipso die levato spicarum fasciculo coram Domino, numerantur exinde septem hebdomadæ plenæ, dies videlicet quadraginta novem et altera dies expletionis hebdomadæ septimæ, quæ dies quinquagesima est, celeberrima vocaretur, atque sanctissima, quæ Græce dicitur Pentecostes. Unde plenius in Levitico dicendum est. Itaque dubium non remanet, neque jam quæstione indiget, quomodo simul impleti fuerint dies Pentecostes Judæorum, et dies Pentecostes apostolorum, quia videlicet, qua die suum levare fasciculum jubentur, eadem surrexit a mortuis Christus Dei filius, fasciculus viventium, membra sua super terram mortificantium. De quo in Canticis sponsa loquitur : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur (*Cant.* I). » Et continuo subjungit : « Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi (*ibid.*). » Nam ex nostra quidem infirmitate, fasciculus myrhæ erat, dum jaceret in sepulcro mortuus, sed ex virtute Dei levatus est, tanquam botrus cypri, quoad dulcedinem resurrectionis. Exinde Judæis numerantibus secundum legem septem hebdomadas, ut altera die post expletionem earum, mortuam agerent festivitatem, Christus Deus vivens, et seipsum vivum præbens discipulis suis, in multis argumentis quadragesima die super omnes cœlos ascendit, quinquagesima autem celebrantibus illis acceptionem litteræ occidentis, ipse suis vivificantibus donis Spiritu sancto descendente credentes replevit. Nunc prædicti montis Sinai caliginem ingressuri, lucernam præferamus sensus apostolici, ut cum illo ad nostram utilitatem scrutemur secundum Evangelium Christi, quæ dicta sunt illic.

A

B

C

D

CAPUT XXV.

De his quæ mystice gesta sunt juxta montem Sinai.

Ait : « Non accessistis ad tractabilem et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur : Et si tetigerit bestia montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem viventem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritum justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel (*Hebr.* XII). » Cum hæc dicit, acri nimirum comparatione rem nobis ostendit, nec desides nos esse sinit circa curam ac reverentiam cœlestium, quorum ad exemplar illa visibilia sive sensibilia tam terribiliter dicta vel acta sunt, quæ mox tractanda occurrunt. Primum, ut fieri solet, captandæ benevolentiæ gratia, Dominus, sua commemorans beneficia præterita et promittens futura : « Vos ipsi, inquit, vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, » etc. Si hæc digne commemoranda erant eis, ut non ingrati essent, quos a dominis, quamlibet superbis et injustis, hominibus tamen liberaverat, et ad illum tractabilem ignem, ad illum turbinem et caliginem adduxerat, quanto magis illud nobis rememorandum est quod, non ut tunc, sed abundantiore gratia liberatos a peccatis nostris, portavit nos Deus homo factus ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, quasi super alas aquilarum, velociter et alte volantium fetusque suos fortiter portantium, et assumpsit sibi, ut ubi ipse est ibi et nos simus? « Si ergo, inquit, audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum » subauditur, quod pepigi cum Abraham. Sive pactum, id est legem quam in præsentiarum vobis daturus sum. Non dixit tantum, « si audieritis, » sed addidit, « et custodieritis pactum meum, » quia profecto « non auditores legis justificabuntur apud Dominum (*Rom.* II). » — « Eritis, ait, mihi in peculium de cunctis populis. » Mea est enim omnis terra, et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Sicut dictum est, sic et hodie factum est a Domino. Nam ecce domini est terra, et per Christum ipse dominatur gentium. Omnium autem nostrum regnum sacerdotale sive regale sacerdotium, ille populus est pro parte electorum ; ex illo enim, secundum carnem, Christus rex, et Sacerdos omnium, Sanctus sanctorum. Unde verissime ipse testificatus est « quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV). » Ergo ille peculiaris Dei populus est, nam « nos advenæ sumus et hospites (*Ephes.* II). » Et si ex nobis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

plures sunt sacerdotes, peculiariter tamen regnum et sacerdotium illius populi est, ex quo rex et sacerdos Christus, cujus ipsum, quo fungimur, sacerdotium est. Et nota quod tanquam paterfamilias conventionem faciens cum operariis diurnis quos continuo missurus est in opera legis, tandiu verba facit, donec ab eis ipsa collaudetur conventio, dicentibus cunctis : « Quæ locutus est Dominus faciemus. » Hæc enim verba populi, ubi ad Dominum nuntiavit Moyses, ipse nihil moratus. « Vade, inquit, ad populum et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. »

CAPUT XXVI.

De eo quod dictum est : « Estote parati in diem crastinum, ne appropinquetis uxoribus vestris. »

Multa in hoc sunt capitulo, quæ diligenter considerandi sunt. Primum quod sanctificare jussus populum Moyses, eamdem ita sanctificationem determinat. « Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis uxoribus vestris. » Ergone appropinquare uxoribus res est illicita? Non utique. Sed sicut alia dicit Scriptura : « Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus amplexandi et tempus longe fieri a complexibus (*Eccle.* II). » Tempus longe fieri a complexibus tunc est, quando sanctificationis tempus impendet. Quid enim est sanctificari, nisi abstinere etiam a licitis? Nam qui abstinet solummodo ab illicitis, pœnam quidem evasit peccati, sed gloriam nondum est assecutus sanctitatis. Unde et Dominus in Evangelio dicit : « Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* XVII). » Etenim ad sanctificationem non satis est fecisse præceptum, nisi adjicias facere et consilium. Hoc autem hic agebatur, quatenus sancti essent, id est digni audire vel videre quomodo hominibus possibile est, præsentem Dei majestatem. Recte igitur consulitur illis ut continentiam habeant etiam licitæ rei, dicendo : « Estote parati, ne appropinquetis uxoribus vestris. » Si hoc recte dici debuit accessuris ad illum ignem visibilem, ad turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum ut supra jam dictum est, quanto magis accedentibus nobis « ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, » **215** et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spirituum justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel? Hoc enim alio loco perpendens idem apostolus, incontinentibus quidem manum indulgentiæ porrigit : « Nolite, inquiens, fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram (*1 Cor.* VII). Continentibus autem persuadet, ut habendo uxores, tanquam non habentes sint (*ibid.*) ; virginibus vero, ut sic permaneant, consilium dat, existimans hoc bonum esse propter instantem necessitatem (*ibid.*).

CAPUT XXVII.

Quid significet quod sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium.

Quid præterea sibi vult quod sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium ? Hoc plane si quærimus, pariter et illud occurrit quærere cur ipse qui hoc mandavit Dominus Deus, homo factus, per triduum sanctificaverit seipsum ? Instante namque hora passionis suæ, cum dixisset : « Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum (*Joan.* XVII), » ita continuo subjunxit : « Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate (*ibid.*). » Quæ sanctificatio ejus? Haud dubium quin immolatio ejus sanctificationi nostræ necessaria fuerit, quam tertio die consummavit, resurgendo a mortuis in gloriam immortalitatis et incorruptionis, et ita, juxta prophetam Zachariam, ablatis ab eo sordidis vestibus, indutus est mutatoriis (*Zach.* III). Sed de hoc citius respondetur quia Deus, cui in Christo seipsum sacrificante nostra natura satisfactionem offerebat, ut nos ei reconciliaremur, Deus, inquam, noster Trinitas est, Pater et Filius, et Spiritus sanctus, ac proinde justum fuit ut, etsi non deberet videre corruptionem sanctus ejus (*Psal.* XVII), tamen festiva ejus resurrectio saltem in diem tertium differretur. Itaque recte ad suæ futuræ sanctificationis exemplum, jam hic triduanam sanctificationem indixit hominibus, unde triduanæ pœnitentiæ vel afflictionis auctoritas deinceps peccatoribus sanciretur. Porro, quod dictum est, « laventque vestimenta sua, » secundum litteralem quidem sensum non multum apud Dominum ad sanctificationem valere constat, verumtamen cum pro ritu sanctificationis fit, internam quoque munditiam Deo placitam esse cogit intelligi. Cæterum hæc utcumque se habeant, lavare oportet per pœnitentiam animæ vestimenta, id est membra corruptibilia. De quibus ait sanctus Job : « Et abominabuntur me vestimenta mea (*Job* IX), » id est abominabilem reddent me membra corruptibilia. De his lavandis sive non inquinandis, alibi scriptum est : « Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus (*Apoc.* XVI). » Item : « Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite, » id est, charitas de corde tuo, « non deficiat (*Eccle.* IX). »

CAPUT XXVIII.

De eo quod dictum est : « Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. »

« Omnis, inquit, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis. Sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet, » etc. Horum terribilium causa præsens populi rudis erat inscitia, cui tanquam adolescentulo petulanti, qui pium patrem revereri nesciret, severum pædagogum adhiberi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

oportebat. Docendum enim erat quod Deus patrum ejus non esset talis ut dii Ægyptiorum, quorum in sacris, imo sacrilegiis ludere et choros ducere, manducare et bibere, ac deinde polluere et pollui solemne erat in omni genere fornicationum. Siquidem non ultro vel facile hoc perdiscere poterat, quippe cum et post tales tantosque terrores nihil cunctatus, quasi nihil vidisset, fecerit vitulum conflatilem. « Sederunt populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Dixeruntque : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti (*Exod.* XXXII). » Ergo terribilium quæ ostensa sunt, id est buccinæ perstrepentis, tonitruorum, ac micantium fulgurum, montisque fumantis, ac densissimæ nubis, sive caliginis, ac sententiæ, quæ interponitur, « omnis qui tetigerit montem, morte morietur, » causa fuit ipse populi stratus, qui quoniam ad charitatem nondum pervenerat, oportebat ut timore stringeretur. Unde et post aliqua Moyses dicit : « Ut enim probaret vos venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis (*Exod.* XX). » Sed numquid Dominum velle videre malum est? Imo bonum, et omnium optimum est. Sed malum est ei qui per curiositatem illum quærere audet, æstimans quod Deus in sua natura visibilis, aut membris suis ut homo localiter distinctus aut circumscriptus sit. Recte igitur interpositione præcepti curiositas importuna atque indigna repulsa est. Posito autem præcepto, prævaricatoris pœna justa est, ac proinde justissime. « Omnis, inquit, qui tetigerit montem, morte morietur, » et taliter, ut cæteri metum habeant. Quomodo manus, inquit, non tangent eum, videlicet abjectum, sicut pollutum et immundum? sed lapidibus opprimetur aut confodietur jaculis. Jumentum quare occidetur? Videlicet ut dominus jumenti, qui illud custodire neglexit, in eo contristetur, et in quo negligentia ejus est, in eodem æqua judicii mensura feriatur.

CAPUT XXIX

Quomodo dictum sit : « Cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem, » cum supra contrarium dictum sit.

« Cum, inquit, cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. » Sed et supra jam dictum est : « Cavete ne ascendatis in montem. » Et postmodum item Dominus dicit : « Contestare populum, ne forte transcendere velint terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. » Ergo cum dicitur, « cum cœperit clangere buccina, ascendat in montem, » subaudiendum est, usque ad terminos constitutos per circuitum. Porro Moyses, quam avide inhæreat divinæ visioni, illud innuit quod, cum dicente sibi Domino : « Descende, et contestare populum, ne forte velint transcendere terminos. Sacerdotes quoque qui ascendunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiam eos, » ita respondens, ait : « Non poterit vulgus ascendere **216** in montem Sinai. Tu enim testificatus es, et jussisti, dicens : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. » Attamen licet hac occasione prætenta, quas securum Deum reddere voluerit, non profecit. Nam Dominus in sententia persistens. « Vade, inquit, descende, ascendesque, tu, et Aaron tecum. » Hoc in exemplum eorum qui populo Dei præficiendi erant, sicut Moyses, dictum vel factum est, quibus, supernorum contemplationi arctius inhærere cupientibus, nonnunquam causa vel cura subditorum impedimento fit. Exemplo namque simul, et imperio Salvatoris, qui de sinu Patris propter nos exivit, coguntur interdum omittere dulcedinem altissimæ contemplationis, et condescendere parvulis, ut cum eis tractent de carnalibus negotiis, ut Paulus apostolus, qui, cum raptus fuisset usque ad tertium cœlum vel paradisum et audisset « arcana verba quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII), » de tam altis ad tam infima descendit, ut disponeret jura conjugii : « Uxori, inquiens, vir debitum reddat, et uxor viro (*I Cor.* VII). »

CAPUT XXX.

Quid significet mons Sion, juxta sententiam Apostoli. Et quid intelligendum sit per hoc quod dictum est « Bestia si tetigerit montem, lapidibus opprimetur. »

Mons namque Sinai quid significet capitulo superius scripto idem apostolus aperuit : « Sed accessistis, inquiens, ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem (*Hebr.* XII). » Cum enim hæc igni montis Sinai, et caligini opponit, in quam Moyses ascendit, quo populus ascendere non potuit, profecto illic figuram, hic veritatem; illic umbram, hic nos intelligere vult corpus aut rem. Quem ergo Deus misit, cui juxta exemplum Moysi signum dare dignatur, quod eum ipse miserit, huic monti Sion, et civitatis Dei viventis Jerusalem cœlestis januas aperiet, vocando illum intra secreta contemplationis, quo populus ascendere non meretur, quia carnali sensu premitur. « Et bestia, inquit, si tetigerit montem, lapidibus opprimetur : » Si enim is, qui bestialiter vivit, alta Divinitatis audeat scrutari, illa gloriosa dignitas caligînem sibimet obducit, et fumante toto Scripturarum monte indignos oculos cæcitate obvolvit. Unde Psalmista : « Et posuit, inquit, tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII). » Ita cum sit splendida lux veritatis, ille nihil videns, nisi caliginem mendacii, illis opprimitur lapidibus, quos aliis verbis idem significat, cum dicit : « Pluit super peccatores laqueos, ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal.* X). » Sic Arius, et alius quilibet hæresiarches a superna majestate lapidatus est. Et hoc idcirco, quia bestia fuit. Si enim rationabiliter ut homo per activam vitam seipsum prius exercuisset, ac deinde ad contemplandam veritatis gloriam ordinate promovisset, suos ab illo fortitudo majestatis lapides continuisset. Interea qui vocatus a Domino est, is usque in tertium cœlum aut paradisum raptus, et illud usque mente excedens,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem perambulat, murosque ejus ex omni lapide pretioso, turres quoque gemmis ædificatas, atque plateas mundo auro stratas (*Apoc.* XXI), multorumque millium angelorum frequentiam, in circuitu ejus et intus miratur, tantæque visioni ejus nunquam abesse festivitati, totis visceribus optat. Sed oportet ut « qui audit dicat : Veni (*Apoc.* XXII), » id est ut is qui supernam dulcedinem prægustavit, invitet alios ad promerendam requiem, qui misere laborantes et onerati, nesciunt adhuc ubi pax et vera refectio sit. Nec enim idcirco aperti sunt illi thesauri beatitudinis, ut repertis solus incumbat divitiis. Dicitur ergo Moysi ut descendat, ascensurus iterum, et assumat secum Aaron fratrem suum, populo quoque prædicet quatenus lotis vestimentis ascendant ad Dominum. Illic tonitrua, fulguraque micantia, fumus quoque et ignis, et clangor buccinæ, ut fiat quod scriptum est : « Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant (*Psal.* X). » Item : « Commota est et tremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus es eis. Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo, » etc. (*Psal.* XVII.) Terra quippe commovetur et contremiscit, fundamenta quoque montium conturbantur et fumigant, exardescente igne a facie Domini, cum audito per prædicatorem futuro adventu tremendi Judicis, hi qui prius terram tantummodo noverant, semetipsos pœnitendo discutiunt, et montuosa superbia descendente, fumus, id est lacrymosa oratio, ascendit a timore iræ Domini, et ignis doloris a facie ejus, id est a cognatione veritatis exardescens, peccata consumit.

CAPUT XXXI.

Decalogus præceptorum, et cur dictum sit in fine : « Non concupisces, » cum omnium malorum radix sit cupiditas ; et de charitate.

(Cap. XX.) « Locutusque est Deus cunctos sermones hos : Ego sum Dominus Deus tuus ; qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, neque eorum quæ in aquis sunt sub terra, non adorabis, neque coles ea, » etc. Hic Decalogus in capite legis positus est, id est decem præceptorum numerus, quorum primum est : « Non habebis Deos alienos coram me, » ultimum : Non concupisces. » Dicit autem Apostolus : Quia « radix omnium malorum est cupiditas (*I Tim.* VI). » Cur ergo non hic primum positum est, Non concupisces? Sed sciendum quia sicut malæ arboris superiores primum rami præsciduntur, et sic paulatim usque ad radices pervenitur, sic prius opera mala, prout cupiditati viciniora, paulatim præsciduntur, et sic ad ultimum ipsa cupiditas vel concupiscentia voce prohibentis amputatur. Notandum quippe quod prohibendo pene cuncta hæc enuntiantur. Unde verissime Apostolus dicit : « Quia justo lex non posita est, sed injustis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis (*I Tim.* I). » Injustos nempe et totos cupiditati deditos homines, Deus curandos susceperat, et idcirco tanquam negotioso agricolæ, primum hæc illi cura impendebat, ut malis radicibus occupatam terram sarcitudo meliori plantationi præpararet, scilicet charitati quæ sola justo posita est. Nam et idem Apostolus antequam diceret quia injustis et non subditis lex posita est, justo, id est, Timotheo discipulo, dixerat : « Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (*ibid.*). » Etenim ubi charitas est, non opus est, dicere : « Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices. » Proinde interrogatus Dominus a legis perito, dicente : « Magister, quod est mandatum magnum in lege? » Respondit : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his **217** duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). » Igitur hic in initio non jam charitas imperatur, sed quæ contraria sunt charitati prohibentur, ut in illis exstirpatis tunc demum ipsa charitas radix omnium bonorum substituatur.

CAPUT XXXII.

Quod præceptorum quatuor pertinent ad dilectionem Dei, sex vero ad dilectionem proximi.

Sunt autem præcepta decem, quorum primum, ut prædictum est : « Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile ; » sequens, sed ultimum est : « Non concupisces. » Quatuor ex his dilectioni Dei, sex dilectioni subserviunt proximi. « Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, memento ut diem Sabbatorum sanctifices. » Quatuor ista Dei dilectioni repugnantia prohibendo, locum eidem dilectioni Dei sermo Dei parare intendit. Habere namque deos alienos, et Deum verum diligere simul non potes. Ait ergo : « Non habebis deos alienos coram me, » id est neminem æstimabis Deum præter unum Creatorem cœli et terræ. Item : Facere sculptile, vel ullam similitudinem eorum quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis sunt, et æstimare alicui horum Dei similem esse, iniquitas est et dilectioni Dei repugnat. « Cui similem, inquit propheta, fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? (*Isa.* XL) » Hoc adversus humaniformios valet, qui Deum humanis putant esse compactum membris. Nimirum hoc pacto grande sibi fingunt simulacrum, quod in cœlo sedeat et terram pedibus contingat, dicente ipso : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI). » Dicit itaque : « Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, » etc. Sane quod hic ait : « Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam gene-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea. » Hoc in omni præcepto subaudiendum est, videlicet ut timeat pœnam transgressor, speret præmium præcepti exsecutor. Opportuno quoque tempore foricm se et reddentem iniquitatem patrum in filios, in quartam et tertiam generationem hic asserit, videlicet ubi totus mons Sinai fumigabat, et totus erat terribilis, eo quod descendisset Dominus, quod erat indicium fortitudinis, et iniquitatem patrum, qui Joseph fratrem suum vendiderant, nunc redliderat in tertiam et quartam generationem, non absque misericordia, soluta nempe captivitate, revertebantur de Ægypto, generatione quarta. Item assumere nomen Dei in vanum (quod poetæ faciunt) vel reverentia dignum non æstimare, ubicunque nomen Domini fuerit invocatum, dilectioni Dei omnino est adversum. Ait ergo : « Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. » Item : Aliquid boni facere, non ad laudem Dei, sive ob spem æternæ retributionis, sed ut videaris ab hominibus, dilectioni Dei contrarium est. Dicit ergo : « Memento ut diem Sabbatorum sanctifices. » Id est in omnibus operibus tuis, Dei retributionem attende, vel in Deo requiem tibi præpara pro mercede : quod vere est diem Sabbati sanctificare. De carnali Judæorum Sabbatismo jam alias dictum est. Quæ sequuntur sex : « Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces. » Cuncta quæ dilectioni proximi sunt inimica exstirpant, legemque adjuvant naturalem quæ dicit : « Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. » Hæc a gentibus, sine honestioribus gentilibus, utcunque observari poterunt, sed ad vitam illis absque dilectione Dei non profuerunt, utpote deos alienos habentes, et cætera quæ supradictis quatuor præceptis inhibentur facientes, beatitudinem non sunt consecuti. Decem præceptorum distinctio nunc in nostris codicibus, ex translatione beati Hieronymi sic habetur. Cæterum alias quatuor præcepta quæ ad dilectionem Dei pertinent, in tria esse redacta; et econtrario eorum quæ ad dilectionem proximi spectant, ultimum, id est « non concupisces, » in duo divisum legimus, ut aliud sit in auditum « non concupisces uxorem proximi tui, » et aliud, « non concupisces rem proximi tui, » et ita ad dilectionem quidem Dei tria, ad dilectionem vero proximi septem pertinere præcepta. Quod ex septuaginta Interpretibus sumptum fuisse arbitramur. Ista sunt decem chordæ cantoris Dei dicentis in psalmo : « Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi (*Psal.* CXLIII). » Item : « Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi (*Psal.* XXXII). » Qui enim sine istis vivit, entiur quoties se in decachordo psalterio Domino onfiteri profitetur.

CAPUT XXXIII.

De eo quod dictum est : « Populus videbat voces et lampades, » etc. Quid altare de terra sine gradibus.

« Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem. » « Videbat voces, » id est intelligebat, sed eum qui voces formabat, Deum non videbat. Nec vero lampades tantum micantes, sed « et montem fumantem » videbat, quia videlicet non erat in omnibus integritas fidei, vel perfectio timoris Domini, qua Moyses perfectus fuit, et ideirco flammam in rubo sine fumo vidit. « Et perterriti ac pavore concussi steterunt procul, dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus, » etc. Quod ita laudabiliter dixerunt, claret in libro Deuteronomii ex commemoratione Moysi dicentis : « Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi, bene omnia locuti sunt. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, et filiis eorum in sempiternum? » (*Deut.* v.) Ad hunc sensum respicit, quod hic prætèrea Dominus dicit : « Vos vidistis quod de cœlo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi. » Et post pauca : « Non ascendes per gradus ad altare meum, ut reveletur turpitudo tua. » Numquid enim hoc jubet, ut non nisi de terra congesta sibi altare fiat, ne vel idipsum altare plano solo non emineat? Non utique, nam idem postmodum : « Altare, inquit, facies mihi de lignis setim, et operies illud ære (*Exod.* XXVII). » Sed et Salomon altare fecit in templo æreum (*III Reg.* VIII), altitudinis decem cubitorum. Numquid sine gradibus illuc ascendi poterat? Imo quindecim gradibus ascendebatur in illa sanctorum, juxta quæ cantantur in David, quindecim cantica graduum, continentia quid significaverunt gradus illi, scilicet virtutum profectibus ascendendum esse in cœlestia Sancta sanctorum. Ergo potius ad id quod humiliato corde dixerant, « non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, » cuncta hæc figurate dicta esse probantur. Nam **218** hujus quoque loci memor Moyses iterum in Deuteronomio dicit : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi : Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, similem tui (*Deut.* XVIII), » etc. Hunc prophetam, id est semetipsum dicit in isto loco : « Veniam ad te et benedicam tibi. » Et post aliqua : « Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, ne contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo (*Exod.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

xxiii). » Igitur cum dixisset Moyses : « Ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis, » videlicet quia « initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx), » Dominus illum prophetam, illum magni consilii intendens angelum : « Vos, inquit, vidistis quod de cœlo locutus sum vobis, dicens : Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, » et portare non potuistis. Dico ergo, « altare de terra facietis mihi, » id est incarnationem prophetæ illius, quem suscitabo vobis de fratribus vestris humiliter credetis. « Et offeretis super eo holocausta, et pacifica vestra oves et boves in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei. » « A solis ortu usque ad occasum », inquit, per prophetam Malachiam, « magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda (*Mal.* i). » Hoc ergo dicit, quia quidquid rite offerre voluerit quis, ovem sive bovem, id est minorem vel majorem actionem in structura altaris illius, id est in fide Dominicæ incarnationis solidabit. « Veniam ad te, » subauditur, secundum illud altare, « et benedicam » scilicet omni benedictione cœlesti et gratia spirituali. « Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim levaveris cultrum tuum super eo, polluetur. » Lapides virtutes animi sunt, de quibus tunc altare Domino facimus, dum fidem habentes incarnationis ejus, super hoc fundamentum illas superædificavimus. Ferrum autem sive cultrum arrogantia est, quo maxime vitio mens a Creatore suo præscinditur. Ædificatum ergo altare, « si super eo cultrum levaveris, » id est si tibi virtutes ipsas arrogaveris, « polluetur. » — « Non ascendes per gradus ad altare meum, » subauditur de terra factum, id est minorem Patre non dices incarnatum Filium, « ne reveletur turpitudo tua. » Turpius enim nihil est turpitudine hæretica. Sive « non ascendes per gradus, » id est non extolleris de tuis profectibus, propter quod vitium turpitudo revelatur, quia profecto superbiam mentis contumelia carnis comitatur.

CAPUT XXXIV.

Quod recte post præcepta judicia ponantur.

(Cap. XXI.) « Hæc sunt judicia quæ propones eis. » Recte et ordinate, post data præcepta, judicia proponuntur; futurum namque erat non omnes observare vel audire præcepta, et idcirco necessarium fuit præscribere qualis transgressor quali reus foret judicio. Non autem idem singulariter judicium sonat quod pluraliter judicia. Nam singulariter judicium, plerumque damnationem; pluraliter vero judicia, tam rei vindictam quam innocentis significat defensionem. Utriusque partis, judicii scilicet et misericordiæ; sententias, post data decem præcepta, proponit hic lex Domini sancta et immaculata, et justa et bona (*Psal.* xviii; *Rom.* vii), ut veraciter Psalmistæ psallenti in decachordo psalterio, primam locus hic materiam videatur dedisse, quatenus diceret : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* c). » Cantandi namque judicii materia est insignis, ab hoc loco usquequo dicit : « Qui immolat diis, occidetur, præter Deo soli (*Exod.* xxii), » misericordiæ vero moduli dulces sunt ab eo quod continuo subjungit : « Advenam non contristabis (*ibid.*), » usque ad id quod ait : « Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, ut refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena (*Exod.* xxiii). » Res quidem obscuræ et exiles, sed judicio splendidæ et justitia illustres, verbi gratia : « Si bos alienus bovem alterum vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et dividentpretium, cadaver autem mortui inter se dispertient. » Noli hic attendere quantitatem peculii, sed æquitatem judicii. Quid enim de bobus curare tantæ majestati? Sed vere laudabilis sapientiæ judicantis de bobus cornupetis, sicut et mirabilis fortitudo præliantis contra Pharaonem in ranis et muscis. Hæc igitur judicia Domini judicia vera justificata in semetipsis (*Psal.* xviii), quæ propones eis, inquit : Non sunt illa judicia, de quibus Psalmista : « Judicia tua, inquit, abyssus multa (*Psal.* xxxv), » vel illud Apostoli : « O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* xi), » sed ejusmodi sunt hæc, de quibus item Psalmista dicit : « In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui (*Psal.* cxviii). » Manifestam quippe habent æquitatem, conspicuamque omni homini rationabiliter disputanti, unde et regibus gentium ante Christi quoque adventum cum summo favore et collaudatione accepta hæc et historiæ fuisse tradunt. Breviter aliqua de his discutienda sunt ad comprobandum manifestæ justitiæ testimonium.

CAPUT XXXV.

Quare de emptione Hebræorum, prima judicia proponantur, et unde illis illa ingenuitas contigerit.

« Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber, gratis, » etc. « Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt, » etc. Quæri non frustra potest cur de proponendis judiciis, hæc in ordine priora sunt? Et ad hæc, inquam : Hæc Hebraice genti judicia propria, cætera vero cunctis hominibus sive cunctis gentibus debent esse communia. Quare hæc Hebræorum sunt propria? Quia videlicet pater eorum Jacob sex annis pro gregibus Laban servivit, in septimo dignitate sua servata liber exivit, magis eligens cum patribus suis Abraham et Isaac peregrinari quam in terra vel cognatione patrum suorum plura serviendo lucrari. Hæc ingenuitas patris illam suis posteris apud Dominum thesaurizavit, quatenus lege defendat eos, ut nemo ex illis ultra sex annos cogatur servire, si nolit. Econtrario, mater ipsorum Lia per injustitiam patris vendita quasi in famulam, sic egressa est sicut ancillæ exire consueverunt. Unde tam ipsa quam soror ejus Rachel hoc modo conquestæ sunt : « Nunquid habemus residui quid quam in facultatibus et hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputavit nos, et ven

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

didit, comeditque pretium nostrum? » (*Gen.* XXXI.) Itaque hæc propria secundum litteram Hebræorum judicia sunt. « Si emeris, inquit, servum **219** Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis, » subauditur, si voluerit; nam ingenuus est, et pater ejus a semetipso venditus, septimo servitii anno liber exivit, quia voluit, nec enim se in perpetuum vendidit. « Cum quali veste, » id est cum quali conditione « intraverit, cum tali exeat, » quia videlicet pater ejus nec plus nec minus, sed tantum adduxit, quantum jure acquisivit. « Si habens uxorem, et uxor egredietur simul. » Quia pater ejus habens uxores, utramque sororem Liam et Rachel, quas facta conventione acquisierat, jam quando serviendo pro gregibus intravit cum eisdem egressus est. « Quod si dixerit servus : Diligo dominum meum, et uxores, ac liberos, non egrediar liber, offerat eum, inquit Dominus, diis, » etc. Deos, sacerdotes intellige, secundum quod dictum est ad Moysen : « Ecce constitui te deum Pharaonis. (*Exod.* VII), » videlicet secundum dignitatem divini officii. « Applicabitur, inquit, ad ostium et postes » scilicet ut multos habeat inspectores et testes. « Perforabitque aurem ejus subula, » videlicet ut amplius semel dictæ professionis suæ delere vel abscondere non possit monumentum. « Et erit ei servus in sæculum. » Festinando ad alia moralem hujus capituli suavitatem præterimus, suo namque loco invenienda est edita a sanctis Patribus. « Si quis vendiderit filiam suam in famulam » subauditur, quemadmodum vendidit Laban matrem vestram Liam; quam irrogatus protrusit et indotatam. « Non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt (*Gen.* XXIX). » Videlicet auctoritate patris vestri Jacob præeunte, qui non passus est illam quasi ancillam sine omni dote exire. Egit namque arte sua, ponendo virgas populeas in canalibus, quas ex parte decorticaverat, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia, et diverso colore respersa (*Gen.* XXX). Ita nempe, quia cum fortiore Laban judicio contendere non potuit pro dote non postulatæ uxoris, juxta sibi et ille arte providit, ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, servos, et ancillas, camelos, et asinos. Ita plane satagere licebit emptori ut ei quam emit, quia filia est, non omne dotis subsidium desit, sive sibi sive filio illam despondere noluerit. « Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerit, dimittet eam. » Hic clanculo illos suæ vel maternæ conditionis admonet, quia profecto cum displicuisset Lia, nam « lippis erat oculis (*Gen.* XXIX), » jure Jacob dimittere eam poterat, quippe pro qua non servierat, cui fidem conjugalem non dederat. « Populo autem alieno vendendi, non habet potestatem, si spreverit eam, » etc.

CAPUT XXXVI.

De diverso supplicio ejus qui hominem in insidiis occidit, et ejus qui occidit inimicum suum.

« Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum quo fugere debeat. » — « Constituam, inquit, tibi locum, » id est, separabo tibi urbes fugitivorum, quo fugere debeat qui non est insidiatus, sed Deus inimicum tradidit in manus ejus. Exempli gratia : Persequente Saule David, cum ille fuisset « ingressus speluncam ut purgaret ventrem, David et viri ejus in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt servi David ad eum : Ecce dies, de quo locutus est Dominus ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum (*I Reg.* XXIV,) » etc. Item : « Venerunt David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio. Dixitque Abisai ad David : Conclusit Deus inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit (*I Reg.* XXVI). » Plane David non fuerat insidiatus, sed Deus inimicum gratis insidiantem tradiderat in manus ejus. Unde et dicit : « Animadverte et vide, quoniam non est iniquitas in me, tu autem insidiaris animæ meæ (*I Reg.* XXIV). » Et ille secundum hanc legem locutus : « Justior, inquit, tu es quam ego (*ibid.*), » quia videlicet permisso legis poteras occidere me, legitimum habiturus refugii locum, donec temporis hujus moreretur sacerdos.

CAPUT XXXVII.

« *Si quis per industriam*, » *quod homicida ab altari evellendus et morti tradendus sit.*

« Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias ab altari meo avelles eum, ut moriatur. » — « Ab altari, inquit, meo avelles eum, ut moriatur, » id est, etiamsi ad altare meum confugerit illuc usque persequeris eum, avulsumque interficies, quia videlicet ei nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum omnem fidem perdidit. Jure ergo nemo vel Salomonis judicium, vel Banaio manum reprehendit, quia Joab profugum in tabernaculum Domini, tenentemque cornu altaris et dicentem : « Non egrediar, sed hic moriar, » ibidem egressus interficit (*III Reg.* II), quia occidit duos viros justos, melioresque se, Abner et Amasam, principes militiæ, et effudit sanguinem belli in pace, id est in osculo pacis, dicendo : « Salve, mi frater, » tenens manu mentum more osculantis (*II Reg.* XX). Non, inquam, jure quisquam hoc reprehendit quod hic talis avulsus est ab altari et interfectus, dicente hic Domino de hujusmodi, « ab altari meo avelles eum, ut moriatur. » Cætera quoque similiter manifestam habentia pulchritudinem æquitatis, facile rationalis ac diligens homo discernit, ut ultro facie ejus delectatus dicat : « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, justus Dominus in omnibus viis suis (*Psal.* XLIV.) » Cum ergo hæc omnia fecerit servus Hebræus opera justitiæ, nunquid statim perfectus erit, et præmium accipiet vitæ æternæ? non utique, nam et Apostolus testatus est quia « nihil ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* VII.) » Et justorum in lege, de præcipuis unus dicit lacrymosa confessione, « quasi pannus menstruatæ universæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV.) » Bene igitur Dominus ipse, hic post omnia non regnum cœlorum jam legis hujus operariis repromittit, sed dicit.

CAPUT XXXVIII.

Quod dictum est; « Ecce ego mittam angelum meum, » etc.

(CAP. XXIII.) « Ecce ego mittam angelum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat ad locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. » Non est hic ille angelus, quem promittens Dominus per Malachiam prophetam : « Ecce ego, inquit, mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam (*Malac.* III). » Ille est namque Joannes-Baptista propheta, et plus quam propheta, angelus, id est nuntius, non præco venturi, sed nuntius atque index jam præsentis hujus magni Angeli, de quo confestim idem propheta subjungit : « Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*ibid.*) » Propria hujus angeli differentia hic posita **220** est, dicente Deo, « et est nomen meum in illo. » Non dixit, et nomen meum super illum, quod recte dici queat de quolibet infimo electorum, quorum omnium illa est prophetica vox : « Tu autem in nobis es, Domine et nomen tuum invocatum est super nos (*Jer.* XIV,) » sed « est inquit, nomen meum in illo, » id est pro naturali divinitate, eodem quo et ego censetur nomine. Dicitur enim, « et est, » æque ut ego, Deus, Dominus, omnipotens, invisibilis, increatus, immensus, æternus, et quidquid de Deo substantialiter prædicatur, ut hoc solum de nomine intersit quod ego ad illum relative Pater, ille ad me relative Filius dicitur. Hunc ego « mittam, qui præcedat te, » scilicet aperiendo tibi portas justitiæ, « et custodiat te in via, » quatenus quod arbitrio non prævales, ejus consequaris gratia, « et introducat ad locum quem paravi, » scilicet mansionibus multis distinctum ab origine mundi, de quo ceciderunt apostatæ angeli, quibus pes superbiæ, et idcirco « expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV). » — « Observa eum, et audi vocem ejus. » « Observa, » inquam, « eum, » non a semetipso loquentem, et opera mea facientem, « et audi vocem ejus, » dum sub duobus testibus, scilicet sermone et opere, se in nomine Dei Patris sui venisse profitetur. « Nec contemnendum putes, » quia non dimittet cum peccaveris, ne contemnendum putes quod homo est, quod mortalis est, quod mortuus ex infirmitate hominis, vivit enim ex virtute Dei (*II Cor.* XIII), habensque potestatem judicium faciendi, « non dimittet cum peccaveris » odio habendo illum gratis. « Quod si audieris vocem ejus et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, præcedetque te angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, » etc., inimicos Israel, id est omnium quærentium Dominum, et Ægyptum hujus mundi fugientium, malignos esse spiritus, eisque Amorrhæi et Hevæi, cæterumque gentium congruere nomina, secundum interpretationes suas, jam alio loco dictum est, proinde præsentia pertranseuntes, ad alia curramus.

CAPUT XXXIX.

Quomodo fecunditatem Ecclesiæ repromittit, dicendo : « Non erit infecunda nec sterilis in terra tua. »

« Non erit infecunda, nec sterilis in terra tua. Numerum dierum tuorum implebo. » Beati seminis fecunditatem Ecclesiæ sanctæ repromittit, quam et propheta Isaias prævidens : « Lauda, inquit, sterilis, quæ non paris : erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* XXXIV). » Nam postquam nos Angelus ille præcessit, et in cœlum ascendens dona sancti Spiritus hominibus dedit, non est in hac terra, quam ille sanguine suo rigavit, quæ sit infecunda verbo Dei, et sterilis ab operibus bonis. In omni loco mater Ecclesia spirituales filios parit, et de mortuis vivos in vitam æternam regenerando parturit. Cujus fecunditatis præmium breviter contingens, « numerum, inquit, dierum tuorum implebo, » id est in sæculorum sæcula, quæ dinumerari non possunt, vitam tuam extendam et dilatabo. « Terrorem meum mittam in præcursum vestrum, et occidam omnem populum ad quem ingredieris, » etc. Hæc ita facta esse novimus, ut in figura terroris, quo per crucem Christi fulminati sunt maligni spiritus inimici nostri, contigisse veraciter prædicemus. Unde et ipsi inimicorum capiti fiducialiter dicamus : O tortuose serpens, qui mille per mæandros fraudesque flexuosas agitas quieta corda, discede. Christus hic est, hic est Christus, liquesce, signum quod ipse nosti damnat tuam catervam, sed quinam sunt crabrones, de quibus ait : « Emittam crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hethæum antequam introeas. » Qui, inquam, spiritualiter sunt per crabrones intelligendi; quos scimus de equino stercore nasci, quos contra Chananæum se missurum dicit, sicut contra Ægyptios muscas misit, nisi ignobiles et contemptibiles hujus mundi, quos ut nobilis et fortior confunderet, ante conspectum nostrum misit ut per illos contrita superbia sæculi, pacifice possimus ad vitam æternam ingredi? Isti crabrones qui se tanquam purgamenta mundi profitebantur et omnium peripsema (*I Cor.* IV), milvos vicerunt, diabolum principem mundi fugaverunt, et omnes pompas ejus sub pedibus suis velociter conculcaverunt. « Non ejiciam, inquit, eos a facie tua, anno uno ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ. » Hoc est dicere. Non absque legitimi certaminis labore vitia delebo repugnantia proposito tuo vel intentioni tuæ, ne extollat te in superbiam repentina gloria victoriæ. Satius enim est pugnare cum hominibus quam bestiis subdi, id est tolerabilius est, verbi gratia, colaphizari stimulo carnis quam devastari elationis stimulo. Hæc enim humana, illa tentatio est diabolica. Ait ergo : « Paulatim expellam eos de conspectu meo,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

donec augearis et possideas terram. » Ac si dicat : Ascensiones quas in corde tuo disposuisti in hac valle lacrymarum, in hoc loco quem tibi posuisti (*Psal.* LXXXIII), in quem, o homo pro tuo vitio incidisti, paulatim per auxilium exercitantis gratiæ perficies, ibis de virtute in virtutem donec videas Deum deorum in Sion, quod est veraciter augeri et possidere terram viventem. « Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium. » Spiritualiter autem termini Christianitatis hi sunt. Per mare Rubrum et per desertum populum intelligimus Judæorum, Rubrum mare pro parte electorum qui primi rubente sanguine Christi mundati sunt, et apud quos priores baptisma est Ecclesiæ celebratum; desertum autem pro parte reproborum, qui propter infidelitatem ab inhabitatore Deo et homine Christo deserti sunt. Per mare autem Palæstinorum, et fluvium magnum, quem alio loco nominat Scriptura Euphratem, quod nos Latine dicimus fragiferum, multitudinem intelligimus gentium, sive profunditatem nationum, ad quas dilatati sunt termini apostolorum, incipientium ab Jerusalem, ubi (sicut dictum est) primo sacratum est nostri baptismi mare Rubrum. Porro, juxta litteram, quatuor climata terræ repromissionis distincta sunt dicendo « a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium. » Palæstinorum alio loco legimus appellari mare Magnum, quod juxta terræ situm ipsorum erat illis contra solis occasum.

CAPUT XL.

Quod sermonis Dei cum Moyse exordium, medium, et finis, idem sit.

« Tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum; non habitent in terra vestra, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum : quod certe erit tibi in scandalum. » Quod sermonis hujus fuit exordium ipsum, medium ipsum et finis est. In exordio namque dictum est : « Non habebis deos alienos coram me. » In **221** medio autem, qui immolat Diis, occidetur, præter Deo soli. Porro hic in fine dicitur : « Non inibis fœdus cum diis eorum, » etc. Et recte, quia bonorum omnium radix est unius Dei diligentissima notitia; idcirco maxime circa hanc tota benevoli plantatoris impenditur opera. Hac etenim in corde prius radicata et fundata, quidquid inde pullulat, frondet ac floret in gratiam, et fructum affert in vitam æternam, sicut econtrario deorum alienorum servitus causa est perditionis, efficiens omnem fructum nequam, et mortem afferens sempiternam, testante Apostolo cum dicit : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen (*Rom.* I), » etc. Ergo sicut creaturæ servitus contumeliosum reddit hominem etiam in exterioribus carnis operibus, sic econtrario fida Creatoris adoratio gloriosum illum efficit succedentibus fructibus spiritus. Equidem nos hodie cuncti verbo palam Creatoris adoratores sumus : sed auctoribus magnis, Christo videlicet et Apostolo ejus, simulacrorum servitus sic æquivocatur, ut in illo sacrilegio plerique professores Christianitatis involvantur. Nam evangelica auctoritate, si avari sumus, non Deo servimus, sed mammonæ (*Matth.* VI; *Luc.* X). Et Apostolus testatur, quia avaritia « idolorum est servitus (*Ephes.* V; *Coloss.* III). » Igitur et hic et supra ubi dictum est : Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, apud nos idem est ac si dicatur : non studebitis avaritiæ, non servietis mammonæ.

CAPUT XLI.

Quoto die lex data sit, et quod altari ædificato ad radices montis, populus trina repetitione dixerit : « Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus. »

(Cap. XXIV.) « Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini atque judicia. Responditque populus omnis una voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. » Memoriter tenendum est, hunc tertium diem mensis tertii, ut superius dictum est, non quinquagesimum, sed quadragesimum nonum esse, a quarta decima mensis primi, id est ab immolatione agni. Cum enim juxta lunarem computationem mensis, alius triginta, alius unde triginta sit, profecto sedecim dies, a quarto decimo, qui residui fuerunt mensis primi, cum triginta secundi, et istis tribus diebus mensis tertii, quadraginta novem sunt. Num ergo fallimur, dicentes quia quinquagesimo die data est lex, quia quadragesimo nono die locutus est Deus cunctos sermones hos, « venitque Moyses et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia, responditque cunctus populus una voce : omnia verba Domini faciemus quæ locutus est : » Non utique. Nam vide quid sequitur. « Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos, per duodecim tribus Israel. » Hoc mane quinquagesimus est dies, quo demum lex data est. Quomodo ? « Misitque, ait Scriptura, juvenes de filiis Israel, qui et abstulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. Qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. » Quæ professionis tertia repetitio plena, insolubilis quoque jam confirmatio est. Nam et primo die mensis, dixerunt : « Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, » et tertio die dixerunt : « Omnia verba Domini, quæ locutus est Dominus, faciemus : » et hic dicunt : « Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

obedientes. » — « Ille vero sumptum sanguinem, respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his. » Ac deinceps. « Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me, in montem, et esto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas et legem ac mandata, quæ scripsi. » Hic demum solemnis et rite peracta legislatio est. Nam præterito die quadragesimo nono, erat quod factum quasi quædam catechizatio est dicenda. Aliud nempe est dicere, ecce lex sub qua militare vis : si potes observare, ingredere : si non potes, liber discede : aliud, postulatæ legis professionem confirmatam manu propria signare.

CAPUT XLII.

De dedicatione testamenti, post ædificationem altaris in sanguine duodecim vitulorum.

Apostolus loci hujus memor, cum dixisset : « Testamentum enim in mortuis confirmatum est, aboquin nondum valet dum vivit (*Hebr.* XI), » continuo subjunxit : « Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus (*ibid.*). » Dedicatum hic primum asserit testamentum, in eo quod ædificato altari cum duodecim titulis duodecim tribuum, legem recitatam professionium, et immolatis victimis dimidiam partem sanguinis fundens super altare, residua parte Moyses populum aspersit, dicens : « Hic est sanguis fœderis. » Quid autem esse putamus hanc dedicationem testamenti, nisi acceptionem conscriptionis propter promissiones testatoris, ut ipse eis in Deum, ipsi autem illi essent in populum, secundum multitudinem fœderis maritalis? Nam hinc est quod in Ezechiele inter cætera dicit : « Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda, et confusione plena. Et transivi per te, et vidi te, et ecce tempus tuum tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus (*Ezech.* XVI), » etc. Igitur hujus quinquagesimi diei magna et digna memoria, qua mulier illa, scilicet Synagoga, quæ in Ægypto multiplicata fuerat et grandis effecta, jamque, ut ait idem propheta, ad mundum muliebrem pervenerat, quæque in die ortus sui præcisum umbilicum non habens, non fuerat lota aqua in salutem, multis enim diis servire inceperat, uni viro, uni Deo facta est, et lota aqua, et emundata a sanguine suo, vestita, et calceata est, et cuncta justitiæ accepit ornamenta, quæ sub nominibus ornatuum idem propheta diligenter dinumerat. Dicit autem apostolus supradicto capitulo : « Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari : ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis (*Hebr.* IX). » Cœlestia sunt, secundum evangelicam vel apostolicam fidem, sancta illa quæ introivit Jesus, id est « ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis (*ibid.*). » Hæc autem sancta populo illi tradita illorum sunt exemplaria, quemadmodum idem Apostolus, cum testimonio Scripturæ præsentis ait : « Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos : cum essent qui offerrent secundum legem munera, **222** qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est Moysi, cum consummasset tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte (*Hebr.* VIII). » Proinde præsentem locum cum cœlestibus, quorum hæc et cætera quæ sequuntur exemplaria sunt, jam nunc libet conferre diligentius.

CAPUT XLIII.

Quod sanguis vitulorum sanguinem cœlestis hominis Christi significet.

Primo sanguis vitulorum, quo hæc exemplaria mundata sunt, sanguinis exemplar fuit cœlestis hominis Jesu Christi, quo cœlestia simul et terrena pacificata sunt. Salutis namque, quam sanguis ejus in veritate contulit signum hircorum vel vitulorum sanguine præcurrit. Porro, quod juvenes potius quam senes de filiis Israel Moyses misit, ut offerrent holocausta, illius sunt juventutis exemplar, de qua Psalmista : « Renovabitur, inquit, juventus tua, ut aquilæ (*Psal.* CII). » Neque enim veteres, sed novos homines, neque in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus missurus erat Dominus Jesus Christus duodecim apostolos, sacerdotes novos, novi et veri sacrificii ministros. Quid deinde nobis illud exemplificat quod dimidiam partem sanguinis super altare fudit, et dimidiam in populum respersit, nisi quod cœlestia duo simul de uno eodemque derivata sunt sanguine Christi Filii Dei, alterum quo per baptismum in remissionem peccatorum aspergimur, alterum quo verum, cum carne vera, sanguinem de sancto altari sumimus? Missus itaque sanguis in crateras, partim in altare funditur, partim in populum respergitur, quia reconditum verbum Dominicæ passionis, in apostolorum omniumque sacerdotum Christi cordibus, sic per os linguamque illorum in hæc sacramenta diffunditur, ut et veraciter in mortem Jesu Christi baptizati, sanguine ejus respersi simus et de sancto altari sanguine ejus in veritate bibamus. Apostolus aspersionem illam exemplarem cum aqua et lana coccinea et hyssopo factam esse testatur (*Hebr.* IX). Sic nimirum et de latere Christi cum aqua sanguis effluxit (*Joan.* XIX), et idcirco recte, cum vino aquam misceri in sacramento sanctæ Ecclesiæ, fides apostolica sanxit. Quod autem in celebratione sancti baptismi, aqua per verbum crucis, per potentiam sancti Spiritus virtutem accipiat sanguinis Christi, ad abluenda peccata credentis, nullus dubitat fidelis. Hyssopus, herba humilis humilem significat fidem Dominicæ passionis, quia sicut illa tumorem pulmonis, sic fides Christi superbiam cordis sanando deprimit. Per lanam coccineam propositam nobis ejusdem passionis imi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tationem intelligimus, quia « Christus passus est pro nobis, ut ait B. Petrus Apostolus, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). » Sed et ipsum librum aspersum esse Apostolus asserit, quia videlicet sic sancta Scriptura pene ubique fidem continet passionis Christi, et sine illa nullatenus intelligi possit. Absque aspersione hujus sanguinis, Deum nemo videbit. Nam « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, Christus ait, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Item : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI). » Bene ergo antequam sanguine illo exemplari respersus fuisset populus, ait Dominus : « Descende et contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad vivendum, et pereat ex eis plurima multitudo (*Exod.* XIX). » At nunc post aspersionem. « Ascenderunt, inquit Scriptura, Moyses et Aaron, et Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel, et viderunt Deum Israel. Sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel misit manum suam, videruntque Deum, et comederunt et biberunt. » Viderunt Deum Israel, sed non sicuti est. « Non enim, inquit, videbit me homo et vivere potest (*Exod.* XXXIII). » Et longe post visionem istam, Deum, inquit Joannes evangelista, nemo vidit unquam (*I Joan.* IV). Ergo et visio hæc cœlestis visionis Dei, qua « videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III), » exemplar est. Quod enim dicitur « sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est, » regni illius, in quo videndus promittitur, soliditatem, puritatem, atque altitudinem mystice innuit. « Nec super eos, inquit, qui procul recesserant, de filiis Israel, misit manum suam. » Tanquam diceret : Antequam respersi essent sanguine fœderis quod pepigit cum eis Dominus, miserat super eos manum suam, manum terribilem ac tremendam, dicendo : « Omnis qui tetigerit montem, morte morietur, lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis (*Exod.* XIX). » Nunc autem quia fœderati, quia sanguine fœderis erant conspersi, non misit super eos manum suam, non prohibuit eos a visione sua, qui præ timore superius dicto procul recesserant, terminosque constitutos ascendere non audebant. « Viderunt**que** Deum, » sicut jam dictum est, et « comederunt ac biberunt, » quod totum illius fuit visionis exemplar, in qua comedemus ac bibemus, eademque visione saturabimur et inebriabimur. Dicit enim Psalmista : « Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI). » Item : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). »

CAPUT XLIV.

De eo quod dictum est : « Ascende ad me, et esto ibi. » Et de duabus tabulis lapideis, digito Dei scriptis.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem, et esto ibi ; daboque tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi ut doceas filios Israel. Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus. » Et supra dictum est. « Ascenderunt Moyses et Aaron et Abiu et septuaginta de senioribus Israel, » sed non dictum est : Ascenderunt ad Dominum, hic autem dictum est, « ascende ad me, » quod significat illum invitari ad colloquium familiare, additumque est, « et esto ibi, » subauditur, non una hora, vel uno die, sed « esto ibi, » id est mane ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus : « Daboque tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, » non ait et legem quam scripsi, sed « mandata quæ scripsi ; » legem enim Moyses ipse scripsit, sicut et de judiciis supra scripsit dictum est, quia scripsit Moyses universos sermones Domini ; mandata autem digitus Dei scripsit, sicut ipse Moyses in Deuteronomio dicit : « Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei (*Deut.* IX). » Et hoc cœlestium exemplar fuit. Quorum cœlestium ? Eorum videlicet quæ facta sunt per novum hominem Jesum Christum, qui ascendit ad Deum, non in montem terrenum, sed in ipsum cœlum, ut acciperet nobis non occidentem litteram, sed vivificantem spiritum (*II Cor.* III). Unde est : « Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus (*Psal.* LXVII). » Quæ dona : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (*Ephes.* IV). » Hæc et hujusmodi dona spiritualia scripsit nobis « non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus (*II Cor.* III). » Scripsit autem non calamo, neque atramento, sed digito Dei, id est Spiritu sancto. Nam quinquagesima die postquam surrexit a mortuis, cujus etiam hic dies quinquagesimus exemplar fuit, cum essent omnes discipuli ejus pariter congregati, missus est ad scribendum hic Dei digitus, hic Spiritus sanctus multiplex, subtilis, disertus, **223** certus, ac discretus (*Act.* II). Prima scriptoris experientia claruit in hominibus, qui prius erant idiotæ, et sine litteris, in eo quod statim « coperunt loqui linguis magnalia Dei (*ibid.*). » Illa et quæ deinceps subsecuta sunt, opera cœlestia fuerunt, ut recte hæc Scriptura data in tabulis lapideis illorum dicatur exemplar cœlestium. Nam de hujusmodi dictum est : « Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum (*Psal.* VIII). » Sed dicit quis : Istæ tabulæ lapideæ digito Dei scriptæ postmodum confractæ sunt. Reversus namque Moyses de monte, cum appropinquasset, « vidit vitulum et choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radices montis (*Exod.* XXXII). » Quid hoc ad exemplar pertinuit cœlestium ? Plane et hoc pertinuit, quia videlicet gens illa, cujus tabulis prius inscripta sunt dona cœlestia digito Dei, ecce rebellando confracta atque projecta est. « Præscide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti (*Exod.* XXXIV). » Istæ juniores tabulæ non confractæ sunt. Etenim reprobatis illis, quibus oportebat prius loqui Ver-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hum Dei (*Act.* XIII), gentibus annuntiatum est, et ibi Scriptura digiti permanet. Sane, secundum litteraturæ ordinem, sic mandata in duabus tabulis illis distincta sunt ut in altera continerentur, quæ ad dilectionem Dei pertinent, quorum primum est : « Non habebis Deos alienos coram me ; » in altera quæ ad dilectionem proximi, quorum primum est : « Honora patrem tuum et matrem tuam. » Unde et Apostolus hoc primum dicit mandatum (*Ephes.* VI).

CAPUT XLV.

Quomodo Moyses durare potuerit sine cibo quadraginta diebus.

« Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. » Gloriam Domini habitasse super Sinai dixit, quia expertus est magnam et gloriosam multitudinem dulcedinis Domini, quam abscondit quidem timentibus se (*Psal.* XXX) ; sed huic ostendit non parva ex parte, ut in illa epularetur, non uno die, sed quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Nam quasi quæreres quomodo tandiu duravit homo sine cibo et sine potu, cum ultra septem dies natura humana sine omni alimonia durare non possit. « Septimo autem die, inquit, vocavit eum de medio caliginis. » Fuerit hoc omnino humanæ possibilitatis, quo præ aviditate cœlestium epularum sex diebus panem non comedit, et aquam non bibit. Cæterum, nisi septimo illum die Dominus vocasset, natura hominis in semetipsa residens in brevi penitus aruisset. Vocavit ergo illum de medio caliginis, cujus vox suavis, ac super mel et favum est dulcis, et vocatione sua sic inopem hominis naturam ditavit ut usque ad quadragesimum diem non solum cibi et potus, sed et totius humanæ conditionis posset oblivisci. Sic in semetipso meruit experiri, ut veraciter diceret quod « non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei (*Deut.* III). » Item : Nec in Elia jejunante similiter quadraginta diebus et quadraginta noctibus Scriptura tacuit, quod non hoc de hominis possibilitate habitum, sed de virtute Dei pro munere sumptum est. Ubi enim illum Angelus Domini secundo tetigit, dicens : « Surge et comede (*III Reg.* XIX). » Postquam comedit et bibit, statim subjunctum est : « Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus (*ibid.*). » In fortitudine cibi illius Scriptura sic dixit, ut subintelligas quod non erat nec esse poterat in natura quamlibet fortis et in jejuniis exercitati hominis. Utiliter satis providit divinitas quatenus idoneum haberet testimonium Christi humanitatis. Ille namque jejunare habebat quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut, pro gula peccatoris primi hominis, innocens hic homo secundus ordinata satisfactione vapularet, nobisque in se credentibus quem ille manducando perdidit, cibum vitæ æternæ jejunando acquireret. Sed hoc, ut prædictum est, supra naturam hominis est, et idcirco hæretica pravitas, quæ illum non vere, sed in phantasmate hominem apparuisse contendit, tam diuturnum jejunium in suæ vesaniæ patrocinium procaciter arripuisset. Utiliter ergo nobis, ut jam dictum est, Divinitas providit ut duos testes veritatis jejunantis hominis Christi humanitas obtineret, alterum scilicet ex lege, alterum ex prophetis. Imo, si libet, dicimus quia non duos tantum, sed et tres habuit testes in hoc negotio hic Deus et homo verus Salvator noster. Unus enim Moyses secundo jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Igitur in ore non tantum duorum, sed etiam trium testium stabit et hoc verbum (*Deut.* XIX).

CAPUT XLVI

Quid sit quod Moyses præcepta capescens, egressus in medium nebulæ montem ascendit, et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

« Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel, » talis quoque species gloriæ Domini cœlestium exemplar fuit. Nam ubi quadragesimo die, sicut supra dictum est, gratia cœlestis effulsit, erat itidem species gloriæ Domini quasi ignis. « Et apparuerunt, inquit, illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque super singulos eorum (*Act.* II). » Utrobique vivacitas ignis zelum et fervorem spiritus adversus peccata præsignavit. « Ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem, et ibi fuit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. » Nebulam sive caliginem, quam in his locis Scriptura sæpius expressit nonnulli lucem inaccessibilem dixerunt, videlicet, quia dicit Apostolus : « Quem vidit hominum nemo, nec videre potest qui lucem habitat inaccessibilem (*I Tim.* VI). » Verum hic sensus, ut in vocabulo nebulæ sive caliginis lex intelligatur, per antiphrasim pluribus Scripturarum tractatoribus, non complacuit. Porro præter typicam intelligentiam, id quod Moyses medium nebulæ ingreditur, moraliter quoque appetendam esse quietem atque cordis munditiam eis qui ad contemplationem tendunt, innuit. Quid enim est quod hic sublimia Dei præcepta perciperet, alta conscendit, atque ut interna penetraret, ab exterioribus tumultibus occultatus est, nisi quod sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem, quasi in monte, percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

IN EXODUM LIBER QUARTUS.

(Exod. cap. XXIV-XXXV.)

224 CAPUT PRIMUM.

De tabernaculo Moysi, quod cœleste tabernaculum exemplar ejus fuerit.

Tabernaculum verum, « quod fixit Deus, et non homo (*Hebr.* VIII) » tabernaculi quod fixit Moyses, exemplar fuisse, auctor est idem Deus, et non homo. Ait enim : « Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV). » Cujus dicti memor Apostolus : « Non enim manufacta, inquit, sancta Jesus intravit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum (*Hebr.* IX). » Hæc tanta auctoritas architecti Dei illius tabernaculi manufacti structuram toti mundo spectabilem fecit. Ubi? In hac sancta et veridica Scriptura, quæ retinuit, et oblivioni sustulit ædificationis illius mensuras universas, numerosque et pondera. Divertunt hoc omnes, qui in hoc mundo peregrinantur regni cœlorum milites, qui pertranseunt, et manentem hic civitatem non habentes, futuram inquirunt (*Hebr.* XIII) atque cœlestium, quæ jam ex parte cognoscunt, hic exemplaria contemplantur, ut proficiant ad cognoscendum. Qui et mirantes, dicunt : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum (*Psal.* LXXXIII). » Et nos igitur quos ad hunc locum, recta propositi nostri via perduxit, paulisper immoremur hic, quatenus ex pulchritudine tabernaculi allecta, concupiscat et deficiat anima nostra in atria Domini, corde et carne exsultantibus in Deum vivum, ubi passer domum et turtur invenit sibi nidum (*ibid.*). Aspiciat Deus et passerem secundum cor, in illam cœlestem domum tendentem, et turturem secundum carnem præsenti tabernaculo laborantem, et quia tam sancta quam alta sunt quæ molimur, auxilium gratiæ ejus, et ad bene cogitandum præveniat passerem, et ad bene agendum subsequatur turturem.

CAPUT II.

Cur Apostolus versa dictione tabernaculum Moysi exemplar dicat fuisse cœlestis tabernaculi.

Primum quærere libet cur in ratione exemplarium, divinæ dictionis Apostolus immutaverit modum. Nam Deus dicit, « juxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostensum tibi, et omnium vasorum in cultum ejus, sic facietis illud (*Exod.* XXV). » Item : « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*ibid.*). » Manifeste hic eorum quæ mandabat facere Moysi, ea quæ demonstrabat illi exemplaria esse dixit. Econtra Apostolus, ea quæ fecit Moyses, illorum exemplaria nuncupavit, quæ Deus illi demonstravit. Ait enim : « Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium (*Hebr.* IX). » Et continuo subjungit testimonium jam dictum, quo Deus cœlestia potius exemplaria esse dixit terrestrium. « Sicut responsum est Moysi. Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte (*ibid.*). » Hoc ergo quærimus, et Deo donante, citius inveniemus. Moysi Deus loquebatur, et ei cœlestia, priusquam faceret terrestria, spiritualia prius demonstrabat quam faceret carnalia. Quomodo vel quali visione demonstrabat? Visione interna, visione prophetica. « Loquebatur enim illi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum (*Exod.* XXXIII). » Quomodo solet homo loqui ad amicum suum? Non celando illi consilium suum, faciendo illum secretorum suorum conscium. Cum ergo loqueretur ad illum sicut loqui solet homo ad amicum suum, nunquid illi occultaret summum amicitiæ suæ fructum, id est futurum Christi Filii sui cœleste sacerdotium? Imo tam de præteritis quam de futuris docuit eum. Nunquid non cum auctoritate Scripturæ Mosaicæ, dicit Joannes : « In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil? » (*Joan.* I.) Etenim prior ille sic locutus est, quia dixit Deus, « fiat, et factum est (*Gen.* I), » quod æquipollens est. Nam si dixit : « Fiat et factum est » per Verbum factum est. Ergo multo magis illud amico suo non abscondit quod Verbum caro futurum esset, quod Deus et homo Christus, propitiatio pro peccatis nostris futurus esset : quod idem in tabernaculo suo (quod est præsens Ecclesia) mensam corporis et sanguinis sui positurus esset, quodque idipsum tabernaculum Christus, ipse magnum candelabrum, cunctis Spiritus sancti donis lucens illustraturus erat. Itaque quoniam prius hæc spiritualia sive cœlestia vidit, et postmodum carnalia populo illi Sancta sanctorum fecit, ipsa cœlestia illi exemplaria dicuntur et sunt. Porro Hebræi (ad illos enim illa Epistola Apostolus loquitur) prius tabernaculum manufactum, prius aream, propitiatorium, mensam, candelabrum, et cætera omnia manufacta noverunt, et de illorum similitudine commonebantur ab Apostolo, ut se extenderent ad cognitionem cœlestium. Recte igitur istis econtra terrestria hæc dicta sunt exemplaria fuisse cœlestium (*Hebr.* VIII), exemplaria verorum (*Hebr.* IX), exemplaria, inquam, et umbræ futurorum. Jam nunc tabernaculi ipsius structuram Deo duce et candelabro, quod ille est, prælucente, ingrediamur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

225 CAPUT III.

De primitiis quas Dominus ad constructionem tabernaculi jussit tolli.

(Cap. XXV.) « Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias, » exponens quid dixerit, vel quid intelligi voluerit, dicendo primitias, continuo subjunxit : « Ab omni homine qui offert ultroneus accipietis eas. » « Ultroneus offert, » qui non coacta servitute sed spontanea charitate quidpiam offert. Ergo charitatis oblationes, sive magnæ sive parvæ sint, primitiæ Domino sunt, et ad cœlestis tabernaculi ejus ornatum proficiunt. Econtra quidquid ex tristitia offertur, serotinum est, et ad decorem domus Domini proficere non potest. Proinde Apostolus cum dixisset : « Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (*II Cor.* IX) : » continuo subjunxit : « Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus, » etc. (*Ibid.*) Bene ergo dixit quod opportune audiant omnes tabernaculi Dei, id est Ecclesiæ Christi adjutores, « ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. » Quod de corporalibus dictum est, itidem de spiritualibus dicendum est et sentiendum. Nam quidquid boni, sive corporale, sive spirituale sit, si idcirco facimus « coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (*Matth.* V), » primitivum est, et primitiarum acceptor Deus suscipi jubet. Econtra, si quis faciat coram hominibus ad hoc tantum ut videatur ab eis, nullam sibi in tabernaculo Dei collocat memoriam. Nam in eo quod visus est ab hominibus recepit mercedem suam.

CAPUT IV.

Item de eisdem, et quod minora interdum majoribus chariora sint Deo pro intentione offerentis.

« Hæc sunt autem, quæ recipere debetis : Aurum, et argentum, et æs, et hyacinthum, et purpuram, coccumque, bis tinctum, et byssum, et pilos caprarum, et pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, et ligna setim, » etc. Ergo ut primitiæ sint quæ offeruntur, non oblationum quantitas, sed offerentium bona efficit voluntas. Multum enim ab auro et argento, pili caprarum in pretio differunt, et tamen sub eodem vocabulo primitiarum positi sunt. Nec dubitandum pilos caprarum et pelles arietum, interdum auro et argento, lapidibusque pretiosis priora fuisse apud cordium inspectorem Deum. Nam ejusdem tabernaculi Deus ac Dominus, cum sederet contra gazophylacium, aspiciens quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, multique divites jactarent multa, venit una vidua pauper et misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen dico vobis quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit. Omnes enim quod abundabat illis miserunt, hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum (*Marc.* XII). Porro quæ ad spiritualem ædificationem conferantur, spiritualia bona sunt, quorum utique cui plus committitur plus ab eo exigitur (*Luc.* XII) ad consummationem cœlestium sanctorum, quorum illa, ut sæpe dictum est, nobis exemplaria sunt. Unde cum dixisset Apostolus : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem doctores et pastores (*Ephes.* IV), » signanter adjecit, « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*ibid.*). » Hæc et hujusmodi dona grandia, aurum sunt, argentum sunt, lapides pretiosi sunt. Videmus quia legimus longos ordines beatorum hominum, virorum pariter ac mulierum, puerorum ac puellarum, ad cœleste ministerium Christi procedentium, qui in sanctuarium Domini talia fideliter ac devote obtulerunt. Et nos igitur exigui quoniam tale quid cœlesti offerre sacerdoti non possumus, ne tamen vacui omnino coram illo appareamus, bona voluntate ad videndum sanctuarium alacres ingredimur, placere nobis omnia veraciter profitentes sacerdotis ordinem, ministrantium religionem, offerentium charitatem. De argento et auro cæterisque primitiis, quæcunque ab ultroneis oblata accipi jubentur, quam significationem habeant, suis in locis, prout singula in opera expenduntur, pro posse dicemus. Et quam vere dictum sit, « et habitabo in medio eorum cum fecerint mihi sanctuarium, » ipsa lectionis mysteria declarabunt. De similitudine tabernaculi, quod ostensum est Moysi, jam supra dictum est. Principium ædificationis arca est, quæ sic incipit :

CAPUT V.

De arca, quod incarnationis Dominicæ vel corporis ipsius mysterium fuerit, et qui sint vectes quibus debeat portari.

« Aream de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos, latitudo cubitum et dimidium, altitudo cubitum similiter, et semissem, et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris. Faciesque supra coronam auream, per circuitum, et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. » — « Aream, inquit, de lignis setim, » ligna setim imputribilia sunt, spinosa, et a qualitate albæ spinæ non multum distantia. Principio sanctuarii arca compingitur, quia principio sanctæ Ecclesiæ Filio Dei corporis humani membra compegit ex Virgine sanctus Spiritus. Compingitur autem arca de lignis setim, liguis imputribilibus, quia de semine Patrum fidelium æterna memoria redolentium Dei Filius est incarnatus. « Cujus, inquit, longitudo habeat duos et semis cubitos, latitudo cubitum unum et dimidium, altitudo similiter cubitum et semissem, » videlicet, ut homini salva reverentia sit accessibilis, et attrectabilis intus et foris, prout est mensura vel statura hominis; staturæ namque humanæ longitudo a planta pedis usque ad collum tricubitalis est. Cum ergo altitudo arcæ tantum unius cubiti sit ac semissis, palam est quia curvaturam corporis humani non excedit, et longitudo cum sit duorum cubitorum ac semissis, porrectis manibus ad

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dexteram et ad sinistram ad quemlibet actum religionis ultro accedit. Latitudo cubiti quoque ac semissis liquet incumbentis manibus, quam accommoda sit. Quod totum mystice nobis illud innuit quia incarnata divinitas omnibus modis mensuræ, id est capacitati hominis benigna se charitate indulsit. Deus appropinquans in terra visus, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III); oculis hominum expositus, auribus hominum propositus, manibus hominum appositus est. « Quod fuit ab initio, inquit Joannes, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt (*I Joan.* I). »—« Et deaurabis, inquit, eam auro mundissimo intus et foris, » quia veræ divinitatis auro, et intus per insitam sapientiam, et foris per divina opera, clarificatus est Christus, quod sit Dei Filius. « Faciesque super coronam auream per circuitum. » Supra corona aurea arca circumlatur, quia Filio Dei quasi diadema capitis est, hic miserationis ornatus, quod et per bonitatis **226** gratiam voluit; et per majestatis potentiam valuit hominem assumere, quod non potuisset nisi Deus. Creaturarum quippe ordo vel natura non patitur, ut altera alteri substantialiter inseratur, verbi gratia, homo angelo vel homini angelus. Ergo et pro hac humilitate omnipotentissima mirabilis, verus et victoriosus prædicetur Deus. Et quatuor, inquit, circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos; quia videlicet in eo quod per quatuor mundi partes fides incarnationis Christi dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. « Facies quoque vectes de lignis setim, » etc. Vectes de lignis setim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur, quia fortes et perseverantes doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, et quasi intromissis circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ac rudes infidelium mentes prædicando deducere. « Et operes eam, inquit, auro, » videlicet cum splendore sermonis aliis insonant, ipsi etiam splendore vitæ fulgescant. « Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur, ait, » id est semper excubabunt in sacris libris, et nunquam recedent a studio sacræ lectionis. Ad hoc enim vectes in circulis semper esse jubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi nulla haberetur tarditas, quia videlicet cum spirituale aliquid subditus a pastore inquirit, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. « Semper ergo vectes in circulis erunt, inquit, ad portandam arcam parati, » id est, qui ad prædicationis accedunt officium, semper erunt parati ad reddendam rationem omni petenti « de ea quæ in ipsis est fide Jesu Christi (*I Petr.* III). » — « Ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi. » Subauditur urnam auream, habentem manna, et virgam Aaron, quæ fronduit, et tabulas testamenti.

CAPUT VI.

De propitiatorio, quod Dominicæ passionis signum fuerit. Et quid mystice sint duo cherubim, et cur dictum sit, « inde præcipiam tibi. »

« Faciesque propitiatorium de auro mundissimo. Duos cubitos tenebit, et dimidium longitudo ejus, semissem, et cubitum latitudo, » longitudinis et latitudinis ejusdem propitiatorium, cujus et arca est, quia videlicet eadem charitatis intentione Filius Dei pro nobis passus, qua et incarnatus est. Propitiatorium namque nobis idem incarnatus Deus est, sed per passionem et mortem suam. Per illam enim propitiatus nobis est Deus, et per illam peccatorum remissionem accipimus; in qua baptizati sumus ut ait Apostolus « quicunque baptizati sumus in eodem Christo Jesu (*Rom.* VI). » Ergo quia nisi Deus incarnatus etiam mortuus fuisset, ipse solus maneret. Post arcæ fabricam, « facies, inquit, et propitiatorium. » Unde? « de auro mundissimo. » Aurum divinæ in Christo substantiæ significat pretium. Signanter et expresse dixit « mundissimo, » quia videlicet ex eo quod Deus ab omni est sorde mundissimus, ex eo, inquam, propitiatorium nobis factus est Christus Dei Filius, ex eo peccata mundi tollere potuit Agnus Dei, « sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus (*Hebr.* VII). » Hoc duo testamenta consonis vocibus cathegorizant, hoc lex et Evangelium uno spiritu, eodemque sensu prædicant. Sequitur ergo : « Duos quoque cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi. » Juxta litteram, qualis factura, qualis vel unde sumpta fuerit cherubim forma, non exprimit Scriptura; creaturæ tamen angelicæ monumentum est, quam fortitudinem cum gladio flammeo atque versatili ante paradisum collocatam in Genesi scriptum est (*Gen.* III), cui licentia pictorum alas effingit, non sine auctoritate Scripturæ præsentis. Videlicet propter velocitatem naturæ spiritualis. Sequitur enim : « Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, et operientes oraculum, » id est propitiatorium. Sequitur adhuc : « Respiciantque mutuo versis vultibus in propitiatorium. » « Respiciant, » inquit, non aspiciant. Nempe et alis propitiatorium operire et mutuos vultus in se convertere, id est non ante se aspicere, sed alam versus caput divertendo, in alterutrum respicere. Porro juxta prædictam exemplarium rationem, duo cherubim, quod nomen *plenitudo scientiæ* interpretatur, duo Testamenta sunt, unde scientiam Dei sitientes haurimus, ubi nihil deest eorum quæ de Deo quærenda vel scienda sunt. Duos ergo, inquit, cherubim aureos et productiles facies. Duo cherubim duo testes sunt, quorum in ore stat omne propitiationis nostræ verbum. Aurei sunt, quia Vetus et Novum Testamentum eadem Dei sapientia vera lucent, eadem simplici veritate descripta sunt, « desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum (*Psal.* XVIII). » Productiles, quia profecto inter tunsiones et pressuras, sancta utriusque Testamenti Scriptura condita est. Expandunt alas

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suas, et oraculum protegunt, quia videlicet humilitatem crucifixi Domini nostri Jesu Christi, a Judaicis vel hæreticis blasphemiis defendunt. Nam Judæi putaverunt « eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LIII), » ipse autem duobus cherubim attestantibus « vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus (*ibid.*). » Mortuus est pro gente, « et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum (*Joan.* XI). » Versis vultibus respiciunt in propitiatorium, quia utraque Testamenta in nullo a se discrepant. Quod enim unum promittit, aliud exhibet, et ita dispositum inter se Mediatorem Dei et hominum vident. Facies a semetipsis cherubim averterent, si quod unum Testamentum promittit, aliud negaret. « Quo operienda est, inquit, arca. » Ergo propitiatorium sublimius quam arca, et ita dictum est, « quo operienda est arca, » ac si diceretur, cui submittenda est arca. Unde Apostolus : « Supraque eam cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium (*Hebr.* IX). » Hic quidem neutro genere « obumbrantia » dictum est. Cæterum masculino genere cherubim enuntiari, ex hoc loco, « duos quoque cherubim aureos et productiles facies, » ex aliis plerisque locis magis patet. Et notandum quam sonora dixit Apostolus enuntiatione, « supraque eam cherubim gloriæ. » Duo nempe Testamenta ubique gloriam Filii Dei spirare sapit quisquis Spiritus sancti delibutus est unctione. Alterum, namque eorum inquit : « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII). » Alterum vero : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I). » In his quidem dictis, nomen quoque, sed ubique in tota serie Scripturarum, res est gloriæ, personantis jugiter consona fide : « Inde præcipiam, inquit, et loquar ad te super propitiatorio, » scilicet ac medio duorum cherubim, qui erunt super aream testimonii. Quid est, « inde præcipiam, et loquar ad te? » Nunquid non aliunde poterit homo responsa Dei percipere? Non utique. Nam nisi per mortem Christi Filii sui parietem inimicitiarum Deus diruisset, non erat accessus homini ad Deum (*Ephes.* II), non erat aliud quod daret homo reconciliationis pretium, per mortem repropitiatoris hujus reconciliati sumus, et perinde reconciliationis spiritum accipimus, de quo alibi Propitiator ipse dicit : « Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos. **227** Si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI). » Ergo quia per illum Paracletum accipimus, qui docet nos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiat nobis (*ibid.*), inde, inquit, præcipiam et loquar ad te cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.

CAPUT VII.

De mensa, quod refectum significaverit ejusdem corporis et sanguinis Domini, et de coronis ejus et circulis, vectibus, vasis quoque ac propositionis panibus.

« Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudinem cubitum, et in altitudinem cubitum ac semissem, et inaurabis eam auro purissimo. » — « Duos, inquit, habentem cubitos longitudinis, » longitudo hæc uni tantum homini assidenti satis expedite accommoda est. « Et in altitudinem cubitum ac semissem; » altitudo hæc paulo sedentis hominis genu supereminet. « Et in latitudinem cubitum, » latitudo hæc oppositum convivam seorsum aut divisive epulantem non sustinet. Quæ est hæc mensa post propitiatorium parata in tabernaculo Domini, nisi mensa corporis et sanguinis Domini, initium habens a passione ejusdem Domini nostri Jesu Christi? Siquidem dum anxiaretur jam venditus, et continuo tradendus, dum tristis esset usque ad mortem anima ejus, dum factus in agonia prolixius oraret, et sudor ejus velut sanguis in terram decurreret (*Matth.* XXVI), interea propitiationis et redemptionis nostræ opifex mensam paravit, accipiendo panem, quem benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite et comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiterque calicem : Hic est, inquiens, calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur (*ibid.*). Hæc mensa Domini est, si tantum fides non desit nostro modulo satis accommoda, sic tamen ut unus assistat pro omnibus, quod jam dictis mensæ illius manufactæ, mensuris significatur. Unus enim est mensæ vel convivii Pater, unus sacerdos sive pontifex noster Christus, et una mensa est, de qua Psalmista : « Parasti, inquit, in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). » « Item : Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corde eorum in sæculum sæculi (*Psal.* XXI). » « Et inaurabis eam, inquit, auro purissimo. » Cur non fusilis aut ductilis est tota ex auro, sed facta de lignis Setim, inauratur auro purissimo? Videlicet quia species utræque panis et vini de terra sumuntur, utræque de communi vel publico hæc granario, illa de apotheca capiuntur. Sed accedit substantiarum atque specierum Creator Deus, atque formator Spiritus sanctus, aurumque Verbi incarnati, aurum Christi crucifixi, mortui ac sepulti atque post gloriosam resurrectionem assumpti in cœlum, ad dexteram Patris, non superficie tenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem et sanguinem ejus convertit, permanente licet specie exteriori. Hic labio confessionis opus est. Sequitur ergo : « Facies illi labium aureum per circuitum, » id est, auri tenuis prominentiam extra tendentem. Et quia corde credenti ad justitiam, et ore confitenti ad salutem (*Rom.* X) præmium tribuitur, ut quod credit, intelligat. « Et ipsi, inquit, labio coronam interrasilem » id est anaglypham vel sculptam, « altam quatuor digitis, » id est palmo, quo donum intellectus mystice significatur. Cubitus enim quem latitudo mensæ non excedit, sex palmorum est, quo numero operatio significatur, ac proinde palmus coronæ, quia septimus est, requiem contemplationis, qua fides remuneratur credentis, recte significat. « Et super illam, inquit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

alteram coronam aureolam. » De hujus coronæ quæ super illam est factura sive mensura, recte Scriptura tacuit, quia videlicet remunerationem, qua ipsa præsens contemplationis quies, vel intelligentiæ dignitas coronanda est, « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isai.* LXIV). » « Quatuor quoque aureos circulos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes, » etc., ut supra de quatuor circulis aureis, per quatuor arcæ angulos dispositis. Sicut enim arca Dominicæ incarnationis, sic et mensa corporis et sanguinis ejus quatuor ubique Evangelii libris defenditur. Et sicut fortes ac perseverantes doctores, incarnationis fidem, sicut et mensæ hujus sacramentum portare, id est prædicare debent, quasi vectes circulis intromissi, id est fortiter sacrorum voluminum semper inhærentes instructioni. « Parabis acetabula et phialas, thuribula ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. » Acetabulum vas duodecim dragmas appendens, cyathus vero decem. Porro phialæ dictæ, quod ex vitro sunt. Vitrum enim Græce phialin dicitur. Sunt autem patulo ore. Nam cyathum econtra constat oris angustioris esse. Quid ergo per phialas, nisi doctrina exuberans, et quid per cyathos, nisi parva atque angusta scientia designatur? Alius namque doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat; per hoc ergo quod dicit, phialam porrigit. Alius explicare quod sentit non potest, sed quia hoc utcunque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id est, in sancta Ecclesia positi, si per doctrinæ sapientiam phialas minime porrigere possunt, in quantum pro divinitatis largitate sufficiunt proximis suis, boni verbi dare cyathos debent. « Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. » Panis propositionis ipse Christus est, sicut catholica tenet fides, quem in conspectu Dei sancta proponit semper Ecclesia. Nam ille panis propositionis qui in typum hujus panis positus est, jam dudum scelere Judæorum pollutus est. Unde per Malachiam prophetam : « Offertis, inquit Dominus, super altare meum panem pollutum (*Mal.* I). » Ac deinceps : « Munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda (*ibid.*). »

CAPUT VIII.

Quod gloriam Christi vel glorificatum Christum significaverit candelabrum, et calami et scyphi, ac septem sphærulæ ejus, septem quoque lucernæ ejus pondus quoque, et ipsa positio ejus.

« Facies et candelabrum ductile, de auro mundissimo, hastile ejus et calamos, scyphos et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur ex lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero. Tres scyphi, quasi in modum nucis per calamos singulos, sphærulæque simul et lilia, » etc. Totam candelabri æque ut cæterorum, quæ præscripta sunt fabrefacturam, Scriptura legentium oculis præsentare laborat, ut quia tota divina, et divino spiritu peracta est, rebus ipsis secundum materiam permanere non valentibus, ipsarum ratione permanente, sit rerum æterna memoria, Sphærularum atque liliorum, in candelabris quæ hodie passim fiunt vel habentur, pauca supersunt vestigia. Nam sphærulæ, id est nodi rotundi in hastilibus, lilia vero in capitibus candelabrorum passim visuntur. Cæterum scyphi, si auctoritate Scripturæ præsentis fierent, vel si usquam fiunt, profecto intuentium oculis, et ipsi operoso decore placent. Sed jam quia sunt exemplaria cœlestium, cœleste ex ipso speculemur candelabrum, id est Christum **228** incarnatum, cujus septem lucernæ septem spiritus Dei sunt, quorum exemplares septem lucernæ fuerunt, quæ sicut sequentia docent, super illud materiale candelabrum positæ sunt. « Facies, inquit, et lucernas septem, ut luceant ex adverso. » Christus ergo super quem « requievit spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini (*Isai.* XI), » ipse est candelabrum cœli, candelabrum et lux mundi, septem ejusmodi semper lucens inextinguibilibus lucernis. Qui propter incarnationis mysterium per arcam, propter passionis et sanguinis sui pretium, per propitiatorium, propter corporis et sanguinis sui sacramentum, quod nobis in cibum et potum tradidit per mensam, ipse propter septiformem spiritum, qui super eum requievit, quemque gloria et honore coronatus, et ad dexteram Patris residens, hominibus dedit, per candelabrum septem lucernarum recte figuratus est. Quare autem « sex calami de lateribus candelabri, » id est, majoris hastilis « egrediebantur? » Videlicet quia hujus nostri candelabri prima claritas, quam novimus, ex eo est quod per illud senario dierum numero cuncta fecit Deus. « Tres ex uno latere, et tres ex altero calami egrediebantur, » quia videlicet tribus primis diebus per verbum suum, mundi fabricam explicuit Deus, diebus autem reliquis tribus implevit illum creaturis mobilibus atque sensibilibus. Quare « et tres scyphi, quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul et lilium? » Videlicet quia et hoc ad claritatem candelabri hujus pertinet, quod nos scientiæ vino inebriat, ut quæ amamus mundi delectamenta obliviscamur. Sphærula quæ ex omni parte volvitur, volubilitatem prædicationis, quam accepimus, ex quo candelabrum istud illuxit, significat; quæ quia nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphærula est. Et bene post scyphos et sphærulas in candelabro lilia ascribuntur, quia post hanc prædicationis ebrietatem atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quæ animabus sanctis quasi æternis vernat floribus. Itaque scyphi et sphærulæ ad laborem, lilia ad retributionem pertinent. Igitur quia et sex diebus omnia per verbum facta sunt, septimus autem dies in quo requievit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus, ipse est Filius, sicut in exordio præsentis operis diximus, recte de uno hastili, id est de uno candelabro, sex calami egrediebantur, et quia quando Verbum ipsum caro factum est (*Joan.* I), quando egressa est virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit, requievit super eum septiformis spiritus Domini (*Isai.* XI), recte nihilominus super candelabrum septem lucernæ dinumerantur. « Ut luceant, inquit, ex adverso, » id est contra mensam; hoc enim postmodum exprimit dicendo : « Et contra mensam candelabrum pones in latere tabernaculi meridiano. » Mensa enim stabat in parte aquilonis (*Exod.* XXXVI). Per hoc mystice innuitur, quia lux candelabri nostri, id est evangelica gratia Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei, ab austro, id est, a magna charitate Dei Patris nobis effulsit, qui eramus in parte aquilonis, illius videlicet, de quo diabolus : « Sedebo, inquit, in monte testamenti in lateribus aquilonis (*Isai.* XIV). » Nobis, inquam, qui eramus aquilonarii, id est infidelitate frigidi, mensa prædicta proposita est, et a meridiana charitate Dei, cœlestis sanctuarii candelabrum Christus effulsit. « Omne pondus candelabri, cum universis vasis suis id est cum emunctoriis, et ubi quæ emuncta sunt exstinguantur, habebit, inquit, talentum auri mundissimi. » Talentum maximum, centum librarum est et viginti : Magnum pondus, grande significat talentum mundi, quod, appensum in libra crucis, appositam lancem prægravando excussit et peccata nostra in mare projecit. Quod quia mundissimum aurum est, id est, quia Deus ab omni sorde mundissimus Christus est, tota in pondere ejus redemptio nostra peracta est. Et quia cum perfectus Deus et homo sit, passionum dolores pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit, recte candelabrum ductile fuit. « Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum fuit. » De hoc jam superius dictum est.

CAPUT IX.

De distinctione vel situ secundi tabernaculi.

(Cap. XXVI.) « Tabernaculum vero ita fiet : Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto variatas opere plumario facies, » etc. Lectionis hujus summam Apostolus ita breviter contingit : « Tabernaculum factum est primum in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua urna habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti. Superque ea cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium (*Hebr.* IX). » Sciendum in primis quia non secundum ordinem lectionis, qua compositio narratur, sed, secundum ordinem ministerii, sive introitus, primum et secundum tabernaculum dixit. Itaque et nunc reciprocando, pauca dicenda sunt de situ, vel positione utriusque tabernaculi, id est incipiendo a fine lectionis, ubi dictum est. « In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti (*Exod.* XXVII). » Prima erat ingrediendi porta atrii, quæ patebat viginti cubitis, et habebat quatuor columnas, quibus dependebat velum viginti cubitis extensum, erectum autem cubitis quinque quatuor illis sæpe commemoratis coloribus, acu picto opere variatum. Hac porta ingrediens, excipiebatur atrio, cujus latera dextera lævaque quindenis cubitis, et ternis columnis porrigebantur introrsus, ut in medium ponerent ostium tabernaculi interioris in ea parte quo perveniebant, sicut in medio ponebant portam atrii ab ea parte unde incipiebant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum, quadratum quinque scilicet cubitis longum et totidem latum. Inter portam et altare spatium erat ubi versabantur qui sacrificia imponebant altari, introrsus vero inter altare et ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare, et inde labrum æneum, ubi manus et pedes lavabant sacerdotes, vel altari in atrio servituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tentoria porro hujus atrii in lateribus ternarum columnarum byssina erant extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis. Ab hoc ergo atrio, intrabatur ostium tabernaculi cum transitum esset altare, et labrum æneum. Quo ostio ingresso, occurrebat velum, quod ad ostium fuerat compositum, in quinque columnis ex centum, variatum illis quatuor coloribus. Transito illo velo excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum, et illud alterum, quod columnis interius quatuor fuerat impositum ex illis quatuor coloribus factum, et separabat inter sancta, quæ forinsecus erant, et Sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat aurea, quæ habebat panes propositionis, in parte aquilonis, et contra eam candelabrum aureum septem lucernarum, in parte austri, huc usque solis sacerdotibus licebat intrare. Interius autem, id est in Sancta sanctorum, ultra velum quatuor columnarum arca erat testimonii deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ legis, et virga Aaron, et urna aurea cum manna, et propitiatorium; desuper autem, ubi stabant duo cherubim alis obumbrantia propitiatorium, et intuentia se invicem et ipsum. Ante arcam vero, id est inter arcam et velum positum **229** erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum, aureum utique appellans, quod erat inauratum : At hæc Sancta sanctorum, nisi summo sacerdoti, non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum, semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, et si forte quando exigebat necessitas pro peccato sacerdotis, aut universæ synagogæ sicut in Levitico scriptum est. Nunc demum a principio rursus ingrediamur cum historica demonstratione, situmque prosequamur spiritualis intelligentiæ.

CAPUT X.

Quod tabernaculum typus Ecclesiæ fuerit, et lex cortinarum quis modus, et quis mysterii habeat.

Tabernaculum vero ita fiet. Post arcæ, propitia-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

torii, mensæ atque candelabri facturam, tabernaculum ut fiat, quod locus ipsorum sit, ordinatur, quia videlicet post incarnationem, passionem, corporis et sanguinis communicationem Christi Filii Dei, factamque per illum missionem Spiritus sancti Ecclesia sancta quæ locus ipsius est, et de antiquis in cœlum collocatur, et de novis hominibus in terram congregatur. Quomodo? Quali institutione vel ordine? Ait : « Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho ac purpura coccoque bis tincto variatas opere plumario facies. » Denarius numerus, secunda unitas est triangula, quod melius arithmeticis notum est. Ergo denarius secunda unitas triangula unam Trinitatis unicæ fidem significat. Et hic cortinarum numerus, Decalogo quo eidem Deo servitur, bene consonat : Porro cortinæ aulæa sunt, id est vela, dictæ autem cortinæ eo quod primitus de corio fiebant. De bysso, inquit, retorta et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto. Byssus quoddam genus est lini candidissimi. Hyacinthus autem ærei coloris est, purpura marini, coccus ignei. His quatuor coloribus præcipuis, illa omnis varietas virtutum designatur, de qua in psalmo canitur : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus (*Psal.* XLIV), » illam denique gloriam quæ ab intus est, quam solus rex Christus, in filia regis sponsa sua videt, textura hujusmodi significat, in eo maxime quod sagis cilicinis subtegenda est. « Variatas, ait, opere plumario, » id est in modum plumæ acu depicto. « Longitudo cortinæ unius habebit viginti et octo cubitos. Latitudo quatuor cubitorum erit. » Latitudinis hujus mensura, longitudinis septima est. Quater enim septem et septies quatuor, viginti et octo sunt. Porro septima passim contemplationis requiem designat. Ergo et ipsæ mensuræ cortinarum quæ sagis operiendæ sunt, illos confirmant ordines Ecclesiæ significari, qui in contemplationis quiete vivunt. « Quinque, ait, cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt. » Quomodo? « Ansulas, inquit, hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari. » Ansulæ hyacinthinæ cœlestia vincula charitatis fraternæ, et quia per fraternam charitatem ascenditur ad Dei dilectionem. « Facies, inquit, et quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. » Circuli namque aurei, vincula sunt divinæ dilectionis, quæ fraternæ dilectioni quasi ansulis inserta hyacinthinis sanctam illam et Deo dignam efficit. Et quia charitas hæc multitudinem operit peccatorum (*I Petr.* IV), bene ansulæ quinquaginta, in singulis lateribus, et quinquaginta circuli habentur, quo numero remissio significatur, et ex lege imperatur. Unde et quinquagesimus annus jubilæus dicitur (*Lev.* XXV), id est dimittens. Pulchra cortinarum varietas, et pretiosa textura est, sed foris relinquenda nuda non est ; nec enim imbrium aut grandinis injuriam sustinet. Sequitur ergo :

CAPUT XI.

De sagis cilicinis undecim easdem cortinas operientibus, et de pellibus arietum rubricatis. Quid per hæc mystice intelligamus.

« Et facies saga undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. » Sic sanctorum vita est clara, sed nisi caute sub præpositorum præsidio quasi sub ciliciis abscondatur, integritatis ejus pulchritudo non servatur. Itaque ut interiora tabernaculi, byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus et purpura pulchris itidem coloribus resplendeant, desuper pelles et cilicia imbrem, ventos et pulverem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despicere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus videant, quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est, quia contra procellas hujus sæculi exterius laborant. Possunt tamen per saga, quæ byssum et purpuram hyacinthum et coccum ne procellarum injuriis pateant subtegunt, sæculares intelligi divites, qui in Ecclesia sunt, qui sanctis, vel in sancto proposito Deo servientibus, ne ullam habeant necessitatem vagandi foris (quod non expedit animabus eorum), necessaria vitæ de facultatibus suis subministrant pro redemptione peccatorum suorum. Unde et undecim saga et cilicina sunt, quia videlicet quod ipsi non diffitentur, præcepta Decalogi transgressi sunt; et idcirco quasi in undenario numero sunt, sed pœnitentiæ quæ per cilicium designatur, dignos fructus facere cupientes, tabernaculum, ut dictum est, protegunt. Sed et ipse tricenus in longitudine cubitorum numerus, qui conjugatorum est, quemadmodum et viduarum sexagenus, et virginum centenus, huic sensui bene concinit. Porro, juxta litteram, vel visibilem tabernaculi facturam, cur undecim saga sint, et cur longitudinem cortinarum binis excedant cubitis, mox sequentia declarant : « Quinque, ait, junges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. » Et paulo post : « Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi. » Medietas sagi duo cubiti sunt secundum latitudinem, quæ est quatuor cubitorum. Non ergo sagum unum scindendum erat a capite usque deorsum, ut una pars in fronte tecti ducti duplicaretur, reliqua vero posteriora tabernaculi operirentur. Non utique, sed undecim hoc sagum, ut quoniam decem tantummodo cortinæ sunt superextento sagorum operimento, quatuor exuberent cubiti, qui sunt unius sagi latitudo. Ita ergo sagorum conjunctorum extensio moderetur, ut in fronte duo cubiti descendant, qui et in sinum reducti, duplicentur ; duo vero nihilominus in posteriora tabernaculi, ad protegenda demittantur. Nam et in utraque latera tabernaculi bini qui supersunt in longitudine sagorum, ultra longitudinem cortinarum dispertiuntur cubiti. Ait enim : « Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est in longitudine sagorum, utrumque latus tabernaculi protegens. » Totum hoc mystice ad prædictum re-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fertur sensum, quia videlicet vita spiritualium, ut quieta sit, quæ per pulchritudinem **230** signatur cortinarum, undique subsidiis indiget sæcularium fidelium. Hoc præsenti loco prætercundum non est saga de pilis facta esse caprarum, unde et postmodum Scriptura dicit : « Fecit ergo Beseleel saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi (*Exod.* xxxvi). » — « Facies et quinquaginta ansas more sagi unius, » etc., ut supra, nisi quod neque ansæ hyacinthinæ, neque fibulæ dicuntur aureæ, sed æneæ, quia videlicet fideles, qui in sæculo sunt vel quorumcunque auxilio vita spiritualium in exterioribus juvatur, eadem firmatur dilectione, et si non eadem fulget cœlestis sapientiæ claritate. « Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus. » Rubeus sive hyacinthinus color, pellibus arietum non per naturam adest sed per industriam affertur. Bene ergo per hæc fidelis sæcularium concordia designatur, qui virtutum copiam, non quidem actu habent, sed in eis qui habent et ipsi amando possident. Hinc namque illud in psalmo quod cum præmissum esset : « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem (*Psal.* cxxi), statim, subjunctum est, « et abundantia diligentibus te (*ibid.*). » Abundat enim spiritualibus bonis Jerusalem, id est anima sancta, quæcunque suam quærit pacem, Deumque videt per contemplationem. Qui autem non eodem proposito stabilitus, amat sic incedentem, perfruitur et ipse abundantia cum eadem Jerusalem. Et notandum, secundum litteram, quia prout quæque viliora vel minus operosa sunt, ita quæque in tabernaculo superiora et tempestatibus viciniora sunt. Nam post cortinas saga cilicina, deinde pelles arietum rubricatas, ac deinde pelles habet hyacinthinas.

CAPUT XII.

De tabulis tabernaculi stantibus, et connexione ac basibus illarum, et de vectibus eas continentibus, quid per hæc spiritualiter intelligatur.

« Facies et tabulas stantes tabernaculi, de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem. » Tabulæ in tabernaculo stantes, prælatos significant in Ecclesia præeminentes, scilicet simplicitate decoros, prudentia tutos, in sæcularibus providos, in divinis rebus consideratos. In tabulis enim, neque decor cum teneritudine ut in cortinis, neque munimentum est cum squalore, ut in sagis. Prælatos ergo recte designant, qui neque curam subditorum propter amorem cœlestium, nec cœlestium contemplationem negligere debent propter temporalem subditorum curam. Minuitur tamen illis quies contemplationis propter studium operationis. Unde et recte denos in longitudine cubitos, absque diminutione; in latitudine autem singulos ac semissem habent. Quod cadit in semissem, integri vel totius non significat plenitudinem. « In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur. » Connexio tabularum; compaginatio charitatis est, rectoribus Ecclesiarum necessaria, ut fiat quod per Apostolum dictum est, « ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata (*I Cor.* i). » — « Viginti, inquit, erunt in latere meridiano : similiterque in latere secundo, quod vergit ad aquilonem. » Quia tabulæ stantes sunt, et habent in latitudine singulos, ac semissem, profecto triginta cubitorum constat esse utriusque tabulati longitudinem, et non pertingit usque ad extenti desuper tecti quantitatem, quadraginta cubitos longitudinis explicantem, secundum numerum vel extensionem decem cortinarum, quarum singulæ quatuor in latitudine cubitorum erant. Binæ bases singulis tabulis suppositæ fundamenta sunt apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II), quorum fidei sive auctoritati totum ædificii tentorium innititur spiritualis. Quæ et argenteæ dicuntur. Quid enim per tabularum bases argenteas, nisi prophetica fidei signantur eloquia? Dum enim primi aperte de Dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases, eos conspicimus a fundamento consurgere, et superpositæ fabricæ pondera sustentare. Unde et conjunctæ binæ et bases singulis tabulis supponuntur, qui dum prophetæ sancti in verbis suis, de mediatoris incarnatione concordant, subsequentes prædicatores Ecclesiæ indubitanter ædificant, ut cum a semetipsis non discrepant, illos robustius figant. Nec immerito bases ex argento fundi jubentur. Argenti quippe natura ex usu servatur, sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta ante Mediatoris adventum, quia in usu spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant. At postquam Mediator veniens ea ante oculos nostros incarnationis suæ manutersit, quidquid lucis in eis latebat inclaruit, sensusque Patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit. « Ad occidentalem vero, inquit, plagam tabernaculi facies sex tabulas, et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. Et erunt simul tabulæ octo. » Per octo tabulas ad occidentalem plagam sic positas, recte octo beatitudines intelligimus post finem præsentis vitæ digne merentibus successuras. « Duabus, ait, tabulis quæ in angulis ponendæ sunt; similis junctura servabitur, » quia videlicet duabus beatitudinibus primæ et octavæ eadem positio gloriæ, id est, promissio regni cœlorum servatur. Istis quoque tabulis, binæ bases singulis supponuntur, quia profecto beatitudinum earumdem spes tam prophetica quam evangelica vel apostolica fide solidatur. Porro, juxta historicam positionem duas tabulas in angulis post tergum tabernaculi erectas, ad quid nisi ad ornatum valere arbitremur? « Facies et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam, » etc. Tabulæ ut stare possint, gemino basium scilicet atque vectium robore fulciuntur, quia videlicet Ecclesiæ rectores apostoli vel apostolici viri tam spiritualium quam et carnalium præsidio necessario fulciuntur. Sicut enim per bases eloquia prophetica signantur, quorum cum auctoritate spiritualia semi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nant, sic per vectes divitum atque potentum subsidia recte figurantur, de quorum abundantia carnalia metunt. Qui et ipsi æque ut tabulæ auro vestiuntur, quia profecto potentes sæculi homines, qui quasi tabulis per annulos aureos inseruntur, ut eas contineant dum prædicatoribus fidei per eamdem fidem communicantes necessaria ministrant, ipsorum mercede remunerari jure creduntur. « Qui enim recipit prophetam, ait Dominus, in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* x). » Et recte quidem vectes in singulis lateribus et ejusdem numeri ad occidentalem plagam mitti jubentur, quia videlicet carnales homines, quantum in hoc sæculo divites sunt, tantum in quinque solis sensibus corporalibus, et in his quæ per ipsos sunt transigenda magis occupantur.

231 CAPUT XIII.

De tabernaculo, et velamento dividente inter primum et secundum, quod dicitur Sancta sanctorum, et quod sinum ejus, vel ritum Apostolus dicat fuisse parabolam.

« Facies et velum de hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario, et pulchra varietate contextum, quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, » etc. Hactenus per compositionem tabernaculi sermo properantior cucurrit, nunc demum ad capitulum Apostoli superius memoratum redeundum est. « Tabernaculum, inquit, factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum (*Hebr.* IX), » etc. Post velamentum autem quod illic memorat, istud est, de quo præsenti loco Dominus : « Facies, inquit, et velum de hyacintho, et purpura coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario, » etc. « Post velamentum, quod ait secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti, superque eam cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium, » idem quod hic dicitur, « intra velum pones arcam testimonii ex quo sanctuarium sanctuarii et sanctuaria dividuntur : pones et propitiatorium super arcam testimonii in sancta sanctorum. » Porro, quod ait idem Apostolus, in primo tabernaculo « erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta, » id est, quod hic subjunctum est, « mensamque pones extra velum, et contra mensam candelabrum. » Sequitur, dicens : « Facies et tentorium in introitu tabernaculi, et de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario, et quinque columnas deaurabis, lignorum setim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea, et bases æneæ. » Itaque mensa, et propositio panum, candelabrumque inter duo vela posita erant : arca autem et propitiatorium, cum duobus cherubim ultra velum secundum. Sequitur adhuc :

(Cap. XXVII.) « Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum et tres cubitos in altitudine. » Itaque ternaria hæc positio diligenter distinguenda est. Primo, ut superius jam dictum est, ingredienti altare sacrificiorum, deinde transito primo velo, primum id erat tabernaculum, in quo mensa et candelabrum, transitoque rursus velo altero, secundum id erat tabernaculum, in quo erat arca et cherubim obumbrantia propitiatorium. Et forte quærat quis quid fuerit propitiatorium? Profecto cum aureum illud Dominus jusserit fieri, ejusque longitudinem et latitudinem, quantam et ipsius arcæ Scriptura expresserit, de altitudine vero tacuerit, velut tabula aurea tantæ formæ intelligenda est, qua possit arca contegi. « His ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua et populi ignorantia (*Hebr.* II), » hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, etc. Igitur parabolicam istam Spiritus sancti significationem, ipso juvante, breviter discutiamus.

CAPUT XIV.

Quid sit mystice tabernaculum secundum, et quid ejus structuræ significent.

Tabernaculum secundum, in quo erat arca, superque eam cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, mystice illud est in quod introivit Jesus tabernaculum non manu factum, sancta non exemplaria verorum, sed ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis (*Hebr.* IX). Nam in eo quod semel in anno solus pontifex introibat, non sine sanguine, quem offerret pro sua et populi ignorantia, hoc significabat Spiritus sanctus, quod nunc semel Christus in consummationem sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata (*ibid.*), secundo sine peccato apparebit, exspectantibus se in salutem per fidem. Columnæ quatuor quæ illic factæ sunt, bases argenteas, et capita habentes aurea, quatuor præfiguraverunt Evangelia, prædictum pontificis Christi introitum concorditer attestantia, quorum sermo, dum cum prophetica veritate consonat, veramque humanitatem atque gloriosam unius ejusdemque divinitatem Christi prædicat, veraciter columnæ bases argenteas et capita habent aurea. Velum ante dependet, quia videlicet nondum videmus « sicuti est (*I Joan.* III). » — « Per fidem enim ambulamus, et non per speciem (*II Cor.* V), » per fidem tenemus, quia propitiatorium illic est Jesus Christus, « qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est a dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII). » Unde Propheta in psalmo : « Quia apud te propitiatio est (*Psal.* CXXIX). » Thuribulum quoque illic est, scilicet, suavissima nostræ reconciliationis memoria, jugiter apparentibus vulnerum cicatricibus, quæ pro nobis pertulit Dei Filius in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

carne nostra. Illic arca est vera, scilicet carnis nostræ, quæ de Virgine sumpta est, et in cruce pependit substantia, virtute resurrectionis nullatenus absumpta, sed tantum in gloriam immortalitatis atque incorruptionis immutata, habens virgam, et manna et tabulas testamenti. Virgam, id est potestatem Patris super omnia opera de qua dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Manna, id est gratiæ dulcedinem : « hunc enim Deus suscitavit, et principem ac Salvatorem exaltavit, » ait apostolus Petrus protinus subjungens, « ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum (*Act.* V). » Tabulas testamenti, id est librum judicii, de quo Daniel dicit : « Judicium sedit, et libri aperti sunt (*Dan.* VII). » Nam de his, quæ in libris testamenti sunt scripta, futurum est judicium, et aperiendæ sunt conscientiæ singulorum. Unde nec duo cherubim illic desunt, per quos intelligimus ea quæ per duo Testamenta nobis prædicata sunt, misericordia scilicet et judicium. Nam « universæ viæ Domini, misericordia et veritas (*Psal.* XXIV), » mutuo se respiciunt versis vultibus in propitiatorium, et in eo totum est negotium, ut « misericordia superexaltet judicium (*Jac.* II). » Hæc omnia per fidem tenemus, et nondum per speciem videmus, recte velum ante columnas appenditur.

232 CAPUT XV.

De tabernaculo primo, quod præsentem significaverit Ecclesiam, et quid in eo mensa et candelabrum, quid quinque columnæ, et quid quod ante illas dependet velum.

Tabernaculum quod deinde, juxta descriptionem secundum, juxta ordinem ingrediendi primum est, ut Apostolus ait (*Hebr.* IX) præsentem significat Ecclesiam. Illic mensa est et contra mensam candelabrum. Etenim in hac Ecclesia, imo in hac Ecclesiæ peregrinatione, et tabernaculo ejus temporali mensa est Domini, parata laborantibus in agone certaminis, mensa geminæ refectionis. Nam hic propositus est panis, id est Scriptura sancta, quæ magna verbi Dei copia mentem reficit, et panis corporis ejus, et calix sanguinis quem de sancto altari Christianus ad vitam æternam sibi profuturum percipit. Candelabrum quoque hic est, et digne convivantibus lucet, videlicet Christus, qui dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Semel candelabrum istud, ob testimonium pœnitentiæ suæ, lucernarum suarum flammam visibiliter quoque ostendit, tunc scilicet quando jam assumptus in cœlum, Spiritum sanctum, quo apostolos illuminaret, palam in linguis igneis demonstravit (*Act.* II). Et notandum quia mensam in parte aquilonis, candelabrum autem in latera tabernaculi meridiano Dominus stare jussit (*Exod.* XXVI). Ad nos enim qui eramus pars aquilonis, id est regnum diaboli, infidelitate frigidi, et a Deo alieni, mensa Domini porrecta est, et contra tenebras nostras meridianum gratiæ candelabrum Deus posuit, ut edamus et bibamus, pariterque in lumine ambulantes decantemus : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII). » Item : « Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es (*ibid.*). » Quinque columnæ in ingressu hujus tabernaculi, quinque libri Moysi sunt, Ecclesiæ præsenti perhibentes testimonium. Bases columnarum æneæ vilem significant litteraturam Scripturæ Mosaicæ. Nam capita columnarum aurea excellentem designant gloriam spiritualis intelligentiæ. Qui sensu parvuli sunt, bases tantum æneas attingere, id est non valde nobilem litteram legere possunt ; qui autem viri proficiendo facti sunt, aurum attingunt, id est capita columnarum, dum occidentem negligentes litteram, extendunt se ad vivificantem spiritum (*II Cor.* III). Velum, quod ante columnas dependet, velamen est, quod nobis quidem in passione Christi scissum, Judæorum autem cordibus superpositum est. Idcirco nobiscum non ingrediuntur, quia quod in columnis, id est in libris Moysi rutilat aurum, obstante velamine, videre non merentur.

CAPUT XVI.

De altari, quod extra positum, Judæorum temporale significaverit ministerium.

Altare quod extra positum est, Judæorum est ministerium, sanctum quidem antequam Christus qui per hoc promittebatur veniret ; nunc autem ex quo ille sancta sanctorum ingressus est, cum ministris suis, eum non sequentibus reprobatum, et velut immundum abjectum est. Habuit quidem prius hoc justificationes culturæ, et sanctum sæculare, sed non poterat « juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis et potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis (*Hebr.* IX), » nunc autem ex quo tempus correctionis advenit, servientem in supradictis, non solummodo perfectum facere non potest, sed nec ullius boni, saltem initium est, imo et cum Apostolo detrimenta reputandum, et ut stercus abjiciendum est (*Phil.* III). Proinde nos atrium ingressi patriarcharum, fiducialiter altare illud præterimus, et ultra velum ingredimur bases æneas columnarum aspernantes et aurea capita gratanter aspicientes, id est occidentem legis litteram relinquentes, et vivificantem spiritum amplectentes, atque inde ad mensam Domini fideliter accedimus, ubi non carnes taurorum immolantur, aut sanguis hircorum potatur, sed panis vitæ æternæ, quod est corpus Christi propositur, et calix salutis perpetuæ qui est sanguis ejusdem Christi Filii Dei libatur, tandem illud cœleste sanctuarium ingressuri, quo præcursor pro nobis Christus idem pervenit.

CAPUT XVII.

Per atrium tabernaculi cum paxillis suis, columnas quoque cum basibus et capitibus earum, mystice fidem vel vitam intelligi Patrum, qui ante legem fuerunt.

Atrium tabernaculi patriarcharum et sanctorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

omnium qui ante legem fuere, latitudinem et vitam non eatenus legis Scriptura districtam designavit. Nam et paxilli ænei, qui per gyrum dispositi quidem non aliud quam patriarcharum fidem significant, sine qua nec atrium, nec tabernaculum stare, vel sanctum esse possit. « Centum, inquit, cubitos unum latus tenebit in longitudine ad austrum : similiterque in latere aquilonis tentoria centum cubitorum, in latitudine vero ad occidentem quinquaginta nihilominus ad orientem in latitudinem tentoria cubitorum quinquaginta. » Centenarius longitudinis numerus tertia unitas tetragona, decies enim decem centum sunt, longanimem fidem, longanimem significat patriarcharum spem more quadrati lapidis, ubique tam in adversis quam in prosperis constantem. Quam illorum longanimitatem, Apostolus pia consideratione pensitans, « juxta fidem, inquit, defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus, sed longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram (*Hebr.* xi). » Ergo tabernaculi veri, cujus hoc exemplar est, principes sunt. Unde et protinus idem Apostolus : « Qui enim, inquit, hæc dicunt, significant se patriam quærere (*ibid.*). » Et paulo supra : « Exspectabant, ait, fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus (*ibid.*). » Itaque et secundum illos Patres in tabernaculis, sive in casulis propter spem futuræ civitatis commorantes cœleste tabernaculum de virtutibus compactum isto exemplari, quod Moyses fecit, prius est. Latitudo decem cubitorum, longitudinis prædictæ est medium ipso quinquagenario numero futurum præsignans jubilæum, quia videlicet per latitudinem charitatis Abraham, Isaac et Jacob in repromissionem jubilæum, id est remissionem peccatorum acceperunt per Christum et benedictionem omnium gentium. Ad hanc illorum perfectionem speciat numerus sexaginta columnarum. Nam in meridiano latere viginti et in aquilonari item viginti et in occidentali latitudine decem columnæ (167) sexaginta sunt. Qui numerus ex senario, denarioque compositus, bene perfectionem significat eorumdem Patrum qui legem scriptam non habentes Decalogum tamen legis bene et perfecte operando laudabiliter adimpleverunt. Attamen omnes **233** columnæ atrii, bases habentes æneas, et capita argentea cunctis, quæ in tabernaculo erant, minus insignes exstiterunt. Sed discretis mentibus, non eo despicabiles antiqui Patres qui ante legem fuerunt videantur, quod quædam quæ in lege prohibenda erant ipsi admiserunt, verbi gratia, quod Abraham uxorem habens Saram, de concubina Agar genuit filium, vel quod Jacob duas sorores in unum duxit conjugium. Nam hoc pacto, columnæ quidem minus speciosæ sunt, nec enim tale quid trahendum est in exemplum, sed in eo satis excusantur, quia nihil horum fuerat lege prohibitum.

(167) *Addendum puto*, ac totidem in orientali.

CAPUT XVIII.

Quod introitus tabernaculi ab una tantum parte, id est ab oriente fuerit, ipsique autem sanctæ Trinitatis, quam legimus in Apocalypsi a quatuor partibus trinæ portæ sint.

« In ea atrii longitudine quæ respicit ad orientem quinquaginta cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres, et bases totidem. » Patet littera, quia ab oriente introitus in atrium, et inde in tabernaculum per quindenos cubitos, ternasque hinc inde columnas porrigitur. Et videtur in hoc exemplaris sive cœlestium ratio deficere. Nam ubi de cœlestibus manifeste loquitur spiritus, ita præmittens : « Et ostendit mihi civitatem Hierusalem sanctam, descendentem de cœlo a Deo habentem claritatem Dei (*Apoc.* xxi), » paulo post ita subjungit : « Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres (*ibid.*). » Hic autem ab oriente tantum in quatuor columnis introitus patet. Sequitur enim : « In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti. Columnas habebit quatuor cum basibus quatuor. » Adde quod ab oriente captato introitu, facies introeuntis in occasum spectat, quo nihil boni significatur. Igitur quoniam et altare, ad quod primum per ipsum introitum pervenitur, totusque ordo ejus antiquari, et senescere habebat, et interiturum erat, in occasum situs ejus vergebat, portarum quoque non miranda nobis diversitas, scilicet quod in hoc typicum et umbraticum tabernaculum, ab una parte introitus patebat, per quatuor columnas velum habens altitudinis quinque cubitorum; in ipsa autem cœlestia sancta, quorum hoc erat exemplar a quatuor mundi partibus eadem introeuntibus facultas per ternas, ut prædictum est, offertur portas. Nam et ille populus, qui hoc usus est exemplari, justitiam præsumit ex operibus legis; vocatio autem cunctarum gentium, ad vera tendens et cœlestia sancta, solam quærit justitiam fidei, baptismum vocantis Christi suscipiens, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

CAPUT XIX.

Quod illa Dei civitas lucerna Scripturarum non egeat; et idcirco lucerna non intra, sed extra velum ardere jussa est.

« Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum, purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii extra velum, quod opponsum est Testimonio, et collocabunt eam Aaron et filii Israel, ut usque mane luceat coram Domino. » Res postulare videretur, ut in eo quod sacratius erat, idem in secundo tabernaculo juxta velum lucerna semper arderet cultu perpetuo. Quid ergo nisi mysterium, et in hoc ritu propositum est, videlicet quia in illis sanctis non manufactis, quæ Jesus semel introivit, lucerna opus non est? Sic enim in Apocalypsi de illa sancta et æterna civitate dicit Joannes : « Nam claritas Dei

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

illuminabit eam, et lucerna ejus Agnus est (*Apoc.* XXI). » Igitur extra velum in priore tabernaculo semper ardeat lucerna coram Domino usque mane cultu perpetuo, id est in præsenti Ecclesia luceat quisque fidelium ea quæ habet Spiritus sancti gratia, ut videant homines eorum opera bona, et inde aperiant oculos suos ad glorificandum Patrem qui in cœlis est (*Matth.* V). Nam hæc intentio charitatis oleum purissimum est pilo contusum, id est propter ædificationem proximorum sponte laboribus pressum. Collocabunt eam, inquit, Aaron et filii ejus, videlicet, qui legitimi sunt sacerdotes Domini, jure successionis. Etenim veræ charitati studere atque in operibus bonis, non suam, sed Dei gloriam quærere, id plane est dignum, atque legitimum Deo sacerdotem esse. Ad hujusmodi lucernam collocandam, Paulus dilectum discipulum commonebat, cum diceret : « Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum (*II Tim.* I). »—« Ardeat, inquit, usque mane, » id est, usque ad finem præsentis vitæ : Nam in ipso die lumine lucernæ non indigebimus, quando « sicut est (*I Joan.* III), »—« et facie ad faciem videbimus (*I Cor.* XIII). »

CAPUT XX.

De vestibus sacerdotalibus.

(Cap. XXVIII.) « Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab et Abiu, Eleazar, et Ithamar : faciesque vestem sanctam fratri tuo in gloriam et decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi, » etc. Venimus ad sacerdotalia vestimenta, quæ et primum more Judaico simpliciter exponenda sunt, et deinde singillatim mystica scrutanda est intelligentia. Porro non eodem ordine hic descripta sunt quo in vestiendo sacerdote summuntur. Nam feminalia linea, quibus operitur primum carnis turpitudo, postremo in hac descriptione posita sunt, et econtrario rationale, quo præter laminam auream, in pontificis fronte ligandam, nihil sanctius in vestibus erat, primum designatum est. Ait enim : « Hæc autem erunt vestimenta, quæ facient : rationale et superhumerale, tunicam lineam, et strictam, cidarim, et balteum. » Et post multa : « Facies, ait, et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, » etc.

CAPUT XXI.

Quatuor colores, hyacinthum, purpuram, coccum, et byssum, qualiter Hebræi interpretentur, et de textura superhumeralis, et rationalis.

« Facient autem superhumerale de auro, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta opere polymito. » Quatuor colores toties in hac Scriptura compositos, Hebræi ad quatuor elementa referunt, ex quibus universa subsistunt. Byssus aiunt terræ deputatur, quia ex terra gignitur. Purpura mari, quia ex ejus concheolis tingitur. Hyacinthus aeri, propter coloris similitudinem A Coccus igni et ætheri. Et justum esse commemorant, ut 234 pontifex Creatoris, non solum pro Israel, sed pro universo mundo roget. Siquidem et terra, et aqua et aere, et igne, mundus iste consistit, et hæc elementa sunt omnium : « Facies, inquit, superhumerale de auro et hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito. » Sciamus hoc vestimentum esse pontificis, et apud Hebræos ephod appellari. Nec enim statim illud occurrit quod Samuel qui levita fuit scribitur, in libro Regum, primo habuisse ætatis adhuc parvulæ, ephod (*I Reg.* II), id est superhumerale lineum, cum David quoque ante arcam Domini idem portasse referatur (*II Reg.* VI). Aliud est enim ex quatuor prædictis coloribus, id est hyacintho, bysso, B purpura coccoque, et ex auro habere contextum; aliud in similitudinem sacerdotum simplex et lineum. « Duas, inquit, oras habebit junctas in utroque latere summitatum, ut in unum redeant, ipsaque textura, et cuncta operis varietas, erit ex auro et hyacintho, » etc. Auri, inquit, laminæ, id est bracteæ mira tenuitate tundantur, ex quibus secta fila torqueantur sub tegmine trium colorum hyacinthi, cocci, purpuræ, et cum stamine byssino, et efficiatur palliolum miræ pulchritudinis in modum caracallarum, præstringens fulgore oculos, sed absque cucullis, junctas habeat oras in utroque latere summitatum, ut in unum redeant. « Sumesque duodecim lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide uno, et C sex in altero. » Ut videlicet pontifex ingrediens sancta sanctorum nomina populi, pro quo rogaturus est Dominum, portet in humeris. Hoc nempe est quod subjungitur : « Et pones in utroque latere superhumeralis memoriale filiis Israel, portabitque Aaron nomina eorum coram Domino « per utrumque humerum ob recordationem. Rationale quoque Judicii facies opere polymito, juxta texturam superhumeralis, » etc. Patet litteræ superficies, et scire volentibus omnium positionem, id est, superhumeralis, rationalis, tunicæ hyacinthinæ cum tintinnabulis ac malis punicis aureis, tunicæ quoque lineæ et baltei, tiaræ quoque, et quod omnium sacratissimum est, laminæ aureæ super tiaram imminentes fronti pontificis. Hæc, inquam, scire volentibus, descriptio litteralis est in promptu, qua planiorem descriptionem explicare non possumus. Proinde mysticas jam singulorum rationes subnectimus, sicut a Patribus editæ sunt, primum secundum Hebræos, deinde secundum ecclesiasticos.

CAPUT XXII.

Quæ singulorum vestimentorum mystice ab Hebræis tradita sint.

Primum lineum vestimentum, aiunt, terram significat, secundum hyacinthinum aerem, in color demonstrans, quia de terrenis paulatim ad excelsa sustollimur. Et ipsa vestis hyacinthina, a capite usque ad talos veniens, indicat aerem de cœlis usque ad terram fusum. Mala autem punica et tintia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nabula in inferioribus posita fulgura tonitruaque demonstrant, sive terram et aquam, et omnium elementorum inter se consonantiam, et sic sibi universa perplexa, ut in singulis omnia reperiantur. Quod autem supradicti colores auro intexti sunt, id significari volunt quod vitalis color et divini sensus providentia universa penetret. Superhumerale et duos lapides, vel smaragdos, vel onychinos qui desuper sunt, et utrumque humerum tegunt, duo hemisphæria interpretantur, quorum aliud super terram, aliud sub terra sit, sive solem et lunam, quæ desuper rutilant. Zonam illam qua sacerdotis pectus arctatur et linea tunica, id est terra constringitur, interpretantur Oceanum. Rationale in medio positum terram edisserunt, quæ instar puncti, licet omnia in se habeat, tamen a cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menses et singulis versiculis, singula astringunt tempora, et his ternos deputant menses Nec alicujus gentilis videatur expositio. Non enim cœlestia et Dei dispositionem, idolorum nominibus infamarunt, idcirco Dei neganda est providentia, quæ certa lege currit, et ferior, et regit universa. Nam et in Job arcturum, et orionem, et mazaroth (*Job* IX), hoc est zodiacum circulum, et cætera astrorum nomina legimus, non quo eadem apud Hebræos vocabula sint, sed quo non possumus nos quæ dicuntur, nisi consuetis vocibus intelligere. Pulchre autem hoc ipsum, quod in medio est, appellatur rationale. Ratione enim cuncta plena sunt, et terrena hærent cœlestibus, imo ratio terrenorum, et temporum, caloris, et frigoris, et duplex inter utrumque temperies de cœli cursu, et cœli ratione descendit. Unde et rationale cum Ephod fortius stringitur. Porro quod dicitur, « pones in rationali judicii doctrinam et veritatem, » hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit, sed et ipsa veritas multis signis et argumentis monstretur hominibus, et usque ad mortales veniat. Unde factum est ut rationem solis et lunæ, et anni, et mensium, et temporum, et horarum, tempestatem quoque serenitatis, et ventorum, et rerum omnium nosceremus, accipientes a Deo insitam sapientiam, et ipso habitatore, atque doctore domicilii sui; atque nobis et fabricæ scientiam demonstrante. Super omnia cidaris et vitta hyacinthina cœlum monstrat et auri lamina, quæ in fronte pontificis est, inscriptumque nomen Dei universa, quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernari. Idipsum arbitramur sub aliis nominibus, et in cherubin, et in quatuor animalibus figuratum, quæ ita sibi permista sunt, et hærent, ut in uno inveniantur et reliqua, et quod instanter ante se vadant et non revertantur. Labuntur enim tempora, et præterita relinquentia ad futura festinant. Quod autem semper in motu sunt, illud significat, quod et philosophi suspicantur mundum currere suo ordine, et incessabiliter velut rotam in suo ordine torqueri (*Ezech.* I). Unde et rota in rota est, id est tempora in tempore, et annus in semetipsum revolvitur, et ipsæ rotæ elevantur in cœlum, et super crystallum thronus ex sapphiro est, super thronum similitudo sedentis, cujus inferiora ignea, superiora electrina sunt, ut demonstrent quæ inferiora sunt, igne, et purgatione indigere, quæ sursum sunt in conditionis suæ puritate consistere. Et quomodo in sacerdotis habitu auri lamina est desuper, ita Ezechiel electrum in pectore et in vertice collocatur (*ibid.*). Justum ergo erat, sicut, ex parte supra diximus, ut pontifex Dei, creaturarum omnium typum portans in vestibus suis indicaret cuncta indigere misericordia Dei, et cum sacrificaret ei, expiaretur universalis conditio: ut non pro liberis ac parentibus, et propinquis, sed pro cuncta creatura, et voce et habitu precaretur. De feminalibus lineis hoc solent dicere. Ratio seminum, et generationis ad carnem pertinens, terræ per eam deputatur. Unde et Adam loquitur Deus: « Terra es et in terram ibis (*Gen.* III). » Causasque hujus rei, quomodo vel de parvulo semine, et fœdissimis initiis tanta hominum vel diversarum rerum pulchritudo nascatur, esse obvolutas et humanis oculis non patere.

235 CAPUT XXIII.

De Pontifice magno Jesu Christo, et spirituali ejus indumento per Aaron vestes mystice intelligendo.

Et Hebræi quidem non tam Dei, quam suo spiritu, vel ingenio legis periti, et cœlestia nescientes, quorum secundum exemplar, etiam hæc fieri jussa sunt, sicut toties Dominus repetens, facies (inquit), juxta exemplum, quod tibi in monte monstratum est: talem de vestimentis sacerdotalibus rationem ediderunt. Nos autem qui prædicta cœlestia et fide credimus, et scientia jam ex parte novimus, hæc eadem altius interpretamur. Unum pontificem magnum Jesum Christum, pontificem cœlestem et verum intueamur, cujus in habitu cœlesti, hæc esse completa non dubitamus, quem et imitari oporteat nos, ut simus regale sacerdotium, et gens sancta. Femoralia linea sacerdotis magni, decus significant incarnationis sanctæ Christi Filii Dei, qua præornata est natura nostra ignobilis; et plaga peccati originalis foliis ficus in Adam infeliciter contecta in isto exclusa est; non enim de ulcerosa libidine ut nos, ita et ille conceptus est, sed de munda et simplici virgine, byssum retortam, id est, candidi et incoinquinati corporis decorem induit et fortitudinem, unde et corporis sui, quod est Ecclesia, verecundiam, scilicet originale peccatum operuit. De hoc vestimento ejus Joannes in Apocalypsi: « Et habet, inquit, in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex Regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XIX). » Tunica deinde linea stricta, id est, subucula, quam vulgo camisiam vocant, nova est ejusdem cœlestis hominis vita, quia videlicet sicut novo et insuitato ordine conceptus et natus, sic nova et veteri vitæ contraria pulchritudine inter homines conversatus est. Balteus circa renes fortitudo Divinitatis est, per quam commoveri non potuit. Unde et in psalmo cum dixisset: « Insuper et usque ad

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

noctem increpuerunt me renes mei (*Psal.* xv), » continuo subjunxit : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. » Etenim sic ille cognovit figmentum nostrum, et ita usque ad noctem, id est, usque ad mortis tribulationem sui renes increpuerunt eum, ut experimento sciret, id quod nullo unquam passibili modo titillatus est, non ex ipsa carnis natura, sed ex divinitate esse, quæ a dextris erat. Unde verissime Apostolus dicit : « Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IX). » Denique ex eo didicit compati infirmitatibus nostris, quoties tentamur a renibus nostris, quia sic aliis infirmitatibus tentatus est, sicut et tentatione peccati tentatus fuisset, si non esset Deus, quod non sumus nos. Tunica hyacinthina cum tintinnabulis et malis punicis, vita vel conversatio gloriosa est ejusdem pontificis nostri Domini Jesu Christi a baptismo Joannis. Ex tunc enim tintinnabulis cœpit perstrepere, id est, aperta et publica prædicatione personare malis punicis intermicantibus, id est, miraculorum operibus per singula pene verba concurrentibus. Ipse color tunicæ hyacinthinæ, cœlestem eorumdem operum ejus exprimit dignitatem. Unde et dicitur in Canticis : « Manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis (*Cant.* v). » Illic in manibus, hic in vestitu, secundum hyacinthi colorem aereum ejus, ut dictum est, opera designantur, qui non de terra est, neque de terra loquitur, sed de cœlo venit, et super omnes est. Et bene per tunicæ circuitum deorsum ad pedes mala rubent, et tintinnabula concrepant in ingressu sanctuarii, quia videlicet maxime in fine vitæ mortalis operosa claruit dilectio, vel doctrina Redemptoris. « Cum enim, inquit Evangelista, dilexisset suos qui erant in mundo, in finem quoque dilexit eos (*Joan.* XIII). » Tintinnabula, id est, dilectionis præcepta, quibus in illa cœna personuit, totus mundus audivit : et mala rubentia, scilicet vitæ æternæ fructum, de illo ingressu ejus in cœleste sanctuarium, totus orbis consecutus est. Superhumerale hujus pontificis, obedientia charitatis est, quia idem Christus Filius Dei portandis, imo tollendis peccatis nostris humeros suos supposuit, et cum illis in crucem ascendit. Nam « Dominus, inquit Propheta, posuit in eo iniquitates omnium nostrum (*Psal.* LIII). » Et bene ex quatuor coloribus supradictis, qui quatuor respondent elementis mundi, auro quoque intextum superhumerale fieri debuit, quia « ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi (*I Joan.*), » non coacta, sed spontanea charitate, quæ cæteris virtutibus ita præeminet, ut cæteris metallis aurum præpollet. Duæ oræ junctæ, et in singulis humeris singuli lapides onychini, nominibus duodecim filiorum Israel inscripti, duo sunt populi, temporibus quidem disjuncti, sed causa vel sacramento conjuncti, quorum Christus peccata in corpore suo pertulit. Neuter quippe aliter nisi per A Christi gratiam salvari potuit, et uterque uno eodemque peccatorum portatore Christo indiguit. Et recte lapides onychini, quæ species gemmæ sive lapidis colorem habet unguis humani, unde et vocabulum sortitum est (Græci namque unguem onychen dicunt) ; recte, inquam, quia pro hominibus Deus homo factus peccatorum superhumerali oneratus est. Lapides ejusmodi nominibus filiorum Israel, id est electorum omnium inscripti sunt : ipse enim cunctos novit ex nomine, quorum super se peccata tulit, unde et appropinquans articulo passionis : « Ego inquit, scio quos elegerim (*Joan.* XIII). » Juxta ordinem, inquit, nativitatis eorum sculpes eos. Ergo cuncti majores in uno, cuncti minores natu scripti sunt in lapide altero. Majores filii Israel sunt qui B ante minores, qui post adventum humerosi hujus portatoris peccatorum conscripti sunt. Majores, inquam, qui ex Judæis, minores qui ex gentibus sunt. Nam de illo populo loquitur Deus ad Pharaonem. « Filius meus primogenitus » meus « Israel (*Exod.* IV). » Rationale igitur jungitur superhumerali, quia misericordia et veritas obviaverunt sibi. Misericordia in superhumerali, veritas intelligitur in rationali. Unde et dicitur rationale judicii, doctrina quoque et veritas inscribitur illi. Qui enim in misericordia redemit, idem ipse in veritate judicabit (*Isa.* LXXXIV). Unde non uno aut duobus lapidibus onychinis in rationali, sicut in superhumerali cuncta filiorum Israel nomina, sed singulis lapidibus singula inscripta sunt. C Nam una quidem gratia cunctos Christus redemit, et cunctorum super humeros suos peccata tulit, sed in judicio « reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II). » Et electorum quoque non omnium eadem erunt præmia, sed pro diversis differentia meritis. « Multæ enim sunt, inquit, mansiones in domo Patris mei (*Joan.* XIV). » Multitudinem mansionum cœlestium, multiplex et distinctus designat ordo lapidum pretiosorum. Etenim apud Ezechielem contra principem Tyri novem ordines angelorum, per novem designantur nomina lapidum (*Ezech.* XXVIII). Notandum, quod in superhumerali non solum catenulæ sed et uncini sunt, qui rationale judicii constringant, quia videlicet in misericordia **236** Redemptoris nostræ spei anchoræ sunt, ut semper misericordia superexaltet judicium. Hoc in pectore suo portat pontifex, nam in præsentia sua scriptos habet omnes, omniumque condignas meritis ab origine mundi paravit mansiones. Cydarim quoque super caput pontifex accipit, ne Cherinthus vel Arrius, seu quilibet alius hæreticus, Jesu Christi Filii Dei caput, id est, initium se vidisse arbitretur. Non enim sicut nos, ita et ille a carne existendi initium habuit, juxta blasphemiam Cherinthi qui illum ante Mariam exstitisse negavit, sed Divinum caput, quod erat in principio et ante sæcula, ibi abscondit. Cydaris ergo caput tegit pontificis, quia videlicet incomprehensibilis est antiquitas vel origo divinitatis Christi. Lamina aurea fronti imminens corona est gloriæ et honoris in capite Redemptoris. « Gloria, inquit, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » Et Apostolus cum dixisset : « Christus factus est pro nobis obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » continuo subjunxit : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. » Hujus rei mysterium, scilicet nominis, quod est super omne nomen, in eo est, quod laminæ sanctum Domini insculptum est, id est, nomen Domini Tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur enim quatuor litteris Joth He Vau He, quæ in syllabam aut vocem articulatam compreliendi nequeunt. Arcanum scripturæ hactenus latet, nisi quia ex interpretatione elementorum colligi potest, quod evangelicam fidem non minime delectat. Interpretatur enim Joth *principium*, He, *iste*, Vau *et* He *iste*. Estque continuus litterarum sensus, principium iste, et iste, hoc, inquam, jure nos delectet, quia principium iste Pater, et principium iste Filius est. Patrem esse principium videns ultro consentit. Principium se quoque esse Filius defendit, quia interrogantibus Judæis : Tu quis es? « Principium, ait, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Hoc nomen profecto super omne nomen est, quia super principium nihil esse potest. Igitur octavum pontificis decus, aurea lamina est, insculptum habens ineffabile nomen, quod dicitur sanctum Domini, quia videlicet Christo pontifici propter passionem mortis, octava sua, id est, resurrectionis gloria coronato, « nomen quod est super omne nomen » Pater donavit, « ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » Moralem filiorum Aaron, id est, sacerdotum Christi ornatum studio proficiscendi præterimus, suis enim in locis invenitur, sicut » Patribus expositus est. Sed et quæ deinceps Moysi imperantur a Domino, dicente : « Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur, tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos (CAP. XXIX.), » etc. Quoniam sicut hic imperata, sic in Levitico acta memorantur : nunc ipsa differimus, illic enim opportunius dicentur.

CAPUT XXIV.

De vitulo quem fecerunt filii Israel, commutantes et ipsi veritatem Dei in mendacium.

(CAP. XXXII.) « Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, ait : Surgens, fac nobis Deos, qui præcedant nos, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei, » etc. Plana est res gesta, quia cito fecerunt, imo cito defecerunt, faciendo vitulum, et adorando sculptile; et quod valde est admirandum, talem tantamque « gloriam suam mutaverunt in similitudinem vituli comedentis fenum (*Psal.* X). » Celeritatem defectus, et ipse Dominus quasi admirans : « Cito, inquit, recesserunt de via quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem. » Ergo Judæi, non minus quam Græci (*Rom.* II), os omne obstruatur, nam et isti commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Dixerunt enim : « Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Hoc, inquam, dicendo, veritatem Dei mutaverunt in mendacium, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, videlicet servitute peccati, Scriptura sic dicente : « Et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. » In gloria similitudinis vituli comedentis fenum, comederunt ac biberunt; et idcirco lusibus obscœnis continuo semetipsos convomuerunt, traditi in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt, et mercedem quam oportuit erroris sui ita in semetipsis receperunt. Ergo et Apostolo teste : Judæorum gloriatio exclusa est, ut non insultet Græco (*Rom.* II), quod servierit creaturæ : nam quod gravius est, et ipse servivit in prævaricatione. Lex enim huic erat, et adhuc quasi aurum sermo Dei recens ab igne calebat. Paulo ante lectum fuerat « volumen fœderis » a Moyse, « audiente populo. Qui et dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes (*Exod.* XXIV). » Hoc facto utique inaures aureas suis auribus internis appendebant. « Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum (*ibid.*). » Itaque uni viro Deo quasi conjugalem juraverant copulam, et inauribus mandatorum ejus ut jam dictum est ornatam faciem habebant. At nunc tulerunt « inaures aureas de uxorum et aliorum et filiarum suarum auribus, » formaveruntque opere fusorio, et fecerunt ex eis « vitulum conflatilem, » et eisdem pedibus, quibus mare transierant, coram tali figura saltaverunt, et veritatem quam cecinerant dicentes : « Cantemus Domino, gloriose magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* XV), » in mendacium commutaverunt cantando : « Hi sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. » Igitur inexcusabilis est et Judæus, qui Græcum ad gratiam Dei confugientem propter antiqua peccata judicat (*Rom.* II) : eadem enim egit quæ judicat. Et quoties ab illo paululum cessavit pædagogi virga, stultus puer ad eadem vel similia se convertit idololatriæ flagitia.

CAPUT XXV.

Quod non vane dixerit Deus : « Dimitte me ut irascatur furor meus, » etc., et quod nunc vere ita factum sit.

Præsagium ejus, quæ nunc est, confusionis et ignominiæ Judaicæ in isto scelere, promptum est agnosci. Sicut enim tunc aurium suarum decus vel ornamentum, scilicet inaures aureas in vitulum formandum conjecerunt, et veritate derelicta, mendacium coluerunt : sic futurum erat, ut auream legis et prophetarum veritatem commutarent in mendacium quod nunc faciunt sacros codices manibus tenentes, et vipereis linguis blasphemias contra Christum fabricantes, quod nunc jam prævidens Dominus, ait ad Moysen : « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit. Dimitte me, ut irascatur furor meus con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. » Quid ageret Moyses breviter hic ipse innuit, Deum dixisse referens, « dimitte me. » Psalmista **237** vero vehementius exprimit, « et dixit, inquiens, ut disperderet, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus (*Psal.* CV). » Per nimiam humilitatem significat, Moysen Deum tenuisse, dicendo « in confractione. » Confractio namque nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo et Domino universæ fortitudinis principe, res fortis est et valida, ita ut illa laborante, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere non valeat, regina virtutum agente ne refutetur ipsa, et vincente pro sua reverentia. Attamen nunquid vane dixit Deus, « dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos. » Nunquid in ventum dixit, « faciamque te in gentem magnam? » Imo sicut dictum, ita nunc factum est. Duram cervicem populi illius Deus confregit: Moysen autem fecit in gentem magnam. Dilatavit enim Moysi legem spiritualem, universam de gentibus Ecclesiam toto orbe diffusam. Non ergo frustra dixit, « deleam eos, faciamque te in gentem magnam, » dixit enim et factum est. Attamen distulit, ne tunc faceret in præsentiarum non dimittente Moyse, sicut dictum est: « Placatusque est Dominus, ait Scriptura, ne faceret malum, quod loentus fuerat adversus populum. »

CAPUT XXVI.

Confractio tabularum priorum, et vituli contriti, pulverem in aquam sparsum, et ad potandum exhibitum quid significet mystice.

Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu scriptas ex utraque parte, et factas opere Domini. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros, iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radices montis. Confractionis prædictæ, qua populi illius hodie Deus duram cervicem confregit, præsagium in tabulis lapideis præcurrit. Sicut enim illæ confractæ sunt confringente Moyse, sic lapidea Judæorum corda confracta sunt et reprobata, accusante Moyse, quemadmodum dicit: « Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis (*Joan.* V). » « Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit et contrivit usque ad pulverem quem sparsit in aqua, et dedit ex eo potum filiis Israel. » Vituli pulverem, quem adoraverant, in contemptum superstitionis in potum accipiunt, ut contemnere discant, quod in secessum projici viderant. Cæterum juxta anagogen, idem de hoc facto, quod et de illo dicto prophetico sentiendum. « Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Capita namque draconis, sive vituli, per quod diaboli cultum licet intelligi, ecce Deus Moysi confregit, atque in pulverem redactum, populo suo in potum dedit, qui eos qui ex parte vel regno erant diaboli per pœnitentiam confractos, et in pulverem humilis conscientiæ redactos. Ecclesiæ suæ per baptismi aquam incorporavit.

CAPUT XXVII.

De austeritate Moysi dicentis: « Ponat vir gladium super femur suum, » et pietate ejus, qua pro illis Deum oravit, quod utrobique prælatis imitandus sit.

« Videns enim Moyses populum quod esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron, propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat) et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. » Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi. Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: « Ponat vir gladium super femur suum: Ite, et redite de porta usque ad portam, et occidat unusquisque fratrem et amicum, et proximum suum, » et reliqua. Non ergo nova austeritas Moysi, in eo quod Judæos, vitulum mendacii fabricantes, et aream veritatis Christum blasphemantes accusat, ut prædictum est in testimonio dicentis, « est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis, » non enim sic tenuit Deum, iramque ejus repressit, ne deleret eos, ut careret zelo bono et non æmularetur pro Domino: sed « ponat, inquit, vir gladium super femur suum, et occidat unusquisque fratrem, et proximum, et amicum suum. » Aiunt quidam quod aureum vitulum in pulverem redactum, in potu illis in indicium dederit, et hoc facto, qui auctores fuerunt sceleris, aureis prominentibus labiis publicati vel deprehensi, ita demum percussoribus de porta usque ad portam per medium castrorum euntibus ac redeuntibus, non indiscrete cæsi, sed cum judicio fuerunt puniti. Intueri nunc libet, in Moysi pectore, misericordiam cum severitate sociatam. Certe cum audiret, « descende, peccavit populus tuus, » ac si ei divina vox diceret qui in tali peccato lapsus est, jam meus non est, itemque et hoc subjungeret Dominus: « Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam, » ille ad impetum irascentis Dei placandum se obicem opposuit. Iterumque reversus ad Dominum, ait: « Aut dimitte eis hanc noxam: « aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. » Hoc nimirum misericordiæ est. Verum circa subditos suos rectoribus inesse debet, non solum juste consulens misericordia, sed et pie sæviens disciplina: qui ergo tanto populi amore constringitur contra culpas ejus, considera quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim, ut petitione primæ culpæ veniam, ne delerentur, obtinuit, ad eumdem populum veniens, ait: « Ponat vir gladium super femur suum, ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum et occidat unusquisque fratrem et amicum, et proximum suum. Ceciderunteque in die illo XXIII millia hominum. » Ecce qui vitam hominum etiam cum sua morte petivit, et paucorum vitam gladio exstinxit, intus arsit ignibus amoris, foris accensus zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret. Tanta severitas, ut quia eos divinitus feriri timuit, ipse judicii gladio feriret. Sic amavit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eos quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret; et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos, etiam Domino parcente, prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator mirabilis, causam populi apud Dominum precibus; causam Dei apud populum gladiis alligavit.

CAPUT XXVIII.

Contra eos qui sedent super cathedram Moysi, et non sequuntur exemplum ejus.

Omnibus qui in regimine animarum præsunt, qualiter præesse, imo qualiter prodesse debeant, hinc exemplum trahendum est, ut videlicet intus amantes divinæ iræ supplicando obsistant; foris sævientes, culpam feriendo consumant. Alioquin male sedent super cathedram Moysi: sunt enim sicut Scribæ et Pharisæi, si sedentes in loco Moysi, deserunt prædictum officium, vel curam Moysi. Ili pro se dictum putent, quod in Evangelio suo Dominus dicit: « Super cathedram Moysi sederunt **238** Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim et non faciunt etc. (*Matth.* xxiii). » Idcirco sancta Romana Ecclesia talibus desidiosis et negligentibus, et juxta Amos prophetam, dormientibus in lectis eburneis, et lascivientibus in stratis, cum comederint agnum de grege, et vitulum de medio armenti (*Amos* vi): talibus, inquam, somnolentis prædictæ lectionis evangelicæ lucernam per singulos annos una Dominicarum in oculos ingerere consuevit, valido simul concentu concrepans hoc exemplum Moysi, ne nesciant quid sequi debeant, videlicet quia sanctificavit Moyses altare Domino et immolans victimas fecit sacrificium matutinum, in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel, et deinde consurgens ascendit in montem, ubi constituit ei Deus, et videns eum, procidens adoravit eum dicens: Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui, « aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti: » ac deinceps orans, « si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum manifeste, ut videam te, » etc. Cur enim tam longo tamque acuto canore resista declamatur, nisi quia grande negotium est, ut qui præsunt ad hoc excitentur, ut Moysi exemplo solliciti sint, non dilatare phylacteria sua, vel magnificare fimbrias: sed providere populo ne forte gratia Dei nudatus et inter hostes visibiles sive invisibiles, nudus propter peccata sit constitutus, eumque operire meritis et protegere precibus. Nunc jam quæ dicta, quæsitu digna sunt, diligentius percurramus.

CAPUT XXIX.

De eo quod Moyses ait: « Aut dimitte, » etc. *Et de eo quod Dominus dixit: « Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum. »*

« Aut dimitte, inquit, eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. » Quare? Videlicet, quia et ego homo peccator sum, si non est apud te propitiatio, si judicium apud te est sine misericordia, consequitur, ut et me de libro tuo deleas. « Si enim iniquitates observaveris, quis sustinebit? » (*Psal.* cxxxix.) Ergo si tu peccata non dimittis, si soli apud te scripti permanent justi, consequens est ut nec ego permaneam in libro tuo quem scripsisti. Scripsisse, et quod scripserit delere dicitur Deus, non quod mutetur, quasi homo sæpe mutans stylum suum, iterum quæ digna sint le scripturus: sed quod multos qui scripti esse sibi videntur, eo quod confiteantur se nosse Deum, de memoria tollat per judicium factorum, quia factis negant. « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xxii): » id est, multi in præsenti Ecclesia nomina sua dando in libro confessionis conscripti, sed pauci (quod valde pavendum est) judicii diluvium evasuri sunt. Unde et protinus respondens dicit: « Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, » et continuo: « Tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi. » Tu autem, inquit, subauditur quem ego « novi ex nomine. » Sic enim postmodum dicit: « Invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine. » Igitur cum ad petitionem dicentis, « aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti, » ita Dominus respondet: « Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi, » miro modo partem utramque evadit, ut neque noxam hanc omnino dimittat, neque servum fidelem de aliorum ruina in magna humilitate trepidantem abundantiori tristitia absorberi (*II Cor.* ii), vel desperationi appropinquare permittat. Neque enim noxam hanc eis dimittit, qui protinus subjungit: « Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. » De qua ultione prophetice simul ac mystice protinus subjungit: « Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron. » Nam et pro reatu hujus vituli materialis quem fecit hic Aaron, et pro reatu vituli, id est mendacii quod fecerunt principes sacerdotum, in quod veritatem Dei commutaverunt, ut superius jam dictum est, blasphemando et abnegando Christum Dei Filium, ecce percussit Dominus populum Judaicum. Unde signanter dixit, « visitabo et hoc peccatum eorum, » et hoc, inquam, subauditur et aliud, cujus in isto typus est vel præfiguratio, quod facturi sunt.

CAPUT XXX.

Quod uno spiritu dictum sit ab isto: « Aut si non facis, dele me de libro, » et ab Apostolo: « Optabam et ipse anathema esse pro fratribus. »

Notandum, quod non dixit Moyses: dele me pro illis de libro tuo quem scripsisti, aut, opto deleri ut scribantur isti; sed, si non dimittis eis, dele me, inquit, quod idem est ac si diceret, si deles illos, dele et me cum illis. Hoc propter illud nunc dicimus quod eodem spiritu Apostolus dicit: « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

niam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem (*Rom.* IX), » etc. Nam eadem charitate et hic locutus est et ille, sed paulo differt in verbis, dum hic anathema cupit esse pro fratribus suis, hic autem deleri se concedit cum illis. Ille sua separatione vult salutem fratrum redimere, hic si non possit eorum salutem obtinere, concedit se cum eis de libro viventium deleri, vel anathema existere. Utriusque dicta magni ponderis sunt, et nostras vires excedunt. Magni etiam viri hactenus utramque sententiam humeris suis versaverunt, et rem sicut est satis verbis exprimere non potuerunt. Est enim hoc pene ineffabile, nec nisi aliquid de ejusdem charitatis spiritu habentibus, saltem sensu perceptibile est, quomodo homo Deo familiaris qualicunque causa vel ratione, hoc animo suo admittere possit, ut a Deo anathema esse, vel de libro ejus concedat seipsum deleri; quomodo in ista concessione non solum nullam incurrat pœnam, aut culpam, sed etiam ampliorem apud Deum mereatur gratiam. Nobis hoc non solum de tanta re subtrahit, quia Deus charitas, Deus humilitas est, et cum per humilitatem sive charitatem a Deo quisquam procul absistit, indigniorem se judicans eis, pro quibus intervenit, miro modo, quantum se deprimit, tantum ascendit; quantum condemnat, tantum justificat; quantum a Deo quasi recedit, tantum illi proximus fit. Divitias animi ejusmodi, nos frigidi atque inopes ignoramus; et idcirco cum legimus, illum anathema se esse optantem pro fratribus, istum de libro Dei deleri se concedentem, aut dicta dissimulamus, aut in sensum exilem gravissime prolata detorquemus. Cæterum quem spiritus idem tetigit, vidit ex parte aliqua, quantum talis habitus mentis apud Deum valeat, pro sua reverentia. Videre sibi **239** videtur, majestatem cœlis omnibus ac terris tremendam, de solio suo surgere et accedere vulnerato corde, rogare amicum quasi discedentem ne deserat se, dicentemque, verbi gratia : « Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram me (*Exod.* XXXIII). » Hoc sentiens anima beata, fortitudine sua utitur, quia solis superbis resistere potest Deus, et dicente Deo : Dimitte me, ut irasci mihi liceat cum tuo consensu, non audit, non consentit, et non patitur, nisi interdum voluntatem hominis faciat Deus, et in istis viribus suis mirabiliter confracta, sicut et de isto dictum est, quia « stetit in confractione in conspectu ejus (*Psal.* CV), » ineffabili dulcedine pascitur, ineffabili charitatis vulnere scinditur, cujus sanguinem absque reverentia videre non sustinet Altissimus

CAPUT XXXI.

Quod dixerit Deus : « Angelus meus præcedet te, » subjungens : « Non enim ascendam tecum. »

« Angelus meus, inquit, præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. » Ac deinceps : (CAP. XXXIII.) « Et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, » etc. Mirum forte videbitur quomodo ad orationem Moysi placatus fuerit Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum, et tamen idem Moyses postquam dixit : « Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo. Facto die altero, dixit ad populum : Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. » Sed profecto liquet, quia placatus quidem in eo fuerat Dominus, ne in præsentiarum corporaliter deleret eos, suggerente et quasi consulente Moyse : « Ne, quæso, dicant Ægyptii : Callide eduxit eos, ut interficeret eos in montibus, et deleret eos e terra. » Sed in eo nondum placatus fuerat, ut Dominum eorum se esse rursus profiteretur, unde et adhuc alieno animo loquitur secundo, ut semel fuerat locutus : « Vade et descende de loco isto tu et populus tuus, » tuus, inquam, non meus. Ergo angelus meus præcedet te, inquit, sive « emittam præcursorem tui angelum, » subauditur, ad hoc tantum ut intres terram Chananæorum, non etiam ad hoc ut intres in terram viventium. Non enim sum Deus tuus. Non tu ipse es populus meus. Nam hoc est, quod dicit : « Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte disperdam te in via : » ac si dicat : Quoniam populus duræ cervicis es, non tibi expedit ut me Deum tuum nomines, ut culturam meam profiteari, ut leges meas bajules, ad prævaricandum tam pronas et facilis. Levius enim multo est Deum nescire quam cognitum irritare. Tolerabilius est viam Dei ignorare quam post agnitam retrorsum ire. Idcirco si ascendero tecum, si me dixeris Deum tuum, justius in via disperdam te provocantem me dura cervice.

CAPUT XXXII.

Quomodo non sit contrarium, quod ait : « Non ascendam tecum, » et quod itidem subjungit, « semel ascendam in medio tui. »

« Non ascendam, ait, tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte disperdam te in via. » Ac deinceps : « Populus duræ cervicis es. Semel ascendam in medio tui, et delebo te. » Contraria hæc vel repugnantia esse videntur « non ascendam tecum, ne forte disperdam te, » et « semel ascendam in medio tui, et delebo te. » Sed notanda in sermone diversitas. Negando enim dixit : « Non ascendam tecum, » affirmando : « Semel ascendam tecum, dixit, in medio tui. » Non parum differt in verbis aut in sensu, quod illic « tecum, » hic autem « in medio tui, » dixit. Verbi gratia : Debellator sive adversarius cum civitatem irruperit, recte in medio populi ascendisse dicitur, cum populo autem ascendisse non recte dicitur. Igitur et quod dixit, « non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte disperdam te, » et quod iterum ait, « Semel

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ascendam in medio tui, et delebo te, » utrumque admota discretionis lampade pervidendum est. « Non ascendam tecum, » dixit. Quare? « Ne forte disperdam te. » Tu enim duræ cervicis populus es, tu puer sensu, tu quasi juvenculus lascivus et indocilis es. Tu animalis homo es, et ea quæ Dei sunt non percipis (*I Cor.* II), idcirco ponam velamen super faciem tuam (*II Cor.* III), idcirco non in manifestatione rerum, sed in figuris, et in umbris loquar ad te de altitudine mysteriorum cœlestium. Quare? « Ne forte disperdam te. » Tu enim rerum altitudinem non sustineres, sed blasphemares, sed dura cervice recalcitrares, et ita me ad disperdendum te provocares. Quandoque tamen ita fiet. « Semel ascendam » non quidem tecum, sed « in medio tui, et delebo te, »—« Ascendam, inquam, in medio tui; nam in terra videbor, et cum hominibus conversabor (*Baruch.* III). » — « Et delebo te, » inquit, subauditur de libro meo, quem scripsi. Nam hoc ad illud respicit quod supra Moysi dicenti : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. Qui peccaverit, inquit, mihi, delebo eum de libro meo. » Nec vana comminatio. Semel enim ascendit, semel humanatus est, semel passus, mortuus est, et resurrexit, et in cœlum ascendit, et tunc demum illum populum dura cervice ascensus sui nimis impatientem delevit completa prophetia, quæ dicit : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* LXVIII). » Delevit, inquam, id est, non scripsit, et quod scripti esse videbantur, dicendo filios se esse Abrahæ, et habendo templum et altare, quasi calami vitium abstersit, deleudo cum eis templum ipsorum et altare. Itaque quamvis dicant se Judæos esse, non tamen sunt Judæi, sed sunt synagoga Satanæ (*Apoc.* II), plane deleti sunt, Deo pro illis, aliorum confessorum nomina scribente, aliosque suscitante pro illis filios Abrahæ.

CAPUT XXXIII.

De eo quod ait : « Jam nunc depone ornatum tuum, » etc., et quid mystice sit, quod Moyses tabernaculum, quod nunc tabernaculum fœderis vocavit, extra castra tetendit.

« Audiens autem populus sermonem hunc pessimum luxit, et nullus ex more indutus est cultu suo. Et Dominus : Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. » **240** Hoc, juxta historiam, lectorem ædificat, quia videlicet nisi ambulet peccator demisso capite, nondum se scire fatetur Deus quid ei faciat; nullam enim habet materiam struendæ misericordiæ, nisi ambitio vel habitus pœnitentiæ præcedat. « Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum, a monte Horeb, Moyses quoque tollens tabernaculum tetendit extra castra, procul : vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis. » Putaremus uno die quo descendit Moyses de monte dicta hæc esse vel acta, sed ecce littera repugnat; jam enim tabernaculum factum est quod Moyses tetendit extra castra. O ergo magnum et mirum spectaculum, magna et mira dispensatio mysteriorum cœlestium. Interim dum tabernaculum constituitur, inimicitiæ sunt inter Deum et populum, pro reatu vituli, et non ante solvuntur eædem inimicitiæ, nisi prius tendatur tabernaculum, quod et perinde vocatur tabernaculum fœderis. Diximus supra de cœlestibus, quorum secundum exemplar, hoc ipsum tabernaculum factum est. Quid igitur est hoc, nisi quia dum essent inimicitiæ inter Deum et homines, propter solvendas easdem inimicitias tabernaculum verum, « quod fixit Deus, et non homo (*Hebr.* VIII), » ab incarnatione Christi Filii Dei fieri cœptum est. Proinde valde notandum quod dicitur : « Et omnis populus qui habebat aliquam quæstionem egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum fœderis, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis suæ. Aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse cernentibus, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. » Quidnam est quod tenditur tabernaculum extra castra, nisi quod cœlestia sancta, quorum pontifex ac minister Christus est, extra carnales Judæorum tenduntur cæremonias, quos odivit anima Domini, sicut dicit Isaias? (*Isai.* I.) Et quid est, quod omnis populus qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad illud tabernaculum fœderis, nisi quia omnis qui Scripturarum quærit veritatem, oportet ut egrediatur ad hæc sancta Christi sacramenta, per quæ sumus Deo reconciliati? Velamen quippe quod super Judæorum cor positum est, in solo Christo revelatur. Quid, inquam, est quod ingresso Moyse tabernaculum fœderis, descendebat et stabat ad ostium tabernaculi columna nubis, videntibus cunctis, nisi quod conjuncta lege, quæ per Moysen data est, cum gratia et veritate quæ per Christum Jesum facta est (*Joan.* I), stat in ingressu reconciliationis, incarnatio ejusdem Christi Filii Dei, ut videlicet tabernaculum fœderis ingredi, id est, Deo reconciliari nemo possit, nisi per istam columnam nubis, in qua thronum suum sapientia posuit, per istam carnem in qua « corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis? » (*Col.* II.) Loquebatur cum Moyse, cernentibus universis? Quomodo cernentibus? « Aspiciebantque, inquit, tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. » Ergo lex et Evangelium familiare quidem, atque consonum habent colloquium, sed donec omnia compleantur, quæ utroque Testamento promissa sunt, Judæi non videbunt; non enim faciem, sed tergum Moysi filii Israel viderunt.

CAPUT XXXIV.

De eo quod dictum est : « Stabantque et ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. »

Juxta historiam, moralem sensum legentis, hæc ipsa res ædificat. Quid est enim populum columnam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nubis aspicere, et in tabernaculi sui foribus stare atque adorare, nisi quod humana mens cum superiora illa, atque cœlestia utcunque in ænigmate conspicit, jam claustra habitationis corporeæ per sublevatam cogitationem exit atque illum humiliter adorat, cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem Spiritus miratur? Et cum Moyses tabernaculum ingreditur, ejus terga populus aspicit, et in papilionum suorum ostiis consistit, quia cum sanctus quisque prædicator alta de Deo loquitur, et supernæ habitationis jam utcunque habitaculum ingreditur, ejus terga populus aspicit. Cujus prædicationis infirmi quique etsi virtutem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt, quia postrema quæ prævalent per intellectum sequuntur, sed in ipsis quoque minimis, quæ capere sufficiunt, jam de suis papilionibus quasi exeunt, atque in ostiis stant, quia et habitacula carnis relinquere, et ad illa æternæ vitæ gaudia, quæ audiunt progredi conantur.

CAPUT XXXV.

Quod dictum est : « Loquebatur autem Dominus Moysi facie, » etc., et quod postmodum dicit : « Ostende mihi faciem tuam. »

« Loquebatur autem Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. » Postmodum dicit : « Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te. » Certe si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi diceret, et non « ostende mihi temetipsum. » Si autem Deus erat, cum quo loquebatur facie ad faciem, cur se petebat videre quem videbat? Sed hac ejus petitione colligitur quia eum sitiebat per incircumscriptam naturæ suæ claritatem cernere quem jam cœperat per quasdam imagines videre, ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem, nulla imago creata temporaliter interesset. Cur igitur sic dictum est : « Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum, » cum in hac mortali carne consistentibus videri non possit in sua substantia lumen incircumscriptum? Idcirco videlicet, quia suum ab illo consilium non abscondebat, et secretorum suorum cum faciebat conscium. Quomodo enim loqui solet homo ad amicum suum? Aperiendo utique illi consilium suum, non celando illi quæ facturus sit, eo quod custos sit animi, unde et amici vocabulum originem sumpsit. Et scimus, quia prophetarum maximus Moyses exstitit, sicut Dominus de illo testimonium perhibet, cum dicit ad Aaron et Mariam : « Audite sermones meos : si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, et vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei, et palam, non per ænigmata et figuras Dominum videt (*Num.* XII). » Item Scriptura dicit : « Et non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus A signis atque **241** portentis (*Deut.* XXXIV). » Igitur quia quod prophetarum est, scilicet prævidere consilium Dei, quod carnalibus sive popularibus, sub figuris abscondebatur et cæremoniis umbraticis, quia, inquam, hoc Moysi datum est, et non posterioribus prophetis, recte sic de illo est dictum quia « loquebatur ei Dominus facie ad faciem, quomodo loqui solet homo ad amicum suum. »

CAPUT XXXVI.

Quid sit mystice quod, Moyse revertente in castra, Josue non recedebat de tabernaculo.

« Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue, filius Nun puer non recedebat de tabernaculo. » Reversio Moysi in castra lectio legis est B sive Evangelii gratia. Supra diximus colloquium Domini cum Moyse ad tabernaculi ostium consonantiam esse legis et gratiæ ad ingressum veri et cœlestis tabernaculi, quia videlicet utrumque recipere vel profiteri oportet eum qui ingreditur in tabernaculum fœderis, id est, qui Deo per mortem Filii ejus cupit reconciliari. Ergo Moyses quidem revertitur in castra, sed Josue minister ejus non recedit de tabernaculo, quia videlicet lex quidem legitur in Synagoga, quæ tabernaculo vero non appropinquat, sed spiritus legis cum Christi perseverat gratia in Evangelio. Josue quippe minister Moysi spiritum legis in eo quoque recte significat, quia populum in eam repromissionis terram introduxit quam per Moysen Dominus eidem populo promisit. C Sic etenim littera legis promissiones quidem Dei continet, sed, nisi per spiritualem legis intelligentiam, promissionibus eisdem nemo dignus effici potest. Legant igitur occidentem litteram carnales Judæi; nam spiritus vivificans a tabernaculo, cujus pontifex Christus est, non recedit.

CAPUT XXXVII.

Quod placatus fuerit Dominus ut non faceret malum, sed non in eo ut esset Deus eorum et ascenderet cum eis.

« Dixit autem Moyses ad Dominum : Præcipis, ut educam populum istum, et non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. » Hoc est quod supra jam dictum est, quia placatus quidem fuerat Dominus ne faceret malum quod locutus D fuerat adversus populum suum, et introduceret eos in terram Chananæorum, sed non etiam placatus fuerat in eo ut ascenderet cum eis et esset Deus eorum, quod est introducere in terram et regionem viventium. Ait ergo, « præcipis ut educam populum istum, » subauditur, in terram istam mortuorum sive mortalium, « et non indicas mihi quem missurus es mecum, » subauditur, qui introducat populum istum in terram viventium, præsertim cum dixeris, « Novi te ex nomine. » Quasi consequens sit ut quod ipse notus est Deo, hoc alios qui Dei notitia non sunt digni commendare possit, sic Deum ex ore ipsius pietas humana constringere cupit. Sic enim per alium prophetam, idem Dominus dicit : « Si

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fuerint tres isti viri in medio eorum, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas (*Ezech.* XIV). » Ipsi soli liberabuntur. Non liberabunt filios, neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. « Non indicas, inquit, mihi quem missurus es mecum. » Ergone Moysi non indicabat Deus quod missurus esset Christum Filium suum, cum, ut prædictum est, loqueretur ei « facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. » Sed audi quod sequitur :

CAPUT XXXVIII.

Quod Christi adventum Moyses suspiret, dicendo : « Si tu non ipse præcedes, ne educas nos de loco isto. »

« Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos; respice populum tuum, gentem hanc. » Hoc igitur postulat indicari sibi, id est, populo Israel, cujus personam gerit, cujus causam suscepit, cujus legatione functus, quanta potuit fortitudine, hactenus usus est, tenendo Deum dicentem : « Dimitte me, » indicari, inquam, populo Israel eum quem missurus est, ut cum venerit, ostendat illis faciem suam, ut videatur manifeste. « Et Dominus ad hæc : Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi. » Parum dictum est; potest enim subaudiri, ad hoc tantum, ut supra dixit, « ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum. » — « Ait ergo Moyses : Si non tu ipse præcedes, ne educas nos de loco isto. » Quia per faciem poterat intelligi angelus, qui ad dejiciendum Chananæum hominem sufficeret, « si inquit, non tu ipse præcedes, » qui solus diabolum, mundi principem ejicere potes, « non educas nos de loco isto. » Quo enim nobis vivere filiosque procreare, si non tu ipse veneris, qui natos ad mortem solus potes ad vitam regenerare? Addit adhuc : « In quo enim scire poterimus, ego et populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram? » — « Ut glorificemur, inquit, ab omnibus populis. » Ergone ad hoc tendit vir mansuetissimus tota confractione cordis sui, ut glorificetur gentium cædibus, et bellorum victoriis? Nempe gloria hæc vana est. Igitur illud potius fortissima prece versat, ut glorificetur ille populus pro parte electorum a cunctis populis, dicentibus : « Quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV). » Proinde continuo Dominus : « Et verbum istud quod locutus es faciam. » Hoc, inquit, faciam, ut glorificeris tu et populus meus a cunctis populis qui habitant super terram, quia vestra « est adoptio filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa, et Christus ex vobis secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Hoc modo nunc omnes populi glorificant populum illum, et ita plane gloriam illam gloriam suam esse faciunt.

CAPUT XXXIX.

Quod ait Dominus : « Novi te ex nomine, » et quid illud sit nomen quo electorum quemque noverit.

« Invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine. » Confirmat hoc Deus quod paulo ante gemebundus commemoraverat Dei famulus, dicendo : « Præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. » Sed quonam ex nomine Deus novit illum? Nunquid ex eo tantum quod filia Pharaonis imposuit illi vocans eum Moysen, dicens : « Quia de aqua tuli ipsum? » (*Exod.* II). Equidem ex isto quoque nomine, nescire Deus non poterat eum quo et appellare ipsum de rubo dignatus est, iterato dicens : « Moyses, Moyses (*Exod.* III). » Sed quid magnum est quempiam a Deo taliter cognosci, vel compellari ex nomine? Nempe ita Pharaonem regem Ægypti nominare novit, compellans etiam illum in propheta qui per ipsum præfiguratus est : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, **242** draco magne (*Ezech.* XXIX) : » et ad eumdem principem superbiæ : « Ejeci te, inquit, o Tyre (*Ezech.* XXVIII). » Quid ergo magnum est Deum quempiam taliter scire ex nomine? At nunquid in regno ejus hujusmodi vocabulis indigebimus? Igitur cum dicit, « teipsum novi ex nomine, » subaudiendum est, Dei, quod invocatum est super te. Ex hoc etenim nomine Deo notus est omnis qui scriptus est in libro vitæ. Unde in Apocalypsi de victore dicit : « Et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum (*Apoc.* III). » Isto ex nomine et Moysen, et omnem electum Deus agnoscit hominem. Sed unum, idemque nomen, cum sit, quasi variis litteris scribitur, ut in alio aurea, in alio argentea, in alio rursus purpurea, sive candida Scriptura laudetur, multa quippe sunt dona nominis Domini, neque uni cuncta tribuuntur. Quantum quisque Deum cognoscit, tantum in eo fulget nomen Domini. Nomen quippe a *notione* dictum est. Et unum itaque nomen Domini est, quod super nos ille scripsit, et multa sunt nomina nostra, de quibus idem nos agnoscit. Hinc est quod pluraliter dicit : « In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* X). »

CAPUT XL.

Quod tria hæc diligenter discernenda sint : « Ego ostendam tibi omne bonum. Non poteris videre faciem meam. Ecce est locus apud me, et stabis supra petram. »

« Qui ait : Ostende mihi gloriam tuam. Respondit : Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabor in nomine Domini coram te, et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait : Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo et vivet. Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me, » etc. Notanda hic diligenter gemina subdistinctio : « Respondit : Ego ostendam omne bonum tibi. Rursumque ait : non poteris videre faciem meam, » in persona populi Judaici, pro parte reproborum. Quod iterum ait : « Ecce est locus apud me, stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam, tollamque ma-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nam meam, et videbis posteriora mea. » Item in persona ejusdem populi dictum accipe, sed pro parte electorum. Equidem mortalis homo, peccato primi parentis obscuratus, atque infirmus factus, quandiu vivit in hoc mortali corpore, Deum videre non potest; quippe cum nec angelum Dei Daniel sanctus videre sustinuerit. Nam « cum venisset, inquit, ad me pavens corrui in faciem meam, et cum loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram (*Dan.* VIII). » Ac deinceps : « Et ego Daniel langui et ægrotavi per dies (*ibid.*). » Verum nos hic mysticas rationes quærimus, videlicet quia non frustra, hoc maxime loco cum Deum offendisset populus, tali ordine de vitanda gloria Domini Moyses postulasse creditur. Igitur quod postulanti, atque dicenti : « Ostende mihi gloriam tuam, » respondit : « Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabor in nomine Domini coram te, et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit, » pro persona sua dicitur illi, et ad illud spectat quod supra dixerat hic, « aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. » Ac si dicat : « Ego ostendam gloriam meam, ego ostendam omne bonum tibi, » non cuivis, non pariter omni populo, pro quo petis, sed « tibi, quem ego ex nomine novi, et vocabor in nomine Domini coram te » vocabor, inquam, id est, ostendam eamdem gloriam in nomine Domini, in quo te novi, vocabor utique coram te, ut videas manifeste quod nunc vides « per speculum et in ænigmate, et ex parte » cognoscis (*I Cor.* XIII), « et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit, » quia videlicet nulli quidquam debeo, quoniam omnium pater Adam in me peccavit, et proinde quidquid ostendero tibi vel cuilibet alii, gratiæ est, non debiti. Quod deinde facta subdistinctione rursum ait : « Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet, » idem est ac si dicat : In medio populi hujus, pro quo postulas, cujus prælocutor es, non sic ascendam ut videat faciem meam, ut ostendam illi gloriam meam. Quare? « Non enim videbit me homo et vivet. » Ego autem idcirco ascendam homo factus inter homines, ut in me reviviscat homo qui in Adam mortuus est. Si igitur ascendero non in homine, Deus absconditus, sed Deus manifestus, crucis utilitas impedietur, et homo non vivet, quia non erit redemptus. Verumtamen fidem habentibus opportunitas videndi non negabitur. Hoc est quod sequitur : « Ecce est locus apud me, stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextra mea, donec transeam, tollamque manum meam, et videbis posteriora mea. » Hoc enim pro parte dictum est electorum, videlicet Petri cæterorumque apostolorum, vel omnium, qui ex eodem populo crediderunt, aut credituri sunt, quibus nihil obfuit quod faciem, id est, præsentiam Domini, sicut erat, non viderunt. Postquam enim resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum, tunc cognoverunt, et ita quodammodo posteriora ejus viderunt. Dicat ergo : « Est locus apud me, stabis supra petram. » Quam videlicet super petram stabat Petrus jam cum diceret : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI), » et idcirco tale responsum accepit : « Et ego dico tibi : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*ibid.*). » — « Cumque transibit gloria mea, » id est, cum transiero ex hoc mundo, glorificatus magna resurrectionis et ascensionis gloria, « ponam te, » id est omnem Israelitam quicunque erit ex tua fide, quemcunque non excæcaverit fumus invidiæ, « ponam, inquam, in foramine petræ, » id est, in fide passionis meæ « et protegam dextera mea ; » non enim rapiet quisquam de manu mea « donec transeam, » ut prædictum est : « Tollamque manum meam, » id est extollam potentiam meam, « et videbis posteriora mea, » sicut jam dictum est. « Faciem autem meam, » id est, dum præsens in corpore sum, majestatem meam « non poteris videre. »

CAPUT XII.

De eo : « Præcide tibi, » etc. Et ac sententia Pauli, dicentis : « Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ de operibus mortuis. »

(CAP. XXXIV.) « Ac deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti, » etc. Hic quia gens prævaricatrix primam fidem irritam fecerat in conflatione vituli, et totum ædificium fœderis collapsum fuerat, pene ab alio rursus principio inchoatur, dum dicitur : « Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, » etc. « Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem, boves quoque et oves non pascantur contra. » Iterumque præcepta quæ prius simili invitatione dederat, conjungit sermo divinus : « Cave, inquiens, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ tibi sunt in ruinam, sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. **243** Noli adorare deum alienum, » etc. Hæc iteratio præceptorum carnalibus Judæis de justitia sua gloriantibus, æterna exprobratio est, ut non glorientur, sed eorum quoque omne os obstruatur, sicut superius jam dictum est. Apostolus autem : « Intermittentes, inquit, inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum (*Hebr.* VI), » etc. Ergone apostolica auctoritas huic legali contraria est, cum fundamentum pœnitentiæ rursus jaciendum esse deneget, hic autem et præcisæ rursus tabulæ, et a principio repetita sit lex? Nonnullique. Nam neque hic fundamentum rursus jactum est, fundamentum autem fœderis hoc est : « Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, cum legisset, audiente populo, sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his (*Exod.* XXIV). » Hoc si iterato factum esset, recte fundamentum rursum jactum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

esse dici posset. Quod quia factum non est, legali utique consonat apostolica auctoritas. Non enim pœnitentiam (ut male Novatus intellexit) lapsis dandam esse negavit, sed fundamentum pœnitentiæ, id est baptismum in quo fundatur firmitas pœnitentiæ. Nam cum dixisset « fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Dominum, » addidit « baptismatum doctrinæ, impositiones quoque manuum. » Non igitur dandum pœnitentiæ locum, sed baptisma negavit esse iterandum.

CAPUT XLII.

De eo quod dictum est : « Dominator Domine, » etc., et quod respondens Dominus : « Ego, inquit, inibo pactum cunctis videntibus. »

« Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens, et multæ miserationis ac verax. » Notandum quod cum tota sit intentio deprecari pro populi scelere, et misericordiam implorare, non tamen inter tot nomina laudis divinæ, inter tot vocabula misericordiæ, siluit de justitia vel veritate, dicendo « misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, » tandemque addendo, « et verax, » itemque nominum ipsorum exponendo causas, cum dixisset : « Qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. » Quod totum miserationis et gloriæ est justificantis, addidit : « Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem. » Quod procul dubio justitiæ et veritatis est. Quomodo ergo, inquis, idem Deus per prophetam dicit : « Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii (*Ezech.* XVIII). » Videlicet non portat filius iniquitatem patris quamcunque non imitatur ; redditur autem iniquitas patrum in filiis ac nepotibus quicunque patres iniquos imitantur : verbi gratia, non omnes homines secundum carnem Adæ filii sumus. Si ergo iniquitatem, id est incredulitatem ejus, qua serpenti magis quam Deo credidit, imitamur, iniquitas ejusdem patris in nobis filiis juste redditur. Si autem iniquitatem ejusdem veteris hominis fugientes ad jus etiam novi hominis Jesu Christi Filii Dei confugimus, non utique iniquitatem illius portabimus. Proinde oratio Moysi sic pulchre concluditur : « Festinusque Moyses curvatus est in terram, et adoravit : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum, populus enim duræ cervicis est, et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. » Cum enim dicit, « ut gradiaris nobiscum, » etc., fiducialiter fides evangelica gaudet subintelligere, ut Verbum caro fiat, et habitet in nobis, et videamus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I). Nam ex Adam populus duræ cervicis eramus, idcirco medicamento humilitatis Dei indiguimus. Ad hæc respondet Dominus : « Ego inibo pactum cunctis videntibus. Signa faciam, quæ nunquam sunt visa super terram, nec in ullis gentibus, ut cernat populus iste, in cujus medio es, opus Domini terribile quod facturus sum. » Quæ enim sunt signa nunquam visa, vel quod est opus Domini terribile, quod cernat populus præsidente Moyse, nisi quod Deus homo factus est, quod crucifixus, mortuus ac sepultus est, et resurrexit tertia die, prophetia Moysi ejus testimonium astipulante? Nempe si respicias, ad signa quæ in illo populo facta sunt, antequam veniret hic Filius Dei, majora visa sunt super terram, majora facta sunt signa in medio Ægypti, nec tam terribile opus Domini vidit populus ille, sub cunctis regibus suis, quam fuit illud quod jam fecerat Dominus in Pharaonem et in omnes servos ejus. Præcepta, quæ hic breviter iterantur, sic terminantur ut ante : « Non coques hædum in lacte matris suæ (*Exod.* XXIII, XXXIV). » Quo dicto, prohibemur de Christo secundum carnem sapere. Hædum namque Cerinthus in lacte matris suæ coquere voluit, qui Christum ex Maria initium sumpsisse dixit. At ille ante matrem et ante avos matris, imo et ante originem mundi Deus erat ; nam « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). »

CAPUT XLIII.

De inscriptione tabularum secundarum.

« Dixitque Dominus ad Moysen : « Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. » Fractis tabulis prioribus aliæ ad instar priorum præcisæ sunt, et in eis eadem verba describuntur, quia fractis propter incredulitatem carnalibus Judæis, alterius populi tabulæ cordis carnales electæ sunt de cunctis gentibus, et eis eadem præcepta traduntur. Notandum quippe quia sic dixit et sic distinxit Deus, « quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. » « Et tecum, inquit, et cum Israel, » id est cum isto populo et cum illo qui post venturus est. Nam carnales quidem cæremonias mutat, imo et abjicit spiritualis rex, nec de illis curat justitia, quæ ex fide Jesu Christi est, sed decem verba legis immutari non licet, et observari tam a novis quam a veteribus postulat sancta, justa et bona fœderis lex. Unde alias opera Dei, alias digito Dei scripta esse memorantur, et hoc dicto æterna vel immutabilia fore signantur. De jejunio Moysi bis quadragenario, jam superius dictum est.

CAPUT XLIV.

Quod Moysi facies cornuta erat ex consortio sermonis Domini, et quod timentibus filiis Israel prope accedere, velamen posuit super faciem suam.

« Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Dei. Videns autem Aaron et filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere. » Cornuta, id est splendida, **244** sive radiosa facies Moysi, cum secundarum tabularum scriptura, quid miraculo suo præsignaverit, hodie palam totus orbis agnovit. Ubi enim tabulæ secundæ, id est Christiani populi corda præceptorum Dei scripturam susceperunt, et cœpit ab eis lex spiritualiter intelligi, tantum splendorem facies, id est sensus Moysi emisit, quantum ferre

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

non valentes, fugiunt ad latebras filii Israel, id est carnales Judæi. « Impletis, inquit, sermonibus posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo auferebat donec exiret. Et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat rursus ille faciem suam, si quando loquebatur ad eos. » Hoc expositione nostra non indiget. Dicit enim Apostolus : « Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum usque ad hodiernum diem, idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen (*II Cor.* III). » Igitur quod posuit Moyses velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo illud auferebat, si quando autem loquebatur ad filios Israel, operiebat rursus faciem suam, ejus rei præsagium fuit quam totus nunc orbis agnoscit. Quia videlicet, dum loquitur Moyses ad Christum, id est ad evangelicam Ecclesiam in qua Christus est tollit velamen suum, et apertam ostendit faciem. Tollit enim litteram occidentem, et spiritum promit vivificantem. Ubi autem legitur in synagogis Judæorum, operit vultum suum, id est spiritualem legis sensum. Illi enim, propter aureum blasphemiarum suarum vitulum, oculos perdiderunt et claritatem veritatis sustinere non possunt. Nam in his qui pereunt, inquit Apostolus, « operitum est Evangelium, » in quibus Deus hujus sæculi sapientum excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii Christi, qui est imago Dei (*II Cor.* IV). Hic jam tractatus in Exodum finem facimus, quia videlicet de tabernaculi constructione, quæcunque hic dicta vel facta sunt, eadem superius transegimus pro posse nostro. Illud non præterire dignum est, quod dicit Moyses ad filios Israel, « quia vocavit Dominus ex nomine Beseleel, filium Huri, filii Hur, de tribu Juda, implevitque eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia. Ooliab quoque filium Achisamech, de tribu Dan. Et ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii et plumarii (*Exod.* XXXV). » Beseleel enim interpretatur *umbra Dei*, quia nomine suo, ut dictum est, significat ipsum opus tabernaculi, quod fecit umbram, id est exemplar esse tabernaculi cœlestis. Ooliab quoque interpretatur *protectio mea pater*, quo nomine significat quia Dei vel tabernaculi ejus adjutoribus protectio ipsius pro mercede speranda est, cum Scripturæ hujus auctoritate dicentis, quia « vocavit eos Dominus ex nomine, et ambos erudivit sapientia, » quis dubitet has vel omnes ejusmodi artes esse Dei dona? Proinde in quocunque habentur homine artes, tam utiles ac licitæ, diligendæ sunt, et admonendi periti artifices, ut tanquam Dei talentum in lucrum expendant, quia non ipsorum facultas propria, sed Creatoris omnia tribuentis commissum est, et ab eis quibus tribuit ipse exacturus est.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN LEVITICUM COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

(Levit. cap. I-VIII.)

245 CAPUT PRIMUM.

Cur liber Leviticus dicatur, et quod sacrificiorum ritus non necessarius pro tempore fuerit institutus.

Liber iste, Hebraice Vagecra, Græce Leviticus, Latine Ministerialis dicitur, videlicet a maxima parte, quia de ministeriis agit sacerdotalibus. Sic anterior liber, Hebraice Ellesmoth, Græce Exodus, Latine dicitur Exitus. Item a parte sui majore, quia maximum eorum de quibus agitur in illo, exitus est filiorum Israel de Ægypto. Ergo quia de ministeriis hic agitur sacerdotalibus, liber iste a Græcis Leviticus dicitur, non quod Græcam habeat hoc vocabulum originem; oritur namque a Levi, quod Hebraicum est, et interpretatur *additus* : sed quod hic liber de

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ministeriis agat sacerdotalibus Leviticæ tribus. Porro sacrificia, quorum hic ritus est ordinatus, non tanquam perficiendæ salutis instrumenta necessaria, sed tanquam obstacula quædam propter transgressiones positæ sunt. Quod hæc ipsa lex, et prophetæ, et Apostolus pariter astipulantur. Nam hæc ipsa lex sacrificiorum præmisso : « Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii adolebitque adipem suavitatis Domino (*Lev.* XVII), » continuo subjungit : « Et nequaquam ultra immolabunt filii Israel hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt (*ibid.*). » Et in propheta Jeremia Dominus dicit : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum cum patribus vestris locutus, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum (*Jer.* VII). » Quid igitur lex? « Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui repromiserat, ordinata per angelos in manu Mediatoris (*Gal.* III). » Igitur sacrificiorum legem non propter ipsa, sed propter hoc quod ipsa quoque secundum exemplar veri et cœlestis sacrificii disposita sunt, ipso adjuvante cœlestium Domino, spiritualiter examinanda ingrediamur, et ad nostram utilitatem, qui cœlesti tabernaculo deservimus, cuncta referre curemus.

CAPUT II.

Oblationum sive sacrificiorum ritus quot modis, sive qualitatibus distinguatur.

(CAPUT. I.) « Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio ac de armento masculum immaculatum, offerret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. » Antequam verba ipsa singillatim conferamus, summa legis sacrificiorum facta divisione breviter colligere libet. Oblationum, sive sacrificiorum, alia sunt quæ dicuntur holocaustomata, alia quæ pacifica, alia quæ pro peccato. Rursus eorum quæ pro peccato dicuntur, alia sunt quæ pro peccato sacerdotis simul et multitudinis, alia quæ pro peccato cujuscunque hominis principis, sive popularis. Sed quæ pro peccato sunt sacerdotis tantum, atque pro peccato sacerdotis simul et multitudinis, parum aut nihil differre videntur, utraque enim extra castra cremari jubentur, et hoc ab holocausto differunt, quod holocaustum in altari, illa autem extra castra cremantur. Item, quæ pro peccato principis, et quæ pro peccato sunt hominis plebei, sub eamdem legem rediguntur, utraque vero pari modo separato memoriali in pastum ignis Dominici, adipe scilicet qui operit vitalia et omni pinguedine interiori, duobus renibus cum adipe quo teguntur illa, et reticulo jecoris cum renunculis, his, inquam, separatis, cætera cedunt in esum sacerdotis.

246 CAPUT III

Quod omnia nonnisi de tribus generibus sumi jubeantur, de armento, de pecoribus, de volatilibus, et quid per hæc mystice.

Et notandum, quod hæc omnia de tribus sumi jubentur generibus, id est de armento, de pecoribus, de volatilibus. De armento, vitulus; de pecoribus, aries sive capra; de volatilibus, turtur sive columba. Præter has quinque animalium species, cætera animantia munda sive immunda, nescit sacrificiorum lex. Mysticas quæsituri causas, usuales prius armenti pecorum ac volatilium proponamus differentias. Armentum duobus modis proficit : nam et operatur terram, et lactis copiam præstat. Pecus, id est aries sive capra, nihil operatur, sed solos lactis et lanæ præbet redditus. Turtur sive columba in neutro valet, et ab omni ejusmodi servitio vacuum est. Igitur in his tribus generibus, tres intelligamus ordines, quorum sacrificiis legitimis in cœlesti tabernaculo deservitur, quos apud prophetam Ezechielem tres viri isti designant, Noe, Daniel et Job, unum scilicet rectorum, alium contemplationi vacantium, tertium in actibus sæculi bene et licite operantium. Nam his tribus ordinibus distincti sunt omnes, quicunque semetipsos Deo vivo sacrificant, exhibentes corpora sua hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum (*Rom.* XII). Et aliquando quidem holocaustum, id est gratiarum actio, aliquando pro peccato idem pœnitentiæ opus est, quod offertur, aliquando pacifica hostia, id est oratio quærens pacem ab impugnatione vitiorum, verbi gratia, dicendo cum Apostolo : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII). »

CAPUT IV.

Quod eorum omnium princeps unus sit Christus, a quo, vel in quo omne sacrificium perficiatur.

Horum omnium princeps unus Christus est. Ipsius namque principaliter est holocausta gratiarum offerre, qui secundum similitudinem Noe, de fluctibus et perditione sæculi arcam eruit Ecclesiæ suæ. Et de isto rectissime dicas, quia ædificavit altare Domino, offerens super illud holocaustum (*Gen.* VIII). Etenim propter illum odoratus est Dominus odorem suavitatis, et benedixit nobis, dicens : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* IX). » Item hujus solius est offerre hostias pacificas secundum similitudinem Danielis dicentis : « Et non est in tempore hoc princeps, et propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam, sed in anima contrita et spiritu humilitatis, suscipiamur sicut in holocaustum arietis, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium (*Dan.* III). » Solus enim inter Deum et homines pacem fecit, antiquas solvens inimicitias, aliud quam seipsum non habens altare vel sacrificium, et in carne vel sanguine suo melius susceptus est quam millibus taurorum et arietum,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vel agnorum pinguium. Nihilominus hujus est offerre sacrificia pro peccato non suo, sed alieno secundum similitudinem Job, qui surgens mane, offerebat sacrificia per singulos filios, dicens : « Ne forte benedixerint filii mei Deo in cordibus suis (*Job* I), » et ita sacrificabat eos Domino. Nunc diligentius singula pertractemus.

CAPUT V.

De oblatione holocausti ex armento, et quid sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus qui vivit secundum Job.

« Si, inquit, holocaustum fuerit ejus oblatio, et de armento masculum immaculatum offerret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. » De armento ejus oblatio est, qui vivit secundum Job, ut prædictum est, qui sub jugo conjugii domui suæ bene præfuit, et filios suos in omni pietate subditos erudivit, adeo ut, sicut jam diximus, holocausta offerret per singulos, dicens : « Ne forte peccaverint et benedixerint Deo in cordibus suis (*Job* I). » Et ejus oblatio holocaustum est, id est totum incensum, quando de bono opere gratias agens, et non sibi, sed Deo totum tribuens obtulit. Ait enim : « Masculum immaculatum offerret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum. » Masculum immaculatum de armento in illo ordine offerre est honorabile connubium, juxta Apostolum, et torum immaculatum (*Hebr.* XIII) custodire ad placandum sibi Dominum, districtum videlicet judicem fornicatorum et adulterorum. Quo ritu? Sequitur : « Ponetque manus super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino. » Manus super caput hostiæ ponere et vitulum Deo immolare, est adhibita bonorum operum disciplina, carnem conjugalem ad honorem Domini retinere, ut possit orationi vacare. « Et offerrent, inquit, filii Aaron sacerdotis sanguinem ejus per altaris circuitum, ad ostium tabernaculi. » Filii Aaron, quod interpretatur *mons fortitudinis*, filii, inquam, Aaron sacerdotis, id est membra sacerdotis, sive Pontificis magni, qui penetravit cœlos, Jesus Christi, ipsi sunt qui semetipsos in quocunque ordine dedicant illi. Nam non solis eis, qui manibus et ore sacramenta Christi conficiunt, sed cunctis credentibus dicitur per Petrum apostolum : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium (*I Petr.* II). » Et in Apocalypsi : « Omnium electorum laudantium vox est. Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes (*Apoc.* V). » Porro altare illorum fides est, cui quidquid offerunt necessario imponunt, sine qua nihil dignum, aut placitum offerre possunt. Sanguinem ergo hostiæ fundunt « per altaris circuitum, ante ostium tabernaculi, » quando voluntatem carnis et sanguinis pro Christo trucidant, ut in tabernaculo ejus digne consistere possint, verbi gratia, quando propter illud, quod dictum est : « Si ergo offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet A aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (*Matth.* V), » qui propter illud, inquam, aufert iram a corde suo, sanguinem hostiæ suæ fudit « per circuitum altaris, » juxta præceptum Domini. « Detractaque pelle hostiæ, inquit, artus in frusta concident. » Pellem hostiæ detrahere, est omnem hypocrisim abjicere, quod simulatores non faciunt, introrsum turpes speciosi pelle decora, quales erant Scribæ et Pharisæi, quibus væ denuntiat Dominus noster, eo quod omnia faciant propter homines. Artus quoque in frusta concidere, est vitia mortificare, juxta Apostolum dicentem : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum B **247** servitus (*Col.* III). » Ita demum : « Subjicient, inquit, in altari ignem, struc lignorum ante positi, et membra quæ cæsa sunt superordinantes, caput videlicet et cuncta quæ adhærent jecori, intestinis, et pedibus lotis aqua, adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. » Membra quæ cæsa sunt ordinare, est ea quæ fuerant arma iniquitatis exhibita peccato arma effecta justitiæ rationabiliter componere, ut sit, juxta Apostolum, rationabile obsequium nostrum (*Rom.* XII). Ordinatum quippe est, ut, verbi gratia, fidem reddat vir uxori, uxor viro, ambo Deo. Quæ membra? « Caput videlicet et cuncta quæ adhærent jecori. » Caput intentio est, quam cuncta totius operis membra sequuntur; in jecore concupiscentia et voluptas, juxta eos qui de physicis disputant, consistit. Intestina cogitationes occultas, pedes quotidiana significant peccata, sine quibus humana vel terrena conversatio transigi non potest : his omnibus « lotis aqua, » id est, per confessionem emundatis et per lacrymas, « adolebit ea, inquit, sacerdos super altare in holocaustum, et suavem odorem Domino. » — « Nunquid de bobus cura est Deo? » (*I Cor.* IX.) Si non de bove vivo ac triturante cura est Deo, quanto minus de bove mortuo detracta pelle, in frusta conciso. Ergo propter nos potius dictum est, qui cum fecerimus ea quæ prædicta sunt, et adoleverimus in holocaustum Domino, non nobis, sed illi totum attribuendo, cura D est illi de his, et suavis ad illum ascendit odor, sicut econtrario de peccatoribus fetor, qui sibi vivunt, non Deo, testante Deo : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel* I). »

CAPUT VI.

De oblatione holocausti ex pecoribus, et quis sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus qui vivit secundum Noe.

« Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive capris holocaustum anniculum et absque macula offeret. Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino, » etc. « De pecoribus ejus oblatio est, » qui vivit secundum Noe, qui, ut prædictum est, præfuit arcæ inter undas diluvii. Qui, inquam, ejus exemplo domum rei regendam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suscepit, ejus oblatio de arietibus est, sive de capris. Nam et si revera sit mundus et totus candidus aries, sua tamen æstimatione caper, id est, peccator est. « Anniculum, inquit, et absque macula offeret. » Anniculus, id est, unius anni masculus, jam fortis est, corniculumque vibrare potest, gregemque ductare jam illum decet. Significat ergo plenitudinem virtutum ejus, qui præesse dignus est Dominicis ovibus, qualis Apostolus juxta confidentiam loquitur : « An experimentum vultis ejus qui in me loquitur Christus? » (*II Cor.* XIII.) Itemque quasi validi conscius corniculi : « Quid vultis, inquit, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? » (*I Cor.* IV.) Estque absque macula cum cavet et dicit : « Ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). » Et discipulo persuadet, dicens ut seipsum exhibeat « operarium inconfusibilem (*II Tim.* II). » Huic ordini maxime necessaria est latitudo charitatis cum spiritu fortitudinis; unde et subditur : « Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem. » Latus namque altaris est amplitudo charitatis, qua dilatatus idem Apostolus dicit : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis (*II Cor.* VI), » etc. Ad hoc latus altaris semetipsum immolans idem aries anniculus, dux gregis Dominici : « Libenter, inquit, impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris (*II Cor.* XII). » — « Quod respicit ad aquilonem, » inquit. Aquilo diabolum significat, qui dixit : « Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis (*Isa.* XIV). » Hunc aquilonem respicit latus charitatis, quia videlicet nihil diabolo sic contrarium est, quomodo latitudo charitatis. « Sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum, dividentque membra, » etc.

CAPUT VII.

De obligatione holocausti ex volatilibus, et quid sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus qui vivit secundum Danielem.

« Sin autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus et pullis columbæ offeret eam sacerdos ad altare. » De avibus ejus oblatio est qui vivit secundum Danielem, id est qui vitam ducit cælibem, de hoc solum sollicitus « quomodo placeat Deo (*I Cor.* VII), » et ab omni liber onere sive servitio penna contemplationis ad alta sublevatur, sancto feriatus otio. « De turturibus, inquit, et pullis columbæ. » Avis utraque gemitum pro cantu habet. Hoc tantum interest quod turtur sublivagus, columba gregatim gemere consuevit. Significat ergo turtur solitariam vel eremiticam, columba vero cœnobialem vitam eorum qui per contemplationem volant. « Offeret eam, inquit, sacerdos ad altare. » Quomodo? « Retorto, inquit, ad collum capite, ac rupto vulneris loco decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. » Caput ad collum sive ad pennulas, id est sensum ad intentiones virtutum retorqueri oportet, ut videlicet quidquid agit, qui in ejusmodi proposito est, ad hoc tendat, ut ad cœlestia jugi contemplationis volatu migret, vel caput collo inhæreat, et non funditus abscindatur, quia videlicet mens, quæ ita cunctos actus, sicut caput regit corpus, a carnis delectatione incidenda est, sed a carnis cura necessario incidenda non est. Scriptum est enim : « Carnis curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* XIII). » Quæ ergo in desideriis facienda non est, procul dubio in necessitate facienda est. « Rupto, inquit, vulneris loco decurrere faciat sanguinem super crepidinem altaris. » Sanguis funditur in altari, cum ut supra dictum est, funditus abrenuntiatur propriæ voluntati. « Vesiculam vero gutturis, et plumas projiciet, et prope altare ad plagam orientalem in loco in quo cineres effundi solent. » Vesicula gutturis, quo videlicet turtur sive columba grana reperta recondit, capacitatem significat memoriæ, qua bene utens animus Scripturarum sententias utiliter congerit; plumæ vero, agilitatem mentis, qua sublimia sequi altumque dictorum sensum comprehendere novit. Sed hanc naturæ facultatem mens erudita quodammodo nescit, dum in veritatis luce totum videt, totum quod de Deo sapit, non suarum virium, sed superni esse muneris. « Vesiculam ergo, inquit, gutturis et plumas projiciet ad orientalem plagam, » id est prædictas memoriæ vel ingenii sui facultates in se contemnet supernam confitendo gratiam. Locus, in quo holocaustorum cineres effundi solent, justam significat hominis humilitatem, qui ne de accepto munere, vel revelationum magnitudine se extollat (*I Cor.* XII), meminit quia cinis est, et revertetur in cinerem. Unde adhuc subditur : « Confringetque ascellas ejus. » Ascellis namque pennatis avicula in altum tollitur. Ascellas ergo confringet, id est, virtutem in infirmitate deprimet, dum ut prædictum est de munere se mens non extollit, quod tribuit Deus, sicut de isto Moyse dictum est quia « stetit in confractione in conspectu ejus (*Psal.* CV). » — « Non secabit 258 nec ferro dividet eam, inquit. » Nec enim virtus accepta omnino nesciri debet, alioqui custodiri non valet. Confringatur ergo, et non fecetur vel ferro dividatur, id est per humilitatem ignoretur, sed per rationem optime sciatur, ut servetur. « Et adolebit super altare lignis, igne posito, etc. »

CAPUT VIII.

De oblatione farris et cur sit dictum : « Anima cum obtulerit, » et quod simila esse debeat ejus oblatio, et quis ritus ejus sit.

(Cap. II.) « Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila ejus erit oblatio. » Quamvis per partem, totum, id est per animam recte intelligas hominem, eleganter tamen in tali negotio maluit animam ponere quam hominem. In vero namque sacrificio non satis est corporaliter præsentem spectari hominem, præsertim ubi sacrificii Dominus non schema vel habitum corporalem, sed animæ respicit intentionem. « Anima ergo, inquit, cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio. » Hactenus de oblatione pecorum, sive carnium

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nunc de oblatione farris litteralis sermo est. Equidem dignum est ut non hordeum aut furfurem, sed similam offerat Deo largitori omnium, qui acceptione dignam modis omnibus facere curat oblationem. Cæterum et hoc spirituali sensu non vacat. Simila namque interior frumenti et tritici medulla est. Quid autem hæc Scriptura sancta, nisi frumentum Dei? Porro medulla triciti spiritualis intellectus verbi. Qui ergo rite sacrificare desiderat, dum legit ac psallit, spiritualem intelligentiam in Creatoris sui laudibus offerat. Quod Apostolus studens agere: Psallam, inquit, spiritu, psallam et mente (*I Cor.* XIV). Nam spiritu psallere est memoriter psalmorum verba proferre, mente vero psallere est vitalem verborum sensum mente percipere. Qui ergo Deo laudem immolat, ut floridum faciat sacrificium sensum utilem quo delectatur Deus offerat, ut, verbi gratia, cum dicit: « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII), » non tam furfurem litteræ sequendo quam spiritus illum similam panem intelligat, non quem Moyses dedit, vel quem Moyses cum populo manducavit, sed quem Pater siguavit et in quo vitam mundo dedit (*Joan.* VI)', quo angelos immortaliter pascit, quod quia Judæi non faciunt, occidentem litteram, et non vivificantem spiritum sequendo, contemptibile est quod offerunt, recteque dicitur illis per prophetam: « Offertis super altare meum panem pollutum (*Mal.* I). » Itaque simila, inquit, erit ejus oblatio. Sed non satis est, in hujusmodi oblatione solam habere conscientiam. Sequitur ergo: « Fundetque super eam oleum, et ponet thus. » Oleum charitatem, thus bonæ famæ significat odorem. Hoc sermo divinus præcipit, ut quicunque dicto vel scripto prædictam verbi divini similam sacrificat, et cum charitate id faciat, et apud eos qui foris sunt, bonum testimonium habeat. Hoc enim modo, et oleum pariter et thus offeret Deo suo. « Ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum unus tollet pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare, in odorem suavissimum Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus sanctum sanctorum de oblationibus Domini. » Unus iste vel Ecclesiæ veritatem, vel certe ipsum significat Christum magnum pontificem. « Tollet, inquit, pugillum plenum similæ et olei, ac totum thus, » id est, intentionem charitatis ac bonæ vitæ odorem ejus qui laborat in verbo et doctrina, « et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino, » videlicet juxta quod in Apocalypsi idem ipse significatur, per angelum stantem juxta aram templi et habentem thuribulum aureum in manu sua, cui data sunt incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante oculos Domini. Hic plane prædictum memoriale super altare tollit, ut is a quo suscipitur in memoria æterna sit. « Quod reliquum, inquit, fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus, » quia videlicet eorum qui Scripturas libenter legunt, et idcirco filii Aaron, id est, proximiora Christi membra sunt, sancta et desiderabilis refectio est, quidquid de hujusmodi sacrificio sancti doctores in libris suis reliquerunt. Erit igitur, inquit, « sanctum sanctorum de oblationibus Domini. »

CAPUT IX.

Quod oblatio similæ sartagine minutatim dividenda sit, oblatio vero de craticula non comminuenda, et utraque absque fermento oleo conspersa esse debeat, et quid hæc mystice innuant.

« Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila panes, scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagenas azyma olea lita, si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo et absque fermento, divides eam minutatim, et fundes desuper oleum. Sin autem de craticula sacrificium fuerit, æque simila oleo conspergetur. » Ei qui similam verbi Dei coquit in clibano, id est Scripturam sacram tractat in Spiritu sancto, panes faciens, absque omnis hæreticæ pravitatis vel vanæ gloriæ fermento, conspersos, ut prædictum est, charitatis oleo ei, inquam, persecutio semper præsto est. Aut enim ab his qui intus sunt falsis fratribus illi derogatur, aut ab illis qui foris sunt impiis et sine Deo hominibus manifestius impugnatur. Ait ergo: « Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo et absque fermento, » id est, si intus habueris pugnas verborum a falsis fratribus, pro sacræ studio Scripturæ, quam cum charitatis oleo, et absque falsitatis tractaveris fermento, « divides eam minutatim, » id est, diligentissime singula dicta discuties, ne forte quidpiam reprehendi juste possit, « et fundes supra oleum. » Similæ jam conspersæ oleo, iterum minutatim divisæ superfundes oleum, id est, Scripturæ sanctæ per charitatem elucidatæ, iterum singillatim retractæ adversus contradictores, non amaritudinis zelum, sed ardentioris, ut eos lucrifacias, superadides ejusdem charitatis oleum. Sartago vas, a strepitu soni vocatum, sonat enim et strepit dum in ea frigitur oleum. Internum ergo significat fraternæ æmulationis incendium, id est interius personante ac perstrepente falsorum fratrum invidia. Porro craticula apertam illorum, qui foris sunt, significat malitiam, qui sanctos homines, veritatis similam Deo sacrificantes, corporaliter quoque distentos, subjectis incendiis conflagraverunt. Illic quoque oleum conspergitur; corpore namque assato charitas exundat et ebullit ferventius. Ait ergo: « Sin autem de craticula sacrificium æque simila oleo conspergetur. » Notandum quod si de sartagine est oblatio minutatim dividi, et sic oleum supra fundi jubetur: sin autem de craticula non minutatim dividi, sed oleo tantum conspergi imperatur. Nam contra falsos fratres, qui sub nomine Christiano veritati insidiantur, diligentissima divisione ac subtili discretionis minutatione opus est, quippe qui sub eisdem nominibus, quibus pro fide utimur, et ipsi malitiose delitescentes, contra fidem nituntur. Unde Dominus noster: « Ab-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos
249 in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). » Cæterum contra eos qui Christi nomen quoque oderunt, non adeo dubia, vel subtilis pugna est; illic enim quasi in plano campo hostem dignoscere valet simplicitas quoque rusticorum fidelium. Nam sicut ipse Dominus noster, cum a Judæorum pontificibus, Scribis et Pharisæis, tanquam in sartagine stridula, seditioso strepitu quæstiunculis objectis frigeretur, subtili commemoratione Scripturarum causam justitiæ suæ tuebatur; cum autem coram Pilato staret, nihil cum illo de Scripturis est locutus; sic electi ejus discipuli quoties ab eis qui Scripturarum habent notitiam, quæstionibus perversis inquietantur, oportet ut de Scripturis vigilantes respondendo, verba sua quasi minutatim dividant, quoties autem ab eis tribulantur qui Scripturas non recipiunt, vel earum non habent auditum, sermonem de hujusmodi non effundant. Sequitur : « Quam offerens Domino trades manibus sacerdotis, » etc., ut supra.

CAPUT X.

Quod omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento et melle esse, et sale condiri debeat, et quid hæc mystice.

« Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet. Nec quidquam fermenti, nec mellis adolebitur in sacrificio Domini. Primitias tantum eorum offeretis et munera; super altare vero non ponentur in odorem suavitatis. » De fermento veteri, fermento malitiæ et nequitiæ, jam alibi dictum est. Mel dulcedinem temporalis gaudii significat, cui constanter a sapiente verbi Dei præfertur delectatio, dicente : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo » (*Psal.* CXVIII.)! Nec mellis, inquit, id est vanæ ac transitoriæ delectationis adolebitur quidquam in sacrificio Domini. Nam econtrario agnum comedere jubemur, cum lactucis agrestibus, quæ valde amaræ sunt, et amara significant lamenta pœnitentium, sine quibus non satis est charum Deo sacrificium nostrum. Quod sciens Psalmista : « Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus non despicies (*Psal.* L). » Igitur nec fermenti, inquit, nec mellis quidquam adolebitur in sacrificio Domini, quia videlicet sicut fermentum malitiæ et nequitiæ Deus odit, sic et ineptam lætitiam non admittit, nec enim tempus est, nunc ridendi, sed flendi (*Eccle.* III). « Væ autem vobis, ait, qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis (*Luc.* VI). »—« Primitias tantum eorum, ait, offeretis et munera, » videlicet quemadmodum anethum decimatur, aut mentha, « super altare vero non ponentur in odorem suavitatis. » — « Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. » Notanda terna salis replicatio, « quidquid obtuleris sale condies et non auferes sal fœderis Dei tui, et in omni oblatione offeres sal. » Hoc ergo sub nomine salis plenius inculcat et repli-

A cat, ut absque discretione nihil facias. Nam sicut quod sale non est conditum, insipidum est, et carnes quibus salis condimentum denegatur citius corrumpuntur, sic omne quod agimus, si absque discretione fiat, æternæ sapientiæ placitum non est, et quasi putridum aut fetens abjectione dignum est. Idcirco ter dixit (sal fœderis Dei tui,) quia videlicet in discretione fœdus Domini permanens est, indiscrete autem agentibus fœdus cum Deo permanens, vel incorruptum perseverare nequit. Proinde Dominus ait : « Vos estis sal terræ. Si ergo sal infatuatum fuerit, in quo salietur? » (*Matth.* V.)

CAPUT XI.

Quid sit mystice de spicis virentibus offerre, et quid sit igni eas torrere, oleumque ac thus superimponere.

B « Sin autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni et confringes eas in morem farris, et sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est. » Fruges nostræ lectionis sacræ sunt. Tunc autem munus primitiarum offerimus de spicis adhuc virentibus, cum in servitio Domini Patrum illorum qui ante legem fuerunt, imitanda nobis exempla proponimus. « Ager enim mundus est, semen verbum Dei, messis vero consummatio sæculi (*Matth.* XIII). » Ergo cum exempla Patrum legimus, et imitanda nobis proponimus, quos nondum legis æstus torruerat, C quasi de spicis adhuc virentibus, Domino primitiarum munus offerimus. Sed sunt eorum facta quædam, quæ sicut historialiter acta leguntur, nequaquam ita sequi, vel in defensionem nostri pro auctoritate assumere ea valemus. Imo et post legem datam sunt sanctorum facta quædam, a quibus juste restringimur secundum regulam evangelicam, verbi gratia : Ante datam legem Abraham patriarcha Dei amicus sororem suam filiam patris sui, et non matris suæ, uxorem duxit (*Gen.* III); post legem autem David quoque sanctus plures uxores eodem tempore habuit (*I Reg.* III). Ita quasi virentes adhuc spicæ, ante adventum Christi in agro mundi hujus steterunt, donec elevato eodem sole justitiæ, quasi plena æstate, maturesceret, ac solidaretur messis virtutum. Igitur D si de spicis, inquit, adhuc virentibus munus primitiarum frugum tuarum Domino obtuleris, « torrenis eas igni, et confringes in modum farris, » id est si exempla Patrum antiquorum imitanda tibi proposueris, horrentem litteræ paleam Spiritu sancto adures et sensu spirituali conterendo, ad similitudinem evangelici farris confringes, ut quod hoc tempore judicaretur adulterium ad evangelicum referas sacramentum. Nam quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera, si secundum litteram sequaris vel imiteris, tanquam adulter juste removendus es ab altari Domini. Si autem cum Apostolo per allegoriam dicta esse hæc accipias (*Gal.* IV), spicas virentes igni torres, et in modum farris confringis, digne Domino primitias feres,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fundensque super eas oleum, et thus imponens, id est pia charitatis consideratione ad honorem Domini perpendens, quia non illis reputatur in peccatum, quod recenti adhuc sæculo sancti ac fideles homines Deo non prohibente fecerunt. « De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti et olei, ac totum thus. » Hoc item intelligendum ut supra.

CAPUT XII.

De hostia pacificorum, quid ab oblatione holocausti differat et de mystico ritu ejus, et cur non de volatilibus fieri præcipiatur.

(Cap. III.) « Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre marem sive feminam, offeret immaculatam coram Domino. » Hoc ita superiori conjungitur lectioni. Dixerat superius (*Lev.* I) : « Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii ad placandum sibi Dominum, » etc., **250** usque ad id quod dictum est, « confringetque ascellas turturis sive columbæ, et non secabit, nec ferro dividet eam. » Paucis interpositis de sacrificio farris, nunc demum ita subjungit : « Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, » etc. Holocaustum, id est totum incensum, jam supra diximus, sacrificium esse gratias agentium, videlicet, quia per auxilium Dei gratia cuncta vitia sua sancti Spiritus igne combusserunt. Hostiam vero pacificorum eorum esse qui secundum Apostolum condelectati quidem lege Dei secundum interiorem hominem, sed videntes aliam legem in membris suis repugnantem legis mentis suæ pacem quærunt et dicunt : « Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII.) Ergo hujusce sacrificii, id est hostiæ pacificorum et holocausti distantia diligenter consideranda est. Holocausti oblatio, sive de armento, sive de pecoribus sit, sive de avibus, tota secundum nomen suum jubetur incendi. De hostia vero pacificorum, nunc ita lex dicit : « Fundentque filii Aaron sacerdotis sanguinem per circuitum altaris, et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino. » Si de bobus fuerit, « adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est, duos renes cum adipe quo teguntur illa, et reticulum jecoris, cum renunculis, adolebuntque ea super altare in holocaustum lignis igne supposito in oblationem suavissimi odoris Domino. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio et agnum attulerit. » Item, eodem modo separabuntur hæc in holocaustum Domini. « Si autem capra fuerit, » nihilominus eadem separationis lex erit, videlicet nec adipem, nec sanguinem omnino comedetis, inquit. Nam subaudiendum est, quia « quidquid reliquum fuerit, erit Aaron et filiorum ejus, sanctum sanctorum de oblationibus Domini (*Lev.* II). » Hæc holocausti et hostiæ pacificorum distantia juxta historiam manifesta est. Cæterum, juxta spiritualem sensum, eis quorum hæc est pugna, qua legi mentis ea, quæ in membris est lex alia adhuc repugnat, subtiliter valde pensandum est quod dicitur. Quid enim est « adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis intrinsecus est, » in holocaustum adolere, nisi corpus castigare et in servitutem redigere? Adeps namque qui operit vitalia, quid est, nisi lex alia quæ in membris delicatis et vitali legi mentis repugnat? Quid, inquam, est « duos renes cum adipe quo teguntur illa in holocaustum » adolere, nisi cum Psalmista dicere ad Dominum : « Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos, et cor meum? » (*Psal.* XXV.) Sed non satis est abstinentia ciborum renes corporis castigare, nisi intrinsecus radix concupiscentiæ perusta sit sancti Spiritus igne. Ait ergo : « Et reticulum jecoris cum renunculis. » In jecore, juxta physicos, voluptatis et concupiscentiæ consistit vis. Ergo non solos renunculos, sed cum renunculis, reticulum quoque jecoris, id est non solum renes corporis per abstinentiam cibi et potus, sed interiorem quoque concupiscentiæ radicem sancti Spiritus oportet amore comburi. Sive de bobus, sive de ovibus, hæc oblatio, id est hostia pacificorum fuerit, sive masculus, sive femina, sive ovis, sive capra, item eodem ritu hæc separari, et in holocaustum oportet afferri, quia quocunque ex ordine ille sit, in quo adhuc alia membrorum lex repugnat legi mentis, expedit illi, labore proprio cum invocatione sancti Spiritus tam concupiscentiam comburere mentis quam renes affligere corporis. Deinde Aaron et sacerdotum filiorum ejus erit quod reliquum erit sacrificii, quia videlicet eorum qui jam in virtutibus profecerunt, et aliis præesse noverunt, cura hæc erit, ut istorum infirmitatem orationibus juvent, informent exemplis, erudiant disciplinis. Notandum in hoc sacrificio, id est in hostia pacificorum, cum adipe et cum renibus debere caudam quoque offerri per sanguinem suum. Ait enim : « Et offerent de pacificorum hostia, sacrificium Domino adipem, et caudam totam cum renibus, » etc. Cauda finis corporis est. Hoc ergo isto quoque nomine Spiritus dicit Ecclesiis quia « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Item notandum et illud, quia sacrificium hujusmodi, id est hostia pacificorum de armento quidem et de gregibus ovium atque caprarum, æque ut holocausti oblatio sumitur; de avibus vero, id est de turturibus et pullis columbæ, sumi non præcipitur. Cur hoc? Videlicet, quia non illorum qui jam per contemplationis pennam sursum volant, pugna illa est, qua, ut prædiximus, legi mentis repugnat alia lex quæ in membris est. Sequitur

CAPUT XIII.

De oblatione pro peccato, quid ab holocausto et hostia pacificorum differat.

(Cap. IV.) « Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel : Anima quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit, si sacerdos qui est unctus peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum im-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

maculatum Domino, et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum suam super caput ejus, et immolabit eum Domino, » etc. Lex ista ejus oblationis est, quæ pro peccato datur. Hoc sacrificium primum et universale omnium est. Quid secundum litteram ab holocausto et hostia pacificorum differat perspicuum, quia videlicet non ut de hostia pacificorum, ita de isto in esum sacerdotum, partes quædam tolluntur, neque ut holocaustum in altari, sed extra castra totum comburitur. Ergo legem ejus auctoritate apostolica præeunte diligentius prosequamur. Ait : « Si sacerdos qui est unctus peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum, » etc., ac deinceps : « Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret vitulum pro peccato, » etc. Utrobique sic definitum est : « Pellem vero, et omnes carnes cum capite ac pedibus, et intestinis, et fimo et reliquo corpore efferet extra castra, atque comburet. » Porro hæc Apostoli sententia est : « Quorum enim animalium sanguis infertur in sancta per pontificem, eorum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per semetipsum populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII). »

CAPUT XIV.

Quod Adam fuerit sacerdos ille juxta sensum mysticum de quo lex dixit : « Si sacerdos peccaverit, delinquere faciens populum, » et quod vitulus pro peccato ejus oblatus est Christus.

Quis igitur iste est sacerdos qui peccatum delinquere faciens populum nisi primus homo Adam, qui cum deberet esse sacerdos, et jugi sacrificio laudis honorificare Dominum, ad hoc enim super jumenta et bestias terræ eruditus, id est ad imaginem et similitudinem Dei factus est, et in paradiso positus benedictione Creatoris in filiis suis augendus, ut eidem Creatori gratias ageret, et sacrificium laudis **251** offerret; cum, inquam, hoc facere deberet, peccavit, et omnes posteritatis suæ populum delinquere fecit? Nam in illo omnes peccavimus, et omnes in illo juste mortui sumus, dicit ergo : « Offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. » Hoc ita factum est. Adam non idem in persona, sed idem in natura, Adam, inquam, novus Deus et homo Christus Jesus, obtulit pro peccato suo vitulum immaculatum, pro peccato, inquam, suo, id est suorum; nostrum enim peccatum per suam gratiam suum fecit debitum. Unde dicit in psalmo : « Quæ non rapui tunc exsolvebam (*Psal.* LXVIII). » Quem vitulum obtulit immaculatum? Semetipsum, corpus suum immaculatum de armento boum magnorum, de genere patriarcharum antiquorum sine omni macula peccati conceptum et natum. Adduxit illum vitulum, id est semetipsum, et astitit ad ostium tabernaculi testimonii; tabernaculi, inquam, cœlestis et veri, quod nobis erat clausum, ut aperiret nobis cœlestia sancta sanctorum per sanguinem suum. Posuitque manum super caput ejus et immolavit eum Domino, id est obedientem se exhibuit, et obtulit se in sacrificium Deo et Patri suo. Et notandum quod tertio repetitum est Domino. Offeret vitulum immaculatum Domino, adducet illum coram Domino, et immolabit eum Domino. » Dominanti quippe Trinitati Christus humanitatis suæ vitulum sacrificavit, triduana morte satisfaciens pro nobis. Unde adhuc sequitur : « Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eum septies coram Domino, contra velum sanctuarii, ponetque de eodem sanguine super cornu altaris, thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. » Et hoc ita factum est. Christus enim propitiationis nostræ vitulus « per proprium sanguinem introivit semel in sancta (*Hebr.* IX), » non quod sanguinem sui corporis, verbi gratia, qui de lanceato ejus latere profluxit, ipse in illa cœlestia sancta transtulerit, sed quia sanguinis ejusdem effectum, id est remissionem peccatorum universæ Ecclesiæ, quæ est tabernaculum testimonii ejus, intulit in conspectu Dei Patris. Quomodo? « Cumque intinxerit digitum, inquit, in sanguine, asperget eum septies coram Domino contra velum sanctuarii, » etc. Digitum in sanguine intingere est Spiritum sanctum per sanguinem suum dare; nam digitus Dei dicitur Spiritus sanctus ut illic : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* XI), » quod alius evangelista manifestius : « Si in Spiritu Dei, inquit, ejicio dæmonia (*Matth.* XII). » Porro hic Spiritus sanctus nulli in remissionem peccatorum nisi per Christi sanguinem datur. Unde est illud : « Nondum enim fuerat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* VII). » — « Cum ergo sacerdos digitum in sanguine intinxerit, » id est cum Spiritum sanctum per suum sanguinem acquisierit, « asperget eum, inquit, septies coram Domino contra velum sanctuarii. » Hic Spiritus sanctus septiformis est. Porro velum sanctuarii operturam sive clausuram significat cœlestium mysteriorum ejusdem Christi Filii Dei. Digito igitur intincto sanguinem septies aspergere, est dato per passionem suam septiformi Spiritu sensum discipulis, ut Scripturas intelligerent, aperire (*Luc.* XXIV). « Ponetque, ait, de eodem sanguine super cornu altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. » Cornu altaris fortitudo vel exaltatio ejusdem Christi est. Unde Psalmista : « Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII), » id est, vacate a servilibus et intendite bonis operibus, donec perveniatis ad cognitionem divinitatis Christi, qui est sublimitas vestræ mentis. Idcirco vero altare dicitur thymiamatis gravissimi Domino, quia thy-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

miamata sive incensa orationum nostrarum non nisi de illo vel per illum Deus Pater accipit. « Ponet, inquit, ergo de eodem sanguine super cornu altaris thymiamatis, » id est, suscitatus a mortuis et elevatus in cœlum, sedensque a dextris Dei, vestigia suæ passionis, scilicet, cicatrices vulnerum, signa clavorum, et lanceæ, in æternum reservabit, quo memoriali gratissimi odoris semper interpellet pro nobis.

CAPUT XV.

Quod reliquum sanguinem fundi ad basem altaris in introitu tabernaculi, sit baptizari gentes post passionem ejus in morte ejus.

« Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basem altaris holocausti in introitu tabernaculi. » Fundamentum est Christianæ fidei, scilicet, baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Unde et bene dicitur, « in introitu tabernaculi, » quia videlicet non nisi per baptismi regenerationem introitus ulli est in tabernaculum Domini quod est Ecclesia Dei. Ait ergo : « Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basem altaris. » Dixit enim postquam resurrexerit a mortuis : « Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Hoc utique dicto reliquias sanguinis sui fudit in basem altaris. Nam et Apostolus dicit : « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI), » etc. Igitur « reliquum sanguinem fundet in basem altaris in introitu tabernaculi, » id est cum per sanguinem suum priorum temporum omnes electos emundaverit, ejusdem gratiæ reliquias futuris, et per verbum apostolorum, crediturus gentibus sive Judæis, ponit in introitu tabernaculi veri, ut per baptismum complantentur similitudini mortis ejus quicunque volunt corporis ejus uniri, id est in Ecclesiam ejus ingredi et resurrectionis ejus comparticipes fieri.

CAPUT XVI.

Quid sit pelle, carnibus, capite, pedibus, intestinis et fimo extra castra crematis, et cineribus in locum mundum effusis, adipem vituli offerri pro peccato; et quod, in sacrificio panis et vini, veritas carnis et sanguinis, et tota sit gratia Verbi incarnati.

« Et adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quam omnia quæ intrinsecus sunt, duos renunculos, et reticulum quod est super eos juxta illa, et adipem jecoris cum renunculis, sicut auferetur de vitulo hostiæ pacificorum, et adolebit ea super altare holocausti. Pellem vero, et omnes carnes cum capite, et pedibus, et intestinis, et fimo, et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent. Incendetque eam super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. » Dubium ergo esse non licet quoniam illud quod corpus hostiæ jubetur extra castra cremari, hoc significet quod Dominus Jesus extra portam passus est, Apostolico firmante testimonio (*Hebr.* XIII), quod superius positum est. Quid ergo hæc sibi vult retentio adipis, et cæterorum quæ separari jussa sunt in holocaustum, nisi illud quod idem vitulus, idemque sacerdos magnus, continuo educendus vespertinum fecit sacrificium, panem et vinum **252** transferendo in corpus et sanguinem suum. Nam pellem quidem, id est visibilem hominis speciem totumque mortalis ac miseræ substantiæ nostræ fimum, in isto sacrificio non attendis, sed quidquid pinguedinis, id est quidquid gratiæ spiritualis in Christo est, fides istic tenet, et sensus animæ percipit. Unde tota cum eodem capite suo sancta dicit Ecclesia : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII). » Cæterum de illo quæri potest quod cum dicatur, corpus et sanguis, neque panis in carnis speciem, neque vinum mutetur in sanguinis horrorem, id est murmurare plebeium quemque, cur non sacerdos vituli fimum adoleat, simul et pellem. At illa semel extra portam cremata sunt, quando pellem nostræ mortalitatis atque corruptionis excoxit ignis passionis super struem lignorum, id est in patibulo crucis, ac demum ipso resurgente a mortuis id quod mortale erat, a vita absorptum est. Cur post resurrectionem suam invisibilis factus est, et non nisi quando voluit, et a quibus voluit visus est, ita ut cum vellet evanesceret, nisi quia corruptio omnis absorpta est ? Etenim quod necessario visibile est, procul dubio et corruptibile est. Igitur de fimo et pelle vituli, id est, visibili atque corruptibili specie corpus et sanguinis Domini, neminem scrupulus moveat infidelitatis. Nam totam adipem, totam pinguedinem vituli, id est totam gratiam et veritatem verbi incarnati, qua indiget ut repleatur anima fidelis, illic se habere fides Christiana consentit. Nomine, re, atque effectu caro vera est et sanguis verus. Nomine videlicet, quia sic sacerdos dixit consecrationum opifex, qui vera rebus nomina ponit : « Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei. » Re autem, quia profecto sanctum sanctorum est, quam vere sacerdos iste, qui sanctificat, Sanctus sanctorum est. Effectu nihilominus quia videlicet quam efficaciter semel passus omnibus præteritis remissionem peccatorum attulit tam potenter et nunc ad Ecclesiam per eamdem fidem venientibus, remissionem peccatorum digne percipientibus impendit. Ubi tot habens veræ essentiæ partes multo adipe repletur anima fidelis, quid te moveat, quia non comparent pellis et fimus, id est horrida species carnis et sanguinis. Illud sane non prætereat vicarium Christi sacerdotem, quia cum adipe duos quoque renunculos et reticulos jecoris, id est omnem voluntatem propriam secundum spiritualem hanc legem, magnus ille Sacerdos Deo Patri suo in holocaustum obtulit. Non enim increpantibus se renibus suis acquievit, sed jam antequam prædicto modo carnis ejus pellis quoque et fimus cremanda extra portam efferrentur, renes suos adoleverat. Dicebat enim : « Non mea, Pater mi, sed tua voluntas fiat (*Luc.* XXII). » Hoc, inquam, sacerdotem quemque non prætereat, sed ex exemplo ejus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ipse quoque renes suos cum jecore, id est voluptatem carnis vel concupiscentiam quæ juxta physicos consistit in jecore, adolere, id est mortificare studeat. In locum, inquit, mundum, in quo cineres effundi solent, cremabuntur. Locus in quo cineres effundi solent, communis terræ sinus, et humanæ sepulturæ necessitas est. Illic enim cineres, id est, omnium mortalium corpora mox in cinere resolvenda, effundi solent. Mundus autem quod dixit, hoc evangelista sanctus non præteriens, cum dixisset : « Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus, et in horto monumentum (*Joan.* XIX), » statim addidit, « in quo nondum quisquam positus fuerat (*ibid.*). » Munditiam ergo singularem cineris unici, signanter expressit, dum non tantum in locum, in quo cineres effundi solent, sed in locum mundum dixit. Nam sicut in utero de quo conceptus est, nondum quisquam admissus fuerat, et sicut in monumento in quo positus est, nondum quisquam conditus fuerat, sic in illa munditia qua cinis effusus est, nullius unquam cinis effusus fuerat. Unde et cineres omnium in antiquum statum reformare poterit indulta illis participatione sui sanctus iste cinis. Nam et idcirco cum mundus esset, in terram fusus est, ut corpora nostra propter peccata in cinerem reversa, denuo secum resuscitaret.

CAPUT XVII.

De eo quod ait : « Quod si omnis turba Israel ignoraverit, » etc., quod actualia peccata per illam multitudinis ignorantiam intelligenda sint, et quod illa quoque ut originale peccatum, deleantur per mysterium passionis Christi.

« Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret vitulum pro peccato, adducetque eum ad ostium tabernaculi, et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino, » etc., ut supra. Quæ hactenus dicta sunt, itidem dici potuissent, etiam si unum et solum originale peccatum Christi fuisset morte deletum. Sed dicit Apostolus : « Et non sicut per unum peccatum ita et donum. Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum (*Rom.* v). » Optime et cum hoc Apostoli testimonio, et cum omni evangelicæ veritatis doctrina, certum tenet fides catholica quia non solum originale, sed et cuncta simul actualia, nobis per passionem Christi Filii Dei remittuntur peccata. Bene ergo postquam de peccato sacerdotis lex dicit, ita subjunxit : « Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, » etc. Post peccatum sacerdotis omnis quoque turba ignoravit, quia postquam primus homo peccavit, qui, ut prædictum est, in paradiso Dei sacerdos esse, gratiarumque et laudum hostias offerre debuit, cuncta quoque populositas generis humani in ignorantiam Dei defluxit, originale crimen actualibus cumulando peccatis. Unde Apostolus : « Quia non est justus quisquam, non est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Rom.* III), » etc., quæ de testimonio psalmi sumpta sunt (*Psal.* XIII). Et ut comprobaret nec Judæum qui requiescit in lege gloriatur in Deo, ab illa declinantium atque inutilium universalitate excipi, continuo subjunxit : « Scimus autem quia quæcunque lex loquitur his qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur (*Rom.* III), » etc. Igitur et sacerdotis, qui delinquere fecit populum, et simul omnis turbæ peccatum, eodem animali, id est vitulo, et eodem sacrificii ritu legitime expiatur, quia et originale quod ex Adam contractum est, et cuncta simul actualia peccata eodem passionis Christi sacramento delentur. Et super illius quidem bruti pecoris caput seniores tantum ponebant manus, nec enim fieri poterat, ut cuncta simul turba imponeret uni manus, hujus autem vituli rationalis, id est Christi capiti, manus imposuimus nos omnis turba, quicunque in morte ipsius baptizati sumus. Omnia namque peccata nostra capiti et fortibus humeris ejus portanda sive tollenda imposuimus, imo Deus per manus nostras; per manus, inquit, id est per fidem sive professionem credentium, posuit in eo iniquitates omnium nostrum (*Isai.* LIII).

253 CAPUT XVIII.

De peccato quod post baptismum admittitur, secundum legem dicentem : « Si peccaverit princeps, » etc., et quis sit princeps et quæ anima de populo terræ, et de oblatione principis, id est prælati.

Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum, ponetque manum suam super caput ejus. Cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus. Adipe vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet. » Post passionis Christi sacramentum, quod in baptismo percipitur, peccantibus jam non idem remedium vel eadem gratiæ largitas proponitur. Nam hostia pro peccato nobis exstitit Christus, quam semel pro peccatis certa redemptione tunc dedimus, quando singuli in morte ipsius baptizati sumus. Etenim comparatione securitatis, quam de præteritis peccatis in baptismo sive infantes sive veterani accepimus, valde scrupulosa est redemptio, si iterum peccaverimus, quamlibet dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Quamvis dictum sit : « Quacunque die quis conversus ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XVIII), » non tamen et hoc dictum est : Quacunque die ingemuerit, peccata sua remittentur ei, nec certum est utrum in hoc sæculo remittantur, an in futuro. Nec enim leviter aut dubie dictum est : « Si cujus opus arserit, detrimentum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III).» Potest tamen et illud recte de principali conversione dictum accipi, videlicet qua de errore et de peccatis vetusti hominis Adæ convertitur quis, et ad Dominum vel Dei Filium ingemiscendo transit, quo fit ut filius non portet iniquitatem patris, scilicet ejus qui primus peccavit. Bene itaque post datum immolandi vituli ritum hostia minoratur, cum dicitur : « Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus quod Domini lege prohibetur, offeret hircum. » Ac deinceps : « Quod si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ, et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, » etc. Princeps ille est, qui tanquam aries ovibus, aut tanquam hircus capellis pluribus præeminet. Hic si peccaverit et fecerit unum e pluribus, quod Domini lege prohibitum est, eo ipso quod peccavit, malum inferioribus exemplum præbuit. « Quod si postea intellexerit peccatum suum, offeret, inquit, hostiam Domino » non iterum vitulum, sed « hircum. » Non enim renovabitur iterum ad pœnitentiam, scilicet ut baptizetur iterum, quod esset rursus crucifigere in semetipso, et ostentui habere Dei Filium (*Hebr.* VI), sed « offeret hircum, » id est, per actualis pœnitentiæ mortificationem, mactabit semetipsum, ut possit pro peccato tuo ejusdem passionis Christi de sancto altari utiliter percipere sacramentum. Peccando namque et faciendo unum de pluribus quod Domini lege prohibitum est, verbi gratia, mœchando sive homicidiali cornu feriendo ipse hircus effectus est, quales utique ad sinistram statuentur, quibus et dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Igitur si salvari cupit, mactabit hircum, id est pœnitendo puniet semetipsum. Ubi? « In loco, inquit, ubi solet mactari holocaustum coram Domino. » Locus, in quo holocausta mactari solent, catholica Ecclesia est. Nam extra illam nullus veri sacrificii locus est. Igitur in catholica Ecclesia, in confessione veræ fidei pœnitebit, et huic fundamento digna pœnitentiæ opera superædificabit. « Tinget, inquit, sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens in basim ejus. » In isto quoque sacrificio spiritualiter idem sacerdos et hostia est, quia semetipsum offeret. « Obsecro, inquit Apostolus, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XI). » Quod qui fecerint, gratulabuntur secundum Apocalypsim dicentes : « Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes (*Apoc.* V). » Tingit ergo sacerdos digitum in sanguine hostiæ suæ, quando discretionem operosæ pœnitentiæ imprimit usque ad mortificationem concupiscentiæ suæ. Tangit vero cornua altaris, cum pristina dignitate recuperata, alios quoque docendi auctoritatem resumit, velut ille qui cum post culpam pœnitendo dixisset : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me (*Psal.* L), » continuo subjunxit : « Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur (*ibid.*). » Verumtamen nonnihil refert. Nam secreto quidem admissum et spontanea confessione sacerdoti proditum peccatum, rogante pro eo sacerdote, tanta largitate dimittitur ut cum venia dignitas quoque pristina recuperetur; deprehensum autem, aut publice convictum crimen post pœnitentiam, laica tantum communione contentum addidit hominem sacrorum auctoritati canonum. Unde et hoc notandum quod supra quidem de sanguine vituli tinguntur cornua altaris thymiamatis, quod erat interius, hic autem de sanguine hædi, et postmodum de sanguine capræ tinguntur cornua altaris holocausti, quod erat exterius. Etenim, ut supra dictum est, comparatione securitatis quam in baptismo accepimus valde scrupulosa est redemptio, si iterum peccaverimus. Sed et « reliquum sanguinem, inquit, fundet ad basim ejus, » cum de cætero cavet cunctis concupiscentiarum per puram confessionem fusis suggestionibus. Adipem quoque adolet, sicut fieri solet in victimis pacificorum, cum, ut superius dictum est, ad hoc tendit ut pacificorum habeat vitæ statum, qualem suspirans Apostolus : « Condelector, ait, legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis (*Rom.* VII). »

CAPUT XIX.

De peccato plebei, id est subditi, et de oblatione ejus, et de eo quod ait : « Si peccaverit per ignorantiam, » etc.

« Quod si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ, ut faciat quidquam ex his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam, » etc. Eadem lex plebei, quæ et principis est, excepto quod princeps hircum masculum, plebeus capram feminam offerre debet, et recte. Nam quomodo femina non a semetipsa concipit, sed ex masculo semen suscipit, sic plebeus sive popularis ignem peccatorum non a semetipso invenit, sed a præeunte majoris exemplo peccatum admittit. Eadem, inquam, utrique lex est; nam et qui præbet, et qui malum imitatur exemplum, uterque eadem pœnitentiæ purgatione indigent.

Quærendum tandem est cur quemdam venialis peccari terminum præfigens dixerit lex : « Si peccaverit per ignorantiam. » Si enim per ignorantiam peccare hoc putaverimus esse discretionem boni ac mali non habere, sive mandata Domini non legisse vel audisse, ergo neminem **254** scientiam habentium lex Domini post peccatum admittit intra januas propitiationis suæ. Sed absit hoc! Quis enim in hac parte, scilicet in scientia legis, major quam David? Et tamen post adulterium simul et homicidium pœnitens receptus est (*II Reg.* XII). Quærendum ergo quis ille sit terminus, quem cum attigerit peccator, non per ignorantiam peccare recte pronuntietur. Dicimus itaque quia cum quisquam eo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

processerit vel redargutus de peccato suo, non solum non emendet, sed insuper opera sua defendere velit, tunc demum non per ignorantiam, sed scienter peccare et proinde excusationem de peccato suo non habere dicendus est. Est enim quædam non tam ætatis, vel simplicitatis, quam infirmitatis ignorantia, dum in hora tentationis sic mens caligine involvitur ut miro modo id quod scit nesciat, et quod videt non videat. De hac parte ignorantiæ Apostolus dixit : « Qui condolere possit his qui ignorant et errant (*Hebr.* v), » subjunxit enim : « Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate (*ibid.*). » His duntaxat, qui ejusmodi sunt, ista clementiæ lex porrigit manum, et eorum tantum, peccata contrahit intra redemptionis ambitum, qui peccant per ignorantiam. Nam eis qui peccatis suis favent, qui diligunt iniquitatem, eamque libenter aspiciunt et redarguti, ut jam dictum est, peccata sua superba defensione tuentur, nullus propitiationis locus est : Unde Psalmita : « Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus (*Psal.* LXV). » Et Apostolus : « Voluntarie enim nobis, post acceptam notitiam veritatis peccantibus, jam non relinquitur hostia pro peccatis (*Hebr.* X). »

CAPUT XX.

De eo quod sic dictum est : « Sin autem de pecoribus, » juxta illud Evangelii Matth. XIX *consilium : « Si vis perfectus esse, »* etc.

« Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam, ponet manum super caput ejus, et immolabit eam in loco ubi solent holocaustorum cædi hostiæ, » etc., ut supra. Lex spiritualis et sancta postquam dedit præceptum, accommodat etiam consilium. Nam quod intelligenti peccatum suum hactenus de efferendo hirco sive capra dixit præceptum est. Quod autem nunc de offerenda loquitur ove, consilium est. Nec enim dicit offeret ovem, sed conditionaliter, « si autem, inquit, de pecoribus obtulerit pro peccato ovem. » Hic ergo recte intelligimus illud significasse spiritum sanctum quod nunc aperte resonat Christi Evangelium, sic prædicari pœnitentiæ præceptum ut non taceat perfectionis consilium. Nam peccatoribus præcipiendo dicit : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et Joannes cum comminatione venturæ iræ : « Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ (*Matth.* III). » Justo autem dicitur sic : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me (*Matth.* XIX). » Et profecto qui juxta hanc distinctionem pœnitentiam agit, ita duntaxat ut pro fructu pœnitentiæ quædam tribuat, et quædam sibi retineat, hic hircum qui non tondetur immolat. Qui autem nil sibi reservat, sed omnia vendit et dat pauperibus, et ita Christum sequitur, hic ovem tonsam immolat, qualium gregem in sancta Ecclesia sponsus intuens dicit in canticis : « Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* IV). » Sed hoc, ut prædictum est, consilii magis quam præcepti est, videlicet ut cuncta tribuat et nihil sibi retineat. Igitur « si ovem, inquit, obtulerit immaculatam, » id est, si simplicem quoque vitam et licitam conversationem reliquerit, ut melius regno cœlorum vim facere possit, « ponet manum super caput ejus, » id est, votum suum manifesta actione profitebitur, postquam non licebit el jam quidquam proprium habere nullam omnino rem, sed nec proprium corpus in sua potestate. « Et immolabit eam in loco ubi solent holocaustorum cædi hostiæ, » etc., ut supra.

CAPUT XXI.

« *Si peccaverit anima et audierit vocem jurantis,* » etc., *juxta illud Apostoli intelligendum :* « *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus,* » *et quod immunditiæ tactus, sic peccati consensus*

(Cap. V.) « Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse viderit, aut conscius est, nisi judicaverit, portabit iniquitatem suam. » Apostolus cum dixisset : « Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte (*Rom.* I), » continuo subjunxit : « Non solum autem qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus (*ibid.*). » Hoc idem consonanter hæc sacra lex præsenti loco eloenta est. Nam hactenus de illis dixit qui faciunt unum de pluribus quod lege Domini prohibitum est, nunc de illis qui consentiunt facientibus manifeste perdocet. « Si peccaverit, inquit, anima, et audierit vocem jurantis, » etc. Procul dubio qui pejerat, unum facit e pluribus quod lege Domini prohibetur. Qui autem testis aut conscius est, qui vidit aut audivit illud in quo ille pejeravit, sed tacet et non indicat, procul dubio silendo consentit, non indicando perjurii comparticipem se fecit. Ac vero quia non indicavit, portabit iniquitatem suam, quia talis est consentiendo qualis et ille agendo, teste, ut prædictum est, Apostolo. Igitur de his qui faciunt supra locutus, nunc de illis qui consentiunt facientibus sententiam ingressus, et mox remedium ostensurus, dicit adhuc : « Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum est a bestia, aut per se mortuum, vel quodlibet aliud reptile, et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et deliquit. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem iniquitatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto. » Quod significaverat dicendo : « Anima quæ tetigerit aliquid immundum sive quod occisum est a bestia, » hoc pene expressit dicendo : « et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, » etc. Nam revera immunditia hominis morticinum est, quia veram vitam, id est Dei spiritum per immunditiæ opera procul a se effugavit, quo fit ut sic mortua puteat anima Deo privata, quomodo putrescit corpus amissa anima. Tangit autem qui consentit, et sic tangendo immunditiam hominis, quasi morticinum, adulatoria lingua delingit. Cæterum si non consentiat, nihil corporali ejus tactu se inquinat, aut rea constituitur anima. Atta-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

men si hæretica immunditia sit, corporali quoque tactu vel cohabitatione non contingenda, sed maxime vitanda est. Si enim fornicator carnalis ex præcepto Apostoli ita vitandus est ut cum hujusmodi nec cibum debeas sumere (*I Cor.* v), quanto magis eum qui de Deo male loquitur, debeas vitare? « Non est, inquit Dominus, qui faciat virtutem aliquam nomine meo, et possit cito male loqui de me (*Marc.* IX). » Non ergo virtutem baptismi potest conferre, qui de Dei Filio male loquendo, malus est hæreticus (168), cum fornicatorem vel ebriosum rite potuisse baptizare convincamus. Maxime ergo vitanda est immunditia hæretica, cujus cuncta opera vel mysteria **255** quædam sunt morticina. Cadaver ejus, sive a bestia occisum, sive per semetipsum sit mortuum, id est, sive alieno sive proprio sit vitio depravatum, quicunque, vel quomodocunque ille sit immundus, anima quæ tetigerit, quæ consenserit, amplius autem quæ defenderit, oblitaque intellexerit, postea subjacebit delicto. Vel, ut supra dictum est, portabit iniquitatem suam, scilicet dignam agendo pœnitentiam subjacebit, inquam, delicto, id est portabit delictum suum in hoc sæculo, ne sub illo prematur in futuro, notandum quippe quod dixit, « oblitaque intellexerit. » Nisi enim quod oblita est negligenter, postea intellexerit, non subjacebit delicto suo, non portabit, imo non asportabit iniquitatem suam, dignam agendo pœnitentiam, verumtamen non sicut in cæteris, ita et in isto modus vel quantitas definitur oblationis, quia videlicet consensus non omnibus, vel semper idem est, cum ex necessitate nonnunquam eveniat ut se quispiam consentire dicat, et idcirco cum dicitur, oblitaque intellexerit postea, recte intellectui vel conscientiæ ejus relinquitur quale onus pœnitentiæ merito subire jubetur.

CAPUT XXII.

De eo quod ait : « Anima quæ juraverit, » etc., et de eo quod juravit male facere, quod sive faciat sive non faciat, reus sit, et qualiter vel quid offerat qui juravit.

« Anima quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum juramento vel sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit peccatum suum, agat pœnitentiam pro peccato, et offerat agnum de gregibus sive capram. » Hic locus ex illis est, de qualibus canitur in psalmo : « Pluit super peccatores laqueos (*Psal.* X). » Multos quippe peccatores illaqueavit, verbi gratia, Herodem in decollatione Joannis, qui cum jurasset saltatrici, idcirco sibi legitima necessitate occidere visus est ne pejeraret (*Matth.* XIV), et Judæos quadraginta in Actibus apostolorum, qui devoverunt se non manducaturos panem, antequam occiderent Paulum (*Act.* XIV); putaverunt enim quia quidlibet jurassent, aut devovissent, sive bonum sive malum, liberi ex lege forent, dummodo juramento facto complessent. Dicit enim lex : « Anima quæ juraverit et protulerit labiis suis male quid facere vel bene, » etc. Ergone hoc intelligendum fuit, quod sive bene sive male agere, quid jurasset et utrumlibet oblita esset peragere, inde pœnitentiam ageret? Hoc illi putaverunt, qui tam ad malum quam ad bonum, imo magis ad malum quam ad bonum semper proni fuerunt. Cæterum, juxta veritatem, hic præsentis loci sensus est : Qui juravit, ut bene quid faceret, si peragit, liber est; si non perficit, reus est. Qui autem juravit, ut mali quid faceret, ut, verbi gratia, cum meretrice maneret, sive perficiat, sive non, reus est. Obsessus ergo undique, quia per portam legitimam non vult exire, oportet ut ab illa muri parte desiliat quam humiliorem conspicit, id est in eo peccet, in quo peccatum levius est, et citiori potest remedio curari. Moraliter tamen recte potest dici, quod is male sibi juraverit facere, qui carnem suam per abstinentiam macerare devovit, quod perfecto malum et asperum est sensibus carnis. Qui ergo juramentum sive votum suum oblitus postea intellexerit, « offerat, inquit, agnum de gregibus sive capram. » Quid per agnum, nisi activæ vitæ innocentiam? quid per capram, quæ in summis sæpe extremisque pendens rupibus pascitur, nisi contemplativa vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa, ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei se studiosius debet, vel innocentia boni operis, vel in sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero de gregibus offerri non jubetur, quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. « Sin autem non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum, dabitque eos sacerdoti, » etc. Juxta litteram, pie pauperibus consulit lex Domini, illo contenta quod vilius potest comparari. Juxta spiritualem vero intelligentiam, illis consilium dat qui adeo inopis animi sunt ut utentes mundo tanquam non utentes esse non possint, ut ementes tanquam non possidentes, ut habentes uxores tanquam non habentes esse non noverint (*I Cor.* VII). Quid enim est agnam sive capram invenire non posse, et idcirco duos columbarum pullos, aut duos turtures offerre, nisi in sæculari habitu vitæ activæ vel contemplativæ studere nequaquam posse, et idcirco ad spiritualem ordinem publica professione transmigrare, juxta psalmum dicentem : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine? » (*Psal.* LIV.) Quid vero per duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ gemitus designatur, ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defluamus, quia et recta non fecimus, et prava operati sumus? Unde et unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum jubetur. Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus. De altero vero holocaustum facimus, cum pro eo quod bona negleximus, nosmetipsos funditus

(168) Intellige si in forma baptismi nomen Filii Dei, ut non necessarium, hæretica persuasione simul cum nomine Patris et Spiritus sancti non expresserit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

succendentes, igne doloris ardemus. Et bene caput ad pennulas retorqueri præcipitur, ut videlicet ea quæ dicis facias, et os ad opera conjungas. Nec ita caput abscindendum est ut a corpore dividatur, sed « collo, inquit, inhæreat, » quia videlicet mens quæ per caput intelligitur, a carnis delectatione incidenda est, sed carnis cura necessaria incidenda non est. Juxta allegoricum quoque sensum, caput turturis incisum est, et tamen a suo corpore abscissum non est, quia ex eo quod pro nobis caput nostrum Christus mortem pertulit, omnes nos verius in ipsa morte sua conjunxit. Caput ergo turturis incisum inhæsit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis per passionem separatus non est. Sed rarus quisque est, qui compunctus spiritu pietatis assumere pennas sicut columbæ, et volare sciat, et requiescere (*ibid.*), et ita gemitus turturis, aut columbæ sciat in pœnitentia vel in oratione habere. Extenditur autem et adhuc lex clementiæ, et subditur :

CAPUT XXIII.

De eo qui duos turtures vel pullos columbæ offerre non prævalet, ut similam partem ephi decimam offerat quid significet mystice.

« Quod si non quiverit manus ejus offerre duos turtures vel duos pullos columbæ, offeret pro peccato similam, partem ephi decimam. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est, tradetque sacerdoti qui plenum ex eo pugillum hauriens, concremabit super altare in monumentum ejus qui obtulit, rogans pro illo et expians. Reliquam autem partem ipse habebit in munere. » Ephi et batus una mensura est modiorum trium. In Evangelio suo Dominus legis dicit : « Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet (*Matth.* x), » dicamus **256** et secundum præsentis loci sermonem. Et qui pascit sacerdotem in nomine sacerdotis, mercedem sacerdotis accipiet. « Quod si non quiverit manus ejus offerre duos turtures, vel duos pullos columbæ, » illud spiritualiter est, ut qui orare vel duplicem, sicut prædictum est, gemitum in oratione nescit, habere, pascat eum cujus est officium semper orare, ut carnalia sua seminando digne mereatur ejus spiritualia metere (*I Cor.* IX). Unde notandum quia sic dictum est : « Qui plenum ex eo pugillum hauriens, concremabit super altare in monumentum ejus qui obtulit, rogans pro illo et expians; reliquam vero partem ipse habebit in munere. » Tunc enim sacerdos legitime peccatoris munus accepit, cum primo memoriam ejus pleno conscientiæ pugillo sustollens coram Domino precem pro illo fusam concremat vero et legitimo charitatis igne. Cæterum si de hujusmodi non curat, esque suum impletum munere claudit ab oratione, peccatum sibi assumit alienum, completurque in illo quod de talibus Dominus per prophetam dicit : « Peccata populi mei comedunt (*Ose.* IV). » Nihilominus et illud non præterepndum quod de hujusmodi oblatione dicitur, « non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. » Multum namque differt utrum, ex voto gratuito, libera charitate, an pro admisso scelere, servili timore quis tribuat : illic enim oleum lucet hilaritatis, quam in datore Deus diligit; hic bene est, si non subest, tenebrosus oculus, impune peccare volentis, quem Deus odit. Illic incensum pietatis suscipientem Deum odore bono delectat; hic bene est, si non oblatum munus indignæ pœnitentiæ fetore offendat.

CAPUT XXIV.

Quid sit in his quæ Domino sacrificata sunt, per errorem peccare, et quid sit arietem per hoc offerre emptum duobus siclis, damnum quoque restituere cum adjectione quintæ partis.

« Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Anima si prævaricans cæremonias per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus sanctuarii. Ipsumque quod intulit damnum restituet, et quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti. » Cæremoniæ sunt ritus sacrificandi, vel sacra omnia quæ Græce orgia vocantur. Porro ritus sacrificandi et vera nobis orgia sunt, visibilia quæcumque in sancta Ecclesia celebramus, sacramenta Christi Filii Dei, quorum baptismus et eucharistia vel maxima sunt, quæ ab ipso Domino nostro instituta sunt; secundaria vero quæ deinceps a sanctis apostolis sive apostolicis viris, circa hæc recte et utiliter ordinata sunt. Et in his peccamus, damnumque rei familiari Domini nostri inferimus, quoties errabundo corde, vagantibus oculis, taxatis atque ad inania rejectis auribus, alias occupati, imo otiosi sacrificium laudis, quod in ore nostro versatur turbatis, laceratis, et interdum partem aliquam virorum sanctorum elapsam nobis amittimus. Nonnunquam vero (quod valde pavendum est) pretiosis imam quoque corporis et sanguinis Domini substantiam per incuriam hujuscemodi excidit. Igitur ubi sic evenerit, is per cujus contigit neglectum, scire debet quod nunc dicitur. « Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, » etc. Videlicet arietem offerre immaculatum, cujus totum pretium duo sicli sunt, id est geminum divinæ et fraternæ dilectionis præceptum juxta pondus sanctuarii cœlestis et non manufacti, quia videlicet non homo terrenus, sed Deus cœli, duo charitatis præcepta libravit, qua sola redimimus animum Deo offerendum, quia sola hæc operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV). Singulorum denique siclorum juxta pondus sanctuarii viginti oboli sunt, et hoc loco testamentum utrumque significant, sine quorum plenitudine neutrum constat charitatis præceptum. Quintam vero partem in restitutione damni superaddere, id est, non solum corde pœnitere, verum etiam quinque corporis sensus, quorum vagatione erratum est, per exteriorem pœnitentiam punire. « Qui » videlicet sacerdos, « rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei. » Tunc enim acceptabit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus sacrificium justitiæ, rogante pro nobis sacerdote, illo, inquam, sacerdote, « qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est a dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), » non jam precum submissione, sed præsentatione causæ referendæ.

CAPUT XXV.

De eo quod ait : « Anima si peccaverit per ignorantiam, » et quod ignorantiæ diversus modus sit.

« Anima si peccaverit per ignorantiam, fecerit-que unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea postea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram; æstimationemque peccati. » Notandum quod, cum per ignorantiam peccantibus diversa hactenus pro modo peccatorum vel conditione peccantium remedia præscripserit, nunc animæ, id est omni homini cujuscunque conditionis sit, item per ignorantiam peccanti unum idemque animal, scilicet arietem immaculatum offerre quasi mutata sententia decernit. Sed sciendum quia differt utrum per irruentem mentis cæcitatem quis ignoret, an per inscientiam legis, aut per improvidam negligentiam ignoret et erret. Nam, verbi gratia, aliter ebrius, aliter ignorat jejunus. Ille namque errat, quia mentis statum vitio perdidit; iste, quia rei de qua agitur, notitiam nunquam habuit. Sic profecto aliter ignorat is cujus oculum obtenebravit concupiscentia, aliter qui vel per ætatem, vel per simplicitatem nescit, quid inter dexteram et sinistram suam habeat. Nam si non esset ignorantia, quam importat furor mali desiderii, nunquam dixisset David, utique legisperitus atque a puero Spiritui sancto assuefactus : « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris (*Psal.* XXIV). » Et de illo quidem qui sic ignorat, recte dicas : « Qui ignorat ignorabitur (*I Cor.* XIV), » subauditur nisi postea pœnitendo intelligat, de his autem qui per inscitiam ignorant, per prophetam suum loquitur Deus : « Tu doles super hedera, in qua non laborasti, quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit, et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram suam et sinistram? » (*Jon.* IV.) De hujusmodi nunc dici manifestum est. Sequitur enim : « Qui » videlicet sacerdos, « orabit pro eo quod nesciens fecerit et dimittetur ei, quia per errorem deliquit Domino. » Non igitur frustra hic omnis anima offeret arietem immaculatum, cum supra qui peccavit per ignorantiam jubeatur pro peccato offerre hircum. Quanto enim aries immaculatus hirco lascivienti præcellit, tanto veniæ vicinior est is qui nescienter erravit, eo quem sua concupiscentia, ut ignoraret, obstupefecit

257 CAPUT XXVI.

De eo quod ait : « Anima quæ contempto Domino depositum proximo negaverit »

(Cap. VI.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Anima quæ peccaverit, et contempto Domino negaverit depositum proximo suo, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, convicta delicti reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra, et quintam insuper partem addet cui damnum intulerat, » etc. Nemini putandum est legem sanctam sibimet esse contrariam, pro eo quod cum alibi dicat : « Qui hoc vel hoc fecerit, morte moriatur, et sanguis ejus sit super caput ejus, » hic pro quocunque peccato, absque ulla exceptione, de omnibus quæ lege Domini prohibentur oblatio suscipiatur, et rogante sacerdote dimittatur. Alia namque est accusatio quam excusat clementia in sacrificiis, alia quam condemnat justitia in judiciis, verbi gratia, pone aliquem admisisse adulterium a nullo deprehensum, nullis testibus arguendum, ipsum sui fieri accusatorem, hic ex lege præsenti, quam misericordia condidit, suscipitur, et per sacrificium mediante sacerdote remissionem lucratur. Unde signanter hæc ubique lex suscipiendi sacrificii conditionem præfinit, dicendo : « si peccatum suum intellexerit. » Cæterum si patrato scelere deprehensus, vel per alium fuerit cognitus, occiditur, lapidatur, sanguis quoque ejus capiti ejus imputatur. Itaque non sibi contraria est lex sancta, quam hodieque Christi tenet Ecclesia. Nam latentem peccati causam, secreta confessione proditam, gaudenter admittit inter veniæ januas, deprehensa vero per alium cognita crimina, non solum forense tribunal, sed et synodica irrecuperabiliter plectit severitas. Nam illud vita, hæc autem ecclesiasticis honoribus reos privat. Proinde quod hic nunc dicitur, « convicta delicti reddat omnia, » sic intelligi oportet, quia teste conscientia convicta est, ut semetipsam accusaret confessione spontanea.

CAPUT XXVII

De eo quod ait : « Hæc est lex holocausti, » quod superdictorum quasi conclusio sit, et quod nostrum pro peccato sacrificium sit fides, hostia pacificorum spes, holocaustum charitas

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe Aaron et filiis ejus. Hæc est lex holocausti. » Quod pro magno curare solent sæcularis eloquentiæ magistri, ut intentionis suæ supremum enumeratione concludant, colligendo et commemorando, quibus de rebus verba sua fecerint, ut renovetur, non redintegretur oratio, ut auditor si memoriæ mandavit ad idem quod ipse meminerit, reducatur, hoc antiquissimus ille sanctæ legis orator hic facere dignatus est, recolligendo quod hactenus dixerit et ita commemorando : « Hæc est lex holocausti, hæc est lex hostiæ pro peccato, hæc est lex hostiæ pacificorum. » Primum est, ut secundum spiritualem et vorum sacrificandi ordinem certissima istorum sacrificiorum vocabula prodamus, ne dubium sit quale humilitatis nostræ opus sacrificium pro peccato, quale hostia pacificorum, quale holocaustum sit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quod jam superius pro posse diximus. Est itaque nostrum pro peccato sacrificium fides, hostia pacificorum spes holocaustum vero charitas. Nam supra, licet indigesta narratione, prius holocaustum, novissime sacrificium pro peccato positum sit, tamen ordine vivendi sive proficiendi, prius sacrificium pro peccato est, id est fides, supremum vero holocaustum, id est charitas. Sic in ordine cœlestium, per quæ Dei Filius ad nos usque descendit, prius est spiritus sapientiæ, novissimum vero spiritus timoris, verumtamen profectuum ordinem servando quibus ad Dominum nos ascendimus, prius est spiritus timoris, sicut scriptum est : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX), » supremum vero spiritus sapientiæ. Igitur sacrificia quæ hic sub velamine vultus Moysi quondam latentia nunc revelata sunt in facie claritatis Christi, fides, spes, et charitas sunt. Majoris horum, id est charitatis, magni et veri holocausti lex hæc est.

A

B

CAPUT XXVIII.

Quod altare illud Christus, et ignis ille Spiritus Christi sit, de quo ait : « Cremabitur in altari tota nocte. » Et quid hæc mystice.

« Cremabitur in altari tota nocte usque mane : Ignis ex eodem altari erit. Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis. » Altare nostrum Christus est de quo et alibi dictum est : « Altare de terra facietis mihi (*Exod.* XX), » id est, humiliter incarnationem credetis Christi Filii Dei. Cujus signum est hoc altare visibile, quia quemadmodum hoc universo præeminet templo, sic Christus universæ Ecclesiæ caput est. Ignis qui ex eodem altari est, Spiritus sanctus est, quem utique ignem ille venit mittere in terram, et volait vehementer accendi (*Luc.* XII). Porro holocaustum nostrum cor nostrum est, totum incensum, id est totum divino amori deditum, et propter illum ab omni carnis amore separatum. Nox autem præsens est vita quantumlibet eodem igne, id est ejusdem Spiritus sancti stellantibus donis illustrata, videlicet comparatione illius diei, quo videbitur Deus eorum in Sion (*Psal.* LXXXIII), quando quod nunc videmus per speculum in ænigmate, videbimus facie ad faciem (*I Cor.* XIII). « Cremabitur, inquit, tota nocte, » id est usque ad finem vitæ. Quomodo? « Vestietur, ait, sacerdos tunica et feminalibus lineis, tolletque cineres quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. » Tunica sacerdotalis linea, ut alio loco jam dictum est, vitam significat novi hominis, sicut econtrario tunica pellicea, qua post peccatum indutus est Adam, vitam signavit veterem ejusdem vetusti hominis. Porro feminalia linea districtum significant propositum castitatis, quo succingi debet quisquis fortiter totum igni divini amoris cor suum impendere cupit, ut nec licito se indulgeat amori copulæ conjugalis, quia divisus est hujusmodi ac sollicitus quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori (*I Cor.* VII). Tota, inquam, cremabitur nocte, et vix sufficiet aliquis, ut ad purum concremet, cremando jugiter usque ad finem vitæ. Tolletque cineres quos vorans ignis exussit. Cinis qui mane super est, sordidæ cogitationes sunt, a quibus nemo per semetipsum liber existere potest. Quis enim in illo mane, in illo tremendo fine vitæ suæ gloriabitur castum se habere cor? Verbi gratia : Dum dicit quamlibet sanctus aliquis hujusce holocausti sacerdos sive sacerdotalis anima : « Dilecte mi, apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ (*Cant.* VIII). » Et in hujusmodi similitudinibus carnalis sponsi et sponsæ contemplatur veritatem cœlestis copulæ, ubi sperat se creatura veris Creatoris complexibus **258** fruituram esse, quomodo impollutam se custodire potest ab omni cinere, id est a cogitationibus carnalis copulæ. « Tollet ergo, inquit, cineres quos vorans ignis exussit, et ponet juxta altare, » id est parvulos cogitatus suos comportabit ad Christum, qui totam gerit curam nostræ salutis. Hoc faciet jugi cordis sui discussione, crebra cordis et oris confessione. Quid deinde? « spoliabitur, inquit, prioribus vestimentis, indutusque aliis efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. » Spoliari prioribus vestimentis, id est, tandem deponere involucrum carnis, induique aliis, id est gratiam accipere æternæ retributionis. Tunc « efferet eos » videlicet cineres suos « extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet, » quia profecto prædictarum sordium reliquias extra præsentis vitæ militiam, usque ad purum excoquet, id est, amor in illo sæculo mundissimo quia ut Isaias ait : « Amor iste ignis Domini est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa* XXXI), » id est in ista præsentis vitæ Ecclesia quantuluscunque, in illa vero superna pace ineffabilis est, qualem « oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). »

C

CAPUT XXIX.

De eodem igne qui « in altari, inquit, semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. »

« Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. Et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis iste est perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. » Altare Dei, ut supra dictum est, fides Christi in corde nostro est, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere, cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciet ne exstinguatur. Omnis enim Christi prædicator membrum utique summi Sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus apostolus dicit : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium (*I Petr.* II). » Et sicut Joannes apostolus dicit : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes (*Apoc.* V). » Sacerdos ergo in altari ignem nutriens quotidie ligna subji-

D

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ciat, id est fidelis quisque in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium quam sacræ Scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare est, in exercitatione charitatis, vel exempla Patrum, vel præcepta Dominica ministrare. Quia enim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitæ conversatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, ut dum per usum se nostræ vetustatis attenuat, per Patrum testimonia et exempla reviviscat. Et bene præcipitur ut mane ligna per singulos dies congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cum nox cæcitatis exstinguitur. Vel certe, quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis hoc priori loco quisquis fidelium cogitet, ut quod in se jam jamque quasi deficit, quibus valet nexibus studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius exstinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis Patrum, et Dominicis testimoniis reparetur. Bene autem subjungitur : « Et imposito holocausto de super adolebit adipes pacificorum. » Nam quisquis hunc ignem charitatis accendit, et semetipsum utique holocaustum desuper imponit, omne vitium quod in se male vivebat, exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, et vitam reprobam per immutationis gladium mactat, in ara se sui cordis imponit, et igne charitatis incendit. De qua hostia pacificorum, adipes redolent, quia interna novæ vitæ impugnatio pacem inter nos et Deum faciens, odorem suavissimum de nobis reddit. Quia vero eadem charitas in cordibus electorum inexstinguibilis manet, apte subditur. « Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari. » Nunquam profecto de altari ignis iste deficit, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus fervor charitatis accrescit. Æterna quippe contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis fuerit agnitus, eo amplius diligatur.

CAPUT XXX.

De lege sacrificii et libamentorum, quod comedendum absque fermento, id est bene operandum sit absque vanæ gloriæ tumore ventoso.

« Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus quod super similam positum est. Adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino : Reliquum autem similæ comedet Aaron, cum filiis suis absque fermento, et comedet in loco sanctuarii tabernaculi. » Optimum est modo supra dicto facere holocaustum quod dicitur totum incensum, id est opus bonum in amoris igne probatum, non sibi, sed Deo attribuere totum, fugere ventum gloriæ popularis, juxta præceptum dicentis : « Cavete justitiam vestram facere coram hominibus ut videamini ab eis (*Matth.* VI). » Verumtamen si semper fugias spectatorem, nunquam habebis imitatorem : Proinde idem Dominus dicit : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). » Recte igitur post legem holocausti, quo occultum significatur incendium amoris lex sequitur sacrificii et libamentorum ejus, quorum partem comedant Aaron et filii ejus, quo signatur opus bonum factum coram hominibus, ut glorificetur Deus. « Tollet, inquit, sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum quod super similam est positum, » id est is qui Deo quodlibet offert opus justitiæ, firmitatem intuebitur mundissimæ conscientiæ, intentionem utilitatis fraternæ, bene redolentem exspectationem laudis divinæ. « Et hæc adolebit, inquit, in altari, reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis. » Ubi enim hæc quæ prædicta sunt, bene operans proposuerit in radice cordis sui, legitime jam coram hominibus lucere permittit lucem operis sui, ut non videatur ipse ab hominibus, sed ut glorificetur Pater qui in cœlis est. Itaque comedetur absque fermento id est absque vanæ gloriæ tumore ventoso, comedetur, inquam, « in loco sanctuarii tabernaculi, » id est, celebrabitur opus bonum in communi ædificatione Ecclesiæ Christi. Ideo, inquit, non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum, id est idcirco vento inanis gloriæ bonum opus non perdetur, et idcirco hoc ipsum quod visum est ab hominibus pro mercede non reputabitur, quia tota operantis intentio tendit ad Dominum. « Sanctum sanctorum erit, subauditur quamvis homines illud viderint et laudaverint. « Sicut pro peccato atque delicto » id est, non magis lætetur laudibus hominum, ubi pura fuerit intentio, quam si prævaricationis reus aliquid persolvisset ex debito, in quo minorem utique locum habet omnis jactantiæ tumor. Et quia non indiscrete, bonum omnibus propalandum **259** est, quamvis pro exemplo, « Mares, inquit, tantum stirpis Aaron comedent ex eo, » id est, coram illis tantum hominibus lucere studebit justitiam suam, de quibus spes esse potest quod viriliter proficiant imitando. Et quia totus hic publicæ visionis optabilis fructus, « omnis, inquit, qui tetigerit illa, sanctificabitur, » id est, omnis qui imitatus fuerit opera tua bona, salvabitur.

CAPUT XXXI.

De oblatione Aaron et filiorum ejus, quod puritas, quæ in aliis quæritur per consilium, a sacerdotibus exigatur.

« Hæc est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno. Medium ejus mane, et medium vespere. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret eam calidam in odorem suavissimum coram Domino, sacerdos qui patri jure successerit, et tota cremabitur in altari. » Holocaustum, id est veri amoris sacrificium secretum, in quo fidelis anima vacat ad contemplationem Domini, cum in cæteris hominibus quæratur per consilium, tunc vero a sacerdotibus exigitur per præceptum. Verbi gratia : Ut laici qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habent uxores, tanquam non habentes sint (*I Cor.* vii), consilii est. Ut autem sacerdotes dividantur in hujusmodi, nec lex, nec ratio permittit. « Hæc, inquit, est oblatio Aaron, et filiorum ejus in die unctionis suæ. » Quod dicit « in die unctionis suæ, » id est secundum propositum vel tenorem vocationis suæ. Nam ne putes hanc oblationem uno tantum die quo et uncti sunt, ab illis debere conferri, continuo subjungit : « Decimam partem ephi offerent in sacrificium sempiternum. » Et significans totum vitæ tempus a sacerdotibus impendi debere orationi, et « medium ejus, inquit, mane, et medium vespere. » Si omni mane et omni vespere, ergo omni tempore. Nam omne tempus mane et vespere, id est diei et noctis variatur versatili vicissitudine. Et, quia in memoria passionis Christi, per charitatis compassionem, fervere debet sacerdotis pectus, « in sartagine, inquit, oleo conspersa frigetur. » Et, quia nihil tepide, nihil negligenter in tanto negotio gerendum est, « offeret, inquit, illam calidam in odorem suavitatis Domino sacerdos qui Patri jure successerit, et tota cremabitur in altari, » ut supra jam dictum est. Et quia indignum est ut sacerdos reconciliatione indigeat (quis enim status, aut quæ dignitas sacerdotii, si se implicet actibus sæculi, fiatque sicut populus sic et sacerdos?), « omne, inquit, sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo, » quod fieri non potest, nisi curis carnis totum se exuat, et abalienet cor suum ab hoc sæculo, ut soli vacare et solo possit frui Deo.

CAPUT XXXII.

De lege hostiæ pro peccato, quæ comedenda sit in loco sancto, et quod vestis, sanguine illius respersa, lavanda sit in loco sancto.

« Ista lex est hostiæ pro peccato : In loco ubi offertur holocaustum immolabitur coram Domino; sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. » Ordo supra scriptus paulisper hic in recolligendo permutatus est. Illic enim post holocaustum hostia pacificorum, et deinde hostia pro peccato disposita est; hic vero prius lex hostiæ pro peccato, et deinde lex hostiæ pacificorum. Et fortassis in superioribus idcirco legem hostiæ, pro peccato distulit, quia de illa plura dicturus erat. Nam, secundum præsentem ordinem, et Psalmista holocaustum et pro peccato conjungit : « Holocaustum, inquiens, et pro peccato non postulasti (*Psal.* xxxix). » Attamen, ut prædiximus, nostrum pro peccato sacrificium proprie fides est. Quæ est enim redemptio peccati, per quod mors introivit in hunc mundum, nisi credere quia dominus Jesus, ut sanctificaret per semetipsum populum, extra portam passus est? (*Hebr.* xiii.) At ero superius tractavimus, testante Apostolo, quod oc per illud significabatur, ut quorum animalium anguis inferebatur in sancta per pontificem, eorum orpora cremabantur extra castra. Ergo fides spiriale pro peccato sacrificium est, quæ tempore uidem vel ordine graduum ascensionis nostræ prior, sed dignitate inter spem et charitatem media est. Illud sane prætereundum non est in his distinctionibus, cum dicitur : « Ista est lex hostiæ pro peccato, » ac deinceps : « Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, » post modum quoque utriusque hostiæ lex una erit. Non, inquam, prætereundum quod peccati atque delicti nonnulla distantia sit. Peccatum videlicet est quidpiam quod Domini lege prohibetur fecisse, delictum vero quidl.bet eorum quæ jubentur neglexisse. Sed jam ipsa hujusce legis verba perstringamus. « In loco, inquit, ubi offertur holocaustum, » id est, in catholica Ecclesia extra quam non est habere vel accipere sancti Spiritus incendium, « immolabitur coram Domino. » Alioqui, si alias, si in aliquo hæreticorum conventiculo immolatur, non est hostia pro peccato, non est corpus quod traditum pro nobis, non est sanguis qui fusus est pro peccatis totius mundi. « Sanctum sanctorum, » inquit, id est, ultra cætera sancta, quæ in prædicto holocausti loco aguntur, hoc sanctum est. « Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi. » Bene ergo ac legitime canonica censuit auctoritas, ut nunquam sacerdos, qui missas celebrat, omittere audeat quin ipse communicet. Porro locus sanctus, et atrium tabernaculi præsens Ecclesia est, sanctus, inquam, locus et atrium tabernaculi, subauditur cœlestis. Hic namque patriarcharum et prophetarum fides est per quam et de qua introitur in illud cœleste templum Dei. Econtra immunda Judæorum, vel hæreticorum sunt conventicula, ubi, sicut jam dictum est, nec debet, nec potest mactari hæc hostia sancta. « Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. De sanguine illius, si vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. » Hoc, ita ut dicitur, juxta litteram intelligitur utiliter. Etenim quidquid tangit corpus Domini, sine dubio sanctificatur et religiose abluitur, ita ut ne digitos quidem extremos ad communium rerum reducere tactum sacerdoti licitum sit, nisi prius diligenter abluerit. Vestis quoque, si fuerit aspersa isto sanguine, hoc pro gravi quidem offensione merito habetur. At ipsa vestis a Deo sanctificata jure reputatur, ut non solum in sancto et ab omni communi visu remoto loco lavetur, verum ab eis qui diligentiores sunt pro summis pignoribus reconditur.

CAPUT XXXIII.

De sententia prophetica qua dictum est : « Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, nunquid sanctificabitur? »

Huic sensui nequaquam illud contrarium videri debet quod, in Aggæo propheta, cum interrogasset ex ore Domini sacerdotes, 260 dicens : « Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, ut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? responderunt, dicentes : Non (*Agg.* ii). » Nam ad id quod dicit, « nunquid sanctificabitur? » subaudiendum est, homo sive portando sive omnem cibum sumendo, qui tetigerit ex eo quod sanctifica-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tum vel oblatum fuerit Domino. Nam neque portando, neque manducando, aut bibendo quod sanctum aut sancto contactum est, sanctificari potest, sed e contrario magis contaminabitur, si sancta contingere præsumpserit, cum ipse in anima pollutus sit. Nam continuo sequitur : « Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes et dixerunt : Contaminabitur (*ibid.*). » Itaque et nos alludentes, dicamus : Si signaculo crucis frontem aut pectus suum signaverit impius, nunquid hoc signo diabolus de illo effugabitur? Non utique, sed arctius includetur, imo et ipsa ejus anima nihilominus erit diaboli, juxta Scripturam dicentem : « Cum maledicit impius diabolum, maledicit animam suam (*Eccli.* XXI). »

CAPUT XXXIV.

De eo quod ait : « Vas fictile, » etc., et quod non femina, sed masculus vesci debeat carnibus ejus, et quod pro peccato hostia non comedi, sed comburi debeat.

« Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur, quod si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur, carnibus ejus, quia sanctum sanctorum est. Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. » « Vas, inquit, fictile confringetur, » videlicet ne post sancta ad communes culinæ usus reducatur. At vero « æneum defricabitur et lavabitur, » sine dubio quia graviori quam fictile dispendio confringeretur. Cæterum nos neque fictili, neque æneo, neque ligneo, sed tantum argenteo sive aureo vase hostiam sacram conficimus. Porro spiritualiter vas fictile, in quo cocta est hostia, confringitur, id est ejus pro quo hæc singularis hostia coquitur, omnis terrenitas destruatur, juxta illud in psalmo quod, cum dictum esset : « Reges eos in virga ferrea (*Psal.* II), » statim additum est : « tanquam vas figuli confringes eos (*ibid.*). » Quod si vas æneum, id est cor in bono proposito, ut amplius non peccet, fuerit solidatum, « defricabitur et lavabitur aqua, » id est quotidiana lavabitur pœnitentia, ut amplius niteat. Et, quia nemo mollis, aut fluxus, hujusmodi hostiæ dignus est esu, « omnis, inquit, masculus de genere sacerdotali, » id est, omnis fortis, qui viriliter intus resistendo dignus est dici vel esse filius aut consanguineus magni Sacerdotis Christi, « vescetur carnibus ejus. » Quare? « Quia Sanctum sanctorum est. » Idcirco namque femina, id est quæcunque mollis vel immunda anima, isto cibo indigna est, quia Sanctum sanctorum est. Sequitur : « Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. » Tanquam diceret : Quæ hactenus dicta sunt de illa duntaxat hostia, pro peccato scilicet, quæ non solum ipsa cæditur pro peccato, sed sanguis ejus infertur in tabernaculum testimonii, ad expiandum in sanctuario non comedetur sed comburetur igni. Quare? Nempe ut spiritualem prosequamur intelligentiam, quia species illa corporeæ visionis, in qua cæsa est pro peccatis nostris hostia viventium, Christus, Filius Dei, cujus sanguis, imo sanguinis causa semel illata est in illa cœlestia sancta ante oculos Dei Patris ad expianda et repropitianda delicta populi : illa, inquam, species tunc quando cæsa est contemptibilis, non debuit comedi, sed comburi igni, id est per Spiritum sanctum, ex virtute resurrectionis, ab omni immortalitatis vel passibilitatis corruptione, ne illa videretur eximi et in cœlum levari.

(CAP. VII.) « Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto : Sanctum sanctorum est, » etc. Ut supra jam dictum est, delictum est jussa non fecisse, peccatum vero prohibita commisisse. Omnia quæ pro peccato, eadem et pro delicto facienda sunt. « Etenim utriusque, inquit, hostiæ lex una erit. » Quia videlicet eodem sacramentorum Christi remedio indiget is qui jussa non fecerit quo et ille qui prohibita commiserit. Additur tamen hic, quod nondum fuerat dictum, quia « sacerdos qui offert holocausti victimam habebit pellem ovis. » Hoc videlicet ut secundum litteram, ita et secundum spiritum æquum est. Qui enim converti fecerit hominem ab errore viæ suæ et usque ad reconciliationem sacri altaris perduxerit, dignum est ut tanquam victor spolia ejus accipiat, id est cui sua spiritualia seminavit, ejus carnalia metat (*I Cor.* IX). « Et omne sacrificium inquit, simile, quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis, a quo offertur. » Quia videlicet justum est apud Dominum ut qualecunque opus bonum quis fecerit, sive in clibano conjugalis, sive in craticula vidualis, sive in sartagine virginalis propositi, ejus gloriæ sit, cujus instinctu vel commonitione hoc egit, « sive oleo conspersa oblatio sive arida fuerit, » id est, sive ex amore, sive ex timore opus bonum peractum sit. « Cunctis filiis Aaron æqua mensura per singulos dividetur. » Hoc hactenus ex lege, maxime in cœnobiis observatur. Illic enim omnes filii Aaron, id est omnes, quorum propositum vel officium est orare pro peccato sæcularium, quorum et eleemosynas accipiunt, juxta regulam apostolicam qua « erant illis omnia communia. Dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat (*Act.* IV). »

CAPUT XXXV.

De lege hostiæ pacificorum, qualiter in Ecclesia publicis stationibus celebretur.

« Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam et collyridas olei admixtione conspersas, panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem. Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. » Hostiæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pacificorum, quales hodie in Ecclesia Christi redolent, qualium istæ carnales umbræ fuerunt, spei insignia sunt, et pro omnimodis profectibus, tam privatis quam publicis stationibus, actitantur. Unde discipulum cohortans Apostolus : « Obsecro, inquit primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et castitate (*I Tim.* II). » Legis hujus proprietas, qualiter privatim observetur, superius dictum est, scilicet in homine qui secundum Apostolum dicit : « Condelector legi Dei secundum interiorem **261** hominem, video autem aliam legem in membris meis (*Rom.* VII), » etc. Verum in hac legis ejusdem renovatione plura addita sunt, de quibus nunc ita est disserendum ut communes quoque respiciamus hostias pacificorum, quæ, ut prædictum est, in Ecclesia Christi publicis stationibus celebrari solitæ sunt. « Si inquit, pro gratiarum actione fuerit oblatio, » etc. Et holocaustum quidem quo totum intrinsecus cor divini amoris igne coquitur, gratiarum actio recte dicitur; sed aliud est internam gratiarum actionem coram divinis incendere, et secreto amore vel dolore ardere pro sola quam desiderat mens divinitatis visione, aliud voces solemnes, vel vota publica reddere pro bonis publicis præsentis quoque vitæ, verbi gratia pro felici regum statu, sub quo vitam quietam agamus. « Lagana, inquit, azyma uncta oleo, et collyridas olei admistione conspersas. » Laganum, panis primum in aqua coctus et postea in oleo frixus. Collyrida, panis quadratus itidem cum oleo frixus. Et recte panis offerendus oleo conspergitur, per quod lætitia charitatis intelligitur, quia videlicet « hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX). » Nec vero movere debet, quod panes quoque fermentatos offerri jubet, cum supra dixerit : « Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento erit (*Lev.* II.) » Nam et illic subjunctum est : « Primitias tantum eorum offeretis, et munera super altare non ponentur in odorem suavitatis (*Ibid.*), » et hic non super altare poni, sed pro primitiis offerri satis exprimitur, cum dicitur : « Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. »

CAPUT XXXVI.

Qui sint tres dies, quorum in tertio carnibus hostiæ vesci licitum non est.

« Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Si voto vel sponte quisquam hostiam obtulerit, eadem similiter edetur die. Sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est. Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. » Qui sunt tres dies, quorum in tertio carnibus hostiæ vesci licitum non est? Nempe tres status vitæ humanæ, de quibus superius, cum primum lex ista pacificorum deprompta est, diximus, videlicet quia status extremus cum adhuc homo sine metu peccat de quo Apostolus : « Ego, inquit, A vivebam sine lege aliquando (*Rom.* VII); » mediocris, cum jam adversus peccatum pugnat, de quo idem subsecutus : « Condelector, ait, legi Dei secundum interiorem hominem (*ibid.*), » etc.; optimus et primus, cum tandem peccatum ipsum victor sub pedibus calcavit, de quo itidem cum dixisset : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*ibid.*)? » continuo sibimet respondens, « gratia, inquit, Dei per Jesum Christum (*ibid.*). » Eadem itaque die carnes comeduntur, cum ejus oblationes a sacerdotibus recipiuntur, quem gratia Dei jam liberavit per Jesum Christum, ut non ducatur in lege peccati captivus. Altero die adhuc licito comeduntur, cum ejus oblationes recipiuntur, qui nondum quidem liberatus est, sed pugnandi B spem præstat spectatoribus conscientiæ suæ sacerdotibus, quorum et commendat sese orationibus. Porro tertio die non comeduntur, non quando ejus oblationes non recipiuntur qui sine lege vivit, qui non repugnat ut liberetur, imo forte et in rebus pessimis gloriatur. Hoc nefarium est. Ait ergo : « Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti. Quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminavit, prævaricationis rea erit. » Igitur munus, quod ab impio suscipitur, non solum non proderit offerenti, sed et illum qui suscipit constituit reum prævaricationis. Et recte, nam et ille pertinaciter peccat, et iste peccata ejus comedit. Proinde et adhuc ipsum quod dixerat, quidquid dies tertius C invenerit, ignis absumet, repetit, dicendo : « Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni. » Nam, juxta sensum prædictum, tertius dies, id est extremus peccatorum vitæ status, immundus est; et hoc immundum tangit caro, cum a peccatore impœnitente ad sacerdotem adulantem proficiscitur oblatio. « Non comedetur, inquit, sed comburetur igni. » Qui fuerit mundus vescetur ex ea. » Ergone postquam combusta fuerit igni, tunc demum qui mundus fuerit vescetur ex ea? Hoc itaque, juxta litteræ corticem, stare non potest, sed, juxta interiorem spiritus medullam, certum est. Nam, postquam carbonibus pœnitentiæ combusta fuerit oblatio peccatoris, id est qui testimonium habet ex Deo, quod non parcens eosdem D congesserit super caput ejus, non quæ illius sunt quærendo, sed ipsum, hic plane vescetur fiducialiter quæ illius sunt. Potest tamen superioribus ita continuari, ubi dictum est, « cujus carnes eadem comedentur die, » carnes videlicet hostiæ, ut his, quæ sequentur interpositis, recte dicat, « qui fuerit mundus vescetur ex ea, » subaudi hostia. Nam et sequitur : « Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis ejus. Et qui tetigerit immunditiam hominis vel jumenti, sive omnis rei quæ polluere potest, et comederit de hujusmodi carnibus, interibit de populis suis. » Veram omino ac sanctam legem hic Spiritus sanctus præscribit sacerdotibus imo non

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sacerdotibus, sed vaccis pinguibus, qualibus per prophetam loquitur : « Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris : Afferte et bibemus (*Amos* IV), » etc. « Anima, inquit, polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum. » Quidnam est animam pollutam edere de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, nisi sacerdotem quærentem quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Phil.* II) inhiare oblationibus peccatorum, ut offerantur quasi Domino, cum potius provideat ventri suo, deo suo? Cum enim sacerdotalis dignitas peccatori diviti sese adulando submittit, atque ad pastillos ejus hiando, linguam movere obliviscitur, et loqui et annuntiare illi peccatum suum, profecto anima ejus polluta est, et quia quod recto ordine offerendum erat Domino, perverse præripuit, idcireo « peribit de populis suis. » — « Qui tetigerit, inquit, immunditiam hominis, » imo « jumenti » in stercore suo putrescentis, « sive omnis rei quæ polluere potest, » scilicet omnis peccati, cujus tactus, id est consensus, vere pollutio est, « et comederit de hujusmodi carnibus, » quisquis adulatur peccatori, quem pro officio suo debuerat redarguere ancipiti gladio, id est verbo veritatis, juxta illud : « Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi (*Eccl.* XII), » idcirco « peribit de populis suis. »

CAPUT XXXVII.

Quid sit mystice adipem bovis, ovis et capræ non comedendum, et quid sit adipem morticini in usus varios habere.

« Loquere filiis Israel : Adipem bovis, et ovis, et capræ non comedetis : Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod a bestia **262** captum est, habebitis in usus varios. » Perseverat in sententia sacra lex contra sacerdotes voraces. « Adipem, inquit, bovis, et ovis, et capræ non comedetis. » Hujus nempe verbi transgressoribus loquitur Deus per prophetam : « Quod crassum erat occidebatis, lac comedebatis, et lanis operiebamini (*Ezech.* XXXIV), » etc. Adipem quippe bovis, et ovis et capræ comedere est eorum, quorum « quasi ex adipe prodiit iniquitas (*Psal.* LXXII), » peccata fovere, et ita propter commodum quasi pingues cervices adulando palpare. Adipem, inquit, cadaveris morticini, et ejus animalis quod a bestia captum est, habebitis in usus varios. » Pulcherrime ac sanctissime dictum : Ecce sacerdos legitimus homini diviti, altum sapienti, et « speranti in incerto divitiarum (*I Tim.* VI) » proponit, et ante oculos strenua prædicatione reducit aliquem, de grege Epicuri porcum impium, qui in vita sua cucurrerit adversus Deum, erecto colo, et pingui cervice amatus fuerit, faciem ejus operuerit crassitudo, et de lateribus ejus a ruina dependerit : in fine autem suo, magnis, ut sæpe factum est, apparentibus indiciis, quasi sterquilinium perditus sit, et divitias quas devoravit, evomuerit, et de ventre ejus extraxerit illas Deus. Cum ita satagit fideliter ut illius exemplo terreatur peccator dives, qui adhuc superest, quid aliud quam adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod a bestia captum est, scilicet diabolo, in usus varios assumit, in cibum vero sumere refugit? Hac igitur similitudine interposita, adhuc interminando subjungit : « Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populis suis. » Ac si dicat : Si quis vitia divitis adulando foverit, quem instruere debuit, ut per pœnitentiam mactaret vel incenderet semetipsum Domino, peribit de sanctorum populo. « Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis, ait, in cibo, tam de avibus quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit sanguinem peribit de populis suis. » Verba diversa, sed sensus idem. Nam, et per prophetam dicit Deus : « Si non annuntiaveris impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III *et* XXXIII). » Ecce sacerdos, qui propter commodum, homini mortem ipsius tacuerit, juxta prædicti prophetæ verba dicentis : « Vivificabant animas eorum et violabant me ad populum meum propter pugillum olei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis (*Ezech.* XIII), » sanguinem pinguium comedit, et idcirco « peribit de populis suis. » Quid enim porro fieri oportet? Ait :

CAPUT XXXVIII.

Quid sit quod ait : « Qui offert victimam pacificorum, » et quid sit pectusculum et armum dextrum cædere in usus sacerdotum.

« Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium et libamenta ejus. » Hoc sacerdos prædicet, hoc, clamet, hoc annuntiet. « Qui offert victimam, inquit, pacificorum, » id est, exteriorem manus oblationem Domino, « offerat simul et sacrificium verum, » id est spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum. Deo, inquam hoc offerat, bonumque exemplum hominibus præbeat, quæ digna et legitima sunt sacræ victimæ libamenta. Nam rem suam si Deo quidem offerat, seipsum autem sibi retineat, comparabitur Cain, diceturque illi : « Si recte offeras, et non recte dividas, nonne malum est? » (*Gen.* IV). Etenim Cain recte quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit, sed non recte divisit, quia quod minus erat, id est rem suam, Deo quidem obtulit; quod autem pretiosissimum esset, scilicet semetipsum, sibi retinuit. Qui ergo de re sua Deo parat victimam; « offerat simul et sacrificium et libamenta ejus, » libamenta, inquam, ut in illo glorificetur Deus, ut quod offert, sit illibatum, sit integrum et totum, ut habeat Deus cum re quæ forinsecus offertur, contribulati spiritus et contriti cordis sacrificium. Hæc tria in oblatione pacificorum legitima requiruntur, ut minister altaris de altario vivat (*I Cor.* IX), ut cor offerentis Deus habitator possideat, ut lux boni operis, coram hominibus lucens, ad glorificandum Deum proficiat. Quomodo offeret illa? « Tenebit, inquit, in manibus adipem hostiæ et pectusculum. Cumque ambo oblata

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Domino consecraverit, tradet sacerdoti, qui adolebit adipem super altare : pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cædet in primitias sacerdotis. » Adipem in manibus tenere, id est carnis luxuriam refrenare. Pectusculum quoque tenere, id est malas cogitationes, cordi suo advenientes per confessionem revelare. Nam in pectore cor continetur, in corde cogitationes versantur. « Cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti. » Prius enim oportet facta carnis atque intentiones cogitationis vocari intus ad judicium coram Domino, ut conscientia accuset, timor liget, ratio dijudicet, et cum hoc responsum acceperit, cum hoc propositum habuerit, quod de cætero emendare velit, tunc demum confessionem puram offeret sacerdoti. Nam, qui sic ad confessionem accedit ut peccata sua nondum relinquere velit, hic adipem hostiæ pacificorum et pectusculum nondum Domino consecravit, et proinde frustra tradit sacerdoti quidquid obtulerit. Nec enim confessio, non sequente contritione et correctione, salvare poterit, magisque dicenda est peccandi professio quam peccati confessio. Primum igitur hæc Domino consecrabit, deinde tradet sacerdoti. « Qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. » Non, inquit, comedet adipem legitimus sacerdos, sed « adolebit super altare, » id est non decipiet confitentem, contentus commodo suo, quod solent pravi medici facere, dum putridas carnes negligunt resecare, sed imprimet altius ferrum sententiæ, provocando ad gemitum, ad agendos fructus dignos pœnitentiæ. Nam hoc est quod sequitur : « Armus quoque dexter cædet in primitias sacerdotis. » In armo dextro recta et fortia opera intellige, quæ exigere debet sacerdos a confitente, verbi gratia, ut cum Apostolo dicat : « Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI). » « Pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus, adipem adolebit super altare. » Ac si dicat : Opera carnis carbonibus pœnitentiæ palam cremabuntur, ut dictum est, cogitationes autem gemituosæ intus ad Christum clamabunt, et ad sanctos ministros ejus. « Qui obtulerit adipem et sanguinem filiorum Aaron, ipse habebit et armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim consecrationis, et armum separationis tuli a filiis Israel, de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron et filiis ejus lege perpetua ab omni populo Israel. » Æqua lex. « Nonne, inquit Apostolus, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participantur? » (*I Cor.* IX.) « Qui ergo de filiis Aaron obtulerit, ipse habebit et armum dextrum, » id est, quisquis ex discipulis Christi cor cujuspiam incrassatum, carnisque ac sanguinis opera prædicatione **263** sua mortificaverit, et hoc modo sua spiritualia seminaverit, ipse carnalem accipiet ex illo fructum, id est, necessarium vitæ stipendium. « Pectusculum elevationis » dixit, ab eo quod supra, « tenebit, inquit, in manibus adipem et pectusculum; » — « armum vero separationis » ab eo quod seorsum ceciderat in partem sacerdotis. « Hæc, inquit, tuli a filiis Israel, et dedi Aaron sacerdoti et filiis ejus, » quatenus ipsi et in pectusculo legem Domini die ac nocte meditentur, et in armo dextro præcepta Dei fortiter operentur, aliorumque et in pectusculo sollicitudinem gerant, et armo fructum laboris sui percipiant.

CAPUT XXXIX.

De eo quod ait : « Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus religione perpetua, » subintelligendum esse non ad velamen litteræ, sed secundum claritatem spiritualis intelligentiæ.

« Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur, et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel, religione perpetua in generationibus suis. Ista lex holocausti, et sacrificii pro peccato atque delicto et pro consecratione, et pacificorum victimis, quas constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai. » Breviori rursus conclusione cuncta præsentat, de quibus hactenus ad legem Domini altius lectorem reducens, quam est initium Levitici hujus libri, videlicet ad consummationem tabernaculi, ubi locutus Dominus ad Moysen : « Applica, inquit, ad te Aaron, cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi (*Exod.* XXVIII). » — « Hæc, inquit, est unctio Aaron et filiorum ejus, et ista est lex holocausti, » etc. Legem sacerdotum et legem populi quasi digito distincte demonstravit. Si rite revelata facie perspeximus trans velum, Christo moriente scissum, quo celabatur hoc divinæ legis sanctuarium, prompte advertimus, cuncta quæ dicta sunt digna esse gravitate dicentis, ut merito cecinerit Psalmista : « Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos (*Psal.* XVIII). » — « Lege, inquit, perpetua. » Perpetua plane, verumtamen non secundum velamen litteræ, sed secundum charitatem spiritualis intelligentiæ. Alioquin quomodo conveniet legi et prophetis? Nam hic legislator cum dixisset : « Ista est lex holocausti, » etc., continuo subjungit : « Quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai. » In propheta autem idem Dominus dicit : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum (*Jer.* VII). » Quomodo ergo non dissonant vel discordant lex et prophetæ, nisi quia locutus est Dominus Moysi de spirituali et per-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

petua lege, non locutus est quidquam de carnali sacrificiorum lege? Nam Dominus Moysi constituit, Moyses autem ad populum locutus est. Ille a Domino claritatem spiritus accepit, ad populum autem obscuritatem litteræ protulit, donec venirent qui crederent Deum Filium in Deo Patre, et hac fide illuminati, viderent legem spiritus in lege litteræ. Proinde sic recte distinctum est : « Quas constituit Dominus Moysi in monte Sinai, et quando mandavit A filiis Israel, ut offerrent oblationes suas in deserto Sinai. » Nam aliud Moysi ostendit, et aliud illi populo mandavit, sicut testatur ipse Dominus cum superius dicit : « Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV). » Idcirco quando loquebatur ad populum, ponebat velamen super faciem suam; quando vero loquebatur ad Dominum auferebat (*Exod.* XXXIV).

IN LEVITICUM LIBER SECUNDUS.

(Levit. cap. VIII-XXVII.)

264 CAPUT PRIMUM.

Cur ubi Moyses fratrem suum induit, de solis femineis lineis, quod primum erat indumentum nulla mentio fit.

(CAP. VIII.) « Fecit Moyses ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores, ait : Iste est sermo quem jussit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos, vestivit pontificem subucula linea accingens eum balteo et induens tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit. » Superius, ubi has vestes summo pontifici gloriam et decorem fieri fecit Dominus, mysticas per singula indumenta rationes pro posse reddidimus. Unum hic quærendum est, cur, cum cæteris omnibus fratrem suum Moyses induerit, de solis feminalibus lineis, quod erat primum indumentum, secundum imperium Domini, nulla hic mentio fit. Non enim frustra vel casu per oblivionem obvenisse putandum est. Dicimus ergo quia feminalia quibus carnis turpitudo tegeretur in figuram continentiæ, quæ maxime sacerdotibus competit, fieri jussa sunt. Porro continentia hæc, ut omnimoda puritate sanctificetur homo, ut ad mutationem novi hominis Jesu Christi virgineam agat pulchritudinem, hæc, inquam, continentia vel puritas non est ex legis præcepto, sed ex Evangelii consilio. Recte igitur inter manus Moysi, legem scribentis et legem in persona sua figurantis, ubi fratrem induit, de isto Scriptura tacuit, ut ipso silentio fateatur de virginibus non esse legis præceptum, sed offerri gratiæ consilium. Sed et illud non prætereundum quod non prius nisi loti aqua ex præcepto Domini vestiuntur sacerdotali gloria, ut videlicet per hoc significetur quod non nisi per baptismum efficimur « regale sacerdotium et gens sancta (*I Petr.* II). »

CAPUT II.

De oleo unctionis, quo Aaron unctus est, quod Spiritum sanctum significet, quo Christus unctus est.

« Tulit et unctionis oleum quo linivit tabernaculum, cum omni supellectili sua, » etc. Totius capituli hujus prolixi summa hæc notanda est, quia tabernaculum cum omni supellectili sua, prius unctum est quam tabernaculi sacerdos Aaron, et Moyses B prius holocaustum pro peccato consecrationis quoque, sive pacificorum, obtulit hostiam quam Aaron. Differenter tamen. Nam et tabernaculum solo unctionis oleo, Aaron vero oleo simul et sanguine consecratus est, et Moysi quidem oblata vulgari igne, Aaron vero sacrificia cœlesti flamma devorata sunt. Sed jam, antequam horum mysteria prosequamur, de ipso unctionis oleo, quia nunc usque distulimus, breviter aliquid dicendum est. Superius Dominus ad Moysen locutus est : « Sume tibi aromata primæ myrrhæ et electæ quingentos siclos, et cinnamomi medium id est ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta casiæ quoque quingentos siclos in pondere sanctuarii, oleum in olivetis mensuram hin, facies unctionis oleum sanctum unguentum compositum opere unguentarii et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum vasis suis (*Exod.* XXX). » Notum omnibus est, quia oleum quo Dominus noster Dei Filius unctus est, unde et Hebraice Messias, Græce Christus dicitur, oleum, inquam, Spiritus sanctus est, et hujus olei signum sive materiale indicium fuit hoc quo reges, sacerdotes et prophetæ prius ungebantur. Cur autem illud verum exsultationis oleum, non hic in lege per simplex oleum significari placuit, sed quatuor speciebus myrrha, cinnamomo, casia calamoque permistis? Videlicet, quia non satis est cuiquam Spiritum sanctum, utcunque, verbi gratia, in prophetiam ad facienda signa percepisse, nisi pariter habeat et quatuor virtutes optimas, quas mundana philosophia justitiam, prudentiam, temperantiam atque fortitudinem appellat; nostra autem theoria, fidem, spem, charitatem, et earum perseverantiam nuncupat. Igitur quatuor speciebus, myrrha, cinnamomo, casia et calamo, cum oleo permistis, regale et sacerdotale pretiosissimum conficitur unguentum, ex quo « caro hominis non ungatur, et juxta cujus compositionem, non fiat aliud tale quid. Qui fecerit homo, exterminabitur, inquit, de populo suo (*ibid.*), » quia videlicet, ex prædictis virtutibus, cum Spiritu sancto gratia bona conficitur, qua carnalis homo nunquam fruatur, cujus ad immutationem secta ulla, vel secularis eloquentia nunquam exten-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

datur. Quod si attentaverit, sine dubio « exterminabitur, ait Dominus. »

CAPUT III.

Quid significet quod tabernaculum prius quidem quam Aaron, sed sine sanguine unctum est, et altare aureum septies, et quid labrum æneum.

Tabernaculum igitur, ut prædictum est, priusquam Aaron, oleo quidem unctionis, sed sine sanguine unctum est, quia profecto tabernaculum verum, quod est Ecclesia, prius quidem in patriarchis, regibus et prophetis suis **265** Spiritum sanctum accepit quam ungeretur Sanctus sanctorum, pontifex magnus, Jesus Christus Dei Filius, qui mystice per Aaron intelligitur, sed hostiam non habuit in veritate sacrificii, id est, cujus sanguine in remissionem peccatorum liniretur. « Cumque sanctificans, inquit, aspersisset altare septem vicibus, unxit et illud et omnia ejus vasa. » Septies aspergendo unxit, et hoc utique faciendo sanctum eumdem Spiritum septiformem esse significavit. « Labrum quoque cum basi sua sanctificavit oleo. » De hoc labro ita superius scriptum est : « Fecit et labrum æneum de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi (*Exod.* XXXVIII). » Sic enim locutus fuerat Dominus dicens : « Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud in tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt testimonii tabernaculum, et quando accessuri ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi et semini ejus per successiones (*Exod.* XXX). » Significat autem hoc labrum quod Moyses jubente Domino fecit, hanc ipsam Scripturam sanctam, quam idem ille Deo inspirante scripsit. Nam specula mulierum, unde labrum illud factum est, mystice exempla sanctarum sunt animarum, de quibus hæc omnis Scriptura condita est, verbi gratia, Abrahæ, Isaac et Jacob, et ipsius qui scripsit Moysi quæ, videlicet animæ, tanquam mulieres pulchræ, Deum amatorem suum quærentes, excubabant in ostio tabernaculi cœlestis, nondum aperti, quandiu sacerdos magnus Christus nondum inunctus fuit. Ad quid hujusmodi labrum Moyses fecit? « Ad lavandum, inquit, ut missa aqua, lavarent in eo Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, ingressuri testimonii tabernaculum. » Hoc nempe expedit et optimum est ut ingressuri cœleste tabernaculum sacerdotes lavent manus suas ac pedes in illis sanctarum animarum speculis, in fide scilicet et obedientia Abrahæ, in fide et patientia Isaac, in fide et lenitate Jacob, cæterorumque virtutibus limpidissimis, manus inquam, suas ac pedes lavent, id est per compunctionem ex illorum imitatione operum simul et cogitationum, quæ tanquam pulvis pedibus, ita sensibus mentis adhærent, quotidiana peccata emundent. Non solum filii, sed « Aaron, inquit, et filii ejus lavabunt. » Et hoc perspicuum est quia primus et præ omnibus Aaron noster, noms fortitudinis, sacerdos vel pontifex magnus Christus lavit; sanctificavit enim semetipsum pro nobis. Lavit, inquam, quia Scripturas omnes implevit, et cum mundas haberet manus et pedes, cuncta patienter ferendo, ut implerentur Scripturæ, sordes omnium nostrum in semetipso emundavit.

CAPUT IV.

De mystica effusione olei super caput Aaron, et quid sit caput, quid barba, quid ora vestimenti, quo juxta Psalmistam unguentum descendit.

« Fundens, inquit, oleum super caput Aaron, unxit eum et consecravit. » Hujus rei mysterium commendans Spiritus sanctus in David, cum dixisset : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII), » continuo subjunxit : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus (*ibid.*). » Non ergo longe, sed prope est in ore et corde nostro mysterium unctionis hujus. Bonitatis namque et jucunditatis fratrum habitantium in unum signum fuisse illius unguenti effusionem iste cecinit. Porro « habitare fratres in unum, » quid est, nisi omnes, unius Patris Dei Filios effectos, habere principem et salvatorem unum Christum, quomodo multa corporis membra caput habent unum, habendo, scilicet concordiam per unum diffusæ in cordibus suis charitatis spiritum? Ita plane quod dicitur hoc est. Tale bonum talisque jucunditas est « habitare fratres in unum, » qualem per illud recte signari placuit, quod præsenti loco scriptum est, quia « fundens oleum super caput Aaron, unxit eum et consecravit. » Et utique quia benigna largitate fusum est, primum in barbam illius, et deinde in oram vestimenti ejus descendit. Prædicta namque bonitas atque jucunditas fratrum habitantium in unum, oleum lætitiæ, id est Spiritus sanctus est. Quod videlicet unguentum optimum, totum in illo capite, quod est Christus, caput quippe corporis Ecclesiæ, ipse est, totum, inquam, in illo fusum est cum omni plenitudine sua, in qua « corporaliter omnis plenitudo divinitatis inhabitat (*Col.* II), » non ex quo super illum in specie columbæ descendit (*Matth.* III), sed a prima conceptione, quæ ex sola constitit virtute, vel operatione Spiritus sancti (*Luc.* I). De illo capite primum in barbam ipsius, ac deinde in oram vestimenti ipsius descendit, quia videlicet de plenitudine ejusdem Spiritus sancti primum ab ipso perfusi sunt viri fortes Apostoli, sic illi adhærentes et proximi, ut barba capiti, ac deinde Ecclesia, cujus fide ac virtutibus ipsa decoratur, ad modum alicujus, qui pretioso vestitu induitur juxta illud : « Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris (*Isa.* XLIX). » De filiis Aaron minoris gradus sacerdotibus jam alibi dictum est. Sed et de oblationum differentiis, juxta quas nunc Moyses obtulisse narratur, supra tractatum est. Nunc illud superest dicere cui non solum oleo, sed et sanguine sacerdotalis unctio celebrata est.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT V.

Quomodo in Aaron vetus sacerdotium in figura novi sacerdotii Christi prius oleo, postea sanguine consecratum est.

« Cum, inquit, immolasset Moyses arietem secundum, in consecratione sacerdotum sumens de sanguine tetigit extremum auriculæ Aaron, et pollicem manus ejus dexteræ, similiter et pedis. Obtulit et filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ dextræ, et pollicis manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum. » Sacerdotium vetus, novi figura, primum oleo ac deinde sanguine consecratur, qui videlicet magnus cœlestis veri tabernaculi pontifex, primum Spiritu sancto, deinde suo quoque sanguine sanctificatus est. De Spiritus sanctificatione Psalmista dicit : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » De sanguinis sui sanctificatione in Evangelista Joanne continuo sanguinem fusurus dicit : « Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate (*Joan.* XVII). » Item in Luca : « Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur ? » (*Luc.* XII.) Quomodo ergo sanguine sacerdos consecratur ? « Sumens, inquit, de sanguine tetigit extremum auriculæ dextræ et pollicis manus ejus dextræ, similiter et pedis. » Tactus sanguinis in extremo auriculæ dextræ pontificis, acceptio est mandati, quod Pater dedit, vel obedientiæ Christi Filii Dei, quemadmodum de illo Apostolus dicit : « Christus factus est pro nobis obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II). » Et ipse de semetipso in propheta dicit : « Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem **266** non contradico, retrorsum non abii (*Isa.* L). » Tactus sanguinis in extremo pollicis manus dextræ deductio est voluntatis paternæ, ipso per Psalmistam dicente : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me (*Psal.* LXXVIII). » Tactus in extremo pollicis pedis dextri, quo finis est corporis, consummatio est ejusdem obedientiæ. Psalmista in hoc dicente : « Ut intingatur pes tuus in sanguine (*Psal.* LXVII). » Similiter et filii Aaron sanguine signantur, ut videlicet exemplo Christi, apostoli quoque obaudiant, operentur, sive legitime pugnent, et perseverent usque in finem. « Adipem vero et caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, » etc., quorum causas mysticas, quoniam ædem superius dictæ sunt, nunc repetere superfluum duximus. Nam « quod septem, inquit, diebus finitur consecratio, » quid significet multis Scripturarum locis certum est, quia videlicet septem diebus omne præsentis sæculi tempus volvitur, quod octava, id est futuræ resurrectionis tempore clauditur, quæ in magno pontifice Christo jam impleta, in nobis autem implenda non dubitatur, quicunque tanquam filii Aaron toto consecrationis tempore, pro octava laboramus, de ostio tabernaculi totis septem diebus, id est de fide Ecclesiæ Christi, toto isto tempore non exeuntes, et « die ac nocte, » id est, tam in prosperis quam in adversis, « custodias, Domine, » ne moriamur, secundum propositum vel ordinem nostrum, « custodientes. »

CAPUT VI.

Quomodo octava consecrationis die, ignis egressus a Domino consumpsit holocaustum, in typum sancti Spiritus.

(CAP. IX.) Hoc igitur considerare superest quod octava die dicente Moyse : « Iste est sermo quem præcepit Dominus : Facite et apparebit vobis gloria ejus. » Et offerente Aaron holocaustum ac deprecante pro se et pro populo secundum ritum supra memoratum, « ecce, inquit, ignis egressus a Domino, devoravit holocaustum, et adipes, qui erant super altare, » cum de his quæ obtulerat Moyses, nihil tale actum fuerit. Quidnam hoc sibi vult, nisi quia non per sacrificia legis, quæ per Moysen figurabantur, sed per sacrificium Christi, cujus Aaron typus fuit, Spiritus sanctus in remissionem peccatorum datus est nobis ? Nam hinc est quod dicit in psalmo : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi : Ecce venio (*Psal.* XXXIX). » Veniens autem aliam hostiam, quam in holocaustum vel pro peccato offerret, non habuit, nisi semetipsum. Et descendit ignis super ipsum, ignis, inquam, de quo dixit : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII), » et devoravit holocaustum quia illa videlicet devoratione sua quam, secundum Apostolum recte immutationem dicimus, quia profecto « resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Hic ignis ille est, de quo supra dictum : « Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies (*Lev.* VI). » Nam, quia verus iste ignis, qui et nunc in prima resurrectione animarum, peccata consumit, et post in secunda resurrectione corporum quoque mortalitatem sive corruptionem devorabit, nunquam deficere debet in altari, id est in fide, per quam Christus habitet in cordibus nostris. Idcirco in magno mysterio decretum est ut ille ignis visibilis egressus a Domino, qui holocaustum devorabit, videntibus turbis, ac ruentibus « in facies suas » et laudantibus Dominum, nunquam deficeret, sed sacerdote ligna subjiciente semper arderet in altari. Unde ordinatissima et mirabili providentia actum ita Scriptura subjungit :

CAPUT VII.

Quid in Nadab et Abiu, qui offerentes ignem alienum Domino mortui sunt, mystice præfiguretur.

(CAP. X.) « Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis suis posuerunt ignem, et incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non fuerat. Egressusque ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. » Nadab *spontaneus* Abiu *pater meus est*, vel *pater ipse* interpretatur, significant autem populum Judaicum, qui in cæremoniis carnalibus spontaneus,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

imo nimis est importunus, quippe qui dicente Deo : « Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » (*Psal.* XLIX.) Itemque illud in Isaia : « Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui (*Isa.* I). Hæc, inquam, et his similia dicente Deo econtra ingerit ea tanquam rogetur, tanquam hæc ab eo postulet Deus. Jactabundus quoque dicit : Pater meus est, vel pater ipse. « Abraham, inquiunt, pater noster est, et nos ex fornicatione non sumus nati, unum Patrem habemus Deum (*Joan.* VIII). » Igitur ubi egressus ignis a Domino devoravit holocausta, « arreptis Nadab et Abiu thuribulis suis, posuerunt ignem et incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis preceptum non fuerat. » Dum, postquam verus ignis Spiritus sanctus a Domino egressus, id est, a Patre procedens, holocaustum verum Christi Filii Dei acceptum esse ostendit veniendo desuper, id est, super discipulos ejus in linguis igneis (*Act.* II), adhuc Judaicus populus cultum alienum, et cæremonias odibiles Deo, per prophetas reclamanti importune nimis et moleste ingerit. Quid proinde? « Egressus, ait, ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. » Nihil verius. Siquidem et duplici igne devoratus est ille populus quippe quorum et templum succensum est, urgente Romano exercitu, et animæ gehennæ incendio concremantur. Unde et Deus in cantico Deuteronomii, cum dixisset : « Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt, et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo eos (*Deut.* XXXII). » Continuo subjunxit : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet (*ibid.*). » — « Hoc est, inquit Moyses, quod locutus est Dominus : Sanctificabor in his qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. Hoc audiens, tacuit Aaron. » Juxta litteram, non innuit Moyses, quod ab illo visibili experimento certum haberet Deum esse sanctum, et sanctitatis suæ dignitatem semper esse defensurum, et vindicaturum in eos qui timere, imparati, invocati, vel injussi sine ordine, absque reverentia, sacris præsumunt se ingerere, vel immergere Dei ministeriis. « Et hoc, inquit, locutus est Dominus, » videlicet superius toto fumigante monte Sinai, ubi et dixit : « Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos (*Exod.* XIX), » etc. Porro, juxta allegoriam, illud innuitur, quod pœna Judaici populi sanciendum sit, ut deinceps in carne nemo audeat gloriari, sed in sola fide Jesu Christi. Hoc audiens tacet Aaron : tacet, inquam, magnus sacerdos Christus, qui quondam flevit super miseram civitatem Jerusalem (*Luc.* XIX), pro humano affectu, magisque exercet rationabile divinitatis consilium, quam sequatur carnis respectum in morte vel perditione suorum, secundum carnem proximorum. « Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos : Ite, et **267** tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra. » Misael *tactus Dei*, sive *quis interrogavit*, Elisaphan *Dei specula*, Oziel *fortitudo mea Deus* interpretatur. Significant autem legitimos filios illius populi, pro parte electorum, qui veraciter dicere potuerunt « fortitudo mea Deus, » verbi gratia, hunc ipsum Moysen, Isaiam quoque et cæteros, qui secundum nomina Elisaphan et Misaele venturum Dei Filium de longe speculati sunt, et a Deo tacti usque hodie dicunt : Quis interrogavit, quis quæsivit hæc de manibus vestris? Hoc enim, combustis, ut supra dictum est, sacerdotibus dicit in Isaia, tactus Dei, spiritus Dei : « Quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? » (*Isa.* I) etc. Isti tollunt fratres suos carnales Judæos de conspectu sanctuarii, et asportant extra castra. Accusant enim illos et condemnant, quemadmodum Dominus dicit illis : « Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis (*Joan.* V). » « Locutus est Moyses ad Aaron et ad Eleazar, atque Ithamar filios ejus : Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. » Non præcipit quod naturæ impossibile est, ut scilicet pater pro filiorum, et fratres pro fratrum morte non doleant, sed quod possibile est, ut videlicet dolorem cordis publico corporis gestu non exerceant. Hoc spiritualiter filii Aaron, id est apostoli Christi legitime observaverunt. Nam, licet doleant de ruina populi sui, ut, verbi gratia, Paulus cum dicit : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei (*Rom.* IX), » etc. Licet, inquam, doleant, non tamen capita sua nudant, nec vestimenta scindunt, id est ministerium suum honorare non desinunt, sanctæ Scripturæ veritatem integra fide adversus gentis suæ perfidiam defendunt, et hoc modo fores tabernaculi non egrediuntur, alioquin perissent. « Væ enim, inquit idem Apostolus, mihi est, si non evangelizavero (*I Cor.* IX). » Ait ergo : « Vos autem non egrediamini fores tabernaculi. Alioquin peribitis. Oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. » Oleum quippe sanctæ unctionis est super illos, quæ docet eos de omnibus (*I Joan.* II), quomodo propter carnem vel gentem suam non debeant caput, id est mentem suam, fide et gratia Christi nudare, suum vestimentum, id est veritatis doctrinam, scindere, fores tabernaculi egredi, id est ab ordine veri sacrificii cessare pro æmulatione sacerdotii Judaici.

CAPUT VIII.

Cur filii Aaron vinum et omne quod inebriare potest bibere non debeant quando intrant tabernaculum, et id quid sit juxta sensum mysticum.

« Dixit quoque Dominus ad Aaron : Vinum et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

omne quod inebriare potest non libes, tu et filii tui, quando intratis tabernaculum testimonii, ne morianini, quia præceptum est sempiternum in generatione vestra, et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, docendique filios Israel omni legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.» Secundum litteram manifestum sobrietatis præceptum est, quia vinum apostatare facit, etiam sapientes (*Eccli.* XIX). » Fornicatio, inquit propheta, et vinum et ebrietas auferunt cor (*Osee.* IV). » Et Apostolus : « Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* V). » Unde rectissime sancta censet Ecclesia, ut qui sacerdotes sunt, et veri sacrificii sanctuarium jugiter intrant, a conjugiis omnino abstineant, omnemque luxuriam fugiant, cum in hac lege, ubi carnes brutorum animalium sacrificabantur, eo tempore quo intrabant tabernaculum, non solum a luxuria, sed et a vino, in quo est luxuria, sacerdotes penitus abstinere debuerant. Porro ut cœptam prosequamur allegoriam, spiritualiter hoc præcepit Deus, et non homo : nam non Moyses sed ipse Dominus hoc locutus esse perhibetur, ut hoc tempore, quo præcurrente Christo, in verum ingredimur tabernaculum, nequaquam legis occidentis sequamur litteram. Nam vinum quidem interdum significat Spiritus sancti virtutem. Ut ibi : « Et vinum lætificet cor hominis (*Psal.* CIII).» Verumtamen cum in comparatione melioris deprimitur, ut ibi : « Quia meliora sunt ubera tua vino (*Cant.* I), » austeritatem significat legis, qua sine dubio melior est lactea dulcedo Evangelii. Ut quid enim non est bibendum hujusmodi vinum? « Ut habeatis, inquit, scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, » etc. Ergone idcirco non bibent vinum, ut discernere queant inter bovem et camelum, inter hircum et chœrogryllum? nam hujusmodi discretio, si simplicem sequaris litteram, postmodum subscripta est. Igitur ut inter veram munditiam veramque immunditiam sacerdotes legitimi discernere queant, idcirco vinum bibere, id est austeram prohibentur sequi legis litteram.

CAPUT IX.

De hirco oblato, quem cum quæreret Moyses, exustum reperit, de quo Aaron : « Quomodo, inquit, potui comedere mente lugubri? » quod Judaici sacrificii quale nunc est, typus fuerit.

« Locutusque est Moyses ad Aaron et Eleazar atque Ithamar filios ejus qui residui erant : Tollite sacrificium quod remansit ex oblatione Domini, et comedite illud absque fermento, juxta altare, quia sanctum sanctorum est. » Hæc de præceptis vel traditionibus idcirco nunc scripto iterantur, ut ad ea quæ subjecta sunt, ordine perveniatur. Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit. Iratusque contra Eleazar et Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait : « Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est et data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta? » Et in isto non deest mysterium, alioquin frustra videretur scriptum. Hircus namque qui pro peccato oblatus ad esum sacerdotum non pervenit, qui et requisitus, non saltem combustus, ut holocaustum, sed exustus reperitur, sacrificium Judæorum est, quod ad ritum veri sacerdotis Christi non est admissum. Hinc irascitur Moyses in typum videlicet illorum legis æmulatorum, qui, sicut in Actibus apostolorum legitur, cum Evangelio Christi cæremonias legis miscere voluerunt (*Act.* XV).» Respondit Aaron : Oblata est hodie mihi victima pro peccato, et holocaustum Domino. Mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem. » In superficie historica patet quod causa filiorum, qui pro sua præsumptione mortui fuerant, edendi non solum voluptas, sed et voluntas patri exempta est. Porro, juxta cœptum spiritualem **568** sensum, causa reddita est, cur victimas Judaicas magnus pontifex Christus, et filii ejus, scilicet apostoli, oderunt. « Oblata est, inquit, hodie victima pro peccato et holocaustum Domino.» Ac si dicat ipse Christus loquens in apostolis suis : In hoc tempore acceptabili, in isto die salutis (*II Cor.* VI), oblatus sum ego, sicut prædixeram in Psalmo : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi : Ecce venio (*Psal.* XXXIX). » Oblatus sum, inquam, quia volui, et oblatus tuli peccata mundi (*Isa.* LIII). Mihi autem accidit ut filii mei, « filii alieni, » qui « mentiti sunt mihi, et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* XVII), » cum offerrent ignem alienum, nolentes ignem suscipere cœlestem et verum, scilicet Spiritum sanctum. Quomodo ergo possum admittere cæremonias eorum, et non potius exurendum tradere templum et civitatem eorum, præsertim cum venerim « facere non voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris (*Joan.* V, 6). » Quo audito, « Moyses recepit satisfactionem. » Sic nempe qui ex Judæis erant receperunt satisfactionem, loquente in Jacobo cæterisque apostolis Christo, et judicante non inquietari debere eos, qui ex gentibus convertebantur ad Dominum (*Act.* XV). Proinde recte continuo sequitur :

CAPUT X.

Quid sit mystice quod post ignem datum, lex de comedendis animalibus datur, et quid sit ungulam dividere et ruminare.

(CAP. XI.) « Locutus est Dominus ad Moysen et ad Aaron, dicens : Dicite filiis Israel : Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animalibus terræ. Omne quod habet divisam ungulam et ruminat in pecoribus, comedetis. Quidquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus, non comedetis illud, » etc. Animalia, de quibus Deo cura est, homines sunt. Recte, inquam, continuo post ignem de cœlo datum, mor-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

temque filiorum Aaron, hæc de comedendis et non comedendis animalibus lex datur; nam et post sancti Spiritus adventum atque Synagogæ interitum, de admittendis et non admittendis, sive reprobandis hominibus discretio sanctis apostolis imperatur. Unde et Petro esurienti ac volenti gustare, ostenditur in excessu mentis « vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis de cœlo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum : Surge, Petre, occide et manduca. Ait autem Petrus : Absit, Domine! Quia nunquam manducavi omne commune et immundum. Et vox iterum secundo ad eum : Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris (*Act.* x). » Quod illic in illa visione, hoc idem in ista sancta et spirituali lege, sub nominibus quadrupedum, serpentium, volatilium, atque natalitium dignum est intelligere. « Hæc, inquit, et hæc immunda vel polluta sunt vobis, » subauditur, nisi Deus illa sanctificaverit. Nam hæc animalia cum non sint homines, ut prædictum est, ejusmodi sunt, ut aspirante Deo veterem immunditiæ mutare possint habitum. Proinde Petro, ut præmisimus, ita dictum est : « Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris. » Nunc immunditiæ causas secundum præsentes distinguamus differentias. « Omne, inquit, quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis. » Ungulam habere divisam, pariter et ruminare, est discretam sanctæ Trinitatis habere intelligentiam, ejusdemque diligenter voce et opere retractare memoriam. « Hoc, inquit, omne comedetis, » quia videlicet quisquis talis est, in corpus vel communionem Ecclesiæ fiducialiter admitti debet. « Quidquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam, non comedetis. » Quasi ruminat quidem, sed ungulam non dividit, quisquis recta videtur operari, sed peccat in fide, non recte distinguens personas unicæ Trinitatis. E contrario findit ungulam, sed non ruminat, quisquis confitetur se nosse Deum, factis autem negat. « Horum, ait, cadavera non contingetis, » id est, mortuis operibus non consentietis. Quarta species longe inferius posita, scilicet animal quod nec dividit ungulam nec ruminat, omnino priori contraria est, ac proinde multo magis immunda, cum significat hominem, qui nec intellectu nec operatione Deum honorat.

CAPUT XI.

Quid sit pisces pennas habere, quid aves quadrupedes esse, quid reptile?

« Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Omne quod habet pennulas et squamas tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis. Quidquid autem pennulas et squamas non habet eorum, quæ in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis et exsecrandum erit. » Quasi natalitia immunda, maxime Judæi sunt, qui natant in fluentis Scripturarum, sed pennulas non habent, dum solam sequuntur occidentem litteram, et ad vivificantem spiritum non subsiliunt. « Hæc sunt quæ de avibus non comedetis et vitanda sunt vobis, » etc. Quasi aves immundæ, inanes gentium philosophi fuere, rectoque avibus super quatuor pedes gradientibus comparantur quicunque ex his cum animo de cœlestibus, verbi gratia, sole, luna, stellis, et reliquis philosophantur, ventre autem et corpore per terram, lutumque vitiorum versantur. Reptilibus quoque non incongrue similantur qui nullius vel apud homines bonæ aut honestæ professionis habentur, ut puta gancones, histriones, malefici, scortatores. Secundum qualitatem vel proprietatem cujuscunque vitii, alii aliis reptilibus sive immundis quibusque animantibus recte comparantur, astipulantibus, non solum divinarum, sed etiam humanarum litterarum auctoribus. Nam hinc est quod socios Ulyssis, pueris mirantibus, Circe filia Solis in varias formas vertisse lectitatur (169). « Hæc igitur, inquit, immunda sunt, et quicunque morticina horum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperum, » id est, usque ad perfectam pœnitentiam, quo videlicet dicto sæpius repetito spiritualiter omnis damnatur iniquitatis consensus. Nunc horum animantium, quæ hæc Scriptura commemorat, nomina breviter naturasque perstringere libet.

CAPUT XII.

De animalium proprietatibus vel naturis, quæ lex nominatim immunda decernit haberi.

Chœrogryllus bestia spinosa major ericio. Struthio Græco nomine dicitur, quod animal in similitudinem avis pennas habere videtur, de terra tamen altius non elevatur. Noctua dicitur, eo quod nocte circumvolet, eadem et nycticorax avis lucifuga. Larus ipse est gala, quæ solet semper supersedere aquis. Bubo, a sono vocis nomen habet, avis feralis, onusta plumis, et in cavernis commorans. Mergus ab assiduitate mergendi vocata, avis nigra piscibus infesta. Ibis Nili fluminis avis, quæ ventris fimum proprio rostro extrahit; hæc serpentium ovis libenter vescitur. Onocrotalon Græci vocant rostro longo, avis cygno similis, **269** sed major. Porphyrion avis purpurei coloris, ut nomen significare videtur; alii autem album, similem cygno, alii pellicanum esse dicunt. Fulicæ similes magnitudine et colore cygnorum, duris et grandibus rostris, et in scopulis litterorum commorantes. Has Latini diomedeas, Græci herodios vocant. Choradrion avis alba tota, cujus interiora oculos cahginosos curant. Upupam Græci vocant, quod stercori humano consident, et fetenti pascatur fimo, avis spurcissima, cristis exstantibus, galeata, in sepulcris et stercoribus commorans. Attacus et ophimachus ignotæ aves. Bruchus, locusta, quæ necdum volat. Locusta, quod pedibus sit longis, velut hasta. Hanc Græci tam maritimam quam terrestrem astagon dicunt. Mustela Græcum est, id est mus longa. Crocodilus animal quadrupes a croceo colore dictum, gignitur in Nilo. Migale

(169) Plin., xxv, 2, 5; Cic., *De Nat. deor.*, III, 19; Hyg., fab. 125, 156, 190; Ovid., *Met.* XIV, passim.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ignota bestia, quam tamen similem camæleonti ferunt. Camæleon non habet colorem unum, sed diversa varietate est conspersus, ut pardus. Corpusculum vero camæleontis ad colores quos videt, facillima conversione variatur. Stellio genus lacertæ de colore nomen inditum habens. Est enim tergore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. Lacerta reptile genus vocatum, quod brachium habeat. Talpa terrestre animal sine oculis, terram semper fodiens, quam Græci aphalacam dicunt. Ad spiritualem sensum sermo nunc redeat.

CAPUT XIII.

Tangere, portare, comedere morticina eorum, lavare vestimenta, etc., *quid sit mystice.*

« Quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, B et erit immundus usque ad vesperum. Etsi necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis. » Tria sunt quæ prohibentur, scilicet comedere, tangere atque portare quidpiam immundum, quæ et hoc differunt, quod agere malum, consentire malo, et ad horam pro necessitate sustinere malum. Debet autem legitima esse necessitas, propter quam portandum sit immundum, videlicet ubi aut nullatenus corrigi, aut non nisi cum majori rei detrimento potest auferri malum. Verbi gratia, Naaman Syrus cum diceret Eliseo prophetæ : « Hoc solum est, de quo preceris Dominum pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoraret, ex illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihil Dominus servo tuo super hac re (*IV Reg.* v). » Necesse illi fuerat ut portaret immundum, ut sustineret malum, non quidem ut adoraret Remmon, sed ut adoraret in templo Remmon, ubi scilicet et in omni loco poterat adorare Deum verum. Proinde continuo dicit ei propheta : « Vade in pace (*ibid.*). » Attamen non omnino illæsa est portantis conscientia, nec si de necessitatis excusatione confidat, recte dici potest securitas, sed magis temeritas. « Lavabit ergo, inquit, vestimenta sua, » id est flebit pro ipsa necessitatis miseria, quod nullos fecisse, fida relatio narrat. « Et immundus erit usque ad occasum solis, » id est in morte ejus sperabit, qui occumbendo in mortem tulit peccata mundi. « Qui tetigerit morticina eorum immundus erit usque ad vesperum. Et super quod ceciderit quidpiam de morticinis eorum, polluetur. » Durum et grave servitutis jugum, de quo verissime Petrus apostolus : « Quod neque nos, inquit, neque patres nostri portare potuimus (*Act.* xv). » Vas fictile confringitur, omnis cibus et omne liquens in vase, ut immundum abjicitur, clibani et chytropodes, quæ sunt coquendi vasa fictilia cum tribus pedibus, destruuntur. Fontes tamen et cisternæ nequaquam immunditiæ pro hujusmodi condemnantur, et sementis, nisi ante tactum morticini aqua perfusa fuerit, non polluetur. Ergo, quoniam veritati credimus, dicenti : « Non quod A intrat in os, coinquinat hominem (*Matth.* xv), » illa potius, ut cœpimus, per hæc intelligamus, quæ exeunt de homine. Nam « hæc, inquit, sunt quæ coinquinant hominem, scilicet cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ (*ibid.*), » et ab istis omnia nostra custodiamus, ne contactu horum polluantur, adhibitis circa illos qui nobis commissi sunt diligentissimis custodibus, ne illorum qui ejusmodi sunt, miseria vitientur, dicentes cum Apostolo : « Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis (*Col.* II). » Si vas fictile, id est si necdum in bono proposito roboratus est is, quem talium frequentatione seu confabulatione delectari deprehendimus, frangatur, id est severissime corripiatur, verberibus etiam coerceatur. Si clibanus, id est si adolescentulus est, cujus ætatis status naturaliter tanquam clibanus ardet, si chytropodes, de quibus ante dictum est. Si, inquam, clibanus aut chytropodes sunt, pro qualitate morum destruantur, id est verberibus aut nimiis jejuniis affligantur, ut in melius commutentur. Si in vase est quodcunque liquens, id est, si non ipse consilii compos sit, si alieno regitur consilio, sicut vas non innatam, sed aliunde infusam sibi continet aquam, et hic talis cum immundo confabuletur, non credatur ei, quod munda id faciat conscientia, cum dicat Apostolus : « Corrumpunt bonos mores colloquia mala (*I Cor.* xv). » Cæterum, si fontes aut cisternæ vel quævis aquarum collectiones sint, quorum C alterum venam habet aquarum viventium, alterum potabilem reddit imbrem de cœlo susceptum, id est, si sapientes, si fuerint habentes « desursum datum optimum et donum perfectum (*Jac.* I), » quo possint mundum regere animum, et hi tales fuerint visi cum inquinatis et immundis habere colloquium, mundi erunt, id est, credetur eis quod cum immundis agitent de munditiis castitatis consilium. Porro, si sementem, inquit, morticinum tetigerit, non polluet eam, id est, is qui Deo mortuus est in ejus colloquium venerit, qui sapientiæ vel scientiæ sermonem accepit, hi qui viderint non statim dijudicabunt, verbi gratia, dicendo cum phariseis : « Quia hic peccatores recipit et manducat cum eis (*Matth.* IX). » Potest enim fieri, quia sæpe factum est, ut ex hujusmodi semente D munditiæ morticinum immunditiæ reflorescat, et vitalem habitum, pulchritudinemque resumat. Verumtamen si idem ille qui sermone præpollet ante hac in facto, quod sæpe lubricus deprensus est, non illi credendum est. Sequitur ergo : « Sin autem quispiam sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. » Ac si dicat : Sin autem ante hac, heri et nudiustertius vel quandocunque spermologum illum justo quisquam probro maculavit, et non habet bonum testimonium ab his qui foris sunt (*I Tim.* III), et post hoc morticinis peccatorum se in colloquium miscuerit, non credatur illi, quod ad lucrandos illos aptus vel idoneus sit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

270 CAPUT XIV.

Quid sit mystice : « Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis edere, qui, » etc.

« Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum. » Hoc plane illud respicit quod Apostolus dicit : « Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* v). » Ac deinceps : « Auferte malum ex vobis ipsis (*ibid.*). » Item alius : « Nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis (*II Joan.* i). »—« Et qui comederit ex eo quidpiam, sive potaverit, lavabit vestimenta sua, » etc., ut supra. « Et hæc quidem fuimus, sed abluti sumus, sed sanctificati sumus, sed justificati sumus in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri (*I Cor.* vi). » Proinde licito jam nos Ecclesia Christi tetigit, portavit et sibimet incorporavit, omnium Deo clamante de cœlo pro nobis : « Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris (*Act.* x). » Quare vero nec abominabilia nobis erunt, quæ adhuc immunda sunt, et quare non contaminabimus animas nostras assumendo hæc in cibum? Ait : « Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote quoniam ego sanctus sum. » Et iterum : « Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. » Si ergo legem sequimur regalem, non simus configurati prioribus ignorantiæ nostræ desideriis, quibus in Ægypto serviebamus, unde nos eduxit Deus, quæ profecto Petrus apostolus sub istis immunditiæ nominibus intellexerat, cum præmisso, « non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis (*I Petr.* i), » statim de hoc loco sumptum sic intulit : « Quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam sanctus sum Dominus Deus vester (*ibid.*). »

CAPUT XV.

De muliere quæ suscepto semine conceperit, et de nostræ immunditiæ causa communi, quod non sit distinctio Judæi et Græci,

(Cap. XII.) « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier si, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ, et die octavo circumcidetur infantulus. Ipsa vero manebit in sanguine purificationis suæ. » Nullum omnino lex Domini immaculata gloriari patitur, quasi de sua munditia, « ut omne os obstruatur, ei subditus fiat omnis mundus Deo (*Rom.* iii). » Nam, si nos gentes reptilia et serpentia immunda fuimus, quod ipsi non diffitemur, cum emendatore nostro gratias agamus. Unde hoc illis, ut munda fuerint pecora, qualibus vesci licium fuerit? An non et ipsi de immundo semine fuere concepti (*Job* xiv), de immundo, inquam, semine, quod in primis hominibus, serpens antiquus diabolus et Satanas tetigit et veneno suo polluit? Si non ita est, cur ista lex ita loquitur, « quæ omne quod loquitur, his qui in lege sunt loquitur? » (*Rom.* iii.) « Non est igitur distinctio Judæi et Græci (*Rom.* x). » Omnes enim peccaverunt, imo, ut secundum præsentem litteram loquar, omnes polluti fuerunt, et egebant emundatrice gratia Dei (*Rom.* iii). Nam et quantula erat illa emundatio Judæi circumcisi, et ad templum illud manufactum cum hostiis deportati, nisi venisset ipse et hostia et templum non manufactum Christus Filius Dei, qui tollit peccata mundi. Siquidem Isaias dicit : « Omnes justitiæ nostræ sicut panni menstruatæ (*Isa.* lxiv). » Proinde fateamur, quia nos immunda reptilia fuimus, dummodo et illorum qui nobis insultabant, et omne os obstruatur, ubi de sua lectione panno menstruatæ comparantur illorum justitiæ. Et scimus quia illorum non credentium in Christum, menstrua nemo lavit; hæc autem reptilia Deus purificavit, et ungula bene divisa, atque ore ruminante ornavit. Sed jam ipsa legis hujus verba carpamus.

CAPUT XVI.

De eadem re, et cur signanter dixerit, « suscepto semine, » et de emundatione ejus quæ masculum, et ejus quæ feminam pepererit.

« Mulier, inquit, si, suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus, » etc. Religiose sanctus prophetalis spiritus legem suam determinavit, dicendo, « si suscepto semine pepererit. » Aliquam enim mulierem futuram prævidebat, quæ paritura quidem, sed non suscepto semine puerum paritura erat. Alioqui frustra sic determinasset. Ergo legis necessitate unica mulier, una et sola Christi Filii Dei mater fuit liberrima, quæ tamen eamdem laudabiliter subiit legem humilitate spontanea. « Si, inquit, masculum pepererit, immunda erit septem diebus, » Ac deinceps : « Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, et sexagesta sex diebus erit in sanguine purificationis suæ. » In littera manifesta non prætereundum ex partu feminam parturientis majorem esse pœnam infirmitatis, vel immunditiæ, quam ex profusione masculi. Et recte tam scripta quam naturalis lex, feminam plus quam masculum in hac ratione gravat, quia videlicet in accessu peccati, per quod mors intravit in hunc mundum reptili illi vasculo diaboli, unde venenum immunditiæ nostræ principium ille sibilavit, propior femina stetit quam vir. Nam non per virum mulier, sed per mulierem vir in mendacio diaboli pollutus est (*Rom.* v). Recte igitur in femina et fluxus a natura, et ex lege purificationis duplicata est mora. Verumtamen in remedio gratiæ purificantis, nulla est distantia. « Ibi enim, inquit Apostolus, non est masculus neque femina (*Gal.* iii). » Unde et hac lege non alia pro filia quam pro filio datur hostia, scilicet agnus, simulque columba sive turtur. Quæ videlicet tunc rite offeruntur, quando is qui accedit et fideliter credit in passione Agni incontaminati et immaculati Christi, et compatiendo ut conregnet, gemitum habet,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vel gregatim ut columba, vel solitarie sicut turtur. Columba namque gregatim, turtur vero solivagus gemere consuevit, et ob hoc ista publicos Ecclesiæ conventus, iste orationum secretas lacrymas insinuat. Gregatim ergo gemere ut columba, est pœnitentiam agere in publica Ecclesia; solitarie vero gemere ut turtur, est occulta vel etiam ab hominibus remota deligere lamenta. « Quod si non invenerit manus ejus, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbæ, » etc. Ejus manus agnum non invenit qui tantæ capacitatis non est ut capere possit mysteria veri Agni, Christi Filii Dei. Offerat ergo duos turtures vel duos columbæ pullos, id est, contenta sit geminæ charitatis exsecutione. « Unum in holocaustum, et alterum pro peccato. » Amor namque Dei totus intrinsecus ardet; amor vero proximi foris per opera misericordiæ peccatum redimere studet.

271 CAPUT XVII.

De lege leprosi, quod Deus pro mysterio hujus rei curam habuerit.

(Cap. XIII.) « Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, et ad unum quemlibet filiorum ejus, » etc. Manifesta quidem legis hujus littera est. Sed quare hæc talia Dominus Deus ad Moysen locutus est? Nunquid illi tam grandi curæ fuit conspicere lepram humani corporis, lepramque domestici parietis? Quid enim præter peccatum immundum est illi? Nunquid contra morbos corporum, et non potius contra vitia animorum, « Deus judex fortis gladium suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum? (*Psal.* VII). » Ergo quod de sacrificiis brutorum animalium, idem de lege leprarum in hac parte sentiendum est. Nam sicut alio jam in loco, cum testimoniis propheticis diximus, non idcirco ejusmodi sacrificia Deus disposuit, quod carnes taurorum manducare, aut sanguinem hircorum potare haberet, sed quia sponte talibus Ægyptia consuetudine inhiabant, et inniberi non poterant filii Israel. Idcirco sic disposita sunt ut veri sacrificii, quo delectatur Deus, saltem umbram vel figuram ordo illorum gereret. Ita plane non idcirco de lepra vitanda Deus legem dat, quod ipse corporum infirmitates abhorreat, sed quia sensus hominis, quamlibet sapientis, sensus, inquam, exterior, id est, visus vel tactus, hujusmodi plagam pene naturaliter exhorrescit, nisi quem vera misericordia, vel charitas non ficta ad compatiendum vel commiserescendum erudivit. Idcirco lepræ discutiendæ, atque vitandæ legem talem posuit, cujus umbra vel figura spiritualis homo de spiritualibus debeat infirmari. Itaque, quia fieri potest, et sæpe factum est, ut in domo munditiæ quæ est Ecclesia Dei, lepra immundissima, lepra hæretica nasceretur, recte postquam de non admittendis immunditiis mystice lex data est, datur etiam de illis ejiciendis in quibuscunque, post agnitionem veritatis, apostatica vel hæretica immunditia suborta esse deprehenditur.

CAPUT XVIII.

De sacerdotis circa lepram dijudicandum diligentia secundum Apostolum dicentem : « Hæreticum hominem post primam vel secundam admonitionem devita. »

Ait ergo : « Homo in cujus carne vel cute ortus fuerit diversus color, » etc. Primum hæc ad Apostoli convocemus imperium, dicentis : « Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita, sciens quia subversus est, qui ejus modi est, et delinquit cum sit proprio judicio condemnatus (*Tim.* III). » Profecto sicut in hac sancta, et justa et bona lege est quando debeat homo consideratus a sacerdote statim lepræ condemnari et ad arbitrium ejus separari, et est quando debeat semel et iterum includi ac die septimo considerari, sic in sancta Ecclesia est quando debeat homo statim ut a fide exorbitaverit, hæreticus nuntiari, et est quando debeat piis admonitionibus prius semel et iterum conveniri. Denique si is qui ex adverso fidei veritatisque consistit, talis est ut cum non per ignorantiam, sed per malitiam errare in hypocrisi, fictis verbis negotiari et loqui mendacium, nemini dubium sit, qualis erat jam Simon ille Magus cum primum se apostolis ingessit illic (*Act.* VIII), non debet sententia remorari, sed statim ejicienda et separanda est lepra nequissima, ne corrumpantur cæteri. Ait ergo : « cum viderit lepram in cute, et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem carne et cute reliqua, plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur. » Et postmodum idem repetendo confirmat. « Plaga, inquit, lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, quia perspicua immunditia est. » Tunc etenim pilus in album mutatus est colorem, ipsa et species humilior est carne et cute reliqua, quando id agitur sub albedine et humilitate hypocriseos, quatenus in errorem mutantur simplices fidei, quales Apostolus præmuniens, dicit : « Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus connexum et conjunctione subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (*Col.* II). » Tunc, inquam, capillorum mutato aspectu caro quoque viva apparet, quando id quod prædictum est, agitur scienter, aut defenditur pertinaciter, quod et contactu sancti peccare est. Nempe, quasi mortuæ carnis est lepra ignorantis hominis dissonans a recta fide loquela, et hæc potest remitti. Quasi vivæ autem carnis lepra est hominis veritatem scientis blasphemia, et hæc « non remittetur, neque in hoc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » — « Lepra inquit, vetustissima judicabitur, atque inolita cuti, contaminabit eum sacerdos, et non recludet, quia perspicua immunditia est. » Quod est dicere : Non adhibebit diligentiam, ut manifestum corrigat hæreticum, sed vitabit et vitandum pronuntiabit eum, quia subversus est, quia incorrigibilis est. « Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus et considerabit die septimo. Et si quidem lepra non ultra creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursus includet eum septem diebus aliis, et die septimo contemplabitur. Si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est. » Sensus hic est : Si non per inanem gloriam in astutia vel hypocrisi blasphemiam struere, sed per ignorantiam errare visus fuerit, seorsum intructur, sensu veritatis a fidelissimo dispensatore verbi, totis septem diebus, id est, in omnibus Scripturis divinitus inspiratis. « Et si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit priores terminos, id est si non defendendo errorem, reatum suum auxerit, quod facere solent omnes hæretici, quorum diabolus corda subvertit, « rursus includet eum septem diebus aliis, et die septimo considerabit, » id est, iterum bona spe illum in omnibus Scripturis catholicæ veritatis catechizabit, et bene confirmatum sanctæ matri Ecclesiæ præsentabit, dicens, quia scabies fuit, et non lepra, id est, ignorantia deliquit, non malitia. « Lavabitque homo vestimenta sua, et mundus erit. » Juxta hunc sensum spiritualem, in lavandis vestimentis discretio qualis esse debeat, ecclesiastica prudentia non ignorat. Nam, qui ab hæretica lepra correctus ad integritatem fidei reducitur, qualiscunque illa exstiterit, dummodo baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti **272** non illi repetitur lavacrum carnis, sed tantum confessione data, spiritum accipit reconciliationis et remissionis peccatorum, qua sufficienter laventur vestimenta, ut homo ejusmodi mundus sit. « Quia, si postquam a sacerdote visus est, et redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum, et immunditiæ condemnabitur. » Et hoc æquum est. Nam, si denuo abalienatus fuerit peccator a vulva et erraverit ab utero, et locutus fuerit falsa (*Psal.* LVII), quæ jam spes superesse poterit? Quomodo enim de ignorantia poterit excusari? Igitur et quemadmodum supradictus Apostolus, ait : « Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita (*Tim.* III), » videlicet eo quod inexcusabilis, imo et incorrigibilis sit, ita nunc lex immundum esse decernit eum qui redditus munditiæ iterum lepram contraxerit. Hoc plane fecit aliquis, cum forte aliquo indigens negotio, unde in catholica Ecclesia posset ei subveniri, fidem rectam professus est, eo quod diceretur ei : Non tibi subvenietur hic, nisi communicaveris, et rursus alio indigens, quo, verbi gratia, apud Arianos posset ei subveniri, rursus catholicam deseruit, eo quod dicerent Ariani : Non tibi subvenietur, nisi hic communicaveris, sicut palea leviter omni vento circumferente, nunc ab area transvolat in sepem, nunc rursus a sepe refertur in aream. Igitur et juxta hanc legem immunditiæ condemnabitur, et juxta evangelicum Apostoli præceptum, « quia subversus est, » devitabitur.

CAPUT XIX.

Quid si lepra mundissima teneri, et idcirco hominem mundissimum decerni, secundum Apostoli sententium dicentis : « Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicariis. »

« Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, et operuerit omnem carnem, a capite usque ad pedes quidquid sub aspectu oculorum cadit, considerabit eum sacerdos, et teneri lepra mundissima judicabit, eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mundus erit. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, tunc sacerdotis judicio polluetur, et inter immundos reputabitur. » Ejus loci mysterio legitime consonans Apostolus, dicit ad Corinthios : « Scripsi vobis in Epistola : Ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus aut idolis servientibus. Alioqui debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nunquid enim de his qui intus sunt vos judicatis? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. » (*I Cor.* III.) Quid enim est, totum a capite usque ad pedes lepra opertum esse, nisi fornicarium aut avarum esse et omnino tam professione, quam opere foris esse? Quid enim est carnem vivam aspergi lepra, nisi nominari fratrem et fornicatorem esse, caterasque facere opera fraterno nomini repugnantia? Igitur efflorente ac discurrente lepra in cute totam a capite usque ad pedes carnem opertam esse, quidquid sub aspectu oculorum cadit, idque consideratum a sacerdote, lepram quidem, sed mundissimam lepram judicari, eo quod omnis in candorem versa sit, et idcirco hominem mundum decerni, id profecto est fornicariis hujus mundi, avaris, rapacibus, idolis servientibus licenter commisceri, nihilque judicare de illis, eo quod foris sunt, quos Deus judicabit. Ejusmodi homo mundus erit, inquit, id est ejusmodi colloquium lege ecclesiastica non te contaminabit, et hoc modo lepra ejus tibi mundissima erit. Nam et Dominus noster talibus commistus, unde et improperabatur illi quod esset amicus peccatorum et publicanorum (*Matth.* XI). Alioquin si tales vitandi erant, debueramus et nos et apostoli de hoc mundo exiisse, imo et Dominus noster nunquam in hunc mundum venisset. E contrario carnem vivam apparere in lepra, vel carnem vivam lepra aspergi, quod superiori modo longe diversum vel dissimile est, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

idcirco immundum decerni, id plane est eum, qui nomen habet quod vivat (*Apoc.* III), qui frater nominatur et intus est, judicari, et cum ejusmodi nec cibum sumi, sed auferri malum ex vobismetipsis (*I Cor.* III). Quid si abundantiori tristitia frater absorptus fuerit? (*II Cor.* II). Nunquid omnino relinquetur, dum idcirco duntaxat tradi debeat Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini (*I Cor.* V). Præmisso ergo, « caro enim viva si lepra aspergatur immunda est, » continuo sequitur : « Quod si rursum versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit, considerabit eum sacerdos, et mundum esse decernet. » Quod idem est ac si dicat : Si abundantiori tristitia fuerit absorptus, imo et antequam penitus absorbeatur, intuebitur eum sacerdos, scilicet is qui infirmarum curam se novit accepisse animarum, et non super sanas tyrannidem, et proinde sacerdos legitimus est. Intuebitur, inquam, eum pio intuitu, et confirmabit in illum charitatem, mundum eum esse decernens, videlicet ut eum qui se illi in colloquio sociaverit, non judicet æqualem debere sortiri excommunicationis vindictam, sed potius immittat sapientes, qui quasi occulte consolentur fratrem fluctuantem.

CAPUT XX.

De lepra ejus, cui ulcus innatum est, et ejus quem ignis exussit, mystice, de distantia hæresiarchæ et hæretici.

« Caro et cutis in qua ulcus natum est, et sanatum, et in loco ulceris cicatrix apparuerit alba, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem. » Item : « Caro et cutis, quam ignis exusserit, et sanata albam sive subrufam habuerit cicatricem, considerabit eam sacerdos. Et ecce versa est in alborem, et locus ejus reliqua cute humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. » Hactenus indistinctione de lepra qualiscunque hæresis sancta et mystica lex locuta est, nunc distincte loquitur, primum de lepra hæresiarchæ, id est ejus a quo hæresis orta est, et ejus qui non proprio vitio, sed alieno inductus hæretica tabe pollutus est. Denique quod ulcus innatum, et combustio propriis causis differunt hoc reatus hæresiarchæ, et ejus qui ab illo seducente in anima combustus est differt. Nam ille proprio vitio ulceratus, mortiferum virus concepit, iste imprudens forte, dum diviti hæretico adulando quodammodo ad prunas distenditur, et calefacit crepitantis fornaculæ scintillis evolantibus in crure adustus est. Utriusque lex eadem est. Parum quippe differt in crimine decipere et decipi posse. « Cum, inquit, viderit sacerdos locum lepræ humiliorem carne reliqua, et pilos versos in candorem, contaminabit eum. Plaga enim lepræ orta est in ulcere, » etc. Quæ videlicet lex, quia supradicta est, jam cætera prosequamur : Hoc tamen non prætereundum quia tunc in carne vel cute jam sanato ulcere, quod innatum fuerat, plaga lepræ orta est, quando homo vitiosus magnarum opum, magni et ardentis **273** ingenii de proprio vitio correptus ab Ecclesia deterior factus est, et unius verbi gratia, carnalis vitii quasi ulcere sanato vel constricto, in hæresim lapsus est, fecit schismata turbavitque catholicam pacem, propria inflammatus iracundia. Talis Nicolaus de Actibus apostolorum septimus (*Act.* VI), diaconus de zelo pulcherrimæ conjugis increpatus, respondisse fertur ut quicunque vellet, acciperet eam uxorem, et ob hoc infideles docuisse quod apostoli promiscua cunctis, communiaque consortia feminarum permitterent.

CAPUT XXI

De lepra capitis vel barbæ, et caute discernendum esse utrum lepra an scabies, sive calvitium sit.

« Vir sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos. Et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, et capillus flavus solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est : Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, » etc., ut supra. Et ex hoc loco cognoscere licet quoniam non temere de consuetudine cujusquam, præsertim quæ bono possit animo fieri, judicium proferri debeat. Tunc etenim in capite vel barba, quæ videlicet pars corporis non absconditur, nec adeo veste contegitur, lepra germinavit aut germinasse putatur, quando talem quis consuetudinem in publico Ecclesiæ tenet, quæ causam infidelitatis habet, vel habere creditur. De hujusmodi, inquam, non temere judicandum est. Potest enim evenire, ut quod tinea vel lepra capitis esse putatur, eo quod capilli fluant, scabies aut calvitium sit, id est, ut quod a fideli vel sana doctrina abhorrere dicitur, bono proposito et munda conscientia teneatur, ut, verbi gratia, cum quis virginitati impensius favet, et exinde opinio nata est quod conjugia damnet, vel cum fratri carnem intemperantius manducanti detrahit, et exinde occasio se præbuit quod, contra Apostolum, bonam Dei creaturam rejiciendam esse (*I Tim.* IV), docere velit. Adducetur, inquit, ad sacerdotem, et res, eodem ordine quo jam supra dictum est, diligenter examinabitur, atque rei veritate comperta, si lepra est, immundus homo adjudicabitur; si scabies, lotis prius vestibus, mundabitur; si calvitium, absque ulla interpositione erit mundus.

CAPUT XXII.

De leproso separato, quid sit habere vestimenta dissuta, caput nudum, os, veste contectum, contaminatum se clamare ac sordidum.

« Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, et separatus ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se proclamabit. Omni tempore quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra. » Durus et fortis hic occidentis litteræ baculus est, majori confusione vel ignominia miseri corporis morbos anathematizans quam ipsa, quæ Deus odit, adulteria. Cæterum, quod vivificans

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

spiritus in isto loco dicit Ecclesiis, justum valde et rationabile est. Qui enim hæretica est lepra maculatus revera notandus, quia profecto devitandus est. « Habebit ergo, inquit, vestimenta dissuta. » Plane hæreticus vestimenta habet dissuta ; nam hoc ipso quod hæreticus est, illud sibi scidit Christi vestimentum, cujus in typum milites tunicam ejusdem Christi, Domini scindere noluerunt (*Joan.* XIX) unde et schismaticus dicitur, et est, quia videlicet unitatem fidei unicam vel Scripturam veritatem scindendo, ipse dissutus et conscissus est. Habet et « caput nudum, » perdidit enim coronam spei Domini, imo et ipsum perdidit caput cujus membra sumus, caput, inquam, Ecclesiæ Christum, « ex quo totum corpus per nexum et conjunctione subministratum est, et crescit in augmentum Dei (*Col.* II), » et assumpsit sibi caput inimicorum diabolum, caput ulcerosum, caput leprosum. Habet et « os veste contectum, » id est, spiritu fictionis obturatum bilingue et dolosum. « Veste, inquam, contectum. » Summopere namque cavet ne ab illis qui patulum habent discretionis nasum, fetore suo deprehendatur os vel guttur malignum, de quo alibi scriptum est : « Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum (*Psal.* XIII). » Nec frustra. Nam « contaminatum, inquit, ac sordidum se clamabit. » Dum enim susurrare se putat hæreticus, clamat, dum sibilare lingua viperea se existimat, latratus ejus omnem auritum hominem exsurdat. Cum, inquam, in cubiculo suo regi Deo detrahit, avis cœli audit et nuntiat (*Eccle.* X), et fit pavor, et admiratio in tota Christi domo, quæ est Ecclesia. Igitur quidquid loquitur hæreticus, clamor est, et turbam concitat. Quid ergo ? Omni, inquit, tempore quo leprosus et immundus est, solus habitabit extra castra. » Non ergo quisquam hæretico, quem viventem catholicæ Ecclesiæ castra non recipiunt, mortuo veniam promittat. Nam lepra vel immunditia hæretica, quæ in hac vita per pœnitentiam non mundatur, post hanc vitam non est unde curetur. « Quodcunque potest manus tua, dicit Ecclesiastes, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX). » Omni igitur tempore id est, in sæcula sæculorum, sine termino, sine fine erit extra castra sempiternæ Ecclesiæ, solus, quamvis in perditorum multitudine, solus, inquam, et solitarius quia a Deo derelictus, desertor ac desertus, pollutor et immundus, qui hoc tempore, dum vivit, non fuerit spiritu reconciliationis emendatus.

CAPUT XXIII.

De lepra vestium, et quod leprosa vestis sit comburenda, id est scriptura hæretica penitus auferenda.

« Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit in stamine sive sub tegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, si alba vel rufa macula fuerit inferta, reputabitur lepra, ostendeturque sacerdoti. Qui consideratam recludet septem diebus, et die septimo rursus aspiciens, si crevisse deprehenderit, lepra perseverans est, pollutum judicabit vestimentum et omne in quo fuerit inventa, et idcirco comburetur flammis. » Vestis lanea, sive linea, aut certa pellicea, vestis, inquam, quælibet leprosa perversa est hæretici scriptura arte texta vel consuta sive grossiori, ut linea, sive subtiliori eloquio, ut linea, sive de Platone, cæterisque philosophis Deo mortuis, sumpta ut vestis pellicea, de mortuis utique animalibus contracta. Itaque si maculam habuerit albam vel rufam, id est si quidpiam discrepuerit ab universitate Scripturarum, sive humili, sive grandiloquo sermone, « lepra, » scilicet hæretica perfidia « reputabitur » ab eo qui legerit vel audierit, « ostendeturque sacerdoti, » viro videlicet verum Scripturarum sensum atque judicium habenti, cui, qui non ostenderit, tanquam pro consensu damnabilis erit. « Qui consideratam recludet **274** septem diebus, » id est, non temerarium proferet judicium, sed conferet cum omni auctoritate Scripturarum, « et si lepram crevisse, » id est, si vere hæresim esse « deprehenderit, comburetur flammis. » Nullo enim modo melius aut citius hæretica scriptura de memoria perit. Comburetur itaque leprosa vestis, scilicet prava scriptura flammis visibilibus, nam leprosus scriptor insanabilis, scilicet hæreticus impœnitens, cremabitur flammis inexstinguibilibus, flammis æternis, flammis gehennalibus. Quo contra vestis illa, quam operata est mulier sapiens, quæsivit enim lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum, vestiet virum illius nobilem, dabiturque ei de fructu manuum suarum, et laudabunt eam in portis opera ejus (*Prov.* XXXI). « Quod si eam viderit non crevisse, » id est, putaverit hæresim non esse, et id quod pravum sonat bono sensu accipi posse, « præcipiet, et lavabunt id in quo lepra est, » id est, prædicabit vel exponet coram omnibus illum verbi sensum, qui sanus vel utilis est. « Et cum viderit faciem pristinam non reversam, » id est, nihil prodesse lectoribus sive auditoribus sanam interpretationem suam, « igne comburet, » ut prædictum est. « Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido dividet, » id est, si cum in uno capitulo error sit aut hæresis, multa fidelia sive utilia sunt in toto corpore voluminis, dempto vitio, cætera reservabit, quod facere nonnulli conati sunt de libris Origenis. « Quod si ultra apparuerit in his locis quæ prius immaculata erant, lepra volatilis et vaga est, » id est, si ultra de illis quoque scriptorum locis, quæ prius videbantur innoxia, dissensiones ortæ et facta fuerint scandala, debent igne comburi, videlicet eo quod plus simplicibus obsint quam prosint sapientibus et discretis, cum sufficiant scripta probatæ fidei. « Si cessaverit, » id est, si dissensio vel turbatio legentium ratione sedari potuerit, « lavabit ea,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quæ pura sunt secundo » id est, defendet vel commendabit ea quæ catholica sunt iterato testimonio, « et munda erunt, » authentica permanebunt.

CAPUT XXIV.

De emundatione leprosi, id est, hæretici, et quod mundare mundatum hoc sit reconciliare correctum, et quid sit duos offerre passeres.

(Cap. XIV.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Hic est ritus leprosi : Quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem. Qui egressus e castris cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificabitur, ut offerat pro se duos passeres vivos quos vesci licitum est, et lignum cedrinum, vermiculumque et hyssopum, et unum e passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes. Alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco, et hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est septies, ut jure purgetur. » Vere « bona » et sancta « lex, si quis ea legitime utatur (*I Tim.* I). » Vere splendida Moysi facies, si quis eam amoto velamine intueatur (*II Cor.* III). Vidimus, intelleximus qualiter ejiciat leprosum, id est hæreticum, eo quod leprosus sit. Nunc videamus qualiter mundet, id est reconciliet illum, ubi mundatus, ubi in catholica fide fuerit correctus; hoc enim est mundare mundatum, scilicet reconciliare correctum. « Ut offerat, inquit, pro se duos passeres. » Passer Christum significat hoc loco, qui et in psalmo loquitur : « Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto (*Psal.* CI), » id est resurrexi et ascendi in cœlum, separatus ab hominibus, ad modum passeris solitarii in tecto, separati ab aliis avibus, et quiescentis in loco suo. Sed duo passeres offerendi sunt, « et unum, inquit, e passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes, alium autem tinget vivum in sanguine passeris immolati, » etc. Cur hoc, nisi quia oportet eum, qui reconciliatur Ecclesiæ, confiteri Christum quia crucifixus et mortuus est ex infirmitate nostra, et vivit nunc ex virtute Dei? (*II Cor.* XIII.) Nam in umbra quidem vel figura ista duo passeres offeruntur, sed in veritate essentiæ unus est Christus : unus, inquam, idemque una geminæ personæ substantiæ ex altero crucifixus, ut prædictum est, ex altero jam vivus, ex quo etiam « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Igitur oblatis duobus passeribus quos vesci licitum est; utraque enim jam dicta credere oportet, unus immolatur, et ex alio vivo cum sanguine immolati, is qui mundandus est septies aspergitur, quia videlicet immolatus est Christus, idemque redivivus septiformem dedit spiritum, sine quo nullus rite aspergitur, ut peccatorum remissione mundetur. Hoc in sacramentis Ecclesiæ mirabiliter (quod fidelibus notum est) celebratur. Immolatur passer « in vase fictili, » id est, recitatur fides ejus, quæ ex infirmitate nostra exstitit passionis Christi. Et hoc « super aquas viventes, » id est, secundum Scripturas veritatem vitæ continentes. Illic est lignum cedrinum, vermiculusque et hyssopus. Lignum cedrinum imputribile spem significat resurrectionis et incorruptionis futuræ; vermiculus, charitatem; hyssopus herba humilis, qua tumor pulmonis deponitur, ipsam fidem, qua corda nostra purificantur. Sine istis reconciliatio non fit. Immolato itaque passere uno, alius vivus in sanguine ejus tingitur, quo septies, qui mundandus est aspergatur, ut rite mundetur. quia videlicet unus idemque Christus mirabiliter, et hic in sacramento suo quotidie immolatur, et in cœlo vivit non moriturus. Hac fide recepta, qui hæreticus fuerit, « septies respersus, » id est, sancto septiformi Spiritu, qui in sola catholica Ecclesia datur, innovatus, « dimittet passerem vivum in agrum, ut avolet, » confitendo scilicet quia Christus, ut prædictum est, nunquam moriturus in æternum manet.

CAPUT XXV.

De mystica observatione leprosi qui mundatus est, deque cæremoniis suis et oblationibus.

« Cumque laverit homo vestimenta sua radet omnes pilos corporis, et lavabitur aqua. Purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum septem diebus, et die septimo radet capillos capitis, barbamque et supercilia ac totius corporis pilos, et lotis rursum vestibus et corpore, die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo et seorsum olei sextarium. Cumque sacerdos purificans hominem statuerit eum, et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, tollet agnum et offeret eum pro delicto oleique sextarium, » etc. Cumque, inquit, laverit homo vestimenta sua, eo videlicet lavacro, de quo Propheta in psalmo : « Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (*Psal.* VI), » radet omnes pilos corporis sui, id est omnes a se superstitiones hæreticas amputabit, et lavabitur aqua, id est sacra informabitur doctrina. purificatusque, scilicet hoc modo, ingredietur castra; jam enim ex tunc in catholica reputabitur Ecclesia, **275** ita duntaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus, » videlicet ne rudis adhuc si contubernalium hæreticorum malis colloquiis misceatur, iterum rediviva illorum lepra corrumpitur. « Maneat inquam, extra tabernaculum suum septem diebus, » id est, donec in eo perfecte Christus formetur, cui est iterum pariente gratia natus. Et ei hoc contrarium non est quod sacerdotibus supra in consecratione ipsorum præceptum est : « De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus (*Lev.* VIII). » Sacerdotibus namque tabernaculum catholica est Ecclesia. Leproso autem huic tabernaculum suum hæreticorum conventiculum erat. « Et die, inquit, septimo, radet capillos capitis, barbamque et supercilia ac totius corporis pilos. » Hæc namque perfectio et reformationis in eo qui barbatus e veternosus hæreticus fuerat, si ex toto ad infantiam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

innocentiæ redeat, si deposita philosophia et inani fallacia, quæ est « secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, » et non secundum spiritum (*Col.* II), in illo qui caput est corporis Ecclesiæ (*Col.* I), » tota exspoliatione corporis carnis reflorescat, quod est capillos capitis, id est sensus pristinos cordis, barbamque virilem, ac superbiæ supercilia, cum totius corporis pilis radere, ut totus homo novus incedat. « Et lotis rursus vestibus et corpore, » id est iterum atque iterum data confessione, « die octavo sumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ, » etc. Hæc leprosi ablatio a sacerdotum supradictis oblationibus differt quod illic vitulum, hircum atque agnum sumi jubet lex, azymorum de canistro exprimitur eadem quantitas; hic autem « duos, inquit, agnos assumet, et ovem anniculam, et tres similæ decimas. » Plane ab hoc hæretico, qui ab hujusmodi lepra mundatus est, exigi debet, ut totius vanæ philosophiæ rasis supercilliis, simplicitatem fidei sapiat, et ita cum duobus agnis immaculatis, « ovem anniculam, » id est, in duobus Testamentis unam simpliciter profiteatur fidem catholicam. Nam a sacerdote, id est ab eo qui nunquam aberravit a fide, non tanta solertia requiritur vel exigitur ut sit contentus simplici fide, quippe qui neminem sollicitum reddidit, quod inquam humana Deum voluerit ratione comprehendere. Igitur, « et tres, inquit, decimas similæ assumet in sacrificium. » Tribus decimis assumptis, septem decimæ residuæ sunt. Assumet ergo tres similæ decimis, id est tres confitebitur pura mente et publica voce unicæ deitas personas, ut quas non habebat septem decimas, scilicet sanctum septiformem Spiritum in catholica matre Ecclesia recipiat. Sed non satis est sanctam confiteri Trinitatem in conspectu Ecclesiæ, nisi præeunte dilectionis auctoritate et erga Deum et proximum fideliter operante. « Conspersa, inquit, similæ sit oleo, et seorsum habeat olei sextarium, » qui videlicet et intus coram Domino conspergitur charitatis oleum, et foris erga proximum sex opera misericordiæ sunt, scilicet esurienti cibum, sitienti dare potum, colligere hospitem, cooperire nudum, visitare infirmum, venire ad eum qui in carcere est (*Matth.* XXV). Cætera prætermimus, quia fere sunt eadem quæ superius in consecratione sacerdotum, imo in exordio voluminis hujus, pro posse tractavimus. Nec mirum, quod eodem ritu et sacerdotes consecrantur, et qui leprosus fuerat emundatur, quia, videlicet in reconcilatione hæretici, cuncta sunt agenda mysteria Christianæ fidei, per quæ Deo nostro regnum et sacerdotes sumus effecti (*Apoc.* V), excepto quod non illi repetitur lavacrum carnis, si veniat ab hæreticis, quamlibet perversis, baptizantibus tamen in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti « Quod si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, » etc. Pauper ille est, qui pro parvitate scientiæ non penetrat profunda Scripturarum, quæ duobus Testamentis determinatæ sunt. « Sumet ergo, inquit pro peccato agnum, » id est pro correctione pestis hæreticæ, apprehendet apostolicæ fidei symbolum. « Decimamque partem similæ conspersæ oleo, et olei sextarium, » id est fidem unam absque subtili discussione, trium personarum, ita duntaxat ut dilectionem habeat ergo Deum et proximum, juxta sensum supradictum, « duos quoque turtures, aut, sive duos pullos columbæ, quorum sit unus pro peccato, et alter in holocaustum (*Lev.* XII), » videlicet duplicem habendo genitum, vel quia dixit et fecit quæ catholicæ puritatis non sunt, vel quia non dixit et non fecit quæ ab hæreticæ lepræ contagione aliena sunt. Cætera, ut jam dictum est, prætermimus, non enim eadem in omnibus locis suis replicare compellimur.

CAPUT XXVI.

De lepra domorum, cum nuntiata fuerit sacerdoti, qualiter consideretur, id est hæresis quorumlibet in quovis ordine cohabitantium qualiter examinetur.

« Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cujus est domus nuntians sacerdoti, et dicit: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. At ille præcipiet, ut offerant universa priusquam ingrediatur eam, et videat utrum lepra sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea, ut consideret domus lepram, etc. » Et hic a superioribus deductus vivificans legis spiritus in promptu est. Si enim non de lepra carnis, sed de lepra mentis vel peccato carnis Deo cura vel judicium est, quanto magis de lepra parietum, vel de lepra lapidum visibilium et insensibilium illi cura non est? Ergo hic domus, ratione urgente, eo sensu accipianda est quo partes domus dicimus singulos homines. Et hoc nondum spirituale est; nam et litteraliter, sicut tribus per familias, sive cognationes, et cognatio per domos, sic domus per viros plerisque Scripturæ locis divisa est. « Cum igitur, inquit, ingressi fueritis in terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, » etc. Ex tunc terram Chanaan, quod interpretatur *motus eorum*, ingressi sumus, ex quo, sub regibus Christianis atque catholicis principibus, licuit sanctæ Ecclesiæ publicis regnare conventibus divinumque imperium cœlestibus gubernare legibus. Nam terra quidem Chanaan, quam dedit Dominus populo illi possidendam, illam significat terram viventium de qua maligni spiritus expulsi sunt, quia, secundum nomen Chanaan, motus est pes eorum (*Psal.* XCIII), ceciderunique, et stare non poterant (*Psal.* XXXV); sed quia per præsentis Ecclesiæ januas in illam ingredimur terram, non vane jam nos ingressos esse dicimus, et beata spe gloriamur, cum adhuc peregrinantes in corpore, jam in cœlis cum Apostolo conversari possimus (*Phil.* III). « Si, inquit, fuerit plaga lepræ in ædibus, » id est, si orta fuerit hæresis in quibuslibet Ecclesiæ conventibus, cœnobiisque,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vel quibuscunque ordinibus communiter viventibus, « ibit cujus domus est, nuntians sacerdoti, » subauditur eo quod plagam mortiferam per semetipsum sanare non possit, « Tunc enim is, cujus est domus, » qui domui Christi est prælatus, majoris vel superioris quærere debebit præsidium, cum **276** per se semetipsum curare non poterit domesticum morbum. « At ille præcipiet, ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, et videat utrum lepra sit. » Ingressuro sacerdote in domum, ut videat utrum lepra sit quod annuntiatum est, an non, prius efferri debent universa, subauditur quæ efferri possunt, quia videlicet in conventu, vel cœtu cohabitantium orta dissensione de fide vel dogmatibus, antequam res examinentur, qui non consentiunt scandala facientibus, ipsum suum declarare debent studium quo ab aliis dissentiunt. Nam postquam lepram hæreticam esse manifesta ratio convicerit, non solum auctoribus, sed et auctorum consentaneis sententia pariter incumbet judicialis. Quare enim præcipiet ut efferant universa. « Ne immunda, inquit, fiant omnia, quæ in domo sunt, » videlicet, quando prolatum fuerit convictæ immunditiæ indicium. « Intrabitque postea, ut consideret domus lepram, » videlicet postquam schismatis partem utramque diviseret, distinctamque utriusque habuerit notitiam. « Et cum viderit in parietibus illius, quasi vallículas pallore sive rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, egredietur ostium domus et statim claudet eam septem diebus. » Quod est dicere : Cum audierit capitula disceptantium omnino a pulchritudine vel sanitate sanctarum Scripturarum discrepare, egredietur tota aversus mente, et imponet silentium immundo spiritui, scilicet lepræ hæreticæ, « septem diebus, id est, universæ veritatis objecta auctoritate, ut videant vel intelligant recti et lætentur, et omnis iniquitas oppilet os suum (*Psal.* CVI).

CAPUT XXVII.

Quod si post septem dies invenerit crevisse lepram, jubeat erui lapides, id est, si post omnes admoniliones perseveravit hæresis, expelliet ejus auctores, et si nec ita profecerit, destruet totam domum hæreticam.

« Reversusque die septimo considerabit eam. Si evenerit crevisse lepram, jubebit erui lapides in quibus lepra est, et projiciet eos extra civitatem in loco immundo, domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, et spargi pulverem rasuræ extra civitatem in loco immundo, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerunt, et luto alio lini domum. » « Septimo, inquit, die », id est postquam omnem adhibuit sani sermonis diligentiam, « reversus, si lepram invenerit crevisse » hæreticam, « jubebit erui lapides in quibus lepra est, » id est utetur ferro abscissionis, auferendo et expellendo illos qui sunt ejusdem impietatis auctores, « et projiciet eos extra civitatem, » extra civitatem, inquam, viventis Dei Hierusalem cœlestem, extra pacem ecclesiasticæ communionis « in loco immundo, » in diaboli circo vel theatro, vel in maligno malignorum collegio, cum mortuis, cum his qui sunt in inferno, « Domum autem ipsam radet intrinsecus per circuitum ; » nec enim immunis esse poterit ab illorum colluvione totus cœtus cohabitantium, dicente Scriptura : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII). » — « Radet, inquam, per circuitum, » id est, cunctos tam vocis professione quam et manus subscriptione, anathematizare compellet dogma hæreticum, « et sparget pulverem rasuræ extra urbem in loco immundo, » ut videlicet nihil immundorum, nihil hæreticorum sensuum resideat in tota Dei domo. Sed « et lapides alios reponi jubebit pro his qui ablati fuerint, » scilicet, ut malis male perditis (*Matth.* XXI), domus impleatur aliis domesticis, qui pro veritate fidei, vel pacis catholicæ statu, jure competentur in familia Domini. Tandem « luto alio liniet domum, » id est, malis sensibus exclusis sedula prædicatione ac meliori doctrina totum reformabit fidei vel catholicæ pacis statum. Sin autem postquam eruti sunt lapides, et pulvis elatus, et alia terra lita, ingressus sacerdos viderit reversam lepram et parietes aspersos maculis, lepra est perseverans, et immunda domus. Quam statim destruent, etc., videlicet sicut, post primam et secundam inspectionem, homo leprosus immunditiæ condemnatur, sic et domus, post primam et secundam considerationem, crescente lepra, jure destruitur, id est sicut hæreticus homo post primam et secundum admonitionem, devitandus, sic et universa domus, sive Ecclesia malignantium conciliumque hæreticorum, post primam et secundam orthodoxi sacerdotis visitationem, anathematizandum est, « Destruent ergo, inquit, domum et lapides ejus, ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in loco immundo, » videlicet cum illo immunditiæ principe diabolo, cui per prophetam sub nomine Babylonici regis dictum est : « Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, in domo sua. Tu autem projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio (*Isa.* XIV). » — « Quod si introiens viderit, lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita est, purificabit eam, reddita sanitate. Et in purificatione ejus sumet duos passeres, » etc., ut supra.

CAPUT XXVIII.

De eo qui patitur fluxum seminis, id est, incontinentiam sermonis, et de eo quæ sanguine fluit, id est quæ cuilibet fratri detrahit, et de mystica ejus oblatione si sanata fuerit.

(CAP. XV.) « Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Et tunc judicabitur huic vitio subjacere cum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concrevit fœtus humor. » Item : « Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. » Ac deinceps : « Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quandiu

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

huic subjacet passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstrui. » Ordinate post legem datam, lepræ damnabilis, id est hæreticæ pravitatis, legem edicit Scriptura de fluxu seminis et de fluxu sanguinis menstrui, id est de incontinentia oris murmurosi et de loquacitate linguæ detrahentis. Quid est fluxum seminis aut fluxum pati sanguinis, nisi detractoriis aut etiam criminosis fluere verbis? Nempe qui detrahit Deo, vel quid blasphemat Deum, et qui detrahit proximo, vel qui judicat proximum, proximi sunt. Qui enim hoc tempore catholicæ pacis, quando sufficientibus orthodoxorum scriptis lapidata vel obruta est omnis hæresis, proximi quem videt bona quoque odit, quomodo, vigentibus hæreticorum zizaniis, Deo quem non videt posset esse fidelis? Igitur et hic immundus est. Et si quidem in proposito virtutis, aut in quolibet eminenti gradu constitutus sit vir est patiens fluxum sanguinis; si autem de sæcularium plebecula nulloque ordinis ecclesiastici sive curialis munere functus sit, recte mulier dicatur patiens fluxum sanguinis menstrui, quamdiu a detractione linguæ non parcit, quandiu scandala nutrire, dissensiones facere non cessat. Et notandum quam caute dictum sit, quam provide definitum sit. « Tunc, inquit, judicabitur huic vitio subjacere, cum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concreverit fœdus humor. » Quod est **277** dicere : Non pro uno verbo judicabitur linguæ vitio subjacere; nam « si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir (*Jac.* III). » Sed cum indesinenter pro consuetudine adhæserit ori illius fœda, atque humida loquacitatis lues, et suavis fuerit gutturi ejus panis hujusmodi, immundus, inquam, et hic erit, verumtamen non æque ut leprosus, nondum æque hæreticus. Nec enim habet hæc lex ut separetur, ut habitet extra castra solus. Optime ac legitime sancta didicit Ecclesia portare et sustinere, intra castra sua, qui sunt hujusmodi, gemens tamen et dicens : « Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem erat pacificus (*Psal.* CXIX). » Hunc tenet modum discretionis, ut cum his qui oderunt pacem « proximi, quandiu salvo unitatis vinculo potest, pacifica sit : cum his autem qui oderunt pacem Dei, qui male de Deo loquuntur et sunt hæretici, nullam habeat pacem, aut tolerantium communionis, sed emundatio talium sine sanguine fit. Ait enim : « Si sanatus fuerit qui hujusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, et lotis vestibus ac toto corpore in aquis viventibus, erit mundus. Die autem octavo, sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, et veniet in conspectu Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabit eos sacerdoti, » etc. Ita, inquam, talium emundatio, et earum mulierum quarum steterit sanguis et fluere cessaverit, sine sanguine fit, cum emundatio leprosi nonnisi cum sanguine fiat passeris vivi. Etenim quicunque fidei professione intus sunt, quamvis paleæ sint, cum per pœnitentiam mutantur et grana fiunt, solemni reconciliatione non indigent, sed tantum turturis et columbæ gemitus offerant, et salvati sunt. Cætera, quia manifesta sunt, et similia vel eadem ex parte dicta sunt superius, studio proficiscendi præterimus.

CAPUT XXIX.

Quod mulier vitio laborans fluentis menstrui, a sanctæ communionis prohiberi non debeat ingressu.

Hoc tamen de menstruis floribus secundum litteram prætereundum non est, quia jam in Evangelio Christi mulier ejusmodi passionem sustinens, Deo immunda non est (*Matth.* IX). Nam viro quidem immutanda sit, scilicet, « ut vir qui cum ea coierit, tempore sanguinis menstrualis, immundus sit. » Et hac lege prohibeatur cum ea coire vir, in quo certe multum conceptibus lex sacra prospicit. Dicuntur enim concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et fœda in utroque sexu corpora pravitate vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret. Cæterum Deo cur pro hac passione immunda sit? Etenim ecclesiastica recte censet auctoritas, quia mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam ingredi non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari, et per hoc quod invita patitur, justum non est ut ingressu Ecclesiæ privetur. Novimus namque quod mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas sua recessit (*Marc.* V). Si autem in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere, cur quæ menstruam sanguinis superfluitatem patitur, ei non licet Domini ecclesiam intrare? Sed dicis : Illam infirmitas compulit, has vero, de quibus loquimur, constringit consuetudo. Si igitur bene præsumpsit quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sanctæ autem communionis mysterium in iisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non judicanda.

CAPUT XXX.

De mysterio duorum hircorum, quod eorum alter Christi, alter Antichristi typus sit.

(Cap. XVI.) « Locutus est Dominus ad Moysen, post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt, et præcepit ei dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur, quia in nube apparebo super oraculum, nisi hæc ante fecerit. Vitulum offeret pro peccato, et arietem in holocaustum, » etc. Post mysticum atque ordinatissimum sanctæ domus Dei statum, in hac sacra Levitici voluminis scriptura dispositum, iterum ad caput redditur, id est, ad Aaron summum pontificem et sacrificium ejus. Sic enim superius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habuimus, jubente Domino, quia obtulerit Aaron vitulum et duos arietes, vitulum pro peccato, et arietem unum in holocaustum, ac deinde hircum. Deinde subjuncta est mors filiorum Aaron, ac deinde discretio mundorum atque immundorum animantium deinde lex leprosi hominis, et leprosæ domus, deinde de viro patiente fluxum seminis, de femina patiente fluxum sanguinis. Post hæc, inquam, opportuna recapitulatione ad ipsum redditur, cum hæc ad Moysen Dominus loquitur. Verum nonnihil differt. Dicit enim : « Quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum : cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se, et pro domo sua, hircos duos stare faciet coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, mittens super utrumque sortes. Unam Domino, et alteram capro emissario, » etc. Hoc, inquam, nonnihil a superioribus differt : nam illic de capro emissario nullus sermo est. Magnum et hic mysterium est. Post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum mortui sunt, et mysteria dicta sunt, et utique post perditionem Judæorum qui nunc in peccato suo pereunt, hæc eadem opere implenda sunt, tunc summus pontifex, tunc, inquam, cum plenitudo gentium subintraverit, tempus erit, ut reliquiæ salvæ fiant Israelitici populi (*Rom.* XI). « Duos hircos stare faciet in ostio tabernaculi testimonii, » id est revelato homine peccati, filio perditionis, qui vere hircus est fetidus pro peccatis propriis, innotescet ipse Christus populo illi, qui cum pro sua innocentia sit immaculatus Agnus Dei, tanquam hircus velut peccator oblatus est pro peccatis totius mundi. Tunc mittentur super utrumque sortes, ut liquido constet cunctis quis eorum benedictus in nomine Patris in multitudine misericordiæ advenerit, et quis maledictus in nomine suo in multitudine iræ suæ emerserit. Nam cujus sors a Domino exivit, qui oblatus est pro peccatis nostris, hic illum alterum « interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II). » Jam quia cætera superius dicta sunt, videlicet quid significet quod pontifex solus ingreditur in sanctuarium, sumptum sanguinem fundens super **278** cornua altaris per gyrum, aspergens digito septies, et expians, atque sanctificans illud ab immunditiis filiorum Israel, nunc de capro emissario, quod restat dicendum est.

CAPUT XXXI.

Quod vivens hircus qui emittitur, ipse sit Antichristus.

« Offerat, inquit, hircum viventem, et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum. Quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum, » etc. Hircus iste, ut prædictum est, Antichristus est. Vivens, inquam, hircus, quippe qui non veniet ut Christus, pro peccatis hominum moriturus, sed omnino causæ vel morti ejus contrarius. Unde et dicitur Antichristus, id est, *Christo contrarius*. Nam in typum ejus Barabbas latro seditionis auctor et homicidii (*Matth.* XXVII), vivens est dimissus, et nunc usque super illos seditionibus atque homicidiis tyrannizat diabolus : noster vero hircus pro peccatis nostris est mortuus ; mortuus, inquam, semel peccato, nunc enim vivit Deo (*Rom.* VI). « Omnes, inquit, iniquitates filiorum Israel, universa delicta atque peccata eorum imprecans capiti ejus, » omnium quippe animarum sanguis universus in caput ejus redundabit, « emittet eum per hominem paratum in desertum, » id est præcipitabit in infernum, in manibus patris ejus diaboli, hominis utique mali et viri iniqui, de quo paterfamilias in Evangelio dicit : « Inimicus homo hoc fecit (*Matth.* XIII). » Secundum hanc significationem turpe nimis est hominis illius ministerium significantis diabolum, qui in solitudinem inferni deportabit illum hircum suum. Sed audi quod postmodum sequitur : « Ille vero qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua, et corpus aqua, et sic ingredietur castra. » Porro hoc loco, quod hircum illum attrectavit, et ad horam typum gessit totius munditiæ Principis, « lavabit vestimenta sua » non ante ingressurus castra. Sed et ipse Aaron, quia capiti ejusdem hirci manum utramque imposuit, « lavabit carnem suam in loco sancto, induetur que vestimentis suis. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est, ut in sanctuario expiatio compleretur, asportabunt foras castra, et comburetur igni, » etc. Hæc superius exposita sunt, sed hoc loco, ut supradictum est, recapitulantur, videlicet idcirco quia non alterius, ejusdem Domini nostri Jesu Christi sanguine, qui « ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* XIII), » reliquiæ Israel salvabuntur.

CAPUT XXXII.

Sententia legis de non comedendis morticinis, et cur Abrahum uxorem habens sororem suam, contra legem hanc non fecerit dicentem : « Juxta consuetudinem Ægypti non facietis. »

(CAP. XVII.) Dehinc paucis interpositis, quæ et intellectu plana sunt, et jam diversis locis exposita sunt, recapitulationem prosequitur, et quænam sint illa immunda, quorum ab esu, vel contactu populum sanctum sancta lex absterreat, manifestius eloquitur « Anima, inquit, quæ comederit morticinum, vel captum a bestia tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua et semetipsum aqua, et contaminatus erit usque ad vesperum, et hoc ordine mundus fiet. » Hoc et superius dictum fuerat, ac subinde : « Hæc sunt, inquit, animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ (*Lev.* XI), » et hæc atque hæc inter immunda reputabitis. Nam si quæras, quæ sunt immunda, quæ Deus odit, (CAP. XVIII.) « Juxta consuetudinem, inquit, terræ Ægypti in qua habitastis non facietis, et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis. » Ac deinceps : « Omnis homo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad proximam sanguinis sui non accedet. » Nam vere hæc animalia sunt immunda, animalia cadaverosa, quæ populus Dei comedere, id est in sui consortium admittere non debet, scilicet, omnes homines ista facientes, hæc immunda et irrationabilia perpetrantes, turpitudinem matris, vel patris discooperientes, sororis ex patre, sive sororis ex matre ignominiam revelantes. Quod si objicias : Ergo Abraham contra Dei placitum fecit, sororis suæ turpitudinem revelando; Sara enim soror ejus fuit filia patris ejus, et non matris. Respondebimus quia hoc, juxta consuetudinem gentium, fecit, quam Deus hoc loco interdicit. De quibus cum educeret eum Deus, jam antea soror nupserat illi. Necdum scripto legis, imo necdum voce Dei præceptum acceperat hujusmodi. « Ubi autem præceptum non est, nec prævaricatio (*Rom.* IV). » Hæc, inquam, facientes homines, et quomodocunque sanguineam turpitudinem discooperientes, mulieris menstruatæ fœditatem revelantes, cum uxore proximi coeuntes, de semine suo dantes idolo Moloch, et per ignem transferentes, hi et cæteri operarii iniquitatis coinquinati et immundi sunt, quibus nihil est mundum (*Tit.* I). Hæc enim de homine exeunt, et juxta evangelicam veritatem, coinquinant hominem (*Matth.* XV), nam « quod intrat in os, inquit, non coinquinat hominem (*ibid.*). » Et in his nullam impendimus moram quærendo mysteriorum profunditatem, quoniam in superficie manifestam habent justitiæ rationem, transgressoribus reatum perennem, auditoribus imo factoribus suis magnam parantia conscientiæ requiem.

CAPUT XXXIII.

De tribus solemnitatibus anni, quis sit mensis azymorum, quis primitivorum, quis congregatarum frugum.

(Cap. XXIII.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Hæ sunt feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperum phase Domini est, et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est, » etc. Trium solemnitatum continuata ratio planius hic ordinata est, de quibus in Exodo Dominus : « Tribus, inquit, vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, solemnitatem Azymorum, solemnitatem mensis Primitivorum, solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro (*Exod.* XXIII). » De solemnitate Azymorum nunc dicit : « Quarta decima die mensis primi ad vesperum phase Domini est, » sive pascha, id est, *transitus*. De solemnitate mensis Primitivorum. « Cum, inquit, ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit vobis altero die Sabbati, et sanctificabit illum. » Ac deinceps : « Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies, et sic offeretis sacrificium **279** novum Domino, » etc. Hæc solemnitas mensis primitivorum, qui mensis apud Hebræos Theseri, apud Romanos autem Junius dicitur : hæc, inquam, solemnitas, Primitivorum dicitur, et festivitas Hebdomadarum. Vocatur etiam Græce Pentecostes, id est *quinquagesimus dies*. De solemnitate congregatarum frugum. « Mense, inquit, septimo, prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, et vocabitur sanctum. Omne opus servile non facietis in eo, et holocaustum offeretis Domino, » etc.

CAPUT XXXIV.

De ejusdem solemnitatibus et de causis singularum.

Tres istæ solemnitates legales causas habent notissimas, magnaque et præclara commemoratione digna testantur Dei beneficia. Solemnitatis Azymorum, solemnitatis, inquam, paschalis causa illa est, quia « in manu, inquit, forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. Nam, cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum (*Exod.* XIII). » Solemnitatis Primitivorum sive Hebdomadarum, causa hæc est, quia mense tertio egressionis de terra Ægypti, pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, et legem dedit in tabulis scriptam digito Dei. Pactio fœderis non tertio, ut plerique negligenter legentes; sed quarto die mensis tertii, qui est quinquagesimus a quarta decima luna, vel die mensis primi sic acta est. « Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in populo, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. Sumptum quoque sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his (*Exod.* XXIV). » Solemnitatis mensis septimi, quæ dicitur festivitas Tabernaculorum, ea causa est, quia a die egressionis eorum de terra Ægypti, per quadraginta annos in tabernaculis habitaverunt, tandemque consumpta generatione illa, quia murmuraverunt contra Dominum, filii eorum terram repromissionis ingressi sunt (*Num.* XIV). Causa hæc partim tristitiæ, partim lætitiæ est. Tristitiæ, quia corpora patrum in deserto prostrata sunt. Lætitiæ, quia filii ipsorum terram, ut prædictum est, ingressi sunt. Proinde celebritas hæc in recordationem utriusque rei prius cum tristitia, postmodum cum lætitia peragi jussa est. Ait enim : « Decimo die mensis hujus septimi dies Expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus. Affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis suis. » Hoc pro recordatione malorum, quia, sicut prædictum est, corpora patrum per quadraginta annos in deserto prostrata sunt, eo quod detraxissent

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

terræ quam inspexerant exploratores apud filios Israel, dicentes : « Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos (*Num.* XIII), » etc. Hoc est « jejunium septimi, et jejunium quinti, et jejunium decimi, erit domui Juda in gaudium et lætitiam et in solemnitates præclaras (*Zach.* VIII). » In gaudium et lætitiam ait, videlicet post afflictionem. Unde et hic postmodum dicit : « A quinto decimo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo et die octavo erit Sabbatum, id est requies, sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro, » videlicet, quia post culpam murmuris, vel detractionis, qua patres eorum terræ detraxerunt, et pro qua corpora illorum in deserto prostrata sunt, gaudium successit filiorum qui terram introierunt, idcirco solemnitatis hujus prima celebritas est jejunium, ultima lætitia, vel gaudium. Utriusque rei, scilicet afflictionis agendæ, uno, id est decimo die, et gaudii septem diebus, a quinto decimo die celebrandi præconium est. « Prima dies mensis Sabbatum, id est festum memoriale et sanctum est clangentibus tubis, » scilicet, ut audientes clangorem tubarum sint ad festa ventura parati, et eodem die feriati. Nam « omne opus, inquit, servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino. »

CAPUT XXXV.

Quod earum optimam magisque divinam causam habeat solemnitas Hebdomadarum, quæ Græce dicitur Πεντηκοστη, *et quod septem hebdomadas altera die Sabbati lex numerari jussit.*

Harum solemnitatum trium optimam magisque divinam habet causam festivitas Hebdomadarum, quæ, ut supra dictum est, Græce dicitur Pentecostes. Nam magna quidem beneficia Dei fuerunt quod a Pharaonis dominatione liberavit Deus populum illum, quod introduxit illam in terram pro qua juravit patribus eorum, sed maximum atque optimum fuit quod supradicto modo pepigit cum eo fœdus, ut esset Deus ipsorum. Nam illa bona quidem, sed transitoria fuerunt, hoc bonum et optimum est, quia sempiternum. Unde pulcherrime atque sanctissime legis sanctæ auctoritate provisum est ut hæc solemnitas, anno quo Salvator passus est, in illam diem occurreret quæ, ex Evangelio Christi, propter ejusdem resurrectionem et propter sancti Spiritus adventum melius ac dulcius fulget. Ait enim : « Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis, altero die Sabbati et sanctificabit illum. » Ac deinceps : « Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem explectionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies, et sic offeretis sacrificium novum Domino. » Quænam fuit altera dies Sabbati, nisi dies post Sabbatum, dies Dominica, qua Christus resurrexit? Dum ergo non a vespera quartæ decimæ lunæ paschalis, non ab ipsa immolatione agni, sed ab altera die Sabbati, quotocunque loco infra Paschæ dies occurrerit, quinquaginta dies incipiunt numerari, profecto liquet quia dies Pentecostes Judæorum in Dominicam tunc erupit. Quinquagenarius quippe numerus a qua incipit in eamdem feriam semper concluditur. Ita fit ut nos atque Judæi sæpius eadem die sanctum Pentecosten celebremus, eo quod nequaquam eodem die quo illi agnum suum jugulant, sed quo fasciculum coram Domino de manipulis spicarum primitias messis offerunt, nos quoque paschale sacrificium offeramus. Hoc vere sanctum, hoc vere magnum mysterium est. Nunquid enim de insensibili spicarum fasciculo cura est Deo? An non potius propter istum fasciculum nostrum, hæc fieri jussit, de quo in Canticis sponsa dicit : « Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi (*Can.* I), » subjungens protinus : « Botrus Cypri dilectus meus mihi (*ibid.*). » Qui enim fasciculus mirrhæ propter passionis amaritudinem, ipse idem botrus Cypri dicitur propter resurrectionis dulcedinem. Annon, inquam, **280** in providentia resurrectionis hujus fasciculi, qui resurrecturus erat altera die Sabbati, illum talem fasciculum jussit hæc sancta et mystica lex elevari coram Domino altera die Sabbati? Itaque causa præsens est cur dies, quo Spiritus sanctus apostolis missus est, is ipse Judæis completio Pentecostes est, cum secundum terminos illius anni, dies idem, a vespertina immolatione agni, jam quinquagesimus tertius exstiterit. Unde merito laudanda studiosa sanctæ Ecclesiæ fides, vel industria, quæ hoc præfinivit ut, quacunque feriarum, sanguinei Judæi suum trucident agnum vel hœdum, exspectetur altera Sabbati, quo illi secundum legem primitias messis elevare consueverunt, id est spicarum fasciculum, et tunc demum nostrum vitalem elevemus fasciculum, dicentem : « Exsurrexi et adhuc sum tecum (*Psal.* CXXXVIII). » Igitur solemnitatum trium, maximam magisque cœlestem habet causam festivitas Hebdomadarum, et idcirco magis placet ac delectat nos quod Dominica dies earum principium ac finis est, ut Christianæ lætitiæ diem utrobique Judæi celebraverint etiam invidentes.

CAPUT XXXVI.

De eadem altera Sabbati, et quomodo Judæi, vel quare, festivitates a die in diem transponere soliti sunt.

Ut Josephus quoque in libro Antiquitatum scribit : « Altera Sabbati luna decima sexta debet intelligi, quia videlicet decima quinta cum sit sancta, atque solemnis, Sabbatum generali nomine dicitur, eo quod non liceat in illo die quidpiam operari. Sed constat profecto, quod anno Dominicæ passionis cum, secundum Evangelium, quinta feria, decima quarta luna evenisset, decima sexta luna Sabbatum fuit. Num ergo una eademque dies, et propter se Sabbatum, et propter præcedentem diem Paschæ, altera fuit Sabbati? Hic jam, antiquam Judæorum consue-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tudinem nosse operæ pretium est, quæ hujusmodi est : Mos illis est ut, ubicunque vitare prævalent, nunquam duo Sabbata, id est duos dies festos, quibus operari non liceat continuent. Multa enim, aiunt, nobis importuna fierent, atque incommoda, verbi gratia, in curandis funeribus, quæ interdum a prima vespera prioris Sabbati servata, in quartum diem fetoris molestiam generarent. Idcirco ubi quinta feria paschalis terminus, id est decima quarta luna evenisset, agnum quidem eadem nocte comedebant, sed sequentis diei solemnitatem reliquebant in Sabbatum transferendam. » Hoc præscito nemo miratur cur, quando Dominus passus est, cum præterita vespera Judæi agnum comedissent, quem et ipse Dominus cum discipulis manducaverat, Judæis tamen judicia habere vacaverit, cum esset luna B decima quinta, quæ dies ex lege sancta esse debuerat atque solemnis. Claret igitur quia nihil omnino repugnat, quoniam, sicut jam dictum est, ea die qua Christus resurrexit, Judæi suum spicarum fasciculum levaverunt, atque exinde, quinquaginta dies computando, die qua Spiritus sanctus datus est apostolis, completum, et ipsi suam Pentecosten celebraverint. Hic est ille agnus de quo nunc mystice dicitur : « Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. » In holocaustum, inquam, Domini, et non in esum, sicut in vespera paschali. Etenim in illa quidem specie, qua seipsum dedit manducandum apostolis suis, Agnus Dei in C vespera paschali, in illa, inquam, specie panis et vini, ita sacrificamus ut et manducemus eumdem Agnum Dei, in illa vero specie, qua resurrexit altera Sabbati, nequaquam illum comedimus, sed adolemus in holocaustum Domini, ut totus integer, atque incolumis sedeat a dextris Dei. Sunt et aliæ Judæis transpositiones ejusdem diei festi, quas licet ex abundanti sit scribere, non tamen prætermus, sicut accepimus ab illis. Non solum enim sexta feria, sed et secunda et quarta Dominica quoque, diem Paschæ celebrare fugiunt. Nam, si secunda feria Pascha celebrarent, dies Propitiationis, id est decimus dies mensis septimi, qui a die Paschæ centesimus septuagesimus tertius est, in sextam feriam illis eveniret, quo nihil omnino illis operari licet. Si quarta feria D Pascha celebrarent, Dominicam diem propitiationis haberent, et utrobique duo Sabbata, id est duos dies festos continuos habentes, prædictis incommodis laborarent. Verumtamen horum omnium quæ dicta sunt, si ab eis authenticam quæras rationem, nullam omnino de Scripturis proferre possunt, fatenturque has traditiones non Dei esse aut Moysi, sed magistrorum suorum Scribarum et Pharisæorum. Cæterum nunc infelices qualiter agant non curandum est, quippe qui nec locum, nec oblationem habentes, legem, ut ipsi fatentur, non observant, nec ab altero die Sabbati, sed ab ipsa vespera paschali suos quinquaginta dies computant.

CAPUT XXXVII.

A

Quod nostra Azymorum festivitas Christus sit, et nostra Pentecoste adventus Spiritus sancti, et nostra congregatarum frugum lætissima festivitas Natalis Domini.

Porro nobis trium solemnitatum anni nostri totæ spirituales, totæ sunt causæ cœlestes. Nam « Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* v), » quo non a Pharaone homine, sed a Pharaone diabolo, æterna liberatione liberati sumus. Nostra Pentecostes, id est quinquaginta dierum festivitas, adventus est Spiritus sancti, quo cum nobis gentibus fœdus gratiosum pepigit Deus, linguas omnium gentium tribuens apostolis, ut esset unde vel quomodo gratiam istam audiremus. Nostra festivitas de congregatis fructibus terræ in exitu anni est nostra festivitas, Nativitas scilicet Jesu Christi Filii Dei, in qua vere fructus terræ nostræ congregamus, terræ, inquam, nostræ, terræ virgineæ, de qua promittentem audivimus Spiritum sanctum : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV). » Hoc plane mirabiliter delectari possumus, quod secundum Romanorum computationem, tunc anni exitum habemus, quando prædictæ terræ nostræ fructum suscipimus, quando de Virgine natum Deum et hominem corde, et ore manibusque hajulamus. Sed et, secundum Græcorum observationem, idem tunc anni exitus est, quando de Nativitate Christi omni populo gaudium et lætitia est. Cæterum, quod in Exodo dicit hæc sacra lex, ut jam dictum est : « Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro, custodies (*Exod.* XXIII), » et hic, id est in Levitico, « mense septimo » id agendum esse conset hoc, nonnisi secundum annum Ægyptiorum a quibus tunc illi profecti fuerant, stare potest quia videlicet non Hebræis, sed Ægyptiis circa Septembrem quæ apud illos dicitur Thot, exitus vel initium anni est. Gentium ergo, id est Romanorum ac Græcorum computistas hoc maxime delectet quod in exitu anni ipsorum Christus natus est, in quo terræ nostræ fructus congregavimus, in quo et Scripturarum sanctarum **281** veritatem impletam accipimus. Audiamus igitur, quod dicitur : « Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spathisque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro. » « Lætabimini, » inquit, hoc plane nos gentes facimus in prædicto nostri anni exitu, tanto tripudio virginei ventris excipientes fructum ut manifeste sic quoque verum comprobemus oraculum, quo dictum est : « Et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX). » Quæ unquam nox, in tota multitudine noctium annuarum, tantam meruit lætitiam universorum ordinum utriusque sexus, senum, juvenum, adolescentium, puerorum atque puellarum? « Annuntio vobis, inquit angelus, gaudium magnum, quod erit omni populo (*Luc.* II). » Et verum dixit, nam ita est, etiam in isto flebili et misero mundo. Præcipue

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

intus spiritualis religio, secundum sacrosanctam Romanæ Ecclesiæ institutionem lætatur in illo die, imo in illa nocte, coram Domino Deo suo, sumens fructus arboris pulcherrimæ, id est refectionem bis in illa nocte proponens sanctæ Eucharistiæ. Quid enim? Nonne corpus et sanguis Filii Dei, quæ munera bis offerimus vel accipimus in illa nocte, fructus sunt arboris pulcherrimæ, id est, Virginis intemeratæ? « Sumetis, ait, et spatulas palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente. » Mirum si non ex loco isto vere inquisitor lætitiæ commonitus fuit, qui sic officia præfatæ solemnitatis instituit, ut Navitatem Christi Filii Dei præ omnibus subsequeretur Stephanus protomartyr, qui ejus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit. Deinde Joannes dilectus Domini, tertio loco Innocentium exercitus, quos funestus Herodes occidit. Nam et in illo, scilicet protomartyre victorioso, revera spatulas palmarum Ecclesia sanctâ sustollit; et in isto dilecto Domini, quasi ramum ligni densarum frondium, videlicet quia densa et altissima Scriptura, ab æterno incipiens principio fidem rectam hic exornat ac defendit; in parvulis autem innocentibus quasi salices de torrente, quippe qui nihil operati, quemadmodum salices fructum non habentes, subito per solam gratiam ad viriditatem salierunt æternæ patriæ.

CAPUT XXXVIII.

De anno septimo terræ sabbato, et de jubilæo, id est remissionis anno, et cur Deus populo illi nihil aliud, sed tantum bona temporalia, si obtemperent, polliceatur; mala temporalia, si non obtemperent, comminetur.

(Cap. XXV.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizet sabbatum Domini. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus. Septimo autem anno, sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, et vineam non putabis. Quæ sponte gignit humus, non metes, et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam. » Ac deinceps : « Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem. Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis. » Antequam terram dividat populo suo Dominus « in funiculo distributionis (*Psal.* LXXVII), » legem ejusdem terræ præscribit, conditiones proponit, sub quibus filios Israel non terræ dominos, sed Domini terræ, id est Dei sui, colonos degere velit. « Sanctificabis, ait, annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est enim jubilæus. » Idcirco, inquit, vocabis remissionem, quia ipse est jubilæus. Jubilæus namque *dimittens* vel *remittens* interpretatur. Quare vocabis remissionem, et quare annus ipse est jubilæus? Ajt : « Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam, quia jubilæus est, et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis. » « Revertetur, inquit, homo ad possessionem suam, » subauditur, si necessitate compulsus vendiderit eam. Quo jure? Ait paulo inferius : « Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. » Revertetur itaque homo ad possessionem. « Et unusquisque, ait, rediet ad familiam pristinam, » subauditur, qui paupertate compulsus vendidit se. Hoc enim inferius dicit : « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, usque ad annum jubilæum operabitur apud te, et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. » Quo jure? Ait : « Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti : » Et iterum : « Mei enim sunt servi filii Israel quos eduxi de terra Ægypti. » Pulchre jus suum agnoscit Deus, ut lege clementiæ licito utatur. Sed quid magnum Domino Deo excelso, possessori cœli et terræ, maris et omnium quæ in eis sunt, quid, inquam, magnum aut quam gloriosum prædicere, aut præscribere sibi jus terræ modicæ quam constat terræ Syriacæ sipum esse non valde magnum. Videlicet, quia hi quibus loquitur pueri sunt, parvuli sunt (*Gal.* III), amatores parvorum, cupidi rerum exsilium, avidi bonorum terrestrium, utpote, necdum cognitores bonorum cœlestium. Ergo quantulumcunque sit hoc bonum ante magni Dei conspectum, pro re et pro tempore, non dedignatur ejus magnificare commodum, neque curat quale, vel quantum sit id quod dat Pater sapiens, dummodo pro illo munere sibimet attentum, sibimet obnoxium faciat puerum. Et hæc lex, magnus et sapiens pædagogus, sed parvum quidem est præmium, quod pollicetur, ut bonum provocet pueri ingenium, et parva est virga qua minatur, ut ejusdem deterreat lasciviam. Quid enim pollicetur, quod comminatur? « Si, inquit, in præceptis meis ambulaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur (*Lev.* XXVI). » Ac deinceps : « Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis (*ibid.*). » Hæc et his similia pollicetur, et de regno cœlorum nusquam palam loquitur, quia videlicet populus ille puer erat, necdum quæ invisibilia sive cœlestia sperare, sive amare noverat. Deinde dicit : « Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur (*ibid.*). » Item : « Emittam in vos bestias agri, quæ consumant vos et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertæ fiant viæ vestræ (*ibid.*). » Ac deinceps : « Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medium vestri, et trademini hostium manibus postquam confregero baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in uno

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus, et comedetis, et non saturabimini (*ibid.*). » Hæc et his similia comminatur, et de gehenna ignis inexstinguibilis, ubi « erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII), » nusquam palam loquitur, quia videlicet sicut jam dictum **282** est populus ille puer erat, et mala invisibilia timere non noverat. Itaque Deus non pro sua magnitudine, sed pro servili sensu, rem parvam quasi grandi versat molimine, daturus tamen et cum illis bonis exiguis, magna et æterna obedientibus præmia, et cum illis malis transitoriis, sempiterna inobedientibus supplicia.

CAPUT XXXIX.

Quod nos eadem terræ Sabbata, non carnaliter, sed spiritualiter debeamus observare.

Cæterum nos in plenitudine temporis sumus, de qua vir magnus, vir perfectus loquitur Apostolus : « Et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At, ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus (*Gal.* IV), » etc. In hac plenitudine positi, non decet ut convertamur « iterum ad infirma et egena elementa (*ibid.*), » videlicet ut nihil aliud arbitremur agi hic, nisi quod arida sonat littera, dicendo : « Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus, septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini, » etc. Neque enim pro magno computare dignabuntur Romani, quod illi populo exiguum terræ sinum Deus dedit, cum et patres eorum pauci Æneæ duce Latium occupare potuerint, et ipsi deinceps orbem terræ maximis et crebris bellorum victoriis sibimet subjecerint. Itaque et ipsi humana ratione possunt adduci, ut credant, quod Deus majestatis nunquam de illius terræ bonis, sive meliorum significatione, nunquam de illius terræ exiguæ incommodis, sive malorum æternorum invisibilium figuratione verba facere dignatus sit. Igitur, quoniam misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba Pater (*Rom.* VIII), jam et hæc in spirita contemplemur, ubi litteram pro caecitate sensuum exercitatorum jure fastidimus.

CAPUT XL.

Quæ sabbata nostra sint, et quæ terra nostra de cujus sabbatis Spiritui sancto cura sit.

« Sex, inquit, annis seres agrum tuum, septimo autem anno sabbatum erit requietionis Domini. » Puta consiliatorem dixisse Apostolum : « Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est. Reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint (*I Cor.* VII), » etc. Quæ enim est terra nostra, de qua Deo vel Spiritui sancto sit cura, nisi caro nostra? « Sex ergo, inquit, annis seres agrum tuum, id est seminabis in carne tua, usque ad sufficientem generationem filiorum. Senarius quippe numerus perfectus est, et hoc loco spiritualiter pulchre sufficientem prolem significat, pro cujus sola spe conjugio vacandum est. « Septimo anno sabbatum erit terræ requietionis Domini, » id est post susceptionem filiorum continentiæ studebis et castitati operam dabis, cujus inhabitatione Deus jure debeat delectari. « Agrum non seres et vineam non putabis, » id est, spontaneos carnis motus non sequeris, sed habens agrum sive vineam, quasi non habens eris, id est habens virum vel habens uxorem quasi non habens eris, et hoc modo. « Quæ sponte gignit humus non metes, et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam, » id est spontaneis, ut prædictum est, carnis motibus fruendo, luxuriam non exercebis, quasi rem justam aut licitam. « Annus enim terræ requietionis est, » id est tempus est ut ab ejusmodi servitute corruptionis vaces. « Sed erunt vobis, inquit, in cibum, tibi et servo tuo, ancillæ et mercenario et advenæ, qui peregrinantur apud te. Jumentis tuis et pecoribus omnia quæ nascuntur præbebunt cibum. » Sed mutabis, inquit, opera carnis, opera corruptionis in opera spiritus, opera gloriæ et honoris, ut videant homines quorum quasi servorum sive ancillarum, quasi mercenariorum et advenarum imperfectio vel fides infirmior, imo et quasi jumentorum aut pecorum carnalis conversatio bono indiget corroborari exemplo, videant, inquam, et glorificent Patrem qui est in cœlis (*Matth.* V), quodammodo refecti quasi cibis ex terra tua præbitis.

CAPUT XLI.

Quis noster sit jubilæus, id est dimittens annus.

« Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, » id est septem septies, quæ simul faciunt annos quadraginta novem. « Et clanges buccina mense septimo decima die mensis propitiationis tempore in universa terra tua. Sanctificabisque annum quinquagesimum. Et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est enim jubilæus. » Jubilæus, ut supra dictum est, *dimittens* interpretatur. Quid autem profecimus in schola hujus sanctæ legis, in disciplina legis et Evangelii, si non didicimus dimittere debita fratribus nostris, debita, inquam, id est peccata debitoribus nostris? Siquidem Dominus noster, proposita parabola de homine rege qui voluit rationem ponere cum servis suis, ita concluserit : « Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris (*Matth.* XVIII). » Dixerat enim illi Petrus : « Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies? Non, inquit, dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies (*ibid.*). » — « Sanctificabis ergo, inquit, annum jubilæum, id est sancta et charitativa remissione peccantem in te, et pœnitentem suscipies fratrem tuum, peccantem, inquam, non usque septies, qui numerus insolubilis est, neque enim per partes æquas dividi potest, et insolubile peccatum impœnitentis significat; sed septem vicibus septies, qui numerus solubilis est, sive septuagies septies, qui numerus item in partes æquas dividi potest, significatque peccatum quod solvi [illegible]

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

test, quia videlicet frater qui peccavit, cum pœnitentiam agat, corrigibilis est. Hoc vere sanctum, atque pulcherrimum jubilæi festum est, evangelica clangente buccina, concelebrandum, ita ut revertatur homo in possessionem suam, et unusquisque redeat ad familiam pristinam, id est ut omni discordia soluta, omnes habeant cor unum et animam unam, serventque unitatem spiritus et integrum pacis vinculum (*Ephes.* IV), canentes : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). »

283 CAPUT XLII.

De eadem dimissione legitima, secundum legem domorum redimendarum, aliam quidem earum quæ in urbibus muratis, atque aliam earum, quæ in agris sive in villis sunt, et de Levitarum ædibus.

Sed debet ipsa remissionis causa esse festivitas. Sunt enim plerique, quod valde absurdum est, faciles ad remittendam injuriam Dei, difficiles et tardi ad donandam injuriam suam. Nimirum hoc potius bene constituti et bene eruditi animi est, quod facilis sit ac promptus ad remittendam injuriam sui, tardior autem ad donandam injuriam Dei. Subsequitur ergo discretus, ac providus legis spiritus, et dicit : « Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit etiam in jubilæo. Si autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si autem redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum. » Domorum venditio, mentium abalienatio est. Quoties enim quisque, peccati captus dulcedine, semetipsum perdit, profecto domum valde necessariam pro nihilo vendit. Unde per prophetam Dominus dicit : « Gratis venundati estis (*Isa.* LII). » Ipsæ autem domus aliæ intra muros urbis venditæ consistunt, aliæ in villa sunt, quia videlicet est quando in Deum, est quando quis in proximum peccet. Et quidem utrumque pertinet ad Deum, sed in redemptione differt plurimum. Unde ad filios suos dicit Heli : « Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo (*I Reg.* II). » Qui igitur vendiderit, inquit, domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit etiam in jubilæo. » Quod est dicere : « Qui nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus (*I Cor.* V), » qui, inquam, talis existens vel quidpiam hujusmodi faciens, etiam defendere voluerit opera sua, quandiu quidem superest illi vitæ tempus, potest et licentiam habet pœnitendo et emendando peccatum suum redimere et ab Ecclesia solvi, si vult. Si autem non pœnituerit et impœnitentem comprehenderit vitæ terminus, emptor diabolus possidebit a limen ejus, et quia non est deploratum in isto, nec remittetur peccatum ejus in futuro sæculo (*Matth.* XII). » Si autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, id est si in proximum admissum fuerit peccatum, quod muro defensionis roboratum non est, agrorum jure vendetur, id est veniali conditione tenebitur. Nam « si ante, inquit, redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad Dominum, » id est etiamsi ante finem vitæ non condigna satisfactione compensatum fuerit, is, in quem peccavit proximus, non solum licito, verum etiam laudabiliter orabit pro eo, ut remittatur ei peccatum. « Ædes Levitarum quæ in urbibus sunt semper possunt redimi. Si redemptæ non fuerint in jubilæo revertentur ad dominos, » etc. Is venditor domus suæ, intra muros urbis constitutæ, Levita est, qui, quamvis in Deum peccaverit, eumque superbe contempserit, non tamen tandiu in peccato permanet, donec eum invitum fetor suus publicet, sed aspirante Deo compunctus, peccati sui causam adhuc in anima sua latentem, spirituali seniori per semetipsum patefacere studet, præoccupans faciem Domini in confessione (*Psal.* XCII), quod utique legitimum est quasi ordinis Levitici, id est boni ac sancti propositi. Ejusmodi, inquit, « ædes Leviticæ semper redimi possunt, etsi redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, » quia videlicet culpæ etsi in præsenti sæculo non satis dignis pœnitentiæ fructibus redemptæ fuerint, saltem in futuro venia non carebunt, « sic tamen quasi per ignem » purgatorium (*I Cor.* III). Origenes de eo quod hic dictum est, « si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam in perpetuum, et redimi non poterit, » nescio quid volens : « Semel tantum, inquit, in Ecclesia est pœnitentiæ locus. » Verum quomodocunque ille dixerit, ille magis sensus eligendus est, qui neque sapientium auctoritatem, nec simplicium fidem lædit.

CAPUT XLIII.

De eo quod ait : « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, » quam sapienter oporteat humilem pœnitentium confessionem attendere.

Oportet hic confessionis susceptorem doctum esse lege divina, cautumque discretione præcipua, ut sciat qua mensura, qua moderatione redemptionum singularum taxet pretia, id est qualia quibusque pro modo culparum, vel pro possibilitate confitentium pœnitentiæ imponet onera. Dicit ergo adhuc lex sancta, lex juxta et bona : « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius aut colonus erit. Usque ad annum jubilæum operabitur apud te et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. Mei enim servi sunt, et ego eduxi eos de terra Ægypti. » — « Si, inquit, paupertate, » id est spiritu timoris compulsus, « vendiderit se tibi frater tuus, » quod videlicet facit quando pro reatu timens, et compunctus semetipsum judicio

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dei per ministrum Dei subjicit, ut veniam salutemque mercetur, facturus pro redemptione animæ suæ quidquid a te fuerit jussus. Ut quid enim se tibi subjicit, nisi quia paupertas eum compellit, illa, inquam, paupertas, in qua ponit Dominus beatitudinis principium, dicendo : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? » (*Matth.* v.) Nisi enim hæc illam angeret, qui forsitan natalibus, sensu quoque, aut etiam curiæ fascibus te potior est, nunquam consilium salutis suæ a te cum pœna pudoris sui mendicaret. « Non ergo, inquit, eum opprimes servitute famulorum, » videlicet de tua confisus justitia, tanquam tu ipse misericordia Dei non indigeas, quemadmodum pharisæus ille, qui peccatricem mulierem secus pedes Domini flentem videns, arenti corde fontem misericordiæ deprehendebat : « Hic, inquit, si esset propheta, sciret quæ et qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est (*Luc.* VII). » Utique tali si mulier hæc eadem paupertate compulsa, semetipsam vendidisset, non eam paterna pietate suscepisset, sed servitute famulorum oppressisset, imo et quod pejus est calcibus forte repulisset. « Sed quasi mercenarius, inquit, et colonus erit, » id est veniam peccatorum, pro qua servit, per tuum ministerium impetrabit, tecumque in gratia vel justitia, qua dilatatus es, sine angustia receptus habitabit. « Usque ad annum jubilæum operabitur apud te, « in est usque ad remissionem sperandam indictos sibimet abs te faciet fructus dignos pœnitentiæ, et postea revertetur ad cognationem et possessionem patrum suorum, **284** scilicet recipiendo pristinæ dignitatis vel officii gradum. Non enim peccata, quæ tali modo prodita sunt, honore vel gradu proprio privant auctorem suum, cum et David dicat : « Docebo iniquos vias tuas (*Psal.* L), » qui utique grande crimen admiserat. « Mei enim, inquit, sunt servi, et ego eduxi eos de terra Ægypti. » Ac si dicat : Idcirco non opprimes, ut prædictum est, quia non tibi se subjecit, sed mihi; non tuo, sed meo timore confessus est quod fecit, et ego inspiratione occulta vocavi illum de peccatorum suorum tenebris, ut veniret ad lucem consilii tui. « Non veneant conditione servorum, nec affliges eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. » Ac si dicat : Non agetur cum his qui ejusmodi sunt, sicut cum his qui in servili nequitia perseverantes deprehensi vel a judicibus convicti sunt, « sed metuito, inquit, Deum tuum, » videlicet « considerans ne et tu ipse tenteris (*Gal.* VI). » Nam, qui se existimat stare, videat, inquit, ne cadat (*I Cor.* X). » — « Metuito, inquam, Deum tuum, » et temetipsum in alterius calamitate dejice, quia fortasse in similibus aut lapsus es, aut labi potes, si non lapsus es. « Servus et ancilla sit vobis de nationibus qui in circuitu vestro sunt, et de advenis qui peregrinantur apud vos. » Illos, ait, in fortitudine et terrore opprimite, quos arguit servilis conditio morum, qui nisi quasi cum armis quæsiti fuissent, ad modum belli, quo de nationibus, quæ in circuitu sunt, laboriosa victoria fit et capiuntur, qui hostes vel rebelles fuerunt, nunquam prodidissent reatum suum. In illos, inquam, severius vindicate, qui non voluntaria confessione peccatum suum prodiderunt, sed per alios est cognitum.

CAPUT XLIV.

De eo qui in te, id est te sciente, peccaverit, qualiter veram circa illum disciplinam moderari debeas secundum quod ait : « Si invaluerit apud te manus advenæ et peregrini. »

« Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, et attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, » etc. In omnem partem periculi lex spiritualis magnam clementiæ manum porrigit. Quid enim, si neque ipse peccator delictum suum prodidit, neque publice per alium cognitus est, sed tu solus nosti? Nunquid statim divulgabis? Non utique : Sed « vade, inquit, Dominus, et corripe eum inter te et ipsum solum : Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum (*Matth.* I). » — « Si ergo, inquit, invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini. » Peregrinus iste diabolus est, qui tunc apud nos invalescit, quando in his qui nostri sunt, « incrassatur pars ejus, ut ait Habacuc, et cibus ejus electus (*Habac.* I). » Nam de hoc peregrino ad David a Domino missus Nathan loquitur : « Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper (*II Reg.* XII). » Ac deinceps : « Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis (*ibid.*), » etc. Peregrinus ergo, et ab omni civitate Dei profugus, imo et refuga, diabolus est, quem supervenientem David eo tempore excepit, et quasi grandi convivio nebulonem pavit, quando uxorem Uriæ adulteravit, ipsumque gladio filiorum Amon interfecit. « Si igitur, inquit, invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, » id est, diaboli, « et attenuatus, » id est tentatione superatus, « frater tuus vendiderit se ei, » videlicet quomodo David semetipsum vendidit, « post venditionem potest redimi, » nec enim debet post peccatum pœnitentia denegari. « Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum, » videlicet corripiendo inter se et ipsum solum (*Matth.* XVIII), et ita lucrando eum, faciendo etiam quod Apostolus ait : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI). » — « Sin autem et ipse potuerit, redimet se, » præveniendo scilicet omnem correptionem spontanea confessione, ut supra dictum est. Redimet se, ait : « Supputatis duntaxat annis a tempore venditionis usque in annum jubilæum, et pecunia qua venditus fuerat juxta annorum numerum, et ratione mercenarii supputata. Si plures fuerint anni qui remanent, usque ad jubilæum, secundum hos reddet et pretium, » etc. Supputare annos a tempore venditionis usque ad annum jubilæum, pecuniamque juxta annorum numerum id plane est pura ac sincera confessione aperire, rarius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

an crebrius peccatum sit iteratum, et secundum peccati frequentationem suscipere pœnitentiæ pensum. Neque enim, si, verbi gratia, adolescens semel et fortuito casu cum virgine peccavit, aut semel furtum fecit, eadem pœnitentiæ quantitate plectendus est qua et ille qui sæpius peccatum ipsum incidit.

CAPUT XLV.

De bonis quæ promittit Deus, deque malis quæ comminatur quasi carnalibus, quomodo a nobis spiritualiter recte intelligantur.

(Cap. XXVI.) « Ego Dominus Deus vester : Non facietis vobis idolum, » etc. Confinaturus præcepta moxque digna promissurus præmia, summam auctoritatem promittit Deus et Dominus majestatis. Quæ autem promittat bona, vel quæ comminetur mala, spiritualis homo non minus in spiritu videt quam in littera. Neque enim expositione indiget quas nobis mandata sua custodientibus det pluvias temporibus suis, quæ terra gignat germen, quæ pomis suis arbores repleantur, quæ messium tritura, quæ vindemia, quæ sementis succedat, quem panem comedamus in saturitatem, quam pacem habeamus in finibus nostris, quæ sint malæ bestiæ quas Deus auferat, et quis sit gladius qui terminos nostros non transeat, quæ comedamus vetustissima veterum, et quæ vetera quibus novis supervenientibus projiciamus. Clarum quippe nobis est quæ pluviæ nostræ cœlestes doctrinæ sunt, terra nostra Ecclesia, arbores singuli homines, messis vel vindemia communia justitiæ opera, panis noster vivus panis, qui de cœlo descendit, et pax nostra Christus est, malæ bestiæ maligni spiritus, gladius æterna damnatio, vetustissima comedenda antiquissima Decalogi præcepta, auxilio Dei bene implenda, vetera novis supervenientibus projicienda, cæremoniæ veteres in spiritu custodiendæ, vetustate litteræ contempta. Hæc enim omnia Divinitatis ope nobis bene proveniunt, propter præcedentis fidei meritum. E contrario quæ mala comminatur non audientibus mandata sua Dominus Deus plana sunt intellectui tam in littera quam in spiritu. « Visitabo vos, inquiens, velociter in egestate et ardore, » etc. Et quidem spiritualia magis quam carnalia, æterna potius quam transitoria mala metuenda sunt, et æterna magis quam transitoria bona diligenda sunt. Verumtamen et pro temporalibus bonis Deo supplicare, et contra mala temporalia ejus opem flagitare, nulla nos Scriptura vetat.

285 CAPUT XLVI.

De eo quod ait : « Homo qui votum fecerit, » etc., et quod gravissimum sit non reddidisse quod voveris.

(Cap. XXVII) « Homo qui votum fecerit et voverit, et sponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus, a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti, ad mensuram sanctuarii. Si mulier triginta, a quinto autem anno, usque ad vigesimum masculus viginti siclos, femina decem, » etc. Notandum in primis votum ex præcepto non esse, quamvis dicat psalmus : « Vovete et reddite (*Psal.* LXXV). » Nempe quod dicit « vovete, » non ex auctoritate jubentis, sed ex animo est consulentis, quod autem addit, « et reddite, » jam ex auctoritate imperantis est. Etenim ut voveat, aut non voveat quis in potestate habet, postquam autem voverit, jam ex necessitate reddit, quia debet. Deinde sciendum quia non satis Deo charus est, imo Deo indignus est, qui rem suam illi quidem offert, seipsum autem sibi retinet. Nam si recte quidem obtulit, quia cui debuit Deo obtulit, sed non recte divisit, quia quod erat melius Deo negavit, quod vilius, dedit. Unde et assimilatur Cain qui Deo quidem fruges terræ obtulit, sed cor in malo detinuit (*Gen.* IV). Igitur et lex Domini sancta votum animæ proponit, deinde et votum rei possessæ subjungit, dum dicit : « Homo qui votum fecerit et voverit et sponderit animam suam, » etc. Ac deinceps : « Animal, inquit, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit, » etc. Per periphrasim, id est per circumlocutionem, trinamque non verbi, sed sensus ejusdem repetitionem, dicendo : « qui votum fecerit et voverit et sponderit voti tenorem, » quantus esse debeat, intimare contendit. Et revera non solum in austeritate legis, sed et in dulcedine Evangelii gravissimum et valde periculosum est non reddidisse quodcunque voveris. Nam in Actibus apostolorum Petro dicente : « Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri ? (*Act.* V.), » etc. « Audiens Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit (*ibid.*). » Verumtamen hanc voti occidentem litteram, Ecclesia in Evangelio Christi detrimentum facit, atque abjicit; quod videlicet carnali populo permissum est, sic vovere animam suam, ut non redemisse, reatus esset, votum persolvisse, sacrilegium esset. Eo modo potius homo Christianus animam suam voveat, quo cum voverit, redimere non liceat, et si non voverit, sine dubio perdat. Quomodo ? scilicet, ut peccato moriatur, et justitiæ vivat (*Rom.* VI), ut mundo crucifixus sit, mortificando membra sua super terram (*Col.* III), et sic odiendo animam suam, in vitam æternam custodiat eam (*Joan.* XII).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN NUMEROS COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

(Num. cap. I-XIV.)

CAPUT PRIMUM.

De eo quod dictum est in Apocalypsi : « Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus, » et quod hunc librum Numeri legentibus, recte amaricatio timoris in eo sit, quod numerati filii Israel prosternuntur.

286 Apertum in Apocalypsi Joannes librum accipit, ut devoret illum de manu angeli fortis stantis supra mare et super terram. Qui, dum prædicatores fortiores mittit ad fortiora, sive minores ad minora pericula, profecto pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem ponit super terram. « Et accepi, inquit, librum, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. Et, cum devorassem eum, amaricatus est venter meus (*Apoc.* x). » Liber iste, quem et hic angelus apertum habet in manu, et in alio loco signatum accipiens Agnus solvit septem signacula ejus (*Apoc.* v), sancta Scriptura est quam in semetipso implevit unus idemque Christus, et angeli id est *nuntii*, nobis officio functus, et tanquam agnus pro peccatis nostris immolatus. Et hunc librum nos quoque cum Joanne de manu angeli accipere ac devorare, ore licet exiguo, nec satis firmo dente conati sumus, estque in his, quæ hactenus dicta sunt, in ore nostro tanquam mel dulce, sed jam nunc adest, unde amaricetur venter noster, unde timore magno jure concutiatur interior sensus noster. Hic enim est liber Numeri, quo omnes filii Israel jubente Domino per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum a vicesimo anno et supra recensiti sunt, et tamen in terram repromissionis non introierunt, sed eorum corpora in deserto prostrata sunt. Hoc est, unde amaricetur venter hominis spiritualis, quicunque librum prædictum studiose devoravit. Quid enim amarius quam quod in hoc libro numerati prosternuntur, et dinumeratio deinceps iteratur. Testante quippe Apostolo : « Hæc in figura nostri facta, et ad correctionem nostram scripta sunt (*I Cor.* x). » Qua in figura nostri sunt facta, vel quid de nobis præfiguraverunt, nisi quia nos omnes secundum præsentem fidei professionem numerati sumus, quippe qui omnes in baptismo Christi nomina nostra dedimus, et tamen non omnes sic currimus ut comprehendamus (*I Cor.* IX). Igitur cantantes quidem : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine ! super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII), » de vocatione nostra gaudeamus, sed de incertitudine cursus aut comprehensionis nostræ timentes amaricemur, secundum verum ac mysticum sensum præsentis libri quem nunc ingredimur.

CAPUT II.

Nomina principum, tribuum ac domorum, et interpretationes earum, et quod professionem significent in Christum credentium.

(Cap. I.) Principum, tribuum ac domorum, in cognationibus suis, ista sunt nomina : « De tribu Ruben, Elizur filius Sedeur. De Simeo, Salamiel filius Surisadai. De Juda, Naason filius Aminadab. De Issachar, Nathaneel filius Zuar. De Zabulon, Heliab filius Helon. Filiorum autem Joseph. De Ephraim, Elisama, filius Ammiud. De Manasse, Gamaliel filius Phadassur. De Benjamin, Abidan filius Gedeonis. De Dan, Ahjezer filius Amisaddai. De Aser, Phesiel filius Ochran. De Gad, Elinsaph filius Dubel. De Nephtali, Ahira filius Henan. Hi nobilissimi principes multitudinis. » Horum nomina fere omnia secundum proprias interpretationes insignia sunt; Ruben quippe *videns filios* interpretatur; Elizur, *pater meus fortis*, Sedeur, *uberum lux;* Simeon, *audiens tristitiam;* Salamiel, *retribuens mihi Deus*, vel *pax mea Deus;* Surisadai, *continens ubera mea*, vel *fortis meus Dominus;* Juda, *confessio;* Naason, *serpentinus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vel *augurium*; Aminadab, *populus mei spontaneus*; Issachar, *merces*; Nathanael, *donum Dei*; Zuar, *pusillus*; Zabulon, *habitaculum fortitudinis*; Heliab, *Deus meus pater*; Helon, *exercitus fortitudo*; Joseph, *augmentum*; Ephraim, *frugifer* sive *crescens*; Elisama, *Deus meus audivit*; Ammiud, *populus meus inclytus*; Manasse, *oblivio*; Samaliel, *retributio Dei*; Phadassur, *redemptio fortis*; **287** Benjamin, *filius dexteræ*; Abidan, *pater meus judex*; Gedeon, *tentatio iniquitatis*, vel *circuiens uterum*; Dan, *judicium*, aut *judicans*; Ahiezer, *frater meus adjutor*; Amisaddai, *populus meus sufficiens*; Aser, *beatus*; Phaziel, *occurre mihi, Deus*; Gad, *accinctus*; Eliasaph, *Deus meus congregavit*; Dubel, *agnoscant Deum*; Nephthalim, *dilatavit me*; Ahira, *fratris mei amicus*; Henan, *nubes*. Hæc, inquam, nomina fere omnia splendida sunt, et pulchram omnium nostrorum professionem significant, qui in præsenti via currimus, qui mare baptismi omnes transivimus, et omnes jam non in nube et in mari, sed in eo quod per nubem et mare significatum est, baptizati sumus qui omnes escam spiritualem manducamus, et spiritualem potum bibimus de petra (*I Cor.* x), quæ non jam in figura, sed in veritate est Christus. Sed in Apocalypsi dicit spiritus Ecclesiis; « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus (*Apoc.* III). » Cum de illo qui vicerit, dicit : « Non delebo nomen ejus, et confitebor nomen ejus, » profecto de opposito, id est de illo qui non vicerit, subaudiri vult quod deleat nomen ejus, quod non confiteatur nomen ejus, quantumlibet in præsenti Ecclesia pulchre scriptum esse videatur, quantumvis alte inter Christianæ fidei professores recitetur. Nempe et isti principes nominatim, et omnes qui sub illis a vicesimo anno, et supra numerati sunt. « Quorum fuit numerus sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta ad bella procedere valentium. » Omnes, inquam, in deserto prostrati sunt, præter Josue filium Nun, et Caleph filium Jepphone. Ordinem quoque exercituum consideremus, quoniam nec ipsum a figura nostri vacare credimus.

CAPUT III.

De ordine exercituum, vel positione castrorum, quod illud significet, quod in Apocalypsi civitas ternarum dispositione portarum.

« Metabuntur autem castra filii Israel, unusquisque per turmas aut cuneos, atque exercitum suum. Porro levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii. » Ac deinceps :

(Cap. II.) « Ad orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui, eritque princeps filiorum ejus Naason, filius Aminadab, et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. » In Canticis canticorum sponsus dicit : « Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI). » Item : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea (*Cant.* III). » Ergo non solum duce ratione, sed et hac, præmunte auctoritate, prædictum ordinem castrorum in figura dispositum fuisse credamus sanctæ Ecclesiæ. Quid enim pulchrius, quid rationabilius, secundum vivificantem spiritum, tali castrorum ordine? Ad orientem tribus Israel tres, ad occidentem tribus tres, ad meridiem tribus tres, et ad aquilonem metabuntur castra tribus tres. Et in Apocalypsi de illa sancta civitate Dei, quæ est Ecclesia quam hæc, ut prædictum est, ordinata significat castrorum acies, ita scriptum est : « Et habebat murum magnum et altum, habens portas duodecim, et in portis angulos duodecim, et nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occidente portæ tres (*Apoc.* XXI). » Hinc egregius atque orthodoxus versificator ait :

Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Accendat nimius, seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida boreæ
Ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam,
Occurrit trinum quadrina ad compita nomen.

Hoc igitur liquet quia talis tribuum dispositio, plenitudinis gratiæ figura est, qua nunc ab omni gente et natione, ab omni sexu et ætate venientes, excipit sanctæ Trinitatis unica et apostolica fides. Sed et præterea notandum quia Dan ad aquilonis partem castra metatus est. Nam quia de stirpe ejus, ut creditur, Antichristus venturus est, recte ad aquilonem sedet, qui in mala accipitur significatione, propheta dicente : « Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ (*Jer.* I). » Et quidem Aser et Nephthalim, qui cum eo castrametati sunt, nominibus suis bona significant. Aser quippe *beatus*, Nephthalim *latitudo* interpretatur, sed omnes videlicet Dan, Aser et Nephthalim ex ancillis, omnes ex concubinis generati sunt. Cæterum ad orientem, unde sol oritur, Judas, Issachar et Zabulon, qui omnes ex Lia libera. Ad occidentem vero, unde suaves et verni spirant zephyri, Ephraim, Manasses et Benjamin, qui omnes ex Rachel libera progeniti sunt, fixere tentoria. Porro ad meridianam plagam, unde clarior quidem diei facies, sed nimius interdum æstus fervet, Ruben, Gad, Simeon castra metati sunt, quorum unus Gad de ancilla, cæteri de libera orti sunt.

CAPUT IV.

Quid mystice significet, quod Levitæ non sint numerati inter filios Israel.

« Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel. Sic enim præcepit Dominus Moysi. » Levitæ in præsenti Ecclesia Christi, hi sunt qui altari deserviunt, qui sacris honoribus sancti sunt, qui altaris officia celebranda susceperunt. De istis sacri canones præcipiunt, ut a sæcularibus curis abstineant (*II Tim.* II). Episcopus, inquiunt, aut presbyter, aut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

diaconus, nequaquam sæculares curas assumat, verbi gratia, negotia vel venationes exercendo, aut in bellum eundo. Sin aliter dejiciatur. Bene ergo levitæ, præcipiente Domino, non sunt numerati inter filios Israel, quia videlicet non sicut populum, sic sacerdotes aut ministros altaris esse decet.

(Cap. III.) Inter eos, scilicet levitas, Aaron sacerdos summus eminet, cujus primogenitus Nadab, deinde Abiu et Eleazar et Ithamar. Quorum Nadab *spontaneus;* Abiu, *pater meus est*, sive *pater meus ipse;* Eleazar, *Deus meus adjutor*, sive *Dei mei adjutorium;* Ithamar, *ubi amarus*, sive *ubi palma* interpretatur. His nominibus pene totus sacerdotalis ac levitici ordinis nostri status exprimitur. Nam plerique ex nobis ad altaris officia nimis spontanei sunt secundum nomen Nadab, et nimium in Deo gloriantur secundum nomen Abiu, qui laicum populum aspernantur tanquam solis ipsis Pater sit Deus. Cæterum qui sui gradus honore humiliter et digne funguntur, hi secundum nomen Eleazar recte dicere possunt, Deus meus adjutor, vel Dei mei adjutorium, quia videlicet quidquid ab eis digne perfecteque agitur, a Deo fieri creditur, et secundum nomen Ithamar hoc ab illis exigitur, ut per amaram castigationem corporis sui sic currant, ut bravium accipiant, ne forte aliis prædicando, ipsi reprobi fiant (*I Cor.* IX). « Mortui, inquit, sunt Nadab et Abiu cum offerrent ignem alienum, » videlicet in typum Judæorum vel hæreticorum, quorum sacrificia mortua sunt.

288 CAPUT V.

De dispositione familiarum levitarum circa tabernaculum, et quod ad orientem Moyse simul et Aaron sint castra metati.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias omnem masculum ab uno mense, ut supra. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus, et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson, et Caath, et Merari. Filii Gerson, Lebni et Semei. Filii Caath, Amram et Jesuar, Hebron et Oziel. Filii Merari, Mooli et Musi, » etc. Et horum sacra mysteria pulchra vel speciosa signant vocabula. Levi namque *additus*, sive *assumptus* interpretatur; Gerson, *advena;* Caath, *patientia;* Merari, *amaritudines;* Lebni, *filio meo;* Semei, *audi* vel *auditio mea;* Amram, *populus excelsus;* Jesuar, *est meridies* sive *meridianus;* Hebron, *participatio fortitudinis*, vel *augmentum sempiternum;* Oziel, *fortitudo mea, Deus;* Mooli, *chorus meus;* Musi, *ut rectator*, sive *palpator meus*. Hi vel horum familiæ omnes leviticæ, sicut pro officio medii sunt inter Deum et populum, ita et positione medii excubabant inter tabernaculum et castra duodecim tribuum. Et Gersonitæ quidem post tabernaculum ad occidentem, Caathitæ vero ad meridianam plagam, Merarites ad septentrionalem. Moyses autem et Aaron cum filiis suis, ante tabernaculum fœderis, id est ad orientem. Ubi notandum quia Moyses populi dux, et Aaron pontifex summus pariter ad orientem castra metantur. Unde et in psalmo canimus : « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus (*Psal.* XCVII), » quia videlicet in præsenti Ecclesia semper ducum aut consulum fascibus, regum quoque vel imperatorum gladiis multum indiget sacerdotalis sanctitas, et cum sibi conveniunt, nihil tutius; cum autem adversus invicem dissentiunt, nihil statui Christianitatis in hoc mundo potest esse perniciosius.

CAPUT VI.

De eo quod ait : « Tollesque levitas pro primogenitis filiorum Israel, » et quod ante primogeniti fuerunt sacerdotes, et cur in unam leviticam tribum sacerdotium delatum est.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego tuli levitas a filiis Israel pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel. Eruntque levitæ mei, meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi omnes primogenitos in terra Ægypti. » Ac deinceps : « Numera primogenitos sexus masculini, de filiis Israel, a mense uno et supra, et habebis summam eorum. Tollesque levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel. » Jam et alio loco dictum est traditionem Hebræorum esse quod usque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe fuerint sacerdotes, et Deo victimas immolarint, cujus videlicet Noe primogenitus Sem ipse fuerit Melchisedech, et hæc esse primogenita quæ Esau vendiderit Jacob. Quare ergo transponitur in lege, vel ad unam tribum Levi congregatur omnis sacerdotalis dignitas, et universa altaris ministratio coarcta est in tribu ejus sola? Videlicet quia sacrificia vel ministeria temporis illius non jussa fuere, sed permissa, quod jam multis locis superius in prophetarum testimoniis comprobavimus. Verum namque sacrificium in Ecclesia futurum erat secundum ordinem Melchisedech, quod et primogenitorum est, imo unius primogeniti sancti et immaculati, cui « juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Hic dicit in alio psalmo : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi : Ecce venio (*Psal.* XXXIX), » subauditur sacrificaturus carnem meam et sanguinem meum pro multis in remissionem omnium peccatorum. Quid enim aliud postulabat, quam aliam volebat Deus redemptionem, nisi sancti et immaculati carnem et sanguinem? « Numquid, ait, manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » (*Psal.* XLIX.) et multa hujusmodi. Ergo antequam haberent sacrificium quod offerrent, ut quid ex jussu legis ad sacerdotium vocati primogeniti accederent? Igitur sicut offerendum erat tunc temporis sacrificium, non jussum, sed permissum, sic sacerdotes vel ministri omnes de tribu Levi, non jussi, sed admissi sunt, non tam sacerdotes quam sacerdotum vicarii vacantium primogenitorum, quo victitarent, tandiu accepturi pretium, donec veniret primogenitus qui seipsum non redimeret, sed futurorum bonorum assistens pontifex semetipsum pro nobis omnibus offerret, « factus, ut prædictum est, sacerdos in æternum se-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ordinem Melchisedech. » Quod pulchre respiciens evangelista Lucas cum dixisset de Virgine quam de Spiritu sancto concepisse narraverat : « Et peperit filium suum (*Luc.* II), » statim addidit, « primogenitum (*ibid.*), » quod videlicet secundum prædictam ejus narrationem superfluum esset, nisi magnum secundum Scripturas mysterium attenderet. Dixit ergo « primogenitum, » ut subaudiat legisperitus vir ecclesiasticus eum esse qui sacerdotium leviticum, sacerdotium vicarium tandem amoveret, et ipse primogenitus cum omni corpore suo, quod est Ecclesia, sanctuario cœlesti suo sacerdotio functus astaret. Et bene quinque sicli accipi jubentur pro redemptione primogeniti, quod videlicet quinque sensibus fungitur corporalis hæc vita, quam primogenitus iste non redemit, sed pro nobis omnibus morti obtulit. Cur vero potius hæc tribus, id est levitica, admittitur pro primogenitis? Videlicet quia de tribu illa fuerunt Moyses et Aaron, qui filios Israel eduxerunt de terra Ægypti, de domo servitutis, et dignum erat ut ex qua fuit salus temporali, ex eadem tribu ministros haberent sacrificii temporalis.

CAPUT VII.

De cultu filiorum Caath, et quid sit mystice quod ait, « ut portent involuta, ut non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur. »

(Cap. IV.) « Hic est cultus filiorum Caath : Tabernaculum fœderis, et Sanctum sanctorum ingredietur Aaron et filii ejus, quando movenda sunt castra, et deponent quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii, et operient rursus velamine hyacinthinarum pellium. » Ac deinceps : « Cumque involverint Aaron et filii ejus sanctuarium, et omnia vasa ejus, in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, et non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur. » Magna cultus divini reverentia, magna et severa disciplina. « Aaron, inquit, et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividunt quæ portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur. » Ergo secundum hanc normam sacerdotes hodieque legitimi sunt hi tantum, quibus pro merito electionis secreta sua Deus credidit, qualibus in Evangelio suo Salvator dicit : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Matth.* XIII). » Ipsi arcam testimonii mensam **289** propositionis, thuribula, et mortariola, cyathos quoque et crateras ad libamina fundenda, candelabrum cum lucernis et forcipibus suis, emunctoriis et cunctis vasis olei, necnon et altare aureum, omniaque vasa quibus ministratur, in sanctuario contrectent manibus, et involvant palliis hyacinthinis, atque coccineis, filii autem Caath involuta portent, et non tangant, ne moriantur, id est, illi mysteria incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis Christi Filii Dei, adventus quoque Spiritus sancti, libero intuitu oculorum cordis, quos Deus illis aperuit, aspiciant, et ore sacro contrectent, pulchrisque litteris adornent. Isti autem audiant, vel exposita ab illis legant. Isti, inquam, quibus datum est regnum Dei audire in parabolis, et ipsi non audeant expositores vel auctores esse, ne labantur in hæresim. Portent, inquam, minus eruditi, aut vasa sacra cum filiis Caath, aut cortinas tabernaculi, et tectum fœderis, cunctaque tentoria cum Gersonitis, aut tabulas testimonii, et vectes ejus, columnas, et bases earum; columnas quoque atrii per circuitum cum basibus, et paxillis, et funibus suis, id est aut, si possunt, mystica legant, exposita valenter a Patribus orthodoxis, aut, si non possunt, legant alii, vel prædicent historicorum novorum, vel antiquorum facta, alii moralia sanctorum præcepta, in quibus infirmis circa fidem minus est periculi.

CAPUT VIII.

Quod hujus præcepti prævaricatio sit, ubi ad sacri mysterii ordinem admittuntur indigni.

At vero nunc, quod periculosissimum est, filii Caath, filii Gerson, et filii Mèrari, qui non pervenerunt ad dignitatem Aaron, et filiorum ejus, non solum non arcentur a conspiciendis vel tangendis interioribus sanctuarii sanctis, verum etiam advocantur et irruunt irreverenter intus, quando ad sacrosancta altaris Christi mysteria tales accersuntur, quales pro merito vitæ, pro qualitate vel quantitate scientiæ laicus quoque non injuria contemnat populus. Qui hodie tales facile admittunt, non audiunt Dominum loquentem ad Moysen et Aaron : « Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum, ut vivant et non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum, Aaron et filii ejus intrabunt, » etc. Nam revera, quia quicunque nomen vel tonsuram clerici arripuerunt, irruunt admissi ad Christi sanctuarium, tanguntque et contrectant indigne sancta sanctorum, idcirco moriuntur, et non solum in anima, verum etiam in corpore citius feriuntur. Nam « ideo, inquit Apostolus, inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi (*I Cor.* XI). »

CAPUT IX.

De eo quod præcipit ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, et qui pollutus est super mortuo.

(Cap. V.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe filiis Israel ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo. Tam masculum quam fœminam ejicite de castris, ut non contaminent ea, cum habitaverint vobiscum. » Ordinata castrorum acie, qualis, secundum cœlestia, quorum hæc exemplaria sunt, malignis spiritibus terribilis esse debeat, tota videlicet sancta tota munda, nunc demum sub nominibus leprosi, et fluxum seminis patientis, quæcunque noxia, quæcunque sunt immunda, lex spiritualis anathematizari imperat. Qualiter circa ejusmodi sit agendum, superius in Levitico planius edixerat. Verum nonnihil interest. Nam illic quidem virum qui patitur fluxum seminis, extra castra non jubet projici, quia videlicet durum nimis est ut omnem qui multiloquio subdi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur, et eo se inquinat, confestim a cœtu suo, æque ut hæreticum, sancta Ecclesia projiciat. Ergo cum dicens, « ejiciant de castris omnem leprosum, » addidit, « et qui semine fluit, » intelligi oportet unum eumdemque qui sic semine fluit ut etiam leprosus sit, id est sic incontinentis linguæ est ut etiam hæreticus sit. Nam et hoc addidit continuo, « pollutusque est super mortuo. » Etenim unus idemque et leprosus est et semine fluit, et pollutus est super mortuo, quando is qui hæreticus est prædicare audet, tacere non valens, et munda loqui nesciens, sicque interficit auditores suos, atque ita polluitur super mortuo. Ejiciant ergo, inquit, de castris omnem qui ejusmodi est, tam masculum quam feminam. Verum de cæteris peccatis non eadem districtio legis est. Nam sequitur : « Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei in quem peccaverunt, » etc. Peccatis omnibus remedium, vel redemptionis regula proponitur. Leproso autem, et qui semine fluit, nihil aliud nisi, ut de castris ejiciatur. Ergo nec illud in Evangelio suo sine hujus mysticæ legis consonantia Christus loquitur, dicens : « Quia omne peccatum remittetur hominibus ; Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » Verum de hoc supra in Levitico uberius dictum, nunc cœpta prosequamur.

CAPUT X.

De viro cujus uxor erraverit, qualiter investigare debeat, et cujus rei mysterium in Christo sit.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Vir cujus uxor erraverit, maritumque contemnens dormierit cum alio viro, et hoc maritus deprehendere nequiverit, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro, si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eum ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ, » etc. Secundum suprascriptam castrorum metationem quadrifidam, valde laudabilis est amica Christi evangelica Ecclesia, ut recte admiretur ipse, et dicat : « Quæ est ista quæ progreditur, vel quæ ascendit per desertum, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI). » Ista, inquam, laudabilis est, sed quid fiet de Synagoga adultera ? Quid faciet vir ejus, vel maritus antiquus, quem illa contemnens dormivit cum alio viro ? Etenim contempto Deo amatore suo, contempto Dei Filio Christo, petulanter erravit, et cum diabolo dormivit. Verum hoc maritus deprehendere nequit, sed latet adulterium. Quis enim facile contentiosam Synagogam deprehendere vel convincere queat ? Nempe illa quidem adulterium fecit, sed tantis tergiversationibus seipsam defendit, ut rarus quisque sit adeo legisperitus, **290** adeo valens in Scripturis, quatenus illam convincere argumentando possit, quod non Dei, sed synagoga Satanæ sit (*Apoc.* II). Latet ergo quodammodo adulterium, et testibus argui non potest, quando videlicet confitetur quia Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob Deus suus est, et convinci, ut prædictum est, vix potest, quod factis illum neget, quia non est inventa in stupro, quia nulli visibiliter servit idolo, sicut olim servivit Astaroth, coluit Baal, initiata est Beelphegor. Quid ergo vir ejus faciet ? « Si spiritus, inquit, zelotypiæ concitaverit maritum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ. » Plane spiritus zelotypiæ, id est æmulationis uxoriæ concitavit virum ejus Deum contra uxorem illam quæ revera quidem polluta est, sed secundum contentiosam æstimationem suam suspicione appetitur. Concitatus ergo adducit eam ad sacerdotem, ad illum « pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Christum Filium suum (*Hebr.* IV), » ut judicialem sub illo accipiat sententiam. « Et offeret, inquit, oblationem pro ea, decimam partem sati farinæ hordeaceæ. » Hoc secundum litteram factum sit, et fieri debuerit pro illa, quæcunque maritum contempsit, et in oblatione non similam fermenti, sed hordeum habuerit, quod est jumentorum pabulum, quia fluxum secuta est jumentorum. Cæterum, secundum jam cœptum spiritualem sensum, tota adulteræ Synagogæ oblatio quasi hordeacea est, quia Scripturarum solam litteralem paleam legit tam grossam tamque hirsutam, ut strangulari potius queat quam refici. « Non fundet, ait, super eam oleum, nec imponet thus. » Quare ? « Quia sacrificium zelotypiæ est, et oblatio investigans adulterium. » Nam revera non dedit illi sanctum charitatis spiritum, nec aliquem boni odoris fructum, quia vehementer ignem iracundiæ, causa prædicti incendit adulterii, « Offeret igitur eam sacerdos et statuet coram Domino. Assumetque aquam sanctam in vas fictile, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, et ponet super manus illius sacrificium, » etc. Plana est examinationis hujus littera, et nihilominus in spiritu super illam Satanæ synagogam manifeste adimpleta est. Postmodum ubi Christus in cœlum ascendit, et illa apostolos quoque ejus flagellavit, et ex eis occidit, lapidavit, et de civitate in civitatem persecuta est, postmodum, inquam, statuta est coram Domino, discooperto capite, circumdata atque angustata ab exercitu Romano, undique absque omnimoda Dei protectione. Tunc posuit super manus illius generationis malæ et adulteræ sacrificium recordationis, et oblationem zelotypiæ, ut veniret super illam « omnis sanguis justus, qui effusus est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ prophetæ, quem occiderunt inter templum et altare (*Matth.* XXIII). » — « Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum exsecratione maledicta congessit, » videlicet, juxta Prophetam dicentem : « Pluit super peccatores laqueos, ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum (*Psal.* X). » Item : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum (*Psal.* LXVIII). » Hæc, inquam, maledicta congesta in aquas Scripturarum, quas illa sibi amarissimas fecit, tenuit vir quondam ejus, et apposuit ori illius, cum illa conquestione prophetica : « Quomodo, si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel (*Jer.* III). » Item : « Frons mulieris meretricis facta est tibi (*ibid.*) : » Sequitur : « Adjurabitque eam, et dicet : Si declinasti a viro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis : Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, et utero tuo tumescente, putrescat femur. Et respondebit mulier : Amen, amen. » Ecce hodie liquet, et toto mundo palam factum est quia mulier illa maledicta est, adultera illa in exemplum cunctorum posita est, putrefacto femore claudicans ab omnibus semitis suis, et tumens uterus ejus disruptus est, ita ut nulla penitus nasci potest ex ea vitalis soboles. Romano enim exercitu agente, capta et captiva ducta est in omnes gentes, et ita maledictionem suam circumfert, illam, inquam, maledictionem, quæ non a Deo est, sed ab ipsa, quia sic locuta est, sic sibimet imprecata est : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII), » et usque hodie confirmat illam jugiter. Respondet enim semper et dicit : « Amen, amen. » Igitur clarum est quia a viro suo declinavit, et cum altero concubuit, quia Christum occidit, diabolo adhæsit. Nam si non ita esset, nequaquam istis maledictionibus subjaceret. Dixit enim ista zelotypiæ lex. « Si non dormivit vir alienus tecum, et si non polluta es, deserto mariti toro, non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta conjeci. » Sed quis est ille liber in quo sacerdos ista maledicta scripsit? Nempe iste est liber judicii in quo scripta sunt maledicta quæcunque sibi anima peccatrix ascivit, ex quo Adam primus peccavit. Sed delevit hæc aquis amarissimis, quas ipse de torrente in via bibit (*Psal.* CIX). Tulit enim peccata totius mundi. Verum easdem rursum aquas amarissimas adulteræ illi in potum dedit, quia sic dixit, sic sibimet elegit, ut supra dictum est, clamans suo præsidi Pilato : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros, » ad quod et usque hodie dicit : « Amen, amen, » jugiter Christum maledicens.

CAPUT XI.

De lege Nazaræorum, et de eo quod ait evangelista : « Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. »

(CAP. VI.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Vir sive mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino et omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent, » etc. Ista lex Nazaræorum, id est, sanctorum sive consecratorum est, de qualibus in libro Machabæorum scriptum est : « Et suscitaverunt Nazaræos qui impleverant dies, et clamaverunt voce magna in cœlum, dicentes : Quid istis faciemus, et quo eos ducemus? » (*I Mach.* III.) Videlicet ambitiosius in calamitate sua Deum deprecabantur, tales habentes patronos, scilicet Nazaræos, qui plurimum merebantur de clementissimo Deo, quia impleverant dies suos, afflicti sacra continentia, votiva abstinentia. Sed quid sibi vult, aut quid rationis habet hæc illorum lex in eo maxime quod dicit : « Si autem mortuus fuerit subito quisquam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus, quod radet illico eadem die, ita ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus. » Quid, inquam, in hoc rationis est quod tantopere super mortuum ingredi, et super patris quoque et matris, fratris **291** et sororis funere contaminari prohibetur, ut si mortuus fuerit quisquam subito coram eo, polluatur illico, et dies præteriti irriti ducantur? Ergo quoniam in hac occidente littera nihil proficimus, vivificantem spiritum necessario requirimus. Nempe ista est lex sub qua factus est Dei Filius, ista, inquam, lex est, quam sic implevit ille Nazaræus, ut propter illum, imo de illo scripta esse credantur. Hoc sciens evangelista Matthæus, cum dixisset : « Audiens autem Joseph quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ, et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth (*Matth.* II), » continuo subjunxit : « Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. (*ibid.*) Nempe si quæras ubi vel per quos prophetas dictum est, quia : « Nazaræus vocabitur, » et ecce jam in isto prophetarum maximo hic dictum est, « quia Nazaræus vocabitur, » siquidem velamine litteræ amoto clariatem spiritus intueamur legitime. Et ho bene prospecto, simul et illud clarebit cur evangelista prædictus tali in loco, vel causa, tali testimonio usus sit, quia videlicet quod hic Moyses dictis, ho apud illum Dominus noster infantulus præsignavi factis, cum fugiens Judæam propter Archelaum il regnantem, venit Nazareth, et habitavit ibi.

CAPUT XII.

Quomodo iste Nazaræus, id est sanctus Domini Deus noster Jesus spiritualiter legem Nazaræorum impleverit.

« Omni, inquit, tempore consecrationis suæ supmortuum non ingredietur, nec super patris quidet matris, et fratris, et sororis funere contaminbitur, quia consecratio Dei super caput ejus es Omnes dies separationis suæ, sanctus erit Domin

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Si autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus. » Quod radet illico in eadem die purgationis suæ. Nazaræi, id est sancti hujus, qui vere solus est sanctus, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II),» omne tempus consecrationis, omne fuit tempus vitæ præsentis, ex quo conceptus est de Spiritu sancto usquequo resurrexit a mortuis. Toto quippe illo tempore suo super mortuum ingressus non est, super nullius funera contaminatus est, quia nullum unquam vel leve peccatum admisit, nullius unquam peccato consensit, imo nec ingrediens in hunc mundum, ulla secum vestigia traxit peccati originalis, per quod mors in hunc mundum introivit, utpote consecrationem super caput suum habens, Dei sui, id est plenariam effusionem Spiritus sancti, de quo et conceptus est, ex utero Virginis. Consecrationem, inquam, Dei sui, quia videlicet Deus illi est secundum naturam hominis quam assumpsit, secundum quam et Nazaræus est, quemadmodum dicit : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (*Joan.* XX). » Nazaræus iste capillos nutrivit, quia peccata generis humani super se tulit, et pœnitentiam usque ad mortem pro omnibus egit, baptizatus a Joanne in pœnitentiam cum publicanis et peccatoribus, afflictus in jejunio quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ita ut processerit « obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II). » Sed mortuus est subito quispiam coram eo, videlicet populus iste Judaicus clamando; « Crucifige, crucifige (*Matth.* XXVII), » clamando : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*ibid.*). » Ibi mortuus est ille populus subito, et illo morticinio Nazaræi hujus caput quasi pollutum est, non sibi, sed illi qui mortuus est. Unde enim populus ille mortuus est, nisi quia motus invidia, pro eo quod cecinerant turbæ : « Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XII), » commentatus est qualiter Nazaræus iste maledictum fieret legis dicentis : « Maledictus a Deo est omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XXI), » videlicet ut hoc facto comprobaretur hunc illum non esse de quo Propheta cecinit : « Benedictus qui » venturus est « in nomine Domini (*Psal.* CXVII). » Ergo unde mortuus est Judæus, inde Nazaræus iste pollutus, id est maledictum legis factus est. Imo unde sic ille pollutus est, inde iste mortuus est. Rasit illico Nazaræus caput suum, ita tamen ut dies priores irriti facti sint, quoniam polluta est sanctificatio ejus. Cui nisi mortuo illi dies priores irriti facti sunt? Nempe inde væ mortuo tali, quia ex quo coram Nazaræo isto cecidit, nihil prodest illi quod talis Sanctus sanctorum carnem de carne ejus accepit, quod in terra ejus triginta tribus annis visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch* III), qui universa condidit. Ita facti sunt ei priores Nazaræi dies irriti, imo et omnes dies universi sæculi, ex quo cum Abraham, Isaac et Jacob, patribus ejus, colloquium habuit. Irritum hinc factum est pactum, irrita legislatio, irritum omne obsequium, in tantum ut etiam omnia quæcunque illi sancta fuerant, jam oderit anima Dei, ex quo manus suas hujus sanguine implevit (*Isai.* I). Rasit Nazaræus caput suum super illum, et quæ omnia super se susceperat peccata totius mundi, hujus peccata, quia mortuus est, rejecit super ipsum. Et nostra quoque peccata rasit quidem eadem novacula passionis, verum non super nos illa rejecit, quia non nobis mortem suam imputavit, sed omni vento dispergenda dedit, et sic ait Propheta : « Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras (*Psal.* CII). »

CAPUT XIII.

De eodem, qui secundum mysticam legem significet, quod raso capite, pro eo qui coram illo cecidit mortuus Judaicus populus, et irriti facti sunt præteriti dies ejus.

« Radet, inquit, illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima. In octavo autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu tabernaculi fœderis testimonii. Facietque sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo. Sanctificabitque caput ejus in die illo et consecrabit Domino dies separationis ejus, offerens agnum anniculum pro peccato. » Bene et septima die radet Nazaræus caput suum, in octavo autem sacrificio renovatur, quia videlicet passio hujus sancti septem protracta est diebus. Nam a decima luna, qua die civitatem ingressus est, qua die secundum legem tollebatur in cunctas domos Judæorum paschalis agnus, quarta decima luna ad vesperam immolandus, ab illa, inquam, die septima dies exstitit Sabbatum sepulturæ ejus. Octava deinceps die, quæ est prima Sabbati resurrexit a mortuis, et tunc novum sacrificium, quod sub articulo suæ passionis instituerat, perfecit, offerens duos turtures vel duos pullos columbæ, id est Spiritum sanctum tribuens, charitatis geminæ in introitu fœderis testimonii, in apertione regni cœlestis, quod illa die nobis devicta morte reseravit. « Facietque, inquit, sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, » quia videlicet unum dedit Spiritus sancti datum in remissionem **292** peccatorum ad diligendum proximum, alterum in diversarum distributione gratiarum ad diligendum Deum. Unum adhuc positus in terris, alterum jam in cœlo residens ad dexteram Patris. Hos, inquam, turtures duos vel columbæ pullos dedit sacerdoti, id est ut daret in sua potestate, accepit Nazaræus ipse, sacerdos ipse vel pontifex magnus, qui cœlos penetravit (*Hebr.* IV). « Et deprecabitur, inquit, pro eo, » subauditur ipse sacerdos pro seipso Nazaræo; « deprecabitur, » inquam, pro seipso, id est pro corpore suo, pro nobis fidelibus suis, quos fecit esse concorporales sibi, testante Paulo cum dicit : « Qui est a dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), » non tamen submissa prece orans, sed potenter jure advocati pro nobis interpellans. « Sanctificabitque, inquit, caput ejus, »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

etc., ut supra. Sanctificatum est caput hujus Nazaræi, quia nunc, juxta Zachariam, ablatis ab eo sordidis vestibus nostræ mortalitatis, quibus fuerat indutus, posita est cidaris munda super caput ejus, et indutus est mutatoriis (*Zach.* III), coronatus videlicet gloria immortalitatis et honore incorruptionis. Et ita consecravit « dies separationis suæ, » ut jam non moriatur, mors illi ultra non dominetur (*Rom.* VI), « offerens adhuc agnum anniculum pro peccato, » videlicet per manus Ecclesiæ corpus suum et sanguinem sacrificans pro cuncto populo catholico in sancto altaris magno atque ineffabili mysterio, ita tamen ut dies priores irriti facti sint, sicut supra dictum est.

CAPUT XIV.

De eodem Nazaræo Christo, quando impleudi sunt dies quos ex voto decrevit.

« Ista est lex consecrationis: Cum dies quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, et offeret oblationem ejus Domino agnum anniculum immaculatum pro peccato in holocaustum, et ovem anniculam immaculatam pro peccato, et arietem immaculatum hostiam pacificam, » etc. Quando impleti erunt dies Nazaræi hujus, quos ex voto decrevit? utique cum plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* II). Tunc enim tempus erit ut reliquiæ filiorum Israel salvæ sint (*ibid.*), quod ex voto decrevit, quemadmodum dicit: « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV). » Quamvis hoc dispensatione temporali dictum debeat intelligi, quia licet per semetipsum solis prædicavit Judæis, tamen ad illos veniet, et reliquias eorum recolliget circa finem sæculi. Tunc dabit pro illis trimodum sacrificium, de quo in Levitico plenius dictum est, scilicet illud quod dicitur pro peccato sacrificium fidei, pacificam hostiam spei, holocaustum charitatis. Tunc « radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis, » id est tollet peccata illorum sacramento ejusdem passionis suæ, qua tulit peccata mundi ipse sacerdos, ipse Nazaræus, ipse ostium tabernaculi fœderis, tabernaculi cœlestis. « Tolletque capillos ejus, » id est peccata Judaici populi, « et ponet super ignem, » completa prophetia, quæ dicit: « Si abstulerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris (*Isai.* IV), » tunc « tollet » ab illis, vel suscipiet, « armum et pectusculum » arietis, id est bona opera cum confessione cordis et oris, « et femur » quoque, id est fiduciam carnis, ut jam non glorietur sicut hactenus, in carne, sed in fide Abrahæ. Post hæc potest vinum bibere Nazaræus, quia videlicet ex tunc in æternum et ultra regnabit Christus, completo, quod nondum impletum videmus, « omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII; *I Cor.* XV). »

CAPUT XV.

Moraliter quid, quod Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum incidunt.

Moraliter dum de vitandis superfluis cogitationibus agitur, hoc trahamus in exemplum quod capillos nutriunt, quos post votum detonsos in igne sacrificii deinceps incendunt. Quid enim quod Nazaræi capillos nutriunt, nisi quod per magnam vitæ continentiam, præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est quod devotione completa, caput Nazaræus radere, capillosque in igne sacrificii postea ponere jubetur, nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus? Quas nimirum sacrificii igne concremare est flammas eas divini amoris incendere, ut totum cor in Dei amore ardeat, et cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaræi capillos, devotionis perfectione consumat.

CAPUT XVI.

De eo quod ait: « Sic benedicetis filiis Israel, » quod tertio dictum sit Dominus, quod est Pater, et Filius et Spiritus sanctus.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Quod hic Dominus loquens Moysi sub velamine litteræ eis abscondit, hoc præfatus ille Nazaræus sanctificato capite jam resurrectionis indutus mutatoriis, gloriosa claritate revelavit. Dixit enim discipulis suis: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Quæ enim alia, præter hanc, benedictio est qua benedicat sacerdos ille sanctus filiis Israel? « Benedicat, inquit, tibi Dominus, » subauditur Pater, « ostendat et faciem suam tibi, » subauditur Filius, « convertat vultum suum ad te, » subauditur Spiritus sanctus. Quid hoc pulchrius, quid jucundius? Ecce hic in antiquissima lege novæ gratiæ lucem videmus, nominis sancti Trinitatem quam odit Judæus, quam dissipat hæreticus Arius, quam confundit Sabellius, hic in antiquo Numeri libro amabiliter conjunctum, clare distinctum agnoscimus. Et nota singularum enuntiationum pulchritudinem, « Dominus, » inquit, scilicet Pater, « benedicat tibi, » quod est bona dare, « et custodiat te, » quod est a malis liberare, « Dominus » Filius « ostendat faciem suam tibi, » quod est bona dare, « et misereatur tui, » quod est a malis liberare. « Dominus » Spiritus « convertat vultum suum ad te, » quod est bona dare, « et det tibi pacem, » quod est a malis liberare. Nam hic geminus est Divinæ benedictionis fructus, ut bonis repleamur, et malis careamus, ut signati hoc nomine Trinitatis, jam hic in præsenti peccatorum remissionem, et quodlibet divinæ gratiæ donum percipiamus, et in futuro pœnis inferni, corporum quoque corruptione exuamur, quod in gloria resurrectionis futurum speramus. « Invocabunt, inquit, nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Quia dixerat « Aaron et filiis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suis, sic benedicetis filiis Israel, » ne quis putaret benedictionem esse nominis, vel ab homine quempiam benedici, definivit quod dixerat. **293** « Invocabunt, inquiens, nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Nemo ergo de auctoritate glorietur hominis, ut, verbi gratia, dicat quisque nostrum : « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Nunquid, ait Apostolus, Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? » (*I Cor.* VIII.) Igitur quecunque invocante nomen Domini super nos, solus qui benedicit ipse est Dominus Deus unus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, cui et cum Psalmista, cum præsentis loci sensu dicimus : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus (*Psal.* LXVI). »

CAPUT XVII.

De erectione tabernaculi, et oblationibus principum, quod omnes æqualia obtulerunt.

(CAP. VII.) « Factum est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque et sanctificavit eum omnibus vasis suis, altare similiter et vasa ejus obtulerunt principes Israel, et capita familiarum qui erant per singulas tribus, præfecti eorum qui numerati fuerant, munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus, » etc. Post multas et amplas mysteriorum exercitationes, iterum ad tabernaculum reducti libenter sequimur, ut inde thesauros absconditos eruamus, lætantes super hæc sancta legis eloquia, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* CXVIII). Completo atque erecto tabernaculo, jubente Domino singuli duces per singulos dies obtulerunt munera in dedicatione altaris, et omnium eadem sunt munera quæ obtulerunt, ut Dominus ordinavit. Profecto non omnium tribuum quantitas eadem, vel numerus idem erat, sed in aliis plures, in aliis fuere pauciores recensiti per cognationes et domos, ac familias et capita, et nomina singulorum, a vicesimo anno et supra, sicut præceperat Dominus Moysi. Nam, verbi gratia, de Juda numerus fuit duplex, et plus quam duplum major ea multitudine quæ de Manasse recensita est. Quid ergo hoc sibi vult quod oblationum omnium, quas obtulere singuli duces, eadem quantitas est, nec plus a septuaginta quatuor millibus sexcentis, qui fuere de Juda, quam a triginta duobus millibus ducentis, qui fuere de Manasse, Domino jubente, exactum est? Nempe : « Prima die obtulit oblationem suam Naason, filius Aminadab, de tribu Juda, acetabulum argenteum, pondo centum triginta siclorum, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso, bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque, » etc. « Secundo die Nathanael filius Zuar dux de tribu Issachar, » etc. « Tertio die princeps filiorum Zabulon, Heliab filius Helon, » etc. « Quarto die princeps filiorum Ruben, Helizur filius Sedeur, » etc. « Quinto die princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisadai, » etc. « Sexto die princeps filiorum Gad, Eliaseph filius Duel. Septimo die princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud. Octavo die princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadazur. Nono die princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis. Decimo die princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Amiseddai. Undecimo die princeps filiorum Aser, Phesiel filius Ochran. Duodecimo die princeps filiorum Nephtalim, Ahira filius Henan. » Æqualia obtulere universi, et non fatigatur calamus Moysi, toties eadem repetere in singulis eisdem verbis, eisdem pene syllabis. Quid, inquam, hoc sibi vult, nisi quia mysterium grande isto quoque loco legis littera subtegit.

CAPUT XVIII.

Quod tunc Christus hunc legis locum impleverit, quando duodecim sibi apostolos elegit, et quod tunc tabernaculum erectum et sanctificatum est, quando ille passus est, et resurrexit, et exinde duces, id est apostoli munera fidei obtulerunt.

Igitur et nunc ad eum respicimus « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Col.* II), » qui in semetipso legem adimplevit, quemadmodum dicit : « Nolite putare quia veni legem solvere : non veni solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Utique et adimplendo hanc partem legis « vocavit ad se quos voluit, ascendens in montem, et venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum eo, et ut mitteret eos prædicare et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia (*Marc.* III) »—« Et cum, » inquit Marcus, « audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant enim quoniam in furorem versus est (*ibid.*). » At ille vere et unice beatus vir, non in furorem versus erat, sed in lege Domini voluntas ejus et in lege ejus meditabatur die ac nocte (*Psal.* I), quippe qui ipsum totius legis sacrarium erat, ipsum verbum legis, ipsum Verbum Dei incarnatum erat. Tunc meditabatur legem implere, id est secundum præsens hujus legis mysterium duodecim spiritualium castrorum duces ordinare. Nam et huc respiciens, eisdem apostolis dicit alio loco : « Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Dixerat enim illi Petrus : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te? Quid ergo erit nobis? (*ibid.*) » Multum eos honoravit, multum honorem et grande præmium signavit, cum illis ita respondit. Vult enim intelligi se quidem Dominum esse tabernaculi cœlestis, ipsos autem duces fore tribuum Domini, de quibus Psalmista cum dixisset : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI), » continuo subdidit : « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini (*ibid.*). » Et quod illis ducibus duodecim filiorum Israel jussum est facere vel offerre corporaliter, hoc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ab ipsis, vel per ipsos implendum fore spiritualiter. Quando enim erectum, unctumque et sanctificatum est cum omnibus vasis suis tabernaculum illud cœleste, cujus secundum exemplar tabernaculum istud Moyses fecit, tunc utique quando tabernaculi pontifex Jesus Christus Filius Dei sanguinem suum sustulit, in quo universam Ecclesiam, quanta collecta fuerat ab origine mundi, remissionem peccatorum conferendo unxit et sanctificavit. Subsecuti denique confestim principes isti, boves et plaustra obtulerunt ad portandum tabernaculum, vel tabernaculi sanctuarium, dum patriarcharum et prophetarum fidem, per mundum universum prædicandam susceperunt, hoc modo ipsi boves, ipsi plaustra sunt, ipsi rectores, ipsi portitores Ecclesiæ sunt. Obtulerunt singuli acetabulum argenteum pondo centum et triginta siclorum, qui numerus ex unitate centena, et ternario deceno consistens, unius Dei triumque personarum recte significat fidem. Phialam quoque argenteam habentem septuaginta siclos, qui numerus ex denario, septenarioque compositus, evangelicam septiformis sancti **294** Spiritus gratiam, et legis, cujus decem præcepta sunt, veram designat scientiam. Obtulerunt etiam mortariolum aureum, ex decem siclis aureis, incenso plenum, id est, Christum Dei Filium consona voce prædicaverunt, cujus de Virgine concepti corpus aureum, corpus immaculatum, omne in se continens puræ orationis incensum pretiosum, mortis passione pro nobis est contribulatum. Hæc isti obtulerunt, hæc ad laudem et gloriam Dei prædicaverunt singuli die suo, id est unusquisque secundum mensuram gratiæ, vel revelationis, quam accepit a Domino, ab uno eodemque Spiritu sancto. Et alii quidem plures, alii pauciores ad fidem traxerunt, sed idem omnes eodem Spiritu, et eodem sensu prædicaverunt, quemadmodum isti principes tribuum, et alii plura, alii pauciora suæ tribus millia sub manu habuerunt, sed omnes æqualia, cuncti eadem vasa obtulerunt. Et illi quidem similam in vasis, similam, inquam, visibilem oleo visibili conspersam obtulerunt. Isti autem spiritum legis in littera latentem, veram et invisibilem similam prædicaverunt, verum et vitalem cibum omnium animarum credentium. Obtulerunt « nihilominus bovem et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. » Hæc, inquam, principes nostri singuli obtulerunt; nam prædicantes aliis, ne ipsi reprobi fierent, semetipsos afflixerunt, semetipsos etiam passionibus objecerunt (*I Cor.* IX). Nam ipsi sunt, quorum singuli in psalmo sexagesimo quinto dicunt : « Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis. » Istorum namque principum totus ille psalmus vox est. Ac si dicat quisque eorum, etiam in tribulatione positus : Aliis prædicabo ut et ipsi ad idem meo inducantur exemplo, et hic interim offeram tibi holocausta medullata, id est meipsum factum holocaustum medullatum, totum interiori charitatis igne combustum, incensis arietibus, incensis bobus et hircis, id est omni repugnantia, omni extollentia, omni foeditate vitiorum carnis et spiritus. Nam ideirco quinque arietes quinque sunt agni, quinque sunt hirci, quia videlicet in quinque sensibus caro cum licet, lascivit.

CAPUT XIX.

De eo quod, cum ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, et exemplum de Actibus apostolorum, quando Moyses ingressus sit, et in re auditum et factum sit quod præfigurabatur illic.

(CAP. VIII.) « Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et dices ad eum : Cum imposueris septem lucernas candelabrorum, in australi parte erigantur. » Ex quo tabernaculum sanctificatum est, Moyses ingreditur in tabernaculum fœderis, quia videlicet ex quo sancta per Christum Ecclesia redempta est, ex tunc homo reconciliatus factus est Deo familiaris. Ex tunc, inquam, consulens oraculum Moyses, « audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos cherubin, » quia profecto qui erant discipuli Moysi, ex tunc cognoverunt consilium Dei, quod habebat super gentibus universis, quod illis quoque ad pœnitentiam viam vellet offerre. Quam enim audiebat vocem loquentis? Ait : « Loquere Aaron et dices ad eum : Cum posueris septem candelabrorum lucernas, in australi parte erigantur. » Et continuo Scriptura sequitur et dicit : « Hoc igitur præcepit, ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis. » Contra eam partem candelabrum respicit, ad quam lucere debebunt. Tanquam diceret : Cum septem lucernas candelabrorum in australi parte erigi præcipiat contra mensam propositionis panum, ipsa autem mensa, sicut in Exodo scriptum est (*Exod.* XXV, XXXVII), in parte aquilonis poni jussa est; hoc igitur præcepit, ut lucernæ contra boream e regione respiciant. Vehementer intimatum nobis esse monuit, quod candelabrum septem lucernarum, id est Christum in quo septem lucidi spiritus requiescunt, ad aquilonem, id est ad gentes, verum hactenus solem non habentes, pium gratiæ suæ convertere voluerit intuitum, et illic habere mensam propositionis panum, id est veritatem Scripturarum, sive corporis et sanguinis ejus sacramentum. Nam quod candelabrum, Christum gloria resurrectionis coronatum, septem vero lucernæ sanctum septiformem Spiritum, ipse autem boreas sive aquilo nos gentes significet, plenius in Exodo dictum est (*Exod.* XXV). Hoc, inquam, vehementer nobis insinuatum esse voluit, scilicet sic sibi præceptum fuisse certi gratia mysterii, memor videlicet exemplaris quod in monte Dominus osten-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

derat sibi. « Cum, inquit, ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim unde et loquebatur ei. » In Actibus apostolorum habemus, quando Moyses ingressus in tabernaculum fœderis, et oraculo consulto, vocem hujusmodi, vocem tantæ propitiationis audierit, inter duos cherubim, id est de concordi testificatione utriusque Testamenti : « Facta seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus gentes, quibus aperuerat Deus ostium fidei, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidem alii ex aliis ad apostolos et presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione (*Act.* xv). » Ac deinceps : « Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, audite me. Vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes Evangelii verbum et credere (*ibid.*), » etc. « Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens : Viri fratres, audite me. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit, sumere ex gentibus populum nomini suo, et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et ædificabo tabernaculum David quod cecidit, et diruta ejus reædificabo et erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum a sæculo Domino est opus suum (*ibid.*). » etc. Igitur ingrediente Moyse, et consulente oraculum vox audita est jubentis, ut contra boream e regione respiceret candelabrum septem lucernarum, et ut contra eam partem lucerent lucernæ, quam respicit candelabrum, quia videlicet facta quæstione, dum consulitur Spiritus sancti oraculum, hoc manifestis auctoritatibus defenditur, quod Christus sit exspectatio gentium. Sed et hodie quoque Moyses ingredietur tabernaculum ad consulendum oraculum, quoties boni rectores, cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum revertuntur. Divina lege perspecta quasi coram posita arca Dominum consulunt, et quod prius audiunt intus, hoc foris postmodum agentes **295** innotescunt. Ut enim exterioribus curis inoffense deserviant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant, et sic vocem Dei, quasi per occultam inspirationem audiunt, dum meditatione mentis a carnalibus sensibus abstrahuntur.

CAPUT XX.

De purificatione Levitarum, quid sit mystice, quod jubentur omnes pilos carnis suæ radere.

« Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos juxta hunc ritum. Asperganturaqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint, tollent bovem de armentis, » etc. « Radant, inquit, omnes pilos carnis suæ. » Pili carnis sunt vitæ veteris cogitationes, quas sic a mente incidimus ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Pili carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Levita namque assumptus vocatur. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere, quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Non illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animæ speciem, quasi pilis fructificantibus deformem reddat. Sed quantumlibet, ut diximus, quemplam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate vitæ nascitur quod tollatur. Unde et ipsi Levitarum pili radi præcepti sunt, non evelli. Rasis enim pilis in carne radices remanent, et crescunt iterum ut recidantur, quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc subtilius conspicimus, cum speculationis alta penetramus. Verum hanc munditiæ, vel pulchritudinis perfectionem consequi non poterit, nisi qui cunctas prius ab animo suo sæculi facultates amoris divini novacula raserit. Proinde Dominus noster, qui legem non solvere, sed adimplere venit (*Matth.* v), ut ista quoque Levitarum lex a suis assumptis possit impleri, dicit adolescenti diviti : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* xix). » Ac deinceps : « Et omnis qui reliquerit domum vel fratres (*ibid.*), » etc. Hanc plane Levitarum esse rasuram Moyses quoque in Deuteronomio probat, cum dicit in benedictione Levi : « Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro vos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel (*Deut.* xxxiii). »

CAPUT XXI.

De eisdem, et quid sit quod filii Israel manus super Levitas, et Levitæ manus suas ponunt super capita boum qui immolandi sunt.

Sic, inquam, spiritualiter debere radi filios Levi, probat hic ipse Moyses, cum et illic protinus subjungit : « Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum (*Deut.* xxxiii), » et hic cum dixisset : « Asperganturaqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ, » continuo subdidit : « Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint, tollent bovem de armentis, et libamentum ejus, oleo similam conspersam. Bovem autem alterum de armento accipies pro peccato, et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, et offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum. » etc. Quidnam est aqua aspersos levitas, et rasos lotisque vestibus mundatos, bovem alterum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in holocaustum, alterum pro peccato, manibus suis super capita positis, coram Domino tangere, positis antea vel in simul manibus filiorum Israel super se? Quid, inquam, hoc est, nisi spiritualis propositi viros a propriis vitiis mundatos, a cunctis facultatibus curisque sæculi rasos, ad hoc solum vacare ad quod assumpti sunt, videlicet ut ponant thymiama in furore Domini, et holocaustum super altare ejus, id est interveniant pro peccatis populorum? Filii namque Israel manus suas super Levitas, qui ab ipsis decimas accipiant, et Levitæ manus suas ponunt super capita boum, e quibus unum, inquit, facies pro peccato, et alterum in holocaustum, quando spiritualis ordinis viri, sæcularium peccata suscipiunt, quorum ex eleemosynis vivant, et ea coram Domino sacrificiis orationum oblatis deprimere, et usque ad remissionem vel indulgentiam eorum superare contendunt. Quod quia magna est instantia faciendum, in fine capituli, trina repetitione commemoratur factum. « Fecerunique Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super Levitis, quæ præceperat Dominus Moysi. » Et deinde. « Purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua, » etc. Ac deinde tertio. « Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est. »

CAPUT XXII.

De eo quod Levitæ a viginti quinque annis et supra ministrent, et quinquagesimo anno custodes vasorum fiant.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis et supra ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum annum impleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum, in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerant commendata. » Quid per annum quintum ac vicesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagenarium, in quo jubilæi requies continetur, nisi interna quies e domito bello mentis exprimitur? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vicesimo quinto tabernaculo deserviant, et a quinquagenario custodes vasorum fiant, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Electi enim cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos, ac servire necesse est, et obsequiis laboribusque fatigari. Cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur. Mentis quippe ætate tranquilla, dum calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum, vel rectores fiunt.

296 CAPUT XXIII.

De eo quod ait : « Homo qui immundus fuerit super anima hominis sive in via procul, faciat Phase Domino mense secundo. »

(Cap. IX.) « Faciant filii Israel Phase in tempore suo, quarta decima die mensis hujus ad vesperam juxta omnes cæremonias, et justificationes ejus. Præcepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase. Qui fecerunt tempore suo quarta decima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel. » Magnæ solemnitatis, quæ Hebraice dicitur Phase, id est transitus, definitionem et legem novimus unde et in Exodo plenius diximus, videlicet quia Pascha nostrum immolatus est Christus, et ejus sanguine semel quidem postes nostros signavimus, quando in morte ejus baptizati sumus ; semper autem carnibus ejus, et eodem sanguine cum azymis sinceritatis et veritatis epulari debemus (*I Cor.* v). Sed videamus quid sequitur : « Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere in die illo Pascha, accedentes ad Moysen et Aaron, dixerunt eis : Immundi sumus super anima hominis. Quare fraudamur, ut non valeamus offerre oblationem Domino, in tempore suo inter filios Israel? » Per hanc occasionem consulto Domino, quod deerat legi, ita suppletum est. « Homo, inquit, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino, mense secundo quarta decima die mensis ad vesperam, cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud, » etc. Hæc pars legis et Judaicæ immunditiæ prophetia, et singulorum hominum discernendæ causæ regula est. Judæi namque super anima immundi sunt, quia Christum occiderunt, et idcirco cæcitas contigit in illis, ut non videant, quia verum Pascha Christus est, donec plenitudo gentium ad istud paschale convivium subintret (*Rom.* xi). Futurum tandem est ut reliquæ ex eis salvæ fiant (*ibid.*), non aliter quam per esum ejusdem Agni, non aliter quam signatis postibus frontium suarum sanguine Christi. Hoc, inquam, futurum est. Immundi igitur super anima, Phase Domino primo mense non faciunt, secundo autem facturi sunt, quia videlicet sanguine Christi polluti Judæi, nunc ejus carnem non comedunt neque sanguinem bibunt, circa finem vero sæculi comesturi ac bibituri sunt, qui ex eis erunt residui. Porro super singulis hominibus hæc discreta synodicæ districtionis censura est, ut qui summo gradu Phase Domino facere, id est sacrosancta altaris mysteria celebrare debuerant, verbi gratia, presbyter aut diaconus si super anima immundus fuerit, id est si crimen quod morte dignum sit admiserit, laica deinceps communione contentus sit. Hoc modo plane secundum hanc mysticam legem quasi de primo mense differtur in secundum, quia de superiore gradu detruditur ad infimum.

CAPUT XXIV.

De eo quod elevata nube proficiscebantur filii Israel, et quod in loca ubi stetisset, ibi castrametabantur.

« Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel, et in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium ejus figebant tabernaculum, » etc. Gloriosum quidem et honorificum secundum historiam fuit ducibus illis, exercitibus illis, quod ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum, manentes in eodem loco, quod per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur, eranique in excubiis Domini juxta imperium Domini, per manum Moysi. Verum illa cœlestia, quorum secundum exempla ista facta sunt, occultiora quidem, sed gloriosiora quam hæc sunt. Quæ sunt illa ? videlicet quod patres nostri, duces nostri, qui spirituali procinctu expediti devexerunt ad nos sanctuarium Domini, incarnationem sive nativitatem, passionem, et ex mortuis resurrectionem atque ascensionem prædicantes Christi Filii Dei, non ad suum arbitrium, quo volebant ipsi proficiscebantur, sed quando, quo vel quomodo imperabat illis spiritus Jesu. Nam hinc est illud quod in Actibus apostolorum legimus : « Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt a sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderent Troadem, et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos ; ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quia vocasset nos Deus evangelizare eis (*Act.* XVI). » Igitur et isti ad imperium Domini proficiscebantur præcedente illos nube, quæ est Christus, videlicet secundum humanum corpus, de qua nube plenius in Exodo diximus.

CAPUT XXV.

De duabus tubis ductilibus argenteis, et de distinctione clangoris, et cur duæ tantum fieri jussæ sint.

(CAP. X.) « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : fac tibi duas tubas ductiles argenteas, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium fœderis tabernaculi. » Pene naturale est humanis animis, tubarum cantibus affici, et pro qualitate sonituum aut terrore concuti, aut animositate efferri, aut reverentia componi. Quod scire dignatus animorum dator et conditor Dominus, diligentem clangoris distinctionem fecit hoc modo : « Si semel clangueris, venient ad te principes et capita multitudinis Israel. Sin autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt. » Motionem castrorum, sive exitum ad bellum prolixus atque concisus enuntiat clangor tubarum ; simplex, id est non concisus, congregandum invitat populum. De conciso et ululante sonitu illud est in propheta Oseæ : « Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven post tergum tuum, Benjamin (*Ose.* V). » Secundum proprietatem clangoris sive ululatus concisi, proprie ipsam quoque locutionem suam propheta quadrimembri distinctione concidit. Porro de clangore simplici, id est non conciso illud est in propheta Joel : « Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, et clamate ad Dominum A, a, a, diei, quia prope dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet (*Joel.* I). » Medium horum est clangere semel ad solos sufficiens congregandos principes vel capita multitudinis Israel. Juxta sensum spiritualem **297** clangor tubarum vox est prædicatorum, sine quibus utique quamvis pulchra, quamlibet ordinata castrorum acies, terribilis non est. Nam quod prædicationem, vel peccatorum increpationem tubarum clangor significet, in prophetis tacitum non est, et cur duæ potius quam tres aut quatuor fieri debuerint, itidem in prophetis significatum, et in Christo revelatum est. Quid enim aliud nuntiat tuba prædicationis, nisi futurum diem tremendi judicii, quemadmodum et in propheta Joel paulo ante dictum est : « Quia prope est dies Domini ? » (*ibid.*) Porro judicis ejusdem, non unus tantum, sed duo adventus sunt. Unus quo jam venit judicandus, alter quo veniet judicaturus. Uterque terribilis, præsertim illis apud quos vel contra quos præcipue Scriptura prophetica clangit, uterque, inquam, terribilis adventus illis, uterque adventus judicii. Nam de primo adventu dicit : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant (*Joan.* IX). » De secundo adventu an sit terribilis, superfluum est quærere, vel probare testimoniis. Igitur quia duo sunt adventus tremendi judicis, circa quos omnis Scriptura divinitus inspirata, omnis Scriptura legalis, prophetica atque evangelica omnem operam suam, totum spiritum, et omne conamen suum expendit recte, non tres aut quatuor, non, inquam, plures, aut pauciores, sed duas tantum tubas jubet Dominus facere Moysi. Quæ in hoc argenteæ sunt, quia prædicatorum verba lucis nitore parent, et auditorum mentem nulla sui obscuritate confundunt. Nam « eloquia Domini, Psalmista inquit, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* II). » Idcirco autem ductiles, quia necesse est ut prædicatores, qui secundum veritatem Scripturarum ambulant, tribulationum tunsionibus crescant.

CAPUT XXVI.

De eo quod ait : « Si semel clangueris, venient principes, » etc., quod secundum hæc prædicatio dispensanda sit.

« Si semel clangueris, venient ad te principes et capita multitudinis Israel. Sin autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, » etc. Summopere hæc tenenda distinctio est septem angelis stantibus in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ, qui paraverunt se ut tuba canerent (*Apoc.* VIII), id est omnibus prædicatoribus in Ecclesia Dei præmi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nentibus quibuscunque datum est desuper doctrinæ donum perfectum, quicunque impositum sibi sanctæ prædicationis officium susceperunt. Nam in figura quidem vel significatione, duæ, ut supra dictum est, tubæ fieri jussæ sunt, sed in re et veritate evangelica, sicut multi prædicatores, sic et multa secundum divisionem gratiarum data sunt, quorum universitas per septenarium angelorum atque tubarum recte intelligitur numerum. Hæc, inquam, distinctio vel discretio solerter observanda est, ut quando congregandus est populus, simplex tubarum sit clangor, et non concise ululans; quando autem exeundum ad bellum, prolixior atque concisus clangor sive ululans increpet; quando vero vocantur principes, vel capita multitudinis, clangant semel, id est cum primum auditores vocantur ad fidem, terribiliter et graviter futurum illis annuntietur judicium; quando autem jam habentibus sermo porrigitur, temperate excitentur ad bellum contrà phalanges vitiorum; quando vero cum illis agitur, qui jam benè instituti sunt et spiritualiter vivunt, suaviter cum illis familiare habeatur colloquium. Hunc discretionis modum, Paulus tuba canentium optimus, dispensare sciens Romanis, qui adhuc in fide tam rudes erant ut non intelligerent, Dei se gratia et non suis meritis esse salvatos, et ob hoc contra Judæos conflictarent, ita gravissime loquitur, dicens : « Revelatur enim ira Dei super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est illis (*Rom.* I), » etc., in quibus vitia gentilitatis priora commemorans, simplici utique quasi tubarum clangore personat, et non concise ululat, ad hoc tendens ut congreget populum, ut discordes pacificet animos duorum populorum. Porro ad Corinthios jam secundam scribens Epistolam, nec jam de fide vel gratia, sed de pugna agens vitiorum, quasi clangorem concidens temperatum : « Et per arma, inquit, justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, et per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti, quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI). » Tandem post plurima hujusmodi, item quasi cum concisо ululatu dicit : « Rogavi Titum, et misi cum eo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus? Nonne eisdem vestigiis? Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur. Omnia autem, charissimi, propter vestram ædificationem. Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrilitates, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt et non egerunt pœnitentiam (*II Cor.* XII). »

A Ubi vero quodammodo solus vocat principes, et in uno discipulo bene instituto cunctos commonet, qui sunt capita multitudinis Israel, quasi tuba clangit semel, id est submisse loquitur, quia videlicet sapienti semel dixisse satis est : « Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri (*II Tim.* I), » etc., quæ omnia submisse et pene communi loquitur sermone.

CAPUT XXVII.

De eo quod ait : « Si quando habebitis epulum, » etc., quod bene fiat in Ecclesia Christi.

« Filii Aaron sacerdotis clangent tubis, eritque B hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si quando habebitis epulum et dies festos, et Kalendas, canetis tubis super holocaustis, et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. » Optima sancta Romana Ecclesia, et hoc legitimum sempiternum voluit esse in generationibus suis. Nam quoties epulum habet, et dies festos, et Kalendas, quis non admiretur quanto spiritualium clangore tubarum concrepet super holocaustis et pacificis victimis suis? Quod enim est ejus epulum, nisi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacramentum? Qui sunt dies festi ejus, quæ Kalendæ ejus, nisi incarnationis vel etiam nativitatis ejusdem Christi Filii Dei dies annuus, amplius autem gloriosissimum resurrectionis ejus tempus? Hi dies festi C ejus, hæ Kalendæ ejus sunt, et præterea sanctorum apostolorum, et beatorum natalitia martyrum. 293 Quis, inquam, aures audiendi habens, non concutiatur, attonitus clangore ejus in istis diebus? Quis non admiretur ordinem animi ejus? Tantas ac tales tubarum spiritualium voces, cum musicæ dulcedinis pulchritudine circa epulum, quod illi Deus dedit, circa mensam Christi, qui hæc festa tribuit, tantas, inquam, ac tales tubarum cœlestium voces de toto Scripturarum sanctarum thesauro circa holocaustomata et pacificas victimas ad canendum atque legendum concivit, ut si quis eorum rationem invenire meruerit, veraciter ejus anima dicere possit illud de Canticis canticorum : « Introduxit me rex in cubiculum suum, introduxit me rex in cellam vinariam D (*Cant.* I et II). »

CAPUT XXVIII.

De eo quod, cum proficiscerentur filii Israel de deserto Sinai, alt Moyses socero suo : « Noli nos reliquere, veni nobiscum, et eris ductor noster. »

« Anno secundo, mense secundo, vicesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan, moveruntque castra : Dixitque Moyses Obab filio Raguel Madianitæ cognato suo : Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis. Veni nobiscum, et bene faciamus tibi, » etc. Plerumque persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eorum nobis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

potius quam illis profuturum dicamus, si eorum meliorationem nobis magis quam sibi impendi postulavimus. Facile enim ad bonum elatio flectitur, si ejus inflexio prodesse et aliis credatur. Unde hic qui regente se Deo iter deserti ducente aerea columna pergebat, cum Obab cognatum suum a gentilitatis suæ conversatione vellet educere, et omnipotentis Dei dominio subjugare, ait : « Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, ut bene faciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israel. Cui cum respondisset ille : Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum, » illico adjunxit : « Noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. » Neque enim Moysen ignorantia itineris augustabat, quem et ad prophetiæ scientiam cognitio divinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius per conversationem Deo sedulam locutio familiaris instruebat. Sed videlicet providus vir elato auditori colloquens, solatium petiit, ut daret; ducem requirebat in via, ut dux ei fieret ad vitam. Egit itaque ut superbus auditor voci ad meliora suadenti eo magis fieret devotus, quo putaretur necessarius, et unde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortationis inclinaret.

CAPUT XXIX.

De eo quod cum elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, » et de exultatione Christi, secundum sensum psalmi sexagesimi septimi.

« Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua : Cum autem deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel. » Levata nube, moventibus castra principibus, Moyses persistens in contemplatione exemplaris ejus, quod illi in monte ostenderat Dominus ut sæpe repetens hæc Scriptura testatur : « Surge, inquit, Domine, » sive, « exsurgat Deus, ut dissipentur inimici ejus (*Psal.* LXVII.)» Nam hinc principium, hinc cœlestem habet causam sive materiam psalmus sexagesimus septimus : « Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. » Quo ergo Deus exsurgat? Illic utique, quo exsurrecturum illum nubes levata figurat. Hoc nempe in Psalmista propheticus scrutatus spiritus quid sibi velit quod elevata nube, principes castra moventes proficiscuntur. « Ascendisti in altum, inquit, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus (*ibid.*). » Ac deinceps, in præsentis loci sensu mystico persistens, « viderunt, inquit, ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu. Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtalim (*ibid.*) » Tertius accedit Apostolus, totoque amoto velamine sensum amborum revelata facie manifestius loquitur, quæ videlicet sit elevatio nubis, et qui castrorum principatus, quæ ascensio in altum, et quæ dona in hominibus. « Unicuique nostrum, inquit, data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. » Propter quod dicit : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi (*Ephes.* IV.) » Exsurgat igitur Deus, id est ascendat in altum Christus, et per istos principes, qui elevata nube carnis ejus ad nos missi proficiscuntur, per apostolos, evangelistas, prophetas, doctores, atque pastores, per istos, inquam, « principes Juda, principes Zabulon, principes Nephtalim. » qui sunt fide pulchri, spe fortes et charitate dilatati, ubi est et « Benjamin adolescentulus in mentis excessu, » scilicet, Paulus apostolorum mininus, usque ad tertium cœlum raptus. « Dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus, » quod factum est, et fit, et in fine sæculi usque ad consummatam victoriam fiet Cum autem deponeretur arca, aiebat Moyses : « Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel. » Et hoc utique fiet, cum plenitudo gentium subintraverit. Tunc enim Dominus ad illum carnalem Israel revertetur, ut ex eis reliquiæ salventur (*Rom.* XI).

CAPUT XXX.

De murmure populi, quod ortum est, et quod cucumeres, et pepones concupierint, et de manna cujusmodi fuerit.

(CAP. XI.) « Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam partem castrorum. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum; et absorptus est ignis, vocavitque nomen loci illius incensio, eo quod succensus fuisset contra eos ignis Domini. » Abhinc causæ ordiuntur propter quas, ut in initio libri hujus Numeri dictum est, venter comedentis amaricetur. Omnes qui recensiti fuerant a vicesimo anno, et supra, abhinc exterminantur, et eorum corpora in deserto prosternuntur, in figuram videlicet nostri, ut ait Apostolus (*I Cor.* X), qui omnes baptismo Christi candidati currere incipimus, sed non omnes comprehendimus, et omnes pugnare videmur, sed non omnes coronamur. Prima hæc causa, tentatio **299** concupiscentium est, tentatio, inquam, et concupiscentia gulæ illecebrosæ servientium. Dixerunt enim : « Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt, cucumeres, et pepones, porri, et cæpe, et allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.» Hæc, inquam, dixerunt tentando concupiscentes, concupiscendo tentantes. Dixit enim Psal-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mista : « Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo, dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? » (*Psal.* LXXVII) etc. Miseri plane et contemptibiles, qui talem fastidientes panem, dum concupiscunt carnem, illuc usque rixa ventris devoluti sunt, ut tam viles anhelanti desiderio respicerent herbarum species. « In mentem, inquiunt, veniunt nobis cucumeres, et pepones, porrique, et cæpe, et allia. » Cucumis namque natura frigida est, stomacho incommoda. Pepo Græcum nomen est, et origo ejus Latinis incerta, natura ejus nimis frigida. Porri et cæpe notum est, quia gustu insuaves sunt, comedenti namque interdum lacrymas eliciunt. De allio quoque certum est, quod insuavissimum sit. Unde et odiose ludens Flaccus, ita conqueritur:

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
(HORAT. *Epod.* I, od. 3.)

Proinde culpans, eorumque culpam Scriptura vehementer exaggerans. « Erat autem, inquit, man, quasi semen coriandri coloris bdellii. Circuibatque populus, et colligens illud frangebat mola, sive terebat in mortariolo, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Cumque descenderet nocte super castra, ros descendebat pariter et man. » Ad increpandum illos panis divinitus accepti speciem colorem atque saporem, simul et spontaneam expressit affluentiam. Coriandrum herba est medicaminibus apta, quæ Græce κόριον dicitur. Bdellium succinum est ex bdellio fluens arbore aromatica. Propter hujusmodi concupiscentiam, accensus, inquit, in eos, ignis devoravit extremam partem castrorum, vocatumque est nomen illius loci incensio, eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini, sive sepulcra concupiscentiæ : « ibi enim, inquit, sepelierunt populum qui desideraverat. »

CAPUT XXXI.

Quod eorum similes primum Judæi sint, deinde omnes quicumque in Ecclesia neglecto proposito, fastidiunt verbum Dei sive mysteria Christi.

Horum similes, imo et filii, primo loco illi fuerunt, qui ex circumcisione conversi in primordiis evangelicæ fidei proposita sibi mensa panis vivi qui de cœlo descendit, quod est manna verum, quod est vivum et verum sacrificium, quod est ipse Christus, quod est verum corporis et sanguinis ejus sacramentum, hoc, inquam, proposito sibi cibo respexerunt ad ollas carnium, ad carnes veterum holocaustomatum et victimarum, quæ Deus non quæsivit de manibus patrum ipsorum, sicut prophetæ testati sunt (*Isa.* I ; *Jer.* VII), et pro illis contendentes et rixantes contra apostolos divisi (*Act.* XV), revera in Ægyptum reversi sunt, in tenebras vetustatis antiquæ revoluti sunt. Secundo loco murmuratorum supradictorum similes, imo et filii sunt, quicumque audita voce dicentis : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI), » boni cursus initium arripiunt, sed pristinis inescati desideriis cursum non perficiunt, propositum sibi fastidientes Dei verbum, vel etiam sacrosanctum altaris Christi officium, propter quod labores et onera sæculi reliquerunt, sanctum confitentes otium, quo vacare possent ad videndum Deum. Nam ex istis plerique nonnunquam desiderio flagraverunt, recordati carnium, quarum super ollas in sæculo sedebant, et piscium quos comedebant, et in mentem venerunt illis cucumeres, et pepones, porrique et cæpe, et allia, qualibus interdum refrigerari gaudet æstuans quoque venter crapulati divitis, juxta illud Flacci :

... Cum rapula plenus
Atque acidus mavult inulas ; nec dum omnis abacta
Pauperies epulis regum.
(HORAT. *Sat.* II, sat. 2.)

Hi dum talibus occupati desideriis, sacræ lectionis vel suscepti officii non habent studium, profecto memores Ægypti, cœleste manna fastidiunt, sicque inquieti, aliosque turbantes, prælatum sibi quempiam servum Domini vehementer affligunt, ut cum isto Moyse dicat ad Dominum : Quare non invenio gratiam coram te.

CAPUT XXXII.

De eo quod ait : « Congrega mihi septuaginta viros, » etc., et quomodo dixerit, « et auferam de spiritu tuo, tradamque eis. »

« Et dixit dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod seues populi sint, ac magistri, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris. » Una eademque ex fornace et ad bonos lumen, et ad malos erumpit incendium, Uno, inquam, ex camino tribulationis, et in reprobos accensus est ignis Domini et in electos diffusus est, qui in Moysè erat spiritus Domini. Cur hoc, nisi ut daretur spes omnibus qui affliguntur exemplo Moysi, qui pie vivere volentes, malis moribus illorum, quorum curam susceperunt, afflicti gemunt, ut sperare scirent, quod ipsis in labore fatigatis, et pene deficientibus, plurimi ex ipsorum proficiant virtutibus? Non enim frustra dictum est : « Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, » cum dici potuisset sic : Et de spiritu meo dabo eis. Nam quia patientia merebatur Moysi, ut plures acciperent spiritum Domini, qualenus ex ipsorum profectu, meritum accresceret illi, recte sic dictum est, « et auferam de spiritu tuo, tradamque eis. » Nec vero quia dictum est, « auferam, » pueriliter suspicemur particulam divisam, atque idcirco Moysi diminutam quam habebat Moyses spiritus Domini gratiam. Sic enim ignis elementaris ejus est potentiæ, ut licet divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non noverit, quanto magis spiritus Domini verus, et æternus ignis, cum pluribus im-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pertitur, diminutionem non sentit? Igitur quod dixit, « auferam, » idem ac si dixisset, accipiam. Notandum vero diligenter quod cum dixisset: « Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, » addidit, « quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri. » Nam revera Deus non senectutem annorum, sed senectutem requirit animorum. « Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV). » Ista senectus, vel isti cani, non tam oculis corporis, sed judicio agnoscuntur rationis, et tales hoc loco Deus manifeste requirit, dum determinat sic dicendo, « quos tu nosti. »

300 CAPUT XXXIII.

De eo quod locuta est Maria et Aaron contra Moysen, et quæ fabula conscripta sit de uxore Æthiopissa.

(Cap. XII.) « Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, et dixerunt: Numquid per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus, iratus est. » Propter uxorem ejus, inquit, Æthiopissam. Ex occasione verbi hujus fabulam hujusmodi scriptores Judaici tradiderunt. Moyses Thesmuth, filiæ regis Ægypti adoptivus, ab ipso capiti suo impositam coronam regiam in terram projecit et comminuit, quod Ægyptiis vatibus præsagientibus fuit indicium per illum destruendum Ægyptium regnum. Quam rem Pharao præcavens, hunc qui regni sui prævidebatur fore exterminium, præcepit sine mora exstingui, sed a filia ejus offensæ propitia, morti subtrahitur, et suo populo incolumis remittitur. Post multa tempora Æthiopibus Ægyptum impugnantibus cum pene superarent hi, Ægyptii vero succumberent, ab ariolis divinatum est Ægyptum Æthiopiæ subigendam nisi Israelitico duce eorum fulta militia, iret hostiles restringere incursus, per quem solum communis veraciter exspectaretur triumphus. Mox divina ordinatur providentia, huic periculo a Pharaone Moyses, ut forte si hostes non feriret, saltem ab hostibus ipse interiret, eligitur; sed aliter quam sperabat, Deus ordinabat, qui illum et victorem Æthiopum, et prophetiæ quondam prædictæ in collisione coronæ regiæ prævidebat testimonium. Accingitur ergo Moyses ad militiam, subscribitur et multa militum manus, procedit cum spe victoriæ, sed a Pharaone exspectatur cum discrimine sui et Ægyptiæ confusionis. Ventum est ad muros hostilium urbium. Virtus quam ministrat Deus suo quandoque futuro militi, nunc autem Ægyptio satelliti, hostes viriliter oppugnat, frangit incurrentes, elidit eumdemque robur eorum hactenus infractum debilitat, et non jam ut cruentam cum damno militum suorum conquirit victoriam, sed ut nobilem cum gloria et salute suorum reportat palmam. Ad cumulum etiam suæ laudis, filiam regis Æthiopum conjugem sibi sociat primum ab illa expetitus ob gratiam pulchritudinis, dein ab ipso adamata ob confœderationem utriusque regni, quæ plenius componebatur ex copula tam insperati conjugii. Redit ergo ad Pharaonem, non solum triumphum, sed etiam reportans pacis et concordiæ unanimem affectum. Sed duplici maluisset Pharao triumphare lætitia, si cum, devicto hoste, contigisset Moysen victorem oppetere.

CAPUT XXXIV.

De uxore ejus Æthiopissa, et qualiter Moyses, pro eo quod vir mitissimus esset, defensorem sibi Deum magis tacendo constituerit, et de eo quod ait: « At non talis servus meus Moyses. »

Verum hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, facile contemnitur. Sed et quid opus est quærere, extra presentem Scripturam, cur obloquentes dixerint uxorem ejus Æthiopissam. Nam cum Moyses uxorem duxerit filiam Jethro sacerdotis Madian (*Exod.* II), terra autem Madian vicina sit terræ Æthiopum, recte intelligitur quod pro eo quod dicerent uxorem Madianitidem, dixerint uxorem Æthiopissam, sicut se habet amaritudo rixantium, ut semper e vicino rapiat quod valeat ad angendum contemptum. Paulo ante Jethro reduxerat illam (*Exod.* XVIII), et indignari cœperunt de fratre suo, duce suo, quod haberet uxorem alienigenam. Poterat calumnia confutari vel sola auctoritate Moysi quod videlicet reprehendi non deberet a subditis prælatus præsertim is per quem Deus tanta tamque manifesta loqueretur. Invaluit econtra pertinaciter superbia carnalis, et superbiam spiritualem proficiendo impetus generavit. Dixerunt enim: « Numquid per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne et nobis similiter est locutus? » Videlicet quia paulo ante creverat turba prophetantium, septuaginta namque seniores propheticum acceperant de ipso Moyse spiritum, dicente Domino Moysi: « Auferam de spiritu tuo, tradamque eis (*Num.* XI). » Ideirco quasi pro multitudine prophetantium, unus prophetarum maximus decrescebat, et vilescebat in eorum oculis. Hoc frequenter accidit et in Ecclesia Christi ut magistrum succrescentes discipuli, prælatum illustrem subditi, patrem contentiose audeant obscurare illustres filii. Tale quid, et Paulo apostolo contigerat, cum diceret ipse Corinthiis: « Jam saturati estis. Jam divites facti estis. Sine nobis regnatis, et utinam regnetis ut et nos vobiscum regnemus (*I Cor.* IV). » Ac deinceps: « Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui (*Ibid.*). » Igitur quia sic primo contigit Moysi, sanciendum fuit exemplum in primis, quod deinceps timerent secuturi. « Quod cum audisset Dominus, » ratus est. Quare? « erat enim, inquit, Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, » dulcis quidem laus, et vehementer magna laus, egregiæ virtutis, quam possidens omnis prælatus recte dicere possit: « Imitatores mei estote,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sicut et ego Christi (*I Cor.* II), » ostendens quod juste Deus iratus sit, vel irasci debuerit, quia videlicet Moyses non utcunque mitis, sed et mitissimus erat super omnes homines qui habitabant in terra. Nullo modo seipsum defendebat, et hoc pacto quasi legitima causa defensorem sui Deum magis tacendo constituebat. Nam « mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus (*Deut.* XXXII).» Verumtamen parum dictum est, quia mitissimus erat, sed pro merito Moysi laus ista longe inferior. Supplevit ergo Dominus de Moyse quod Moyses de seipso minus dixerat. Ait enim : « Audite sermones meos. Si quis fuerit inter prophetas Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ad eum, et palam, et non per ænigmata Dominum videt. Quare igitur non timuistis detrahere servo meo Moysi? » Magna commendatio, fortissima defensio. Attentos auditores esse voluit enuntiatio judicantis. « Audite, inquiens, sermones meos » gravitate usa competenti. Deinde locutionis suæ modos dividit dicendo : « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, » etc. Videlicet quia dixerant : « Nunquid per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne et nobis similiter est locutus? » Mensuram suam cognoscere habebant, ut minoris et majoris habendo distantiam, non se super se extollerent, cum observandum sit, et inter æquales quod dictum est, « honore invicem prævenientes (*Rom.* XII). » In visione, inquit, apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Somnia futurarum præferunt imagines rerum, et si prudentem habuerint conjectorem, quædam prophetiæ sunt. Prius rerum futurarum imagines vel figuræ conspiciuntur, et deinde conjiciendo res ipsæ ex parte prævidentur: Sic Joseph in Ægypto somnia **301** Pharaonis (*Gen.* XLI). Sic Daniel in Babylonia somnia Nabuchodonosor prius audivit, et ipse sua vidit, ac deinde revelante spiritu de conjiciendo non in incertum de rebus futuris prophetavit. « At non, inquit, talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. » Non hic prius figuras per somnium conspicit, et deinde de futuris rebus conjicit, seu potius econtra prius res ipsas de longinquo futuras prospicit et deinde figuris et ænigmatibus pro tempore operit atque involvit. Nam hic sæpe dictum est. « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV). » Ait ergo : « Ore enim ad os loquor ei, et palam non per ænigmata Dominum videt. » Ac si dicat : Prius claro intuitu rerum futurarum ordinem videt, et quanquam ænigmata conscribat, et figuras, rerum tamen veritatem intrinsecus ipse tenet. « Quare igitur non timuistis detrahere servo meo Moysi? » Percunctatio hæc reos concludens, irati animi est, quam et protinus pœnali sententia evestigio secuta est.

CAPUT XXXV.

Quod Moyses uxorem habens Æthiopissam Christum habentem de gentibus Ecclesiam significat. Lepra vero et separatio Mariæ detrahentis, peccata Synagogæ Christum blasphemantis.

« Iratusque contra eos abiit. Nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Et ecce Mariam operuit candens lepra quasi nix, » etc. Propter sensum allegoricum supra repetendum est, et tunc clarebit quid ista prophetissa per gratiam clarificata, et propter culpam a Deo consputa, id est, leprosa facta significet. Hoc loco Moyses uxorem habens Æthiopissam mystice Christus Dominus est, peccatricem quondam de gentibus non aspernatus Ecclesiam. Hoc nimium ægre ferunt Aaron et Maria, id est carnale Judæorum sacerdotium, et tota illorum vetus Synagoga; hoc, inquam, ægre ferunt, de hoc murmurant, magnumque habent invidiæ tormentum, semper enim gentium salutem oderunt. Hoc ergo non ferentes, et hac invidiæ trabe tenebratum cordis oculum habentes, ad ipsius Domini Christi odium prorumpunt, et propter condescensionem miserorum, contra ipsam misericordiam confligunt. Dicunt enim : «Num per solum Moysen,» id est num per solum Christum vestrum « Deus locutus est? Nonne et nobis, » id est prophetis nostris, « similiter locutus est? » Habet namque lex nostra viros virtutis, qui de terra pariter et de cœlo signa fecerunt, mare Rubrum et Jordanem fluvium diviserunt, manna de cœlo deposuerunt, solem in cœlo stare, vel etiam retrocedere fecerunt. Hæc et his similia illis maligno livore dicentibus, Dominus iratus est. Clarum est manifestum est quia superbæ Synagogæ et carnali ejus sacerdotio Dominus iratus est. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, genti illi iratus est. Nam ecce leprosa facta est, lepra candente tota cooperta est. Multum iratus pater exspuit in faciem ejus, et projecit super vultum ejus stercus solemnitatum ejus (*Mal.* II). Quanto nequior blasphemia ejus obloculione Aaron et Mariæ, et imo quanto amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, tanto plaga gentis illius, lepra Synagogæ illius deterior est. Nam Moyses quidem fidelis erat in tota domo Dei, quemadmodum dicit, « at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, » fidelis, inquam, vel « fidelissimus in domo Dei, » non sua, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus vero, tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Igitur leprosa illa quidquid tangit, immundum est, immundum, inquam, quidquid attrectat, quidquid concelebrat, et Deo odibile est, separatur ad arbitrium sacerdotis summi, qui penetravit cœlos, Christi Jesu, habet vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatam ac sordidam se clamat, de quibus omnibus superius in lege leprosi dictum est. Omni tempore quo leprosa est, et in hac immunditia perfidiæ suæ perseverat, sola habitabit extra castra; sola, inquam, extra vera et cœlestia castra, quasi mortua, imo vere mortua, et ut abortivum, quod

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

projicitur de vulva matris suæ. Abalienata est a vulva, erravit ab utero, locuta est falsa (*Psal.* XXXV), quæ non docuit eam mater sua fidelis patriarcharum et prophetarum ecclesia. « Clamat autem Moyses ad Dominum, dicens : Deus, obsecro, sana eam. » Imo vero tota antiquitas, tota Patrum antiquorum pro illa gente intervenit fides. Sed non sanabitur, non revocabitur in castra, donec evolvantur septem dies, id est donec plenitudo gentium subintrocat. « Si, inquit, pater ejus exspuisset in faciem ejus, non debuerat saltem septem diebus rubore confundi? » Plane vera similitudo. Nam revera si quis filius patrem, quem honorare, cui blandiri debet, ita exasperaverit, ita ad iracundiam provocaverit ut ille motus in faciem ejus exspuat, qui utique faciem filii, natura duce, oculis delambere consueverat, quomodo talis filius sic pro sua protervia, sputo patris oblitus, non saltem septem diebus inter compares suos erubescat? Cui enim pretiosus esse potest, qui ut vilis a patre suo conspuitus est? « Si ergo, inquit, pater ejus exspuisset in faciem illius, » etc. « Ego autem, inquit, Pater vester sum, qui dico ad Pharaonem : Filius primogenitus meus Israel, dimitte filium meum (*Exod.* IV), » et ecce exasperatus quodammodo exspui in faciem hujus, dum lepra candidissima, lepra quasi nivea, id est verissima, totam operuit carnem ejus. Separetur igitur septem diebus, etc., ut supra.

CAPUT XXXVI.

De exploratoribus, qui terræ detraxerunt, et quod illa tentatio causa maxima fuerit ut fere omnium, qui numerati fuerant, corpora in deserto prosternerentur.

(Cap. XIII.) « Profectus est Israel de Aseroth, fixis tentoriis in deserto Pharam. Ibi locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam ego daturus sum vobis, singulos de singulis tribubus ex principibus. Fecit Moyses quod Dominus imperarat, » etc. Plana est historia, quia missi exploratores exploraverunt terram, pergentesque ad torrentem botri, abscideruntpalmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri, reversique post quadraginta dies, detraxerunt terræ, quam luspexerant omnes præter Josue filium Num, et Caleph filium Jephone dicentes : « Terra quam lustravimus devorat habitatores suos, » et continuo « Populus, inquiunt, quem aspeximus, proceræ staturæ est. » Quæ profecto sententia nimium præcedenti contraria est. Hic nempe mos est detrahentium, ut dum detrahere student, nonnunquam sibimet contraria dicant, non curantes quam in partem verba cadant, dummodo audientium corda subvertant. Tandem cum clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, qui alio spiritu sequebantur Dominum, tali sententia judicium Domini definitum est : « Vivo ego, inquit, et implebitur gloria Domini universa terra. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto, et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua 302 juravi patribus eorum (*Num.* XIV). » Hæc tentatio decima, cæterarum tentationum pessima, causa fuit maxima cur omnium illorum, qui numerati fuerant a viginti annis et supra, præter duos jam dictos, nemo in illam repromissionis terram ingrederetur, sed eorum corpora in deserto prosternerentur. Porro propheta, imo Spiritus sanctus in Psalmo cum dixisset : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV), » continuo adjecit : « Sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi huic, et dixi semper : Hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam (*ibid.*) » Hoc testimonio Apostolus quoque utens continuo subjungit : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendo a Deo vivo ; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec « hodie » cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus, dum dicitur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem (*Hebr.* III). »

CAPUT XXXVII.

Mystice quod nos qui Scripturas legimus, exploratores terræ sumus viventium, et quod botrus quem portaverunt in vecte duo viri, Christus sit, quem in Scripturis legunt duo populi.

Igitur præsentis capituli notissimam teneamus allegoriam, ad instruendum timorem sanctum, timorem castum, ut « timeamus, » secundum eumdem apostolum, « ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim et nobis, inquit, annuntiatum est, sicut et illis (*Hebr.* IV). » Quidnam, secundum jam dicta Psalmistæ et apostoli testimonia, terra illa tunc eo modo explorata, nisi requiem Domini significat? Quæ autem illa requies Domini? de qua iterum determinando diem quamdam in David dicit : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, » tandem ita concludens, « quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam? » Quæ, inquam, est hodierna requies Domini diem habens determinatum, post illum septimum diem, quo requievit Dominus ab operibus suis? Nempe ipsa est resurrectio carnis, resurrectio Christi, gloriosa requies Domini. Hanc requiem,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hanc terram viventium ad explorandum missi sumus, quicunque Scripturas sanctas in manibus habemus, primis Judæis Domino dicente : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere (*Joan.* v), » deinde et de apostolis evangelista dicente, quia « tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV.) » Scripturas namque intelligentibus illud recte decantatur : Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac et mel, et ut lex Domini sit semper in ore vestro. Legendo igitur atque intelligendo ascendimus, terramque optimam exploramus. Perreximus ad montem botri, abscisus est palmes cum uva sua, quam deportant in vecte duo viri. Quid enim est torrens botri, nisi passio Domini nostri Jesu Christi? Nempe de illo sponsa dicit in Canticis : « Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi (*Cant.* I). » Et de passione ejus per Prophetam dictum est : « De torrente in via bibet (*Psal.* CIX). » Explorando itaque venimus usque ad torrentem botri : legendo namque prophetas intelleximus quia oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis. Quomodo autem abscisus est palmes cum uva sua, nisi quia ferro passionis abscisa est anima ejus, et de carne exivit cum divinitate dulcissima sibi insita? Nam de isto palmite sic est, et per prophetam prædictum quia « abscisus est de terra viventium (*Isa.* LIII) » Abscisum ergo palmitem portant in vecte duo viri, id est passum et mortuum Christum adorant in cruce duo populi credentes, et confitentes quia resurrexit a mortuis. Porro palmitem abscisum portantibus in vecte duobus viris, necessario qui præcedit quod portat non videt, qui autem subsequitur, semper præ oculis habet. Ita plane anterior populus, qui beata Dominicæ passionis tempora præcessit, dulcissimum botrum, id est Christum, quem fide portabat, non vidit : nos autem qui subsequimur videmus et præsentem habemus rem salutis, cujus spem solam habuerunt illi. Unde et nobis dicitur cum apostolis : « Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quia multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* X). » Sed et de malo granatis et de ficubus loci illius tulimus, quia prophetarum mortes vel persecutiones quas passi sunt, passuri Christi testimonia fuisse intelleximus. Hoc exploravimus quadraginta diebus. Qui enim ad exploranda carnis resurrectionem nos admisit, præbuit nobis seipsum vivum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens discipulis, et loquens de regno Dei (*Act.* I). Unus exploratorum dicit : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt (*I Joan.* I). »

CAPUT XXXVIII.

Quod illi exploratores qui terræ detraxerunt, mystice hæretici sunt, maxime qui veram carnis resurrectionem non credunt.

Igitur quotquot spiritu Dei agimur, dicimus cum Caleph : « (Ascendamus et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. » Caleph quasi *cor* vel *canis* interpretatur. Et hic ipso nomine non minus quam fide veritatem vel testimonium illorum exprimit, qui sunt sicut cor Christi Domini, juxta quod scriptum est : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (*Jer.* XV). » Si enim qui pretiosum a vili, id est veritatem a mendacio, separat, ipse os Domini, cur non recte dicatur, et quasi cor Domini habendo spiritum Christi? Est et canis Domini, juxta quod itidem scriptum est : « Lingua canum tuorum ex inimicis (*Psal.* LXVII), » id est testes sunt apostoli, ex odientibus te Judæis. Ita Caleph, id est omnis testis veritatis, prædicat fideliter, clamat confidenter : « Ascendamus et possideamus terram, » id est credamus quia Christus resurrexit a mortuis, et credentes resurrectionis ejusdem consequamur gloriam. Alii vero, alii, inquam, qui fuerunt nobiscum, scilicet Antichristi hæretici, qui « exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis (*I Joan.* II), » detrahunt terræ quam inspexerunt, negant fidem resurrectionis, aut infirmare conantur ejus in qua resurrecturi sumus veritatem carnis. « Terra, inquiunt, quam lustravimus, devorat habitatores suos. » Quid aliud asserunt hæretici, dum dicunt : Quia non resurget vera substantia carnis? Nempe si non eadem resurget caro, si erit ventis et aere subtilior, ergo illa, quam exspectamus, terra viventium habitatores suos devorat. Sed **303** contrarii sibimet continuo dicunt : « Populus quem aspeximus, proceræ staturæ est. » Hæretici namque circa eamdem rem contra se divisi sunt, ita ut, dum alii veram carnem resurrecturam negant, alii econtra concubitum quoque filiorum procreatione illic exspectent, ita sibi contrarii sunt ut cum illi non ipsam sperent substantiam, isti econtra nimiam ejusdem substantiæ exspectent corpulentiam. (CAP. XIV.) « At vero Josue filius Nun, » sive Jesus Nave, quod interpretatur *salvator, filius pulchritudinis*, « et Caleph, » de cujus interpretatione nominis jam ante dictum est; Josue, inquam, et Caleph, id est Salvator Christus, et apostoli ejus cunctique catholicam fidem profitentes, « sciderunt vestimenta sua, » id est a suo consortio talium rejecere blasphemias. « Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra quam lustravimus, valde bona est, » etc. Quid multa? « Cum clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet obruere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis, » dignamque pœnam edicens : « Vestra, inquit, cadavera jacebunt in solitudine, filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram. Annus pro die imputabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras. » Hoc exemplum omnibus hæreticis et incredulis sanctum est. « Videamus ergo, » ut supra memoratus apostolus ait, « ne forte sit in ali-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quo nostrum cor malum incredulitatis (*Hebr.* III). » Nam revera sicut detractores illi pro die receperunt annum, sic hæretici omnes cum Judæis incredulis pro temporalis blasphemiæ culpa sempiternum recipient interitum. Et tunc quidem Domino dicente: « Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia, atque consumam; » tunc, inquam, hæc dicente Domino : « Moyses orabat dicens : Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ. » Nunc autem et illos, et omnes accusat hæreticos. Nam quemadmodum Judæis Veritas dicit : « Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis (*Joan.* V); » sic et omnibus hæreticis Ecclesia, veritatis columna (*I Tim.* III), dicit : Sunt qui accusent vos lex et prophetæ, Evangelium et omnes apostolicæ litteræ, quorum de scientia præsumitis.

CAPUT XXXIX.

Dinumeratio decem tentationum, de quibus ait : « Et tentaverunt me jam per decem vices. »

« Et tentaverunt, inquit, me jam per decem vices. » Ipsas tentationes hic breviter enumeremus. De prima tentatione ita in Exodo legitur : « Jurgatus populus contra Moysen ait : Da nobis aquam ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgatis contra me? Cur tentatis Dominum? (*Exod.* XVII.) » De secunda tentatione, ita in Numerorum libro scribitur : « Cumque indigeret aqua populus, » etc., usque ad eum locum in quo ait : « Hæc est aqua contradictionis, ibi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis (*Num.* XX). » Tertia tentatio in campestri fuit contra mare Rubrum, in quo loco murmurasse dicuntur contra Dominum, quia peremptos Ægyptios fuisse, Moysi sibi de verbo Domini dicenti, non crediderunt, sed potius eos se sul sequi timuerunt (*Exod.* XIV). Unde dicitur in Psalmo : « Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores misericordiæ tuæ, et ad iracundiam provocaverunt te in mari Rubro (*Psal.* CV). » Quarta et quinta tentatio super manna exstitit. Una tentatio fuit super eodem manna sicut in Exodo dicitur : « Hic est sermo quem præcepit Dominus : Colligat ex eo unusquisque quantum potest sufficere ad vescendum (*Exod.* XVI). » Et post pauca dixit ad eos Moyses : « Nullus delinquat ex eo usque mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt ex eo quiddam usque mane (*ibid.*). » Altera fuit tentatio, de qua post pauca in eodem libro dicitur : « Sex diebus colligetur, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. Venit septima dies, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen : Usquequo non servabitis mandata mea et legem meam? (*Ibid.*) » Sexta et septima tentatio in sepulcris concupiscentiæ facta fuit, scilicet tentatio carnium in qua etiam prima tentatio carnium complectitur. De qua in Exodo legitur : « Dixerunt Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis quia Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, et mane videbitis gloriam ejus. Audivit enim murmur vestrum contra Dominum (*ibid.*). » Et post pauca : « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Audivit murmurationes filiorum Israel. Loquere ad eos : Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus, et scietis quod ego sum Dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix operuit castra (*ibid.*). » De septima ita hic in Numeris dicitur : « Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est, et in eo accensus est ignis Domini, et devoravit extremam castrorum partem (*Num.* XI). » Et post pauca : « Sanctificamini, eras comedetis carnes: Ego enim audivi vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto (*ibid.*). » etc. Octava tentatio fuit vitulus aureus, quem fabricaverunt sibi in deserto filii Israel, morante Moyse cum Domino in monte Sinai (*Exod.* XXXII). Nona tentatio hic in deserto Pharan, quæ in ipsa dicitur Barne, de exploratoribus : « Usquequo, inquit, detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? » Et post paululum : « Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, quadraginta annis recipietis iniquitates vestras. » Decima tentatio in eo est, quod « cum locutus esset Moyses universa verba Domini ad omnes filios Israel : Luxit populus nimis, et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis atque dixerunt : Parati sumus ascendere ad locum de quo locutus est Dominus, quia peccavimus. Quibus Moyses : Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum. » Item post pauca. « At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris. »

CAPUT XL.

De eo quod armati ascendunt filii Israel, remanente arca Domini, quod in hoc quoque hæreticorum typus fuerit.

Jam nunc ad ordinem redeamus. Postquam locutus est Moyses ad filios Israel universa verba Domini dicentis : « Vestra cadavera jacebunt in solitudine, filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, » illi, ut jam dictum est, ascenderunt in verticem montis, arca Domini et Moyse non recedentibus de castris. « Descenditque Amalecites et Chananæus qui habitabant in monte, et percutiens eos atque concidens, persecutus est usque Horma. » Mons iste in quo Amalecites et Chananæus habitare dicuntur, mons Seir intelligitur, sicut in Deuteronomio dicitur : « Igitur egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi, et cecidit de Seir usque Horma (*Deut.* I). » Amalecites *populus lingens*, Chananæus *possidens*, Seir *pilosus*,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Horma *anathema* interpretatur. Per hæc nomina maligni spiritus intelliguntur, qui usque Horma, id est usque in profundum inferni, quod æternum est anathema, supradictos sanctæ terræ detractores omnes hæreticos concidendo, victorum more persequuntur. Arca namque testamenti Domini cum illis non est; lex Domini, lex veritatis cum illis non est et proinde, quæcunque arma quasi arma verbi Dei corripiunt, non proderunt illis, nec valet illis dixisse: « Peccavimus, » quia videlicet catholicæ Ecclesiæ nequaquam reconciliati sunt dignis pœnitentiæ fructibus.

IN NUMEROS LIBER SECUNDUS.

(Num. cap. XV-XXXIV.)

CAPUT PRIMUM.

De eo quod dictum est: « Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo. »

(Cap. XV.) « Si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen et mandavit per eum, a die qua cœpit jubere et ultra, oblitaque fuerit facere multitudo, offeret vitulum de armento, holocaustum suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato. » etc. Opportuna hic recapitulatione commemoratio fit de lege sacrificiorum, de qua in Levitico uberius dictum: additurque aliquid quod diligentissime, summaque cautela notandum est. « Anima, inquit, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum, idcirco delebitur et portabit iniquitatem suam. » Hanc justitiæ legem, et prophetæ sequuntur et Evangelium. Prophetæ, cum dicit Amos: « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor; super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor; super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor, non convertam eum (*Amos* I). » Primum namque scelus est iniquitatem mente concepisse. Secundum scelus est dolorem opere peperisse. Tertium iniquitatis opus in usum vel consuetudinem traxisse. Quartum scelus male acta per superbiæ spiritum defendere. Ergo « super quatuor, inquit, non convertam eum, » id est, cum superbe fuerit responsum, jam non est remissibile peccatum. Confirmat hoc, ut prædictum est, et Evangelium, cum dicit Salvator esse peccatum quod non remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, scilicet blasphemiæ in Spiritum, sive verbum contra Spiritum sanctum (*Matth.* XII), quod non est aliud quam superbiæ malum, quo contra conscientiam propriam defendendo se quispiam arguentem de peccato elidit Spiritum sanctum. De hoc et Joannes in Epistola sua dicit: « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis (*I Joan.* V). » Sed et ad filios suos loquitur Heli: « Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? (*I Reg.* II.) » Idcirco et illud sciendum quia Dominus noster tres tantum mortuos, unum in domo jacentem (*Matth.* IX), alium cum jam per portam civitatis efferretur (*Luc.* VII), tertium de sepulcro quatriduanum fetentem (*Joan.* XI), suscitasse legitur, et quartum non suscitasse legitur, eadem videlicet ratione, qua in propheta jam fuerat dictum: « Super tribus sceleribus et super quatuor non convertam eum. »

CAPUT II.

De eo qui colligit ligna in die Sabbati, quod peccaverit per superbiam, et Core, et Dathan atque Abiron, quod mortes illorum exempla sint quod pereat anima quæ per superbiam peccaverit.

Opportuna, inquam, recapitulatione nunc commemoratum est de lege sacrificiorum, et continuo peccatum superbiæ nullam docetur habere sacrificium. Statimque subjungitur: « Factum est autem cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtuleruntque eum Moysi et Aaron, et universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste. » Ac deinceps: (Cap. XVI.) « Ecce autem Core, filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan, atque Abiron, filii Heliab, Hono quoque filius Phelech de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta, viri proceres Synagogæ, et qui tempore consilii per nomina vocabantur. Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. » Igitur e vestigio subsequentibus exemplis: « Anima, inquit, quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo (*Num.* XV), » sive parvum sive magnum fuerit illud quod commisit, in quo adversus Dominum rebellis fuit. Nam et si magnum fuit quod Core commisit, in quo Dathan et Abiron rebelles fuerunt, quia videlicet unitatem scinderunt dicentes: « Non venimus, non venimus; » at colligere ligna res vel factum fuit exiguum, in quo tamen **305** qui offendit, colligendo in die Sabbati: « Morte moriatur, inquit Dominus, obruat eum lapidibus omnis populus. » Videlicet, quia per superbiam illud quod videbatur exiguum commisit, quia verbum Domini contempsit, quia legem Sabbati, imo le-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gislatorem in Sabbato ejus despexit, idcirco mori debuit, non considerante Deo quid vel quantum, sed qua mente fecerit. Itaque anima quæ per superbiam aliquid commiserit, sive magnum sive parvum sit, utique peribit. Notanda interim in ipsa superbia pœnarum dispensatio justa. Dathan atque Abiron, qui vocati, cum subsannatione dicunt, « Non venimus, non venimus, » non consueta morte hominum intereunt, sed novam rem fecit Dominus, ut aperiens terra os suum, deglutiret eos, descenderentque viventes in infernum. At vero Core concilium ducenti quinquaginta viri sequentes, qui non dixerunt, ut illi, Non venimus, et ipsi quidem pro eadem superbia cœlesti ira puniti sunt, verumtamen non a terra absorpti, quæ res maxime nova exstitit, sed igne sunt conflagrati. Ille autem homo qui inventus est colligens ligna, cujus usque ad buccas non ascendit contemptus sive superbia, magis consueta hominum morte moritur, per homines occiditur, ab omni populo lapidatur.

CAPUT III.

Quo jure dixit Moyses; « Ne respicias sacrificia eorum, » ac deinceps : « Num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? »

« Ne, inquit, respicias sacrificia eorum. » Ac deinceps : « Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? » Ergo verissime jam de istis dicas quia hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum dominatorem universæ terræ, habent potestatem claudere cœlum, et aperire portas ejus (*Apoc.* XI), quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. Qui enim hæc dicunt : « Ne respicias sacrificia eorum, » jam non tantum cœlum, sed et ipsos oculos Domini claudunt. Hem qui dicendo, « Fortissime Deus spirituum universæ carnis, » etc., iram a populo avertunt, linguis suis profecto pro cœli clavibus utuntur ut superbis claudant, mitibus autem cœlum aperiant. Verum potestatem hanc, non voluntas efficit, sed causa. Ubi superbiæ causa iram provocat suisque ironiis persultat, dicendo : « Revera induxisti nos in terram quæ fluit rivis lactis et mellis, dedisti nobis possessiones agrorum, et vinearum : an et oculos nostros vis eruere? non venimus. » Illic iste, de quo supra dictum est : « Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra (*Num.* XII); » illic, inquam, iste mitissimus irascitur valde, loquiturque quasi imperiose ad Dominum : « Ne respicias sacrificia eorum. » Irascitur, inquam, non suo spiritu, sed ejus, cui Psalmista loquitur : « Tu terribilis es, et quis resistet tibi? Extunc ira tua (*Psal.* LXXV). » Nempe ex quo Deo resistitur, extunc Deus terribiliter irascitur. Et omnis quicunque in veritate mitis est, cujus habitator est Deus, illic irascitur, ubicunque superbiæ malum oboritur. Utitur illic duro anathematis gladio, separat separatum a Deo, quem tradat diabolo. Ubi vero clavibus prædictis, clavibus cœli, linguis suis ad iram depiendam cœli portas aperuerunt, in ipsa ira misericordiæ non immemores, proni in faciem cadentes, « Fortissime, inquiunt, Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? » Utrobique fortes, utrobique valentes. Nam quibus ipsi concesserunt Deus iratus est; a quibus ipsi vetuerunt, præsens ira remota est.

CAPUT IV.

Quale sit mysterium in eo quod per virgam germinantem, cohibitum est superbiæ malum.

(CAP. XVII.) Quo tandem pacto superbiæ malum exterminatum est, et cohibitæ a Domino querimoniæ filiorum Israel? Ait : « Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas a cunctis principibus filiorum Israel, virgas duodecim tribuum, et uniuscujusque nomen subscribes virgæ suæ, nomen autem Aaron erit in tribu Levi. Et una virga cunctas seorsum familias continebit. Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus, » etc. Pulcherrime atque clementissime fortissimus Deus, postquam superbiæ malum ultus fuerat, quasi positis armis suæ fortitudinis, virgam germinantem adhibet adversus inflationes, et querimonias filiorum Israel; virga, inquam, germinante, gemmisque turgentibus in flores, et fructus erumpente, deinceps non superbire docet. Quid hic ordo pulcherrimus præsignat, nisi quod contra diaboli superbiam necessaria Christi Filii Dei ponenda esset humilitas? Hoc nempe sciens Isaias propheta, cum dixisset : « Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse, in manu ejus indignatio mea (*Isa.* X); » ac deinceps : « Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus (*ibid.*) : » cum, inquam, hæc et cætera ænigmatice dixisset de superbia diaboli, subjecit atque ait de humilitate Christi : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium audiet, sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium (*Isa.* XI). » Igitur secundum litteram quidem historia vera texitur, secundum spiritum vero mysteriorum recapitulatio est, quales in Apocalypsi Joannis periochas septem legimus. Quid enim virga illa quæ et hic neque plantata, neque rigata germinat floretque, et fructum facit, et, in propheta jam dicto, de radice Jesse egreditur floremque producit, super quem requiescit septiformis Spiritus Domini; quid, inquam, hæc virga est, nisi Virgo regia Davidicæ stirpis, quæ, juxta fidem Evangelii, sine virili semine Christum nobis protulit, verum florem, verumque decus generis humani, « in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis? (*Col.* II.) » In illa virga speciosæ novitatis vetus Evæ genus re-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

viruit, in illo flore quem peperit, carnis nostræ silva refloruit, in illa nuce quassa vel fracta per lignum crucis anima nostra nucleum vitæ invenit; anima, inquam, nostra esuriens inde refecta est vitamque recepit. Et illa quidem virga tunc litem diremit, querimoniasque filiorum Israel removit qui contra Moysen murmurabant et Aaron, tanquam ille sacerdotium traxisset magis fraterno amore quam arbitrio cœlesti. Hæc autem virga regia, hic flos virginitatis, hic fructus virginei ventris Judaicam superbiam compescuit, percussa gente, dejecta gloria templi manufacti, palamque fecit quia non carnale, sed spirituale sacerdotium Deo curæ est, quia solus Christus sacerdos in æternum est, non secundum taurorum aut hircorum cædes, sed secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX).

306 CAPUT V.

De eo quod ait : « Tu et filii tui portabitis iniquitatem sanctuarii, » quod per hoc onus significetur sacerdotii Christi, quo super se tulit peccata mundi.

(CAP. XVIII.) « Proinde continuo sequitur Dominus dicens ad Aaron : Tu, et filii tui, et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii. » Et rursum : « Tu et filii tui simul sustinebitis peccatum sacerdotii vestri. » Ac deinde tertio. « Tu autem et filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, et ad cuncta opera tabernaculi, » etc. Trina repetitio divinæ positionis vel ordinationis vehemens confirmatio est. Sic in virga florente fructumque ferente, mysterium incarnationis Christi Filii Dei signatum est, sic in ordine vel officio hujus portantis iniquitatem sanctuarii, sustinentis peccata sacerdotii sui, mystice signatur onus vel opus ejusdem Christi veri sacerdotis, in quo Dominus posuit iniquitates omnium nostrum, sicut propheta prædixit (*Isa.* LIII). Qualis Levitarum aut sacerdotum in ministerio debeat esse religio vel distinctio, quæ vel qualia suscipi debeant a populo, qualis victimæ debeat esse religio, hic sacra lex recapitulando commemorat; nam cuncta hæc superius uberius dixerat, atque idcirco his omissis jam proficiscamur ad alia. Neque enim hic aliud significat vacca rufa ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum, quæ et educta immoletur, vel comburatur extra castra; non, inquam, hic aliud vacca rufa, quam in Levitico vitulus immaculatus, eodem ritu immolandus significat, nisi quod hic sexus femineus maternam charitatem designat Christi, qua pro nobis factus obediens Patri, salutem nostram in angustia sua parturivit.

CAPUT VI.

Mystice de expiando tactu cadaveris hominis, et de eo quod ait : « Si die tertio aspersus non fuerit, die septimo non poterit emundari. »

(CAP. XIX.) « Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergatur ex hac aqua die tertio, et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. » Aspersio hæc umbra vel figura est : Christi vero sacramentum res et veritas est. Ait namque Apostolus : « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? » (*Hebr.* IX.) Ergo aqua cinisque vitulæ aspergendus idem hic, quod in Levitico sanguis vituli, scilicet aspersionem sanguinis Christi; tactus vero morticini hominis, mortua significat opera, quibus nos ille emundavit. Toties quippe cadaver tangimus hominis, pro quo nobis expediat lustrari aqua expiationis, quoties peccatum incurrimus, quod per confessionem atque pœnitentiæ satisfactionem redimi necesse sit. Sed « si die tertio, inquit, aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. » Quod est dicere : Nisi catholicam fidem teneat baptizatus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nulla peccatorum confessione, vel pœnitentiæ districtione justificari, vel gratiam poterit consequi septiformis Spiritus sancti. Notandum vero quod non dixerit, omnis qui tetigerit cadaver hominis, propter hoc septem diebus immundus erit. Non enim quomodocunque vel ubicunque tetigerit cadaver hominis, tandiu immundus erit. Nam paulo inferius determinat sic : « Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. » Summa cura illi qui de cineribus combustionis atque peccati cum aquis vivis aspergit hominem, hoc discernendum est utrum in agro, ubi patet locus effugii aut intra angustias murorum urbis cadaver tetigerit, id est illi qui confitenti pœnitentiam indicit, summopere discernendum est utrum is qui mortua fecit opera, vel mortuis consensit operibus, sponte peccaverit, an necessitate aliqua præventus peccatum declinare nequiverit. Nam secundum modos necessitatis aut voluntatis, pœnitentiæ onera quæ imponat pensare debebit. Quid porro est quod is ipse qui portat cineres, vel « aspergit aquas, immundus erit, et idcirco lavabit vestimenta sua? » Videlicet quia is qui aliena curanda peccata recepit, nequaquam munda vel secura vivet conscientia, nisi pœnitentiæ quam indicit partim super se susceperit onera, quemadmodum Apostolus dicit : « Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI). » Pro hac immunditiæ parte, nimium plus quam justo sollicita sponsa dicit in Canticis : « Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » (*Cant.* V.) Igitur « omnis qui tetigerit aquas expiationis, » id est qui alieni suscepta confessione peccati pœnitentiæ remedia suggesserit, « immundus erit usque ad vesperum, » id est donec orando pro invicem perficiat charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV). Quid sibi vult quod interim dicit : « Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit; » quid,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inquam, tali negotio per hoc dictum intendit, nisi quia peccati tui causam latentem, tali debes revelare seniori, qui et sua curare vulnera et aliena non detegere aut revelare noverit? Nempe qui secretum tenere nescit, vas est « non habens operculum, nec ligaturam desuper, » et immundus est. Sed in quocunque negotio quisquis oris aut linguæ incontinentis est, immundus est, « velut vas non habens operculum sive ligaturam desuper. » Et undecunque immunditia contracta sit, nisi aqua expiationis aspergatur, ut jam dictum est, manebit spurcitia ejus super eum. Summaque cautela agendum est, ne immundus tangat mundum, quia « quidquid tetigerit immundus, inquit, immundum faciet. » — « Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava (*I Cor.* XV). » Itemque et hoc prudenti domus Dei dispensatori curandum est, ne illi qui immundus est quispiam in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Nam et « anima, inquit, quæ horum quidpiam tetigerit, immunda erit usque in vesperum, » id est usque in satisfactionem et emendationem congruam.

CAPUT VII.

De tentatione et jurgio propter aquam, et de eo quod ait Moyses : « Num de petra hac poterimus aquam educere? » quod Judæorum et Pharisæorum typum gesserit in illa incredulitate.

(CAP. XX.) « Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversus Moysen et Aaron, et versi in seditionem dixerunt : Utinam periissemus cum fratribus nostris coram Domino! Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ût et nos et nostra jumenta moriamur? » etc. Post multos circuitus venerunt in desertum Sin. Hoc idem Scriptura dicit esse quod et Cades. Nota res gesta, quia « irritaverunt Dominum ad aquas Contradictionis (*Psal.* CV), » more suo tentantes et murmurantes, **307** « et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus et distinxit in labiis suis (*ibid*). » Multum distinxit, multum et longe aliter quam solitus erat locutus est in labiis suis. « Audite, inquit, rebelles et increduli Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? » Non sic loqui consueverat, verbi gratia, cum mare divideret, imo cum tam multis plagis Ægyptum verberaret. Non dixit : Num de fluviis ranas poterimus ejicere, num grandinem cum igne de cœlo deponere, num mare Rubrum in divisiones poterimus dividere? Hic exacerbatus ejus spiritus, pene fidem perdidit, et ita distinxit in labiis suis. Unde et sententiam protinus accipit : « Quia non credidistis mihi, ait Dominus, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. » Porro quod petra in mysterio vel in figura Christus fuerit jam dudum cum Apostolo Christi (*I Cor.* X) totus mundus canit. Cujus paulo supra in virga quæ floruit nucemque protulit, sacrosanctam spectavimus incarnationem, ejusdem in hac petra percussa salutiferam intelligimus passionem. Moyses petræ percussor, et hoc loco incredulus ; Moyses, inquam, et Aaron hoc loco increduli, item in mysterio vel figura Scribæ fuerunt et Pharisæi. Populus sitiens turba erat Dominum Jesum libenter audiens, unde exacerbati illi dixerunt : « Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt (*Joan.* VII). » — « Num, inquiunt, de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? » Puta Scribas et Pharisæos de illa petra, de ipso Christo dixisse : Num ab isto seductore sanam doctrinam speratis bibere? Item : « Dæmonium habet, et insanit. Quid eum auditis? » (*Joan.* X.) Ita male distinxerunt in labiis suis (*Psal.* CV), id est contra propriam sunt conscientiam locuti. Sciebant enim, verbi gratia, quod in Spiritu Dei ejiceret dæmonia, et tamen pessima labiorum suorum distinctione dixerunt : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth.* XII), « cum hoc furore increduli et turbidi percusserunt petram justitiæ. Bis percusserunt; duobus enim lignis unius crucis Christum crucifixerunt, linguis suis, et manibus gentilium. Hoc facto « egressæ sunt aquæ largissimæ. » Nihil verius, passo namque Christo fluxerunt aquæ Scripturarum, torrentes gratiarum Spiritus sancti inundaverunt, et antea quidem Scripturæ legebantur, sed non intelligebantur : legebatur occidens littera, sed non fluebat vivificantis spiritus viva et salutaris aqua. Item et antea nonnullis spiritus datus fuerat, sed non in remissionem peccatorum datus fuerat. « Nondum enim, » inquit evangelista, « fuerat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII). » Datus ergo fuerat in diversarum distributiones gratiarum, verbi gratia, in prophetiam, quam et habere et mali esse possunt, sed non, ut prædictum est, in reconciliationem vel remissionem peccatorum. « Quia non credidistis, inquit, mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. » Non, inquam, introducetis. Parum pro mysterio dictum est. Imo et non introibitis. Nam revera in istis, scilicet Scribis et Pharisæis, illius maxime accipimus juramenti sententiam : « Quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV). » — « Væ igitur vobis, Scribæ, et Pharisæi, et legisperiti, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis (*Luc.* XI). » — « Non introibitis in requiem Domini. » Quinimo, vobis foris stantibus et vacantibus, aliis committetur officium introducendi. « Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis. » — « Hæc, inquit, est aqua contradictionis. » Contradicunt Judæi, contradicunt hæretici aquæ, quæ de latere Domini profluxit fluminibus aquæ vivæ, quæcunque fluunt de ventre in illum credentis (*Joan.* VII). Verumtamen inter ipsas contradictiones sanctificatus est in eis sanctus sanctorum, clarificatus est in eis, nam ex ipsa contradictione glorioslor ascendit.

CAPUT VIII.

Quis mystice sit, qui post virgam floriferam, post aquam de petra productam, non sinit Israel per se transire.

« Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent : Hæc mandat frater tuus Israel :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, quomodo descenderunt patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixeruntque nos Ægyptii, et patres nostros, et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam, » etc. In manifesta littera ne moremur, mysteriorum ordinem prosequamur. Quis est iste Edom, qui post virgam floriferam atque fructiferam, post aquam de petra productam, postulantibus nuntiis, « Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam : » — « Non transibis, inquit, non transibis, alioquin armatus occurram tibi, statimque » egreditur « obvius cum infinita multitudine et manu forti. » Quis, inquam, secundum mysterium est iste Edom? Nempe ille est, contra quem querela personat prophetica : « Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem. Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (*Psal.* CXXXVI). » Ipse est nomine et carne Israel, re autem vel moribus Edom, qui pro coctione rufa, pro sanguine Christi, ut illo saturaretur, vendidit primogenita sua, cujus erant patres, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa (*Rom.* IX), cui cuncta hæc supplantavit Jacob, id est evangelica Christi Ecclesia. Huic Edom dixerunt nuntii Domini, nuntii evangelici, pacem portantes pedibus speciosis (*Isa.* LII), qui aquam de petra supradicta fluentem biberunt primi : « Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam, » transire per terram Judæam, prædicare per Synagogas tuas in templo tuo, circa domos tuas gratiam evangelicam. Non transibitis per me, inquit. Hoc dixit insuper, et cæsis denuntiavit, ne transirent per se, ne loquerentur in nomine Jesu ulli hominum (*Act.* V). Igitur armatus occurrit, qui cæsis hoc denuntiavit. Econtrario illi : « Per tritam, inquiunt, gradiemur viam, » id est antiquam, et bene notam tenebimus doctrinam. Trita namque via est Evangelium, trita fide patriarcharum, trita testimoniis legis et prophetarum. Nihil ergo dicendo novum, nihil docendo quod non constat auctoritate Scripturarum per tritam gradiemur viam. « Si, inquiunt, biberimus aquas tuas, » id est, si evangelizantes tenuem sumpserimus victum, quid magnum hoc est? « Dabimus quod justum est. » Metentes carnalia, seminabimus spiritualia, (*I Cor.* IX). hoc nempe justum est Dignus est enim operarius mercede sua (*I Tim.* V). » Perseveravit ille Edom dicens : Non transibitis, non hic evangelizabitis. « Insuper et egressus est obvius cum infinita multitudine, et manu forti. » Nam alios quidem occidit, alios flagellavit, alios lapidavit, et de civitate in civitatem persecutus est (*Matth.* XXV). Quamobrem divertit ab eo Israel. Dixeruntque : « Vobis quidem primum oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). »

A **308** CAPUT IX.

De obitu Aaron, quod mystice sacerdotium Judæorum signaverit finem habiturum.

« Cumque castra movissent de Cades, venerunt ad montem Hor, qui est in finibus terræ Edom. Ubi locutus est Dominus ad Moysen : Pergat, inquit, Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. » Et si interdum nomine et officio magnum sacerdotem Christum significare potuit Aaron, moriendo tamen nequaquam illum significare meretur qui manet in æternum, qui sempiternum habet sacerdotium (*Hebr.* VII), præsertim quia celerioris causa mortis illi est, quia incredulus fuit ori Domini ad aquas contradictionis. B Moriendo ergo propter peccatum suum, illius sacerdotii significat occubitum, cujus officiales in peccato suo mortui sunt, sacerdotii Judaici, sacerdotii carnalis et umbratici. Porro Mariæ mors, paulo ante commemorata, nulla præcedente vel præscripta peccati causa, finem legalis observantiæ præfigurat, quæ non propter erroris malitiam, sed propter melioris gratiæ prærogativam erat interitura. « Tolle, inquit Dominus, Aaron et filium ejus cum eo, et duces in montem Hor. » Hor *lumen* interpretatur. Aaron ergo in monte Hor moritur. Futurum enim erat ut manifestatione veritatis umbraticum Judæorum sacerdotium destrueretur. Sanus et valens ad mortem proficiscitur pedibus suis; sacerdotes namque C Judæorum, dum se valere et justos esse arbitrantur, in peccato suo moriuntur. Unde graviter illos in Psalmo denotari animadversum est, dicente ex persona Christi : « Et irruerunt in me fortes (*Psal.* LVIII), » videlicet tanquam frenetici dum medicum percutiunt, sanos se esse putantes. Spoliatur vestibus suis ut moriatur; templum namque illorum, et omne sanctuarium destructum est, ne Judæi de vitali virtute sacerdotii sui saltem falso glorientur. Moritur autem Aaron, sicut inferius scriptum est, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium.

CAPUT X.

D *Quod Chananæus rex Arad, qui pugnavit contra Israel, diabolum significet, et quod ut vinceret, voto se obligans Israel, prædicatorum devotionem significet.*

(CAP. XXI.) « Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens duxit ex eo prædam. At Israel voto se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo ejus urbes, » etc. Secundum ordinem spiritualium, gesta hæc historica procedunt. Passo namque Christo et glorificato, ac Spiritu dato, quod per petram percussam, et aquas exinde fluentes significatum est : postquam vetuit Edom, id est terrenus, vel sanguinolentus Judaicus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

populus, transire Israel per terram suam, prohibuitque Christi apostolos novam in Synagogis suis prædicare gratiam, audivit Chananæus rex Arad, id est persensit princeps vel possessor mundi hujus diabolus, qui per Chananæum regem Arad mystice intelligitur: Chananæus namque *possidens*, Arad *descendens* interpretatur; descendens autem et deorsum fluens est diabolus, possidens, id est princeps mundi hujus (*Joan.* XIV): audivit, inquam, et ignorare non potuit prædicationis evangelicæ gratiam, « per exploratorum viam, » id est per apostolorum instantiam, cum possideret gentes ille fortis armatus, et in atrio suo pace longæva securus regnaret (*Luc.* XI), non legitimus rex, sed raptor imperii tyrannus: cum igitur audisset salutem proficisci ad gentes, pugnavit contra illum spiritualem Israel, et victor existens duxit ex eo prædam. Pugnavit itaque regum et imperatorum legibus et armis, persecutiones excitavit, edicta proposuit, scindensque corpora, quorum animas contingere nequivit, quasi prædam duxit, eademque corpora quasdam animarum vestes pœnaliter distraxit. Hoc modo ad horam quidem vicit, sed extrinsecus vincens, intrinsecus victus est, suisque victores gloriosiores effecit martyres. At Israel voto se obligans, ait: « Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. » Tali voto se obligans ille Israel, non sibi, sed Deo se pugnare professus est, et idcirco « exaudivit Dominus vocem ejus, et tradidit Chananæum. » Sic plane nostri prædicatores pedibus speciosis pacem nobis portantes (*Isa.* LII), non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere proposuerunt (*Phil.* II), et idcirco desiderium illorum exaudivit Dominus, præparationes cordis eorum audivit auris ejus (*Psal.* X), ut vincerent Chananæum, ut de antiquis sedibus malignum possessorem ejicerent, diabolum principem mundi hujus, rectorem tenebrarum (*Ephes.* VI). « Quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci illius Horma, id est anathema. » Notandum quod ubi primum pugnando vincit ille carnalis Israel, victoriæ causa efficiens damnatio cupiditatis est. Sic plane vincit spiritualis Israel triumphalemque militia ejus profectum habet, ubi caste et sola charitatis intentione verbum Dei annuntiat, et pro corona cœlesti legitime certans, vanitatem gloriæ sub pedibus calcat. Tales duces nostri prædicatores Christi mundum vicerunt, Chananæum illum, id est diabolum, de regno suo exturbaverunt.

CAPUT XI.

De ignitis serpentibus, quos misit Dominus in populum, et de serpente æneo, quem exaltavit Moyses.

« Profecti sunt autem et de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom, et tædere cœpit populum itineris ac laboris. » Ac deinceps: « Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Ora ut tollat a nobis serpentes. Oravit Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo. » Præsentis loci mysterium occultum lux evangelicæ veritatis splendore proprio revelavit. Dixit enim: « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam (*Joan.* III). » Dixerat autem ante hæc: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*ibid.*). » Ergo et hoc in figura nostri factum est, quos revera serpentes momorderunt tam multi quam multos deos patres nostri coluerunt, quam multis vitiis et animæ et corpora nostra devastata sunt. Ergo quorum per ministerium nos ex aqua et Spiritu sancto renati sumus, ut Dei possimus videre regnum, ipsi illum, ut prædictum est, Chananæum spiritualem interfecerunt, et dum signum crucis Christi, imo crucifixum ipsum nos adorare docuerunt, **309** quasi serpentem æneum pro signo posuerunt. Quem cum percussi aspicimus, sanamur, credentes namque in eum, non perimus, sed vitam æternam habemus (*ibid.*). Res præclara et splendida, sed quia pene cunctis nota, totoque orbe celeberrima est, et nos longum iter proficiscimur, nunc illam breviter tetigisse sufficiat.

CAPUT XII.

De Moab, quod interpretatur « ex patre, » quod per illum figurentur hæretici.

« Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared. Quem relinquentes, castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. » In manifesta historia postquam serpens æneus positus pro signo est, quem a serpentibus percussi aspicerent et sanarentur, tandem pervenitur ad terminos Moab, quia videlicet postquam Filii Dei signum per totum mundum visibiliter quoque exaltatum est, ut simulacris gentium relictis fidelis Israel hoc potius adoraret, hæreticorum perversitas ex adverso fidei suborta est. Zared, *alienus*; Arnon, *maledictio eorum*; Amorrhæus *amarus*; Moab *ex patre* interpretatur. Quibus nominibus abalienatio, maledictio atque amaritudo hæreticorum, qui ex patre diabolo sunt, recte subintelligitur. Unde dicitur in libro Bellorum Domini: « Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, et recumberent in finibus Moabitarum. » Nulla concludit ratio materiales fuisse libros Bellorum Domini, ante hanc ejus qui hæc loquitur Moysi Scripturam. Sed nec ulla alia novimus bella Domini, nisi illa quibus adversum omnem impietatem per fideles homines dimicat sermo Domini. Ergo quod dicitur prophetia est, quam in libro cœlesti Moyses iste vidit eisdem oculis quibus videre meruit, aut potuit cuncta cœlestia, quorum secundum exemplar quod in monte monstratum est illi (*Exod.* XXV), dixit hæc et fecit atque instituit cæremoniarum de-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

creta, quibus in tabernaculo manufacto deserviret populus carnalis. Dicitur ergo in libro Bellorum Domini, notum et celebre est in fide evangelicæ veritatis, ubi vera et fortia leguntur bella Domini.

CAPUT XIII.

De torrentibus Arnon, quod significent eloquentiam hæreticorum, et quomodo fiat in eis sicut factum est in mari Rubro, et de carmine Israel pro puteo.

« Sicut fecit, inquit, in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. » Quomodo fecit in mari Rubro? « Respiciens, inquit, Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum (*Exod.* XIV). » Torrentes Arnon, fluvii sunt eloquentium hæreticorum, scandentium superbiæ currum, rotantium verba peccati contra Christum et sanctum ejus catholicum populum. Istis igitur de libro Bellorum Domini, de omni libro catholicæ veritatis, vel divinæ auctoritatis prædicitur, quia secundum similitudinem Pharaonis et exercituum ejus, ipsi quoque subvertentur, et in profundum inferni cum diabolo præcipitabuntur. « Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Aran, et recumberent in finibus Moabitarum. » Per metaphoram sub inclinatorum nominibus scopulorum, timorem exprimit Moabitarum trementium, ad introitum filiorum Israel et requiescentium in Aran, id est, spem suam ponentium in hariolo Balaam, quem adduxerant de Aran, ut recumberent in finibus Moabitarum, videlicet cum de finibus eisdem filios Israel abegissent, maledicente illis Balaam. « Ex eo loco apparuit puteus. Super quo locutus est Dominus ad Moysen : Congrega populum et dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel carmen istud : Ascendat puteus. Concinebant : Puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datorem legis, et in baculis suis. » Juxta historiam, non valde magnum, aut carmine dignum fuit quod « ex eo loco puteus apparuit; » majora enim apparuerunt illis, verbi gratia, quando aqua de petra percussa profluxit, et nullum tamen tunc Israel carmen cecinit. Scrutemur ergo mysterium, quod vere jucundo carmine est dignum. « Scopuli torrentium, » id est auditores vel miratores hæreticorum, « inclinati sunt, ut requiescerent in Aran, » quando ipsi reges vel imperatores, tam Christianæ fidei quam suæ dignitatis obliti, benedictionibus, imo maledictionibus hæreticorum se submiserunt, suamque spem in illis posuerunt, quasi in Balaam, delectati pulchritudine loquacitatis eorum, quæ intelligitur per Aran. Aran quippe interpretatur *decus*. Et recumbentes « in finibus Moabitarum, » id est communioni illorum cum defensione adhærentes, qui ex patre diabolo sunt. « Ex eo, inquit, loco apparuit puteus. » Nihil verius, nihil certius. Nam revera contentionibus hæreticorum excitati principes ac duces nostræ fidei, orthodoxi atque catholici viri altius profunda Scripturarum scrutati sunt, et ita puteum aquæ vivæ « foderunt, atque paraverunt in baculis suis. » Non autem « in baculis suis, » sed « in datore legis, » cum baculis suis, quemadmodum Apostolus cum dixisset : « Plus omnibus illis laboravi (*I Cor.* XV), » continuo subsecutus, « non autem, inquit, ego, sed Dei gratia mecum (*ibid*). » Baculi ducum vel principum nostræ multitudinis, quibus foderunt puteum « in datore legis, » fortes ac perseverantes animi fuerunt, quibus pugnando magistri Ecclesiæ contra blasphemias hæreticorum veritatem nobis aperuerunt Scripturarum « in datore legis, » id est cooperante gratia Dei. « Ascendat puteus, concinebant, » etc. Qui concinebant? Plane qui tenebant, imo qui et tenent fidem catholicam, qui sanæ doctrinæ sitiunt, et libenter bibunt aquam vivam universus spiritualis Israel, omnes veri Israelitæ, in quibus dolus non est (*Joan.* I.) « Ascendat, inquit, puteus. » Quo vel unde ascendat? De profundis suis ascendat ad labella sitientium, ad ora manusque parvulorum, ut sine difficultate bibant aquam vivam salientem in vitam æternam (*Joan.* IV), quod et factum est, quia duces et principes foderunt, quia Scripturas sacras fideliter exponendo, nobis intelligibiles fecerunt. Unde acceperunt hoc? « De solitudine Mathana, de Mathana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth. Bamoth vallis est in regione Moab in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. » Non solum juxta litteram hæc nomina mansionum filiorum Israel sunt, sed in spiritu prophetiæ gratiæ ducum vel principum prædictorum merita vel profectus significant : Mathana, *donum*; Nahaliel, *ascensio Dei mei*; Bamoth, *excelsa*; Phasga, *os multum*, sive *os dilecti*. « De solitudine inquit, Mathana, » id est de dono perfecto et dato optimo, quod desursum est descendens a patre luminum. Nahaliel, id est ascensionem Dei, duces isti ascenderunt, primo per activæ vitæ virtutem, deinde in Bamoth, id est in excelsam contemplativæ vitæ gratiam, ac deinceps « vallis est illis in regione Moab, » quod nimirum est secundum litteram, « in vertice Phasga, » quod tamen verum est secundum **310** spiritum, nam egregia est illis humilitas in magna et alta sapientia vel scientia, cum oris multi vel dilecti multa et dilecta facundia, « quod respicit contra desertum, » id est toto studio pugnat contra desertoris diaboli mendacium.

CAPUT XIV.

Quamobrem obsecraverint Zeon regem Amorrhæorum, ut liceret sibi transire per terram ejus, cum terram Chanaan possidere debuerit.

« Misit autem Israel nuntios ad Zeon regem Amorrhæorum, dicens : Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas de puteis. Via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos, » etc. Omisso interim quid fuerit Moab, quod postmodum narraturus est, jam dicit quid fecerit quid-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

que receperit Zeon rex Amorrhæorum. Quomodo autem ad hunc mittit Israel nuntios obsecrans ut transitum concedat per terram suam? Cur non terram ejus invadit jure prælii, cum terram Chanaan possidere debuerit, sicut patribus ejus Deus repromisit? Amorrhæus autem æque ut Jebusæus filius Chanaan exstiterit? Nonne Amorrhæum qui habitabat trans Jordanem Israel expugnavit? Quare ergo nunc ad Zeon regem Amorrhæorum nuntios circa Jordanem mittit, obsecrans per terram ejus sibi transitum concedi? Videlicet quia terra hæc Amorrhæorum fuerat terra Moab. Porro Moyses in Deuteronomio : « Venimus, inquit, ad iter, quod ducit ad desertum Moab. Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eum prælium. Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem (*Deut.* II). » Igitur quasi quæreres ut quid Israel per nuntios obsecrat, ut sibi terram Amorrhæi transire liceat : « Non declinabimus, inquiens, in agros et vineas, non bibemus aquas de puteis, donec transeamus terminos tuos » cum, juxta juramentum, quod disposuit ad Abraham, quod juravit ad Isaac, quod « statuit ad Jacob in testamentum æternum (*Psal.* CIV), » sperare deberet totam terram Chanaan funiculum hæreditatis suæ (*ibid.*), de quo et Amorrhæus erat, subinde causam reddidit, dicens : « Urbs Esebon fuit regis Zeon, Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab, et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat usque Arnon. » Atque hoc ipsum Scripturæ auctoritate, quæ nulla erat, probare non valens, proverbio vulgi ore hactenus cantato comprobat, dicens : « Idcirco dicitur in proverbio : Venite in Esebon, ædificetur et constituatur civitas Zeon. Ignis egressus est de Esebon, flamma de oppido Zeon, et devoravit Arnon Moabitarum, et habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi, Moab, periisti, populo Chamos, » etc. Ex hoc proverbio, quo et victo illuditur et victori applauditur, non minus firmiter quam scripto Israeli comprobatur, quod terra illa non fuerit de funiculo hæreditatis ejus. Verumtamen quod non erat jure hæreditatis, factum est, ut ei esset jure prælii. « Noluit enim, inquit, concedere, ut transiret Israel per fines suos. Quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in deserto, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum. A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus, ab Arnon usque Jecboch, et filios Ammon, quia forti præsidio termini tenebantur Ammonitarum. » Quo præsidio termini tenebantur Ammonitarum? Videlicet præsidio Dei, quemadmodum itidem in Deuteronomio Moyses dixisse Deum commemorat his verbis : « Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar, et accedes in vicina filiorum Ammon. Cave ne pugnes contra eos, nec moveatis ad prælium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem (*Deut.* II). »

CAPUT XV.

Quid spirituale designet quod transiturus Jordanem Israel jam circa Jordanem urbes ac viculos possideat.

Transiturus Jordanem Israel, jam citra Jordanem urbes ac viculos possidet terram regis Amorrhæorum, et terram Og regis Basan, de quo postmodum subditur : « Et occurrit ei Og rex Basan, pugnaturus in Edrai. » Ambo fuere reges Amorrhæorum, quemadmodum in Deuteronomio dicitur : « Tulimus in illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum (*Deut.* III), » etc. Ac deinceps : « Solus quippe rex Og Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus (*ibid.*). »—« De stirpe, inquit, gigantum, » non utique illorum, qui ante diluvium fuisse memorantur, dicente Scriptura : « Gigantes autem erant super terram in illis diebus (*Gen.* VI), » sed eorum qui post diluvium esse potuerunt, sicut Enachim. Solus autem restitisse dicitur, fortassis idcirco quia singulariter superbus præ cæteris erat magnis et staturosis hominibus. Jam ergo, ut prædictum, necdum transito Jordane, terram possidet Israel. Pene huic simile est quod spiritualis Israel, cujus pars Dominus, cujus funiculus, cujus hæreditas terra viventium est jam in isto sæculo necdum transito Jordane, necdum secunda beatificatus resurrectione, divitum sæcularium regum atque imperatorum divitias possidet, castella obtinet, [civitatibus præsidet. De sancta Christi Ecclesia loquimur, de apostolicis gradibus dicimus, quorum patres ac principes verbi Dei gladium tenentes, adeo convaluerunt, adeo fortes in bello facti sunt ut, dum tyrannorum regumque fortium Christi jugo subjiciendo animas, regnorum quoque partes maximas, in usu servorum Christi, quasi optima diripuerunt spolia. Et hæc quidem « diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII), » nec pro ista temporali mercede privantur æterna quia videlicet « dignus est operarius mercede sua (*Luc.* X), » quantum fidelibus Christi ministris digne seminantibus spiritualia, nemo mortalium de suis carnalibus compensare valeat (*I Cor.* IX). Verumtamen eis qui nulle æternorum bonorum amore trahuntur, et Christum annuntiant, ut non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt acquirant (*Phil.* II), eis, inquam, recte ac legitime dicitur : « quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI), » et idcirco quasi cum filiis Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, de quibus posterius dicendum est, citra Jordanem residentes, secundam resurrectionis non habebunt gloriam.

CAPUT XVI.

De cupiditate Balaam, et quod ipse fuerit qui in libro Job Heliu dicitur.

(CAP. XXII.) « Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Hiericó sita est. Videns autem Balac filius Sepphor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, et quod pertimuissent eum Moabi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tæ, et impetum ejus ferre non possent, dixit ad majores natu Madian : Ita delebit hic populus omnes qui in finibus **311** nostris commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor hariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, » etc. Hunc Balaam divinum sive hariolum Hebræi tradunt eum fuisse qui in libro Job dicitur Heliu, primo virum sanctum, et prophetam Dei, postea per inobedientiam et desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, divini sive harioli vocabulo nuncupatum. Denique quod inobediens Deo fuerit, quod munera desideraverit, quod Israel maledicere cupierit, ratio manifesta convincit. Vocatus a rege Moab dicente : « Ecce egressus est populus ex Ægypto sedens contra me. Veni igitur et maledic populo huic, quia fortior me est, » etc., ille nuntiis habentibus divinationis pretium in manibus : « Manete hic, inquit, nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. » Non dixit : Absit hoc a me non maledicam populo huic, pecunia tecum sit in perditione ; sed explorat improbus Dei secreta semel et iterum, si forte permitteret Dei patientia, quod ut faceret suadebat ardens cupiditas. Adeo munerum cupidus vel maledicendi fuit ut, dimissus sub conditione a Deo dicente : « Si vocare te venerunt homines isti, surge et vade cum eis, ita duntaxat, ut quod tibi præcepero, facias, — surrexit protinus mane, » id est cum festinatione, contempta conditione, ad modum videlicet servorum nequam, ad oculum servientium, qui, dum missi vel dimissi fuerint ad licita, præsumunt perpetrare et illicita. Ideirco « stetit angelus Domini contra illum evaginato gladio, » ut animadverteret ex pœna præsenti quam durum sit abuti permisso, vel dissimulare imperium Domini.

CAPUT XVII.

Quod eorum formam gesserit prælatorum, apud quos cuncta venalia sunt, unde et redargui possunt, sicut istum subjugale mutum animal redarguit.

Quorum iste formam prætulerit, ex apostolicis claret litteris. Apostolus Petrus cum dixisset de perniciosis ac blasphemis ; post aliqua : « Cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt (*II Petr.* II), » continuo subjunxit : « Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. Correptorem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, corripuit prophetæ insipientiam (*ibid.*). » Judas quoque in Epistola sua cum dixisset : « Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant, quæcunque autem tanquam muta animalia naturaliter norunt, in his corrumpuntur (*Jud.* I), » confestim subsecutus ait : « Væ illis qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt (*ibid.*). » Igitur Balaam, quod interpretatur *vanus populus*, vanitatis illorum tenet formam qui in Ecclesia nomine tenus et vana professione positi, quemadmodum iste qui de Sem, æque ut Abraham, ortus fuit, et ad fidem et sortem Abrahæ non pertinuit, cum oculos habebant « plenos adulterii et incessabilis delicti (*II Petr.* II) ; sintque maledictionis filii (*ibid.*). » maledictiones, sive benedictiones, quascunque cantitant, pretio vendunt, et apud eos cuncta venalia sunt. Cumque sint ejusmodi blasphemi atque corrupti, penes se solos arbitrantur, omne sacrum solum quod ipsi dant hoc esse sanctum, solos eos esse benedictos quibus benedixerint, et maledictos in quoscunque maledicta congesserint. Nihilominus Balac, quod interpretatur *lingens* vel *elidens*, qui et ipse de Sem exstitit, Moab quippe natus est de Lot nepote Abraham, illorum exemplum est qui, in Ecclesia positi et falso nomine Christiani, tales sibi pretio conducunt arbitros benedicendi atque maledicendi, et idcirco criminis ejusdem habentur cum ipsis qui vendunt, emptores improbi, de templo Dei cum funiculo furoris ejus ejiciendi, lingentes atque elidentes, vitiis adulantes, et omne opus virtutis quo possunt elidentes. Hæc ubi aguntur, ora subditorum justa laxantur licentia in reprehensionem prælatorum. Nam ecce iste mercedem iniquitatis secutus, « correptorem, ut jam dictum est, habuit suæ vesaniæ, mutum subjugale animal, hominis voce loquens, corripuit prophetæ insipientiam. » Quamlibet subjugalis sit, quamlibet frenum sessoris in ore susceperit, tamen si angelum Domini viderit in via stantem, evaginato gladio ; si, inquam, illum magni consilii Angelum in evangelica via viderit, vendentes et ementes terribili sententia de templo de domo Patris ejicientem (*Matth.* XXI), quem sessor, id est prælatus suus, videre non valet, avaritia cæcatum cor habens, avertet se de itinere, quamvis irascentem illumque quamvis etiam verberantem prohibebit iniquum cupiditatis opus perficere. Nunc harioli, vel divini hujus prophetica verba carpamus.

CAPUT XVIII.

Quomodo non sit mirandum quod Dominus verbum in ore ejus posuit, et quid in prima parabola ejus prophetaverit.

(Cap. XXIII.) « Assumpta parabola sua dixit : De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis. Veni, inquit, et maledic Jacob, propera, et detestare Israel. Quomodo maledicam cui non maledixit Deus ? Qua ratione detester quem non detestatur Dominus ? De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo eum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpium Israel ? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Hoc « verbum, inquit, posuit Dominus in ore ejus, » ne forte mireris quod propheta tam pessime inter aras Balac, Deumque divisus admitti potuit, ut poneret Dominus verbum in ore ejus, ut idololatræ, atque hariolo verbum suum Deus imponere patereturque. Sed enim fidelis Samuel propheta Domini cum dixisset ad Saul : « Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

(*I Reg.* xv), » continuo subjunxit : « Quoniam, quasi peccatum hariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere (*ibid.*). » Sed de illo postmodum Scriptura refert : « Abiit etiam ipse in Ramatha, » videlicet persequens David, « et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socoth, et interrogavit et dixit : In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei : Ecce in Aioth sunt in Ramatha, et factus est etiam super eum spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Aioth in Ramatha. Et exspoliavit se etiam vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris coram Samuel. Et cecinit nudus tota die illa et nocte (*I Reg.* xix), » Igitur quoniam usque hodie per indignos spiritus mysteria loquitur, ita ut in Evangelio quoque dicat spiritus malignitatis : « Scio quis sis, sanctus Dei (*Marc.* i), » non quis dicat, sed quid dicat audiamus. « Assumpta, inquit, parabola sua. » Parabolica dictio ab eo incipitur, quod ait : « De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. » Nam quod præmisit : **312** « Quomodo maledicam cui non maledixit Deus, qua ratione detestet quem Dominus non detestatur? » nudus et manifestus secundum proprietates vocum veritatis est sensus. Nemo quippe maledicere aut detestari efficaciter potest eum cui a Domino benedictio data est, cujus laus vel testimonium ex Deo est. Igitur « de summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum, » cum dicit, Patres excelsos, patriarchas summos, intellige istius populi ; Patres non tam carnis eorum quam fidei. De illorum silicum, de illorum collium altitudine dignitatem illius populi contemplare. Nunquam enim melius intelligis quid amplius Judæo sit quam gentili, cum dicis cum Apostolo, quia horum « est adoptio, et testamentum, et gloria et legislatio, et obsequium, et promissa, et eorum patres, ex quibus secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* ix) : » profecto de summis silicibus vidisti, de collibus hunc populum gloriosum considerasti. Quid de illo videbo de summis silicibus, qualem illum considerabo de collibus? « Populus, inquit, solus habitabit et inter gentes non reputabitur. » Abraham, inquit, et filii ejus, filii, inquam, non carnis, sed promissionis ejus, « solus habitabit, » solus et singularis erit cultor unius Dei, populus unius principis, corpus unius capitis : « solus, inquam, habitabit, » solus benedictionem hæreditate possidebit, quam patri ejus Abrahæ pollicitus est, dicens : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* xxii). » Quamvis de cunctis mundi partibus congregandi sunt in unum, qui dispersi fuerant filii Dei (*Joan.* xi), jam post sui congregationem, post acceptam Dei benedictionem, inter gentes non reputabuntur, quemadmodum ipse pater Abraham, postquam de gentibus est vocatus, postquam de Chaldæis est eductus, jam inter gentes non est reputatus, jam inter Chaldæos non est existimatus, habitans solus et peregrinus, advena et solitarius, non hic habens manentem civitatem, sed futuram inquirens (*Hebr.* xiii). Sic, inquam, omnis populus fidei ejus solus habitabit in tabernaculis, quia cum gentibus in terra civitates non ædificabit. « Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? » Tanquam diceret : Ne, quia dixi « solus habitabit, » paucitatem putes populi, quem de summis silicibus vidi; ne, quia dixi « inter gentes non reputabitur, » pauca existimes millia gentis unicæ, quam de collibus consideravi. Nam si quis possit hominum numerare pulverem terræ (*Gen.* xiii), numerare quoque poterit pulverem Jacob, et si quis stellas cœli numerare possit (*Gen.* v), numerum quoque stirpis Israel nosse prævalebit. « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Vana optantis suspiria, frivola et caduca prophetantis desideria! Suspirare desiit, desiderare cessavit, cum, prævalente cupiditate, postmodum consilium dedit quid faceret populus Balac populo huic, et idcirco mortua est anima ejus morte impiorum, et facta sunt novissima ejus Madianitarum similia. Nam ulciscentes se filii Israel de Madianitis, jubente Domino, istum quoque Balaam filium Beor interfecerunt gladio (*Num.* xxxii).

CAPUT XIX.

De qualitate elocutionis ejus, quod more adulterantium verbum Dei sui suaviter lenocinetur.

« Dixitque Balac : Veni mecum in alterum locum, unde partem Israelis videas, et totum videre non possis, inde maledicito eis, » etc. Cum ea quæ supra scripta sunt diceret Balaam, intuebatur, ut illic præscriptum est, extremam partem populi, id est non præsentia tantum, sed prophetico spiritu prospiciebat quæ ventura erant diebus novissimis. Verum Balac, et quicunque illi similis est, quemcunque ille, ut jam dictum est, nomine signat, tantum præsentia curat, quæ in tempora longa fient, audire recusat. Dicit ergo : « Veni mecum in alterum locum, unde partem Israelis videas, et totum videre non possis. » Ac si dicat : Totum mihi videre noli, futura mihi nuntiare noli, præsentem tantummodo rerum partem vide mihi : hoc solum quomodo possim percutere, et ejicere eum de terra mea prospice mihi. « Sta, inquit, Balac, et ausculta. Audi, fili Sepphor : Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est Dominus, et non implebit? » Notanda in omnibus dictis faceta garrulitas prophetæ incommodi. Cuncta congeminando dicit singula semel dicta non quidem vocibus eisdem, sed eodem sensu repetit, ut sit similitudo dissimilis in morem cantilenæ affectatæ et suaviter lenocinantis. « Sta, inquit, Balac, et ausculta. » Item repetit continuo dicens : « Audi, fili Sepphor. Non est, ait, Deus quasi homo, ut mentiatur. » Et hoc ipsum congeminans protinus, « nec ut filius hominis, inquit, ut mutetur. Sic, » etc. Bene ergo et ipso locutionis modo formam illorum exprimit qui verbum Dei adulterant, qui dum benedictiones cantitant, de vir-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tute verborum non curant, magisque voculæ suæ tripudium quam divinorum majestatem attendunt sensuum. Quod Dominus gravissime interdicens prædicatoribus Evangelii : « Et neminem, inquit, per viam salutaveritis (*Luc.* x) » Nam revera quasi per viam salutant, qui verbum Dei quod ore decantant, auditoribus proficere non desiderant.

CAPUT XX.

De eo quod ait : « Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, » etc., quæ secunda benedictione dixit.

« Non est, inquit, Deus quasi homo, ut mentiatur, » etc. Tanquam diceret : Veni ego in alterum locum, sed non inveni alteratum Deum. Semel posuit verbum in ore meo, quod mutari non patitur, quandoquidem omnis homo mendax, et omnis filius hominis mutabilis est, sed non itidem Deus mentitur, non similiter a sua sententia mutatur. « Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Non est idolum in Jacob, non videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis cum illo. Deus adduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israel quid operatus sit Deus. Ecce populus ut læena consurget, et quasi leo orietur. Non accubabit, donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. » Quasi vinctum et catenatum audimus prophetam, raptos veritatis argenteos ore invito per singula verba proferentem. « Ad benedicendum, inquit, adductus sum, » videlicet legatus ab illo qui benedictionum omnium solus arbiter est. « Benedictionem » prohibere volo, « prohibere non valeo. » Quid igitur ? Invitus benedicam, non sponte benedictiones canam. « Non est idolum in Jacob. Non videtur simulacrum in Israel. » Sed quid ? « Dominus Deus ejus cum eo, » cum eo, inquam, tanquam cum uxore vir zelator, prohibens adulterium idolorum, procul extrudens mœchiam simulacrorum. Et ne quando **313** vacet, quasi absente viro, cum idolis vel simulacris per nocturnum mœchari silentium : « Clangor, inquit, victoriæ regis in illo est. » Clangor victoriæ regis, zelatoria vox est dicentis, a monte Sinai cum clangore buccinæ vehementius perstrepentis : « Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile (*Exod.* xx), » etc. Quo jure, quo debito solus ille vult uti quasi lege maritali ? « Deus, inquit, adduxit eum de Ægypto. » Nempe causa justa, causa legitima est. Eduxit hanc gentem de Ægypto in manu forti, in brachio extento, pepigitque fœdus cum ea, in aspersione sanguinis super cunctis sermonibus suis. Cujus rei memor ipse in Ezechiele propheta dicit : « Transiens per te vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi tibi, cum esses in sanguine tuo : Vive (*Ezech.* xvi). » Ac deinceps : « Et transivi per te, et vidi te, et ecce tempus tuum tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus. Et facta es mihi, et lavi te aqua (*ibid.*), » etc. Igitur non est, nec esse licet in Jacob idolum ; nec videtur, nec videre licet simulacrum in Israel ; « non, inquam, est, » nec esse debet « augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. » Quare ? Quia « Deus adduxit eum de Ægypto, » inquit. Et continuo : « Cujus, ait, fortitudo similis est rhinocerotis. » Parva dictione sensum magnificum subintelligere licet. Rhinoceros animal est unicorne, Græce sic dictum quod habeat cornu in nare, id est super narem in fronte, tantæ fortitudinis ut a nemine vinci, tantæ ferocitatis ut a nemine contingi possit. Solummodo puellæ virginis, ut aiunt physici, blanditias admittit, trahitur odore virginitatis, puellamque cum in agro adesse persenserit, ultro expetit, caput reclinat, blandoque sinu gratanter indormit. Illic a venatore comprehensus confoditur, fitque arte, quod nullis constare potuit viribus. Hoc respiciens propheticus spiritus, « cujus, » inquit, videlicet Dei, « fortitudo similis est rhinocerotis. » Hoc plane tam verum quam pium est. Fortissimus namque spirituum Deus, velut unicornis, id est potentiæ singularis Deus incomprehensibilis, Deus invictæ virtutis, postquam populum illum de Ægypto eduxit, virginei tractus est odor uteri, virginem expetiit, virginei pudoris claustris inclusus est. Ex eo tantum comprehendi potuit, et occidi. Igitur « fortitudo ejus similis est rhinocerotis. Temporibus suis dicetur Jacob et Israel quid operatus sit Deus, » id est, cum tempus fuerit, prædicabitur vero Jacob et vero Israeli quid adducendo hunc populum de Ægypto significaverit Deus, vel unde « fortitudo ejus similis rhinocerotis » recte dicatur. « Ecce populus, ut læena consurget, et quasi leo orietur. Non accubabit, donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. » Et hoc quidem secundum litteram ad prælia ejusdem populi referri potest, quia, duce Josue transito Jordane, ut læena consurrexit, et quasi leo ortus est, nec ante accubuit in terra promissionis, donec devoraret prædam, donec hostium sanguinem funderet. Verum melius atque certius ad illa tempora refertur, quibus, ut nunc ait, « dicetur Jacob et Israel quid operatus sit Deus. » Ecce enim ubi rhinoceros ille fortissimus ad mortem crucis de Virginis sinu deductus est, populus ejus ut læena consurrexit, nam ipse princeps ex mortuis resurgens quasi leo ortus est, secundum prophetiam Jacob, dicentis : « Catulus leonis Juda ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti, ut leo, et quasi læena (*Gen.* xlix), » etc. Igitur « non accubabit, inquit, donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat, » per metaphoram, per leonem fortissimum, Christi et apostolorum ejus fervidam virtutem exprimens, qui non quieverunt, donec diabolum mundi principem, quem per semetipsum Christus apud inferos quasi leo debellaverat, ipsi per totum mundum discurrentes, quasi læena antiquis templorum sedibus proruberent.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXI.

De his quæ tertia benedictione dixit, canens de semetipso : « Dixit homo cujus obturatus est oculus, » etc. Et quæ sit spiritualiter pulchritudo tabernaculorum Israel.

(Cap. XXIV.) « Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israel, nequaquam abiit, ut antea perrexerat, ut augurium quæreret : sed dirigens contra desertum vultum suum, et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas. Et irruente in se Spiritu Dei, assumpta parabola, ait : Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. »—« Cum, inquit, vidisset, » cum experimento didicisset, « quod constanter placeret Domino ut benediceret, » quippe qui et dixerat, « Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur, » spe perdita qua post suam cupiditatem hiabat, « non abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret. » Augurium quasi augurarium, id est garritus avium, unde fanatici futura explorare consueverunt, non quod oraculum Dei dici debeat augurium, sed quia sic dici debuit in talis prophetæ, tamque cupidi consultoris despectum. « Dixit homo, inquit, cujus obturatus est oculus, » etc. Magnum ac præclarum est auditorem sermonum Dei esse ; verumtamen malum ac perversum est obturatum oculum habere. Item pulchrum ac honorificum est visionem Omnipotentis intueri, sed rectus ac legitimus debet esse ordo intuendi. At ille perversum exposuit ordinem, protinus dicendo : « Qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. » Hoc nisi dixisset, duo prædicta, « cujus obturatus est oculus, » et « qui visionem Omnipotentis intuitus est, » contraria vel repugnantia sibi viderentur. Nunc autem planum intellectu fit quia per propheticam quidem scientiam auditor sermonum Dei est, et visionem Omnipotentis intuitus est, sed per avaritiam cor cæcatum habet, et in cupiditatem quidem cadit, sed sic tamen apertos oculos habet, unde nec excusationem habet de casu, vel peccato suo. Quid talis homo dixit? « Quam pulchra tabernacula tua, o Jacob, et tentoria tua, Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas. » Et secundum historicam quidem castrorum positionem superius descriptam, pulchra erant tabernacula Jacob, sed quia sermones Dei sunt, quia visio Omnipotentis est, tabernaculorum spiritualis Jacob spiritualem hic intelligamus pulchritudinem. Veri Israel ac spiritualis Jacob peregrinantis in sæculo præsenti tabernacula sunt religiosi, et secundum disciplinam Christi bene dispositi ordines conjugatorum, continentium, viduarum atque virginum secundum utrumque sexum. Hæc plane tabernacula singula in suo proposito pulchra sunt. Et quam pulchra tabernacula, quam pulchra tentoria? « Ut valles, inquit, nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, » etc. Hæc ex aliis Scripturæ locis ita esse perspicuum est. In Isaia Dominus derelictæ quondam gentilitati, spiritualium virtutum merita, tanquam deserto arbusta promittens : « Dabo, inquit, in solitudine cedrum, et 314 spinam, myrtum, et lignum olivæ. Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul, ut videant, et sciant, et recogitent et intelligant pariter (*Isa.* XLI). » Ergo « pulchra tabernacula, ut valles nemorosæ. » Item : « Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ (*Isa.* LVIII). » Et in Canticis : « Hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano (*Cant.* IV). » Ecce « pulchra tabernacula, ut horti juxta fluvios irrigui. » Et Psalmista cum dixisset : « Rigans montes de superioribus suis (*Psal.* CIII), » etc., continuo subsecutus : « Saturabuntur, inquit, ligna campi, et cedri Libani quas plantavit. » Ergo « pulchra tabernacula, ut cedri propter aquas, » videlicet in quibus aves nidificant, quarum abundantia, cum sint divites homines, pauperum inopiam supplet.

CAPUT XXII.

Prophetia de Christo ab eo quod ait : « Fluet aqua de situla ejus; » et quod ait Cinæo : « Assur enim capiet te (168). »

« Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. » Quæ est situla ejus? Imo quæ est aqua ejus? Aqua ejus, aqua viva ejus sancta est Scriptura ad quam per prophetam invitans dicit : « Omnes sitientes venite ad aquas (*Isa.* LV), » id est, omnes diligentes, omnes quærentes Deum, sanctas legite Scripturas. Hæc aqua Israelitici est aqua populi ; illi namque credita sunt eloquia Dei. Quæ ergo est et situla ejus, nisi Christus ejus? Nam per situlam aqua hauritur, et per Christum sancta Scriptura aperitur. Imo ab illo sitis excitatur, ut hæc aqua desideretur, ab illo sensus aperitur, ut Scripturæ intelligantur. « Fluet » igitur « aqua de situla ejus, » id est vera manabit intelligentia Scripturarum de Christo ejus. Quid deinde? « Et semen, inquit, illius erit in aquas multas. » Quod est aqua de situla ejus, hoc est aquarum multitudo de semine illius. Nam semen ejus, semen patris ejus Abrahæ, est Christus. Hoc « semen illius erit in aquas multas, » id est hoc semen fundet aquas multas. Bibendo experti sumus quod vere « in aquas multas sit semen illius. »—« Qui in me credit, inquit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Item : « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Hoc, inquam, gratia ejus bibendo experti sumus, ecce enim de hac situla, quæ est Christus ipse, multa sancti Spiritus in una Ecclesia dona percepimus, multa et largissima Scripturarum fluenta possidemus. « Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius. » Hoc ita impletum est. Saul rex ejus, scilicet Israel fuit, contra voluntatem Domini

(168) De Cinæo nonnisi in cap. 24 infra Rupertus agit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

expetitus, dicentis ad Samuelem : « Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, sed me (*I Reg.* VIII). » Hinc præcepit Samuel ex ore Domini : « Vade et percute Amalec, et demolire universa ejus. Non parcas ei, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem (*I Reg.* XV). » At ille percussit quidem Amalec, sed pepercit Agag regi Amalec. « Universa quæ pulchra erant disperdere noluit, quidquid vero vile fuit, et reprobum, hoc demolitus est. Factum est autem verbum Domini ad Samuel dicens : Pœnitet me, quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit (*ibid.*). » Ac deinceps : « Imple cornu tuum oleo, et veni ut mittam te ad Isai Bethlemitem, providi enim in filiis ejus mihi regem (*I Reg.* XVI). » Hoc, inquam, quod dixit iste cadens, etc., apertos habens oculos, « tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius, » subauditur non Israel, sed ejusdem reges ejus, ut nullus regnet de posteris illius. Sed quid in tali tantoque negotio regis hujusce meminit spiritus propheticus ? videlicet ut astrueret quod præter Deum ejus nemo jure sit rex ejus. Nam hoc est quod subjungit protinus : « Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. » Ut, inquam, astrueret quod præter Deum ejus nemo jure sit rex ejus, hoc in illo dixit Spiritus Domini. Juxta quod ipse Deus cum dixisset ad Samuel : « Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos (I *Reg.* VIII), » addidit continuo : « Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, et serviunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi (*ibid.*) » Igitur cum dixisset : « Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius, » continuo ut astrueret quod nec unquam debuisset esse rex ejus, sed solus Deus, « Deus, inquit, eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, » eodem sensu quo superius. Quia vero Deum suum, regem suum fortissimum rhinoceroti similem, de Virginis sinu factum comprehensibilem, ductumque ad mortem reliquerunt hostesque illius facti sunt, alium recepturi sunt, id est Antichristum, cujus in typum Saul expetierunt. « Devorabunt, inquit, gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. » Hodie namque nos gentes illos tales hostes ejus devoramus, ita ut nemo illorum audeat extollere caput, confringentes ossa, id est quæ fortes putantur rationes eorum, et perforantes sagittis veritatis. Nam quotquot sumus verbo veritatis instructi atque ad reddendam rationem de fide parati (*I Petr.* III), recte dicimur sagittarii Domini, sagittarii potentis, cujus verba in nobis « sagittæ » sunt « acutæ, cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX). » — « Accubans dormivit ut leo, et quasi lœna, quam suscitare nemo audebit. » Hoc et Jacob patriarcha eodem quidem spiritu, sed meliori mentis statu prædixit (*Gen.* XLIX), ut supra dictum est. Interemptus in ligno, jacuit in sepulcro, dormivitque ut leo rugiens apud inferos, et in apostolis suis, imo in tota Ecclesia sua orbem universum prædatus est, « quasi lœna, quam suscitare, inquit, nemo audebit, » cui resistere nemo poterit. « Qui benedixerit tibi, erit ipse benedictus, et qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur. » Hoc luce est clarius, quia qui benedicit Christo et sancto populo ejus, particeps erit benedictionis ejus, dicentis : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV), » et econtra qui blasphemias irrogat, maledictus erit in adventu ejus dicentis : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*ibid.*) »

CAPUT XXIII.

Quid intenderit, dicendo : « Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus faciat populo huic, » addiderit, « extremo tempore. »

« Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. » Quale consilium dederit iste cadens apertis oculis, vel cur extremo tempore dixerit, subsequentibus factis apparebit : « Dixit homo cujus obturatus est oculus ejus, dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos : Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, **315** et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus, hæreditas Seir cedet inimicis suis, Israel vero fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. » Iterata confessione imo professione stultitiam suam promulgat, quod videlicet audiens intrinsecus sermones Dei, obturatum per cupiditatem habens cordis oculum, non provideat suæ saluti, quod cadens apertos habeat oculos, ut superius dixerat. Addit adhuc non minora prioribus : « Videbo, inquit, eum, sed non modo. » Quem visurum se fatetur, in parabola hac pene aperit, cujus sensum satis manifestum totus novit orbis. « Orietur stella ex Jacob, » etc. De Christi namque nativitate manifesta et vera est prophetia, qui et ipse stella clara est, et matutina, et in ortu suo per stellam visibilem declarandus est (*Matth.* II). « Orietur » ergo, inquit, « stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, » id est, lux veritatis et cœleste imperium de hujus populi carne procedet. Virga hæc « percutiet duces Moab, » id est omnes hostes veri Israel, quos omnes jure nuncupes Moabitas. Et recte in præsenti causa, et apud regem Moab, per solum Moab inimicorum ejus designatur universitas. Sed quid est quod ait : « Vastabitque omnes filios Seth ? » Nunquid hostes sunt ejus omnes filii Seth? Nonne totus mundus, nonne homines a diluvio sunt filii Seth ? Nempe diluvio solus Noe cum domo superstes fuit, de quo totus iterum impletus est orbis. At illum Seth fuisse filium, quis nescit? Seth quippe genuit Enos, Enos genuit Malaleel, Malaleel genuit Jarech, Jarech genuit Enoch, Enoch genuit Mathusale, Ma-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

thusale genuit Lamech, Lamech genuit Noe (*Gen.* v). Igitur quod ait : « Vastabitque omnes filios Seth, » idem est ac si dicat, vastabitque omnes gentes virga Israel, virga ferrea, rectissimus atque fortissimus rex juxta prophetiam quoque, qua in psalmo loquitur Pater : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea (*Psal.* II). » — « Et erit, inquit, Idumæa, » id est conversa de terrenitate gentium Ecclesia, « possessio ejus, » sicut et aliud propheticum testatur oraculum : « In Idumæam, inquiens, extendam calceamentum meum (*Psal.* LIX *et* CVII), » id est gentibus pandam incarnationis meæ mysterium. « Hæreditas Seir cedet inimicis suis. » Seir id est *pilosi*, scilicet diaboli hæreditas, nos gentes quandoque fuimus, cui in simulacris mutis tributa cultus sacrilegi solvebamus. Fuimus, inquam, sed jam non sumus; regi namque Israel postulanti a Patre, ut prædictum est, dati sumus in hæreditatem. Ergo hæreditas Seir, quæ cedat inimicis, illi sunt sive gentes, sive Judæi, quicunque adhuc Domino adulantur victi diaboli. Cedent itaque inimicis suis, id est derelinquentur, quia sic elegerunt, sic maluerunt, eisdem dominis suis. Ipsi namque idem, quod miserrimum est, domini sunt qui inimici. Israel ergo fortiter aget, Israel, inquam, quisquis de fide est Israel, et si non sit de carne Israel, fortiter aget, fortiter cum rege suo mundum vincet. Unde enim hoc? « De Jacob, inquit, erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. » Unus, inquit, de carne Jacob princeps erit exercitus, et dux belli, qui et in primo adventu suo dominatum accipiet, regnumque et honorem, ut omnis populus, tribus, et linguæ serviant ei (*Apoc.* v), et in secundo cum venerit, scilicet in die judicii, perdet quæ ad se non pertinent reliquias civitatis, civitatis adversæ, civitatis diaboli.

CAPUT XXIV.

De parabola qua ait : « Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. »

« Cumque vidisset Amalec assumens parabolam ait : Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. » Parabola brevis, sed longa vindicta in Amalec prolata. « Principium, inquit, Amalec, » videlicet non natione, sed impietate adversum Israel. Egresso namque Israel ex Ægypto, primus omnium gentium « venit Amalec, et pugnabat contra eum in Raphidim (*Exod.* XVII). » Ejus ergo, inquit, extrema perdentur, tunc videlicet, quando, ut supra dictum est, « propter Agag regem ejus tolletur rex Israel et auferetur regnum illius. » Extrema, inquam, ejus perdentur, id est non temporaliter tantum, aut corporaliter tantum, sed æternaliter quoque, atque spiritualiter damnabitur. « Manus ejus solius Domini, inquit Moyses, et bellum Dei erit contra Amalec a generatione in generationem (*ibid.*) » — « Vidit quoque Cinæum. » Cinæi de Jethro, sive Obab cognato Moysi, fuere exorti. Unde in libro Judicum scriptum est sic : « Aber autem Cinæus recesserat quondam a cæteris Cinæis fratribus suis, filiis Obab cognati Moysi (*Jud.* IV). » Vidit ergo, inquit, Cinæum, subauditur, in medio Amalec habitantem, nihil tamen Israeli cum illo adversantem, videlicet, propter prædicti Obab patris sui cum Moyse cognationem, et ideirco cum Amalec, nequaquam eamdem subiturum perditionem. Denique ubi Amalec prælabatur, dixit Cinæo Saul : « Abi, et recede, atque discede ab Amalec, ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto (*I Reg.* XV). » Misericordiam fecit pater Cinæi cum Israel, quando non solum, nequaquam ut Amalec, adversatus est, sed et bonum pro Israel consilium dedit, dicens Moysi : « Quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam? (*Exod.* XVIII). » Vidit igitur. « Et assumpta parabola, ait : Robustum quidem habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum, et electus fueris de stirpe Cham, quandiu permanere poteris. » — « Robustum, inquit, est habitaculum tuum, » forte positione vel natura locorum. Sed nunquid contra Deum, cujus in manu Amalec, cujus tu in medio es, extrema perdentur? Non utique. Nam nisi recessisses de medio, dicente Saul : « Abi et recede de medio Amalec, » facile involvisset te cum eo. Ergo robustum quidem est habitaculum tuum, videlicet ut tutus esse queas ab incursu cæterarum gentium. Sed quandiu sic permanere poteris? « Assur enim capiet te, » videlicet ut plurimas gentes, et plurima regna terræ. « Si in petra posueris nidum tuum, et fueris electus de stirpe Cham, ille capiet te. » Electus de stirpe Cham fuit Nemrod, filius Chus, filii Cham. Nam « iste cœpit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino. Ab hoc exivit Proverbium, quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon (*Gen.* X). » Igitur « robustum quidem, inquit, est habitaculum tuum, » sed si fueris robustus, ut ille venator electus de stirpe Cham, et alteram tibi pro nido exstruxeris Babyloniam, « Assur capiet te. »

316 CAPUT XXV.

Prophetia ejus : « Venient in trieribus, de Italia superabunt Assyrios, » etc.

« Assumpta parabola, iterum locutus est : Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. » Parabolica hæc quidem prophetia tunc fuit, nunc autem res in aperto est, quia venerunt « in trieribus de Italia, « venerunt, inquam, legiones Romanorum, non solum terra, sed et mari prælantes, et illa bestia quam Daniel vidit, bestia, inquam, quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans, (*Dan.* VII), » fortissimum quoque superavit, atque comminuit regnum Assyriorum, pulcherrimum quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

que vastata regione subvertit templum Judæorum. Et ad extremum ipsi quoque perierunt, imo et peribunt. Nam etsi Roma a gentibus non destruitur, constat tamen quia pro parte illorum secundum quos Babylonia dicitur, in semetipsam divisa desolabitur, et domus supra domum cadere non cessat (*Matth.* XII). « Heu, inquit, quis victurus est, quando ista faciet Deus? » Cum dolentis interjectione iterum suspirat, illos beatificans oculos qui visuri erant, vastatis Hebræis, superatisque Assyriis, florente regno Romanorum, elucescere regna cœlorum. Eodem modo suspirans et prima dixerat prophetia : « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Sed hæc suspiria cunctaque prophetiæ vel sapientiæ dona perdidit radix amaritudinis, « radix omnium malorum cupiditas (*I Tim.* VI), » quia nimium sitiens impiorum munera, sic inter benedictionis verba dixerat ad Balac : « Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus huic populo faciat in extremo tempore. » Arcanum pessimi consilii ejus, sequentia declarant.

CAPUT XXVI.

De eo quod populus Israel initiatus est Beelphegor, adorans deos filiorum Moab.

(Cap. XXV.) « Morabatur autem eo tempore Israel in Sethim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor. » Hoc ejus consilio factum est ut luxurioso populo, filiarum Moab objiceretur pulchritudo, ea commiscendæ fornicationis conditione interposita, ut appetitu concitato, non ante viris mulierculæ succumberent, nisi prius vocati ad sacrificia, comederent et adorarent deos earum, et initiarentur Beelphegor. Sciebat propheta nequam, in quo esset illa populi maxima fortitudo, quam pertimescens Moab, ita inquit : « Delebit hic populus omnes, qui in finibus nostris commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere (*Num.* XXII). » Sciebat, inquam, unde hoc, ut populus ille tanquam læna consurgeret, et quasi leo oriretur, non accubiturus (*Num.* XXIV), donec devoraret prædam, et occisorum sanguinem biberet, videlicet quia Dominus Deus ejus erat cum eo, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Ut igitur castitatis amatorem, quasi rhinocerotem abigeret ab Israel, hoc impium dedit consilium, quatenus ad fornicandum illectus populus, insuper etiam contra Deum suum non qualecunque idolum, sed Beelphegor, id est simulacrum turpitudinis initiaretur, qui idem apud Romanos olim erat Priapus. Verum in hac scientia nimium obturatus ejus fuit oculus, nec præscire meruit quod hoc pacto nequaquam Deus a populo suo foret recessurus, sed per pugionem Phinees sacerdotis, zelumque optimum aversa ira Dei a filiis Israel, ipse quoque cum fornicariis suis gladio foret occidendus.

CAPUT XXVII.

Quid hoc sibi vult quod cum dixisset : « Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat, » addidit « extremo tempore. »

Quid autem hoc sibi vult quod, cum dixisset : « Dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciat, » addidit « extremo tempore (*Num.* XXIV). » Nempe ut irruente in se spiritu Dei loquebatur, extremum illud tempus intuebatur quo revera populus ille est abominationem susceptorus « abominationem, inquam, desolationis (*Matth.* XXIV), » scilicet Antichristum, qui per Beelphegor præsignatur. Unde et summa proprietate dictum est, « initiatusque est Israel Beelphegor. » Tunc enim ubi sic est fornicatus præsente Deo, « initiatus est Beelphegor; » quando autem Antichristum venientem in nomine suo suscipiet, consummabit Beelphegor. Medium fornicationis ejus illud exstitit, quod coram Pilato, denegato Deo suo, tradito rege suo pacifico, Barabbam seditionis auctorem, in typum ejusdem Antichristi sibi dimitti postulavit (*Matth.* XXVII). Igitur ubi per prophetiæ spiritum, ab eo quod dixit, « Deus adduxit eum de Ægypto cujus fortitudo similis est rhinocerotis (*Num.* XXIV), » in longinquum prospiciens, Romanos quoque venturos in trieribus vidit, a quibus superarentur Assyrii, vastarenturque Hebræi, necdum quievit, sed ulterius procedens, Antichristi quoque turpitudinem vidit, quam ab illo populo tempore extremo plenarie suscipiendam, jam tunc in tali idolo initiari posse persensit, et quomodo id fieri possit consilium dedit

CAPUT XXVIII.

Quod septem plagis consumpta sit omnis generatio illa, omnes qui numerati erant a viginti annis et supra.

« Tolle, inquit Dominus, cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus in Israel. » Ac deinceps : « Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel. » Ecce septem plagis consumpta omnis generatio illa, omnes qui numerati erant a viginti annis et supra. Prima plaga fuit in sepulcris concupiscentiæ, ubi cum adhuc essent carnes in dentibus eorum, necdumque defecisset ejusmodi cibus, « ecce furor Domini concitatus, percussit eum plaga magna nimis (*Num.* XI). » Secunda plaga fuit, ubi inconsueta morte hominum Core, Dathan, et Abiron interierunt, novamque rem fecit Deus, ut aperiens terra os suum, deglutiret eos, et omnia quæ ad illos pertinebant, descenderentque vivi in infernum (*Num.* XVI). Tertia plaga fuit die eodem, ubi egressus ignis a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

317 offerebant incensum (*ibid.*). Quarta plaga fuit die sequenti murmurantium contra Moysen et Aaron, atque dicentium : Vos interfecistis populum Domini, et percussi sunt quatuordecim millia hominum et septingenti, absque his qui perierunt in seditione Core (*ibid.*). Quinta fuit plaga, ubi dum circumeundo terram Edom, tædere cœpit populus itineris ac laboris, locuti sunt contra Dominum et Moysen et ob hanc rem misit Dominus in populum ignitos serpentes (*Num.* XXI). Sexta est plaga, hæc pœna cunctorum principum populi, quos pro scelere Beelphegor suspendi jubet Dominus « contra solem in patibulis (*Num.* XXV). » Septima est plaga, qua tandem Phinees, filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, avertit a filiis Israel iram Domini. « Percutiens virum Israelitem Zambri, scilicet ducem de cognatione et tribu Simeonis cum Madianitide scorto, scilicet Chozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum (*ibid.*), » perfodiens ambos simul, « virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. » Illis, inquam, septem plagis consumpti sunt, qui numerati fuerant plagis novissimis, post decem plagas Ægypti, quarum secundum numerum, et Joannes in Apocalypsi septem plagas novissimas describit, « quoniam in illis, inquit, consummata est ira Dei (*Apoc.* XV), » hoc numero plagarum septenario plagarum universitatem significans, quibus interemit, qui jam in Ecclesia nominibus datis connumerati, confitentes se nosse Deum, factis autem negantes (*Tit.* I), indigni sunt accipere terram repromissionis, terram viventium, « in funiculo distributionis (*Psal.* LXXVII). »

CAPUT XXIX.

De secunda numeratione filiorum Israel.

(Cap. XXVI.) Post hæc iterum numerantur filii Israel, jubente Domino itidem « a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas cuncti, qui possent ad bella procedere, » et summa pene redintegrata est. Prima namque dinumeratione « fuerunt, inquit, omnes filiorum Israel per domos et familias suas, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta (*Num.* I). » Hac secunda dinumeratione itidem « summa, inquit, filiorum Israel, qui recensiti sunt ista est : Sexcenta millia et mille septingenti triginta. » Ac deinceps : « Hic est, inquit, numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Iliericho, inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai. » Isti terram ingrediuntur, facta prius ultione de Madianitis, dicente Moyse secundum imperium Domini : « Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum (*Num.* XXXI). » Ex omnibus ne unus in bello cecidit, sicut gratulantur victores dicentes Moysi : « Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, et ne unus quidem defuit. Ob quam rem offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire (*ibid.*). » Igitur in præsenti quidem Ecclesia ruina multorum fit resurgentibus aliis, quemadmodum in libro Job Scriptura dicit : « Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum, idcirco inducet noctem et conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium (*Job.* XXXIV), » etc. Quod sciens et Apostolus, quia videlicet nemo, quandiu est in hac vita, securus esse debeat : « Ego, inquit, non arbitror me comprehendisse (*Phil.* III). » In præsenti quidem Ecclesia, in quam vocatorum fit detrimentum, quoties qui stare videbantur, cadunt; sed in illa cœlesti Ecclesia, sine dubio præscitus et prædestinatus ante omnia sæcula complebitur, atque integer permanebit numerus electorum. Et notandum quia non omnes qui hic secundo numerati sunt, sed electi ultionem faciunt de Madianitis, milleni videlicet de cunctis tribubus, id est duodecim millia expeditorum ad pugnam. Neque enim omnes, qui salvandi sunt, etiam judicabunt, sed pauci judices super thronos sedebunt (*Matth.* XIX), et non judicati, sive judicandi judicabunt, plures vero judicabuntur et salvabuntur per judicium. De judicibus et per similitudinem præliantium dicit et psalmus secundum præsentem locum : « Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum (*Psal.* CXLIX), » etc. Eorum qui judicati mittentur in ignem æternum, pœnam, occisio significat Madianitarum. Nunc ea quæ per se satis patent, quæque aliis jam locis sunt dicta prætereuntes, cætera prosequamur.

CAPUT XXX.

De voto viri, et maritatæ mulieris, et ejus quæ adhuc est in ætate puellari.

(Caput XXX.) « Iste est sermo quem præcepit Dominus. Si quis virorum votum voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Mulier, si quidpiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ test in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum, quod obligavit animam ejus, et tacuerit, voti rea erit, » etc. Universis quidem consilium salutis Spiritus sanctus in psalmo suggerit, præceptumque servandi propositi dicendo : « Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera (*Psal.* LXXV). » Verum in hoc ipso tibi, si « terribili, et ei qui aufert spiritum principum (*ibid.*) » revera placere studes, summa discretione opus est. Quid enim si tu ipse in tua potestate legitime esse non potes? Quomodo reddere licebit, quod nec vovere licuit? Igitur quæcunque es, devota anima, non tibi deesse debet hujusce legis auctoritas. « Mulier, inquit, si quidpiam voverit, et se constrinxerit juramento, » etc. Ac deinceps : « Sin autem statim, ut audierit contradixerit pater, et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. » Proinde quicunque sub regimine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prioris es, vovere quidem plamque devotionem habere bonum est; sed quidquid sine permissione patris spiritualis feceris, præsumptioni deputabitur, et vanæ gloriæ, non mercedi. Hanc sententiam non de nihilo Patrum venerabilium maturitas edixit, sed de isto fonte legis sumpta est, de vena loci præsentis emanavit. Quid enim est anima sub prælati vivens cura, sub alieno imperio pensum servitutis Deo reddere professa, nisi filia in domo patris adhuc in ætate puellari posita? « Si igitur statim ut audierit pater contradixerit, et vota et juramenta ejus irrita erunt, » etiam si terram pedibus non dignata tangere, in cœlum volaverit, pater ejus pedem tenebit, et detrahet deorsum quoad sibi placuerit. « Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel verbum de ore ejus egrediens, animam illius obligaverit juramento, quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddet quodcunque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius ei erit Deus, » etc. Hanc legem de muliere maritata **318** non semel dixisse contenta, tertio repetivit. Proinde in carnalibus quoque adeo valet, ut dicere non dubitaverit Apostolus : « Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir (*I Cor.* VII), » etc. Hoc utique cum præsentis auctoritate legis edixit, quia videlicet si votum et juramentum, quo se constrinxit, ut per jejunium et cæterarum rerum abstinentiam, aut aliquid hujusmodi affligat animam suam, in arbitrio viri est, ut faciat, sive non faciat, cum viro nihil obsit votum ejusmodi, multo magis si continentiam voverit, quæ viro occasio possit esse adulterii, in arbitrio viri erit. « Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverit, atque promiserit, reddet, quia statim ut audivit, tacuit. » Quare? Videlicet quia tacuisse laudasse est. Laudasse autem pene vovisse est. Igitur reddet, quia uterque procul dubio debet.

CAPUT XXXI.

De mansionibus filiorum Israel quadraginta duabus.

(Cap. XXXIII.) In ultima tandem voluminis hujus Numerorum parte, quod apud Hebræos appellatur Vagedaber, ita scriptum est : « Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de terra Ægypti per turmas suas in manu Moysi et Aaron, » etc. Catalogus iste mansionum, a prima usque ad ultimam numero quadraginta duarum, secundum numerum totidem Christi generationum, quid mysterii contineat, latius a beato viro Hieronymo dissertum est. Proinde nostra compositione res non indiget, verumtamen singulorum nominum, secundum ipsum mysticas ponamus interpretationes. « Profecti sunt, inquit, de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, » etc. Ramesse a quibusdam interpretatur *commotio turbulenta*, aut *amaritudo*, *commotioque tineæ*, nos autem, inquit, verius existimamus exprimi *tonitruum gaudii*. Secunda mansio in Soeth, quod interpretatur *tabernacula* sive *tentoria*, quia videlicet illic primum tetenderunt tabernacula, unde et ex ea re locus nomen accepit, et ob id septimo mense, quinta decima die mensis solemnitas Tabernaculorum est. Tertia mansio in Etham, quod interpretatur *fortitudo* atque *perfectio*, de qua et David canit : « Tu dirupisti fluvios Etham (*Psal.* LXXIII), » id est fortes. Quarta mansio est contra Phiairoth, quæ respicit Beelzephon ante Magdalum. Phyairoth interpretatur *os nobilium*, Beelzephon, *dominus aquilonis*; Magdalum, *magnitudo* vel *turris*. Quinta mansio in Mara, quod interpretatur *amaritudo*. Sexta mansio in Helim, quod in *arietes fortesque* vertitur. Septima mansio ad mare Rubrum. Et quæritur quomodo supra transitum maris Rubri, et fontis Mara et Helim, rursus ad mare Rubrum venerint, nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrit, juxta quem castrametati sunt. Aliud est enim transire per mare, aliud in proximo figere tabernacula. Octava mansio in solitudine Sin, licet, juxta ordinem Exodi, septima sit. Interpretatur autem Sin *rubus* vel *odium*, quorum utrumque facit ad mysticos intellectus, quod videlicet postquam venerimus ad eum locum de quo sit Dominus nobis locuturus, grande mereamur odium inimici, et videamus ardere rubum, et non comburi, id est illustrari igne sancti Spiritus, qui illuminat, et non comburit; sive etiam persecutionibus inflammari, nec tamen perire, cum Dominus in illa sit. Nona mansio in Daphca, quod interpretatur *pulsatio*, videlicet juxta quod Dominus ait : « Pulsate et aperietur vobis (*Matth.* VII). » Decima mansio in aliis, quæ in Exodo non habetur, creditur que in Sin eremo contineri, eodem narrante libro : « Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de eremo Sin per mansiones suas juxta os Domini, et venerunt in Raphidim (*Exod.* XVII.) » Ex quo conspicuum est plures mansiones unius regionis vocabulo demonstrari. Interpretaturque *aliis fermentum*, quod videlicet « tollens mulier commiscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum (*Matth.* XIII.) » Undecima mansio in Raphidim, quod interpretatur *dissolutio fortium*, sive *remissio manuum*. Illic Moyses ascendit in montem, et Jesu præliante contra Amalec sedet super lapidem, ut non lassentur manus ejus. Duodecima mansio est in solitudine Sinai, in qua videlicet media pars Exodi, et totus Leviticus liber, Numerorum præcepta non modica, et per singulas tribus populi distributio et oblationes principum descriptæ sunt. Interpretatur autem Sinai *rubus*, non unus ut supra in solitudine Sin, sed plures. Nam, cum sit mansio duodecima, et ad apostolorum spectet numerum, ibi principium, hic perfectio est; ibi solitarius numerus, hic multiplex. Aliud est enim unam, et aliud plures gratias possidere. Tertia decima mansio in sepulcris concupiscentiæ, videlicet ubi murmurantes coturnices acceperunt, et usque ad nauseam ac vomitum devoraverunt. Quarta decima mansio in Haseroth est, quod in *atria* vertitur,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ubi Aaron et Maria contra Moysen murmurarunt, propter uxorem ejus Æthiopissam. Quinta decima mansio in Rethma. Notandum quod reliquæ mansiones decem et octo, quarum nunc catalogus breviter describitur a Rethma usque Syongabor, id est tricesimam secundam mansionem sub Pharam solitudinis nomine contineantur, in quibus universa quæ scripta sunt diversis temporibus gesta sentimus. Rethma interpretatur *sonitus* aut *juniperus*. Ferunt autem lignum hoc ignem multo tempore conservare, ita ut si prunæ ex ejus cinere fuerint opertæ, usque ad annum perveniant. Ex quo discimus, post sepulcra concupiscentiæ et vestibula, transire nos ad lignum, quod multo tempore calorem tenet, ut simus ferventes spiritu, et claro sonitu, atque in altum exaltata voce Evangelium Domini prædicemus. Sexta B decima mansio est in Remon-phaores, quod interpretatur *mali punici divisio*, quod alii malum granatum dicunt, cujus arboris fructus in Scriptura dupliciter accipitur, aut in Ecclesiæ gremio, quæ omnem turbam credentium suo cortice tegit, aut in varietate consonantiaque virtutum, juxta illud quod scriptum est : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV). » Sicque divisi sunt singuli gradus, ut omnes eadem compage teneantur. Septima decima mansio est in Lebna, quod nos in *laterem* possumus vertere, videlicet cujus opificio populus in Ægypto inserviens ingemuit. Unde discimus, in itinere istius vitæ, et de alio in alium nunc nos crescere, nunc decrescere, et post ordi- C nem ecclesiasticum sæpe ad laterum opera transmigrare. Octava decima mansio in Ressa, quod in *frenos* vertitur. Si enim post profectum rursus ad luti opera descendimus, infrenandi sumus, et cursus vagi ac præcipites, Scripturarum retinaculis dirigendi. Nona decima mansio in Caaltha, quod interpretatur *Ecclesia*. Vagi currentium gressus frenis ad Ecclesiam retrahuntur, et fores quas ante reliquerant, rursus intrare festinant. Vicesima mansio in monte Sepher, quod interpretatur *pulchritudo*. Et vide quid prosint frena; a vitiis nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, ut in Christo monte pulcherrimo, habitare faciant. Vicesima prima mansio in Arada, quod vertitur in *miraculum*, **319** quam pulcher ordo profectuum, quam D egregia textura credentium. Post opus lateris infrenamur, post frenos in Ecclesiam introducimur, post habitationem Ecclesiæ ad Christum montem ascendimus, in quo positi stupemus atque miramur, ut noster in laudibus ejus sermo superetur. Vicesima secunda mansio in Moseroth, quod vertitur in *cœtus*, videlicet de quibus dicere possumus : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! (*Psal.* CXXXII.) » Item : Deus « qui habitare facis unius moris in domo (*Psal.* LXVII). » Vicesima tertia mansio in Taath, quod in *pavorem* vertitur, illum videlicet quem exigens Apostolus : « Noli, inquit, altum sapere, sed time (*Rom.* XI); » — « Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* V). » Vicesima quarta mansio in Thare, quo vocabulo, et eisdem litteris scribitur pater Abrahæ, qui fertur ab abactis corvis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris vel depulsoris nomen sortitus esse. Itaque et nos imitemur Thare, ut volucres cœli, qui juxta viam satum triticum devorare festinant, solliciti prohibeamus. Vicesima quinta mansio in Methca, quod vertitur in *dulcedinem*, illam videlicet, de qua psalmus dicit : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII). » Vicesima sexta mansio in Hesmona, quod in lingua nostra *festinationem* sonat, qua videlicet ad ulteriora properantes, obliviscamur præteritorum, et in futura extendamus nos. Vicesima septima mansio in Moseroth, quod *vincula* sive *disciplina* sonat; vincula, inquam, de qualibus propheta : « Et Sabaim, inquit, viri sublimes, ad te transibunt, et tui erunt, post te ambulabunt vincti manicis (*Isa.* XLV). » In his vinculis commoramur, dum festino gradu perginus ad magistros et eorum terimus limina, præceptis virtutum ac mysteriis occupati Scripturarum. Vicesima octava mansio in Benejaacan, quod transfertur in *filios necessitatis* sive *stridoris*, videlicet de qualibus dicas cum Sion : « Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola, et isti ubi erant? » (*Isa.* XLIX.) Filios stridoris ad illum sensum refer, quod timore supplicii et ejus loci, ubi est stridor dentium, et fletus (*Matth.* VIII), deserentes diabolum, in Christo renasci festinant. Vicesima nona mansio in monte Gadgad, quod interpretatur *nuntius* sive *expeditio*, vel certe (quod verius est), *concisio*, videlicet ut non prohibeamus gladium nostrum a sanguine, dicente propheta : « Maledictus, qui facit opera Domini negligenter, et qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jer.* XLVIII), » scilicet, quin carnes devoret, carnis vitia trucidet. Tricesima mansio in Jerebatha, quod interpretatur *bonitas*, ut cum pervenerimus ad perfectum virum in sacerdotalem gradum, imitemur eum qui dixit : « Ego sum Pastor bonus. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis (*Joan.* X). » Tricesima prima mansio est in Hebrona, quod interpretatur *transitus* sive *transitio*, quo verbo significatum est, si exempla velimus congerere ex omnibus Scripturis probantes, quod non habeamus hic manentem civitatem (*Hebr.* XIII), sed transire debeamus « in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei (*Psal.* XLI). » Tricesima secunda mansio in Asiongaber, quod transfertur in *ligna viri*, qualia videlicet sumus nos, in manu artificis Dei nostri, vasa facientis diversa, quæ in domo magna necessaria sunt (*II Tim.* II). Hucusque solitudo Pharan, decem et octo continens mansiones, quæ descriptæ in catalogo in superiori itinere non ponuntur. Tricesima tertia mansio in deserto Sin, hæc est Chades. Quæritur cur octava mansio nunc tricesima tertia esse dicatur? Sed sciendum quod prior per samech litteram scribitur, interpretaturque *rubus*, sive *odium*, hæc autem per Sade scribitur, et verti-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur in *mandatum*. Illudque quod jungitur Chades, non ut plerique æstimant *sancta* dicitur, sèd *mutata* sive *translata*. Legimus in Genesi, juxta Hebraicam veritatem, ubi Judas meretricem putans Thamar, dona transmittit, et sequester munerum interrogat, ubi esset cadosa, hoc est scortum cujus habitus a cæteris feminis mutatus est (*Gen.* XXXVIII). In multis quoque locis hoc idem reperimus. Sin autem *sancta* interpretatur, Chades, per antiphrasim intelligendum est, quomodo Parcæ dicuntur, ab eo quod minime parcant, et bellum, quod nequaquam bellum sit, et lucus, quod minime luceat. Tricesima quarta mansio in monte Hor, quod plerique interpretantur *lumen*, quo nomine dignus locus meritis sacerdotis monstratur, duntaxat secundum personam ipsius; nam, secundum mysteria, per mortem ejus sacerdotii Judaici designatur interitus. Tricesima quinta mansio in Salmona, quod interpretatur *imagunculæ*. Tricesima sexta mansio in Phunon, quod interpretatur *diminutive os* (ab ore non ab osse). Hæ duæ mansiones tricesima quinta, et tricesima sexta, in ordine historiæ non inveniuntur, sed scriptum est pro eis : « Egressi de monte Hor, per viam maris Rubri, ut circuirent montem Edom. » Ex quo ostenditur in finibus atque circuitu terræ Edom eas positas. Secundum nomen Salmona, imagunculæ veræ expressæque imaginis Filii Dei passionem ejus intuendo conservatur, et in Phunon, quod corde credit ore pronuntiat, legens illud Apostoli : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » Tricesima septima mansio in Oboth, quod vertitur in *magos* sive in *pythones*, quales pugnaverunt contra Moysen et Aaron, dum inter scorpiones habitamus, et tamen eorum venena vincimus, profecto in Oboth castrametati sumus. Tricesima octava mansio in Jeabarim, quod *acervos lapidum transeuntium* sonat. De qualibus scriptum est : « Lapides sancti volvuntur super terram (*Zach.* IX). » Sunt tamen et alii quos propheta tolli de via jubet (*Jer.* L), ne per istud sæculum ambulantium, et ad alias mansiones transire festinantium pedes offendant. Tricesima nona mansio in Dibongad, quod interpretatur *fortiter intellecta tentatio*, qua videlicet intelligimus quod non debeamus nos elevare in superbiam. Ante contritionem enim elevatur cor, et ante gloriam humiliatur. Quadragesima mansio in Helmon Deblathaim, quod interpretatur *in contemptu plagarum* sive *opprobriorum*, quo discimus omnia dulcia et illecebras voluptatum in hoc sæculo contemnendas, nec inebriari debere vino, in quo luxuriæ sunt opprobria (*Ephes.* V). Quadragesima prima mansio in montibus Abarim, contra faciem Nabo. In montibus, inquit, Abarim, quod interpretatur *transeuntium*, videlicet quamvis in montibus sit virtutum, adhuc tamen indiget, quandiu peregrinatur hic civis cœlorum. Nabo interpretatur *conclusio*, scilicet in qua finitur lex, et non invenitur ejus memoria. Porro gratia Evangelii absque ullo fine tenditur. Quadragesima secunda mansio, quæ et extrema est, in campestribus Moab. Cursim quæ in hac sint gesta, narremus.

CAPUT XXXII.

Brevis narratio eorum quæ in ultima, id est, quadragesima secunda mansione gesta sint.

Residens in ea populus, a divino Balaam, quem mercede conduxerat Balac filius Sepphor, Dei benedictione benedicitur, et maledictio vertitur in laudes. Audit vocem Domini ex profano ore resonantem : « Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel, et **320** percutiet principes Moab, et vastabit cunctos filios Seth, et erit Edom hæreditas ejus (*Num.* XXIV). » Fornicatur cum filiabus Madian, et Phinees filius Eleazari sacerdotis zelatus zelum Domini, Zambri et scortum Madianitidem pugione transfigit (*Num.* XXV). Unde et accepit præmium in æternam memoriam alvum victimæ. Numeratur rursum populus, numerantur et Levitæ, ut interfectis pessimis, novus Dei populus censeatur (*Num.* XXVI). Interpellant quinque filii Salphaad, et ex judicio Domini hæreditatem accipiunt, ut inter fratres suos nec femineus a possessione Domini sexus excludatur (*Num.* XXVII). Jesus Moysi in monte succedit (*ibid.*), et discit a lege, quæ spiritualiter offerre debeat in Ecclesia, primum quid per singulos dies, quid in Sabbato, quid in Kalendis, quid in Pascha, quid in Pentecoste (*Num.* XXVIII), quid in neomenia primi mensis, quid in jejunio ejusdem mensis die decimo, quid in scenopegia, quando figuntur tabernacula, quinto decimo die supradicti mensis (*Num.* XXIX), uxorum et filiarum vota, absque auctoritate patrum et virorum cassa memorantur (*Num.* XXX), bellum contra Madianitas (*Num.* XXXI), et mors divini Balaam, et prædæ divisio, et oblatio ex ea in tabernaculo Dei (*ibid.*). Primus Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasses, circa Jordanem in eremo possessionem accipiunt (*Num.* XXXII). Plurima enim habebant jumenta, et necdum ad id venerant ut possent habitare cum templo. Docetur populus, ut in terra sancta idola destruat, et nullus de priori habitatore servetur (*ibid.*). Describitur olim per capita provincia, et duarum semis tribuum hæreditas separatur. Numerantur tribuum principes, qui terram sanctam debeant introire (*Num.* XXXIV). Quadraginta duas urbes, cum suburbanis suis usque ad mille passus per circuitum Levitæ accipiunt, tot numero, quot et istæ sunt mansiones, et addunt fugitivorum sex alias urbes, tres juxta Jordanem, et tres trans Jordanem, ut sint simul quadraginta octo, qui fugitivorum suscipi, qui interfici debeant, et usque ad mortem pontificis maximi reservari (*Num.* XXXV, XXXVI). Succedit Deuteronomium secunda lex meditatorum Evangelii. Ibique breviter discimus quæ inter Pharan, et Thophel, et Laban, et Azeroth, et loca aurea, abjecto Juda infidelissimo, undecim diebus via de Oreb, per viam montis Seir, usque ad Chades Barnæ, Moyses populo sit locutus, et extremum cantat canticum, in quo apertissime Synagoga projicitur, et Ecclesia Domino copulatur. Benedictun-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur filii Israel, et rursum in Simeone Judas projicitur miserandus. « O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! (*Rom.* XI.) » — « Quis sapiens et intelliget hæc? intelligens, et cognoscet ea? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis, prævaricatores autem corruent in illis (*Ose.* XIV). »

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN DEUTERONOMIUM

LIBER PRIMUS.

(Deut. cap. I-XXV.)

321 CAPUT PRIMUM.

De Deuteronomio, et cantico Deuteronomii, et quod quasi secundus et tertius testes sint.

Iste liber Deuteronomium, id est *secunda lex*, inscribitur. Brevissime autem, in cantico ejusdem Deuteronomii cuncta ab exitu Israel de Ægypto numerantur et ponderantur. Cur hoc? Videlicet quia judicium Domino præparatur, et eis qui ante tribunal ejus staturi et per legem judicandi sunt, eis, inquam, imo contra eos qui per legem arguentem non audiunt, testimonia sufficientia providenda sunt. Dicit autem ipsa lex : *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati aut facinoris sit ; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XIX). Et ne putes in hoc nequaquam dictorum iterationem exigi, sive factorum, sed tantummodo numerum personarum, Paulus apostolus cum dixisset : *Ecce tertio hoc venio ad vos* (*II Cor.* XIII), statim subjunxit : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*ibid.*). Igitur prævaricatores omnes accusaturus Moyses, verbum omne, non unius tantum, sed duorum, imo et trium constituit in ore testium, dum post legem scriptam scribit et Deuteronomium, ac deinde Deuteronomii canticum. Duo testes legendo, tertius vos, o prævaricatores Judæi, convincit audiendo, ut excusationem non habeatis de peccato vestro. Hoc Deuteronomium sic incipit.

CAPUT II.

Quod in initio libri hujus decem tentationes obscurius numerentur.

(CAPUT I.) *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem, in solitudine campestri, contra mare Rubrum inter Pharan et Tophel et Laban, et Azeroth, ubi auri est plurimum, undecim diebus de Oreb per viam montis Seir, usque ad Cades Barne.* Tanquam diceret : Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel, in transitu Jordanis in solitudine campestri, contra mare Rubrum inter Pharan et Tophel, et Laban, et Azeroth, et auri abundantia, undecim dierum iter de Oreb ad montem Seir usque ad Chades Barne. Hæc sunt verba, quibus corripuit Moyses filios Israel, pro decem tentationibus, quibus Dominum tentaverunt. Unde Dominus in libro Numerorum dicit : *Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum* (*Num.* XIV). Quas tentationes hic breviter et obscure Moyses enumerat dicens, *in solitudine*, in qua demonstrat eos, pro aquæ penuria, duabus vicibus tentasse Dominum. Sane quod ait, *in solitudine campestri, contra mare Rubrum, inter Pharan et Thophel, et Laban, et Azeroth, et ubi auri est plurimum*, sic intelligendum : In campestri contra mare Rubrum murmurasse dicuntur filii Israel contra Dominum, quia Moysi dicenti sibi, de verbo Domini peremptos fuisse Ægyptios, non crediderunt, sed potius eos se subsequi timuerunt. Unde dicitur in Psalmo : *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ, et irritaverunt ascendentes in mare Rubrum* (*Psal.* CV). Porro Pharan interpretatur *onager* ; Tophel, *stultitia* ; Laban, *album*. Quod ita intelligitur, quia similes onagro facti filii Israel, stulte egerunt ; tentantes Dominum duabus vicibus super albo, id est super

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

manna. Manna vero album dicitur, sicut et illud in Exodo : *Appellavitque illud domus Israel nomen ejus Man, quod erat quasi semen coriandri album* (*Exod.* XVI). De tentationibus eisdem numero decem jam in Exodo dictum est.

322 CAPUT III.

Quod ipse modus elocutionis, in hoc libro, studiosa intentione auditorem provocet ad dilectionem.

Cœpitque Moyses explanare legem, et dicere : Dominus Deus noster locutus est nobis in Oreb, dicens : Sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis, etc. Hæc legis explanatio brevis et lucida pene cunctorum quæ sparsim dicta vel gesta sunt recollectio est, magnam multamque sollicitam viri mitissimi super omnes homines qui morabantur in terra dilectionem ubique spirans, scilicet ad hoc tendentis ut auditorum suorum sursum ad Dominum erigat benevolentiam. Nam inter explanandum multis et magnis jam commemoratis beneficiis : *Et nunc, Israel*, inquit, *audi præcepta et judicia quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, et ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis* (*Deut.* IV). Ac deinceps : *Audi, Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* (*Deut.* VI). Itemque post aliqua : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac serzias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, et cæremonias ejus quas ego hodie præcipio, ut bene sit tibi? En Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli, terra et omnia quæ in eis sunt, et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. Circumcidite igitur præputium cordis vestri* (*Deut.* X), etc. Ita explanando tanta tamque diligenti per omnia suavitatis arte utitur, ut hoc maxime volumen, de illis esse areolis non dubites, de qualibus in laude sponsi dictum est : *Genæ illius sicut areolæ aromatum, quæ consitæ sunt a pigmentariis* (*Cant.* V). Totam quippe Scripturæ hujus areolam pigmentarius eruditus conserens in eo est ut lectorem visu et odore trahendo delectet, ut pulchritudine beneficiorum Dei ad dilectionem ipsius cunctorum conscientias invitet. Et nunc quidem, quamvis multa sint quæ ex istis utiliter dicantur, et multo plura sive altiora quam comprehendere vel attingere queamus, tamen, quoniam suis locis singula tetigimus, nunc capitalia de libro hoc pauca cæteris omissis percurramus, videlicet in quibus Christi Filii Dei promissio est vel adventus ejus.

CAPUT IV.

De eo quod ait : « Prophetam de gente tua, » etc. Et quid secundum hunc locum Dominus Deus de semetipso locutus sit.

(CAP. XVIII.) *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* Propheta iste magnus nulli dubium est quin ipse sit Christus Dei Filius, idem Propheta, et prophetarum Dominus, idem enim homo et Deus. Quem quomodo petierit Israel, in monte Oreb, aperte Scriptura non dicit, nisi quod, cum vidissent *voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem, perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur* (*Exod.* XX). Ergo Deus non sermonem illorum, sed necessitatem respiciens, eumdem sermonem pro petitione habuit, quia videlicet sic loqui Mediatorem petere fuit. Proinde cum dixisset : Nunc *prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, continuo subjunxit, *ipsum audies, sicut petisti a Domino Deo in Oreb*, id est ipsum audire poteris sicut audibilem tibi atque tolerabilem fieri loquelam Dei petisti ; ille enim nube carnis contectam habens igneam divinitatis majestatem, loquetur tibi. Porro, ut in adventu ejusdem prophetæ maxime inexcusabiles forent, qui eum non susciperent Judæi, Judæorumque principes aut legisperiti, tale eis signum vel experimentum proponit. *Quod si tacita cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus Dominus ? hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille prædizerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum* (*ibid.*). Hoc de semetipso scriptum esse sciens iste propheta dicit in Evangelio suo contra calumniatores Judæos : *Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit* (*Joan.* V). Et alibi : *Verba quæ ego loquor vobis, a memetipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* XIV). Tanquam diceret : Opera subsequentia opera Patris mei, quæ nemo alius fecit, testimonium perhibent verbis meis quod non ea de corde proprio confinxerim, quemadmodum prophetæ mendaces, quos cavendos esse Scriptura præmonuit. Dicit autem lex vestra hoc vobis fore signum prophetæ magni, quem secundum legem eamdem per omnia vos audire debetis : *Quod in nomine Domini propheta ille prædizerit, et non evenerit, hoc Dominus locutus non est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.* Illum autem cujus in ore ego pono verba mea, *qui audire noluerit*, inquit, *ego ultor existam* (*Exod.* XX). Igitur cum præsentibus operum testimoniis clarum sit, quod ego propheta ille sum qui suscitandus erat ex promissione Dei, quia non est in me signum prophetæ, per tumorem animi sui verba confingentis, ipse ultor existet, quia vos audire non vultis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT V.

De separatione urbium fugitivorum, et quid spiritualiter sit mors sacerdotis.

(Cap. XIX.) *Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, et possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus, et in ædibus; tres civitates separabis in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam, et in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides, ut habeat in vicino qui propter homicidium profugus est quo possit evadere.* Perspicue hic datur intelligi, cujus usque ad sacerdotis mortem, in urbibus fugitivorum remorari debeat qui nolens sanguinem fuderit, reversurus in terram suam postquam ille obierit. Hoc, inquam, datur hic intelligi, quod iste propheta magnus ille sacerdos sit. Quid autem est in urbe fugitivorum commanere usque ad mortem magni hujus sacerdotis, magni Prophetæ nostri, nisi pœnitentiam agere in fide passionis hujus Christi Filii Dei? Nam *si extra fines urbium, quæ exsulibus deputatæ sunt, fuerit inventus, occidetur ab eo* **323** *qui ultor est sanguinis; debuerat enim profugus in urbe residere usque ad mortem pontificis* (*Num.* xxxv), id est si non baptizatus in nomine Christi Jesu, præsenti vita excesserit, condemnabitur, sicut ille prædixit; debuerat enim in sola morte ejus terminos ponere quærendæ salutis. Quæ igitur sunt tres istæ civitates, æquali inter se spatio distantes, nisi fides, spes et charitas, tres virtutes principales? Et quidem cum tria sint, *major horum charitas est* (*I Cor.* xiii), verum tum æquali inter se spatio distant, quia nihil horum ad salutem magis aut minus necessarium est. Sed continuo subjunctum est: *Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est, qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudiustertius nullum contra eum habuisse comprobatur odium, sed simpliciter abiisse cum eo in silvam ad ligna cædenda, et in successione lignorum securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio, amicum ejus percusserit et occiderit.* Ad silvam cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem protrahit. Ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excidit, et amicum percutiens, occidit, quia auditorem suum prolata contumelia ab spiritu dilectionis interficit. Correcti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio, plus quam debuit, addicit. Sed is qui incaute lignum percutit, et proximum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat, quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus in unitate sacramenti, sub fide, spe et charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur, eumque exstincti proximus, et cum invenerit, non occidit, quia cum districtus Judex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit ab eo procul dubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem sub ejus venia, spes, fides et charitas abscondit. Citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquam studio malitiæ perpetratur. Quid igitur? Num illa tantum peccata Christi morte delentur, quæ nolentes vel nescientes commisimus? Sed profecto nolens occidit, qui hoc ipsum non vult quod occidit, non vult, inquam, et nescit qui occidit, cui hoc ipsum displicet quod occidit, cui displicet quod fecit. Cæterum cui non displicet quod fecit vel quod fuit, qui non veram ex corde pœnitentiam agit, nihil illi proficit mors Christi sacerdotis magni, quamvis ad prædictas civitates confugiat, id est quamvis in Christum credere se dicat, quamvis sperare præsumat, quamvis confiteatur quod Dominum diligat.

CAPUT VI.

De sepeliendo corpore ejus qui appensus fuerit patibulo, et quod ait: « Maledictus a Deo est qui pendet in ligno. »

(Cap. XXI.) *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.* Hoc plane legem dixisse scientes amici legis, imo corruptores legis, et inimici Dei callide prædictum prophetam magnum, sacerdotem magnum cui cantatum fuerat: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* xxi), appenderunt in patibulo, ut consequenter constaret eum maledictum esse a Deo, et proinde certum esset hunc hominem, juxta sententiam vel accusationem ipsorum, non fuisse a Deo. Sed, o Judæi, malitia cæci, fuerit quidem, quoniam et hoc Apostolus ait: fuerit, inquam, Dominus noster *maledictum* legis, ut nos *a maledicto* redimeret (*Gal.* iii). Verumtamen, numquid secundum verba legis pendere in ligno præcedens causa est maledicti? Ut taceam quod non dixit, quando homo adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, sed ita præmisit, *quando peccaverit homo quod morte plectendum sit*, et tunc demum subintulit, *et adjudicatus morti, suspensus fuit in patibulo*, ut, inquam, hoc taceam, quod manifeste a maledicto expurgat Dominum nostrum, qui appensus quidem est in ligno, sed non peccavit quod morte plectendum esset: numquid ait, maledictus est a Deo, qui pendet in ligno? Nunquid, ait imprecando, maledictus sit, vel absolute maledictus, ut subaudiri possit imprecantis verbum, sit, et non potius enuntiando dixit, *maledictus a Deo est*, non quia pendet, sed *qui pendet in ligno?* Non enim sic se habet littera Hebraicæ veritatis, quomodo LXX transtulerunt, quippe qui non sensum Dei perfecte habebant, nec enim vates, sed interpretes erant. Unde et hoc, sicut cætera multa, non satis integre transtulerunt, *maledictus omnis qui pendet in ligno*, cum sic habeatur in Hebraico: *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno.* Nempe tribus modis discordat a vero hæc translatio. Cum enim in Hebraico

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habeatur, *maledictus est*, transtulerunt absolute *maledictus*, et *sit* subaudiri potest. Item in Hebraico additum est *a Deo*, quod in LXX deest, et econtrario in Septuaginta additum est *omnis*, quod in Hebraico non habetur. Quare ergo, inquis, Apostolus translatione illorum in hac sententia usus est? Sic enim ait: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Gal.* III). Quare hoc exemplo sic usus est? Videlicet quia apud Græcos, quibus scribebat, vulgata fuerat a tempore Ptolomæi Philadelphi septuaginta Interpretum editio, et nimis importunum erat ut cum Christo testimonium perhibere assereret Scripturas, ut vix audiretur, ipsas quoque Scripturas male interpretatas esse ostendere conaretur, cum apud illos LXX Interpretum auctoritas haberetur celeberrima. Maluit ergo sententiam cum sensu qui ædificaret commemorare, quam corrigendo Scripturam veteranos lectores offendere. Præterea videre melius cujus intentionis sit hæc eadem enuntiatio maledicti, præserim quia pro eo quod maledictus a Deo est jubet illum sepelire. Nonne mortuis pars benedictionis est sepeliri, et econtrario maledictionis sepultura carere more asini? Sicut de quodam rege terribiliter dictum est, prout erat meritus: *sepultura asini*, id est, nulla sepultura, *sepelietur* (*Jer.* XXII). Nonne sancti et magni viri patres sive patriarchæ de sepeliendis, vel etiam transferendis corporibus suis, diligenter mandaverunt, et pro magno illis fuit sepeliri, et non tantum ubicunque, sed in sepulcris patrum suorum? O igitur mirabile et amiquum Crucifixi hujus consilium, qui tanto antequam veniret, ita de sepeliendo corpore suo dedit præceptum, ut profuerit omnibus crucifixis, scriptum pro se uno legis mandatum. Cum enim decollatos, sive lapidatos, aut alia vi peremptos licuerit impune insepultos canibus projici, solis crucifixis propter istum crucifigendum lex prophetica, ut pote digito Dei conscripta, sepulturam negari prohibuerit. Nonne ergo propheticus ipsius Christi crucifigendi spiritus **324** gemitibus inenarrabilibus rugiebat in corde Moysi talem legem scribentis, ut dum crucifixi omnes ex lege sepeliuntur, sepultura non careat hic unus pro salute mundi Crucifixus, a Deo maledictus? Notandum quippe, ut jam dictum est, quia non ait imprecando, maledictus sit, sed causam reddens, cur eadem die debeat sepeliri, enuntiando dixit, *quia maledictus est*, addens etiam *a Deo*, quod nusquam fecit in cunctis maledictionibus legis. Verbi gratia, cum dicit: *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus ingrediens, maledictus egrediens* (*Deut.* XXVIII), *et* similiter in cæteris; nusquam dixit a Deo, nisi tantum in hoc loco. Cur hoc, nisi quia vere solus est hic a Deo maledictus, in eo videlicet, quod, sicut ait propheta; *Iniquitates omnium nostrum in illo posuit Dens?* (*Isa.* LIII.) Idcirco *sepeliatur*, inquit, *qui pendet in ligno*, quia futurus est talis pendens in ligno, qui erit *Maledictus a Deo*, a Deo, inquam, transponente maledictiones humani generis in illo. Quod si quis objiciat sæpe maledictiones prolatas esse a Deo, verbi gratia, cum dicit ad Cain: *Nunc ergo maledictus es super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua* (*Gen.* IV); nos econtrario dicimus non esse maledicti effusionem, sed maledicti jam existentis enuntiationem, præsertim cum non dicat, maledictus sis, sed *maledictus es*, et non a me, sed a peccatis tuis. Nec enim maledictus est Cain a Deo, sed a voce sanguinis fratris sui, clamantis de terra, et impietates ejus annuntiantis ipsi Deo. Igitur hic solus maledictus fuit a Deo, et non a suo peccato: a Deo, inquam, qui omnium nostrum maledictum, quod erat super nos, id est omnem iniquitatem nostram posuit in eo. Quod non addidit lex, *et nequaquam contaminabis terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi in possessionem*, mira Spiritus sancti arte dixit, et scripsit, cum potius ex ea contaminata terra posset videri, si in se reciperet corpus maledicti. Quid enim? Quid etiam hoc loco scriptor legis intendit? Hoc utique, quia terra, quam dedit Deus vero Israeli in possessionem, corpus est hujus singulariter et pro nobis maledicti, quam sibi datam tunc Israel non contaminavit, id est contaminari non permisit, quando illud Joseph et Nicodemus eodem die sepelierunt pro communi lege omnium in ligno pendentium, videlicet ne indigne insepultum abjiceretur, et a canibus illis, qui vivum circumdederant adhuc exanime conspueretur. Porro illi putabant in eo non contaminari terram suam, si cujusquam taliter occisi corpus nequaquam viventium oculis ingereretur. Quod si quis quærat adhuc cur pro hoc tantopere legislator fuerit sollicitus, cum posset etiam insepultum cœlitus custodiri sacrosanctum corpus, sicut custodita sunt, ne a canibus vel avibus læderentur, etiam multa corpora martyrum, interrogemus eum cur, moriente eodem Domino et terra tremente, *monumenta* sanctorum *aperta sunt* (*Matth.* XXVII). Videlicet aut nihil idoneum, aut hoc respondebitur solum, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, ut conjungeretur cum eis in sepulcris corpus hujus mortui, quod afferebat resurrectionem mortuorum, et idcirco ad suscipiendum illud certatim et avide sese dilataverunt. Nam sicut animam Domini Jesu ad animas apud inferos descendere expediebat, ut inde illas educeret, sic et ad corpora corpus ejus pervenire oportebat ut illa resuscitaret.

CAPUT VII.

Quid sit inveniri hominis cadaver in terra, cujus cædis reus ignoratur, et quid sit viciniorem civitatem perspicere, et illic cervices vitulæ cædere, et manus lavare.

Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, et ignoratur cædis reus, egredientur majores natu et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum, et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores civitatis ejus tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

terram scidit vomere, et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, et cædent in ea cervices vitulæ, etc. Præsentis loci mysterium majores nostri, judices nostri, scilicet apostoli sancti, hoc modo impleverunt. In terra quam Dominus Deus ipsorum dedit illis, id est in sanctarum plenitudine Scripturarum, quas *ut intelligerent*, Dominus Jesus *sensum aperuit illis* (*Luc* XXIV), cadaver hominis occisi invenerunt, id est sacrilegium eorum qui occiderunt, et ejus qui occisus est Christi Filii Dei veritatem atque innocentiam, causam quoque intellexerunt. Sed quodammodo ignorabatur cædis reus, tum quia Judæi non ipsi manibus suis occiderunt, sed gentilibus occidendum tradiderunt, tum quia non se Christum regem suum, sed magum atque maleficum hominem occidisse pertinaci concertatione defendunt. Quid igitur? Exierunt et a loco cadaveris mensi sunt singularum per circuitum spatia civitatum. Locus cadaveris sive locus cædis in illa terra, quam Dominus Deus dedit, in illa Scriptura sancta, cujus intelligentiam Christus tribuit, locus, inquam, cædis ille est Scripturæ locus quicunque manifeste passionem exprimit Redemptoris. Verbi gratia: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (*Isai* LIII). Item: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus* (*Dan.* IX). Hoc tali loco animadverso, viciniorem gratiæ vel saluti esse perspexerint civitatem, sive Ecclesiam gentium, quam populum Judæorum. Cum enim dixisset Isaias, quod jam prædictum est: *Sicut ovis ad occisionem ducetur* etc., qui locus cædis Christi est, confestim e vicino subjunxit: *Lauda, sterilis, quæ non paris, decanta laudem, et hiuni, quæ non pariebas, quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus* (*Isa.* LIV). Item cum dixisset Daniel: *Occidetur Christus*, ut ante jam dictum, qui itidem locus cædis Christi est, continuo subjunxit: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est* (*Dan.* IX). Igitur secundum positionem terræ, secundum sacratissimum textum Scripturæ divinæ, vicinior civitas hæc, quam illa loco cadaveris est, propinquior gratiæ Christi gentilis quam Judaicus populus est. Quid proinde facient seniores hujus civitatis? *Tollent*, inquit, *vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, et cædent in ea cervices vitulæ*. Vitula lasciva, vitula male libera, nulloque divini cultus jugo assueta, caro erat nostra, bruta et vitiosa. Ut ergo non imputaretur nobis sanguis hominis occisi, oportebat cædere cervices hujus vitulæ, id est superbiam carnis, membra vel opera carnis mortificare in valle aspera atque saxosa, id est in humilitate ac laboriosa pœnitentia, et sic lavare manus, id est baptizari in morte Christi Jesu. Unde et protinus subditur: *Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, et lavabunt* **325** *manus suas super vitulam, et dicent: Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt.* Sed nunquid hoc illis quoque congruit dictum, qui sceleri Judæorum interfuerunt, qui crucifigendum hominem illum acclamaverunt, et postea manus suas laverunt? Nunquid et ipsi dicere possunt: *Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt?* Plane hoc et ipsi veraciter dicere potuerunt, quia lavando manus suas alterati sunt. Omnes, qui in Christo Jesu, omnes qui in morte Christi Jesu baptizati sunt, sic innovati sunt, imo sic alterati sunt, ut jam non sint ipsi qui fuerunt a Deo, ut dicat Apostolus: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Item: *Christo confixus sum cruci; vivo autem non jam ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Igitur ipsi qui sanguinem Christi fuderunt, et postea pœnitentiam egerunt, baptizati in nomine ejus, postquam sic laverint, et sic lavando alterati fuerint, recte et veraciter dicant: *Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt; propitius esto populo tuo Israel quem redemisti, Domine, et non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.* Nihilominus a nobis, qui eramus longe, sed supradicto modo secundum mensoris funiculum facti sumus prope, aufertur reatus sanguinis, et alieni sumus ab innocentis cruore qui fusus est, cum fecerimus quod præcepit Dominus. Cæterum non faciendo hoc, et non credendo in eum qui occisus est, eis qui occiderunt consentiremus, atque ideirco sanguis ejus juste a nobis exigeretur.

CAPUT VIII.

Quid sit spiritualiter, obsessa civitate non arbores fructiferas succidere, sed de lignis agrestibus machinas instruere, et quid sit obsessæ civitati primum pacem offerre.

(CAP. XX.) *Quando obsederis civitatem multo tempore, et munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, sed et cæteris apta usibus, succide, et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.* Summa præsentis capituli hæc est, ut ligna fructifera conserventur, quæ autem fructum non faciunt, succidantur. Ergone de lignis cura est Deo? Si, juxta Apostolum, de bobus cura illi non est (*I Cor.* IX), quanto magis de lignis insensibilibus cura illi non est. Igitur ligna ista vel arbores istæ homines sunt, et secundum hanc similitudinem illud accipimus in Evangelio veraciter dictum: *Fructus ergo facite dignos pœnitentiæ. Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III.) Nempe qui obsidet civitatem multo tempore, et munitionibus circumdat, ut expugnet eam, ipse est qui forti armato custodienti atrium suum fortior supervenit et civitatem ejus civitati Dei viveu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tis Jerusalem cœlesti inimicam, usque ad finem sæculi expugnare non desinit (*Luc.* XI). Unde, quia primus ejus adventus in pace exstitit, et remissionem peccatorum omnibus obtulit, secundus autem in terrore erit, et eos qui pacem ejus recipere noluerunt, durus debellator in infernum præcipitabit. In superiori capitulo (quod præ festinatione prætereamus) eidem alumno suo Christo Filio Dei familiariter dixerat hæc eadem sancta et spiritualis lex : *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Si autem fœdus inire noluerint, et cœperint contra te bellum, oppugnabis eam*, etc. Accedens namque ad expugnandam civitatem primum ei pacem obtulit, qui ingrediens in hunc mundum ad expugnandum diaboli regnum, primum pœnitentiam et remissionem peccatorum omnibus gentibus prædicavit (*Matth.* IV). Quem recipere et portas illi aperire, est corde aperto credere ad justitiam, et ore potenti confessionem facere ad salutem (*Rom.* X). Qui hoc modo fœdus cum illo inierint, salvabuntur. Qui autem recipere illum noluerint, oppugnati et victi tandem gladio judicii ferientur. Igitur, *non succides*, inquit, *arbores quibus vesci potest*, idest non judicabis peccatores dignos fructus pœnitentiæ facientes. Quare? *Quoniam lignum*, inquit, *est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Ergone lignum non pomiferum, id est, peccator, non patiens pœnitentiæ fructus, homo est, et potest contra pugnatorem istum augere hostium numerum? Plane homo, id est, sapiens et rationalis adeo sibi videtur, ut stultitiam arbitretur id quod prædicamus Jesum Christum, ideo crucifixum (*I Cor.* I) ut per ipsam crucem suam obsideret vel impugnaret diabolum, et adeo sibi videtur augere posse hostium Christi numerum, ut dissertando nonnunquam currenti verbo Dei moram faciat vel impedimentum. Econtrario, qui judicat se nihil *scire* inter ejusmodi homines, *nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II), hic suomet judicio non homo est, sed lignum de cœlo exspectans rorem, unde refloresceat et dignum faciendo fructum, primæ originis recuperet statum, quem in Adam perdidit propter concupiscentiæ lignum, et hic talis contra Deum et hominem Christum nec potest, nec vult hostium augere numerum. Servabitur ergo hic, ille autem tanquam lignum inutile succidetur, juxta quod scriptum est: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isai.* XXIX ; *I Cor.* I). Sane si qua in illo vel ex illo procedunt utilia, quæ ex adverso ejusdem civitatis munitionibus efficaciter intorqueri valeant, hæc nos, imo qui in nobis loquitur Christus, rapere non dedignabitur, ut male compositis bene utatur. Unde provida cum dixisset Scriptura, *succide* illa, continuo subjunxit, *et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.* Hoc ipsum primum Apostolum fecisse legimus, ubi cum dixisset : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus,* continuo subjunxit : *Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII). Item : *Dixit autem quidam illorum proprius ipsorum poeta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I). Itemque non solum non reprehensibile, verum etiam laudabile est quoties vir ecclesiasticus de lignis agrestibus quæ succisa sunt, id est de sapientibus mundi qui damnati sunt, commoda dictorum convehit exempla vel testimonia, ut suomet robore debelletur civitas, quæ adversus Christum dimicat.

326 CAPUT IX.

De muliere pulchra in bello capta et adamata, qualiter eam ducere uxorem liceat, et quid mystice significet.

(CAP. XXI.) *Si egressus fueris ad pugnandum contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, volueris habere uxorem, introduces in domum tuam. Quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem in qua capta est, et sedens in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense. Et postea intrabis ad eam, dormiesque cum ea, et erit uxor tua.* Juxta litteram hoc fecisse David tradunt Hebræi de Maacha filia Tholomai regis Gessur (*II Reg.* III), videlicet quod in prælio captam, cæsarie et unguibus præcisis, secundum hanc legem uxorem sibi sociaverit, ex qua genuit Thamar et Absalon. Porro juxta sensum mysticum hoc ita facere debet ecclesiasticus vir. Mulier pulchra in numero captivorum sive inimicorum, sancta Scriptura est, in tractatibus hæreticorum. Nam et plerique hæretici sive hæresiarchæ in cathedra Moysi, imo et in apostolico culmine sederunt, et quanquam de divinitate male sentientes, de moribus tamen et allegorica subtilitate utiliter multa dixerunt. *Si* ergo *egressus fueris*, inquit, *ad pugnandum contra inimicos tuos*, id est si sanctum habueris zelum contra fidei Christianæ hostes hæreticos, *et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua*, ut palmam veritatis obtineas potenti fide et sana doctrina, non tibi illa legis imponitur necessitas, ut nullam quamlibet pulchram mulierem apud illos inventam adamare non audeas, id est ut nullam quamlibet utilem Scripturarum expositionem ab illis conscriptam legere vel studere non debeas, sed omnibus prælectis, quod bonum est tenere, et a sola specie mala tibi abstinere licebit (*I Thess.* V). Nam hoc est quod nunc dicitur : *Quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues, et deponet vestem in qua capta est. Et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.* Cæsariem namque radere, ungues circumcidere, vestemque pulchræ mulieris mutare, est omne quod pravum, omne quod superfluum est sacræ lectioni amputare, omnem denique speciem malam, id est sensum hæreticum, caute et diligenter auferre, ut uxorem habeas idoneam, juxta illud : *Dixi sapientiæ : Soror mea es, et prudentiam vocavi amicam*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

meam (*Prov.* VII). *Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam.* Juxta litteram manifesta est æquitas, juxta anagogen vero, judicii lectorum inhibetur mutabilitas, videlicet quale in Theophilo, Alexandrinæ civitatis episcopo, ecclesiastica reprehendit relatio. Qui cum Joannis Constantinopolitani, qui Chrysostomus appellatur, esset inimicus, lectionem Origenis, cui libenter incumbebat, zelo ejusdem Joannis damnavit, tandemque damnato Joanne, quia se a lectione Origenis non cohibuit, rursus ipse lectioni Origenis ejusdem incubuit. Qui dum ab aliquo fuisset interrogatus, quomodo ea quæ abdicaverat, rursus amplecteretur, ita respondit : « Origenis libri similes sunt prato floribus pleno, quidquid ergo bonum in B eis invenero, decerpo; si quid mihi spinosum occurrerit, hoc quasi si pungat, omitto. » Igitur *si postea*, inquit, *non sederit animo tuo, dimittes liberam*, id est si quamlibet circumcisam damnaveris, pro experimento tuo lectionem captivam, non eamdem rursus, mutata sententia, ad tuam retrahes scholam, quia humiliasti, id est damnasti eam, ne non tam per rationem damnasse videaris quam per invidentiam.

CAPUT X.

De homine duas uxores habente, quod non possit filium dilectæ primogenitum facere, qualiter Christus, Synagogam, et de gentibus habens Ecclesiam, hoc debeat adimplere.

Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerítque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita, etc. *Non poterit*, inquit, *filium dilectæ facere primogenitum*, subauditur, nisi filius odiosæ proprio vitio honorem perdiderit primogenitorum. Nam quia minus dilectæ primogenitus Ruben cubile patris ascendit, et maculavit stratum ejus (*Gen.* XXXV), idcirco potuit Jacob plus dilectæ Rachelis filium Joseph, facere primogenitum, sicut scriptum est in D Paralipomenon : *Ruben qui fuit primogenitus Israel sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph, filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt, primogenita autem reputata sunt Joseph* (*I Par.* V). Cæterum spiritualiter et hanc partem legis Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, adimplevit. Nam hic ille homo est, qui duas uxores habuit, unam dilectam, scilicet Synagogam, propter patres charissimam, alteram odiosam, scilicet gentilitatem, cui loquitur per Isaiam : *Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam* (*Isa.* A LIV). Verum hæc abjecta, hæc odiosa prior peperit primum enim sponsi sui Filii Dei adventum recepit. Illa autem nunc sterilis permanens, secundum ejus adventum recepturo est. Cum enim plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). Igitur filius odiosæ primogenitus est, et ex lege non potest homo filium dilectæ facere primogenitum, et præferre populo Christiano filio hujus odiosæ, quemadmodum dicit : *Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio judico, et judicium meum verum est* (*Joan.* V). Quid enim homo iste factus ex muliere, factus sub lege (*Gal.* IV), quid, inquam, cum hæc diceret, audiebat homo iste, nisi legem justitiæ, auditor et factor legis sanctæ, et justæ et bonæ? Quamvis illam diligeret, quamvis super illam B dilectam flere quoque pro carnis affectu potuisset (*Luc.* XIX), non tamen sic injustus esse potuit ut non filium odiosæ cognosceret primogenitum, magis divinitatis rationem quam carnis sequens affectum. Dedit ergo huic primogenito de his quæ habuerat cuncta duplicia. Nam apud illam quondam dilectam, sola remanente littera, filius hujus non jam odiosæ, scilicet populus Christianus sic sanctam possidet Scripturam, ut cum historica spiritualia quoque obtineat mysteria. Iste enim est principium liberorum ejus, quia primus credidit in adventu ejus, et huic debentur primogenita. Unde et in psalmo gratulatur idem primogenitorum possessor, et dicit : *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit* (*Psal.* XLVI). *Speciem Jacob*, inquit, quia C videlicet quemadmodum Jacob ille secundum nomen suum, fratrem suum Esau supplantavit, sic iste filius **327** odiosæ illi filio dilectæ supernæ benedictionis primogenita præripuit.

CAPUT XI.

De filio contumaci in judicium producendo, quod non fecit Heli, quomodo patres spirituales in Ecclesia id agere debeant.

Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius iste noster protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, atque luxuriæ et convivis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, et auferetis malum de medio vestri, ut universus Israel pertimescat. Gravis et matura sententia sanctæ legis teneros falsæ pietatis affectus a cordibus patrum erga filios, ne habeantur, excludit. Nam in causa Dei, nec filium pater sapiens agnoscit. Quam legis auctoritatem, quia senex Heli neglexit, idcirco pavendum vitæ periculum incidit. Nunquid enim tam molliter dixisse contentus esse debuit : *Quare facitis res ejusmodi quas ego audio res pessimas in omni populo? nolite, filii mei* (*I Reg.* II). Nonne armaturam zeli, qualis vel quanta super filios inobedientes esse debuerit, sacerdos longævus ex ista legis lectione scire potuit? Recte igitur, quamvis dixisset : *Nolite, filii mei*, recte, la-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quam, arguitur non corripuisse filios suos pater Heli, Domino dicente : *Et magis honorasti filios tuos quam me* (*ibid.*). Itemque de illo, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos : neque enim corripuit, qui non legitime corripuit. Meminerit hujus omnis pater spiritualis qui bene dicit præesse domui Dei. Si forte genuit hic homo filium protervum et contumacem, qui non audiat, qui obedire contemnat, scire debet quia prima generis nostri quam luimus culpa est inobedientia, et quia contumacibus et protervis nullam justitia Dei reposuit veniam, sed sicut scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV). Cogitandum tamen illi est quia de omnibus judiciis suis Deo redditurus est rationem, ne forte invidiæ, aut zeli flamma urat animam. Ideirco suam non præcipitabit sententiam, sed sapientes adhibebit in testimonium. Hoc bene in cura filiorum sancti et orthodoxi Patres sanxerunt, secundum præeuntis hujus auctoritatis imperium. Dicit enim præsens lex : *Apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii*, etc. Igitur cætera quidem peccata toleranda sunt in domo Dei, contumaces autem et protervos filios severitas Patrum sapientum obruit, ut auferat malum de medio sui, cum præsenti auctoritate legis Domini, imo proprio exemplo Dei, qui inobedientes filios primos, homines scilicet, de paradiso expulit.

CAPUT XII.

Quid sit spiritualiter, bovem aut ovem vel asinum fratris, etiamsi propinquus non sit, reducere, aut sublevare, vel qualiter Christus hoc perficiat.

(Cap. XXI.) *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum : duces in domum tuam, et erunt apud te, quandiu quærat ea frater tuus, et recipiat. Similiter facies de asino*, etc. Magnifice et hoc imperium ejus Dominus noster Jesus Christus per omnia legi subditus, se adimplere perdocuit, quando vilissimum omnium jumentorum asinum ascendit veniens in civitatem Jerusalem passurus pro salute mundi, juxta prophetiam Zachariæ, dicentis eidem sanctæ civitati, imo supernæ Jerusalem, cujus illa typus vel umbra fuit : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper, et ascendens super pullum filium asinæ* (*Zach.* IX). Quid enim mystice asinus ille cui insidet Dominus, nisi stultus gentilium populus intelligitur ? Et simplicior quidem Hebræorum populus, qui Dominum sequebatur, Pharisæis dicentibus : *Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt* (*Joan.* VII), asinus quidem, sed propinqui asinus fuit. Dicit autem hæc sancta et spiritualis lex : *Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum*, etc. Igitur ut totam legem impleret, etiam non propinqui sui asinum iste Salvator noster ascendit, eumque in domum suam duxit, quando gentilem populum assumpsit, stulta mundi eligens, ut confunderet sapientes (*I Cor.* I), sedensque dorso obedientis, atque dicentis : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me* (*Psal.* XXIV), duxit in domum suam cœlestem per viam prudentiæ, pueris occurrentibus, et cum laude Dei sublevantibus ramos victoriæ (*Matth.* XXI). Per quos videlicet pueros sancti intelliguntur angeli, gaudentes de felicitate redemptionis nostræ. Hoc idem recte intelligitur de ove errante, quod maxime comprobatur ex parabola centum ovium et unius perditæ (*Luc.* XV). Notanda diligenter tota præsentis capituli textura. Siquidem tam in principio quam in fine ejus sublevatio præcipitur Judaici populi, qui Domino secundum carnem propinquus exstitit, in medio autem sublevatio populi gentilis qui a carne ejus alienus erat et a testamento Dei. Nam in principio dicit : *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem et præteribis, sed reduces fratri tuo.* In finem autem sic : *Si videris asinum fratris tui, aut bovem errantem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.* Porro in medio dicit : *Etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam*, videlicet bovem ejus vel asinum. Frater namque hominis hujus qui solus legem totam implere potuit, ipse est Judaicus populus, secundum carnem Abrahæ frater vel propinquus Domini, quem et prius errantem primo adventu suo Salvator requisivit, et aliquos ex eis ad viam salutis reduxit, et nunc sub onere peccati jacentem non omnino despiciet, sed in fine sublevabit. Interim qui non erat nunc ejus propinquus aut frater, ut jam dictum est, asinus qui perierat reducitur, quia de gentibus ad carnem Abrahæ non pertinentibus, simplices et abjecti per gratiam colliguntur.

CAPUT XIII.

Quid sit spiritualiter, mulierem virili, aut virum muliebri veste indui non debere.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea ; abominabilis est enim apud Deum qui facit hæc. Hoc utrumque adeo sponte natura perhorrescit ut de eo, quod minus est, Apostolus dicere non dubitaverit : *Vos ipsi judicate. Decet mulierem non velatam orare Deum ? Nec ipsa natura docet nos. Vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi* (*I Cor.* XI), etc. Porro spiritualiter mulier veste virili induitur, quando is qui vitæ suæ nescit moderamina tenere, judex fieri vitæ audet alienæ, et præesse præsumit, qui nondum subesse didicit. Econtrario, vir utitur veste feminea quando is qui jam spiritualia percepit charismata, **328** scilicet prophetiam, aut sapientiæ sermonem, aut genera linguarum (*I Cor.* XII), aut quidpiam horum propter quod vir jure dici poterat, et tanquam vir præest in domo Dei quæ est Ecclesia, fluxa tamen sequitur vitia, et pro contemptibili vita meretur, ut si qua est prædicatio ejus, ipsa quoque recte despiciatur. Uterque, inquit, *abominabilis est apud Deum qui facit hæc*, quod utique assertione nostra non indiget.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XIV.

Qualiter Christus ambulans per viam hujus vitæ, in arbore, vel in terra nidum avis invenerit, et pullos tenuerit, et matrem abire permiserit.

Si ambulans per viam in arbore, vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis, vel ovis incubantem desuper, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore. Parvis nominibus res pergrandes significantur, et ut magnificentius dictum sit, hic queque in facie Moysi parvo velamine grandis splendor operitur. Nam cujus, aut qualis aviculæ nidum hic aut ova oportet intelligi, consultus Jeremias propheta sic exprimit : *Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias et non in judicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens* (*Jer.* XVII). *Perdix* avicula *fovit*, inquit, *quæ non peperit*. Solet enim furari et fovere ova comparis sui. Nati autem pulli audiunt clamorem ejus quæ ova peperit, et continuo relicta illa quæ furata est et ova furtiva fovit, ut divitias faceret et nidum suum ditaret, *et non in judicio, id est*, de rapina, recurrunt ad eam quæ mater est, quæ peperit prima. Propterea dicit, *in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* Inspienter enim dum deludere cupit, delusa est, et ars ejus a natura victa est. Perdix iste diabolus est, qui astutia sua massam generis humani, in primis parentibus Creatori subripuit, et ex tunc *fovit quæ non peperit*, id est in vitiis hujus mundi male blanditos est eis, et in peccato, nasci fecit eos quos non creavit. Unde in Isaia sub nomine Assur gloriabundus dicit : *Et detraxi quasi potens in sublimi resistentes, et invenit quasi nidum, manus mea fortitudinem populorum* (*Isai.* X). Itaque quasi ova de nido sublimi, de nido alieno subripuit, de quibus pulli erant nascituri, quando de paradiso fraude eduxit homines, de quibus nascituri erant omnes filii Dei jam prædestinati, dicente Domino : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). *Fecitque divitias, et non in judicio*, quia videlicet princeps mundi hujus factus est et ab hominibus in templis idolorum, pro Deo cultus est ordine perverso. Sed *in dimidio dierum suorum*, inquit, *derelinquet eas*, quod jam factum est, *et in novissimo suo erit insipiens*, quod futurum est. Universitas namque dierum ejus usque ad ultimum judicium protenditur. Verum ante illum judicium qui judicaturus erat venit judicandus, et sine judicio raptas, cum judicio raptori per passionem suam ereptit divitias quemadmodum dicit : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Tandem *in novissimo suo erit insipiens*, id est insipientiæ coarguetur, tunc videlicet, quando *videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job.* XL). Igitur pulchre et venerabiliter tibi, o singularis auditor et factor legis, Christe Jesu, dicit hæc sancta lex : *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, et matrem pullis vel ovis incubantem desuper,* etc. Nidus avis in arbore, populus fuit Israel sub prædicto quidem mundi principe, sed in legis altitudine natura quidem filius iræ, sicut et cæteri, sed in alta fide Abrahæ. Nidus avis in terra fuit universa gentilitas, sub pennis diaboli male fota, et in omni terrena cupiditate, Dei quoque ignorantiam habens, omnino depressa. Porro Filius Dei per viam ambulans utrobique nidum invenit, quia præsentis vitæ mutabilitatem ingressus, utramque partem gratia sua respexit, absque distinctione Judæi et Græci. Non, inquit, *tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios. Matrem* adulterinam quæ, ut supra dictum est, *fovit quæ non peperit, non tenebis.* Nec enim gratia liberatoris diabolum requisivit, sed tantum filios sibi gratia regenerandos requisivit. Idcirco captî tenentur filii ut salventur, idcirco mater talis abire permittitur, ut in novissimo suo perdatur.

CAPUT XV.

Mystice de eadem re, qualiter Christus fecerit, vel qualiter nos faciemus, tenendo mysticos sensus, dimittendo litteram legis.

Non tenebis, inquit, *matrem cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, et longo vivas tempore.* Mater pullis vel ovis desuper incubans, littera Synagogæ est, littera legis quæ occidit; ova autem ipsa vel pulli mysteria sunt spiritus legis, spiritus vivificantis. Sed illam matrem, illam litteram Christus non tenuit, quemadmodum in psalmo dicit : *Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). Filios tantum captos tenuit, spiritualiter enim legem impleri vult a suis discipulis, *Non tenebis*, ait, *sed abire patieris.* Ad quid? *Ut bene sit tibi*, ait, *et longo vivas tempore.* Dicamus aliud quod commodius præsentem locum queat illustrare. Ipse in psalmo dicit : *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei* (*Psal.* LVIII). Sed quid? *Disperge illos in virtute tua* (*ibid.*) Ecce hodie videmus matrem solam avolasse sine filiis, et scimus ubi sit, quia toto orbe dispersa est Synagoga inimica Christi, solam habens litteram legis, et hoc ipsum Christo proficit, ut longo vivat tempore, id est ut nunquam ejus obliviscatur populi. Igitur, et nos vel quique nostrum per viam imus, quia præsentem vitam pergimus, et nidos avis in terra et in arbore invenimus, quando verba historiæ, aut in contemplativa, aut in activa vita tenenda legimus. Nam præcepta activæ vitæ, nidus avis in terra est, præcepta contemplativæ, nidus in arbore. Mater vero pullis vel ovis incubat, quando ipsa historia intellectum spiritualem fovet. Non teneamus eam cum filiis, sed adire patiamur, captos tenentes filios, quia videlicet in quibusdam locis prætermittenda est historia, ut soli matris hujus pulli, id est spiritualis intelligentiæ sensus nobis in esum veniant, nec nos mater, sed pulli reficiant. Cum enim legimus aurum et argentum Ægyptiorum ab Israelitico populo petitionis deceptione subreptum (*Exod.* II), et rursum cum legimus carnalia sacrificia Deo exhibita, quid

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in hoc verborum nido, nisi mater dimittenda est, et filii tenendi? Nos enim cum a quibusque sæcularibus vigilantiam ingenii in defensionem veritatis trahimus, et cum eorum eloquium in usum rectitudinis vertimus, quid aliud quam aurum et argentum ab Ægyptiis tollimus, ut ex eo et nos divites effecti, et illi pauperes valeant ostendi, sicut scriptum est : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (*II Cor.* x). Et cum nostra corpora per abstinentiam domamus, quid aliud quam **329** spiritualia sacrificia omnipotenti Deo exhibemus, sicut rursum per Paulum dicitur : *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (*Rom.* xii). Matrem itaque dimittentes, pullos comedimus, cum historiæ exempla dimittimus, sed ex ea allegoriarum sensus in mente retinemus. Unde recte additur, *ut bene sit tibi, et longo vivas tempore*, quia longo tempore ille vivit, qui per spiritualem intelligentiam æternitatis annos apprehendit.

CAPUT XVI.

Quid sit mystice, novam domum ædificare, et murum per tecti circuitum facere.

Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus alio labente, et in præceps ruente. Talis domorum structura, secundum morem Palæstinæ est provinciæ, ubi solent in tectis residere. Unde Dominus in Evangelio : *Quoniam quæ in tenebris*, inquit, *dixistis, in lumine dicentur, et quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis* (*Luc.* xii). Ergo quia solebant in tectis residere, *facies*, inquit, *tecti murum per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio, et in præceps ruente.* Et in templi constructione legimus : *Texit quoque domum laquearibus cedrinis, et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis* (*III Reg.* vi). Non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate faciebant æqualia. Porro spiritualiter domum ædificat, qui domus Dei curam habens, subditorum mentes pro officio suo doctrinæ verbo informat. Unde illud est : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* cxxvi). Quod est dicere : Nisi Dominus corda præparaverit auditorum, in vanum quamlibet sapientes architecti, verborum impensas effundunt. Igitur *cum ædificaveris*, inquit, *domum novam*, id est subjectorum mentibus doctrinam posueris inchoativam, *facies murum tecti per circuitum*, id est quæcunque dixeris, sufficientibus communies rationibus, sive testimoniis Scripturarum, ne fias *reus labente alio, et in præceps ruente*, quod videlicet fit, quoties incauta dictio perversæ dat auditoribus occasionem intelligentiæ. Si ergo communitum quidquid dixeris, ut in sermone tuo nemo labatur, nisi qui volens et contentiosus se excusserit.

CAPUT XVII.

Quid sit spiritualiter vineam non seri altero semine, et quid sit secundum litteram, vel secundum spiritum, sementem et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificari.

Non seres vineam tuam altero semine, ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur. Hoc rusticorum quoque sive agricolarum novit industria, quia vinea terram sibi liberam poscit, ut non solum nulla subjiciatur sementis, verum etiam sponte proferente herbas inutiles, sarculo certatim exstirpare opus sit. Alioquin terræ pinguedo, cujus abundantiam vinea poscit, in vanum disperit, quia dum in multa dividitur, in singulis valet minus. Itaque *et sementis et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificantur*, id est ad sterilitatem rediguntur, atque ingrato cultoribus suis otio feriantur, juxta illud quod commonendo Dominus cum populo merenti dixisset : *Eritque terra vestra deserta, et civitates dirutæ*, continuo subjunxit (*Lev.* xxvi) : *Tunc placebunt terræ Sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ* (*ibid.*). Itaque ne pariter sanctificentur, id est ne pariter ad sterilitatis Sabbatum redigantur. Porro spiritualiter cum universa Ecclesia vinea Domini sit, et hæc si hæretico semine seratur, aut Judaicis cæremoniis, in quibus divitem se putat ille populus, nihil bonorum fructuum inde colligatur, tum vero maxime illi vinea Domini sunt, quorum in eadem Ecclesia ordo sacratior, et spirituale propositum. De qualibus ad prophetam loquitur Dominus : *Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Nunquid tolletur de ea lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat ex ea quodcunque vas?* (*Ezech.* xv.) Nempe hi quorum erat spirituale exercitium, si ad sæculare devolvantur negotium, et quod fuerant deperit, et quod aggrediuntur interdum non proficit. Unde in Actibus Apostolorum dicunt ipsi apostoli : *Non est æquum derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* vi). Et Apostolus loquitur Corinthiis : *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum* (*I Cor.* vi). Igitur *non seres*, inquit, *vineam tuam altero semine, ne et sementis quam sevistis, et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur*, id est insignes qui sunt in Ecclesia, cœlestis doctrinæ fertiles, contemptibilium negotiorum non injuriaberis occupatione, nè dum in utramque partem dividuntur, in neutram utiles inveniantur, et ita quasi sanctificato Sabbato nihil regno Dei fructuosum operentur. Hinc est enim quod auctoritas canonica sacros altaris ministros sæcularibus negotiis implicari vetat. *Nemo militans Deo* inquit Apostolus, *implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* ii).

CAPUT XVIII.

Quid sit non arare in bove simul et asino, et quid non vestiri vestimento ex lino et lana, et quid sit facere funiculos in fimbriis.

Non arabis in bove simul et asino, non indues vestimentum, quod ex lana linoque contextum est. Hoc de cavenda doctoribus imperitorum societate di-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ctum intelligi potest. *Non arabis in bove simul et asino*, idem est ac si aperte diceret : Non sociabis in prædicationem sapientes et fatuos, ne videlicet per eum qui implere non valet, et illi obsistas qui prævalet. Quid vero per hanc vestem nisi hypocritarum persona signatur, qui benignitatem erga proximos ostendunt, et dolo suæ iniquitatis, quæ loquuntur operiunt? Vestis enim, quæ ex lana linoque fit, lanam semper in faciem reddit, et linum subter abscondit. Quid ergo per lanam nisi simplicitas sonat? Quid per linum nisi subtilitas designatur? Et sæpe homo subtilis et acutus exterius simplicitatem mansuetudinis ostendit, et interius subtilitatem malitiæ contegit. Iste ergo veste se actionis suæ quasi ex lana et lino induit, quando ab eo et simplicitas monstratur in superficie, et subtilitas malitiæ servatur in mente. Unde et continuo subjungitur. *Funiculos in fimbriis facies, per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* Vestis namque jam dictæ cum qua sapiens incedat, custodiens illam ne nudus ambulet, cum ex cunctis virtutibus textura ejus constet, angulos, id est principales sunt quatuor virtutes, quas et ethnici propriis appellare nominibus noverunt, temperantiam, justitiam, fortitudinem, prudentiam. His enim cum propter Deum sapiens ornatus incedat, non ut videatur ipse ab hominibus, sed ut glorificetur Pater in cœlis (*Matth.* VI), **330** et cum hac dilectione Dei et proximi, bona faciens opera, perseverat usque in finem, ut salvus sit, profecto funiculos fecit in fimbriis per quatuor angulos pallii sui. Cæterum in supradictis hypocritis indecentes fimbrias Dominus noster acri invectione coarguens, dicit : *Dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias* (*Matth.* XXIII). Multum enim se accusant, cum de re significata non curantes, significativas in oculis hominum fimbrias magnificant.

CAPUT XIX.

De viro, qui uxorem acceptam odio habens, dicit : « Non inveni eam virginem, » et parentibus signa virginitatis afferentibus vapulat, eamque habere compellitur, qualiter in Christo factum intelligatur.

Si duxerit vir uxorem, et postea eam odio habuerit, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, et objiciens ei nomen pessimum, et dixerit : Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem, tollent eam pater et mater ejus, et deferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis ejus, qui in porta sunt. Et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem. Quam quia odit, imposuit ei nomen pessimum, et dicit : Non inveni filiam tuam virginem. Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis. Apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt eum, condemnantes super centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere omni tempori vitæ suæ. Hæc justitiæ vel sapientiæ Dei littera pudicis sensibus obscurissima est. Quis enim pudicus animus saltem cogitare patienter valeat, qualiter ruptæ virginitatis cruenta in panno serventur vestigia. Sed consoletur nos in isto quoque loco eadem Dei Sapientia, clamans de ejusmodi occidente littera : *Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV). Ac deinceps : *Et qui elucidant me, vitam æternam habebunt* (*ibid.*). Igitur de obscura litteræ hujus spelunca lucidum evolvamus spiritus mysterium, talemque et hanc sapiamus legem, cui subjectum fuisse non deceat virum sanctæ Ecclesiæ Christum. *Si duxerit*, inquit, *vir uxorem, et postea eam odio habuerit*, etc. Spiritualiter hoc ita factum est. Vir uxorem duxit, quando naturam assumpsit humanam Filius Dei. Unde est : *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.*, XVIII). Spiritualibus ejusdem sponsi filiis, vel amicis mysterium hoc notum est. Unde et gratulantes dicunt : *Qui habet sponsam, sponsus est* (*Joan.* III). Itemque cum Apostolo : *Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* V). In illa, inquam, carnis assumptione, vir iste cognovit uxorem suam, scilicet universam Judæorum atque gentium Ecclesiam, pro temporum quidem vel locorum diversitate numerosam, sed juxta fidei sacramentum unam. Verum sic acceptam postea quodammodo odio habuit eam, quæsivitque occasiones quibus dimitteret eam, dixit enim discipulis suis : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* X). Item : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Ac deinceps : *Non est bonum panem sumere filiorum, et mittere canibus ad manducandum* (*ibid.*). Voces namque ejusmodi, voces erant odii, non juxta rationem divinitatis, sed secundum sensum carnis, priori non consonantes proposito ejus, vel Scripturarum veritati. Nam priusquam incarnaretur, amorem Ecclesiæ gentium professus fuerat in omnibus prophetis. Ita tanquam mutato consilio objiciebat illi nomen pessimum dicens : *Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam, non inveni virginem.* Non inveni, inquit, eam virginem, sed multorum deorum, tanquam multorum virorum millibus prostitutam. Verum id frustra fuit. Nam in copula prædicta, in illa incarnatione Filii Dei sacrosancta vestigia virginitatis spectanda reposita sunt. Egit enim illa quondam prostituta, egit, inquam, pœnitentiam, mortificavit carnem suam, insuper et sub gladiis persecutorum, propter illum, virum suum fudit sanguinem suum. Quid igitur? *Tollent*, inquam, *eam pater et mater ejus, et deferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis illius, qui in porta sunt, et expandent vestimentum coram senioribus civitatis, et apprehendent virum et verberabunt eum*, etc., ut supra. Nempe miro modo, miro charitatis ordine, propter ipsum crimen, unde Ecclesiam de gentibus redarguit, homo factus Dei Filius, ipse verberatus et cruci affixus est, et in porta civitatis coram senioribus urbis, id est in consistorio

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cœli, in conspectu Patris et sanctorum angelorum ejus, virgo esse judicata est, quæ in conjunctione ejus posuit vestigia sanguinis sui, quæ in prædicatione ejus pœnitentiam egit, quæ pro fide ejus sanguinem fudit. Nempe et si ante prostituta fuerat, postquam tamen sic illi conjuncta est, jam virgo meretur dici, et est. Quis vero pater, vel quæ mater est ejus, nisi ordo apostolicus, et Ecclesia primitiva, quorum testimonio in cœlo et in terra defenditur? *Verberabunt*, inquit, *illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel.* Denique quia de peccato arguebat Ecclesiam sive Synagogam, quam virginem esse volebat, idcireco vir iste verberatus, insuper et crucifixus est, imo ut peccatum prostitutionis ejus deleret, idcireco verberari et crucifigi dignatus est, deditque centum siclos argenti, id est plenitudinem donorum Spiritus sancti. *Habebit* ergo, inquit, *eam uxorem, et non poterit dimittere omni tempore vitæ suæ*, videlicet impleta prophetia, quæ dicit : *Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui, et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus* (*Isai.* LXII). Sequitur : *Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui, et auferes malum de medio tui.* Hoc interim sciendum est quia cum gratia Dei in potestate mulieris est, utrum crimen, quod ab hoc viro objectum est verum sit, an non. Etenim quæ pœnitentiam egit, ut supra dictum est, et ita virginem castam se exhibuit, in illa nomen pessimum periit; quæ autem pœnitentiam non egit, magisque Barabbam quam Dei Filium, magis amat Antichristum quam Christum, hæc diffamata est, quia vere fecit nefas in Israel, et peccatum ejus manet; igitur *ejicient eam*, inquit, videlicet Synagogam, *extra fores* quondam *Patris sui* Dei, *et lapidibus obruent eam viri civitatis* ejus, scilicet omnes judices, qui sedebunt super thronos *judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), *et morietur*, quia fornicata est *in domo Patris sui*, id est condemnabitur, quia diabolo adhæsit, cum haberet legem et prophetas Dei sui.

331 CAPUT XX.

Si dormierit vir cum uxore alterius, utrique morientur; et quæ sit distantia ejus in agro, et ejus quæ in civitate reperta est; et quod adulter diabolus, puella vero quam oppressit in agro, Synagoga fuerit in Ægypto.

Si dormierit vir cum uxore alterius, utrique morientur, id est adulter et adultera, et auferes malum de Israel. Hæc de adulterio generalis sententia est. Sed differt, utrum per vim, an per consensum adulterium perpetratum sit. Sequitur ergo : *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum illa, educes utrumque ad portam civitatis, et lapidibus obruentur : puella quia non clamavit cum esset in civitate, vir quia humiliavit uxorem proximi sui : et auferes malum de medio tui. Si autem in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehenderit, et concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum et occidit animam ejus, ita puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit, et nullus adfuit qui liberaret eam.* In manifesta discretæ rei justitia justum nihilominus adulterii spiritualis judicium est. Nam qui cum uxore alterius dormivit, vir impurus diabolus est, qui creaturam rationalem, scilicet hominem corrumpere ausus est, et hic quidem in agro puellam virginem Deo desponsatam invenit, et cum illa concubuit, quando ante legem datam peregrinantem in Ægypto gentem Hebræam sibi subjugavit; serviebat enim illic diis alienis, quam in Abraham, Isaac et Jacob desponderat sibi Deus legitimus vir. Clamavit puella, et nullus adfuit qui liberaret eam, nullus, inquam, non erat enim lex, non venerat propheta, qui a cultu deorum Ægyptiorum revocaret gentem illam, nisi quod clamor ejus venit ad Jesum, et hic solus descendit, ut liberaret populum suum. Itaque sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita puella illa, ita gens novella illa perpessa est, et intus diabolum corrumpentem, et foris Pharaonem servituti subjicientem. Sola erat in agro illo, in Ægypto sola, longe remota a civitate Dei et regno. Igitur vir ille, inquit, *morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis.* Talis nempe adulterii pœnam solus portabit diabolus, quemadmodum in typum ejus solus periit Pharao cum curribus suis et equitibus, gens autem illa nihil passa mare transivit, glorificata miraculis, defensa cœlestibus præsidiis (*Exod.* XIV). At hic idem adulter toties puellam desponsatam in civitate invenit, et toties cum illa concubuit, quoties gens eadem jam Scripturis sanctis et angelorum munita præsidiis, idololatriæ sese prostituit, initiando Beelphegor, colendo Baal, serviendo Astaroth. Amplius autem tunc diabolus corruptor cum illa in civitate concubuit, quando æternum sponsum et amatorem animarum Jesum Christum Filium Dei crucifigi, virumque homicidam sibi donari petit (*Act.* III). Igitur, *educes*, inquit, *utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur.* Palam est omni mundo quia jam adultera illa ducta est, jam non solum spiritualiter, sed corporaliter quoque et visibiliter de civitate Dei protracta est, multisque calamitatibus tanquam lapidibus obruta est, amissis jam angelorum præsidiis, nullum jam habens vigilem, id est prophetam, de qualibus ipse Deus : *Super muros tuos*, inquit, *Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt* laudare nomen Domini (*Isa.* LXII). Ipsa quoque civitas terrena Jerusalem deserta est facta, et templum exustum est, et qui Romanorum gladio superfuerunt, in omnes gentes captivi ducti sunt.

CAPUT XXI.

De eo quod ait : « Utrique moriantur, » subaudiendum esse, si cum consensu mulieris dormierit cum ea vir.

Igitur *si dormierit*, inquit, *vir cum uxore alterius*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

uterque moriantur, subauditur, si cum consensu mulieris dormivit cum ea vir. Nam si invita violata est, si vim perpessa est, ita quemadmodum latro consurgit adversus fratrem suum, et occidit animam ejus, adulter solus erit vir, illa nihil patietur, nec est rea mortis. Quare? Videlicet quia sola caro violata est, animus autem, ubi sedet fides conjugii, incorruptus. Sola fides violata in crimine est, sola fidei perditio adulterium est. Nam ubi nullius desponsionis sigillata est fides, si corruptor accesserit, jam quidem vitium, sed in neutro adulterium est. Nam sequitur : *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum et apprehendens concubuerit cum ea, et res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam. Non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Igitur sanctio conjugii non tam in conjunctione, vel commistione carnis, quam in sacramento desponsionis est. Quapropter legitime ac rationaliter de virgine nunquam cognoscenda carnaliter vel cognita, loquitur angelus ad Joseph : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I). Legitime, inquam, id est secundum legem præsentem vocat illam in Evangelio conjugem propter solam desponsionis fidem. Porro de spirituali adulterio idem sentiendum est, videlicet quod invitam, vel ab adultero vim passam, nullam animam proprius vir Deus quasi adulteram judicet. Quod optime sciens martyr invicta, eademque virgo pudica dicit primum de carnali adulterio sic : « Nunquam inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Nam si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. » Sumptum quoque de præsenti legis loco testimonium sic inserit, dicens : « Nam sic patitur Deus violatorem castitatis, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. » Porro de spirituali adulterio itidem dicit : « Nam et si in manu mea thura ponas, et per manum meam jacias sacrificia, Deus hæc attendit et ridet. » Et de utroque communem reddens sententiam : « De sensibus enim et de voluntatibus, inquit, judicat. »

CAPUT XXII.

De eo quod eunuchus non intrabit Ecclesiam Domini; quot sint eunuchorum species, et qualis eunuchus non ingrediatur in Ecclesiam Domini.

(Cap. XXIII.) *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro in ecclesiam Domini.* In Isaia legimus : *Et non dicat Eunuchus : Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis : Si custodierint sabbata mea, et egerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius, a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis quod non peribit* (*Isa.* LVI). Ergone sic sibi contraria sunt lex et **332** prophetæ, ut dicat lex, *non intrabit eunuchus in ecclesiam Domini*, dicat econtra Dominus in propheta : *Dabo eunuchis locum in domo mea, et in muris meis?* Quæ est enim domus, aut qui muri Domini, nisi ecclesia Domini? Sed profecto intellectus eunuchi non idem hic est et illic. Illic enim in littera, hic autem in spiritu eunuchus intelligendus est, quia spiritualis est. Quapropter jam ipsas eunuchorum enumeremus species. In Evangelio Dominus dicit : *Sunt eunuchi qui sic nati sunt ; et sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt; et sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Hæc tertia eunuchizatio, sive castratio, quia non ferro abscissionis, sed proposito fit castitatis, magis quidem spiritualis est, verumtamen non omnino, quia manifestus in carne cælibatus est. Et hi procul dubio laudabiles sunt eunuchi, quibus, juxta prophetam prædictum, dat Dominus *locum in domo sua, et in muris suis nomenque melius a filiis et filiabus.* Horum omnium generum de nullo veraciter dicas, quia non ingreditur ecclesiam Domini, nisi quod sacros tantum altaris honores auctoritas canonica truncatis vel abscissis interdicit. Quapropter quærendum adhuc est qualis sit ille eunuchus, qui non ingrediatur ecclesiam Domini. Quærentibus hoc illis quoque illud sese offert quod alibi dictum est : *Maledictus omnis qui non fecit semen in Israel.* Neutrum quippe sine altero recte intelligi potest, quia videlicet verba quidem diversa, sensus tamen idem est. Igitur eunuchus qui non ingrediatur in ecclesiam Domini, et non faciens semen in Israel, qui et idcirco maledictus esse debeat, quia semen non fecerit in Israel, ille est, qui cum possit verbo ædificare proximum, mutus incedit, vel cum bona et utilia noverit, otiosa magis et vana diligit. Hic illi oppositus est qui se castravit propter regnum cœlorum, quia videlicet quantum ille laudabilis est, eo quod facultatem habens naturalem seminandi filios, carnis continens est propter regnum cœlorum, scilicet [ut] vacare possit orationi, et juxta apostolicum consilium tantum sollicitus sit quæ sunt Domini : tantum hic detestabilis est, eo quod commissum habens talentum verbi Dei, quo ad ædificationem multorum bene possit operari et utiliter negotiari, vacat otio, et acceptam indigne gratiam negligit.

CAPUT XXIII.

« Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, » qualicunque discretione observandum sit.

Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egrediatur extra castra et non revertetur priusquam ad vesperam. Lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra. Illic jam recte quæritur utrum post illusionem quæ per somnium solet accidere, quilibet corpus Domini valeat accipere, vel si sacerdos possit sacra mysteria celebrare, quia ecce lex non nisi lotum aqua, nec ante vesperam concedit in ecclesiam vel castra intrare. Et quidem spiritualiter intelligitur, quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Et hic lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, et nisi prius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperam cognoscat. Sed ut simplicem nunc teneamus litteram, est in eadem somnii illusione valde necessaria discretio, qua subtiliter pensari debeat, ex qua re menti dormientis accidat. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex crapula contingit, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhiberi mysterium pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Cum vero ex naturæ superfluitate, vel infirmitate invenerit, omnimodo hæc illusio timenda non est, quia hanc animus pertulisse magis quam fecisse dolendus est. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Tribus enim modis omne peccatum cogitationis impletur, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Videat ergo qua ex radice inquinatio illa processerit: scilicet utrum suggestione an delectatione, vel, quod majus est peccati, consensu acciderit, quod et cogitavit sciens, et pertulit nesciens. Suæ igitur conscientiæ judicio relinquitur, qui nocturno fuerit somnio pollutus, ut pro modo pollutionis digne lacrymis suis, vel pœnitentiæ satisfactione lavetur, priusquam in castra Dei regrediatur, id est priusquam sacris mysteriis Christi participetur?

CAPUT XXIV.

Quo sensu mystice intelligendum sit quod ait : « Fodies per circuitum et egesta humo operies. »

Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo. Cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies, quo relevatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat inimicos tuos tibi, ut sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. Fodies, inquit, *per circuitum, et egesta humo operies quo relevatus es.* Naturæ corruptibilis pondere gravati, a mentis nostræ utero quædam superflua cogitationum quasi mentis gravamen erumpunt. Sed portare sub balteo paxillum debemus, ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, et hoc quod a nobis fetidum erumpit, abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum celatur. Huic sensui legis illud quoque de Evangelio congruit : *Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* XII). Amat quippe animam suam, qui quantum in deliciis, tantum in vitiis fovet præsentem vitam suam, qui sibi blanditur, qui etiam malam defendit vitam suam, qui dicit cum isto stulto divite : *Anima, habes multa reposita in annos plurimos* (*Luc.* XII). Iste ergo perdet eam, nocte enim, id est, tempore vel hora quam ignorat *repetent eam* (*ibid.*). Econtra odit animam suam, qui abhorret, qualem fuisse meminit præteritam vitam suam; qui conversus ingemiscit, et seipsum punit per pœnitentiam, numerans singulos actus suos, et pro singulis semetipsum accusans, et proprio condemnans judicio. Nam hoc quoque quasi sedens fodit per circuitum, et egesta humo operit, quo relevatus est, juxta prophetam, dicentem : *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI). Hoc agit pro reverentia Domini Dei sui, ambulantis in medio castrorum, ne quid fœditatis appareat coram illo, et **333** offensus derelinquat locum cordis fetidum. Iste ergo in vitam æternam custodit eam.

CAPUT XXV.

Quomodo Christus faciat hoc quod ait : « Ne tradas servum domino, qui ad te confugerit, » id est eum qui ad se conversus fuerit non relinquat diabolo, et quomodo hoc observare debeat Ecclesia.

Non tradas servum domino suo, qui ad te confugerit. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet, nec contristes eum. Ut interim sensum spiritualem continuemus, huic capitulo illud Evangelii dictum consentit : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejiciam foras.* (*Joan.* VI). *Eum*, inquit, *qui venit ad me*, sive servum sive liberum, id est sive gentilem, sive Judæum, *non ejiciam foras.* Nam servus tot dominorum, quot cultor dæmoniorum, gentilis erat populus, liber autem Judaicus sibi videbatur. Sed et singuli hominum, quot vitiorum vel peccatorum tot sunt servi dominorum, *quia omnis qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII), propter quod et *non manet in domo in æternum* (*ibid.*). At ille liberator, eum qui venit ad se, non ejicit foras, ut jam dictum est, id est convertentium se ab errore vitæ suæ nullum a sua repellit gratia, sive ille Judæus, sive gentilis sit, sive masculus, sive femina, sive barbarus, sive scytha (*Gal.* III); igitur et hoc modo legem adimplet, non tradendo servum domino, qui ad se conversus fuerit, non relinquendo diabolo, cui hactenus servivit. Quod postulans Psalmista dicit : *Non tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori* (*Psal.* CXXX). Tu ergo, quicunque es, consecretalis ejus qui legem dedit, quicunque in domo ejus, quæ est sancta Ecclesia, sanctæ libertatis officia suscepisti, *non tradas servum domino suo, qui ad te confugerit*, id est peccata sua confitentem, et ea relinquere volentem, ne in desperationem abigas, qualecunque crimen vel quantumcunque admiserit : *Nec contristes eum*, imo consolare juxta Apostolum, *ne abundantiori tristitia absorbeatur.* (*II Cor.* II). *Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet*, id est in quocunque proposito vel ordine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

devoverit suam usque ad finem pœnitentiam aget. Cæterum juxta sensum litteralem, hoc præceptum sancta Christi Ecclesia sic observat ut, secundum canonicam auctoritatem, Judæorum sive paganorum mancipia, semel ad ipsam fugientia nunquam quibuslibet suasionibus reddere debeat. Sanctum quippe est lege canonica, ut si quilibet Judæorum aut paganorum servus ad venerabilia loca fidei causa confugerit, nullatanus eum patiamur præjudicium sustinere. Sed sive olim Christianus, sive nunc fuerit baptizandus, sine ullo Christianorum pauperum damno, religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem omnibus modis defendatur.

CAPUT XXVI.

Quid sit spiritualiter ingresso vineam proximi uvas intus comedere, foris autem non efferre.

Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Proximus tuus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus est, qui vulneratum hominem ubi ab Hiericho in Jerusalem descenderat, misericorditer suscepit, et inde proximus ejus dicitur et est, quia cum illo misericordiam fecit (*Luc.* x). Unde ei loquitur per Prophetam : *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum, sic complacebam.* (*Psal.* xxxiv). Porro vinea ejus Ecclesia ejus est, quemadmodum in propheta dicit spiritus : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ, vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei* (*Isa.* v). Ac deinceps : *Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est, et vir Juda germen delectabile ejus* (*ibid.*). Vineam hanc ingressus es, quando ad fidem Christi tanquam operarius a patre familias vocatus es (*Matth.* xx). *Comede* ergo, inquit, *uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum,* id est opera bona quantacunque potes corde bono et animo volenti, nihil autem quasi ad oculos hominum. Qui enim lucem suam lucere facit *coram hominibus, ut videant opera ejus bona, et glorificent Patrem qui est in cœlis* (*Matth.* v), ille profecto intus uvas comedit, et proximo suo nequaquam damnosus, imo charitati ejus gratiosus existit. Quia autem fecit justitiam suam coram hominibus, ut videatur ab eis, uvas procul dubio foras extulit, et in hoc amici gratiam læsit. Dicit enim de hujusmodi : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Joan.* vi). Receperunt, inquam, nec æterna familiaritate ad eamdem proximi ingredientur vineam.

CAPUT XXVII.

Quid sit de segete spicas frangere, et manu conterere, falce autem non metere.

Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres, falce autem non metes. Ejusdem amici vel proximi seges sancta Scriptura est, quæ de patrum ejus secundum carnem dictis vel factis contexta est. *Franges* ergo, inquit, spicam manu, ut ad latentia grana pervenias, id est discutiens occidentem litteram, ut de reposito intrinsecus spirituali sensu vivas; *falce autem non metes,* id est non condemnabis, qualecunque illud sit quod ab antiquis patribus fit aut actum est. Verbi gratia : *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera* (*Gal.* iv), hæc et his similia si tanquam adulteria reprehendas, aut judices, rationem non discernens temporum, quod videlicet ante legem alia licentia fuerit, alia sub lege, atque alia in pulchritudine sit, Evangelii; si, inquam, hæc reprehendas, vel condemnes in hominibus sanctis patribus nostræ fidei, quorum de semine salus nobis Christus advenit, nimirum se, etem amici falce indiscreta messuisti. *Manu* igitur tantum horrentem spicam *conteres,* id est per allegoriam dicta esse hæc intelliges.

CAPUT XXVIII.

Quod homo si acceperit uxorem, et eam oderit, permittitur ei dare libellum repudii, qualiter et singulis nostrum debeat intelligi, et qualiter Christus Synagogæ id fecerit.

(Cap. XXIV.) *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suo. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque illi libellum repudii, et dimiserit eam de domo sua, vel certe fuerit mortuus, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tibi tradiderit possidendam.* Patet profecto quia via præcepti **334** ratione juxta litteram caret. Quod et Veritas in Evangelio testatur, dum Pharisæis objicientibus quod Moyses mandavit dare libellum repudii, et uxorem dimittere, respondens dixit : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, mandavit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic,* etc. (*Matth.* xix). Et hic ergo litteræ spicam conteramus, atque inde spiritualis sensus granum capiamus. Homo uxorem accipit, cum actionis terrenæ suscipit curam, cujus si fœditatem cognoverit, dat libellum repudii, et dimittit eam de domo sua, quia sæpe ipsa terrena actio quæ priusquam haberetur fortiter amabatur, cum habita fuerit, cujus sit fœditatis agnoscitur, cum esse polluta per peccata videtur. Dimittat ergo eam vir de domo sua, ut amorem ejus rejiciat a mente sua, quæ egressa virum alterum accipiat quia terrenam actionem, quam tu deseris, alius concupiscit. Sed fortasse et ipsa in odium quandoque ventura est, ut eam utiliter dimittat. Bene autem dicitur, *dimiserit eam, vel certe mortuus fuerit,* quia unusquisque terrenam curam aut dimittit aut moritur, id est aut non ei ex animo succumbit, aut propter eam funditus in animæ vita succumbit. Sive ergo sequens eam maritus dimiserit, sive mortuus fuerit, *maritus prior non poterit eam in uxorem accipere, quia polluta est,* ut videlicet is, qui semel curam terrenam atque vitæ præsentis intentionem reliquerit, ad eam ultra nullo modo redeat, quam ipse jam suo judicio pol-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tuit, quia eam prius ideo deseruit, quia pollutam esse cognovit. Cæterum et juxta allegoriam sensus altior est, in eo videlicet quod sicut per prophetam testatus est matri vestræ Synagogæ, o Judæi, libellum dedit repudii. Verumtamen litteram ejusdem præcepti, partim per misericordiam præterit idem Deus judicii, cum itidem in propheta dicit: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit alterum virum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta, et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te* (*Jer.* III). Igitur nunc quidem Synagoga libellum accepit repudii, quia quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic illa Christum contempsit, alterumque maritum diabolum duxit, verumtamen ad priorem maritum reversura est, et ille revertentem suscipiet, quia cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* II).

CAPUT XXIX.

Quid sit loco pignoris inferiorem et superiorem molam non debere accipi.

Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam apposuit tibi. Accipere dicimus aliquando auferre. Unde et Paulus apostolus dicit: *Sustinetis enim, si quis vos devorat, si quis accipit* (*II Cor.* XI), ac si diceret, si quis rapit. Pignus vero debitoris est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum a peccatore jam peccati confessio tenetur. Superior autem et inferior mola est, spes et timor. Spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior et inferior ita sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris namque pectore debet spes et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat. Incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur, quia qui peccatori prædicat tanta dispensatione componere debet prædicationem ut nec derelicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior aut inferior tollitur, si per prædicantis linguam, in peccatoris pectore, aut timor aut spes a timore dividatur.

CAPUT XXX.

Quid sibi velit quod præmissa sententia in eum qui fratrem suum vendiderit, plagam lepræ cavendam esse, mox subjunxit, et quod ille quoque fratrem suum vendat, qui venale habet Evangelium Christi, ac proinde leprosus sit, ut Giezi.

Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, interficietur, et auferes malum de medio tui. Manifeste juxta litteræ quoque sensum grande in venditione fratris sacrilegium est, cujus reos se constituerunt filii Jacob, quando ab illis in servum venundatus est Joseph (*Gen.* XXXVII). Sed continuo sequitur: *Observa diligenter ne incurras in plagam lepræ, sed faciez, quodcunque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite.* Et protinus: *Memento quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto.* Quidnam hoc sibi vult, quod præcepto tali præmissa lepram tantopere cavendam esse decernit? aut nunquid observare potest, aut in arbitrio ejus est plagam lepræ non incurrere? Ergo et in hoc altius quidpiam requirendum est. Deprehensus quippe est homo, quod vendito fratre suo pretium acceperit, quando populus Judaicus, aut sanguinem Christi, secundum carnem fratris sui funderet, pretium dedit et accipit; traditor quippe Judas pretium sanguinis triginta argenteos retulit (*Matth.* XXVII). Hoc facto tota Synagoga lepram maledictionis incurrit, cujus in typum Mariam, ut suo loco jam dictum est, per totum corpus lepra candens operuit (*Num.* XII). Igitur quicunque Christum ex lege et prophetis venturum esse didicisti, ejusque venditionem in Evangelio legere vel audire potuisti, *observa diligenter, ne incurras in plagam lepræ*, id est ne consentiendo sacrilegiis Judæorum, maledictione operiaris, et sempiterna confusione induaris, et cum illo cœtu malignantium projectus, habites extra castra proficiscentis in cœlum Ecclesiæ. Hoc inquam, *observa diligenter*, et fac quodcunque *docuerint te sacerdotes Levitici generis*, id est prædicatores evangelicæ veritatis. Ipsi enim docere te possunt qualiter lepra careas ejusmodi. Præterea fratrem suum et ille vendit, qui venale habet Evangelium Christi. Frater enim vester ille est, quemadmodum in Evangelio dicit: *Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joan.* XX). Et alibi cum dixisset: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* (*Matth.* XII.) extendens manum in discipulos suos, dixit: *Ecce mater mea et fratres mei.* Qui ergo venale habet Christi Evangelium, maxime vero si venale faciat qualecunque Christi sacramentum, profecto hic vendit fratrem suum. Hic autem adeo lepram incurrit ut hæreticus judicetur, quemadmodum in Actibus apostolorum Magus ille Simon (*Act.* VIII), a quo usque hodie venditores vel emptores gratiarum Christi, Simoniaci dicuntur. Igitur quicunque legistis vel audistis, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X), *observa*, inquit, *diligenter ne incurras plagam lepræ*, subauditur pro tali fratris venditione, et hoc patiaris in anima, quod Giezi pertulit in corpore. Nam quemadmodum lepra Mariæ cladem **335** illorum spiritualem significat, qui per superbiam mentis in foveam inciderunt hæreticæ doctrinæ sic lepra Giezi morbum illorum exprimit (*IV Reg.* V) qui propter venalitatem cujuslibet evangelicæ gratiæ, tanquam leprosi projiciuntur de sinu matris Ecclesiæ.

CAPUT XXXI.

Eum qui repetit rem aliquam a proximo, non debere domum ejus ingredi, id est neminem debere curiosum vel suspiciosum esse erga conscientiam peccatoris.

Cumque repetes a proximo tuo rem aliquam quam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi. In ipsa superficie sua, pulchra et amabilis est ista clementiæ lex. Porro id quod intrinsecus latet, pulchrius est. Spiritualiter namque rem aliquam a proximo repetimus, quoties proximum pro aliquo peccato corripimus, juxta illud Evangelicum : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum* (*Matth.* XVIII). *Non ingredieris*, inquit, *domum ejus ut pignus auferas.* Domum proximi ille ingreditur ut pignus auferat qui curiosus et nimium suspiciosus vitam ejus perscrutatur, ut accusationem adversus illum inveniat. *Non* ergo *ingredieris*, inquit, *domum*, id est non curiose ages, ut publicè arguere vel reprehendere possis quæ forte secreto commissa sunt. Sed quid ? *Foris stabis, et ille tibi proferet quod habuerit. Foris*, inquam, *stabis*, foris pulsabis, foris sermonem facies, ita ut non uni, sed omnibus non de uno, sed de cunctis loqueris, annuntiando quod nihil opertum quod non reveletur, nihil occultum quod non saltem in futuro judicio sciatur (*Matth.* X), quatenus dum omnes sollicitos reddis, unus securus non sit. Tunc *ille tibi proferet quod habuerit*, id est sponte sua confitebitur quod fecit, et tu pro illo orabis, juxta præceptum Apostoli dicentis : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini* (*Jac.* V). Tu itaque sponte confitenti, statim dimittes ei. Nam hoc est quod sequitur : *Non pernoctabit apud te pignus, si pauper est, sed statim reddes ei ante solis occasum*, etc. Hæc in te discretio esse debet ut si pauper spiritu est, si humiliter confitetur, si pro peccato suo compungitur, statim dimittas ei ante solis occasum, id est antequam incidat in desperationis periculum, ut dormiens in vestimento suo, id est requiescens in spe salutis suæ benedicat tibi, quia tu animam ejus lucrifecisti, ut habeas justitiam coram Domino Deo tuo, videlicet quam subsudire te voluit dicendo : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* (*Matth.* XVIII).

CAPUT XXXII.

Quod illa non videantur contraria, quod dictum est, « non occidentur patres pro filiis, » et « qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus. »

Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque in peccato suo morietur. Alibi dictum est : *Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* XXXIV). Nec hæc sibi contraria videantur cum dicit, *nec filii occidentur pro patribus*, subaudiendum est, qui peccata patrum non sequuntur. Nam ubi dictum est : *Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus* itidem subaudiri oportet, qui patres iniquos imitantur. In qua distinctione cum ratio justitiæ manifeste se offerat, de solis parvulis magna et antiqua quæstio est, cur cum nullum habeant actuale peccatum, pro sola iniquitate patrum, id est pro originali peccato apud inferos detineantur. De quibus cum rectissime Deo dicas : *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV) et id beati Job sub talium persona : *Et multiplicabis vulnera mea etiam sine causa* (*Job* IX) ; illud tamen de omnibus morti prædestinatis sciendum est quia generationis vel superfluæ originis eorum causa peccatum est. Post peccatum namque Evæ dictum est : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* (*Gen.* III). Nam econtra generationis vel originis eorum, qui ad vitam prædestinati sunt, causa efficiens benedictio Dei est, dicentis ante peccatum : *Crescite et multiplicamini et replete terram, subjicite eam* (*Gen.* I). etc. Profecto parvuli, qui ante perceptam Christi gratiam ex hac luce subtrahuntur, eo ipso quod sic subtracti sunt, palam faciunt, quia non ex præmissa benedictione, sed ex subsequentis peccati superfluitate orti sunt. Qua ergo justitia dicentis : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos*, superflui homines nati sunt, eadem et moriuntur. Proinde diligentiori adhuc determinatione sententia supplenda est, nec filii pro patribus morientur, subauditur, si patres alios, scilicet sanctæ Ecclesiæ sacerdotes, imo patrem alium, id est novum Adam Christum habere mereantur.

CAPUT XXXIII.

Non esse recolligenda ea quæ in messe post tergum relicta sunt, id est non semper vel omnia debere abscondi bona opera ab oculis hominum.

Quando messueris segetem in agro tuo, et manipulum oblitus reliqueris, non reverteris ut tollas eum, sed advenam et pupillum et viduam patieris auferre, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus, in omni opere manuum tuarum. Si fruges colliges olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas, sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. Memento quod et tu servieris in Ægypto. Et hæc litteræ superficies plana, mentes nostras valde ad humanitatem vel pietatem ædificat, nec occidit hæc litteræ pars ; imo non minus quam spiritus vivificat. Ipsum jam spiritum de littera non tanquam vitam de occidente, sed tanquam thesaurum de thesauro, tanquam mel de cera producere promptum est. Spiritualiter namque messes segetum, fruges olivarum, racemi vinearum nostrarum, opera justitiæ nostræ sunt. Et segetem utique nostram, olivas nostras, racemos quoque nostros, absque ullo residuo colligimus, quando ita cavemus justitiam nostram facere coram hominibus, ut a nullo videamur. Verum si tantopere semper timeamus spectatorem, nunquam habebimus imitatorem. Ergo *non reverteris*, inquit, *ut tollas eum* quem oblitus reliquisti manipulum, non ut colligas quidquid in arboribus remanserit olivarum, aut vinea quidquid residuum fuerit racemorum, sed advenam et pupillum et viduam patieris auferre, *sed relinques pupillo, ac advenæ, ac viduæ*, sed cedent in usus advenæ pupilli, ac viduæ. Advena, pupillus, ac vidua, quia non seminaverunt, quia olivas et vineas non plantaverunt, pauperes

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sunt Ecclesiæ, qui fidem habent quidem, sed nondum fidei congrua opera justitiæ fecerunt. Plura ergo operum nostrorum propter periculum miseræ vanitatis intra conscientiæ secretum quidem reponamus, aliqua tamen hujusmodi **336** pupillis vel advenis ac viduis relinquamus, ut nostris provocentur exemplis, *ut* sicut ait Dominus noster, *videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v).

CAPUT XXXIV.

Quare in corripiendo homine quantitas plagarum quadragenarium non debeat excedere numerum, et de quadragenario jejunio Domini.

(Cap. XXV.) *Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt. Quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit, et plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedat, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Plagarum virgarum medicamentum scimus esse culparum, quæ non ad mortem sunt, quo scilicet et præterita culpa diluatur, et de futuro peccandi cupiditas metu pœnæ experiæ reprimatur. Nam et idcirco in Ecclesiastica disciplina improbos et duros ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coercere debemus, scientes scriptum : *Stultus verbis non corrigitur* (*Prov.* xxiii). Et iterum : *Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte* (*ibid.*). Sed quare secundum hanc legem quantitas plagarum quadragenarium non debet excedere numerum ? Quare prostrato homine sub tot ictibus plagarum fœdum esse debuit pupillo illi, non satiari numero tot plagarum ? Videlicet, quia simul omnes ipsi peccaverunt in scelere vituli, quem fecit Aaron, et prostratus Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus sub plagis jejuniorum satisfecit Domino pro reatu ipsorum : sic enim dicit : *Et jacui coram Domino quadraginta diebus et noctibus* (*Deut.* ix), sive et procidi ante Dominum, sicut prius quadraginta diebus et noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ fecistis contra Dominum, et exaudivit me Dominus etiam hac vice. Bene ergo in ipso fervore judicii, lex sancta miserationis memor am facit, mira diligentia non immemores esse permittens delicti universalis sub omni pœna singularis cujuslibet hominis, dum ejus tenentur lege numeri, quo ipsi alio vapulante, misericordiam consecuti sunt. Hæc pietas legis Paulo quoque apostolo modice subvenit. Ait enim : *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi* (*II Cor.* xi). Judices iniqui injuste judicatum, impie prostratum, ne voluptate cædis, vel delectatione crudelitatis toto viderentur permisso uti, parce quinquies verberaverunt, dum de quadragenario numero, quem transgredi non audebant, plagam unam jam lacerato corpori denudaverunt. Porro qui spiritualiter totam legem adimplevit, novus homo Jesus Christus, huic quoque parti legis in semetipso sic obtemperavit ut pro gula primi hominis, jejuniorum plagas sustinens, quadragenarium non excederet dierum numerum ; nam consummatis illis, *ecce accesserunt angeli et ministrabant ei* (*Matth.* iv). Ubi usque hodie solemne est tam publicis quam privatis satisfactionibus hunc dierum indicere numerum, et ita sponte sua prostratos ac pœnitentes legitime plagis abstinentiæ coram Domino verberari.

CAPUT XXXV.

« *Non alligabis os bovis triturantis.* »

Non alligabis os bovis terentis in area fruges tuas. Nota jam dudum et celebris auctoritas bovem hic simpliciter vetat intelligi. Paulus namque apostolus cum dixisset *Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi* (*I Cor.* ix), subsecutus adjunxit : *Nunquid secundum hominem hæc dico ? An et lex hæc non dicit ? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo ? An propter nos utique dicit ? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi* (*ibid.*). Igitur bos hoc loco Evangelista, id est Evangelii prædicator debet intelligi, qui tunc utique triturando in area granum a palea separat, quando Scripturas tractando in publica ecclesia, sensum legis spiritualem de sterili producit littera. Huic justitia Dei providet, dicendo : *Non alligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, id est non patieris esurire in corpore prædicatorem, qui tibi ministrat animæ victualia ; non, inquam, illi negabis tua carnalia, qui sua tibi seminat spiritualia (*ibid.*), præsertim cum in evangelio et Veritas eadem eademque dicat justitia : *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* x).

CAPUT XXXVI.

De eo quod ait : « Uxorem defuncti accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratris sui. » Et de Ruth Moabitide, ex qua genitus est Obed pater Isai, patris David.

Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, pergat mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque : Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in conjugium sumere. Statimque accersiri eum facient et interrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus, tolletque calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem ejus, et dicet : Sic fiat homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel : Domus discalceati. Secundum hanc legis litteram via facta, aditus apertus est, quo in generatione Christi, qui secundum carnem ex Judæis est, gentilitas quoque locum haberet, ut scilicet Ruth Moa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

bitidem, Booz jure propinqui uxorem acciperet, recusante illo qui erat propinquior accipere uxorem fratris sui, et suscitare semen ejus (*Ruth* IV). Ubi tamen notandum quia non omnino secundum hanc legem accessit mulier ad illum coram senioribus, ut tolleret calceamentum de pede ejus, spueretque in faciem illius, et diceret : *Sic fiat homini qui non ædificat domum fratris sui*, sed dixit illi propinquo Booz : *Tolle calceamentum : quod statim solvit de pede suo. At ille majoribus natu et universo populo Israel : Testes vos*, inquit, *estis hodie* (*ibid.*), etc. Forsitan quia peregrina erat mulier, idcirco non tota licentia, vel permisso legis uti ausa est. De illa genitus est Obed pater Isai, patris David, qui secundum carnem pater est Domini nostri Jesu Christi. Itaque, ut jam dictum est, per gratiam **337** legis hujus admissa est in generationem Christi Filii Dei, ut jam diximus, post Raab meretricem Ruth Moabitis. Secundum quam Isaias propheta dicit : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion* (*Isa.* XVI). Petra namque deserti mulier illa fuit de medio gentilitatis, quæ videlicet gentilitas, prius a Deo deserta exstitit, unde secundum carnem, Agnus Dei filius David Christus processit.

CAPUT XXXVII.

Quod mystice vir defunctus Christus sit, et frater ejus qui prævalet regere Ecclesiam Dei, suscitare debeat semen ejus.

Porro mystice frater defunctus ille est qui post resurrectionis gloriam apparens, dixit : *Ite nuntiate fratribus meis* (*Joan.* XX), qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur, quia dignum profecto est ut cura sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc bene regere prævalet imponatur. Cui nolenti mulier in faciem expuit, quia quisquis ex muneribus quæ percepit prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, et quasi in faciem salivam jacit. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus vocetur. Scriptum quippe est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI). Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Interea uxor defuncti, uxor inquam Synagoga, quæ defuncto, id est, illi qui pro ipsa mortuus est nubere debuit, nupsit alteri, quippe quæ et Barabbam latronem habere maluit, et contempto eo qui in nomine Patris sui benedictus advenit illum exspectet alium qui maledictus in nomine suo venturus est. Unde et illud : *Quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum* (*Isa.* LVII).

CAPUT XXXVIII.

« *Si habuerint inter se jurgium viri,* » etc. *Et cujus rei mysterium sit in Christo et Satanæ Synagoga, et quomodo manus Synagogæ nunc abscissa sit.*

Si habuerint inter se jurgium viri, et unus contra alium rixari cœperit, volensque uxor alterius viri eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum suam, et apprehenderit verenda ejus, abscinde manum illius, nec flecteris ulla misericordia super eam. Merita pœna frontosæ et impudenti mulierculæ, quæ teneras et occultas invadendo naturæ radices, dolore simul ac pudore virum fortem ipsa sine fortitudine afficeret. Sed quid in conscribenda lege justitiæ talis ac tantilli infortunii meminisse dignatus est digitus Dei? Nempe si sine spiritu vel mystico sensu scriptum putes, exile atque ridiculum hoc litteræ corpusculum est. Ergo et in hoc mysterium quæramus, ut mulierem viri fortis inimicum, ubique persequamur. Nempe hæc mulier Synagoga est. Porro duo viri qui jurgium, imo certamen magnum inter se habuerunt, hinc Christus, atque inde diabolus est. Et ille quidem fortis, sed hic fortior est, quemadmodum dicit : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum* (*Luc.* XVII), etc. Hujus viri fortioris atque fortissimi nihil aliud mulier illa, nisi carnis infirmitatem novit. Nempe quemadmodum in Noe de vinea, quam plantaverat ipse, inebriato atque in tabernaculo suo verenda discooperta (*Gen.* IX), mystice carnis significant infirmitatem, ex qua crucifigi potuit Deus et homo Christus a vinea sua, domo Israel, aceto cum felle totaque mortis amaritudine inebriatus, sic et in hoc loco verenda viri fortis, quæ mulier viro suo favens apprehendit, naturam significant humanam ejusdem Christi Filii Dei secundum quam tenere illum et crucifigere potuit Synagoga, partibus favens viri, imo adulteri sui diaboli. Quid igitur ? *Abscindes*, inquit, *manum ejus, nec flecteris ulla misericordia super eam.* Palam omni mundo est, totus orbis audivit et intelligit quia manus abscissa est Synagogæ; abscissa, inquam, a vivo corpore, abscissa a tota patriarcharum et prophetarum fide, ita ut nihil operari possit, ut omne opus ejus mortuum, et a Deo vivo separatum sit. Præterea et toties inter se viri jurgium habent, quoties cum hæretico vir catholicus, fide fortis ac sermone potens, pro fidei defensione, publicum init certamen. Mulier autem volens eruere virum suum de manu fortioris, mittit manum, et verenda illius apprehendit, quando fautorum quilibet disputandi ordinem nesciens, ad turpia vel trivialia convicia prorumpit. Et si quam novit aut confingere potest, viro forti saltem falso, de præteritis ejus actibus maculam injicit. *Abscindes* igitur, inquit, *manum illius, nec flecteris ulla misericordia super eam*, ut videlicet etiam si qua virtus ejus est, tanquam vitium contemnas, et velut stercus abjicias, ita ut confidenter dicas : *Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier* (*Eccl.* XLII).

CAPUT XXXIX.

« *Non habebis in sacculo diversa pondera.* » *Et quod spiritualiter apud se hæc habeat hæreticus.*

Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Pondus habebis justum et verum, modius aequalis et verus erit tibi, ut vivas multo tempore super terram quam Dominus Deus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus eum qui facit haec, et aversatur omnem injustitiam. Pondera, inquit, *majus et minus, modius major et minor.* Majus videlicet pondus, et major modius ad accipiendum vel emendum, minus pondus et minor modius ad dandum vel ad venundandum. Ejusmodi emptores vel venditores, recte mangones, quasi manciones vocamus, eo quod acceperint vel emerint, dando vel venundando mancum faciant, id est minus. Talibus recte similis existimatur quisquis in negotiatione cœlesti ac spirituali positus, pretiosas verbi Dei margaritas quascunque acceperit parte aliqua in reddendo mutilat, ut videlicet de sacræ Scripturæ vocibus eisdem aliter sentiat, atque aliter dicat. Nam quasi majore cum pondere vel modio aurum atque argentum, vel frumentum, sive etiam oleum accipit, et cum minore reddit, qui Dei verbum recto intrinsecus sensu per intellectum ponderans, contentiose tamen extrinsecus perversis vocibus exponendo pervertit. *Abominatur*, inquit, *Dominus eum, qui facit haec*, quia videlicet hæreticus et impius est. *Abominatur*, inquam, ita ut peccatum hujusmodi, neque in hoc sæculo remitti testetur, neque in futuro (*Matth.* XII). Verbum namque contra Spiritum sanctum dictum est, ubi, revelante Spiritu, Scripturæ sensum male exponendo diminuere malus mensor, ac fraudulentus ponderator audet.

338 CAPUT XL.

De eo quod ait : « Memento quæ fecerit tibi Amalech, et delebis nomen ejus sub cœlo, » et quod nobis spiritualiter diabolus sit Amalech.

Memento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub cœlo. Cave ne obliviscaris. Jam alibi dictum quia lassos Hebræi hic immundos secundum legem extra castra manentes intelligunt, quos cecidisse Amalechitæ dicuntur : quia, sicut ipsi tradunt, eorum circumcisionem amputaverunt, et in subsannationem Dei in cœlum projecerunt. Gravissime dictum, severissime imperatum contra Amalech, tam hic cum dicitur : *Cave ne obliviscaris*, quam in Exodo, ubi dictum est : *Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade in auribus Josue. Delebo enim memoriam Amalech de sub cœlo* (*Exod.* XVII). Porro præcepti hujus adimplendi sors super Saul cecidit, dicente Domino sic : *Recensui quæcunque fecit Amalech Israel, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc igitur vade et percute Amalech* (*I Reg.* XV). Non igitur mirum aut injustum quod talem ob culpam irrecuperabiliter projectus est Saul, quia prævaricari ausus est, quod ex lege semel atque iterum, imo et tertio tanta cum gravitate præceptum est. Cæterum et imperantis auctoritas, et inobedientis pœna timorem nobis sancire debet, ut caveamus ne obliviscamur quid nobis fecerit spiritualis Amalech, ex quo egressi sumus de Ægypto, ex quo Rubrum mare baptismi Christi transivimus, *quomodo occurrerit* nobis, *et extremos agminis*, qui *lassi* residebamus, *ceciderit*, *quando* eramus *fame et labore* confecti. Iste namque Amalech diabolus est, qui ex quo Christi baptismate abluti, peccati originalis reatum evasimus, singulos nostrum pertinaciter est persecutus, ut quia credentes in Christum, de Ægypto, id est de ignorantiæ tenebris exivimus, saltem actualibus præpediti peccatis terram repromissionis, terram viventium nequaquam ingrediamur. Novit quisque nostrum quid ab ipso passus sit, qualiter concisus, quibus vel qualibus vulneribus in anima confectus sit. Igitur pro se unusquisque nostrum adversus hunc Amalech per pœnitentiam consurgat, quaterus hujus de sub cœlo memoriam perimat, nam Pharaonis et exercituum ejus, id est peccatorum, quæ baptismum præcesserunt, per solam gratiam Christi, tota periit memoria.

IN DEUTERONOMIUM LIBER SECUNDUS.

(Deut. cap. XXVI-XXXIV.)

CAPUT PRIMUM.

De eo quod ait : « Cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, » etc., quomodo spiritualiter ad nos pertineat.

(CAP. XXVI.) Ultimum, id est nonum decimum in Pentateucho librum cudentes, faciamus quod, post illa quæ promissa sunt, continuo dicit sancta hæc et spiritualis lex. *Cumque intraveris terram, quam tibi Dominus Deus daturus tibi est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in illa, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et ponas in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. Accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu ejus, ponet ante altare Domini Dei tui, et loqueris in conspectu Domini Dei tui ante altare. Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum*, etc. Dei namque et Domini nostri Jesu Christi gratia terram intravimus, quam ille nobis dedit possidendam, obti-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nuinus eam atque habitavimus in illa omnes, quibus ille sensum aperuit, ut intelligeremus Scripturas. Etenim Scripturarum campus jam quædam terra viventium est, ita ut secundum illas viventes et in ipsis ambulantes, recte dicamus : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Unde et cunctis credentibus, atque post legis umbram, Evangelicam veritatem tenentibus, totius Ecclesiæ jamdudum ore cantatur : « Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac et mel, et ut lex Domini semper sit in ore vestro. » Igitur ut jam diximus, cum Dei adjutorio faciamus quod subjectum est. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo*, id est in canistro sive in calatho, *pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus.* Primitiæ frugum nostrarum, optima quæque studiorum nostrorum sunt. Porro locus quem elegit Dominus Deus noster ut ibi invocetur nomen ejus, Ecclesia catholica est, extra quam nusquam prope est invocantibus eum, extra quam alibi nusquam invocatur in veritate nomen ejus. Sacerdos qui est in istis diebus, ipse est Pontifex magnus, qui penetravit cœlos, Jesus Christus (*Hebr.* IV), qui nequaquam ut cæteri, morte prohibitus est permanere, sed **339** *sempiternum habet sacerdotium, eo quod maneat in æternum* (*Hebr.* VII). Ad hunc igitur locum, ad hunc sacerdotem magnum pergamus portantes primitias frugum nostrarum, id est ad sanctæ Ecclesiæ ædificationem, ad Christi Domini nostri deferamus honorem, optima quæque laborum vel studiorum nostrorum, dicentes omnes, dicentes singuli ad eum : *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo quod ingressus sum in terram pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* Quod est dicere : Confiteor hodie, id est hoc tempore impletum esse illud quod loquens pollicitus est, et juravit ad Abraham patrem nostrum Dominus Deus noster, dicens : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), et hoc semen Jesum Christum esse, qui in diebus Herodis regis natus, et sub Pontio Pilato passus est, qui et resurrexit a mortuis, atque ita per illum factum est ut ingrederetur in *terram pro qua juravit patribus nostris*, terram viventium, terram paradisi cœlestis, *ut daret eam nobis.* Cum hac professione : *suscipiens*, inquit, *sacerdos cartallum, ponet ante altare Domini*, subauditur, quod est ante oculos Domini, ut memoriale tuum æternum sit; juxta istud quod per prophetam loquens ipse Dominus : Sermones mei, inquit, non deficient de ore tuo, et munera tua accepta erunt super altare meum. *Et loqueris*, ait, *in conspectu Domini Dei tui*, subauditur, causam cur tali ordine, scilicet per passionem Christi, terram illam nos oportuerit ingredi *pro qua juravit patribus nostris*, quæ videlicet causa est hujusmodi.

CAPUT II.

« *Syrus persequebatur*, » etc. *Qualiter et nobis in confessione et oblatione sit dicendum : « Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum. »*

Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in pauciss mo numero. Crevitque in gentem magnum atque robustam, et infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii et persecuti sunt imponentes onera gravissima. Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram et laborem, atque angustias, et eduxit nos de Ægypto in manu forti, et brachio extento, in insigni pavore, in signis atque portentis, et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram manantem lacte et melle. Syrus, inquit, id est Laban de Mesopotamia Syriæ, assumptis fratribus suis, persecutus est patrem meum, quem et comprehendit in monte Galaad. Sed vidit in somnis dicentem sibi Deum : *Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob* (*Gen.* XXXI). Illum, inquam, patrem meum, id est Jacob, qui est Israel, *Syrus* ille *persequebatur*, non patrem meum Abraham, sive patrem meum Isaac, sed *patrem meum* Jacob. Sequitur enim : *Qui descendit in Ægyptum, ibique peregrinatus est in pauciss mo numero*, etc. Spiritualiter Syrus, quod interpretatur *sublimis*, iste est mundus, mundus reprobatus, mundus damnatus, mundus, inquam, qui pro parte illorum qui de generatione terrena sunt, qui ab initio *persequebatur patrem meum*, inquit, vir fidelis et catholicus; *patrem meum*, inquam, scilicet omnem populum electum, generationem quærentium Deum (*Psal.* XXIII). Duæ namque generationes sunt, altera mundi, altera Dei, jam ab initio mundi a primis fratribus Cain et Abel, alterutrum adversari cœperunt, et usque ad finem sæculi adversi sibimet esse non desinunt. Ex tunc enim pater meus descendere cœpit in Ægyptum ex quo *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt* (*Gen.* VI). Ex tunc enim qui ad generationem Dei pertinent, vitiis et erroribus adversæ generationis involvi cœperunt. Qualiter, secundum mysticum sensum dictorum præsentium, afflixerunt illos Ægyptii et persecuti sunt, et cæterorum quæ sequuntur, de manu vel servitio Pharaonis, spiritualis nos liberaverit Dominus per agnum suum, id est per Christum Filium suum, suo loco plenius dictum est. Illa servitus nostra causa fuit pro qua necessario moreretur, ut prædictum est, moreretur et resurgeret Christus Filius Dei, atque ita nos cum illo ingrederemur in terram hanc *pro qua juravit patribus nostris. Idcirco*, inquiens, *nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit. Et dimittes eas in conspectu Dominii tui.*

CAPUT III.

De eo quod ait : « Decimam frugum tuarum dabis Levitæ et advenæ anno tertio, » et quid sit dicere : « Non comedi ex eis in luctu meo. »

Et adorato Domino Deo tuo, et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, et domui tuæ, tu et Levites et advena qui tecum est. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tua

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ et advenæ, et pupillo, et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur. Notandum valde quod dicitur *anno decimarum tertio, quando repleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno*, inquam, *decimarum*, non primo, aut secundo, sed *tertio dabis Levitæ et advenæ, pupillo et viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur.* Quantum ad litteram, præceptum pietatis est; quantum vero ad sensum mysticum, demonstratio vel prophetia operis apostolici est. Tertius namque decimarum annus hoc evangelicæ gratiæ tempus est. Nam primum tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia est. Porro Levites Judaicæ gentis alumnus est. Advena sive pupillus aut vidua gentium plebecula est. *Tertio*, inquit, *anno dabis*, non solum *Levitæ*, sed *et advenæ* simul, *et pupillo ac viduæ, ut comedant intra portas tuas, et saturentur*, id est revelatæ gratiæ tempore non soli Judæo, ut ante legem vel sub lege, sed Judæo pariter et gentili absque distinctione distribues alimoniam cœlestis doctrinæ, et prædicabis omnibus verbum vitæ æternæ. *Loquerisque in conspectu Domini tui : Attuli quod sanctificatum est de domo mea et dedi illud Levitæ, advenæ, pupillo et viduæ, sicut justisti mihi. Non præteriri mandata tua, nec sum oblitus imperii. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi.* Puta Paulum apostolum in conspectu Domini sic esse locutum. Afferens enim *quod sanctificatum est de domo sua*, et dans *illud Levitæ, et advenæ, pupillo et viduæ*, id est sanctam Evangelii gratiam, de Synagoga foris bajulans atque Judæo pariter et Græco sine distinctione, sicut jussum est illi a Domino dicente : *Quia longe in nationes mittam te* (*Act.* XXII), non comedit quidquam ex eis *in luctu suo*, id est, non reticuit quidquam gentibus propter eos quos lugebat fratres suos Judæos, quos, inquam, lugebat dicendo : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim* **340** *ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* IX); etc. Nempe si propter hunc dolorem subterfugisset, qui minus gentibus evangelizaret gratiam Dei, aliquid ex frugibus vel ex decimis suis comedisset in luctu suo, vel expendisset in re funebri, qui cum item dicit : *Sed quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum detrimenta propter Christum, et arbitror ut stercora* (*Philip.* III), profecto non separavit fruges suas aut decimas in qualibet immunditia. *Obedivi* ergo, inquit, *voci Domini Dei mei et feci omnia sicut præcepisti mihi. Respice de sanctuario tuo et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terram lacte et melle manantem*, etc. Profecto qui sic frugum suarum sanctificatas attulit decimas, ipse fiducialiter sic orat, id est qui, quoad potuit, laboravit in Evangelio Christi, loquendo pariter et perfectæ fidei conscribendo litteras, ipse efficaciter atque confidenter postulat ut ex eis in quibus laboravit aliquem fructum habeat, respiciente Domino de sanctuario suo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedicente populo suo, sine cujus respectu ac benedictione frustra prædicator fatigatur, quia *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III)

CAPUT IV.

De eo quod ait : « Et ædificabis altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit. »

(Cap. XXVII.) *Præcepit* ergo *Moyses et seniores Israel populo dicentes : Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. Cum transieritis Jordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce levigabis eos, ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus Jordane transmisso.* Ac deinceps : *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.* Transmisso Jordane ingentes erigere lapides, eosque ut possint in eis scribere omnia verba legis Domini calce levigare, est celebrata passione et resurrectione Christi lapideas gentium mentes evangelizando concutere, eisque non aliqua vi, sed dulci ac levi prædicatione doctrinæ salutaris voces aut rationes inscribere. Econtrario altare Domino de lapidibus quos ferrum tetigit velle ædificare, est coacte vel vi aliqua legem Christianam invitis auditoribus imponere. Sed hoc vetat sacra lex. Igitur sine ferro altare Domino, id est sine vi Christiana construatur religio, et duri lapides lapidumque cultores levigentur calce, id est suavi mulceantur prædicatione. *Et* ita *scribes*, inquit, *super lapides omnia verba legis hujus plane ac lucide*, videlicet ut fiat quod dictum est : *Si tacuerint, lapides* non tacebunt (*Luc.* XIX), id est si Judæi negaverint Christum qui codices habent, gentiles, legem in cordibus suis scriptam habentes *Rom.* II), prædicabunt.

CAPUT V.

De eo quod ait : « Hi stabunt ad benedicendum, et e regione isti stabunt ad maledicendum, » quid in hoc futurum significetur.

Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens : Hi stabunt ad benedicendum Dominum super montem Garizim, Jordane transmisso, Simeon, Levi, Judas, Isachar, Joseph et Benjamin : Et e regione isti stabunt ad maledicendum in Monte Hebal, Ruben, Gad, et Azer, Zabulon, Dan, et Nephtalim. Quoniam ad usque finem legis jam processimus, opportune ad finem sæculi prospiciamus, et ex Evangelio Christi judicium ultimum hic significari comprobemus. *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem a dextris suis hædos autem a sinistris. Tunc dicet his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV), etc. Ac deinceps : *Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* (*ibid.*), etc. Judicium universale quod illic continuo passurus clara luce pronuntiat Dei Filius, ipsum continuo moriturum in umbra, et sub velamine suo prophetat Moyses Dei famulus. Illic dextra regis et sinistra divisis ac separatis ovibus ab hœdis, hic duo colles contra invicem respicientes, Garizim et Hebal, quorum Garizim *divisio* interpretatur ; Hebal vero *deficiens* sive *disterminans*, vel *vorago vetus* interpretatur. Illic sex opera miserirordiæ dextris ad benedicendum, et sex impietatis sinistris ad maledicendum. Hic sex nomina filiorum Israel in monte Garizim itidem ad benedicendum, et sex nihilominus in monte Hebal ad maledicendum. Sed et sedes duodecim, de quibus alibi dicit : *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim* (*Matth.* XIX), non hic omnino tacitæ sunt, sequitur enim : *Et pronuntiabunt levitæ, dicentes ad omnes viros Israel excelsa voce : Maledictus homo qui facit sculptile*, etc. Duodecim hic maledictiones propositæ sunt, *maledictus homo qui facit sculptile, maledictus qui non honorat patrem suum et matrem, maledictus qui transfert terminos proximi sui, maledictus qui errare facit cæcum in itinere, maledictus qui pervertit judicium, maledictus qui dormit cum uxore patris sui, maledictus qui dormit cum omni jumento, maledictus qui dormit cum sorore sua, maledictus qui dormit cum socru sua, maledictus qui clam percusserit proximum suum, maledictus qui accipit munera ut percutiat animam sanguinis innocentis, maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Econtrario, nihilominus duodecim benedictiones hoc ordine positæ sunt : (CAP. XXVIII.) *Venientque super te omnes benedictiones istæ, et apprehendent te, si præcepta Domini Dei tui audieris. Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris egrediens et ingrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent adversum te corruentes in conspectu tuo. Per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictiones super cellaria tua, suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo. Benedicet cunctis operibus manuum tuarum. Constituet te Dominus in caput, et non in caudam, et eris semper supra et non subter.* Ita et illic in Evangelio, duodecim judicantium sedes, et hic in lege quasi singulæ de singulis sedibus prolatæ. Hinc duodecim benedictiones, illinc duodecim maledictiones. Igitur clarissime et in isto legi consonum est Evangelium, quia judicium unum

A **341** idemque, et hic in umbra legis signatum, et illic in evangelica luce revelatum est.

CAPUT VI.

Quod sequentes maledictiones, numero triginta, proprie sint Judæorum, et quod juxta causam eamdem in psalmo centesimo octavo sint maledictiones totidem.

Et istæ quidem quæ hactenus dictæ sunt benedictiones sive maledictiones, cunctis gentibus pro meritis singulorum communes sunt. Non est enim distinctio. *Quicunque enim in lege peccaverunt*, sive Judæi, sive gentiles, qui et ipsi credendo in Christum, verba legis decem scripta in tabulis acceperunt, *per legem judicabuntur* (*Rom.* II), teste quoque Evangelio, quod supra dictum est, quia *cum venerit Filius hominis in majestate sua, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes* (*Matth.* XXV). Porro sequentes maledictiones dicentis : *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et cæremonias ejus, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te*, propriæ Judæorum sunt, et ecce hodie super illum infelicem populum venerunt, eumque manifeste apprehenderunt. Sunt autem numero triginta, quarum prima est, *maledictus eris in civitate*, ultima vero, *advena qui tecum versatur in terra, ascendet super te eritque sublimior, tu autem descendes, et eris inferior ; ipse erit tibi in caput, et tu eris in caudam.* Et merito triginta maledictionibus obruti sunt, qui triginta argenteis emptum datorem benedictionis Christum Dei Filium occiderunt. Juxta causam eamdem, et in psalmo triginta maledictiones sunt, tam in eum qui vendidit, scilicet Judam proditorem, quam in eos qui emerunt : quarum prima est : *Constitue super eum peccatorem :* ultima vero : *Et induantur sicut diploide confusione sua* (*Psal.* CVIII). His nunc et cæteris quæ sequuntur omissis, quia manifesta sunt, et sicut prædicta, sic a tempore obsidionis qua Judæi miserabiliter a Romanis irrecuperabili excidio disperditi sunt et opere impleta sunt, ad ipsa jam cantici verba vertamus articulum, quo manifeste Synagoga rejicitur, et Ecclesia substituitur in laudem et gloriam Christi Filii Dei, quem solum primum legis, secundum Deuteronomii, id est, secundæ legis, et hoc tertium cantici prædicant, defendit atque collaudat testimonium.

CAPUT VII.

De Cantico Moysi : « *Audite, cœli, quæ loquor.* »

(CAP. XXXII.) *Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei.* Metonymice, ad cœlos inanimatos terramque inanimatam sermo dirigitur, atque a rebus, quæ nec aures, nec sensum habent aliquem, homo rationalis et sapiens attentum et flagitare videtur auditum, tanquam si dicat : Quoniam ego mortalis homo sum, novi autem quod isti homines vel posteri eorum, post mortem meam inique acturi, et de via quam præcepi illis, cito declinaturi sunt, vos saltem, cœli, qui superstites eritis, et tu

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

terra quæ in æternum stabis, accedite ad audiendum, state ad testificandum, ut cum inique egerint, et a via Domini declinaverint, vos, juxta maledictiones superius positas, vos, inquam, cœli, sitis desuper ænei, et tu terra quam calcant ferrea sis. Verum juxta sensum veritatis intimæ, isti potius cœli convocantur ad audiendum, de quibus idem spiritus in Propheta : *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII) ; et illa terra de qua alibi : *Dominus*, inquit, *dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV). Illi, inquam, cœli, et illa terra convocantur hoc ad audiendum, de quibus et in alio propheta : *Rorate*, inquit, *cœli desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem* (*Isa.* XLV), ut videlicet non dubitent cœli eloquentes, scilicet apostoli, prophetæ, et universi prædicatores, derelicta gente hac stulta sine consilio et sine prudentia, proficisci, ut *in omnem terram exeat sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII), et secundum præsentis cantici testimonium invitare gentes ad laudandum Deum, vel Dei populum, ut non dubitet terra quondam deserta et invia, scilicet Ecclesia salutarem suscipere pluviam de summis cœlorum, id est prædicationem de ore apostolorum eodem auditu fidei quo suscepit terræ hujus principium, videlicet beata Virgo, et dedit fructum suum, pariendo Deum et hominem Christum. *Audite* igitur, *cœli*, id est apostoli, *audiat terra*, id est colligenda de cunctis gentibus Ecclesia. Quomodo audiatis, cœli, quomodo ad auditum terræ hujus perveniant verba oris mei? *Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* Quomodo pluvia concrescit? Quomodo fluit ros? Notum est quia de deorsum, tenuem nebulam exhalantibus aquis, humor in nubibus densescit, et de nubibus in terram concreta pluvia defluit ; ros autem, sine nubibus nocturno frigore concretus, de cœlo in terram matutino sereno cadit. Sic cœli isti, qui enarraverunt nobis gloriam Dei, gloriam eamdem, partim per studium sacræ lectionis, partim per solam didicerunt revelationem Dei. Quod legendo didicerunt nobisque loquendo refuderunt, quasi de deorsum humorem susceptum, et in pluviam concretum, gratiosæ nubes per herbam reddiderunt. Quod per solam Dei revelationem acceperunt, quasi rorem nocturnum meditando atque contemplando congregaverunt, et prædicando vel etiam scribendo super læta fidei vel spei nostræ gramina distillaverunt. Utroque modo perfectum cœlum, vel firmatum decet esse firmamentum, id est apostolum vel prædicatorem idoneum, qui non de corde suo vel a semetipso loquatur, sed quod audivit, hoc testetur ; quod in Spiritu sancto didicit, hoc annuntiet et loquatur. Igitur in vobis, o cœli qui auditis, *concrescat in pluviam doctrina mea*, et per vos *fluat ut ros eloquium meum*, id est ex præsenti legis lectione et ex Spiritus sancti revelatione, vobis orantibus innotescat Dei consilium, atque inde per ora vestra, in omnem herbam, in cuncta gramina toto mundo virentia, fluat eloquium meum. *Quia nomen Domini* inquit, *invocabo*. Ergo, o cœli, benevolentiam vestro præstate oratori, aurem benevolam vestro præbete cantori, ab ipsa re flagitanti quia videlicet magna res est invocare nomen Domini. Vobiscum *invocabo nomen Domini*, Domini, inquam, Dei cujus vos gloriam enarraturi, cujus opera vos estis annuntiaturi. Idcirco audite me cœli, idcirco audiat terra verba oris mei.

Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia. Hoc est quod primum audire volo vos, o cœli. Hæc sunt, quæ audire te cupio, o terra, verba oris mei. Quando mandaverit Dominus Deus noster vobis, o cœli, ne pluatis super hanc vineam imbrem, quam exspectavit *ut faceret uvas, et fecit labruscas* (*Isa.* V) ; quam exspectavit ut faceret judicium, et ecce **342** iniquitas, et justitiam, et ecce clamor : quando, inquam, mandaverit vobis ne pluatis super eam, sed potius super terram quondam desertam et inviam, nolite murmurare, nolite obuiti, pro zelo gentis vestræ, vel carnis vestræ, sed date magnificentiam Deo nostro, sequimini, et magnificum æstimate quod complacitum est Deo nostro, quia videlicet et si hominum causa vel ratio latet, Dei tamen *perfecta sunt opera ; perfecta*, inquam, et irreprehensibilia, et omnes viæ ejus *judicia vera*, et justa, et *justificata in semetipsa* (*Psal.* XVIII). Nam *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Misericordia est via hæc qua ad gentes commigravit veritas, hæc via est qua ab Israel recessit. Hanc igitur date magnificentiam Deo nostro, ut credatis quia Dei perfecta sunt opera, ut confiteamini quia hæ vel omnes viæ ejus sunt judicia. Quid enim? Nunquid quia pepigit fœdus cum Abram, nunquid quia dixit : *Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno* (*Gen.* XVII), nunc autem ab isto semine ejus recessit, idcirco non perfecta opera ejus, idcirco non judicia viæ ejus? Imo, *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus. Fidelis*, inquam, in omnibus verbis suis, *et absque ulla iniquitate* in omnibus judiciis suis, *justus* in omnibus viis suis, *rectus* in omnibus operibus suis. Unde ergo vel ob quam causam, pactum suum oblitus est, quod cum Abraham pepigit? Si *fidelis*, si *absque ulla iniquitate*, si *justus* est *et rectus*, quomodo juramentum neglexerit quod juravit cum patribus? Ecce habes : *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus. Peccaverunt*, id est irritum pactum ipsi fecerunt, subauditur, inimici, *et* jam *non filii ejus*. Irritum, inquam, fecerunt pactum ejus, quemadmodum hoc et ipse præsciens dixit mihi superius : *Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terram ad quam ingredietur ut habitet in ea. Ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo* (*Deut.* XXXI). *In sordibus peccaverunt, in sordibus ir-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ritum fecerunt pactum, non solum *in sordibus* vituli quem fecit Aaron, aut Belphegor, quæ videlicet sortes jamdudum admissæ sunt, sed et *sordibus* Baal, et Astaroth, cæterorumque dæmoniorum, tandemque *in sordibus* Barabbæ latronis, quem sibi dimitti petiere, *peccaverunt. Peccaverunt*, inquam, certum est enim quia peccabant. Cum igitur sic peccaverunt jam *non filii ejus in sordibus*, et ob hoc projecerit eos *fidelis Deus*, dicito, quia nihilominus tum *fidelis Deus et absque ulla iniquitate justus et rectus*, quamvis illos projecerit, cum quibus pactum pepigit in patribus; *peccaverunt* enim *ei*, et irritum fecerunt pactum istud isti *jam non filii ejus in sordibus*. Proinde, o cœli et terra, quicunque audistis hæc verba oris mei, non ipsum Deum qui *fidelis* est, *et absque ullo iniquitate*, sed istos non filios ejus qui peccaverunt, cunctis loquelis, universis sermonibus vestris, quibus in omnem terram et in fines orbis terræ audiendi estis, redarguite, et dicite : *Generatio prava et perversa, hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? Generatio*, inquam, *prava atque perversa*, quod idem est ac si cum evangelica declamatione dicas, *generatio mala et adultera* (*Matth.* XII). Idcirco *generatio prava*, quia de bonis quidem parentibus, sed male progenita, quia non de fide sola patrum carne exorta. Idcirco, inquam, *prava et perversa*, quia fidem patrum non imitata, secundum mores patribus longe disparata. *Hæccine reddis Domino; hæccine*, inquam, id est reddens mala pro bonis, *populo stulte et insipiens*, reddis Domino? Stultus enim es, quia malum sciens non cavisti, insipiens quicunque ex hoc populo bonum nescis quod scire potuisti. Stultus es, dum legendo prophetas, sensum prophetarum contentiose pervertis, insipiens qui nec saltem legisti, qui ut bene ageres intelligere noluisti (*Psal.* XXXV).

Igitur populo stulte et insipiens, hæccine Domino reddis? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te? Quantum est quod ipse est pater tuus, quemadmodum dixit ad Pharaonem : *Filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* IV). Quantum est, quod *possedit te*, quod *fecit*, quod *creavit te*. *Possedit*, videlicet ut Dominus, *fecit* ut figulus, *creavit* ut Deus. *Fecit*, inquam, in propria quemque persona, *creavit* eum massa, qui *te possedit* in gratia. Fuerit tibi hoc commune cum cæteris gentibus quod *fecit*, et quod *creavit*, at singularis beneficii est quod *possedit*. Quantum ad proprietatem vocum vel distinctionem sensuum, magnæ est potentiæ quod *possedit*, majoris quod *fecit*, maximæ quod *creavit* : et econtrario, magnæ fuit gratiæ quod *creavit*, majoris quod *fecit*, maximæ quod *possedit*. *Hæccine* igitur pro tot beneficiis *reddis Domino* Patri tuo, possessori tuo, factori tuo, Creatori tuo? *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas*, videlicet ut scias quod is ipse quem tradidisti, quem negasti *ante faciem Pilati* (*Act.* III), *pater tuus* est, *qui possedit, et fecit, et creavit te*, ut inquam istud scias, *memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas*. Nam in diebus antiquis, *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I), et per generationes singulas mysteria ejus dictis et factis præsignata sunt. Sed forte memoria dierum antiquorum, et cogitatio generationum singularum necdum tibi satis faciunt? Quid igitur facias? *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Pater tuus ipse est, majores tui, lex et prophetæ sunt. *Interroga* ergo *patrem tuum* orando, *majores tuos* legendo. *Patrem*, inquam, *tuum* Deum *interroga* orationibus intentis, utrum consilium hoc vel opus, cujus *in omnem terram sonus exivit* (*Psal.* XVIII), ex ipso sit, *et annuntiabit tibi*. Si enim Cornelium gentilem pro hoc ipso orantem, et eleemosynas facientem dignanter exaudivit, et mirabiliter quid ipsum facere oporteret per angelum suum ostendit (*Act.* X), quanto magis, si tu interrogaveris, et ut bene agas intelligere volueris, per aliquam revelationem annuntiabit tibi? Igitur, ut prædictum est, Deum *Patrem tuum interroga* orando, *majores tuos*, idest prophetas omnes consule legendo. Ille *annuntiabit*, et illi *dicent tibi* quia iste quem tradidisti, quem negasti, quem felle cibasti, quem aceto potasti, quem clavis confixisti, cujus latus lancea perforasti, *Pater tuus est qui te possedit*. Quomodo autem *possedit*, vel quomodo possidere incœpit? Plane hoc ipsum *dicet tibi : Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam : constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Notum tibi est quia quando profecti de oriente filii Adam, et invenientes campum in terra Sennaar, cœperunt facere turrim, cujus culmen adusque cœlum pertingeret, ut celebrarent nomen suum, confudit ibi Altissimus linguam eorum, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui, atque ita divisit eos ex illo loco in universas terras (*Gen.* XI). Tunc utique divisit Altissimus gentes, scilicet, in linguas dissonas, et separavit *filios Adam*, id est imitatores superbiæ Adam, in universas terras. Non perdidit eos ut ante fecerat per diluvium, sed *constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel*, id est statuit ut duret genus humanum donec impleatur numerus electorum, qui omnes secundum fidem sunt filii Israel. *Pars autem* **343** *Domini populus ejus, Jacob funiculus ejus hæreditatis;* subauditur in illa divisione gentium, in illa separatione filiorum Adam. Facta namque confusione linguarum, remansit lingua primitiva ut domo et familia Heber, unde per Abraham, qui et ipse ab illo Hebræus dictus est, hic populus Hebræus exivit, *pars Domini;* solus hic, inquam, *populus Jacob*, solus *hæreditatis* Domini *funiculus*, in quo solo *notus Deus*, in quo solo *magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Unde et per Balaam loquitur : *Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur* (*Num.* XXIII). *Pars* autem *Domini*, vel *funiculus hæreditatis ejus*, non quod soli vel omnes ad Dominum pertineant, qui sunt de carne ejus, sed quod soli vel omnes Domini sunt qui sunt de fide ejus. Hoc modo *possedit*, et sic possidere incœpit. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis. Invenit eum in terra deserta*, id est innotuit ei in deserto,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

annis quadraginta, imo primum innotuit ei *in loco horroris*, id est in horrida servitute Ægypti, percutiendo Ægyptios decem plagis, ac deinde in loco *vastæ solitudinis* manna pluendo, et aquam de petra producendo, ut jam dictum est, annis quadraginta. *Circumduxit eum ac docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui. Circumduxit*, inquam, *non enim duxit eos per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, sed circumduxit eos per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum* (*Exod.* XIII), et ita circumducendo *custodivit quasi pupillam oculi*, videlicet *reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum* (*ibid.*). Tenerior quippe erat quam pupilla oculi, ita ut leviter offensus animus sæpe in Ægyptum reverti voluerit. *Circumduxit* igitur *et docuit*, non solum multis bonorum et malorum experimentis, verum etiam doctrina conscriptæ hujus legis.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris. Sic *circumduxit*, sic *docuit*, sic *custodivit*, *sicut pullos aquila*, videlicet secundum naturam suam erga pullos suos non absque severa pietate neque absque severitate pia. Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis sui inter omnes aves quoddam regale fastigium, degeneris partus deformitas decoloraret. Itaque asseritur quod pullos suos radiis solis objiciat, atque in aeris medio parvulos pio ungue suspendat. At si quis repercusso solis lumine intrepidum oculorum aciem inoffenso intuendi vigore servaverit, is probatur quod veritatem naturæ sinceri obtutus constantia demonstraverit. Si vero lumina sua præstrictus radiis solis inflexerit, quasi degener, et tanto indignus parente abjicitur, nec æstimatur educatione dignus qui fuit suspectione indignus. Igitur circumducendo, et docendo, sic tentavit, sic probavit, sicut aquila pullos suos; nam eos quidem qui murmuraverunt, qui tentaverunt, qui concupierunt in deserto, prostravit (*Psal.* CV); eos autem, qui crediderunt, qui obedierunt, quasi super alas gratiæ *assumpsit atque portavit in humeris suis. Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo deus alienus.* Increpatio illorum : Quid tibi, inquit, o populе stulte et insipiens, quid tibi cum turba deorum alienorum? Nunquid dii alieni te de Ægypto, de domo servitutis eduxerunt, aut educentem te Dominum Deum tuum adjuverunt? Non ita, sed *Dominus*, inquit, *solus dux ejus fuit, et non erat cum eo deus alienus*, non ille cornutus et aureus vitulus, non Beelphegor sparcissimus, non Baal, non omnino quisquam deus alienus. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum. Eum* quem *invenit in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis, constituit super excelsam terram*, id est montuosam terram, *ut comederet fructus agrorum*, ut inhabitaret civitates quas non ædificavit, et biberet vinum de vineis quas non plantavit, ut *regiones gentium et labores* possideret *populorum* (*Psal.* CIV). Quæ videlicet terra excelsa, sicut jam alibi dictum est, *non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ, sed montuosa est et campestris de cœlo exspectans pluvias, quam Dominus Deus semper invisit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque in finem ejus* (*Deut.* XI). *Super excelsam* igitur *terram constituit eum, ut comederet fructus agrorum. Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Ut*, inquam, *sugeret mel de petra*, id est ut dilectioni Creatoris assuefactus, tandem dulcedinem cœlestis doctrinæ caperet de petra, virga crucis et passionis percussa, scilicet de Christo præsentialiter prædicante ore mellifluo, oleumque de saxo durissimo, id est Spiritum sanctum de eodem Christo per virtutem resurrectionis incorruptibiliter solidato. *Butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici et sanguinem uvæ biberent meracissimum.* Hæc omnia temporaliter atque realiter iste populus adeptus est, quem invenerat Dominus Deus ejus *in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis*, ut istis corporalibus bonis lactatus et excitatus, spirituale *butyrum*, *et* spirituale *lac*, spiritualemque adipem suo tempore libenter acciperet, *de* spirituali *armento*, *de* spiritualibus *ovibus* et agnis sive arietibus *filiorum Basan*, id est pinguium, scilicet de factis imitandis, aut dictis exsequendis patrum vel patriarcharum, de Scripturis prophetarum et apostolorum veraciter pinguium, juxta quod singuli talium verissime dicunt : *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII). *Et sanguinem uvæ meracissimum*, id est sanguinem Christi Filii Dei biberet sacrosanctam. Idcirco super excelsam illam terram temporaliter constitutus est, et hæc temporalia bona adeptus est, ut ad spiritualium et æternorum appetitum proficeret. Sed quidem

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dilectus, sed diligenti ingratus, *dilectus*, inquam, sed ipsa dilectione superbe ac ferociter abusus, *incrassatus est* cogitatione, *incrassatus* opere, *impinguatus* pertinacia, *dilatatus* arrogantia. Talis *dilectus recalcitravit*, id est largitoris imperia calce abjecit. Verum ista crassitudo, tumor, et non plenitudo est. Nam qui veram plenitudinem, qui veram scit pinguedinem, quantumvis butyro abundet, aut lacte ovium, sive adipe agnorum et arietum, donec ipsum apprehendat Deum, dicit : *Ego vero egenus et pauper sum* (*Psal.* LXIX). At vero, cujus deus venter est (postquam illum impleverit ex his quæ prædicta sunt,) *incrassatus*, *impinguatus*, *dilatatus*, falsa sibi æstimatione sufficiens videtur, falso sibi nihil deesse arbitratur. Quid enim fecit iste *dilectus* taliter *incrassatus*? *Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Deus idem, factor, idem et salutaris, sive salvator. Verum aliud est quod factor, aliud quod salvator. Nam Deus factor, quia, hominem fecit; Deus salvator, quia homo factus est ipse, hominem salvare venit. Sic incrassatus est, ut de neutra gratia curaret.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Nam et antequam veniret, *Deum factorem suum dereliquit*, et postquam venit *a Deo* salvatore *suo recessit*. Quomodo illum *dereliquit*, quomodo *ab illo recessit? Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt.* Ad idem procedit, et quod *in diis alienis provocaverunt*, et quod *in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt*, **344** verumtamen diversa sunt et e diverso veniunt. Nam dii quidem alieni sunt, abominationes autem suæ sunt, propter quas ut eas licentiose agerent deos alienos coluerunt. Verbi gratia : Vitulus quem fecerunt (*Exod.* XXXII), et Beelphegor quem initiati sunt (*Num.* XXV), dii alieni fuerunt, quod autem post commessationes et potationes *surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII), et quod inter sacrificia cum Madianitis fornicati sunt, suæ abominationes exstiterunt. Igitur et *in diis alienis* mitem *provocaverunt, et in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt.* Item in eo quod antequam veniret in hunc mundum, toties ad idololatriam defluxerunt, *in diis alienis eum provocaverunt* et in eo, quod præsentem blasphemaverunt dicentes : *Dæmonium habet et insanit* (*Joan.* VIII), et : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Matth.* XII), profecto *in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt.* Sed in qualibus diis *eum provocaverunt? Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant. Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Dii quos coluerunt, non dii, sed potius dæmonia sunt, dii nuncupativi, dii novi, quia prius eos ignoraverunt, ou recentes, quia *non coluerunt* illos *patres eorum.* Nunc igitur, cœli et terra, ad caput increpationis redite, et dicite generationi pravæ atque perversæ : *Heccine reddis Domino, populo stulte et insipiens? Deum qui te genuit dereliquisti et oblitus es Domini creatoris tui. Deum qui te genuit*, id est qui diu sterilibus parentibus tuis gignendi te facultatem, sive affectum tribuit. Nam præter unicum Filium suum, quem ex utero ante luciferum genuit (*Psal.* CIX), quem et in hunc mundum misit per uterum Virginis, neminem de propria substantia sua Pater ille genuit. Ergo *qui te genuit*, id est qui Saræ diu sterili tandem conceptum dedit (*Genes.* XVIII), et Rebeccæ sterili, eodem Isaac deprecante dilectum sibi Jacob ut conciperet et pareret (*Genes.* XXV), presitit, de quibus vel per quos genituræ tuæ rivus emanavit, illum tu dereliquisti genitorem tuum ingratitudine detestabili, *et oblitus es Domini creatoris tui*, subauditur, quem prius cognovisti per præsentem doctrinam legis, et per exempla patrum eorumdem, qui hæreditariam ejus scientiam thesaurizaverunt tibi. Unde et majus peccatum habes, quam si nuspquam fuisset cognitus tibi.

Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui, et filiæ. Vidit hoc ille quem nihil latet, oculis nunquam dormitantibus quibus omnia videt : vidit, inquam, hoc peccatum tuum *stylo ferreo scriptum in unque adamantino* (*Jer.* XVII), clamante per prophetas suos sancto Spiritu, ut peccatum tuum a facie ejus non deleatur. *Et ad iracundiam concitatus est*, videlicet non animi sui passibili motu, Deus enim non movetur aut perturbatur, sed judicii veritate sic impietatem prosequente, ut jam non pius Pater, sed districtus judex sentiatur. Et hoc idcirco, *quia provocaverunt eum filii sui et filiæ*, quod utique secundum omnem rationem minus tolerandum est quam si provocassent eum externi vel externæ. *Provocaverunt* autem, videlicet in eo quod non per ignorantiam vel infirmam indigentiam, sed scienter peccaverunt, et per industriam, imo sapientes fuerunt ad concinandum peccatum, ad conquirendum mendacium. *Et ait : Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum. Ait*, id est sententiam fixit, cujus dixisse fixisse est, ita ut cœlum et terram, quam dictionem ejus, transire facilius sit. *Non* enim *est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut Filius hominis ut mutetur* (*Num.* XXIII). *Ait* ergo, id est judicium dedit hujusmodi· *Abscondam faciem meam ab eis*, id est excæcabo illos, ut viam veritatis invenire non possint. Excæcabo, inquam, corda eorum, et aures illorum aggravabo, et oculos eorum claudam, ne forte videant oculis, et auribus suis audiant, et corde suo intelligant, et convertantur et sanem eos (*Isa.* VI). Dicamque eis : Audite, audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Ita absconditus ab eis *considerabo novissima eorum*, id est exspectabo finem, et consummationem peccati eorum, tacite prospiciendo mirabilem audaciam eorum. *Generatio enim perversa, et infideles filii.* Damnationis ejus qua dixi, *abscondam faciem meam ab eis*, causæ præcedentes sunt, quia generatio perversa est, quia infideles filii sunt, sancto quoque Spiritu per prophetam contestante quia sunt *principes Sodomorum*, quia sunt *populus Gomorrhæ* (*Isai.* I). Alioquin non vidgretur stare quod dixi supra, *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate.* Justum igitur judicium in eo quod dedi illis *scutum cordis laborem* meum (*Thren.* III), quod licet *tanquam sponsus procedens de thalamo suo, in sole* posuerim *tabernaculum* meum (*Psal.* XVIII), ipsi tamen videre me non possunt, imo et scandalum illis est, cum designatur tabernaculum meum carneum, diciturque illis : ecce iste Deus noster, rex noster, Salvator noster. Amplius autem *audite, cœli*, justum judicii ordinem, æquam judicantis vicissitudinem. *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.* Priores *ipsi provocaverunt me*, non levi quacunque offensione, vel humano excessu, sed *in eo qui non erat Deus*, id est sic me habendo tanquam si non essem Deus, *et irritaverunt* me priores ipsi *in vanitatibus suis*, id est vanitates suas, vanos deos prætulerunt mihi tandemque sibi data optione Barrabam mihi præferre non dubitaverunt, auctorem seditionis (*Marc.* XV). Reddam itaque illis talionem, *provocabo eos in eo qui non est*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

populus, id est sic habendo eos, ut non sint populus, ut sint *sine rege*, *sine principe*, *sine sacerdote*, *sine ephod*, *et sine theraphim* (*Ose.* III), et omnino non sint populus, sed in populis et in gentibus jam nunc dispergantur, et in futuro cum eis qui non sunt annullentur, cum eis qui in inferno sunt deputentur, *et ita in gente stulta irritabo illos. Irritabo*, inquam, id est ad æmulationem adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram eos mittam, ut videant gentem loco suo regnantem, gentem sapientem quam æmulentur, cujus æmulatione torqueantur.

Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Provocabo, inquam, *illos, et irritabo*, provocationis autem et irritationis principium hoc est, quod *ignis succensus est in furore meo*, consummatoque *ardebit usque ad inferni novissima*. Ignis enim in præsentiarum succensus est ignis Romanorum, quo civitas sancta facta est deserta Sion, deserta facta est Jerusalem, desolata domus sanctificationis eorum et gloriæ eorum facta est in exustione ignis, et omnia desiderabilia eorum versa sunt in ruinas, et ceciderunt in ore gladii, et captivi ducti sunt in omnes gentes. Iste jam succensus ignis pœnæ, ignis vindictæ, *ardebit* autem *usque ad inferni novissima*. Nam de hac vindicta temporali ad æterna proficiscuntur tormenta. Num ergo, inquis, judicat Deus bis in idipsum, aut *consurget duplex tribulatio?* (*Nahum* I.) Non utique, si in vindicta vel tribulatione præsenti reatum agnoscas, finemque ponas peccatis. Cæterum quoniam in ipsa pœna impia perseverat voluntas populi stulti et insipientis, et nunc inducit super eos diem afflictionis, et in posterum ignis qui *succensus est usque* **345** *ad inferni novissima ardebit*, juxta quod et alius propheta imprecatur : Et *duplici contritione contere eos, Domine Deus meus* (*Jer.* XVII). Alias autem una percussio est, quæ hic cœpta illic finitur, ut correctionis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis supplicüs consumetur, quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum persecutio, sequentium sit initium tormentorum. Igitur nihilo læsa vel in pravum detorta regula prophetica, qua dictum est, *non consurget duplex tribulatio* (*Nahum* I), sive, juxta LXX : *Non judicabit Deus bis in idipsum*, et hic *a furore meo succensus est ignis*, et in futuro, quod est *usque ad inferni novissima ardebit. Devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.* Non, ut sæpe factum est, solum terræ germen devorabit, ut sit fames in terra propter peccata populi, sed ipsam quoque terram, cujus iracundia loquentes dolos cogitabant (*Psal.* XXXIV), ita ut dicerent : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI) : *terram*, inquam, ipsam *cum germine suo devorabit*, id est auferet, ita ut terra eorum non sit, et nihilominus ea careant, quasi devorata sit igne hostili. *Et montium fundamenta comburet*, id est superborum fiduciam auferet, videlicet pulchrum templum inclytamque civitatem, cujus statu suffulti firmiter in hæreditario patrum suorum Deo sibi stare videntur, gentesque cæteras quasi valles infirmas, montes ipsi despiciunt : templum, inquam, et civitatem in montibus fundatam, ignis elementaris comburet. Præterea terram, id est carnes eorum, terram, inquam, peccatricem, id est populum qui superbit, cum sit terra et cinis, *devorabit ignis cum germine suo*, id est cum libidinibus et omnibus malis operibus suis, *et montium fundamenta*, id est ipsas quoque animas quæ vegetant comburet ignis, et hic succensus, ut jam dictum est, et in futuro ardens *usque ad inferni novissima.*

Congregabo super eos mala et sagittas meas complebo in eis. Et hoc ait Dominus, utique ad iracundiam provocatus, ait, inquam, non solum secreto et intus prophetis audientibus, verum etiam in publico, apostolis audientibus, Judæis blasphemantibus, audituris etiam per Evangelium cunctis per orbem gentibus. Cum enim dixisset : *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem* (*Matth.* XXIII), continuo subjunxit : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam* (*ibid.*). Hæc dictio ejus est, apostolis audientibus, de malis congregandis, qui jam audiente Moyse, antequam homo fieret, hæc ait : Igitur *congregabo super eos mala*, id est venire faciam omnem sanguinem justum, *qui effusus est super terram*. Et hoc juste, quia videlicet ipsi me occidendo, sanguinem meum effundendo, mensuram patrum suorum complebunt, patrum malorum, patrum impiorum ; qui justos occiderunt, qui sanguinem prophetarum fuderunt. *Et sagittas meas complebo in eis*, videlicet quia congregata tot mala, paucæ sagittæ, vel pars sagittarum mearum expiare non sufficeret, idcirco *complebo*, id est omnes expendam sagittas meas *in eis*, sagittas maledictionis, scilicet quas paulo ante in pharetra cujusdam conditionis ita recondidi. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui* (*Deut.* XXVIII), etc. *Explebo*, inquam, id est, omnes istas sagittas meas expendam, *in eis*, quod alias nunquam feci, licet multoties aliquam sagittarum partem in eos injecerim. Exempli gratia, quando Benadab rege Syriæ cum universo exercitu sub obsidente Samariam, *facta est fames magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis, dixitque mulier altera ad alteram : Da filium tuum ut co-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

medamus eum hodie, et filium meum comedamus cras (*IV Reg.* VI), quando, inquam, hæc acta sunt, tunc sagittas meas quidem jeci, sed non totas complevi. Nam interea *dixit Eliseus : Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus : In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ* (*Jer.* VII), quod et factum est. Verum non ita erit, cum faciem meam abscondero ab eis. Sed quid ?

Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem simul cum homine sene. Id plane erit sagittas meas compleri in eis. *Consumentur fame*, videlicet in die solemni Paschæ Jerosolymis congregati, velut exitiali manu quadam cogente, quos tricies centena millia Josephus dicit fuisse, scilicet justo judicio, tempore hoc ultionis electo, ut qui in diebus Paschæ Salvatorem suum Dominum Jesum Christum, cruentis manibus, et sacrilegis vocibus violaverant, in ipsis diebus velut in unum carcerem omnis multitudo conclusa, feralis pœnæ exitium quod merebatur exciperet (Josephus, *De bel. Jud.*, lib. VII, cap. 25). Quam diræ famis exitio consumpti sint, qui plenius nosse cupit, quintum prædicti Joseph historiarum librum legat, ex quo omnem eorum luctuosam tragœdiam pernoscat. In quo illud permaxime horrendum fuit quod mulier quædam Maria nomine, Eleazari filia, genere et facultatibus nobilis, præ magnitudine famis, quasi in insaniam vel amentiam versa, parvulum quem sub uberibus habebat filium jugulat, igniique superpositum torret, et medium quidem consumit, medium vero servat obtectum. Unde et per prædones confestim irruentes, quos conceptus obustæ carnis nidor invitaverat, scrutabantur enim domos esurientes, et præ fame insanientes, per prædones, inquam, hoc malum deprehensum, continuo civitatem universam horrendo nuntio replevit, illa proferente quod obtexerat, ac dicente, « quia partem vobis optimam reservavi. » Igitur *consumentur*, inquit, *fame*, subaudis et non sepelientur, sed *devorabunt eos aves morsu amarissimo*. Sepelire namque cadavera proximorum, nec defunctorum multitudo, nec virium debilitas permittebat. Primo quidem publico sumptu sepeliri mortuos jusserat fetoris intolerantia, ut vero omnem sumptum cœpit vincere multitudo morientium, de muro cadavera præcipitabant tanta multitudine, ut mortuorum cadaveribus valli replerentur, et humani corporis tabo patria tota rigaretur. Igitur *devorabunt eos aves morsu amarissimo*, scilicet, insepultos morsu amarissimo, quia videlicet residuis spectantibus amarissima hæc erit amaritudo. Nec solum *aves devorabunt*, sed et *dentes bestiarum immittam in eos trahentium eos super terram cum furore, dentesque serpentium*. Aliter : *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium* **346** *super terram, atque serpentium. Dentes bestiarum*, id est sævitiam vel arma Romanorum *immittam in eos, cum furore trahentium super terram*, id est absque misericordia residuos in captivitate ducentium in omnem terram, *dentesque serpentium*, id est sævitiam malignorum spirituum post cruciatus et mortes corporum, *usque ad inferni novissima trahentium*. Nam per bestias Romanos fortes ac feroces recte intelligi, illud pro testimonio vel exemplo est, quod Psalmista cum eamdem calamitatem deplorans dixisset : *Ut quid destruxisti maceriam ejus, et diripiunt eam omnes qui prætergrediuntur viam* (*Psal.* LXXIX)? continuo subjunxit, *exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam* (*ibid.*). Per aprum de silva, et per singularem ferum, Titum et Vespasianum Romanos imperatores significans. Igitur *dentes bestiarum super terram trahentium*, arma sunt Romanorum occidentium, et in captivitatem *trahentium*. Colligens namque supradictus historiographus omnem numerum peremptorum vel fame, vel ferro, undecies centena millia designat. Cæteros vero latrones et sicarios ac prædones post urbis excidium mutuis declarat interiisse vulneribus. Electos autem quosque juvenum, quos decor corporis et proceritas commendabat, ad triumphum dicit esse servatos. Reliquos autem qui supra decem et septem annos agebant ætatis, vinctos ad opera Ægypti per metalla destinatos, vel per cæteras provincias esse dispersos, alii quidem ut ludis gladiatoriis, alii quidem ut ad bestias traderentur. Si qui vero intra decimum et septimum ætatis reperti sunt annum, per diversas provincias in servitutem distrahi jussi sunt. Quorum numerus usque nonaginta millia perductus est. Id plane fuit trahi *super terram* dentibus bestiarum, ac deinde animas duci ad inferos, id fuit trahi dentibus serpentium. Unde signanter non dictum est, *dentes bestiarum et serpentium cum furore trahentium super terram*, sed *dentes bestiarum cum furore trahentium super terram, et serpentium*, ut subaudias dentes cum furore trahentium in infernum. Malorum omnium summam uno tandem versiculo complexus est : *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.*

Foris namque *gladius*, id est exterior corporum omnimoda calamitas ; *intus pavor*, id est atrox conscientia, quia scientibus illis, jam sanguis Christi, sicut sibi imprecati fuerant, super ipsos, et super filios eorum redundabat. Et *dixi : Ubinam sunt ? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Hæc et hæc dixit quæ jam præmissa sunt, et tunc demum *dixi* ego, cui futuræ calamitates istæ, imo et omnia tam præterita quam futura præsentia sunt : *Ubinam sunt?* Videlicet quia defecerunt *peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint* (*Psal.* CIII). Et væ illis, quos nescit Deus ubinam sint, cum ipse omnium qui sunt, qui non male sunt, locus sit. Unde dicit in Job : *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus* (*Job* IX). *Cessare faciam ex hominibus me-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

moriam eorum. Ac si dicat : Parum est ut amplius cognoscam eos, ego quondam locus ipsorum, insuper et ex hominibus cessare faciam memoriam eorum, ut nec apud Deum, nec apud homines ulla in bono sit memoria illorum. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum. Et dicerent : *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.* Ita, ut prædictum est, *sagittas meas complebo in eis*, ut ne una quidem maledictio residua sit. Poteram facere, et ipsi merebantur, ut ita cessaret ex hominibus memoria eorum quatenus nullæ superessent reliquiæ eorum (*Isa.* x). Sed forte *superbirent hostes eorum, et dicerent : Non Dominus fecit hæc omnia, sed manus nostra excelsa fecit hæc omnia.* Distuli igitur et non totam funditus delevi memoriam eorum. Imo, et dixi, quia si fuerit numerus quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX). Hoc pacto fit ut non superbiant hostes eorum, ut non dicant, *manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia*, dum reliqui sunt ex eis per omnes gentes dispersi qui libros secum bajulant, et maledicta legis, quæ legentes hostes eorum, et causas maledictionum recensentes sciant, et dicant quia Dominus fecit hæc omnia. Amplius autem in eo residuum eorum proficit, ut quicunque ex hostibus eorum ad fidem patrum illorum conversi fuerint, dum, quod cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*ibid.*), non superbiant, quod cæcitas in Israel contigit, ipsi autem illuminati sunt, Apostolo quoque superbiam istam reprimente, cum dicit : *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te* (*Rom.* XI), etc. Plane hæc talis repressio superbiæ, dignæ Deo curæ est, ut merito præcavens dicat, *manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.* Idcirco dicitur in psalmo : *Deus ostendit mihi super inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII). Nunc erga dispersionem eamdem, erga dispersas populi stulti et insipientis reliquias, qualis esse debeat apostolorum et populi sapientis, populi Christiani affectus, sequentibus mox cantici verbis innuitur.

Gens absque consilio est, et sine prudentia, utinam saperent ac intelligerent, ac novissima providerent. Quid aliud optat Apostolus cum dicit : *Gemebundus veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* IX), etc. Quid, inquam, dicit, quid optat, nisi *utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent? Saperent* videlicet, qualia vel quas ob causas venturā illis mala ex lege superius scripta pronuntiata sint, *intelligerent* res, et malorum præsentium effectus, bene respondere dictis præteritis, *providerent novissima*, subauditur, mala inferni, quæ post præsentia sequentur eos, eo quod intelligere noluerint, eo quod nec saltem vexatio præsens intellectum dare possit eorum auditui. Hoc optamus, hoc illis cupimus, quicunque recta et humili fide cognoscimus, quia naturales olivæ rami isti sunt, nos autem naturalis oleaster fuimus, eisque fractis qui naturaliter stabant, nos contra naturam inserti sumus. Verum donec plenitudo gentium subintroeat, gens ista *sine consilio, et sine prudentia* est, id est non sapiet, neque intelliget, neque novissima providebit. Dicimus tamen quamvis verba perdentes, quamvis nullos vel paucissimos ex eis lucrifacientes, *utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia.* Imo ut ipsa recolamus maledictionis verba, quibus hoc pronuntiatum est, quomodo tradebat Dominus gentem hanc corruentem ante hostes suos? Quomodo per viam unam egrediebatur contra eos, et per septem fugiebat? *Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos? Non enim est Deus noster, ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices.* Quid enim? Nunquid ut ipsi putant, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus eorum est? Non utique : nam ipsi ex eis vel præcipui sunt, *quorum deus venter* **347** *est* (*Philipp.* III), et gloria in confusione vel pudendis eorum. Quantoscunque deos coluerunt, nimirum propter hunc deum maximum deorum suorum, id est, propter ventrem suum, et propter pudenda sua coluerunt, scilicet, ut sederent manducarent bibere, et deinde surgerent ludere (*Exod.* XXXII), lusum turpem, lusum ignominiæ. Ergo venter suus deus suus est, qui multos deos adorandi causa illis est. Et hic Deus suus vendidit eos, hic, inquam, deus suus, pretio scortationum et libidinum distraxit illos, quia videlicet ipsi, ut illum deum suum, ventrem suum saturarent, ut per ea quæ sub ventre sunt libidinibus fluerent, semetipsos tradiderunt, vitam suam prodiderunt, animas suas perdiderunt. Unde et per prophetam appellantur manifeste principes Sodomorum et populus Gomorrhæ (*Isa.* I). Ita venditos Dominus conclusit illos ; conclusit, inquam, primum cæcitate ac furore mentis, ut palparent in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris : et cum esset vita ipsorum pendens ante oculos eorum, non crederent eidem vitæ suæ, deinde conclusit illos et hostili exercitu, ubi persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia. Nonne hæc igitur passi sunt, quia talis, ut jam dictum est, *deus suus vendidit eos, et Dominus* ultor *conclusit illos. Non enim est Deus noster ut dii eorum ;* non, inquam, qualis Deus noster, tales dii eorum. Hoc tam libere profitemur, ut non commune totius orbis subterfugiamus auditorium, ut sententiam non vereamur qualiumcunque hominum ratione utentium. *Inimici* quoque *nostri sunt judices ;* verbi gratia : Platonici, sive Pythagorici, vel quicunque philosophi gentiles, cum adhuc inimici nostri sunt, cum nondum fidem Christi susceperunt ipsi sunt judices

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ecce hic in conspectu omnium proponantur, hinc Deus noster, et inde Deus eorum, hinc, inquam, Deus noster et crux ejus, inde satellites dei eorum, ventris eorum, Beelphegor, id est Priapus,

Obscœnoque ruber projectus ab inguine palus.

(Horat., *Sat.* l. I, sat. 8.)

Sint inter hæc judices nostri inimici, judicent inimici nostri, quid pulchrius, quid honestius sit, utrum pietatem crucifixi Christi, an testiginem vel turpitudinem adorare Priapi. Dicite nunc, judices inimici quidem nostri, sed judicandi scientiam habentes, quid pulchrius in æstimatione vestra, crucem adorare, an adulteria: crucem, inquam, injuste homini justo compactam, an fornicationes et stupra? Quid respondeant, imo quid responderint, quid judicaverint inimici nostri, jam totus orbis audivit, quia videlicet stupris damnatis, pia colla submisere cruci damnatis concupiscentiis ventris, et eorum quæ sub ventre sunt, prædicaverunt gloriam Christi.

Verum isti nondum sapiunt, nondum intelligunt. Quare? *De vinea Sodomorum vinum eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* Idcirco obscurati sunt oculi eorum ne videant, idcirco cæcati sunt, ut non sapiant, nec intelligant, neque novissima provideant, quia *de vinea Sodomorum, vinum eorum, et de suburbanis Gomorrhæ*, id est, quia vivunt sodomitice. *Uva eorum, uva fellis, et botrus amaritudinum. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Per vineam radices cogitationum nequam, et per uvam et botrum operum nequitiam, et vinum colloquia mala, pravamque blasphemantium doctrinam intellige. Profecto quisquis operibus eorum malignis communicaverit, æterna amaritudine torquebitur, idcirco dixit *uva fellis et botrus amaritudinum.* Et quisquis fabulas vel suscitationes eorum accepit, sapietur sempiterna mortis ebrietate; idcirco dixit: *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.*

Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Videlicet quia hæc nulla pœnitentia delevit, quia non baptismus Christi, quo solo peccata remittuntur, hæc absorbuit, idcirco recondita manent apud me, et signata sunt in thesauris meis, reddenda in pondere et mensura iræ, quam thesaurizaverunt sibi. *Mea est ultio et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Mea est*, inquam, *ultio*, meum est judicium, *et ego retribuam eis*, videlicet unicuique secundum opera sua, *in tempore*, in die iræ, *ut labatur pes eorum*, ut cadant in opprobrium sempiternum, ut deducantur in puteum interitus, ut usque ad inferni novissima devolvantur (*Psal.* LIV). Dicis: In tempora longa fiet istud (*Ezech.* XII). Ego autem dico: *Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.* Juxta est dies, etsi mille anni intersint. Nam *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit* (*Psal.* LXXXIX). Sed esto ut millenaria, imo decies aut centies millenaria, speretur ante illum diem fore sæculi prolixitas. Nunquid non singulariter unicuique peccatori juxta est dies perditionis? Denique *anni nostri*, ut jam Psalmista, *sicut aranea meditabuntur* (*ibid.*): dies annorum nostrorum subauditur, claudentur in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus, si sunt qui in fortitudine, et sospitate naturæ diutius vivant, quidam enim fortioris et salubrioris sunt naturæ, quam alii: si, inquam, in potentatibus, id est in his qui salubrioris naturæ sunt, octoginta sint anni, amplius eorum spatium longius his octoginta annis jam non vita, sed potius labor et dolor est. Igitur vel sic juxta est dies perditionis ut adesse festinent tempora. Fugaces quippe labuntur anni, diesque die traditur. Hactenus contra gentem sine consilio et sine prudentia, pro parte illorum, qui excæcati sunt: nunc ad eas reliquias sermo dirigitur consolatorius, quæ servandæ sunt.

Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur. Hæc duo clarissima sedis Domini ministeria sunt, misericordia scilicet et judicium, de quibus tota pendet ratio vel materia laudis divinæ, Psalmista quoque dicente: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* LXXXIV). Nihil enim est in verbis et operibus fidelis et justi Domini, quod non aut misericordiæ sit, aut judicii, aut utriusque concurrentis, ut ait idem qui supra: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi* (*ibid.*). Igitur *judicabit Dominus populum suum*, subauditur secundum ea quæ hactenus dicta sunt, quia vidit eos provocantes, et in abominationibus suis ad iracundiam concitantes, vidit, inquam, et ad iracundiam concitatus est. Porro *in servis suis miserebitur*, id est in reliquiis, quas alio modo se habentes intuebitur. *Videbit quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.* Videbit, inquam, quod manus illa infirmata sit, et infirmitatem suam agnoverit, quæ hactenus sana sibi videbatur et fortis, ita ut præ infirmitatis vi insaniens ut phrenetica medicum percuteret verum, quemadmodum dicit in Psalmo: *Et irruerunt in me fortes* (*Psal.* LVIII). Sic enim infirmi, et veræ justitiæ virtutem non habentes, ex operibus legis gloriabantur, unde apud Deum nullus justificabitur, ut starent adversus Christum ejus dicendo: *Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II). Manum talem, fortitudinem ejusmodi, videbit quod infirmata sit manus, quod humiliata sit, quod justificationem suspiret, quæ est ex fide, non ex operibus legis (*Rom.* III). Et hoc videbit, quod *clausi* quoque, *clausi*, inquam, quos, ut supradictum est, *Dominus conclusit, defecerunt*, id est, nullam ulterius in semetipsis fiduciam habebant, *residuique*, inquam, id est, qui 348 ex Israel reliqui sunt, *consumpti sunt*, in eo videlicet, quod nihil se esse cognoscunt, quod ad nihilum se redactos esse confitentes, restauratoris et liberatoris opem poscunt.

Et dicent: Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum. Surgant et opituletur vobis, et in necessitate vos protegant. Videte quod ego sim solus, et non est alius Deus præter me. Adeo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

infirmati sunt, adeo defecerunt et consumpti sunt, ut dicant, imo jam non ipsi loquantur, quia defecerunt et consumpti sunt, sed loquatur in eis Dominus, dicat in eis Domini Spiritus: *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* subauditur, qui fortes fuerunt, qui non defecerunt, neque consumpti, id est, per pœnitentiam alterati sunt. *Ubi*, inquam, *sunt dii eorum?* Subauditur nusquam sunt, nusquam adsunt, quia videlicet non dii, sed dæmonia sunt. Vos igitur, reliquiæ Israel, *videte quod ego sim solus*, ego, inquam solus sim quemadmodum dixi, de medio rubi loquens: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III), quod videlicet et dixi tunc, dico et nunc, ad distantiam omnium quæ non vere et simpliciter sunt, quia mutabilia sunt, maxime autem ad distinctionem vel divisionem deorum omnium qui non sunt, qui etsi dicantur dii, sunt enim qui dicantur dii multi, et domini multi, tamen dii aut domini non sunt. Ego autem adeo sum, ut nec morte interveniente esse desierim, nam etsi moriens sum ex infirmitate carnis, sed vivo ex virtute Dei, id est, eo quod virtus Dei sim. Hoc *videte*, et *quod non sit alius præter me*. Nam alia quidem persona Pater, alia persona Filius, alia persona Spiritus sanctus: sed non alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus est.

Ego occidam et vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere. Hoc quoque videte, hoc ab effectibus præsentibus comprobatum scitote. Nam ego gentilem quondam populum occidi, id est, idololatriæ deditum, præter me deos alienos colentem damnavi et nunc idem ego per Spiritum sanctum vivere feci. Itemque ego populum meum, populum Judaicum, provocantem et irritantem me, cæcitate percussi, et ecce ipse reliquias ex ipsis sanavi. *Et non est qui de manu mea possit eruere*, subauditur, cum qui in manus meas horrendas inciderit per imperium superbiæ. *Non*, inquam, *est qui de manu mea possit eruere*, propheta quoque dicente: *Si fuerint tres viri justi in medio eorum, Noe, Daniel et Job, vivo ego, dicit Dominus, ipsi in justitia sua animas suas liberabunt, filios autem et filias non liberabunt* (*Ezech.* XIV). Quis enim ipsam manum saltem possit attingere? *Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum.* Quis igitur de manu mea possit eruere, de manu altissima, tam alte in cœlum sublevata, ut nemo possit attingere? Manus mea quæ omnia fecit, quæ cœlum extendit, terramque fundavit, et maria effudit, in ipsa infirmitate sua, dum carne induta, quasi obligata videretur, tunc quoque percussit superbum, et obstetricante illa, eductus est colaber tortuosus (*Job* XXXVI). Quanto magis postquam levavi illam ad cœlum, et dixi, *Vivo ego in æternum*, quemadmodum testatur et ille qui dixit: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI): quanto magis, inquam, ex tunc nemo est qui de hac manu mea posset eruere? *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* Quænam est manus mea, quæ judicium arripiat? nisi Filius qui dicit: *Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio* (*Joan.* V). Et quis gladius ejus? nisi bonorum malorumque divisio, qui videlicet in dextram sinistramque divisi insociabiliter separabuntur (*Matth.* XXV). Porro fulgur ad breve quidem lucet, sed percutit irrecuperabiliter. *Si* igitur *acuero ut fulgur gladium meum*, id est, si (quod sine dubio futurum est) in brevi quidem, sed palam omnibus in dextram et sinistram divisiones fecero bonorum et malorum, *et* ita *judicium arripuerit manus mea*, sicut jam dixi, non erit qui eruat, sed *reddam ultionem hostibus meis*, scilicet gehennam ignis inexstinguibilis, et ibi vicissitudinem condignam *his qui oderunt me retribuam.*

Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes. Sagittæ meæ universæ sunt judicii sententiæ, senario illic numero designatæ. *Esurivi enim et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere: hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non operuistis me: infirmus, et non visitastis me: in carcere, et non venistis ad me* (*Matth.* XXV). Hujusmodi sagittas meas ego inebriabo sanguine, ita ut omnes expendantur cum effecta vindictæ. *Et gladius meus devorabit carnes*, non quod ipsam carnis substantiam exterminet, sed quod æternaliter puniat carnalium amatores, vitia carnis consectantes, ganeones, helluones, nebulones, tam malignos spiritus quam immundos homines, quorum quia communis est nequitia, pœna quoque par est, juxta illud: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Nam hoc est quod sequitur: *De cruore occisorum, et de captivitate nudati inimicorum capitis. Inebriabo sagittas meas de sanguine occisorum*, id est, de damnatione impiorum hominum, *et de captivitate inimicorum capitis*, scilicet diaboli, qui caput et princeps est inimicorum, *capitis*, inquam, *nudati*, id est manifestati: cunctis enim manifestabitur, cunctis videntibus præcipitabitur. Finem cantici pariter audiamus omnes: *Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui.* Laudate, gentes, populum ejus. Lætamini, gentes, cum plebe ejus, beatum dicite, gentes, populum cujus Dominus Deus ejus, quia non peribit patientia populi, vel servorum ejus, *sanguinem* enim *servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, dicendo: Discedite a me in ignem æternum, maledicti* (*ibid.*), etc., *propitius erit terræ populi sui*, dicendo: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi* (*ibid.*). Sic hodie laudamus nos, gentes, hæc enim nostra fides, hæc nostra confessio est, quia manus Domini, quæ ad cœlum levata est, Filius Dei qui post resurrectionem suam in cœlum assumptus est, fulgurans judicium arripiet, in quo, et de impiis persecutoribus sanguinem servorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, scilicet diabolum et angelos ejus : populo autem suo, servis suis terram propitius reddet, de qua primum hominem propter peccatum expulit : imo soliditatem angelicæ beatitudinis, in quam transferendus erat homo, non interveniente morte corporis, si non intercessisset prævaricatio peccatoris. Ecce qualem usque ad finem verba carminis Moyses complevit, scilicet usque ad ultimum judicium, in quo omnium finis erit.

349 CAPUT VIII.

De eo quod benedixit filios Israel iste Moyses legislator, et tamen futuro tempore Psalmista dixerit : « Etenim benedictionem dabit legislator ; » quid oporteat intelligi de Christo.

(Cap. XXXIII.) *Hæc est benedictio qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israel ante mortem suam, et ait : Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextra ejus ignea lex. Dilexit populos.* Moyses, inquit, Moyses, inquam, legislator, benedictione hac, filiis Israel benedixit ante mortem suam. Porro Propheta dicit : *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). Quid ad hæc dicemus ? Nempe de isto legislatore Scriptura dicit, quia *benedixit ;* de alio legislatore Propheta dicit, quia *benedictionem dabit.* Cum legisset benedictionem præteriti hujus legislatoris, futuri hujus legislatoris benedictionem prophetavit. Quid ergo dicemus, nisi legislatoris hujus benedictionem de illis esse seminibus, de quibus ille alius legislator in Evangelio dicit, quia *alius est qui seminat, et alius est qui metit : ego vos misi metere quod non seminastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis ?* (*Joan.* IV.) Denique et hic Moyses, et cæteri seminatores agri pleni, laborando in agro Domini, et seminando verbum Dei, spem ponere potuerunt futuræ benedictionis ; solus autem ille legislator alius eamdem benedictionem dando, suos operarios ad metendum in labores eorum mittere potuit. Et hic quidem ante mortem filios Israel benedixit, ille autem in ipsa morte sua benedictionem omnibus gentibus acquisivit, de quo postmodum dicit : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII).

CAPUT IX.

Quid sit tam secundum litteram, quam secundum sensum spiritualem : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, » etc.

Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan. Juxta sententiam litteralem, nobis, inquit, *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, et de monte Pharan apparuit,* quia videlicet nobis Judæis, nobis populo Israel carnali, de his locis per ea quæ in his dicta vel acta sunt locis Dominus Deus innotuit, ut recte cantaretur : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Nam in Sina legem dedit, et montem Seir circumeuntibus, in deserto Pharan consistentibus mirabilia sua ostendit, iram suam et misericordiam suam notam fecit. Porro juxta sensum spiritualem, nobis gentibus Salvator noster Jesus Christus Dei Filius, de Sina, quod interpretatur *tentatio*, de Sina, inquam, id est de tentationibus suis venit, tentatus enim per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV), relictis tentatoribus suis Judæis post tentationem mortis, coronatus gloria et honore resurrectionis, ad nos gentes commigravit. *Et de Seir ortus est nobis.* Seir *pilosus* interpretatur, vel *hispidus*, quo itidem nomine recte Judæi peccatis suis hispidi denotantur. Ergo *de Seir ortus est nobis*, quia secundum carnem de Judæis ortus est, sic ad nos gentes translit, quomodo ad Jacob juniorem translata sunt per supplantationem primogenita fratris ejus Esau (*Gen.* XXVII). Apparuit et nobis de monte Pharan, quod interpretatur *onager* sive *ferocitas* eorum. Onager ferox atque stultus, id est populus Judaicus, de quo et illud in Job recte dictum intelligitur : *Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri liberum se natum putat* (*Job* XI). Ergo quia pullus ille justitiam suam statuere volens, justitiæ Dei noluit esse subjectus, et propter hoc ab illis sese abscondens Dominus, gentibus se ostendit, Dei justitiam esurientibus, recte dicamus, quia *apparuit nobis de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.* Cum illo namque de Judæis incarnato, et ab eisdem tentatione mortis tentato : *cum eo*, inquam, nobis venerunt, nobis apparuerunt *sanctorum millia*, id est omnes sancti quibus repromissus est, a quibus exspectatus, et prophetatus est per illum nobiscum propter eamdem fidem, et nos cum illis una facti sumus Ecclesia.

CAPUT X.

In dextra illius ignea lex, quid sit mystice.

In dextra illius ignea lex ; dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt. Et qui appropinquant pedibus ejus accipient de doctrina illius. Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Jacob. Erit apud rectissimum rex. Ignea lex in dextra illius, ardentissima charitas est, in fortissimis operibus illius, qua dilexit populos : non, inquam, unum Judaicum populum, sed omnes populos. Hæc illud effecit, ut de Sina veniret nobis, ut de Seir oriretur nobis, ut de monte Pharan appareret nobis : in similitudine illius temporis, quo apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi (*Exod.* V), et liberavit populum suum de manu Ægyptiorum in manu forti. Sic enim cum ignea lege dextræ suæ, cum ardentissima charitate omnipotentiæ suæ, apparuit nobis ut liberaret nos de manu Pharaonis et Ægyptiorum, id est diaboli et angelorum ejus spirituum malignorum, in manu forti, quia ipsum diabolum vicit, atriumque ejusdem fortis fortior ipse debellavit et cepit. *Omnes sancti in manu illius sunt*, id est hoc ipso quod sancti sunt, opus manus illius sunt. Nec enim sua virtute sancti, sed gratia illius sanctificati sunt (*Rom.* V), quippe qui ex uno peccatore omnes peccatores nati sunt, et non nisi per unum qui solus sine peccato est justus, justi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ficari potuerunt. Talis venit, talis Dominus ortus est, et apparuit nobis. *Et qui appropinquant pedibus ejus accipient de doctrina illius*, id est qui recipiunt fidem adventus ejus, intelligunt spiritualiter spiritualem legem illius. Nec enim aliter quam per Christi fidem profunda Scripturarum intelliguntur. Unde usque hodie superbi Judæi, quia pedibus illius non appropinquant, id est humilitatis ejus adventum suscipere dedignantur, Scripturas non intelligunt, et velamen positum est super cor eorum (*II Cor.* III), quod in Christo revelatur. Cum ergo per prophetam dicit Dominus : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* (*Isa.* V), consequenter adjungendum est, propterea non habet scientiam, quia pedibus illius appropinquare, id est humilitatis ejus adventum suscipere dedignatus est. Quid tandem Moyses? Non utique ipse est, qui scientiam aut doctrinam det, legem tantum præcepit, hæreditatem multitudinis Jacob; præcepit, inquam, legem, non apparuit; præcepit hæreditatem sperare, non etiam funiculos hæreditatis ejusdem multitudini Jacob distribuit. Ille autem *erit apud rectissimum rex*. Ille, inquam, scilicet Dominus, sedebit a dextris Domini rectissimi rex. Apud illum sedebit homo factus, rex in æternum, apud quem erat in principio **350** Deus Verbum. Non tanquam famulus, aut præco legem præcipiet nobis, sed tanquam rex ascendens in altum, captivam ducens captivitatem, dona hominibus gratiæ dabit (*Ps.* LXVII).

CAPUT XI.

De benedictione Ruben ; quod illi assimilentur, qui de hæresi ad catholicam Ecclesiam revertantur.

Congregatis principibus populi, cum tribubus Israel, ait : Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero. Quare *sit parvus in numero?* Videlicet quia ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus. Nam pro causa hac, *effusus es*, inquit pater ejus Jacob, *sicut aqua, non crescas* (*Gen.* XLIX). Vivat tamen, et non moriatur, ut hac contentus sit venia, factus indignus primogeniti gloria spiritualiter qui ascendit cubile patris, et maculavit stratum ejus, videlicet hæreticus qui Ecclesiam corrupit sponsam Christi, adulterando verbum Dei, si ad patris gratiam redierit, *vivat et non moriatur :* sit tamen parvus in numero, id est non multiplicetur ecclesiasticis honoribus, sed laica sit communione contentus.

CAPUT XII.

De benedictione Judæ, et quid in isto mystice post intelligatur.

Hæc est benedictio Judæ : Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum. Manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit. In Juda rex et confessionis nostræ princeps, Salvator noster Jesus Christus Dei Filius benedicitur eodem spiritu, eodemque affectu, quo et Propheta orando sic precatur : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob* (*Psal.* XIX), et reliqua. Eodem, inquam, affectu, nunc eadem intentione prophetici spiritus iste loquitur : *Audi, Domine, vocem Judæ et ad populum suum introduc* A eum. Vocem Judæ, vocem ejus qui ex Juda ortus est, qua oravit Patrem, ut ad populum suum introduceretur, nos omnes evangelicæ gratiæ filii audivimus, maxime ubi mox passurus ita loquitur : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII). Et subinde : *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* Ac deinceps : *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut sint unum sicut et nos unum sumus.* Hæc enim vox Christi Filii Dei, secundum carnem de Juda exorti, vox Judæ est orantis se ad populum suum introduci, B videlicet omnes populares sui, omnes fideles sui, unum per eumdem Spiritum velut membra multa : unum, inquam, corpus sint, ipse autem caput ipsorum sit. Hæc vox ejus passim in Scripturis auditur, maxime in psalmis, ubi in spiritu ejus Propheta loquitur : *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te* (*Psal.* LXXXVII). *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat* (*Psal.* CI). Igitur *audi*, inquit, *Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum*, id est exaudi Christum tuum quem de Juda speramus nasciturum, et a mortuis suscita illum, atque principem ac Salvatorem exalta eum ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum. Sed nunquid ille infirmus est, et seipsum C adjuvare non potest? Imo *manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit.* Ad vos, o adjutores, apostrophen feci (*Act.* II), ne putetis hanc orationem esse dubitantis, sed festinantis animi, atque tripudiantis esse desiderii. Nam ille Deus est, Deus et homo erit. Ex eo quod Deus est, *manus ejus pugnabunt pro eo*, id est in ipso sua fortitudo erit, ut solvat dolores inferi, juxta quod impossibile erit teneri illum ab eo. Ex eo autem quod homo erit, adjutor ejus *contra adversarios ejus erit*, id est adjutorio cuncta peraget Divinitatis corporaliter in se habitantis. *Hæc est*, inquit, *Judæ benedictio* insigni demonstratione, quæ dicturus erat, pro Juda præstitulavit, quia in cæterarum tribuum benedictionibus, nusquam usus est, quia videlicet quod de D Juda sperabatur, singulare bonum est, et de cæteris tribubus nulla erat ejusmodi spes.

CAPUT XIII.

De benedictione Levi, et unde benedictionem meruit, et quomodo illum imitentur sacerdotes evangelici.

Levi quoque ait : Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et judicasti ad aquas Contradictionis. Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. Ponent thymiama in furore tuo et holocaustum super altare tuum. In Levi præsentis eo tempore Phinees sacerdotis dignitas benedicitur, qui in initiatione Beelphegor arrepto pugione ingressus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

post virum Israelitem in lupanar, ambosque perfodiens, virum scilicet et mulierem, cessare fecit plagam a filiis Israel, dicente Domino ad Moysen: *Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum : Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum* (*Num.* xxv). De hoc ipso et propter hoc ipsum, item in propheta Dominus dicit: *Pactum meum fuit cum* Levi *vitæ et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me, et faciem nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). In pace, inquit, et æquitate ambulavit mecum, subauditur sicut ambulavit Enoch, qui translatus est ad Dominum, et non inveniebatur. Tradunt enim Hebræi, quod Phinees ipse sit Helias (*Gen.* v). Quod si ita est, maxime placet, quia nobiscum facit, ne ignoremus quomodo cum illo pactum pepigerit Deus sacerdotii sempiterni, cum sacerdotium legale, quo functus est Phinees, sempiternum non fuerit. Nam cum venerit circa finem sæculi, profecto in Ecclesia Christi, cujus sacerdotium sempiternum est, honore sacerdotii non carebit.

Igitur *perfectio tua, o Deus*, inquit, *et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione*, videlicet secundum Phinees qui est ex Levi, et judicasti ad aquas Contradictionis, videlicet secundum me et Aaron, quibus iratus es ad aquas Contradictionis, et dixisti : *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis* (*Num.* xx). Quæ est illa perfectio? *Qui dicit patri suo et matri suæ, Nescio vos,* **351** *et fratribus suis, Ignoro illos*, et nescierunt filios suos, etc., ut supra. Hanc perfectionem tunc Levi carnaliter quidem, sed pro tempore digne et laudabiliter arripuit, quando propter vitulum conflatilem irato Moyse, ac dicente : *Si quis est Domini, jungatur mihi, congregati sunt ad eum omnes filii Levi*, illoque protinus dicente : *Hæc dicit Dominus : Ponat vir gladium super femur suum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum suum, et proximum suum, fecerunt filii Levi juxta sermonem Moysi. Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio* (*Exod.* xxxii). Hi, inquit, *custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel*. Et quia suas illic manus consecraverunt : *Ponent*, ait, *thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum*, id est sacerdotes tui erunt, et in tempore iracundiæ stabunt ad reconciliandum. Verum evangelico viro hoc vel maxime loco vivificans spiritus sequendus est. Ubi enim littera magis occidit? Igitur ille qui gladium illum arripuerit, de quo Dominus legis, legem adimpleus in Evangelio, dicit : *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere super terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus : Qui amat patrem ac matrem plus quam me, non est me dignus : qui amat filium aut filiam plus me, non est me dignus* (*Matth.* x). Qui, inquam, gladium illum arripiunt, gladium verbi Dei, qui perfectio et doctrina Domini est, et *hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel*, atque idcirco quia perfecti sunt, idcirco Deus pro imperfectis popularibus tuis ponent thymiama orationum, sive holocausta intercessionum, quia videlicet pro peccatis hominum intercedere digni et idonei sunt. Iste gladius verbi Dei in manu vel super femur apostolorum et evangelistarum vera fortitudo est, cui protinus ita benedicetur : *Benedic, Domine, fortitudini ejus et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus, et qui oderunt eum non consurgant.*

CAPUT XIV.

De benedictione Benjamin, cur istum ponat post Judam et Levi, et quod maxime in Paulo apostolo hæc ejus benedictio completa sit.

Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo quasi in thalamo tota die commorabitur, et inter humeros illius requiescet. Non casu atque fortuito contingit, ut post Judam Levi, ac deinde prædicet ac beatificet Benjamin, neglecto ordine nativitatis, sed spirituali oculo causas habet præsentes, quas Scripturarum auditor, certius quam digitos aut ungues suos cognoscere possit. Certum quippe est quia scisso regno Israel a domo David, propter peccatum Salomonis, et super Judam et Benjamin, et super sacerdotium Leviticumque templi ministerium, lucerna remansit ipsi David (*III Reg.* xii). Igitur recte spiritu prophetali præeunte primum tribum Juda regiam, deinde sacerdotalem sive leviticam, ac deinceps tribum Benjamin benedicendo designat; utrique loco habitationis, regnique Davidici unione conjungendam. *Amantissimus*, inquit, *Domini habitabit confidenter*. Ac si dicat : Multum a Domino se diligi non ingrato animo Benjamin existimet, in eo quod vitulis Samariæ, sive vitulorum sacerdotibus, cæterarum tribuum animas deprædantibus, ipse *habitabit confidenter*, aliisque tribubus adorantibus quod nescient, ipse cum Juda et cum Levi adorabit quod sciet. *In eo quasi in thalamo tota die morabitur*, in eo, inquam, id est in cultu ejus, in lege ejus, ubi quasi in thalamo anima legitimo viro suo Deo copulatur, tota die morabitur, *et inter humeros illius*, id est inter fortissimas tribus regiam et sacerdotalem *requiescet*, ut non eum vanus error laboris fatiget. Verum altius adhuc respicientibus, amantissimum Domini Paulum de tribu Benjamin præterire non licet, neque arbitrandum est quod prophetarum maximus Moyses, qui præscire meruerit, quidquid bonæ spei de singulis tribubus exspe-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

etandum foret, tale tantumque Benjamineæ stirpis bonum non præviderit, aut prævidens oraculo voci suæ celebrare dedignatus sit. Igitur *amantissimus Domini* Benjamin, id est Saulus, qui et Paulus de tribu Benjamin, magno pietatis miraculo (*Act.* IX) de persecutore Domini factus *amantissimus Domini, habitabit confidenter*, magis ac magis convalescens, et inimicos Domini confundens, *in eo quasi in thalamo tota die morabitur*, id est in gratia ejus omni tempore gloriabitur, *et inter* duos *humeros illius*, inter duo Testamenta illius *requiescet*, pascetur ac multitudine revelationum clarificabitur, ita plane quemadmodum in Juda rex et Dominus Jesus Christus, sic et Benjamin amantissimus ejus, vas electionis ejus, sacrarium gratiæ ejus, digne prophetico spiritu celebretur.

CAPUT XV.

De benedictione Joseph. Quod Juda et in isto Christus Dei Filius benedicetur.

Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli et rore, atque abysso subjacente, de pomis fructuum solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Si ad litteram spectes, cur post Judam, Levi et Benjamin, ponatur Joseph, qui secundum tempus et ordinem nativitatis duodecim filiorum Israel penultimus est, illa causa est quia regni Jeroboam, qui a domo David abscidit decem tribus Israel, principium fuit tribus Ephraim filii Joseph. Nam ipse Jeroboam rex per Ephraim erat de Joseph, et grandi quidem affectu benedictionis acervus congeritur, propter merita Joseph, sed secundum litteram, quidquid benedictio præsens resonat, non valde magnum est cum pomis cœli et rore, id est omni ubertate aeris rorantis, bona et salubri temperie, atque abyssi subjacentis, fructibus quoque solis et lunæ, naturaliter autem, ut physici perhibent, ex luna crementum, ex sole autem maturitatem fructus terræ capiunt; cum, inquam, pomis vel frugibus terræ omnibus, malus æque ut bonus, interdum quoque malus magis quam bonus abundet. Porro juxta sensum aliorem ac prophetico spiritu dignum, ipse in Joseph, qui et Juda benedicitur, quia videlicet qui ex Juda secundum carnem natus, ipse est Joseph Christus Dei Filius, toto vitæ ejus ordine est præfiguratus. Ait ergo : *De benedictione Domini terra ejus*, etc. Benedictio hæc septenaria distinctione subdivisa est. Prima, *de benedictione Domini terra ejus*. Secunda, *de pomis cœli et rore, atque abysso subjacente*. Tertia, *de pomis fructuum solis ac lunæ*. Quarta, *de vertice antiquorum montium*. Quinta, *de pomis collium æternorum*. Sexta, *de fructibus terræ*. **352** Septima, *de plenitudine ejus*. Quid hac benedictione septenaria, nisi Christo Dei Filio, cujus ille *filius accrescens* typum gesserat, cuncta perfecta, cuncta præoptantur vel prædicantur prospera? Nam *de benedictione Domini terra ejus*, subaudiendum est fundabitur vel creabitur, *terra*, inquam, *ejus*, id est terrenum de terrena materia corpus ejus, non de virili semine, sed de *Domini benedictione :* non de mortali opere, sed de sancti Spiritus operatione concipietur, formabitur et patietur. *De pomis cœli, et rore, et abysso subjacente*, subaudietur, formabitur et germinabitur : *de pomis*, inquam, *cœli* rorantis, *et abysso subjacente*, id est de cœlestibus et angelicis alloquiis, et virgineæ carnis humore, juxta aliam prophetiam dicentem : *Rorate, cœli, desuper, et nubes cœli pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem* (*Isa.* XLV). Roraverunt enim pomiferi, quando de cœlis missus Gabriel angelus : *Ecce*, inquit, *concipies et paries filium* (*Luc.* I), etc. Subjacens autem abyssus, poma cœli, id est verba fidelia suscepit angeli, cum virgo fidelis subjectum et credulum pandens auditum : *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*). De pomis, inquit, fructuum solis ac lunæ, id est de veritate vel operatione utriusque divinæ scilicet pariter et humanæ naturæ. Nam iste benedictionis Filius, non de sole tantum, neque de luna sola, id est non enim ex divina tantum, neque de sola humana, sed de utraque Deus et homo unus idemque consistit natura. Et de sole quidem, id est de natura divina immutabilis atque impassibilis erat. De luna vero, id est de humana natura varietatibus nostris passibiliter subjacebat. *De vertice antiquorum montium, et de pomis collium æternorum*, subauditur, insignis et inclytus incedat. Montes quippe antiqui patriarchæ sancti : colles æterni prophetæ sunt, stabilis et permanentis testimonii. De carne illorum natus, de Scripturis horum testimonium habet iste *accrescens filius*. Igitur *de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum*, id est de fideli semine patriarcharum, de fideli veniat nobis sermone prophetarum. *De frugibus terræ*, subaudis, ditetur atque amplificetur magnifice, id est de multis atque innumerabilibus filiis toto orbe diffuso Ecclesiæ, natæ atque germinantis, de sacrosancta ejus passione. *Et de plenitudine ejus*, id est de gloriosa et cœlesti illa patria, ubi terra eadem plenitudine, atque felicitate resurrectionis innovata, bonis ejus implebitur, bonorum omnium abundantia, tam secundum corpus quam secundum animam in aspectu ejus perfruetur. Ad summum, inquit : *Benedictio ejus qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazarei ejus inter fratres suos*. Quod est dicere : Quæ tunc benedictio præfigurata est, quando ille omnis benedictionis opifex apparuit in rubo, ut populum suum liberaret et educeret de Ægypto (*Exod.* III), illa perficiatur in capite Christi Filii Dei, qui nobis Joseph, nobis, inquam, *filius accrescens* venturus est, in capite, inquam, et in vertice illius Joseph, in majestate et altissima divinitate *Nazarei inter fratres suos*, id est sancti inter omnes et super omnes homines sanctos. *Veniat super caput* ejus, dum concipitur : *veniat super verticem* ejus, cum jam juvenis baptizatur. Nec partim, sed tota plenitudine *veniat super caput* vel *super verticem* ejus, universus gratiæ et benedictionis fluvius, quæ pro-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fecto non alia est quam gratia septiformis Spiritus. Veniat ignis quidem, sed rubum illuminans, non comburens, id est cum sit fortissimus spirituum Deus, fragilem virginei ventris substantiam non dissolvens, matrem quidem efficiens, sed virginem incorruptam custodiens. Talis veniens benedictio de medio rubi, liberet nos de manu Pharaonis, et de luto Ægypti, id est natus de virgine, liberet nos de manu diaboli et servitute peccati. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua ejus.* Libet et secundum rem gestam intueri, quam recte ille Joseph filius Israel, recte et Nazaræus *inter fratres suos*, et quasi tauri fuisse primogenitus pulcherrimus, et *cornua velut rhinocerotis*, pro similitudine habuisse dicatur. Videlicet Nazaræus ex lege comam nutrire jubetur (*Num.* VI). At ille longa carceris clausura comam nutrierat, quousque ad imperium Pharaonis de carcere eductus, tonsus et stola indutus est byssina (*Gen.* XLI). Pro qua causa? Videlicet pro magna innocentia, pro laudabili justitia, quia conventus et provocatus a concupiscente domina, nequaquam operi nefario acquieverat. Recte igitur rei vel causæ memorabili applaudendo, et capiti comato alludendo, dixit et patriarcha Jacob : *Fiant*, subaudiitur benedictiones istæ, *in capite Joseph, et in vertice Nazaræi, inter fratres suos* (*Gen.* XLIX), dicit et iste legislator : *Veniat benedictio super caput Joseph et super verticem Nazaræi, inter fratres suos.* Constat vero, quia propter pulchram faciem decorumque aspectum, a domina sua adamatus est. Ergo *quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus*, quia videlicet sic a domina sua juvenis decorus velut a lasciviente vacca taurus juvenculus, et intra cæteros egregius appetitus est. Ad quod idem alludens, idem qui supra Pater sanctus, *Filius*, inquit, *accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu* (*ibid.*). Quia vero fortiter libidini restitit, recte et hic dictum est, *cornua rhinocerotis cornua ejus*, et ille qui supra : *Sedet*, inquit, *in forti arcus ejus.* Sed jam cœptam sequentes tropologiam, hæc quoque ad Salvatorem referamus : nam *quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus*, in eo quod pro salute mundi sacrificatus, solus suffecit, pro omnibus in odorem suavitatis acceptus vitulus saginatus, vitulus primogenitus, *candidus et rubicundus, electus ex millibus* (*Cant.* V). *Cornua rhinocerotis cornua ejus.* Fortissimus quippe erat atque omnipotentissimus, incomprehensibilis cunctis venatoribus, nisi quod in sinum, imo in uterum Virginis singulare deposuit omnipotentiæ cornu, atque inde comprehendi et occidi potuit a venatoribus, a Judæis insidiantibus. Quamvis unum sit cornu rhinocerotis, unde et dicitur unicornis, tamen pluraliter cornua dixit, videlicet quia unus idemque cuncta omnipotenter fecit, et cuncta perdita nihilominus eadem potentia restauravit. De natura rhinocerotis jam alibi dictum est (*sup. cap.* 20), nunc ad reliqua properemus. *In ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim, et hæc millia Manasse.* Clarum est quia bello publico mirabiliter in illis cornibus suis gentes usque ad terminos terræ ventilavit : prædicando enim quia Verbum per quod omnia in principio facta sunt, caro factum, in fine sæculorum vicit diabolum, gentes ante se egit, partimque in fugam vertit, partim sub pedibus suis stravit. Nam qui ex eis restiterunt cum gladiis suis et proposito persequendi disperierunt : qui autem prædicationem ejus receperunt, bene pedibus ejus subjecti sunt. Ventilavit igitur *gentes usque ad terminos terræ*, et sic ventilando tam gentiles quam Judæos, complevit quod dixerat in Psalmo : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam* **353** *vas figuli confringes eos* (*Psal.* II). Gentes ipsæ multitudines sunt Ephraim, et millia Manasse, id est sic judicatæ, et sic dispositæ sunt, quomodo præfiguratum est in filiis Joseph, Ephraim et Manasse. Ephraim natu junior, Manasses primogenitus erat, sed benedictione sua Pater Israel constituit Ephraim ante Manassen (*Gen.* XLVIII). Sic populus Judaicus populo gentium prior erat, sed ventilantibus hujus rhinocerotis cornibus, illud quoque post cætera factum est, ut junior iste ante priorem illum stet.

CAPUT XVI.

De benedictione Zabulon et Issachar, quod in ipsis apostoli Christi benedicantur.

Et Zabulon ait : Lætare, Zabulon, in exitu tuo, et Isachar in tabernaculis tuis. Populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas justitiæ qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum. Primo simpliciter sic dicendum est, quod in benedictionibus sive laudibus Joseph tacitum est, cum secundum litteram sive historiam dici posset Ephraim a templo Domini, et a regno vel civitate Dei recessurus, et vitulos aureos fabricaturus est : tunc qui de Zabulon et Issachar optimi erunt, *populos ad montem vocabunt : ad montem*, inquam, id est ad templum in Jerosolymis, in monte Moria situm, contradicentes sacrilegio Hieroboam, ac dicentes, non vitulos ejus in Bethel, et in Dan, sed Dominum Deum patrum suorum in Jerosolymis esse adorandum. Aiunt namque Hebræi, quod hi maxime qui de Issachar et Zabulon, Nephtalim quoque erant, ad Scripturas sanctas die ac nocte meditandas studium dederunt, et hoc per metaphoram significari in benedictionibus Jacob dicentis : *Zabulon in littore maris habitabit* (*Gen.* XLIX). Issachar asinus fortis supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens, quod est, submisit se studiis, laborans ad discendum, magistris dona portans. Cui sensui amplissime congruit, quod nunc dicitur : *Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Quod idem est ac si diceret : Qui plenitudinem Scripturarum cum dulcedine et desiderio percipient, et absconditos in litterarum profundo thesauros subtilium sententiarum. *Ibi immolabunt*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

victimas justitiæ, vitulis autem Ephraim quæcunque immolabuntur, sine dubio victimæ erunt injustitiæ. Verum jam ultius producendum est. *Lætare*, inquit, *Zabulon, in exitu tuo, et Issachar in tabernaculis tuis.* Melius et prophetico spiritu dignius est, si ad doctrinam Salvatoris qui supra in Joseph benedicitur hæc referamus, eo quod vel maxime in terra Zabulon vel Nephtalim docuerit, atque apostolos vocaverit, ut in Evangelio quoque scriptum est : *Lætare, Zabulon* (*Matth.* IV), quod interpretatur *habitaculum fortitudinis*, et Issachar, quod interpretatur *merces*. Lætamini, inquam, apostoli Salvatoris, quibus fortiter omnia relinquentibus, fortiterque adversa propter justitiam sustinentibus, copiosa in cœlis merces repo ita est. In illo exitu vestro, in illis cœlestibus habitaculis vestris lætamini. Protinus ad auditores apostrophen facit sermo propheticus. *Populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas justitiæ. Populos*, inquam, non unum populum Judæorum, sed populos vel gentes omnes *ad montem vocabunt*, ad montem illum, de quo et secundum Isaiam semetipsos vocati populi multi, vel omnes gentes cohortantur et dicunt : *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. Erit*, inquit propheta, *in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabit super colles, et fluent ad eum omnes gentes* (*Isa.* II), etc. *Ad* illum, inquam, *montem*, qui impleturus totum orbem terrarum, *populos vocabunt*, magna voce vocabunt, ita ut *in omnem terram exeat sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). *Ibi immolabunt victimas justitiæ : ibi*, inquam, tantum, quia præter montis illius ascensum, præter montis istius, vel domus Domini fidem nusquam alibi est immolare *victimas justitiæ*. Ex quo *ad montem* istum vocantibus apostolis, *de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isai.* II), quidquid usquam, sive in Jerosolymis, sive in tota Synagoga immolatur, illa vocatione contempta, sacrificium injustitiæ est, victima impietatis est. Illuc vocando *inundationem maris* inquit, *quasi lac sugent*, id est multitudinem gentium, dulci prædicatione in unam fidem, quasi in suum corpus trajicient, juxta quod in propheta sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ, promittens sanctus et consolatorius Spiritus dicit : *Et suges lac gentium et mamilla regum lactaberis* (*Isai.* LX) *Sugent et absconditos thesauros arenarum*, id est clarissimo intuitu scrutabuntur, et spiritualiter, tractando suaviter bibent profunda Scripturarum arcana legis et prophetarum. *Sugent*, inquam, *thesauros* ejusmodi *arenarum* et experimento scient, *quia judicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* XVIII).

CAPUT XVII.

De benedictione Gad, quomodo nomen ejus, quod interpretatur accinctus, *tam secundum historicum quam secundum spiritualem sensum conveniat.*

Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad. Quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel. Benedictus, inquit, *in latitudine*, id est in bona voluntate, videlicet quia dicit : *Caulas ovium fabricavimus et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas. Nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Non revertemur ad domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam, nec quidquam quærimus trans Jordanem, quia jam habemus possessionem nostram in orientali plaga ejus* (*Num.* XXXII). Hæc dicendo Gad, et sic faciendo, profecto *vidit principatum suum*, id est non neglexit sponsionem suam, nec mentitus est promissum suum princeps belli incedendo armatus, et secundum nomen suum accinctus ante faciem fratrum suorum. *In parte sua doctor repositus*, id est propria sententia dux in periculis constitutus, factis suis præcurrentibus disciplinam docens et fortitudinem belli, quam cæteri sequerentur. Ita *fuit cum principibus populi* princeps in acie, primus in periculis, *et fecit justitias Domini*, dicta sua compensando factis, *et judicium suum cum Israel*, faciendo quod judicavit se facere debere coram vel cum universo Israel. Deinde *quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem.* Ad filios namque quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversum eos vicinarum gentium grande reperit, et dimicando fortiter hostes vicit, ad modum leonis brachium adversarii verticemque **354** occupantis, ut sublata primum pugnaci dextera, deinde sanguinem ejus bibat. Spiritualiter post apostolos apostolorum successores hac benedictione instruuntur, qui profecto jam citra Jordanem possessiones acceperunt, quia videlicet jam hic ante prædia cœlorum terramque viventium, facultates in Ecclesia possident, et prædia de manu divitum regumque, vel imperatorum fidelium. Videant isti *principatum suum, quod in parte sua* doctores sint repositi, id est non ignorent qua conditione principatum acceperunt Ecclesiæ Christi, quia non imperatores vel tyranni, sed doctores sunt in parte vel possibilitate sua repositi, *regere Ecclesiam quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX), unde *et rationem sunt reddituri* (*Hebr.* XIII). Hoc, inquam, videant, sintque *cum principibus populi*, id est apostolos imitentur, patres et principes Christiani populi, et exemplo illorum faciant *justitias Domini*, secundum quod causa postulat, nunc in virga, nunc in spiritu mansuetudinis, *et judicium suum cum Israel. Judicium*, inquam, vel propositum suum teneant, quo curare se professi sunt pro isto spirituali Israel, ne illis ad damnationem proveniat indigne sumpta temporalis merces. Igitur benedictus in latitudine Gad, scilicet quicunque prædicator aut prælatus dilatata per charitatem habet viscera, qua dilatatus Apostolus dicebat : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dila-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tatum est (*II Cor.* VI), etc. Plane quisquis ejusmodi est, *quasi leo requievit, cepitque brachium et verticem*, id est sanctum leonis de tribu Juda spiritum induit, cepitque omnem hominem in brachio suo Spiritu Dei resistentem, et conculcavit superbiæ verticem.

CAPUT XVIII.

De benedictione Dan, quod in illo secundum historiam Samson, qui futurus erat de tribu ejus, mystice autem Christus, cujus ille typum gesserit benedicatur.

Dan quoque ait : Dan, catulus leonis, fluet largiter de Basan. Dan, id est Samson de tribu Dan quasi catulus leonis fortissimus erit : sic enim millia hostium, quasi leo unus multa millia ovium, facile superabit. *Fluet largiter de Basan*, id est transgressus Jordanem, expugnata prius cum Israel terra Og regis Basan, fortiter aget, ascendens et pugnando capiens sortem suam. Nec enim propter Samson solum, sed et propter communes pugnacissimæ tribus vires catulus leonis Dan. Scriptum est enim : *Ascenderunt filii Dan, et pugnaverunt contra Lesen, ceperuntque eam, et percusserunt in oregladii, ac possederunt et habitaverunt in ea vocantes nomen ejus Lesendam ex nomine Dan Patris sui* (*Josue* XIX). Porro et alius in Dan propter prædictum Samson, quod interpretatur *sol eorum*, licet intelligere solem nostrum, solem justitiæ Christum. Iste *catulus leonis*, id est Filius Dei fortissimi, *fluet largiter de Basan*, id est fortiter aget, et largitatem donorum tribuet Spiritus sancti, cujus plenitudo intelligitur per Basan. Basan quippe interpretatur *pinguis*, et in Christo recte pinguedinem significat Spiritus sancti, juxta quod in Psalmo dicitur : *Mons Dei, mons pinguis* (*Psal.* LXVII). Iste catulus leonis portas inferni confregit, et media nocte resurgens tandem in cœlum ascendit, juxta quod in typum ejus Samson idem de tribu Dan obsessus ab hostibus, media nocte surrexit, portas urbis tulit, et in verticem montis subiit (*Judic.* XVI). Sed et cætera præclarissima ac fortissima gesta, quibus illustravit tribum Dan tribum suam, mysteria fuere significantia Christi Domini nostri gloriam, sicut a Patribus orthodoxis jamdudum exponitur, et expositum legitur, et scitur per universam Christi Ecclesiam.

CAPUT XIX.

De benedictione Nephtalim, et quod dictum est : « Mane et meridie possidebit, » ad doctrinam pertinere Salvatoris.

Et Nephtali dixit : Nephtalim abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionis Domini, mane et meridie possidebit. Si ad litteram spectes, quod dictum est *mane et meridie possidebit*, quæritur cur non sit dictum, quia occidentem quoque possidebit. Scriptum est enim in sorte Nephtalim : *Et egressus eorum usque ad Jordanem, revertiturque terminus contra occidentem in Azanothabor, atque inde egreditur in Hucuca, et pertransit in Zabulon contra meridiem, et in Aser contra occidentem, et in Juda ad Jordanem contra ortum solis civitatis munitissimæ* (*Josue* XIX). Ergo melius est, si et hoc ad doctrinam referamus Salvatoris, eo quod ibi vel maxime docente illo : *Nephtalim revera mane et meridie* possederit, completo quod dictum est per prophetam, *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam* (*Isai.* IX). Quod evangelista quoque testatur, cum dicit : *Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum, maritima in finibus Zabulon et Nephtalim, ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephtalim via maris, trans Jordanem Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (*Matth.* IV). Igitur *mane et meridie possidebit* ; exinde enim Jesus meridiana lux prædicare cœpit ; exinde, inquam, idem stella matutina et meridianus sol prædicando illuxit. Ita benedictionis Domini plenus erit Nephtalim, videlicet pro parte electorum quibus ipsum mane et ipsa meridies complacebit, sanis et non invidentibus oculis. Universaliter tamen, quoniam Nephtalim *latitudo* interpretatur, intelligere licet quia omnis qui per charitatem dilatatur, revera plenus sit benedictionis Domini, et hic mane ac meridiem possideat, id est, *nunc quidem per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem Deum videat* (*I Cor.* XIII).

CAPUT XX.

De benedictione Aser, quod in eo secundum nomen ejus, quod interpretatur beatus, *omnes sancti Dei qui vere beati sunt, benedicantur.*

Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum, ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. Non est Deus alius ut Deus rectissimi. Ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, et habitaculum ejus sursum et subter brachia sempiterna. Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque conterere. Benedictum fuisse *in filiis Aser*, et beatos genuisse filios, illud indicio est quod feminæ quoque beatæ ac benedictæ, prophetiæ spiritum habentes, magnum ac longævum sapientiæ vel sanctitatis reliquere testimonium. Siquidem mulier sapiens, quæ de civitate Abella exclamavit dicens : *Audite, audite, dicite Joab* (*II Reg.* XX), ac deinceps : *Sermo*, inquit, *dicebatur in veteri proverbio, qui interrogant, interrogent in Abella, et sic percipiebant veritatem : Nonne ego sum, qui respondeo veritatem in Israel ? quare* **355** *præcipitas hæreditatem Domini ?* (*Ibid.*) Mulier, inquam, illa sapiens, ut tradunt Hebræi, filia fuit hujus Aser, quæ et idcirco matrem se dixerit in Israel, quia multorum erat annorum, ut vel propter eam nunc recte pater Aser dicatur : *Ferrum et æs, calceamentum ejus*, quo dicto pulchre diuturnitas vitæ designatur. Sed et in Evangelio *Anna prophetissa* legitur *filia Phanuel, de tribu Aser* (*Luc.* II) tam pro longæva sanctitate quam pro gratia prophetica venerabilis, quippe quæ Christum infantem agnoscere, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

propheticum illi perhibere testimonium digna habita est. Verum quoniam Aser *beatus* interpretatur, latius sanctos omnes beatam spem exspectantes, in hoc nomine beatificari arbitremur. Itaque *benedictus in filiis Aser*, id est benedictus in operibus bonis, et virtutibus suis beatus ille populus, cujus Dominus Deus ejus est. *Sit placens fratribus suis*, id est habeat dilectionem ad invicem, sicut eum Dominus Deus ejus dilexit. *Et intinget in oleo pedem suum*, videlicet pacem annuntiando, charitatem prædicando. Nam beati pedes evangelizantium pacem. *Ferrum et æs calceamentum ejus*, id est sicut ferrum forte, et æs perseverantissimum est, ita fides ejus fortis sit, et usque in finem perseveret, vel sicut ferrum constans, et æs sonorum est, ita bona et constanter operetur, et fideliter annuntiet. *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.* Hoc vere laudabile est. Solent enim plerique maxime qui carnaliter sapiunt, et carnaliter vivunt, in juventute quidem sapere et acutiores esse, in senectute autem desipere, et in infantiam declinare stultitiæ. Non ita autem tu. Nam et rex David postquam senuerat, nunc demum invenit Abisac Sunamitem pulchram nimis adolescentulam virginem (*III Reg.* I), significans viros sanctos, cum plurimos habuerint ætatis dies, et a calore pristino magis ac magis refriguerunt, tunc magis ac magis proficere ad sapientiam spiritualem, et cœlestem virginem incorruptam atque incorruptibilem. Igitur *sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua*, scilicet ejus quam vocasti amicam tuam, sapientiæ vel prudentiæ complexibus idonea. *Non est Deus alius, ut Deus rectissimi.* Hoc plane dicent, qui tinctum in oleo pedem tuum, et ferreum vel æneum calceamentum tuum viderint. Propterea dicit : *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Hoc, inquam, dicent, et idcirco pedem tuum oleo tinctum, ferroque vel ære calceatum ostendere debebis, non ut videant te, sed ut jucundo lumine operum tuorum exhilarati, dicant : *Non est Deus alius, ut Deus* altissimi. Hoc sæpe dictum est, et dicentibus profuisse notissimum est. Admirantes quippe atque gaudentes cum viderent ethnici atque gentiles Christi servos opere perfectos, et sermone potentes, « Verus, dixerunt, Deus ille est, qui vos tales servos habet. » Ubi propter te, o rectissime, sic Deus fuerit glorificatus, eadem Dei glorificatione beatificaberis et tu. Adjicient enim : *Ascensor cœli auxiliator tuus.* Idcirco tu, inquiunt, rectissimus, quia qui in cœlum ascenderit, ipse auxiliator tuus. Nam sine auxilio ejus nihil facere poteras tu. Exempli gratia : Petrus hodie rectissimus, antequam ille ascendisset in cœlum non erat rectus, quippe qui ad vocem ancillæ ostiariæ trepidus et curvus declinavit, et dum mori timuit, vitam negavit. At ubi ille auxiliator ejus super occasum ascendit, ubi mortem resurgendo calcavit, et in cœlum ascendit, vel, ut secundum prophetam loquar, ubi *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII), ibi et ex tunc Petrus rectissimus. Igitur quisquis in glorificatione Dei rectissimum te dicit, causam efficientem unde sis rectissimus subjungat protinus : *Ascensor cœli*, inquiens, *auxiliator tuus.* Magnificentia ejus discurrunt nubes. Ac si dicat : Quid mirantur ? Auxilium illius ascensoris cœli potentissimum atque efficacissimum est. Nam *magnificentia ejus discurrunt nubes.* Magnificentia, inquam, id est magnifica gratia hoc factum est, ut super omnem terram discurrant nubes, nubes temperativæ, nubes aquosæ cunctis loquelis, universis sermonibus gentes omnes aquis compluentes salutaris doctrinæ. Nam istæ nubes apostoli et prophetæ sunt. Dictum quippe est de his : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* (*Isa.* LX.) Antequam magnificus ascensor ejus suum auxilium illis, id est sui spiritus dona præstitisset, non discurrebant, sed in uno loco Judææ permodico pluebant istæ nubes. Nunc autem quid ? *Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna.* Quod est dicere : Ille ascendit in cœlum, sedensque ad dexteram Patris, habitat sursum, et exinde porrexit huc brachia sua, brachia sempiterna, id est sancti Spiritus sui dona fortissima. Nam eadem sancti Spiritus dona, sicut in Apocalypsi septem agni cornua (*Apoc.* V), sic in isto propter eamdem fortitudinem, recte dicatur septem brachia habitaculi ejus sempiterna. Horum magnificentia brachiorum magnificatæ discurrerunt nubes, id est per mundum universum divisi sunt apostoli, vel apostolici viri sapientes atque eloquentes, ut eorum doctrina omnem terram compluerent. *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque conterere. Illis brachiis* suis, o Aser, o populi, terque quaterque, beate, *inimicum* illum *ejiciet a facie tua*, de quo antequam brachia sua cœli ascensor extenderet : *Nunc*, ait, *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Ergo primum quidem per passionem, resurrectionem, atque ascensionem suam ejiciet inimicum a facie tua trahendo ad se omnia, in novissimo autem dicet, *conterere*, veniens scilicet cum potestate magna et majestate, ut eum et omnes angelos ejus præcipitet in ignem æternum semper ardentis atque inextinguibilis gehennæ (*Matth.* XXV). *Dicet*, inquam, *conterere*, id est conteret eum, non manu vel pede, sed verbi Omnipotentis quod ipse est, magna et ineffabili dictione, non transitoria voce, sed sententia permanente.

CAPUT XXI.

De universali benedictione totius populi Dei, sub nomine Israel et Jacob.

Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore. Cum ille ascensor cœli regnaverit, cum habitaculum suum sursum posuerit, sedendo ad dexteram Patris, et quæ prædicta sunt brachia sempiterna subter porrexerit, tunc Israel, verus Israel, qui amoto velamine, et revelata facie, gloriam Domini speculabitur, *habitabit confidenter et solus*, quemadmodum et alius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

propheta testatur : *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter* (*Jer.* XXIII). Quis rex secundum illum prophetam regnabit, nisi qui secundum istum ascensorem cœli, sursumque habitaculum sibi posuit? Et per quid faciet judicium et justitiam in terra, nisi per hæc brachia sempiterna, per sancti Spiritus charismata mundum arguentis de judicio et de justitia (*Joan.* XVI). Igitur quemadmodum et hic, et ille testatur, *habitabit*, **356** imo jam ex tunc habitat verus *Israel confidenter et solus; confidenter*, inquam, quia magnum habet advocatum apud Patrem, magnum habet pontificem qui penetravit cœlos, Jesum Christum, cujus tenet confessionem (*Hebr.* IV). Solus autem, quia nonnisi unam catholicam recipit fidem, foris est et extra terminos hujus Israelis, ubicunque sit, quisquis idipsum non sapit, quisquis idipsum non dicit. Interea solus vel solitarius iste nequaquam hic suæ confidentiæ mercedem recipere intendit. Sed quid? *Oculus Jacob in terra frumenti et vini; oculus*, inquam, id est, intentio Jacob fortissimi supplantatoris in illam terram viventium tendit, quam indignis habitatoribus supplantabit, quæ terra est *frumenti et vini; frumenti*, inquam, id est vitæ æternæ, ubi in sua substantia videbitur angelorum panis, et terra et vini, ubi non deficiat fluvius amoris, torrens voluptatis. Illuc tendit oculus Jacob, illic spem suam posuit fortis Jacob. *Cœlique caligabunt rore*, ubi oculus Jacob in illam terram prospicit, quandiu in hoc sæculo peregrinatur, contemplanti animo patria cœlestis dulci caligine, et caliginosa absconditur dulcedine, ut quod mirum ac pene ineffabile est, in eo quod videre nititur fatigata deficiat, et ipso defectu suo referta gaudeat. *Beatus es, tu Israel. Quis similis tui, populo qui salvaris?* Ecce iterum *beatus Israel* dicitur, quia revera populus beatus, cujus Dominus Deus ejus. Et *quis similis tui*, inquit? Nemo; subaudis, nam tu salvaris, populus autem, cujus *ascensor cœli auxiliator* datus non est, perditioni destinatus est, et in hoc valde atque contrario modo tui est dissimilis. Verum non hoc tibi reputes, neque ex te provenisse existimes. Sed quid? *In Domino scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ. Scutum auxilii tui* quo ignea inimici tui jacula restinguere potuisti, et gladius sermonis Dei quo inimicum persequendo, vel vitia carnis resecando, gloriose triumphasti (*Ephes.* VI), in Domino et non in te, fuit donum gratiæ Domini, et non tuæ opus est virtutis. *Negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis.* Et hoc ipsum de gloria est Domini, quem primum negaverunt inimici sui ante faciem Pilati, ipse autem resurgens ex mortuis, ascendens in cœlum, colla eorum calcavit, deditque tibi potestatem, ut cum similiter inimici te negaverint, qui propter eum sunt inimici tui, tu tandem colla eorum calces in die judicii.

CAPUT XXII.

De morte Moysi, quod sine dubio mortuus sit, sicut mortuus est Aaron frater ejus, et de Josue successore ejus.

(CAP. XXXIV.) *Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phegor. Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.* Afferunt plerique quod Moyses non vere juxta proprietatem vocis mortuus sit, sed Dominus eum absconderit, et per nomen mortui absconsionem ejus sive translationem debere intelligi, illud pro maximo argumento habentes, quod transfigurato in monte Domino, iste cum Elia cum eo loquens apparuit (*Matth.* XVII). Verum si non mortuus, sed a Domino, ut Enoch et velut Elias translatus creditur, quomodo istud pro indignatione vel ira Domini reputabitur? Nempe sic transferri non indignationis, sed dignationis, non iræ sed magnæ gratiæ est. Dicit enim ipse Moyses : *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus, dixerit propter vos : Nec tu ingredieris, sed Josue filius Nun minister tuus, ipse introibit pro te* (*Deut.* I). Item : *Iratus est Dominus contra me propter sermones vestros, et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis : Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem. Vos transibitis, et possidebitis terram egregiam* (*Deut.* IV). Sed et nunc iratus Dominus dicit : *Hæc est terra pro qua juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad eam.* Ad summum, nonne vel Aaron vere mortuus est, vera depositione corporis? Quis vel hoc dissimulare possit? Dicit autem Dominus paulo supra Moysi : *Ascende in montem istum Abarim, id est transitum, in montem Nebo, et morere, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, quia prævaricati estis coram me ad aquas Contradictionis, et non sanctificastis me inter filios Israel* (*Deut.* XLII). Igitur quantiscunque quis e contrario nitatur argumentis, libere confirmamus quia sicut Aaron, sic et Moyses vere, et vera depositione corporis mortuus sit. *Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est.* Ac si dicat : Ecce super me illa Domini sententia consurgit, qua cum universaliter dixisset : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* (*Gen.* VI), statim singulariter quasi iratum contra me digitum intendens : *Erunt*, ait, *dies illius centum viginti annorum* (*ibid.*). Constituit enim dies hominis, qui præteriri non poterunt (*Job* XIV). *Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Ergo adhuc vitæ huic poterat idoneus esse, nisi vindicta properante dixisset Dominus : *Ascende in montem istum et morere. Josue vero filius Nun*, repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. *Et non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses.* Judæi fugaces et ubique sensum veritatis fugientes, cum interrogantur

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

de quo dixerit Moyses hic : *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, sicut petisti a Domino Deo tuo in Oreb* (*Deut.* LXVIII), respondent, quia de Josue dictum est. Ecce autem cum dixisset : *Josue vero repletus est Spiritu sapientiæ*, etc., statim subjunxit : *Et non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moyses.* Hoc plane idem est, ac si dixisset : Non fuit Josue sicut Moyses. Igitur non surrexit propheta ultra in Israel sicut Moyses, subaudias oportet, excepto illo, qui non solum propheta, sed et prophetarum Dominus est, qui secundum hominem quidem sicut Moyses, id est alius legislator est, secundum divinitatem vero non sicut Moyses, sed plusquam Moyses est. *Quem nosset*, inquit, *Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis.* De hoc jam alibi dictum est, quia Moysen Dominus facie ad faciem præ omnibus novit, in eo videlicet quod non per somnium aut per figuras (*Num.* XII), sed certa et propria visione cœlestia mysteria, vel futurorum notitiam præ omnibus prophetis illi ostendit. De morte Moysi, et successione Josue, quid mysterii contineant, sequentis non tacebunt principia voluminis.

A

B

357 CAPUT XXIII.

Quod vere dixerit Dominus Judæis, « Si credieretis Moysi, crederetis forsitan et mihi. »

Vere et fideliter ait Dominus Judæis, quia *si credieretis Moysi crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit* (*Joan.* V). Quid enim aliud quam ea quæ de illo sunt, Moyses scripsit ? Aut quem in alium, quam in Dei Filium, vultum suum scriptor intendit? Vere, ut hic novissime dictum est, Dominus illum facie ad faciem novit in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel. In omnibus his novit eum Dominus, et ipse novit Dominum facie ad faciem. Faciendo namque extrinsecus hæc omnia terrestria, cœleste intrinsecus certo intuitu respiciebat exemplar, quod in monte sibi ostensum fuerat, et secundum res illas, res veras, figurarum quasi in tabula docta manu pictor egregius imitatrices ducebat lineas. Hæc illa claritas interioris vultus Moysi, quæ hodie in Christo toto revelata est orbi, fugientes accusat Judæos, videre non ferentes ejus, in quem non credunt, in Moyse suo gloriam Christi Filii Dei. Recte igitur et veraciter : *Est*, ait, *qui vos accusat Moyses, in quo vos speratis* (*ibid.*), quia vos in eum non creditis, quia vos vultui ejus clarissimo, perfidiæ velamen oppanditis. *Nos autem credimus propter quod et locuti sumus* (*II Cor.* IV), et si quid aliter quam dici debuit, diximus, si quid minus aut exilius, veniam a te, et a spiritu Moysi, duce vel habitatore Christo, petimus.

C

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN LIBRUM JOSUE

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

358 CAPUT PRIMUM.

Quod Josue jam octavum sit speculum Christi Filii Dei, septem figuris in Moysi Pentateucho præsignati.

Septem periochis in Pentateucho Moysi, recapitulatam tractavimus passionem Christi Filii Dei, nunc in octavo Josue, gloriam resurgentis, cœlumque ingressi triumphum sumus celebraturi. Prima namque fuit in morte Abel justi. Secunda in angustiis Noe. Tertia in immolatione Isaac. Quarta in venditione et vinculis Joseph. Quinta in exitu filiorum Israel de Ægypto per immolationem agni. Sexta in eo quod Moyses petram virga percussit, et sitienti populo aquam produxit. Septima in eo quod idem in deserto serpentem exaltavit, quia sic exaltari oportebat Filium hominis (*Joan.* III). Octavum, ut

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

jam dictum est, ejusdem Christi Filii Dei speculum, scilicet Josue nunc ingredientes, in prœliis et victoriis ejus talem agnoscimus eumdem principem, et Salvatorem mundi, qui nos in terram viventium introduxit, ubi prior ingressus, *resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Talem, inquam, illum in istius nomine et operibus agnoscimus, quippe qui et victoriis præclaris populum in illam promissionis terram introduxit, quod Moyses facere non potuit, et in pace obiit nullis passionibus agonizans, in figuram passionis ejusdem Domini nostri. Verumtamen non ut in Moyse fecimus, ita deinceps continuum explanationis cursum vel ordinem tenebimus, sed splendidiora carpendo, ubicunque fulgentis desuper Solis æterni imaginem agnoscere poterimus, ad propositum finem properabimus.

CAPUT II.

Quid jam tertio Dominus locutus sit Josue.

(CAPUT I.) *Et factum est, ut post mortem Moysi servi Domini loqueretur Dominus ad Josue filium Nun ministrum Moysi, et diceret ei : Moyses servus meus mortuus est. Surge, et transi Jordanem istum, tu et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri dabo vobis, sicut locutus sum Moysi. A deserto et Libano usque ad flumen magnum Euphraten omnis terra Hethæorum, usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, non dimittam nec derelinquam te : confortare et esto robustus. Tu enim sorte dividas populo huic terram pro qua juravi patribus eorum.* Hoc jam tertio factum est, ut loqueretur Dominus ad Josue. Primo ad illum, vel super illo locutus est, cum, sicut habemus in extremis partibus libri Numeri, dixit ad Moysen : *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, et pone manum tuam super eum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cætera multitudo* (*Num.* XVII), et reliqua. Secundo locutus est ad eumdem, cum, sicut habemus supra, scribente Moyse canticum et docente filios Israel, præcepit Dominus Josue filium Nun, et ait : *Confortare, et esto robustus. Tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum, et ego ero tecum* (*Deut.* XXXI). Tertio, ut prædictum est nunc in exordio voluminis, loquitur ad eum, *Moyses*, inquiens, *servus meus mortuus est : surge, et transi Jordanem istum, tu et omnis populus tecum*, etc. In manifesta historiæ littera latentia, sed clarissima spiritus scrutemur mysteria.

359 CAPUT III.

Quod prima locutione jussu Domini, Moyses manus super caput ejus posuerit, et Dei Filius prima locutione Patris mittentis sub lege factus est.

Primo, juxta ipsam proprii nominis interpretationem, Josue filius Nave, Domini nostri Jesu Christi gestare se testatur imaginem. Nam Josue *salvator Domini*, Nave *pulchritudo* interpretatur. Ergo Josue filius Nave, id est salvator Domini filius pulchritudinis, quis est nisi Salvator unigenitus Dei Patris, filius virginitatis? Ad hunc sine dubio Salvatorem suum, Salvatorem a se missum, tertio Dominus Deus Pater locutus est, et tertio illum Spiritu sancto unxit, principaliter et singulariter. Primo namque in utero Virginis Spiritu sancto illum unxit, quippe quem non de virili semine, sed de Spiritu sancto incorrupta virgo concepit, et secundum propheticum ejusdem Spiritus sancti testimonium, sic ad eum locutus est, imo et sic de illo prælocutus : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis* (*Psal.* XLIV). Deinde quasi jam formati hominis speciosi manum tenens, ut educeret eum per claustra uteri virginei, quem vir nunquam aperuit, *speciosus*, inquit, *forma præ filiis hominum. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua, intende prospere, procede et regna* (*ibid.*). Hæc et cætera quæ psalmi ejusdem sequentia innuunt, tunc ad istum Josue Dominus locutus est. Dictum est autem in illa locutione prima : *Et pone manum tuam super eum* (*Num.* XXVII). Ac deinceps : *Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus* (*ibid.*). Quid igitur secundum hæc dicendum est, nisi quia Josue noster prima sancti Spiritus operatione conceptus et natus, sub lege factus est? Moyses namque capiti Josue manus imposuit, quando Salvator noster Deus Dei Filius, *ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Gal.* IV), legi subjici dignatus est, non tanquam legis servus, sed tanquam legi obediens homo idemque Deus, legis Dominus, secundum legem circumcisus, secundum legem tanquam peccator solemni hostia mundatus, et cæteris similibus usque ad tempus per omnia legi tanquam Moysi manibus subditus. Unde dicit Apostolus : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*ibid.*).

CAPUT IV.

Quod secundo locutione : « Confortare, et esto robustus, » ad Christum autem dictum sit : « Tu es Filius meus dilectus. »

Secundo hunc Josue eumdem, id est Salvatorem nostrum, Deus unxit vel ad eum locutus est, quando super eum jam juvenem, ac pro virili ætate publico prædicationis officio jam idoneum, Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, protestante paterna voce de cœlis : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III; *Luc.* III). Dictum est autem in illa secunda locutione Domini ad illum litteralem Josue : *Confortare et esto robustus.* Ac deinceps : *Tollite librum istum, librum legis*, ait Moyses, *et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei nostri, ut sit sibi contra te in testimonium* (*Deut.* XXXI). Quid igitur per hæc innuitur, nisi quia nostro Josue humilitatis principi usque ad annum tricesimum la-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tenti apud se prædicta Spiritus declaratione, cum testificatione paternæ vocis mandatum est ut confortaretur, et esset robustus, id est ut ad prædicandum gladio suo, quo super femur suum erat accinctus, uteretur, et ad facienda miracula, ad ejicienda dæmonia digito Dei armaretur, Spiritu Dei incederet robustus? Quid vero tunc fuit tolli legis librum, et poni in latere arcæ contra Israel in testimonium, nisi ex tunc per passionem ejus adimpleri legem contra carnalem Israel, contra carnis Judaismum? Arca nempe, ut suo loco jam dictum est, fabricatum de massa generis humani Christi Dei corpus est. Arcæ illius, corporis illius latus sacrosanctum lancea perforatum est, atque exinde sanguine pariter et aqua in redemptionem, atque sanctificationem nostri profluentibus lex consummata, lex adimpleta est. Itaque confortato, atque robustis animis incedente Josue liber legis Domini in latere arcæ fœderis Domini positus est, contra Israel in testimonium, quia fortiter prædicante ac robusto Dei digito dæmonia ejiciente Salvatore nostro, lex per passionem ejus adimpleta est, posita contra Judæos in testimonium, ita ut ex tunc accuset eos Moyses (*Joan.* v), quem inaniter, imo et stulte sperant defensorem suum.

CAPUT V.

Quod tertia locutio ad Josue : « Surge et transi Jordanem istum, » ad Christum autem : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium. »

Tertio ad eumdem Salvatorem nostrum Dominus Pater locutus est, et tertio illum unxit Spiritu sancto, quando animam ejus eduxit ab inferis, carnemque ejus, ne videret corruptionem, tertia die suscitavit a mortuis, novumque hominem innovatum, filium hominis gloria immortalitatis et honore incorruptionis coronavit, atque ex tunc constituit eum super opera manuum suarum, et omnia subjecit sub pedibus ejus (*Hebr.* II). Vocem Patris, qua tunc ad eum in sepulcro jacentem locutus est, vocem, inquam, et ipsa verba in psalmo audivimus : *Exsurge*, inquit, *gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI, CVII). Respondit cithara illa paternæ laudis psalteriumque sempiternæ ejus jubilationis, respondit, inquam : *Exsurgam diluculo* (*ibid.*), inquit. Igitur ubi nunc in typum illius magni et veri Salvatoris in sepulcro, ut dictum est, quiescentis ad istum Josue jam tertio loquitur Dominus, recte et juxta mysterii proprietatem : *Surge*, inquit, *et transi Jordanem istum, tu et omnis populus tecum*. Nunquid enim vir ille in propria persona sua jacebat, ut diceretur ei : *Surge*, et non potius stabat in præcelsis meritis justitiæ? Spiritu Dei plenus erat, quemadmodum primo loco testatus est ipse Deus, dicens : *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus Dei* (*Num.* XXVII), etc. Nempe talium est stare. Quemadmodum de semetipso unus eorum libere profitens : *Vivit Dominus*, ait, *ante cujus conspectum sto* (*III Reg.* XVII). Itaque Spiritus idem, qui Salvatori nostro dicit in Propheta, ut jam dictum est ; *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* (*Psal.* LVI, CVII), ipse, inquam, et idem spiritus Dei huic in typum ejus præcipiens : *Surge*, ait. Ipsa jam verba discutienda sunt, et sicut jam dictum est, in hac tertia citatione viri fortis, victoriosa speculanda est gloria Salvatoris invicti et immortalis.

360 CAPUT VI.

Quomodo Moyses servus Domini vere Judæis mortuus sit, et quid Christo Jordanem transire, et de finibus vel distributione terræ promissionis ejus.

Moyses, inquit, *servus meus mortuus est. Surge et transi Jordanem istum, tu et omnis populus tecum in terram quam ego dabo filiis Israel.* Ubi Moyses servus Domini, ubi, inquam, vel quibus mortuus est? Plane Judæis mortuus est. Judæis, inquam, Moysi vita indignis Moyses mortuus est, in scelere ipsorum, in sacrilegio quo Dominum Moysi crucifixerunt. Quidquid ex tunc habere sibi videntur Mosaicum, mortuum est, et omni vita caret multitudo victimarum illarum, holocausta arietum, et adeps pinguium, sanguis vitulorum, et agnorum, sive hircorum, neomenia eorum, Sabbatum eorum, Kalendæ eorum, et aliæ omnes festivitates eorum, sive solemnitates. Quomodo enim hæc vivere, vel in his Moysen se putant habere vivum, cum illa oderit Deus vita viventium? *Odivit*, inquit, *hæc anima mea, facta sunt mihi molesta* (*Isa.* I). Non feram, non exaudiam, imo et oculos meos avertam. Igitur Judæis Moyses : Judæis, inquam, pro sacrilegio ipsorum, quia *manus* ipsorum *plenæ sunt sanguine* (*ibid*). *Moyses mortuus est* (*Deut.* XXXIV). De quo et supra recte dictum est : *Et non agnovit homo sepulcrum ejus, usque in præsentem diem* (*ibid.*). Quis enim hodie locum scire possit Moysi in manibus Judæorum mortui? Civitas eorum facta est deserta terrena Sion ; deserta facta est illa quondam nobilis domus sanctificationis eorum. In omnes gentes dispersi sunt, in omnibus locis noti sunt, et nullus est locus eorum ; nec est dicere : Ilic vel ille Judæorum est locus, ubi mortuum Moysen suum, mortuam litteraturam celebrare debeant. Ita mortuo Moyse, *surge*, tu Josue, exsurge, Salvator, resurge, salutare meum, *et transi Jordanem istum*, transi cunctas carnales cæremonias Judæorum, cunctas purificationes Judæorum, cuncta Judæorum baptismata, *baptismata calicum, urceorum*, æramentorum, et lectorum (*Marc.* VII ; *Hebr.* VI). Transi, inquam, et ipso transitu tuo divisiones facies inter litteram et spiritum. *Tu et omnis populus tecum*. Te enim primogenito mortuorum resurgente a mortuis, fit ut resurgat et omnis populus tecum, sitque speranda universalis resurrectio mortuorum, et, te resurgente, transibit omnis populus tecum in terram quam ego dabo filiis Israel, terram viventium, terram revera fluentem lac et mel. *Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri vobis tradam, sicut locutus sum Moysi.* Hoc plane verum est, hoc in Salvatore nostro perspicuum est. Omnis locus, omne cor, vel omnis conscientia, quam calcavit vestigium pedis ejus, quæ subjecit se pedibus ejus, quæ susce-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pit vestigia ejus vel custodivit, ipsius est, Salvatoris est, sempiternæ salvationis est. Econtrario quos non calcavit vestigium pedis ejus, qui non sunt subjecti pedibus ejus, non sunt ejus, non ipsi traditi sunt, sed diabolo dati sunt, non populus acquisitionis, sed perditionis filii sunt. *A deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum, usque ad mare magnum contra occasum erit terminus vester.* Juxta litteram illi Josue terræ possidendæ termini definiuntur. Juxta sensum vero spiritualem, Domino Salvatori nostro tam Judæorum quam gentium potestas vel imperium promittitur. Nam desertum et Libanus, quod interpretatur *candidus*, populus est Judaicus, desertum videlicet pro parte illorum qui, ob suam perfidiam ab isto Salvatore deserti, ab ista salute derelicti sunt. Libanus vero pro parte illorum qui baptismi ejus gratiam susceperunt, vel circa finem mundi, cum plenitudo gentium subintraverit, suscepturi sunt. Flumen vero Euphrates et magnum mare populus gentium est, videlicet flumen Euphrates quod interpretatur *frugifer*, sive *crescens*, pro parte illorum qui de ipsis gentibus ad istum Salvatorem magno virtutum incremento cum fructu salutis æternæ currunt. Mare autem magnum pro parte illorum qui, falsi et amari persistentes, salutem vel sanitatem vitæ non receperunt, imo et mirabiliter persecuti sunt, sed non prævaluerunt, quemadmodum de illis in psalmo canimus : *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus* (*Psal.* XCXII). *Omnis*, inquit, *terra Hethæorum*, id est formidantium, sive stupentium, de quibus in cantico suo Moyses dicit : *Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui* (*Deut.* XXXII), omnis, inquam, terra formidantium, et sub tormento malæ conscientiæ paventium, ab illo deserto *usque ad illud mare magnum*, et *ab illo Libano usque ad illud flumen magnum Euphraten erit terminus vester*, ut videlicet in omni gente et natione prædicando Evangelium, reveletis iram Dei ad formidinem Hethæorum, id est impiorum hominum, *eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, et creaturæ potius quam Creatori serviunt* (*Rom.* I). *Nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ.* Repugnent et resistant veritati fortes et pugnaces Hethæi, non prævalebunt, sed secundum nomen Hethæorum formidabunt et pavebunt, quicunque tibi, o Salvator mundi, contradicunt.

CAPUT VII.

« Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, » id ad Christum dici, fiet per te quidquid in Moyse est præfiguratum.

Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, et esto robustus. Tu enim sorte divides populo huic terram pro qua juravi patribus eorum, ut traderem eam illis. Confortare igitur et esto robustus valde, etc. *Sicut fui cum Moyse*, inquit, *ita ero tecum*. Quod est dicere : Sicut per Moysen carneum Pharaonem debellavi, totamque contrivi Ægyptum, tandemque eduxi filios Israel per manum ejus, et transtuli illos per mare Rubrum, submerso Pharaone cum curribus et exercitu ejus, sic per te, Christe, Salvator mundi, et jam vici, et in futuro judicabo spiritualem Pharaonem, id est diabolum, per te, inquam, confregi infernum, et vici mundum, vincamque usque ad perfectum, donec in profundo submergatur spiritualis Pharao cum curribus et equitibus suis, id est in infernum præcipitetur diabolus, cum angelis et omnibus pompis suis. Itaque *sicut fui cum Moyse, ita ero tecum*, id est sic per te cuncta fient, sicut per illum figurata sunt, et ea per te in veritate complebuntur, quorum in figura per Moysen illa contigerunt. *Confortare, et esto robustus.* Hic sermo confortatorius tertio est repetitus. Primo, *confortare*, ait, *et esto robustus ;* secundo *confortare* igitur *et esto robustus valde ;* tertio, *confortare et esto robustus, noli metuere, et noli timere.* Secundum litteram quanto multiplex repetitio, tanto vehemens est fortitudinis inculcatio ; secundum cœptum vero mysterium triplex Salvatoris et Spiritus ejus commendatur negotium. Quod ipse declarans ac subdistinguens : *Cum*, **361** inquit, *venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio* (*Joan* XV), etc. Igitur confortare, inquit, ut arguas mundum de peccato, confortare ut arguas de justitia, confortare ut arguas de judicio. Ad omnia confortare et esto robustus, ut nec blandimentis, nec terroribus, nec prosperis, nec adversis constantia Evangelii turbetur aut convellatur.

CAPUT VIII.

Quando vel quomodo præcipit Christus principibus populi, id est apostolis, dicens : Transite per medium castrorum, et quid sit transire Jordanem post diem tertium.

Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium castrorum, et imperate populo, ac dicite : Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Principes populi sunt sancti apostoli, de quibus huic Josue, id est Salvatori Christo Filio suo Deus Pater in psalm. dicit : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui* (*Psal.* XLIV). Porro Josue hujus castra, vel populus ejus, omnes electi sunt, omnes hi sunt, qui ad vitam præordinati sunt. Ubi vel quando Josue, id est Salvator noster, istis principibus suis horum per medium castrorum transire, et hæc imperare jussit ? in Galilæa, in monte postquam resurrexit a mortuis, ubi et videntes principes adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Tunc enim dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII). Igitur Josue, qui audierat dicentem sibi Dominum : *Surge, et transi Jordanem istum*, statim præcepit principibus populi, dicens :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Transite per medium castrorum, quia Salvator noster qui audierat dicentem Patrem Deum, *exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara*, nihilominus præcepit apostolis suis, dicens : *Ite in mundum universum* (*Luc.* IX, X), ite et *transite per medium* nationum : transite, inquam, accincti, transite expediti, nusquam subsistentes, nusquam retro aspicientes, nullo vos negotio sæculari impedientes, neque sacculum, neque peram portantes, non æs in zonis vestris habentes(*II Cor.* III), ut omnibus exoneratis, nulloque sub onere curvi, velociter ad omnes nuntium bonum perferatis. *Et imperate*, inquit, *populo ac dicite : Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus noster daturus est vobis.* Imperate, inquam, utimini imperiosa Spiritus libertate, quoniam ubi Spiritus Domini, ibi libertas, quæ nullius pulchritudini adulatur, nullius atrocitatem timeat. *Præparate vobis cibaria*, providete fructus dignos pœnitentiæ ; thesaurizate fidem, comportate spem, reponite vobis charitatem. Hæc enim cibaria vitæ æternæ sunt. *Post diem tertium transibitis Jordanem*, id est, secundum negotium vel opus diei tertii, de morte ad vitam, de hoste ad amicum, de diabolo transibitis ad Deum. Ego tertia die resurrexi a mortuis, idcirco vos in morte mea terna mersione baptizati, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, ut quomodo ego surrexi a mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis (*Rom.* VI). Hæc, inquit, populo imperate, hæc dicite, hæc imperando, hæc dicendo velociter transite.

A

B

C

CAPUT IX.

Quinam sint Rubenitæ et Gadditæ, quibus præcipiat Salvator : « Vos autem transite armati ante fratres vestros. »

Rubenitis quoque et Gadditis, et dimidiæ et tribui Manasse ait : Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses, famulus Domini, dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram, uxores vestræ ac filiæ et jumenta manebunt in terra quam tradidit vobis Moyses trans Jordanem. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu et pugnate pro eis, etc. Rubenitis et Gadditis, et dimidiæ tribui Manasse, hoc pacto nonnulli doctorum Judæos esse similes intelligi volunt, et eo quod citra Jordanem habitare, id est fidem vel baptismum Christi non suscipere elegerint, et tamen accincti atque armati pergant ante nos, et pugnent pro nobis, hajulando, scilicet, secum per omnes terras legis et prophetarum libros, quorum ubique fides Christiana comprobatur ac defenditur testimoniis. Verum quomodo hoc illis concedat, imo et præcipiat Salvator vel quomodo isti respondeant : *Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, et quocunque miseris, ibimus sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi*, ecclesiasticæ expositionis non est. Ergo Rubenitæ et Gadditæ, et dimidia tribus Manasse ante transitum Jordanis, ante introitum terræ repromissionis, jam sortiti possessiones mystice ecclesiastici sunt ordines, qui jam in hoc sæculo et vita præsenti, ut instantius et ex debito verbum Dei annuntient, licitas et ex Evangelio sibi concessas facultates accipiunt, ut illis evangelizare vacet : ut eos non solum pro spe futurorum, verum et pro re præsentium Christum annuntiare delectet. Vos ergo, inquit, *mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini. Mementote sermonis*, mementote professionis, mementote legis et debiti, mementote officii vel propositi vestri. Nam væ vobis est si non pugnaveritis, quia jam pugnæ stipendium accepistis : si non evangelizaveritis, qui de Evangelio vivitis. *Armati transite ante fratres vestros, omnes fortes manu, et pugnate pro eis* ; armati, inquam, verbo et opere, et fortes manu, ne forte aliis prædicantes, ipsi reprobi efficiamini (*I Cor.* IX).

D

CAPUT X.

Quod Josue miserit exploratores, cum virtute Dei certus esset, et quid per illos, quid per meretricem, quæ suscepit et salvavit eos, præfiguratum sit.

(Cap. II.) *Misit ergo et Josue filius Nun de Sethim duos viros exploratores absconditos, et dixit eis : Ite et considerate terram, urbemque Hiericho. Qui pergentes, ingressi sunt in domum mulieris meretricis nomine Raab, et quieverunt apud eam.* Cum quo Dominus erat, cui et dixerat, nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Ipse exploratores mittit ad considerandam terram urbemque Hiericho. Non ergo quisquam ullo in negotio tantum de cœlestibus præsumat præsidiis, ut non etiam ipse sibi prior adsit, vigilando pro facultate ingenii, laborando pro portione virili. Nam sicut minimæ fidei est, de divinis dubitare promissis, sic nimiæ temeritatis vel præsumptionis est, cœlestem per miracula præstolari

362 opem, otiose sedendo manibus compositis. Hominis namque est incipere, Dei autem perficere. Porro ut cœpta prosequamur mysteria : *Ingressi*, inquit, *domum mulieris meretricis, nomine Raab, et quieverunt apud eam.* Notæ fidei et celebris memoriæ meretrix ista, tam nomine quam vita, maxime autem facto præsenti, collectam et colligendam de gentibus Ecclesiam significat. Nomine videlicet, Raab quippe *latitudo* interpretatur. Et certum est quia sancta catholica Ecclesia latissime per totum orbem terrarum diffusa est. Vita vero, quia quemadmodum meretrix hæc multis viris prostituta, sic gentilitas, quæ nunc est Ecclesia, multorum deorum vile prostibulum fuit. Facto autem præsenti, quia quemadmodum hæc exploratores ab Josue missos, sic Ecclesia apostolos vel prædicatores universos a Salvatore legatos, domo excepit, hospitalitate fovit, fide servavit. Igitur *duos*, inquit, *exploratores misit Josue, ite*, inquiens, *considerate terram urbemque Hiericho.* Hiericho *defectus* sive *luna* interpretatur. Significat autem hunc mundum mutabilitati et defectioni obnoxium, quemadmodum in parabola evangelica Salvator ipse testatus est : *Homo quidam*, inquit, *descendebat ab Hierusalem in Hiericho, et incidit in*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

latrones (*Luc.* x), etc. Duo viri exploratores universos significant Evangelii prædicatores in duobus præceptis charitatis ambulantes, vel duo Testamenta, Vetus et Novum recipientes, nihilque extra loquentes. Hi recte dicuntur exploratores a Salvatore missi, terram omnem urbemque Hiericho exploraturi, quia videlicet cauti et discreti profecti sunt contra sapientiam, imo fallaciam inanemque philosophiam mundi, cauti, inquam, non astutia humana, sed Spiritu Dei, spiritu sapientiæ multiplici, discreto, subtili, diserto, mobili ad perdendam sapientiam sapientium, ad comprehendendos sapientes in astutia eorum. Tales excepit exploratores meretrix illa, *et ingressi domum ejus quieverunt apud eam*. Flagellati in consiliis, fatigati in consiliis, persecutionem passi de civitate in civitatem (*II Cor.* xi), quieverunt apud eam, et illa refecit viscera eorum aperiendo illis ostium suum, recipiendo salutis verbum, præbendo nuntiis pacis patulum fidei auditum. Antequam ingrederentur domum ejus, antequam requiem offerret ingredientium pedibus pacem portantibus, meretrix erat prostibulum dæmoniorum, lupanar idolorum. At ubi ingressi sunt, et eos recepit, jam pudica, jam unius viri virgo casta, una amica, una columba (*Cant.* vi), una immaculata, una perfecta est.

CAPUT XI.

De mendacio cum quo tamen illa justificata est, et quod ille rex Hiericho diabolum, et ii quos ille misit ac Raab, persecutores præsignaverint Christianorum, et quod Christianis in persecutione fugere licitum sit.

Nuntiatumque est regi Hiericho et dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram. Misitque rex Hiericho ad Raab, dicens: Educ viros qui venerunt ad te, et ingressi domum tuam. Exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt. Quæstionem facientibus de mendacio, et arbitrantibus culpa non carere, quod *mulier* ista *tollens viros*, et abscondens eos: *Fateor*, inquit, *venerunt ad me, sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt, persequimini cito, et comprehendetis eos:* primo illud respondendum est, quia et hoc mendacio justificata est. Dicit enim apostolus Jacobus: *Similiter et Raab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens* (*Jac.* ii). Plane illud nemini dubium est, quia ex mendacio, cujus diabolus pater est, nemo justificari potest. Hæc autem ex hoc, ut jam dictum est, mendacio justificata est. Igitur et hoc fidenter astruendum, quia nec mendacium dicendum est, quod contra veritatem Dei non est, imo nec ad veritatem Dei pertinere potest quidquid quamvis veraciter, salva tamen charitate, dici non potest. Sed de hoc alias dictum est. Spiritualiter regi Hiericho nuntiatum est, venisse ab Josue missos exploratores, quando principi hujus mundi diabolo re ipsa compertum est, venisse contra principatum, et aereas potestates, regnumque tenebrarum a Salvatore missos Evangelii prædicatores. (Cap. III.) Tunc, inquam, hoc illi nuntiatum est, quando de cordibus hominum, de templis vel simulacris gentium illum ejici cœptum est. Misit ergo rex iste: rex, inquam, filiorum superbiæ, et rex Hiericho, id est stultitiæ. Qui sunt vel qui fuerunt missi regis hujus? Primus Nero, regis diaboli lictor præcipuus, deinde Domitianus, deinde Trajanus, deinde cæteri omnes, hominum quidem principes, dæmonum autem satellites: mundo quidem imperantes, diabolo autem parentes. Isti missi a rege suo, missi, inquam, id est, inspirati a diabolo, dixerunt ad Raab, dixerunt ad Ecclesiam, quæ toto jam orbe Romano diffusa, Christi apostolos una fidei domo susceperat: *Educ viros qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam.* Hoc dixerunt edictis novis legibus, proscriptionibus, gladiis, et variis tormentorum generibus. Cum enim modis omnibus persequendo et occidendo id agerent, ut Christi nomen, et apostolorum ejus fidem exstirparent, viros educi compellebant, qui venerant ad eam, et domum ejus ingressi fuerant. At illa talibus nunquam assensum præbuit, imo et ubi utrinque servare nequivit, fidei margaritam abscondit, et suam potius vitam prodidit. Non solum autem, sed et secundum historicum quoque mulieris hujus exemplum ubicunque causa vel ratio poposcit, susceptos Salvatoris missos per aliam viam fugituros emisit. Nec vero bellatorum fidissimi duces hoc modo gloriæ suæ crimen intulerunt, quoties persecutores asta fallendo, de loco ad locum fugerunt. Nam ubi totam Christi familiam persecutor petit, et tanquam in totum ovile, lupus aut leo desævit, ibi pastor non fugere abjectis armis, sed usque ad mortem stare socius periculi, animamque suam pro ovibus dare debebit. Ubi vero solum pastorem latro aut carnifex petit, illic utiliter fugæ præsidium quærit secundum auctoritatem Evangelicam: *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x). Sic Paulus Damasci, ubi præpositus regis Arethæ custodiebat civitatem ut eum comprehenderet, quia solus quærebatur, a fratribus per murum volens submissus est in sporta, et sic evasit manus ejus (*II Cor.* xi; *Act.* ix). Ubi universalis persecutio sævientis Neronis, tam pastoris ejusdem quam et ovium vitam quæsivit, ibi nec fenestram, nec funem, nec sportam poposcit, sed libenter fuso sanguine in exemplum ovium pro Salvatore occubuit.

363 CAPUT XII.

De fide Raab, id est Ecclesiæ, secundum mysterium, et de domo ejus, et quid sit signum coccineum ejus, et quid omnis cognatio ejus.

Necdum obdormierant, qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait: Novi quod Dominus tradiderit vobis terram. Etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando ingressi estis ex Ægypto, et quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

trans Jordanem Seon et Og, quos interfecistis, etc. Sic hodieque mulier sapiens ac provida loquitur, sic omnino fidelis Ecclesia nunc usque et corde credit et ore confitetur. Audivimus, inquit, et *credimus, propter quod et loquimur* (*II Cor.* IV), o sancti apostoli, quod ad vestrum introitum, quod in diebus vestris, quando ad vitam introistis, spiritualem Pharaonem, id est diabolum, debellaverit, eumque per aquas maris Rubri, per sanguinem et aquam, quæ de latere suo profluxit in passione sua, suffocaverit, et ita de Ægypto, ita de tenebris regni ejus vocati in admirabile lumen existis (*I Petr.* II). *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericordiam, ita et vos faciatis. Ad hæc illi : Innozii erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum funiculus iste coccineus fuerit, et ligaveris eum in fenestra, per quam nos dimisisti, et patrem tuum ac matrem, fratresque ac omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni.* Loci hujus memores psallimus Regi nostro, psallimus sapienter Salvatori nostro : *Fundamenta ejus in montibus sanctis ; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Sequitur enim exponendo quænam gloriosa dicta illa sunt. *Memor ero Raab et Babylonis scientium me* (*ibid.*). Dominus ergo Raab mystice ipsa est Sion, cujus Dominus portas diligit : ipsa est civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt : civitas, inquam, id est Ecclesia Dei, digna memoria Dei. Porro fundamenta ejus ipsi sunt exploratores, quos ipsa suscepit; episcopi sunt, apostoli, id est quos illa abscondit, quibus omnino tanquam fidei suæ fundamentis innititur, et dicit : *Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobiscum misericordiam, ita et vos mecum faciatis*, ut eruatis animam meam de morte. Quod est dicere : Nunc ergo invocate super me nomen Domini, nomen Patris et Filii, et Spiritus sancti, ut in regeneratione cum sederit Filius hominis, in sede majestatis suæ, quando sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX), salvetis me a damnatione æterna, et quomodo ego vos in mea temporalia, sic vos me recipiatis in vestra æterna tabernacula (*Luc.* XVI). *Innoxii*, inquiunt, *erimus a juramento hoc, quo adjurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus*, etc. Postulaverat enim signum, dicens : *Detisque mihi signum verum, ut salvetis patrem meum et matrem, fratres et sorores meas, et omnia quæ eorum sunt, ut eruatis animas nostras de morte.* Signum istud, funiculus iste coccineus in fenestra ligandus, titulus est passionis Dominicæ inter oculos Ecclesiæ jugiter pingendus : coccineus, inquam, funiculus, sanguineum est crucis signaculum, jugiter pingendum in fronte ejus. Quod enim signum aliud bene sibi provida postulat Ecclesia ? Itaque *innoxii*, inquiunt, *erimus a juramento hoc*, id est, ea conditione libenter constringimur juramento *quo adjurasti nos*, ut *si ingredientibus nobis terram*, si veniente ad judicium Salvatore, cum omnibus senatoribus populi sui, apparuerit signum istud in te, teneamur obnoxii juramenti et sponsionis nostræ, ut sit anima nostra pro vobis in mortem, atque ex debito misericordiam et veritatem faciamus in te. Nunc interim *patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congreges in domum tuam*, ut sit domus tua per fidem una. Nam *qui ostium domus tuæ egressus fuerit*, quicunque seipsum ab unitate fidei præciderit, hæresesque ac schismata fecerit, *sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni.* Igitur hæc illa gloriosa sunt, quæ dicta sunt de civitate Dei, comprobante te Josue, id est salvatore, dicta hæc, atque dicente : *Memor ero Raab et Babylonis scientium me*, subauditur, ita ut dicam ego Josue : *Sola Raab meretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt* (*Jos.* VI). Sed quinam sunt cognati illi, qui in domo ista sunt? *Ecce*, inquiunt, *alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic* (*Psal.* LXXXVI). Tyrus *angustia* interpretatur. Ergo quicunque a cultu Dei alieni, quicunque angustiati a peccatis, quicunque Æthiopes, id est denigrati in vitiis, veniendo in unam domum cognati fiunt, et fratres sunt, et omnes per unum salvantur funiculum coccineum per crucis et passionis Christi signaculum.

CAPUT XIII.

Quomodo juxta historiam comprobatum sit quod dictum est : « Sicut fui cum Moyse, sic ero tecum, » quid sit mystice, quod « aquæ Jordanis inferiores descenderunt, et superiores steterunt. »

(CAP. III.) *Igitur egressus est omnis populus de tabernaculis suis, ut transirent Jordanem, et sacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum. Egressisque Jordanem, et pedibus eorum tinctis in parte aquæ* (*Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat*), *steterunt aquæ descendentes in loco uno, et instar montis intumescentes, apparebant procul ab urbe quæ vocatur Adon, usque ad locum Sarthan. Quæ autem inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, descenderunt, usquequo omnino deficerent.* Juxta litteram si forte quæras, quid intendens dixisset Dominus, *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum* (*Jos.* I); itemque : *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant quod sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim* (*Exod.* XIV); ecce habes, quia sicut fuit cum Moyse, ut elevante illo virgam suam super mare, auferret illud Dominus, flante vento vehementi, et urente tota nocte, et verteret in siccum, ac divideretur aqua, ingressisque filiis Israel per medium sicci maris, esset aqua quasi murus ad dexteram eorum et lævam : ita et nunc eodem elemento divina potentia suum ad ministerium utens, ad ingressum Josue dividit Jordanem populo incedente, et sacerdotibus qui portabant arcam fœderis Domini stantibus super siccam humum. Porro juxta spiritum, ecce plusquam Moyses

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hic : ecce cum Josue Dominus plus quam cum Moyse fuit. In quo? Videlicet in eo quod *steterunt aquæ descendentes in uno loco; quæ autem inferiores erant*, inquit, *in mare solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum, descenderunt, usquequo omnino deficerent.* Aquæ inferiores Veteris Testamenti fuere justificationes, de quibus Apostolus cum dixisset : *Quod autem antiquatur* **364** *et senescit prope interitum est* (*Hebr.* VIII), continuo subjunxit : *Habuit quidem et prius, justificationes culturæ et sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est primum* (*Hebr.* IX), etc. Aquæ vero descendentes et sequentes, evangelica fides est, Dei justitia est. *Descenderunt aquæ inferiores in mare solitudinis, in mare Mortuum*, et omnino defecerunt, quia videlicet justificationes carnis, justificationes Judæorum, cunctæ carnales cæremoniæ illorum, quæ neminem ad perfectum adduxerunt (*ibid.*), tanquam aqua decurrens ad nihilum devenerunt (*Psal.* LVII) : imo et pro detrimento habendæ, et ut stercora (*Philipp.* III) arbitrandæ sunt. Ita in mare Mortuum descenderunt. Quæ autem sequuntur, descendentes et venientes desursum aquæ vivæ, aquæ supernæ gratiæ (*Jac.* I). *Descendentes*, inquam, desursum a Patre luminum, *ecce in uno loco consistentes, instar montis*, intumuerunt, *procul apparentes ab urbe, quæ vocatur Adom, usque ad locum Sarthan.* Adom *rubra* : Sarthan *tribulatio eorum* interpretatur. Adom ergo, id est *rubra*, ipsa est Hierusalem terra : unde, juxta prophetam (*Isa.* LXIII), tinctis vestibus venit formosus iste verus Josue. Sarthan autem, id est *tribulatio eorum*, Romanum est imperium, a quo illa Jerusalem per miserandum, imo per *meritum* tribulata et versa est in excidium. Ab illa Jerusalem usque ad Romanum imperium, aquæ Jordanis descendentes, et instar montis intumescentes apparuerunt. Incipientes enim ab Jerusalem, usque in sinum Romanæ urbis devenerunt dona Domini, scilicet pœnitentia, et remissio peccatorum. Igitur, ut prædictum est, plus cum isto Josue Deus est, quam cum Moyse fuit, altiusque hunc quam illum eorum omni Israel principem et salvatorem exaltavit.

CAPUT XIV.

De duodecim lapidibus a Jordanis alveo sublatis, aliisque totidem in medio Jordanis positis, quod prophetarum et apostolorum typus fuerit.

(CAP. IV.) *Fecerunt filii Israel sicut eis præcepit Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut ei Dominus imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. Alios quoque lapides duodecim posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, et sunt ibi usque in præsentem diem.* Lapides isti pro utilis memoriæ fundamentis, quibusdam poni jussi sunt. Cur enim sic a Domino præceptum, et sic est factum. *Quando*, inquit, *interrogaverint vos filii vestri cras dicentes, Quid sibi volunt isti lapides? respondebitis eis : Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini Dei nostri, cum transiret eum, idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel, usque in æternum.* Nec vero hi qui in medio Jordanis alveo minus, quam hi qui super aridam positi sunt durissimi lapides, utpote sub aquis nutriti, earumque veteri usu attriti tanti memoriam facti servare, vel indicare potuerunt. Nam et si interdum crescentibus aquis subtecti latere poterunt, semper tamen eorum offensione gurgites irritati (quod aquis profluentibus naturale est) fortius atque animosius inibi currendo scandalum suum nunquam occultum esse siverunt. Porro spiritualiter nobis lapides vivi lapides magni apostoli et prophetæ sunt, qui fidem nostram velut fundamentum portant, necessariamque nobis factis et dictis operum Domini memoriam semper suscitant. Unde Apostolus : *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II). Et prophetæ quidem, quia profundiora vel obscuriora sacramenta continent, quasi in medio Jordanis alveo, sub aquis latent. Apostoli vero, quia nuda et aperta, facie Salvatoris opera testantur, quasi in Galgala positi, quod interpretatur *revelatio*, semper sub dio conspectibus omnium patent. Utrobique magnum et evidens testimonium, credulis gentibus sive Judæis bonum et jucundum, incredulis triste atque pavendum.

CAPUT XV.

De causa circumcisionis, et quid impedire potuerit ne per quadraginta annos itineris populus qui natus est circumcisus non fuerit.

(CAP. V.) *Eo tempore ait Dominus ad Josue : Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel. Fecit quod jusserat Dominus, et circumcidit filios Israel in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis : Omnis populus qui egressus est ex Ægypto generis masculini, universi viri bellatores mortui sunt in deserto, per longissimos vitæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit, donec consummarentur qui non audierant vocem Domini.* Est quod hoc loco recte queri debeat. Certe Moyses nescire non poterat quod scripserat, scilicet dixisse Deum ad Abraham : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (*Gen.* XVII). De quo videlicet circumcisionis remedio quam necessarium ante Christi adventum fuerit, vel qua ratione usque ad eumdem adventum ejus celebrari, postea vero jam cessare debuerit, suo loco jam dictum est. Quomodo ergo tanto tempore, scilicet per quadraginta annos populum qui natus est in deserto, incircumcisum esse sustinuit, præsertim cum in tanta multitudine innumerabiles parvuli mori potuerint, et ita quia non erant circumcisi perire de populis suis. Quid tandem dicemus, ut negligentia tam dura Moysen sanctum ducem populi aut principem, excu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

satum habeamus? An forte illud affirmare licebit, quod inter cætera mirabilia Dei mirabiliter et hoc fieri potuerit, ut de filiis qui in locum successerunt patrum circumcisorum, nemo moreretur per quadraginta annos latissimæ solitudinis? Dicit enim Moyses his : *Adduxit vos Dominus quadraginta annos per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt* (*Deut.* XXIX). Si illud curare dignatus est, ut vestimenta non attererentur, neque calceamenta pedum illorum vetustate consumerentur, quanto magis illud curasse credendum est, ut nemo illorum immatura morte moreretur? Alioquin quomodo stabit quod idem in Cantico dicit : *Circumduxit eum, et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui* (*Deut.* XXXII). Attamen vel in eo prævaricatio fuit, quod non in tempore fuere circumcisi. Dixerat enim Dominus in prima circumcisione, id est ubi primo circumcisionis ritum instituit : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* (*Gen.* XVII). Quem ergo Scriptura culpare putabitur, dicendo : *Horum filii in locum successerunt patrum, et circumcisi sunt ab Josue, quia, sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.* An forte non ipsum Moysen, sed patres eorum rebelles incredulos videlicet, quod propter dilationem annorum quadraginta semetipsos rebelli impatientia dissecantes, et mandatis Domini amplius adversantes non saltem **365** suos circumcidere voluerint filios? Dicit enim illis per prophetam : *Nunquid hostias aut sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel?* (*Amos* V.) Subauditur, non, sed diabolis vestris. Sequitur enim : *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri quæ fecistis vobis.* Qui ergo non Deo, sed idolis suis hostias aut sacrificium obtulerunt, quid mirum, si nec filios suos circumciderunt? Igitur ubi nunc ait, *quia sicut nati fuerant, in præputio erant : nec eos in via aliquis circumciderat*, subaudiendum est, non Moysi negligentia, sed Patrum rebellium pertinacia. Et *hæc*, inquit, *causa est secundæ circumcisionis*, id est, secundæ imperandæ vel instruendæ circumcisionis. Primo namque imperio tradita fuit Abrahæ, secundo nunc imperatur Josue. Valet autem dictio hæc ad commendationem circumcisionis, quod videlicet serio tenenda nunc fuerit, quam et semel Dominus tradiderit, et abolitam iterum sanctione sua firmaverit

CAPUT XVI.

Quod spiritualiter nobis secunda circumcisio futura sit resurrectio carnis. Prima autem nunc fiat in baptismo Christi, et quod culter lapideus Christus sit.

Porro spiritualiter nobis secundæ circumcisionis talis itidem est causa. Secundæ, inquam, credendo namque in Christum, et baptizati prima circumcisione sumus circumcisi, testante Apostolo cum dicit : *In* Christo *circumcisi estis circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis in circumcisione Christi; consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis* (*Colos.* II). Quod et ipsum in Evangelio Christi non sine legis et prophetarum testimonio dixit. Nam lex dicit : *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere* (*Deut.* XXX). Et propheta dicit : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem* (*Jer.* IV). Prima itaque circumcisione circumcisi sumus, et prima resurrectione resurreximus, consepulti Christo in baptismo, et exspoliati in operibus carnis, in quo et resurrexistis, inquit, per fidem Dei. Talis igitur, ut prædictum est, nobis secundæ circumcisionis causa est. Nos omnes populus acquisitionis, qui sub gratia Christi nati, imo renati sumus, per hoc omne tempus itineris latissimæ solitudinis, id est vitæ præsentis sæculi, prima quidem circumcisione, de qua jam dictum est, circumcisi, sed secunda circumcisione necdum circumcisi sumus, quia videlicet spiritu mentis nostræ renovati quidem sumus, sed corpore vel carne vetusti adhuc sumus, et quotidie veterascimus, id est corruptibiles adhuc et mortales sumus, et vivendo quotidie magis ac magis ad mortem proficiscimur. Unde idem Apostolus : *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem* (*Rom.* VIII). *Ait* igitur *Dominus ad Josue :* ait, inquam, Dominus Deus Pater ad Salvatorem nostrum in illa, de qua dictum est, ejusdem resurrectione : *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel.* Faciet Salvator quod jussum est, et circumcidet filios Israel in colle præputiorum, id est in resurrectione mortuorum. Canente namque *tuba mortui resurgent incorrupti, et nos*, inquit Apostolus, *immutabimur. Omnes* enim, inquit, *resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et exponens quid sit immutari, *oportet* enim, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV). Hac utique immutatione non omnes immutabimur, soli namque electi ad impassibilitatem resurgemus. Culter lapideus, quo jam semel circumcisi prima resurrectione resurreximus, ac secundo circumcidendi circumcisione secunda, id est carnis resurrectione resurrecturi sumus, sermo Dei est, sermo, inquam, Dei vivus et efficax, et *penetrabilior omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV), cujus virtute resurgemus, cujus efficacia cuncta corruptione exspoliabimur. Ergo culter lapideus Christus est : nam sermo Dei Christus. Christus autem ipse lapis vel petra dictus est.

CAPUT XVII.

Quod filiis Israel terram promissionis ingressis manna defecit, quid mystice significet.

Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra illo cibo filii Israel, sed comederunt de frugibus anni præsentis terræ Chanaan. Manna quo in deserto præsentis sæculi pascimur,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

donec ad beatam perveniamus patriam, ubi in conspectu vel præsentia Dei epulabimur et exsultabimus, atque in lætitia delectabimur, verbum Dei est, Scriptura sancta est : Quod breviter innuens Moyses, cum dixisset : *Afflixit te* Dominus *penuria, et dedit tibi cibum manna, quem ignorabas tu et patres tui*, continuo subjunxit : *ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod progreditur de ore Dei* (*Deut.* VIII). Hoc manna, hunc panem angelorum ut manducaret homo, semel quidem Deus portas cœli aperuit, ut in terram nostram illud carnem factum mitteret, et solis angelis hactenus usitatum, nobis quoque parvulis, ac pene edentulis, manducabilem faceret. Unde et dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI), etc. Cæterum et quoties apostolorum et prophetarum, sive etiam doctorum Spiritus sanctus ora aperit, ad prædicandum salutis verbum, ad revelanda mysteria Scripturarum, portas cœli aperit Dominus, *et pluit nobis manna ad manducandum* (*Psal.* LXXVII). Quandiu per hoc desertum hujus sæculi incedimus, quandiu per fidem et non per speciem ambulamus, nimirum istis alimentis indigemus. Pascimur mente legendo, vel audiendo verbum Dei, pascimur et ore manducando de mensa Domini panem vitæ æternæ, et bibendo calicem salutis perpetuæ. At ubi venerimus ad illam terram viventium, in illam beatam Sion, ubi in sua specie videbitur Deus deorum (*Psal.* LXXXIII), neque verbo doctrinæ indigebimus, neque in istis speciebus panis et vini, sed in propria substantia videndo panem angelorum manducabimus. Igitur postquam comederunt fruges terræ, defecit manna, quia videlicet postquam venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII).

CAPUT XVIII.

Quod qui Moysi in flamma ignis, ipse gladium tenens Josue apparuit, quid mystice significet.

Cum autem esset Josue in agro urbis Hiericho, levavit oculos suos, et vidit virum stantem contra se et evaginatum gladium tenentem. Perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? Qui ait : Nequaquam. Sed sum princeps exercitus Domini et nunc **366** *venio.* Juxta historiam, quemadmodum transitus Jordanis, ita et hoc ad illud promissum pertinet quod dictum est, *sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.* Ac deinceps : *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, ut sciant sicut fui cum Moyse, ita et tecum sum.* Moysi namque apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi : huic autem tanquam vir præliator stans, et *evaginatum gladium tenens*, unicuique juxta rerum sequentium proprietatem figuras vel formas competentes præostendens, illi videlicet splendida facturo miracula, ignis apparuit, ut jam dictum est : *vidi*, inquiens, *afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi, et descendi liberare eum*, huic, mox cruenta bella facturo, evaginatum gladium tenens apparet : *princeps*, inquiens, *ego sum exercitus Domini, et nunc venio.* Utrique magnum commendans humilitatis præsidium, sine qua nunquam acceditur ad Dominum, tam huic quam illi. *Solve*, inquit, *calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo stas sanctus est* (*Exod.* III). Sed jam, ut cœptum prosequamur mysterium, illic primus, hic secundus Salvatoris nostri figuratur adventus. Secundo namque filiis Israel circumcisis adest, *evaginatum tenens gladium, princeps exercitus Domini*, quia videlicet nobis secunda, id est corporum resurrectione immutatis, judicium arripiet manus Domini, judex, inquam, vivorum et mortuorum apparebit Christus Filius Dei. Qui et in cantico Deuteronomii de hoc ipso gladio suo dicit : *Si acuero, ut fulgur, gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis* (*Deut.* XXXII). Nec vero solus ipse *princeps exercitus Domini*, sed et ipsi, cum quibus ad judicium veniet, seniores populi sui, judiciarios habebunt gladios in manibus suis. Unde et Psalmista canit : *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum* (*Psal.* XLIX). Nationes ipsæ in quibus vindicta facienda est, vel populi in quibus faciendæ sunt increpationes, per urbem Hiericho signantur, de qua et protinus subditur.

CAPUT XIX.

Quid sit mystice clausam Hiericho, singulis diebus semel, septimo autem die circuire septies, et quod illa civitas tubis concrepantibus funditus corruit.

(CAP. VI.) *Hiericho autem clausa erat, atque timore filiorum Israel munita, et nullus egredi audebat aut ingredi. Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tua Hiericho, et regem ejus, omnesque fortes viros. Circuite urbem, cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus, septimo autem die, sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus in jubilæo, et præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis civitatem*, etc. Magnum et pulcherum mysterium, magnum et tremendum in mysterio mundi hujus judicium. *Cum*, inquit, *insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis.* Ita factum. *Postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat.* Hiericho præsenti loco mystice civitas diaboli est, civitati Dei viventis Hierusalem, semper inimica, quam et Babylonem nuncupare sancta consuevit Scriptura, ut in psalmo superius memorato : *Memor ero Raab et Babylonis* (*Psal.* LXXXVI). Raab videlicet in bono, Babylonis autem in malo ipsius memor ero. Raab, inquam, ut sola vivat cum universis qui cum ea per fidem in domo sunt. Babylonis autem in malo ipsius, scilicet ut muri ejus funditus corruant, sitque ipsa anathema, et omnia quæ in ea sunt. Quare autem sex diebus circuire oportet civitatem semel per diem, septimo autem die septies? Videlicet quia civitas diaboli, et pro creatura mundi, unde et Creatorem cognoscere potuit, et pro adventu Filii Dei, quem non recipit, judicanda est. Circuitus sex dierum,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

senariæ significat creaturæ judicium. Sex enim diebus cuncta hæc creata sunt. Apostolus autem, cum dixisset quia, quod notum Dei est, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit, continuo subjunxit : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (Rom. I), etc. Igitur sex diebus semel per singulos dies civitas illinica circumeunda est, quia pro intellecta creatura mundi impietas hominum, qui non probaverunt Deum habere in notitia, judicanda est. Septimo autem, id est, multo maxime, et per omnem modum amplius, pro adventu Filii Dei judicandi sunt, quia non receperunt eum. Nunquid enim non audierunt? *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum* (Rom. X), etc. Audierunt cœlis enarrantibus, et viderunt *in sole* positum *tabernaculum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. XVIII). Hoc tam mirabiliter quam veraciter dictum, quia videlicet non magis eos latuit Filii Dei adventus, quam sol iste qui ab omnibus videtur. Pro hoc, inquam, amplius judicandi sunt, et pro hoc multo maxime inexcusabiles erunt. Igitur et hoc recte dictum vel factum est, ut cum singulis cæterorum dierum senel, septimo die civitas circuiretur septies. Septimus namque dies, in quo requievit Deus ab omni opere suo quod patrarat, sicut latius in exordiis hujus operis diximus, ipse est Filius Dei, cujus illis adventus ad judicium est. Itaque et rex civitatis diabolus, videntibus cunctis præcipitabitur, et muri ejus corruent funditus flentibus, sicut plenius in Apocalypsi habemus, et plangentibus omnibus, qui cum illa fornicati sunt, ac dicentibus : *Væ væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum.* Itemque secundo : *Væ væ civitas illa magna, quæ amicta erat byssino, et purpura, et cocco, et deaurata est auro, et lapide pretioso, et margaritis, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ.* Ac deinceps tertio : *Væ væ civitas magna, in qua divites facti sunt omnes qui habent naves in mari de pretiis ejus, quoniam una hora desolata est* (Apoc. XVIII).

CAPUT XX.

Quod Josue contemplatione judicii divini urbem anathematizaverit, et eum maledixerit qui muros ejus restitueret.

In tempore illo imprecatus est Josue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit civitatem Hiericho. In primogenito suo fundamenta illius faciat, in novissimo liberorum ponat portas ejus. Duo dixit : Primo, sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt. Deinde *maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit civitatem Hiericho.* Duo, inquam, dixit, et neutrum in amaritudine furoris, sed ex proprii motu animi, **367** sed divini contemplatione judicii, civitatem peccatricem Deoque odibilem condemnavit. Denique A sententia ejus utrobique divinum testimonium e vestigio subsecutum est. Nam, ut taceam quod muri solo Dei nutu, et sine manu hominis funditus corruerunt, Achar filius Charmi filii Zaddi, filii Zare de tribu Juda, tollendo aliquid de anathemate turbavit omnem Israel, Domino terribiliter inclamante : *Anathema in medio tui, Israel. Non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere* (Josue VII). Item qui suscitavit et ædificavit civitatem Jericho, ipse, juxta quod imprecatus est Josue, in primogenito suo fundamenta illius jecit, et in novissimo liberorum posuit portas ejus. Sic enim habemus in libro Regum tertio : *In diebus Achab ædificabit Ahiel de Bethel Jericho, in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun* (III Reg. XVI). Sane quod dictum est : *In primitivo suo fundavit eam, et in novissimo suo posuit portas ejus*, idem est ac si diceretur : Quando fundamenta ejus jecit, statim mortuus est filius ejus primogenitus, et deinceps inter ædificandum paulatim secundum ordinem nativitatis decedentibus filiis omnibus, ubi (quod novissimum erat operis) posuit portas ejus, mortuus est filius ejus novissimus ; mira ambitione pertinaciam fulciente, ut ambiendo conditoris nomen, totum cum effectu perderet genitoris honorem.

CAPUT XXI.

Quod in vindicta quæ facta est in Israel propter anathema quod furatus est Achar, exemplum sancitum sit contra avaritiam.

Quare autem tanta severitate cœlestis judicii in eos vindicatum est, nisi ut venturis sæculis metus eorum exemplo sanciretur? Futurum quippe erat (quod hodie videmus) ut scilicet falsorum fratrum avaritia simul et ambitione non modice Ecclesia Dei turbaretur. Quid enim? Nonne omnes qui in Christo Jesu baptizati sumus, Jericho, id est mundum hunc anathematizavimus, abrenuntiando diabolo et omnibus pompis ejus? Ecce autem de nobis exierunt, quamplurimi imitatores Achar de tribu Juda, qui videlicet fidem professi catholicam, quod est esse vel dici de tribu Juda (Juda quippe *confessio* interpretatur), tulerunt de isto anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt, atque inter vasa sua reposuerunt. Dum enim sub specie pietatis, pulchri incedentes atque religiosi, avaritiæ student, *quæ est simulacrorum servitus* (Ephes. V), et cuncta malitiæ spiritualis faciunt venalia, quid aliud quam anathema furantur, et mentiuntur, et abscondunt inter vasa sua, imo inter conscientias suas. Hanc malitiæ radicem, et hujus fellis amaritudinem, primum in Simone Mago per os beati Petri apostoli, universa Christi Ecclesia terribiliter anathematizat, et hæreticam esse hydriam indicat. Non ergo, inquit Dominus, poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Ubi enim in sacerdotibus, vel eis qui præsunt, avaritia regnat, et principatum obtinet pecu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nia, hi qui sunt Israel arma virtutum contra vitia tenentes, et prout oportet arguere, obsecrare volentes, stare non possunt contra hostes libere repugnantes, quippe quos pecunia tuetur, ut de vitiis suis aliquando non saltem impune arguantur. Unde et apud evangelistam Matthæum, pulchro mysterio dictum tenemus, quia cum Dominus noster, facto de funibus flagello, vendentes et ementes de templo ejecisset, tunc demum *accesserunt cæci et claudi ad eum in templo, et curavit eos* (*Matth.* XXI). Non prius cæcos et claudos curavit, quam illos latrocinantes de spelunca ejecit, quia videlicet non vitia curari, nec virtutes possunt illustrari, nisi prius Mammon de cordibus sacerdotum, aut ipsi sacerdotes cum illo deo suo de templo Dei fuerint ejecti. Hoc, inquam, futurum erat, et idcirco utiliter præmonstrandum erat in illo uno Achar, qualis vel quanta secundum nomen ejus, quod interpretatur *tumultus* vel *turbator*, cunctis imitatoribus ejus turbatio vel pœna sit reposita. Recte igitur severe, et sine ulla venia pro tali in illum furto vindicatum est, lapidante illum omni Israel, *et omnia quæ illius erant, igne sunt consumpta*, præloquente Josue, ac dicente, *Quia turbati nos, turbet te Dominus in die hac* (*Jos.* VII). Quamvis enim illo dicente : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, confitere, et indica mihi quid feceris, et ne abscondas* : ille confitendo responderit. *Vere ego peccavi Domino Israel, et sic feci*, non tamen ullam mereri veniam debuit, quia videlicet confessio nimium tarda fuit. Ante enim turbatus est Israel quam ille reatum agnosceret, et ante sors veridica, Deo auctore, prodidit personam, quam ipse culpam.

CAPUT XXII.

Quare Domini sententia fuerit, ut cuncti reges contra Israel pugnarent, et pugnando caderent, et quod illa cædes, et sole stante prolongata dies, longum judicii diem significet.

(CAP. IX.) *Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis, et campestribus, in maritimis, ac littore maris magni, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Æthæus, et Amorrhæus, et Chananæus, Pherezæus, et Æveus, et Jebusæus, congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue et Israel, et uno animo, eademque sententia*, etc. Omnes peccato suo duce congregati sunt, ut perirent, quia videlicet Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam. Quare autem hoc Domini sententiæ fuit? Videlicet quia tam pessimi erant, tamque peccatores, ut ipsa eos terra merito evomeret. Cum enim dixisset : *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur : mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo* (*Levit.* XX); cum, inquam, hæc et his similia dixisset, subsecutus ait : *Ne et vos evomat terra quam intraturi estis et habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, et abominatus sum eas* (*ibid.*). Juste ergo Domini sententiæ fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent, et non mererentur ullam clementiam, sicut præceperat Dominus Moysi. Quid enim præceperat Dominus Moysi. *Si quando*, inquit, *accesseris ad expugnandam civitatem, offer ei primo pacem. Sin autem fœdus inire noluerint* (*Deut.* XX), etc. Ac deinceps : *De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hæthæum videlicet, Amorrhæum, et Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, sicut præcepit Dominus Deus tuus, ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, et peccetis in Dominum Deum vestrum* (*ibid.*). Parum autem erat apud homines, tantum **368** victorem, qui nec mortuis parceret, sed mortuorum quoque colla pedibus calcari præciperet, mortuosque patibulis affigeret, de crudelitate excusari prædicto testimonio, vel præcepto legis, nisi etiam defenderetur in præsentiarum novo et inaudito miraculo justi Dei. (CAP. X.) *Cum*, inquit, *fugerent filios Israel, et essent in descensu Betheron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo, usque ad Azeca et Maceca, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. Tunc locutus est Josue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis : Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Ahialon. Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea et postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.* Quid igitur in omnibus his, nisi futuri universalis judicii justi figura vel documentum est, quando is qui in multitudine misericordiæ judicandus advenit, in fortitudine justitiæ gladium, ut supra significatum est, evaginatum tenens, judicaturus adveniet? Tunc profecto sole stante, et non festinante occumbere, longus dies erit, donec se gens ulciscatur de inimicis suis. *Nonne*, inquit, *scriptum est hoc in libro justorum?* Quo in libro justorum, nisi in universitate sanctarum et veridicarum Scripturarum? Universitas quippe illarum, diem illum tremendis declamat præconiis, diem longum, diem magnum, diem amarum. *Juxta est*, inquit Propheta, *dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris* (*Sophon.* I). Vere longus, vere magnus dies, cujus magnitudinem tot vocibus, tantis declamationibus explicare propheta non valet.

CAPUT XXIII.

Pro eo quod, ejectis gentibus, Josue terram in funiculo distributionis sorte divisit, id significari quod mansiones in domo Patris gratia Dei distribuuntur et non ex meritis.

(CAP. XIII.) *Et dixit Dominus* ad Josue : *Senuisti et longævus es, terræque latissima derelicta est, quæ*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

necdum sorte divisa est, etc. Quoniam et hoc ab imperio Domini, procedit, ut non hominum arbitrio, sed occulto sortis judicio tribubus Israel divideretur terra repromissionis, ne hoc quidem a *mysterio*, vacare credendum est. Quid enim est, quod ejectis a facie eorum gentibus, sicut et Psalmista canit : *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* (*Psal.* LXXVII), nisi quod beata patria, de qua superbientes ejecti sunt apostatæ angeli, cunctæ mansiones illæ, quæ *multæ sunt in domo Patris* (*Joan.* XIV), gratia Dei distribuuntur, et non ex meritis. Dei enim donum est, et non ex nobis, A inquit Apostolus, *ut ne quis glorietur* (*Ephes.* II). Recte igitur forte, in qua non hominis electio, sed occulta Dei cuncta agit dispositio, terra illa divisa est : quia videlicet, gratia Dei, quam nulla præcesserunt merita, nostra terra viventium speranda nobis et possidenda est. Transeamus nunc ad librum Judicum, et planam tritamque historiæ superficiem transilientes, in his duntaxat venerandum quæramus mysterium, ubi pro re vel tempore se exerit Domini verbum, ubi ad ejus dicitur vel agitur quid cœleste imperium.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII

IN LIBRUM JUDICUM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

369 CAPUT PRIMUM

Quod duodecim sint judices usque ad Samuel, unde et liber Judicum dictus est.

(CAPUT I.) *Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos contra Chananæum et erit dux belli? Dixitque Dominus : Judas ascendet. Ecce terram in manu ejus*, etc. Liber iste idcirco liber Judicum appellatur, eo quod de illis conscriptus sit qui judicaverunt Israel, antequam in gente illa regum nomen, vel regia potestas expeteretur. Fuerunt autem judices numero duodecim. Primus, Othoniel filius Cenez frater Caleph. Secundus, Aoth filius Jera filii Gemini. Tertius, Sangar filius Anat. Quartus, Barach filius Abinoen, de Cedes Nephtalim. Quintus, Gedeon filius Joas. Sextus, Jair Galaadites. Septimus, Jephte Galaadites. Octavus, Abesam de Bethlehem. Nonus, Abialon Zabulonites. Decimus, Abdon filius Hellel Pharathonites. Undecimus, Samson. Duodecimus, Samuel. De primo horum Othoniel ita Scriptura refert : *Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleph juniorem. Fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israel* (*Judic.* III). Quoniam ergo nomine salvatoris et officio fungitur, et in eo fuit B Domini Spiritus, recte spiritualia Salvatoris nostri Christi Filii Dei mysteria in persona ejus requiruntur. Historia de illo talis est.

CAPUT II.

De Othoniel, et uxore ejus Axa filia Caleph : quid sedens in asino et suspirans allegorice significet.

Dixitque Caleph : Quid percusserit Cariath Sepher et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleph minor, dedit ei filiam suam conjugem. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret agrum a patre suo. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleph : Quid habes? At illa respondit : Da mihi benedictionem; quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleph irriguum superius et irriguum inferius. C Hæc ipsa per anticipationem in libro Josue dicta sunt (*Jos.* XV). Porro Othoniel, sive, ut verius, juxta beatum Hieronymum, scribitur, Athoniel, *tempus ejus Dei*, vel *responsio Dei* interpretatur. Significat autem magnum judicem, imo Salvatorem Israel Christum Dei Filium, cujus typus quo populum suum visitavit tempus Dei, cujus Evangelium nimirum responsio Dei est. Axa vero, sive, ut verius legatur, Axaf, *medicamentum* interpretatur : nam Axa in furibundam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vertitur. Loci hujus sacramentum duplex, id est tam allegoricum quam morale est. Nam Othoniel, scilicet salvator noster et judex, tunc Cariath Sepher, id est civitatem litterarum percussit, quæ prius Dabir, id est *loquens* sive *loquela* vocabatur, quando manifestata veritate Evangelii, loquacem Scribarum et Pharisæorum synagogam in littera legis gloriantem redarguit. Nam eadem synagoga recte *civitas litterarum* dicta est, cui primum credita sunt eloquia Dei (*Rom.* III). Dixit autem salvator iste Scribis et Pharisæis; dixit, inquam, et dictum opere complevit: *Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XII). Ita per civitatem litterarum, id est eos qui tulerunt clavim scientiæ, percussit atque damnavit proposito sibi præmio, ut acciperet Axam conjugem, id est novam de gentibus Ecclesiam. Cujus pater per fidem factus est Caleph, quod interpretatur **370** *quasi cor*, scilicet Deus, qui nobis factus est quasi cor, dicendo: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I). Hinc ipse qui factus est ei vir salvator mundi, suasit ut peteret a patre suo agrum. Docuit enim Ecclesiam suam orare et petere a Deo Patre regnum cœlorum (*Matth.* VI; *Luc.* XI). *Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleph: Quid habes?* Axa sedens asino suspirat, quando conversa ad Christum Ecclesia, prima jam gratia, id est peccatorum remissione, percepta, secundam gratiam, id est Sancti Spiritus illustrationem, regni cœlestis desiderium postulat. Unde et protinus subditur: *Da mihi*, inquit, *benedictionem; quia terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis.* Terra namque arens est prima gratia remissionis peccatorum, quam in baptismo pariter omnes accipimus: irrigua vero aquis, cognitio vel desiderium cœlestium bonorum, quod in diversis diversa operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.

CAPUT III.

De eadem re moraliter, quæ sententia beati Gregorii est.

Cæterum et moraliter Axa super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans, a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui jam in domo perceperunt pro justitia libere loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere: sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet ad minus, ut aut timore suppliciii, aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetraverunt, deplorent. Et licet in multis speciebus compunctio dividatur, quando singulæ quæque a potentibus culpæ plangantur, unde et voce quoque pœnitentium Jeremias, ait: *Divisiones aquarum de-*

duxit oculus meus (*Thren.* III). Principaliter tamen compunctionis genera duo sunt, quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. Prius enim in lacrymis se affligit, quia, dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veritas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissime deflet, quia differtur a regno. Contemplatur enim mens qui sint illi angelorum chori, quæ societas sanctorum spirituum, quæ majestas æternæ visionis Dei, et amplius plangit, quia bonis perennibus deest, quæ flebat prius cum mala interna metuebat. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis. Quod bene in hac sacra veracique historia, figurata narratione describitur. Quia ergo, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, et irriguum inferius. Irriguum superius accipit anima, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius irriguum inferius, ac post irriguum superius datur, sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et postmodum irriguum inferius commemorari debuisset.

CAPUT IV.

De Barach et prophetissa Debbora uxore ejus, et quod idem sit Lapidoth.

(CAP. IV.) Quartus jam nobis e judicibus assumitur Barach, nam in Aoth qui secundus est, mysterium requirere vel sacramentum, pene violentum est, quippe qui non tam divino oraculo quam humano ductus ingenio, imo et dolo interfecit regem Moab, atque idcirco non tam missus quam permissus dicatur a Deo, ut esset salvator. *Addiderunt*, inquit, *filii Israel facere malum in conspectu Domini, post mortem Aoth, et tradidit illos Dominus in manu Jabin, regis Chanaan, qui regnavit in Asor. Habuitque ducem exercitus sui Sisaram, ipse autem habitabat in Aroseth gentium. Clamaveruntque filii Israel ad Dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, et viginti annos vehementer oppresserat eos. Erat autem Debbora prophetes uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel, in monte Ephraim. Ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium. Quæ misit et vocavit Barach filium Abinoen de Cedes Nephthalim.* Barach idem qui Lapidoth vir Debboræ prophetes fuisse traditur. Interpretatur autem Lapidoth *fulgur*, Barach quoque *fulmen*. Fulgur idcirco, quia antequam ulcisceretur Israel de Chananæis, quasi fulgur splendebat in populo, meritis scilicet et prærogativis operum: postquam vero ultus est Israel de Chananæis, fulmen, id est percutiens, vocatus est. Plana historia est. Canticum ergo eorum primo breviter percurrentes,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tunc demum pulchrum perstringamus mysterium, quod intrinsecus latet.

CAPUT V.

Cantici illorum tractatus ex beato Hieronymo litteraliter.

(Cap. V.) *Domine, cum exires de Seir, et transires per Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis.* Exisse Dominus de Seir dicitur, et transisse per Edom, eo quod Idumæis legem suam recipere nolentibus in monte Sinai legem Israel dederit. *Terra mota est, cœli ac nubes distillaverunt aquis.* Terræ motus montis Sina describitur. Et quod dixit, *cœli ac nubes distillaverunt aquis*, ad præsentiam Domini cœli, quasi quodam pavore sudorem emittentes, aquis distillasse dicuntur. Similiter et *montes fluxerunt a facie Domini.* Quod vero sequitur : *Et Sinai a facie Domini Dei Israel*; subaudiendum est, contremuit et fumavit. *In diebus Sangar filii Anath, in diebus Jahel quieverunt semitæ, et qui ingrediebantur, ambulaverunt per calles devios.* Quievisse dicuntur semitæ, quia tempore Sangar ducis Israel, præoccupatæ erant semitæ ab inimicis Israel, et non audebant in domum Domini libere orandi gratia ascendere, sed qui ingrediebantur per eas, timore inimicorum latenter et per calles devios ascendebant. De quibus inimicis non plene eos Sangar liberasse dicitur. Quod vero interponitur paulo superius, *in diebus Jahel*, intelligendum est quia, interempto Sisara a Jahel aperiæ sunt viæ, et absque ullo timore ibant in domum Domini, qui antea per calles devios illuc gradiebantur, et **371** quod Jahel aut Debbora hic ponitur, humilitatis causâ hoc Debbora fecisse dicitur, eo quod Jahel uxor Aber Cynei Cisaram interfecerit. *Cessaverunt fortes in Israel, quieverunt donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.* Fortes hic doctores et prædicatores legis dicit, qui quievisse, id est, non fuisse dicuntur, *donec surgeret Debbora*, quæ Israel et prædicatione et exhortatione doceret, et consilio ab hostibus liberaret. Hos etiam fortes in superioribus ad Dominum secum benedicendum, eadem Debbora verbis his provocat, dicens : *Qui sponte obtulistis animas vestras de Israel ad periculum benedicite Domino.* Hi fortes, id est doctores, obtulisse dicuntur suas animas ad periculum, id est legi Dei et servituti ejus se subdidisse, et die noctuque in meditationibus corpus animamque macerasse. *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium iste subvertit.* Quomodo vel in quo nova bella? Sequitur continuo, et interrogando dicit : *Clypeus et hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel?* subauditur, non. Hæc enim verior lectio, veriorque sensus est, licet in plerisque codicibus, detracta dictiuncula *si*, affirmative soleat legi, quod scriptorum vitio inolevit. Quod dicit, *clypeus et hasta*, intelligendum est hoc quasi jurejurando dixisse, quod in quadraginta millibus nec clypeus nec hasta inveniri posset. Idcirco Deus nova bella elegisse dicitur, et portas hostium subvertisse, eo quod de inermibus fortes et victoriosos fecerit. Quod vero Israel armis exspoliati fuissent, a Jabin rege Chanaan, in superioribus declaratur, ubi dicitur : *Clamaverunt filii Israel ad Dominum, nongentos enim falcatos habebat currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos* (*Jud.* v). Vehementer oppressit eos, quia armis exspoliasse dicitur, sicut in libro Samuelis scribitur : *Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea totius populi, qui erant cum Saul et Jonatha, excepto Saul et Jonatha, filio ejus* (*I Reg.* XIII). *Cor meum diligit principes Israel.* Sciendum quod in Hebræo non *principes*, sed *doctores* legitur. Hoc Debbora in persona Dei loquitur, quod Deus diligat doctores legi Dei studentes, de quibus dicitur subjungendo : *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini* in populo, *benedicite Domino.* De quibus etiam jam superius dictum est in eo loco, ubi ait : *Qui sponte obtulistis animas vestras ad periculum, benedicite Domino.*

Qui ascenditis super nitentes asinas, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini. Ascensores asinarum populus Israel dicitur. Asinæ vero, in quibus ascenduut, doctores tribus Israel dicuntur. Super quorum doctrinam reliquus populus quasi super asinas ascendisse dicitur, id est requiescere. Et ipsæ asinæ nitentes dicuntur hoc est gradientes instar lunæ, in lege sedentes super judicium, id est super legem. Quæ etiam super judicium sedere dicuntur, id est super legem, et ambulare in via, subauditur legis, eo quod viam legis nequaquam excederent. Populum itaque qui super has asinas, id est super hos doctores requiescebant, provocat Debbora ad benedicendum Dominum, et dicit : *Loquimini*, id est laudate. Et quasi interrogassent, ubi, et quando laudabimus Dominum, illa respondit : *Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus. Ibi narrentur justitiæ Domini, et clementiæ fortis Israel.* Ac si diceret : Quamvis semper et ubique Deus laudandus sit, modo tamen a vobis potius Laudandus est, et benedicendus, qui inimicos vestros subvertit, sicut Ægyptios in mari Rubro (*Exod.* XIV). *Tunc descendit ad portas populus Domini, et obtinuit principatum. Ad portas populus Domini descendit*, id est ad portas domus Domini, quia, benedicto et collaudato in loco victoriæ Domino, descenderunt in domum Domini, ut ibi etiam Dominum collaudarent, orationes et victimas ei offerentes. Quod vero de tribu Isachar, doctores cæterarum tribuum essent, monstratur ex libro Paralipomenon ubi ait : *De filiis quoque Isachar eruditi viri, qui notant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberent Israel, principes ducenti. Omnes autem reliquæ tribus eorum consilium sequebantur* (*I Par.* XII). Et quod ildem doctores asini sint, monstratur in libro Genesis ubi legitur : *Isachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et quod optima terra, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens* (*Gen.* XLIX). Asinus in libro Genesis ubi sequitur, fortis dicitur propter fortitudinem legis, eo quod legem in humero portaret, et cæteris tribubus tributum, id est doctrinam legis impenderet. : In libro vero

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Judicum asinæ dicuntur, eo quod viribus fracti et humiliati atque infirmi manerent, jugo scilicet gentium pressi atque humiliati, et sola tantum lege Dei contenti. *Surge, surge, Debbora, surge, surge, loquere canticum.* Notandum quod in Hebræo *expergiscere* legatur, id est *expergiscere* in spiritu prophetiæ. Præfatorum itaque doctorum vocibus Debbora provocatur, ut expergiscatur in spiritu prophetiæ et laudis, et non cesset a laudibus Dei Unde et sequitur : *Loquere canticum. Surge Barach et apprehende captivos tuos fili Abinoen.* In Hebræo dicitur : *Prædare prædam tuam, fili, Abionem.* Hæc sententia vocibus etiam eorumdem doctorum Barach admonetur, ut deprædetur reliquias inimicorum suorum, et ad internecionem eos usque perducat, et nomen sibi victoriæ laudabiliter acquirat.

Tunc *salvatæ sunt reliquiæ populi.* Hæc sententia ad intelligendum, jungenda est sententiæ superiori, qua dicitur, *ubi narrentur justitiæ Domini, clementiæ fortis Israel, eo quod tunc salvatæ sunt reliquiæ populi. Dominus in fortibus dimicavit.* In Hebræo legitur, *Dominus propter me in fortibus dimicavit, et est vox totius populi Israel.* Dimicavit enim propter eos in Ægyptiis et cæteris inimicis Israel. Unde et sequitur : *Ex Ephraim delevit eos in Amalec*, id est Josue, existens de tribu Ephraim, delevit fortes inimicos Israel in Amalec et populum ejus in ore gladii, sicut legitur in libro Exodi : *Fugavitque Josue Amalec et populum ejus in ore gladii* (*Exod.* XVII). Et quod idem Josue ex tribu Ephraim fuerit, monstratur ex libro Numerorum, ubi dicitur : *De tribu Ephraim, Osee filium Nun* (*Num.* XIII), quem et in consequentibus Josue vocat, dicens : *Vocavitque Moyses Oseæ filium Nun Josue* (*Jos.* VI). *Et post eum in populos tuos Amalec* post eum, id est Josue, ex tribu Benjamin existens, Saul populum Amalec præcipiente Domino delevit. Quod de spiritu prophetiæ Debbora et Saule futurum prophetavit, et hoc secundum schema, quod vocatur prolepsis, dictum est, quod ipse esset deleturus Amalec, sicut habes in libro Samuelis (*I Reg.* XV). Sed et quod ait : *O Amalec*, in Hebræo non legitur, sed Latinus interpres sensus gratia hoc addidit. *De Machir principes descenderunt et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.* In Hebræo legitur : *De Machir principes descenderunt*, et subauditur ad bellandum, id est ad prosternendum Sisara principem, *et de Zabulon*, subauditur descenderunt, *qui ducerent de tribu litterarum*, id est de tribu Isachar, et subauditur ad bellandum, id est ad Deum collaudandum et exorandum, de quibus et sequitur. *Duces Isachar fuere cum Debbora.* In Hebræo, *principes*, id est doctores legis fuere **372** cum Debbora ad collaudandum Deum. *Et Barach vestigia sunt secuti.* Intelligendum est quia pars quædam illorum cum Debbora ad Deum collaudandum remansit, et pars Barach vestigia sunt secuti ad populum exhortandum et debellandum Sisaram. *Qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit.* Barach scilicet, credens verba Domini, se discrimini dedit, præcipitans se in torrentem Cyson, persequens et debellans Sisaræ exercitum. Barathrum in hoc loco torrens Cyson intelligitur. *Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta contentio est.* In Hebræo non habetur *contra se.* Vox enim Debbora est increpans Ruben, id est tribum Ruben, eo quod imperio Domini non obtemperans cum fratribus suis contra inimicos Domini debellandos non ierit, sed timore perterritus, et verbis Domini incredulus ab eis se diviserit, et pro eo magnanimus, id est superbus, repertus, exstiterit. Unde et seqhitur eorum increpatio in spiritu prophetiæ dicens :

Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum. In Hebræo non legitur *duos*, sed *inter terminos*, et est sensus : O Ruben, *quare habitas*, id est quare remanes *inter terminos* tuos, scilicet vicinarum tribuum tuarum, *ut audias sibilos gregum?* Ac si diceres : Greges quibus abundas, servare cupis et amittere vereris, eorumque sibilos audire potius delectaris, quam cum fratribus tuis ad debellandos hostes Israel progredi niteris, et quia hoc facis, imperio Domini superbus resistis, unde et sequitur id ipsum, quod et supra : *Diviso Ruben, magnanimorum reperta contentio est.* Eo quod male fecerit, imperium Domini parvipendens, et superbus existens. *Galaad trans Jordanem quiescebat.* Et hoc increpando dicitur, eo quod remorante Ruben cum eo Galaad pari consilio remanserit. *Et Dan vacabat navibus*, quia videns quod tribus Ruben et tribus Galaad non irent cum fratribus suis ad bellandum, timore correptus navibus vacando fugam arripuerit : *Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur.* Similiter hoc increpando ponitur, eo quod Aser in littore maris habitans, in portubus moratus fuerit, fugam potius arrepturus quam fratribus comprælianturus. *Zabulon et Nephthalim obtulerunt animas suas morti in regione Meronie.* In Hebræo *super regionem Meronie.* Et est sensus : Quia cæteris tribubus ire nolentibus, hæ duæ tribus animas suas morti dederint super regione Meronie. Meronie enim interpretatur *excelsus.* Pro regione enim Excelsi, id est Dei, obtulisse dicuntur animas suas, et idcirco laudibus efferuntur, cum cæteræ comprehendantur tribus. *Venerunt reges et pugnaverunt.* Reges terræ Chanaan dicit, qui regi Jabin subditi erant. Pugnarunt reges Chanaan. Idipsum repetit, *in Thanaac.* Thanaac enim provincia est, ubi est torrens Cyson, *juxta aquas Mageddo.* Mageddo enim civitas est posita super torrentem Cyson. Et quod dicit, *juxta aquas Mageddo*, intelligitur juxta torrentem Cyson civitas Mageddo. *Tamen nihil tulere prædantes.* Hoc subsannando dicitur, cum non solum nihil prædæ tulerint, quin potius animas eruere nequiverunt. *De cœlo dimicatum est contra eos.* Quia in quadraginta millibus Israel clypeus et hasta inveniri non poterant, idcirco Dominus de cœlo lapidibus grandinis et igni dimicavit pro eis contra hostes suos, sicut et illud in libro Josue (*Jos.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

x). *Stellæ manentes in ordine suo et cursu, adversus Sisaram pugnaverunt.* Stellæ angeli intelliganter, qui de cœlo contra Sisaram pugnaverunt.

Torrens Cyson traxit cadavera eorum. Est enim hic defectus et quasi interrogando, ubi et respondeatur in torrentem Cadumin, id est in mare Rubrum. Unde et sequitur. *Torrens Cadumin, torrens Cyson.* Torrentem Cadumin mare Rubrum vocat. Cadumin enim interpretatur *antiquorum*, eo quod antique miracula in eo facta fuerint transeuntibus filiis Israel, et Ægyptiis pereuntibus. Et quia mare Rubrum Ægyptios mortuos evomuit, ita ut eos mortuos Israelitæ super littus maris viderent, et eadem cadavera piscibus et bestiis maris abstracta fuerunt, ideirco *traxit torrens Cyson cadavera eorum*, ut pro cadaveribus Ægyptiorum sibi ablatis cadavera Chananæorum ipsius maris Rubri pisces et bestiæ comederent. *Conculca anima mea robustos.* Hoc Debbora in persona totius Israelis dicit, ut omnes uno animo robustorum, id est fortissimorum inimicorum suorum colla conculcarent, sicut est illud in libro Josue de quinque regibus Chananæorum (*Jos.* x) : *Ungulæ equorum.* In Hebræo sic legitur : *Tunc ungulæ equorum ceciderunt fugientibus impetum, et per præceps ruentibus fortissimis hostium.* Lapidibus enim grandinum de cœlis ab angelis ungulæ equorum cecidisse traduntur, ut sit sensus : Si ungulæ equorum cecidisse tactu lapidum creduntur, quid putas equitibus accidisse? *Maledicta terra Meroz dixit angelus Domini.* In Hebræo legitur : *Maledicite, Meroz, dicit angelus Domini.* Angelus Domini ab Hebræis Michael intelligitur, qui jubet per Debboram populo Israel, ut maledicant Meroz, id est potestatem angelicam, quæ præerat Chananæis. Meroz enim interpretatur *arcanum.* Ideirco maledici jubetur, id est anathematizari, eo quod cæteris angelis dimicantibus pro Israel, ipse non solum non pugnaverit, verum etiam in adversitate eorum perstiterit. *Maledicite habitatoribus ejus*, id est et Meroz et populo ejus. Et redditur causa cur maledicantur. *Quia, scilicet, non venerunt in adjutorium Domini, in auxilium fortissimorum ejus. Benedicta inter mulieres Jahel uxor Aber Cynei. Inter mulieres* scilicet Saram, Rebeccam, Rachel, Liam, et cæteras ferme mulieres. *Benedicatur in tabernaculo*, subaudiur Domini, et ibi memoriale sit ejus, sicut et Judith. Et bene redditur causa cur benedicatur, quia scilicet sapienter et prudenter fecerit, eo quod *petenti aquam lac* dederit. Ideirco lac dedit, ut hostis fugiens sibi potiorem fidem accommodaret. Et si quæritur cur vinum non dederit, respondendum est quia domus Rachab vinum non bibebat, sicut habes in Jeremia propheta (*Jer.* xxxv).

CAPUT VI.

Quod mystice Sisara diabolum, Debbora legem, Barach vero qui interpretatur « fulmen, » fortes legis viros significet, qui illa legitime utentes, fortiter diabolum percusserunt.

Hæc ad litteram dicta, magna spiritus et vitæ continent mysteria. Sisara quippe dux adversi exercitus hostem generis humani nomine ipso significat. Interpretatur namque *equi visio.* Equi visio diabolus est, qui omne sublime videt, qui secundum naturam equi superbi et fluxi spiritum hominis in superbiam erigit, carnemque luxuriosam velut equino fluxu polluit. Hic dux Jabin, quod interpretatur *intelligentiæ*, videtur enim sibi esse cherubin, id est plenitudine scientiæ, dux, inquam, Chanaan, id est omnium quorum pedes per superbiam moti sunt. Chanaan quippe interpretatur *motus eorum*, nongentos habuit falcatos currus, id est superbivit in omni potentatu, ita ut sibi pro Deo præesse videretur, cunctis angelorum *ordinibus.* **373** *Erat autem*, inquit, *Debbora prophetes uxor Lapidoth.* Debbora *apes* interpretatur. Significat autem legem, quæ tanquam in cera mel, id est in littera, spiritus continet dulcedinem. Hæc autem uxor Lapidoth, qui et ipse vocatus est Barach. Vir Debboræ populus fuit Judaicus, legis studium vel scientiam professus. Lapidoth *fulgur*, Barach *fulmen* interpretatur. Et fulgur quidem coruscat, sed breviter, fulmen autem ferit fortiter. Lapidoth ergo, id est fulgur, populus ille erat pro parte illorum qui breviter, imo inaniter solo legis litteralis sermone coruscaverunt, fulmen vero pro parte illorum qui legem adimplendo fortiter diabolum percusserunt. Igitur Debbora, id est lex sancta et justa et bona, misit et vocavit Barach filium Abinoen, idem populum Judaicum, Patrem Deum labiis honorantem secundum nomen Abinoen. Abinoen quippe interpretatur *Patris mei decor. Vade*, inquit, *et duc exercitum in montem Thabor.* Thabor *veniens lumen* interpretatur, illum significans de quo veraciter Zacharias cecinit, dicens : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* i), etc. Ergo *in montem Thabor duc*, inquit, *exercitum*, id est, crede in eum, spera in eum qui Abrahæ promissus est, qui de semine Abrahæ venturus est, scilicet Christum lumen verum, benedictionem omnium gentium. Nam in illum montem ducere exercitum, id est spem vitæ vel justitiæ ponere in Christum, hoc Debbora præcipit Barach, hoc enim lex universa, hoc, inquam, legis et prophetarum sancta imperat Judaico populo Scriptura. *At ille* : *Si*, inquit, *venis mecum, vadam. Si nolueris venire, non pergam.* Hoc plane populus ille dixit, quia justitiam suam volens statuere, justitiæ Dei subjectus esse noluit (*Rom.* x). Hoc, inquam, ille non Barach, sed Lapidothe dixerit, id est populus ille, non pro parte fortium et perfectorum fortiter fulminantium, sed pro parte imperfectorum breviter coruscantium sive fulgurantium, qui fiduciam habentes in operibus legis nescirent sibi esse adventum vel gratiam Christi. Sed enim *ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo* (*Rom.* III). Dicit ergo Debbora : *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Quod est dicere : Tibi quidem lex observata, quamvis non ad perfectum adducendo proderit, sed cum Christus venerit, Ecclesia de gentibus per solam fidem ejus speratus justificari,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

perfectionem plenamque victoriam obtinebit. *Aber autem Cyneus recesserat quondam a cæteris Cyneis fratribus suis*, etc. Cynei posteri erant Obab, id est Jethro, cognati Moysi, de quibus alias jam dictum est. *Descendit itaque Barach de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo.* Descendit Barach, Barach, inquam, non jam Lapidoth, id est, non jam fulgur, sed flumen descendit de monte Thabor, scilicet Judæi magni et veri Christi apostoli afflati Spiritu sancto, missi a Christo, et cum eis decem millia pugnatorum, scilicet fide armatus universus exercitus credentium. Unde canitur in Psalmo : *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium ; Dominus in eis in Sina in sancto* (*Psal.* LXVII). Descenderunt, inquam, dignatione, scilicet, quia credentes ipsi illuminati, nondum credentes et adhuc cæcos respicere dignati sunt.

A

B

CAPUT VII.

De Jahel uxore Aber Cynei, qualiter Sisaram interfecerit, et quod Ecclesiæ de gentibus typum gesserit.

Perterruitque Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii, ante conspectum Barach, in tantum ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, et Barach persequeretur fugientes currus et exercitum usque ad Aroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. Dominus, inquit, perterruit Sisaram. Quis enim alius nisi Dominus noster, Dominus virtutum et Rex gloriæ perterruit diabolum, et de curru superbiæ in pedes dejecit eum, juxta Psaltaistam dicentem : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum* (*Psal.* LXXXVIII). Illum ipse perterruit ad conspectum Barach, ad conspectum apostolorum, qui fuere ex Judaico populo, cui Debbora, sicut jam dictum est, id est sacra lex, primo nupsit. Illi erant cœli enarrantes gloriam Dei (*Psal.* XVIII), et illis comminantibus atque fulminantibus, signaque et prodigia facientibus perterritus diabolus de curru desilivit. Imperatorum enim et principum sæculi conversorum ad Christum altitudinem perdidit. Quid deinde ? *Fugiens*, inquit, *pervenit ad tentorium Jahel uxoris Aber Cynei. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Aser Cynei.* Jahel, *cerva* sive *conjugium cervale* interpretatur. Significat autem Ecclesiam de gentibus, quæ veluti cerva cervo, id est, viro suo Christo nunc per fidem copulatur. Quæ comedit quidem serpentem, admittendo peccati venenum, sed pro hoc pœnitens dicit singulariter ex persona singulorum, dicit universaliter in persona omnium membrorum suorum, qui sunt unum corpus, una Ecclesia, unus populus : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI). Dejectus de curru, et pedibus fugiens tabernaculum ejus ingressus, et pallio ejus opertus est, quia perdito falso divinitatis vocabulo, quo adulter in publicis gloriabatur conventibus populorum, occultus irrepsit in Ecclesiæ tabernaculum, ut occultis quasi sub pallio vitiis refollicaretur, ut victoriis Christi non valens fuscare nomen, saltem morum in domo ejus corrumperet pulchritudinem. Sed quid illa fecit ? *Tulit*, inquit, *clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum, et ingressa abscondite et cum silentio posuit supra tempus capitis sui clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Qui soporem morti socians, defecit ac mortuus est.* Vere juxta scripturam aliam, *mulier fortis accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum* (*Prov.* XXXI). *Sinistram manum misit ad clavum, et dextram ad fabrorum malleos.* Talis habitus corporis profecto figuram crucis exprimit. Clavus tabernaculi ipsum est stigma passionis Christi. *Clavum tulit*, quæ jussa mortificare membra sua super terram, crucem suam bajulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Hoc tunc valide fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria assumitur Dei afflictio carnis, non, inquam, in ambitione auræ popularis, sed in timore Domini. Idcirco Psalmista postulat : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Recte igitur *sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos.* Sinistra inferius ad clavum visibilis operatio pœnitentiæ est in oculis hominum. Malleus in dextera desuper, timor Domini in intentione cordis est. Ita factum est, ut capiti ejus defigeret **374** clavum valide in cerebrum usque ad terram. Quare in capite quæsivit vulneri locum ? Videlicet quia peccati caput est feriendum, ne postquam ventre irrepserit, difficilior pugna sit. Caput prima peccati suggestio est, venter autem subsequens delectatio. Porro consensus cauda est. Unde ligetur animus, quemadmodum de Beemoth ad beatum Job dicitur : *Stringit caudam suam quasi cedrus* (*Job* XL), id est, fortius tenet quemcunque per consensum ligaverit diabolus. Igitur in capite quæratur vulneri locus, id est, non exspectata cauda consensus, imo delectationis ventre, prima suggestio clavo Dominicæ crucis, cum timoris Domini malleo transfigatur.

C

CAPUT VIII.

De cantico Debboræ et Barach, a qualibus recte secundum sensum mysticum in Ecclesia Christi sit canendum.

D

(CAP. V.) *Cecineruntque Debbora et Barach, filius Abinoen in die illo dicentes : Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Canticum hoc, juxta litteram supra decursum, spiritualiter in Ecclesia jugiter illis canendum est qui ad bella spiritualia sponte animas suas obtulerunt, id est qui non contenti acceptasse præceptum, ut fortius pugnarent contra diabolum, secuti sunt et consilium, sponte offerendo animas suas, sponte, inquam, et ex voto gratuito, cum rebus et possessionibus ipsis, quas pro Domino reliquerunt, suas quoque, ubi causa poposcit, obtulerunt animas. Isti sunt reges, isti sunt principes. *Audite*, inquit, *reges ; percipite auribus, principes.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Deo Israel. Ego sum, inquit, Debbora, ego sum, inquit, lex divina, quæ Domino canam. Quanticunque reges, quanticunque principes, os suum ad canendum aperiant, ego sum quæ Domino canam, nam extra legem divinam, extra canonicam Scripturam nihil est quod Domino Deo canat. Quid igitur canam? Quid Domino Deo Israel psallam? *Domine, cum exires de Seyr, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel.* Seyr *pilosus*, Edom *terreus* sive *sanguinolentus*, Sinai *tentatio* interpretatur, quibus utique nominibus populus ille Judaicus denotatur hactenus persequens Jacob fratrem suum, id est, supplantatorem de gentibus, populum Christianum, peccatis hispidus, cupiditate terrenus, crudelitate sanguinolentus, maxime Christi sanguine, et prophetarum ejus. Notum autem et certum est quia de illo Seyr exivit, et per regiones illius transivit, populum illum reliquit, et ad nationes transivit, dicendo nimirum prophetica, dicendo voce evangelica: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Igitur: *Domine*, inquit, *cum exires de Seyr, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis*, id est, cum carnales relinqueres Judæorum cæremonias, templumque Christi Filii tui sanguine pollutum, præsidibus ejus angelis tuis, ut Josephus quoque testatur clamantibus, *Transeamus ex his sedibus*, terra omnis, audita Evangelii tui prædicatione, ad pœnitentiam mota est. Cœli de quibus scriptum est, *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII), cœli, inquam, id est apostoli, eædemque nubes de quibus alibi scriptum est: *Et nubibus mandabo, ne pluant super vineam meam imbrem* (*Isa.* V), *distillaverunt* ubique *aquis* sapientiæ, aquis doctrinæ evangelicæ, ita ut *non essent loquelæ neque sermones quorum non audirentur voces eorum, et in omnem terram* exiret *sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Hoc idem verbis quidem paulo immutatis, sed eodem sensu alibi Psalmista concinit: *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est* (*Psal.* LXVII), etc. Reliqua cantici, superius litterali expositione digesta, studio proficiscendi præterimus.

CAPUT IX.

Moraliter de eo quod Gedeon, cum a paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cujus imperium hædum coxit.

(Cap. VI.) *Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini. Qui tradidit eos in manu Madian septem annis et oppressi sunt valde ab eis. Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezei. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torcular, ut fugeret Madian, apparuit ei, et ait: Dominus tecum, virorum fortissime*, etc. Hic primo sensus moralis non prætereundus est. Gedeon cum a paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cujus imperium protinus hædum coxit, quem super petram posuit, et jus carnium desuper effudit. Quid est frumentum virga cædere, nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis, virtutum grana separare? Sed hæc agentibus angelus apparet, tanto magis enim Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est, omnem appetitum nostræ carnis immolari, carnesque supra petram poni, et jus carnium desuper effundi. Quem alium significat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Christus?* (*I Cor.* X.) Carnes ergo supra petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnium desuper effundit, qui in conversatione Christi, ipsas etiam carnales cogitationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquida petra funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnesque consumit, quia afflatus a Redemptore spiritus, tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne quod in eo est illicitum et operis et cogitationis exurat. Perfecta enim mens solerter vigilat, ut non solum perversa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat.

CAPUT X.

De gemino signo velleris, quale in utroque futurorum præsagium fuerit.

Dixitque Gedeon ad Dominum: Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam vellus hoc lanæ in area. Si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita, etc. Juxta historiam delictum quidem est et tentatio, quod adhuc secundo et tertio petit signum postquam superiore signo quod primum fuit, ascendente igne de petra, et carnes azimosque panes consumente, vidit et agnovit, quod esset angelus Domini. Nec mirum, quod contra legem potuit tentare Dominum, qui post victoriam, de auro ejusdem victoriæ facere **375** potuit Ephot, quod et posuit in civitate sua Ephra, fornicatusque est ipse, et omnis Israel cum eo. Unde Gedeon interpretatur *tentatio iniquitatis eorum*, licet et alias interpretetur *circuiens uterum*. Porro juxta sensum mysticum, utrumque velleris signum futurorum præsagium est. Quandiu *ros in vellere*, tandiu *in omni terra* fuit *siccitas*. Itemque econtra, ubi omnis terra rore maduit, solum vellus siccum fuit. Sic profecto quandiu *in Judæa notus* erat *Deus*, quandiu *in Israel magnum erat nomen ejus* (*Psal.* LXXV), totus mundus siccitate, id est ignorantia Dei marcebat, et econtra nunc, ubi in tota multitudine et latitudine mundi, Spiritus sancti dona diffusa sunt, Judæa Christum non habens, omnimoda supernæ gratiæ squalet inopia. Quod respiciens Psalmista, Domino canit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Domino Patri de Filio ejus Christo dicit : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal.* LXXI), id est prius veniet in cognitionem Judæorum, et descendet deinde super terram, id est in cognitionem gentium. Ideo autem per vellus populus Judæorum intelligitur, quia sicut vellus sine corruptione et dolore agni succiditur, ita Judaicus populus primum Deo adhærens, a fide Christi sine damno ipsius Domini est separatus. Quamvis recte et aliter debeat intelligi. Nam *descendet sicut pluvia in vellus*, id est sicut pluvia in vellus descendit, sine omni corruptione et dolore ipsius velleris : ita ipse rex nascetur de Virgine sine omni corruptione Virginis, et postea descendet *sicut stillicidia stillantia super terram*, id est in cognitionem omnium hominum.

CAPUT XI.

De mystica ejus pugna, trecentis viris probatis contra Madian.

(CAP. VII.) *Dixitque Dominus ad Gedeonem : Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo eos. Et de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipse pergat. Quem ire prohibuero, revertatur. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum. Qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit autem numerus eorum qui manu ad os projiciente aquas lambuerant trecenti viri ;* et reliqua. Et hic, ut superius in Baraeh cantatum est, *nova bella elegit Dominus* (*Judic.* V). Actum quippe est, ut cum trecentis viris tantummodo qui stantes manibus aquas hauserunt, et cum eo remanserunt, cum his ad prælium pergeret, eosque non armis, sed tubis, lampadibus lagenisque armaret. Nam, sicut scriptum est, accensas lampades miserunt intra lagunculas, et tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tenuerunt, et ad hostes suos cominus venientes, cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas, lampades aperuerunt. Et hinc tubarum sonitu, illinc lampadarum coruscatione territi hostes sunt in fugam conversi. De hoc namque bello per prophetam dicitur : *Jugum enim oneris ejus, et sceptrum exactoris superasti, sicut in die Madian* (*Isa.* IX). Eripiens nempe gentilitatem Dominus, superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit *virgam humeri ejus*, cum percussorem illius, qua ex perverso opere graviter deprimebatur, ab humano genere redempto compescuit. Superavit *sceptrum exactoris ejus*, cum regnum ejusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorum consueverat tributa debita pœnarum exigere, de fidelium corde destruxit. Quid est hoc, quod tale bellum per prophetam adducitur ad medium, et adventui Redemptoris nostri istius pugnæ victoria comparatur? An indicare nobis propheta studuit quod adventum Redemptoris nostri contra diabolum illa Gedeonis pugnæ victoria designavit? Talia illic nimirum acta sunt, quæ quanto magis usum pugnandi transeunt, tanto amplius a prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam cum lagenis et lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profecto fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ista attestante didicimus, ne parvi hæc quæ sunt facta pendamus. Gedeon itaque ad prælium veniens Redemptoris nostri signat adventum, de quo scriptum est : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Hunc Redemptorem nostrum, non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. Gedeon namque interpretatur *circuiens in utero*. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia circumplectitur, et tamen per dispensationis suæ gratiam intra uterum Virginis venit. Quid est ergo *circuiens in utero*, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus esset, et clausus non esset? Quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam : et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur *de judicio*. Ut enim hostes ejus repellendi, destruendive essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit. Et idcirco de judicio vocantur, quia alieni a gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo introducto centenario numero designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios destruit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quæ Deus est, perfecta sentire. Notandum vero est, quia iste trecentorum numerus in tau littera continetur. Et per tau literam, sicut jam diximus, species crucis ostenditur, quæ crucis speciem tenet, cui si super transversa linea id quod in cruce eminet adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in tau littera continetur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus, illi designati sunt quibus dictum est : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XII ; *Marc.* VIII ; *Luc.* IX). Qui sequentes Dominum tanto verius tollunt crucem, quanto acrius se domant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et per Ezechielem (*Ezech.* IX) certo in his trecentis, qui in tau littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis ligno superetur. Ductique sunt ad fluvium, ut aquas biberent. Et quicunque aquas flexis genibus hauserunt, a bellica intentione remoti sunt. Aquis namque doctrina sapientiæ, stantis autem genu, recta operatio significatur. Qui ergo dum aquas bibunt genu flexisse perhibentur, ab

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eorum certamine prohibiti recesserunt : quia cum filiis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, a rectitudine operum non inflectuntur. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt. Reprobatique sunt qui genua dum aquas biberent, inflexerunt, quia, attestante **376** Apostolo : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* XII). Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, recte per Paulum dicitur : *Remissas manus, et genua dissoluta erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris* (*Hebr.* XII). Igitur Christo duce ad bellum prodeunt, qui hoc quod ore annuntiant, opere ostendunt, qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter inflectuntur : quia, sicut scriptum est : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccl.* XV). Itum est igitur ad prælium, cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis, atque iste, ut diximus, fuit ordo prælianti : cecinerunt tubis, intra lagenas autem missæ sunt lampades : confractis vero lagenis, lampades ostensæ sunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur ergo in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad bella prædicationis duxit, qui, despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent : eorumque gladios non armis et gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Qui consonuerunt tubis dum prædicant, confregerunt lagenas, dum solvenda corpora in passione hostilibus gladiis supponunt. Resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam versi sunt : quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverant crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur : lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent : apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora cum eo in morte solverentur, ut miraculis coruscarent. Coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent, quatenus, nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt autem lampades, quia nimirum persecutores sanctæ fidei prædicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt. Post solutionem vero corporum apparentibus miraculis in fugam versi sunt, quia pavore conterriti a persecutione fidelium cessaverunt. Prædicatione scilicet tubarum fractis lagenis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum. Intuendum est etiam hoc quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, in sinistra autem lagenas tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimus, quidquid pro magno pensamus; pro sinistro vero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo hic scriptum est, quod in dextra tubas, et lagenas in sinistra tenuerunt : quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim priore loco gratia prædicationis attenditur, et posteriore utilitas corporis, certum est quia dextris tubæ et sinistris teneantur lagenæ.

CAPUT XII.

De Jephte Galaadite, quod Abraham quidem in exemplum Deo parendi, hic autem in exemplum nobis sit temeraria vota cavendi, et qualis super illo Joannis Chrysostomi homilia sit.

(CAP. XI.) *Fuit illo tempore Jephte Galaadites, vir fortissimus, atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad*, et reliqua. Unum est, quod in isto Jephte pietas humana rationi admixta juste accusare possit, id est quod inconsulte vovit, quod sine custodia discretionis os suum ad Deum aperuit : Quid enim ? Nunquid indiscrete vovere debuit ? Nunquid non Dominus in lege dixerat : *In omni oblatione tua offeres sal ?* (*Levit.* II.) An forte discrete vovit, vel in hac oblatione sua sal obtulit, qui dixerit : *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino ?* Nonne cognoscere quisque debet et utrum bonum sit vel malum quod vovet, cognoscere et videre utrum vel maculatum vel immaculatum sit quod offerat ? Hoc igitur est, quod juste quisque reprehendat, hoc unum in isto est, quod anima Deo devota sapienter vitare debeat. Nam quod ad Deum confugit, quod fideliter a Deo victoriam speravit, non solum non reprehensibile, sed et laude dignum fuit, unde et in Epistola quæ dicitur Pauli apostoli ad Hebræos, in catalogo patrum fidelium conscriptus est, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt* promissiones (*Hebr.* XI). Porro et Deus in hoc facto inexcusabilis (*sic*) est qui non prohibuit quin ille filiam suam sibi sacrificaret. Nonne enim eadem, qua sanctus Abraham (*Gen.* XXII), et iste via venerat ad sacrificandum ? Non utique : nam illum laudanda obedientia : istum vero castiganda temeritas adduxerat. Recte igitur quando extendit manum et arripuit gladium, ut immolaret filiam, non præsto fuit angelus Domini qui clamaret de cœlo dicens : *Ne extendas manum tuam super puellam, neque facias illi quidquam* (*ibid.*). Proinde ille quidem in exemplum Deo parendi ; hic autem exemplum sit nobis temeraria vota cavendi. Exstat de hoc homilia Joannis qui Chrysostomus dictus est, qua et hoc factum Jephte inter illa computare non dubitavit, de quibus dictum est : *Hæc autem omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X). Unusquisque, ait, nostrum debemus esse Jephte, qui, devictis inimicis cupiditatum nostrarum, voluptatis carnis nostræ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

offeramus unicam animam nostram, de qua dicebat Propheta : *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam* (*Psal.* XXI). Occisis in nobis omnibus delectationibus carnis, victores redimus ad Deum offerentes ei, ut dixi, animam nostram, quæ est singularis et unica. Sed scissis vestimentis malarum cogitationum temporalium, quæ variant animam, offeramus illam occidendam in malis, vivificandam in bonis. Unde dicebat Dominus in Evangelio : *Qui perdiderit animam suam, inveniet eam* (*Matth.* x, 16). Ac deinceps : Adhuc, inquit, istum Jephte existimo esse Dominum nostrum Jesum Christum victorem mundi, qui obtulit filiam suam unicam ipsam Ecclesiam tempore persecutionis, malis pontificibus non agnorum, sed luporum, ipso dicente : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Luc.* x ; *Matth.* x). Obtulit ergo Ecclesiam per immolationem martyrum tempore persecutionis, et victima unica oblata est Deo, ut sacrificium acceptabile esset Patri ex lucris Unigeniti. Offert unicus, unicam : sponsus, sponsam : **377** pater, filiam. Quid enim potest inveniri fortius integritate et virginitate Ecclesiæ ; quæ concipit in corruptione, creat in integritate ? Virgo est ista, quæ virum non novit. Plangit autem *sexaginta diebus virginitatem suam*, id est omnibus suis diebus. Nec enim mittit ad Dominum eos qui ipsa proficiunt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu, et fletu, et lacrymis. Hæc Ecclesia cultoribus suis lætitiam non promittit, neque in præsenti sæculo securitatem : quia revera omnis lætitia periculosa est, omnis securitas casibus plena, omnis jucunditas laqueis impeditur. Hæc prædictus Joannes. Verum nos ea prætercurrentes, in quibus jubentis desuper vel agentis Domini majestas non effulget, ad illa properemus, in quibus auctore ipso gestis, manifestior mysteriorum pulchritudo perlucet.

CAPUT XIII.

De gestis Samson fortissimi, quod manifeste fuerint opera virtutis Dei, et idcirco recte in illis quærentur mysteria Dei.

(Cap. XIII.) *Rursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini. Qui tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis. Erat autem quidam vir de Sarua, et de stirpe Dan nomine Manue, habens uxorem sterilem*, et reliqua. Samsonis hujus Nazarei fortissimi omnes sunt actus mirabiles, manifestum in se divinæ virtutis vel fortitudinis opus exprimentes. Neque enim opera sunt hominis, sed Dei : non, inquam, viribus hominis acta, sed virtute Dei mirabilia facientis, sunt autem numero septem. Primus actus est, quod angelico prænuntiante ministerio, Nazaræus Dei de muliere sterili natus est. Secundus, quod de comedente illi exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Tertius, quod, captis trecentis vulpibus, caudas earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio, quas et igne succendit, ut pergerent in segetes Philistinorum. Quartus, quod percussit eos ingenti plaga, ut stupentes suram femori imponerent. Quintus, quod in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevit et percussit mille viros. Sextus, quod obsessus Gazæ dormivit usque ad noctis medium, et exinde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositosque humeris portavit ad verticem montis. Septimus, quod concussit duas magnæ domus columnas, et multo plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Igitur quia cuncta hæc, ut prædictum est, opera sunt Dei, neque fieri potuerunt, nisi agente Spiritu fortitudinis Dei, in singulis, ut rerum veritas, dignitasque poscit, gloriosa scrutemur sacramenta Christi Filii Dei, in quo septiformis Spiritus sanctus requievit.

CAPUT XIV.

De eo quod Nazarens fore prænuntiatus est, et de injuncta matri continentia, quo sensu ad Christum et Virginem ejus matrem aspiciat.

Sterilis, inquit, *es absque liberis, sed concipies et paries filium. Cave ne vinum bibas ac siceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula. Erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero : et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum.* Jam ex hoc ipso quod sterili ex matre nasciturus Samson promittitur, magnis et primis comparabilis est patribus Isaac, et Jacob, et Joseph, qui omnes steriles diu matres habuerunt, omnesque, fide promerente, superno munere deficienti naturæ dati sunt, et in factis suis Christi Domini nostri figuram prætulerunt, quem non more suo natura, sed præcipua præ omnibus Nazaræis, factum de ventre virgineo protulit gratia. Matris vel mulieris hujus sterilitas, beatæ Mariæ secundum figuram est virginitas. Quid enim secundum naturam sterilius virginitate ? Igitur ubi apparet angelus Domini, dicens huic, *Sterilis es et absque liberis, sed concipies et paries filium*, in mentem nobis veniat Gabriel angelus Domini, dicens illi : Virgo es, et non cognovisti virum, sed *ecce concipies et paries filium* (*Luc.* I). Nempe et quod huic ait, *Cave ne vinum bibas ac siceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula*, illa mystico præparatio est, quæ in his angeli verbis intelligenda est : *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*ibid.*). Denique beatæ Virgini Spiritu sancto superveniente, purificari, vinum ac siceram non bibere, et immundum non quidquam comedere fuit. Vinum quippe ac siceram bibere, vel immundum quid comedere, est voluntatem carnis amare, virilesque per libidinem complexus admittere. Sed profecto omnem ejusmodi appetitum beatæ Virginis superveniens Spiritus sanctus a mente et corpore ejus exclusit. Igitur vinum ac siceram non bibit, nec immundum quidquam comedit paritura filium : cujus, cum sit Filius Dei, caput tangere ei non debeat novacula, id est blasphema corrodere lingua. Quisquis enim

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

negat illum esse Filium Dei, quisquis non hominem ac Deum, sed hominem tantum illum esse asserit, profecto caput ejus ausu sacrilego, et novacula nimis acuta radit, quod fecit Dalila meretrix (*Judic.* XVI), id est synagoga carnalis ingrata amanti. *Erit enim*, inquit, *Nazaræus Dei* : Nazarens, inquam, Dei, id est sanctus Dei : quod et dæmoniaca impuritas confessa est, *Scio*, inquiens, *quis sis, sanctus Dei* (*Luc* IV). Prætcrea quod, oblato sacrificio Domino super petram, stante Manue et uxore ejus, flamma ascendit : *Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini in flamma pariter ascendit* ; illud nobis pulchre innuit, quia suscepto Deus Pater sacrificio virgineæ fidei dicentis ad angelum : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I) : statim Spiritus sancti splendoribus casta replevit viscera, et recessit angelus ab ea.

CAPUT XV.

Quod nomine ipso Christum figuravit Samson, qui catulum leonis manibus in frusta discerpsit, et favum mellis ex ore ejus sumptum, comedebat in via : et problemata ejus, et uxor alteri tradita, quarum rerum Christi fuerint signa.

Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Ipsum quoque Nazaræi nomen resonat Christum, Samson quippe interpretatur *sol eorum* : quis autem Christum esse nesciat solem verum, solem eorum qui oculos habent et in cœlum aspiciunt. Igitur cujus munere peperit filium, ejus instructu vocavit nomen ejus Samson. *Crevitque puer, et benedixit ei Dominus cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan, in Saraa et Estahol.* (CAP. XIV.) *Descendit igitur Samson in Thammata*, et reliqua. Plena fortitudinis res gesta est. *Irruit*, inquit, *Spiritus Dominі in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta decerpens, nihil* **378** *omnino habens in manu.* Catulus leonis sævus rugiens, qui occurrit illi, typum prætulit diaboli, qui vere ut catulus leonis sævus ac rugiens Salvatori nostro occurrit, cum adamatam conjugem accepturus esset, id est cum Synagogam sua præsentia doeturus advenisset. Ubi primum occurrit illi ? In deserto jejunanti et esurienti : *Cum* enim *jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV), etc. Illic occurrentem sibi *leonem in frusta decerpsit nihil omnino habens in manu.* Tertio namque tentantem confutavit, non fortitudine, qua in illum poterat uti Deus, sed ratione et Scripturarum testimoniis, qualibus et nos uti voluit, quotiescunque tentaremur. *Et post aliquot dies*, inquit, *ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis. Quem cum sumpsisset in manibus comedebat in via.* Revertens Samson examen apum, et favum mellis sumpsit ex ore leonis, quia, victo tentatore, Christus regressus in Galilæam, in virtute Spiritus duodecim apostolos elegit. Quomodo illi erant in ore leonis ? Plane ut taceam quod erant omnes secundum Adam natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). Petrus et Andreas primi apostoli, Philippus quoque a Bethsaida erant civitate, quam per infidelitatem leo diabolus in ore tenuit, ipso testante Domino, cum dixit : *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI). Amplius autem tunc examen apum et favum mellis ex ore leonis assumpsit, quando palam in cruce de humani generis hoste triumphans, non solum apostolos, sed omnes qui per verbum eorum crediturі erant in illum, de potestate ejus eripuit. Igitur favum mellis sic sumptum in manibus *comedebat in via*, id est voluntatem Patris in salutem illorum delectabiliter faciebat in præsenti vita, quemadmodum dicit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV). Interea et problema proposuit sodalibus suis : *De comedente*, inquiens, *exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.* Judæis namque loquebatur Dominus in parabolis juxta illud in Psalmo : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio* (*Psal.* LXXVII). Maxime autem tunc illis problema posuit ejusmodi, quando *significans qua morte esset moriturus : Nunc*, inquit, *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia trahaм ad me ipsum* (*Joan.* XII). In eo namque quod, ejecto foras principe mundi, omnia traxit ad se, de comedente illi cibus exivit, et de forti dulcedo egressa est. Et hujus problematis illi solutionem invenerunt. Dixerunt enim : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Quomodo tu dicis. Oportet exaltari filium hominis ?* (*Marc.* XVI.) Itaque solutionem invenerunt, verumtamen non in aliena vitula, sed in propria arando conscientia : nam quod facere cogitabant, hoc illum significasse intellexerunt. Quo tandem illud conjugium fine solutum est ? *Iratus*, inquit, *nimis, ascendit in domum Patris sui. Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus, et pronubis.* Certum est, palam omni mundo est, quia Judæis iratus nimis ascendit Christus in domum Patris sui : ascendit, inquam, in cœlum et sedet a dextris Dei. Uxor autem ejus Synagoga maritum accepit unum de amicis ejus et pronubis, unum de magnis patriarchis et prophetis amicis Domini, Moysen scilicet amicum et pronubum Christi, quia de illo scripsit. Illum accepit Synagoga. Imo illum accepisse sibi visa est, gloriando in legis ejus littera, legendo legem ejus sine hujus gratia. Verbi gratia, Tu, inquiunt, *discipulus ejus sis : nam nos Moysi discipuli sumus* (*Joan.* IX).

CAPUT XVI.

Quod illum afferentem hædum de capris, et volentem cubiculum introire, prohibuit pater puellæ, et idcirco iratus, « Faciam, » inquit, « vobis mala, » quid mysterii in Christo contineat.

(CAP. XV.) *Post aliquantum autem temporis, cum dies triticeæ messis instaret, venit Samson invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris. Post aliquantum temporis*, id est postquam resurrexit a mortuis, et in cœlum ascendit, sanctumque Spiritum apostolis suis dedit : *Cum dies triticeæ messis*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

instaret, id est cum tempus evangelicæ prædicationis adesset, ut operarios suos Dominus messis in mundum universum mitteret; venit ipse Christus in apostolis suis, in quibus loquebatur, *invisere volens uxorem suam*, convertere volens synagogam, *afferens illi hædum*, id est prædicans pœnitentiam et remissionem peccatorum. *Cumque ejus cubiculum solito more vellet intrare, prohibuit eum pater illius.* Pater Synagogæ, cœtus pharisaicus, cujus erat officium vel professio populum instruere, severitate magistri, patris affectu: talis profecto pater clavim usurpans scientiæ, Christum prohibuit ne intraret cubiculum Synagogæ. Cæsis namque apostolis, denuntiaverunt, ne in nomine ejus loquerentur ulli hominum (*Act.* v). *Cui respondit Samson: Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos, faciam enim vobis mala.* Sensus pene idem et verba consona sunt hæc: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Hæc passurus ore proprio dixit, et postquam passus est, postquam resurrexit, et in cœlum ascendit, itidem loquens in apostolis suis, in illos Philistæos, in illos potione cadentes, ebriosque suo sanguine Judæos, excusso pulvere pedum, locutus est: *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Ita jam non est ab hac die culpa in me contra vos. Quid enim ultra debui facere, et non feci?

CAPUT XVII.

Quid in eo mysticum sit, quod trecentas vulpes cepit, et caudas earum ad caudas, et faces ligavit in medio, et dimisit ut irent in segetes Philistinorum, qui tam mulierem quam patrem ejus combusserunt.

Perrexitque, et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio. Quas igne succendens, dimisit ut huc atque illuc discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. Quo perrexit, vel quas cepit vulpes verus Samson? Ad gentes perrexit, in omnem terram exivit, perscrutansque templorum antra ac delubrorum foveas, illas cepit vulpes, de quibus Psalmista Philistæos istos, id est Judæos, ore prophetico percutiens: *Tradentur*, inquit, *in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Psal.* XCIX). Vulpes namque istæ, maligni spiritus sunt, qui latebant in cordibus hominum, in simulacris gentium dolose agentes, responsa fallaciæ suæ proferentes. *Cepit* itaque *trecentas vulpes*, id est in tribus orbis, partibus, Asia, Europa, et Africa, rete suum **379** expandens, cunctos ad judicium protraxit, qui pro diis colebantur, dæmones. Et nunc quidem de templis ejecti, huc illucque discurrunt, quærentes et non invenientes requiem, sed in caudis, ubi finis est corporis, colligatum portant incendium, id est consecuturum in fine sæculi non ignorant damnationis judicium. *Statim*, inquit, *perrexerunt in segetes Philistinorum.* Segetes Philistinorum, opera erant Judæorum, studia Scribarum, traditiones Pharisæorum. Illuc omnes perrexerunt, quemadmodum in Evangelio est significatum: *Cum*, inquit, *spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit scopis mundatam. Et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* XII; *Luc.* XI). Diabolus namque de corde gentilitatis ejectus, cum septem, id est universis malignitatis spiritibus, in gentem illam reversus est, unde exivit: quando primum de erroribus Ægypti eductam, Deus verus ad cultum suum revocavit. Igitur segetes Philistinorum, et confortatæ jam fruges concrematæ sunt: *in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret:* quia videlicet cuncta opera Judæorum, cunctæ cæremoniæ vel ritus eorum Dei odio damnati sunt: in tantum ut civitatem quoque et templum hostilis flamma consumeret. *Dixeruntque Philistiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnatæi, quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est.* Plane Judæi et secundum corpus traditi in manus gladii, et secundum animam partes vulpium, id est malignorum spirituum effecti, ignorare non poterant, qui fecisset hanc rem, quo pro scelere paterentur tam pessimam rem. Erat itaque manifestum in cordibus illorum judicium, testimonium reddente contra illos conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, et defendere non valentium. *Ascenderuntque Philistiim, et combusserunt tam mulierem, quam patrem ejus.* Philistiim, inquam, combusserunt Philistæos voluntate ulciscendi: Judæ autem Judæos interemerunt, non voluntate exigente vindictam sanguinis Christi, sed causa occulta agente contra semetipsos armati. Obsessi namque foris a Romanorum exercitu, triplici, ut historiæ referunt, intrinsecus bello dissecabantur. Bellum erat intra urbem, bellum inter cives, bellum ante templum. Eleazarus interiora, et circuitum omnem templi occupaverat. Simon superiora urbis tenebat. Medius eorum Joannes adversus utrumque pugnabat, Eleazaro inferior, Simone superior. Itaque per vulpes immisso primum incendio, Philistæi Philistæos, id est desertricem Samsonis mulierem cum patre ejus combusserunt: quia videlicet per malignos spiritus, quibus potestas data est, Judæi contra semetipsos inflammati, ipsi synagogam suam cunctumque ordinem sacerdotalem ac Leviticum perdiderunt, tandemque visibiliter quoque exusta est civitas, et templum eorum.

CAPUT XVIII.

Quomodo percusserit Philistæos, ut stupentes suram femori imponerent; et quale usque hodie, secundum hæc sit opprobrium Judæorum.

Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Juxta litteram quod dicit hoc est, licet causam meam vindicaveritis comburendo mulierem quondam meam, et patrem ejus, quia illam viro alteri tradidit: tamen ultionem adhuc expetam ex vobis, tanquam non de vindicibus, sed de hostibus meis. Non enim mihi favendo, sed vestram ultionem quærendo, illos combussistis. *Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent.* Stupentes, inquit, videlicet stupore corporis. Non enim mentis, sed corporis stupor est, succisis vel combustis varicibus, geniculares quoque nervos contrahi, sicque sura femori cohærente tam turpiter, quam misere nates a terra non posse sublevare. *Adhuc* igitur, inquit, *ex vobis expetam ultionem*, ut scilicet vulpes supradictæ, quarum caudas junxi ad caudas facibus in medio ligatis, non majore mihi ridiculo per segetes vestras nates suas flamma urgente agitaverunt, quam vos ipsi per terram vestram nates vestras rependo trahetis. *Et descendens habitavit in spelunca petræ Ethan.* Ethan interpretatur *fortium*. Quanta fortitudine secundum hoc nomen de petra eadem contra hostem promoverit, claret ex subjectis. Sane verus Samson virtutum princeps suis itidem inimicis Judæis dixerit: Licet hæc feceritis, licet facti partes vulpium, et traditi in manus gladii, bellis nihilominus intestinis, et seditionum pertinacia vobismetipsis exitio fueritis in vindictam sanguinis mei: tamen *adhuc ex vobis* quicunque superestis *expetam ultionem*. Percutiam vos *ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori* imponatis: ut videlicet, quemadmodum is qui arefactis meatibus sanguinis, contracto femori suram imponit, ad communem hominum staturam assurgere nequit: sic vos captivi in omnes gentes abducti, et opprobrium omnibus effecti, semper diminuti capitis, et minimæ conditionis habeamini. *Tunc quiescam*, id est non omnino vos occidam, quemadmodum dixi in Propheta: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei: disperde illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII). Hæc dixit et fecit, et descendens atque discedens usque hodie habitat in spelunca petræ Ethan. Petræ namque Ethan, petræ fortium, spelunca Ecclesiasticæ fidei conscientia est tuta et solitaria, in qua nimirum illa requiescens habitat.

CAPUT XIX.

De asini mandibula, qua mille viros percussit, et quod ita Christus per contemptibilia et infirma, fortia quæque confundat.

Descenderunt igitur tria millia virorum de Juda ad specum silicis Ethan. Dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philistiim imperant nobis? Ac deinceps. *Inventamque maxillam, id est mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Jam satis experti fortitudinem Samson Nazaræi, id est compertam habentes omnipotentiam Christi Filii Dei, adhuc tamen ascenderunt Philistim, ascenderunt potione cadentes, vel casuri Judæi in terram Judam, in terram confessionis contra Ecclesiam catholicam, in qua est fides et confessio veritatis. Descenderunt et propter eos tria millia virorum de Juda ad ligandum Samson: quia videlicet per tres orbis partes, Asiam, Europam et Africam quamquam plurimi qui de Juda esse videbantur, qui Christum confitebantur, de qualibus Apostolus: *Ex nobis* exierunt, *sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II), adjutores facti sunt Judaicæ impietatis, multis quidem scissuris, sed eodem Christum apprehendere volentes spiritu malignitatis. Sed quid ille? *Inventam maxillam, id est mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Maxilla vel mandibula asini in manu Christi, illa stulta et infirma **380** mundi, illa sunt ignobilia et contemptibilia mundi, de quibus Apostolus dicit: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat fortia: et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* (*I Cor.* I). Inveniens itaque maxillam asini quæ jacebat arripiens, interfecit in ea mille viros, quia videlicet inventos eos qui non erant, qui ignobiles et contemptibiles mundo atque abjecti erant, confudit et destruxit inimicos suos: quod jam partim factum est commutando illos in bono, partim faciendum est, damnando illos qui bene occidi non potuerunt in futuro judicio. Hoc mirabile opus fecit Deus, Samson fortissimus, Christus omnipotentissimus. Sciebat quod grande sibi certamen, gravisque disceptatio foret contra legisperitos, contra oratores, contra mundi philosophos, contra nobiles et fortes, reges, imperatores, tyrannos. Et hoc sciens non vocavit prima expeditione multos sapientes, nobiles, sive potentes, quorum linguis magniloquis, quorum gladiis sive potestatibus Evangelium suum roboraret: sed tales nimirum, qui tanquam leonibus asini, sic despecti essent sapientibus, nobilibus, atque potentibus illis: scilicet idiotas, non scribas: homines sine litteris, non sedentes in cathedra Moysi: simplices, non oratores: piscatores, non imperatores. Et ait: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos.* Asinus prior, id est Judaicus: pullus asinæ junior est gentilium populus. Ergo *maxilla asini*, apostoli de Judæis non valde secundum carnem magni aut inclyti: *mandibula pulli asinæ*, martyres et doctores fuere de gentibus electi. Nam et si omnes qui de Judæis, et de gentibus in initio prædicationis Evangelicæ fuere vocati, tanquam asinus, velut et pullus asinarum mundo erant despecti, attamen hi qui totum pondus certaminis susceperunt, qui totam victoriam perfecerunt, velut in maxilla asini, et velut mandibula pulli asinarum, magis fuere contempti, id est, apud mundum istum, stultorum stultissimi, et despectorum despectissimi, qui contumelias honoribus præferrent, pro Christo mori quam vivere mallent.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XX.

Quod aperuit Dominus molarem dentem asini, et egressæ sunt aquæ largissimæ, cujus rei mysterium sit.

Cumque hæc canens verba complesset, projecit mandibulam de manu: sitiensque valde: En, inquit, siti moriar, incidamque in manus incircumcisorum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Quomodo verus Samson Christus Dominus illam de manu sua projecit maxillam sive mandibulam: in qua tantam salutem, tantamque fecit victoriam? Nunquid illos deseruit, aut dereliquit, per quos pugnavit et vicit? Non utique deseruit aut projecit, sed tamen occidi permisit atque prosterni, et visi sunt oculis insipientium mori (*Sapient.* III): projecit ergo illos de manu sua, non invitos, sed spontaneos, tradentes corpora sua propter Deum ad supplicia. Clamavitque et ait: *En siti moriar*, etc. Grandis enim illi cura fuit, imo Ecclesiæ ejus, quæ est corpus ejus, magna sollicitudo, et grandis erat metus: ne decidentibus apostolis, quorum meritis et virtutibus innitebatur, periret religio, fides infirmaretur, et ad delendum Christianum nomen manus incircumcisorum, manus infidelium et impiorum roborarentur. Sed quid? *Aperuit*, inquit, *Dominus molarem dentem in maxilla asini: et egressæ sunt ex eo aquæ.* Nihil verius, nihil manifestius. Prostratis enim in mortem sanctis apostolis et martyribus, sepulcra illorum vivas aquas emanaverunt, corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt. Hoc omnibus membris Christi dulce fuit, hoc omnibus fidelibus ejus desudantibus in agone Christiano tale fuit, quale quies lasso, quale per æstum, dulcis aquæ properante sitim restinguere rivo. Nam exinde crevit fides, roborata est spes, charitas magis ac magis invaluit. Itaque *refocillavit spiritum* Samson, *et vires recepit.*

CAPUT XXI.

Quod obsessus hostibus media nocte surrexit, portas tulit, et cum eis verticem montis ascendit.

(Cap. XVI.) *Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. Quod cum audissent Philistiim, et percrebuisset apud eos intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus, et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut, facto mane, exeuntem occiderent.* Et meretrix ista fornicariam synagogam significat, cui per prophetam Deus dicit: *In omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix* (*Jer.* II). Ad hunc Samson ille fortissimus ingressus est, quando Christus in ea cum hominibus conversatus est, et apud illam prædicare et miracula facere dignatus est. Sed circumdederunt eum Philistæi, circumdederunt et obsederunt Judæi, quemadmodum in psalmo dicit: *Quoniam circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me* (*Psal.* XXI). Quid enim Gaza civitas nisi infernum significat? Quid per Philistæos nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum Dominum mortuum viderent, ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt, et eum qui auctor vitæ claruit, inferni claustris retentum, quasi Samson in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson vero nocte media non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster ante lucem surgens, non solum liber exiit de inferno, sed inferno (*sic*) ipsa inferni claustra destruxit, portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, et ascendendo cœlorum regna penetravit.

CAPUT XXII.

Quod Dalila quæ Samson vasit, Synagogam significet, quæ Christum blasphemavit, et in Calvariæ loco crucifixit: et quid sit mystice Samson, id est, Christum ligari, etc.

Post hæc amavit mulierem quæ habitavit in valle Sorech, et vocabatur Dalila. Venerunteque ad eam principes Philistinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab eo in quo tantam habeat fortitudinem, et quomodo eum superare valeamus, et vinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille centum argenteos. Hæc mulier tandem deciplendo prævaluit. Primo tentavit et non potuit. Secundo et tertio tentavit, et non potuit. Quarto tentavit et prævaluit. Et personæ quidem vel mulieres secundum historiam plures ac diversæ, sed secundum mysterium una eademque Synagoga est, quæ Christum multoties tentavit, et nec saltem in sermone capere potuit: tandem autem aliquando quasi caput ejus vadendo tentavit, et prævaluit, quia Christum **381** Dei Filium regem suum negando, ac blasphemando, in monte Calvariæ crucifixit. Interpretatur autem Dalila *paupercula*, quo nomine Synagogam eamdem sensu pauperrimam denotat, cum se jactet magnas legis et prophetarum habere divitias, et ita habitare in Sorech, quod interpretatur *electa* vel *optima*. Sane qui venerunt ad illam principes Philistinorum, postulantes ut deciperet amatorem suum Samson, principes sacerdotum et seniores populi fuerunt, qui plebem universam adversus Christum concitaverunt. Et quamvis ille quidem secundum historiam falsum locutus sit, dicendo: *Si septem nerviceis funibus, necdum siccis, et adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ut cæteri homines.* Itemque: *Si ligatus fuero novis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis.* Ac deinceps: *Si septem crines, crines capitis mei cum licio plexeris, et clavum his circumligatum terræ defixeris, infirmus ero.* In Christo autem nihil horum falsum est, sed omnia secundum mysterium vera sunt. Imo quoniam in illo spiritum Christi locutum esse dubitare prohibemur, tantis præsentialiter signis divinæ fortitudinis apparentibus; nec illud quod ibidem sonuit, quod Dalila audivit falsum fuisse fateamur, sed ipsam falsam dicentem: Ecce falsum locutus es. Quid enim funes nisi peccata sunt, juxta illud: *Funibus peccatorum*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suorum unusquisque constringitur (*Prov.* v), Psalmista quoque dicente : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII). Ergo septenarius funium numerus, peccatorum numerositas est, quia septenario numero plerumque universitas significatur. Quis autem nesciat, quia verus Samson Christus Jesus omnium peccatorum nostrorum vincula suscepturus erat, et cum esset fortissimus spirituum Deus, propter nos homo infirmus, homo passibilis, atque mortalis apparere habebat ? Igitur *si septem nerviceis funibus*, inquit spiritus Christi, *ligatus fuero, infirmus ero*, id est non, nisi peccata mundi super me tulero, mortalis ero, aut mori potero : nec enim ex meo cur mori debeam causam ullam habeo. Quare autem tertio ligaturam septenariam repetivit? Videlicet propter tria tempora sæculi. Primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia ; quorum omnium peccata tollere venturus erat, secundum hominem futurus infirmus et moriturus, secundum divinitatem sic eadem peccatorum vincula rupturus, quomodo si rumpat quis filum stupæ tortum, vel staminis putamen cum ardorem ignis acceperit. Et notanda distinctio prædictorum temporum secundum diversitatem vinculorum. Primi temporis, quod fuit ante legem, peccata, nerviceis funibus necdum siccis et adhuc humentibus comparantur : quia videlicet illius ævi homines dissolutos, et recentes nulla temperaverat lex, nihilque interdixerat Deus, quo carnis humidæ fluxum restringeret. Secundi temporis peccata funibus quidem, sed neque nerviceis, neque humentibus recte figurantur; quia peccata illorum, qui sub lege erant, neque adeo nervosa, neque adeo fluxa fuerunt, quippe quæ justitia legalis qualiscunque, etsi non consumpsit, tamen utcunque mollivit, etsi non combussit, tamen aliquantisper exsiccavit. Tertii quod nunc agitur temporis peccata, septem Nazaræi capillis cum licio plexis, clavoque circumligatis recte signantur : quia videlicet nostra, id est, omnium qui in Christo credimus peccata, capiti ejus propius admota, licioque telæ evangelicæ complexa, clavisque cruci publica confessione circumnexa sunt. Igitur omnia quidem Nazaræus Filius Dei in corpore suo pertulit peccata mundi : et pro omnibus usque ad mortem infirmatus est, pro conditione carnis, sed ex virtute Dei cuncta superando, ab inferno teneri non potuit, in sepulcro corruptionem non vidit.

CAPUT XXIII.

Quando vel ubi dixerit Christus quia Nazaræus sum, et quomodo raso capite infirmus, sicut cæteri homines effectus sit, quomodo vel quibus defecerit.

Cumque ei molesta esset, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam : Ferrum nunquam ascendit caput meum, quia Nazaræus sum, id est, consecratus Deo de utero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque ut cæteri homines. — Caput Christi A *Deus*, inquit Apostolus (*I Cor.* XI), quod tunc raditur, quando novacula acuta linguæ blasphemantis, virtus ejus et Divinitas denegatur. Sed quomodocunque vel quantumcunque radatur, nunquid ab illo fortitudo sua recedet et deficiet, eritque ut cæteri homines? Plane illis deficiet, et illis infirmabitur, qui illum blasphemando radunt, ut nihil prosit eis adventus Filii hominis in hunc mundum, qui illum negant verum Deum, verum esse Dei Filium. Defecit, inquit, anima ejus, et usque ad mortem lassata est. Juxta historiam sic factum est, et sic fieri utiliter providentia divina permisit, ut audiret omnis mundus, quantum in amore meretricis naufragium sit, et muliebris sentina cedrinis quoque fortium virorum tabulis quam perniciosa sit, ut, B inquam, audiret omnis mundus, et haberet omnis sapiens exemplum cavendi, sciens quod nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior esse possit. Porro ut cœptum prosequamur mysterium, tunc anima Domini Jesu quodammodo defecit, et usque ad mortem lassatus spiritus fortitudinis ejus, quando post multas tentationes Dalilæ, id est, pauperculæ synagogæ, dicentis : In qua potestate hæc facis? *Tu quis es? Quem teipsum facis?* (*Matth.* XXI) tandem adjuratus est ab eadem dicente : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, si tu es Filius Dei* benedicti (*Joan.* I). Tunc, inquit, anima ejus defecit, tristis usque ad mortem (*Joan.* VIII), moleste nimis interpellata, et tunc aperuit illi omnem veritatem, quod esset Nazaræus, id est sanctus Dei C Filius. Dixit enim : *Tu dixisti. Ego sum.* Et adjecit, *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli* (*Matth.* XXVI).

CAPUT XXIV.

Quomodo vel a quo tonsore rasum fuerit caput hujus Nazaræi, id est Christi, et de eo quod Philistiim clausum in carcere Samson molere fecerunt, erutis oculis, omni Christiano hoc exemplum cavendum sit.

At illa dormire eum fecit super genua sua et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit abjicere eum, et a se repellere. Tonsor, quem meretrix illa conduxit, ut raderet septem crines dormientis Nazaræi, Pilatus D exstitit, cui vinctum Dominum nostrum, Sanctum sanctorum tradidit et negavit, et in monte Calvariæ crucifigi postulavit (*Joan.* XIX). Ibi rasit septem crines dormientis, id est, regem suum detestata est, et universum jus ejus abdicavit, **382** quasi ovis obmutescentis, quasi agni coram tondente se os suum non aperientis (*Isa.* LIII). Cœpitque eum abjicere, et a se repellere, insuper et insultare dicendo, moto et agitato capite : *Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salvum fac temetipsum* (*Marc.* XV). Statim enim ab eo fortitudo recessit, scilicet ut visum est inimicis, præsertim cum diceret ipse : *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? — Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vin-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

etum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt. Evulsione oculorum Samson, ipsa interfectio Domini figurata satis apte intelligitur : quia videlicet in morte non solum visus, sed et cæteri omnes sensus auferuntur. Gaza civitas infernum significat, in quo catenis vinctum incpii Dominum teneri voluerunt, sed hoc impossibile erat. Nam Deus, inquit Apostolus (*Actor.* II), illum suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat, teneri illum ab eo. *Et clausum*, inquit, *in carcere molere fecerunt.* Hoc juxta litteram significari Hebræi volunt quod pro sobole robustissimorum virorum mulieribus, ac libidini vacare compulsus sit, et ad hunc sensum pertinere, quod in Isaia Babylon dicitur : *Tolle molam et mole farinam* (*Isa.* XLVII), quod scilicet in morem scorti cunctorum libidini pateat, maxime pro eo quod continuo subjungitur : *denuda turpitudinem tuam.* Sed nunquid hostes Philistæi de semine Hebræorum fortes viros multiplicari optaverunt? Ergo hæc opinio quam turpis, tam et frivola est. Moraliter exemplum hoc omni homini cavendum est, sciendum quippe est, quod aliquando prius oculus intellectus obtunditur, et postmodum animus captus per exteriora vagatur desideria, ut cæca mens quo ducitur nesciat, et se carnis suæ illecebris subdat. Aliquando vero prius desideria carnis ebulliunt, et post longum usum illiciti operis oculum cordis claudunt. Nam sæpe mens recta cernit, nec tamen audenter contra perversa se erigit, et renitens vincitur, dum hoc ipsum quod tangit vel agit dijudicans, carnis suæ delectatione superatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, et post carnis desideria hujus mundi laboribus animus subjugatur, testatur Samson ab allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est : quia nimirum maligni Spiritus, postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effoderint, foris in laborem circuitus mittunt.

CAPUT XXV.

Quid sit mystice Nazaræi nostri, id est Christi capillos renasci cæpisse, et quomodo multo plures interfecit moriens, quam vivens occiderat, et quam domum, et quibus discussis columnis dejecerat.

Jamque capilli ejus renasci cæperant, et principes Philistinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes : Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat. Lætantesque per convivia sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet, etc. Ludus iste in luctum, lætitia hæc in mœstitiam, epulæ istæ in vomitum conversæ sunt, ita ut cruentas crapulati evomerent animas, oppressi magnæ domus ruina. Nam multo plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Porro capilli Samson fortissimi, invicti, et insuperabilis, scilicet Christi Filii Dei : capilli, inquam, hujus nunc renasci cœperunt, quando Petrus qui illum negaverat, cæterique omnes Apostoli qui omnes relicto eo fugerant, illo resurgente a mortuis, fidem atque fiduciam resumpserunt, et Philistinorum quidem principes et populus gaudebant dicentes. Quia mortuus est seductor ille (*Matth.* XXVII), et periit nomen ejus, qui commovit universam terram, incipiens a Galilæa usque huc, et docens seduxit plurimos. Hæc dicentes, et ita lætantes immolabant hostias magnificas, non Deo sed diabolo, non, inquam, in templo Dei, sed in templo diaboli, scilicet Dagon ; Dagon quippe interpretatur *piscis tristitiæ*, illum significans, de quo in Isaia scriptum est : *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est* (*Isa.* XXVII) : huic, inquam, immolabant hostias, ex quo manus suas Christi sanguine impleverunt, et quidquid deinceps sacrificant vel offerunt, non Deo patrum suorum, sed diabolo offerunt. Lætantes itaque inter hujusmodi epulas, *præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet*, et ipsi spectabant ludentem Samson. Comprehensos quippe Apostolos Christi pessimi lusores ceciderunt (*Actor.* V), unde tamen illi gaudentes, quod digni essent pro nomine Jesu contumeliam pati, *Spectaculum*, inquiunt, *facti sumus mundo, et hominibus, et angelis* (*I Cor.* IV). Ludebat ergo in illis membris suis Christus, quidquid enim miraculorum agebat, quidquid sanæ doctrinæ dicebat, ludus erat, et vanitas impiis spectatoribus. *At ille apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteram earum dextra, et alteram læva tenuit, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes principes, et cæteram multitudinem, quæ erat ibi.* Quis hoc non videat, quis nesciat, quia deserta facta Jerusalem, desolata quoque domus sanctificationis eorum, et gloria eorum, *cecidit super omnes principes, et cæteram multitudinem?* Non enim ita mediocriter, ut quondam a Babyloniis, non inquam, ita parce templum illud antiquissimum a Romano excidio eversum est : sed cecidit funditus, et cum gente ipsa periit, ita ut non sit relictus lapis super lapidem qui non destrueretur. Perdiderunt locum et gentem, cujus metu simulato ne perderent, mortem Domini sibi expedire voluerunt, dicendo : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Hoc e contrario contigit : nam potius idcirco, quia non dimiserunt eum sic, omnes gentes credent in eum, Romani quoque illorum et locum, et gentem tulerunt. Recte ergo dictum est, quia multo plures interfecit moriens, quam vivus occiderat. Multo magis enim, quia mortuus est, nos in eum credimus, et inimici tam visibiles quam invisibiles perierunt et perdiderunt, imo et perditi sunt : quam aut nos crediturі, aut ipsi perituri vel perdituri erant, si dimisissent eum vivum. Igitur resumptis viribus columnas duas, quibus innitebatur domus, Samson tenuit, quibus et excussa domus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eum perditione multorum cecidit : quia videlicet Christus, a mortuis suscitatus, et claritate quam habuit priusquam mundus esset apud Patrem clarificatus, utramque columnam gentis illius, regnum scilicet et sacerdotium vetus, iratus fortiter concussit; et per manus Romanorum cum duplici, id est, corporis et animæ Judæorum contritione locum ipsum evertit.

383 CAPUT XXVI.

De historia, qua tribus Dan tulisse idolum Michæ, et viri stirpis Benjamin narrantur mulierem incredibili libidinis furore vexando interfecisse, quod vehementer Israelites duplicis fornicationis crimine infamet.

(Cap. XVII.) *Fuit eo tempore vir quidam in monte Ephraim, nomine Michas, qui dixit matri suæ : Mille centum argenteos quos separaveras tibi, et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud me sunt.* Ac deinceps : *Reddidit igitur matri suæ. Quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile et conflatile*, etc. Duo gentis Israeliticæ mala, duplicem fornicationem populi Israel, ex hoc loco usque ad finem hujus libri Scriptura sancta culpare et exsecrari laborat : propter quæ pene continua, et nunquam nisi paucissimis judicibus, sive regibus justis frenantibus interdum coercita, Dominus terræ illi et populo toties iratus est, et adhuc manus ejus extenta. Prima namque, id est, fornicatio animæ est, qua a Deo legitimo viro creatura recedens, idolis prostituitur, et divini nominis adulterium perpetrat, sculptili atque conflatili communicando illud. Hoc adulterium, hanc fornicationem spiritualem in gente illa præsens lectio vehementer percutit, quo in tantum ardebat, ut nunc temporis non solum Michas, unus homo, sculptile fecerit, sed et integra tribus Dan pro magno commodo sibi illud furata sit : cum adhuc inter cæteras tribus sortem non accepisset, et idcirco Dei veri auxilium saltem pro temporalibus bonis impensius quærere debuisset. Sic enim dictum est : (Cap. XVIII.) *In diebus illis non erat rex in Israel, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea. Usque ad illum enim diem, inter cæteras tribus sortem non acceperant.* Et post aliqua : *Tulerunt sculptile Ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos : Quid facitis? Cui responderunt : Tace, et pone digitum tuum super os tuum, et veni nobiscum, ut habeamus te patrem et sacerdotem.* Ephod indumentum sacerdotale significat, quod in Exodo et Levitico superhumerale dicimus. Teraphin autem proprie appellantur, figuræ et simulacra. Hæc ergo prima est fornicatio, qua populus Israel pronus ad idola, secundum animam fornicabatur a Deo suo. Altera fornicatio est, quæ diversis libidinum ludibriis corpora commaculat, tunc perniciosior, quando contra naturam sodomitica debachatur insania. Hæc quanta effrenatione populum illum dissolverit, acerrime lectio præsens insinuat. (Cap. XIX.) *Fuit*, inquit, *quidam Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Judæ. Quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus*, et reliqua. Quid hoc audito turpius, scelestius, crudelius? *Venerunt*, inquit, *viri civitatis illius filii Belial, id est absque jugo, et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes : Educ virum qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo.* Illo obsecrante vix abacti ne scelus hoc contra naturam operarentur in virum, facta commutatione nequissima uxorem ejus tota nocte abutendo, incredibili libidinis furore vexaverunt. Denique mortua est. Illa civitas Gabaa in tribu Benjamin erat. Tota tribus Benjamin sceleris ejusdem maculam communem sibi fuisse, atrociter professa est. (Cap. XX.) Congregatis quippe pariter omnibus filiis Israel de Dan usque Bersabee quadringentis millibus peditum pugnatorum, ut pugnarent contra Gabaa Benjamin, cum misissent nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent : *Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel; noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum, sed ex cunctis urbibus quæ suæ sortis erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum Israel populum dimicarent.* Sed et cunctum Israel, qui congregatus fuerat, reddere illis pro scelere quod merebantur, indubitabilis divini oraculi justitia sceleris ejusdem coarguisse videtur. Consultus enim Dominus a dicentibus, *Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis?* respondens : *Judas*, inquit, *sit dux vester.* Attamen *Egressi filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.* Iterum consultus Dominus a dicentibus : *Debemus ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, an non? Ascendite*, inquit, *ad eos, et iniite certamen.* Attamen *Occurrentes eis filii Benjamin, tanta in eis cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum gladium educentium prosternerent.* Tertio tandem consulentibus atque dicentibus : *Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Ascendite*, inquit, *cras enim tradam eos in manus vestras*, et sic factum est. Ergo non solum Benjamin, quam manifestum scelus infamavit, sed et pugnantem contra illos Israel occulti judicii Dei veritas redarguit. Cur enim vindicibus tanti sceleris victoria tam sera tamque luctuosa provenit, nisi quia in quo alios impugnabant, seipsos accusabant? Igitur, ut præmissum est, duplicis fornicationis, animæ scilicet et corporis, populum Israel præsens historiæ locus vehementer accusat, et acerrime percutit, ad hoc valens, ut, quemadmodum ait Apostolus, *Omne os obstruatur, et non magis Judæus quam Græcus de justitia coram Deo glorietur* (*Rom.* III).

CAPUT XXVII.

Quod Christum Regem qui venturus erat Scriptura sancta suspiret, toties dicendo : « In diebus illis non erat rex in Israel. »

Super hoc hic itidem Scriptura vehementer inge-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

miscit, cum inter narrandum semel et iterum ac tertio dicit : *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Quem putas, vel qualem regem in diebus illis in Israel non fuisse deplorat ? Nunquid quando rex datus est Saul, abstulit fornicationes istas ? Nunquid Achaz ? Nunquid Manasses ? Imo tam hi, quam plerique regum cæterorum, illas auxerunt, exstruendo altaria universæ militiæ cœli, hariolando et observando auguria, traducendo filios suos per ignem, faciendo pythones, et multiplicando aruspices : ad summum præter David et Ezechiam et Josiam, omnes peccaverunt. Nam de peccato David quod fecit in Uriam silebimus, quia transtulit illud Dominus (*Reg.* XI). Quem ergo regem in illis diebus non fuisse Scriptura deplorat, nisi illum, cujus solius adventu vel regno consummaretur prævaricatio, et finem acciperet peccatum, et deleretur iniquitas, et adduceretur justitia sempiterna, et impleretur visio et prophetia, et ungeretur Sanctus sanctorum ? (*Dan.* IX.) Hic nempe deerat rex cum data esset lex. Et lex quidem peccatum ostendere poterat, sed a peccato liberare non poterat. Solus iste Rex eos omnes qui regnum ejus susciperent, a peccato gratia sua liberare habebat. Cum igitur tanta enarrat Scriptura peccata populi Israel, recte et opportune congemiscit dicens : *Quia in diebus illis non erat rex in Israel.*

384 CAPUT XXVIII.

De Ruth Moabitide, quod per illam alienigenam generatio Christi quodammodo recuperata sit, et quod illa fuerit petra deserti, de qua Isaias : « Emitte, » inquit « Agnum dominatorem terræ de petra deserti. »

(CAP. I, *ex lib.* RUTH.) *In diebus unius judicis, quando judices præerant in Israel, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum uxore sua, ac duobus liberis. Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi, et e duobus filiis, alter Maalon, et alter Chelion, Ephratei de Bethleem Juda.* Librum hunc Hebræi in librum Judicum compingunt : idcirco quia in diebus judicum facta narratur historia. Valde hoc fidelem animum delectat, quod nomine Ruth potius quam Booz aut Noemi in titulo prænotatur. Non enim parum splendoris habet, quod series generationis Christi in mortibus virorum Israelitarum, et Judaicæ tribus pene defecta, per fidem alienigenæ resarcita est, sicut ipse historicæ narrationis ordo continet. Quod propheta respiciens : *Emitte*, inquit, *Agnum*, Domine, *dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion* (*Isai.* XVI). Petram deserti Ruth Moabitidem dicit, petram videlicet propter propriam fidem, petram vero deserti, propter desertitudinem Moabiticæ gentis, quæ vere idcirco desertum est, quia Dominum inhabitatorem non habebat, quemadmodum et reliqua gentilitas, quam alibi propter eamdem causam propheta idem desertam appellat, dicendo : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo* (*Isa.* XXXV). Sciebat nasciturum esse Christum de semine David filii Jesse, filii Obed, quem de Booz hæc alienigena peperit, quam ille benevolus secundum legem accepit, ut suscitaret semen propinqui sui. Hoc, inquam, ille respiciens, *emitte*, inquit, *Agnum*, Domine, *dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*, admirando scilicet in gratia Dei, quod Agnus Dei, dominator terræ, cum sit ex Judæis salus ipse gentium, primum tamen de fide gentili venturus esset ad montem filiæ Sion. Adhuc autem acrius percutiens Judæorum superciliam, in principio libri : *Nisi*, inquit, *Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus* (*Isa.* I), continuo subjungens : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, et percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ* (*ibid.*). Quo enim secundum superiores geminæ fornicationis narrationes : quo, inquam, populus hic qui legem acceperat, populo Sodomorum aut Gomorrhæ justior erat, qui legem non acceperat ? Sed reliquit Dominus semen fide Ruth Moabitidis promerente, et Booz per justitiam legis semen fratri suo suscitante, unde Christus secundum carnem nasceretur : quo factum est ut gens Israelitica nequaquam Sodomæ aut Gomorrhæ similis in perditione remaneret. Hoc igitur dicendo propheta, Judaicum os obstruere contendit, ut de meritis suis nemo audent gloriari. Et signanter dixit : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen.* Exercituum, inquam, quia videlicet in exercitibus suprascriptis filiorum Israel contra Benjamin, judicium cum misericordia moderando, et in utrisque peccata Sodomitica punivit, addita etiam fame, propter quam vir primus de Juda peregre abiit cum filiis suis, et deinde per gentilem, ut jam dictum est, fidem reliquum seminis, unde salus procederet, defunctis eisdem suscitavit.

CAPUT XXIX.

De Elimelech et uxore ejus, et duobus filiis, quid vel qualiter de his in Paralipomenon scriptum sit.

Ipse, inquit, *vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi, et e duobus filiis, alter Maalon, et alter Chelion Ephratei de Bethleem Juda.* Ephratei dicti sunt, scilicet ab Ephrata uxore Caleph. Iste Elimelech in Paralipomenon vocatur Ahalai, vel Oholoi, et filius fuisse scribitur Sesain filii Jesi, filii Abphaim, filii Nadab, filii Semmei, filii Oran, filii Jheramael, filii Esrom, filii Phares, filii Juda, filii Israel. Quod autem illic dictum est, Sesain autem non habuit filios, sed filias, quia filii ejus, imo filii Elimelech, scilicet Maalon et Chelion, quorum avus fuit, absque filiis mortui sunt : item in Paralipomenon scriptum est : *Et cognationes domus operantium byssum in domum juramenti, et qui stare fecit solem virique Mendacii, et Securus, et Incendens. Qui principes fuerunt in Moab, et qui reversi sunt Laem : hæc autem verba vetera. Hi sunt filii figuli habitantes in plantationibus, et in sepibus apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi* (*I Par.* IV). Trad ut hunc fuisse Elimelech, in cujus tempore sol steterit propter prævaricationes legis, ut tanto miraculo viso converterentu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcirco fames invaluit. Et ille, quia in tribu Juda prior videbatur, famis inopia cum uxore et filiis non solum patria pelleretur, sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis morereturur. Viros autem istos mendacii esse filios ejus Maalon et Chelion, qui illic Securus et Incendens appellatur, et de quibus dicitur quod principes fuerint in Moab, eo quod uxores Moabitides duxerint, quod in Hebræo expressius ponitur, ut ab eruditis linguæ illius didicimus, ut non principes, sed mariti dicantur. Quod vero sequitur, quæ reversæ sunt in Leem, Noemi et A Ruth, demonstrat quæ in Bethleem, id est panem post inopiam famis audita ubertate panis in Bethlehem reversæ sunt. Et quia hæc historia in libros Ruth scribitur, idcirco subsequitur, *Hæc autem verba vetera.* Figulos vero dicit habitantes in plantationibus et sepibus, progeniem quæ de Ruth propagata est. Quæ *in sepibus et plantationibus* habitasse dicitur quando ad regiam dignitatem hæc plantatio pervenit. *Commorati sunt ibi*, hoc est, in Bethleem, apud regem in operibus ejus, quia ex eis David rex ortus est, cujus opera miris præconiis prædicantur.

---

385 R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN LIBROS REGUM

LIBER PRIMUS.

(I Reg. I-XVI.)

CAPUT PRIMUM.

Quod quartæ ætatis mundi David fuerit initium: et quomodo hæc ætas respondeat quartæ diei primorum diernm sæculi.

Post ampla virentis ac florentissimæ ætatis tertiæ spectacula, quarta tandem mundi splendida nos excipit ætas. Ejus pulchritudo lucida, mentis nostræ oculos quasi a terra in cœlum levet, ut post actualia legis instituta, regum et prophetarum, qui sub ipsis prophetaverunt, facta fortia et cœlestia partim contemplemur eloquia. Nam pulchra quidem terræ plantaria, quæ tertio die plantata vel produci jussa sunt, sed pulchriora cœli luminaria, quæ quarto die facta vel in firmamento posita sunt. Sic nimirum pulchra quidem et bona sanctæ legis opera, quæ tertia mundi ætate in figuram futurorum præcepta C sunt, sed pulchriora regum coronatorum et prophetarum facta et dicta, quæ in typum regni Dei, in testimonium magni ac veri regis Christi præsplenduerunt. Hanc enim quartam ætatem, quartæ diei in laudem Creatoris conjubilare recte dixerim, et secundum opera utriusque Spiritum sanctum, Spiritum prædicari fortitudinis, quia videlicet et quarto die luminaria firmamentum ornaverunt in potestatibus et firmissimis ordinibus suis, et quarta ætate, in psalmis canoris, scriptisque propheticis, B regali auctoritate sermo Dei convaluit, auctum est verbum promissionis. In quo? In eo videlicet, quod is qui hactenus homo vel semen in Isaac vocandum Patri Abrahæ promissus fuerat (*Gen.* XXI), jam rex promittitur cum juramento dicentis ad David: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Item: « Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar? Semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis (*Psal.* XXXVIII) » Hoc maxime hæc ætas a præcedente distinguitur, ut illa tertia fuerit, hæc jam quarta computetur. Igitur in gloriam Christi Filii Dei regum regis, et prophetarum Domini, cœptum peragentes cursum, ætatem hanc ingredimur, præeunte nos et propitio nobis, si dignetur, sancto fortitudinis Spiritu.

CAPUT II.

Quod primus et secundus liber Regum apud Hebræos Samuel vocentur, et quod regnum Saul, regnum peccati, David autem regnum Christi significavit.

Primus et secundus Regum liber apud Hebræos Samuel dicuntur, videlicet, eo quod de regno Saul, regnoque David, quæ his continentur libris, per istum quasi mediatorem Dei et regum, ordinata sunt. Interpretatur autem Samuel *nomen ejus Deus.* Quo nomine recte sermo Dei significatur, per quem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

utique regnum peccati destructum, et regnum justitiæ constructum est. Saul quippe quem Dominus peccanti populo iratus dedit, dicens ad Samuel: « Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos (*I Reg.* III), » regnum præfiguravit peccati et mortis, quod, abjecto Dei jugo, genus humanum stulte nimis appetivit. Hoc ipsum significat Saul nomine proprio, interpretatur enim *petitio*. Porro David quem, illo projecto, secundum cor suum Dominus elegit, regnum justitiæ, regnum Christi significat, quod humano generi, destructo regno peccati, propitius Deus contulit. Nec vero solum regnum, sed et sacerdotii principatus, hoc prænuntio a posteris Heli ad Sadoch translatum est in figura sacerdotii veri, quod a Judæis in Ecclesiam Christi transponendum erat. Ab ipso igitur Samuel, cum sit duodecimus, et novissimus Judicum, sic incipit primus liber Regum.

386 CAPUT III.

De Helchana et uxoribus ejus Anna et Fennena, et de oratione Annæ, et de ortu Samuel.

(Cap. I.) « Fuit vir unus in Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Helchana, filius Jeroham filii Heliu, filii Thou, filii Suph, Ephratæus, et habuit duas uxores. Nomen uni Anna, et nomen secundæ Fennena. Fueruntque Fennenæ filii, Annæ autem non erant liberi. » Ramathaim autem interpretatur *excelsa duo*, et hæc excelsa duo, duæ intelliguntur tribus, regia videlicet et sacerdotalis. Quod pater Helchana de tribu fuerit Levi, Paralipomenon liber plenissime docet (*I Paral.* VI), in quo series genealogiæ illius usque ad Levi producitur. Matrem quoque ejus de tribu Juda exstitisse monstratur, in eo quod Ephratæus vocatur. Ephratæus ab Ephrata uxore Chaleph, quam constat fuisse de tribu Juda (*I Paral.* II), dictus est. Et si quem movet quod ab Ephraim, non Ephrata, Ephratæus vocetur, videat in subsequentibus (*I Reg.* XVII) qualiter David filius viri Ephratæi vocetur, cum liquido pateat eumdem Isai non de Ephraim, sed de tribu Juda exstitisse, et probet eumdem Helchanam Ephratæum ab Ephrata (*I Paral.* VI), non ab Ephraim dici. Sophim *speculatores* interpretantur. « De monte Ephraim. » De monte vero Ephraim fuisse dicitur, quia ibi erat ejus habitatio. Intra cunctas namque tribus, habitationem Levitarum fuisse non dubium est. « Et ascendit vir ille de civitate sua statutis diebus. » Tribus festivitatibus, Pascha videlicet, Pentecoste, et solennitate Tabernaculorum, ascendebat in domum Domini. « Deditque Fenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus et filiabus partes. » Hæ partes vestes intelliguntur, quæ in eisdem tribus festivitatibus, juxta morem illius gentis uxoribus et liberis ac famulis tribuebantur. « Ne reputes ancillam tuam quasi unam ex filiabus Belial, quia ex multitudine mœroris et doloris mei locuta sum usque in præsens. » Belial enim interpretatur *absque jugo*. Et notandum quod omnes qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocentur. « Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum in domo Domini in Sylo. » In Hebræo non tribus modiis farinæ, sed modio farinæ legitur. Quem locum apud Latinos scriptorum vitio constat esse depravatum. Si enim cum tribus vitulis tres modios farinæ obtulit, contra legem fecit. In lege namque præcipitur: « Mensis septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis. Dies clangoris est et tubarum. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino. Vitulum de armento unum, arietem unum, agnos immaculatos septem, et in sacrificio eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum. Hæc vero decima, decima pars erit Ephi. » Unde datur intelligi, quod Helchana non obtulerit tres modios farinæ cum tribus vitulis, sed novem decimas, quibus secundum Hebraicam mensuram unus efficitur Ephi. Est igitur orationis fructus Samuel sanctus, magna fide et largo fletu matris comparatus. Habet in matre ejus Anna virtutis exemplum, quod imitetur nostra sterilis anima, si mater fieri optat, si verbi Dei sanctarumque virtutum cupit esse fecunda. In quo? In eo videlicet, quod dictum est, « vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati; » quod idem est, ac si diceretur: In tentatione perstitit, orando perseveravit. Hoc ergo fidelis anima imitetur, et quærens inveniet, petens accipiet, pulsanti aperietur. Jam nunc prophetissæ hujus Annæ Canticum explanabimus, et ob fastidium levandum quasi canendo potius quam legendo, aut loquendo horum quæ plana historia dicta sunt, mysteria carpemus.

CAPUT IV.

Quod Anna Canticum canens quæ sterilis fuit, idem secundum Apostolum quod Sara, et Fennena idem significet quod Agar.

(Cap. II.) « Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Quæ canit, hæc prophetissa est, et eadem qua fecunda facta est gratia, quam et proprio nomine significat; Anna quippe interpretatur *gratia*, non tamen sua præsentia propria, quam totius sanctæ Ecclesiæ bona futura communia prophetat ac prædicat. Quapropter idem in Anna quod in Sara, idem in Fennena quod in Agar, licet hæc libera, illa fuerit ancilla, idem in Helchana mystice sentiamus quod in Abraham. Namque et res gesta ex parte similis, et vocabula ex sensu cognata sunt. Siquidem et Abraham, id est, pater multarum gentium, prius Abram, dictus est, quod interpretatur *Pater excelsus* (*Genes.* XVIII), et hic Helchana quod interpretatur *Dei possessio*, de Ramathaim, id est de excelsis fuisse scribitur. Agar *conversa*, Fennena *conversio* interpretatur, Sara vero *princeps*. Anna *gratia*, et in utraque gratiæ principatus intelligendus est, quia videlicet non ut Agar et Fennena secundum carnem, sive carnis suæ qualitatem, sed

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

secundum gratiam peperierunt, cum prius faissent steriles. Igitur Fennena et Anna duo sunt Testamenta, alterum carnis in servitutem generans, alterum fidei quod in libertatem generat. Helchana namque, id est, Dei possessio, ipse est Dei populus, cui dictum est : « Qui possedit et fecit, et creavit te (*Deut.* XXXII). » Qui in Abraham quidem in semine Abrahæ, qui est Christus, testamentum accepit fidei, testamentum libertatis, in monte autem Sina post quadringentos et triginta annos testamentum carnis, testamentum servitutis. Sed testamentum carnis quasi testamentum servitutis sicut Fenenna vel Agar, prius peperit plurimos, testamento fidei quasi Anna vel quasi Sara, longam plorante sterilitatem, quia videlicet filii carnis in illo populo prius multiplicati sunt, qui in carne Abrahæ gloriarentur, fide ejus vix aliquam in paucissimis educente progeniem. Denique illi qui de Ægypto exierunt omnes a viginti annis et supra, præter Josue et Caleph filium Jepphone, de sola carne, non etiam de fide Abrahæ sese ortos prodiderunt. Tandem aliquando fides vel gratia, quæ sterilis fuerat, per Evangelium peperit plurimos, et gloriatio carnis quæ multos habebat filios, infirmata, imo et exclusa est. Hoc ista prophetico spiritu in semetipsa præfiguratum esse sciens, exsultat et laudat in persona Ecclesiæ, dicens :

387 CAPUT V.

Tractatus cantici ejus, in quo mysteria Christi et Ecclesiæ magnifice prophetizans, in Domino gloriatur, et synagogæ superbiam sub typo ejus quæ multos filios habebat, detestatur.

« Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Ubi sola fecunda est caro, non est unde exsultet cor, neque enim exsultatio cordis ulla est, nisi in Domino. Proinde cum dicit : « exsultavit cor meum in Domino, » illam se universalis Ecclesiæ exsultationem decantare indicat, quam propheta alius denuntians : « A timore, inquit, tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram (*Isa.* XXVI). » Ibi namque exsultat non caro, sed cor, quamvis cor prius exsultans, carnem quoque sublevet in exsultationis suæ consortium, juxta illud Davidicum : « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (*Psal.* LXXXIII). Illa exsultatio fortis, et gaudium non vanum, sed fortissimum est. Addidit ergo : « Et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Singulariter et propheta : « Exaltabitur, inquit, sicut unicornis cornu meum (*Psal.* XCI). » Idemque pluraliter : « Et exaltabuntur, ait, cornua justi (*Psal.* XLVII), » et res non diversa est. Nam unum Ecclesiæ cornu, unus est Christus, et plura ejusdem cornua, plura sunt dona sancti Spiritus, unde verus ille agnus, sicut oculos septem, sic et cornua septem habere scribitur (*Apoc.* V). Ejusmodi cornu meum, in Deo meo, inquit, « exaltatum est, in Deo meo, » inquam, et non in me, quæ vana fiducia et fallax esset fortitudo. Inde et intus cordis exsultatio, et foris confidentia super inimicos meos. Nam et hoc est quod sequitur : « Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo. » Humilientur, et de terra loquantur quondam loquaces inimici mei filii carnis, et non fidei, mihi namque nunc versa vice loquendi auctoritas data est, ut non jam in angulis musitem, aut ore dimidiato loquar, sed ore dilatato sic eloquar super inimicos meos, qui mihi sterilitatem exprobrant, ut audiar in toto mundo : quia lætata sum in salutari tuo; salutare Dei Christus est. Nunquid ergo in solo Samuele una mulier exsultat, et non potius in una matre sancta, universalis Ecclesia veram in Christo exsultationem suam decantat? Et in istis duobus cantilenæ versiculis, primus sensus quidem non dispar, sed verba diversa et præposterata sunt. Nam « exsultavit cor meum in Domino, » idem est quod lætata sum in salutari tuo, et « exaltatum est cornu meum in Deo meo, » idem est quod dilatatum est os meum super inimicos meos. Jam quid dignum dilatatione oris sui proferat, audiamus. « Non est sanctus ut est Dominus, neque enim est alius extra te; et non est fortis sicut Deus noster. » Recte os suum dilatat qui non seipsum, sed Dominum prædicat. Bene cornu suum exaltat, qui non suam, sed Dei justitiam commendat. « Non est, ait, sanctus, ut est Dominus. » Parum dixerat. Supplevit ergo dicendo, « neque enim est alius extra te, » parque et idem effecit, ac si dixisset, præter illum nemo mundus a sorde. Et « non est, ait, fortis, sicut Deus noster. » Nempe alii falso sunt fortes, de qualibus in psalmo propheta : « Et irruerunt, inquit, in me fortes (*Psal.* LVIII). » Hic vere fortis, et vera humilium fortitudo est. Non est, inquit, sanctus, ut est Dominus, non est fortis, sicut Deus noster. Ac si dicat, filii Annæ filiis Fennenæ, filii gratiæ filiis synagogæ, filii promissionis filiis carnis. Quid vos toties jactatis dicendo, nos natura Abrahamitæ, nos natura Israelitæ et non ex gentibus peccatores? (*Galat.* II.) « Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). » Hæc dicit lex, hæc utique quæcunque lex loquitur, scimus, inquit Apostolus (*Rom.* III), quia his qui in lege sunt, loquitur. Non ergo est sanctus quisquam, non est alius extra te, non inquam, est alius qui possit sanctificare, præter te, sancte sanctorum Christe, quod et sancti illi antequam tu venires ore proprio fatentes, sicut pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV), inquiunt, omnes justitiæ nostræ. Et quid vos in fortibus Moyse et Aaron gloriamini in fortitudine legis, et sacerdotii vestri? Non est fortis sicut Deus noster, sicut Christus noster. Nam, Moyses et Aaron, non lex vestra, et sacerdotium vestrum spiritualem vicerunt Pharaonem, neque destruxerunt eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, sed hic illum vicit, hic infernum confregit, hic devicta morte resurrexit. Ergo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« non est fortis sicut Deus noster, » sicut hic Salvator noster. Igitur.

« Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. » Multum gloriamini, multum erigimini, multa sublimia per inanem gloriam loquimini. Verbi gratia, dicendo: « Pater noster Abraham est (*Joan.* VIII), » nostrum est testamentum, nostra est legislatio, nostrum est obsequium, nostra sunt promissa, nostra est gloria, nostra est adoptio filiorum (*Rom.* IX), Abraham, Isaac et Jacob patres nostri sunt. Nolite sic loqui, nolite sic multiplicare sublimem loquelam oris magnifici; nolite sic gloriari. « Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. » Hæc sublimia quæ vos hactenus multiplicastis loqui, vetera sunt, jam inveteraverunt, et vobis supervenientibus projicienda sunt. Hæc enim dicit in Hieremia Deus scientiarum Dominus, qui et vobis olim dedit scientiam litteræ, et nobis nunc dat scientiam spiritus, prout vult: « Ecce dies veniunt, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus; sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel: Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam (*Jer.* XXXI), » etc. « Et ipsi, inquit, præparantur cogitationes, subauditur, sensatæ; nam e contrario a cogitationibus, quæ sint sine intellectu, ille auferet se (*Sap.* I). » Ipsi Deo scientiarum Domino cogitationes præparantur pro munere. Si vis ab illo promereri vel impetrare scientiæ donum, non multæ oblationes arietum et taurorum, sed sanctæ cogitationes ejus rei præparatoriæ sunt. Unde et Psalmista: « Præparationes, inquit, cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* IX). » Item: « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV). » Reliquiæ, inquit, cogitationis. Si primitiæ cogitationis infestæ fuerint, saltem reliquiæ ejus per pœnitentiam et confessionem diem festum agent tibi. Propterea, ut dixi, « recedant vetera de ore vestro, » recedant sublimia, cesset gloriatio vestra. Quid enim? « Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. » Hoc non semel factum est. Quando fortitudo vel potentia Ægyptiorum superata est, et Israelitæ confortati sunt, utique tunc arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Ita et nunc. Arcus enim, id est, superbia, et fortitudo Fenennæ, qua in filiis gloriabatur, superata est, et ego, quæ ob sterilitatem **388** infirma eram, accincta sum robore filiorum. Hoc enim est quod sequitur: « Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est. » Nam quod interponitur, « repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt, » non secundum præsentem locum historiæ hujus canitur, sed tamen et hoc et cætera talia facta sunt et fiunt, ut quoties superbit impius, cantare tibi liceat illud regale proverbium: « Ne glorietur accinctus æque ut discinctus (*III Reg.* XX). » In Hebræo et in LXX translatione, non plurimi, sed septem leguntur. Judæi hunc locum ita intelligunt quod, nato Samuele, mortuus sit filius primogenitus Fenennæ, et deinceps singulis nascentibus filiis Annæ, singuli secundum ordinem nativitatis Fenennæ mortui sint filii. Sed quærendum est quomodo hoc stare possit, cum Fenenna septem, Anna autem non plus quam quinque filios habuerit? Quam quæstionem Hebræi solventes duos Samuelis cum filiis Annæ annumerant. Juxta anagogen, « arcus fortium, » id est, confidentia Judæorum, qui se Judæos esse dicunt, et non sunt, sed mentiuntur: judæorum, inquam, de sua virtute præsumentium, et suam justitiam statuere volentium, atque ita justitiæ Dei subjicere cusantium, « arcus superatus est. » — « Extenderunt, inquit propheta, linguam suam, quasi arcum mendacii, et non veritatis (*Jer.* IX). » Talis arcus fortium superatus est, nihil enim sagittando contra veritatem profecerunt, quemadmodum alibi scriptum est: « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum (*Psal.* LXVII). » — « Infirmi » autem, scilicet hi qui nihil suis viribus attribuunt, qui non in suis operibus, sed in fide Christi Jesu gloriantur, « accincti sunt robore, » robore, inquam, quo et regno cœlorum vim facere, et violenter illud diripere possunt (*Matth.* XI).

« Repleti, inquit, prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt. » Famelici prius eramus nos gentes, repleti autem, id est saturati erant Judæi. Et constans est quia nunc gentiles verbo Dei per Evangelium Filii ejus Jesu Christi saturati sunt. Judæi autem famelici sunt, solam litteræ sectantes paleam, et vivificantem non habentes spiritum. Sed nunquid isti pro panibus se locaverunt? nunquid enim esurire malunt quam nobiscum manducare panem vivum? Sic enim habet parabola patris evangelici, qui cum recepisset filium suum famelicum, qui abierat in regionem longinquam, et ibi dissipaverat omnem substantiam suam vivendo luxuriose; cum, inquam, revertentem suscepisset eum, et magnum celebraret convivium, indignatus frater ejus senior, nolebat introire (*Luc.* XV). Ergo nunc interim esuriunt qui prius fuerant repleti, saturatis famelicis juxta prophetæ comminationem dicentis: « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis (*Isa.* LXV). » Futurum autem est ut se pro panibus locare non dedignentur: cum enim plenitudo famelicarum gentium subintroierit, reliquiæ ex illis ad esum panis vitæ convertentur. Non modice « arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore, » nec parum famelicis saturatis, nunc esuriunt, qui prius repleti fuere. Sed quid? « Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est. » In tantum dexteræ Excelsi mutatio magna facta est in confractione fortium et accinctione infirmorum, ut plurimos peperit illa quæ sterilis erat, vicissim infirmata illa quæ multos habens filios superbiebat, completa

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prophetia, quæ per alium sic decantat : « Lauda, sterilis, quæ non paris ; decanta laudem et hymnum, quæ non pariebas, dicit Dominus, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit (*Isa.* LIV), » et reliqua. Quæ hactenus cantata sunt, universas Domini vias respiciunt, scilicet misericordiam et judicium. Igitur in laudem earumdem magnitudinum, videlicet misericordiæ et judicii, sonorius et peramplius exsultanti corde et dilatato ore prosequitur, et dicit :

« Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. » Nam quod mortificat Dominus judicii est, et quod vivificat, misericordiæ est. Item quod deducit ad inferos judicii est ; quod reducit, misericordiæ est. Nihilominus quod pauperem facit judicii est, quod ditat misericordiæ est. Itidem, quod humiliat judicii est, quod sublevat misericordiæ est. Itáque per hæc antitheta, id est opposita, universæ viæ Domini spectabiles propositæ sunt requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. Sed erga quales judicium aut veritas, et qualibus reposita est misericordia? Quales nisi superbos mortificat, et ad inferos deducit, humiliat et pauperes facit? Quales e contrario, nisi humiles, vivificat et reducit ab inferis, ditat et sublevat? Sequitur ergo : « Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat. » Quid est enim egenum et pauperem, nisi qualem beatificat in Evangelio suo Dominus, pauperem spiritu, id est humilem? (*Matth.* v.) Illum enim de pulvere suscitat, et de stercore erigit, quem sapienter cognoscentem quod sit pulvis et cinis, et peccatorum suorum stercus erubescentem justificat et exornat splendore gratiæ suæ Dominus, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat, cum his videlicet quos ante sæcula præscivit et prædestinavit, vocavit, justificavit et magnificavit. Hoc non raro, nec in paucis factum est. Amplius autem et principaliter in illo factum hoc esse gratulamur, et jugiter decantamus, quem veraciter constat dixisse : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » De quo et illud est : « Et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare (*Psal.* CVIII). » Illum enim revera Dominus Pater præcepto charitatis suæ mortificavit, et ad inferos deduxit, pauperem fecit et humiliavit, eumdemque virtute et omnipotentia Divinitatis rursus vivificavit, reduxit ab inferis, ditavit et sublimavit. Suscitavit eum de pulvere nostræ mortalitatis, erexit eum de stercore, ut non videret caro ejus stercus corruptionis, et ecce cum principibus, imo super omnes principes ad dexteram Patris sedet, et solium gloriæ tenet. Quod ita intelligendum sit, conclusio probat Cantici. Claudítur enim sic : « Et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem. » In Hebræo ita habetur : Domini enim sunt afflicti terræ. Afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu, humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt, quia eorum meritis terram stare autumant. Ergo propositio quidem splendida est qua dixerat : « Suscitans de pulvere egenum, » etc. ; ratio splendidior idipsum confirmat, qua dicit nunc : « Domini enim sunt cardines, » id est afflicti, « terræ, et posuit super eos orbem. » Cui consonans Evangelica veritas, pauperes spiritu in fundamento beatitudinis collocat, dum octo beatitudines connumeraturus sic incipit : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V ; *Luc.* V). »

« Pedes servorum suorum servabit. » Qui **389** egeni et pauperes, qui, inquam, cardines et afflicti terræ, ipsi sancti Domini sunt, quorum ipse « pedes, inquit, servabit, » subauditur, qui pedes superborum non servabit, quorum lapsum ruinamque irrecuperabilem expavescens Propheta dicit : « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* XXXV). » Et continuo subjunxit : « Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem ; expulsi sunt, nec potuerunt stare (*ibid.*). » Ergo « pedes sanctorum suorum, » inquit, pedes, inquam, servorum, id est humiliium, « servabit, » ut videlicet ad solium gloriæ pervenire, imo et impositum super se orbem stabilibus portare possint meritis. Hucusque expressit quales Dominus vivificet et reducat ab inferis, ditet atque sublimet, nunc edicit quales mortificet et deducat ad inferos, pauperes faciat atque humiliet. Sequitur enim : « Et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. » — « Impii, » inquit, id est superbi qui nunc in hac die sua extollunt in altum cornu suum et loquuntur adversus Deum iniquitatem (*Psal.* LXXIV), ipsi « in tenebris conticescent, » ipsi humilibus solium gloriæ tenentibus suumque possessorem Dominum Deum laudantibus, in tenebris inferni conquiescent, imo et ululantes dentibus stridebunt et flebunt : nam « Ibi erit stridor dentium et fletus (*Matth.* VIII). » — « Quia non in fortitudine sua, inquit, roborabitur vir. » Quanta enim ibi erit fortitudo viri? Cum fuerint paulo post redactæ in lutum cervices ejus, tunc fatebitur impius quia nec in equo, nec in tibiis suis roborabitur quisquam, quemadmodum et alius propheta dicit : « Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei (*Psal.* CXLVI). » — « Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur (*Psal.* XXXII). » Amplius autem ut magis spirituali sensu loquamur, « non in fortitudine roborabitur vir, » id est, ex operibus legis, in quibus filii Fenennæ, scilicet Judæi, gloriantur, nemo coram Deo justificabitur, nec omnino quisquam, sive Judæus, sive Græcus in judicio salvabitur sive justificabitur, si absque misericordia, vel tantum secundum merita sua judicetur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit. » Hoc et visibiliter aliquando factum est, ut super adversarios suos in cœlis Dominus tonaret, sicut est illud in libro Josue : « Cumque fugerent a facie Israel, et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque Azecha, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis quam quos gladio percusserant filii Israel (*Jos.* x). » Verum extunc magnificentius hoc fit, ut videlicet Dominus super adversarios suos tonet in cœlis, ex quo is ipse qui ut egenus et pauper mortificatus, et ad inferos deductus, rursus vivificatus et ab inferis reductus sublimatus est, ut sederet cum principe patre et solium gloriæ teneret. Extunc enim intonuit super adversarios suos, magno et terribili tonitru Evangelii, et usque in finem sæculi tonare non desinet, quemadmodum et Apostolus dicit : « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, » etc. (*Rom.* I.) Hinc illud est quod et Propheta præcinuit : « Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis. Et misit sagittas suas et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et turbavit eos (*Psal.* XVII), » etc. Novissimus tonantis motus magno et irrevocabili fulmine formidantes adversarios feriet. Dicet enim eis qui a sinistris erunt : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » — « Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. » Tanquam diceret : Ista quam prædixi superborum et humilium discretio nondum apparet. Nondum enim omnis egenus et pauper solium gloriæ tenet, nec in tenebris conticuit omnis impius, nec in præsenti vita Dominum formidant omnes adversarii ejus, imo econtrario tanta securitate nunc impii vivunt et super humiles extolluntur, ut pene moveatur humilis adhuc infirmus. Nam ipse est qui, vel cujus ex persona Propheta in Psalmo loquitur : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super inimicos, pacem peccatorum videns, » etc. (*Psal.* LXXII.) Ergo distinctio nondum apparet, sed non sit tibi curæ. Nam « Dominus judicabit fines terræ. » Nunc interim vitia terræ dissimulat, qui videlicet non statim superbiam terræ ubi incipit judicat, aut punit, sed certe fines ejus judicabit. Nam pius Conditor mala hominum et per suam patientiam tolerat, et per aliquorum quandoque conversionem relaxat, ut vel sero redeant, et hoc ipsum saltem, quod diu exspectati sunt, erubescant. Superbientem terram quæ divitias bonitatis ejus contemnit, et ignorans, exspectantem se patientiam Dei, thesaurizat sibi iram secundum duritiam suam et cor impœnitens, certe tandem in fine judicabit in die iræ et revelationis justi judicii sui, in quo reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II). « Et dabit, inquit, imperium regi suo. » Regi, inquam, suo, scilicet Christo. Sequitur enim : « Et sublimabit cornu Christi sui. » Huic regi imperium dabit, et cornu ejus sublimabit, in eo videlicet ut omnia sub pedibus ejus subjecta sint. « Futurum, » inquit Apostolus, « de quo loquimur : nam necdum videmus, » ait, « omnia subjecta esse ei (*Hebr.* II). » Dabit autem secundum humanitatem habenti omnia secundum divinitatem ; dabit, inquam, per passionem obedienter promerenti, quemadmodum devicta morte jam emeritus dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Sublime cornu ejus Apostolus insigniter eloquens dicit : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). »

CAPUT VI.

Quomodo peccabant filii Heli, et quod peccantibus sacerdotibus viris, puer Samuel ministrabat ante Dominum, et quam legem prævaricatus sit Heli nimis molliter et tenere submonendo filios suos et dicendo : « Nolite, filii mei, » etc.

« Puer autem Samuel erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum, sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem vel in caldariam aut in ollam, sive in cacabum, et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi, » etc. Tria scelera filiorum Heli Scriptura præsentat, propter quæ et nominat eos filios Belial. Primum jam in eo est quod ait, « et omne quod levabat fuscinula, tollebat sibi sacerdos. » Non enim quidlibet secundum legem sacrificii, sed certas quasdam portiones debebat sacerdos tollere sibi, scilicet pectusculum, et armum dexterum ; pectusculum, inquam, elevationis, et armum separationis, quemadmodum **390** in Levitico (*cap.* VII, VIII), et in Exodo (*cap.* XXIX) plenius dicit. Secundum illorum peccatum est in eo quod sequitur : « Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti : Da mihi carnem ut coquam sacerdoti. Non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebatque illi immolans : Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcunque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei : Nequaquam. Nunc enim dabis. Alioquin tollam vi. » Recte dicebat immolans : « Incendatur primum adeps, » quia videlicet adipem hostiæ prius incendi mos erat ex præcepto legis Domini (*Exod.* XXIX ; *Lev.* III, VII). Tertium illorum peccatum erat quod « dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi. » Dormisse eos dicunt Hebræi cum mulieribus, eo quod post menstrui tempus aut partus non impleto secundum legis præceptum sacrificio, suadebant eas ad viros suos redire, eisque commisceri. Et dormire ideo dicuntur, quia eas dormire cum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

viris suis, contra legis præceptum faciebant. Unde idem Heli post paulutum ait : « Non est enim bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. » Transgressionem faciebat populus, quia sacrificio non rite peracto uxoribus suis jungebantur. Sicut enim vi extorquebant carnes ab immolante, ita etiam extorquebant ab offerente, et idcirco sicut in auferendis carnibus faciebant homines detrahere sacrificio Domini, ita quoque nihilominus in conjungendis uxoribus transgredi faciebant populum Dei. « Samuel autem, inquit, ministrabat ante faciem Domini puer. » Ac si aperte diceretur : Sacerdotibus viris contemptibile sacrificium Domini reddentibus, reliquus hic erat unus puer, de quo tanquam paxillo modica tota penderet restitutionis spes, in quo Dominus injuriam patiens, aliquas honoris sui reliquias appenderet. In peccato filiorum tam grandi pater sacerdotum princeps, qui et ipse judicabat Israel, jam non paternam pietatem, sed zelo Dei percitus, judiciariam exercere debuerat severitatem. Jusserat enim lex ut in causa justitiæ nec pater filio parceret. « Si, inquit, genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat (*Deut.* XXI). » Quanto magis homo sacerdos, in hujusmodi semotis affectibus carnis, filios suos ignorare, et domesticum malum viriliter amputare debuit? Nam item dixerat Moyses in benedictione Levi : « Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel. Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum (*Deut.* XXXIII).» At ille nulla sæviens magistri disciplina, solasque patris seniles balbutiens blanditias : « Nolite, inquit, filii mei. Non est enim bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. » Nec vero ille per ætatem ad infantiles redierat ineptias, potiusque per negligentiam crimina fovebat quam non habendo intelligentiam. Dixit enim ibidem sapientibus digne audiendam gravem et maturam sententiam « Si, inquit, peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem peccaverit in Deum vir, quis orabit pro eo? » Non, inquit, eo modo in virum quo in Deum peccatur, quia in virum peccare peccatum qualecunque est leviorque remissio; in Deum vero peccare, id est ab ejus cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliorque remissio. Et quoniam cum in virum quis peccat placato sibi viro facit sibi virum placabilem, in Deum autem cum quis peccat, quis orabit pro eo? Ac si dicatur : Per quem Deum sibi in quem peccavit propitium facere potest? Igitur qui judicaret recte et opportune, ab ipso Domino sua suscepta est causa, taliterque ab illo tam in patrem quam in filios justa deprompta est sententia :

CAPUT VII.

De viro Dei qui venit ad Heli, quæ et qualia prædixerit ei, et de sermone Domini ad Samuelem super Heli.

« Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ei : Hæc dicit Dominus : Nunquid aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem? » etc. Hunc virum Dei Judæi Phinees dicunt fuisse, quem et Heliam autumant. Revelatus vere fuisse Dominus dicitur domui patris ejus, id est Aaron, in eo loco ubi ait : « Dixit Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in deserto (*Exod.* IV). » In hoc primum ei Dominus revelatus dicitur. In sacerdotem vero electus est ex omnibus tribubus Israel, sicut habes in Hellesmoth (*Exod.* XXVIII, XXIX) et Vageera (*Lev.* IX). Quod vero ait, « venit vir quidam Dei ad Heli, » et cætera quæ sequuntur, ante tempus Helchanæ dicta fuisse arbitrantur, sed hic ob gloriam Samuelis interposita dicuntur. « Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, » (brachium arcam vocat et dignitatem sacerdotii,) « ut non sit senex in domo tua. » Senem sacerdotem magnam dicit. « Et videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel. » Æmulus domus Heli Sadoc sacerdos exstitit, qui ejecto Abiathar a Salomone sacerdotium suscepit, sicut in Malachim legitur : « Projecitque Salomon Abiathar ne esset sacerdos Domini, ut adimpleretur verbum Domini, quod locutus fuerat Dominus ad domum Heli (*III Reg* II). » — « Verumtamen non penitus auferam virum ex te ab altari meo, sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua. » Ideo se Dominus non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari suo dicit, ut semper de domo Heli esset in domo Domini vir, qui in dignitate sacerdotii alium substitutum videret, at, se eadem dignitate privatum videns, oculi ejus deficerent et anima ejus tabesceret. Unde et in subsequentibus dicitur : « Veniat ut adoret eum, » id est sacerdotem magnum, « et accipiat ab eo nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. » Accessit e vicino Samuel puer testis alius, miro et magnifico ordine probatus, videlicet prius a Deo commendatus, quam sibi ipsi vel hominibus notus. Sic divinitus procuratum est ob commendationem prophetæ fidelis, ut magnus sacerdos prior quam puer ipse vocationem ipsius a Deo factam intelligeret, quemadmodum Scriptura dicit : « Intellexit igitur Heli quia Dominus vocaret puerum, et ait ad Samuelem : Vade et dormi. Et si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Et ita factum est. Et evenit sermo Samuelis non solum Heli, sed et universo Israeli. Sermo enim ejus fuit ad universum Israel, quod percutiendi **391** essent a Philistæis propter peccata filiorum Heli, quem sermonem eventus rei postea probavit. Pugnantibus Philistæis, facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum, et arca Dei capta est. Duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees. Porro ipse pater Heli senex et grandævus, accepto tristi nuntio, cecidit de cellà retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus, mortuus est (*I Reg.* IV). In omnibus historiam planam tenentes, mysteria requiramus.

CAPUT VIII.

De eo quod dictum est : « Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum : » quod Heli vetus sacerdotium, et duo filii ejus ejusdem temporis duo pontifices, Annam et Caypham, significent.

« Filii, inquit, Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum, » et reliqua. Heli senex et grandævus significat sacerdotium vetus. Imo veternosum et inveteratum, quale tunc temporis exstitisse cognoscitur, quando cum illo, et cum templo veteri ruituram civitatem Jerusalem flevit Dominus Jesus (*Luc.* XIX). Porro duo filii Heli duos ejusdem temporis pontifices significant, Annam et Caypham, revera « nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum, » filii tamen Heli, quod interpretatur *Deus meus*. Nam in isto quidem nomine gloriabantur, ut de Deo patrum suorum dicerent, « Deus meus, Deus meus, » sed ita Deum labiis honorantes, corde inhonorabant et operibus, quemadmodum in Evangelio illis improperat Dominus (*Matth.* XV) : « Quare, inquit, vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem; et : Qui maledixerit patri et matri, morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri : Munus quodcunque est ex me tibi proderit, et non honorificabit patrem suum, ac matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. » Et continuo : « Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens (*Isa.* XXIX) : Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. » Interpretatur autem Ophni quidem *discalceatus*, Phinees *os requievit*. Quibus nominibus recte prædictorum pontificum, Annæ et Cayphæ, vitia denonantur, qui ore quidem post Dominum requiescebant, operibus autem discalceati erant, id est, gloriabantur in Deo tanquam filii Heli ore dicendo : « Deus meus, Deus meus, » operibus autem illum negabant. Non enim expetebant id quod doctoribus et sacerdotibus erat legitimum, scilicet hostiæ pectusculum, et armum dexterum, sed « omne, » inquit, « quod levabat fuscinula tollebat sacerdos sibi. » Videlicet non exigebant ut quisquam revelaret Domino viam suam pura cordis confessione, ac deinde faceret fructus dignos pœnitentiæ, quod esset prius pectusculum, ac deinde armum dexterum ab offerente accipere, sed toti intendebant ad satisfaciendum avaritiæ suæ, quod erat quasi carnes expiscari quascunque poterant fuscinula sive tridente, quo bene exprimitur uncus avaritiæ. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis et vi tollebat carnem coquendam sacerdoti. Nimirum peccata populi quæ per adipem hostiæ intelliguntur, nequaquam dignæ orationis incendio concremabant, et tamen pro ipsis peccatis mercedem non solum accipiebant, verum etiam emeriti mercenarii sive operarii per vim extorquebant. Unde et illud contra eos propheticum oris Domini improperium : « Peccata populi mei comedent (*Ose.* IV). » Cæterum qui de incendendo prius adipe curant, recte postea de carne sibi coquenda pertractant, quia videlicet qui pro peccatis hominum digne intercedunt juste mercedem suam accipiunt, et ita servientes altari legitime de altario vivunt. Nihilominus et « dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi, » quia videlicet traditiones docebant suas, non Dei, quod erat adulterino concubitu cum animabus Deum quærentibus nefarie permisceri. Qui enim seipsum magis quam Deum commendat, qui non Dei, sed suam doctrinam seminat (*I Cor.* IX), recte de illo dicas, quod cum animabus observantibus ad ostium tabernaculi cœlestis dormiat, quod peccatum, ut verum adulterium, cœleste judicium condemnat. Nam « si peccaverit, » inquit « vir in virum, » etc.

CAPUT IX.

Quod vir Dei ad Heli locutus est mystice sit universus prophetarum chorus, qui acerba occursione veteris sacerdotii proterit confidentiam.

« Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Nunquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret Ephod coram me, et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel ? » Hic vir unus mystice universus est prophetarum chorus. Nam etsi prophetæ multi sunt, sed unus est Dei sermo in ore omnium. « Nunquit non aperte, » inquit, « revelatus sum domui patris tui ? » Ac deinceps : « Propterea, ait Dominus Deus Israel, loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque ad sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me ! sed quicunque honorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. » Gravissima nimiumque acerba occursione sacerdotii veteris inordinatam proterit confidentiam. Tanquam diceret : Ecce vos dicitis, ecce vos in verbis mendacii confiditis, dicentes : Dominus dixit, Dominus locutus est, Dominus promisit ac pollicitus est Aaron, ut ministraret domus illius in conspectu ejus usque in sempiternum. « Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutc-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur (*Num.* XXIII). » Dixit ergo et non faciet. Locutus est, et non implebit. Agamus ut volumus, vivamus ut libet, immutabilis est, sacerdotium nostrum manet, mutari non licet. Ad hæc inquam: Vobis licebit, vobis pulchrum erit, immutare et prævaricari legem, quam professi estis, mihi autem sententiam meam mutare non licebit. Propterea dico: Ego quidem loquens olim sic et sic locutus sum, sic et sic pollicitus sum. Nunc autem dico, « Absit hoc a me! » Quoniam mutati estis, mutabor et ego. Quoniam perversi estis, pervertar et ego. An frustra mihi Scriptura dixerit: « Cum sanctis sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris? » (*Psal.* XVII). Absit, inquam, hoc a me, ut quia loquens locutus sum, idcirco debeam domum patris tui glorificare usque in sempiternum! Dura, improba, damnosa mihi ista est conditio, ut videlicet idcirco debeam quemquam glorificare lege debiti, quod de domo patris tui sit. Sed quid? « Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt **392** ignobiles, » quacunque ex domo, quacunque ex gente sint: sive Judæus ille, sive Græcus sit, qui me honorificaverit, glorificabo eum glorioso regno, glorioso sacerdotio, faciamque omnes regnum et sacerdotes Deo et Patri meo. Sive Judæus ille, sive Græcus sit, qui me contempserit, erit ignobilis, neque rex neque sacerdos esse poterit. Hæc mihi conditio, hæc mihi servanda vicissitudo est. Accipito ut jus et dicito, quia promissionis fidem irritam fecerim. Tu homo quis es, ut respondeas Deo? Quidlibet olim ego locutus sim, hæc præsens loquela mea stabit, ut facilius cœlum et terra, quam hoc verbum meum transire possit.

CAPUT X.

Quod dies isti jam venerunt sacerdotio Judæorum, de quibus dictum est: « Ecce dies venient, et præcidam brachium tuum, » sacerdotio Judæorum tristes et amari, sacerdotio autem Christi Ecclesiæ læti et jucundi.

« Ecce dies venient et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua, et videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel, et non erit senex in domo tua omnibus diebus. » Dies isti jam venerunt et nunc sunt, sacerdotio Judæorum et domui Aaron tristes et amari, sacerdotio autem Ecclesiæ læti et jucundi. Præcisum est brachium Judæorum, quia caro erat, præcisum est brachium domus Aaron, quia non Domini, sed hominis brachium erat. « Maledictus vir, » inquit propheta, « qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, ut a Domino recedat cor ejus (*Jer.* XVII.) » Confidebant in homine, gloriando videlicet; non in fine, sed in carne Abrahæ, posuerant carnem brachium suum, ut a Domino recederet cor eorum, superbiendo in sacerdotio Aaron, et crucifigendo illum quem præfigurabat Aaron. « Templum, » inquiunt, « Domini, templum Domini, templum Domini est, » sed « ecce spelunca latronum, » ait Dominus, « facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris (*Jer.* VII.) » Ubi nunc illud templum, imo ubi nunc illa spelunca latronum? Ubi nunc sacrificia filiorum Aaron, sacrificia taurorum et hircorum et agnorum et arietum? Præcisum igitur est brachium Heli, præcisum est brachium sacerdotii veteris, ut jam in domo ejus non sit senex, non jam nominetur in domo Aaron magnus sacerdos, summus pontifex. « Et videbis, » ait, « æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel. » Quis iste æmulus est, cui sacerdotium vetus invidet, nisi ille, de quo Propheta: « Juravit, » inquit, « Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech? » (*Psal.* CIX.) Grandis iste æmulus est, in quem cum sit de tribu Juda, de qua nullus altari præsto fuerat, translato sacerdotio, legis quoque translatio necessario facta est. Istum Judaicus sacerdos jam spoliatus ægerrimo oculo videt in illo templo, quo totus orbis contentus est, in illa Ecclesia quæ toto orbe terrarum diffusa est. Videt, inquam, illum in universis prosperis Israel, nam universa quæ de illo sunt, prospera et pacifica vero sunt Israel, quemadmodum in alio psalmo præcantavit idem Propheta: « Intende prospere, procede et regna (*Psal.* XLIV). » — « Verumtamen non auferam, » ait, « virum penitus ex te, ab altari meo, sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua, et magna pars domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem pervenerit. » Secundum hæc et Apostolus dicit: « Nunquid repulit Deus populum suum? Absit! Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, ex tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit (*Rom.* XI.) » Ac deinceps: « Sic ergo et in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ factæ sunt (*ibid.*). » — « Verumtamen » ego, inquit, « non auferam virum penitus ex te, ab altari meo. » Sed quid? « ut deficiant, » inquit, « oculi tui, et tabescat anima tua. » Deficiant, inquam, oculi tui, quemadmodum idem Apostolus dicit: « Dedit illis spiritus compunctionis oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem (*ibid.*). » Et David dicit: « Fiat mensa eorum in laqueum et in captionem, et in scandalum et in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII.) » Et post aliqua: « Nolo enim ignorare vos, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI.) » — « Et pars magna, inquit, domus tuæ morietur tunc, » quod majoris miseriæ est, « cum ad virilem ætatem pervenerit, » id est, cum plenitudo temporis advenerit; « morietur, » inquam, non solum gladio maligno, qui animam a Deo dirimat, sed etiam gladio Romano, qui animam a corpore dividat. « Et suscitabo, » inquit, « mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciat, et ædificabo ei domum fidelem, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. » Sacerdos iste fidelis Christus intelligitur, qui et per nomen Sadoch, de quo superius secundum litteram diximus, recte signatur. Interpretatur enim *justus*. Justus autem et veraciter sanctus sacerdos vel pontifex ipse est, quemadmodum dicit Apostolus : « Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, » etc. (*Hebr.* VII.) Igitur « suscitabo mihi, » inquit, « sacerdotem fidelem, » fidelem, inquam, qui semetipsum fideliter offerat, « non habens necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre (*ibid.*), » — « qui juxta cor meum et animam meam faciat, » id est, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, quorum ego neque carnem manducabo, neque sanguinem potabo, sed per proprium sanguinem introeat semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Domus autem fidelis quæ ædificatur ei Ecclesia est, quæ ex fide vivit. Ædificatur, inquam, ei, videlicet per sacramentum sanguinis et aquæ, quod de latere ejus manavit, quemadmodum in typum ejus mulier de costa viri in primordio fabricata est. Hæc domus ædificata, « ambulabit, » inquit, « coram Christo cunctis diebus, » quia videlicet tota Christi domus, tota Ecclesia, genus sacerdotale est, et hæc, proficiendo de virtute in virtutem, ambulat coram Christo cunctis diebus. « Futurum est autem ut quicunque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. » Quis est qui remansit in domo Heli, in domo sacerdotii Judaici, nisi is qui perditioni gentis illius, per gratiam electionis superstes esse potuit vel poterit? Nam et Scriptura dicit : « Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo (*Isa.* X; *Rom.* IX). » Plane ergo quicunque remanserit, id est quicunque de populo isto ad vitam præordinatus fuerit, veniet ad sacerdotem æmulum, veniet non ad Synagogæ, sed ad Ecclesiæ sacerdotium, nunc sibi invisum, ut oretur pro eo, ut per ejusdem Ecclesiæ sacramenta reconcilietur Deo. Offeret nummum argenteum, et tortam panis, id est, lucidum fidei verbum, et opera dilectionis, dicetque : « Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis : » **393** dimitte, inquam, me ad unam quamlibet divisivam evangelicæ gratiæ donationem, ut in unitate corporis Ecclesiæ comedam buccellam panis vivi, qui de cœlo descendit, buccellam corporis Christi Filii Dei, in quo solo vita est, sine quo nemo vivit.

CAPUT XI.

Quod puer Samuel alius testis contra sacerdotem accessit, et quod dictum est : « Nec poterat videre lucernam Dei antequam exstingueretur. »

(CAP. III.) « Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in lecto suo et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel, » etc. Ad confirmationem sermonis superioris hic alius testis puer Samuel accedit, ut, juxta legem quam Deus ipse populo præscripsit (*Deut.* XIX), non unus tantum, sed duo starent testes contra sacerdotem pigrum et segnem magis quam pium, suorum videlicet magis quam Dei amatorem filiorum. Plana res gesta est. Puerum dormientem Dominumque necdum scientem, cui necdum revelatus fuerat sermo Domini, Dominus tertio vocando excitavit, etc. In illum suæ moderatus est gratiam vocationis, ut prius is contra quem mittebatur vocatum illum esse a Domino sciret, quam ipse qui vocatus est. Sicque factum est ut is qui visionem indicare timuisset, celare non auderet, tacere non posset. Sane quod dictum est « nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur, » varium sensum habet. Nam alii sic distinguunt : Et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre. Et postea inferunt ; et antequam lucerna Domini exstingueretur, puer Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Intelligi autem hoc modo volunt : Dormiebat in templo antequam lucerna Dei exstingueretur, id est antequam lux diurna fieret quando eadem exstinguenda erat lucerna. Sic enim a Domino per Moysen jussum erat ut eadem lucerna luceret usque mane. Sicut est illud in Levitico : « Præcipe, » ait Dominus, « filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo Domini, et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domini (*Levit.* XXIV). » Alii vero : « Nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur. » Et est sensus : Ipse qui propriæ vitæ meritis, et dignitate sacerdotii lucerna Dei erat, antequam pro peccato filiorum lucida Dei gratia privatus exstingueretur, non poterat videre, sicut in mente præ inordinato filiorum suorum amore, ita et in corpore præ nimia senectute caligans, et non valens videre. Porro alii simplicius : « Nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur, » id est, adeo caligaverant oculi ejus, ut lucernam in templo clare ardentem videre non posset, quo dicto intelligitur quod ne parvas quidem in oculis reliquias luminis haberet valde senex. Sed jam spiritualium mysteriorum vela pandamus.

CAPUT XII.

Quid sit mystice, quod « puer Samuel dormiebat, et sermo Domini erat pretiosus, » id est rarus, et quando venerit Dominus mystice, et Samuelem nescientem tertio, quarto autem scientem jam vocaverit ille

« Puer Samuel dormiebat, » quia videlicet perituro carnali Judæorum sacerdotio sermo propheticus conticuerat. Jam enim multis diebus ante Christi adventum propheta non fuerat visus in Israel. Sed et qui dudum missus et scriptus fuerat sermo pro-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

phæticus, quasi sub clavibus dormiebat, clavim quippe scientiæ Scribæ et Pharisæi tulerant, nec ipsi introeuntes, nec eos qui volebant introire permittentes (*Luc.* xi). Ergo « puer Samuel dormiebat, et sermo Domini erat pretiosus, » id est rarus. Rarus enim et pene nullus erat, qui sermonem Domini volentibus audire loqueretur. Sed venit Dominus, et stetit et vocavit Samuelem, excitavit dormientem. Quando venit Dominus, et stetit, nisi quando de cœlis Deus descendit, ut factus homo staret pro nobis? Tunc vocavit Samuelem, tunc propheticum excitavit sermonem, hactenus dormientem. Excitavit, inquam, puerum suum, excitavit in puero præcursore sermonem suum, in eo videlicet puero cui gloriose concinitur : « Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus (*Luc.* i). » Tertio illum nescientem vocavit, priorque ipse sacerdotii veteris minister Zacharias pater ejus vocationem illam intellexit. Primo enim angelus illum ex nomine nuntiavit. Secundo ad salutationem Mariæ clausum adhuc in utero matris exsultatione, et gaudio concussit. Tertio jam nato, per os patris officium suæ præcursionis edixit : « Tu quoque propheta Altissimi vocaberis. » Igitur sacerdos Heli destituendus puerum vocari prior a Domino intellexit, quia sacerdos officii carnalis Zacharias, magni prophetæ vocationem ipse prior intellexit et enuntiavit, justus quidem in persona sua, apud Deum et homines, sed ejus sacerdotii minister, quod protinus destituendum esset, sicut in isto sacerdote Heli præfiguratum esse jam dictum est, et adhuc dicendum est. Quarto tandem jam sciens vocationem suam puer Samuel, venienti Domino et vocanti sicut vocaverat secundo : « Samuel, Samuel. Loquere, ait, Domine, quia audit servus tuus. » Et Dominus : « Ecce, » inquit, « ego faciam verbum in Israel, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus. In die illo suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus. Incipiam et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem ejus, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos. Idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum. » Quid ad hæc ille? Non utique consurrexit sicut Moyses, ut Deum teneret ea virtute, qua teneri ipse vult, et teneri potest, ut stando in conspectu ejus, in confractione cordis orando, iram ejus a domo sua averteret (*Exod.* xxxii ; *Psal.* cv). Sed : « Dominus, » inquit, « est; quod bonum est in oculis suis faciat. » Paulo melius ante consultius Achab, licet alias impius, qui, cum audisset sermones Domini in Elia, dicentis : « Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, » etc. ; cum, inquam audisset sermones istos, « scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque ac dormivit in sacco, et ambulavit **394** demisso capite (*III Reg.* xxi). » Idcirco ille quidem in diebus suis non vidit in luctum domui suæ malum : hic autem et vidit, et ipse sustinuit, cecidit enim audito tristi nuntio, et fractis cervicibus mortuus est. Nunc ad superiora redeamus. « Loquere, » inquit, « Domine, quia audit servus tuus, » etc. Plane juxta hanc normam prædictus ille prophetarum maximus, primo per angelum ex nomine nuntiatus, deinde ad vocem salutantis Mariæ gaudio concussus, tertio prophetica, ut supra dictum est, patris voce declaratus, quarto tandem jam scienter in deserto audivit quod Dominus loqueretur. Imo et orans ut Dominus loqueretur, signum accepit veri ac justi sacerdotis, adjiciente sibi Deo, « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* i), » simulque verbum accepit quod loqueretur contra vetus sacerdotium, imperante Domino. « Factum est enim, » inquit Lucas, « verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Luc.* iii). » Ac deinceps : « Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*ibid*). » Hæc enim contra sacerdotium illud Leviticumque ministerium dicta esse Matthæus evidentius insinuat : « Videns, » inquit, « multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » (*Matth.* i.) Ac deinceps : « Jam enim securis ad radicem arboris posita est. » Pharisæi namque sacerdotes vel clerici erant Judæorum. Igitur tunc domui Heli juravit Dominus quod non expiaretur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum, quando per hunc enuntiavit securim positam esse ad radicem arboris, dignum pœnitentiæ fructum non facientium, videlicet maxime Pharisæorum, in templo Dei sub nomine sacerdotii latrocinantium.

CAPUT XIII.

De pugna male gesta contra Philistiim, et de vana levitate qua dixerunt : « Afferamus ad nos arcam Domini sedentis super Cherubim, » et quid significaverit lapis Adjutorii.

(Cap. IV.) « Et factum est in diebus illis, convenerunt Philistiim in pugnam. Egressus est namque Israel obviam Philistiim in pugnam et castrametatus est juxta lapidem Adjutorii. » Et reliqua. Narratione hac mox subsecutura, præmissum est (*cap.* iii) : « Et addidit Dominus ut appareret in Sylo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Sylo, juxta verbum Domini. » Et est sensus : Dominus, quoniam revelatus fuerat Samueli in Sylo dictis addidit, ut appareret itidem in Sylo, juxta verbum suum factis, ita ut non caderet ex omnibus verbis ejus in terram, ut cognosceret universus Israel a Dan usque ad Bersabee quod fidelis Samuel propheta esset Domini. Ita plane ex omnibus verbis prophetæ, et plusquam prophetæ Joannis, non cecidit verbum in terram. Respiciamus ad dies illos, in quibus non jam Philistiim, sed qui per Philistæos

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hoc loco recte figurantur, Romani convenerunt in pugnam. « Dixerunt, » inquit, « majores natu de Israel : Quare percussit nos hodie Dominus coram Philistiim? Afferamus ad nos de Sylo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Sylo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super cherubin. » Præsumptio stulta et vana, quæ tunc decepit improvidos, et justitiæ vel gloriæ Dei ignaros, ipsa eadem decepit illos, quando clausi obsidente exercitu Romano, tumultuabantur et vociferabantur confidentes, ut historiæ tradunt, quod nequaquam toleraret Deus privari se illo pulchro templo, illo pulchro et aureo sanctuario. Cujus vanitatis respectu nota quam acute, quam mordaciter cum præmissum esset « et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum, » continuo subjunctum est, « sedentis super cherubin. » Hoc quippe non pro suo sensu, sed pro illorum notabili vanitate Scriptura dixit. Quid enim stultius ac vanius? Nunquid super illos cherubin quos fecit Moyses, imo quos Besceel ille faber cum socio suo Ooliab fudit, aut fabricavit, sedebat Dominus exercituum captus vel delectatus pulchritudine auri, et non potius super homines, vel super sanctos angelos sedet plenus scientia Dei secundum nomen cherubin? Igitur eadem hic et illic vanitate decepti sunt, dum pro aureis cœlestis sanctuarii simulacris divinum sibi quasi debitum arrogant adjutorium, unde et falsi sunt; metando castra juxta lapidem, postea dictum lapidem Adjutorii. Nam et tunc præsagio suo frustrati sunt, et nunc ejus lapidis non habuere adjutorium, quem in malum sibimetipsis reprobaverunt, juxta quod Scriptura dicit : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII). » Et tunc quidem sacerdotis unius Heli domus una concidit, ipso quoque corruente, fractisque cervicibus moriente, nunc autem tota gens captivata est, tota civitas cum templo suo funditus in favillas disperiit, sacerdotio illo quoque cadente, summque opprobrium per omnes gentes circumferente, quia pollutum, sordidatum, imo et ejectum est, eodem quo vivimus, quo redempti et emundati sumus nos credentes Christi sanguine.

CAPUT XIV.

Quid significet mystice quod ab eisdem arca Dei capta sit a quibus vinctus est Israel, et quod cecidit Dagon truncatus coram arca Domini, et quod percusserit illos Dominus in posteriora.

« Sed et arca Dei capta est. » Ut jam evangelicam legis prosequamur intelligentiam, eisdem Romanorum armis, eisdem imperatorum gladiis, quibus ille populus obsessus, concisus, et in omnes gentes captivus ductus est; eisdem, inquam, Ecclesia Dei, quæ est corpus Christi (*Col.* I), capta, et ab eisdem persecutionem passa est. Pandamus gloriosi vela navigii, et cursum percurramus intelligentiæ spiritualis. (CAP. V.) « Philistiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a lapide Adjutorii in Azotum. Tulerunt que Philistiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diliculo Azotii, altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Dei. Et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in loco suo. Rursumque mane die altero consurgentes invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini. Caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. Porro Dagon truncus solus remanserat in loco suo. » Grande spectaculum, grande miraculum. Translata ab Israel gloria Domini, capta ab Allophylis arca Domini, victoriam de victoribus versa vice exigit, primumque in deum ipsorum Dagon, deinde et super homines aggravantur manus Domini. Nam « ebullierunt, » inquit, « villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures et facta est confusio mortis magnæ in civitate, et percussit in secretiori parte natium Azotum, **395** et fines ejus, et computrescebant prominentes extales eorum. » Hoc Psalmista magnifice decantans : « Et excitatus est, inquit, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis (*Psal.* LXXVII). » Hoc quid portenderit, perspicuum est. Ubi enim supradicto modo concidit sacerdotium vetus cum terrena Hierusalem, et manufacto templo ejus, tunc victoriosius pugnam iniit cum diis gentium arca Domini, quæ est Christus Dominus secundum compactum ex carne nostra corpus ejus, sedens et manens in Ecclesia sua, et ipsa quæ est corpus ejus et plenitudo ejus. Cecidit coram arca ista Dagon, cecidit, inquam, coram illa omnis massa dæmonum, quæ intelligitur per illud idolum, per hoc ipsum nomen Dagon. Interpretatur enim *piscis tristitiæ*, illum, ut supra dictum est, significans qui in mari est, cetum magnum Leviathan, serpentem vectem tortuosum. Cecidit hic talis Dagon coram arca Domini tandem truncatus capite, et abscissis manibus, id est, sublatis a cultu ejus regibus terræ et principibus, qui prius astiterant, et convenerant in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus (*Psal.* II). Quid autem est quod et percussit inimicos suos in posteriora, ita ut computrescerent prominentes extales eorum, nisi quod illos qui victoriam ejus recipere noluerunt, qui intelligentes virtutem Dei, « non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, tradidit in reprobum sensum? Nam feminæ eorum, inquit Apostolus, mutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes (*Rom.* I). » Dum enim huic vitio nequissimo incredulos subdidit terribile judicium Domini, profecto « percussit inimicos suos in posteriora et opprobrium sempiternum dedit illis. » Quid autem sunt illi qui ebullierunt et terram demoliti sunt mures, nisi ma-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ligni spiritus, justis quidem contemptibiles ut mures, peccatoribus autem terribiles ut leones.

CAPUT XV.

Quod vaccæ arcam Domini portantes, prædicatores significent fideles in Ecclesia, qui in directum procedunt non declinantes ad dexteram neque ad sinistram.

(Cap. VI.) Quo tandem modo victoria omnis peracta est? Duritia utique et patientia prædicatorum secundum hoc miraculum, quod subjunctum est : « Tollentes, inquit, duas vaccas quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum et capsellam quæ habebat mures aureos, et similitudinem agnorum. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis, et itinere uno gradiebantur pergentes, et mugientes, et non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram. » Quid enim vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia signant, qui, dum sacri eloquii præcepta considerant, quasi super impositam Domini arcam portant? De quibus hoc etiam notandum quod fuisse fetæ memorantur, quia sunt plerique qui in via Dei intrinsecus positi foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinant a recto itinere, quia arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe *domus solis* interpretatur. Et propheta ait : « Vobis autem qui timetis Dominum, orietur Sol justitiæ (*Mal.* IV). » Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est quod vaccæ Dei plaustro suppositæ, pergunt et gemunt. Dant ab intimis mugitus, et tamen de itinere non retorquent gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non reflectunt. Sic nimirum prædicatores sancti, sic fideles quique esse debent intra sanctam Ecclesiam, ut compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. Arcam quippe vaccis superpositam Bethsamis pergere, est cum superna scientia ad internæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque, sic necesse est ut incedere debeant qui, sacræ legis jugo suppositi, jam per internam scientiam arcam Domini portant, quatenus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent a cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit, aut plus tacta, si inflectitur remissa.

CAPUT XVI.

Quid significet quod Bethsamitæ videntes arcam Domini, gavisi sunt, et quod vaccæ in holocaustum cæsæ sunt, et quod viri Bethsamitæ percussi, eo quod vidissent arcam Domini.

« Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle. Et elevantes oculos viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent eam. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. » Lapidem istum super quem concisis lignis plaustri vaccas imposuerunt in holocaustum, Hebræi aram ad Abraham ædificatam intelligunt. Hæc, etc. « Quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, et reversi sunt, » inquit, « in Accharon in die illa. » Sic plane perseverantiam prædicatorum, de quibus jam dictum est, principes idololatriæ viderunt, quod scilicet nullis affectibus carnis revocari potuerunt, quin etiam insuper corpora sua passionibus objicientes in holocaustum Domino obtulerunt, et tandem confusi a persecutionibus cessaverunt. « Hi autem sunt anni aurei, quos reddiderunt Philistæi pro delicto Domino : Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accharon unum. Et mures aureos secundum numerum urbium, » etc. Hoc urbium numero quæ anos aureos et mures reddiderunt, universitas illorum significatur, qui quinque corporis sensibus, prius per fornicationem abusi, postea supradictas passiones ignominiæ fugientes peccata priora subsequentibus bonis operibus redemerunt. Quod vero sequitur : « Et usque ad Abel magnum super quem posuerunt arcam Domini. » Abel magnum civitas est in termino Israel. Abel magnum idcirco vocatur, cum antea Bethsamis vocitata sit, sive propter luctum super viris Bethsamitis ibi factum, sive propter distinctionem civitatis Abel Bethmacha, de qua exclamavit mulier sapiens ad Joab, dicens : « Qui interrogant, interrogent in Abela (*III Reg.* X). » Sic itaque intelligendum est quod « ab urbe murata usque ad villam, quæ erat sine muro et usque ad Abel magnum, » dederint mures. « Super quem, » id est super luctum, « posuerunt arcam 396 Dei, quæ erat usque in illam diem in agro Josue Bethsamitæ. » Fuit igitur in agro illius, donec in Cariathiarim ducta est. « Percussit autem de viris Bethsamitis eo quod vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. » Hos septuaginta viros, judices septuaginta Hebræi intelligunt, quorum merito et gloria quinquaginta millia viri computantur, sicut de David dicitur : « Quia tu unus pro decem millibus computaris (*II Reg.* XVIII). » Idcirco percussit eos, quia viderant arcam Domini, quia curiose inspexerant, cum fuissent lege prohibiti. Ait enim Dominus in libro Numeri : « Aaron et filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, et dividant quæ portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur, alioqui morientur (*Num.* IV). » Sic nimirum millia multa de viris Bethsamitis, de viris domus solis, de viris ecclesiasticis, multa, inquam, millia plebis, multos primates viros percussit judicium Domini, et errare eos fecit, eo quod vidissent arcam Domini, eo quod indigne non dilectionis studio, sed præsumptionis et curio-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sitatis vitio, ausi fuissent in Scripturis scrutari secreta divinitatis, et facti sunt hæresiarchæ, judicante Deo superbos ad conspectum divinitatis et veritatis non admitti.

CAPUT XVII.

De translatione arcæ Domini, quod nusquam legatur reducta in Sylo, per quod Synagoga mystice intelligitur, et quod manserit in Cariathiarim, quo nomine significatur Ecclesia gentium.

(Cap. VII) « Et factum est ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vicesimus), et requievit omnis domus Israel post Dominum. » Vicesimo anno peracto translata est eadem arca a Samuele in Masfath (*II Paral.* I), et de Masfath transtulerunt eam Samuel et Saul in Galgala. Inde translata est a Saul in Nobe, de Nobe in Gabaa. De Gabaa translata est a David in domum Obeth Edom, de domo Obeth Edom transtulit eam David in Sion (*II Reg.* VI), et de Sion transtulit eam Salomon in Sancta sanctorum (*III Reg.* VIII ; *II Paral.* V). Nusquam extunc in Sylo reducta fuisse legitur, quia repulit et sprevit illum locum Deus in typum videlicet Synagogæ, in qua quondam erat sanctuarium Domini, sed repulsa et spreta est, et omne sanctum alio transmigravit. Quod Propheta respiciens : « Et repulit, » inquit, « tabernaculum Sylo, tabernaculum suum ibi habitavit in hominibus (*Psal.* LXXVII). » Sylo namque *abruptio* interpretatur. Quo nomine graviter eadem Synagoga denotatur, pro eo videlicet quia assistens adversus Dominum et adversus Christum ejus : « Dirumpamus, ait, vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum (*Psal.* II). » Manet autem nunc arca Domini in Cariathiarim. Cariathiarim interpretatur *civitas silvarum*, quo nomine recte Ecclesia gentium designatur. Ipsa namque quondam erat silva magna, bestiis ferocibus, id est malignis spiritibus, inhabitata et pervia, nunc autem civitas est fide fundata, muro divinitatis et angelorum præsidiis communita. Hic ergo manet, hic arca Domini invenienda est. Unde Propheta cum dixisset : « Ecce audivimus eam in Ephrata (*Psal.* CXXXI), » continuo subjunxit : « Invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ (*ibid.*), » etc. Hæc plane dixit gaudio dulci attonitus, quippe qui voverat se non daturum oculis suis somnum et palpebris suis dormitationem et requiem temporibus suis, donec inveniret locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*ibid.*), id est donec sancto indicante Spiritu quo in loco quieturus sit Dominus et Salvator, et ubi tabernaculum suum tendere dignetur Deus Jacob. Et subito irruente in se Spiritu : « Ecce, inquit, audivimus eam in Ephrata, » eam, inquam, id est arcam sanctificationis ejus, compactam vel compingendam esse audivimus de carne Virginis in Ephrata, hæc est Bethleem. Ac deinceps subjungens : « Invenimus eam, » inquit, « in campis silvæ. » Tanquam diceret : Jam non invenitur illic ubi audivimus eam, jam non invenitur in illa de qua processit gente, sed in gentibus quæ prius fuerunt, tanquam silvæ a bestiis, id est malignis spiritibus, possessæ, nunc autem in modum camporum sepibus gratiæ Dei circumdatæ, cultiles sunt et fecundæ. Manet igitur arca Domini nunc in Cariathiarim, et multiplicantur dies ; dies, inquam, sanctorum, dies virtutum, succrescitque in lucem multitudo gentium usque ad tempus præfinitum, quo et reliquiæ Sylo, id est carnalis Israel, salvandæ sunt. Sicque requiescit « omnis domus Israel post Dominum, » post Dominum, inquam, qui dixit : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Juxta litteram requievisse post Dominum dicuntur, quia, abjectis idolorum sordibus, Domino se ad serviendum toto corde tradiderunt ; quod et in subsequentibus dicitur : « Abstulerunt filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. Et convenerunt in Masfath, hauseruntque aquas, et effuderunt in conspectu Domini. » Hebræi tradunt quod coram Domino in eadem aqua maledicta congesta sint, et sicut in lege mulier zelotypa hausta aqua probabatur (*Num.* V), ita et hic idololatræ hac aqua probati sunt, hi videlicet qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam quod quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia ejus ita sibi adhærerent ut nequaquam ea ab invicem idololatra separare posset. Hoc idololatra judicio deprehendebatur, et interficiebatur. Quod sequentia demonstrant in eo quod ait : « Judicavitque Samuel filios Israel in Masfath. » Judicare in hoc loco idololatras secundum legem, morti tradere intelligendum est. Dicunt etiam quod hoc modo Moyses idololatras qui sibi vitulum fecerant probaverit, quando arripuit vitulum, et combussit, et contrivit usque ad pulverem, et sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel (*Exod.* XXXII).

CAPUT XVIII.

In quo peccaverunt postulantes regem, cum lex data non prohibuerit eos constituere regem, sed alterius gentis hominem.

(Cap. VIII.) Hactenus imaginem sacerdotii transferendi : nunc velut in alia tabella, mysticis depictam figuris contemplemur imaginem regni Christi Filii Dei, quod, destructo peccati regno, in salutem et libertatem successit. « Congregati universi majores natu Israel venerunt ad Samuel in Ramatha, dixeruntque ei : Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis regem ut judicet nos sicut et universæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, ea quod dixissent : Da nobis regem ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixitque Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, » etc. Primo juxta litteram quæritur in quo populus regem sibi postulando **397** peccaverit. Dicit enim lex : « Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris, Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus (*Deut.* XVII), » etc. Hæc utique dicendo, non qualemcunque regem, sed alienigenam regem lex constituere vetuit. Quid ergo justæ querelæ legislator habuit ut diceret : « Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos? Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. » Ad hoc facilis patet responsio, quia tempore importuno dixerunt : « Da nobis regem, ut judicet nos, » cum haberent judicem juste et regaliter judicantem eos, non in ambitionis vanitate, sed in spiritu Dei et sermonis Domini veritate, de quo sciebant quod fidelis esset, quemadmodum et superius de illo contestans Scriptura dicit : « Et cognovit universus Israel, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini (*I Reg.* III). » In eo populus deliquit, quia regnantem super se sermonem Domini, imo ipsum regem Deum suum projecit, sicut et postmodum Samuel ipse acri invectione dicit : « Vos autem hodie projecistis Dominum Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis : Nequaquam, sed regem constitue super nos. » Quia plana historia est, nunc breviter pauca, quæ quæstione indigent, perstringamus, et tunc demum juxta propositum mysteria subtexamus.

CAPUT XIX.

De Saul, quomodo regnare cœperit, et quod sic innocens videbatur, tanquam filius unius anni, et quod in eadem innocentia duobus annis regnaverit.

(CAP. IX.) « Dixitque Saul ad puerum : Ecce ibimus. Quid feremus ad virum? » Non enim putabat Saul sibi asinas a Samuele aliter indicari, nisi pretio divinationis. Ideo ait : « Quid feremus ad virum? » — « Festina nunc, hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populo in excelso. » Sacrificio in hoc loco prandium intelligitur, quod paraverat Samuel populo in Kalendis. « Et dimittam te mane, et omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. » Erat in corde Saul sicut Hebræi tradunt, quod rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quæ viatio signum regale erat. (CAP. X.) « Cumque abieris inde, et transieris ultra, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. » Hi viri causa orationis ibant in Bethel, ubi Jacob lapidem erexerat (*Gen.* XXVIII). « Post hæc venies ad collem Dei. » Collis Dei locus erat ubi prophetæ habitabant. « Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis. » Prophetasse eum ibi Judæi dicunt de futuro sæculo, de Gog et Magog, et de præmiis justorum, et de pœna impiorum. « Quando ergo evenerint signa tibi hæc omnia, fac quodcunque invenerit manus tua, quia Deus tecum est. » Ac si diceret : His signis nosse poteris quia Deus te regem facere voluit, et idcirco ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. « Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas septem diebus. Exspectabis donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias. » Videtur quibusdam Saul inculpabiliter obtulisse holocaustum, cum Samuel ab eo exspectatus, juxta placitum septem dierum non venerit. Si quis vero hunc locum bene distinxerit, inveniet eum non immerito culpatum fuisse, et inobedientiæ redargutum. Locus autem hic apud Hebræos ita distingitur : « Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te. » Et postea inferunt : « Ad offerendas oblationes, et immolandas victimas pacificas septem diebus exspectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias. » Non ergo Samuel suum præstolari adventum Sauli septem dierum tempore præcepit, sed ad offerendas oblationes, et immolandas victimas pacificas septem diebus ab eo voluit exspectari. Quod ille nequaquam fecit, ideo merito culpatur, et stultitiæ elogio denotatur. « Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel, » non de Isboseth filio Saul, sed de eodem Saule dictum est. Sic enim erat innocens, quando regnare cœpit, sicut filius unius anni est, et in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur.

CAPUT XX.

De superbia Saulis, cujus indicia fuerunt peccata maxima, alterum quo sacrificium obtulit, alterum quo Amalech percutere et delere jussus, obedire contempsit, insuper et peccatum suum defendit.

Arbor magna et fertilis valde cito inveteravit, quæ tantum duobus annis fructificandi gratiam retinens statim, corrupta radice, frondium venustatem simul et fructuum honorem perdidit. Qualis putas vermis intrinsecus radicem ejus momordit? Utique vermis superbiæ, quo et ille vitiatus computrescere potuit de quo et in Ezechiele dicit verbum Domini : « Ecce Assur quasi cedrus in libano pulcher ramis et frondibus nemorosis, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. » Ac deinceps : « Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem et condensam, atque elevatum est cor ejus in altitudine sua, tradidi eum in manu fortissimi gentium (*Ezech.* XXXI). » Plane et de isto veraciter dicas, quia pro eo quod elevatum est cor ejus in altitudine sua, tradidit eum Deus in manu fortissimi gentium. Nam Spiritus Domini recessit ab eo, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Duo peccata pœnam hanc præcedentia, jam dictæ ejus superbiæ nobis indicio sunt. Primum est quod homo non de tribu Levi, sed de tribu Benjamin regio fastu nihil sibi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

non fecere arbitratus (Cap. XIII) : « Afferte, » ait, « mihi holocaustum, et pacifica, et obtulit holocaustum. » Hoc nimis grande fuit regis supercilium, digne superno judicio feriendum. Quid enim tale fecit Ozias Davidici generis, de tribu Juda? Tantum ingressus templum Domini adolere voluit incensum Domini super altare thymiamatis. At vero statim cœlestis ultio superbiam ejus loco competenti percussit, orta est enim lepra in fronte ejus in domo Domini coram sacerdotibus, unde et leprosus usque ad diem mortis suæ habitavit secundum legem leprosi in domo separata, plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini (*II Paral.* XXVI). Quanto magis iste projiciendus fuit, qui totum sibi sacerdotis officium usurpavit? Illic ergo dicitur ei : « Nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi **398** virum juxta cor suum, » etc. Secundum illud fuit quod jussus in verbo vel voce Domini ire, et percutere Amalech, et demoliri universa ejus, non parcere ei, sed interficere a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum; non fecit sic, sed in derogationem supernæ severitatis, ausus est parcere Agag, et optimis gregibus ovium, et armentorum : et vestibus et arietibus et universis quæ pulchra erant, nec voluit disperdere ea. In hac superbia præsumpti quoque superius sacerdotii usum retinebat. Nam deinceps scriptum est (Cap. XV) : « Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, de pultibus prædarum quæ attulerat de Amalech. » Nonne supra quia necessitate compulsus obtulit holocaustum, dixerat ei Samuel: « Nequaquam regnum ultra consurget? » Itaque perseverans in malis peccatum non mutavit, sed auxit, quando optimis quibusque pepercit, et Agag reservavit, contra imperium Domini, non solum præsentis transgressor præcepti, sed et veteris contemptor Scripturæ Dei. Dixerat enim Dominus Moysi, ubi venerat Amalech et pugnaverat contra Israel : « Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue. Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo (*Exod.* XVII). » Præterea, quod nequissimum est, redargutus in sermone Domini dicentis : « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini. » Refellere ausus arguentem se de peccato Spiritum Domini, cum superba defensione dicit : « Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalech, et Amalech interfeci. Tulit autem populus de præda oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis, » etc. Hoc etenim nequissimum est, cum post voluntatem peccati, quod primum est, et post effectum operis quod secundum est, atque post usum perversum, quod tertium est, additur et defensio peccati quod quartum est, et hic nullus veniæ locus est. Nam et per prophetam Deus dicit : « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum (*Amos*, I). » Idcirco et nunc quam acerrime Samuel cum dixisset : « Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, » continuo subjunxit : « Quoniam quasi peccatum hariolandi, est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, » etc. Igitur tantis exacerbatus contumeliosis injuriis (Cap. XVI), « Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. » Grandis pœna regis, grandis confusio populi, qui contra Dei voluntatem regem postulavit. Et si cætera desint exempla judicii et veritatis, vel hoc solum pro testimonio sufficere possit, quod nunquam ad bonum status sui finem perveniat omnis plantatio quam non plantavit Pater cœlestis, quod omnis ordinatio domus Domini, quæ inconsulta voluntate ejus per voluntatem hominum facta est, inordinationis pœnas datura sit. Hujus opprobrii maculam subsequens abstulit regnum David, ordinatum per voluntatem et per manum Dei, quemadmodum et Samuel superius testificando dicit : « Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum ejus, » quod profecto cum dicit, ex opposito dat intelligi, quod nunquam Saulem juxta cor suum Dominus quæsierit. Ac proinde cum dicitur, quia « erat Saul electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo; » utique subaudiendum est, non juxta cor Domini, sed juxta cor populi. Sequitur enim : « Ab humero et sursum eminebat super universum populum. » Quo videlicet dicto brutum percutit vulgi judicium, eo quod staturæ, non meritis fasces ascribat, vel gloriam dignitatum.

CAPUT XXI.

Quod eo ipso, quod dæmoniacus erat, regnum peccati in illo figuratum sit, in David autem nomine et factis regnum Christi.

Igitur mysterium hoc jam in promptu est, quo scilicet dæmoniacus rex Saul furiosum peccati regnum, David autem pacatum justitiæ regnum significat, primum nominibus, deinde rebus. Saul namque *petitio*, David autem *manu fortis* sive *desiderabilis* interpretatur. Quæ autem fuit petitio generis humani, nisi petitio peccati, quod propria sponte homo expetivit, cum liber esset et ingenuus, creatus ad imaginem Dei? Quis econtra manu fortis vel desiderabilis, nisi Christus Filius Dei, qui fortem armatum peccati principem, atrium suum custodientem, fortiori manu superveniens vicit, et deinde victor sedens ad dexteram Patris, videntibus se angelis, et sperantibus in se hominibus, totus est desiderabilis? « Regnavit mors, quæ per peccatum introierat in hunc mundum, usque ad Moysen, » ait Apostolus (*Rom.* V), et extunc per legem audita regni sui contradictione, vis peccati amplius insanivit. Unde idem Apostolus : « Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lege enim peccatum mortuum erat, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit (*Rom.* VII). » Sed et in singulis hominibus quandiu non liberantur gratia Christi, peccatum regnat, et tanquam furiosus sessor equum subactum calcaribus urget, flagellis diverberat, unde et ethnicus adultero his verbis insultat. Urget enim mentem Dominus non levis, et acres subjectat lasso stimulos versatque negantem. Ab hujusmodi regno rex manu fortis et desiderabilis Christus, et in massa totum mundum semel moriendo potestate liberavit, et in sua quemque persona nunc usque actu liberare non desinit. Ejus regni gratiam nunc in patre carnis ejus David, sub mysticis contemplemur figuris.

CAPUT XXII.

De electione David, quam pura ab humano favore fuerit, et quod sicut Samuel personam David non noverat, ita Joannes Christum nesciebat.

« Dixitque Dominus ad Samuel : Imple cornu tuum oleo, et veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitem. Providi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Samuel : Quomodo vadam? Audiet enim Saul et me interficiet. Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Domino veni, » etc. Et si Samuel prophetico spiritu rem noverat, ita ut diceret : « Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei ut sit dux super populum suum (*I Reg.* XV). » Et iterum : « Scidit Dominus regnum Israel a te, et tradidit illud proximo tuo meliori te (*ibid.*), » personam tamen electi illius non noverat. Unde « cum ingressi essent filii Isai, vidit Heliab, et ait : Num coram Domino est christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuel : Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci **399** eum, nec juxta intuitum hominis judico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. » Sic profecto præcursor Domini Joannes, eum quem præcurrebat secundum spiritum noverat, sed secundum carnem, vel secundum faciem non noverat. Unde et dicit : « Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). » Hoc nempe ad puritatem veri testimonii plurimum valet, quia videlicet ibi in eligendo favoris vel gratiæ humanæ suspicio nulla subesse potest, ubi ipsa cui favor aut gratia impendatur persona, necdum cognita est.

CAPUT XXIII.

Quod unctus sit David, non ut Saul lenticula, sed pleno cornu olei, quid mystice significet, et quod a die illa directus est in eum Spiritus Domini.

« Imple, » inquit, « cornu tuum oleo. » Et hic jam manifesta distaptia est. Nam de Saul dictum est : « Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus (*I Reg.* X). » Lenticula vasculum erat olearium quadrangulum, in latere apertum, a liniendo dictum. Cornu vero olei longe ampliorem continens abundantiam, constantem et perseveraturam in David A signabat regalem pariter ac prophetalem gratiam. Nam « directus est, » inquit, « Spiritus Domini in David a die illa, et in reliquum. » Videlicet cum ungeretur oleo visibili, pinguedo invisibilis a radice sese diffudit in ramos bonæ arboris ; a radice, inquam, id est ab eo qui dixit : « Ego sum genus et radix David (*Apoc.* XXII). » Nam qui postea per novam carnis nativitatem factus est genus David, ipse jam per antiquam divinitatis naturam erat radix David, Spiritus sancti verum oleum veramque pinguedinem subministrans, unde floreret, fronderet, fructumque faceret, imo et pater ipsius ipse fieret David. Igitur quemadmodum arbor a radice pinguedinem sumit, unde fructificet temporibus suis, sic iste ab illa radice sua sumpsit quæ thesaurizaret testimonia Domino B suo Filio suo, factis mysticis, dictis propheticis. Unde hunc servemus honorem Patri tantæ majestatis, sive carnis sedentis ad dexteram majestatis in excelsis, ut quamvis cuncta capere nequeamus, nihil in illo secundum præsentem Scripturam factum, nihil ab illo quod a mysterio vacet dictum, sive cantatum arbitremur. Nempe primo hoc ipsum, quod pleno olei cornu inungitur, quid mysterii, quid pulchritudinis habet intrinsecus? Plenitudine olei, qua pater unctus est, recte omnis plenitudo divinitatis intelligitur, quæ nunc in filio ejus inhabitat corporaliter (*Col.* II). Non enim huic ad mensuram dedit Deus spiritum, sed totus in illo septiformis spiritus requiescit. Quod sciens is ipse, de quo hæc dicuntur futuri pater filii, cum dixisset illi : « Dilexisti justiC tiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, » continuo subjunxit, « præ participibus tuis (*Psal.* XLIV), » id est præ omnibus sanctis, præ omnibus unctis. Nam singuli sanctorum divisiva vel particulari gratia sunt inuncti : in isto autem omnis, uti jam dictum est, inhabitat plenitudo divinitatis.

CAPUT XXIV.

Quod tertio unctus sit idem David, et hoc ipsum in typum Domini, et filii sui Christi.

Hic jam sciendum est, quia hic talis ac tanti filii propheta et pater, tertio unctus est. Primo, hic a Samuele in medio fratrum suorum nesciente Saul. Secundo, in Hebron super domum Juda mortuo D Saul. Tertio, super universum Israel, dejecta a spe regni omni domo Saul. Plane in isto quasi speculo, tota unctionis Christi forma præfulsit. Ille namque tertio unctus est. Primo, videlicet ubi de Spiritu sancto conceptus est (*Luc.* I ; *Matth.* I). Secundo, ubi cum baptizaretur, veniente super illum Spiritu sancto, in specie columbæ demonstratus est (*Matth.* V ; *Luc.* III). Tertio, ubi resurgens ex mortuis tantam unctionis suæ gratiam in suos fideles transfudit, quantam hic idem unctus rex futurus, pater illius commendare cupit his verbis : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit ejus in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII). » Ubi enim resurrexit, ipsa

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

die stans in medio discipulorum suorum, dicensque : « Pax vobiscum, insufflavit, » et « accipite, » inquit, « Spiritum sanctum (*Joan.* XX), » et postmodum sedens a dextris Dei misit eumdem, et iterato dedit Spiritum sanctum (*Act.* I) Ita unguentum verum de capite in barbam Aaron, et oram vestimenti ejus descendit, id est Spiritus sanctus de Christo, qui caput nostrum est. Primo in illos fortes ac perfectos viros apostolos Christi, ac deinde per ministerium illorum in totam Ecclesiam descendit.

CAPUT XXV.

De prima ejus unctione clam facta in domo patris sui, et de vitulo, quem ut Saul falleret, adduxit Samuel jussu Domini, quod ita diabolus incarnatione Christi falsus sit.

Prima unctio David clam in domo patris hoc modo fit : « Quomodo, inquit Samuel, vadam? Audiet enim Saul et interficiet me. Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Domino veni, » etc. Vitulus ad immolandum adductus claudere poterat oculos Saul, ne sollicitaretur, ne quid suspicaretur, causa quasi tota patente securus. Sic pulchre in illa figura factum est, quia sic in re futurum erat. Vitulus immolandus passibilem significat naturam nasciturі de Virgine Regis Christi Filii Dei, qua falsus diabolus potentiam nascentis intelligere non potuit, quod scilicet ad destitutionem peccati Rex justitiæ veniret, et regni ejus non esset finis. Est enim ille malis quidem suis astutus et callidus, in bonis autem Dei brutus et fatuus. Unde et in Job ex ore Dei Behemoth, id est animal, dicitur, circulum fatuitatis habens in naribus (*Job* XL). Sed et in principio, ubi serpens, imo ipse in serpente diabolus maledicitur, « Super pectus tuum gradieris, » inquit Deus (*Gen.* III). Quomodocunque in malo sit subtilis et callidus, quantumcunque naturæ perversione malitiosus abutatur ad cognoscendum arcanæ divinitatis consilium, brutus est, et super pectus suum graditur, semper intentionem suam conculcando, ut cœlestibus dum nocere cupit, prodesse probetur. Quod facile agnosci libet ex cunctis qui spiritu ejus aguntur malitiosis hominibus. Quantumcunque in cognitione creaturæ, in cœli motibus, in astrorum cursibus, seu etiam magicis artibus subtiliter calleant, spiritualium **400** tamen bonorum, ac cœlestium sacramentorum, adeo indociles et imperceptibiles sunt, ut si eos voces ad audiendum, casso labore tuo nimium experiaris, brutum et pene irrationabilem illis esse animam. Igitur ubi David inungitur, vitulus de armento tollitur ad immolandum, ne audiat Saul, quia videlicet ubi Rex novus Christus nascitur, cuncta humanæ naturæ passibilitas de foris præienditur, ne sacramentum hoc agnoscat diabolus, ut, quamvis circumfulgentibus miraculis terreatur, et adversi aliquid interdum suspicetur, nesciat tamen qua via vel quo ordine virtus quæ mundum ingressa est, regnum ejus expugnare aggreditur.

CAPUT XXVI.

De eodem David, quod parvulus erat, et oves pascebat, et rufus, ac decora facie, quod in his omnibus Christum figuravit.

« Adhuc, » inquit Isai, « est reliquus parvulus, et pascit oves. » Ac deinceps. « Misit ergo et adduxit eum : erat autem rufus et pulcher aspectu, decoraque facie. » Parvulus erat, et oves pascebat, videlicet in typum jam dicti filii sui, qui, ut vere parvulus, dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI), » et ut verus Pastor nos oves suas, nos, inquam, populum suum, et oves pascuæ suæ pascit, quos et acquisivit suo sanguine. Unde et dicit : « Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis (*Joan.* X). » Hoc Abel justi et patriarcharum, cum quibus locutus est Deus, fuit officium. Sed quod « rufus erat, » imaginem pastoris illius prætendebat, pastoris qui animam suam pro ovibus suis posuit. Nam et iste recte rufus dicitur, non alieno sanguine, sicut diabolus, draco magnus et rufus (*Apoc.* XII), sed rufus proprio sanguine, quemadmodum et Zacharias propheta testatur : « Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum (*Zach.* I). » Vir ascendens super equum rufum ipse est resurgens corpusque resumens, proprio sanguine perfusum, juxta quod postmodum idem propheta : « Tu quoque, » inquit, « in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua (*Zach.* IX). » Nihilominus ad ejusmodi imaginem pertinet quod « pulcher aspectu erat, et facie decora, » videlicet non ea pulchritudine vel eo decore, qui lascivos vel incontinentes ad videndum provocat, sed qui sapientiæ conditorem pudice delectat, dum lucet in vultu, ipsaque spirat in mente gratia, quemadmodum Scriptura testatur, quia « sapientia justi lucet in vultu ejus (*Prov.* XVII). » Inde pulcher aspectu spiritualibus prophetæ oculis cognosci poterat, quod is ipse esset quem regem futurum præparatrix jam præparaverat Dei gratia. Hoc, inquam, ad imaginem ejus pertinet, Christi Filii Dei, de quo postmodum ille citharizando cecinit : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna (*Psal.* XLIV). » Hæc species, hæc pulchritudo procedentis et regnantis species interior est, species divinitatis tanta, ut in comparatione ejus habitus hominis sordes fuerint, quemadmodum propheta dicit : « Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus (*Isa.* LIII), » etc.

CAPUT XXVII.

De eodem, quomodo electus et unctus sit absque omni humano favore, in typum ejusdem Christi dicentis : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. »

Quis autem aliquando sic unctus est rex, et tali

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad regnum ordine perductus est? Omnes reges aut proprio flatu singuli ad regnum ambitiose aspiraverunt, aut hæreditaria successione provecti sunt, aut in filiis hominum confisi sunt, et a principibus sublevati sunt, et acclamati ab illis, statim purpura vestiti, et coronis insigniti sunt, statimque in sublimi solio residentes, ac sceptra tenentes, in gloria sua splenduerunt. Hic autem adhuc puer cum post fetantes iret, vivente ac regnante Saul, nihil hujusmodi in corde suo habere poterat, ut diceret ei Samuel quod ante Sauli dixerat : « Omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi (*I Reg.* IX). » Non enim principes fuere faventes et acclamantes; sed fratres magni invidentes, et de puero indignantes, unde et frater ejus major postmodum loquente illo cum aliis, iratus dicit : « Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium descendisti (*I Reg.* XVII). » Non statim sceptriger in solio sedit, purpura insignis, et diademate clarus, vel corona aurea splendidus, sed prius egenus et vagus profugusque erravit, et exsul omnibus quoque modis prius amaritudines totius infelicitatis quam nectareos aut mellitos regum populi liquores epotavit. Quis, inquam, omnium regum, præter solum Dominum et Filium ejus Jesum Christum Deum et hominem, tali ordine processit et regnavit? Ille namque puer, nunc exaltatus et elevatus et sublimis nimis, non se ipsum exaltavit, aut elevavit, quemadmodum Judæis dicentibus : « Quem te ipsum facis, » respondens ait : « Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est (*Joan.* VIII). » Item : « Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat et judicet (*ibid.*) » Et alibi : « Et a meipso non veni, sed est unus qui misit me, quem vos nescitis (*Joan.* VII). » Non elegerunt eum filii hominum, principes vel primates populorum, sed ipse potius principes suos elegit. Quemadmodum dicit : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV). » Non hæreditaria secundum hominem successione in regnum ascendit, quippe qui non saltem de filia Herodis sive cujuslibet principis, sed de pauperecula virgine desponsata fabro nasci dignatus est. Unctus quoque ex utero rex non statim ut rex dici vel esse potuit, gloria et honore regio coronatus est, sed juxta prophetiam dicentis : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX), » prius cunctis tentationibus et passione mortis amaricatus est, quam in illas delectationes, quæ sunt in dextera Patris, caput exaltaret. Igitur et in his omnibus patri filius similis est, imo in similitudinem futuri filii sui pater iste David præordinatus est.

CAPUT XXVIII.

De mystica compositione psalterii decachordi, et quod interea spiritus nequam exagitabat Saul, et quod in his omnibus Ecclesiæ Christi [f. *sapientia*] *et insania figuretur inimici ejus Judaici populi.*

« Et directus est spiritus Domini in David, a die illa, et in reliquum. » O quantum habet pulchritudinis et gratiæ, verbum ipsum quo sic dicitur, « et directus est ! » Non sic dictum est, nec sic dici debuit de Saul, a quo Spiritus **401** Domini erat recessurus, nec de alio quoquam, cujus animam fictam aut duplicem, ille Spiritus amoris recto nunquam oculo dignatur, fictionem ejus post levem attactum statim effugiturus. Istum secundum cor suum invenerat Dominus, et idcirco in animam ejus deosculandam promptiore et recto pectore ferebatur. Quibusnam ab effectibus claruit quod in illum dirigeretur Spiritus Domini? Primum a gratia prophetali, deinde et ab opere fortitudinis. Nam extunc et Psaltes inclytus factus est prophetans et citharizans inaugalia Domini, psalmosque componens mysteria continentes Filii Dei, filii sui Christi, et fortitudine indutus est, quemadmodum ipse testatur, dicendo ad Saul (CAP. XVII) : « Pascebat servus tuus domini sui gregem, veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, et sequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus. Erit igitur et Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis. » Igitur « directus est Spiritus Domini in David, » quem secundum nomen ipsius et dictis desiderabilem et factis manufortem fecit, in typum nihilominus ejusdem Christi filii sui, qui fortiter fecit, et delectabiliter docuit, vere manu fortis, vere desiderabilis. Ille enim sic prædicavit, sic docuit, ut admirantes dicerent ipsi ejus adversarii : « Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur (*Joan.* IX). » Doctrinam ejus vel prædicationem, ipsum Psaltæ hujus musicum instrumentum expressit, quod psalterium dictum est in modum Delthæ compositum, interius concavum, de foris pellibus mortuorum animalium coopertum, habens decem chordas desuper sonans. Quæ singula mystice nobis consideranda sunt in prædicatione ejus evangelica. Concavitas interior in eo est quod perfectionis appetitorem terrenis facultatibus evacuat : « Si vis, » inquiens, « perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XIX ; *Luc.* XVIII). » Pelles mortuorum animalium, quibus erat coopertum, mortificationes sunt vitiorum : docet enim qualenus sibi compatiamur ut conregnemus, commoriamur ut conresurgamus (*Rom.* VIII ; *II Tim.* II). Decachordi positio, Decalogi legis est observatio. « Legem enim, » inquit, « non veni solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Soni desuper emissio cœlestium tantum est appetitio, solius Dei dilectio sursum tendens bene operantis intentio, quam prædicat et inculcat : « Nesciat, » inquiens, « sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth.* VI), » et his similia. Parum dictum est. Ipse qui sic locutus est, et sic docendo cecinit : ipse, inquam, secundum hominem, in quo docuit, psalterium est, quemadmodum et in Psalmo vox ad eum cœlica

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dixit : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI). » Statîm atque respondens etiam resurrectionis horam determinando : « Exsurgam, inquit, diluculo (*ibid.*). » Tanti ergo artificii melodia, scilicet evangelica doctrina, fidium impulsione et digitorum motione excitata, habenti aures audiendi dulciter et clare personat. Sonus fidium in illo ipsa est prolatio vocum, discretio digitorum pluralitas est Spiritus sancti donorum, quæ universa in illo sunt. Ille nihilominus sic operatus est, et sic fortiter fecit ut leonem vel ursum suffocaret, et ovem sive arietem de ore eorum erueret. Notum hoc et certum nobis est, populo ejus de ovibus pascuæ ejus, quia magnum leonem diabolum suffocavit, et nos de ore ejus eripuit. Interea Saul exagitabat spiritus nequam a Domino, id est illos in quibus regnabat peccatum et mors, amplius in præsentia Salvatoris exœcabat zelus et invidia ex Domini judicio, in tantum ut comparatione præsentis insaniæ præteritus omnis furor levior fuerit et tolerabilior. Quod innuens ipse Dominus, cum dicerent de illo : « Dæmonium habet, et in principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth.* XII), » dicit de illis : « Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit : « Revertar in domum meam priorem unde exivi (*Luc* XI), » etc. Hominem enim, id est populum illum de quo exierat, quando de Ægypto eductus ubi diis alienis servierat ad Dei unius cultum conversus est, illum, inquam, populum tunc spiritus nequior et opulentior ingressus est, quando mox natum Filium Dei cum Herode persequi cœpit et deinceps blasphemare non desiit, « et fiunt novissima populi illius pejora prioribus (*ibid.*). »

IN LIBROS REGUM LIBER SECUNDUS.

(I Reg. XVII ; II Reg. XXIV.)

CAPUT PRIMUM.

Quomodo et bonorum quæ fecit, et malorum quæ pertulit Christus Filius Dei, præcesserunt signa in David.

(I Reg. cap. XVII). Verus David, id est desiderabilis, sive manufortis, prædicando regnum Dei, et ejiciendo dæmones in digito Dei, nobis quidem bona providit, sed sibimet adversa concitavit. Utriusque effectus signa quædam mystica mox præbuit, ut ante jam dictum est, in isto David spiritus Domini, scilicet quod prædicando et mira operando, et electis suis vitam acquisierit, et contra seipsum mortis satellites concitaverit. Et prius quidem bona nostra, deinde adversa ipsius præsignantur in isto David. Nam protinus sequitur. Et ait Saul ad servos suos : « Providete mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me. Et respondens unus de pueris, ait : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere (*I Reg.* XVI), » etc. Ac deinceps : « Igitur quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, tollebat David citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus (*ibid.*). » Puer ille qui hæc respondit Saul, Doech Idumæus fuisse perhibetur inimicus David, et omnia quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium ejus dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causa et invidiæ livore, ut ad Saul veniret, quatenus ibi quelibet occasione necaretur. Continuo sequitur : « Congregantes vero Philistæi agmina sua in prælium, convenerunt in Socoth. Inde et castrametati sunt inter Socoth et Azecha in finibus Dommim. Porro Saul et filii Israel, » etc. »

CAPUT II.

Quid mystice significet quod psallente David refocillabatur Saul, et quod eodem percutiente, corruit Philistæus.

Quid enim per ea quæ dicta sunt mystice nobis innuitur, nisi quia desiderabilis et manufortis Christus inimicos suos sive ex nobis gentibus, sive ex Judæis, qui et ipsi testante Apostolo, erant natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II), inimicos, inquam, suos ad reconciliationem vel amicitiam prædestinatos, et per prædicationem Evangelii, requiescere a peccatis, et respirare fecit de sub jugo diaboli, ac deinde superbum inimicum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, lapide vivo, quod ipse est, percussit, et sicut vulneratum humiliavit ? (*Psal.* LXXXVIII.) Saul quippe in eo quod David citharam percutiente, « refocillabatur, et levius habebat, et recedebat ab eo spiritus malus, » inimicos Dei significat pro parte illorum qui audita dulcissima prædicatione Christi ad pœnitentiam invitantis ad fidem ejus convertuntur et relocillantur, depositis peccatorum oneribus, et per confessionem recedit ab eis diabolus. Porro Philistæus quem interfecit, contra quem solum prævaluit solus David, ipsum significat diabolum, quem solus verus David Christus superare potuit, quem per crucem suam vicit, et suo sanguine triumphatum foras misit. In Paralipomenon iste et fratres ejus gigantes de progenie Arasa fuisse leguntur (*II Reg.* XXI), quæ in Judicum libro dicitur Orpha, socrus Noemi (*Ruth.* I). Ipso nomine diabolum, ut prædictum est, significat Golias Philistæus. Nam Golias *revelatus*, Philistæus vero *potione cadens* interpretatur. Revelatus ille est ex Evangelio Dei quod princeps tenebrarum sit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui antea mendacio protectus pro Deo colebatur in templis, adorabatur in simulacris. Nihilominus potione cadens ipse est, qui superbiæ veneno ebrius moto pede cecidit, expulsus est, stare non potuit.

CAPUT III.

De exprobratione Philistæi, et quod non erat quisquam ante adventum Christi qui posset percutere Philistæum, id est diabolum foras mittere.

« Stansque clamabat adversus Israel, et dicebat eis : Quare venistis parati ad prælium ? Nunquid ego non sum Philistæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, qui descendat ad singulare certamen. » Ac deinceps : « Ego exprobravi agminibus Israel hodie. Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. » Agmina Israel, agmina sunt universæ generationis quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, cum quo ille directus meruit vocari Israel. Agmina hæc jam multa erant antequam Christus manufortis de diabolo triumpharet, et fuerunt ex eis plerique fide fortes, in spe longanimes, dilectione Creatoris excellentes. Sed non fuit ex illis quisque adeo fortis ut destruere posset regnum peccati et mortis, ut posset armis justitiæ suæ superare atrium fortis armati, fortis, inquam, crudelis atque superbi. Unde et in Isaia Spiritus sanctus cum dixisset universo Israeli, universæ Hierusalem civitati, quæ est Ecclesia Dei : « Consurge, Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus usque ad fundum, **403** calicem soporis bibisti et potasti usque ad feces, » continuo subjecit : « Non est qui suscitet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit (*Isa.* LI). » Exprobrabat igitur ille superbus agminibus Israel, exprobrabat atque insultabat omnibus electis Dei, quod in Adam cæperat et apud inferos jure victoris detinebat. « Quare, » inquit, « venistis parati ad prælium? Quare tabulas testamenti, et decem præcepta legis quasi fortiter pugnaturi sumpsistis contra imperium meum? « Nunquid ego non sum Philistæus, et vos servi Saul? » Nunquid inquam, ego non sum princeps hujus mundi, et vos servi peccati? « Eligite ex vobis virum, qui descendat ad singulare certamen. » Sciebat enim quod omnes illaqueasset, omnes in iram Dei devolvisset, quemadmodum in eodem propheta post illa quæ jam dicta sunt, subjunctum est : « Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui (*ibid.*). » Hoc erat opprobrium Israel, quia nec ipsi parati venerant ad prælium, qui arripuerant legis armaturam, ut resisterent adversus peccatum, nec semetipsos liberare potuerant, quin cum peccato originali, nonnihil peccatorum quoque adderent actualium.

CAPUT IV.

Quod Golias de Orpha, hic autem processisset ex Ruth, altera nuru Noemi, et quomodo alias septem, alias octo legantur fuisse filii Isai : et quod item a patre missus sit David in typum Christi.

« David autem erat filius viri Effratei, de quo supra dictum est, de Bethleem Juda cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex et grandævus inter viros. » Pulcherrima occursio, Saul et omnes viri Israelitæ audientes sermones Philistæi, stupebant et metuebant nimis, sed illo tempore David jam erat a Deo datus et opportune præparatus velut ex adversa stirpe creatus. Nam ille, ut supra dictum est, ex progenie Orpha, hic autem de progenie Ruth, quæ utraque nurus fuerat Noemi. Nam Orpha osculata est socrum ac reversa Ruth adhæsit socrui suæ (*Ruth.* I). De cujus radice quasi germinaverit David, qui nati ex Orpha Philistæi superbiam percutieret. Iste Christi, ille typus Antichristi, qui ex diversis, imo contrariis generationibus editi, ab adventu ejusdem Christi, toto speciante mundo, confligere non desinunt usque ad finem sæculi. « Habebat, inquit, octo filios. Quæritur, cur hic octo filios habere dicatur, cum in Paralipomenon non amplius quam septem legantur? (*I Paral.* II.) Quod ita solvitur : Nathan utique propheta filium Samaa filii sui, quem in loco filii sui educaverat et nutrierat, inter filios numerat. Nam et coram Samuele septem ejus filii leguntur adducti esse, et octavus esse in pascuis (*I Reg.* XVI), inter quos Nathan adductum fuisse manifestum est, qui et Jonathan vocatur, de quo et in extrema parte Samuelis dicitur : « Percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David (*II Reg.* XXI). » Et notandum quod ubicunque propheta vocatur, Nathan scribitur, non Jonathan. « Accipe, inquit Isai, fratribus tuis Ephi polentæ et decem panes istos, et curre ad castra ad fratres tuos, et decem formellas casei, has deferes ad tribunum, et fratres tuos visitabis, si recte agant, et cum quibus ordinati sunt disce. Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi (*I Par.* XX),» etc. Non ut pugnaret armis indutus est bellicis, sed ut fratres suos visitaret missus est a patre suo David. Plane sic et Christus non ut in operibus legis pugnaret, quæ nihil ad perfectum adduxerat (*Hebr.* VII), sed ut fratres suos in hoc mundo peregrinantes visitaret, a Deo Patre suo missus est : visitaret, inquam, licet longe minor dictio sit, quam postulat res. Qui tropus tapinosis dicitur, id est, humilitas rei magnæ, non id agente sententia, quod ostendit. Quo locutionis modo Moyses quoque rem grandem humilians : « Vadam, inquit, et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivunt. » Quod utique dictum, re quam intendebat longe minus est. Igitur ut fratres suos visitaret, id est, ut filios Dei qui dispersi erant, in unum congregaret, Christus venit (*Joan.* XI) non pugnaturus in castris Saul, nec de lege nobis fratribus suis quidquam præter decem præcepta impositurus (quæ per decem panes vel per decem formellas casei recte signantur) cum Ephi polentæ, id est, cum ura Trinitatis fide.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT V.

Quid sit mystice quod cum armis pugnare vel incedere non potuerit David, sed quod ea saltem attentavit; et quid baculus David; quid quinque lapides; et quid unus lapis in quo percussit.

« Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super veste sua, cœpit tentare si armatus posset incedere. Non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere, quia nec usum habeo. Et deposuit ea. » Vestimenta vel arma Saul, quibus indutus vel accinctus David incedere non potuit, et idcirco deposuit ea, legis (ut prædictum est) fuere opera carnalia quæ Christus temporaliter quidem subiit, « factus sub lege, » ut Apostolus ait (*Galat.* IV), sed inutilia judicavit, eo quod, eodem testante Apostolo, nihil ad perfectum adduxisset lex (*Hebr.* VII), neque posset ex illis justificari omnis caro coram Deo (*Rom.* III), et idcirco illa deposuit. Quare autem tentare voluit utrum sic vestitus vel armatus posset incedere, cum non haberet consuetudinem? Numquid ipsam consuetudinem quod non haberet, nesciebat? Aut numquid is in quo directus erat Spiritus Domini, hoc ipsum nesciebat, quod non in armis victurus esset, sed in virtute Domini, cum ipsam pugnam non ingrederetur, nisi in ipso quo et victoriam suam præscire poterat Spiritu Domini? Quare ergo sic frustra tentavit? Videlicet, quia sic pulchrius, facto suam regi spem ostenderet quam si oblata regis arma mox voce aut verbo præcipiti quasi cum contemptu repelleret. Sic plane Christus quare carnales subiit legis justificationes, circumcisus ipse et per omnia circumcisionis factus minister? Numquid nesciebat quia suum non esset pugnare, per opera vel justificationes legis, sed per solum patibulum crucis? Quare ergo sub lege factus est, et in semetipso legis consuetudines admisit? Videlicet, quia dulcius fuit homines docere ratione, quam vi : dulcius, inquam, et suavius nihil nociturum subire consuetudinem legis, quam offensionem sive occasionem dari ulli homini. Depositis itaque vestimentis Saul, « Tulit, » inquit, « baculum suum quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum et funda manu tulit, et processit **404** adversus Philistæum. » Baculus nostri David, Christi scilicet, quem contra Philistæum tulit, quem et semper habebat in manibus, cura ovium rationabilium est quam contra diabolum suscepit de earum salute semper sollicitus. Quinque lapides limpidissimi, quos elegit de torrente, quinque sunt libri Moysi, quos tulit de populo Judaico superfluente. Fluebat enim fluvius, neque lapidibus illis retardabatur, id est, per carnalia licentiose decurrebat desideria Judaicus populus, nec enim ulla legis disciplina coercebatur. Misit eos in peram pastoralem quam habebat secum, id est, contulit cum Evangelio, quod nobis attulit secum Deus homo factus, Verbum caro factum. Pera namque vas pastoricium est, in quo lac mulgeri solet. Significat autem eam quam attulit Christus novam legem evangelicam, quæ profecto parvulis præstat lactis copiam. Fundam quoque manu tulit, id est, per charitatem, manus in crucem extendit, ut unum lapidem jaceret, ut una sola fide, sine legis operibus diabolum prosterneret. Econtrario cassis ærea super caput Philistæi et lorica humata, clypeus quoque et hasta ejus singula magni ponderis et magnæ ostentationis, illa est armatura superbiæ diaboli, de qua ad beatum Job Dominus dicit (*Job.* XLI) : « Per gyrum dentium ejus formido. Corpus ejus quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus. » Ac deinceps : « Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, » etc. « Ibat, » inquit, « Philistæus, incedens et appropinquans adversum David, et armiger ejus ante eum. » Quis est armiger ejus nisi egestas semper præcedens faciem ejus? Sic enim item de eodem ad beatum Job dictum est : « In collo ejus morabitur fortitudo, et ante faciem ejus præcedet egestas (*ibid.*). »

CAPUT VI.

De victoria Christi, et quomodo vel quæ mulieres cantent : « Percussit Saul mille, » etc.

« Festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi : et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et percussit Philistæum in fronte, et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram. » Tandem opprobrium et maledictum Philistæi : opprobrium, inquam, quo exprobraverat agminibus Israel et maledixerat David in diis suis subjungendo : « Veni ad me et dabo carnes tuas volatilibus cœli, et bestiis terræ, » conversum est in caput ejus. Nam econtrario carnes ejus et volatilibus cœli et bestiis terræ dedit David. « Tulit » enim « gladium ejus, præciditque caput ejus, » eoque sic trunco jacente, « videntes, » inquit Scriptura, « Philistæi, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. » Secundum hanc omnipotentiæ gloriam in se præfiguratam cecinit ipse David : « Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos (*Psal.* LXXXVIII). » Sic namque manu fortis Christus, ubi misit manum ad lapidem, id est, ad implendam per passionem suam Scripturarum veritatem, percussit frontem, impudentem scilicet ac superbam diaboli confidentiam (superbus enim habet frontis impudentiam), et præcidit caput illius, tollendo videlicet primævum peccatum, per quod ille mundo dominabatur. Unde Apostolus : « Delens, inquit, quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso (*Coloss.* II). » Bene igitur in occursum victoris mulieres egressæ de universis tribubus Israel cantantes, chorosque ducentes, dicant in tympanis,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et sistris lætitiæ : dicant, inquam, et præcinant una fide et consona voce : (I Reg. Cap. XVIII.) « Percussit Saul mille, et David decem millia in millibus suis. » Siquidem mulieres istæ, animæ nostræ sunt. Audierunt istæ mulieres, quia, quem probrosis Philistæus maledixit, quem diabolus per ora Judæorum blasphemavit, et in crucem suspendit, ut maledictum legis fieret : « Maledictus enim, » inquit lex, a Deo est qui pendet in ligno (*Deut.* XXI), » ipse « benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI), » maledicti hostis caput amputavit, id est, principatum abstulit, et exinde resurgens ex mortuis in Jerusalem cœlestem victor ascendit. Hoc audito excitatæ per fidem occurrunt animæ nostræ, victori publice et privatim cantantes et ducentes choros lætitiæ. Quid canimus, quid confitemur? « Percussit Saul mille, et David decem millia in millibus suis. » Plane quæcunque mulier carmen istud nescit, quæcunque anima laudem istam non recipit, Davidici triumphi particeps esse non poterit. Saul dæmoniacus, id est populus Judaicus, qui sub regno mortis est, cui peccatum dominatur, multum esse arbitratus est quod templum habens et sacerdotium atque unius Dei cultum, justitias legis operabatur. Sed quanta justitia illa fuit, comparatione justitiæ Christi, qui ipse justitia factus est nobis? (*I Cor.* I.) Nempe ac si mille decem millibus comparare volueris. Nam illa justitia nonnihil quidem effecit, quia spem salutis suis operariis collocavit, sed nihil ad perfectum adduxit, quia principem mundi hujus foras mittere non potuit. David, id est Christus, hoc fecit, Christus diabolum vicit, Christus diabolum prostravit, Christus mortem destruxit, Christus super occasum ascendit, Dominus nomen est illi. Igitur percussit decem millia in millibus suis, id est, universitatem peccati destruxit, in multis virtutibus suis : suis, inquam, quia non aliunde petitis.

CAPUT VII.

Quod toties Philistiim David vincat, quoties catholicus hæreticum superat; et de Saulis insania, quod lancea David configere parieti nitebatur.

« Post diem alteram invasit spiritus Domini Saul malus, et prophetabat in medio domus suæ. David autem psallebat manu sua sicut per singulos dies. Tenebat autem Saul lanceam et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete. Et declinavit David a facie ejus secundo. » Interim sciendum quia nunc quoque superbum Goliam toties David armis suis exstinguit, quoties vir rectæ fidei plenus, quæ sanctis solet ad justitiam deputari, ea ipsa Scripturæ sacræ, quæ hæreticus affert, testimonia colligit, et erroris ejus pertinaciam inde convincit. Nam cum superbientem et sacræ Scripturæ sententias disserentem eisdem verbis atque sententiis, quas profert, vincit, quasi elatum Goliam suo gladio detruncavit. Et hactenus quidem in David præfigurata sunt, quæ nobis bona Christus contulit, deinceps in eodem figurantur, quæ a reprobis mala Christus idem pertulit. Saul quippe jam illam regni diaboli partem significat, quæ nulla dulcissimæ prædicationis unquam potuit mitigari cantilena. Supra namque quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, tollebat David cytharam, et percutiebat manu sua, **405** et refocillabatur Saul et levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus (*I Reg.* XVI). » Nunc autem psallente David, idem insanus prophetans, et divinans alieno spiritu, lanceam semel et iterum mittit, putans quod configere possit cum pariete David. Ergo quoniam veniens sapientia Dei, nullum ab insania peccati liberum invenit, illic quidem eos significat qui, audita prædicatione Christi, jugum abjecerunt furiosi domini, scilicet peccati; hic autem eos qui ex eadem prædicatione deteriores sunt effecti, quemadmodum idem cantor aut citharista dicit : « Cantavimus vobis et non saltastis, lamentavimus et non plorastis (*Matth.* XI; *Luc.* VII). » Amplius dicere potuit : Cantavimus vobis et plorare nos fecistis, lamentavimus vobis, et lancea nos cum pariete confixistis, lancea nos in cruce transfixistis. Nam iste quidem in figura patiens, non confixus fugiendo evasit; ille autem, cujus passiones præfigurantur, lancea clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit.

CAPUT VIII.

Quod septem persecutiones passus sit David : quo numero capitum draconis rufi in Apocalypsi significantur omnes persecutiones diaboli contra Christum et Ecclesiam; et quod in persona sua totidem vicibus a Judæis tentatus sit Christus.

Hic jam persecutiones ipsæ quas pertulit David numerandæ sunt. Prima est, ubi nunc mittente Saul lanceam, ut configeret eum cum pariete, declinavit et fugit. Secunda, ubi postquam percussit Philistæos plaga magna, itidem psallentem nisus est Saul configere, et eo declinante, lancea casso vulnere perlata est in parietem. Tertia, ubi cum fugisset David, et venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum sacerdotes Domini. Quarta, ubi nuntiaverunt Ziphei, dicentes : « Ecce David latitat apud nos, » et surrexit Saul et persecutus est David in desertum Maon. Cumque desperaret David se posse evadere, nuntius venit ad Saul dicens : « Festina et veni quoniam infuderunt se Philistæi super terram. » Quinta in deserto Engaddi, ubi cum ingressus speluncam fuisset Saul ut purgaret ventrem, surrexit David, et præcidit oram chlamidis ejus silenter. Sexta ubi iterum nuntiaverunt Ziphei, dicentes : « Ecce David absconditus est in colle Achila, » et surrexit David et descendit in desertum Ziph, ubi cum dormiente illo dixisset Abisai, « Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ego perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Dixit David : Ne interficias eum. Ac deinceps propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, » etc. Septima, quæ et ultima, ubi ait David in corde suo : « Aliquando incidam in una die in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

manus Saul. Nonne melius est ut fugiam et salver in terra Philistinorum, et desperet Saul, cessetque me: quærere in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus ejus. Et surrexit David et abiit ipse et sexcenti viri cum eo ad Achis filium Mahog regem Geth. » Septem istis persecutionibus David, universæ significantur persecutiones, quas excitavit Diabolus contra Christum et Ecclesiam ejus. Septenario quippe numero plerumque universitas designatur. Unde et in Apocalypsi draco ille magnus rufus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, et Satanas, septem capita habere scribitur, quibus universi reges qui contra Christum et sanctam ejus Ecclesiam persecutiones excitaverunt, significantur (*Apoc.* XII). Cæterum et in propria persona sua, quas pertulit Christus persecutiones, septem fuerunt. Prima fuit ubi secundum Matthæum mox nati ejus animam funestus Herodes quæsivit, et propter eum infantes occidit (*Matth.* II). Secunda fuit ubi secundum Lucam, cum venisset Nazareth, ubi erat nutritus, cum jam citharizaret, id est, prædicaret, ad mitigandum furorem Saul, scilicet, ut conquiesceret, qui contra eum jam furere cœperat possessor vel agitator Judæorum malignus spiritus, « Surrexerunt, inquit, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Jesus autem transiens per medium illorum ibat (*Luc.* IV). » Tertia fuit, ubi secundum Joannem, fugit a facie Judæorum irridentium, fugit, inquam, dicendo : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI). » Nam revera hæc dicendo, « fugit et abscondit se ab illis, » secundum titulum Psalmi tricesimi tertii, qui sic inscribitur : « Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum (*Psal.* XXXIII), et abiit, et tympanizabat ad ostia portæ civitatis, et defluebant salivæ in barbam, et ferebatur in manibus suis (*I Reg.* XXI). Abimelech ipse est, qui supra dicitur Achis. Interpretatur autem Abimelech *patris mei regnum*. Achis vero *quomodo est*. Significat ergo Judæos, quos recte Christus prius appellaverit Patris sui regnum, quod significat Abimelech, nunc autem Achis, ex quo dixerunt : Quomodo est, quomodo esse potest. In quo coram istis immutavit vultum suum? In eo videlicet, quod veteris sacrificii ritum convertit in novum. In eo quoque salivæ defluxerunt illi in barbam, quod cum diceret : « Nisi manducaveritis carnem meam, » etc., infantilia videbatur illis verba proferre. Infantium enim est salivam emittere. Tunc quoque tympanizabat ad portam civitatis, quando invitis et audire nolentibus mysterium prædicabat suæ passionis, futurum esse sciens, quod credendo aperirent aliqui. Ferebatur etiam in manibus suis, videlicet cum tenens in manibus panem et vinum : « Accipite, » inquit, « et comedite, hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus Novum Testamentum (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXII). » Attamen secundum Hebraicam veritatem nunc legimus, « Et collabebatur in manibus eorum. » Quarta fuit persecutio, quando miserunt principes et Pharisæi ministros ut apprehenderent eum. Qui reversi, cum diceretur eis : « Quare non adduxistis eum? Responderunt : Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo loquitur (*Joan.* VII). » At illi in intentione persistentes, adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, tentantes, ut possent accusare eum (*Joan.* VIII). Quinta persecutio fuit, ubi cum dixisset : « Amen, amen dico vobis, antequam fieret Abraham ego sum, tulerunt lapides ut jacerent in eum (*ibid.*). » Sexta ubi cum dixisset : « Ego et Pater unum sumus, sustulerunt lapides Judæi ut lapidarent eum (*Joan.* X). » Septima, quæ et ultima, ubi collegerunt adversus eum concilium, nec destiterunt donec crucifigerent eum.

406 CAPUT IX.

Quod secundum hunc numerum persecutionum suarum septem psalmos cecinerit David, sicut ex titulo ipsorum potest agnosci, cum mysterio passionis et tentationum Christi.

Sciendum præterea quia secundum prædictarum persecutionum numerum David iste septem Psalmos cecinit, videlicet tricesimum tertium, LI, LII, LIII, LV, LVI, LVIII. Quod ex titulis ipsorum animadverti promptum est. Nam titulus primi hic est : « Psalmus David cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum et abiit. » Titulus secundi : « Psalmus David, cum ivit Doech Idumæus, et annuntiavit Saul, et dixit : Venit David in domum Abimelech. » Titulus tertii : « In finem pro Amaleth intelligentia David. » Hic ad ultimam ejus fugam respicit quando confugerit ad Achis filium Mahog regem Geth, et venerunt Amalecitæ absente David, et percusserunt Siceleth, et succenderunt eam igni. Titulus quarti : « In finem in carminibus intellectus David, cum venissent Ziphei et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos? » Titulus quinti : « In finem pro populo qui a sanctis longe factus est David in tituli inscriptione, cum tenerent eum Allophyli in Geth. » Titulus sexti : « In finem ne disperdas David, in tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in spelunca. » Titulus septimi : « In finem ne disperdas David, in tituli inscriptione, quando Saul misit ad custodiendam domum ejus, ut interficeret eum, et abiit. » Hic ad secundam persecutionem respicit, qua cum declinasset a facie Saul lancea casso vulnere perlata in parietem, misit Saul satellites suos nocte in domum ut custodirent eum, et interficerent mane. Quod cum nuntiasset David Michol uxor sua, deposuit eum per fenestram, et abiit et aufugit, atque salvatus est. Mysterium tituli psalmi primi, quomodo David, id est Christus, vultum suum mutaverit, supra perstrinximus. In titulo psalmi secundi, Doech, quod interpretatur *motus*, Doech, inquam, Idumæus, id est, motus terrenus, Antichristum significat. Nam quod ille annuntiavit Sauli, venisse David in domum Abimelech, et pro-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pter hoc interfecit sacerdotes Domini, illud præfiguravit, quia Antichristus Ecclesiam usque in mortem persequendo dilaniabit. In titulo psalmi tertii, « in finem pro Amalech, » illud mystice inmittur, quia quod secundum historiam contigit David, ut civitas ejus deprædaretur, et succenderetur ab Amalecitis, idem spiritualiter futurum esset contra Ecclesiam Christi, quod impugnaretur a perfidis, scilicet Judæis, paganis, hæreticis, quos omnes sub nomine Amalech exprimit. Interpretatur enim Amalech *populus lingens* sive *dolens et parturiens*, juxta illud : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem (*Psal.* VII). » In titulo psalmi quarti, Ziphei, qui annuntiaverunt Saul, dicentes : « Nonne David absconditus est apud nos? » Judæos significant, qui David Sauli prodiderunt, id est, Christum morti tradiderunt. Ziphei namque *florentes* interpretantur. Quo nomine Judæi denotantur, qui temporalibus bonis florere certabant, et secundum carnem cognati Christi erant. In titulo psalmi quinti; allophyli qui tenuerunt David in Geth, ipsi sunt Judæi facti alienigenæ, suis meritis, quod ipso nomine suo indicant allophyli; in Geth, quod interpretatur *torcular*, tenuerunt eum, id est, in pressura tribulationum et mortis longe facti a sanctis, scilicet valde dissimiles apostolis, et cæteris fidelibus Christi. In titulo psalmi sexti, quo fugisse scribitur David a facie Saul in spelunca, illud mystice significat, quod a cognitione Judæorum recesserat Christus propter perfidiam ipsorum, et quasi latens in spelunca sic divinitatem suam in humana occultavit natura. In titulo septimi psalmi, quo misisse scribitur Saul ad custodiendam domum ejus ut interficeret eum, illud significat, quod misit populus Judaicus custodes ad custodiendum Christi sepulcrum (*Matth.* XXVII), ut interficerent eum, id est, ut in morte quantum ad opinionem suam eum detineret, quod non fecit. Nullo autem argumento certius potuit Dominica resurrectio comprobari, quam per hoc quod ex suis inimicis testes sibi adhibuit. Quod in quibusdam eorum titulis scriptum est: Ne disperdas, sive ne corrumpas in tituli inscriptione ex abundanti, nunc exponere est, eo quod ad rem minus attinet, neque enim Psalmos, aut Psalmorum titulos tractare, hic nobis propositum est. Verumtamen nec omnino prætèrire libet, quia quantum ad eorum voluntatem, titulum ipsius David, id est Christi, corruperunt vel disperdiderunt, scilicet quando dixerunt : « Noli scribere Rex Judæorum, sed quia ipse dixit, Rex Judæorum sum (*Joan.* XIX). »

CAPUT X.

Quemodo singulas pene persecutiones comes gloria secuta sit in typum ejusdem Christi, qui cuncta quæ ut passibilis homo pertulit, impassibili divinitate superavit.

Notandum et illud, quia singulas pene persecutiones comes gloria sequitur. Ubi primum misit lanceam Saul, putans quod configere posset David cum pariete, continuo subsequitur : « Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. Omnis autem Israel et Juda diligebat David, ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. » Scilicet quando egrediebatur ad pugnam, ipse primus more regio egrediebatur in conspectu illorum, et regrediebatur. « Dixit autem Saul ad David : Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem, » etc. Ac deinceps : « Dilexit autem David Michol filiam alteram Saul. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. Dixitque : Non habet rex necesse sponsalia, nisi tantum centum præputia Philistinorum. Et post dies paucos surgens David, abiit in Acharon cum viris qui sub eo erant, et percussit de Philistiim ducentos viros, et attulit præputia eorum et annumeravit ea regi, ut esset gener regis. » Inde dictum est : « In duabus rebus gener meus eris hodie. » In duabus rebus generum eum sibi esse futurum dixit, qui attulerat præputia Philistinorum pro Merob, quam Saul dedit Adrieli Melothitæ, et postea pro Michol ducenta. Et quamvis non aperte dicatur pro Merob Saul præputia Philistinorum David dedisse, tamen qui præcedentia et subsequentia perlegerit, et scrutatus fuerit, inveniet eum bis Sauli præputia Philistinorum dedisse. Potest etiam et aliter intelligi, « in duabus rebus gener meus eris hodie, » quia ego quæsivi a te centum præputia Philistinorum, et tu obtulisti ducenta. Potest adhuc et constantius sic dictum intelligi, « in duabus rebus gener meus eris hodie, » ut sit sensus : Ut gener meus fieres, dudum Philistæum occidisti, sed et nunc centum Philistinorum præputia dabis. Nam ne hoc ulli dubium sit, meminisse debet, quia cum Philistæus blasphemaret, et exprobraret, **407** dixit unusquispium de Israel : « Num vidisti virum hunc qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei (*I Reg.* XVII). » Igitur qui pene lancea cum pariete confixus fuerat, mox subsequente consolatur gloria, regis gener in duabus rebus, id est iterata factus victoria. Item, ubi lancea rursus impetitus fuerat, et domi conclusus per fenestram evaserat, cum adhuc elapsum persequeretur Saul, glorioso miraculo eum qui quærebatur protexit et consolatus est Deus. (I REG. CAP. XIX.) « Misit, inquit, Saul lictores, ut raperent David. » Qui missi fuerant primi, et qui secundi, et qui tertii prophetaverunt, irruente in illos spiritu Domini. Abiit et ipse. « Et factus est super eum etiam Spiritus Domini, et exspoliavit se vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris coram Samuele. » Prophetavit, inquam, non minus facto quam verbis. Nam exspoliando se vestimentis suis, ei quem persequebatur, regnum se relicturum significavit, et hic quæstio magna oritur, cum in præcedentibus legatur : « Et non vidit Samuel Saulum usque in diem mortis suæ (*I Reg.* XV) » Aut non vidit eum, quia quando Saul junctus est cuneo prophetico, abscondit se Samuel ne videretur ab eo. Aut non vidit eum indutum habitu regio, quo indutus erat, quando dictum est, « non vidit eum usque in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

diem mortis, » subauditur, indutum veste regia. Exspoliasse vero non omnibus vestimentis, sed regalibus tantum intelligendum est. Item ubi fugerat et venerat ad Achis regem Geth, et dicentibus servis Achis : (I Reg. cap. XXI.) « Nunquid non iste est David rex Israel, » etc., extimuerat valde et immutaverat os suum, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebatque saliva in barbam. Cum interim occidisset propter eum Saul sacerdotes Domini, mox subsequente gloria triumphat, amaritudo ejus dulcorata est. (I Reg. Cap. XXIII.) « Annuntiaverunt, inquit, David, dicentes : Ecce Philistæi expugnant Ceilam. » Consulto protinus Domino, et accepto ejus oraculo, perrexit adversus agmina Philistinorum et pugnavit adversus eos; et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna. » Hic jam nec illud prætereundum quod dictum est : « Et fuerunt vasa puerorum sancta (*I Reg.* XXI). » Achimelech interrogat, utrum David et pueri sui quos in illum et illum locum conduxisse se dixerat, mundi essent, David ænigmaticos de se pluraliter respondit, dicens : « Et fuerunt vasa puerorum sancta » a cunctibitu conjugali. » Quod vero ait : « Porro via hæc polluta est (*ibid.*), » et in Hebræo legitur, « porro via hæc laica est, » sic est intelligendum : « Via hæc laica est, » ac si diceret : In lege præceptum est ut extraneus non comedat ex eis, et tu interrogas utrum mundi sint pueri, qui etiam si mundi essent, nequaquam vesci deberent. Idcirco via est laica, quia tu laicaliter interrogas. Quod vero sequitur : « Sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis (*ibid.*). » Ipsa utique in vasis, id est, mente sua sanctificari dicitur, quia nisi necessitate corporis et periculo vitæ urgente, nequaquam vesceretur eis. Non tamen aperte eosdem legitur David panes comedisse. Tradunt Hebræi nequaquam David eosdem panes comedisse. Aliter Dominus in Evangelio. Item ubi ascendentibus Ziphæis ad Saul, et dicentibus : « Nonne David latitat apud nos, » cum isset Saul et socii ejus ad quærendum eum, cumque David desperaret se posse evadere a facie Saul, » tam jucundo præsentia Dei subvenit præsidio, ut in tali articulo posito David, « veniret nuntius ad Saul et diceret : Festina et veni, quia infuderunt se Philisthiim super terram. » Hoc tam gloriosum fuit ut facti vel eventus memoriam posteris nequaquam decsse vellent. « Vocaverunt enim locum illum, petram dividentem. » (I Reg. cap. XXIV.) Item : « Cum reversus Saul perrexisset ad investigandum David etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. » Ibi vero gloriosi viri virtus et patientia laudabiliter enituit. « Speluncam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem, David et viri ejus in interiori parte speluncæ latentibus. Surrexit ergo David, et præcidit oram clamidis Saul silenter, » etc. Hoc admirans Saul : « Justior, inquit, tu es quam ego. » Ac deinceps : « Jura mihi in Domino ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo Patris mei. » Hoc plane gloriosum fuit, ut hic veraciter dicas quia non qui passus est, sed qui fecit injuriam miser exstitit. (I Reg. Cap. XXVI.) Item ubi « rursum venientes Ziphæi ad Saul dixerunt : Ecce David absconditus in colle Achila, et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israel. » Animadverte quid fecit David. « Venerunt ipse et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio et hastam fixam in terra ad caput ejus. » Post omnia quæ illic dicta vel gesta sunt, « ait Saul : Peccavi, revertere, fili mi David, » etc. Parumne id spectat ad gloriam victoris, quod tam vivida patientia carbones ignis super caput inimici sui congessit, licet in corde illius pertinax malitiæ radix incumbusta perseveraverit? (I Reg. cap. XXVII.) Item ubi « Fugiens David ad Achis habitavit in Geth, dedit-que ei Achis Sicelech. » Amalechitæ impetum fecerunt, et percusserunt Sicelech, et succederunt eam igni (*I Reg.* XXX). » Sed veniens David tristitiam præsentem mox subsequentis triumphi gloria detersit. « Percussit enim latrunculos Amalechitas a vespere usque ad vesperam alterius diei, et eruit omnia quæ tulerant, nec defuit quisquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis, et quæcunque rapuerant, omnia reduxit David, et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam, dixeruntque : « Hæc est præda David. » Igitur, uti prædictum est, cuncta quæ pertulit adversa David, Deus in prospera convertit, cunctamque miseriæ noctem mox succedentis gloriæ dies effugavit in typum videlicet Christi Filii Dei, ejusdem Filii Dei David, Dei et hominis, qui cuncta, quæ ut passibilis homo pertulit, impassibili divinitate superavit.

CAPUT XI.

Quomodo David propter persecutiones latitanti fortes viri sese adjunxerint, quos postea principes ac duces constituit, et quod ita Christo in infirmitate carnis latenti suos spiritus judices sancti futuros apostolos adduxit, secundum numerum eorumdem principum David.

Gloriosum et illud fuit quod inter ipsas persecutiones fugienti adhuc, et latitanti, fortes illos spiritus Domini aggregavit, quorum fides et bellicosa virtus militaret postmodum regi in throno sedenti. Sic enim in Paralipomenon scriptum est : « Hi quoque venerunt ad David in Sicelech, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant viri fortissimi et egregii pugnatores tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, principes Abiezer et Joas filius Amaa Gabathites, et cæteri de Benjamin. Et de Gaddi viri, inquit, robustissimi, et pugnatores optimi. Facies eorum quasi facies leonum, et veloces quasi caprex in montibus. Egressusque est David obviam eis **408.** et ait : Si pacifici venitis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis, si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus meis non habeam, videat Deus patrum nostrorum et judicet. Spiritus vero

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dominus indult Absai principem inter triginta, et A dixit : Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai, pax, pax tibi, et pax adjutoribus, te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit eos principes turmæ (*I Par.* XII). » Nonne et vero David Christo Filio Dei, dum adhuc lateret in infirmitate carnis dum adhuc tentaretur, dum adhuc persecutionibus urgeretur, suus ipsius spiritus, principes, id est apostolos adduxit, quorum fides, et patientia postmodum regnanti, atque ad dexteram Patris residenti, per totum militaret orbem in prædicationem Evangelii? Nam de illis dicitur per prophetam : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLIV). » Et alibi : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham (*Psal.* XLVI). » Nam ut jucundius B aspiret hujusce pulchritudo mysterii, cum fortes tunc ad David profugum convenerint quam plurimi, undecim tantum principes nomine pariter, et numero Scriptura designavit. « Ezer, inquit, primus princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, Masmanna quartus, Hieremias quintus, Hethi sextus, Heliel septimus, Johanna octavus, Helzabath nonus, Hieremias decimus, Machabana undecimus (*ibid.*). » Quem hoc non delectet scientem, quod Christus, et si plures discipulos fecit, tamen duodecim tantum elegit, quos et apostolos nominavit (*Luc.* VI), et ex illis unus periit, Judas « filius perditionis? (*Joan.* XVII.) » Et quidem episcopatum vel apostolatum ejus accepit alter (*Psal.* CVIII), et duodenarius apostolorum numerus suppletus est (*Act.* I), sed non cum adhuc ille David lateret, cum adhuc fugeret, cum adhuc persecutionem sustineret. Jam inimicos suos vicerat, jam mortem superaverat, jam in cœlum ascenderat, et regnans gloria et honore coronatus ad dextram Patris sedebat. Undecim ergo principes, profugi et adhuc latitantis David, undecim fuere apostoli adhuc mortalis et passibilis Christi, quibus et proinde dicit : « Vos autem estis, qui permanxistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXII). » Quid ergo, inquam, illud sibi vult quod ibidem de istis principibus continuo dictum est : « Novissimus centum millibus præerat, et D maximus mille? (*I Par.* XII.) Nulla quippe quæstio subesset, si ita dictum fuisset, maximus centum millibus præerat, et novissimus mille. Quid, inquam, nisi quia in lege vel ordine magni David militiæ, ille qui major est fit sicut minor, et qui præcessor sicut ministrator? (*Luc.* XXI.) Igitur ut reciprocando melius sententia colliquescat, qui centum millibus præerat, ille novissimus, et qui mille præerat, ille maximus erat. Quod est dicere : Qui inter principes David, id est apostolos Christi, pluribus abundabat virtutibus, ille spontanea subjectione omnium erat novissimus, et qui pauciorum videbatur esse virtutum, ille pia humilitatis contentione omnium judicabatur esse maximus.

CAPUT XII.

Quid mysterii in eo sit, quod David inter persecutiones unam quidem uxorem Michol filiam Saul amisit, sed duas acquisivit Abigail et Achinoen Jezraelitem.

Nihilominus nec illud a mysterio vacare putandum est quod inter prædictas persecutiones unam quidem David uxorem, scilicet Michol filiam Saul amisit, sed duas acquisivit, videlicet Abigail uxorem Nabal Carmeli et Achinoen Jezraelitem. Nam « Saul dedit filiam suam Michol uxorem David Phalthi filio Lais, qui erat de Gallim (*I Reg.* XXV). » At ille, ut Hebræi tradunt, non cognovit eam, id est Phalthi, quia si cognovisset eam, nunquam David postea eam sibi sociasset, quia in lege penitus hujusmodi prohibetur coitus. Idem namque Phalthi de Gallim, id est de inundatione erat. Inundatio, hoc est Gallim, lex intelligitur. Legis enim doctor erat, de Bahurim, id est de electis. Quando autem a Saule Michol ei datur, Phalthi, id est *evadens* interpretatur. Quando vero ab eo eadem Michol auferitur, Phalthiel, id est *evadens a Deo*, interpretatur. Evadens a Deo dicitur, quia custodivit eum ne tangeret eam, ne fieret transgressor legis. « Secutus est eam vir suus plorans usque Bahurim (*II Reg.* III). » Plorasse dicitur præ gaudio, eo quod eum Dominus custodisset ne tangeret eam. Significat autem Michol, quod nomen vertitur in aquam carnalem nimis et aquaticam Synagogam, utpote vinum nescientem, quod de aqua factum, Christus desiderabilis illi propinare voluit in nuptiis suis, magisque sequentem aquam litteræ, quæ « nihil ad perfectum adduxit (*Hebr.* VII). » Propter illam equidem, ut eam desponsaret sibi, Philistæum David interfecit, id est diabolum, Christus propria morte vicit. Sed Saul arreptitius, scilicet insania peccati in illa Synagoga regnantis, abstulit illi, et dedit eam Phalthi, id est Moysi, non quod vere data vel subdita sit illi. « Si enim crederetis, inquit, Moysi, crederetis forsitan et mihi (*Joan.* V), » sed quod sic arbitretur, sic confidat sibi, juxta illud : « Tu discipulus ejus sis ; nam nos Moysi discipuli sumus (*Joan.* IX). » Attamen idem Phalthi, qui nunc non cognoscit uxorem quondam David, aliquando reducet illi. Futurum est enim aliquando, ut Christum Synagoga cognoscat, ex lectione Moysi. Iterum David qui unam suam uxorem amisit, duas, ut prædictum est, inter ipsas persecutiones acquisivit, videlicet Abigail uxorem Nabal Carmeli, et Achinoen Jezraeliten. Achinoen *fratris decor*, Jezrael *semen Dei*, Abigail *Patris mei exultatio*, Nabal *insipiens* interpretatur. Igitur Achinoen Jezraelites, id est fratris decor de semine Dei, antiqua Ecclesia est, quæ Christi adventum præcessit, decor, inquam, fratris, id est honor et regnum ejusdem Christi Filii Dei, Deus enim Pater secundum spiritum, Abraham vero Pater secundum carnem est Ecclesiæ. Sicque Jezraelites est, id est de semine Dei. Porro Abigail nova Ecclesia est, quæ adventum subsequitur ejusdem Christi Filii Dei uxor

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quondam Nabal, id est insipientis, disciplina enim erat philosophorum insipientium, quorum sapientiam Deus stultam fecit (*I Cor.* I). Utramque Ecclesiam, eisdem passionibus, eadem morte Christus redemit.

409 CAPUT XIII.

Qualiter Abigail eumdem David ne se manu sua ulciscceretur prævenerit, et quid mystice munera ejus, quibus placavit David, significent.

Quidnam egit hæc Abigail secundum nomen suum patris exsultatione dignum? « Nuntiavit ei unus de pueris, dicens : Ecce misit David de deserto nuntios, ut benedicerent Domino nostro, et adversatus est eos. Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes et duos utres vini, » etc. « Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem et ulciscerer me manu mea. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi, nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem. » Ac deinceps : « Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal et mortuus est. Misit ergo David et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi uxorem. » Plane secundum hanc sapientis formam mulieris, Ecclesia de gentibus sibimet sapienter providit. Venerunt nuntii David ad Nabal ut benedicerent ei, venerunt, inquam, nuntii pacis, prædicatores salutis ad mundum istum insipientem, et in maligno positum (*I Joan.* v), ut gratiam supernæ benedictionis, gratiam Spiritus sancti in baptismo remissionis peccatorum conferrent ei. At ille scilicet Nabal, id est omnis insipiens, omnes qui « dicentes se esse sapientes stulti facti sunt (*Rom.* I), » aversati sunt eos, persecuti sunt eos, occiderunt eos. Quid econtrario David? Quid ad hæc manu fortis? « Accingatur, inquit, unusquisque gladio suo. Et accincti sunt omnes gladiis suis. » Gladius David et virorum ejus, potestas judicii est, in manu Christi et sanctorum ejus. Nam « exaltationes Dei, inquit, in gutture eorum, et gladii anceps in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum (*Psal.* CXLIX). » Hoc metuens festinavit Abigail, festinavit gentium multitudo muneribus prolatis, prævenire et placare iram judicis, ne se manu sua ulcisceretur David, credens attestantibus quod horrendum sit incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X), quando judicaturus Deus noster veniet, et non silebit. « Viro autem suo Nabal non indicavit. » Nec enim quæsivit Ecclesia consilium cujusquam philosophi, aut edictum attendit cujusquam orbis terrarum principis, sed illis quidem omnibus debita reddidit, « qui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem (*Rom.* III), » salutis autem suæ viam, aut venturæ iræ effugium qualiter inveniret, cum sola sapientia tractavit, a solo spiritu Dei consilium quæsivit. Quid enim de hujusmodi tractaret cum ebriosis principibus, cum insipientibus hujus mundi philosophis? « Erat enim, inquit, Nabal ebrius nimis. » Quæ autem sunt munera, cum quibus ad nostrum David ista festinavit Abigail? Ut taceam de sex operibus misericordiæ, quæ replicaturus est ille dicendo : « Esurivi enim et dedistis mihi manducare. Sitivi et dedistis mihi potum (*Matth.* XXV), » etc. illud præcipue munus, illa maxime singularis oblatio, prudentiam hujus laudabilem efficit, quam quotidie immolat in sancto altari, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam corporis ejus et sanguinis. His muneribus non solum iram vel gladium evasit, sed conjux effecta est Ecclesia magni David.

CAPUT XIV.

De imitabili exemplo ejus, quo Nabal ebrio culpam suam laudabiliter tacuit, quam digesto vino reverenter dixit.

« Et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane. Diluculo autem cum digeresset Nabal vinum, indicavit ei omnia verba hæc. » Hoc exemplum tam universam Ecclesiam, quam singulatim quosque fideles ædificat. Quid enim Abigail nobis per hanc renuntiationis suæ dispensationem innuit, nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus? Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto libentius verba exhortationis recipiunt, quanto se tranquillius tolerari erubescunt. Mentibus autem furore ebriis, omne quod rectum dicitur, perversum videtur. Unde et recte Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit : idcirco enim malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit.

CAPUT XV.

Qualiter vel quibus David sit imitandus in eo quod percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamidis Saul.

Porro ad cavendum obtrectationis vitium, et exhibendam a subditis humilitatem, quibuslibet etiam pravis rectoribus, superiori ejusdem exemplo plurimum instruimur. Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic David cum viris suis inerat (*I Reg.* XXIV), qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamidis ejus abscidit. Quid per Saul nisi mali rectores, quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum suorum vitam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui, etsi quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi chlamidis oram incidunt silenter, quia videlicet, dum prælatæ dignitati, saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis sibi superpositi, vestem fœdant. Sed tum ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene et illic scriptum est: « Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamidis Saul. » Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam si recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in inimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, ut cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium a quo sibi prælata est, **410** perhorrescat. Nam, cum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi qui eos ordinavit et nobis prætulit, obviamus (*Rom.* XIII).

CAPUT XVI.

Quid mystice per puerum Ægyptium intelligitur, quo duce David inimicos suos Amalecitas persequens comprehendit.

Tandem illud quod Ægyptium puerum Amalecitæ in itinere deserunt, quem David cibo reficit, ducem sui itineris facit, Amalecitas persequitur epulantes reperit et funditus exstinguit (*I Reg.* XXX), mirandum supernæ gratiæ donum in peccatorum conversione spiritualiter ostendit. Quid enim est, quod Ægyptius Amalecitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat? Sed hunc David invenit, quia Redemptor noster veraciter manufortis, nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit, in suo amore convertit, cibo pascit, quia verbi scientia reficit, ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem facit. Et qui Amalecitas sequi non valuit, dux efficitur David, quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in sua mente Dominum recipit, sed prædicando hunc usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce, David Amalecitam convivantem invenit et exstinguit, quia ipsis prædicantibus Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit.

CAPUT XVII.

Quod Saul spiritum pythonis consuluit, et quod non tam Samuel quam spiritus maliguus apparuisse credendus sit.

(I Reg. cap. XXVIII.) « Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. » Quæritur, cum superius jam mortuus legatur (*I Reg.* XXV), cur hic repetatur mortuus. Supra namque dicitur sepultus fuisse « in domo sua in Ramatha. » In domo sua, in familia videlicet et cognatione sua, mortuus, hic, ut Hebræi volunt, resuscitationis suæ causa repetitur. De qua videlicet resuscitatione postmodum dicetur. « Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait, Samuelem suscita mihi, » etc. Nullo accepto divinitus responso Saul convertitur ad pythones, sicut hic itidem scriptum est: « Consuluitque Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. » Respondebat Dominus per somnia, sicut Hebræi asserunt, eo quod jejunando et orando poscebant oraculum sibi fieri divinum, et Deus illis per somnia revelabat ea quæ futura erant, quod in hoc loco minime fecisse legitur Saul. « Saul autem, inquit, abstulit magos et hariolos de terra, » et interfecit eos qui pythones habebant in ventre. Hanc ergo mulierem Hebræi matrem fuisse Abner filii Ner autumant, et propter eumdem Abner, ne perimeretur cum cæteris pythonissis, absconditam fuisse et reservatam. « Intellexit, inquit, Saul quod Samuel esset, et inclinavit se in terram, et adoravit. » Ergone bene Saul intellexit? Ergone spiritui pythonis virum sanctum suscitare licuit? Repugnat valde, quod ille qui visus est: « Cras, inquit, tu et filii tui mecum eritis. » Numquid quem Deus propter superbiam dejecerat, quique in extremis suis spiritum pythonis consuluerat, et de vitulo ejus comederat, cum justis et prophetis futurus erat? Et si tempore illo sancti quoque et justi homines apud inferos erant exspectantes beatam spem, non tamen impii cum illis esse poterant. Dicit enim Abraham diviti in inferno sepulto, sine dubio quo tempore adhuc ipse Abraham in inferno fuisse credendus est: « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare (*Luc.* XVI). » Itaque licet in Ecclesiastico legamus, quia Samuel quoque post mortem prophetavit (*Eccli.* XLVI), non tam Samuel quam in phantasmate Samuelis, spiritus malignus apparuisse credendus est. Igitur dum morituro Saul et filiis ejus repetitur quod supra dictum est, « Samuel mortuus est, planxitque eum omnis Israel, » hoc secundum mysterium magis: quam secundum historiam operari comprobatur. Judæis namque in peccato suo morituris, sacerdotio quoque et regno pariter cum templo perituris, quod videlicet sacerdotium vel regnum per unctum Saul recte intelligitur, recte dicas quia Samuel mortuus est. Illis namque non solus Samuel, et tota lex et prophetæ mortui sunt, quia videlicet solam illorum occidentem litteram lectitantes, et vivificantem spiritum non habentes, in manus hostium traditi sunt, secundum corpus ab inimicis hominibus, secundum animam interfecti a malignis spiritibus.

CAPUT XVIII.

Quomodo vel quam ob causam bene contigerit David ut ruituro Saul cum populo suo, ipsi bello interesse

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

non est permissum, et quod sicut planxit David fortes, qui ceciderant, ita Christus gentem suam humano flevit affectu.

(I Reg. cap. XXIX.) Quid porro sibi vult, quod morituris in bello Saul et filiis ejus, et universis viris ejus, David bello interesse non permittitur: « Dixerunt enim principes Philisthinorum ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? » Ac deinceps. « Revertatur vir et sedeat in loco suo in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius cum præliari cœperimus. Quomodo enim placare poterit Dominum suum, nisi in capitibus nostris? Nonne iste est David, cui cantabant in choris dicentes, percussit Saul in millibus et David in decem millibus suis. » Itaque factum est ut David neque cum populo suo, neque contra populum suum, bello interesset, sed absens fortes qui ceciderant in prælio, plangeret. Nunquid hoc casu, et non potius per Dei providentiam gestum est? Utique Deo providente factum est ut David legitimus rex, neque proditor, neque hostis patriæ judicari posset. Denique, si bello admissus contra suos præliaretur hostis patriæ, si ad suos converteretur deserto rege ad quem confugerat, quique illum quasi fidelem custodem capiti suo posuerat, infamis existeret, perfidi proditoris crimine. Sed nec istud a mysterio vacare credendum est. Sic nempe Salvator ruituro Judæorum populo, cum civitate et templo, suam ademit præsentiam, ut neque hostibus ejus faveret, neque tamen suis cognatis manum auxiliarem porrigeret. Secundum hominis loquimur affectum. An inimicis gentis suæ favit, qui videns civitatem flevit super illam, et inter lacrymas futura mala prædixit? (*Luc.* XIX.) Igitur præliantibus Philisthæis contra Israel, David utrisque deest, quia civitatem Jerusalem Romanis obsidentibus Christus manu fortis neutri **411** parti adest, cum neutra parte, gratia ejus est. Et iste quidem David jam completam Saul et filiorum utrorumque ruinam ejus deflet, Christus autem ruinam Judæorum, et antequam fieret, flevit per semetipsum, sicut jam dictum est, et postquam jam facta est, doluit in Apostolo suo, in quo et loquebatur, quemadmodum Apostolus ipse testis est: « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quia tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo (*Rom.* IX), » etc.

CAPUT XIX.

De morte Saul, et filiorum ejus, et quod Amalecitem, qui nuntiavit mortem ejus, dicant Hebræi fuisse Dæch.

(I Reg. cap. XXX.) «Non audiet vos, » inquit, « David de sermone hoc. Æqua enim pars erit descendentis ad prælium et remanentis ad sarcinas.» Cum in Latinis codicibus legatur lassos quosdam substitisse ad sarcinas, in Hebræo habetur, « jussos fuisse ut residerent ad sarcinas.» Locus hic monstrat Hebraicam veritatem in hoc loco sequi debere, quæ non lassos, sed jussos remansisse ad sarcinas, dicit fuisse. Ait enim ita: «Æqua pars erit descendentis ad prælium et remanentis ad sarcinas. » Non ait, qui lassi remanserunt ad sarcinas, sed absolute « remanentes ad sarcinas, » quia, qui lassi remansissent, nulla eis dari deberetur de prædis portio. (I Reg. cap. XXXI.) «Quod cum vidisset armiger,» videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum et mortuus est cum ipso.» Armigerum istum Hebræi Doech Idumæum dicant fuisse, qui cernens Saul mortuum, seipsum ob metum David interemit. « Mortuus est ergo Saul et tres filii ejus, et armiger illius et universi viri ejus. » Viri isti pueri domestici ejus intelligendi sunt. Hi tres filii ejus cum eo interfecti sunt Jonathan, Aminadab, qui et Jesui et Melchisua; Isboset autem dormierat qui anno quo Saul rex constitutus est, natus fuerat. Qui etiam quadraginta annorum fuisse dicitur cum regnare cœpisset. Unde colligitur Saul per quadraginta annos regnasse. Quærendum cur alibi legatur Jesui, alibi Aminadab. Jesui enim interpretatur *æqualis*. Æqualis enim dicitur, quia æqualis meriti fuisse filii cum patre memorantur, Aminadab interpretatur *pater meus sponte*. Sponte enim sua pater ejus Saul, male agendo conquisivit, ut taliter una cum filiis perimeretur. (II Reg. cap. I.) « In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul. » Hominem istum Amalecitem Hebræi filium Doech fuisse dicunt. Amalecites etenim et Idumæus unum est, quia filius primogenitus Esau Elifar fuit, et hujus filius Amalech. Diadema autem et armillam quæ David detulit, a patre Doech commendata sibi fuisse perhibent.

CAPUT XX.

De mira innocentia David qua mortuum Saul planxit, et de arcu quem filii Israel per hujusmodi planctum discere debuerint.

« Planxit autem David planctum hujusmodi super Saul, et super Jonathan filium ejus, et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum: Inclyti, Israel, super montes suos interfecti sunt,» etc. Quis planxerit, quid vel quare planxerit, amplius autem quid mysticum significet, si rite consideres, planctus iste rationabilis, et de thesauro sapientis prolatus est. Quis enim planxit? Rex unctus, electionis suæ non inscius, qui non ignoraret per mortem Saul vacue factum sibi esse thronum regium, ut qui profugerat jam repatriaret. Mira ergo innocentia, mira adversus ambitionem temperantia. Parum fuerat manibus temperasse, dicendo, « Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini (*I Reg.* XXIV),» nam poterat et hæc dicens optare, ut aut dies mortis ejus veniret, aut in prælium descendens periret. Sed ecce occulta cordis manifestus justitiæ actus defendit, dum ipse plangit, et per pœnam vel mortem ejus qui nuntiaverat neminisuorum exsultandum esse decernit. Recte igitur canat, securc canat, et dicat fortis David: « Domine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (*Psal* VII).» Quid autem planxit? Istud videlicet, quod Saul cum esset christus Domini, propter superbiam suam hoc commeruit, ut et ipse projiceretur a facie Domini, et cum illo cunctus Israel caderet coram hostibus suis, inclytis suis, interfectis. Hoc plane viro sapienti plangendum erat, qui sciret in summa humilitate sibi cavendum esse exemplum ejus, qui cum esset christus Domini, superbiendo spiritui maligno mancipari meruit, et eo usque devolutus est, ut, consulto spiritu pythonico, plena prævaricatione damnabilis, vitam præsentem miserabili fine concluderet. Et quare planxit? «Ut docerent, inquit, filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum.» Arcum, id est, belli fortitudinem, qui profecto arcus vel quæ fortitudo belli non alia est, quam manus vel auxilium Domini. Et recte hoc loco per arcum tota significatur fortitudo belli, quia videlicet maxime per arcum perierat Saul, sicut supra scriptum est (*I Reg.* XXXI), quia consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis, quod utique non evenisset, si suum et ipse arcum tenere, vel intendere voluisset, id est, si suam in Deo spem posuisset, sine quo nunquam vicit, aut fortiter fecit Israel. «Sicut scriptum est,» inquit, «in libro Israel justorum.» Liber Justorum, quamvis quidem liber possit intelligi, qui hodie nusquam possit inveniri, constantius tamen liber hic intelligitur, de quo scriptum est in Numeris. Unde, dicitur in libro Bellorum Domini: «Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon (*Num.* II),» etc. Liber autem Bellorum Domini, quis est, nisi omnis Scriptura sacra, ex qua sine dubio docemur bellare bella Domini? Nec enim ante Moysen, qui illud dixit, scriptum fuerat quidpiam ejusmodi. Igitur «docerent,» inquit, «filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum,» id est, quia usque pugnaverant filii Israel ob culpam suam, discerent saltem filii Juda, contribules sui, ponere Deum adjutorium suum, sicut fecerunt omnes justi, quorum omnes victoriæ Deo mirabiliter cooperante peractæ sunt, sicut testantur Scripturæ, quæ et pluribus libris distinctæ, uno tamen spiritu conscriptæ sunt, et idcirco recte reputantur in unum librum, juxta illud: «Et vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus et foris, et signatum sigillis septem (*Apoc.* V).» Quomodo vero per hujusmodi planctum dicendo: «Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? Aquilis velociores, leonibus fortiores: Jonatha in excelsis tuis occisus est;» quomodo, inquam, per hujusmodi planctum discunt filii Juda arcum prædictum? Videlicet ut sit subaudiendum: Ab hoc experimento discant quicunque pugnant, quod et si fortes sint, et inclyti multum, et si velocitatem aquilarum, atque fortitudinem habeant leonum, nullatenus **412** tamen, victoriam averA sante Deo perficere poterunt. Ab hoc, inquam, experimento istud discant: Ecce enim super montes tuos, o Saul, super montes, inquam, tuos, id est, propter superbiam tuam, inclyti Israel interfecti sunt, fortes ceciderunt tecum. Sed et Jonathan in excelsis tuis: tuis, inquam, non suis occisus est. Non enim propter suam, sed propter patris superbiam, filius hic meliori patre dignus mortuus est. Repugnat namque quod dicitur: «Sagitta Jonathæ numquam abiit retrorsum.» Sagitta Jonathæ fides fuit Jonathæ, qua cum ipso David fœdus iniit, et numquam retrorsum abiit, nunquam enim illud fœdus irritum fecit. Dicendo autem «sagitta Jonathæ,» pro eo ut diceret fides Jonathæ, pulchre ad rem gestam respexit. Supra namque scriptum est B (*I Reg.* XX): «Pepigit ergo Jonathan fœdus cum David, et addidit Jonathan dejerare David.» Ac deinceps: «Et ego tres sagittas mittam. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est,» etc. Ergo «sagitta Jonathan numquam abiit retrorsum,» id est, fœdus in quo sagittarum signo usus est Jonathan, nunquam fecit irritum. Hæc dicens, et planctum hujusmodi plagens, confortat tamen et suadet Israel opportunam a Deo sperare consolationem. Ait enim: «Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philistiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum.» Quod est dicere: Quamvis inclyti Israel interfecti sunt, quamvis ceciderunt fortes, et arma bellica perieC runt, citius resumite arcum, vestrumque bona spe roborate brachium, ut non vacet hostibus æstimare quod plenum de vobis egerint triumphum, ut annuntietur illis, quamvis fortes ceciderint, vos tamen habere Deum fortissimum. Quare autem, inquit, «Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum.» Videlicet ut ipsa montis ariditas perpetua permanens, posteris sit necessariæ rei documentum, ut semper præ oculis habeant unde commoneantur futuri reges, cavere superbiæ vitium, propter quod ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, tam ignobiliter, ac si non esset unctus oleo, ac si nunquam efficax redisset a sanguine interfectorum, ab adipe fortium. «Filiæ,» inquit, «Israel, super Saul flete.» Flendus D enim est, quia, «qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro,» subauditur de prædis hostium quas agebat, nunc ipse nudus jacet, nunc ipse hostium visibilium atque invisibilium præda factus est.

CAPUT XXI.

Quomodo vel quale lamentum Christi ille planctus David significet super gente sua Judaica, et qualem nos arcum idem planctus spiritualiter intellectus docere debeat.

Quid tandem planctus iste mysticum signat, nisi lamentum veri David, id est, manufortis Christi, qui gentis suæ, gentis Judaicæ flevit ruinas? Ille namque et per semetipsum videns civitatem, flevit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

supe.: illam, dicens : « Quia si cognovisses et tu ! » (*Luc.* XIX) et per Apostolum suum jam peractam deflet ruinam, dicente, in quo sine dubio loquitur Christus : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis (*Rom.* IX), » etc. Plangit ergo David Saul, et eos qui ceciderunt fortes et inclytos Israel : plangit manu fortis sive desiderabilis Christus superbiam carnalis Israel, falsamque Israelitarum fortitudinem, de qua ipse in psalmo : « Et irruerunt, » inquit, « in me fortes (*Psal.* XXXVIII), » suam videlicet justitiam statuere volentes, et non in gratia Dei, sed in operibus legis quasi inclyti gloriantes. Et væ illis qui planctum hujus David nequaquam pœnitentiæ suæ prævenerunt lamentis ! Plangendo autem et hoc præcepit, ut « docerent filios Juda arcum, » ut docerent filios confesssionis suæ, scilicet, Christianum de gentibus populum non gloriari quasi de suis meritis, sed subjiciendo se gratiæ Dei, verum et constantem tenere supernæ fortitudinis arcum. Quod præceptum docendi Apostolus sagaciter exsequens, « quod si, » inquit, « aliquis ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis factus es, et pinguedinis olivæ, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat (*Rom.* XI). » Hæc et cætera cum dicit, profecto docet filios Juda arcum, ut scilicet si, fortiter agere velint, non glorientur, sed humiliter stent in gratia Dei. Nam « inclyti Israel, » inquit, « super montes suos interfecti sunt, et ceciderunt fortes inclyti, » videlicet « qui sunt » secundum carnem « Israelitæ, quorum adoptio est filiorum et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa ; quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen (*Rom.* IX). » Itaque secundum hæc vere quidem inclyti sunt, sed de his superbiendo falso fortes sunt. Idcirco interfecti sunt, idcirco ceciderunt, maxime ob culpam sacerdotum, deceptam plebem devorantium. Propter quod dicit : « Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum. » Gelboe namque *devoratio* sive *decursus* interpretatur. Quo nomine non incongrue pharisæi sive sacerdotes illi denotantur, quos in domo patris latrocinantes, et prædam de populo facientes Salvator cum flagello ejecit devoratores, et voraces juxta illud propheticum : « Peccata populi mei comedunt (*Ose.* IV). » Igitur « montes Gelboe, » inquit, « nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum, » id est, universa valle gentium humilium, superne irrorata, et completa ut abundet frumento, ut edant pauperes et saturentur, et laudent Dominum, vos alti et superbi, neque rorem, id est Spiritum sanctum, neque pluviam accipiatis, ib est salutaris doctrinæ verbum. Nam et « nubibus meis mandabo, ne pluant super vos imbrem (*Isa.* V), » nubibus (inquam) meis, id est, apostolis meis mandabo, ut vestræ superbiæ subtrahant, pluantque gentibus prædicationem Evangelii. Itaque non eritis agri primitiarum, non erit primitiva messis, quæ de vobis hoc tempore deportetur in illud cœleste horreum, donec subintret plenitudo gentium. Tunc enim reliquiæ salvæ fient ex vobis (*Rom.* XI), eritque jam non primitiva, sed serotina messis. Quare ? « Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset unctus oleo : » ibi, inquam, id est in superbia vestra, ego abjectus sum, qui solus sum clypeus fortium, qui esse debueram clypeus Saul, id est, defensio vel protectio furiosi vel arreptitii populi hujus. Vestro namque suasu negavit me ante faciem Pilati, negavit, inquam, dicens : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Quid hac negatione nisi clypeum suum, clypeum fortium abjecit, quasi non esset unctus oleo ? ibi, inquam, me abjecit, quasi non essem ego Messias, non essem Christus, non essem unctus Spiritu sancto, testimonium habens a sanguine interfectorum, ab **413** adipe fortium, scilicet malignorum spirituum, vel improborum hominum, quasi nullam omnino prædam tollere possem de manibus inimicorum meorum.

CAPUT XXI.

De oraculo, quo David in Hebron ascendere jubetur, et quid mysticum in Christo significet ille ascensus ejus.

(II Reg. cap. II.) « Igitur post hæc consuluit David Dominum dicens : Num ascendam in unam de civitatibus Juda ? Et ait Dominus ad eum ? Ascende. Dixitque David : Quo ascendam ? Et respondit ei : In Hebron. » Hactenus profugus, hactenus exsul ploravit, et flevit multa amaritudine inebriatus, nunc autem repatriare et regnare obedienter paratus in tabernaculo Dei sui cantare et psallere vult, videlicet in exemplum ejus cujus in persona ipse loquitur : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam in gloria mea (*Psal.* CVII). » Nempe et huic consulenti, « Num ascendam in unam de civitatibus Juda : Ascende, inquit, in Hebron. » Et illi in sepulcro velut responsum Patris præstolanti, quippe qui non a semetipso venit, sed obedienter cuncta fecit : « Exsurge, » inquit, « gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI). » Et ille protinus : « Exsurgam, » inquit, « diluculo (*ibid.*). » Et quasi jussus ascendere in Hebron, libenter hoc accipiens : « Confitebor tibi, » inquit, « in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus (*ibid.*). » Hebron namque civitas sepulcrum erat Abraham, Isaac, Jacob, et maximi Adæ, sicut in libro Jesu Nave scribitur (*Jos.* XV). Unde et Chariatharbe dicitur : « Nomen, » inquit, « Hebron antea vocabatur Chariatharbe, » quod interpretatur *quatuor*. Adam maxi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nus : ibi inter Enacmin situs est. Hebron itaque regni Davidici principium propter Abraham quidem, Isaac, et Jacob ibi sepultos, populum significat Judaicum, propter Adam autem maximum ibidem situm universum designat genus humanum. Proinde David recte et in persona sua in Hebron ascendere jubetur, et in persona Christi cantare docetur, « confitebor tibi, » inquiens, « in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus. » Attamen consulens in unam tantum, quærit ascendere de civitatibus Juda, quia videlicet non nisi in una unius fidei Ecclesia Christus regnat.

CAPUT XXIII.

De Abner, qui prius adversarius David, postea transtulit regnum ad David, quod in illo forma quædam sit apostoli Pauli de eadem tribu Benjamin. Et quid significet ludus ille, in quo pueris ex utraque parte simul cavendibus, idem Abner velocissimum Asahel aversa hasta percussit in inguine.

« Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra, regemque constituit super Galaad, et super Jessuri, et super Jezrael, et super Ephraim, et super Israel universum. » Pro Jessuri vetus legitur Asuri, id est, tribus Aser. Abner primo quidem David adversarius, et adversæ partis dux, postea vero transferens regnum de domo Saul, vel elevaretur thronus David super Israel, et super Judam, quomodo juravit ei Dominus, quem alium nisi Paulum de tribu Benjamin significare arbitremur? Abner quippe *patris lucerna;* Isboseth vero *pir confusionis* interpretatur. Patris autem lucerna procul dubio jam in præsentia Dei, Paulus erat, cum adhuc circumduceret Isboseth, id est, cum adhuc confusionem Judaicam defenderet; verumtamen in factis præsentibus cæcus utpote persecutor et blasphemus inimicus David erat. « Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboset filii Saul de castris in Gabaon. Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David egressi sunt et occurrerunt eis. » Ac deinceps : « Apprehensoque unusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul. » Et post panca : « Percussit ergo Abner Asahel aversa hasta in inguine, et transfodit eum, et mortuus est. » Hæc pugna dupliciter, id est, tam allegorice quam juxta anagogen, discretum lectoris sensum ædificat. Allegorice quippe illam designat pugnam, qua inter se Judæi gentesque credentes, in primordiis evangelicæ fidei conflegebant. Nam Judæi dicebant : Nos sumus populus Dei quos ab initio dilexit et fovit. Nos circumcisi, ex genere Abraham, ex stirpe sancta descendimus et notus retro sæculis tantum in Judæa Deus, vos autem canes potius quam homines, idolis ab initio deservivistis. Et his similia. Econtrario gentes respondebant : Quanto majora erga vos Dei beneficia narraveritis, tanto majoris vos criminis reos esse monstrabitis; semper enim his omnibus exstitistis ingrati, et nunc tandem Dominum Christum, prophetarum semper vobis vocibus repromissum, non solum suscipere noluistis, sed etiam morte pessima peremistis. In contra se pugnantes, gladios utique linguæ suæ in latera contraria defigebant, simulque cadebant. Quo tandem Abner? « Aversa, inquit, hasta percussit Abner Asael in inguine, et transfodit eum, et mortuus est. » Asael quod interpretatur *tollens* sive *sustollens Deum*. Asael, inquam, cursor velocissimus, ipse solus cunctos designat, qui supra dicto modo hinc et inde contendendo communem omnium Deum, in utramlibet partem tollere conabantur. Abner autem, id est, patris lucerna, qui Asael aversa transfoderat hasta, ipse est, ut prædictum est, Paulus apostolus, qui ita contendentibus Judæis atque gentibus peccata sua non impetu aperto improperat, sed velut ex obliquo tranquille et quasi parcendo commemorat in illa quam ad Romanos scribit Epistola. Juxta anagogen vero, cujus Asael typum tenuit, nisi eorum quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu, tanto caute declinandi sunt, quanto insane rapiuntur. Unde et Abner, quod *patris lucerna* dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, irascentem atque furentem declinans, verborum jacula reddere dissimulat. Sed cum iracundus insanire non cessat, necesse est ut quædam subtiliter proferat, in quibus ex obliquo furentis animum pungat. Unde et Abner cum contra persequentem subsistit, non eum recta, sed aversa hasta transforavit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ persecutionis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere, et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occumbit, quia commotæ mentes dum et parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo quod se crevarant statim cadunt. Qui ergo a furoris sui impetu sublevantis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur.

414 CAPUT XXIV.

De morte Isboseth filii Saul, et quid per eam mystice intelligatur.

(II Reg. cap. IV.) « Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab filii Remmon Berothitæ. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ, usque ad tempus illud, » etc. Duo viri isti principes, principes erant super expeditiones Isboseth. Mortuo autem, ut Hebræi tradunt, Abner, consiliati sunt cum Miphiboseth, ut sua interficerent Isboseth, et eumdem Miphiboseth constituerent regem, et ejusdem consilii delatorem eumdem Miphiboseth exstitisset (*sic*), et idcirco hic idem Miphiboseth subintroducitur hoc modo : « Erat autem Jonathæ filii Saul filius debilis pedibus, quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Jonathan ex Jezrael, » etc. Videntes vero Baana et Rechab a Miphiboseth suum prolatum esse consilium, timore perterriti, fuga lapsi sunt in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud. Tempus illud intelligendum est, quando inde reversi domum Isboseth fervente die ingressi sunt, assumentes spicas tritici, et percutientes eum in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inguine. Spicas tritici, quasi causa primitiarum, tulerunt, ut honorem regi deferre viderentur, et eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Ex hoc loco moralis spirat suavitas. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforari. Si quidem ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii Domini, insidiatores admittit. Nequaquam vero Isboseth iste, id est vir confusionis, hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque virilisque sexus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat.

CAPUT XXV.

De adductione arcæ Domini, et quod illud tripudium David prophetæ, et regis salientis de magna humilitate et sapientia processerit.

(II Reg. cap. VI.) « Congregavit autem David omnes electos ex Israel triginta millia, surrexitque David et abiit, et universus populus, qui erat cum eo de viris Juda, et adduxerunt arcam Domini exercituum, sedentis in cherubin super eam. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum, » etc. Quæ ista prophetæ festivitas fuit? Prophetæ dicam, an regis? Imo melius prophetæ simul et regis. Ipse namque qui in illum directus est Spiritus Domini, prius illum prophetam quam regem effecit, priusque illi mysteria futuri Domini et filii sui magni regis Christi ostendit quam thronum ascendere concederet præsentis regni Israelitici. Quæ ergo fuit illa tanta solemnitas prophetæ et regis, in deductione arcæ Domini? « Ierunt (ut in Paralipomenon locupletius scriptum est), ad portandam arcam fœderis Domini de domo Obeth Edom cum lætitia. Cumque adjuvisset Dominus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, et septem arietes. David autem indutus erat Ephot lineo, universusque Israel deducebat arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes (*I Par.* xv), » etc. Num hæc frustra vel absente sancto prophetiæ spiritu facta sunt? Si ad cantum unius psaltæ sanctum prophetiæ spiritum Elisæus in pectore suo suscitavit, sicut scriptum est : « Nunc autem adducite mihi psaltem, cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait : Hæc dicit Dominus, facite in alveo torrentis hujus fossas (*IV Reg.* III), » quanto magis in illo tanto jubilo, tantoque buccinæ sonitu, tubarum quoque et cimbalorum, atque cithararum concrepitu evigilasse credendus est idem qui et in isto erat spiritus, præsertim cum ipse rex quasi regalis oblitus fastigii luderet, ac totis viribus saltaret ante arcam Domini, in tantum ut uxori suæ Michol videretur despicabilis? (*I Par.* xv.) Num lasciviente juvenili sanguine, et non potius confringente cor humile magno spiritus Dei fortitudine sic insit, et sic saltavit rex magnus, rex manu fortis, tanto magnus et fortis, quanto parvus et vilis in oculis suis?

CAPUT XXVI.

Quod illa deductio arcæ Domini gloriam resurrectionis Christi figurarit, et quod illa decantatio citharisantium sonum et verba significaverit prædicatorum, quæ in omnem terram exierunt.

Igitur quod confirmato regno David super populum Israel, tanto totius regni tripudio deducitur arca fœderis Domini, ejus rei typus est pro qua totus hodie tripudiat orbis, quia videlicet resuscitato a mortuis Rege magno, Rege manu forti et desiderabili Christo, postquam gloria et honore coronatus, et constitutus est super opera manuum Patris, continuo per mundum universum resurrectio prædicata est ejusdem Regis victoriosi. Etenim, sicut alibi plenius jam dictum est, arca mirabilis, arca totos in se continens thesauros universæ divinitatis, fabrica est humani corporis, quod Dei Filio Spiritus sanctus de virginali utero compegit, et hujus arca illa typus exstitit. Nam revera super hanc arcam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam, imo ipsa vocatur domus exercituum, propter plenitudinem scientiæ totiusque divinitatis corporaliter inhabitantis in ea. Decantabat itaque populus Domini in Israel, et universa multitudo Jacob canebat legitime. David quoque cum cantoribus, citharam percutiente, sonus cantantium in toto mundo auditus. Nam « non sunt, inquit, loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII), » subaudítur dicentium : « In sole posuit tabernaculum suum (*ibid.*), » etc. Gaudi, qui hanc enarrant Dei gloriam, scilicet apostoli, ipsi sunt juxta præsentis loci mysterium, Asaph, Idithum, Eman, et Ethan, id est congregantes, et transilientes robusti et fortes, congregantes videlicet spiritualia, transilientes carnalia, robusti ad mala toleranda, fortes ad bona peragenda, et omni studio in citharis canentes « pro octava, » id est in omnimoda mortificatione carnis resurrectionem testificantes, quæ dicitur octava. Juxta litteram pro octava canebant, quia in sexto psalmo qui hoc habebat, in titulo incipiebant. « Pro octava » Judæi putant pro circumcisione, nos autem pro illa qua innovandi sumus melliori circumcisione, id est carnis resurrectione. In medio illorum stabat David, tenens et ipse psalterium, citharamque percutiens, ac totis viribus subsiliens. Ipse namque dixit : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv), » etc : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII) ; » pulchris digitis suis, id est, Spiritus sancti donis, pectora concutiebat apostolorum, ut non tacerent aut deficerent, quodammodo subsiliens, id est mira quibus adjuvarentur, et sermo illorum confirmaretur, per ipsos opera faciens.

415 CAPUT XXVII.

Quid sit plaustrum novum, et quæ sit domus Abinadab, et quid despectio Michol filiæ Saul, prospicientis per fenestram.

« Et imposuerunt, inquit, arcam Dei super plau-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

strum novum, tuleruntque eam de domo Abinadab.» Plaustrum novum, quo hæc arca fœderis Domini portatur, novum est Christi Evangelium, quo resurrectio ejus, ut prædictum est, in toto mundo annuntiatur. Nam quatuor plaustri rotæ quatuor sunt evangelistæ. Domus autem Abinadab, quod interpretatur *populi mei spontaneus*, domus, inquam, Abinadab, id est Christi, qui populo suo sponte semetipsum dedit, quondam Synagoga fuit, nunc autem domus ejusdem Ecclesia est, quæ illa invidente fidem suscepit resurrectionis Christi. Et nunc quidem illa ludentem atque subsilientem irridet nostrum David, blasphemo non parcens ori, quemadmodum hic Michol filia Saul, prospiciens per fenestram subsilientem atque ludentem coram Domino, despexit in corde suo David. Futurum est autem ut dicat: «Nescivi, anima mea turbavit me, propter quadrigas Abinadab (*Cant.* VI).» Nescivi, inquam, anima mea insipiens rerum mutatione conturbata est, et non intellexi quadrigas Evangelii, portantes arcam Dei de domo Abinadab. Cum enim plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* XI), tunc ista Michol non jam prospiciendo per fenestram despiciet gloriosum regem David, sed et ipsa sequetur, imo, et suscipiet arcam Domini, fidem resurrectionis Christi. Nunc interim per fenestram quasi prospicit, quia tantis interesse nolens gaudiis, velut in abscondito insidias machinatur, quid vel unde blasphemare possit.

CAPUT XXVIII.

Quod Dominus percussit Ozam, eo quod tetigit arcam Domini, exemplum esse quod non debeat vita prælatorum a subditis temere reprehendi.

«Haio et Oza filii Abinadab minabant plaustrum novum. Postquam autem venerunt ad aream Nachar, extendit manum Oza et arcam Dei, in tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverant eam. Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam, et percussit eum super temeritate.» Jusserat idem Abinadab duobus filiis suis Oza et Haio, ut portarent arcam Domini humeris suis, et quia neque ipsi eam portaverunt, neque Caathitis ad portandum dederunt, ideirco Oza morte multatus est. Fuit enim peccatum in non portando, in sustinendo arcam jam pœna peccati. Nam de Oza traditur quod aruisset brachium ejus, et humerus ubi arca Domini portanda fuerat, et in illius loco divisio quædam facta est. «Avertit aream Domini in domum Obeth Edom.» Obeth Edom Levita erat, et ignorabat David ob quam causam indignatio Dei venisset in Ozam. Postquam vero cognovit causam pro qua Oza percussus est, jussit eam portari in humeris, sicut sequentia monstrant. Porro mystice per hanc similitudinem vehementius commonemur, ne quando nos otiosi aut vacui cum simus, humiles arcæ Dei portatores, si quando excesserint veluti boves calcitrantes, temere judicemus. Verbi gratia: «Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur esse major (*Luc* XXII).» Item in Actibus apostolorum: «Facta est dissensio inter Barnabam et Saulum, ita ut discederent ab invicem (*Act.* XV).» Ubi hæc vel hujusmodi evenerunt, boves utique calcitrantes arcam declinaverunt. Nam et Paulus dicit: «Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dixit? Nam propter nos utique scripta sunt (*I Cor.* IX; *Deut.* XXV).» Igitur ad reprimendam contra rectores, reprehensionis audaciam, «Iratus est, inquit, Dominus contra Ozam indignatione, et percussit eum super temeritate,» quia videlicet qui sanctorum infirma respiciunt, et non potius quia «convaluerunt de infirmitate, fortes sunt in bello (*Hebr.* XI),» ibi contra semetipsos divinum provocant judicium. Aliter quoque et juxta moralem sensum, quid mens justi, nisi arca est testamenti? Quæ gestata bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam qui bene præest, subjectorum populorum confusione concutitur. Sed perdit vitam qui arcam Dei tumide sublevat, quia nequaquam quis sanctorum corrigere facta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde et Levites idem recte Oza dicitur, quod videlicet *robustus Domini* interpretatur, quia præsumptores quique, nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma judicarent.

CAPUT XXIX.

Laudabilem esse devotionem David, qua domum Domino ædificare voluit, et quod nemo dignum Domino domum ædificare potuerit, nisi solus Christus.

(II Reg. cap. VII.) «Factum est autem cum sedisset in domo sua rex, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam: Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium,» etc. Hæc digne et laudabiliter dixit, ut non ingratus, ut æquus ponderator, vel æstimator dignitatis vel beneficiorum Dei. Nec vero casu vel frustra, sed nutu Dei hæc illi in mentem cogitatio venit, ut videlicet per hanc occasionem bene præparata mente ac devoti cordis apertis januis, repromissionem digne acciperet Domini sui Filii sui, Christi regis æterni, qui solus sciret ac posset domum ædificare ad habitandum Deo viventi. Porro Nathan dicendo: «Omne quod est in corde tuo, vade et fac quia Deus tecum est,» ex se non ex sermone Dei locutus est. Illud vero quod sequitur: «Hæc dicit Dominus: «Nunquid tu ædificabis mihi domum,» etc., ex sermone Domini dixit. Itaque jam nunc dulcissimum præsentis loci mysterium ingrediamur, et ad laudem Christi Filii Dei cujus hic repromissio est, misericordias Domini in æternum cantandas digno fidei auditu suspiciamus. Primumque est, ut in David sanctos vel justos omnes æque perpendamus, qui fuerunt ab initio usque ad adventum Christi Filii Dei, quos quia cuncti peccato obnoxii fuerunt, non potuisse constat ædificare domum nomini Domini. In Salomone autem eumdem Christum Dei

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Filium, quem quia « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*1 Petr.* II), » domum ædificasse confitemur, scilicet Ecclesiam Dei viventis de sanguine suo, quem fudit pro nobis, et de Spiritu suo sancto quem dedit nobis.

416 CAPUT XXX.

Quod ait : « Cumque impleti fuerint dies tui, » etc. Ecclesiam promissam esse Christo secundum carnem, et super illo psalmum illum esse : « Misericordias Domini in æternum cantabo. »

« Nunquid, ait, tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi filios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc. » Ac si diceret : Non poteris mihi domum ædificare, quia vir sanguinum es, et multum sanguinem effudisti. Amplius autem non poteris mihi domum ædificare, domum, inquam, id est Ecclesiam, in qua mihi complacitum sit per gratiam inhabitare, quia videlicet cum propriis non careas, peccata populi nequaquam potes tollere, quod est revera Deo domum ædificare. Econtra. « Prædicit, ait, tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus. » Non tu illi, sed ille tibi domum ædificabit, in qua tu, et per communem fidem quidem domesticus sis, et per gratiæ privilegium honorem obtineas paterni nominis. Nam ecce sustine me, audi, et hoc ipsum per me prophetam suum prædicit Dominus tibi, vel certe illud quod nunc per me internuntium ejus audis, ipse tibi velut eximio prophetæ per Spiritum sanctum postmodum revelabit. « Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. » Ac deinceps : « Et fidelis eris domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem meam, et thronus tuus erit firmus jugiter. » Majestas dictorum atque sensuum omnino prohibet hæc, de alio quolibet intelligi quam de Christo unico Filio Dei, et filio David, secundum divinitatem Domino David, secundum carnem autem filio David. Cujus enim nisi hujus thronum firmavit Deus usque in sempiternum? Aut de quo alio aliquando dixit, aut dicere debuit : « Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium? » Igitur larga et admiranda vicissitudine, dum pauper et angustus homo, immenso et incomprehensibili Deo, domum manufactam ædificare cogitat, Deus e contrario, quod homini impossibile erat, eidem domum æternam, in qua veraciter et ipse Deus inhabitet, ædificaturum se pronuntiat. Sic enim propheta loquitur : « Prædicitque tibi Dominus, » scilicet Pater, quod domum tibi faciat Dominus, scilicet Patris Filius. Et revera domus Dei, quæ sancta est Ecclesia, ipsa est domus David, in qua Pater Christi Deus secundum divinitatem; David autem pater Christi nominatur secundum carnem. Inde illa magnifica æternarum cantatio misericordiarum, quas latitudo cordis ore angusto satis exprimere non valens contendit hoc modo : « Misericordias Domini in æternum cantabo. In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo (*Psal.* LXXXVIII). » Quas enim misericordias cantabis, o homo, quam veritatem meam annuntiabis ore tuo? « Quoniam dixisti, inquit : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis (*ibid.*). » Et reliqua usque ad finem psalmi dicta prophetica, tanti fulgoris et tantæ claritatis quantum pretiosæ fidei, aurum in pectore David igne suo conflare potuit excitatus spiritus pietatis. Sedebat enim effuso corde suo coram Domino, post auditum tantæ promissionis, et dicebat. « Quis ego sum, Domine Deus, quia adduxisti me hucusque, » etc. Sane quod hic dictum est : « Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, » in psalmo prædicto citius expeditum est : « Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo (*ibid.*). » Neque enim iniquum aliquid acturus erat ille filius David Sanctus sanctorum, quod arguendum esset « in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, » sed filii ejus qui sumus nos, sine peccato non sunt, imo multæ iniquitates nostræ, multa peccata nostra sunt, quæ in virga merito visitentur, et purgatoriis verberibus expientur, non amota tandem misericordia, si non sit peccantium dura et impœnitens pertinacia. Verumtamen utriusque loci una est sententia, quia videlicet filiorum Pater ille super se peccata tulit, et ipse est caput totius cujus membra sumus corporis. Et hujus quoque veritatis firmitas in illo typico Salomone templi manufacti ædificatore præcessit. Nam et ille legem Domini dereliquit, et filii ejus reges Juda in judiciis Domini non ambulaverunt, nam præter David et Ezechiam et Josiam omnes peccaverunt. Deus autem in virga iniquitates eorum visitavit, et misericordiam suam non abstulit ab eis, quando, juxta veritatem Dei juramento firmatam, cum David nasceretur ex eis, qui, sicut jam dictum est, misericordiam, vel misericordiæ domum ædificaret in cœlis.

CAPUT XXXI.

De eadem promissione, et quod non antea David promissionem accepisset quod de semine ejus Christus nasciturus esset.

« Quis, inquit, ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus meus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. » Quamvis propheta David, quamvis psaltes inclytus voces jam edidisset, directi in se, a prima unctione sua spiritus Domini, nondum tamen illud acceperat, quod summum est suæ felicitatis, videlicet quod de illo nasciturus esset salus sua

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Christus, salus, inquam, et exspectatio non tantum A ipsius, sed et totius mundi. Nam exspectabatur quidem Messias de tribu Juda, sed non etiam de domo fidelis David. Hic primum illud audivit, et idcirco velut attonitus in admirationem suæ benedictionis exclamans de semetipso quisnam esset requisivit. Nec vero isto contentus fuit, nisi locum quoque sciret ubi nasceretur ille Dominus Deus suus, et filius uteri sui. Afflixit igitur se, et humiliavit animam suam pro hoc, orans revelari sibi quo nasciturus esset in loco, quemadmodum testatur ipse in alio psalmo : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et B requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*Psal.* CXXXI). » Quam arctissime se afflixerit nobis aperuit, et continuo subjunxit quia exauditus sit. Nam adhuc in afflictione positus repente revelante spiritu, lætabundus exclamavit : « Ecce audivimus eam in Ephrata, **417** invenimus eam in campis silvæ (*ibid.*). » Quo dicto non solum ubi nasciturus esset Christus se in spiritu audisse asseruit, sed et quo transferenda esset illa arca Domini, arca sanctificationis Dei, illa in qua habitat corporaliter plenitudo divinitatis natura hominis (*Col.* II), ex semine ipsius David. Nam Ephrata ipsa est Bethlehem civitas David, in qua completi sunt dies Mariæ ut pareret, et peperit primogenitum filium suum (*Luc.* II). Campi autem silvæ C sumus nos gentes; campi, inquam, silvæ, id est nunc effecti campi cultiles et bonarum frugum fertiles, cum ante fuerimus silvæ malignis spiritibus, qui utique crudeles sunt feræ, secreta in nobis cubilia præbentes. Itaque cum dicit, « audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ, » profecto et ubi primum audienda, et ubi tandem invenienda sit incarnatæ divinitatis arca, sibi testatur intimatum esse.

CAPUT XXXII.

Quia velit dicendo : « Ista est lex Adam. »

« Ista est enim lex Adam, Domine Deus. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad D te? » Tanquam diceret : Vere juxta verbum tuum, Domine Deus, ego non ædificabo tibi domum ad habitandum, quam inhabites tu, quem non capit cœlum et cœli cœlorum. Neque tu habitasti in domo ex die qua eduxisti filios Israel de terra Ægypti. Perspicuum autem est quod multo magis et antea nequaquam in domo habitaveris. Nam « ista est lex Adam, » lex utique peccati, sub qua nos omnes ille genuit. Sumus enim, secundum illum, et nos omnes natura « filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). » Idcirco neque nos, neque alii per nos tua domus esse merentur, quia nemo nostrum est, qui a sorde sit mundus, et omnes eadem gratia tua, id est peccatorum remissione indigemus. Unde dicit et alius : « Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea (*Job* IX). » Quid ergo contra sententiam tuam potero respondere? Nempe ut ait idem qui supra : « Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendere, pravum me comprobabis (*ibid.*). »—« Tu enim scis servum tuum, Domine Deus. » Scis, inquam, quod cum originali peccato, actualibus quoque peccatis non caream ego servus tuus. « Propter verbum tuum, et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc. » Parum erat dixisse « propter verbum tuum » quod videlicet promisisti Abraham, Isaac et Jacob, nisi addam : « et secundum cor tuum, » id est secundum gratiam tuam, secundum misericordiam tuam gratuitam, indebitam, nullis præcedentibus meritis retributam. « Secundum cor tuum, » inquam. Quis enim et in hoc adjuvit spiritum tuum? aut quis consiliarius tuus fuit, et ostendit tibi? » (*Isa.* XL.) Cum quo inisti consilium ut talem tibi provideres architectum, qui de nobis ipsis tibi faciat domum ad habitandum? « Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui. Neque est alius extra te. » Nam omnes alii cultores suos infelices subtili decipiunt fallacia, tu autem sperantes in te mira atque inopinabili salvas cordis tui prudentia. Sed hoc ab effectis melius, ipse probat dicens : « Quæ est autem ut populus tuus Israel gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum. » Ivit, inquam, illa videlicet via, vel cursu suo illo de quo alibi loquitur hic idem Propheta : « Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Psal.* XVIII). » Nam illa quidem via qua populum suum de Ægypto terrena et de manu Pharaonis carnei liberavit, ivit quidem, Deus, sed non per semetipsum. Ivit quidem sed non per propriam unigeniti Filii sui personam. Alia hujus itineris gratia, et alia est gloria, quapropter gentem suam, gentem electam, de cœlo descendens in uterum virginis, homo factus ex semine hujus fidelis David, juxta veritatem promissionis præsentis, ad inferos ivit per passionem mortis, ut redimeret eam sibi in populum, quam captivaverat in Adam spiritualis ille Pharao princeps tenebrarum. « Propterea, inquit, invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac. » Videlicet, qua revelasti aurem servi tui, dicens : « Domum ædificabo tibi. » Invenit quippe cor suum, qui in principio hujus orationis dixit : « Quis ego sum? » nam econtra, qui se existimat aliquid esse, cum sit nihil, profecto necdum cor suum invenit, sed ipse se seducit (*Gal.* VI). Ergo cor suum invenit, qui nullum esse suum meritum perspiciens, solam in dilectione sua cognoscit gratiam Dei, vere confitens quod secundum merita, non gloria, sed pœna, non honore, sed abjectione dignus sit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXIII.

De consolationibus ejus, quod qui septies fugerat Saul, septies triumphavit de hostibus, insuper sciens quod Christi pater futurus esset.

(II Reg. cap. VIII.) « Factum est autem post hæc percussit David Philisthæos, et humiliavit eos. Et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim. » « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, ait hic ipse David, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII). » Hoc verè et secundum præsentes successus suos canere potuit rex utrobique felix, scilicet temporalibus pariter et æternis. Dudum quippe profugus et exsul, nunc promissione accepta pater Christi futurus, septies de suis triumphat hostibus, qui, ut supra taxavimus, septies persequentem fugerat Saul. Supra semel et iterum percusserat Philisthæos, primo in Baalpharasim dicens : « Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ, et propterea vocavit nomen loci illius Baalpharasim (*II Reg.* V) ; » secundo in valle Raphaim dicente Domino : « Non ascendas obviam eis, sed gyra post terga eorum, et venies ad eos ex adverso pirorum (*ibid.*). » Verumtamen in Hebræo non « pirorum » legitur, sed flentium, id est idolorum. Quæ idcirco flentium vocantur, quia fletu digna sunt, et eos qui ea colunt ad fletum miseriarum perducunt. Tradunt Philisthæos idolum habuisse, cui in lacrymis hominum sacrificium parabatur. Huic illi more suo lacrymis sacrificabant, et eis ex adverso venit David. Tertio nunc percussit David Philisthæos, ut jam dictum est, et humiliavit eos, et tulit frenum tributi de manu Philisthinorum. Frenum tributi quinque erant civitates Philisthinorum, quæ frequenter Israel tributarium sibi faciebant, quas eis tulit David, et humiliavit eos, fecitque eos sibi tributarios. « Percussit Moab, et mensus est funiculo coæquans terræ. » Quod profecto magnum est præconium perfectæ victoriæ, quia quemadmodum quis terram funiculo metitur, sic eos distribuit ad placitum suum, alios reservari, alios occidi imperans, sic repugnare non audentes, quomodo terra reluctari non novit aut dicere mensori suo : Quare metiris me sic? Idcirco magnifice dictum est : « Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, alium ad vivificandum. Percussit deinde David Adar Ezer filium Roob regem Soba, et cum eo Syriam Damasci, **418** quæ venerat ut ei præsidium ferret ; facta est quoque Syria David serviens sub tributo. Posuit et in Idumæa custodes, et facta est Idumæa serviens David. Deinde percussit filios Ammon, et cum eo Syrum Sobath, et occidit de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum, et Sobath principem militiæ percussit. Timueruntque Syri ultra præbere auxilium filiis Ammon. » Istæ sunt septem victoriæ David, quas, si spiritualiter ad Christum referre voluerimus, universas intelligemus unctiones, quæ et in Apocalypsi per septem angelorum septem plagas novissimas significantur, quibus voce magna de templo dicitur : « Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terra (*Apoc.* XVI). » Tot tantisque prosperis animæ et corporis David, tanta tamque horrenda succedunt adversa itidem animæ et corporis, ut totum prius ædificium labentibus columnis in terram ceciderit, et nisi Dominus supposuisset manum suam, jaceret, proh dolor! magnarum virtutum ruina incomparabilis, quemadmodum et ipse dicit : « Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset anima mea in inferno (*Psal.* XCIII). »

(II Reg. cap. XI.) « Accidit, inquit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde, » etc. Nota et celebris tanti hujus eventus est historia, quia venit peregrinus quidam, scilicet diabolus ad hunc divitem et regem David, ut adipe peccati apud illum saginaretur. At ille parcens sumere de ovibus suis, quas multas habebat (multas enim habebat uxores, quibus licenter uteretur), tulit ovem pauperis, tulit ovem proximi, et ita præparavit cibos peregrino illi vago et instabili, nihil habenti in domo vel civitate Dei. Et ille peregrinus tali saturatus edulio patrati adulterii, sanguinem quoque Uriæ sibi in poculum poposcit, et hic nihilominus dedit. Nam gladio filiorum Ammon Uriam interfecit (*II Reg.* XII). Magna hujus tam magnæ turris ruina, magnum spectaculum, in quo quisque nostrum videat quia nunquam, dum vivit, de status sui firmitate securus esse debet. Itaque gloriam regis et præsentibus victoriis illustrati, et futuri seminis sui beata spe per promissionem suprascriptam dilatati, magna miseriæ nebula pene totam cooperuit. Nam propter malum hoc, et postmodum de regno fugit, juxta sermonem Domini dicentis : « Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis, in oculis solis hujus. Tu enim fecisti abscondite, ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. » Et in præsentiarum timuit, ne ob culpam suam pœniteret Dominum, et immutaret promissionem suam, qua juraverat dicens : « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI). » Hoc timuit, istam calamitatem, ne sibi obveniret, expavit. Sed vertit se ad munitionem spei. Præsumpsit spiritum consilii et fortitudinis, et offenso Deo, peccator homo consiliarium se ingerere non dubitavit. Dixit enim pœnitens in oratione, quam pro hoc peccato effudit : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L), » subauditur, miserere mei. Tanquam diceret : Quæ enim justitiæ laus si fideli suo quis fidem promissi sui custodiat? Verum illic magnæ et prædicandæ justitiæ laus est, ubi, quamvis offensus, quamvis irritatus, qui promisit, fidelis permanet, et hoc tantum respiciens, quia juravit, fidem retinet, promissum adimplet.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Utigitur justificeris in sermonibus tuis, » ut narretur in gentibus quia nec tanta iniquitas mea fidem tuam evacuavit, clameturque a cunctis auditoribus placiti tui : Deus verax, « omnis autem homo mendax (*Psal.* CXV), » miserere mei. Ita fiet, « ut vincas cum judicaris, » quoniam tu te libenter judiciis offers, dicens in alio propheta : « Qui est qui judicetur mecum, veniat, stemus simul, narra si quid habes, ut justificeris (*Isa.* XLIII). » Quanta enim justitiæ victoria erit, cum nec illud narrari potuerit, quod tu saltem mendacibus nobis veritatem tuam observare neglexeris? Non denique parvam in gloriam tuam, veritas tua in mendacio nostro abundabit. Suscepit consilium peccatoris Deus miserabilis, « Deus fidelis in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV), » tanquam prona indulgentia sermonis sui fidem retinuit, ut Christum suum, de illo potissimum semine suscitaret, quod de adultera Bethsabee natum est. Quod volens nos venerabiliter scire Matthæus, tantæ scriptor genealogiæ : « David autem, inquit, rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ (*Matth.* I). »

CAPUT XXXIV.

Quale mysterium sit in lapsu ejus in uxorem Uriæ, quem gladio filiorum Ammon interfecit.

Proinde et in isto damnabili facto David, magnum a sanctis Patribus subesse mysterium digne animadversum est; quod tantum est ut quoties per ora Christiana volvitur, merito erubescat, et confundatur vehementer ille qui venit ad David peregrinus diabolus, quia, dum nequiter prophetæ et regis devorare quæsivit animam, sacramenta sua præfigurantem, viriliter adjuvit Dei sapientiam. Cujus enim David in solario deambulans, nisi ejus typum tenet de quo scriptum est : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII). » Bethsabee vero pateus septimus dicitur. Verius tamen Bethsabee legitur, quod *filia juramenti* interpretatur, ita tamen ut prima correpta sit syllaba. Alioquin ubi producitur semper *domus* interpretatur. Urias autem *lux mea Dei*. Quid ergo est, David Bethsabee conjugem Uriæ ad se producere, nisi legem litteræ, carnali populo Judaico conjunctam, qui quasi de Dei luce gloriatur, spirituali sibi intellectu sociare? Porro quod Urias ad Joab cum epistolis mittitur, ex quibus debebat occidi, quid est nisi quia ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur? Itaque in hoc quoque adventu suo, civitati Dei et regi ejus Christo peregrinus ille servivit, quia res gesta, et si in superficie causa damnationis, in mysterio tamen est prophetia virtutis. Rem gestam sic damnamus, ut mysterium amplectamur.

CAPUT XXXV.

Quod pro facto ipso pœnam recipit, fugiendo a facie Absalon filii sui, quod in ipsa fuga, grande mysterium Christi sit.

Amplius autem cum pro facto ipso pœnam recipit fugiendo a facie filii sui Absalon, grande in eadem fuga sua Christi Filii sui spectat mysterium, videlicet psallendo in spiritu humilitatis et componendo hunc psalmum : « Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me (*Psal.* III). » Nam in eodem psalmo dicit : « Ego dormivi et soporatus sum; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me. » Plane hoc non suo, sed Christi spiritu dicit, qui utique multis tribulationibus, multis adversum se insurgentibus ac dicentibus : « Non est salus illi in Deo ejus (*ibid.*), » tandem cruci affixus, emittendo spiritum, obdormivit et profunda morte soporatus est (*Matth.* XXVII), sed tertia die exsurrexit, quoniam Dominus suscepit eum, quoniam **419** illa caro erat, quam de utero virginis suscepit, sibique in unam eamdemque personam univit Dominus Deus Dei Verbum. Idcirco exsurrexi, inquit, a somno mortis (*Act.* II), solutis videlicet doloribus inferni, juxta quod impossibile erat me ab illo teneri. Igitur Absalon, quod interpretatur *patris pax*, Absalon, inquam, filius et hostis, imo non filius, sed hostis, cujus a facie pater fugit, ipse in mysterio est Judas traditor, falsa patris et magistri pax, quem osculo pacis signo tradidit (*Matth.* XXVI), Judas, inquam, apostolus et diabolus, imo non apostolus, sed diabolus, cujus a facie revera talis pater fugit; nam a ficto corde ejus Christus vel Christi spiritus fugit, in quem Satanas introivit (*Joan.* XIII). Et proinde pœna ejus justitiæ laudatorem maxime delectat, quia judicio Dei mente captus se suspendit (*Matth.* XXVII), in quo jam non mysterii profundum, sed ipsa rei gestæ superficies, Judam et Absalon pene demonstrat esse pariles. Nam et iste pendens quercu mula cui sedebat pertransiente desertus, merito in corde lanceas suscepit (*I Reg.* XVIII), et ille laqueo suspensus, et principum sacerdotum familiaritate, quam ascenderat male desertus, dignas protinus sagittas, id est æternæ damnationis et mortis sententias in anima accepit. Et ne parum putes quod unus Absalon unius Judæ formam prætulerit, Achitophel quoque consiliarius ejus suo suspendio interiit (*I Reg.* XVII).

CAPUT XXXVI.

Quod Goliath fratrem Goliæ interfecit, et de reliquis fratribus qui cecidernat in manus serrorum, et cur David Adeodatus, filius Saltus, cur Polymitarius, cur Bethlehemites, videlicet pro mysterio Christi, appelletur.

(II Reg. cap. XXI.) « Factum est rursus prælium Philisthinorum adversus Israel, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philisthiim, » etc. Gob interpretatur *lacus*. « In quo percussit, inquit, Adeodatus filius Saltus Polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum. » Idcirco lacus dicitur quia sicut in lacum leonum quis mittitur, ita semetipsum contra Goliath David misit. Adeodatus ipse David. Idcirco dicitur Adeodatus, quia a Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de saltu ubi oves pascebat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beselehel mater ejus fuit. Bethlehemites, quia Noemi et Ruth tempore ubertatis reversæ sunt Bethlehem. Et quia panis causa Ruth a Booz

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nota est, propterea idem locus domus panis interpretatur. Quare autem hisce nominibus loco præsenti insigniter, cum posset proprio nomine exprimi compendiosius? Videlicet pro mysterio magno, quia profecto non sine magno futurorum præsagio quatuor isti nati de Arapha in Geth, quorum causa et quatuor istic bella taxantur, ceciderunt in manu David, et servorum ejus. Arapha quippe est Orpha ipsa altera nurus Noemi, quæ ad populum suum et ad deos suos reversa est persistente Ruth in eo quod cœperat dicendo: « Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus (*Ruth.* I). » Et ex illa videlicet Ruth, Christus processit, juxta illud Isaiæ: « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion (*Isa.* XVI). » Christus, inquam, de illa petra, id est, muliere gentili, sed firmiter fideli, David iste et qui de semine ejus natus est, Christus processit, ex ista autem, scilicet Arapha Goliath, et cæteri isti, Jesbi et Saph, et vir excelsus qui sine nomine ponitur, senos habens digitos in manibus et pedibus. Fuerunt enim quinque, quorum duo scilicet Golias Philisthæus, et frater ejus Goliath Ethæus ceciderunt in manu David, reliqui autem in manu servorum ejus. Num ergo absque mysterio sic contigit ut modo supradicto disparatæ duæ nurus Noemi tam adversas in alteratrum generationes ederent, et sic in manu hujus stirpis illius monstra caderent? Igitur istis nominibus sive appellationibus David, mystice Christus designatur, et istis bellis quibus in manu David et servorum ejus stirpis adversæ fortes prosternuntur, ejusdem Christi bella spiritualia significantur, quibus inimicum omnium veritati mendacium destruitur. Nam Adeodatus ipse est, de quo propheta cecinit: « Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis (*Isa.* IX). » Filius saltus ipse est, qui in saltu hujus sæculi natus, Filius hominis ovium spiritualium curam suscepit, suffocaturus leones et ursos, qui sunt spiritus maligni. Polymitarius ipse est, qui cum Patre Deo, solis ac lunæ, stellarumque opere vario cœlum fabrefecit, imo et Ecclesiam suam vario virtutum opere perornare non desinit. Bethlehemites ipse est, cujus adventu Ecclesia præsens Bethlehem facta est, id est domus panis, quemadmodum dicit: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI). » Hæc plane, quæ dicta sunt, sequentis carminis verba confirmant (CAP. XXII): « Dominus, inquit, petra mea et robur meum, et Salvator meus. Deus meus, fortis meus, et sperabo in eum, » etc. Nam aliquantis verbis demutatis carmen istud psalmus septimus decimus est, quem prophetico spiritu in persona Christi decantari dubium non est.

CAPUT XXXVII.

Qui tres fortes primi, et qui tres fortes secundarii, et qui triginta fortes fuerint, et quare Joab, neque inter tres, neque inter triginta saltem numeratus sit.

(II REG. CAP. XXIII.) « Hæc nomina fortium David. David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit impetu uno, » etc. Post tam multa, tamque ingentia facta David, quæras forte quibus viribus, quibus vel quantis fretus ipse fortibus illa perfecit. Et ecce fortium ejus cuneus nobilis tibi denumeratur, cuneus, inquam, triginta fortium, tribus fortibus, scilicet Abisai et Sobochai, et Jonathan filio Semmaa fratris David, præcutus amplius tribus fortibus, id est, virtutibus, sapientia videlicet humilitate et fortitudine ipsius David totus solidus ac ferreus. Nam « sedens in cathedra sapientissimus, » ecce sapientia. « Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, » ecce humilitas. « Qui octingentos interfecit impetu uno, » ecce fortitudo. Tres ergo fortes computantur in uno David, quos et diligenter nobis Scriptura commendare studuit, cum ait: « Abisai frater Joab nominatus in tribus, et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat. » Idem enim est ac si diceret: Quamvis inter tres fortes nobilior, et eorum princeps fuerit, tamen nec fortitudo ejus fortitudini David, nec sapientia ejus sapientiæ David, nec humilitas ejus humilitati David cœquari potuit. Sane cur fortes isti scribantur fortium fortissimi fuisse cum David, altera præcedens, altera subsequens causa evidenter ostendit. Præcedens videlicet, quia tres isti, illi sunt servi David, de quibus supra dictum est: « Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum ejus (*II Reg.* XXI). » Nam cum quinque fuerint, duos quidem ex eis occidit David, scilicet Goliam Philisthæum, et fratrem ejus Goliath Ethæum, singuli autem servi ejus, isti singulos interfecerunt, videlicet **420** Abisai et Jesbibenob et Sobochai Saph, Jonathan vero virum excelsum senos in manibus pedibusque digitos habentem. Altera et secundum præsentem descriptionem subsequens causa hæc est. « Desideravit, inquit, David aquam, et ait: Si quis daret mihi potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David. » Igitur tres isti fortes quidem, sed, ut jam dictum est, usque ad tres primos, id est ad tres virtutes non pervenerant, ad quas pervenerat David. Quare autem Joab neque inter tres, nec saltem inter triginta fortes numeratus est? Videlicet, quia non hic tantum vires corporis, sed potius virtutes animi spectantur, in fortibus David. Porro Joab interfecerat duos viros justos, melioresque se, Abner filium Ner principem militiæ Israel, et Amasa principem exercitus Juda, et effuderat sanguinem belli in pace, id est in dolo vel pacis simulatione. Recte ergo in numero fortium David conscriptus non est. Attamen utrumque scelus una ipsius morte expiatum est. Quapropter sic de illo scriptum est: « Ipse, videlicet Banaias filius Joiadæ, descendit et percussit leonem in media cisterna, in diebus nivis. » Leo iste Joab fuit. « In media cisterna, » id est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in domo Domini, ubi cornu altaris tenebat. Cisterna ideo dicitur, quia sicut aqua cisternæ immunditiam aufert, ita etiam nihilominus hæc cisterna, id est, sanctuarium Domini, peccata expiabat « in diebus nivis, » quia per mortem peccatum expiavit. Notandum tamen, exceptis tribus fortibus primis, id est tribus virtutibus David, tres esse fortium subdistinctiones. Prima videlicet, qua conscripti sunt Abisai, Sobochai et Jonathan, qui erant cum David, sed non usque ad sæpedictos tres primos pervenerant. Secundam, qua supputantur Eleazar filius patrui David, Aboites, et Semma filius Aggæ de Arari, et Benaias filius Joiadæ, qui ad tres non pervenerant, Scriptura, inquit, et primos non addit. Tertiam, qua cursu continuo triginta numerantur, qui sunt hi: Asahel, Elehanan, Semmadech, Elichah, Eles, Hira, Abiezer, Mobommai, Selmon, Macharai, Eleph, Itai, Banaia, Pharatonites Elbai, Abialbon, Azmavet, Eliaba, Semma de Arai, Ajam, Elipheleth, Eliam, Esrai, Farai, Gigaat, Bani, Selech, Naarai, Ira, Jareph, Urias Ethæus. Itaque omnes in summa triginta septem leguntur, ita videlicet, ut primus sit David, qui appellatur Adeodatus. Fortes istos in littera spectamus, fortes alios in spiritu requiramus.

CAPUT XXXVIII.

Quomodo mystice sedens in cathedra sapientissimus Dominus Jesus Christus, et qui fortes ejus primi, et qui secundarii, qui triginta fortes sint, et qui sint duo de filiis Orpha, quos ipse percussit, qui reliqui tres, quos percutiunt viri ejus.

« David sedens in cathedra sapientissimus inter tres, » Dominus et filius hujus David Christus est, sedet enim iste in cathedra sapientissimus David; sedet, inquam, in sede majestatis, dicente ad eum Patre: « Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Quinam sunt illi ad quos nullus fortium pervenit, tres fortes ejus, nisi unus Deus, fortissimus Pater, et Filius et Spiritus sanctus? Etenim sola quidem Filii persona, hunc hominem suscepit, et sola incarnata est, sed tamen unus fortis ejus, Pater, et fortis ejus, Spiritus sanctus. « Pater, inquit, in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV), et ego in Spiritu Deo ejicio dæmonia (*Luc.* XI). » In hoc igitur sapientissimus Pater est, in hoc et Spiritus sanctus, spiritus humilitatis, « quasi tenerrimus ligni vermiculus est, » quo duce quasi vermem, et non hominem se conteri perpessus est, in hoc Verbum Dei est in unam eamdemque personam unitum homini, quod et fortitudo ejus est, in qua percussit octingentos impetu uno, mortuus enim semel spoliavit inferos, et nunc sedens in cathedra, omnes judicaturus est vivos et mortuos. Quis omnium fortium angelorum aut hominum hucusque pervenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet apostoli primi prædicatores Trinitatis, quorum fortitudinem et nominibus propriis tres illi primi ordines fortes pulchre exprimunt. Abisai namque *patris sacrificium*, Sobochai *condensum*, Jonathan *Domini donum* interpretatur. Siquidem per illos resurrectionem sacrificati Filii sui, testificando rogit Deus Pater, ita ut in omnem terram sonus eorum exiret (*Psal.* XVIII), et ipsi velut condensi et valde muniti adversariis restiterunt, et hoc totum non ex se ipsis, sed Domini confitentur esse donum. Fuerunt, inquam, tres isti fortissimi, verumtamen ad illos tres primos, nullus eos pervenisse crediderit. Nam « quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei? » (*Psal.* LXXXVIII.) Prima tamen post magnum David victoriæ palma merito conceditur illis, quia videlicet de filiis Orpha, quod interpretatur *cervix ejus*, duos quidem David, hi autem singuli singulos interfecerunt ex illis. Duos quasi filios cervicosi diaboli Christus interfecit, quando et primogenitam diaboli mortem animarum nostrarum morlendo devicit, et vitam corporum nostrorum resurgendo reparavit. Futurum quod loquimur, quia profecto qui baptizati in morte ejus (*Gal.* III), prima jam resurrectione resurreximus, secunda carnis resurrectione in vitam atque incorruptionem resurgemus. Ergo qui unum ex quinque lapidibus suis in frontem Goliæ conjecit (*I Reg.* XVII), quasi ad lapidem alium manum protinus misit, ut Goliath fratrem ejus percuteret, sed nondum omnino percussit, quia secundum carnem in semetipso quidem resurrexit, sed nostra mors in victoria ejus necdum funditus absorpta est. Interim super alios tres Orpha filios fortes isti irruunt, eosque percutiunt, quippe qui verbo Dei omnem proterunt veritatis adversarium, scilicet Judæum, paganum et hæreticum. Ita totum genus partis adversæ cadit in manu David et servorum ejus, dum Christus et per semetipsum caput, et per fortes suos totum debellat diaboli corpus. Post istos tres fortissimos, tres alii proxime subsequuntur, qui tamen ad eos non perveniunt, videlicet Eleazar, Semma, et Banaias. Post apostolos quippe martyres incedunt, pugnatores ejusdem Trinitatis, fortes quidem et ipsi, ut merito totum in illis glorietur regnum David, id est, omnis Ecclesia Christi, verumtamen inferiores apostolis. Post istos ordinantur et alii triginta fortes, omnes videlicet gloriosi ejusdem sanctæ et individuæ Trinitatis confessores, fideliter credendo, et præcepta Decalogi fortiter adimplendo, facti insignes, ac proinde nos infirmiores ac plebeios, magni David milites meritis præcipuis protegere valentes.

421 CAPUT XXXIX.

Cur Urias Ethæus in numero triginta fortium positus sit; et quid vel quomodo David numerando populum deliquerit, et quid significet area Ornan Jebusæi mystice.

(II Reg. cap. XXIV.) « Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eos dicentem ad Joab: Vade et numera Israel et Judam, » etc. Triginta fortium ultimus positus erat Urias Ethæus, videlicet propter id quod sequitur, « et addidit furor Domini irasci contra Israel. » Jam enim ultio facta fuit in David, et in domo ejus, in populo vero qui noluit resistere David in perimendo Uria Ethæo, necdum ultio divina facta fuerat. Porro quid

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mysterii præsens locus contineat, ex eo maxime colligitur, quod ex occasione cædis constructa est domus Domini in area Ornan Jebusæi, videlicet hominis gentilis. Dixit enim David : « Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Domini (*I Par.* XXII), » etc. David ergo gloriabundus in multitudine exercitus, quem, ut in Paralipomenon legitur, incitavit Satan, ut numeraret Israel (*I Par.* XI), cujus nisi carnalis populi Israel gloriantis in operibus legis typum tenet? arbitrari namque quod ex operibus legis justificetur, cum Abraham non ex operibus, sed ex fide fuerit justificatus, id plane est in curribus et in equis confidere, et quasi multitudinem exercitus numerare. Clamat hæc Apostolus : « Si enim Abraham ex operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum (*Rom.* IV), » etc. Persistit in contentione pertinax Judæus, et quæ sola justificare potest fide Jesu Christi contempta, numerosam sibi justitiam arrogat ex operibus. « Immisit igitur Dominus pestilentiam in illum Israel, de mane usque ad tempus constitutum. » Juxta litteram, tempus constitutum dicit, quando sacrificium vespertinum offerebatur. Cæterum juxta mysterium hoc, tempus constitutum est finis sæculi, quando cessabit pestilentia hæc quæ nunc in populum illum desævit. Cum enim plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). Interim moriuntur ex populo septuaginta millia virorum. Numerus iste ex septenario denarioque perficitur. Septenarius universitatem, denarius Mosaicam solet significare legem. Igitur septuaginta millia virorum moriuntur, id est qui contempta Christi gratia de operibus legis gloriantur, universi condemnantur. Porro in area gentilis hominis angelus Domini conspicitur, qui et præcipit prophetæ, ut dicat David, quod ascendere debeat, et construere altare Domino illic, quia videlicet omnis testatur Scriptura prophetica, quod in fide gentium una sit Ecclesia Dei, extra quam ille angelus magni consilii, qui reliquias Israel salvet, nequaquam inveniri possit.

IN LIBROS REGUM LIBER TERTIUS.

(III Reg. I-XI.)

CAPUT PRIMUM.

Quod Salomon, cui vivens adhuc pater regnum delegavit, typum Christi gesserit, juxta versiculum psalmi LXXI : « *Deus, judicium tuum regi da.* »

(III Reg. cap. I.) « Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies. Cumque operiretur vestibus, non calefiebat, » etc. Jam in Salomonem ingredientibus, et hujus partis quoque mysteria quærentibus nobis, psalmus ille qui inscribitur « in Salomonem, » id est septuagesimus primus, pro lucerna necessaria occurrit. Qui enim hic foris operatus est, Salomonem illum faciendo hæredem regni sui, dicit illic in spiritu pater ipse David : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, » etc. Hæc profecto cum dicit, ipse in facto suo, illud se præfigurasse innuit, quod nunc totus orbis audivit, quia Deus Pater magnus utique rex, judicium et justitiam suam, Filio suo regi Christo dedit. Nam « Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, » quem et juxta psalmum prædictum « adorabunt omnes reges, omnes gentes servient ei, » etc., quæ utique in Christum vere Salomonem, id est pacificum, dicta esse, ipsa litteræ superficies cogit intelligi. Igitur David rex Deus Pater, Salomon vero Christus Dei Filius hic mystice intelligendus est.

422 CAPUT II.

Quod jam rex David, in eo quod senuerat, typum gesserit Dei Patris, et quomodo talis senior vestimentis opertus non calefactus sit, et qualem illi virginem adolescentulam sui prophetæ quæsierint.

« Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies. » Vere iste David senuit, habetque ætatis plurimos dies, imo æternitatis, quemadmodum et Daniel : « Aspiciebam, inquit, donec throni positi essent, et antiquus dierum sedit (*Dan.* VII). » Ac deinceps : « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei (*ibid.*). » — « Cumque operiretur vestibus » ille antiquus David, « non calefiebat, » inquit. Plane calor ejus, charitas vel amor ejus est, sanctus ejus spiritus est. Nunquid ab illo calore suo unquam senex iste, vel antiquus refriguit? Non utique sibi, sed nobis quos inter ipsumque propter peccatum primi hominis, paries inimicitiarum consurrexit. Nam in illo calor æternus, amor sempiternus, Spiritus sanctus consubstantialis et coæternus est. Verum, ubi primus homo contra illum peccavit, calor amoris ejus intrinsecus a genere humano juste se abscondit. Operiebatur vestibus, honorabatur cæremoniis legalibus, at vero « lex nihil ad perfectum adduxit (*Hebr.* VII), » sacerdotium legis nullo modo pro hominibus Deo sacrificando satisfacere potuit. Itaque « cum operiretur vestibus non calefiebat, » in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est, cum serviretur illi prioris Testamenti cæremoniis carnalibus, servientes sibi in gratia per spiritum reconciliationis recepit. « Dixerunt ergo ei servi sui : Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt ergo adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisach Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. » Servi isti David, prophetæ Dei sunt. Virgo hæc adolescentula, fides est. Viderunt servi isti, quod humano genere non calefieret aut repropitiaretur Deus legalibus cæremoniis coopertus, et idcirco quæsierunt hanc virginem, hanc adolescentulam, id est fidem. Plane si sensum eorum intelligas, si spiritum eorum in litteris ipsorum perspicias, invenis quia victimas et holocausta Judæorum veluti vestes inutiles fastidivit, et fidem per quam Abraham cæterique patriarchæ justificati sunt, studiosissime perquirat. Nam « sicut pannus menstruatæ, omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV), » — « justus autem, inquit, ex fide vivit (*Hebr.* X; *Habac.* II). » Ubi autem invenerunt eam? In Suna, quod interpretatur *captivitas*, sive *mortificatio*, vel *certe despectio*, unde et ipsa fides, Sunamitis dicitur, id est captiva sive mortificata vel certe despecta. Eorum namque est fides, qui in hoc sæculo peregrinantur (*II Cor.* V), manentem hic non habentes civitatem, sed futuram inquirentes (*Hebr.* XIII), propter quod et huic mundo despecti sunt, tota die mortificantur (*Rom.* VIII), quorum principes vel patres secundum eamdem fidem Abraham, Isaac et Jacob, exstiterunt, peregrinando propter fidem, et confitendo, « quia peregrini et hospites sunt super terram (*Hebr.* XI). » In illis utique servi isti David Sunamitem hanc invenerunt, viderunt enim quia non ex operibus legis, sed ex fide justificati sunt (*Gal.* III). « Erat autem, inquit, puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege et ministrabat ei. Rex vero non cognovit eam. » Plane pulchra et Deo placita erat fides, et beata spe in Deo, fideles antiqui requiescebant, verumtamen rem salutis nondum accipiebant. Ergo rex non cognovit eam, id est, necdum acceptavit usque ad salutem perfectam.

CAPUT III.

Quod Adonias qui elevabatur, dicens : « Ego regnabo, » Judaici populi typum gesserit, et quid sit mystice quod Joab et Abiathar adjuvabant partes Adoniæ, Sadoch autem sacerdos, et cæteri roburque exercitus non erat cum Adonia.

« Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens : Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros, qui ante eum currerent. » Adonias *dominator Dominus*, Haggith *meditans* sive *loquens* interpretatur. Ergo juvenculus iste stultus et imprudens carnalem significat populum Judaicum Mosaicæ legis alumnum, qui labiis quidem Deum honorabat, dicens : « Dominator Dominus, Dominator Dominus, » et hoc in matre sua Synagoga loquaciter confitebatur, cor autem ejus longe erat a Deo (*Isa.* XIII). Superbe namque quasi inconsulto patre elevabatur. Quippe qui justitiam suam statuere volens, justitiæ Dei non erat, nec est subjectus (*Rom.* X). « Ego, inquit, regnabo. » Nonne Domini est regnum, et ipse dominator gentium (*Psal.* XXI)? At certe, nunquid Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium. At ille legebat quia « notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Ps.* LXXV), » et idcirco putabat quod Deus nunquam, nisi ejus quod in manifesto in carne est Judaismi, deberet esse Deus. Faciebatque sibi currus et equites superbiendo scilicet et quinquaginta viros qui ante eum currerent, per quod intelligimus cæremoniarum ostentationem, in quibus quasi jubilæum sibi arrogabat, id est dimissionem vel justificationem. « Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens : Quare hoc fecisti? » Videlicet sapiens rex, gravi iram temperabat silentio, stultam præsumptionem opportune ita correpturus facto, ut non esset opus verbo. « Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon. » Notandum secundum quosdam ita legi. « Et ipsum peperit post Absalon, » subauditur peccatum. « Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. » Joab *inimicus* vel *est Pater*, Abiathar *pater superfluus* interpretatur. Ergo stulto illi populo, de quo jam dictum est, cum Joab et Abiathar, id est cum inimicis et animæ suæ prædonibus Pharisæis, et superflua docentibus sacerdotibus vel pontificibus sermo erat, sermo vanus, sermo inutilis, qualem utique detestando Deus per prophetam dicit : « Et ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis (*Ezech.* XIII). » Ac deinceps : « Propterea erumpere faciam, dicit Dominus Deus, spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandinis iræ in consummationem, et destruam parietem quem linistis absque temperamento, et adæquabo eum terræ, et revelabitur fundamentum ejus, et cadet, et consumetur in medio ejus (*ibid.*), etc. Talis namque structuræ parietis recte comparantur Judaica opera, quia, cum Dominum labiis honorarent, cor eorum ab eo longe erat, cum Deum Patrem Deum suum esse dicerent, Dei Filium impia nimis inhonorabant vesania, linientibus pontificibus et Pharisæis luto absque temperatura. Mollibus quippe suasionibus infelicem populum decipiebant, **423** dicentes : « Pax, pax, cum non esset pax (*ibid.*), » nam potius bellum fuit, tam de cœlo quam de terra. Ruit denique paries eorum, et revelatum est fundamentum ejus Deo invisibiliter, et Romano visibiliter destruente exercitu. « Sadoch vero sacerdos, et Banaias filius Joiadæ, et Nathan propheta, et Semei, et Rhei, et omne robur exercitus David non erant cum Adonia. » Sadoch *justus*, Banaias *cæmentarius* vel *ædificator Domini*, Joiada *Domini cognitio*, Nathan *donum* interpretatur, Semei *audiens me*, Rhei *pastor meus* dicitur. Semei ipse est Nabath pater Jeroboam, qui fuit magister Salomo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nis. Rhei autem ipse est Irhajarites sacerdos David, id est magister. Non ergo minime partes suas stultus ille juvenis infirmaverat, qui tantos et tales non vocaverat, qui talium vel favorem quærere, vel consiliis inniti contempserat. Imo peramplius stultus populus ille, de quo jam dictum est, semetipsum annihilaverat, qui cum sibi ex operibus legis regnum vindicarent justum et ædificatorem Domini, cognitionem quoque vel auditorem Dei Patris et pastorem suum, quibus cunctis nominibus unus Christus non inepte prædicatur, non quæsierat, imo spreverat atque repulerat. « Nam et Salomonem, inquit, fratrem suum non vocavit. »

CAPUT IV.

Quid sit mystice, quod loquente Nathan propheta cum Bethsabee, id agitur, ut Salomon in regem ungatur, et quid sit quod vivente patre rex constituitur, quid mula patris, quid multitudo canentium quæ post illum ascendit.

« Dixitque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis : Num audisti quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat? » — « Hoc ignorat, » inquit, id est non approbat. Nam supra non ignorasse dictus est. Sed « nec corripuit eum pater suus, ait, aliquando dicens : Quare hoc fecisti? » Ergo « et dominus noster David hoc ignorat, » inquit, id est, non concedit, non vult, non approbat, ut videlicet mulierem majorem capiendi consilii fiduciam addat. « Nunc ergo veni, accipe a me consilium, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. » Loquente et ineunte propheta consilium cum Bethsabee, et utrisque consistentibus coram magno sene, et sapiente rege David, Salomon, quod interpretatur *pacificus dominus*, rex inungitur, et ascendente universa multitudine post eum; et populo canentium tubis et lætantium magno gaudio insonuit terra a clamore eorum, sic prælocuto rege, illique præcipiam ut sit dux super Israel et Judam. Illud nempe in hoc est mysterium quod judicio sedente, juxta Danielem, et libris apertis venientem, ut supra jam dictum est, cum nubibus cœli, quasi Filium hominis, et usque ad antiquum dierum pervenientem, in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum (*Dan.* VII). Libri namque aperti sunt, quando Spiritus sanctus per Christi passionem datus est hominibus, per quem aperta et intelligibilia facta sunt mysteria Scripturarum. Est quidem judicium futurum, quo et aperiendi sunt libri conscientiarum, quemadmodum in Apocalypsi scriptum est : « Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum (*Apoc.* XX). » Verumtamen et judicium jam factum est, illud videlicet de quo Dominus cum passioni jam propinquaret : « Nunc, inquit, judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). » Illo judicio libri aperti sunt, quia, postquam per mortem Christi judicium mundi factum est, sensus discipulis ejus apertus est, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Igitur Bethsabee cum propheta consilium ineunte (per quam superius spiritualium intelligentiam significari diximus) Salomon [rex constituitur, quia videlicet prophetarum dictis adimpletis et spiritualiter intellectis, Christus Dei Filius agnoscitur rex pacificus, rex paternæ gloriæ, et omnia trahit ad se (*Joan.* XII). Vivente adhuc patre rex constituitur, quia profecto qui hunc regem Christum constituit Deus Pater, nunquam moritur, qui, inquam, constituit, hunc regem « hæredem universorum (*Hebr.* I), » nunquam mortuus, nunquam est moriturus, quodque mirum atque unicum habetur, nunquam mortui, nunquam morituri Patris hæres Christus est, semel mortuus et redivivus, nunquam ultra moriturus. Sedetque « super mulam regis, » imo et super solium patris, id est, super omnem Ecclesiam, quæ revera vehiculum est Altissimi, et super omnem principatum et potestatem, super thronos et dominationes, « sedet nunc ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* I). » Pro hoc ecce universa multitudo ascendit post eum populus canentium et lætantium, et insonuit terra a clamore eorum. Nam cœlorum gloriam hanc enarrantium, id est apostolorum linguis omnibus loquentium, magnum audivimus gaudium, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Sed nec illud a mysterio vacat, quod servi gratulantes, et Domino regi benedicentes, amplificet, aiunt, Dominus nomen Salomonis super nomen tuum. Nam antea notus erat tantum in Judæa Deus (*Psal.* LXXV), postquam autem regnum accepit Dei Filius in omnes gentes, tam Patris quam Filii gloria prædicatur impleta hac prophetia : « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* CVII). »

CAPUT V.

Cur Salomon postulantem sibi uxorem Abisach Sunamitem Adoniam occidit, et quod huic simile reguante Christo acciderit.

(III Reg. cap. II.) « Quare, inquit, postulas Abisach Sunamitem Adoniæ. Postula ei et regnum, » etc. Insidiosa fratris sui molimina, rex Salomon sapiens et providus deprehendit, ne videlicet quod futurum erat, si Abisach daretur postulanti, ille quasi reginæ potitus nuptiis, spem resumeret regni recuperandi. Hoc, inquam, deprehendit, et idcirco scandala sibi et regno suo suboritura præscindere festinans. « Hæc, inquit, faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. » Et continuo. « Vivit Dominus, quia hodie occidetur Adonias, » etc. Occisus est Adonias, occisus est et Joab, quia post Adoniam declinaverat, et post Salomonem non declinaverat. « Ejectus est autem ne sacerdotio fungeretur Abiathar. » (III Reg. cap. III.) His peractis, « Confirmatum, inquit, est regnum in manu Salomonis. » Ita plane ut con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

firmaretur regnum et fides Christi, ut sine scandalo Judaico inoffensum curreret verbum Evangelii, data est civitas Jerusalem et omnis gloria templi manufacti exterminio per manus Romani imperii, et ceciderunt in ore gladii, et captivi in omnes gentes adducti sunt. Quid enim moliebantur ipsi quoque qui ceciderant ex Judæis, imo qui sub nomine discipulorum adversabantur discipulis Christi filii Christiani, et pseudoapostoli? **424** Cæremoniis legis permiscere volebant fidem Evangelii. « Surrexerunt, ait Lucas in Actibus apostolorum, quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes : Quia oportet circumcidi eos, subauditur, qui ex gentibus conversi fuerant, præcipere quoque servare legem Moysi (*Act.* XIV). Profecto cum hæc et his similia dicerent, cum cæremoniis legis fidem Evangelii commiscere vellent, quasi Adonias postulabat sibi Abisach Sunamitem, ut non fidei Christi, sed operibus legis cunctam arrogarent justitiæ dignitatem. Sed providit sibi et regno suo rex sapiens Christus, interficiendo Adoniam et eos qui adjuvabant partes ejus, tradidit enim, ut jam dictum est, exterminio civitatem Jerosolymam et templum ejus, ne aliquatenus Abisach, id est fides Christiana in spem ejus pelliceretur, et stante gloria templi manufacti, quidquam in sacris Judæorum virtutis esse suspicaretur. Jam ad insigne et nobilissimum ejus opus, id est ad templum currimus, ut in eo quoque juxta propositum nostrum sacra Christi Filii Dei miracula quæramus.

CAPUT VI.

De templo Salomonis, quod corporis Christi typus fuerit, secundum testimonium Apocalypsis.

(III Reg. cap. VI.) « Factum est igitur quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti in anno quarto, mense Zíph, ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino. » Hæc domus, aut templum Domini, cujus in figuram vel typum ædificatum sit, non nostra conjectura, sed Scripturarum tradendum est testimoniis. Primus ipse Dominus, cum interrogaretur in templo a Judæis, dicentibus : « Quod signum ostendis nobis quia hæc facis, » respondit et dixit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem, » inquit evangelista, « dicebat de templo corporis sui (*Joan.* II). » Profecto cum hæc dicit, templum illud manufactum templi non manufacti, id est corporis sui, fuisse typum voluit intelligi. Et idem evangelista in Apocalypsi dicit : « Et templum non vidi in ea, » videlicet civitate sancta Jerusalem, « Dominus enim omnipotens templum illius est et agnus (*Apoc.* XXI). » Sed et ipse Salomon significans cujus in typum templum illud ædificaverit : « Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX), » etc. Quibus verbis quid aliud quam Christum, Dei virtutem, et Dei sapientiam (*I Cor.* I), templum sibi ædificasse docet humani corporis, septem tutum vel ornatum columnis, quæ universa sunt dona septiformis Spiritus sancti? Igitur templum illud manufactum sine dubio templi sancti, templi Dominici corporis typus fuit, cujus de latere dextro, juxta Ezechiel, aquæ viventes, aquæ salubres egressæ sunt, et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt (*Ezech.* XLVII). »

CAPUT VII.

De mensuris ejusdem templi, quid sit mystice.

« Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. » Hæc mensurarum distinctio, tam pulchra, quam mystica est. Nam templi prædicti inhabitator, Deus Dei Filius ipse est, per quem et senario dierum numero, cuncta opera sua condidit Pater Deus, et per quem in monte Sina decem præcepta legis scripsit in tabulis idem Deus, vel Dei digitus. Ergo templi hujus longitudo pulchre sexaginta cubitorum est, qui numerus ex senario et denario per latitudinem conficitur, ut erubescat Cerinthus, vel omnis hæreticus, quicunque asserere ausus est, quod templum hoc Maria Virgine non fuerit longius, id est, quod ex Maria sumpsit initium Christus. Porro latitudo viginti cubitorum, habitantem atque diffusam in isto templo, significat charitatis amplitudinem. Hic nempe numerus, id est, vicenarius, in decenno limite binarius est. Dixit autem iste quia in duobus præceptis, scilicet in dilectione Dei et in dilectione proximi, universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). Igitur latitudo hæc templi manufacti perfectio est geminæ dilectionis plenariæ, permanentis in illo templo non manufacto Dominici corporis. Nam et Patrem diligit et nos, quibus per carnem proximus factus est, et usque ad mortem dilexit. Siquidem de dilectione Dei Patris dicit : « Sed ut cognoscat mundus quia ego diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » De dilectione autem, qua nos diligit, cum dixisset : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, » continuo subjunxit, « sicut dilexi vos (*Joan.* XV). » Et quasi quæreremus quomodo vel quantum dilexisti nos : « Majorem, ait, hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*ibid.*). » Vos amici mei estis. Tandem altitudine cubitorum triginta, quid pulchrius, gloriosius, magnificentius? Denique tricenarius numerus ipse est in decenno limite ternarius. Et quis fidelium nesciat quia pulcherrima Dominici corporis fabrica usque ad præcelsam sanctæ Trinitatis gloriam alta est? Si quidem Dominicus homo (169), una ex tribus, una, inquam, in Trinitate persona est. Nec enim quia geminæ gigas substantiæ, quia Deus et homo est, idcirco etiam duarum personarum Christus est, sed idem Deus et homo, una eademque persona est.

(169) Quod de Christo dicit Dominicus homo, intelligendum est ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen homo, non autem ratione suppositi, de quo apud August. lib. I Retract., cap. 29.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Igitur altitudo templi triginta cubitorum est, quia Dominicus homo in altissima sanctæ Trinitatis gloria est. Sciendum tamen quia terna erant in templo laquearia. Prima videlicet post triginta cubitos a pavimento. Secunda post cubitos sexaginta contra summitatem porticuum. Tertia post cubitos centum viginti, in summitate totius domus.

CAPUT VIII.

De porticu ante templum habente viginti cubitos longitudinis, et decem latitudinis, quid in Christo significaverit.

« Et porticus erat ante templum viginti habens cubitos longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et decem cubitos latitudinis. » Porticus ante templum vitam vel conversationem designat ejusdem Domini nostri, qua vixit vel conversatus est ante passionis suæ sacramentum. Nam, quandiu hic vixit, quandiu in terra conversatus est, sui, qui erant cum eo, qui illum sequebantur, non eum agnoscebant, non intelligebant, nec enim Spiritus sanctus datus erat, necdum aperuerat illis sensum, ut intelligerent Scripturas, quarum sine lumine non est introire aut videre templi illius interiora. Itaque vita vel conversatione ejus cum hominibus, quasi porticus erat, in qua credentes in se ad hoc disponebat, ut peracta passione et resurrectione sua, tunc demum intromitteret eos ad videndum, quale quam speciosum ipse Divinitatis templum erat. « Et porticus viginti habebat cubitos longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, » per quam videlicet latitudinem, charitatem ejus jam diximus designari. Opus quippe erat, ut **425** ambulans inter homines invicta charitate patiens esset, et longanimus, tot irrogatis injuriis, contumeliis, terroribus, blasphemiis, et ad ultimum flagellis, et ipsa amaritudine mortis. Hæc longanimitatis perfectio porticus longitudo fuit juxta mensuram latitudinis templi, juxta amplas divitias habitantis in illo supradictæ charitatis, qua non lacessebat, nec invitus patiebatur. Sed tanquam esuriens saturabatur opprobriis. latitudo porticus ejusdem decem cubitorum erat. Ergo porticus ipsa latitudine, scilicet templi angustior erat. Quare? Videlicet quia, dum adhuc cum hominibus conversaretur, non ita charitas ejus ut nunc acta diffundebatur. Angustiabatur adhuc paulisper, ita ut diceret : « Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv). » Jam quidem et ante constitutionem mundi, tam voluntate quam potestate habebat se extendere usque ad gentes, sed actu, ut jam dictum est, solas admittebat oves Israel. Itaque latitudo porticus latitudine templi minor erat, illa videlicet latitudo, qua dixit : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii). » Quare de altitudine porticus nihil Scriptura dixit? Vere et in hoc magna subest pulchritudo mysterii. Nam, quandiu hic vixit, quandiu mortalis fuit, nullius apud homines erat altitudinis. Sed erat despectus, sed erat virorum novissimus. Unde est illa vox ejus in psalmo : « Ego autem sum vermis et non homo (*Psal.* xxi). » Pulchre ergo de altitudine porticus Scriptura tacuit, quia, dum in hoc mundo militaret sub obedientia Patris, tanquam homo mendicus et pauper nimia humilitate contentus fuit.

CAPUT IX.

Quæ et quales templi illius non manufacti obliquæ fenestræ sint, non de foris lumen petentes, sed de intus dantes charitatem luminis æterni.

« Fecit et fenestras obliquas in templo. » Templo manufacto necessarium fuit fenestras fieri, quia videlicet absque illis non templum venerandæ visionis, sed carcer esset tenebrarum et caliginis. At vero templum hoc non manufactum, templum hominis Dominici, non de foris lumen petit, non aliunde poscit claritatem solis aut diei, cum sit templum luminis, templum ignis æterni. Num ergo nullas esse putandum est fenestras in hoc templo Dei? Imo fenestras habet plurimas, non ut de foris lumen accipiat, sed ut toti sanctæ civitati, cujus templum est, verum de semetipso lumen effundat, sitque ejusdem, ut in Apocalypsi scriptum est, civitatis lucerna (*Apoc.* xxi). Quales istæ fenestræ? Fenestræ obliquæ, pene occultæ. Nam hinc est quod dicitur, quodque ait habitator templi hujus, et templum ipsum Deus et homo, Christus : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat (*Joan.* iii). » Fenestræ igitur obliquæ sunt, id est, occultæ viæ, occultæ divisiones habitantis in illo gratiæ et exinde dividentis singulis prout vult, qua mensura, quo tempore, quo fine novit solus ipse.

CAPUT X.

Quid in illo templo mystice significet tabulatum superius quinque cubitorum, et tabulatum medium sex cubitorum, et tabulatum tertium septem cubitorum, in altitudine, et quid ostium lateris medii, et quid sit trabes muris non hærere.

« Et ædificavit super parietes templi, tabulata per gyrum in parietibus domus, per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitos latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Ostium lateris medii in pariete erat domus dextro, et per cocleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. » Pulchre sapiens architectus, unam eamdemque domum triplici ordine sursum ampliavit, et ita capacem magnæ multitudinis effecit. Nimirum et in hoc divinitatis templo, in hoc Deo et homine Christo, tria tabulata sunt, et necesse est ut quisque in Christo manere desiderans, in quolibet eorum fideliter consistat. Quænam sunt tabulata hæc? Profecto tres bene vivendi distinctiones, tres in Christum credentium ordines, quos et ipse mystice discernens : « Duo, inquit, in agro, duæ molentes in unum, duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur (*Matth.* xxiv). » Iidem isti sunt ordines, quos in Ezechiele propheta

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sub nominibus intelligimus, Job, Noe, et Daniel (*Ezech.* XIV). Primus vel infimus ordo est operantium in agro, id est, conjugatorum, qualis fuit Job, qui Deo complacuit, per fidem et patientiam cum conjugio. Hoc plane primum tabulatum est in Christo divinitatis templo, quinque habens cubitos, quam per mensuram recte intelligitur, quinque corporis sensus occupans exteriorum opus et labor. Medius ordo molentium est, id est eorum qui bene præsunt, et verbum Dei prædicando quasi molendo circumeunt, qualis fuit Noe, qui gubernando arcam in fluctibus, exemplum præbuit cunctis rectoribus sanctæ Ecclesiæ. Hoc tabulatum secundum est, sex habens cubitos, quæ illorum mensura est mystica, qui laborant in verbo et doctrina. Senario namque dierum numero, Deus sua perfecit opera, et idcirco recte illorum qui operantur opus Dei latitudo hæc significat statum. Tertius ordo qui et supremus, quiescentium in lecto est, id est contemplationi vacantium, qualis fuit Daniel, qui conjugio carens, et quasi in lecto suavissimo solitarius dormiens, clare quasi facie ad faciem videbat Dei visiones. Hoc nimirum Dominici templi tabulatum tertium est, septem habens cubitos, quo in numero sabbatismus Dei est, illam significans requiem animæ, Deum suspicientis, de qua ipse cum dixisset : « Et discite a me quia mitis sum et humilis corde, » subsecutus, « et invenietis, ait, requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » In hoc tabulato supremo, sancta jam sabbatizat anima, sæculo altior, et cum adhuc teneatur in corpore angusto, jam per contemplationis requiem fruitur cœlo, spatiatur inter angelos, assistit Deo. Igitur in templo Domini tria tabulata sunt qui manentium in Christo, tres legitimi ordines sunt. « Ostium, inquit, lateris medii in pariete erat, » etc. Quod est ostium lateris medii, per quod introitur in tabulatum primum, ut ascendatur in medium, et a medio in tertium? Ostium lateris templi vulnus est in latere lanceato Dominici corporis, præter quod non est aditus, non est ostium, vel janua qua intret quis, ut in quovis ordine coram Deo stare possit. Nam ex illo latere, cum lancea **426** percussum esset, sanguis et aqua profluxit (*Joan.* XIX), quo sacramento deletum est peccatum mundi, in quo et baptizati sumus, dicente Apostolo. « Quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Ergo unum est ostium, unum baptisma, per quod introitur in illud Dei templum, quo cum admissus fuerit, tunc domum ascendere licet, vel a primo in medium, vel a medio in tertium, prout delectaverit quemcunque ascensus virtutum, vel celsitudo meritorum. « Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. » Muris templi hærere, est hoc solum considerare quod Christus homo est, quod passibilis erat, quod homines impii murum corporis ejus clavis et lancea suffodere potuerunt, ut interficerent eum. Verum hoc tantum considerare, hoc solum respicere, et pro hoc illum contemnere, Judæorum est et hæreticorum atque gentilium. Trabes igitur tabulatorum muris templi non hæreant, id est una cunctorum Ecclesiæ ordinum fides, non solum in Christo respiciat carnis naturam, sed ad internam divinitatis gloriam tendat.

CAPUT XI.

Quia sit quod omne ferramentum non est auditum in domo, cum ædificaretur, et quod templum auro est vestitum, quid in templo oraculum, quod et æqualibus per longum, latum, et altum mensuris erat perfectum.

« Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, et malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur. » Hoc et pro universitate sanctæ illius supernæ civitatis Jerusalem, sic recte intelligi potest, quia lapides vivi, lapides sancti, de quibus illa construitur, hic dolantur, hic in mundo tonsionibus atque pressuris expoliuntur, ibi autem in pace per manum artificis locis suis aptantur, ita ut nullus persecutoris malleus, nulla cædentium securis, nullum serrantium ferramentum ulterius audiatur. Verum, quia hic non de civitatis ædificio, sed de civitatis templo sermo est, illud recte intelligitur, quia sine opere humano sive virili complexu, conceptus est Deus et homo Christus Dei Filius. Igitur malleus sive securis atque omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur, quia nullum adfuit opus humanum ut Christus conciperetur. Foris dedolati sunt lapides, quibus hæc domus ædificata, quia prius patres vel justi omnes more naturæ vel opere humano generati sunt, quorum fide in beatam Virginem coadunata, Christus conceptus est. Hic ferramentum quodlibet audiri scelus est, et quicunque se audisse somniavit, hæreticus est. « Ædificavitque quadraginta cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis et operuit illud, atque vestivit auro purissimo. Sed et altare vestivit cedro, » etc. Non solum oraculum quod erat viginti cubitorum, sed et ipsum templum, quod præ foribus oraculi quadraginta cubitorum erat, operuit auro purissimo, nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur. « Sed et totum, inquit, altare oraculi texit auro. » Magnum et mirificum templi manufacti opus gloriam præfigurabat templi non manufacti, id est hominis Christi, quam credimus, quam prædicamus, cujus visionem desiderantes exspectamus. Quod est enim templi illius aurum sive aurea claritas, nisi sedentis ad dexteram Patris immortalitas atque impassibilitas? Denique, antequam passus vel mortuus resurgeret, templum quidem erat lapideum, et cedrinis tabulis quasi contextum, sed nondum auro tectum, quia sordida quidem et nullo vitio putribilis in illo nostra erat

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

natura, sed nondum sua fulgebat gloria, qua post passionem mortis coronandus erat. At, postquam resurrexit a mortuis, jam nihil in templo est quod non immortalitatis auro tegatur, semel quippe mortuus est, et vivens Deo, « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Auro vilior templi substantia tegitur, non destruitur, quia videlicet gloria resurrectionis, sive immortalitatis natura carnis non absorbetur, sed superinduitur. Quod tandem in hoc templo est oraculum, quod dicitur Sancta sanctorum? Oraculum in templo, Deus est in Christo. Unde Apostolus dicit : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V). » Oraculum autem et præ foribus oraculi templum, sicut non duo templa, sed unum templum, sic hominem, et in homine Deum, non duos Christos, sed unum confitemur Christum. De vocibus sive responsis hujus oraculi, de dispositione Verbi incarnati, illud sacrum corporis templum inhabitantis, non soli apostoli, sed et ipse Christus jugiter secundum hominem pependit, ut nihil a semetipso faceret aut judicaret, ita ut verbi gratia, gentem suam vel civitatem Jerusalem, ruituram fiere posset, flendo tamen non liberaret. Oraculum illud quantæ longitudinis, tantæ et altitudinis, tantæ nihilominus erat latitudinis, quia videlicet Christi Domini nostri divinitas quantæ antiquitatis quæ per longitudinem, quantæ majestatis quæ per altitudinem, tantæ omnino charitatis est quæ intelligitur per latitudinem.

CAPUT XII.

Quid sint duo cherubim, et cur posita in oraculo, et quid quod fecit ea de lignis olivarum, quid extensio alarum, quid ostiola in ingressu oraculi, et postea anguli ipsorum, quid in ejus pictura cherubim, et species palmarum, quid ostia, quid postes in introitu templi de lignis olivarum.

« Fecit in oraculo duo cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. » In tabernaculo Moysi, duo cherubim obumbrantia propitiatorium (*Exod.* XXV), mystice duo Testamenta sunt, mediatori Dei et hominum Christo concorditer perhibentia testimonium, quia « ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II). » In his itidem quæ fecit Salomon, ipsum intelligimus mysterium. Et ille intra velum, et hic intra tabulatum quo distinguebatur a templo propitiatorium, posuit cherubim. Plane salvo mysterio poterat posuisse in templo extra propitiatorium, quia videlicet templum divinitatis, homo Christus utrumque memoriter capiebat Testamentum, et ab utroque tam divinitatis quam humanitatis suæ verum habet testimonium. Sed hoc sciendum necessario recondita hæc fuisse, tam nunc intra oraculum quam tunc intra velum, videlicet ne populus instabilis, et idololatriæ nimius appetitor, pulchras effigies miratus pro Deo adoraret, sicque verum et vivum offenderet Deum. Denique in hoc libro Regum scriptum est : « Confregitque Ezechias serpentem æneum, quem fecerat Moyses. Siquidem usque ad illud tempus incensum adolebant ei filii Israel (*IV Reg.* XVIII), » Si non tantum aureum vitulum, sed et serpentem populus ille pro Deo adorare poterat æneum, quanto magis cherubim adoraret spectabilium, imo et quasi cœlestium mirator specierum? **427** Ergo necessario hæc, ut prædictum est, recondita sunt, ut sola sacerdotalis maturitas, ea certis temporibus intueretur, ita dicente Domino per Moysen quia, « si quis externus accesserit, morte moriatur (*Num.* I). » Verumtamen et mystice idcirco Testamentum utrumque intrinsecus recondatur, ut Scripturarum arcana nullus attrectare audeat profanus, ne dum verba Spiritus sancti discuti alieno spiritu, fiat hæreticus, atque ita juxta sententiam legis divinæ morte moriatur. « De lignis, inquit, olivarum fecit eos. » Ligna olivarum viri sunt misericordiarum, de qualibus scriptum est : « Ili sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen ipsorum (*Eccli.* XLIV). » Tales quippe per viros utrumque conditum est Testamentum, qui, quasi ligna olivarum, id est vasa misericordiæ fuerunt, eorumque fides et merita utriusque cherubim materia sunt. « Extendebant alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherubim secundi tangebat parietem alterum. Alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant a pariete usque ad parietem alterum, quidquid erat oraculi obumbrabant. » Cherubim, quia videlicet quidquid est de verbo Dei, quidquid sciri vel prædicari oportet, de incarnatione, de vera divinitate et humanitate Filii Dei, duobus ita continentur Testamentis, ut extra hæc nihil sit quod annuntiari debet aut credi. Totum in his comprehenditur cœleste oraculum, quod tam firmiter scire debemus, ut extra hæc audire, nec hominem nobis liceat nec angelum. « Texit quoque cherubim auro. » Ut videlicet omnis litteræ vilitas splendeat spiritualis intelligentiæ fulgore divino. « Et in ingressu oraculi fecit ostialia de lignis olivarum. » Ostialia quæ claudantur et aperiantur, sanctorum sunt expositiones eloquiorum, quæ pro diversa capacitate audientium aliis claudendæ, aliis aperiendæ sunt, quemadmodum dicit : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Luc.* VIII). » — « Postes, inquit, angulorum quinque, et duo ostia de lignis olivarum. » Factura hæc pentagoni speciem exprimit, maxime clausis ostiolis, ut videlicet illis præcipue claudi debeant secreta cœlestis oraculi, quorum capacitas quinque sensuum facultatem non excedit, adeo ut spiritualium comparatione non tam homines quam jumenta possint æstimari. « Et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmarum species. » In ostiis et in parietibus cum Cherubim, palmarum quoque species pinguntur, quia scientiam Dei fideliter suscipientibus, et pro illa certantibus, victoriæ de cœlo promittuntur. « Fecit et in introitu templi postes de lignis olivarum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quadrangulatos, et duo ostia de lignis abiegnis, altrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. » Itaque quatuor erant ostia, quoniam utrumque ostium duplex erat. Plane in introitu templi non manufacti quatuor ostia sunt, quia notitiam quatuor evangelistarum, narratione incarnationis Dominicæ accipimus. Hæc ostia se invicem tenentia aperiuntur, quia profecto summa Evangelistarum concordia est, seque invicem tenent, et in nullo a se illos discrepare sentit et credit quisque pio spectat intuitu.

CAPUT XIII.

De eo quod ait : « Ædificavitque eam annis septem, » cum Judæi dixerint ad Dominum : « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, » et quale in illo numero mysterium sit.

« Anno quarto fundata est domus Domini, in mense Zio, et in anno undecimo mense Bul, ipse est mensis octavus, perfecta est domus in omni opere suo, et universis utensilibus. Ædificavitque eam annis septem. » Mensis Zio, ipse est Aprilis, qui et Jar vocatur. Zio enim interpretatur *vultus*. Idcirco vultus, quia in dedicatione templi nubes gloriæ vultus Domini texit templum. Jar autem interpretatur *pavor*. Ideo pavor, quia timetur ne ea quæ frugos ac terræ debent, in hoc mense aeris intemperantiæ infructuosa sint. « Ædificavit, inquit, eam annis septem. » In Evangelio cum dixisset Dominus : « Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II), » de templo loquens corporis sui, responderunt Judæi : « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus reædificabis illud? » (*Ibid.*) Rancoris impatientia dixerunt quidam, quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, cum quod brevius erat, dicere potuissent, septem annis ædificavit Salomon, attamen tam secundum historiam quam et secundum mysterium, nescientes vera locuti sunt. Nam, sicut historica testatur narratio filii captivitatis de Babylone reversi sub Esdra, vel Nehemia cum reædificare cœpissent, quod videlicet ædificium tunc stabat, cum hæc dicerentur, prohibebantur ædificare ab eis quæ in circuitu erant adversariis nationibus, atque ita factum est ut cœpta ædificatio quadraginta et sex annis protolaretur. Porro et mystica nobis verba dederunt, ut dicamus de Dominici corporis templo, quia revera quadraginta et sex annis ædificatum est, id est, vera de carne Adam caro est. Hic nempe numerus secundum Græca elementa numerus nominis Adam est. Adam siquidem quatuor litteris scribitur, quarum prima alpha, α unum. Secunda delta, δ quatuor. Tertia alpha, α rursus unum. Quarta mu, μ quadraginta significat. Hoc ergo verbum de ore impiorum, et ignorantium rapuimus, gratulanter dicentes, quia veracitor hoc sanctum Dei templum quadraginta et sex annis ædificatum est, id est de vera carne Adæ, vera caro, verum corpus Christi sumptum est. Rursus quatuor jam dicti nominis elementa quatuor mundi plagas significant, quarum et in Græcis nominibus prima sunt. Nam Græce oriens ἀνατολή, occidens δύσις, septentrio ἄρκτος, meridies dicitur μεσημβρία. De corpore igitur Adæ, quod per quatuor mundi plagas diffusum est, templum Dominici corporis sumptum est, quod Judaicus livor dum nescit, testatus est.

CAPUT XIV.

Quid spiritualiter significet domus saltus Libani, et quia quot generationes ab Abraham usque ad Christum, totidem, id est quadraginta quinque domus illius columnæ fuerint, licet evangelista tres præterniserit.

(III Reg. cap. VII.) « Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis, et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas. Ligna quippe cedrina exciderat in columnas, et tabulis cedrinis vestivit totam cameram. Quæ quadraginta quinque columnis **428** sustentabatur. » Si civitas Jerosolyma spiritualiter sancta est Ecclesia, et templum illud manufactum, templum corporis Dominici significat, quid hæc domus Salomonis, domus saltus Libani, nisi domum generationis ejusdem Jesu Christi filii David, filii Abraham figurat? Ligna quippe cedrina, ligna imputribilia patres fuerunt, ex quibus ipse Christus secundum carnem, quippe qui propter magnæ fidei meritum, imputribilis memoriæ sunt. Quid ergo domus hujus columnæ quadraginta quinque nisi totidem significant generationes ab Abraham usque ad Christum? Nam, secundum Evangelium non plus quidem quam quadraginta duæ sunt, sed secundum fidem historiæ quadraginta quinque sunt. Tres quippe Evangelium certi gratia mysterii præternisit, dicendo : « Joram autem genuit Oziam (*Matth.* I), » Joram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam, qui Ochozias genuit Joas, de quo natus est Amasias, qui genuit Oziam. Videlicet quia evangelistæ propositum erat tres tesseradecades in diverso temporum statu ponere, et Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabelis ; idcirco usque ad tertiam generationem, ejus memoria tollitur, ne in sanctæ nativitatis ordine poneretur. Igitur domus saltus Libani quadraginta quinque columnis sustentatur, quia patrum ex quibus Christus secundum carnem ab Abraham usque ad Christum generationes quadraginta quinque sunt. Sed quomodo, inquis, sub hoc mysterio dicuntur stare in numero vel ordine columnarum, qui in Evangelio Christi non stant, et de generatione ejus ceciderunt? Dicamus ad hæc. Illi quidem ceciderunt, sed meliores aliæ columnæ locum illorum acceperunt, scilicet prophetæ quos illi aut occiderunt aut persecuti sunt. Verbi gratia : Cecidit Ochozias qui et Ahazias, loco ejus stet Elisæus propheta, qui in sermone Domini mandaverat Jehu, quem et unxit in regem super Israel, ut deleret domum Achab et Jezabel quæ occiderat prophetas, cujus de genere, id est de filia, erat Ahazias. Cecidit et Ahaziæ filius Joas. Locum ejus obtineat is quem ille occidit Zacharias filius Joiadæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

propheta. Cecidit Amasias, loco ejus supputetur ille propheta qui cum illum corriperet, adorantem deos Seyr, audivit hæc: « Nunquid consiliarius regis es? Quiesce ne interficiam te (*II Par.* XXV). » Itaque in domo pacifici regis Christi, columnæ, ut jam dictum est, quadraginta quinque sunt. Cur enim prophetæ memorati in generatione Christi, ubi carnis ejus patres merito cadunt, non admittantur, cum in Joseph terminetur, de quo constat, quod non fuerit pater ejus? Denique evangelistæ spirituali et sapienti, magis secundum fidem quam secundum carnem genealogiam Verbi incarnati texere propositum fuit, cujus videlicet generationis vera beatitudo est in eo, quia Verbum ipsum quod Virgo fidelis, secundum carnem, peperit et lactavit, ipsa secundum fidem prius et corde concepit, et ore peperit, juxta magnam prophetæ admirationem, dicentis: « Antequam parturiret peperit, et antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile?» (*Isai.* LXVI.) Et continuo: « Nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit, et peperit Sion filios suos?» (*Ibid.*) Quænam est ista Sion, quæ antequam parturiret, peperit; quæ antequam veniret partus ejus, peperit masculum, et deinde simul una die peperit filiorum suorum gentem, nisi illa beata generatio, quæ antequam secundum carnem, secundum Mariæ Virginis uterum parturiret Christum, peperit eumdem masculum, id est, fortissimum et omnipotentem secundum spiritum, et deinde prædicantibus apostolis parturivit et peperit, quasi una die, id est in brevi tempore diffusam per mundum universum multitudinem credentium? Quid enim fuit post promissionem beati seminis quæ facta est ab Abraham? Quid, inquam, fuit Moysi et prophetis sanctam Scripturam quæ verbum Dei est, contexere, nisi Christum et corde per spiritum propheticum concipere, et ore parere? An non et hoc unus illorum asserit: A timore tuo, inquiens, Domine, « concepimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram? » (*Isa.* XXVI.) Item, quid fuit post ascensionem Domini, Moysi prophetarumque testimoniis repente gentes ad fidem Christi convertere, nisi gentem filiorum Sion in una die parturiri. Igitur recte et venerabiliter evangelista sanctus [sic] generationem Christi contexuit, ut et reges impios qui prophetas occiderunt in exemplum matris suæ Jezabelis amoveret, et eamdem in viro fideli Joseph sponso custoditæ Virginis terminaret.

CAPUT XV.

Quid mystice significet porticus in facie majoris porticus, et porticus solii in qua tribunal est, pro diverso statu temporum ab Abraham usque ad Noe, et a Noe usque ad Abel, et ab illo sursum usque ad primam creationem mundi.

Quadraginta quinque columnas perspeximus, reliqua videamus. « Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, et triginta cubitorum latitudinis, et alteram porticum in facie majoris porticus, et columnas et epistylia super columnas fecit. Porticumque solii in qua tribunal est, fecit, et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem, » etc. Porticus columnarum ante domum, quæ columnis subnixa est, tempus illud fuit, supra Abraham usque ad Noe, ab Abraham, inquam, ad quem primum repromissio facta est. Altera porticus in facie majoris porticus superioris fuit temporis status, videlicet, a Noe usque ad Abel, sive ad Adam, qui primus creatus est. Porro porticus solii, in qua tribunal est, illud est initium timoris Domini, initium sanctarum Scripturarum, quod timendum est, in quo Deus lucem a tenebris, id est, humiles angelos a superbientibus angelis insociabili separatione discrevit, et eum quem in paradiso posuerat protoplastum propter prævaricationem ejecit. Illic terribile solium. Illic tremendum tribunal est. Ait ergo: « Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit, et texit lignis cedrinis, a pavimento usque ad summitatem. Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in medio porticus simili opere. » Et Lucas quidem generationis Dominicæ narrator facundissimus ac vitulus disertus, et ab ipso templo Domini, quod est in Jerusalem, ab ipso Dominico homine, qui natus est in ea, quinque « fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI), » usque ad hanc supremam porticum, usque ad hanc domunculam, in qua solium prædictum vel tribunal est, nos perduxit, sic inciplendo: « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, » et sic finiendo, « qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei (*Luc.* III). » Statim quippe omni habenti aures audiendi illud in animo proponitur solium vel tribunal Dei, quo Adam justa sententia, judicium incidit suæ prævaricationis et in hoc exsilium missus est, duplici oppressus morte, animæ et corporis. Matthæus autem illam domum, domum regiam quadraginta quinque columnarum excessit, quia supra Abraham ad quem primum repromissio facta est seminis, in quo benedicentur omnes gentes, non processit (*Matth.* I). Nunc quid ab ipsa domo porticus differat, **429** breviter dicendum est. Generationum series ab Abraham usque ad Christum domus Salomonis, domus pacifici et sapientissimi regis ideirco est, quia ex quo Abraham, audito quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII), credidit, et per hanc fidem justificatus est, Christus in corde ejus, et filiorum ejus, per eamdem fidem inhabitavit, quemadmodum et de nobis Apostolus dicit: « Habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III). » At vero Noe, et qui ex illo, vel post illum usque ad Abraham justi sive electi fuerunt, nihil tale acceperunt, nihil de ejusmodi promissione audierant, circa rerum aliarum inspectionem probati, et fideles inventi sunt, ut idem Noe, qui dicenti sibi Deo, diluvium futurum credidit, et arcam ad præceptum Domini fabricavit, non credentibus aliis, quemadmodum et Petrus in Epistola dicit: « Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabat Dei patientia in diebus Noe,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cum fabricaretur arca (*I Petr.* III). » Proinde et diversum fidei suæ signum accepit, id est non in carne sua, quemadmodum Abraham, qui beati seminis fidem habuit, idcirco congruum accepit signum circumcisionis, sed in nubibus dicente Domino : « Ponam arcum meum in nubibus cœli (*Gen.* IX), » videlicet quia cataractas cœli ut diluvium fieret aperiendas fore credidit. Erat ergo status illius temporis alius, tanto a tempore vel fide Abrahæ differens, quanto a dignitate domus differt anterior porticus. Porro et qui ante illum omnes electi vel justi ante diluvium fuerunt, alterius differentiæ fuerunt, in eo scilicet quod præter legem naturalem nullum mandatum accepisse leguntur, sed ex creatura cognoscentes Creatorem spontanea fide injussis quoque sacrificiis velut Abel et Enoch Deo complacuerunt. Erat ergo et alius temporis status, ut recte nunc per porticum quæ erat ante faciem majoris porticus intelligatur. Suprema tandem porticus solii in qua tribunal est, illa est, ut supra jam diximus, quam in vertice sanctæ Scripturæ spectamus mundi fabrica, sex diebus explicata. Unde tanquam de solio vel tribunali, voces imperiosas audimus Creatoris et regis dicentis : « Fiat lux (*Gen.* I), » ipsamque lucem et tenebras dividentis, dicentis : « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis (*ibid.*). » etc. ; dicentis, atque dicendo facientis cum auctoritate imperiali, unde et canimus : « Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* XXXII). » — « Statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit (*Psal.* CXLVIII). » Solii vel tribunalis illius sententiam illam : « Quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* III), » adhuc portaremus universi, nisi amota fuisset, per illum quem habemus apud Patrem, advocatum magnum Jesum Christum, qui interpellat pro nobis (*I Joan.* II).

CAPUT. XVI.

Quæ et qualis domus sit, quam filiæ Pharaonis, id est Ecclesiæ de gentibus, fecit Salomon Christus.

« Domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam uxorem duxerat Salomon tali opere, quali et hanc porticum. » Tandem filiæ quoque Pharaonis, quam uxorem duxerat Solomon, fecit domum, quia videlicet post omnia quæ in supradictis mystice intellecta sunt, Ecclesiæ quoque de gentibus, quam sibi sponsam acquisivit, bonum Christus in cœlo et in terra paravit locum. Fecit, inquam, illi domum tali opere, quali et illam supremam porticum. Nam, verbi gratia, illa quomodo in porticu mystice ac spiritualibus oculis spectamus, quia « spiritus Dei ferebatur super aquas (*Gen.* I), » sic in domo hujus filiæ Pharaonis, in sacramentis hujus Ecclesiæ de gentibus, quæ quondam fuit filia Pharaonis spiritualis, id est diaboli, eumdem Spiritum sanctum ferri non dubitamus super aquas baptismi, jamque exinde creasse novos cœlos, et novam terram, etc., omnia nova, juxta quamdam similitudinem illorum veterum. Unde alias plenius nobis erit dicendum. « Omnia, A de lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati sunt, a fundamento usque ad summitatem parietum, et intresecus usque ad atrium majus. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, decem sive octo cubitorum. » Lapides illi, lapides pretiosi, et fundamenta hæc, illa sunt, quibus vel de quibus Apostolus dicit : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II), » etc. Et illa quidem ædificatio manufacta, sicut et omnis structura manufacta, terrena fundamenta deorsum habens tendebat sursum. Hæc autem ædificatio spiritualis, fundamenta sursum habet, quemadmodum B Psalmista : « Fundamenta, inquit, ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI). » Etenim fundamentum fundamentorum ejus Christus, nulli dubium, quoniam sit ille lapis Altissimus. « Ad quem accedentes, ait Petrus, lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini (*I Petr.* II), » nunc tamen eo tenditur ut super illum debeamus elevari. « Ad normam, ait, quamdam, atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant. » Ac deinceps : « Æqualis mensuræ, secti erant. » Hoc plane secundum unam eamdemque fidem intelligendum est. Nam fide quidem omnes lapides isti, lapides vivi, lapides pretiosi, æquales sunt, et tam intrinsecus quam extrinsecus serrati sunt, quia, tam coram C Deo quam coram hominibus, idem dicunt et idem sapiunt. Unde et tanquam serrati sive secti bene conjungi et sibi cohærere possunt, operatione autem vel potentia plurimum differunt, unde et Apostolus : « Hæc autem, inquit, omnia operatur unus, idemque spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Et bene ad normam quamdam atque mensuram. Unus enim et solus qui sine ulla mensura « omne datum optimum et omne habet donum perfectum (*Jac.* I), » ille est de quo Joannes Baptista : « Non enim, inquit, ad mensuram Deus dat spiritum. Illi omnia Pater dedit in manus (*Joan.* III), nos autem omnes ad mensuram de plenitudine ejus accepimus (*Joan.* I). » Similiterque de cedro, inquit, tam in atrio majori quam et in atrio domus Domini interiori, sive in porticu domus cum lapidibus, vel D super lapides ordinantur, et cedri, quia videlicet in ædificatione Dei decet, ut et tanquam lapides simus per patientiam stabiles, et firmi, et tanquam cedrus imputribilis, bonis eos qui foris sunt, provocemus exemplis. Dicamusque cum Apostolo : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II). » Sane atrium domus hi sunt, qui propter charitatem intus positorum, ad exteriora se extendunt, ut eis excludentibus importuna quæque sanctum non inquietetur otium illorum qui religioni, et sanctæ contemplationi magis idonei sunt. Usque ad illud atrium pertingit opus Salomonis accuratissimum, quia profecto quidquid operatur Christus in eis qui sibi intus assistunt, illis prospicit, qui, ut prædi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eium est, propter eos fideliter laborando ad exteriora sese negotia distendunt.

430 CAPUT XVII.

Non debere cuiquam incredibile videri quod in constructione templi manufacti mysteria templi non manufacti tam perfecte expresserit, cum Daniel numerum quoque annorum usque ad eumdem Christum præscire potuerit.

Mirum fortasse cuiquam aut etiam incredibile videatur quod regem hominem in opere suo sic spiritualibus intentum fuisse dicamus, ut nec columnarum quidem numerum absque mysteriorum intuitu collocasse sit existimandus, atque ita generationum quoque numerum ab Abraham usque ad Christum scire illum potuisse consequatur. Sed numquid minus ullo prophetarum scisse illum recte quis arbitretur? Non utique, cum eidem postulanti sapientiam dixerit Dominus : « Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens, et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit (*III Reg.* III). » Et post pauca itidem Scriptura dicit : « Et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan, Ezarita, et Eman, et Calcal, et Dardan filiis Maol (*III Reg.* IV). » Ethan interpretatur *durissimus*. Ezarita *orientalis*. Ethan ipse est Abraham orientalis. Eman, quod interpretatur *fidelis*, est Moyses. Calcal, quod interpretatur *gubernans*, est Joseph. Dardan interpretatur *generatio scientiæ*. Maol interpretatur *indulgentia*. Generatio scientiæ intelliguntur XII tribus filii Maol, id est filii Jacob. Eadem utique constantia dicendum est quia Daniel quoque qui post eum surrexit sapientior erat. Dixerat illi enim Deus, ut jam dictum est, quod nullus ante illum fuerit, vel post resurrecturus esset similis illi ; at vero Daniel numerum quoque annorum quibus exactis venturus esset Christus scire meruit Gabriele dicente sic : « Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt (*Dan.* IX), » etc. Num igitur quod minus est, scilicet, quota generatione templum illud divinitatis Christo nascente foret ædificandum, iste scire potuisse negandus est, cum omnibus hominibus tam præteritis quam post se futuris sapientior esset? Proinde et si non legimus dictum illi fuisse quod Moysi dictum est : « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* XXV), » nihilominus tamen ipse vidit exemplar, juxta quod omnia faceret, ita ut ne columnam quidem sine cœlestium intuitu collocaret, quippe quo sapientior nec ipse fuit Moyses. Hæc idcirco dicta sunt, ut constet quia diligentius structuram ille in opere suo perspexit, et imitatus est, templi non manufacti, templi Dominici corporis, totiusque domus ejus spiritualis, quam ullus ingenio suo possit exponendo consequi, licet et hæc ecclesiasticorum omnium unanimitas ita sentiat, ut aliud quid suspicari nefarium sit.

CAPUT XVIII.

Quomodo ex patre Tyrio fuisse dicatur Hyram, qui et plenus sapientia et intelligentia et doctrina fuerit, et perinde mysticas operando causas attendere quiverit.

« Misit quoque rex Salomon, et tulit Hyram de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephtalim, patre Tyrio, artificem ærarium, plenum sapientia et intelligentia et doctrina ad faciendum opus omne ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus, et finxit duas columnas æreas. » De hoc in Paralipomenon legitur : « Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum, Hyram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater Tyrius fuit (*II Par.* II). » Notandum quod in Malachim Hyram dicitur, in Paralipomenon vero Huram. Hyram enim interpretatur *sublimis* ; Huram vero *Deus excelsus*. Hyram in Malachim dicitur fuisse de Tyro et filius mulieris viduæ de tribu Nephtalim patre Tyrio. Sciendum quod de tribu Nephtalim pater ejus fuerit, quo mortuo uxor ejus, quæ hic vidua scribitur, eumdem Hyram in Tyrum misisse, docendi gratia dicatur, et a quo dictus in Tyro fuit, pater ejus Tyrius vocatur. Idcirco patre fuisse Tyrio dicitur, cum utique pater ejus de tribu Nephtalim fuerit. Quod vero in Paralipomenon legitur de Hyram regem dixisse : « Misi tibi virum prudentissimum, et scientissimum Huram patrem meum, » patrem dignitatis gratia eum vocat, sicut in plerisque locis legitur. « Filium vero mulieris de filiabus Dan » eum vocat, quia mater ejus de tribu Dan fuit, de genere Salomith sororis Ooliab, filii Achisamech, cujus filius idem Salomith Ægyptius in eremo lapidatus est. Non enim eadem Salomith sponte eidem Ægyptio conjuncta fuisse suspicatur, sed vim ab eo perpessa est. Idcirco meritis ejus factum fuisse dicitur, ut de filiabus ejus nasceretur talis qui operaretur in domo Domini. Nam et meritis Bale concubinæ Jacob factum fuisse quidam autumant, quod mortua Rachel non solum Joseph in loco filii educavit, verum etiam pro fratribus intercessit ejusdem, ut immemor esset injuriæ fratrum suorum, et pro hac re Dominus ei tribuit ut de uno filio ejus idem nasceretur Ooliab socius Beseleel, qui ædificaret domum Domini et altari ejus filio, id est Nephtali, nasceretur Huram qui domum Domini in Jerusalem ædificaret. Multum illum commendavit Scriptura dicendo, « plenum sapientia et intelligentia et doctrina. » Quod per hominem assequi poterit, hoc ultimum posuit, id est doctrinam, quæ autem solius Dei dona sunt prima dixit, scilicet sapientiam et intelligentiam. Sapientia quippe, id est bono ingenio non nisi dono Dei plenus esse quis poterit, maxime autem intelligentia, quæ propria sanctorum et prophetarum est facultas, per quam videlicet in arte sua, divinas et mysticas sciebat attendere causas. Porro doctrina ex homine est, quæ cum rite procedit, quasi de insito ingenio igniculo lucidam magnamque flammam excitare solet.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XIX.

De duabus columnis æreis quas finxit, et quod prima Jachim a dextris, secunda dicatur Booz a sinistris, et de linea cubitorum duodecim, quæ utramque ambit.

« Finxit, ait, duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis, columnam unam, et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. » Columnæ istæ egregium, et maximum ornamentum domus Domini, quid significent, ipse auctor illarum nobis innuit in Canticis, dicendo in laudibus sponsi : « Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* v). » Quænam crura sunt sponsi, nisi universæ viæ Domini? Planæ viæ Domini universæ non nisi duæ sunt, misericordia et veritas, sive misericordia et judicium, sive justitia et pax (*Psal.* xxiv). Quantumcunque varientur nomina, non nisi duo crura, non nisi duo Domini sunt itinera. Columnis istis tota pene domus incumbit, totum sanctæ Scripturæ ædificium **431** innixum est. Nam quidquid legimus, quidquid audimus de universis viis Domini, aut misericordia est aut veritas. Igitur sapiens architectus duas tantum in opere suo ponit columnas admirabiles atque spectaculo dignas, si habes unde videas quas ille non ignorabat vias Domini, quarum altera veritas sive judicium est, quod superbis resistit (*I Petr.* v), altera misericordia, quæ humiles sustentat atque confirmat (*ibid.*), spiritu gratiæ, spiritu fortitudinis. Quapropter ne nescire aut dissimulare vacet nobis quærendam et spectandam in columnis certi gloriam mysterii, nominibus quoque propriis illas et ipse vocavit, et Scriptura hæc æternæ memoriæ nomina ipsa mandare curavit. Ait enim : « Cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachim, » id est firmitas. « Similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz. » Notas imo et nobiles ille suas columnas esse voluit, quas nominibus tantis, tamque claris insignivit. Quæ est enim in domo Domini firmitas, nisi misericors gratia, vel gratuita misericordia magni regis? magni, inquam, et pacifici regis Christi, quam postulantes dicimus : « Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis (*Psal.* lxvii). » Nempe quidquid operatus est in nobis, quidquid confirmat ope Spiritus sancti, misericordiæ est, non judicii, gratiæ est, non meriti. Et quo in robore columna consistit secunda, nisi in judicio, quo cœlum ipsum (quanto magis terra!) turbabitur tempestate valida? unde notandum quia quæ prior est firmitas, et quæ secunda in robore dicta est, quia videlicet, prior est misericordia, quæ humiles bona spe firmat. Posterius judicium quo contra superbos fortissimus Deus, robustum brachium suum præparat. « Decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam, inquit. » Numerus iste ab omnibus adorantibus in templo Domini, fidem simul et opera certatim exigit. Decem quippe præcepta sunt legis, octavo die Christus resurrexit, octavo, inquam, die quo et circumcidebatur infans (*Gen.* xvii; *Luc.* i), quæ circumcisio signaculum erat justitiæ fidei (*Rom.* iv), quam in Abraham Deus amicitia sua remuneravit. Item numerus iste altitudinis, sub ternario senarioque continetur, ter enim sex, vel sexies tres, decem et octo sunt. Ternarius Trinitatis fidem, senarius (quo numero Deus opus mundi explicuit) significat operationem. Ut ergo et recte credamus, et bonum ad omnes operemur (*Gal.* vi), singulæ columnarum communibus exsurgunt numeris; nam ad utrumque tam spe misericordiæ, quam timore trahimur judicii. « Et linea, inquit, xii cubitorum ambiebat columnam utramque. » Hic jam et illud sciendum quia cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, quando congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* xxv), tunc columna hæc quæ dicitur firmitas, columna misericordiæ stabit a dextris, et columna quæ dicitur in robore, columna judicii, stabit a sinistris. Tunc utique linea xii cubitorum ambiet columnam utramque. Nam ecce circa columnam dextram lineæ medietas, id est cubiti sex : « Esurivi, ait, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me. Nudus eram, et cooperuistis me. Infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me (*ibid.*). » Ecce autem et circa columnam sinistram cubiti sex : « Esurivi, ait, et non dedistis mihi manducare. Sitivi et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus, et non cooperuistis me. Infirmus et in carcere, et non venistis ad me (*ibid.*). » Igitur linea xii cubitorum columnam ambit utramque, videlicet quia duodenaria remuneratio, bonos et malos distinguens, dividetur in utrosque. Et hic quidem intellectus magis spiritualium est. Cæterum Hebræi animales, a vero templo, de quo loquimur, omnino aversi carnaliter in his columnis David interpretantur et Booz, ut per Jachim quod interpretatur *præparator*, intelligatur David, per aliam vero columnam Booz propter virtutem castitatis.

CAPUT XX.

Quid capitella columnarum, et cur quinque cubitorum sint, et in porticu quatuor cubitorum fabricata, et quid retiacula, vel catenulæ in capitellis, quibus columnæ de oraculo pendere videntur, et quid malogranata catenulis interposita.

« Capitella autem quæ erant super capita columnarum quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper, juxta mensuram columnæ contra retiacula. » Juxta cœptum mysterium congeminata capitella columnarum consummationem significant tam veritatis quam misericordiæ Domini, in resurrectione mortuorum, in qua, tam secundum corpus quam secundum animam, æqua fiet secundum opera retributio cunctorum. Et subteriora quidem capitella corporum, superiora vero consummatum designant statum animarum. Unde et paulo ante hæc dictum est : « Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum (*Matth.* xvi). » Quinque cubitorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

altitudinis capitella pertinent ad corpora, quorum profecto quinque sensus æternorum sive bonorum sive malorum omnes complebit sempiterna societas. Nam et qui, ut supra dictum est, a dextris erunt, ex abundantia misericordiæ, visu, auditu, gustu, odoratu et tactu in carne jam immortali, atque impassibili, æternalibus satiabuntur bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II), et qui a sinistris nihilominus ex abundantia justitiæ et veritatis totis eisdem sensibus in carne sua sempiternis implebuntur malis, ita ut « vermis eorum non moriatur, et ignis eorum non exstinguatur (*Isa.* LXVI; *Marc.* IX). » Nec vero repugnat quod hæc quasi opere lilii fabricata erant, quia videlicet pulchritudini laudis divinæ tam justa et debita damnatio sinistrorum, quam misericors et gratuita proficiet salvatio dextrorum, Psalmista quoque attestante cum dicit : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C). » Bene igitur capitella hæc quinque cubitorum fuisse referuntur. Quæ autem super hæc erant, neque quinque cubitorum, neque alterius cujuslibet mensuræ fuisse leguntur, quia videlicet sensus quidem cunctos novimus corporis, in quibus caro nostra, secundum operum merita plenarie remunerabitur, animarum autem quanta sint receptacula, qui numeri, quæ habitudines, in illa remuneratione bonorum sive malorum scire non possumus. Ubi capitella hæc fabricata erant? « In porticu, inquit, quatuor cubitorum, » id est in præmunte exercitio quatuor virtutum principalium, quas ethnici quoque noverunt, propriisque vocabulis nuncupant, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Nam prout quis istis se exercuerit sive male ut Epicurus, sive bene, ut vir ecclesiasticus, ne dicam Stoicus sive Peripateticus, ita in illa distinctione misericordiæ et judicii, dexter sive sinister inde spectabitur. « Contra retiacula, » inquit. De istis retiaculis paulo ante hæc plenius loquitur. « Septena, inquit, versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. Et perfecit columnas, et duos ordines per **432** circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum, » etc. Et in Paralipomenon : « Necnon, et quasi catenulas, inquit, in oraculo et superposuit eas capitibus columnarum. Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit (*II Paral.* III). » Itaque per hæc datur intelligi quia demissæ de altitudine oraculi, catenæ duæ in septenas singulæ catenulas velut quosdam in ramusculos dispertiebantur, sertis aureis in modum retiaculorum contextis, divisiones illas continuantibus, et ita malis aureis innectebantur, columnas istas quasi sustentantes, ut quanquam firmiter starent, de oraculo tamen pendere viderentur. Quid istæ catenulæ de altitudine oraculi porrectæ, nisi altissimas significant rationes jam dicti judicii atque misericordiæ tam alte in cœlo radices fixas habentes, tam profunde in verbo incarnato, in Dei sapientia reconditas, ut nequaquam comprehendere, nequaquam sensus humanus queat investigare? Nempe hinc est quod Apostolus cum de his latius disputaret, subito admirans, exclamavit : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI.) Quis enim comprehendere vel investigare queat unde veniant hæc tanta misericordiæ vel judicii Dei retiacula, quatenus et hunc non nunquam velut invitum ad vitam misericorditer trahat, et illum quasi ad vitam velociter currentem concludat, et quibusdam peccatorum funibus circumstringat? Verbi gratia, de Judæis per prophetam dicit : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis et auribus suis audiat, et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eum (*Isa.* VI). » Porro quod piscatores suos ad gentes miserit (*Matth.* X), et ad capiendos eos retia sua laxari jusserit (*Marc.* I; *Luc.* V), totum mundi hujus mare magno et longo experimento persensit. Igitur de catenis sursum fixis, columnæ quasi dependent, quia videlicet rationes veritatis et misericordiæ Dei, de sublimi oraculo sapientiæ Dei venientes contingere vel comprehendere mortalium ingenia non prævalent. Sane malogranata eorum qui judicantur vel salvantur sunt opera : « Dicite justo, inquit propheta, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum recipiet (*Isa.* III). » Item : « Væ animæ impiorum, quoniam reddita sunt eis mala (*ibid.*). »

CAPUT XXI.

De mari fusili, in quo sacerdotes lavarentur, quod typus fuerat baptismi in quo peccata dimittuntur.

« Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium rotundum in circuitu. Quinque cubitorum altitudo ejus, et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum, et sculptura per labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare, » etc. Mare hoc lavacrum sacerdotum erat, sicut et in Paralipomenon legitur : « Porro in mari, inquit, sacerdotes lavabantur (*II Par.* IV). » Et recte post expletam templi structuram, miranda maris hujus factura subtexitur, in quo sacerdotes lavarentur, quia videlicet post ædificatum vel resuscitatum Dominici corporis templum, baptismi sacramentum proponitur, in quo quod perspicuum notumque fidei Christianæ est, lavaremur, non quia sacerdotes fuimus, sed ut sacerdotes essemus, quemadmodum in Apocalypsi Joannes cum dixisset : « Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo (*Apoc.* V), » continuo subjunxit : « Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes (*ibid.*). » Hujus maris aquam et Ezechiel vidit egredientem de templo a latere dextro (*Ezech.* XLVII). Sed et hic ad dextrum templi latus hoc mare positum nunc præsens Scriptura refert. Nam « mare, inquit, posuit ad dextram partem templi, ad orientem contra meridiem. » Quo dicto et illud innuitur quia templum hoc ad orientem respiciebat. Templi quippe ad orientem respicientis dextra pars contra meridiem spectat. Sic et in illa visione prophetica :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Et converti me, inquit, ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem. Facies enim domus respiciebat ad orientem, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. » Et recte tam hic quam ille, quod in mysterium baptismatis præcurrit ad dextrum templi latus contra meridiem tendit, et domus ad orientem respicit, quia profecto lucis occasum, frigidasque pectorum infidelium regiones, gratia regenerantis per baptismum Spiritus sancti non admittit, quales per occidentem atque septentrionem Scriptura notare consuevit, sed ad lucis exortum plerumque meridiani fulgoris diem procurrit, id est ad eos in quibus per fidem exoritur sol justitiæ Christus (*Mal.* IV), et non occidit ad eos in quibus calet per amorem mentis meridiana lux veritatis, inimica diabolo semper frigido sedenti in lateribus aquilonis. Nimirum amplius et perfectius in hoc templo manufacto splenderet tanti gratia sacramenti, si patiente situ soli Hierosolymitani, rex sapiens sic aquas viventes deducere potuisset ut quemadmodum in jam dicta visione prophetæ diligenter perscriptum est egrederentur subter limen domus, descenderent in latus templi dextrum, redundarent nihilominus a latere dextro. Sic enim plenius hic et illud exprimeretur quod futurum erat, quod nunc factum credimus, propter quod et loquimur, quia de subter limen domus, de dextro latere templi Dominici quando illud lancea militis aperuit, aqua cum sanguine cucurrit (*Joan.* XIX), et omnia, inquit, idem propheta, ad quæ venerit aqua hæc, sive torrens hic, vivent, stabunt, et omnes aquæ, id est omnes populi sanabuntur (*Ezech.* XLVII). Nunc ad ipsa verba recurramus.

CAPUT XXII.

Quam recte mare illud labrum appellaverit, et quomodo mare nostrum, id est baptisma fusile sit, et de mensuris vel sculpturis ejus mysticis.

« Fecit, inquit, mare fusile. » Quantum quam exignæ rei vocabulum indidit, quantum enim erat vel quid? Labrum erat decem cubitorum, a labio usque ad labium rotundum in circuitu. Decem, inquam, cubitorum erat diametrum ejus, unde et consequenter « restícula, inquit, triginta cubitorum cingebat, » id est cingere poterat id. Nam hæc est geometricæ disciplinæ speculatio naturalis, ut cujuslibet circularis amplitudinis diametrum triplicatum totam fere perficiat ejusdem mensuram circuli. Si igitur solam litteralem facturam spectes, non est cur mare illud appellare debuerit sapientissimus rex. Porro si ad mysterium plane hoc sacramentum baptismi, hoc lavacrum regenerationis, quod de latere templi Dominici, de vulnere crucifixi Domini profluxit, mare est, mare, inquam, tantæ plenitudinis, tantæ inundationis ut mundum universum impleverit, quippe quod et illis qui sub terra erant mortui primitus in remissionem peccatorum inundaverit, et deinde illis qui super terram erant, sunt vel erunt, inundavit, et inundare non desinit. Mare ergo est, et fusile, inquit, fusile, 433 inquam, quia profecto grandi charitatis igne conflatus et liquefactus Christus, istam nobis gratiam effudit. « Hoc mare decem cubitorum est a labio, usque ad labium, et circuitus ejus triginta cubitorum. » Quo nimirum numero, fides subintelligitur, quam necessario quisquis lavandus accedit, confiteatur. Etenim arithmetici sive abacistæ optime noverunt in secundo, id est in deceno limite unitatem x ternarium xxx esse. Nos autem hac fide ante omnia opus habemus, quæ catholica est, ut unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate confiteamur, in qua confessione baptizati sumus in Christo Jesu. Igitur decem cubiti latitudinis in triginta cubitorum circuitu, fides vel confessio est, sine qua nullus aut nihil est baptismus. Unum quippe Deum in trinitate et trinitatem in unitate baptizandus, ut jam dictum est, necessario confitetur. Quinque cubitorum altitudo ejus, ut videlicet hi quoque accedere vel admitti debeant, in quibus nulla vis, vel ingenii, vel scientiæ sublimitas est nulla, præter quinque sensus corporis est potentia, quales parvulos eadem die natos vix ipsis corporis sensibus functos Christiana fides bajulans ad matrem Ecclesiam currit et properat, nec eis hoc mare magnum accessibile esse ullatenus dubitat. « Et sculptura super labium circuibat illud x cubitis ambiens mare. Duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. » Oportet eum qui in hoc mari lavandus est, confessorem Trinitatis duorum quoque Testamentorum Scripturam suscipere et venerari. Decem ergo cubitis, id est in anteriori parte maris sculptura erat super labium, ut videlicet tota se ultro oculis offerret accedentium ad lavandum, erantque duo ordines sculpturarum hystriatarum, id est prostantium sive prominentium ad spectandum videlicet apotitystorin, quod Græce videre vel cognoscere dicitur. Itaque ut confessioni fidei non desint opera, sine quibus fides mortua (*Jac.* II) recte dicitur vel otiosa, duobus quoque ordinibus per decem cubitos protensa distinguitur sculptura, lectionem utriusque Testamenti significans, quam suscipiens quisque in Christo renascitur, sic legat, ut sanctorum, quorum fidem confitetur, imitetur et opera.

CAPUT XXIII.

Quod duodecim boves mare portantes duodecim apostoli sint, baptizandi regulam a Christo suscipientes; et quid sit quod posteriora intrinsecus latitabunt.

« Et stabant super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem, et mare super eos desuper erat, quorum posteriora intrinsecus latitabant. » Qui sunt isti boves duodecim, super quos mare positum est, nisi duodecim apostoli, quibus recens in morte Christi consecratum baptismi sacramentum traditum est? Passus quippe et mortuus Christus, in qua nimirum morte ejus hoc sacramentum conditum est. « Omnes enim, inquit Apostolus, quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Gal.* III), » ubi resurrexit a mortuis, continuo bobus istis hoc mare supposuit. Dixit enim sic : « Data est mihi omnis po-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

testas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Mare ergo duodecim bobus suppositum est, ut scilicet portarent in universas gentes, in quatuor mundi partes Trinitatem prædicando, Deum unum in Trinitate testificando. Nam hoc est, quod tres ad aquilonem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, et tres ad orientem respiciebant. Quorum, inquit, posteriora intrinsecus latitabant. Plane et istorum boum, istorum Christi apostolorum, posteriora intrinsecus latitare debent, ut videlicet non respiciamus quid aliquando fuerint, sed quid per Christi gratiam facti sint, verbi gratia. Matthæus ante vocationem publicanus et teloncarius fuit, nunc post vocationem apostolus est et evangelista. Hæc facies est facies ad contemplandam Christi gloriam revelata, illa fuerunt posteriora. Hanc faciem intueamur, ut per eam et nos illuminemur, illa posteriora lateant, ut non imitemur. Aliter, facies quidem exterius eminent, sed posteriora latent, quia videlicet apostolorum vel omnium Patrum, atque pastorum, aperta quidem nos opera cernimus, sed apud districtum judicem, quæ illos posterius maneant in occulta retributione, nescimus.

CAPUT XXIV.

Quid sit mystice quod in basibus, nec leones sine bobus, nec boves facti sunt sine leonibus, et quid quod quinque bases ad dextram, quinque ad sinistram, portantes singulos luteres constituuntur.

Quid tandem est quod in basibus opere sculptorio, non solum leones, sed leones pariter et boves et cherubim expressa sunt? Sic enim subditum est. « Et sculpturæ inter junctoras, et inter coronulas et plectas, leones et boves et cherubim, » etc. Quid, inquam, est, quod in basibus, nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus fiunt? Quid, inquam, aliud designant bases in templo nisi sacerdotes in Ecclesia? Qui dum sollicitudines regiminis tolerant, quasi more basium super impositum onus portant. In basibus igitur cherubim exprimitur, quia decet nimirum ut sacerdotum pectora, plenitudine scientiæ sint referta. Per leones autem horror severitatis, per boves vero patientia mansuetudinis figuratur. Itaque his basibus, nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus exprimuntur, quia semper a sacerdotali pectore, in terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut et iram mansuetudo condiat, et eamdem mansuetudinem ne forte dissoluta sit, zelus districtionis accendat. Sunt autem numero decem, singulæ singulos luteres portantes, singulæ quaternis rotis incumbentes. Et constituit, inquit, eas Scriptura quinque ad dextram partem templi, et quinque ad sinistram. Hoc nimirum nobis illud pulchre designat, quia baptismi quidem sacramentum totum dextrum est, et omnes apostoli dextri sunt, et idcirco mare cum duodecim bobus suis ad dextram partem templi positum est, sed non omnes baptizantes, non omnes baptizati dextri sunt. Nam et juxta parabolam evangelicam decem virginum, quinque prudentium et quinque fatuarum (*Matth.* XXV), certum est quia de universitate animarum, quæ ad hoc templum veri Salomonis, ad nuptias veri et pacifici regis Christi vocatæ sunt, pars ad dextram deputabitur ad sinistram, pars, inquam, cum rege intrabit ad nuptias, pars foris clausa relinquetur janua. Idcirco non cunctæ bases, non cuncti luteres, quamvis pariter universæ super quaternas sedeant rotas, constituuntur ad dexteram, sed quinque ad sinistram, quia videlicet non universi baptizantes, vel omnes baptizati, quamvis quatuor Evangelia lectitent aut recipiant, pervenient ad gloriam, sed pars eorum assumitur ad vitam, pars quia dilectionem cum fide non habet, relinquitur in pœnam.

434 CAPUT XXV.

Multa esse vasa utilia in spirituali templo Dei, quorum nos usu vel officio fungi debeamus, et quid sit mystice, quod in argillosa terra, inter Socoth et Sarthan fusa esse referuntur.

Nobis tandem, qui in templo magni regis, neque columnæ neque bases esse meremur, hoc supplicandum est ut saltem inter vasa minora quæ multa sunt suscipiamur. Nam pro diversitate meritorum, pro diversitate facultatum bonarum et utilium artium, alios lebetes, alios scutras, alios amulas, alios hydrias, alios fuscinulas, alios cyathos, alios phyalas, etc., hujusmodi ponit ac disponit sapiens rex, et sic perficitur omne opus in templo Domini. Et ne quis desperet, ne quis nimium semetipsum despiciat, « omnia, inquit, vasa in campestri regione Jordanis fudit rex in argillosa terra, inter Socoth et Sarthan. » Omnia plane vasa nunc aurea et pulchra, nunc vasa gratiæ, nunc vasa honoris et gloriæ, quorum in consideratione miramur, et quæ jure veneramur, « in argillosa terra fudit rex » noster, rex Christus, « in argillosa, inquam, terra fudit, » id est de eadem massa, de eodem luto sumpsit de quo et nos psalmati sumus. Dummodo « in regione Jordanis, in regione campestri » habitemus, id est fidem usque ad finem firmam teneamus, in qua baptizati sumus, et velut campus humilis, montuosa superbia careamus, non est difficile magno artifici formare quemque nostrum in vas cujuslibet gloriæ et honoris, eisdem digitis, quibus adhibitis diligenter sanctos omnes formavit, inter Socoth et Sarthan, id est in peregrinatione et tribulatione. Socoth quippe tabernacula, quæ utique peregrinantium et militantium sunt. Sarthan interpretatur *tribulatio eorum*. Etenim absque malleo persecutionum, sive scalpello tentationum vasa quælibet templi Domini, sive aurea, sive de aurichalco minus pretiosa sunt, ad perfectum non pervenerunt. Igitur et nos in terris Jordanis positi, quoniam sumus in Christo Jesu baptizati, peregrinantes inter Socoth et Sarthan, quoniam hic manentem civitatem non habemus, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII), et si pie vivere volumus, multis tentationibus tribulamur (*II Tim.* III), quanquam terra argillosa, imo limus aut lutum, sumus plasto

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nostri magni artificis manibus, supplices cum fide et spe subjiciamur, et si non magna, saltem parva, si non aurea, saltem de aurichalco vasa efficiamur, ut in templo ejus qualiscunque honoris et gratiæ dono participemur.

CAPUT XXVI.

Quod dictum est : « Et intulit ea quæ sanctificaverat pater suus et reposuit » etc., et quid sit mystice principes ac duces cum majoribus natu ad regem Salomonem congregari, oves ac boves absque numero immolari.

Quid tandem Salomon, postquam fecit omne opus quod faciebat in domo Domini ? « Et intulit, inquit, quæ sanctificaverat David pater suus argentum, et aurum, et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini. » Nihil verius quam omnia quæ sanctificaverat pater suus, Pater Deus omne aurum et omne argentum, et omnia vasa reposita esse in domo Domini, in templo non manufacto Dominici corporis. Quæ enim erant vel sunt illa, quæ pater iste sanctificaverat ? Omnia dicta vel acta Patrum vel patriarcharum, universa præconia prophetarum, omnes omnino sanctarum thesauri Scripturarum. Omnes enim Scripturæ in illo adimpletæ sunt. Igitur, quia (et quemadmodum Apostolus dicit) « in illo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi (*Col.* II), » verum est quia Salomon iste rex magnus Dei filius, omnia quæ sanctificaverat David pater suus in templo suo recondidit, et continuo sequitur :

(III Reg. cap. VIII.) « Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel, cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Hierusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id est de Sion. » Et subinde : « Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabat oves et boves absque æstimatione et numero. » Magna festivitas, magna celebritas. Et hic quidem Salomon rex in dedicatione templi manufacti, oves et boves immolabat cum quanta poterat populi frequentia. Christus autem Dominus et rex omnium in dedicatione templi non manufacti, scilicet corporis sui, vivum et verum sacrificium obtulit, non carnes et sanguinem bouni et oxium, sed carnem suam et sanguinem proprium. Quam enim putamus templi hujus dedicationem, nisi sacrosanctam passionem et gloriosam ejus resurrectionem ? Tunc utique carnis et sanguinis sui sacrificium immolavit in magna frequentia cœlestium, terrestrium et infernorum, primum in sacramento panis et vini, deinde in propria specie ligno crucis affixus, ubi et sanguinem suum fudit in redemptionem nostræ salutis. Tunc procul dubio, tunc, inquam, et ex tunc omnes majores natu Israel, omnes principes, et omnes duces Israel, imo et omnes gentes ad eum congregatæ sunt. Tali namque exaltatus dedicatione, omnia traxit ad se (*Joan.* XII). Unde et Apostolus cum dixisset : « Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II), » continuo subjunxit : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*ibid*). » Igitur omnis Israel, omnes qui digni erant videre Deum vel dirigi cum Deo, quod intelligitur per nomen Israel, omnes omnino, qui prædordinati erant ad vitam æternam, velut membra multa ad unum caput convenerunt. Verum hoc ipso cæcitas cogit in illo carnali Israel. Sequitur ergo :

CAPUT XXVII.

Cæcitatis Judaicæ fuisse signum quod nebula implevit domum Domini, et quod non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam.

« Factum est autem cum exiissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam. Impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon : Dominus dixit, ut habitaret in nebula. » Subauditur loquens ad Moysen in monte Sina : « Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, ut credat tibi in perpetuum (*Exod.* XIX). » Clarum est, notum et certum est quia sacerdotes Judæorum, Pharisæi et pontifices homicidarum, de sanctuario Domini exierunt, et eadem luce omnes gentes illuminatæ sunt, eadem, inquam, luce quasi in nebula vel fumo, per suam invidiam excæcati sunt. Quo autem ordine, vel quam ob causam excæcati sunt, et hic factis figuratur, et in Isaia pariter dictis et factis hoc modo significatur. **435** « Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant, implebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri, et clamabant alter ad alterum et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus implela est fumo (*Isa.* VI). » Ac deinceps : « Vade et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus (*ibid.*), » etc. Nimirum hic Dominus sedens super solium excelsum, ipse est hic Salomon, rex magnus, rex sapiens, vere pacificus, qui inter Deum et homines mediator fecit pacem. Hic, inquam, ille est, evangelista testante, qui cum hoc prophetæ testimonium posuisset dicendo, « propterea non poterant credere Judæi, quia dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum (*Joan.* XII), » etc., continuo subjunxit : « Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo (*ibid.*). » Igitur quod hic factis, hoc ut jam dictum est, in Isaia pariter et factis et dictis præsignatur, quia videlicet vero Salomone, vere pacifico rege Christo, per passionem mortis, gloria et honore coronato, quæ templi, id est corporis ejus, vera fuit dedicatio clamantibus seraphim : Sanctus, sanctus, sanctus, id est apostolis, qui accensi erant ardore sancti Spiritus sanctam Trinitatem prædicantibus, et hoc modo omnium

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

terra impleta est gloria ejus, qui tantum in Judæa notus erat prius (*Psal.* LXXV), impleta est domus Domini fumo, Judaici populi excæcatum est cor. Quod prædicatur Deus homo factus, quod annuntiatur Christus Dei Filius crucifixus mortuus et sepultus, fumus illis est, et hæc Dei humilitas superbos oculos hominum scandalizat. Et non poterant, inquit, sacerdotes stare et ministrare propter nebulam. Quoniam sic excæcati sunt, et ab humilitate Christi, tanquam a nebula oculos averterunt, merito stare et administrare non potuerunt, sed exierunt, sed expulsi sunt, sed ablatum est ab eis tam terrenum quam cœleste sacerdotium, ruente pariter templo et civitate super oculos eorum, super cadavera eorum.

CAPUT XXVIII.

Quod Salomon utroque genu flexo orans : « Domine Deus meus non est similis tui, » typus fuerit Jesu Christi, qui in dedicationem templi sui, in illa qua dedicatus est passione corporis sui pro omnibus oravit.

« Stetit autem Salomon ante altare Domini, in conspectu Ecclesiæ Israel, et expandit manus in cœlum, et ait : Domine Deus Israel, non est similis tui Deus, » etc. Utrumque genu, ut infra scriptum est, in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum. Nimirum, et verus Salomon rex Christus in dedicatione templi sui, in illa per quam dedicatus est passione sua, passione corporis sui, stetit ante altare Domini, ante oculos Patris, ante aram crucis, et oravit. Imo et valide exclamavit, quemadmodum Apostolus dicit : « Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset salvum eum facere cum clamore valido, et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V). » Et quidem cum jam in cruce penderet, clamasse illum clamore valido non dubium, qui tamen clamor cordis soli Deo audibilis esset, sed paulo ante verbis aperuerat quid clamare deberet, propter quod in cruce idem Pontifex, idemque hostia salutaris ascenderet. Nam « sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater sancte, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te (*Joan.* XVII), » etc. Et hic quidem cum esset rex, utrumque tamen genu in terram fixerat, quod apud Judæos rarissimum est, nam antiqua rigentes superbia, genua curvare dedignantur, noster autem rex, et Dominus omnium positis genibus, imo « procidens in faciem factusque in agonia prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII). » Illud de oratione hac Salomonis hujus præterire non patimur, quod inter cætera sic loquitur : « Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua, propter nomen tuum, audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique. Cum venerit ergo et oraverit in loco hoc, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena. » Nimirum secundum sensum intimum, hæc verba Domini nostri sunt, in prædicta oratione sua dicentis : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his, qui credituri sunt propter verbum eorum in me (*Joan.* XI). » Noverat quippe, quod propter passionem ipsius audiendum esset nomen Patris magnum, et manus ejus fortis, et brachium extentum ubique, quodque hoc audito, nos alienigenæ, qui non eramus de populo Israel, venturi essemus ad eum de terra longinqua, et adoraturi ad illum, templum sanctum, in confessione nominis ejus. Quippe, qui per ora prophetarum, tantis illud præconiis prædixerat, quanta colligere vel explicare nulla lingua, nulla copiosa oratoris valet facundia. Orationem ejus de longinquo audierat Propheta in spiritu cum diceret : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* XIX). » Idemque in persona ejus, circa intentionis ejusdem cardinem suspensus : « Domine Deus salutis meæ, inquit, in die clamavi et nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam (*Psal.* LXXXVII), » etc.

CAPUT XXIX.

Quod sicut surrexit Salomon oratione completa, et benedixit Ecclesiæ Israel, voce magna, quod ita surrexit Christus a mortuis, et dedit Spiritum sanctum, cum totius mundi admiratione magna.

« Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat ad cœlum. Stetit ergo et benedixit omni Ecclesiæ Israel, voce magna, » etc. Vere quod credimus, credentes autem exsultamus lætitia inenarrabili et glorificata, Dominus noster, rex noster, postquam oravit, postquam orationem et deprecationem suam complevit cum sacrificio sui corporis et sanguinis, postquam in sepulcro triduo jacuit, surrexit a mortuis, utrumque genu in terram fixerat, animam quippe sub terram ad inferos, corpus in sepulcro terræ demiserat, manus clavis confixas, ad cœlum expanderat. Surrexit, inquam, et stetit, surrexit a mortuis, et in cœlum ascendit. Illic sedet sibi, illic stat nobis a dextris Dei. « Video, inquit Stephanus, cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei (*Act.* VII). » Sedet repugnantium dominator, stat pugnantium adjutor, pœnitentium advocatus et defensor. Illic stans **436** benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna. Quis Israelita, quis ecclesiasticus aut fidelis est, et hæc ignorat? Et eadem quidem die qua surrexit, benedixit, sed nondum voce magna. Benedixit, inquam, insufflando et dicendo : « Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX), » sed clausis foribus, voce submissa. At ubi stetit a dextris virtutis Dei, ubi ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei, tunc decimo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

die peracto, magna voce benedixit : « Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, etc. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes (*Act.* II). » Vox ista benedicentis magna fuit. Illa benedictione, de terra facti sunt cœli, qui enarrarent gloriam Dei, illa voce effectum est, ut in omnem terram sonus eorum exiret (*Psal.* XVIII). « Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino, mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino boum viginti duo millia, et ovium centum et viginti millia, et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. » Multa boum, multa ovium cædes, verumtamen facile numeris comprehensa est. Quis autem hominum dinumerare possit, quantam boum, quantam ovium multitudinem rex noster, post jam dictam benedictionem continuo vel deinceps mactavit? Ut taceam de confessorum millibus, eorum qui assistente persecutoris gladio sponte semetipsos suorum mortificatione membrorum immolaverunt, ut exhiberent, juxta Apostolum, corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum (*Phil.* IV). Quis dinumerare possit multitudinem eorum, qui gladio persequentium, tanquam boves aut oves cæsi sunt, propter istum regem suum? Nam hinc est, quod eidem regi suo lacrymabiliter dicunt : « Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis (*Rom.* VIII). » Vere hos et illos Salomon iste mactavit, quia tam eis qui se mactaverunt quam et illis, qui a persecutoribus mactati sunt, Christus et spiritus ejus causa vel gratia fuit, ita ut dicat quilibet eorum : « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV). » Igitur et usque hodie et templum illud gloriosum cum Salomone dedicant filii Israel, supplendo videlicet ea quæ desunt passionum Christi in carne sua (*Col.* I), prædicante jugiter ac dicente per Psalmistam prophetico spiritu : « Tollite hostias et introite in atria ejus (*Psal.* LXXV). » Hæc est illa magna et celebris festivitas, quam fecit et perficit hic Salomon in tempore suo, tempore gloriæ, tempore accepto et omnis verus Israel cum eo.

CAPUT XXX.

Quos hic verus Salomon viros nauticos miserit in Ophyr, quod interpretatur « infirmitas, » quæ sit illa infirmitas, et quod illud aurum, et quæ regina Saba, quæ interea venit audire sapientiam ejus.

(III Reg., cap. IX.) « Misitque Hiram servos suos nauticos, et gnaros maris cum servis Salomonis. Qui cum venissent in Ophyr, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem. » (III Reg., cap. X.) « Sed et regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. » Non contentus Salomon eis, quæ thesaurizaverat pater suus, misit in Ophyr, ut sumptum inde aurum sibi deferretur. Ophyr *infirmitas* interpretatur. Veraciter autem in infirmitate aurum erat plurimum, quando circa infirma et egena elementa (*Gal.* IV), detinebantur pretiosa ingenia philosophorum, et vanis in rebus occupabantur acumina rhetorum, et dialecticorum. Sed hæc quoque rex sapiens Christus thesaurizavit, non contentus prophetis vel piscatoribus suis apostolis. Misit enim viros nauticos et gnaros maris, de quibus scriptum est in psalmo : « Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (*Psal.* CVI). » Misit, inquam, apostolos suos, verbi gratia, Paulum Athenas, et cepit eos, et adduxit eos, et ecce præclara talium ingenia proficiunt verbo Dei, sanctas explanando Scripturas, et pro fide certando serviunt magno regi. Aurum igitur de Ophyr sumptum est. Hoc modo actum est, ut veniret ad regem istum, regina Saba, id est dives et insignis de gentibus Ecclesia ; non quia prius regina erat, quippe quæ dæmonum potius erat ancilla, sed quia veniendo ad Christum regina facta est, credendo in Christum regio diademate coronata est, ornata bonorum operum vestibus deauratis, cunctarumque virtutum lapidibus pretiosis, quemadmodum de illa in psalmo Spiritus sanctus dicit : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate (*Psal.* XLIV), » etc. Venit hæc regina in Hierusalem, cum multo comitatu, id est, non jam cum una gente tantum, scilicet Judæorum, sicut prius Synagoga solos habebat Hebræos, sed totius mundi gentibus diversisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum et gemmas pretiosas, et hoc camelis portantibus, id est ex gentili populo venientibus, qui prius fuerant fœditate vitiorum distorti, et malorum onere curvi ac pravitate deformes. Cum istis, inquam, muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens secum fidei aurum, puritatis incensa pretiosa, splendoresque gemmarum, morum, scilicet insignia et ornamenta virtutum. « Et locuta est universa quæ habebat in corde suo, » id est aperuit ei cor suum, manifestavit ei occulta conscientiæ suæ, in confessione et pœnitudine præcedentium delictorum. Jamque hæc et reliqua quæ sequuntur, ex multis sanctorum tractatibus nota sunt. Ad cætera proficiscamur.

CAPUT XXXI.

Memorabilium operum, quæ fecit Salomon, ultimum scilicet thronum de ebore grandem auro fulvo nimis vestitum, judiciariam præfigurasse mundissimi hominis majestatem Christi.

« Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro puro, et trecentas peltas ex auro probato. Fecit etiam thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus, et summitas throni rotunda erat in parte posteriori. Et duæ manus hinc et inde sedile tenentes, et duo leones stabant juxta manus singulas, et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Hoc memorabilium Salomonis operum ultimum, ne parvum esse aut a mysterio vacare suspicemur, vehementi atque admirativa Scripturæ præsentis commendatione prohibemur, dum continuo sequitur : « Non est factum tale opus in universis regnis. » Nam tot scuta, totque peltæ idem significant quod armatura illa fortium, de qua idem in Canticis canticorum : « Sicut, inquit, turris David collum tuum, quæ ædificata est, cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium (*Cant.* IV). » Hoc ergo memorandorum ejus operum novissimum, quid significet digne quærimus, et quærentes ad ultima **437** magni regis Christi, opera prospicimus. Quidnam est iste thronus tam grandis, tam mirabilis, nisi altitudo majestatis in illo die novissimo magni et tremendi judicii? Mirando ordine in illo rege sapientia Dei significativa opera disposuit, ut hoc opus, quo profecto nihil ultra memorabile fecit, signum vel figura esset magni judicii, post quod nihil ultra operaturus Rex noster requiesceret ab operibus suis. Grandis thronus, grande quippe judicium exspectamus, cujus in occursum venientes in nube, virtutes quoque cœlorum movebuntur. Thronus, inquam, ex ebore, judicium quippe ex puritate constabit justitiæ. Alioqui nisi, ut hic idem Salomon testatur, venter ejus esset eburneus, nisi absque omni calore libidinis conceptus, natus vel conversatus esset homo, et Deus Christus (elephas quippe, unde est ebur, animal esse castissimum perhibetur), quomodo vel quo jure hunc mundum esset judicaturus? Grandis igitur ex ebore thronus auro vestitus, judiciaria mundissimi hominis est majestas, in qua nimirum aurea divinitatis justitia revelabitur. Sex ille habebit gradus, sex enim sententiis judicium perficitur : « Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Infirmus, et non visitastis me. In carcere, et non venistis ad me (*Matth.* XXV). » — « Duæ manus hinc atque inde, » id est duo tenores, hinc judicii, atque inde misericordiæ. « Duo leones juxta manus singulas, » id est utrobique fortis atque formidabilis judicii veritas. Nam et a sinistra omnis iniquus condemnabitur, et a dextra vix justus salvabitur (*I Petr.* IV). Duodecim leunculi super sex gradus stantes, duodecim erunt apostoli, duodecim, id est universi judices super condignas utriusque manus propositi retributiones. Post hoc opus, post hunc thronum Salomonis, id est pacifici regis Christi, jam in æternum gloria et divitiæ in domo ejus (*Psal.* CXI), tanta copia, quantam Scriptura præsens significare non sufficit. Attamen conando nonnihil proficit. « Non erat, inquit, argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis. » Ac deinceps. « Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta lapidum. » Etenim « postquam sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, » et per judicium ejus ierint impii quidem in supplicium sempiternum, « justi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV), » jam non erit argentum, jam nullius pretii reputabitur in illis diebus æternitatis, quia « sive prophetiæ exacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur (*I Cor.* XIII), » non illic tinniet ejusmodi argentum, quia non mittentur eloquentes ad prædicandum, ad docendum, ad prophetandum. Omnes perfecti erunt, omnia consummata erunt. In omnibus æternaliter abundabit, purissimum charitatis aurum vel argentum.

CAPUT XXXII.

Quod amavit mulieres alienigenas multas, super quibus prohibens Dominus, « certissime, inquit, avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. »

(III Reg. cap. XI.) « Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, et Idumæas, et Sidonias, et Ethææ. Fuerunt que ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ. » Super hoc illi exprobrans vir Sapiens, cum dixisset : « Collegisti, quasi aurichalcum aurum, et ut plumbum complesti argentum (*Eccli.* XLVII), » continuo subjunxit : « Et inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo, et dedisti maculam in gloria tua, et profanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos et in cæteris stultitiam tuam, ut faceres regnum bipartitum (*ibid.*). » At ipse videlicet Salomon dicit in Canticis canticorum : « Sexagintæ sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus (*Cant.* VI). » Reginæ videlicet sponsi regis Christi animæ sunt, quæ jam per dilectionem; concubinæ autem, quæ adhuc illi subjiciuntur per timorem, adolescentulæ, quæ vix initiatæ per fidem custodia matris Ecclesiæ, vel tutela disciplinæ indigent. Num igitur sic stultus fuit, et sic stultitiam sapientiæ permiscuit, ut sciens Christi multarumque animarum spirituales fore complexus, semetipsum in tantis, totque alienigenarum carnalibus dissiparet complexibus? Nempe si hoc intuitu taliter egit, et cœleste mysterium vertit in occasionem libidinis, insipientium omnium insipientissimus exstitit. Nec enim homo rationalis, hic divinum quærere dignabitur mysterium, ubi nudum merito detestabitur opprobrium. Recte igitur veritas adimpleta est Domini dicentis super mulieribus alienigenis : « Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum (*Exod.* XXXIV) ; » nam et ita factum est. « Cum esset senex, depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos alienos. » De cujus pœnitentia magnorum plerique doctorum diversa sentiunt. Certissimum autem manet sapientibus exemplum, ut nunquam, quoad vivant, de statu suo præsumant, cum tam deterrime ceciderit hic quo vel ante vel post nemo sapientior fuit (*III Reg.* IV).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

PROLOGUS RUPERTI IN LIBRUM PSALMORUM.

438 CAPUT PRIMUM.

Quod David et Salomonis, cæterorumque prophetarum dicta, sint testimonia Christi Filii Dei, et quod in eis citius obruantur veritatis adversarii.

Splendida spectavimus in hac ætate quarta regum gesta, David atque Salomonis, ubique gloriam quærentes regis Christi, nunc tandem et eorumdem et sequentium prophetarum dicta se offerunt, quæ testimonia sunt ejusdem Christi Filii Dei, quasi post solidum terrestris amplitudinis stadium, in quo nobiscum, imo et contra nos adversarii veritatis currere possunt, venimus ad hoc mare profundum, quod, antequam perveniatur ad victoriæ palmam, transcurrendum est. Porro non aliter quam ligno Christi, non aliter quam navigio crucis transiri potest. Nam non credentibus Christum, non recipientibus prophetiæ spiritum, propheticæ Scripturæ profundum omnino impermeabile est. Statim ut pedem immiserint, submerguntur abundantia testimoniorum Christi inimici veritatis, velut multis fluctibus obruuntur, verbi gratia, in carne Abrahæ, in meritis patrum, præcipueque in Moyse habere sibi videntur, unde recte glorientur, in propheticis autem scriptis incircumcisi convincuntur. « Pater tuus, inquit, Amorrhæus, mater tua Cethæa (*Ezech.* XVI). » Eisdem ergo pedibus quibus per solidum legis arvum cucurrimus, jam nunc prophetarum aquas ingredimur, fide socia regente gressus, ut non periclitemur.

CAPUT II.

Quod David prophetarum sit primus.

Sane ex eo, quod de regno Dei, de regno Christi et Ecclesiæ sublimiter elocuti sunt, prophetæ dici meruerunt, eorumque primus vel præcipuus est patriarcha David. Siquidem Moyses aut Josue, sive Samuel, qui ante illum fuerunt, nihil de regno Dei, nihil de pœnis inferni, nihil de judicio, quo et justi salvandi et impii condemnandi sunt, palam verbis dixerunt, non quod ista nescirent, sed quod carnales nimium terræ amatores ista non reciperent. At vero prophetæ de hujusmodi magnifice sunt elocuti, primusque David, verbi gratia : « Quoniam, inquit, non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? » (*Psal.* VI.) Hic primus regnum Christi verbis intelligibilibus cecinit, verbis quoque personæ ejus patientis sive resurgentis usus est. Prophetarum igitur primus est, licet et ante hunc beatum Job de resurrectione carnis aperte locutum esse nemo est qui dubitet. Hinc jam res ipsa satis opportune suggerit, ut quæramus, ut quid sermo Domini, Spiritus Domini de virtutibus locuturus futuri sæculi regem sibi, per quem loqueretur elegit, imo cur illum, per quem primum loqui disposuerat, de animarum salute vel vita æterna regem esse voluit? Nec enim idcirco quia rex erat elegit illum, et loqui voluit per illum, sed quia illum elegerat et ad hoc officium præparaverat, idcirco regem illum esse voluit. Cur ergo sic egit, cur sic venit Verbum Domini? Cur de tribunalibus audire primitus voluit? Cur de regali solio primas voces emisit? Nimirum propter duritiam nostram, propter vanitatem et superbiam nostram, diligenter advertamus, causamque ex nobis esse vel fuisse jam scienter fateamur. Totum mundi hujus auditorium Deo obsurduerat, et in audienda vanitate superbiebat, « omnis homo vivens universa vanitas » erat (*Psal.* XXXVIII). Ludo vanitatis intenta, populosa carnis lascivia vitæ æternæ seria mortis imminentis negotia scire dedignabatur, audire non poterat. Videmus jam senem ac decrepitum mundum, adhuc ex parte maxime lascivientem, matura evangelicæ prædicationis fastidire verba, sicque sani sermonis auditu velut sarcina aut massa gravari arenaria. Ridentur nonnunquam publice prædicatores, nisi caveam, quod et præceptum est, dicente Domino : « Nolite margaritas vestras mittere ante porcos (*Matth.* VII). » Quanto magis cum adhuc recens mundus luxu juventutis efferretur, personam qualemcunque verbum Dei prædicantem audire dedignaretur? Ergo peregrinum erat huic mundo Verbum Domini, non aliter attentos aut benevolos habiturum divites sæculi, nisi orationem suam inciperet per os regis divitis, magni, regis manufortis, et victoriosi, qualis erat iste David.

CAPUT III.

Cur prius per potentem et regiam personam de pœnis inferni et regno Dei potuerit nuntiari, et pedibus metricis decantari, et quid mystice significet forma Psalterii.

Sed et hoc parum erat, ut potens persona jam dicto Dei verbo auctoritatem sua pararet potentia. Dulcedine opus erat, quatenus alienus ab illo animus per sensus corporis necessaria insinuaretur benevolentia. Procuravit et hoc artifex mirabilis, salutis humanæ avidus spiritus Domini, tum quem præparabat ministrum verbo Domini puerum citharœdum esse voluit, ut deinde paulatim proficientem ordinate Psalmistam faceret, ut negotium salutis animarum, mista dulcedine musica, et canendo prophetaret, et prophetando caneret, ut, inquam, et verba metricis pedibus currendo, et tinnulæ Psalterii chordæ persultando, sensim per aures ad animum pervenirent, fidemque, spem, et charitatem Dei dulciter insererent. Erat autem instrumentum ejus musicum, in modum deltæ compositum, interius concavum, de foris pellibus mortuorum animalium coopertum, habens decem chordas desuper sonans, quæ singula nobis aliquid mystice significant. Concavitas interior, terrenis facultatibus designat nos ore evacuandos, quemadmodum dicit : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI). » Mortuorum animalium exuviæ, nos ipsos cum vitiis et concupiscentiis debere mor-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tificari, juxta illud Apostoli : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram (*Col.* III). » Decachordi positio, Decalogi legis est observatio. Soni desuper emissio cœlestium tantum est appetitio, solius Dei dilectio, **439** ut idem Apostolus : « Nostra autem, inquit, conversatio in cœlis est (*Phil.* III). » Sonus fidium ipsa est prolatio vocum, discretio digitorum pluralitas est Spiritus sancti donorum, quorum etiam motio quorumlibet justorum est operatio.

CAPUT IV.

Quomodo Psalterium ipsum ter quinquaginta psalmorum trimodum fidei, spei, et charitatis, prædicet jubilæum, primis psalmis quinquaginta, id maxime continentibus, quod de Christo est credendum, secundis maxime id quod sperandum, tertiis ea maxime quibus provocemur ad amandum Deum.

Porro Psalterium ipsum ter quinquaginta psalmorum, trimodum, fidei, spei et charitatis, prædicat ac decantat jubilæum, a quibus virtutibus, ut in prima hujus operis parte jam diximus, prius homo excidit, primum charitate, deinde spe, ac postremo fide perdita, sine quibus nullus filiorum ejus salutem recuperat, reciprocato tamen ordine, id est primum fide, deinde spe, postremo charitate possessa. Hæc autem fides in uno homine, hæc spes in uno eodemque, hæc charitas erga unum eumdemque hominem Christum possidenda est. Et primum quidem pars, id est quinquaginta psalmi septem periochis recapitulando, quid credere debeamus prædicat. Secunda autem pars itidem quinquaginta psalmorum, septem nihilominus periochis recursando, spem corroborat. Tertia quoque pars quinquaginta psalmorum, charitatem septies recapitulando, benedictionibus et laudibus dilatare concertat. Quod ut evidentius fiat, singulorum sensus psalmorum perstringere non pigeat. Primus sic intonat.

IN LIBRUM PSALMORUM COMMENTARIORUM

LIBER UNUS

INTER LIBROS REGUM QUARTUS.

CAPUT V.

Ordo ter quinquaginta psalmorum cum adjunctis titulorum mysticis significationibus.

«Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.» Quid nobis hic prædicat, nisi quia Christus sine peccato est, sine peccato, inquam (quod credere ejusque rei fidem oportet habere), quia conceptus et natus est de virgine Maria? Alioqui nisi id prædicari consentias, non est de quo dictum hoc recte intelligas, cum simus omnes ex Adam, « in quo, ut Apostolus ait, omnes peccaverunt (*Rom.* V), » qui primus « in consilio impiorum » positus, consentiendo « abiit, » et a Deo recessit, et opere adimplendo « in via peccatorum stetit, » et reatum suum defendendo « in cathedra pestilentiæ » superbus ac male suffultus « sedit. » In illo omnes abierunt; omnes male steterunt, et sederunt; omnes enim, ut jam dictum est, Apostolo testante, in illo peccaverunt. Hic ergo primus psalmus fidem Incarnationis Christi personat, quod scilicet in illo, neque abierit, neque steterit, neque sederit, eo quod de virgine conceptus et natus sit, unde et liber est a peccato originali. Cætera psalmi, quæ sequuntur : « Sed in lege Domini voluntas ejus, » etc., actualem ejusdem justitiam commendant. Itaque credentes in eum, tam ab originali quam ab actualibus, peccatis recte liberamur, ut simus justi, quorum Dominus iter noverit. Nam « iter impiorum peribit, » id est eorum, qui huic beato viro contradicendo manent increduli.

Secundus psalmus consequenter fidem passionis ejus pronuntiat. « Quare fremuerunt, inquit, gentes, et populi meditati sunt inania? » Ac deinceps : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Secundum hæc enim ipse in Evangelio dicit : « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me (*Joan.* XII). » Exaltatus quippe a terra, id est cruci affixus, postulavit, nam et ipsa passio postulatio fuit, sacrificium pro omni mundo fuit, per obedientiam qua Patri servivit, dicenti : « Postula a me, » unde et auditus pro sua reverentia (*Hebr.* V), omnia traxit ad se, dante illi Patre gentes in hæreditatem, et possessionem terminos terræ. Nam propter hoc, inquit Apostolus, « Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II). » Frustra ergo « fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, » assistendo cum regibus et principibus, videlicet, cum Herode et Pontio Pilato « adversus Dominum, et adversus Christum ejus, » putantes quod per hoc possent dirumpere « vincula eorum, » et projicere a seipsis « jugum ipsorum, » videlicet Domini et Christi ejus, cum e contrario per hoc accreverit regnum ejus,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quod et visuri sunt, « cum exarserit in brevi ira ejus, » cum venerit quod cito futurum est judicium ejus.

Tertius Psalmus fidem resurrectionis ejus prædicat. « Domine, inquit, quid multiplicati sunt qui tribulant me? » Ac deinceps. « Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me. » Nam videtur quidem idem in hoc agere, quod in præcedenti psalmo; tractat enim de passione et resurrectione, **440** sed non ita est. Hic enim de multiplicatione inimicorum agit, et manifestius de resurrectione. « Ego dormivi, inquit, et soporatus sum, » scilicet moriendo, et exsurrexi de morte triumphando. Et quia post resurrectionem ejus inimici, qui tribulaverant eum, qui insurrexerant adversus eum sine causa, percutiendi erant, ita ut et intus excæcarentur, et foris miserabili excidio vastarentur, subjunde. « Exsurge, inquit, Domine, salvum me fac Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti. » Nec vero de altitudine ascensionis tacuit dicendo: « Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum. » Tribus igitur psalmis prioribus, ubi per ordinem Incarnationis, Passionis et Resurrectionis ejus propheticus spiritus testificatus est fidem.

Quarto jam psalmo de acceptione Spiritus sancti apostolica gloriatur Ecclesia (*Act.* II), dicens: « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. » Ac deinceps. « Signatum est, inquit, super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo. » Etenim dilatatio in tribulatione, lumen vultus tui Domini et lætitia cordis datum est paracleti Spiritus sancti, quo post resurrectionem vel ascensionem ejus accepto, qui prius per modicam fidem cor angustum habebant, ita ut relicto Domino omnes fugerent (*Matth.* XXVI), jam dilatarentur, et lætarentur in amplitudine cordis, « quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus contumeliam pati (*Act.* V), » dicentes: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » subauditur, ut intelligeremus Scripturas, te sensum nobis aperiente. Simulque arguit in illis mundum ille Paracletus, « ille Spiritus veritatis (*Joan.* XVI), » et dicit: « Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, » etc. Post hæc notum est quia contra Ecclesiam consurrexit persecutio malorum, inimicorum Judæorum, falsorum Christianorum, et maxime hæreticorum.

Propter istos inimicos, quinto psalmo dicit sic: « Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. » Ac deinceps. « Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos, Deus. » etc. Verba hæc et clamorem hunc Dominus auribus percipit, atque intelligit perseverantis Ecclesiæ usque ad illud mane quo illi astabit, quod est dies judicii, quando videbit et dicet: « Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. » In quo mane vel judicii die quis gloriabitur castum se habere cor?

Sequitur ergo et dicit psalmo sexto. « Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. » Furor quippe erit Domini dicentis impiis et peccatoribus: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » Ira autem ejus, post diem furoris permanens, mors est et infernus. Unde et postmodum. « Quoniam non est, inquit, in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? » Proinde idem psalmus hunc habet titulum. « In finem Psalmus David pro octava. » Et est sensus: iste psalmus attribuendus est David, id est pœnitenti Ecclesiæ tendenti « in finem, » id est in Christum, et orat « pro octava, » scilicet pro æterna requie, quæ dicitur octava, quia post hujus vitæ decursum, quæ per septem dies agitur, futura est.

Septimo psalmo ad caput reditur, id est ad fidei nostræ principium, ad Christi passionem, orantis in eadem passione, per quam nos salvari credimus. « Domine Deus meus, inquit, in te speravi, » etc. Intentio namque Prophetæ est in hoc psalmo introducere Christum secundum humanam naturam, Verbo sibi unito loquentem et orantem ut liberet illum, ne conformetur mentibus inimicorum, et ut a morte resuscitet eum, et deinde ostendentem sub quadam concessione improborum damnationem et justorum gloriam ex resurrectione sua proventuram, et etiam ex istis male agentibus qui, si pœniterent, possent consequi veniam.

Psalmus octavus hoc clarior est, quod ejusdem resurrectionem Christi, et exaltationem admirando glorificet. « Domine, inquit, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. » Ac deinceps. « Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Patet, ait, profecto hominem esse aliquid dignum interius, licet vile et abjectum plus cæteris animalibus videatur exterius, et istud patet per hoc « quod memor es ejus. » Et quidquid sit de aliis hominibus, ipse qui non erat filius hominum, sed hominis, id est virginis, ipse quidam maximum. Et hoc inde constat, « quoniam visitas eum. » Et exponit secundum quid « visitas eum, » ita: « Minuisti eum paulo minus ab angelis, » etc. Spiritus sancti effusionem, quæ per exaltationem Christi data est, hoc modo insinuat: « Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti. » Cœli isti sancti sunt apostoli, quia de terrenis cœlestes facti sunt, per Spiritum sanctum, qui cum singulariter dicatur digitus Dei, ut illic: « Si in digito Dei ejicio dæmonia (*Luc.* XIX), » pluraliter tamen hic dictum est « opera digitorum tuorum, » quia Spiritus idem septiformis est, et divisiones gratiarum ejus multæ sunt.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Luna universalis Ecclesia, stellæ singulæ Ecclesiæ sunt, « quæ tu fundasti, » inquit, id est, quibus singulis incrementum dedisti, propter hæc nomen tuum, ait, quod prius notum erat in Judæa tantum, nunc « admirabile est in universa terra. » Et hic psalmus in titulo habet : « Pro torcularibus, » quia videlicet sicut in torculari vinum et acinum, ita in Ecclesia boni et mali continentur.

Nonus inscribitur sic : « In finem pro occultis filiis, psalmus David. » Et est sensus : Iste psalmus attribuendus est « David, » id est perfectæ Ecclesiæ, tendenti « in finem, » id est in Christum, ut ei sit conformis, « pro occultis filiis, » id est consideratione occultorum judiciorum, quæ ad filium pertinent, sicut scriptum est : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v), » qui autonomastice Filius dicitur, sicut idem testatur : « Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII). » Intentio Prophetæ est in hoc psalmo introducere perfectam Ecclesiam, de occultis judiciis gratias Deo omnibus modis agentem, et per hoc minora membra instruentem. In primo Christi adventu, quidam eum tantum hominem esse putaverunt, pauci vero, id est electi, Deum et hominem intellexerunt, quod Dei occulto judicio factum est, videlicet ut quibusdam pateret, alios lateret. De secundo adventu quidam male sani dubitant, quique autem fideles ut certum exspectant. Quod similiter judicio justo Dei fit. Quo tamen die, vel qua hora futurum sit, omnes æqualiter ignorant. Quare autem quidam salventur, quidam reprobentur, cum omnes ex eodem parente proveniant, occulto Dei judicio fit quod similiter omnibus ignotum est. Quod et in præsenti sæculo mali exaltentur et boni deprimantur, occulto et justo Dei judicio fit. Occulto quidem malis, bonis **441** autem non. Præterea quod filius perditionis circa finem sæculi, tantopere supra Ecclesiam se extollet, eamque tanta persecutionum acerbitate affliget, occulto Dei judicio fit. In quibus omnibus gentes, et male intelligentes errant et Deum blasphemant. Perfecta vero Ecclesia non solum Deum non blasphemat, sed in omnibus eum totis viribus attente laudat, dicens :

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor, et exsultabo in te, » etc. Duobus igitur præcedentibus psalmis, continentibus recapitulatam passionis, et resurrectionis Christi fidem, quæ necessaria est ad æternam salutem, recte hic subsequitur, in quo occulta ejusdem filii judicia confitendo, sancta Ecclesia miratur, secundum sensum Apostoli dicentis : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI.) Dixit enim hæc de cæcitate quæ « ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret (*ibid.*), » quæ videlicet cæcitas occulto nimirum judicio statim contigit, ubi Christus, juxta præcedentem psalmum, gloria et honore coronatus est.

Psalmus decimus maxime contra hæreticos invehitur, qui interim callidæ simplicitati ecclesiasticæ insidiantur. Super quos, quia peccatores sunt, quia ignis concupiscentiæ et sulphur malorum operum pars calicis eorum fuerunt, et hæc eos inebriaverunt, idcirco Dominus laqueos pluit, ut per Scripturam sacram, multipliciter illaquerentur, id est ut male intelligant, male interpretentur, talibus dicit : « In Domino confido. Quomodo dicitis animæ meæ. » Qua audacia dicitis mihi : « Transmigra in montem, » id est eminentiam nostrarum sententiarum, sicut passer tendit in altum?

Psalmo undecimo Ecclesia, quæ Christi adventum exspectabat, illud orabat quod nunc præsens Ecclesia completum sciens adhuc tamen orat, ut salutis opus quod universaliter fecit in singulis perficiat. Ait enim : « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, » scilicet Adam innocens et mundus a te creatus, in cujus defectu totum corruit humanum genus. Hoc dicto omnes in Adam peccasse et ex illo peccatum originale traxisse confitemur. Sequitur de multitudine peccatorum actualium : « Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum, vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, » etc. His sensum apostolicum subintelligimus. « Sicut, inquit, per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ (*Rom.* v). » De quo videlicet uno subinde psalmus iste loquitur : « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. » Et quia per ipsum justificamur, et in vitam regeneramur. « Tu, inquit, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac, » generatione mala, generatione Adæ vetusta.

Psalmus duodecimus idipsum obnixius Christum rogat, ut et in præsenti ab omni nos crimine immunes custodiat, et post hujus vitæ defectum in seipso exsultare concedat per sæcula, dicendo ita : « Usquequo, Domine, oblivisceris me? »

Tertius decimus psalmus voces nobis subministrat adversus omnem insipientem, qui dicit in corde suo, sive ille sit Judæus sive hæreticus : « Non est Deus, » subauditur, hic homo Jesus Christus. Agit enim de perfidia Judæorum, quia quem sancti patres eorum, scilicet patriarchæ et prophetæ, nimio desiderio dari sibi optaverunt, hi præsentialiter in carne videntes, non solum dicta et facta ejus respnerunt, sed et ipsum morti tradiderunt. Agit etiam de temporali et singulari eorum contritione, et futura postmodum æterna damnatione, nec non de sanctorum gloriosa et admirabili remuneratione.

Psalmo quarto decimo, dicendo : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? » etc. Intendit ipsum caput eos definite ostendere qui sub nomine Jacob, vel Israel gloriam sunt adepturi. Quia ergo in fine præcedentis psalmi dixerat : « Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel, » ne quilibet ad hanc beatitudinem solam sibi fidem sufficere inaniter arbitretur, definite

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vult ostendere, qui horum nominum significationem tenentes, ad gloriam sint perventuri, quod interrogative ponit non quod in hac re dubitationem habeat, sed ut auditores inde certos faciat.

Jam a quinto decimo tertia periocha est, id est recapitulatio fundamenti ejus, quod fidei maxime necessarium est, quod passionis Christi mysterium est. Inscribitur autem sic : « Tituli inscriptio ipsi David. » Et sciendum est in hoc psalmo illud idem debere intelligi, licet aliis et amplioribus dicatur verbis quod in titulo crucis scriptum fuisse perhibetur. « Conserva me, inquit, Domine, quoniam speravi in te. » Ac deinceps : « Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, » id est, tu cui soli inest verum esse, restitues hæreditatem meam in illud verum esse quod culpa primi parentis perdidit. Et paulo post : « Propter hoc dilatatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiesret in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Plane his verbis in passione de resurrectione et æterna remuneratione agit, quæ omnia ut mereatur assequi, orat Deum Patrem in forma servi.

Sexto decimo, cui inscriptum est oratio ipsi David, de eodem negotio agit. « Exaudi, inquit, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam, » etc. Intendit enim in hoc psalmo ipsum caput orare Deum Patrem pro se et suis, ne deficiant. Agit etiam de persecutione, et de inimicorum temporali, et perpetua damnatione, nec non de futura cum suis gloriosa et plenaria satietate. Dicit enim Patri moriens in sua obedientia. « Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. » Ac deinceps : « Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt. » — « Adipem, inquam, suum, » incrassatum cor suum veritati « concluserunt. » — « Os eorum locutum est superbiam. » — « Vah qui destruis templum Dei (*Matth.* XXVII.) » Et : « Non habemus, inquit, nisi Cæsarem regem (*Joan.* XIX), » etc. Et hæc quidem de sui persecutione. De inimicorum vero damnatione : « Exsurge, inquit, Domine, præveni eum, » scilicet populum Judaicum, auferendo ab eis locum et gentem. « Et supplanta eum, » dando in mortem, qui ne detinere cupit in mortem. Sed hoc ne differas in longinquum. Et quid? « Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum. » Quod est dicere, adhuc viventes in carne, ut de terra pereant, dividantur a paucis, separantur a justis. Sciendum quippe quod paulo ante tempus destructionis Hierusalem, quidam Judæi ad fidem conversi prænoniti sunt a Spiritu sancto, ut civitate excederent, et in regnum Agrippæ tenderent, ne perirent cum impiis. De sua tandem, suorumque satietate gloriosa, sic dicit : « Ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua. » Quod dicit « satiabor, » non ideo dicit, quod quantum in se aliquo indigeat, sed membrorum consideratione, quorum satietas tunc tandem perfecta erit in gloria, « cum tradiderit regnum Deo et Patri (*I Cor.* XV), » sicut Apostolus dicit : « Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Col.* III). »

Septimo decimo agit item de morte sua. « Diligam te, inquit, Domine, fortitudo mea. » Nec vero de morte solum sed et de resurrectione sua, et quid utilitatis 442 inde evenerit, et per quos vel quomodo evenerit, et de temporali et æterna retributione justorum, et de exteriori et interiori damnatione Judæorum, tandemque de obedientia et salvatione gentium. Habet autem in titulo sic : « In finem puero Domini David qui locutus est verba cantici hujus in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, et de manu Saul. » David ipse est Christus vere manufortis, vere desiderabilis. Ipse est puer Domini; obedivit enim Deo Patri tanquam puer secundum formam servi (*Phil.* II). Huic « in finem, » id est in omnimodam tendenti perfectionem attribuenda sunt verba cantici hujus. « In die autem qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, et de manu Saul, » quid est, nisi in consideratione illius dici qua resurrexit a mortuis, ultra jam non moriturus? (*Rom.* VI.) Suscitando namque illum, eripuit Dominus de potestate inimicorum, videlicet Judæorum et gentium, et de potestate mortis, quæ per Saul recte intelligitur. Nam sicut illum contra voluntatem Domini populus petiit regem, ita Adam et Eva contra voluntatem Domini appetierunt mortem.

Tribus igitur psalmis commendata passione et resurrectione ejus, quæ salutis nostræ summa est, in qua fidei fundamentum consistit, quid deinde actum sit, continuo subsequens psalmus octavus decimus edicit. « Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. » — Nam cœli isti apostoli sunt, qui cum prius fuissent terreni, atque infirmi, post passionem ejus accepto Spiritu sancto, tales effecti sunt ut recte dicantur « cœli, » recte vocentur « firmamentum. » — « Non sunt, ait, loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. » Hoc enim illa die Spiritus sanctus fecit miraculum, ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum (*Act.* II). Talium cœlorum enarratio non in una tantum regione remansit. Sed quid? « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Et quam Dei gloriam cœli isti enarraverunt? « In sole, inquit, posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus. » Exinde legem Christi, legem fidei scriptam digito Dei, « non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus » collaudans (*II Cor.* III) dicit : « Lex Domini immaculata, convertens animas, » etc.

Ex tunc sedenti a dextris Dei, et interpellanti pro nobis, psalmo nono decimo, dicimus cum Propheta,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dicimus cum antiquis sanctis, et dicere non cessamus usque in finem sæculi : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis. » Et hoc quidem non quia necessarium esse sciamus, sed ex nimio desiderio dicimus. Nam neque nos dubitamus, neque Propheta, cum hæc diceret, dubitabat, quin exaudiendus esset quam pro nobis pertulit in tribulatione. « Memor sit, inquit, omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. » Ideo dicit, « omnis sacrificii, » quia singulæ passiones ejus singula fuere sacrificia, holocaustum autem ipsa mors. Sacrificium dicebatur in lege illud quod partim incendebatur, partim sacerdotibus reservabatur; holocaustum illud quod totum cremabatur. Sane ab hoc psalmo quarta jam perioche cœpta est. Agitur enim manifeste de summa fidei causa, id est de passione illius, quam et Propheta prospiciens, non dubitando, sicut jam dictum est, sed benevole optando dicebat : « Domine, salvum fac regem. » Et nos credendo dicimus, quia vere Dominus salvum fecit regem, videlicet accelerando ejus resurrectionem.

Hoc ipsum continuo xx confirmat : « Domine, inquit, in virtute tua lætabitur rex. » — « In virtute, » inquam, tua qua Deus est, victor consistet. Et subinde : « Vitam petiit a te, et tribuisti ei. » — « Vitam, » inquam, id est resurrectionem, « petiit et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. » — « Resurgens quippe ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). »

Peramplius atque manifestius idipsum, id est passionem et resurrectionem ejus, Psalmus XXI concinit, cujus nobis sensum ipse Agnus Dei qui magni libri septem signacula solvit (*Apoc.* V), non utcunque, sed viva voce aperuit. Nam continuo spiritum traditurus, exclamavit dicens : « Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? » (*Matth.* XXVII.) Habet autem in titulo sic : « In finem pro assumptione matutina, psalmus David. » Et est sensus : Iste psalmus attribuendus est Christo vero David tendenti in victoriam, quæ finis est cursus obedientiæ ejus, « pro assumptione matutina, » id est pro resurrectione, quæ facta est « valde mane, cum adhuc tenebræ essent (*Joan.* XX). » Hoc dictum est ad similitudinem solis. Quia sicut paulatim depulsis tenebris ascendendo vires assumit, sic Christus resurgendo, paulatim mentes infidelium illuminavit. Duo nobis sacramenta in eadem passione sua condidit, scilicet lavacrum regenerationis, ubi patefacto latere sanguinem et aquam profundit (*Joan.* XIX), et mysterium corporis ac sanguinis sui, ubi tenens panem et vinum : « Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, inquit (*Matth.* XXVI). »

Super his continuo perfecta Ecclesia psalmo XXII gratulatur, et dicit : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. » Nam quasi quæreres, cujus in loco pascuæ, continuo subjunxit : « Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. » Et subinde : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. » Quænam est aqua refectionis, nisi baptismus salutaris? Super hanc aquam baptismatis, quod est fundamentum bonorum operum, « me, inquit Ecclesia, Dominus educavit, » videlicet lacte prædicationis, et deinde, sic enim recto ordine legendum est, deinde, inquam, « in loco pascuæ me collocavit, » id est, fecit studere in Scripturis. Ibi « me regit, » scilicet ne prave intelligam, « et nihil mihi deerit, » quod intellectui necessarium sit. Quæ autem mensa, quam « parasti, inquit, in conspectu meo adversus eos qui tribulant me, » nisi corpus tuum et sanguis tuus, cujus sacramentum sub aliis speciebus proposuisti intellectui meo, ne inimici prævalerent in me? Et quia duplex post hæc datum est Spiritus sancti, donum. « Impinguasti, ait, in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam præclarus est! » Nam primo dato Spiritus sancti dono, quasi oleo suaviter delibuti sunt apostoli insufflante illo, ac dicente : « Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX); » secundo autem quasi fecundo calice inebriati, fortes facti sunt atque diserti, ita ut diceretur : « Musto pleni sunt isti (*Act.* II). »

His sacramentis parata est Domino terra illa, et ille orbis, de quo protinus psalmus XXIII sic incipit : « Domini est terra et plenitudo ejus. » Nam terra hæc et orbis iste, quæ terra quidem Ecclesia est, duplici causa dicitur, tum propter stabilitatem, tum propter fecunditatem, orbis autem dicitur propter perfectionem. Et quia nulli ad habitandum in æterna Ecclesia, sola sufficiunt, quæ supra dicta sunt, sacramenta visibilia, sub interrogatione melius insinuat sic : « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde. »

Psalmus XXIV ordine congruo : « Psalmus David, » id est, Ecclesiæ pœnitentis oratio est. « Ad te, inquit, **443** Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam, » etc. Orat quippe Dominum, ut in bono eam perseverare faciat, aliquando Dei gratiam, aliquando suum meritum prætendendo, verbi gratia, « Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. »

Psalmo XXV orat eadem Ecclesia Dominum, ut per eamdem misericordiam et veritatem Domini tandem discernatur ab impiis. « Judica me, Domine, inquit, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. » Et ut merito in futuro discernatur ab impiis, discernit se in præsenti, et dicit : « Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo, » etc.

Psalmo XXVI intendit eadem Ecclesia perfecta modum ostendere illius benedictionis quam in fine præcedentis psalmi promisit, « benedicam te, inquiens in Ecclesiis. » — « Dominus illuminatio mea, et salus mea. Quem timebo? » — « A quo » visibilium, seu invisibilium hostium « trepidabo. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. » Nam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hoc dictum exaggeratio criminis est, sicut ibi dicitur : « Assatum est jam, versa, et manduca. » Ostendit etiam nihil præter unum debere peti suo exemplo. « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, » etc. Titulus autem ejus talis est : « Psalmus David, priusquam liniretur. » Et est sensus : Ista operatio est attribuenda David, id est perfectæ Ecclesiæ gratias agenti de eo quod accepit priusquam perveniat ad perfectam unctionem. Hic mittit nos ad historiam David, adhuc in domo patris sui, scilicet in Bethlehem puerulus unctus, a Samuele cum regem futurum, Spiritu sancto sic præsignante (*I Reg.* XVI). Deinde unctus est in Hebron, et super tribum Juda tantum regnavit, mortuo Saule (*II Reg.* II). Postea vero tertio unctus est, quando totius Israelitici populi provinciam accepit (*II Reg.* V). Quæ unctiones nobis mysticum quid insinuant. Sicut enim tertio unctus est David, sic quique fideles participes debent esse ternæ unctionis. Prius in baptismo, ubi Spiritus sancti gratia innovantur; secundo, quando, per impositionem manuum episcopi, donis ejusdem Spiritus sancti augmentantur; tertio, in die judicii, quando ejusdem spiritualis gratiæ perfectam dulcedinem adipiscentur. Non enim credendum David hunc psalmum, antequam in domo patris liniretur, sed an post illam unctionem statim, an post secundam fecerit, incertum est.

Debinc a psalmo vigesimo septimo jam quinta perioche fit, cum ad caput redditur, ad summam fidei, quam de Christi passione et resurrectione constare credimus et scimus. « Ad te, inquit, Domine, clamabo Deus meus, ne sileas a me, » etc. Voces quippe capitis nostri sunt orantis, pro resurrectione sua, ut non sit similis descendentibus in lacum, simulque interponentis damnationem inimicorum sub concessione, qua dicit : « Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum, » etc. Nam quod ait : « Dominus adjutor meus et protector meus, et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea, » certissima post orationem resurrectionis enuntiatio est, in qua videlicet refloruit caro ejus, quæ cum de radice Jesse floruisset, sub flagellis et opprobriis defloruisse visa fuerat.

Hoc ejus clamore audito, Propheta repente psalmo subsequenti, id est, vicesimo octavo conclamat : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum, » etc. Hoc enim dicendo communiter omnes fideles adhortatur, ut imitando illum, semetipsos Deo offerant, admonens perfectos velut arietes, ut perseverent et augmententur, alios vero velut filios arietum, ut bene operando ad oblationem ejusdem sacrificii cito promoveantur. Inscribitur autem sic : « Psalmus David in consummatione tabernaculi. » Mittitque nos ad historiam, quia sicut David post receptionem arcæ sublatæ a Philistæis, tabernaculum Domino ad adorandum et sacrificandum instituit (*II Reg.* VI), sic quique fideles, post fidei catholicæ perceptionem semetipsos præparare debent tabernaculum sanctificationis, in quo Deo offerant sacrificium laudis, videlicet, fidem, spem et dilectionem. Et hic, quidem Prophetæ clamor voces interrumpit, quas præcedente psalmo dare cœperat, in persona Christi.

Verum psalmo sequenti, id est XXIX, ad causam vel sensum eumdem recurrit, et peragit sic. « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me, » etc. Agit enim ipsum caput de sua operatione, et æterna remuneratione. Hortatur etiam fideles, ut suo exemplo psallentes Domino, et confitentes, ad eamdem lætitiam pervenire mereantur. Intitulatur autem sic : « Psalmus cantici in dedicatione domus David. » Hic titulus mittit nos ad historiam. Quia sicut David impensa et apparatu suo templum Domino ædificavit, et postea cum jucunditate et solemnibus verbis ad laudem Domini dedicavit, sic corpus Christi, secundum singularem nativitatem sine peccato ædificatum, et per resurrectionem in æterna impossibilitatis et immortalitatis gloria est dedicatum. Dedicatæ domus immutati, et jam ultra non morituri hominis defici, voces istæ sunt : « Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. » Item : « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. » Ac deinceps : « Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia, » etc.

Amplius atque profusius causam eamdem subsequens idem tricesimus psalmus exponit : « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. » Nam quod hæc illius verba sint, ipse universo orbi auditum et notum fecit, clamando voce magna : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). » Ipse igitur est, qui secundum formam servi speravit in Deum, ut non confunderetur in æternum, quemadmodum illum inimici confundere voluerunt, juxta quorum æstimationem. « Factus sum, ait, tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum, » verbi gratia, dicentium : « Vah, qui destruis templum Dei, salvum fac temetipsum (*Matth.* XXVII). » Habet autem hic psalmus in titulo sic : « In finem Psalmus David pro exstasi. »—« Pro exstasi, » inquit, id est pro consideratione profundissimi intellectus Christi, de reparatione humani generis, quam per mortem et resurrectionem suam disposuit, qui intellectus omnem intellectum creaturarum excedit. Postquam autem dixit : « In manus tuas commendo spiritum meum. » Et sic « spiritum tradidit, unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo sanguis ejus et aqua efluxerunt (*Joan.* XIX). » Qua videlicet effusione, omnes electos ab origine mundi, a peccatis emundavit, et baptismum nobis in remissionem peccatorum condidit.

Sequitur ergo psalmus XXXI, eos omnes beatificans, quos ille sanguis et illa aqua per fidem contingit. « Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Psalmi hujus titulus hic est : « Huic David intellectus. » Et est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sensus : Ejusmodi qualis est ille qui in hoc psalmo loquitur, attribuendus est intellectus, et is intelligens merito est dicendus. Nimirum talis erat, et tales nos esse volebat, cum ad Romanos scribens diceret Apostolus : « Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei, sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. **444** Beati quorum remissæ sunt iniquitates (*Rom.* IV), » etc. Isti sunt justi, quondam impii, nunc autem per hanc fidem justificati, quibus hic psalmus in conclusione dicit : « Lætamini in Domino, et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde. »

Eumdem nihilominus sequens, id est XXXII psalmus dicit : « Exsultate, justi, in Domino, rectos B decet collaudatio. » Primi vel principes horum justorum atque rectorum quos laudatio decet, quorum in ore speciosa laus est, apostoli fuerunt. De quibus hic psalmus : « Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » « Verbo, inquam, Domini, » id est per Filium Dei, per præsentiam Filii Dei, « firmati sunt isti cœli, et omnis virtus eorum » firmata est « spiritu oris ejus, » spiritu ejusdem Filii ejus, qui bene dicitur os Domini, quia per eum Deus Pater locutus est, sicut propheta dicit : « Os enim Domini locutum est (*Isa.* I). » Isti priores maxime exsultaverunt, vere beati, quia remissæ sunt eorum iniquitates, et tecta sunt eorum peccata, et eorum tristitia versa est in gaudium, juxta promissum dicentis : « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). » Idcirco firmati sunt, ut per eos faceret Dominus quod subjunctum est : « Congregans sicut in utre aquas maris, » id est amaricantes populos, in unitate fidei, et cætera usque ad finem psalmi.

Sequentis, id est tricesimi tertii, titulus talis est : « Psalmus David, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit. » Juxta historiam, David mutavit vultum suum, simulans se arreptitium coram Achis rege Geth, ad quem fugerat, timens invidiam Saulis (*I Reg.* XXI). Sed cum hic etiam virtuti ejus invideret, timuit eum David et, ut dictum est, immutavit vultum suum coram D eo, et sic dimissus abiit. Sciendum vero est Achis fuisse proprium nomen regis illius ad quem fugit David, qui etiam Abimelech dicebatur, quod erat commune nomen omnium regum illius terræ, ut Pharao Ægyptiorum, et Cæsar Romanorum : quæ omnia nobis mysticum quid insinuant. Quod enim David vultum suum coram Achis immutavit, significat quia Christus veteris ritum sacrificii in novum convertit coram Judæis. Achis enim interpretatur *quid est hoc*, et significat ignorantiam, per quem Judæi bene intelliguntur, in quibus tenebræ et ignorantia plurimum vigebant, apud quos cum a Pharisæis et summis sacerdotibus et Scribis accusatus ad mortem quæreretur, in porta civitatis manentibus A tympanizavit, id est, apostolis in fide jam positis, quæ introitus est cœlestis Hierusalem, sonum dulcem de tympano protulit, doctrinam scilicet carnis suæ mortificandæ. Vel si dixerimus « coram Abimelech, » significatio manet eadem. Abimelech enim *regnum patris mei* interpretatur, per quem similiter denotantur Judæi, in quibus regnabat David, qui secundum carnem pater Christi dicebatur, eo quod de parentela ejus nasci dignatus est. Unde in Evangelio cæcum dixisse legimus : « Fili David, miserere mei (*Matth.* XV). » Quod vero Abimelech dimisit David, et ipse abiit, significat transitum Christi ad gentes per apostolos, cum eum dimiserunt Judæi, quando eis novum sacrificium prædicavit, dicens : « Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quod multi audientes, abierunt retrorsum, etiam ex discipulis, dicentes : Durus est hic sermo ; et quis potest eum audire? » (*Joan.* VI.) Igitur justorum præcedenti psalmo exsultantium, id est apostolorum, novo sacrificio, Novi Testamenti carne et sanguine os plenum habentium voces istæ sunt : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Ac deinceps : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. »—« Gustate, » sumite ipsum sacrificium, et tunc « videte, » tunc intelligite, scilicet in rei experientia, « quoniam suavis est Dominus, » quoniam cibus delectabilis est Dominus, et sperent hoc omnes, quia « beatus vir qui sperat in eo. »

C Psalmus XXXIV in hæc verba consequitur : « Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. » Hæc et cætera psalmi caput nostrum Christus de Judæorum damnatione non orando, sed divino judicio concedendo dicit. Et recte his psalmis, qui præmissi sunt, iste ordine succedit. Ubi enim Domino Jesu glorificato justificati per fidem in sanguine ejus exsultaverunt justi, traditumque sibi gentibus proposuerunt ritum novi sacrificii, continuo Judæi Christum nocentes atque impugnantes, judicati atque expugnati sunt, perdito templo, et amissa terra, cujus in iracundia, juxta hunc psalmum, loquentes dolos cogitabant, dicendo : « Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). » Nimirum et usque hodie, in iracundia ejusdem terræ loquentes dolos cogitant, nimio quippe feruntur odio, ut nec nomen Christi audire sustineant, non ignorantes, licet negitent, quia propter sanguinem ejus perdiderunt terram. Recte igitur hic psalmus subsequitur : « Judica, inquiens, Domine, nocentes me, expugna expugnantes me, apprehende arma et scutum, » videlicet Romanorum Titi et Vespasiani imperatorum. « Et exsurge in adjutorium mihi, » ut abducantur in omnes gentes captivi, ne remanente illis loco, gente et pulchro templo, majus fiant scandalum evangelicæ fidei.

Nihilominus et hic psalmus tricesimus quintus, recte subsequitur : « Dixit injustus, ut delinquat in semetipso ; non est timor Dei ante oculos ejus. »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Videlicet quasi quæreres cur sic ille populus judicatus, expugnatus est, ipsa tibi hoc psalmo Justitia respondet quia injustus est, quia dixit, quia præmeditatus est, quia scienter proposuit, « ut definquat in semetipso. » Unde et excusationem non habet de peccato suo (*Joan.* XV), quoniam non ignoranter deliquit, sed dolose egit in conspectu ejus, scilicet Dei, cujus ab oculis suis timorem abjecit, hoc modo, « ut inveniatur iniquitas ejus ad odium, » etc. Nam erga illos qui peccata sua confitentur, et pœnitentiam agunt, « Domine, inquit, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes, » etc. Et infelices quidem Judæos mente et corpore captivos, atque judicante et expugnante Deo in omnes gentes dispersos, non est cur Christianus æmuletur; verumtamen multi sunt impii, tam divites tamque potentes ut eos infirmus aliquis æmulari potuerit.

Sequitur ergo psalmus tricesimus sextus, dicendo sic: « Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. » Quare? « Quoniam tanquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. » Inscribitur autem sic: « Psalmus ipsi David, » id est, operatio ista est attribuenda Christo vero David, agenti in hoc psalmo de instructione fidelium. Nam hæc et cætera psalmi dicendo, dehortatur eos, ne de malorum prosperitate indignentur, nec eorum iniquitatem imitentur, cum sit transitoria et brevissima, sed potius sperent in Domino, quæ recta sunt faciendo; per ea enim et in præsenti protegentur, et in futuro cum Deo coronabuntur.

Psalmi tricesimi septimi titulus hic est: « Psalmus David in rememoratione Sabbati. » Et est sensus: Ista operatio attribuenda est David, id est Christo, facta propter memoriam æternæ quietis, quæ significatur **445** per Sabbatum. Sabbatum enim *requies* interpretatur. Orat autem caput nostrum in hoc psalmo pro his pœnitentibus qui futuri sunt sive ante baptismum, sive post, quadam affectione in persona sua loquens de illis. Ostendit etiam multas causas, quare pro eis orandum sit, tum quia graviter peccaverunt, et plurimum inde contristantur, tum quia pro eis passus est, tum etiam quia imitatores ejus passionis esse parati sunt. « Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, » etc. «Me et mihi» ait, pro eo ut dicat meos et meis. Nam et caput corporis ipse est membra autem omnes electi. Et hoc quidem psalmo pro pœnitentibus orat, compatiendo infirmitatibus nostris, et condolendo his qui ignorant et errant, utpote tentatus per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV).

Sequenti autem, id est tricesimo octavo, suum justis exemplum commendat. « Dixi, inquit: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, » etc. Hoc exemplum justis quoque imitandum est. Nam et juxta alium prophetam: « Cultus justitiæ silentium (*Isa.* XXXII). » Quod si a bonis et ædificationum colloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis propter pœnam debet taceri! Verumtamen, ne obstinate nimis et indiscrete taceamus, continuo subjunxit: « Et dolor meus renovatus est, » etc. Sicut, inquit, prius peccabam nimis loquendo, ita modo nimis tacendo. Bene igitur habet in titulo: « In finem pro Idithum canticum David. » Idithum *transiliens* interpretatur. Significat autem titulus hic canticum David illis cantari qui ad virtutes transilierunt a vitiis usque ad moderamen linguæ, a temporalibus usque ad finem illum ultra quem transiliendum non est, usque ad æternitatem, quæ Deus est, quam qui adeptus fuerit, nihil ulterius quæret.

Sexta jam perioche, id est psalmo tricesimo nono, Christus dicit, secundum formam servi: « Exspectans exspectavi Dominum, et ipse intendit mihi. » Hic enim Propheta ad fidei nostræ principium, id est ad passionem ejus redit, quod maxime versiculus iste innuit: « Sacrificium autem et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. In capite libri scriptum est de me: Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. »—« Noluisti, ait, sacrificium et oblationem » quæ præcipiebatur in lege offerri, « aures autem, » id est intellectum, ut solus intelligerem, cur illa nolles quid tu velles, « perfecisti mihi. Tunc dixi: Ecce venio. » Ecce incarnatus sum, paratus ut faciam voluntatem tuam. « Sicut in capite libri scriptum est, » id est sicut in sapientia tua, personaliter mihi unita, dispositum est.

Nihilhominus psalmo sequenti, id est quadragesimo de ejusdem suæ passionis humilitate dicit: « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. » Quis enim alius hic dicit: « Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis? » Nempe de hoc dubitare ipse non sinit, qui cum dixisset, sub ipso passionis articulo: « Ego scio quos elegerim (*Joan.* XIII), » continuo subjunxit: Sed ut impleatur Scriptura: « Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum (*ibid.*). » Ipse igitur, « qui cum dives esset, egenus et pauper pro nobis factus est (*II Cor.* VIII), » et in fine præcedentis psalmi dixit: « Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei, » et hic in principio sequentis: « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem » etc., ostendens et damnationem miseriamque eorum, qui scandalizantur in eo, reputantes eum tantum egenum et pauperem, id est hominem, et illorum beatitudinem, qui non scandalizantur in eo, credentes eum esse verum hominem, et verum Deum.

Psalmo quadragesimo primo, dicunt filii Core: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Sic enim habet in titulo: « In finem intellectus filiis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Core. » Et est sensus : Intellectus designatur his subsequentibus vocibus ascribendus filiis Core, id est imitatoribus crucifixi Domini nostri Jesu Christi, qui per ipsam imitationem tendunt in finem, id est in consummatum bonum, ultra quod nihil est appetendum. Core enim interpretatur *calvitium*, et ponitur pro ipso loco ubi Dominus fuit crucifixus, qui Hebraice dicitur Golgotha, Latine autem Calvariæ (*Joan.* XIX). Verumtamen propter eamdem interpretationem, competentius posuit Core, quam nomen ipsius loci, quia et persona fuit, et multos filios habuit. Igitur filii Core, id est imitatores crucifixi, egeni et pauperes supradicti, qui super paupertatem humanitatis ejus intelligunt divitias divinitatis ejus, dicunt omnes, dicunt singuli : « Quemadmodum cervus, » consumpto serpente summa agilitate, « desiderat » venire « ad fontes aquarum, » valde sitiens, tanto desiderio, tanta festinatione æstuat « anima mea » hausto veneno diaboli per multas tentationes carnis, venire « ad te » potandum : et tibi comparticipandum, ut sic juvenescat facta tibi conformis qui es fons aquæ frigidæ et indesinentis, in quo est omnis plenitudo jucunditatis. Hæc dicenti primum fonte baptismi refrigerari convenit. Dicit enim in sequentibus ejusdem psalmi. « Propterea memor ero tui de terra Jordanis, » id est ex eo quod sum terra Jordanis facta per baptismum irrigua et fertilis, quæ prius eram arida et sterilis.

Psalmo quadragesimo secundo, quælibet fidelis anima dicit : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, » etc. Superius locuti sunt martyres illi qui patiebantur ab extraneis tribulationes, referendo suum desiderium ; hæc vero orant generaliter omnes fideles, tam martyres quam confessores, qui commisti sunt in area cum paleis, id est qui patiuntur probra et tribulationes ab illis qui intra Ecclesiam sunt falsis Christianis, et cupiunt dissolvi et esse cum Christo (*Phil.* I), ut in futuro a massa infidelium, cum quibus hic in area Ecclesiæ commisti sunt, discernantur, sicut grana a paleis, et hic cito eripiantur ab illis. Psalmi quadragesimi tertii versiculo Apostolus utitur sic : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius ? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Rom.* VIII). » Igitur voces istæ : « Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis, » voces sunt perfectorum martyrum, vel admirantium cur non cito faciat Deus, in diebus eorum, sicut fecit in diebus patrum antiquorum. « Manus tua, inquiunt, gentes disperdidit, et plantasti eos ; afflixisti populos, et expulisti eos. » Hoc nempe morientes desiderabant martyres, uti eadem manus Domini cito dispergeret gentes, id est impios gentiliter viventes, et plantaret fideles, ita ut ubique terrarum pacifice fides Christiana floreret. At nunc : « Vendidisti, aiunt, populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum. » Quod est dicere : Et tuos 446 occidi permisisti, et ex illis nullum acquisisti. Sane si quos acquisisti, non tamen digna commutatione est factum, quia « non fuit multitudo in commutationibus eorum ; » ubi mille interficiebantur, vix duo aut unus convertebantur. Sed nunquid sic frustra ingemuerunt ? Nunquid vane desideraverunt ? Non utique, nam exsurgente Domino qui videbatur dormire, gentiles impii cum idolis suis disperditi sunt, et multitudines credentium ex plantatione martyrum, mundum impleverunt. Bene ergo hic psalmus hunc habet titulum : « In finem filiis Core, ad intellectum. » Et est sensus : Hæc verba proponuntur filiis Core, tendentibus « in finem, » id est imitatoribus crucifixi, tendentibus in consummatum bonum. Proponuntur, inquam, « ad intellectum, » ad hoc ut intelligant quid significet quod Deus cum patribus antiquis tam benigne egit ; istos autem econtrario permittit tribulari, et esse in omnibus miseriis.

Psalmo quadragesimo quarto Deus Pater suavissime intonat : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. » Hæc jam septima fidei nostræ recapitulatio est, cæteris altior. Nam idem est quod evangelista Joannes contra perfidiam hæreticorum, qui Christum ex Maria sumpsisse initium dixerunt, reclamans : « In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). » Ac deinceps : « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus (*ibid.*). » Idem, inquam, Pater loquitur : « Eructavit, inquiens, cor meum verbum bonum, » id est protulit secreta essentia mea verbum bonum, ego ex meipso essentialiter genui Filium, Deus Deum, bonus bonum ; bonum, inquam, sicut ego bonus sum, quia « nemo bonus, nisi unus Deus (*Marc.* X). » De incarnatione hujus verbi, de qua et evangelista : « Et Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis, » subinde magno affectu spiritus propheticus dicit : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, » etc. Habet autem in titulo hic psalmus : « In finem pro his qui commutabuntur filiis Core, » id est fidelibus crucifixi, « ad intellectum canticum pro dilecto. » Et est sensus : Hoc canticum arcanum et mysticum proponitur filiis Core, id est fidelibus crucifixi, quos genuit in passione, ad hoc ut intelligere satagant illa arcana et secreta, quæ continentur in hoc cantico : Agit etiam « pro dilecto, » id est de Domino Jesu Christo singulariter dilecto. Unde dicitur : « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III). » Ideo vocatur iste tractatus Canticum, quia de nulla re magis est jucundandum. Est enim epithalamium, id est carmen nuptiale, quod proponitur in nuptiis ad delectandum, quo Pater loquens in Propheta, Filium suum commendat, secundum humanam et divinam naturam, sponsam quoque quam ei copulandam præviderat. « Astitit regina, inquit, a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. » Ad ipsam autem :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam. »

Psalmo sequenti, id est quadragesimo quinto, hi per quos prædicata, vel quibus primis prædicata est illa quæ præcedenti psalmo continetur fides, semetipsos ponunt in exemplum aliis, ne in tribulationibus deficiant, qui, licet vera et utilia prædicassent, multis tamen contumeliis ignominiose subditi fuerunt. «Deus, inquit, noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. » Inscribitur autem sic : « In finem filiis Core pro arcanis, » videlicet judiciis, de quibus ait : « Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. » Arcano quippe judicio factum est ut ad prædicationem Evangelii turbarentur Judæi, et transferrentur apostoli de terra illa quondam stabili, in cor maris, id est in medium gentium. Unde et admirans Apostolus dicit : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* xi), » etc. Et illi quidem montes, id est apostoli primum conturbati et afflicti sunt turbatis aquis populorum, sed « fluminis impetus, inquit, lætificat civitatem Dei. »—« Fluminis, inquam, impetus, » id est abundans gratia sancti Spiritus, ipsos apostolos « lætificat. »

Psalmus XLVI recte et pulchro ordine universas continuo gentes alloquitur : « Omnes gentes, plaudite manibus. » Subauditur, ad quas turbata terra translati sumus, ad quas, repellentibus nos Judæis conversi sumus. « Plaudite, inquit, manibus. » Cum lætitia bene operamini. « Jubilate Deo in voce exsultationis. » Quare ? « Quoniam Dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit. » Sicut enim Esau, qui prior natu erat, a Deo reprobatus est, sic Israeliticus populus qui prius quadam familiaritate, Deo acceptabilis erat, nunc rejectus est, et benedictionem recepistis, vos gentes.

Psalmus quadragesimus septimus pulchre nihilominus præcedentibus succedit, dicendo sic : « Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. » Intendunt namque apostoli hoc psalmo laudare Dominum nostrum et civitatem ejus fundatam utroque pariete, Judæorum scilicet ac gentium. Nam hoc est quod dicit : « Montes Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. » « Montes Sion » pro quadam dignitate dicuntur Judæi ; « latera vero Aquilonis, » gentes collateraneæ aquilonis, id est diaboli, qui a fervore dilectionis frigidus mansit. Titulus ejus talis est : « Psalmus cantici filiorum Core, secunda Sabbati, » id est jucunditas apostolorum a tempore Dominicæ resurrectionis usque in finem sæculi. Diciturque secunda Sabbati, » juxta computum Hebræorum, qui omnes dies computant a Sabbato.

Psalmo quadragesimo octavo, itidem « filiis Core, » dicit David, dicunt apostoli, qui sunt ut David manufortes, Christi fidelibus : « Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis orbem, » etc. Intendunt autem in hoc tractatu omnibus in fide existentibus, cujuslibet conditionis sint, parabolice ostendere quibus et propter quid in die judicii timendum sit, ut his cognitis, et sic per Dei adjutorium devitatis, tunc temporis valeant esse securi.

Amplius autem psalmo sequenti, id est quadragesimo nono, timorem ejusdem futuri judicii, Asaph annuntiare intendit : « Deus deorum, inquit, Dominus locutus est. » Locutus est, « et vocavit terram. » Scilicet ad fidem suam primo adventu veniens occultus, nam secundo idem « Deus manifeste veniet, « Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. » Tunc dicet peccatori : « Hæc fecisti, et tacui. Existimasti iniquo quod ero tui similis, » etc. Cursibus istis atque recursibus pulchrius nihil est, quibus propheticus spiritus, a primo usque ad finem, id est usque ad secundum adventum currit et recurrit septies, prudenter auditoris animum per multa fidei documenta, quasi per amplissima terrarum spatia ducens ac reducens atque utiliter exercens. Vias ejus quisquis bene cognoverit, falli vel abduci a fide non poterit. Judæus fidei Christianæ adversarius, si se obvium immiserit, cito capiendus est, cito corruet, ut hoc quoque modo illa in eum maledictio compleatur, qua dictum est : « Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos. Per unam viam egredieris contra eos, et per septem fugias (*Deut.* XXVIII). »

Quinquagesimus tandem psalmus, qui peccatorum
447 remissionem poscit, rectissime ponitur quasi jubilæus fidei. Hoc namque psalmo illud poscimus propter quod credimus, propter quod in Christo credentes baptizamur. « Miserere, inquit, mei Deus. » Ac deinceps : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. » In iniquitatibus, inquit, subauditur primorum parentum. Et quod dicit de se, de aliis intelligendum est. In Adam enim omnes peccavimus (*Rom.* v). Nam «mors in omnes pertransiit,» inquit Apostolus (*ibid.*). Titulus psalmi talis est : « In finem psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee. » Nota historia est quod David Bethsabee uxorem Uriæ tulit, et ipsum interfecit gladio filiorum Ammon. Pro hoc peccato orat, simulque orando, de universali peccatorum remissione prophetat. « Asperges me, inquiens, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Hyssopo namque, quæ herba est humilis, et deponit tumorem pulmonis. « Asperges me, » ait, id est, mundabis me, in fide humilitatis passionis Christi. Media psalmorum, id est quinquaginta psalmi, ad illum maxime hominis statum medium respiciunt, de quo Apostolus, sub persona infirmorum, et adhuc dubio certamine pugnantium : « Condelector, ait, legi Dei, secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ (*Rom.* VII). » Renati namque et per fidem Christi præteritorum remissione peccatorum accepta, nondum securi sumus ; quippe qui cum hoste pugnam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

certamenque ingreditur. Plane illic spe pariter et metu opus est.

Igitur in hoc psalmorum medio ad spem, quæ ad fidem necessaria est, nos vocari competenter advertimus, atque ideirco repetitiones non a primo, ut hactenus, sed a secundo Christi fieri adventu. Primum, psalmus quinquagesimus primus contra Antichristum invehitur, et dicit : « Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? » Ac deinceps : « Propterea Deus destruet te in finem, » etc. Illo destructo videbunt justi et dicent singuli : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti, et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est, in conspectu sanctorum tuorum. » Hæc loquitur David in persona justi, contra Doech Idumæum qui ministerium egerat Antichristi. Sic enim habet in titulo : « In finem intellectus David, cum venisset Doech Idumæus et annuntiavit Saul, dicens : Venit David, in domum Achimelech (*I Reg.* XXII). » Et est sensus : Intellectus Prophetæ est in hoc psalmo loqui de adventu Antichristi qui multorum corda commovens, persequetur et occidet fideles Christi. Sed ideo ad historiam nos mittere voluit, ut quod historice scriptum est, ostenderet spiritualiter debere intelligi.

Psalmi quinquagesimi secundi, titulus hic est : « In finem pro Amalech, intellectus David. » Nota autem historia est, quod David fugiens Saulem venit ad Achis regem Geth, et sub eo militavit, uxoribus ac filiis collocatis in parva civitate Sicelech. Veneruntque Amalecitæ, et incenderunt civitatem, abstuleruntque uxores et filios David. Quo audito David persecutus est latrunculos illos, et liberavit captivos (*I Reg.* XXVII, XXX). Sicelech, interpretatur *conversio*, et significat Ecclesiam, in uxoribus sanctas animas, per filios, bona opera, per David intelligimus Christum. Sciendum vero David habuisse eumdem intellectum in hoc psalmo, quem habuit cum prius ipsum composuit; sed ideo repetit, quia quod historice ab Amalecitis sibi contigit, spiritualiter in Christo et in Ecclesia futurum intellexit. Nam ipse Amalec insipiens, Judæus sive hæreticus, est quicunque blasphemando Christum, dicit in corde suo : « Non est Deus (*Psal.* XIII). » Contra hunc sapientis cujusdem animam confortat spes, ut dicat : « Cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. » Sicut in jam dicto David facto præfiguratum est.

Psalmi quinquagesimi tertii titulus : « In finem in carminibus intellectus David cum venissent Ziphei, et dixissent Saul : Nonne David absconditus est apud nos? (*I Reg.* XXIII). » Hæc quoque historia nota est. Et notandum quod illic scriptum est : « Quod cum audisset Saul, persecutus est David. Porro desperabat se posse evadere a facie Saul (*ibid.*), » attamen contra spem suam evasit, « et ascendens inde habitavit in locis tutissimis (*I Reg.* XXIV). » Titulo tali præmisso dicit : « Deus, in nomine tuo salvum me fac, » etc. Hoc igitur exemplo, quisquis videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, non desperet se posse evadere de manu Saul, id est mortis sive diaboli, de manu Zipheorum, id est florentium, subauditur vitiorum, sed oret invocans nomen Domini, donec habitet in locis tutissimis gratiæ Dei, liberatus de corpore mortis.

Psalmus quinquagesimus quartus, oratio est capitis nostri agentis de præsenti Judæorum repulsa, et damnatione æterna, et de assumptione gentium, et de securitate fidelium in æternum. Inscribitur autem sic : « In finem in carminibus intellectus ipsi David. » Et est sensus : Intellectus hujus psalmi, attribuendus vero David Christo, perseveranti « in finem » vel consummationem obedientiæ suæ. Et hoc « in carminibus, » id est in jucunditate. Accipiat itaque quisque fidelis documenta spei ab exemplo hujus dicentis. Et dixit : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ! Et exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate. » Ac deinceps : « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo. » Itemque : « Viri sanguinum, et dolosi, non dimidiabunt dies suos; ego autem sperabo in te, Domine. »

Itidem sequenti psalmo, id est quinquagesimo quinto, dicat exemplo ejusdem capitis sui : « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo. » Ac deinceps : « Ab altitudine diei, » id est a potentia, quæ desuper datur impugnantibus me, « timebo, ego vero in te sperabo. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro. » Item : « In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo. » Psalmi ejusdem titulus hic est : « In finem pro populo qui a sanctis longe factus est, in tituli inscriptione, ipsi David, cum tenuerunt Allophyli eum in Geth (*I Reg.* XXI). » Pro populo namque qui a sanctis longe, id est valde dissimilis factus est, agit in hoc psalmo Christus, « in tituli inscriptione, » videlicet quando dixerunt : « Noli scribere : Rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*Joan.* XIX). » — « Cum tenuerunt eum in Geth, » id est, in pressura tribulationum, facti quidem prius Allophyli, quod interpretatur *alienigenæ*, sed postea credentes salvi facti sunt.

Psalmi quinquagesimi sexti titulo Spiritus sanctus dicit : « In finem, ne corrumpas, ipsi David, in tituli inscriptione cum fugeret a facie Saul, in spelunca (*I Reg.* XXII). » Inscriptio tituli nostri David, qualis sit, dictum jam est, et omnes noverunt : « Jesus Nazarenus rex Judæorum. « O tu ergo quicunque fugis a facie Saul, a facie diaboli, vel mortis, aut cujusque vitii, verbi gratia, juxta Apostolum dicentem : « Fugite fornicationem (*I Cor.* VI), » nec corrumpas hunc titulum, imo ne corrumpas teipsum destruendo in te quod dicitur rex Judæorum. Quid enim est, rex Judæorum, nisi rex confessorum? **448** Confitere igitur peccata tua, ut sis regis hujus regnum, et dic secundum ejus exemplum, speravi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in Jesum Nazarenum, id est Salvatorem sanctum regem tuum. « Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. » Quod est dicere, juxta Apostolum : Tandiu pugnabo contra legem quæ est in membris meis, donec veniat, quæ me liberet de corpore mortis hujus, gratia Dei ; quæ cum venerit, dices : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum. » Subauditur, quomodo eripuit caput meum, regem meum, de medio filiorum hominum, quorum dentes arma et sagittæ fuerunt.

Item psalmi LVII titulus : « In finem, ne disperdas David in tituli inscriptione. » Sicut supra dictum est, ne disperdas in te titulum regis Judæorum. Sed quid? « Si vere utique justitiam loquimini, alt, recta judicate, filii hominum. » Non dicatis, justi sumus. « Etenim in corde iniquitates operamini, in terra injustitias manus vestræ concinnant. » Nisi dicatis, peccatores sumus, et justificari non possumus, nisi per unum hominem Jesum Christum, disperdidistis hunc titulum, nec attinet ad vos quod dicitur rex Judæorum. Item, si dicatis : Peccatores quidem sumus, sed fata hoc fecerunt, stellæ hoc fecerunt, nequaquam justitiam loquimini, nequaquam recta judicatis, filii hominum. Ejusmodi « peccatores abalienati sunt a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. » Videlicet dum Deum accusant, seque defendunt. Idcirco « Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum. »

Nihilominus juxta eumdem sensum titulus psalmi LVIII : « In finem ne corrumpas ipsi David in tituli inscriptione, quando misit Saul ad custodiendam domum ejus, ut interficerent eum (*I Reg.* XI). » Itaque quotiescunque miserit Saul, quotiescunque miserit diabolus, et obsederit tot satellitibus quot vitiis corporis vel carnis tuæ domum, ut interficiat te, qui immisit Judæos ut interficerent Christum, ne desperando corrumpas titulum sæpe dictum, sed dic secundum ipsius exemplum : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me, quia ecce ceperunt animam meam, et irruerunt in me fortes, » etc. Quid enim caput ipsum, resuscitando, eripuit ab illis qui irruerunt in eum fortibus, imo phreneticis, qui insaniendo fortes sibi videbantur, cum essent infirmi, et percutiebant medicum, ipse et te eripiet a fortitudine vitiorum impugnantium, sive malignorum spirituum, ita ut dicas juxta hunc Psalmum : « Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam, » etc.

Psalmo quinquagesimo nono redit iterum ad spei summum : « Deus, repulisti nos et destruxisti nos, iratus es, et miseratus es nobis. » Hoc enim dicimus secundum prospicientes adventum Christi, qui sumus in immortalitatem atque impassibilitatem commutandi, juxta hunc modum tituli : « In finem pro his qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi David. » — « Pro his, inquit, qui commutandi sunt in finem, » id est in immortalitatem atque impassibilitatem, propter susceptam inscriptionem tituli sæpe dicti, quæ inscriptio facta fuit ipsi David. Sequitur adhuc : « In doctrinam cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia (*II Reg.* VIII, X ; *I Par.* XVIII). » Propter hoc, ait, commutabuntur, quia susceperunt doctrinam ejus, quia bene vivendo, et bene loquendo effecti sunt imitatores ejus. Et hoc non a se, sed a Deo, qui succendit eos igne Spiritus sancti, faciendo eos Mesopotamiam Syriæ, id est vocando et elevando in sublime. Mesopotamia quippe elevata vocatio, Syria *sublimitas* interpretatur. Hoc fecit eis cum prius fuerint Syria Sobal, id est sublimitas vanæ vetustatis. « Et convertit, inquit, Joab. » Joab interpretatur *inimicus*, quod videlicet nos omnes fuimus, sed conversi sumus in amicos, quia per Christum reconciliati sumus. « Et percussit, ait, Edom in valle Salinarum duodecim millia. » Edom quoque terreni et sanguinolenti nos fuimus, sed percussit nos in valle Salinarum, mortificando nos vitiis, per ancipitem verbi sui gladium, in humilitate et condimento virtutum. Sumusque quasi numero duodecim millia, qui numerus per partes septenarii completur, id est tria et quatuor ; ter enim quatuor, aut quater tria duodecim fiunt. Dona quippe habentes septiformis Spiritus sancti per quatuor mundi partes, fidem sanctæ Trinitatis confitemur et prædicamus. Et primo quidem adventu credentes succendit igne pœnitentiali. Secundo autem cum venerit, succendet incredulos igne pœnali. Pro meliori parte dicimus in hoc psalmo : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, » etc.

Percepta significatione hac, psalmo sequenti, id est, sexagesimo, dicit universa Ecclesia timentium Deum : « Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi : dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es spes mea, » etc. Manifeste hæc oratio spem suggerit jam supradicto pugnatori, cujus anxiatur cor dum pugnat, dum videt « aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captivum se ducentem in lege peccati (*Rom.* VII). » — « Deduxisti me, inquit, quia factus es spes mea, turris fortitudinis, a facie inimici, » videlicet quod peccata devitare, et virtutes possim consequi. Quid si nunc anxiatur cor meum ? Quid miror in fervore tentationis, quæ ad tempus accedit ? Quandoque « inhabitabo in tabernaculo tuo, in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum. » etc. Inscribitur autem psalmus iste sic : « In finem, in hymnis psalmus David. » Bene « in finem. » Exspectat enim in hac pugna, gratiæ Dei liberationem. Et hoc in hymnis, dum videlicet quod pugnat, quod vincere contendit, non suis viribus, sed Dei laudibus ascribit.

Amplius autem psalmo sequenti, id est, LXI, idem, certator legitimus, sancta spe semetipsum corrobo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rat: « Nonne, inquit, Deo subjecta erit anima mea? » O tu, lex peccati, lex mortis legi mentis meæ, legi vitæ meæ repugnans, quid me devocare contendis a spe vel exspectatione auxilii Dei? Nempe in vanum. « Ab ipso enim salutare meum. » Ac deinceps: « In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis congregatio populi, » etc. Habet autem titulum hunc: « In finem pro Idithum psalmus David. » Idithum, id est *transiliens*. Transilit enim eos, qui loquitur, dicendo: « Quousque irruitis. »

Psalmo sexagesimo secundo, caput ipsum introducitur orans, ut ostendat quid plurimum prodesse possit illi qui, ut prædictum est, adhuc in lucta et in periculo est, pugnando cum vitiis. « Deus, Deus meus, inquit, ad te de luce vigilo. » Multum quippe corporales quoque vigiliæ contra vitia prosunt, et meditatio sancta, de qua dicit postmodum: « Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Et in velamento alarum tuarum exsultabo, » etc. Hæc ipsum caput loquitur, sicut innuit ipse titulus: « Psalmus David cum esset in deserto 449 Idumææ (*I Reg.* xxv). » Cujus videlicet tituli sensus hic est: Hæc verba sunt attribuenda vero David Christo, secundum eum statum quo ipse conversatus est Judaico populo, qui erat desertum, præcepta Dei propter traditiones suas deserendo, et Idumæa, id est terrena vel sanguinolenta, terram amando, sanguinem sitiendo.

Item psalmo sexagesimo tertio, ad instructionem eorumdem introducitur orans, et dicit: « Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. » Si enim ipse qui præscius erat futuri, orare voluit, quanto magis illi qui incerti sunt, dare debent operam orationi, ut eripiantur a timore invisibilis inimici, seu visibilis, ne cedant in persecutione inimici, nec cadant vel desperent in tentatione diaboli. Idcirco tali hanc orationem conclusit fide: « Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. »

Psalmo sexagesimo quarto, tertia jam recapitulatione reditur ad summum spei, id est ad finem sæculi quando sumus in patriam cœlestem resumptis corporibus profecturi. Inscribitur autem sic: « In finem psalmus David, canticum Jeremiæ et Aggæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci. » Et est sensus: Hic psalmus est David prophetæ, consideranti « in finem, » id est ultimam ætatem. « Psalmus, » dico ejus canticum, id est jucunditas et lætitia Jeremiæ et Aggæi, » et omnium fidelium. Jeremias interpretatur *excelsus Domini*, Aggæus *solemnis* vel *sublimis*. Hi utrique prædixerant futuram peregrinationem populi Judaici, et reversionem in patriam, in qua etiam reversione Aggæus interfuit. Utrique vero intellexerunt peregrinationem fidelium, quæ fit in hac vita, et reditum, qui tandem erit, per illam designari. Per hos autem duos designantur omnes fideles, per Jeremiam autem mediocres; per Aggæum, qui in reditu affuit, perfecti, qui non solum se peregrinari agnoscunt, sed etiam, juxta Apostolum, conversatio eorum jam est in cœlis (*Phil.* III). In hac spe adhuc peregrinantes dicunt hic: « Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Hierusalem, » subauditur cœlesti. Et ne quis eorum illic desit, orant in metu et spe: « Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe, » etc.

Psalmus sexagesimus quintus idem intendit, unde et inscribitur sic: « In finem canticum psalmi resurrectionis. » Et hoc quidem universalis spei canticum est, ut omnes jubilemus, quia resurrecturi sumus, propter quod et universaliter dicit hic psalmus: « Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus, » etc. Verumtamen et sæpe dicto pugnatori decantat quo ordine sperare debeat, quo tenore debellatrix inimicorum suorum speranda sibi gratia proponatur. « Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus, » etc. Ac si dicat: Si ego qui pugnare debeo contra legem, quæ est in membris meis, iniquitatem eorumdem membrorum meorum dilexi, et libenter aspexi tacitus, non exaudiet Dominus, ut gratia sua liberet me de corpore mortis hujus. Nam « aspexi » dixit, pro eo ut diceret dilexi, ideo videlicet quia ad id quod diligimus, frequentius oculos retorquemus. « Propterea exaudivit Deus. » Quia locutum est ut prædixi, « os meum in tribulatione, » etc. Confessus sum in infelicitate mea, scilicet in carnis meæ repugnantia, et dixi: « Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis, » etc. Per arietes omnem repugnantiam carnis, per boves extollentiam, per hircos omnem malorum operum fœditatem vult intelligi, quæ omnia se offerre dicit, dum confitendo et pœnitendo punit. Hoc sine dubio pertinet ad canticum resurrectionis, quia sic agendo prima resurrectione, quæ est animæ, resurgit.

Psalmus sexagesimus sextus, nihil quidem de labore certaminis, vel de spe victoriæ, in littera sonare videtur, sed tamen omnino commodum atque fructuosum est, volente et consentiente totius psalmi sensu eo tendamus, sicque dicamus: « Deus misereatur nostri, » scilicet secundum depressionem motuum carnalium, id est vitiorum. « Benedicat nobis, » secundum profectum motuum spiritualium, id est virtutum. « Illuminet vultum suum super nos, » id est det nobis cognitionem Filii sui, qui idcirco vultus ejus dicitur, quia cognoscitur ex ipso, quemadmodum aliquis ex vultu suo. Hanc misericordiam vel miserationem optantes omnibus qui invocant nomen ejus, deinde subjungimus: « Confiteantur tibi populi, Deus, » etc.

Psalmo sexagesimo septimo, multa sæpe dictus præliator invenit quibus pugnet, quibus hostem feriat, flagellet, elidat, incendat. « Exsurgat, inquit, Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus, » etc. Hæc namque fideliter dicta, velox comitatur effectus, et velut [illegible] surgente

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deo fugiunt qui oderunt eum, maligni spiritus cum suis suggestionibus, ut fumus deficientes, ut cera a facie ignis fluentes. Et ne forte desperet Dei miles, si quid incautius agendo perpessus est, si aliquo peccato vulneratus est, audit sibi postmodum dicentem Spiritum sanctum : « Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris. » Hoc nempe sic in universis factum est gentibus, ut non sit cur desperet unus vinctus, unus quamvis in sepulcro habitans, quamvis Lazaro fetenti et quatriduano merito comparandus.

Psalmus sexagesimus octavus, amplius ad idem negotium operatur, quo et ipsum caput nostrum inducitur, sic orans pro suis tribulationibus exterioribus, quomodo quemque suorum orare vult pro tentationibus suis interioribus. « Salvum me fac, inquit, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » Hæc namque et cætera orando, suis inter vitia periclitantibus, exemplum orandi se dare innuit cum dicit : « Videant pauperes et lætentur, quærite Deum, et vivet anima vestra, quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit. » Unde bene hunc habet titulum psalmus hic : « In finem pro his qui commutabuntur; psalmus David. » Et est sensus : Hic psalmus agit pro his qui commutandi sunt in conformitatem Christi, ita ut sint euntes in finem, id est in omnimodam perfectionem

Item et sequens psalmus LXIX, in persona ejusdem capitis decantatur ad instructionem cujusque fidelis, ut et ipse oret et laboret in spe, quoties ab inimicis quærentibus animam suam diversis tentationibus fatigatur. « Deus, inquit, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina, » etc. Titulus ejus talis est : « In finem psalmus David in rememoratione, eo quod salvum eum fecit Dominus, » id est hic psalmus attribuitur « David, » id est Christo, « in rememoratione, » id est in consideratione habita de ea re quod eum salvum fecit Dominus.

Psalmi LXX voces manifeste pugnatoris sæpe dicti voces sunt, in certamine positi, spem retinentis, spem profitentis. « In te, Domine, inquit, speravi, non confundar in æternum. » Ac deinceps : « Quoniam tu es patientia mea, Domine, **450** Domine, spes mea, a juventute mea. » Item : « Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam. » Nempe in eo quod dicit : « Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui. » Promptum est diabolum intelligi, cujus instinctu illa discordia fit ut adversus legem mentis expugnet lex peccati, quæ est lex carnis. Sane orationis hujusce præcentor ac prædoctor est ipse Christus, legitime certantium caput et dux, orans hic ut eriperetur de manu contra legem agentis Judaici populi, et iniqui Romani imperii eadem justitia vel divinitate qua potens est et eos qui tentantur eripere. Denique titulus ejus talis est : « Psalmus David filiorum Jonadab et priorum captivorum. » Et est sensus : Hic psalmus est Christi, quia ipse et in hoc psalmo loquitur, et de seipso loquitur. Est etiam « filiorum Jonadab, » quia de ipsis Dominus hic loquitur, qui filii prius captivi fuerunt. Unde et dicitur « priorum captivorum. » Bene autem Jonadab et secundum negotium, et secundum nominis interpretationem hic ponitur. Secundum negotium ita : Quia sicut Jonadab sacerdos filiis suis a vino abstinere et in tabernaculis habitare præcipit, ita Dominus noster fideles suos a temporali jucunditate prohibet, et in hac vita peregrinos et advenas se reputare, atque futuram inquirere admonet (*Hebr.* XIII). Secundum vero nominis interpretationem sic, Jonadab *Domini spontaneus* interpretatur. Quæ interpretatio apte Domino nostro congruit; quippe qui præ omnibus specialiter et singulariter Deo Patri usque ad mortem obedivit. Ipse in hoc psalmo orat, ut videlicet, sicut jam dictum est, exemplo suo filios suos orare doceat.

Psalmo LXXI quarta jam recapitulatione ad summum spei nostræ revocamur dum dicitur : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, » etc. Quod dicit « da, » jam primo adventu factum est. « Pater quippe non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio (*Joan.* V). » Ipsum autem judicium secundo adventu futurum est, quando rex iste, juxta veritatem evangelicam, « sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* XXV). » Illic in eo metus est, quia judicabit in justitia; in eo vero spes, quia parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet. Habet autem hic psalmus hunc titulum : « Psalmus David in Salomonem. » David, inquam, prophetæ respicientis in Christum, qui est verus Salomon, verus pacificus. Ipse enim pacem posuit inter Deum et homines; inter angelicam et humanam creaturam, inter Judæos et gentiles, de qua psalmus hic : « Orietur, inquit, in diebus ejus justitia et abundantia pacis. » Antequam fiat illud, id est quod jam dictum est, regi huic judicium, interim sæpe dictus certator nonnunquam deficit, et a sua spe paululum decidit, videns multos peccatores quamdam pacem habere in malis, justos autem adversitatibus fatigari. Sed postmodum pœnitet illum hujus erroris sui.

Hic talis correctus sequenti, id est septuagesimo secundo, psalmo loquitur : « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. » Ac deinceps : « Si dicebam : Narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. »—« Si, inquit, dicebam, » vel narrabam sic, imo si dixero sic : « Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso, » etc., « ecce nationem filiorum tuorum reprobavi, » id est tunc ero contra-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rius omnium sanctorum auctoritati. Nam hi qui hæc et hujusmodi dicunt, in præmisso titulo denotantur. « Defecerunt, inquit, laudes David filii Jesse. » « Filii, inquit, Jesse, » id est eorum in quibus regnavit David filius Jesse, et quicunque illos imitantur; imo terrenorum sive carnalium amore, laudes defecerunt, dum sic dicunt, dum nisi rerum temporalium affluentiam habeant, Deum laudare desinunt. Quid igitur? « Mihi autem, ait, adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. » Vera namque laus a spiritualibus viris amore cœlestium, et contemptu terrestrium fieri incipit.

Psalmi septuagesimi tertii titulus : « Intellectus Asaph. » Asaph namque, id est omnes intellectum habentes, in hoc psalmo quæstiones proponunt dicendo : « Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ, » etc. Licet autem ejusmodi quæstiones proponant, non tamen id dubitando, sed aliorum saluti et instructioni providendo faciunt, ut prius positis quæstionibus attenti, et deinde solutionibus edocti, exemplo eorum justo Dei judicio applaudant, de tribulatione fidelium non contristentur, sed gaudeant spe, scientes quia dura et aspera patiendo perventuri sunt ad gloriam.

Psalmus LXXIV, ad idem maxime proficit negotium, scilicet ad constituendum fortissimum spei solatium. « Confitebimur, inquit, tibi, Deus, confitebimur et invocabimus nomen tuum, » etc. Animi quippe bona spe confortati, est dicere iniquis : « Nolite inique agere, et delinquentibus : Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum vestrum cornu; nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, » subauditur, patet locus effugii; « quoniam Deus judex est, » quem effugere nemo potest. Sane capitis nostri Christi principaliter voces istæ sunt; nec enim alius præter ipsum dicere potest : « Cum accepero tempus, ego justitias judicabo, et ego confirmavi columnas ejus, et omnia cornua peccatorum confringam. » Unde bene habet in titulo : « In finem, ne corrumpas, psalmus Asaph cantici, » et est sensus : O Asaph, id est infidelis congregatio Judæorum, « ne corrumpas » aliquid in hoc psalmo, male illud exponendo, vel alieni præter Christum attribuendo. Verumtamen cum dicit pluraliter, « confitebimur, invocabimus, narrabimus, » cum suis membris caput communiter loqui se confitetur.

Finem omnium quem sperando metuimus et metuendo speramus, quinta jam recapitulatione psalmus LXXV intendit. « Notus, inquit, in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Et factus est in pace locus ejus. » Ac deinceps : « De cœlo auditum fecisti judicium; terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicio Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ, » etc. « Fecisti, » prophetice dicit pro eo ut diceret facies, sed præterito utitur pro futuro tempore. Sane in eo quod ait « de cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit et quievit, » ingentis metus causa est, idem enim est ac si diceret : Terra, id est impii terræ amatores trement et quiescent, quia male operari desinent; compescet enim illos Judex magnus, dicendo : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). » In eo vero quod ait, « ut salvos faceret omnes mansuetos terræ, » plurimum mansuetorum armatur spes. Idem enim est ac si diceret : Exsurgens in judicio, mansuetos, qui peccata sua non defendunt, sed eleemosynis ea redimunt, salvabit, dicendo : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. » Titulus psalmi hujus talis est : « In finem in laudibus psalmus Asaph, canticum ad Assyrios. » Assyrius *dirigens* interpretatur, et hoc loco Judæos significat qui se dirigunt, id est de genere Abraham, vel operibus legis inaniter extollunt, **451** putantes hoc satis esse quod carnalis Judæa et carnalis Israel sunt. Contra horum extollentiam psalmus dicit, quia in illa quæ vere Judæa est, notus est Deus, et in illo qui verus Israel est, magnum est nomen ejus. Judæa *confessionem peccatorum*. Israel, quod interpretatur *videns Deum*, sive *directus cum Deo*, certantem significat virum contra impetus vitiorum, de quali viro jam sæpe dictum est. Porro quod sequitur : « Et factus est in pace locus ejus, » illum designat statum, de quo Apostolus : « Infelix, inquit, ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII). » Nam revera ibi confregit Deus potentias, arcum, scutum, et gladium, et bellum.

Inter ejusdem judicii metum spemque salutis sæpe dictus certator positus, psalmo sequenti, id est LXXVI, dicit : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis. » Ac deinceps : « Et exercitatus sum, et defecit spiritus meus » in ipso exercitio. « Anticipaverunt vigilias oculi mei, » id est plus omnibus laboravi; et tunc defeci. Unde, « et turbatus sum, » videlicet dolendo pro ipso defectu. « Non sum locutus. » Non sum indignatus contra Deum, deficiente vel tardante laboris mei fructu. Et dixi : « Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? » Hæc, etc., dicendo, nimirum inter metum spemque laborat; et nunc quidem metu deficit, nunc autem defectum ipsum bona spe consolatus. Habet autem hic psalmus in titulo « Pro Idithum, » quod interpretatur *transiliens*, videlicet pro bona voluntate et recta intentione, quia omnibus postpositis, solum Deum appetit : « Renuit, inquiens, consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. »

Psalmus septuagesimus septimus eidem pugnatori magnifica Dei opera meditanda proponit : « Attendite, inquiens, populo meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei, » etc. Hoc utique utiliter agit, intendens ad corroborandam spem, quemadmodum dicit : « Filii qui nascentur et exsurgent, et narrabunt filiis suis. » Continuo subjungens, ait : « Ut ponant in Deo spem suam. » Multum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim valet ei qui in agone contendit assidua meditatio operum Dei. Attende autem hunc tractatum totum esse parabolicum, quemadmodum ipse Propheta testatur : « Aperiam, inquiens, in parabolis os meum. » Et quod in his verbis historice dictum est spiritualiter esse intelligendum. Verba namque psalmi totius, res sonantia præteritas, futura Christi mysteria significabant, Christum videlicet et ea quæ nunc in Ecclesia Christi sunt.

Psalmus LXXVIII gemituosa declamatione tribulationes refert sanctorum, ut ostendat eas fieri ad utilitatem fidelium, quatenus confirmentur ne desperent in quovis agone interiorum sive exteriorum tentationum. « Deus, inquit, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, » etc. Sane unicuique fideli sua vitia barbaræ gentes sunt, quæ polluerunt sanctum Dei templum, id est corpus nostrum, testante Apostolo cum dicit : « An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti ? » (*I Cor.* VI.) Resistentes igitur, ut sæpe dictum, adversus peccatum, recte ei secundum hunc psalmum dicunt : « Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. »

Nihilominus et sequenti id est LXXIX, idem certator dicit : « Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. » Ac deinceps : « Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui? Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura, » etc. Verumtamen principaliter atque universaliter in hoc psalmo Propheta, et cæteri fideles antiqui Christi adventum flagitant, quem prævidebant futurum, orantque Deum Patrem non pro se, sed pro illis quos suo tempore prævident immutandos in eum, secundum hunc ejusdem psalmi titulum : « In finem pro his qui immutabuntur testimonium Asaph, psalmus pro Assyriis. Pro his qui immutabuntur, » ait, id est pro Judæis et gentibus, qui cito apparente Domino Jesu in eum sunt commutandi, pro Assyriis vero, id est dirigentibus, scilicet perfidis Judæis seipsos dirigentibus, quia, ut Apostolus ait : « Justitiam suam statuere volentes, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X), » pro illis orat, ut tandem convertantur, dum dicit : « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, » etc. Usque in finem psalmi.

Psalmi LXXX titulus hic est : « In finem pro torcularibus, quinta Sabbati, psalmus Asaph. » Per torcularia præsens Ecclesia Dei designatur, in qua boni et mali commisti sunt, quemadmodum oleum et amurca, vel vinum et acinum in torcularibus, secundum negotium quod contigit quinta Sabbati, quando genus ortum ex aquis partim in sublime volavit, partim depressum sub fluctibus remansit. Sic enim in præsenti Ecclesia, qui ex aquis regenerantur partim in cœlum perferuntur, partim in imo relinquuntur. Dicitur autem pluraliter « pro torcularibus, » propter diversas Ecclesias ex Judæis et gentibus. Hoc psalmo magnifice tuba bellica legitimos certatores ad spem victoriæ suscitat dicendo : « Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. » Hæc post multa magnum subjicit exemplum fidei : « Testimonium, inquit, in Joseph posuit illud cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit. Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt. » Per Joseph qui primus servivit, juxta historiam, omnes filios Israel vult intelligi, juxta allegoriam vero omnes electos, quos Deus de ignorantiæ tenebris eduxit, quorum dorsa divertit ab oneribus peccati. Igitur quisquis adhuc in sæpe dicto agone contendit, speret quod quandoque dicatur et sibi : « In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, » id est in occulto tentationis. Soli quippe mihi notum erat quid patereris. « Probavi te apud aquas contradictionis, » id est in tua fluctuatione, ubi propter pravam consuetudinem contradicebat legi mentis alia lex quæ erat in membris tuis (*Rom.* VII).

Psalmo LXXXI Propheta de Christo dicit : « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. » Prævidens namque Judaicum populum Dominum Jesum hominem tantum reputaturum, et ideo in morte judicaturum : « Usquequo, inquit, judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis, » etc. Ad ipsum autem : « Surge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. » Ac si dicat : Ego illos admonui ut juste judicarent, teque eriperent, ipsi vero non sic facient, sed dabunt te in mortem. Surge igitur a mortuis, et his paucis abjectis, accipe omnes gentes in hæreditatem. Principaliter quidem psalmus hic visibiles inimicos Christi verberat Judæos, secundarie autem invisibiles militis Christi hostes, spiritus malignos. Et in isto capite nostro hujus, id est quintæ periochæ finis est. Notandum quippe quod cum priorum quinquaginta psalmorum singulæ periochæ a primo Christi adventu incipiant, et in secundo finem faciant, horum econverso quinquaginta psalmorum **452** singulæ a secundo incipiunt, et usque ad primum ejus adventum recurrunt.

Psalmus LXXXII contra Idumæos, Ismaelitas, Moabitas, Agarenos, Ammonitas, et Amalecitas, et contra omnes alienigenas, id est, contra omnes Ecclesiæ hostes, falsos Christianos, sive hæreticos aut infideles judicium futurum intendens, sic dicit : « Deus, quis similis erit tibi ? Ne taceas, neque compescaris Deus. » Subauditur, qui in primo adventu tuo tacuisti, tuamque fortitudinem compescuisti. Ac deinceps : « Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. » — « In tempestate tua, » inquit, id est in judicio, quo videlicet angelorum per officium, sic dividentur boni a malis, quasi tempestate grana a paleis. « Tunc erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, tunc confundantur et pereant, atque cognoscant » qui modo cognoscere nolunt. « Quia nomen tibi Domi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nus, tu solus Altissimus in omni terra. » Hic metus est.

Perro sequens, id est octogesimus tertius psalmus, gaudia spei cantat : « Quam dilecta, inquit, tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. » — « Exsultaverunt, » inquit, subauditur spe, nondum re. Ac deinceps : « Beatus vir, inquit, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. » Et in conclusionis fine : « Domine, inquit, virtutum, beatus homo qui sperat in te. » Igitur præcedens quidem psalmus pugnatorem sæpe dictum metu excitat, ne pigrescat ; hic autem eumdem, ne metu angustetur, lætissima spe dilatat. Habet autem in titulo, « Pro torcularibus, filiis Core, » id est, imitatoribus Crucifixi. « Pro torcularibus » de quibus jam ante dictum est ascribendus est psalmus iste.

Sequens, id est LXXXIV, in titulo habens, « in finem filiis Core, » sic dicit : « Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. » Et subinde : « Mitigasti omnem iram tuam, » Hoc nimirum jam factum est, quia terram quæ in Adam maledicta fuerat, Dominus Deus per incarnationem Filii sui benedixit, et in illo iram suam mitigavit. Mitigavit, loquam, et nondum totam avertit. Nondum enim omnino deleta est pœna peccati, remanente miseria mortalitatis et passibilitatis. Quod ergo de futuro restat, orant filii Core. « Converte, inquiunt, nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Nunquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam a generatione in generationem ? Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. » — « Vivificabis nos, » inquit, id est resuscitabis nos, etc.

Psalmo LXXXV in titulo præscriptum est : « Oratio ipsi David. » Idcirco « oratio, » quia pene totus oratio est, et si quid interpositum est, principaliter spectat ad orationem. Attribuitur autem « ipsi David, » id est Christo, revera manuforti. Orat enim in hoc psalmo Patrem circa passionem, non secundum id quod est ei consubstantialis et compotentialis, sed secundum fragilitatem humanæ conditionis, qua erat minor etiam angelis. Oret itaque cum capite suo quisquis legitime pugnat in sæpe dicto certamine. « Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. » Et cætera quæ sequuntur, manifeste verba sunt nondum victorum, sed adhuc pugnantis in spe.

Psalmo LXXXVI jucundantur filii Core, id est imitatores Christi crucifixi, se de profundo vitiorum cruce collocandos esse in gloriosa civitate. Cujus « Fundamenta, inquiunt, in montibus sanctis, » id est in apostolis et prophetis. De cujus gloriosa habitatione gaudentes in spe, protinus subjungunt : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Quæ sunt illa gloriosa ? « Memor ero Raab et Babylonis, » etc. Nempe hoc plurimum lætificat spem pugnantis, quem pro prava consuetudine confundit adhuc lex peccati, quæ est in membris, quod memorem se fore promisit Dominus Raab et Babylonis, id est eorum qui in multa detinebantur latitudine et vitiorum confusione. Nam Raab *latitudo*, Babylon interpretatur *confusio*.

Psalmo LXXXVII titulus hic præscribitur, « Canticum psalmi, filiis Core, in finem, Promelech ad respondendum. » Promelech interpretatur *concorditer*. Proponitur ergo psalmus hic filiis Core, id est sæpe dictis imitatoribus Crucifixi, ad respondendum concorditer, ut videlicet, sicut pro eis passus est, ita et ipsi pro eo pati, si opus fuerit, non subterfugiant et hoc faciant concorditer, id est, ea dilectione qua et ipse passus est. Additum est in titulo : « Intellectus Eman Israelitæ. » Eman interpretatur *frater*. Nempe hunc intellectum habet ipse Christi frater, ipse verus Israelita. Intendit autem in hoc psalmo caput nostrum orare in passione pro sui constantia et resurrectione. « Domine Deus, inquit, salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te, » etc. Nimirum ejus exemplo opus habet orare quisque filiorum Core, quoties in sæpe dicto periclitatur certamine, ita ut veraciter dicat, quoties lex quæ est in membris ejus, legem mentis superat : « Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, » etc.

Psalmo octogesimo octavo misericordias Domini decantat fidelis David, quas et in æternum cantaturum se confidit. « Misericordias, inquit, Domini in æternum cantabo. » Audierat quippe dicentem sibi Nathan prophetam in sermone Domini : « Annuntio ego tibi quod ædificaturus sit domum tibi Dominus. Cumque impleveris dies tuos, ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus usque in æternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (*II Reg.* VII), » etc. Magnum spei firmamentum ex ista misericordiarum cantatione ille sæpe dictus certator concipit, maxime ubi dicit : « Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint. Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum ; misericordiam autem meam non dispergam ab eo, » etc. Inscribitur autem psalmus hic : « Intellectus Ethan Israelitæ. » Ethan *fortis* interpretatur. Intelligit videlicet quilibet fortis Israelita in hoc psalmo commendari Christum adeo magnum et terribilem, ut ei nemo sanctorum possit æquari secundum potentiam, vel similis esse secundum deitatem, adjutorium quoque humani generis in reparatione a Deo Patre illi impositum, ipsum vero electum oleo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

que sancto, id est omnibus donis spiritualibus in regem et sacerdotem unctum in æternum.

Psalmus LXXXIX inscribitur sic : « Oratio Moysi hominis Dei. » Moysi, inquam, non cujuslibet de Judaico populo, sed illius, qui quodam privilegio homo Dei potest dici. Hic psalmus communem resonat spem humani generis. « Domine, inquit, refugium factus es nobis a generatione et generatione, » id est a primis justis usque ad novissimos. **453** Prævidens namque Propheta Judæos in perfidia semper et errore permansuros, intendit in hoc psalmo ostendere genus humanum per solum Christum esse redimendum. « Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (*I Cor.* XV.) » Concessa itaque pro merito mortalitate hominis per hæc verba : « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat, quia defecimus in ira tua et in furore tuo turbati sumus, » etc., communem resurrectionis spem continuo subjecit : « Convertere, inquit, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos. » Et quasi exauditus : « Repleti sumus, inquit, mane misericordia tua. » — « Mane, » id est resurrectionis die. « Sumus, » ait, pro ut diceret, erimus, quia videlicet fide certissima, quasi jam peracta resurrectio est, quam in Christo factam, in nobis futuram speramus.

XC psalmi titulus : « Laus cantici David. » Quid laudatur, quid hoc psalmo cantatur? « Qui habitat, inquit, in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Multum hoc psalmo spes Christiani militis roboratur, quam istis quinquaginta psalmis plurimum inculcari diximus. Continuo sequitur : « Dicet Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum. Deus meus, sperabo in eum. » Item : « Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. » Ac deinde : « Quoniam, inquit, tu es, Domine, spes mea. » Et postmodum de illo dicit Altissimus : « Quoniam in me speravit liberabo eum, » etc. Sane in primo versu psalmi hujus loquitur Propheta in persona sua, postea introducit fideles loquentes in persona ipsorum usque ad hunc versiculum : « Quoniam in me speravit, liberabo eum, » et ab illo loco usque ad finem psalmi, « ipsum Dominum, » etc.

Psalmi XCI titulus : « Psalmus cantici in die Sabbati. » Hoc titulo psalmus iste pugnatori in spe laboranti, circa quem res agitur et spes intimatur totis istis quinquaginta psalmis, magnam requiem promittit. Ejus requiei spe nunc dicit : « Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. » Hoc enim audiens vel cantans ipse, toties dictus ceritator confiteatur Domino vulnera sua, quæ pertulit a lege peccati, quam videret in membris suis, ac deinde psallat, id est, bene operetur ad gloriam nominis Altissimi, ut videntes homines glorificent Patrem qui in cœlis est. Tunc bona spe confortatus, dicet : « Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi. Quia despexit oculus meus inimicos meos, et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Justus ut palma florebit, » etc. « Cornu, inquit, meum exaltabitur sicut unicornis, » per auxilium gratiæ liberantis « me de corpore mortis hujus (*Rom.* VII). Cornu, inquam, quod nunc deprimitur, et pene confringitur a lege, quæ est in membris meis, repugnante legi mentis (*ibid.*), et senectus mea, id est illa perfecta sanctitas, in qua positus jam ab omni appetitu terrenorum frigescam ad modum senis, qui jam præ nimia ætate in seipso calere desiit, sabbatizabit in misericordia uberi. Et hoc idcirco, quia nunc adhuc in pugna positus, « Despexit oculus meus inimicos meos. » Despexit, inquam, spe victoriæ ratio mea, me impugnantes spiritus malignos audiente aure mea, scilicet intrinsecus sanctæ spei verba bona, verba consolatoria. « Justus, inquit, ut palma florebit : » coronabitur quippe qui legitime certaverit (*II Tim.* II).

Psalmo XCII, qui sextæ hujus perioches ultimus est, ad caput ipsum modo solito recurritur, ita dicendo : « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se, » etc. « Dominus regnavit, » Dominus, ejecto foras principe mundi (*Joan.* XII), regnum acquisivit, Dominus, ubi a terra exaltatus est, omnia traxit ad se (*ibid.*). « Dominus decorem indutus est. » Dominus magno decore sanctitatis de Virgine incarnatus est, Dominus eamdem carnem, spinis coronatam et in sepulcro depositam, rursus induit eam tanquam fortitudinem immortalem atque impassibilem, et præcinxit se apostolis suis armatis Spiritus sancti virtute. Sub isto rege sæpe dictus certator, insurgentibus vitiis, dum fluctuat inter legem carnis et legem mentis, dicat providus, dicat spe firmus : « Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. » Hoc apostoli dixerunt contra motus reclamantium nationum, hoc quisque dicat contra motus repugnantium vitiorum. Titulus psalmi hujus hic est : « Laus cantici David, in die ante sabbatum quando fundata est terra. » Ante sabbatum, inquit, id est in consideratione sextæ ætatis, quam sequitur sabbatum, id est, requies, quando fundata est terra, id est Ecclesia. Notandum quippe quia sicut in sexta feria homo creatus est, ita in sexta ætate et eadem feria reparatus est. Nam, sicut jam dictum est, incarnatus, et a terra exaltatus regnavit Dominus, et ex tunc parata est sedes ejus.

Psalmo XCIII, septima jam periocha canimus in consideratione futuri judicii : « Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis, » etc. Ex nimia rei certitudine proposuit Propheta, « libere egit, » de futuris loquens sicut de præteritis. Titulus Psalmi hujus : « Laus cantici David, quarta Sabbati. » Quarta dies Sabbati media est in hebdomada, tribus videlicet præcedentibus, totidemque diebus illam subsequentibus. Significat autem improvisum judicii

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tempus hoc medium hebdomadis, sicut et illud medium noctis in Evangelio : « Media, inquit, nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei (*Matth.* XXV), » vel sicut illum medium humanæ securitatis, de qua itidem dicit : « Et sicut factum est in diebus Noe, et sicut factum est in diebus Lot, ita erit in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant (*Luc.* XVII), » etc. In hoc psalmo sæpe dictus certator dicat : « Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? » Et considerans in quantis fuerit tentationum periculis, continuo subjungat : « Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. » Ac deinceps : « Et factus est Dominus mihi in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meæ. »

Idem psalmo sequenti, id est XCIV, dicit : « Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. » — « In confessione inquit, peccatorum, præoccupemus faciem ejus, » id est anticipemus manifestum adventum ipsius. Per faciem quippe aliquis aperte cognoscitur, ideo per faciem Domini ille secundus adventus ejus recte intelligitur. Prior namque multos latuit, ille autem manifestus omnibus erit. Notandum est Prophetam dixisse hæc verba in persona sua usque : « Hodie si vocem ejus audieritis. » Et ex eo usque ad finem psalmi in persona Spiritus sancti.

Itidem psalmus XCV judicium futurum intendit, qui sic incipit : « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra. » Novum, inquit, canticum cantate, id est præcepta novæ legis observate tam diligenter, ut Domino sit delectabile. Ter posuit « cantate, » ut videlicet studium cantandi inculcaret ipsa repetitione. Hæc, etc. quæ in hoc psalmo dixi, facite ad gloriam et honorem Domini. **454** Quare? Quia venit : « Quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. » Hunc habet titulum psalmus hic : « Quando domus ædificabatur post captivitatem, canticum David (*I Par.* XV). » Universaliter quidem nunc domus, id est Ecclesia ædificatur post captivitatem primi parentis; hortaturque Propheta majores et prælatos, ut prædicando minoribus accelerent ædificationem Domini. Singulariter autem, id est in singulis hominibus domus ædificatur, dum quis post captivitatem peccati, resistendo vitiis, ut domus vel templum sit, proficit in virtutibus. Sane hic in principio psalmi habet quod gaudeat, dum dicitur : « Cantate Domino ; » et in fine, quod timeat, dum dicitur : « Judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in veritate sua. »

Nihilominus in sequenti, id est, nonagesimo sexto, est unde lætetur in spe, dum dicitur : « Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ. » Est unde timeat in humilitate, dum continuo subjungit : « Nubes et caligo in circuitu ejus, justitia et judicium correctio sedis ejus. Ignis ante eum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos suos, » etc. Nempe quod Dominus regnavit, quod restitutus est mundus Domino ejus, secundum titulum qui sic inscribitur : « Psalmus David, quando terra ejus restituta est ei. » Judæis et cunctis inimicis ejus ad damnationem, justis autem valet ad salvationem.

Item sequens, id est nonagesimus septimus, in principio spe fidelem lætificat dum dicitur : « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit, » etc. In fine autem metu humiliat per hæc verba : « Montes exsultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. »

Sed et sequens, id est, XCVIII spem atque metum pariter inculcat : « Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super cherubim, moveatur terra. » Nam « Dominus regnavit, » id est Dominus diabolum vicit. Quod ait, « irascantur populi, et moveatur terra, » concessive debet intelligi, quasi diceret : Non est curandum, satis irascantur, satis moveantur Judæi, qui sunt terra, id est terrenis tantum diditi. Nam licet illis irascentibus et nolentibus eum regnare super se, « Dominus regnavit qui sedet super cherubim. » Metum, inquam, cum spe psalmus iste incutit, maxime ubi præmittens : « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus, » etc. Continuo subjungit : « Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum. » Nam idem est ac si diceret : Ita propitius fuisti eis, ut tamen omnes adinventiones eorum ulciscereris. Spem ergo juvat, quod propitius fuit eis, metum incutit, quod talium quoque et tam magnorum omnes offensiones impunitas non dimisit.

Psalmus XCIX « in confessione, » id est in confessionis consideratione, sic enim incipit : « Jubilate Deo, omnis terra. » Ac deinde sequitur : « Populus ejus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione. » Videlicet ut possitis jubilare, « portas ejus introite, » in primis ad eum « accedite in peccatorum confessione. » Et hic quoque psalmus spem simul atque metum prudentibus incutit auditoribus. « Quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus. » In hoc sperandum est. « Et usque in generationem et generationem veritas ejus. » Hic metuendum est, quia verax est. Quia in primo adventu in multitudine misericordiæ venit suavis, in secundo verax et justus apparebit.

Hoc est quod sequenti, id est centesimo psalmo, dicit : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. » Non prius judicium, et deinde misericordiam, sed prius misericordiam, et deinde judicium. Prius namque, qui hæc in Propheta dicit Christus misericordiam cantaturus erat suis, dicendo : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis (*Matth.* XI), » deinde judicium dicendo : « Discedite a me, maledicti (*Matth.* XXV). « Hoc est illud in quo concludit, sic dicens : « In matutino interficiebam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. » Matutinum namque judicium illud erit, transacta nocte hujus sæculi. Toto itaque hoc psalmorum medio bene in spem tendimus, secundum illum hominis statum medium quo adhuc « caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Gal.* IX), » et condelectatur quidem homo interior legi Dei, sed videt aliam legem in membris suis repugnantem (*Rom.* VII), etc. Quapropter ingemiscit et dicit : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (*Ibid.*) » Statimque hoc spei accipit responsum : « Gratia Dei per Jesum Christum (*ibid.*). » Illic namque, ut sæpe diximus, spes cum metu est. Scit autem, quia cum illa gratia venerit, spes sine metu erit, quia « perfecta charitas foras mittet timorem (*I Joan.* IV); » ibique anima casta pacifice suum contemplabitur amatorem. Secundum illum pacati hominis statum, tertium se habet sequentis textus extremorum quinquaginta psalmorum, ut pene totus a principio usque ad finem affectuosam spirans charitatem. Inde sunt illæ benedictiones, illæ confessiones, illæ laudationes, Alleluia in titulo habentes, quibus cunctis vocibus suum beata charitas depromere gestit affectum, quantum potest. Sed cum illuc felix homo pervenerit, nunquid jam plorare desinit? Imo multum plorat, gemit et suspirat, verumtamen non ut prius. Nam prius plorabat ne duceretur ad pœnam, nunc plorare incipit, quia differtur a regno. Igitur hæc psalmorum pars bene inter confessiones et laudes permistos habet fletus, imo et a fletu incipit, atque post laudes, ad fletum septem recurrit periochis.

Et continuo psalmo centesimo primo flens, sic dicit : « Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me,» etc. Quid enim hæc dicendo deflet, nisi quia a regno differtur, nisi quia in hac mortalitate tenetur. « Percussus sum, inquit, ut fenum. » Subauditur, ex vindicta peccati primorum parentum. Ac deinceps : « Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui. » Habet autem hic psalmus in titulo sic : « Oratio pauperis cum anxiaretur, et coram Domino effunderet precem suam. » Pauper iste principaliter quidem est Christus, secundarie autem populus humilis, vel quilibet Christi servus est. Idcirco titulus iste sic in diversa tempora, scilicet præteritum et futurum, dispertitur. « Oratio pauperis cum anxiaretur, » hoc præteritum est. Præteriit namque anxietas pauperis, præterlit anxietas mortis Christi, in qua dixit : « Percussus sum ut fenum, » etc. subjungens de resurrectione sua : « Vigilavi, id est resurrexi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto, » scilicet in cœlum ascendens. Porro cum effuderit coram Domino precem suam, futuri est temporis, ac si diceretur quotiescunque effuderit. Hoc enim fit, et futurum est usque in finem sæculi, scilicet ut exemplo illius tali oratione precem suam effundat quilibet pauper Dei.

« Statim sequenti psalmo, id est centesimo secundo, felix homo in benedictiones sic erumpit : « Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. » Multas deinde justæ benedictionis rationes concinens, tandem in conclusione benedictiones repetit. « Benedicite, inquit, **455** Domino, angeli ejus, » etc. Magnificentius benedicere, affectuosius charitas loqui non potuit. Et notandum unde benedictiones incœperit : « Qui propitiatur, inquiens, omnibus iniquitatibus tuis. » Ac deinceps : « Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. » Nempe summa dilectionis summa est causa benedictionis, quia propitiatus est iniquitatibus nostris. Imo et propitiatorem nobis Filium suum misit, qui et figmentum nostrum cognovit, dignatus homo fieri. Secundaria dilectionis atque benedictionis causa est, quia nos et omnia bene condidit. Secundaria, inquam, non prima est. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset

Psalmo igitur sequenti, id est, centesimo tertio : « Benedic, inquit, anima mea Domino. » Subjungens per apostrophen continuo : « Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. » Et quasi quæreretur : in quo ? « Confessionem, ait, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento, extendens cœlum sicut pellem, » etc. Quibus secundum litteram prima mundi creatio decantatur. Nam, sicut in prima hujus operis parte diximus, tunc Dominus Deus lumine sicut vestimento amictus est, et confessionem atque decorem induit, quando, divisa luce a tenebris (*Gen.* I), per aquas reprobi designantur, angeli luce amictus, vel ornatus est, id est, beatis angelis, quibus sese quasi vestimento per gratiam induit, eorumque confessione atque decora laude incessabiliter dignatus est ornari. Item ad caput redit extrema conclusione : « Deficiant, inquit, peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint : benedic, anima mea, Domino. »

Sequens, id est centesimus quartus, « Alleluia » in titulo habet. Et recte, nam totus in confessionibus, id est laudibus, est. « Confitemini, inquit, Domino, et invocate nomen ejus, » etc. Confessionis atque cantationis hujus maxima causa vel materia, repromissio beati seminis est, quod Abrahæ repromittens Deus : « In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII). » Nam cum dixisset : « Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia et judicia oris ejus, » statim intulit : « Semen Abraham servi ejus. » Semen, inquam, non tam per carnem quam per fidem, videlicet ejus seminis in quo nos omnes gentes benedicimur. Et subinde : « Memor fuit in sæculum testamenti sui. » Cujus enim testamenti, nisi ejusdem promissionis ? Nam cum ejus promissionis meminisset Apostolus dicendo ; « Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus (*Gal.* III); » continuo subsecutus : « Hoc autem, inquit, dico testa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mentum confirmatum a Deo (*ibid.*). » Igitur promissio hæc summa confessionis hujus materia est.

Sequens confessionis hujus, id est psalmi centesimi quinti, causæ sunt miranda beneficia Dei quibus populum illum eduxit de terra Ægypti, et in terram quam promisit patribus eorum introduxit.

Qui deinde sequitur psalmus centesimus sextus, causas habet multo majores, multo digniores, id est omnino spirituales. Idcirco alleluia geminatum in titulo habet : licet primum alleluia præcedentis esse psalmi recte existimetur, ut sit sensus : Quandoquidem patres nostri adeo peccaverunt, et Dominus illis tanta et tot beneficia misericorditer impendit, ergo laudate Dominum, ut in principio psalmi dixi. In hoc psalmo Propheta omnes exhortatur fideles sive de Judæis, sive de gentibus, laudare Dominum, primum, quia liberavit eos de periculo infidelitatis : « Confitemini, inquiens, Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant qui redempti sunt a Domino. » etc. Nam de omnibus dictum est, tam Judæis quam gentibus, quia portantes prævaricationis peccatum Adæ, « erraverunt in solitudine, in inaquosa, viam civitatis habitaculi non invenerunt. Et clamaverunt ad Dominum cum tribulatione angustarentur. » Clamaverunt, inquam, non tam voce vel aliqua intentione quam magnitudine miseriæ. « Et Dominus eripuit eos, » scilicet per cognitionem Filii sui, « ut irent in civitatem habitationis. » Ergo « confiteantur, ait, Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus. » Subauditur, exhibita filiis hominum. Deinde admonet laudare Dominum, quia liberavit eos a debilitate pravæ consuetudinis, a criminibus actualibus, post baptismum admissis. « Sedentes in tenebris, inquit, et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro, » etc. Nam servire peccato, hoc est vinctum esse ferro, sedere in tenebris, hoc est consuetudinem habere peccandi. Multos tales clamantes ad se, Dominus liberavit. « Et duxit eos de tenebris et in umbra mortis, et vincula eorum disrupit. » Tertia causa est, quia liberavit eos a tædio bonæ operationis, de qualibus dicit : « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. » Quod multis modis evenit, verbi gratia, dum orationis aut sacræ tædium paterentur lectionis. Et ejusmodi Dominus clamantes ad se liberavit, cum appropinquassent « ad portas mortis, » id est, usque ad criminalia, quæ sunt introitus mortis. Quomodo « liberavit eos ? »—« Misit verbum suum, » id est jussit, vel voluit tantum, et sanavit eos. Quarta confessionis et laudis causa est, quia liberavit eos ab angustiis suæ prælationis. « Qui descendunt, inquit, mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, » etc. « Qui in navibus descendunt, » id est qui Ecclesiarum gubernacula sortiti sunt ipsi, quod sæpe fit. « Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est. » Et istos clamantes ad se Dominus eduxit de necessitatibus eorum. « Statuit A enim procellam maris in auram, et siluerunt fluctus ejus. » Quod est dicere : Posuit sollicitudinem eorum in auram statoriam, augendo Spiritus sancti gratiam, ita ut intus vel foris non adeo curarum tumultibus affligerentur.

Psalmo CVII tandem caput ipsum confitetur, cantat et dicit : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo, et psallam in gloria mea. » Habet autem in titulo : « Canticum psalmi ipsi David. » Cui enim, nisi ipsi David, id est, Christo, attribuendæ sunt voces hujus psalmi ? Nam Pater illi dicit in sepulcro jacenti : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara. » Respondet ille continuo : « Exsurgam diluculo, » Et adjecit : « Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus, » B etc. Sic denique factum est. Cithara illa, id est corpus per quod resonuerat, per triginta et tres annos, illa Dei Patris musica, cithara, inquam, musici Dei, per montem quassa, in sepulcro jacebat. Sed mane resumpta est incolumis, « diluculo » surrexit, et ecce confitetur, id est confessores et laudum cantores facit Patri in omnibus populis.

Psalmo CVIII reditur ad orationem, ad fletum vel gemitum. « Deus, inquit, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est, » etc. Nota et celebris conquestio est in infelicissimum Judam, et populum Judaicum, qui ab illo Christum emit, triginta vindictis, vel concessivis maledictionibus deprompta, quarum prima est : « Constitue C super eum peccatorem. » Ultima : « Et induantur sicut diploide confusione sua. » Tandem caput ipsum cum corpore dicit : « Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum, » etc.

Statimque psalmo sequenti, id est CIX, quid universa Ecclesia confiteri debeat more suo sic edicit : « Dixit Dominus Domino meo : **456** sede a dextris meis, » etc. Et bene hic psalmus præcedenti psalmo subjungitur : ibi namque egit de statu nimiæ humiliationis, et dejectionis ipsius ; hic vero econtrario de gloriosa et ineffabili exsultatione ipsius.

Psalmo deinde CX vox confessionis, vox laudis. « Confitebor tibi, inquit, Domine, in toto corde D meo, in concilio justorum et congregatione, » etc. Et si quæras quam ob causam Domino confiteatur, vel cur « confessio et magnificentia opus ejus, » continuo sequitur : « Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se. » Videlicet quia præcedenti psalmo dixerat : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, » et illum ordinem suum tunc nobis instituit in sacramento corporis et sanguinis sui, dum « de torrente in via » biberet, atque mox per resurrectionem, exaltato capite, timentibus se sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas, recte hoc psalmo succinit, « escam dedit timentibus se, » sic conclusit : « Intellectus bonus omnibus facientibus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eum, » scilicet, timorem Domini. « Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. »

Psalmi sequentis, id est CXI, titulus : « Alleluia, reversio Aggæi et Zachariæ. » Et est sensus : Laudate Dominum, in illud respicientes, quod significatum est per reversionem Aggæi et Zachariæ de Babylonica captivitate, qui et rædificationi templi interfuere. Significatum est enim quod de præsenti captivitate debeamus ad Deum in cœlestem Jerusalem redire. Illos beatificans propheticus spiritus, qui illuc revertentur. « Beatus vir qui timet Dominum, ait, in mandatis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo ejus, » etc.

Psalmo CXII, præmisso alleluia, totum hominem in laudem extendit spiritus dilectionis. « Laudate, inquit, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. » Pueri hi sunt qui per gratiam ejus, quem laudant, sunt a peccatis purificati. Causas cur laudent, cur benedicant, subnectit : « Quis, inquit, sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? » etc.

Psalmo CXIII itidem præmittitur alleluia, videlicet ad laudandum Dominum de conversione infidelium ad fidem, Judæorum atque gentium. Nam inde dicit : « In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus. » Et est sensus : In eo quod exierunt credentes de infidelitate et tenebris ignorantiæ, quod exierunt luctatores, quod significat nomen Jacob, de barbarie dæmonum et vitiorum, facti sunt omnes Judæi, id est omnes confidentes, « sanctificatio ejus ; » qui per fidem sunt Israel, facti sunt « potestas ejus, » videlicet Jacob, ut deinceps nemo in carne glorietur, sed in confessione et in virtute Spiritus sancti. « Hoc vidit mare et fugit, Jordanis conversus est retrorsum. » Per mare plenitudo gentium, per Jordanem baptizati intelligendi sunt. Gentiles namque ab infidelitate et erroribus pristinis fugerunt, baptizati a mala consuetudine peccatorum conversi sunt retrorsum. Inde : « Montes, » id est apostoli, « exsultaverunt, » et simulacra fiducialiter condemnaverunt. « Simulacra, inquit, gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum. »

In psalmo CXIV tertia jam periocha, id est fletuum atque genituum recapitulatio est. « Dilexi, inquit, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo. Circumdederunt me dolores mortis, » etc. Huic quoque psalmo recte alleluia præscriptum est, quia nimirum diligere et diligendo dolere, aut gemere, ad veram et magnam Dei laudem pertinet. Nam quantæ putas laudis veraciter est, « tribulationem et dolorem inveni? » Quotus enim quisque est inventor tribulationis et doloris ejus, videlicet quæ jure pro invento debeat haberi? Quare autem pro invento debet computari, nisi quia in tribulatione et dolore locus est opportunus Paracleto, id est consolatori? Idcirco cum dixisset : « Tribulationem, et dolorem inveni, » statim subjunxit : « Et nomen Domini invocavi. » Subauditur, dicens : « O Domine, libera animam meam, » etc.

Psalmo CXV itidem alleluia præmisso, laudabiliter dicit perfectus auctor Dei : « Credidi propter quod locutus sum, » id est, credidi et confessus sum. Ac deinceps : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » Et non inveniens quod ad retribuendum satis est, quid enim diligenti satis esse queat? « Calicem salutaris accipiam, inquit, et nomen Domini invocabo. » Quasi dicat : Totam paupertatem meam offeram, sanguinem meum illi offeram, vel si persecutor desit, frequentabo ad sanctum altare ejus passionis memoriam, pro ipso mori paratus ero, quia « pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. »

Psalmus CXVI sermone laus brevis, sensu grandis. « Laudate, inquit, Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi. »

Psalmus CXVII totus, vox confessionis est, vox laudis, præmisso alleluia. « Confitemini, inquit, Domino » causamque subdit « quoniam bonus. » « Hoc dicat omnis Israel, hoc dicat domus Aaron, » id est multitudo prælatorum fidelium, hoc dicant, et confiteantur omnes, qui casto timore « timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. » Quid enim fecit Dominus, in quo apparuit bonus? « De tribulatione invocavi, inquit, Dominum, et exaudivit me in latitudine. » Ac deinceps : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Nempe in isto summum bonitatis ejus experimentum consistit. Lapis iste ad ædificantes venit, et reprobatus est, nos autem dicimus : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Iterum in conclusione dicit, sicut in exordio : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Psalmus CXVIII viginti duobus capitulis dispertitus est, per singula capitula versibus octonis supputatis. Singula quoque capitula, singula pro titulis habent elementa alphabeti Hebraici. Et quærimus quid hujusmodi titulatio significet. Invenimus autem quod maxime notandum est psalmum hunc totum in superficie splendere cœlestibus margaritis, totum, inquam, contextum esse nominibus Verbi Dei, velut fulgentibus gemmis. Quis enim versiculus est in toto tam prolixo tractatu hujus psalmi, in quo non resonet vocabulum aliquod quin recte prædicetur de Verbo Dei, de Sapientia Dei, de Filio Dei? Verbi gratia : « Beati immaculati in via : » Plane via nostra, Dei Filius est. Dicit enim : « Ego sum via (*Joan.* v). » — « Qui ambulant in lege Domini. » Et quid lex Domini, nisi Verbum Domini? « Beati qui scrutantur testimonia ejus. » Quid aliud testimonia quam verba? et quid multa Dei verba, nisi unum Dei Verbum, una Dei Sapientia? Similiter et in cæteris. Neque enim facile quis versiculus invenietur, in quo non, aut vias, aut mandata, aut justificationes, aut judicia, aut sermones, aut eloquia Do-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mini habeas, aut aliquid tale quod æquipollenter valeat. Quid ergo sibi vult hoc, quod cum talis sit psalmus, singula ejus capitula singulis alphabeti titulantur elementis : num post tot psalmos voluit nos Prophetæ spiritus, Verbi Dei **457** facere abecedarios? Plane hoc utiliter intelligimus, et veraciter confitemur, quia quantumcumque sapiamus, quandiu in corpore sumus, ad illam Dei sapientiam infantulis abecedariis similes sumus, et nobiscum bene agitur, si vel prima ejus elementa consequamur. « Videmus enim per speculum in ænigmate, inquit Apostolus (*I Cor.* XIII). » Proinde psalmus hic quartæ perioches, idem nobis principium finisque sit. Distinguitur autem, ut jam dictum est, viginti duobus capitulis. Hic numerus tribus constat heptadibus, uno supercrescente, quo de tertio heptade ogdoas perficitur, atque per hoc intelligimus, quia octava mundi ætate, sapientiæ Dei quæ jam dictis hujus psalmi vocibus significatur, plenitudo nobis perficietur, fietque quod ait Apostolus : « Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*ibid.*). » Octones igitur singulorum capitulorum versus, infantuli fideliter decantemus, donec ad octo Evangelii beatitudines ipso donante perveniamus. Nunc eorumdem elementorum interpretationem atque intelligentiam subscribamus : Aleph, *doctrina*. Beth, *domus*. Gimel, *plenitudo*. Daleth, *tabularum*. He, *ista*. Vau, et Zai, *hæc*. Cheth, *vita*. Teth, *bonum*. Jod, *principium*. Caph, *manus*. Lamed, *cordis*. Mem, *ex ipsis*. Nun, *æternum*. Samech, *adjutorium*. Ain, *fons*. Pe, *oris*. Zadi, *justitiæ*. Coph, *vocatio*. Resch, *capitis*. Schin, *dentium*. Thau, *signa*. Doctrina domus Dei Israel est plenitudo tabularum, id est legis, quæ descripta est in tabulis. Hæc plenitudo legis charitas est (*Rom.* XIII). Ista doctrina et hæc plenitudo, et talis vita, bonum principium est, manus et cordis, id est bonæ intentionis, et bonæ operationis. Ex ipsis enim fit æternum adjutorium, quo adjuvamur ad æternam vitam. Et hic est fons oris justitiæ, id est origo doctrinæ, quam prædicavit Christus, per quam docet nos implere omnem justitiam, scilicet charitas vel doctrina domus Dei. « Hoc est maximum et primum mandatum (*Matth.* XXII). » Et hæc est vocatio capitis, id est Christi, quia in hoc vocati sunt omnes, ut hanc doctrinam percipiant. In hac doctrina apparent etiam dentium signa, id est apostolorum et doctorum, qui sunt quidam Ecclesiæ dentes, dum obscura et fortia mandata minoribus exponunt. Quid pulchrius, quid jucundius hoc abecedario? Ecce hic continetur omnis doctrina spiritualis vitæ.

Psalmo CXIX quinta jam periocha reditur ad gemitum, qui perfectorum est, gemitum diligentis et desiderantis animi. « Ad Dominum, cum tribularer, clamavi et exaudivit me. » Ac deinceps : « Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! » etc. Plane hic gemitus perfecti hominis est, ex ipsa confidentia perfectionis, cupientis dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I). Sed nimirum tali conscientiæ humilitate opus est, præsumptio cavenda est. Unde et in titulo « canticum graduum » positum est. Significat autem ascensorem cœli debere humiliter ascendere, ne, dum tædio peregrinationis vult volare in cœlum, cadat in infernum.

Sequitur ergo et dicit in psalmo centesimo vigesimo : « Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi. Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram. » Ac si dicat : Non in me ipso fiduciam habeo, sed in Dei et omnium sanctorum ejus auxilio, quorum fidem teneo, quorum meritis innitor. Deinde imprecando dicit animæ suæ : « Non det in commotionem pedem tuum, » etc. Quod est dicere juxta alium psalmum : « Non veniat mihi pes superbiæ (*Psal.* XXXV). »

Iterum psalmo centesimo vicesimo primo voces confidentiæ, cum dicit : « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem, » etc. Quasi jam ibi sit, « stantes erant pedes nostri, » dixit, ea videlicet conscientia, qua et Apostolus : « Nostra autem conversatio, inquit, in cœlis est (*Philipp.* III). » Continuo, ut in humilitate confidat, pedem ponit in altiorem gradum humilitatis.

Dum sequenti psalmo centesimo vicesimo secundo dicit : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ. » Multum se humiliat, dum ancillulæ vapulanti se assimilat, fixos habenti oculos in manibus dominæ suæ, donec parci sibi vel solo nutu jubeat.

Item psalmo centesimo vicesimo tertio dicit perfectis vocibus magnis, vocibus magnæ gratulationis : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, » etc. Nempe quasi jam victorum est dicere : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, » etc.

Sequitur autem psalmus centesimus vicesimus quartus, quo cauti in humilitate proficiendo dicunt : « Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, » etc. Qui enim hæc dicunt, non sibi, sed Deo ascribunt quod vicerunt, quod evaserunt.

Sequenti psalmo centesimo vicesimo quinto, itidem magnifice gratulantur, et dicunt : « In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. » Ac deinceps : « Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, » etc.

Sequitur continuo psalmus CXXVI, et hanc lætitiam salubriter provecta humilitate deprimendo dicit : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. » Habet autem in titulo : « Canticum graduum in Salomonem. » Hoc recte et opportune. In quo enim melius innotescere possit, quod « nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ædificant eam? » Ille enim domum Domino ædificavit, et tamen ipse stare non potuit, licet inter homines singularis sapientiæ fuerit. Hoc ergo experimento perdocti quod domum ædificare non possitis sine auxilio Domini, accipite quod dico : « Vanum est vobis ante lucem surgere. » Vanum, inquam, et stultum propositum est, vosmetipsos ante diem judicii securos reddere. Sed « surgite postquam sederitis, » id est, tunc primum vos securos esse sciatis, postquam mortalitatis et passibilitatis miseriam deposueritis.

Psalmo centesimo vicesimo septimo mutatur modus vel tenor cantionis in istis graduum canticis. Nam hactenus bini sic alternabant psalmi, ut in priore fortitudo sublimiter caneret, et in sequente timor in gravibus responderet. Hinc e converso in priore duorum, timor canit in gravibus, fortitudo respondet in acutis. « Beati, inquit, omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. » Et est sensus : Beati omnes qui in hoc ipso quod ambulant in viis Domini, timidi sunt semper et pavidi. Ac deinceps : « Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. »

Psalmus centesimus vicesimus octavus fortiter gratulantis velut jam victoris voces attollit. « Sæpe, inquit, expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. » Nempe victricis conscientiæ est dicere, « non potuerunt mihi. »

Rursus psalmo centesimo vicesimo nono vehementer se in humilitate deprimit : « De profundis, inquiens, clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. » Ac deinceps : « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? » Subauditur, nullus, quia revera nullus ex suis meritis apparebit in judicio justus.

Sequenti protinus psalmo centesimo **458** tricesimo magnæ sibi virtutis, magnæ temperantiæ gratulatur conscius. « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. » Revera perfecti hominis est tale ac tantum habere in corde suo testimonium conservatæ humilitatis. « Non, inquit, ambulavi in magnis. » Sed quid? « Si non humiliter sentiebam, » etc.

Dehinc psalmo cxxxi demonstrabat nobis quantum vel cur se humiliaverit, dicendo : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino votum, » etc., usque « donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. » Videlicet quia Christum Dominum de semine suo nasciturum esse sciebat, locum quoque nativitatis ejus scire desiderabat. Idcirco mansuetus et humilis sedebat, idcirco vigilabat, idcirco orabat. Exaudita est mansueti humilitas, et repente exclamans : « Ecce, inquit, audivimus eam, » subauditur nativitatem ejus, « in Ephrata. » Ephrata namque hæc est Bethlehem. Sed et exinde invenitur « in campis silvæ, » id est in latitudine Ecclesiæ, de gentibus, relictis angustiis Judææ.

Confestim psalmus centesimus tricesimus secundus bona fortitudinis gloriatio est. « Ecce, inquit, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron. » Nempe quamvis humiles sint, semetipsos barbam Aaron, id est fortes atque perfectos esse cognoscunt, qui de capite suo Christo Spiritus sancti unguentum acceperunt. Quid tandem sibi volunt istæ alternationes fortitudinis et timoris, timoris et fortitudinis? Nimirum illud quod non nescire debet homo Dei, quia tempus est viriliter agendi, et tempus humiliter quiescendi. Denique cum suggerit hostis invisibilis sermo Dei, nimium habere despectum sui, tunc tempus est fortiter atque constanter agendi, id est reminiscendi donorum vel beneficiorum Dei quæ accepit. Cum autem econtrario versipellis ille deceptor extollentiam de virtutibus, velut emerito militi, suggerit, tunc tempus est quiescendi, id est recogitandi quod sit pulvis et cinis, qui tanquam canis de mensa Domini vix parvas clementiæ micas acceperit. Igitur per bis septena graduum cantica, septies hinc, id est a timore, et septies inde, id est a fortitudine, victus est hostis.

Dicitque psalmo sequenti, id est, centesimo tricesimo tertio : « Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, » etc. Ac si dicat : Vos qui statis, qui non jacetis, sed statis in domo Domini, nunc absque dilatione, sine intermissione benedicite Dominum, ascribendo illi, non vobis, quod gradibus tot ascensis, in domo vel in atriis ejus statis. Huic sic Dominum benedicenti vicarium redditur præmium benedictionis, tali conclusione : « Benedicat te Dominus ex Sion, » subauditur, procedens, qui, antequam homo procederet ex Sion, Deus idem, « fecit cœlum et terram. »

Sequenti psalmo cxxxiv, perseveratur in benedictionibus : incipit enim a laudibus, finit in benedictionibus. Præmisso Alleluia : « Laudate, inquit, nomen Domini, laudate, servi, Dominum. » Multisque causis redditis, cur laudemus, hanc facit conclusionem : « Benedictus Dominus ex Sion, » subauditur, Deus et homo veniens, qui, ante et post « habitat » in cœlesti « Jerusalem. » Iterum : « Alleluia. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

Psalmus centesimus tricesimus quintus totis dulcisonis laudibus, totis a principio usque ad finem tinnulis currens confessionibus.

Psalmi centesimi tricesimi sexti titulus, « Psalmus David propter Jeremiam. » Ab hoc psalmo, sexta jam periocha breviori cursu texitur. Reditur namque ad fletus amantium, ad suspiria desiderantium, « propter Jeremiam, » id est juxta Jeremiæ intellectum. Sicut enim Jeremias captivitatem filiorum Israel, factam a Nabuchodonosor, historice scripsit, et aliud tamen ibi designari intellexerit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ita isti, licet verba historiæ pronuntient, sub eisdem tamen verbis aliud oportere intelligi designant. « Super flumina, inquiunt, Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. » — « Quandiu sumus in corpore, inquit Apostolus, peregrinamur a Domino (*I Cor.* v). » Et vere, nam captivi sumus captivitate peccati quod fecit Adam. Quotquot sumus filii Sion, captivitatem istam congemimus et flemus, sedentes super flumina Babylonis, super decurrentia vitia præsentis sæculi, multos immersos esse videntes, et incidere ipsi atque immergi metuentes. Hæc, etc., psalmi fletus sunt amantium Deum, suspiria sunt desiderantium videre Deum deorum in Sion.

Sequenti psalmo CXXXVII, iterum confessiones, iterum laudes. « Confitebor tibi, inquit, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. » Ac deinceps : « Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, et cantent in viis Domini, » etc. Laudes vel confessiones istæ sunt, non solum pro beneficiis singulariter cuique impensis, sed etiam pro omnibus communiter humano genere collatis.

Psalmo CXXXVIII, cantat ipse confessionum et laudum præcentor Christus dicens Patri de se : « Domine, probasti me et cognovisti me. » Agit ille toto hoc psalmo referendo perfectam justitiam suam secundum humanitatem, et altitudinem suam secundum divinitatem, ut in fide et justitia fideles instruat quatenus ipsum et verum Deum, et verum hominem credant, et ejus exemplo inducti, tribulari et conculcari non subterfugiant.

Psalmo CXXXIX, unde jam ultima, id est septima incipit perioche. Orant pariter et confitentur omnes justi atque perfecti una voce, tanquam ex uno corpore : « Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me. » Hæc, etc. dicendo orant Dominum, ut custodiat in eis fidei perfectionem, et ut eos eripiat a pravitate et perfidia hæreticorum, imo ab occursu malignorum spirituum, qui fini vitæ hujus insidiantes, linguas suas exacuunt ad accusandum et convincendum. Nam quia ultima hæc est perioches, recte abhinc in finem nostrum spectamus, quando venit princeps mundi, et in singulis nostrum aliquid suum requirit. Dicit ergo quisque sollicitus illius diei, providus illius horæ imminentis : « Custodi me, Domine, de manu peccatoris. » Ac deinceps : « Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. » Et continuo : « Non tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori, » etc.

Et continuo psalmo sequenti, id est CXL : « Domine, clamavi ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamavero ad te. » Quis enim necesse non habeat clamare in illa hora mortis suæ ? « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. » Quam videlicet custodiam, quod ostium non habet, quisquis justificat se, quisquis confidit seipsum coram Domino justum apparere, habebat autem ille qui dixit : « Si voluerit contendere mecum, non potero ei respondere unum pro mille (*Job* IX). » Ac deinceps : « Si justificare me voluero, os meum condemnabit me (*ibid.*). » Item : « Etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor (*ibid.*). » Nam hoc est quod et hic dicitur : « Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. » Videlicet ne in illa necessitate exstincta lampade mea, sine oleo frustra **459** vadam ad emendum, idcirco quandiu vivo, justus corripiet me, adulator autem non decipiet me.

Item psalmo sequenti, centesimo quadragesimo primo : « Voce mea, inquit, ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. » Subauditur, cupiens dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I). Quid enim clamavi ? Quid deprecatus sum ? Quam orationem meam effundo in conspectu ejus ? « Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. « De custodia, » inquit, de carcere hujus captivitatis, ubi Deum meum videre non possum, pro reatu primi parentis, qui expulsus de luce paradisi, hic omnes nos quasi in carcere genuit. Ad hoc pertinet iste titulus psalmi : « Intellectus David cum esset in spelunca. » Principaliter quidem Christum spectat cum esset adhuc in spelunca, scilicet carne mortali et passibili, Saule, id est morte, persequente, secundarie vero quemque fidelem cupientem educi ab hac misera vita, tanquam de custodia. Hoc et metuens cupit, et cupiens metuit.

Unde et protinus psalmo CXLII dicit : « Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. » Etenim si de solis meritis agitur, nemo justificabitur, propter quod itidem dicit : « Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua. » Scilicet, ut totum sit gratiæ. Item : « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam. » Misericordiam, inquam, superexaltantem judicium, dicendo mane, id est in die judicii : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV). » Proinde bene hunc titulum habet hic psalmus : « Psalmus David quando eum persequebatur filius suus. » Nam præter unum Christum non fuit aliquis David, non fuit, nec est, nec erit aliquis adeo manufortis, qui genuerit filium, quem non infestum patiatur, qui non contraxerit peccatum, quo prematur, si intret in judicium cum homine Deus. Abhinc usque in finem continuæ benedictiones, confessiones ferventissimæ, laudum cantationes, quas fides suggerit, spes concipit, charitas effundit.

Sequens psalmus CXLIII. « Benedictus, inquit, Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, » etc. Ejus namque voces sunt qui bene sibi conscius est, quia secum habet pugnantem amicum verum, cui et dicit in contemplatione illius horæ, qua certamen habiturus est cum illo mundi principe sine dubio contra se venturo : « Qui liberasti David

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

servum tuum, de gladio maligno eripe me. » Et ut possim in illa hora gratium illum evadere, interim, inquit, « erue me de manu filiorum alienorum, » id est hæreticorum vel omnium impiorum, « quorum os locutum est vanitatem, » etc. Unde bene in titulo habet : « Psalmus David in Goliam. » Qui enim Goliam, id est diabolum, vivens vicit in membris suis, ipse confidens quod moriens eruatur de gladio ejus maligno, Dominum Deum in hoc psalmo benedicit.

Sequentis psalmi CXLIV titulus : « Laudatio ipsi David, » videlicet, quæ ex ore amantis decantatur Christo vero David. « Exaltabo te, inquit, Domine Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. » A benedictionibus incipit, per benedictiones currit, benedictionibus sempiternis finit.

Psalmo deinde CXLV alleluia præmisso, quanto affectu, quanto amore laudem intendit, animam suam alloquitur et dicit : « Lauda, anima mea, Dominum. » Et illa respondet : « Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero. » Unde laudabo ? unde psallam ? De potentia, de misericordia. De potentia, quia « fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt. » De misericordia, quia « solvit compeditos, » quia » illuminat cæcos, » etc.

Nec contentus sua laude solius, sequenti psalmo centesimo quadragesimo sexto, et alios ad laudandum hortatur. « Laudate, inquit, Dominum, quoniam bonus est psalmus. » Et vere bonus psalmus, utpote in quo hæc tria cooperantur, chordæ, sonus, motus digitorum. Per chordas carnis exsiccationem, per sonum virtutes, per motum digitorum bonam operationem intelligimus. His adhibitis revera Deo nostra est jucunda decoraque laudatio. Cur laudemus, causas continuo subjungit : « Ædificans, inquit, Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit, » etc.

Ex illa Israelis congregatione, ex illorum contritorum salvatione, et illarum stellarum vocatione vel numeratione una civitas fit, Jerusalem cœlestis, quam et consequenter psalmus CXLVII ad laudandum invitat et dicit : « Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, » etc... Tandem, quasi choris ad laudandum constitutis intonante multitudine, incipitur laus universalis, conjubilantibus voce sua creaturis universis, continuusque concentus absque intermissione, sine interstitio clamorem extendit totis tribus qui supersunt psalmis.

Primo qui et CXLVIII Spiritus sanctus, spiritus charitatis dicit, mox quasi jussus alleluia dicendo : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. » Laudat cœlestium chorus, laudant omnes angeli, laudant omnes virtutes, laudant omnia cœlestia, visibilia seu invisibilia. Quare ? « Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. » Deinde laudat terra et omnia terrestria. Quare ? Quia visitavit quam creaverat terram, et fecit ut esset confessio ejus non solum super cœlum, sed et super terram. Ergo materia laudum hujus psalmi inde est quod et cuncta creavit, et genus humanum redemit.

Sequenti psalmo, qui et CXLIX, itidem Spiritus sanctus dicit : « Alleluia. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum. » Quare ? « Quia beneplacitum est Domino in populo suo, » quia « exsultabunt sancti in gloria, » quia « exaltationes Dei in gutture eorum. » quia « gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, ut faciant in eis judicium conscriptum. » Ergo materia cantici, vel laudis, in hoc psalmo inde est quod sæculum judicabit, et sanctos suos in judicio glorificabit.

Psalmo ultimo qui est CL itidem dicit sanctus charitatis Spiritus : « Alleluia. Laudate Dominum in sanctis ejus. » Decies laudate dicit, et nullam causam cur laudent subjungit aut interponit, sicque concludit ad ultimum : « Omnis spiritus laudet Dominum. » Ergo materia laudum in hoc psalmo illa est futuri sæculi beatitudo ineffabilis, quæ quanta vel qualis sit, non potest dici, non potest æstimari, quam oculus non vidit, nec auris audivit, quæ in cor hominis non ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II).

CAPUT VI.

Qualiter Salomon eadem via, fidem et spem commendat et charitatem, in Parabolis fidem, in Ecclesiaste spem, in Canticis charitatem.

Eamdem fidei, spei et charitatis intelligentiam, quam in David secuti sumus, ecce et in Salomone ostie patente satis evidenter conspicimus. Tres enim ille libros scripsit, Parabolas, Ecclesiasten, Cantica canticorum. Primus, id est Parabolarum, liber vocat ad fidem. Secundus, id est Ecclesiastes, invitat ad spem. Tertius, id est Cantica canticorum, sine dubio **460** allicit ad charitatem. Nequaquam istud profundum perambulare aggredimur, sed ad alia festinantes quasi ex latere perstringemus. Ad fidem nos vocat in parabolis, dum in persona sapientiæ, quæ est Christus, dicit : « Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar (*Prov.* VIII). » Ac deinceps : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, vinum miscuit, et proposuit mensam suam (*ibid.*) » Nempe quod hic ait Sapientia : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, » etc., hoc evangelista confirmans : « In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I). Et quod hic ait : « Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege vallabat abysses, » etc., « cum eo eram cuncta componens, » hoc est, quod idem exprimens, « Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*ibid.*). »

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Item quod hic ait : « Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII), hoc est quod ait idem qui supra : « Quod factum est in ipso vita erat (*Joan.* I). » Deinde quod ait hic : « Sapientia ædificavit sibi domum, » hoc est quod idem evangelista dicit : « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*ibid.*). » Quod itidem ait : « Excidit columnas septem, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis, » hoc est, Spiritus sancti dona distribuit, et infirma mundi elegit, ut fortia vinceret (*I Cor.* I), et vocaret ad fidem Evangelii. Nam revera quasi de petra septem columnas excidit, cum de plenitudine divinitatis corporaliter habitante in se, dona septiformis Spiritus sancti credentibus in se dividere non desinit. Item dicit : « Bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide (*Prov.* V). » Quid hoc est dicere, nisi credendo in Christum, gratiam sancti Spiritus accipere, ut possis aliis salutarem doctrinam propinare. Sic enim ipsa incarnata Sapientia intelligi voluit, cum dixit : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Ergo et quod postmodum ait : « Ut custodiat te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius (*Prov.* VI), » de vitanda doctrina hæretica, dictum recte intelligitur. Cum hæc ita se habeant, quid est quod initio Parabolarum de vitanda sanguinis effusione exhortatur, nisi passionem Christi respicit, quæ salutis nostræ summa est, de qua maxime pendet nostra fides ? Nam quia salvationis humanæ summa est, recte ab illa sermones parabolicos exorsus est. « Fili mi, inquit, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint : Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, et deglutiamus eum, sicut infernus viventem (*Prov.* I), » etc., nempe sic dixerunt peccatores Pharisæi et pontifices, et sic dicendo lactaverunt miserum populum, et acquievit eis. Sapientia vero nihilominus foris prædicavit, in plateis vocem suam dedit, in capite turbarum clamitavit. Tandemque non exaudita, dixit : « Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit (*ibid.*). » Quod timebatis, ait, subauditur, dicentes : « Ne forte veniant Romani et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). » In Ecclesiaste cui dubium est quoniam ad futurorum spem nos instruat, dicendo : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas ? » (*Eccle.* I.) Quare omnia vanitas, nisi quia omnia transitoria ? Et quare hæc dicit, quare universa quæ sub cœlo sunt vanitatis arguit, nisi ut spe futurorum quæ seria, spe invisibilium, quæ æterna sunt, hæc præsentia, hæc visibilia doceat deberi contemni ? Currit per omnia, judicat omnia, omne quod in mundo est, omnem concupiscentiam carnis, omnem concupiscentiam oculorum, et cuncta vanitatis arguit. Et quædam quidem in primis approbat, verbi gratia, cum dicit : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua (*Eccle.* IX). » Verum postmodum resumpto judicio rationis : « Adolescentia, inquit, et voluptas vana sunt. » Proinde et Ecclesiastes dicitur, quod interpretatur *concionator*, quia videlicet, prius infirmam de singulis sententiam ipse proponit, et ipse continuo velut concinnando firmis rationibus in conspectu omnium destruit. Denique in calce libri quo tendat, evidenter ostendit. « Finem, inquit, loquendi omnes pariter audiamus : Deum time et mandata ejus observa (*Eccle.* XI). Hoc enim est omnis homo. — Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni erratu, sive bonum sive malum sit (*ibid.*). » In Canticis Ecclesia universalis, vel etiam singulariter quælibet anima fidelis, quæ jam usque ad amorem Dei profecit, hanc primam vocem emittit : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I). » Plane osculum oris Ecclesia tunc adepta est, quando Dei Filius incarnatus est, quando in thalamo uteri virginalis divina natura naturæ humanæ in unam personam conjuncta est. Item quælibet anima quæ Deum diligit, osculum adipiscitur, quando dulcedinem divinitatis occulta inspiratione gustare meretur, qui tamen contactus tam velociter transit, ut sibilo auræ levis recte comparetur. Amplius autem et osculum et omnimodam conjunctionem tunc adipiscetur, quando corpore deposito, ad ipsam amatoris sui faciem videndam perducetur. Nihil immorandum est, nec enim necesse habemus docero aut doceri, quod charitas significetur totis libris hujus vocibus, idcirco jam ad alia transeamus.

IN LIBROS REGUM LIBER QUINTUS.

(III Reg. XI ; IV Reg. XIII.)

461 CAPUT PRIMUM.

Quod ait Dominus ad Salomonem : « Quia habuisti hoc apud te, » et quid sit peccatum suum quemquam apud se habere, et quod idcirco regnum ejus abscindendum fore prædixit.

(III Reg. cap. XI.) « Dixit itaque Dominus Salomoni : Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. » — « Quia habuisti, inquit, hoc apud te. » Cui sic dicitur, palam est quod peccatum suum necdum confiteatur. Nam apud se habet, cui quod fecit, non

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

displicet. Cætesum cui displicet, non apud se, sed contra se habere dicendus est. Nec enim abscondit, sed annuntiat, non defendit, sed accusat. « Quoniam, inquit, iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L). » Item: « Quoniam iniquitatem meam annuntiabo (*Psal.* XXXVII). » Idcirco « disrumpens, ait, scindam regnum tuum, » subauditur, quod pene contigit patri tuo, nisi quia iniquitatem suam annuntiavit, et cogitavit pro peccato suo. « Nam cecinit buccina Syba filius Bochri, dicens: Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Sybam filium Bochri. Viri autem Juda adhæserunt regi suo (*II Reg.* XX). » Regnum illi neque auferre Absalon, neque scindere potuit Syba, quia videlicet quod habuisti apud te, hoc ille apud se non habebat. Minus peccaverat, et ipsum peccatum a se excutiebat, accusabat, annuntiabat.

CAPUT II.

Quod dixit: « Et non custodisti pactum meum, » et in quo Salomon jure denotetur qui sapientiam postulavit, quamvis hoc Domino placuerit, quam in nocte per somnium accepit non perseveraturus.

« Et non custodisti, ait, pactum meum. » Pactum quippe pepigeram tecum in his verbis: « Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos (*III Reg.* III). » Tu in viis meis non ambulasti, sed « apud te habuisti hoc. » Ego ergo debitor non sum ut « longos faciam dies tuos. » Hic jam recte quæritur quare pactum ineundo sub conditione posuit, quod faceret dies ejus longos. Videlicet quia quod jure reprehenditur, data sibi optione in illa nocte per somnium a Domino dicente: « Postula quod vis ut dem tibi (*ibid.*), » iste quod optimum fuisset, dies longos, dies æternos non postulavit, sed sapientiam ad discernendum judicium, cor docile ad judicandum populum postulavit (*ibid.*). Quomodo ergo, inquis, scriptum est: « Placuit sermo coram Domino, quod Salomon rem hujusmodi postulavit? » (*Ibid.*) Ad hæc inquam: Placuit ei, non tanquam summum vel perfectum bonum, sed tanquam bonum comparatione deteriorum. Proinde dicit: « Quia non petisti tibi dies multos, nec divitias, nec animam inimicorum, sed postulasti tibi sapientiam, ecce dedi tibi (*ibid.*). » Nempe divitiæ aut multi dies vitæ præsentis, aut ultio de inimicis, bona quidem aliqua, sed infima sunt; gratiam autem habere in oculis Domini, et dies æternitatis, verum summum atque perfectum bonum est. Porro sapientiam habere ad discernendum judicium, bonum quidem, sed mediocre bonum est. Igitur placuit quidem coram Domino, quod Salomon postulasset rem hujuscemodi, reprehensibilis tamen in eo est quod data sibi optione tam prona ad dandum largitate Domini, bonum illud quod verum et summum est non postulavit, recteque denotatur quod sapientiam in nocte et per somnium, non perseveraturus accepit.

CAPUT III.

Quod in isto judicio Deus Hieroboam scissuras regni tradiderit, et qualia populi peccata præcesserint.

« Factum est igitur in tempore illo ut Hieroboam egrederetur de Jerusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via opertus pallio novo. Erant enim duo tantum in agro. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, et ait ad Hieroboam: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. » Manifesta et secundum rem congrua significatio est. In propheta Dominus loquitur; Domini autem quoddam pallium vel quasi vestis est is qui adhæret illi populus. Sed nunquid ignorabat Dominus qualis esset vel quid facturus esset Hieroboam, cui tot partes pallii tot tribus populi delegebantur? Nunquid, inquam, ignorabat, quod scissum a domo David populum accipiens, a Deo quoque scissurus esset faciendo vitulum aureum quem pro Deo colerent? Quare ergo talem populo suo regem acquisivit? Nimirum rationabiliter hoc et cum judicio fecit, eademque justitia qua regem petentibus Saulem dedit, quem qualis futurus esset ignorare non **462** potuit. Nam et tunc Samuelem, imo in Samuele Deum abjiciebant, ipso dicente: « Non enim te abjecerunt, sed me (*I Reg.* VIII), » et nunc indignabantur David regnare aut regnasse supra se. Ex ipsa gestorum serie perspicuum est hoc. Et in primordiis regni Davidici subtraxerunt se totis septem annis non sequentes, non approbantes electionem Domini, superque solam tribum Juda in Hebron regnavit David, et deinceps, semper dubii, semper infidi fuerunt eidem David. Quem adversus illum rebellantem non susciperent, qui Absalon filium adversus patrem constituerunt super se regem? Postquam ille periit, protinus ausum buccina personare secuti sunt Seba filium Bochri, dicendo: « Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai (*II Reg.* XX). » Nunc quoque invidiam suam prodiderunt, occasiones quærendo adversus Roboam, et dicendo: « Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis (*III Reg.* XII), » cum per illius sapientiam divites facti fuissent et inclyti. Igitur tanquam judex, reos tali tradidit regi, qui volentes scinderet a domo David, volentes, inquam, scinderet a civitate David, divideretque a templo Dei, a cultu unius et solius Dei veri, et cupitis faceret servire simulacris.

CAPUT IV.

Cur tot scissuras pallii sui fecerit propheta, et quod extunc regnum Israel decem vicibus scissum sit.

Est et adhuc quod quæramus, cur scissuras propheta fecit, cur pallium suum in duodecim partes scidit? Nempe si nihil aliud quam regni unius divisionem in duo regna significare volebat, poterat unum pallium scindere in duas partes, non æquas

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tanto juxta modulum impares, quanto juxta numerum decem tribubus erat minor tribus una. Quarè ergo prophetæ, imo Spiritui Domini in propheta sic magis placuit, et tot scissuras fecit? Plane et in hoc veræ rationis constantia est. Scissum nempe a domo David illud regnum Israel, deinceps adversus seipsum divisum fuit decies, et ita demum desolatum est ut domus supra domum caderet (*Luc.* XI), rege Assyriorum transferente Israel juxta Gozam fluvium, in civitates Medorum. Quas videlicet divisiones prosequi facile est. Filium hujus Hieroboam nomine Nadab percussit Baasa : hæc secunda Israel scissura regni est. Ejusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, regnavitque pro eo; Zambri se in palatio incendit, obsidente Amri qui et pro eo regnavit (*III Reg.* XV, XVI, XXII). Post hunc regnavit Achab, et post eum filius ejus Ochozias, et post eum frater ejus Joram (*IV Reg.* IX, X, XV). Sed istum occidit Jehu, regnavitque pro eo usque ad quartam generationem. Quintum ab illo percussit Sellum, regnavitque pro eo. Sed et istum percussit Manahem, regnavitque pro eo. Filium quoque hujus Phaceiam percussit Phacee filius Romoliæ, regnavitque pro eo. Sed et contra istum conjuravit Osee, percussitque eum, et interfecit, regnavitque pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum, et transtulit Israel in Assyrios. Hæc decima fuit scissura. Nam in Hieroboam prima, in Baasa secunda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Jehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romoliæ octava, in Osee nona, in rege Assyriorum qui divisos a Deo et David rege suo divisit etiam loco transferendo in Assyrios, recte computatur decima. Bene igitur propheticus, dum regni unius divisionem in duo regna præcidit, pro signo tamen divisionis, decem scissuras Hieroboam tradidit, quia regnum suum decies dividendum prævidit, et ita fore desolandum.

CAPUT V.

Quod exemplum hæreticorum sit, qui scindunt se a domo David, ab Ecclesia Christi, et quod recte dictum sit : « Porro una tribus remanebit Salomoni, » etc., cum duæ possint dici, Juda et Benjamin.

Exemplum hoc hæreticorum est. Taliter et ab Ecclesia scissi, et adversum seipsos divisi sunt, et sic regnum eorum desolatum est, et domus supra domum cecidit. Tribus Juda quod interpretatur *confessio*, et civitas David, catholica Ecclesia est, veram tenens confessionem unicæ fidei, a qua illi per scissuras exierunt, quemadmodum dicit : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (*I Joan.* II). » Hujus videlicet catholicæ Ecclesiæ, frater est Dominus Jesus Christus, qui incarnatus loquitur : « Vulnerasti cor meum, amica mea, soror sponsa (*Cant.* IV). » Item : « Hortus conclusus, soror mea sponsa (*ibid.*), » frater iste hic per hunc prophetam recte figuratur. Abias quippe *frater meus* interpretatur. Antequam exissent ex nobis hæretici, unum erant nobiscum pallium hujus fratris nostri, per concordiam ejusdem religionis, per consonantiam ejusdem confessionis. Sed ex nobis exierunt, et errores suos secuti sunt. Ita illis exeuntibus scissum est pallium, et scissuræ Hieroboam traditæ sunt. Hieroboam interpretatur *dijudicans populum*. Signat autem hæresiarchen quempiam, sic flatu superbiæ suæ dijudicantem populum Christianum, quomodo ventus in area dijudicat paleam et granum. Flavit Arius vel quilibet hæresiarcha alius, et quo voluit flatu suo vanos et carnales quosque impulit, qui etiam cum adhuc confiterentur se nobiscum nosse Deum, factis negabant (*Tit.* I). Hoc modo hæresum auctores populum sæpe dijudicaverunt utiliter. Nam « necesse est, inquit Apostolus, hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti sint (*I Cor.* I). » Hic non negligendum est quod cum dixisset propheta : « Tolle tibi decem scissuras, » subsecutus : « Porro una tribus, ait, remanebit Salomoni propter servum meum David. » Nempe una tribus et decem undecim sunt. Nonne duodecim erant tribus Israel? Quare ergo unam tantum tribum residuam dixit? Nonne regnavit Roboam super Judam et Benjamin? Imo et de cæteris tribubus plerosque sub regno suo habuit. Sic etenim postmodum scriptum est : « Super filios autem Israel quicunque habitant in civitatibus Juda, regnavit Roboam (*III Reg.* XII). » Ergo hic mystice intelligendum, quia exeuntibus ex nobis hæreticis qui non erant ex nobis, quotquot in ecclesiastica pace manemus, recte tribus una dicimur, quia per schismata non dividimur.

CAPUT VI.

Quod excogitatio vitulorum mystice sit adinventio omnis hæreticorum, quorum consortium quantum sit vitandum, illud indicat, quod virum Dei, quia panem ibi deceptus comedebat, leo invenit et occidit.

(III Reg. cap. XII). « Et excogitato Hieroboam consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit populo : Nolite ultra ascendere in Jerusalem. Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, » etc. « Excogitato, inquit, consilio : » O cogitationem sine intellectu, et consilium sine prudentia. Nunquid sic cogitando, et sic sibi consulendo regnare poterat stabilius quam ponendo spem suam in Domino? Potuit quidem devocare populum, ne ascenderet ad sacrificandum in domum **463** Domini, sed non quem sperabat ex hac pessima radice, fructum recipere potuit regni diuturni, viginti duobus annis regnavit. Imo servivit vitulis aureis, servus peccati, et regno simul et vita privatus est, filioque suo Nadab pœnam peccati, quod thesaurizaverat, hæreditariam reliquit. Nam insidiatus est ei Baasa de domo Issachar, et percussit eum, sicque deletus est Hieroboam juxta prophetæ jam dicti responsum, durumque nuntium, « sicut mundari solet fimus usque ad purum (*III Reg.* XIV). » Huic simile fuit hæreticorum omne consilium. Nam et illi, ne ascenderet populus in Hierusalem ad sacrificandum Domino, fecerunt vitulos aureos. Quid enim sermo hæreticus, nitidus et accurate compositus, nisi aureus vitulus? Aureus nam-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

que vitulus foris est speciosus, intus vacuus est, et sine sensu. Sic omne dogma hæreticorum foris ad demulcendum aures, sermonis habet nitorem, intus nullam habet virtutem. Adorant igitur vitulos aureos, quicunque propter sermonis venustatem, vanos et a virtute vacuos sectantur hæreticos. « Et ascendit Hieroboam super altare ut adoleret incensum. » Non dictum est, accessit ad altare sive ascendit ad altare, sed dictum est, « ascendit super altare. » Juxta sensum jam dictum, hoc eleganter et proprie dictum. Hæretici namque super altaria sua ascendunt, quia non Dei, sed suam gloriam quærunt, quia semetipsos prædicant, non Dominum Jesum Christum. Eorum quam vitandum sit consortium, subjectum statim indicat exemplum. Virum Dei qui venerat de Juda in sermone Domini, Hieroboam stante super altare, et exclamaverat contra altare, leo invenit in via, et occidit. Sic enim illi mandatum fuerat in sermone Domini præcipientis : « Ne comedas panem, neque bibas aquam, nec revertaris per viam qua venisti (*III Reg.* XIII). » Fefellit autem eum pseudopropheta, et reduxit secum, comeditque panem in domo ejus, et bibit aquam. Occidit ergo eum, ut prædictum est, leo in via. Igitur consortium hæreticorum qui vitulos mendacii fabricaverunt, docemur vitare, et cum ejusmodi nec cibum sumere, ne inveniat nos leo in via, ne veniat super nos similis hæreticorum vindicta. Interea notandum est quod hic propheta, deceptus in semetipso, pœnam recepit ; Hieroboam autem ipse quidem dormivit cum patribus suis, filius autem ejus hostili gladio percussus interiit. Nam qui per imprudentiam forte deceptus hæreticis communicavit, quasi in semetipso punitur, dum temporali præsentialiter pœna mulctatur, qui autem hæresim per malitiam struxit quasi in filio sententiam recipit, dum in anima post hanc vitam mortem sempiternam incurrit.

CAPUT VII.

De Helia, cujus typum gesserit in eo quod siccitatem induxit propter Achab et Jezabel, et quod paverunt eum corvi, et quod ad viduam Sarephtanam missus sit.

(III Reg. cap. XVII.) Post hæc impietas crevit in Israel, cum super vitulos Hieroboam additus est Baal. Nam Achab filius Amri duxit uxorem Jezabel filiam Methabaal regis Sydoniorum, et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum. Tunc surrexit Helias propheta, de habitatoribus Galaad, et verbo Domini continuit cœlum, ut non pluerat super terram annos tres, et menses sex. « Vivit Dominus Deus Israel, inquit, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. Et factus est sermo Domini ad eum dicens : Surge, et vade in Sarephtam Sydoniorum, et manebis ibi : Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te, » etc. Evangelica lucerna locum nobis spiritualis intelligentiæ, hoc loco demonstrat. Cum enim præmisisset Dominus : « Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*Luc.* IV). » Continuo subjunxit : « Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omnem terram, et ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarephtam Sydoniæ ad mulierem viduam (*ibid.*). » Profecto, hæc dicens, illud intelligi voluit quod ipse in patria sua non foret acceptus, et quemadmodum Helias ad viduam Sarephtanam transmigravit, relicta siccitate in Israel, sic ipse ad Ecclesiam de gentibus transiturus esset, relicta fame verbi Dei in Israel. Idcirco sic terribiliter præmisit, dicens : « In veritate dico vobis, » quæ videlicet dictio magnam sonat comminationem iræ imminentis. Mystice igitur Helias quod interpretatur *Deus Dominus*, ipse est Dei Filius cœli et terræ, Deus et Dominus. Achab quod interpretatur *frater patris* populus Judaicus est, persecutor et occisor ejusdem Dei, et Dominus, frater, inquam, patris, id est, cohæres diaboli patris sui, quod comprobat iste Helias, iste Deus et Dominus cum dicit : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII). » Jezabel, quod interpretatur *fluxus sanguinis*, Synagoga ejusdem populi est, quæ ex quo sic locuta est : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII), » nunc usque sanguine fluere non desinit. Cujus sub specie in Apocalypsi dicitur adversus Judaicam et omnem sectam evangelicæ fidei contrariam : « Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis (*Apoc.* II), » etc. Quid tandem est, quod Helias cœlum claudit, ne pluat, et recedit, nisi quia Christus ora apostolorum clausit Synagogæ peccatrici, et populo, qui illum rejecit, et relicta illis siccitate, et fame audiendi sive intelligendi Verbum Dei, recessit. « Recede, inquit, Dominus, et absconde, corvisque præcepi ut pascant te. » Absconditum a Judæis Deum Dominum, quem invenire non possunt, quia velamen malitiæ positum est super cor eorum (*II Cor.* III), corvi in primis paverunt, quia peccatores humili conscientia corvorum nigredinem imitantes, cum fide et charitate, primi illum receperunt. Quod prævidens ipse quodam loco Scribis et Pharisæis dixit : « Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei (*Matth.* XXI). » Corvi isti primum in torrente Heliam paverunt, quia publicani et peccatores primum in Judæa Christum et apostolos ejus receperunt. « Post dies autem siccatus est torrens. » Quia videlicet in brevi sic fideles, qui erant ex Judæis, rapinam bonorum suorum perpessi sunt (*Hebr.* X), a contribulibus suis, ut omnibus deficientibus ipsi egerent. « Non enim pluerat super terram. » Imo terra illa salutarem veritatis non suscipiebat pluviam. « Factus est igitur sermo Domini ad Heliam, dicens : Surge et vade in Sa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rephtam Sydoniorum, » etc. Sarephta oppidulum erat Sydoniorum, in via publica situm. Porro Sydon *inutilis venatio* interpretatur. Et quid eramus nos gentes, nisi venatio inutilis, venatio diaboli? Igitur « vade, inquit, in Sarephtam Sydoniorum, » id est vade ad gentes, evangeliza per publicum, prædica per mundum universum. « Ibi manebis, præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. » — « Præcepi, » præceptum posui quod non præteribit, prævenit, per prædestinationem gratiæ, » mulierem viduam, » id est, gentilitatem quondam **464** a diabolo viro iniquo male nuptam, nunc autem illo foras ejecto viduam, « ut pascat te, » ut credat in te. « Ibi manebis, » cum illa erit usque ad consummationem sæculi. « Surrexit, et abiit in Sarephtam. » Surrexit, inquam, et abiit Christus, dicentibus apostolis, in quibus ipse loquebatur : « Vobis quidem primum oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » — « Cumque venisset ad portas civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. » Ad portam civitatis nunc Christus venit, quando primum gentilitas auditu patulo verbum Dei suscepit. Tunc apparuit mulier vidua, tunc cito credens se obtulit, et ante faciem vocantis astitit Ecclesia. « Non, inquit, habeo panem nisi quantum pugillus potest capere farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illud mihi et filio meo, ut comedamus et moriamur. » Magnæ sibi paupertatis vera catholica Ecclesia conscia est. Non superbit, non extollitur, non sibi dives aut sufficiens videtur, quandiu vidua est, quandiu peregrinatur. Quidquid interim de verbo Dei, de scientia Dei consequitur, parum est, velut tantum farinæ quantum pugillus capere potest. Quidquid unctionis habet a Spiritu sancto, quasi parum olei in lecytho est. Quod enim nunc per speculum in ænigmate videmus (*I Cor.* XIII), quantum est ad comparationem perfectionis, quam exspectamus? Igitur non nisi parum farinæ, non nisi parum olei habeo, inquit. « En colligo duo ligna, » en meam consolor inopiam amplectens crucis ligna, « ut faciam mihi et filio meo, » ut de modico quod habeo sermonem bonum conficiam auditori, nunc primum ad fidem initiato, « ut comedamus et moriamur, » nec enim nos jam comprehendisse arbitramur. Operamur cibum qui non perit (*Joan.* VI), operamur quantum possumus panem vitæ (*ibid.*) in sancto altari duobus lignis excoctum, cruce et passione Christi signatum accipimus, et damus « ut comedamus et moriamur. » Confitemur enim quia indigni hoc facimus, et idcirco dignum est ut moriamur, si absque misericordia judicemur. « Noli timere, inquit, sed vade, et fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me. Tibi autem et filio tuo facies postea. » — « Noli timere, sed vade » habens spem vitæ, « et fac sicut dixisti, » credens huic promissioni, quia « qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*ibid.*). Verumtamen ut timere non debeas, ut merito spem habeas, ut in æternum vivas, de ipsa farinula, de ipsa fide tua, de ipsa traditione evangelica, « mihi primum fac subcinericium panem parvulum. » Humilia in jejunio animam tuam, et offer dignum sacrificium pœnitentiæ, et tunc demum « tibi, et filio tuo facies, » id est, digne offeres, digne percipies. « Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinæ, nec lecythus olei imminuetur, usque ad diem in qua daturus est Dominus pluviam super faciem terræ. » — « Non deficiet, » ait, sed vitæ effectum habebit, « usquequo det pluviam super faciem terræ, » usquequo veniat plenitudo refectionis æternæ. Ubi dicit hæc Dominus Deus Israel? In Evangelio suo, in Apostolo suo : « Quotiescunque enim panem hunc manducabitis, et calicem bibetis, ait Apostolus, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*I Cor.* II). »

CAPUT VIII.

De filio mulieris matrisfamilias quem suscitavit Helias, qui dicitur fuisse Jonas, et quid mystice designet mors ejus.

« Factum est autem post verba hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam : Quid mihi et tibi, vir Dei? » etc. Hujus mulieris viduæ filium, quem Helias suscitavit, Hebræi Jonam sanctum esse affirmant, qui et in exordio sui voluminis dicitur filius Amathi. Ob hanc etiam causam ipsum puerum vocatum esse aiunt filium Amathi, quia mater ait : « Nunc cognovi quia vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. » Amathi enim in lingua nostra, *veritatem* sonat. Ex eo quod verum Helias locutus est, ille qui suscitatus est filius esse dicitur veritatis. Et pulchre de veritate columba nascitur. Jonas enim *columba* interpretatur. Mystice autem hic idem intelligimus per viduæ filium, quod in Evangelio per Marthæ et Mariæ fratrem Lazarum (*Joan.* XI). Etenim tam per hujus quam per illarum domum, Ecclesia recte figuratur. Nam et in hac Helias, quod interpretatur *Deus Dominus*, utcunque sustentabatur, et in illa Deo Domino Jesu Christo temporaliter ministrabatur. Igitur et hic viduæ filius, et illic Lazarus, peccatorem significat Ecclesiæ filium, qui post acceptam fidem in anima mortuus est, dignum morte admittendo peccatum. Hoc tamen interest quod hic in domo suscitatur, ille quatriduanus de sepulcro revocatur (*ibid.*). Quapropter hic et recenti casu peccatorem, et ille significat mala consuetudine fetentem. Dicit itaque mulier vidua, dicit Domino Deo mater Ecclesia : « Quid mihi et tibi, vir Dei? » Quid mecum judicio contendit vir aut homo (*Jer.* II), idemque Deus et homo Filii Dei? « Ingressus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ, ut interficeres filium meum? » Nempe tanto pietatis affectu mater Ecclesia pro filio suo peccatore juste concitatur, ut quod unus de suis peccando moritur, suis imputet iniquitatibus. Hac pietate fortis, sic orat ut arguat, sic arguit ut oret et vincat. Ait

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim Helias : « Da mihi filium tuum. » Ait, inquam, Dominus Deus : Da mihi peccatorem tuum. Da mihi, age, hortare, ut per humilem confessionem præsens adsit. Hæc ait : « Tollensque eum posuit super lectum suum. » Lectus Heliæ, lectus Dei Domini, sanctum est altare, mundusque et religiosus conventus sanctæ Ecclesiæ. Illic expandit se, atque metitur super puerum tribus vicibus, condescendit enim peccatori pœnitenti, recepta confessione et satisfactione, per quam Patris, et Filii, et Spiritus sancti fides, quæ mortua fuerat, reviviscit, et reformatur, et vera est reformatio, et vera est demonstratio dicentis : « En vivit filius tuus. »

A

CAPUT IX.

Quid reversio Heliæ ostendentis se Achab mystice significet, et quid prophetæ Baal clamantes, seque cruentando concidentes, quid ignis invocante Helia cadens de cœlo super holocaustum, et quid quod data est pluvia, et quod Helias præcinctus lumbis currebat ante Achab.

B

(III Reg. cap. XVIII.) « Post dies multos factum est Verbum Domini ad Heliam in anno tertio, dicens : Vade et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ, » etc. Ad hoc ire, ad hoc missus est se ostendere, ut daretur pluvia super faciem **465** terræ. Et hoc factum est. « Rursum oravit, et ecce cœli contenebrati sunt, et nubes et ventus factus est et pluvia grandis. » Ita futurum est, ut siccitas et fames audiendi verbum Dei, quæ in Israel contigit, venientibus et prædicantibus Enoch et Helia convertatur in omnem plenitudinem diebus novissimis. Sed quid hoc sibi vult, quod interim velut iratus accurrit Helias, quod non commonitoriis utitur verbis, sed cum judicio agit, et quasi jurgio contendit? « Vade, inquit, Helia; ad Abdiam, et dic Domino Deo tuo : Adest Helias. » Ac deinceps : « Venitque Achab in occursum Heliæ, et cum vidisset eum, ait : Tune es ille qui conturbas Israel? Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, quia dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal, quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos qui comedunt de mensa Jezabel. » Ita factum est. Venerunt, habitoque certamine superior apparuit Dominus, exaudiendo per ignem. « Dixitque omnis populus : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. » Protinus sequitur : « Dixitque Helias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Helias ad torrentem Cyson, et interfecit eos ibi. » Quid hoc, inquam, sibi vult, quod daturo Domino pluviam super faciem terræ, prius Helias tanta zeli armatura accedit indutus? Illud nempe, quod in Evangelio suo verus Helias, verus Deus Dominus prænuntiando dicit : « Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus (*Luc.* XXI). » Ac deinceps : « Erit enim pressura magna super terram et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*ibid.*). » Profecto tunc Helias, id est Deus Dominus, iratus contra sacerdotes Baal venit, quando nutu ejusdem Dei Domini Romanus exercitus Jerusalem civitatem circumdedit. Denique quod nullus fidelis ambigit, Anna et Caiphas, cæterique sacerdotes, universi seniores, omnes Scribæ et Pharisæi, qui contra Dominum clamaverunt, sacerdotes Baal exstiterunt, imo sacerdotes Barabbæ latronis fuerunt. Pro Barabba contenderunt, pro latrone in certamine constiterunt. « Persuaserunt populo ut Barabbam sibi dimitti peterent, Jesum vero perderent (*Matth.* XXVII). » Ibi clamabant voce magna, dicendo : « Tolle, tolle, crucifige, crucifige (*Joan.* XIX), » et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis donec perfunderentur sanguine. Juxta ritum suum, inquam, semper enim illis moris fuit, cruentare et cruentari, et nunc amplius sanguine perfusi sunt, dicendo : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Sed ecce sacerdotibus illis præeunte sacrificio Barabbæ sui, Deus Pater nostrum Heliam, nostrum Deum et Dominum, per ignem exaudivit, per illum enim Spiritum sanctum nobis dedit. Quomodo? « Currebant, inquit, aquæ circa altare, et fossa aquæductus repleta est, » etc. Nempe lancea militis latus crucifixi Domini patefaciente, cucurrit aqua cum sanguine (*Joan.* XXIX). Cecidit autem ignis de cœlo, ignis, inquam, de quo idem : « Ignem, inquit, veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? » (*Luc.* XII.) Ille ignis statim post holocaustum cecidit, super apostolos videlicet, quando apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* IV), etc. Sane Abdias cui occurrit Helias, et dixit : « Vade et dic domino tuo : Adest Helias, » ipse est qui in ordine prophetarum quartus habetur. Abdias autem *servus Domini* interpretatur. Et recte hoc nomine vocatur; fecit enim quemadmodum servus Domini. « Servus autem tuus, inquit, timet Dominum ab infantia sua. Nunquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim, cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim ex eis centum viros, quinquagenos et quinquagenos, et paverim eos pane et aqua. » Idcirco quia centum prophetas salvaverat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus, factus est dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias. Quod tandem data pluvia sequitur : « Et manus Domini facta est super Heliam, accinctisque lumbis, currebat ante Achab, » illius temporis fuit signum quo venturus est currens ante illum populum, ut convertat « corda patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum (*Matth.* IV; *Luc.* I). » Juxta historicam superficiem hic nos exemplo suo docet in oratione habere perseverantiam. Cum enim dixisset puero : « Ascende et prospice contra mare, » et ille contemplatus respondisset : « Non est quidquam, » ipse ut erat pronus in terram perseverans posita facie inter genua,

C

D

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« revertere, ait septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. » Proinde Jacobus apostolus cum dixisset : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (*Jac.* v), » hoc exemplum proponens, « Helias homo erat similis nobis, passibilis (*ibid.*), » etc., ita concluait : « Multum enim valet deprecatio justi assidua (*ibid.*). »

CAPUT X.

De fuga ejus, qua mori timens mori optavit, et cujus rei ignus sit ipse vel juniperus, illeque cibus, cujus in fortitudine tot jejunavit diebus.

(III Reg. cap. XIX.) « Misitque Jezabel nuntium ad Heliam dicens : Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. Timuit ergo Helias, et surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas. » Paulo ante sic fortis Helias ut cœlum clausum contineret, totque prophetis Baal interfectis, cœlum rursus aperiret, nunc autem sic infirmus ut fugiat propter minas mulieris Jezabel turbatus, et præ pavore nesciens quo iret, palam quoque suo fecit exemplo, quia nullus homo de seipso fortis est. Non tamen ejusmodi infirmitas jure reprehenditur. Nam et in Evangelio per concessionem loquitur Dominus : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* x). » Sed quid est quod mortem fugiens optat mori? Sequitur enim : « Cumque venisset et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur. Et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, » etc. Sufficit mihi dixit, diu namque vixerat. Siquidem ipse erat Phinees, filius Eleazari, ut perhibent Hebræi. Quod verisimile videretur, nisi quod Phinees de tribu Levi exstitit, et Helias de habitatoribus Galaad fuisse perhibetur, ut supra legitur; Galaad namque civitas a monte Galaad in quo condita est sortita vocabulum, quam et cœpit de Amorræorum manu, Galaad filius Machir filii Manasse. Nullam quippe de Manasse possederunt civitatem filii Aaron, de cujus filio Eleazaro ortus est Phinees. Sed de tribubus Juda et Simeon, et Benjamin civitates quatuordecim. Sed ad propositum redeamus. Quid est quod sic mori timet, ut mortem optet? Nihilominus et quod sequitur, quæsitu dignum est. « Projecitque se, inquit Scriptura, et obdormivit in umbra juniperi, » etc. Semel obdormivit, et deinde surgens comedit et bibit, iterum dormivit, surgensque denuo, comedit **466** et bibit. « Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. » Numquid casu hæc gesta sunt? Non utique, sed mysteriis propheticis plena sunt. Helias qui supra in spiritu fortitudinis agendo, Dei et Domini secundum nomen suum typum gerebat, ipse hoc loco in infirmitate sua generis humani figuram gestat. Ibi capitis, hic membrorum mysterium est, Jezabel, qui mortem Heliæ intentat, mors æterna est, quæ per peccatum in hunc mundum introierat. Hanc quicunque fugit, sedet subter juniperum, id est confugit ad sanctum et vivificum crucis Dominicæ lignum. Currit ad baptismum, poscit Dominicæ passionis sacramentum. Illic ambit mortem, illic festinat commori Christo, ne ab Jezabel occidatur, complantari similitudini mortis Christi, ne in æterna morte detineatur. Projicit ergo se in umbra juniperi, et obdormiscit, id est subjicit se cruci Christi, et commoritur illi. « Omnes, inquit Apostolus, quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Inde surgens invitatur ab angelo Domini ad prandium, id est percipit a sacerdote Dominici corporis et sanguinis sacramentum. Illud comedit et bibit, et tamen rursus obdormiscit. Quamvis enim Christo commortuus, mortem æternam evaserit Christianus, temporali tamen morte corporis est moriturus. Sed rursus angelus Domini revertitur, eumque iterato invitat ad manducandum et bibendum. Surgit enim omnis qui dormit, veniente Christo in jussu, et in voce archangeli, in tuba Dei (*I Thess.* IV), et manducabit deinceps semel tantum, et semper panem verum, panem angelorum, facie ad faciem videndo Deum. « In fortitudine illius cibi ambulabit ad montem Dei quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » id est, perseverabit in cœternitate Dei cunctis diebus, imo sine fine cum angelicis spiritibus.

CAPUT XI.

De interpellatione ejus adversus Israel, et divino ad eum responso, et quid in spiritu grandi et forti subvertente montes, et conterente petras, quid in commotione, quid in igne, quid in sibilo auræ tenuis sit.

« Cumque venisset illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo Domini ad eum. Dixitque illi : Quid hic agis, Helias? At ille respondit : Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel. Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio, et relictus sum ego solus, » etc. Cujus rei fuerit hæc similitudo vel signum, Apostolus aperit, ex hoc loco sumens testimonium : « An nescitis in Helia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Dominum adversus Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI). » Ergo, sicut supra diximus, in illis qui curvaverunt genua ante Baal, mystice Judæi, qui Barabbam sibi elegerunt, intelligendi sunt. Nam septem millia virorum, qui ante Baal genua non curvaverunt, seipsum vult Apostolus intelligi, et cæteros, qui ex Judæis crediderunt. Quid porro intendens sic clamat, sic adversum Israel interpellat, se solum remansisse existimans, qui non curvasset genua ante Baal? Nempe illius adventum suspirat, per quem reformandum in integrum Dei cultum, tanquam propheta noverat. Messiam quippe,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

id est, Christum jam advenire optabat, jam cunctis pereuntibus in malum declinantibus tempus esse ut ille veniret, majori cordis, quam labiorum voce clamabat. Ad hoc respondens Dominus : « Egredere, inquit, et sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis, subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in Spiritu Dominus. Et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis, et ibi Dominus. » In spiritu grandi et forti subvertente montes, et conterente petras, futuram captivitatem significat decem tribuum Israel, quæ facta est a Salmanasar rege Assyriorum regnante Osee (*IV Reg.* XVII). « Non in spiritu, » inquit, Dominus, id est, nondum finis, nondum veniet Messias, Dominus qui expectatur. In commotione transmigrationem primam designat tribus Juda, qua tradendus erat Joachim, rex Juda, in Babylonem cum quadraginta millibus, nemine relicto exceptis pauperibus. « Non, inquit, in commotione Dominus, » id est nondum finis, nondum veniet Dominus. In igne secundam captivitatem Juda et Jerusalem vult intelligi, quando rebellante Sedechia, iterum venit rex Babylonis, et succendit Nabuzardan princeps exercitus domum Domini et domum regis, omnemque domum combussit igni, et muros Jerusalem in circuitu destruxit (*IV Reg.* XXV). « Non, inquit, in igne Dominus, » id est, nondum templo exusto, et civitate destructa tempus erit Dominici adventus. « Et post ignem sibilus auræ tenuis, et ibi Dominus. » Sibilus auræ tenuis, occultus et secretus fuit adventus Domini, quem quasi de aura tenui, id est de Spiritu sancto Maria Virgo concepit. Fuerunt autem a prædicto turbine usque ad commotionem, id est, a captivitate decem tribuum, usque ad primam transmigrationem filiorum Israel, anni circiter centum viginti septem, qui supputantur hoc modo. Anno sexto Ezechiæ transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios. Ipse autem Ezechias viginti novem annis regnavit in Jerusalem. Ergo regni ejus residui erant anni viginti quatuor. Qui conjuncti cum quinquaginta quinque annis filii ejus Manasse, ac duobus filiis ejus Ammon, atque triginta et uno Josiæ, ac deinde undecim Eliachim, qui dictus est Joachim, tandemque tribus filii ejus Joachim, fiunt centum viginti septem, ab illa commotione usque ad ignem, id est, a prima transmigratione, usque ad templi et civitatis exustionem fuere anni undecim regni Sedechiæ. Ab illo igne sive ab illa captivitate usque ad sibilum auræ tenuem, id est Christi adventum, quot anni interessent, Danieli his verbis revelatum est : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (*Dan.* IX), » etc. Nimirum eo tendebat Helias, ut deleretur iniquitas per Christi adventum, et adduceretur justitia sempiterna, qui nunc abundante iniquitate se solum relictum esse putabat.

467 CAPUT XII.

Juxta anagogen quid ille spiritus, quid commotio illa, quid ille ignis, quid ille sibilus, quid ipse Helias significet, operiens pallio vultum suum.

Juxta anagogen, Spiritus ante Dominum evertit montes et petras conterit, quia pavor, qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit et duritiem liquefacit. Sed spiritu commotionis et igni non inesse Dominus dicitur, esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet, Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum auræ tenuis percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene subditur : « Quod cum audisset Helias, operuit vultum suum pallio, et ingressus, stetit in ostio speluncæ, » etc. Post auræ tenuis sibilum, vultum suum operuit propheta ; quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur agnoscit. Velut namque pallium superducere est, ne mens altiora quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat.

CAPUT XIII.

Quomodo ad imperium Domini Helias Helisæum prophetam, et Helisæus Jehu regem unxerit super Israel, et quod contra decretum Domini egerit Achab reservando Benadab, adeo quod diceret Dominus : « Erit anima tua pro anima ejus, » etc.

« Et ait Dominus ad eum : Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum. Cumque perveneris illuc, unges Azahel regem super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel. Helisæum autem filium Saphath, qui est de Abelmaula unges prophetam pro te. Et erit quicunque fugerit gladium Azahel, interficiet eum Jehu, et qui fugerit gladium Jehu, occidet eum Helisæus. » Horum quæ præcepta sunt unum solum Helias continuo fecisse legitur. « Profectus ergo inde reperit Helisæum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum, et misit super illum pallium suum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Heliam. » Hoc, inquam, solum Helias, cætera Helisæus fecit, postquam translatus est Helias. Et Azahel quidem non unxit, sed stante illo coram eo conturbatus est usque ad suffusionem vultus et flevit. « Cui Azahel ait : Quare dominus meus flet ? At ille respondit. Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala (*IV Reg.* VIII). » Ac deinceps : « Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore (*ibid.*). » Tunc Benadab rex Syriæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ægrotabat. Continuo sequitur Scriptura : « Qui cum recessisset ab Helisæo, » videlicet Azahel, « venit ad dominum suum. Tulitque altera die stragalum, et infudit aqua, et expandit super faciem ejus. Quo mortuo, regnavit pro eo (*ibid.*). » Jehu autem filium Namsi postmodum unxit. « Vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi : Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat, filii Namsi (*IV Reg.* IX), » etc. Quis ita immutavit decretum Domini? Achab hoc fecit permissus judicio Domini. Non fecit Achab, quod Dominus voluerat, non secutus est judicium, quod judicaverat Dominus super Benadab. Videamus historiæ sequentia. (III REG. CAP. XX.) « Benadab rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos et currus, et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam. » Ac deinceps : « Et ecce propheta unus ascendens ad Achab regem Israel ait : Hæc dicit Dominus. Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. » Illo dicente : « Per quem. — Per pedisequos, inquit, principum provinciarum, et tu incipies prœliari. » Ita factum est. Inito certamine fugerunt Syri, et persecutus est eos Israel, et percussit Syriam plaga magna. Postquam annus transierat recensuit Benadab Syros, et ascendit in Apheth, ut pugnaret contra Israel. Dixerunt enim servi ejus : Dii montium, sunt dii eorum, ideo superaverunt nos. Sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. Dominus autem : « Quoniam, inquit, dixerunt : Deus montium est Dominus, et non Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua. » Ita factum est. « Percusserunt filii Israel de Syris centum millia peditum in die una, et super viginti septem millia hominum, qui remanserant, » cecidit murus civitatis Apheth, ad quam confugerant. Benadab postmodum semetipsum tradidit, et levavit eum in currum suum Achab, pepigitque cum eo fœdus, et dimisit eum. Dominus autem : « Quoniam, inquit, dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo illius. » Claret itaque quia Benadab regem Dominus dignum morte judicaverat, et idcirco jusserat pro illo ungi Azahel, mox traditurus illum in manu Achab. At ille superbus et vanus dimisit eum, ac proinde juste in judicium Saul incidit, qui Agag regem Amalech reservavit contra præceptum Domini. Sententia dicentis « erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo illius, » hoc modo completa est! « In anno tertio descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel. Dixitque rex Israel ad servos tuos : An ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ »? (*III Reg.* XXII.) Ascendit itaque rex Israel et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad. Commisso prælio, « unus tetendit arcum in incertum, et casu percussit regem Israel, inter pulmonem et stomachum. Fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus. » — « Sepelieruntque regem in Samaria, et lavernut currum ejus in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt (*ibid.*). » Hoc modo, quia dimisit Benadab, fuit anima ejus pro anima illius. Nec vero tantum, quia dimiserat illum impium morte dignum, verum etiam quia occiderat et possederat, occiderat, inquam, Naboth Jezraelitem, et possederat vineam ejus, quam ille vendere noluerat (*II Reg.* XXI). Sic impius fuit Achab, ut virum dignum morte dimitteret de manu sua, et justum occideret pro cupiditate sua. Recte igitur et ordine judicii pulcherrimo, anima ejus pro anima illius, ut ex illo quem dimiserat, occideretur et canes linxerunt sanguinem ejus, cujus et carnes comedere debuerant juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Heliæ servi sui : « Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes. Si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli (*III Reg.* XXI). » Sed humiliatus Achab causa Domini scidit vestem suam, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque ac 468 dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Idcirco Dominus : « Non, inquit, inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus (*ibid.*) »

Porro populus ejus hoc modo fuit pro populo Benadab. « Regnante Joram filio ejus, congregavit Benadab universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. Factaque fames est magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum dicens : Salva me, Domine mi rex. Qui ait : Non, te salvet Dominus. Unde te salvare possum, de area an de torculari? Dixitque ad eam rex. Quid tibi vis? Quæ respondit : Mulier ista dixit mihi : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedamus cras. Coximus ergo filium meum et comedimus (*IV Reg.* VI), » etc. Igitur Heliæ quidem mandaverat Dominus ungere Azahel regem super Syriam, et ipsum tradiderat in manus Achab, sed mandatum hoc ut non impleret Helias, Achab, permittente Domino, in causa fuit, quod in malum illi et domui ejus versum est. Nec tamen dissolvi poterat voluntas Domini, quin moreretur vir morte dignus Benadab, et regnaret Azahel, excepto quod unctus non est, nec enim dignum erat, ut per prophetam ungeretur qui dominum suum interficeret. Quomodo autem impletum est quod ait Dominus : « Et erit, quicunque fugerit gladium Azahel, occidet eum Jehu, et qui fugerit gladium Jehu, occidet eum Heliseus? » (*III Reg.* XIX.) Videlicet « quicunque de domo Achab fugit gladium Azahel, » qui Syriæ princeps erat et rex futurus, jam a Domino decretus erat, « occidet eum Jehu, » delevit enim universam domum Achab. Quis autem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

effugit gladium Jehu, nisi Syria? Nempe Jehu si perfecte via Domini ambulasset, et sicut delevit Baal de Israel, ita et multos, quos Hieroboam vitulos fecerat dereliquisset atque delevisset sicut percusserat domum Achab, ita Syriam quoque percutere meruisset. At ille a peccatis Hieroboam non recessit, et per hoc Syria gladium ejus effugit. Percussit autem eam Helisæus. Quomodo? Infra scriptum est : « Helisæus ægrotabat in infirmitate, qua et mortuus est, descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque : Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et ait Helisæus ad eum : Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas, dixit ad regem Israel : Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Helisæus manus suas manibus regis, et ait : Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Helisæus : Jace sagittam. Et jecit. Et ait Helisæus : Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam. Percutiesque Syriam in Aphet, donec consumes eam. Et ait : Tolle sagittas. Qui cum tulisset rursum, dixit ei : Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait : Si percussisses quinquies aut sexies sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam (*IV Reg.* XIII). » Joas iste nepos erat Jehu, id est, filius Joachaz filii ejus. Igitur qui fugit gladium Jehu interfecit eum Helisæus, id est Syriam quam Jehu vel posteri ejus ad percutiendum consequi non merebantur, non quidem manu, sed meritis percussit Helisæus.

CAPUT XIV.

De morte Naboth Jezraelitæ, quod ipse quoque innocentiæ Christi præco moriendo fuerit, et cujus rei vinea ejus, cupiditas Achab, et Jezabel impia, typus exstiterint.

(III Reg. cap. XXI.) Rerum bellicarum divinis breviter causis pro posse redditis, nunc demum ad prophetalem Heliæ et Helisæi gratiam redire cupimus, sed ecce sanguinem Naboth de agro Jezrael clamantem audimus, ut eum in mysteriis Christi Domini silentio, præterire non debeamus. Habet quippe sanctorum auctoritas, quia quomodo propter sanguinem ejus, qui effusus est in Jezrael, deleta est domus Achab, ut Heliæ vaticinium compleretur, sic propter sanguinem veri Jezrael, hoc est seminis Dei, regnum destructum est Judæorum. Ergo quanquam ad reliqua properantes, divertamus ad hunc innocentiæ Christi præconem. « Locutus est Achab ad Naboth, dicens : Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est et prope domum meam. Daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut, si tibi commodius putas, argenti pretium quanto digna est dabo. Cui respondit Naboth : Propitius sit mihi dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. » Naboth *conspicuus* sive *sessio* interpretatur, vel certe *exclusio*. Sessionis vel exclusionis nomen Christo bene congruit, propter suæ passionis humilitatem, actamque extra civitatem ad crucifigendum ipsius exclusionem. Porro conspicuus factus est per resurrectionem et ascensionem, extunc habens nomen quod est super omne nomen. Naboth iste Jezraelites erat. Bene Jezraelites. Jezrael quippe interpretatur *semen Dei*, quod utique non aliud est nisi Filius Dei. Huic erat vinea, videlicet illa de qua loquitur evangelica parabola. Nam « erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei (*Matth.* XXI), » etc. « Da mihi vineam tuam, inquit Achab, ut faciam mihi hortum olerum; » per Achab, quod interpretatur *frater patris*, Judaicum populum supra diximus significari, fratrem, id est cohæredem patris sui diaboli, ex quo Filium crucifixit Patris omnium Dei. « Da mihi, inquit, vineam tuam, ut faciam mihi hortum oleris. » Quod est dicere : Ad nostros libitus nobis permitte fidem et spem patriarcharum, legem quoque et testamentum, ut in voluptatibus terrenis expendamus honorem vel merita Patrum sanctorum. Ad hæc ille : « Propitius, inquit, sit mihi dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. » Absit, absit, ait, ut concedam talibus debere dici, vel esse semen Abrahæ, filios Dei, hæredes regni Dei! Sed « si estis filii Abrahæ, opera utique Abrahæ facite (*Joan.* VIII), » vine meæ, vine patris mei fructus afferte. « Venit ergo Achab in domum suam, indignans et frendens. Et projiciens se in lectum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua dixitque ei : Quid est hoc? » etc. Quantum indignati sint, quantum frenduerint Judæi legentes miramur, et admirantes legimus; juxta prædictam Evangelii parabolam, qui prius servos patrisfamilii missos apprehendentes, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Hoc fecerunt semel et iterum. Novissime autem missum ad se filium, patre dicente : « Verebuntur filium meum, » illi videntes, dixerunt : « Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI). » Hoc pessimum consilium impia conflavit Jezabel, impia Synagoga, impii Scribæ, et Pharisæi, seniores populi, et pontifices : Occidamus eum, et nostra erit hæreditas, occidamus eum, et Romani non venient tollere nostrum locum et gentem (*Joan.* XI). « Prædicate, inquit Jezabel, jejunium, et sedere facite, inquit, Naboth inter primates populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant : Benedixit Deum et regem, et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. » O hypocrysin, Deo odibilem juxta ipsam litteræ superficiem! « Prædicate jejunium. » Quam ob causam? Ob magnum piaculum, ob immane sacrilegium, quia Naboth maledixit Deum, quia Naboth blasphemavit Deum insuper et regem, cum sic dicat lex : « Principi populi tui non maledices (*Exod.* XXII). » Et : « Qui blasphemaverit Deum, morte moriatur (*Lev.* XIV). » Idcirco, præ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dicate jejunium, et dicite : Omnes jejunemus, omnes humiliemur, quia tantum diebus nostris nefas audivimus, ne forte cum blasphemo, pariter a terra deglutiamur. Plane hoc illi simile est, quod princeps sacerdotum cum dixisset : « Adjuro te, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei : illo respondente : Tu dixisti, scidit vestimenta sua » ille magnus et fortis æmulator Dei, « et dixit : Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc auditis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi dixerunt : Reus est mortis (*Matth.* XXVI). » Illi, inquam, simile est. Quare autem sedere fecerunt Naboth inter primates populi, et tunc demum submiserunt testes contra eum? Nimirum quia Naboth de primatibus erat populi, et ut totus videretur speciosus ordo judicii, primum in ordine suo sedit, ut postquam testes locuti fuissent, tunc demum honore privatus, postremo vita privaretur. Hoc jam pulchre nefario modo palliata incessit novissima hypocrisis. Quid multa? « Duxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. » Imo duxerunt Dominum extra civitatem, et crucifixerunt. Sed hæc dicit Dominus : « Occidisti, insuper et possedisti (*III Reg.* II). » Et post hæc addidit : « In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem (*ibid.*). » Ac deinceps : « Canes comedent Jezabel in agro Jezrael (*ibid.*), » etc. Juxta historiam, hæc ita facta sunt. « Jehu introeunte, respexit Jezabel per fenestram oculis suis stibio depictis atque ornato capite, et ait: Numquid pax potest esse Zambri qui interfecit dominum suum? » (*IV Reg.* IX.) Videlicet ut, quantum hora permittebat, interfectorem suum castigaret, et de proximo territum exemplo a nece sua compesceret, sic locuta est, atque ut placere interim possit, oculis atque capite ornata est. « At ille dixit eunuchis : Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam (*ibid.*). » Postmodum, cum requireretur indulta sepultura, quia filia regis erat, « non invenerunt, nisi calvariam et pedes, et summas manus, reliqua namque canes comederant (*ibid.*). » Hæc nimirum vindicta sanguinis Naboth, vindictæ sanguinis Christi portentum fuit. Hoc præcipitium Jezabel, illud præcipitium præsignavit, quod Jeremias prævidens lamentando, dicit sub specie Babylonicæ, quæ præsens erat, captivitatis : « Præcipitavit Dominus omnia speciosa Jacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram. Polluit regnum et principes ejus (*Thren.* II), » Item præcipitavit Dominus Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, replevit in filia Juda, humiliatum et humiliatam. Præcipitium illud toto orbe auditum est. Ecce Synagoga illa, quæ Christum occidit, ubi est? Nempe quidquid superesse videtur tale vel tantum est, quantum fuit, quod de corpore Jezabel superaret canibus. Mortuum est omne, tam regnum quam sacerdotium ejus, canes, id est maligni spiritus, devorant quidquid religionis sabbatizando aut sacrificando Deo sese offerre arbitrantur. Hinc jam ad superiora revertamur.

CAPUT XV.

De Helia, et Helisæo, quid mystice significet quod pallium suum posuit super eum, et ille relictis bobus cucurrit post eum.

« Cumque venisset Helias ad Helisæum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus, cucurrit post Heliam (*III* Reg. XIX). » In Helia Deus et Dominus Christus; in Helisæo chorus apostolorum ejus recte intelligitur. Transferendus Helias pallium super Helisæum posuit, quia videlicet Deus et Dominus Christus ex hoc mundo ad Patrem transiturus, officium simul et spiritum suum apostolis dedit. « Quod meum erat, inquit Helias, feci tibi. » Nempe Deus et Dominus Christus quod suum erat fecit apostolis, postremo dicens ad eos : « Sicut misit me Pater et ego mitto vos (*Joan.* XX). » — « Relictis bobus Helisæus cucurrit post Heliam, » id est, relictis omnibus negotiis, nudi et expediti apostoli exsecuti sunt dispensationem Evangelii sibi creditam. Deinceps historicus ordo sic se habet (IV Reg. cap. I) : « Misit ad eum Ochozias quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo, » videlicet ut eum apprehenderent. Dixerat enim : « Nunquid quia non erat Deus in Israel, misisti ut consulatur Beelzebub Deus Accharon? Ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. » « Ascendit ad eum quinquagenarius, sedentique in vertice montis, ait : Homo Dei rex præcepit ut descendas. Si, inquit, homo Dei sum, descendat ignis de cœlo et devoret te et quinquaginta tuos. » Hoc semel et iterum factum est. « Quinquagenarius tertius cum venisset, curvavit genua contra Heliam, et deprecatus est pro anima sua, et pro anima illorum qui secum erant. » Deinde, sequitur (IV Reg. cap. II) : « Factum est autem cum levare vellet Dominus Heliam, per turbinem in cœlum ibant Helias et Helisæus de Galgalis. »

CAPUT XVI.

Quid in mysterio præsignet quod Helias est levatus in cœlum, quid primus et secundus quinquagenarius qui cœlesti igne consumpti sunt, et quid tertius, qui se humiliando salvatus est.

Plana historia, prout res gestæ sunt, ordine necessario texitur. Quæ autem in his figurata sunt oportet ut ordine præpostero requiramus. In mysterio quippe prius est quod Helias in cœlum levatur, posterius quod exsecutores ejus primi et secundi, descendente de cœlo igne, devorantur. Siquidem prius Deus Dominus Christus in cœlum ascendit, et postmodum misit Beelzebub exsecutores suos primos et secundos, quos tandem ignis æternus in die judicii devorabit. Primus quinquagenarius, Nero fuit, qui primus adversus nomen Christianum leges conscripsit, edicta proposuit. Hujus quinquagenarii quinquaginta, fuerunt omnes qui deinceps exemplum ejus secuti sunt, et sæviendo in martyres, Christi nomen

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

exterminare voluerunt. Beelzebub ad quem consulendum miserat Ochozias, in Evangelio quoque princeps dæmoniorum nuncupatur. Ergo Neronem quoque misit Beelzebub, id est diabolus. Secundus quinquagenarius, Antichristus erit, et quinquagenarii ejus omnes impii qui adventu ejus ad necem sanctorum armabuntur. Tertius quinquagenarius, et quinquaginta **470** qui erant cum eo, persecutores illos designant, qui de crudelitate et proposito malo per pœnitentiam resipiscant. Hoc significat, iste genua sua curvando, precando et dicendo : « Homo Dei, noli despicere animam meam, et animam servorum tuorum qui mecum sunt (*IV Reg.* I), » etc. Non dixit quemadmodum ille primus sedenti in vertice montis : « Homo Dei, rex præcepit ut descendas (*ibid.*) » aut quemadmodum ille secundus, « Hæc dicit rex : Festina, descende (*ibid.*). » Dicere namque Heliæ « rex præcepit ut descendas de montis vertice; » aut « festina, descende, » id est velle Christum de cœlo deponere, ut nullus fateri audeat Deum Dominum Christum in cœlum ascendisse. Hos igitur et illos, id est primos et secundos, devorabit ignis in ultimo judicio, tertium autem et omnes quinquaginta ejus, universos qui pœnitentiam egerunt, salvabit Deus Dominus in illo adventu suo.

CAPUT XVII.

Quid mystice significet quod Helias in cœlum levandus pallio suo Jordanis aquas percussit ac divisit, et quid quod Helisæus qui tertio sedere permissus, sedere noluit, sed cum illo perseveranter ivit.

« Ierunt ergo ambo pariter, et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt. Qui steterunt de contra longe. Illi autem stabant ambo super Jordanem. Tulitque Helias pallium suum, et involvit illud et percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum. » Helisæus tertio per concessionem dimissus ut sederet, noluit sedere, sed potius cum Helia pariter ire. Dixerat primo Helias : « Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. » Dixerat secundo : « Sede hic, quia Dominus misit me in Hierico. » Dixerat tertio : « Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. » Ille perstitit, et ad omnia hæc unum eumdemque sermonem respondit : « Vivit Dominus, et vivit anima mea, quia non derelinquam te. » Plane hoc perseverantiæ homo, beatos significat apostolos, qui suum Heliam, suum Deum et Dominum perseveranter sunt secuti, non contenti complesse præceptum, nisi etiam proficiscerentur usque ad perficiendum consilium. Nempe quod ait Helias : « Sede hic, » non præcipiendo, sed permittendo dixit, quo videlicet ille permisso pro magistri amore noluit uti. Sic nimirum apostoli et apostolici viri, postquam impleverunt præcepta, verbi gratia : « Non occides, non mœchaberis, » nec permissis, id est conjugio vel re familiari, pro amore Christi voluerunt uti. Propter quod dicit : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* XXII). » Igitur, inquit Scriptura, « ambo pariter ierunt, steterunt**que** super Jordanem. » Jordanem constat baptismi sacramentum significare. Porro baptismum ipsum in morte Christi manifestum est esse conditum. « Omnes enim quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Igitur usque ad Jordanem venerunt usque ad passionis articulum, Dominum suum Christum apostoli secuti sunt. Et si metu perculsi, secundum corpus ad tempus fugerunt, mente tamen cum illo perstiterunt. « Tulit Helias pallium suum, et percussit aquas, » id est tradidit Christus corpus suum, et patefacto latere suo, per sanguinem et aquam decurrentem, salutares baptismi nobis consecravit aquas. « Divisæ sunt aquæ, et transierunt uterque per siccum. » Mors namque soluta est, et Christus resurrexit a mortuis, et apostoli per eamdem mortem redempti sunt.

CAPUT XVIII.

De eo quod ait : « Postula quid vis ut dem tibi, » etc., qualiter itidem in ascensione Christi apostolis factum sit.

« Cumque transissent, Helias dixit ad Helisæum : Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixit Helisæus : Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me. Qui respondit : Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me quando tollar a te, erit quod petisti. Si autem non videris, non erit. » — « Postula, inquit, quod vis, ut faciam tibi. » Hoc ille dixit « cum transissent, » Dominus autem noster hoc ipsum dixit apostolis suis in ipso transitu, intra ipsum passionis agonem, « sciens quia venit ejus hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII). » — « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis (*Joan.* XVI). » Et ille quidem scivit petere, dicens : « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me. » Apostoli autem petere nesciverunt. Sed occurrit prompta largitoris benignitas, et antequam peterent quasi duplicem spiritum promisit, dicens : « Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado (*Joan.* XIV). » Nempe majora facere id quodammodo est duplicem Christi spiritum habere. Quomodo autem discipuli Christi majora quam Christus opera fecerunt? Quænam possunt esse majora? Ut cætera taceam, Christus salutaris doctrinæ sermonem in una tantum gente illa non valde magna prædicavit, una tantum lingua, scilicet Hebræa, et paucissimos ex eis convertit. At vero apostoli, postmodum sancto Spiritu accepto, linguis omnibus, cœlestis sapientiæ sermonem cunctis gentibus locuti sunt, qui erant homines idiotæ et sine litteris, et innumerabilem de cunctis gentibus multitudinem fructuoso labore acquisierunt (*Act.* II). Item : Christus missus a Patre, venit tantum in spiritu mansuetudinis, apostoli autem apostolorumque successores missi a Christo, venerunt ad nos in virga et in spiritu mansuetudinis. Virga potestas disciplinæ

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est, quia Christus neminem coercuit. Spiritus mansuetudinis mitis est sermo exhortationis, quo solo usus est, non tanti habitus, ut ei quemquam corripere prælationis jure vacaret. Igitur Heliæ spiritus in Helisæo duplex est, duplex, inquam, in apostolis Christi officium vel effectus modo aliquo est. Sane juxta litteram. Heliæ spiritus in Helisæo duplex ex eo palam valet intelligi, quod Helisæus plura, id est duplicia, quam Helias signa fecit. « Rem, inquit, difficilem postulasti. Attamen si videris quando tollar a te, erit quod petisti. Si autem non videris, non erit. » Velut ex latere meritum tetigit Helisæi, videlicet quia perseverando cum illo cum totics sibi dictum esset, sede hic, illud meruit, ut quasi hæreditario jure spiritum perciperet magistri munere duplici.

CAPUT XIX.

De curru igneo, quo est elevatus, et quod nec aliquis ante vel post Christum sic ascendit, vel possit ascendere in cœlum quomodo Christus.

« Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque. Et ascendit Helias per turbinem in cœlum. Helisæus autem videbat et clamabat : Pater mi, pater mi, currus Israel et **471** auriga ejus. Et non vidit eum amplius. » Currus quo moris erat, reges ac principes vectari, dignitatem significat beati viri qui vere dignus est, et honorem consequitur, quem Deus honorare decrevit. Quod igneus apparuit, meritum indicat zeli fortissimi, quo pro Domino Deo exercituum zelatus est plus cæteris. « Non, inquit, vidit eum amplius. » Hoc beatificans vir sapiens : « Nos, inquit, vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Helias quidem in turbine vectus est (*Eccli.* XLVIII). » Et continuo subjungit : « Et in Helisæo completus est spiritus ejus (*ibid.*). » Quomodo completus est? Videlicet ut hoc esset ipse quod magistrum esse fatebatur, id est « currus Israel et auriga ejus. » Sic enim et illi dixit rex Israel ægrotanti in infirmitate qua et mortuus est : « Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus (*IV Reg.* XIII). » Currus nimirum portando Israel meritis, auriga regendo Israel responsis prophetieis. Et ille quidem quia homo erat, et non Deus, curru indiguit quo in cœlum levaretur, in cœlum, inquam, non æthereum, sed aereum, in aliquam terræ secretam regionem dimittendus circa finem sæculi, ad persolvendum mortis debitum rediturus. At vero Christus vere secundum nomen Heliæ Deus et Dominus sine curru, sine aliquo vehiculo, vel angelorum ministerio, in cœlum ascendit, in cœlum æthereum, sessurus æternaliter ad dexteram Patris. Nemo ante illum sic ascendit, vel post ascensurus est. Quemadmodum dicit : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Nos quippe ascendere in cœlum non possumus, sed quia ille caput nostrum est, et nos membra sumus, divina ejus virtute sublevamur atque portamur.

CAPUT XX.

Quid sit mystice quod Helisæus vestimenta scidit, quodque pallio Heliæ primo percussit aquas, et divisæ non sunt, secundo percussit, et divisæ sunt.

« Apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Heliæ quod ceciderat ei. Reversusque stetit super ripam Jordanis, et pallio Heliæ quod ceciderat ei, percusserat aquas, et non sunt divisæ. Et dixit : Ubi est Deus Heliæ, etiam nunc? Percussit aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transivit Helisæus. » Vetera vestimenta apostolorum carnales erant cæremoniæ Judæorum. Porro Christi pallium, sanctum est Evangelium. Helisæus ergo apprehendens, scidit vestimenta sua, levavitque pallium Heliæ quod ei ceciderat, quia videlicet apostoli edocti Spiritu sancto carnalia rejecerunt a se, legis instituta detrimentum reputantes, et arbitrantes ut stercora; Christi autem Evangelium susceperunt quod eis tradiderat, quod eis reliquerat. Ventum est ad aquas Jordanis, et illo Helisæus pallio percussit aquas. Statim namque in Judæa prædicare cœperunt apostoli Evangelium Christi, prædicare cœperunt gratiam baptismi. « Et aquæ non sunt divisæ, » inquit. Certum est quia divisæ non sunt, nec Helisæo transitum præbuerunt. Judæi namque prædicantibus apostolis non cesserunt, gratiam Christi non receperunt. Invocato Deo Heliæ « percussit aquas, et divisæ sunt, et transivit Helisæus. » Divisæ sunt aquæ iterata percussione, id est recepta est baptismi gratia missa ad alios, id est ad gentes Evangelii prædicatione. Tunc transivit Helisæus, tunc, inquam, viam habuit Domini salus, apostolis prædicantibus atque per publicum non sine magno fructu portantibus. Helisæus namque *Dei mei salus* interpretatur.

CAPUT XXI.

Quid sit mystice quod Helisæus in Hiericho habitavit, et aquas steriles terramque pessimam mittendo sal in vase novo sanavit.

« Ille autem habitavit in Hiericho. Dixerunt quoque viri civitatis illius ad Helisæum : Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis. At ille ait : Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Qui cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, et ait : Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit in eis ultra mors neque sterilitas. » — « Habitavit, inquit, Helisæus in Hiericho. » Ex quo Hierosolymitani, id est Judæi, quibus oportebat primum loqui verbum Dei, repulerunt illud, et indignos se judicaverunt æternæ vitæ (*Act.* XIII), Helisæus habitat in Hiericho, Helisæus, inquam, id est Dei salus, habitat in gente populoque quondam destructo atque anathematizato, sicut in diebus Josue fuit (*Jos.* VI), illa civitas Hiericho. Verum hanc inhabitando fecit, ut quæ erat Hiericho, id est defectus, nunc sit sancta indeficientis fidei Sion. Habitatio civitatis hujus, inquiunt Jerichotini, optima est, sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Nempe hoc dixerunt et veraciter dicere potuerunt, quibus pessimæ et amaræ legis aquæ propinantur, sicut habemus in Actibus apostolorum : « Cum venissent apostoli, et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, quia aperuisset gentibus ostium fidei (*Act.* XIV). » Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres, Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri (*Act.* XV). » Ac deinceps : « Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes, Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi (*Ibid.*). » Nimirum eorum, quibus dicebantur hæc verba ista sunt : « Ecce habitatio hujus civitatis optima est, sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis est. » Quod est dicere : In Christum credere optimum est, sed observationes legis importabiles sunt, et labor inutilis. Quod continuo Petrus apostolus comprobans, dicit : « Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? » (*Ibid.*) « Afferte mihi vas novum, » inquit Helisæus, « et mittite in illud sal. » Hoc nempe et protinus factum est, dum tacentibus omnibus respondens Jacobus, orationem suam ita concludit : « Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Dominum, sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine (*ibid.*). » Denique abstinere ab hujusmodi, hoc est, vas novum afferre, nam illa erant de vetusto vase, de vetusto homine. Porro in novum vas sal mittere, hoc est cum discretione agendo, non inquietari renatos spiritu mentis suæ, de laboriosa et inutili legis observatione. Hoc facto veraciter dicat Dominus : « Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors neque sterilitas. » Quomodo sanavit aquas has? Utique data spirituali intelligentia, quia carnaliter legem intelligere, mors erat. Intelligere autem spiritualiter sanitas est, vita est. Dicit enim Apostolus : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III). »

472 CAPUT XXII.

Quod, Helisæo ascendente per viam, pueri illuserunt, et idcirco eos duo ursi de saltu egressi laceraverunt, portentum fuisse mirabilis excidii Hierosolymorum, sub Tito et Vespasiano, pro eo quod Christo illuserunt.

« Ascendit autem inde Bethel. Cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei dicentes : Ascende, calve, ascende, calve. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini. Egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. » Post illa quæ ante dicta sunt, miro et mystico ordine sequitur hoc factum. Quid enim nisi portentum fuit miserabilis excidii Jerosolymorum, quod post ascensionem Domini in Helia præfiguratum, et post transitum apostolorum ad gentes, qui per Helisæum habitantem in Hiericonte signatus est constat esse factum? Duo nempe ursi de saltu egressi sunt, et pueros laceraverunt, quia duo imperatores, Vespasianus pater et Titus filius, ab urbe Roma venerunt et Judæos interfecerunt. Quam ob causam? Videlicet quia pueri Helisæo illuserunt, quia stulti Judæi, et principes eorum pueri centum annorum (*Isa.* LXV) propter quod et maledicti sunt, Domino nostro illuserunt, et eum conspuerunt, faciem ejus velaverunt, colaphizaverunt, purpura induerunt, spinis coronaverunt, flagellaverunt, tandemque dixerunt : « Ascende, calve, ascende, calve. » Quo? In locum Calvariæ, in crucem ascende. Cur enim tantus vir pueros in nomine Domini malediceret, nisi lusum eorum prophetico spiritu intellexisset? Nam quod intellexerit, ipsa littera præsens innuit. « Cum, inquit, respexisset, vidit eos, et maledixit. » Plane vidit eos, et intellexit eos, intellexit in eis pueros futuros, pueros malignos, de quibus jam dictum est. Non ergo maledictio hæc ex amaritudine irascentis, sed ex ratione fuit prævidentis. Hoc jam Helisæi signum tertium fuit. Numeranda quippe sunt, ut palam constet illud factum esse quod petivit, id est quod spiritus Heliæ in eo duplex factus sit. Primum ergo signum fuit, quod Heliæ pallio percussit aquas, et divisæ sunt. Secundum, quod aquas pessimas sanavit. Tertium, quod pueris tam efficaciter maledixit.

CAPUT XXIII.

Quod, cantante psalte, facta est super Helisæum manus Domini, evidens esse documentum, quia non semper aderat Spiritus sanctus prophetis, quodque ad invocandum Spiritum sanctum cum sermone divinæ laudis, multum valet sonus musicæ dulcedinis.

(IV Reg. cap. III.) « Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum cum velleribus suis. Cumque mortuus fuisset Achab prævaricatus est fœdus, » etc. Quantum virtutis opus hæc narratio continet : « Perrexerunt, inquit, rex Israel, et rex Juda, et rex Edom et circuierunt per viam septem diebus, nec erat aqua exercitui et jumentis quæ sequebantur eos. » Ac deinceps : « Nunc autem, inquit Helisæus, adducite mihi psalten. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait : Facite in alveum torrentis hujus fossas et fossas. Hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum, neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis. Insuper tradetur etiam Moab in manu vestra. » Ita factum est. Hic ex uno miraculo viri Dei geminum capimus fructum eruditionis. Primo ut sciamus, quia non semper spiritus aderat prophetis præter unum prophetam, magnum prophetarum Dominum, cui nunquam spiritus defuit, cujus hoc proprium signum fuit : « Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). » Qui enim dicit, « nunc adducite mihi psalten, » claret quia non habet propheticam gratiam in se manentem, cujus invocans adventum per cantum psaltæ se præparat in occursum. Deinde ex hoc discimus quantum cum divinæ laudis sermone musicæ dulcedinis sonus ad invocandum prosit Spiritum sanctum. « Cum, inquit, caneret psaltes, facta est super eum manus Domini. » Movet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim intus musica vi quadam et potentia naturali spiritum hominis, et tum decenter convenit cum verbo vel sensu divinæ laudis, concutit penetralia cordis, et illam quam accepit homo resuscitat in eo gratiam Spiritus Dei. Quod optime expertus est, et experiens primus psaltes inclytus dicit : « Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII). »

CAPUT XXIV.

Quale in eo mysterium sit, quod mulier parum olei quod habebat per vacua vasa effudit, quæ cuncta usque ad summum repleta sunt.

(IV Reg. cap. IV.) « Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Helisæum, dicens : Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit vir timens Deum. Et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Helisæus : Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? At illa respondit. Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea nisi parum olei, quo ungar, » etc. Prophetæ dictis mulier obedivit, et ex eo, quo parum olei habebat per vasa vacua effudit, quæ cuncta usque ad summum repleta sunt, et ex eorum repletione mulier a creditoris sui debito est soluta. Quid per hanc mulierem, nisi sancta Ecclesia designatur, duorum populorum, id est Judaici et gentilis, quasi duorum filiorum mater? Quæ prius ex perverso opere per callidi spiritus persuasionem, quasi quosdam peccati nummos a creditore acceperat, et duos quos in fide genuit, amittere timebat. Sed Prophetæ verbis, id est Scripturæ sacræ præceptis obediens, ex parvo, quod habebat olei vasa vacua infundit, quia dum ab unius ore doctoris, parum quid de amore Divinitatis, multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia unguento divini amoris usque ad summum replentur. Etiam nunc multorum, quæ prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod dum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, erepta mulier, videlicet sancta Ecclesia sub creditoris sui jam debito non tenetur. Quintum hoc spiritus Dei miraculum fuit.

CAPUT XXV.

Quale in eo mysterium sit quod filium Sunamitis puer ab Helisæo missus cum baculo non suscitavit.

Sextum continuo succedit. « Facta est quædam dies, et transibat Helisæus per Sunam civitatem. Erat autem ibi mulier magna, » etc. Cum miraculo, simul et mysterium **473** est in eo quod filium Sunamitis hujus puer ab Helisæo missus cum baculo non suscitavit; per semetipsum vero Helisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per ministerium compassionis animavit. Auctor quippe humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe Deus virgam tenuerat, cum dicebat : Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor suscitare non valuit, sed ad statum vitæ, aspirata mansuetudinis gratia, crexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante, nil ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* VII). Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens ad exæquanda sibi mortua membra, se collegit, quia « cum in forma Dei esset, non rapinam est arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Phil.* II). » Huc illucque deambulat, quia et Judæam juxta et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies inspirat, quia per apertionem divini muneris gratiæ septiformis spiritum, in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur, quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.

CAPUT XXVI.

Quid sit mystice quod eumdem quem suscitavit Helisæus eidem mulieri in virtute Dei contulerat filium.

Septimum dicimus hoc Heliszei fuisse miraculum. Sed quid est quod eumdem quem suscitavit, eidem mulieri in virtute Dei contulerat filium? Sic enim res gesta est : « Dixitque ad Giezi puerum suum : Loquere ad Sunamitem hanc : Ecce sedulo in omnibus ministrasti nobis : quid vis ut faciam tibi? Dixitque Giezi : Filium non habet, et vir ejus senex est. Præcepit itaque ut vocaret eam. Quæ cum stetisset ad ostium, dixit ad eam : In tempore isto et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. » Nonne ergo geminum circa Sunamitem hanc factum est miraculum? Est plane et magnum nihilominus ad divinum pertinens mysterium. Nam quomodo Helisæus puerum quem suscitaret ipse obtinuit, sic Dei Filius genus humanum, quod supradicto modo vivificavit, ipse benedictione sua concipi et nasci fecit. Dixit enim Deus, formatis hominibus primis : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I), » et hæc dicendo benedixit. Cæterum multitudinem vitiosam segetis, quæ supra numerum excrevit, non pertinens ad vivificam redemptionem Christi corrupta natura sponte producit, permittente justa ira Dei cum post peccatum dicit mulieri : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos (*Gen.* III). » Est itaque in uno puero sextum simul et septimum prophetici spiritus miraculum.

CAPUT XXVII.

De coloquintida, cujus gustum valde amarum Helisæus dulcoravit, quod hæreticorum doctrina illi similis sit.

Octavum continuo sequitur : « Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo. Dixitque uni de pueris suis : Pone ollam grandem et coque pulmentum filiis prophetarum, » etc. « Mors, inquiunt, in olla, vir Dei. » Spiritualiter quoque mors in olla est, quoties in Scripturarum constructione, quibus quasi grandi olla reficimur, amaritudo hæ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

retica commiscetur. Nam vitis silvestris, quæ id quod esse videtur, non est, sive coloquintida quæ similiter ut cucurbita per terram flagella tendit, sed valde amara est, hæretici simulationes imuit, qui speciem quidem habet pietatis, sed virtutem ejus abnegavit (*II Tim.* III). Quoties igitur ejusmodi mortem sano sermone vir catholicus corrigit, profecto Helisæus, id est Christus qui in illo loquitur, farinam in ollam mittit, ut non sit amplius quidquam amaritudinis.

CAPUT XXVIII.

Quod de paucis panibus turbam hominum saturavit, cui rei in Christo simile sit.

Nonum fuit miraculum, in eo quod turbam hominum paucis de panibus saturavit, videlicet in typum ejus, qui et ipse de paucis panibus multa hominum millia corporaliter saturavit (*Matth.* XIV; *Joan.* VI), et nunc usque spiritualiter de paucis prophetarum et apostolorum libris universam Ecclesiam reficit. « Comedent, inquit, et supererit. » Plane ita facimus, et ita fit, legendo atque exponendo comedimus quantum possumus, et multum superest quod in intellectus vel memoriæ nostræ ventrem transmittere non valeamus.

CAPUT XXIX.

De lepra Naaman Syri, quæ curata est lavando in Jordane septies, quod in facto illo præfigurata sit gratia baptismi, qua gentilis a peccati lepra mundatus est, operante Spiritu sancto septiformi.

(IV Reg. cap. V.) Decimum, curatio fuit Naaman Syri. In quo quid mystice intelligere debeamus innuit, dum dicentibus sibi : « Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua, respondit : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, quia multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, et nemo illorum curatus est, nisi Naaman Syrus (*Luc.* IV). » Igitur sensum ad intentionem Domini sequentes, in Naaman qui de illa patria non erat, nosmetipsos, nos, inquam, gentes recte intelligamus, qui ab Israel secundum carnem, et a testamento Dei alieni eramus. Maxime autem Romanum imperium hic advertimus. Princeps enim erat Naaman militiæ regis Syriæ. Syria *sublimitas* interpretatur. Ergo rex Syriæ princeps est mundi hujus. Sublimis enim et superbus erat hic mundus. Certum autem est quia sub illo principe Romanum imperium mundo principabatur. Illud igitur in persona Naaman recte intelligimus. Quod vir magnus erat, quod vir fortis et dives, sed leprosus erat, ad hunc intellectum patenter operatur. Nam revera magnum erat, forte, et ditissimum erat Romanum **474** imperium, sed leprosum. Magnus leprosus, magna innumerabilium errorum lepra coopertus erat. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxorum Naaman. Puella ista, sancta Scriptura erat. Porro latrunculi, Pythagoras, Socrates, Plato, cæterique fuere philosophi, qui revera, quasi latrocinando, captivam de terra Israel duxerant puellam hanc, furtim lectitando et ad suos erroneos sensus violenter inflectendo, quamlibet sanctæ Scripturæ particulam, eamque variæ philosophiæ quasi uxori Naaman subservire cogebant. « Quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra quam habet! » Bene hæc puella dixit : « Si fuisset dominus meus ad prophetam. »—« Sed rex Syriæ misit illum cum litteris ad regem Israel Joram. » Sic nimirum princeps mundi hujus, volentes multos ingredi vel tenere veritatis viam, in pravitatem detorsit hæreticam, cujus typum gerebat rex Israel, ut supra diximus, scissus a domo David, et aureis serviens vitulis. Tandem « venit Naaman cum equis et equitibus, et curribus, et stetit ad ostium domus Helisæi. Misitque ad eum Helisæus nuntium, dicens : Vade et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Descendit et lavit in Jordane septies, et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. » Notum est quia ad leprosum istum, de quo loquimur, non per semetipsum venit Helisæus, sed misit ad eum. Non enim gentibus prædicavit Christus per semetipsum, sed prædicatores suos misit eis jam assumptus in cœlum. « Vade, inquit, et lavare, » id est confitere fidem Christi et baptizare. « Septies lavare, » id est non solum aqua, sed et septiformi Spiritu renascere. « Descendit et lavit, » id est humiliatus est mundus sub potenti manu Dei, et baptismum in remissionem peccatorum suscepit. « Restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, » id est pristinam innocentiam recepit, concorporatus Christo parvulo, id est humili atque innocenti. « Omnes enim, inquit Apostolus, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III). »

CAPUT XXX.

Quod ait Naaman, « ut ignoscat mihi Deus pro hac re, si rege innitente super manum, » etc., quomodo non sit contrarium sensui Apostoli, qui nec recumbere in idolio concedit.

« Dixitque Naaman : Obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet servus tuus ultra holocaustum, aut victimas diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo preceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei. Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo tempore. »—« Vade in pace » dixit, et hoc dicto bonæ voluntatis hominem securum reddidit. Apostolus autem dicit : « Si viderit quis eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, et peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est? (*I Cor.* VIII.) » Ergone sibi contrarii sunt apostolus et propheta, dum hic ne

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

saltem recumbere annuit, hic autem etiam adorare in idolio concedit. Non quidem concedit prophetæ adorare Remmon in templo Remmon, sed adorare Deum in templo Remmon, qui, cum ubique sit, poterat adorari et in templo Remmon. Attamen plus esse videtur in idolio adorare quam in idolio recumbere. Num, inquam, in hac diversitate sibi sunt contrarii? Non utique, sed utrinque veritas non dissona vim discretionis exigit. Videlicet in hac parte discernimur atque discernimus, cum quid ejusmodi agimus vel patimur, si conscientia teste sine graviori dispendio, id quod incurrimus evadere non valemus. Ea nempe discretione, et Apostolus ipse defenditur, ne judicetur sibimet esse contrarius, qui et Timotheum circumcidit (*Act.* VI), et tamen ad Galatas scribens, dicit : « Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit (*Galat.* V). » Denique suomet judicio Christus ei nihil prodesset, si non urgente necessitate discipulum circumcidisset. Item sacrificia et incensum Judæorum, cunctasque festivitates eorum odit anima Dei, sicut per Isaiam dicit, ex quo manus eorum pollutæ sunt sanguine Christi (*Isa.* I). Propter quod et prædictus Apostolus in Epistola sua pro Christo hæc detrimentum facit, et arbitratur ut stercora (*Phil.* II). At idem in Actibus apostolorum, quid fecit necessitate urgente? Assumptis viris impendit illis, ut raderent capita, et postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio (*Act.* XXI). Igitur prophetæ atque apostoli, imo quod amplius etiam unius atque ejusdem Apostoli dicta, atque exempla non sibi contraria sunt, sed cordatum hominem virtute discretionis utentem, utiliter erudiunt, ut sciat quando malorum communionem vel societatem patienter sustinere, quando sapienter debeat devitare. Quam discretionis opem, qui non assecuti sunt, temere nimis, interdum scandala faciunt, et dissensiones in Ecclesia nutriunt, recte dicas, quia æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* X). Sane quod ait Syrus ille : « Concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra pro extruendo altari Domino Deo Israel, » id sollicitus obsecrat. Est autem burdo animal magis oneriferum, utpote ex equo et asina natum. Abiit ab eo electo tempore, id est verno tempore, cum in florem cuncta erumpunt, et anni tempus electum est, vel cum transeuntes per viam carpunt et eligunt e vicinis agris quodcunque ad manum venerit diversis floribus invitati.

CAPUT XXXI.

Quorum vel qualium in Ecclesia typum gesserit Giezi, cui propter cupiditatis culpam lepra Naaman adhæsit.

« Dixitque Giezi puer viri Dei : Pepercit Dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit. Vivit Dominus, quia curram post eum et accipiam ab eo aliquid, » etc. Hoc Heliszei miraculum undecimum est. Vere in gratia prophetica mirandum quod corpore absens : « Cor meum, inquit, in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi, » et quod tam efficaciter sententiam dare potuit dicendo : « Sed et lepra Naaman adhærebit tibi. Egressus est enim ab eo leprosus quasi nix. » Et pulchre miraculum in peccatorem undecimo loco ponitur, decimo autem illud in quo per emundationem Syri, justificatio significatur. Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perversa agit, præcepta Decalogi transit. Ut autem sensum mysticum prosequamur intuendum hoc Giezi **475** exemplum, gratiæ Dei venditoribus in hac Scripturæ arce propositum est. Omnis quippe qui gratis dat, quia gratis accepit (*Matth.* X), qui evangelizando, non quæ sua sunt quærit, sed quæ Jesu Christi (*Phil.* II), ipse est Helisæus. Qui autem lucrum ex Evangelio, imo quod pessimum est, ex impositione manuum quærit, ipse est Giezi. Peccata quippe quæ emundare videtur in se transponit, lepram tantorum suscipit, quantis illo detestabili mercimonio talentum callidus emunxit.

CAPUT XXXII.

De miraculo quo ferrum de manubrio elapsum rediit, et super aquam natavit, cujus rei typus fuerit.

(IV Reg. cap. VI.) « Dixerunt autem filii prophetarum ad Helisæum : Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. Eamus usque Jordanem, et tollant singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi domum ad habitandum, » etc. Duodecimum hoc miraculum est. Mirum quippe fuit quod ferrum securis ex manubrio in profundum Jordanis elapsum, sursum rediit et super aquam natavit. Mystice de servando intelligentiæ dono exemplum hoc facto datum est. Ferrum quippe in manubrio est donum intellectus in corde. Lignum vero per hoc cædere est prava agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc electis novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeant actione restitui, unde et recte is qui ferrum amiserat, clamabat : « Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum mutuum acceperam. » Habet enim hoc electi proprium, ut si quando eis in sua conscientia, furtiva vanæ gloriæ culpa subrepit, ad cor velociter redeant, et quidquid in se ante districti Judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequantur. Qui flentes non solum caute inspiciunt, quæ mala commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerunt, quia nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis, quæ agere poterant, debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit, clamabat : « Heu, heu, heu, » et hoc ipsum mutuum acceperam. Ac si dicat : Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem, ex gratia creditorum accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Unde et mox Helisæus veniens, lignum deorsum mittit, et ferrum in superficiem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

attollit, quia videlicet Redemptor noster, pie nos respiciens cor peccatorum humiliat, et ei quam amiserat reformat intelligentiam, lignum mergit et relevat, quia cor affligit, et scientiam reparat.

CAPUT XXXIII.

De miraculo quo Syros cæcitate percussit, et rursum videre fecit, quod nobis quoque, in hoc ostensum sit, plures esse nobiscum, quam cum hostibus salutis nostræ; et quod erga illos perfectam charitatem exhibuit.

« Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel. Consiliumque iniit cum servis suis dicens : In loco illo, et illo, ponamus insidias. Misit itaque viri Dei ad regem Israel dicens : Cave, ne transeas in loco illo, quia ibi Syri in insidiis sunt, » etc. Tertium decimum fuit hoc miraculum. « Videns minister vir Dei quos miserat rex Syriæ currus et equos, et exercitum in circuitu civitatis : Heu, heu, heu, inquit, domine mi. Quid faciemus? Ait ille : Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cumque orasset Helisæus, aperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum, in circuitu Helisæi. » Rursum oravit, et hostes cæcitate percussit. Oravit tertio, rursumque apertis oculis « viderunt se esse in medio Samariæ. » Et nos dicamus quoties ab inimicis Christi visibilibus, seu invisibilibus circumdamur, dicamus, inquam, fidem habentes, spem retinentes, charitate Deo propinquantes : Noli timere, o anima, noli timere, Ecclesia, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Nempe si de invisibili contra malignos spiritus certamine agitur, nobiscum est Dominus, nobiscum est angelorum exercitus, nobiscum est spiritualis pugnæ princeps, et victoriæ opifex, Spiritus sanctus. Si autem visibile adversus hæreticos certamen proponitur, nihilominus nobiscum est Dominus, nobiscum est apostolorum chorus, nobiscum est patriarcharum et prophetarum numerus, nobiscum est candidatus martyrum exercitus, nobiscum est cum omni sancta Scriptura, sanctus veritatis Spiritus. Plane, juxta historiam, præsenti loco propheta tali miraculo dignum se fuisse ostendit, dicente rege Israel : « Nunquid percutiam eos, Pater mi? Non percuties, inquit. » Et continuo : « Pone, inquit, panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum. » Si igitur ejus exemplo equorum, et curruum igneorum, præsidium circa nos semper paratum esse cupimus, ejus nihilominus exemplo carbones ignis super capita inimicorum nostrorum congeramus. Cum enim Scriptura dixisset : « Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit, potum da illi (*Rom.* XII), » continuo subjunxit : « Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus (*ibid.*), » ita videlicet, ut ad pœnitentiam compungatur tuo beneficio victus.

CAPUT XXXIV.

De obsidione Samariæ qua juxta verbum Helisæi modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno fuerunt in porta Samariæ.

« Factum est igitur post hæc. Congregavit Benadab rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria, » etc. Hoc malum supererat de sententia Domini, quam dixerat per Heliam contra regem Achab propter Benadab, quia « dimisisti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo illius (*III Reg.* XX). » Anima illius pro anima hujus jam dudum fuerat, pugnando quippe contra illum in Ramoth Galaad, sagitta percussus, et mortuus est. Hoc ergo supererat, et pro populo Benadab erit populus Achab. Tandiu « obsessa est Samaria donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cadi stercorum columbarum quinque argenteis. » Mulieres eorum pactum miserabile fecerunt : « Da filium tuum ut comedamus eum hodie, et filium meum comedamus eras. » Hic Helisæus persecutionis sanctorum particeps fuit. « Ait enim rex : Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si steterit caput Helisæi filii Saphat super eum hodie. » Timuit hic etiam ut Helias, et non quidem fugit, sed dixit : « Nunquid scitis, quod miserit filius homicidæ huc ut præcidat caput meum? **476** Videte ergo cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire. Venit nuntius » furiosus, « et dixit : Ecce tantum malum a Domino est. Quid amplius exspectabo a Domino? » Hæc ait blasphemus simul et desperatus. (IV Reg. cap. VII.) « Dixit autem Helisæus : In tempore hoc, eras modius similæ statere uno erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ. » Ad hæc incredulus unus de ducibus audire meruit : « Videbis oculis tuis, et inde non comedes. » Ita factum est. Et spiritus Helisæi miraculum quartum decimum fuit. « Si quidem Dominus sonitum audiri fecit in castris Syriæ curruum et equorum et exercitus plurimi. Fugerunt Syri. Et egressus populus diripuit castra Syriæ. »

CAPUT XXXV.

De eo quod ait ad Joas regem Israel : « Percute jaculo terram, » ac deinceps : « Nunc autem, inquit, tribus vicibus percuties eam, » videlicet Syriam.

(IV Reg. cap. XIII.) Quintum decimum gratiæ propheticæ fuit opus. « Ægrotante Helisæo in infirmitate qua et mortuus est, descendit ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo. Et ait Helisæus : Affer arcum et sagittas. » Ac deinceps : « Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus et stetisset, ait Helisæus : Si percussisses quinquies aut sexies aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam. » Hoc nempe inter Helisæi magnalia suo loco recte computatur, quia non Joas rex Israel, sed Helisæus meritis suis, percussisse Syriam auctore Deo credendus est. Dixerat enim Deus : « Et erit quicunque fugerit gladium Asael, occidet eum Jehu. Et quicunque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Helisæus (*III Reg.* XIX). » Porro quomodo Syria effugerit gladium Jehu, jam superius dictum est.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXXVI.

De eo quod cum tetigisset ossa Helisæi, revixit mortuus, cujus rei in Christo mysterium sit.

Sextum decimum idemque ultimum continuo subditur miraculum. « Mortuus est Helisæus. Latrunculi quoque de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos et projecerunt cadaver in sepulcro Helisæi. Quod cum projecissent, tetigit ossa Helisæi, et revixit homo, et stetit super pedes suos. » Magnum in superficie historica miraculum, incomparabiliter majus in spiritu significat opus divinum. Mortuus nempe Helisæus, mystice Christus est pro nobis passus. Latrunculi de Moab maligni spiritus sunt, et mundi peccata. Homines qui latrunculos viderunt et mortuum suum in sepulcro Helisæi projecerunt, apostoli fuerunt, qui contra dæmones, et contra peccata salutem mundi providerunt, et mortuum genus humanum sepulcro Christi, id est aquis baptismi inmiserunt. Siquidem aqua baptismi, sepulcrum Christi est, dum in illa tertio mergimur pro eo quod Christus in sepulcro fuit tribus diebus et tribus noctibus. Unde Apostolus : « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem (*Rom.* VI). » Quod tetigit mortuus ossa Helisæi, et revixit, stetitque super pedes suos, illud est, quod continuo subjicit Apostolus : « Ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Col.* II). »

CAPUT XXXVII.

Comprobatum esse ex operibus Helisæi quod in eo spiritus Heliæ duplex sit factus, et Judæus esse ex hoc quod pia et sincera dixerit intentione : « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me. »

Igitur Helisæus, sicut ipse petivit spiritum Heliæ duplicem in eo factum accepit. Duplicia namque hic fecit prodigia. Etenim illius octo fuerunt, hujus sexdecim magnalia sunt. Primum quod oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex (*III Reg.* XVII; *Jac.* V). Secundum quod paverunt eum corvi præcipiente Domino usque dum siccatus est torrens (*III Reg.* XVII). Tertium fuit, quod hydria farinæ non defecit, et lecythus non est imminutus usque ad diem, in qua dedit Dominus pluviam super faciem terræ, juxta verbum ejus. (*ibid.*) Quartum fuit, quod filium matris familias suscitavit (*ibid.*). Quintum fuit, quod orante illo cecidit ignis de cœlo et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam quæ erat in aquæ ductu lambens (*III Reg.* XVIII). Sextum fuit, quod rursus orante illo contenebrati sunt cœli, et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis (*ibid.*). Septimum fuit, quod ad verbum ejus descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios, et quinquagima qui cum eis erant (*IV Reg.* I). Octavum fuit, quod cum irent ambo pariter, videlicet Helias et Helisæus, tulit Helias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas, quæ divisæ sunt, in utramque partem (*IV Reg.* II). Hoc illius ultimum e converso fuit Helisæi primum. Claret itaque quam pia et sincera intentione dixit : « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me (*IV Reg.* II). » Non eget commentatione nostra, quam Deus sic effectu comitante commendat. Claret, inquam, quia non suam, sed Dei gloriam quærebat, non semetipsum per opera sua magnificare, sed Deum glorificare volebat, non suimet exaltationem, sed miserabilis populi visitationem quærebat, quem decepit Hieroboam, laceraverat Amari, captivaverat Achab, contaminaverat Jezabel. Nec vero quia reges in perversione perstiterunt, idcirco putandum est quod inaniter laboraverint hi duo viri misericordiarum (*Eccli.* XLIV), contendendo ne oblivioni traderetur nomen Domini in illa abundantia iniquitatum. Nam inaniter quidem se laborare putans, interpellat Dominum Helias, sed corripuit eum sermo divinus, reliqua esse dicens septem millia virorum, qui non curvassent genua ante Baal (*III Reg.* XIX). Rego et in hoc magnum divinæ pietatis indicium est, quod in tot mala devolutum populum, Divinitas per tales viros prosecuta est, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt. « Cum semine eorum permanent bona; hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter eos usque in æternum manent (*Eccli.* XLIV). »

CAPUT XXXVIII.

De filia Jesabel Athalia, quæ nupserat regi Juda Joram filio Josaphat, quomodo maternam vesaniam exercuit in Hierusalem et in omni Juda, et idcirco semen ejusdem Joram usque ad quartam generationem de evangelica tollitur memoria.

Laterea fluxus sanguinis, secundum nomen Jezabel, ex ipsa in Judam et Hierusalem, et usque in interiora templi Domini fluere cœperat. Filia quippe Achab et Jezabel, uxor fuit Joram filii Josaphat regis Juda, qui et occidit omnes fratres suos gladio et quosdam de principibus. Hic ambulavit in viis regum **477** Israel, sicut egerat domus Achab. Filia quippe Achab, ut jam dictum est, uxor ejus erat (*IV Reg.* VIII). Idcirco semen ejus de generatione Christi Filii Dei usque ad quartam generationem tollitur, dum dicitur : « Joram autem genuit Oziam (*Matth.* I), » sublatis de medio tribus Ahazia, Joas et Amasia. Nam quo more Jezabel insaniverat in Samaria, filia quoque ejus insanivit in Hierusalem, scilicet Athalia, et in omni Juda. Ipsa filium suum Ahaziam impulit, ut impie ageret. Quo mortuo per manum Jehu regis Israel « surrexit Athalia, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram. » Porro Josabeth filia regis, uxor Joiadæ pontificis, tulit Joas filium Ahaziæ et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur, absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectorum (*II Par.* XXII), Domino providente, ut non exstingueretur lucerna servi sui David. Illum videlicet Joas Joiada pontifex anno septimo eduxit cum principibus atque centurionibus arma tenentibus a dextris, et a sinistris in circuitu regis, « et imposuerunt ei diadema, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

(*ibid.*). » Athalia vero interfecta est gladio (*ibid.*). At ille videlicet Joas mala reddidit pro bonis. Nam quandiu quidem vixit Joiada fecit quod bonum erat coram Domino, postquam autem obiit, dereliquit Dominum Deum patrum suorum, servivitque lucis et sculptilibus (*II Par.* XXIV). « Spiritus autem Domini induit Zachariam filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi et dixit eis : Hæc dicit Dominus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, sed dereliquistis Dominum, ut derelinquat vos ? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium, in atriis domus Domini. Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat pater illius secum, sed interfecit filium ejus (*ibid.*). » Amasias quoque filius ejus dereliquit Dominum, et minaciter repulit verbum ejus, et oppilare non metuit ora prophetarum. Cum enim misisset ad illum Dominus prophetam, qui diceret : « Cur adorastis deos qui non liberaverunt populum suum de manu tua ? » ille respondit : « Num consiliarius regis es ? Quiesce, ne interficiam te (*II Par.* XXV). » Huic successit filius ejus Ozias, sub quo prophetare cœpit Isaias.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN ISAIAM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS,

(Isa. I–VI.)

478 CAPUT PRIMUM.

Laus Isaiæ prophetæ, quod sic universa Christi et Ecclesiæ quoque prosequatur mysteria, ut non tam propheta dicendus sit quam evangelista, et ob quam causam res spirituales rerum terrenarum nominibus sive imaginibus subtexit.

Omnis anima quæ Christum diligit, Isaiæ prophetæ aurem libenter apponit, tantoque subjectior appropinquat pedibus illius, quanto fidelius de Christo sensit qui in illo loquitur. Nam de hoc illud recte æstimat pietas Christiana quod non tam propheta dicendus sit quam evangelista; ita enim universa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosequitur ut non eum putes de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam, et post Babyloniæ captivitatem reditum populi significet in Judæam, tamen cum hoc omnis ei cura de vocatione gentium et de adventu Christi est. Hoc autem expediebat tam in isto quam in cæteris prophetis, ut terrenæ Hierusalem atque Babyloniæ, terrenarumque rerum, aliarumque nominibus cœlestia sacramenta tegerentur, quatenus per hanc occasionem Scriptura sancta de contemptu liberaretur, suoque tempore profutura venturis in honore servaretur. Judæi quippe præsentium tantum atque terrenorum amatores nimii fuerunt, adeo ut in tota lege nunquam eos digitus Dei cœlestium promissione ad bene agendum invitare, nunquam pœnarum infernalium comminatione terrere a malis dignatus sit. Terram ubique bonam et fertiles annos promittit, si bene egerint, famem et oppressiones hominum minatur, si male egerint. Talibus nudo sermone jam cœlestia sacramenta crederentur? Proinde in prophetis quidem manifestius cœlestia prædicantur, sed quasi fugitivus, ubi quid eorum attingit, confestim sub terrenorum nominibus, iterum atque iterum et sæpissime se abscondit sermo divinus. Cum ergo in cæteris steterimus, tum maxime in isto moras aliquantas jam innectere non gravabimur, exoratum esse cupientes doctorem ejus Spiritum sanctum, ut quo sensu per eum locutus est, eodem nobis colligenda Christi Filii Dei testimonia revelare dignetur.

CAPUT II.

Quod adventum Christi circa quem omnis versatur intentio septem recapitulet periochis et cunctas partes adversas mystice sub novem designet regnorum sive provinciarum nominibus Babyloniæ, Moab, Damasci, Egypti, Dumæ, Arabiæ, vallis Visionis Tyri et jumentorum austri, pœnas impiorum oneris nomine significans.

(Cap. I.) Primo, ut materiam ejus quasi brevi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tabella depingamus, illud dicendum est, quia Christi adventum septem recapitulat periochis, circa quem omnis versatur spiritus prophetici intentio, quippe quem exspectabat hic, quem exspectabant omnes sancti ab origine mundi. Prima est, quam contra interfectores ejus zelo justi doloris vehementissimo invehitur, quam acerrime, *væ*, inquiens, *genti peccatrici, populo gravi iniquitate.* Ac deinceps : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum ; auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* Secunda ab eo quod ait : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ* (*Isa.* v). Tertia ab eo quod ait : *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub eo erant implebant templum* (*Isa.* vi). Quarta ab eo quod ait : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium* (*Isa.* ix). Quinta ab eo quod ait : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* xi). Hinc onera novem continuantur, onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Ægypti, onus Duma, onus in Arabia, onus vallis Visionis, onus Tyri, onus jumentorum austri. Sub istis nominibus universi Christi, et civitatis ejus cœlestis Hierusalem adversarii condemnantur, singulisque onus judicii gravissimumque **479** iniquitatis eorum talentum superponitur. Nam Ecclesia quam impugnant, decima est. Sub eadem specie in Evangelio factum est, et dictum est : *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt ? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena* (*Luc.* xvii). Unus iste idemque decimus, unius fidei Ecclesia est. Denarius quippe numerus, quod melius arithmetici noverunt, secunda unitas est. Novenarius autem multitudo est, ex opposito unitatis turba est. Cui si addatur unum, statim fit unitas, quia sicut jam dictum est, denarius secunda unitas est. Sic plane multis et diversis adversariis, si una inferatur fides, una fiunt Ecclesia. Ad instructionem hujus unius plura deinde propheta locutus, sextam tandem facit recapitulationem, dicendo : *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini* (*Isa.* li). Septima sic incipit : *Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* (*Isa.* lx). Nunc prævio ipso cui intendimus sempiterni luminis candelabro, templum hujus Scripturæ ingredimur, non cuncta historica, aut cuncta moralia quæ in eo continentur, sed sola fidei Christi testimonia scrutantes, juxta quod in toto hoc opere propositum habemus.

CAPUT III.

Visionem prophetæ super Judam et Hierusalem esse in futurum, quando Judæi Salvatorem venientem spernerent, et crucifigerent, et generationem illam jam dici gentem peccatricem, populum gravi iniquitate, semen nequam, filios sceleratos.

Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Hierusalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, et Ezechiæ regum Juda. Super Juda, inquit, *et Hierusalem*, utique super Judam animalem, et super terrenam Hierusalem in malum, nam super Judam spiritualem, et cœlestem Hierusalem pro parte adhuc in mundo peregrinantem, visio hæc revelatur in bonum, visio prius clausa et signata, nunc autem aperta et publico intellectui prædicata. *Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.* Tanquam diceret : Magni oratoris, magni concionatoris conquestio ista est ; oratoris, inquam, cujus oratio verbum Dei est, cujus concio tota in cœlis angelorum, et in terra hominum Ecclesia est. Idcirco *audite, cœli, et auribus percipe, terra*, ut cum audieritis quid Dominus locutus, quid Dominus conquestus est, sitis ad vindictam, o vos cœli, desuper ferrei, sis tu, o terra, subter ænea. Quid enim Dominus locutus est ? Quid Dominus conquestus est ? Quid injuriarum talis ac tantus perpessus est ? Ait : *Filios enutrivi et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me. Enutrivi*, inquam, *filios* in Abraham, Isaac, et Jacob, benedicendo et multiplicando eos, *exaltavi* in Moyse, in Josue, et in David, educendo illos mirabiliter de terra Ægypti, dividendo illis *terram in funiculo distributionis* (*Psal.* lxxvii), decorando illos regalibus victoriis, regia quoque civitate David et unico templo nominis mei. *Ipsi autem spreverunt me*, cum præconiis prophetarum venientem ad se. Parum est quod *spreverunt me.* Parum est quod, prælecto Cæsare, præter eum dixerunt regem non habere se (*Joan.* xix). Insuper et prælecto Barabba latrone crucifixerunt me (*Matth.* xxvii). Hoc, attoniti auditu cœli, et stupefacta terra, reverendo indignamini, et indignando reveremini, quia profecto non parvæ indignitatis est, quod ego Dominus vester omnia bona feci, et omnia mala recepi. Tantum hoc est ut vos, o cœli, juste humili dolore debeatis confringi, et tu, terra, pio debeas singultu tota concuti. Dicat aliquis filiorum ejusmodi : Quid mirum, si sprevimus ? Non enim cognovimus. Venisti nimium occultus, qui juxta promissiones Patrum et prophetarum debueras in conspectu nostro incedere rex magnus, rex gloriosus. Ad hæc inquam : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Bos animal mundum, asinus autem immundum, utrumque tamen animal brutum. Bos ergo Judæum simplicem, qualis erat Petrus aut Andreas, uterque piscator, non Scriba, non legisperitus. Asinus autem simplicem significat gentilem, qualis erat Cornelius. Dicitis, inquit, quia ego veni nimium occultus. Unde ergo me bos possessorem suum, et asinus præsepe meum cognovit ! Unde, inquam, nisi quia pabulo verbi boni delectatus est, quod apposui, quod opera mea bona circa se, uterque persensit ? At tu, Israel, tu populus meus Hierosolymitanus, qui circa templum residens, cum Pharisæis et pontificibus in lege gloriaberis, talia non amasti. Idcirco non intellexisti ; igitur *Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit*, id est cognoscere et intelligere noluit. Respondete igitur, cœli, loquere, terra, et dic : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

scleratis. Væ, inquam, id est judicium æternum, supplicium sempiternum. Et quare hoc? *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel.* Et antequam veniret, dereliquerunt Dominum eligendo Baal, etc., portenta dæmoniorum, et ubi venit, blasphemaverunt eumdem sanctum Israel, dicendo: *Dæmonium habet* (*Joan.* x); *fabri, et non Dei filius est* (*Marc.* vi). *Abalienati sunt retrorsum.* Quomodo? Primum eis oportebat proponi regis sui jus, et edictum, ipsi autem odientes eum, miserunt legationem post eum, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos* (*Luc.* xix). Ita abalienati retrorsum, ecce pro Domino exspectant diabolum, pro sancto Israel exspectant hominem peccati, filium perditionis.

CAPUT IV.

Peccatum illorum non fuisse ex ignorantia, sed ex superbia, invidia; et idcirco veniam illos non mereri, et hoc esse quod ait: « Omne caput languidum, et omne cor mœrens, » etc.

Super quo percutiam vos ultra, adjicientes prævaricationem? Omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ac si dicat: Non peccastis per infirmitatem, non errastis per ignorantiam. Si ita esset, scirem unde vos percutere deberem, invenirem qua plaga vos castigare possem. Nunc autem in quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem, addentes, inquam, peccato, defensionem peccati? *Omne caput languidum, et omne cor mœrens.* In capite languido pravi operis tinea designatur exterior; in corde mœrenti, invidia interior. Hoc ipsum verbis aliis iterat, *a planta pedis*, inquiens, *usque ad verticem non est in eo sanitas.* Planta pedis opus exterius, vertex rationis dignitas intus intelligitur. Cum ergo quis per malitiam peccat, velut illi, cum dicerent: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* xi), cum scirent quod *in digito Dei* ejiceret *dæmonia* (*ibid.*), recte dicas, quia *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Igitur in quo percutiam vos? Nempe hujusmodi insania non remittitur, neque in hoc **480** sæculo, neque in futuro. *Vulnus*, inquit, *et livor, et plaga tumens.* Malum est vulnus, pejus livor, pessimum plaga tumens. Malum est, inquam, peccato saltem ad horam vulnerari, pejus malo usu livescere, pessimum cum tumore superbiæ culpam defendere. Talis vestra insania est. *Non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Volui circumligare, et ad pœnitentiam astringere, dicendo per memetipsum; *Pœnitentiam agite* (*Matth.* iv), et noluistis Evangelii ligamenta recipere. Effudi de latere meo sanguinem et aquam (*Joan.* xix), medicamentum salutis æternæ, et noluistis accedere. Dedi oleum, id est, Spiritus sancti gratiam credentibus in me, ita ut loquerentur omnibus linguis homines idiotæ (*Act.* ii), et noluistis audire. Quid igitur tandem fiet? *Terra vestra deserta, civitates vestræ exustæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.* Hoc initium dolorum interim habete. Nam alibi habebitis, sicut prædixi, æternum væ. *Et derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario.* Quomodo illud vel illud relinquitur? Videlicet cum ablatæ fuerint fruges, recedente custode, quia non habet ultra quod servet, remanet umbraculum vacuum, remanet neglectum tugurium, quod fecerat sibi propter ardorem solis, ac radios declinandos, et ut inde homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis vitibus abigeret. Ita *derelinquetur filia Sion*, recedentibus præsidiis templi virtutibus, et erit *sicut civitas quæ vastatur*, id est, vere vastabitur. Amplius dicam. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrhæ similes essemus.* Non dicatis: Ira hæc est grandis nimis, multitudo malorum nostris major est meritis; nam *nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen*, nisi prædestinasset, ut reliquiæ ex nobis salvæ fierent, non obsidione hominum circumdaremur, non gladiis Romanorum interficeremur, non captivi in omnes gentes duceremur, sed sicut super Sodomam et Gomorrham pluit sulphur et ignem Dominus a Domino (*Gen.* xix), ita justissime super nos in vindictam sui sanguinis sulphur et ignem pluisset Filius Dominus a Patre Domino. Sed si hoc fecisset non superessent reliquiæ, quæ salvæ fierent ex nobis, postquam plenitudo gentium subintroierit (*Rom.* ii).

CAPUT V.

In quo peccatum illorum peccato Sodomorum et Gomorrhæ fuerit simile, ut illud prævidens, merito diceret: « Audite verbum Domini, » etc.

Audite verbum Domini, principes Sodomorum; auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. Non dicatis: Quare sicut Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes in pœna essemus? Nam ecce ego dico, ego testificor, quia, vos pontifices et Pharisæi, principes Sodomorum estis, vos populus Hierosolymitanus, populus Gomorrhæ estis. Unde? Nimirum quia sicut illi egerunt, ita et vos egistis. Venit quondam Dominus, venit, inquam, in duobus angelis suis. Dominus Sodomam vespere sedente Loth in foribus civitatis, compulit illos oppido, ut diverterent ad eum. Ingressisque domum fecit convivium, coxit azyma, et comederunt. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum, a puero usque ad senem, omnis populus simul, vocaveruntque Loth, et dixerunt ei: *Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoscamus eos* (*Gen.* xix). Nimirum huic simile, imo et hoc deterius vos fecistis. Venit Dominus, non jam in angelis, sed in propria persona, venit inquam, in civitatem vestram, et facta hora vespertina, in domo cujusdam hospitio receptus, manducabat Pascha. Venistis vos et misistis ministros cum laternis et facibus, et armis, et circumdedistis eum, et expetistis ad illudendum, crapulati, ebrii, atque vomentes, sicut illi Sodomitæ, de quibus jam dictum est, quando circumdederunt domum Loth, quia vespera plenum ventrem habuerunt, testante Scriptura quia *hoc fuit peccatum*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Sodomorum, saturitas panis et otium (*Ezech.* XVI). Ita et vos illa festiva, illa paschali vespera, saturati et ebrii, Dominum circumdedistis ad illudendum, ad conspuendum, ad flagellandum, ad crucifigendum, læti, tanquam victores, quod apprehendissetis eum. Unde et spiritus ejus in psalmo querelam depromens : *Et in me*, inquit, *psallebant qui bibebant vinum* (*Psal.* LXVIII). Quid autem contigit illi pessimæ turbæ Sodomorum? Clauserunt viri ostium, et eos qui erant foris *percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum*, ita ut ostium invenire non possent (*Gen.* XIX). Ita contigit et vobis, o principes Sodomorum. Clausum vobis est ostium Scripturarum, cæcitate percussi estis, foris errantes circuitis, et eum invenire non potestis qui dixit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X) O igitur *principes Sodomorum, audite verbum Domini.* O igitur *populus Gomorrhæ, auribus percipite legem Dei nostri.* Quod illud sit *verbum Domini*, ait :

CAPUT VI.

Sacrificia omnia et festa Judæorum Deo esse odibilia, et unicum illi placere baptisma.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui, etc. Adhuc, inquit, cum sitis Sodomitæ publici, vos sacrificatis mihi? Adhuc multitudine victimarum vestrarum inesearі me posse putatis? Quo mihi hæc? Quid sanguis vitulorum, agnorum, et hircorum mihi conferet? *Plenus sum.* Magnum et verum sacrificium suscepi, et in illo impletus sum, id est obedientiam sancti Israel, quem blasphemastis, quem occidistis, cujus *sanguine manus vestræ plenæ sunt.* Ille me implevit. Ille sacerdos mihi satisfecit. *Plenus* igitur, quo admittam multitudinem victimarum vestrarum? Nolo, imo nolui, *cum veniretis ante conspectum meum.* Quod hujusmodi vobis sacrificia Moyses ordinavit, non me volente, sed me permittente fecit, videlicet quia vos talibus in Ægypto sacrificiis assueti servire diis alienis, non poteratis a consuetudine arceri. Dico ergo : *Quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra.* Ultra sacrificium sacerdotis mei, cui juravi et non pœnitebit me, dicens : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX) ; ultra, inquam, hujus sacrificium ne offeratis olidum sacrificium vestrum. *Incensum abominatio est mihi. Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, kalendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Olim nolui, attamen tuli. Nunc autem jam non feram, nam odio profundo odivit hæc anima mea. *Facta sunt mihi molesta.* At ex quo facta sunt mihi molesta, sustinui illa per annos quadraginta. Non statim misi Titum et Vespasianum qui tollerent vestrum et locum et gentem, qui civitatem et templum destruerent, ita ut non remaneret lapis super lapidem, sed sustinui per annos quadraginta.

A **481** *Laboravi sustinens.* Quod tandiu sustinui, labor mihi fuit. Abominabar incensum vestrum, oderam neomeniam et Sabbatum vestrum, oderat anima mea cœtus vestros, et stercus solemnitatum vestrarum. Vim quodammodo faciebam animæ meæ, ut quod oderat sustineret saltem quadraginta annis, et hoc faciens *laboravi.* Veniant tandem Romani, et hunc laborem demant mihi. *Et cum extenderitis manus vestras*, subauditur, et foris circumdati armis, et intus fame, et seditionibus afflicti et concisi, *avertam oculos meos a vobis.* Ne compellar condolere et misereri. *Et cum multiplicaveritis orationem*, sacrificia certatim offerendo, in templo cruentando, in aspectu hostium, pertinaciam vestram admirantium, *non exaudiam. Manus enim vestræ plenæ sanguine* B *sunt.* Implestis vobis eas, dicendo : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Hoc est verbum Domini. Quæ porro est lex Dei nostri? *Lavamini, mundi estote.* Si forte compuncti, aliqui ex vobis dicant ad Petrum, et ad reliquos apostolos meos? *Quid faciemus, viri fratres* (*Act.* II), ecce dico vobis : *Lavamini.* Quod est dicere : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini* (*ibid.*). Itaque *lavamini, mundi estote*, id est baptizamini et nolite rursus malis operibus munditiam baptismatis perdere, et ecce audite septem partes adhibendæ diligentiæ. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere. Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* Septem itaque C modis istis contendite mundi permanere, septem, inquam, id est, omnibus modis ; nam septenario numero significatur universitas. Et cum feceritis, *venite et arguite me.* Non enim contemnam, ego Dominus vobiscum judicium subire. Proponite causas, præmia exigite. Magnum quippe baptizati, et mundati, advocatum habetis apud me, cujus lavistis vos sanguine, cujus purificati estis fide. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Coccinum iguei, vermiculus coloris est sanguinei. In coccino ergo peccata libidinis, in vermiculo, homicidii scelus datur intelligi. *Si*, inquit, *fuerint peccata vestra*, peccata Sodomorum, *ut coccinum*, D quoniam estis principes Sodomorum, *quasi nix dealbabuntur*, juxta illud in psalmo. *Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L). *Si fuerint peccata vestra*, peccata homicidarum, *quasi vermiculus*, quoniam occidistis Christum, *velut lana alba erunt*, ut jam non appareat sanguis ejus super vos, sed candidum gratiæ vestimentum. Hæc est lex Dei nostri, o populus Gomorrhæ. Omnem multitudinem victimarum vestrarum, omnes solemnitates vestras odivit anima mea, inquit. Solum hoc est quod volo : *Lavamini. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si*, inquam, *volueritis* hanc legem percipere auribus ut *audieritis* ut lavemini et mundi sitis, bona terræ viventium comedetis. *Quod si nolueritis, et me provocaveritis ad*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

iracundiam, gladius devorabit vos. Gladius, inquam, *devorabit vos*, et nunc in præsenti Romanorum, qui a corporibus separet animas, et alibi gladius malignus qui animas a Deo et ab omni sorte justorum dividat, *si me provocaveritis ad iracundiam*, si ex eis quos mitto ad vos prophetis, sapientibus et Scribis occideritis, flagellaveritis, crucifixeritis, lapidaveritis, et de civitate in civitatem persecuti fueritis. *Quia os Domini locutum est.* Quid *os Domini locutum est?* Nimirum quod gladius devorabit vos, *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare* (*Matth.* XXIII). Hoc *locutum est os Domini*, et hoc interposita veritate, firmavit. *Amen dico vobis*, ait, *venient hæc omnia super generationem illam* (*ibid.*).

CAPUT VII.

Peccatum illud maxime sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum fuisse, qui, propter traditiones suas, traditiones Dei reliquerunt, hincque esse quod ait : « Argentum tuum versum est, » etc.

Scio prænoscens, o principes Sodomorum, quia vos hoc verbum Domini non audietis, scio, o populus Gomorrhæ, quia vos hanc legem Dei nostri auribus non percipietis. Dico ergo : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Civitas quondam fidelis, civitas David fidelis, quomodo facta est meretrix? Quomodo, ut fornicari sibi vacaret, legitimum virum suum occidit? *Justitia* quondam, id est nomen Domini, *justitia*, inquam, quæ est fides per quam solam justificatus Abraham et amicus Dei appellatus est, *habitavit in ea, nunc autem homicidæ*, interfectores ejusdem Dei et Domini, cui Abraham credidit, habitant in ea. O meretrix, *argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.* Reliquisti enim traditiones Dei, propter traditiones hominum (*Matth.* XV; *Marc.* VII). Traditiones Dei argentum sunt, vinum sunt dicentis : *Non occides. Non mœchaberis : Diliges Dominum Deum tuum* (*Exod.* XX). Traditiones Pharisæorum scoria sunt, aqua sunt, dicentium : Lava catinum, baptiza urceum ; justitiam autem et fidem derelinquentium (*Marc.* VII; *Matth.* XXIII). Tu argentum Dei, propter scoriam Pharisæorum, perdidisti, tu vinum Dei aqua cœnosa corrupisti. *Principes tui infideles, socii furum. Infideles*, inquam, et idcirco non filii Abrahæ, cujus sunt filii soli fideles. *Socii furum ;* fecerunt enim domum Patris speluncam latronum (*Matth.* XXI). *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Non dico accipiunt munera, quod multorum est, sed *diligunt munera*, quod homicidarum est. Nam idcirco Dominum maxime occiderunt, quia disputabat contra avaritiam ipsorum. *Sequuntur retributiones. Sequuntur*, inquam, non præcedunt. In eo quod sequitur : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.* Si judicarent pupillo causamque viduæ defenderent, et tunc ab illis ultro offerentibus aliquid tanquam digni judices, aut emeriti defensores acciperent, præcederent retributiones, et hoc non adeo reprehensibile esset. Nunc autem *sequuntur retributiones*, id est accipiunt a violento certante contra pupillum et contra viduam, et pro accepto judicium pupilli subvertunt, et causam viduæ clausis foribus suis excludunt. Hoc est non præcedere, sed sequi retributiones. *Propter hoc ait Dominus exercituum fortis Israel : Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis!* Videlicet, ut gladius devoret eos, sicut supra dixi. Non leve est, quod *Dominus exercituum* dicit, *heu!* Non parvi ponderis est quod *fortis Israel* dicit *heu!* Grandis causa est, magnus dolor est, quo afflictus iste *fortis*, iste *Dominus exercituum* dicit *heu*, nec aliter consolationem recipit, nisi vindicetur, nisi hostes ejus devoret gladius.

482 CAPUT VIII.

Quod pro parte apostolorum sive credentium dicat : « Et excoquam scoriam tuam ad purum, et auferam omne stannum tuum ; » pro parte autem non credentium : « Et erubescetis cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, » etc.

Nunc apostrophen facit ad ipsam civitatem, et pro parte paucorum, qui legem auribus perceperunt, dicens : *Lavamini, mundi estote*, ita dicit : *Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, et restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis, Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia.* Ad te, o Sion, convertam manum meam, ad operandam salutem tuam exeram potentiam meam. Nec enim homicidæ, qui habitant in te, poterunt avertere manum meam, occidendo me. *Ad te*, inquam, in ipsa morte mea *convertam manum meam*, in eo ut *excoquam scoriam tuam ad purum, et auferam omne stannum tuum*, scilicet dando tibi remissionem peccatorum per sanguinem meum. Tunc *restituam judices tuos*, id est apostolos meos super duodecim sedes ad judicandum (*Matth.* XIX), *ut fuerunt prius.* Quomodo fuerunt prius? Non per multitudinem victimarum non per neomenias et sabbata, non per kalendas, aut ullas legis cæremonias, sed per fidem justificabantur. Non enim aliunde quam ex fide justificati sunt Abraham, Isaac et Jacob, judices tui, imo patres et consiliarii tui. In id *restituam* nunc judices et *consiliarios tuos*, id est apostolos nunc *consiliarios*, id est prædicatores tuos, postea *judices* futuros. Non per legem, sed per fidem judicabo eos. *Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* Misso namque Spiritu sancto de cœlo, fortitudine construeris, et in omnes gentes dilataberis, filios tibi per fidem multiplicabis, et vocaberis nomine novo, *civitas justi, qui peccatum non fecit* (*I Petr.* II), et moriendo tua peccata tulit (*ibid.*). *Vocaberis*, inquam, *urbs fidelis*, id est justificata, *non ex operibus legis*, sed *per fidem* ejusdem *Jesu Christi* (*Rom.* III). *Sion in judicio redimetur.* Audite enim, fines terræ, audite hoc edictum gratiæ. Sion

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quæ absque judicio vendita fuerat, quæ per mendacium diaboli captivata fuerat, ecce *in judicio redimetur; in judicio*, inquam, mundi, quo *princeps mundi hujus ejicietur foras* (*Joan.* XII), de possessione sine judicio rapta. *Et reducent eam in justitia.* Quo reducent? In regnum Dei, unde prius in primis parentibus ejecta fuerat. In qua illuc reducetur justitia? in justitia fidei, in regeneratione aquæ et Spiritus sancti, qua *nisi quis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III). Illuc *reducent eam judices* sui, consiliarii sui, restituti *ut prius*, restituti *sicut antiquitus. Et conteret scelestos et peccatores simul, et qui dereliquerunt Dominum consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt, et erubescetis super hortos, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. Simul*, inquit, *conteret scelestos, et peccatores*, simul principes, et populum, principes Sodomorum et populum Gomorrhæ. Quis istos conteret, nisi lapis ille, de quo ipse in Evangelio, cum proposuisset parabolam de vinea patrisfamilias: *Nunquam legistis*, ait: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* (*Matth.* XXI.) Nam continuo: *Et qui ceciderit*, inquit, *super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit conteret eum* (*ibid.*). Isti scelesti, isti peccatores, mali agricolæ sunt, qui primum servos, deinde filium patrisfamilias occiderunt. Nam illa vinea, ista est Sion. *Confundentur* ergo *qui Dominum* vineæ *dereliquerunt*, *conteret* iste lapis *scelestos et peccatores* qui ipsum reprobaverunt, et dabitur vinea, dabitur Sion, *dabitur regnum Dei genti facienti fructus ejus* (*ibid.*). *Confundentur* autem isti *ab idolis quibus sacrificaverunt*, videlicet ab idolo suo Beelphegor, cui se sacrificaverunt passiva libidine, cum utique sint principes Sodomorum et populus Gomorrhæ, ut interim taceam, quod corporaliter quoque quoties vacavit eis semper ad idola defluxere. *Et erubescetis*, ait, per apostrophen, *super hortis quos elegeratis*, id est super cunctis voluptatibus, in quibus, luxuriati estis. Non enim in prædicta vinea patrisfamilias operari, sed in hortis vitiorum resolvi elegistis. Nam et idcirco filium ejus occidistis, dicentes: *Nostra erit hæreditas* (*Marc.* XII), ut vineam in hortos converteretis, sicut, in typum vestri, idcirco Achab occidit Naboth, ut de vinea ejus faceret sibi hortum olerum (*III Reg.* XXI). *Erubescetis*, inquam, *cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua*, id est tanto dissimiles beatæ Sion, redemptæ in judicio et justitia, quanto dissimilis est pulchræ vineæ quercus arida, quanto dissimilis est paradiso Domini hortus sine aqua.

CAPUT IX.

De monte domus Domini, quod ipse sit Christus, et quod remanentibus Judæis, fluant ad eum omnes gentes, quæ cohortantes dicunt ad alterutrum: « Venite ascendamus in montem Domini; » et quando de Sion exierit lex, et verbum Domini de Hierusalem.

(CAP. II.) *Verbum quod vidit Isaias filius Amos super Judam et Hierusalem: Et erit in novissimis diebus* A *præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini*, etc. Dicebam vobis: *Lavamini, mundi estote*, quia *manus vestræ plenæ sunt sanguine*, et *vobis primum oportebat loqui verbum hoc* (*Act.* XIII), sed ecce jam scio prænoscens quia repelletis illud et indignos vos judicabitis æternæ vitæ: Audite ergo *verbum quod vidit Isaias: Auferetur a vobis regnum Dei* (*Matth.* XXI), *a vobis*, inquam, Judæis, a vobis, terreno Juda, a sanguinea Hierusalem, *et dabitur genti*, imo gentibus facientibus *fructus ejus* (*ibid.*). Nam hoc est quod dicit: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent* B *ad eum omnes gentes. In novissimis*, id est usque ad novissimos dies, usque ad consummationem sæculi, *erit præparatus mons domus Domini*, mons sanctæ Sion redemptæ, ut superius dixi, *mons* Ecclesiæ fidelis urbis et civitatis justi. Non erit parvus lapis, qualis ab ædificantibus potuit reprobari, sed qualis postea *factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII). *Lapis* enim, inquit Daniel, *qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram* (*Dan.* II). Iste *præparatus* erit *in vertice montium et elevabitur super colles. In vertice*, inquam, *montium* et collium, qui illum diu desideraverunt, quemadmodum unus de illis montibus, cum dixisset filio suo benedicens: *benedictiones patris tui* **483** *confortatæ sunt* (*Gen.* XLIX), subjunxit, *donec* C *veniret desiderium collium æternorum* (*ibid.*). Magni montes, magni patriarchæ, magni prophetæ et apostoli sunt; colles minores, justi, mediocres electi sunt. Præparabitur et *elevabitur mons* iste *in vertice* illorum *montium* sive collium, et ita dicetur mons montium, quomodo fundamentum fundamentorum; nam ita domus Domini non deorsum fundamentum habet, sed vertex ejus fundamentum est. Quomodo *erit præparatus?* Quomodo *fluent ad eum omnes gentes?* Exaltatus a terra omnia trahet ad se (*Joan.* XII), et dicet: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, euntes docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII). Hæc erit via, exinde *fluent omnes gentes* abundanter, plano itinere ibunt populi multi. Nec D ire contenti, cohortabuntur alterutrum et dicent: *Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.* Ire namque credere est; dicere, *venite*, alios quoque ad credendum invitare est. Euntes itaque dicent, *venite*, credentes non cessabunt alios invitare *ad montem Domini et ad domum Dei Jacob*, id est ad altissimum Christum Filium Dei, et ad Ecclesiam Dei, approbantis supplantationem, quæ significata est in Jacob. Nam sicut ille fratrem suum (*Gen.* XXVII), sic gentes istæ et populi isti supplantabunt populum Judaicum. Qua spe, quo fructu ascendemus *ad montem Domini, ad domum Dei? Et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. Vias suas nos docebit*, nos *ambulabimus in semitis ejus.* Illud perfectorum est. Viæ namque præ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cepta Domini sunt. Semitæ consilia Domini sunt. *Docebit nos vias suas*, dicendo : *Non occides, non furtum facies* (*Exod.* xx), et his similia. Nos autem non contenti ambulare per vias ejus, semitas consilii ejus sequemur, verbi gratia dicentis : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* xix). Ergo ille *docebit nos* quidem *vias suas*, nos autem *ambulabimus in semitis ejus*, id est usque adeo acceptabimus præcepta, ut non recusemus consilia ejus. Ita *fluent omnes gentes*, et ita *ibunt populi multi. Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem*, etc. Non ita tunc ut hactenus verbum Domini, *lex* Domini coarctabitur unius urbis, unius Judaici populi angustiis, sed *exibit de Sion* sive Hierusalem civitate, imo fide et unitate sanctorum patriarcharum et prophetarum, et ibit ad omnes gentes. Nam hoc est, quod subditur : *Et judicabit gentes, et arguet populos multos*. Quod cum jam fieri deberet, aperiens exitum legi et verbo suo ipse Dominus locutus est : *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma* (*Luc.* xxiv). Nempe prædicare *pœnitentiam*, id est judicare *gentes*, et de peccatis suis arguere *populos multos*. Et hoc incipi *ab Hierusalem* id plane est, exire *verbum Domini de Hierusalem. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Hoc plane facient omnes gentes, sed non omnes homines. Nec enim sic *fluent*, nec sic *ibunt*, ut prædictum est, omnes homines, sed *omnes gentes*, id est de omnibus gentibus multi et innumerabiles. Qui ex eis *ibunt*? Qui scilicet ex eis *ibunt*, ut ascendant *ad domum Domini*, ipsi *conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces*. Id est innocenter vivent, *si fieri poterit, quod ex ipsis erit, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* xii), imo et plerique licitis quoque bellis abstinebunt, deponent ultro justæ quoque militiæ cingulum, urbibus atque castellis solitudines atque cœnobia præoptabunt. *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Ut de cæteris taceam, et hoc facient cohortes et legiones martyrum. Arma tenentes, et contra hostes patriæ pugnare parati, pro semetipsis non pugnabunt, sed tanto ardebunt desiderio ascendendi *in montem Domini, et ad domum Dei Jacob*, ut projectis gladiis, cervices suas læti subjiciant ictibus persecutorum. *Domus Jacob, venite et ambulemus in lumine Domini Dei nostri*, etc. Hæc bona pars erit dictionis eorum. Ascendentes dicent sibi invicem omnes gentes, venite ascendamus, venite ascendamus, dicent nihilominus inimicis suis Judæis salutem ipsorum ordientibus, et propter odium ipsorum socia fide ascendere nolentibus : O *domus Jacob*, o Judæi, ex quibus nobis salus venit, cur propter nos deorsum remanetis in tenebris? Cur propter nos in vobis cæcitas contigit? *Venite*, venite, parati *ambulemus in lumine Domini* Dei nostri.

A

CAPUT X.

Cur Judæos Dominus projecerit ut hic ait : « Projecisti enim populum tuum domum Jacob ; » et quid mali eventurum prædicat illi domui Jacob, pro eo quod noluit ascendere in istum montem.

Projecisti enim populum tuum, domum Jacob, quia repleti sunt, ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus. Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis. Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum, et incurvavit se homo et humiliatus est vir.

B *Ne ergo dimittas eis.* Dicetur ab omnibus gentibus et a multis populis ascendentibus ad montem Domini, dicetur, inquam, importune domui Jacob : *Venite, ambulemus in lumine Domini* Dei nostri. At illa domus Jacob, aures suas obturabit, ut non audiat, comprimet oculos suos ne videat, detestabitur hunc montem, maledicet hoc lumen. Quare? *Projecisti hunc populum* quondam tuum, *projecisti* hanc *domum Jacob*. Quare *projecisti*, Domine Deus? *Quia repleti sunt ut olim.* Quod est dicere : Quia sicut olim, quando *fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile*, comederuntque et biberunt *et surrexerunt ludere* (*Psal.* cv, *Exod.* xxxii), ita et nunc repleti sunt duplici fornicatione. Nam sicut Philisthiim, id est alienigenæ augures habuerunt pene

C omni tempore, et pueris alienis adhæserunt fornicando contra naturam principes Sodomorum et populus Gomorrhæ. Propter hæc quæ peccaverunt, ex quo vitulum fecerunt, projecisti eos nunc, et indurasti cor eorum. Dixisti enim : *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* xxxii). Si visitare habebas peccatum illud, quod tunc vitulum fecerunt, non est quod postea tot augures habuerunt, quod toties idolis servierunt, quod toties auro et argento repleti, sitientes justitiam vendiderunt, quod denique toties in equis et quadrigis superbierunt, quod toties opus manuum suarum adoraverunt, quod certe non jam unum, sed duos aureos vitulos a tempore Jeroboam coluerunt,

D quod insuper Baal et cætera portenta deorum adoraverunt. Ne ergo dimittas eis, concedendum quippe est justis judiciis tuis. Quid ergo, o miserabilis domus Jacob, quoniam tu non vis ascendere in justum montem **484** Domini? *Ingredere in petram, abscondere fossa humo, a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus*, videlicet circumdante te terribili Romanorum exercitu. Nempe in hoc ne veracem prophetam esse, ipse confirmat dicens : *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, et super filios vestros. Quia ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ steriles et ventres quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

(*Luc* XXIII). Ergo *ingredere in petram, abscondere fossa humo*, id est opta tibi scindi petras, et debiscere terram, ut possis abscondi *a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus*, quando jam victor, gloria et honore coronatus, quæret te iratus, missis apparitoribus visibilibus atque invisibilibus; visibilibus quidem Romanis, qui occidant corpora; invisibilibus autem, id est malignis spiritibus qui tollant animas, detrahendas usque ad inferni novissima. *Oculi sublimis hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa, quia dies Domini exercituum super omnem arrogantem et humiliabitur*, etc. Quis enim iste est sublimis homo, quis iste superbus, excelsus, arrogans, nisi tu qui dicis : *Semen Abrahæ sumus nos, ex fornicatione non sumus nati, unum Patrem habemus Deum* (*Joan.* VIII), *et nos Moysi discipuli sumus?* (*Joan.* IX.) Nempe hæc et his similia dicere in despectum supradicti montis Domini magna sublimitas est, mira superbia, mira celsitudo, mira arrogantia. *Humiliabitur* ergo omnis ejusmodi arrogans, omnis cedrus Libani sublimis et erecta, id est omnis sacerdos et populus confidens in illo Libano, id est pulchro templo, cui alias dicitur: *Aperi, Libane, portas tuas* (*Zach.* XI). Humiliabitur igitur, et omnis quercus Basan, et omnis mons excelsus, et omnis collis elevatus, et omnis turris excelsa, et omnis murus munitus, id est omnis sive plebeius sit, sive princeps, qui cum per naturam sit homo, magis tamen propter superbiam talibus recte denotatur nominibus. Humiliabuntur et *omnes naves Tharsis*, id est omnes divites negotiantes in manibus suis, quia superbientes in divitiis, egenum et pauperem crucifixerunt Christum Filium Dei. Super hoc enim *et super omne quod visu pulchrum est*, erit illa dies Domini, illa revelatio iræ Domini, *et incurvabitur sublimitas hominum*, etc.

CAPUT XI.

Quod ait : « Quiescite ab homine cujus spiritus, » etc., quod Christus sit altissimus, et quod resurrexit veraciter, si spiritus in naribus ejus est.

Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est. Quia excelsus reputatus est ipse, *ergo*, inquam, sic humiliandi sic incurvandi, *quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus.* Quis enim ille est, nisi hic quem occidistis, cujus spiritum de naribus ejus ejecistis, licet ille, quando voluit, spiritum de naribus suis emiserit? Ab isto *quiescite*; nam ecce *spiritus ejus in naribus ejus est.* Resurrexit spiritus ejus, naribus ejus recuperatus est. Ascendit in cœlum, et *excelsus*, id est altissimus, *reputatus est*, nam ecce ad dexteram Dei Patris sedet. *Quiescite*, os vestrum continete, linguam vestram nolite ejicere, nolite blasphemare. Quod si dicitis : *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est*, id est nolite credere in eum, qui similiter spirat, ut cæteri homines, contra vestram intentionem loquimini, infelices; nam si *spiritus ejus in naribus ejus est*, A resurrexit sicut dictum est, et inde *excelsus reputatus est. Quiescite* igitur volentes, alioquin quiescetis nolentes. (CAP. III.) *Ecce enim dominator Dominus Deus exercituum, auferet ab Hierusalem et a Juda validum et fortem et omne robur panis, et omne robur aquæ, et fortem et virum bellatorem, judicem et prophetam, et hariolum, et senem principem super quinquaginta, et honorabilem vultu*, etc. Legent qui volent vestræ calamitatis tragœdiam, et me veracem in omnibus his comprobabunt esse prophetam.

CAPUT XII.

Quod ille de quo ait : « Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui, » Moyses sit, de quo dicitur : « Nos discipuli sumus Moysi, » et quomodo ille econtrario dicat : « Non sum medicus, et non est in domo mea panis, » etc.

B *Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui, et dicet : Vestimentum tibi est? Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in die illa dicens : Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum. Nolite me constituere principem populi.* Tanta quippe erit raritas hominum, et maxime omnium penuria rerum, ut qui cibum et vestimentum habuerit, potens et dives et inclytus esse credatur, miseriamque ac calamitatem communem sustentare et protegere videatur sua posse potentia. Altius autem quod ad rem magis attinere videtur, *vir*, id est Judaicus populus, qui Dominum suum crucifigere est ausus, *apprehendet fratrem suum domesticum patris sui*, id est Moysen, non Deum aut Dominum, sed fratrem et comparem C suum domesticum, non etiam Dominum Abrahæ patris sui. Illum apprehendet, in illo sperabit, sed frustra id faciet, dicendo : *Nos discipuli sumus Moysi* (*Joan.* IX). Frustra, inquam, illum apprehendet, et in illo sperabit. Dictum enim est : *Est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis* (*Joan.* V). Ille itaque respondens, Non est ista, inquit. *Non enim medicus, in domo mea non est panis, neque vestimentum.* Abite, adulatores importuni, nolite adulari mihi, dicendo, *nos discipuli sumus Moysi*, et crucifigendo Dominum et magistrum Moysi. Abite, ruinosi, non ero *princeps* vester, *ruina* vestra non erit *sub manu* mea. *Non ego sum medicus*, qui mederi possim ruinæ, qua corruistis exterius, qua corruistis D interius. Ille medicus erat, imo est, quem vos blasphematis, quem vos occidistis male fortes phrenetici. Quid dicitis : Vestimentum tibi est? An quia legislatio mihi credita est? Plane non vestimentum, imo neque *panis*, neque *vestimentum in domo mea est. Vestimentum in domo* illius est cujus digito lex contexta est. *Panis in domo* illius est cujus angelorum visio cibus est. Quare sic ille respondebit, dicetque : *Nolite me constituere principem populi?* Nimirum propter scelus ejusdem populi. *Ruit enim Hierusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.* Idcirco *ruit Hierusalem, et Judas concidit*, quia contra Dominum blasphemaverunt atque dixerunt : *Tolle, tolle, crucifige, cru-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eiſ je talem, *non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX), et clementissimum Deum furore linguæ suæ ad amaritudinem provocarunt. *Agnitio vultus eorum, respondebit eis, et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* **485** Quid est *agnitio vultus eorum*, nisi cæcitas mentis eorum? Revera illa *respondebit*, id est merito contigit eis. Quare? Quia *peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Quomodo Sodomitæ communi libertate peccantes, et ne pudorem quidem ullum habentes in scelere dixerunt ad Lot : *Educ foras viros, ut abutamur eis* (*Gen.* XIX), sic et illi publice proclamantes, suum prædicaverunt peccatum, nec ullam in blasphemando habuere verecundiam. Idcirco quomodo illis agnitio vultus eorum respondet, ut percussi *cæcitate, a minimo usque ad maximum, non possent invenire ostium* (*ibid.*), sic istis et agnitio vultus sui respondit, ut velamen malitiæ super cor habentes, eum invenire non possent qui dicit : *Ego sum ostium* (*Joan.* X). *Væ animæ eorum, quia reddita sunt eis mala. Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Vos qui auditis et intelligitis hæc, laudate judicium Dei, quoniam mala juste reddidit eis, justo favete, quem illi blasphemaverunt et condemnaverunt injuste, et *dicite quoniam* fecit omnia *bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet*, hoc *dicite justo*, ut et vobis æqua vice faveat justus, ut quandiu ille comedet, vos quoque *edatis et bibatis super mensam* ejus, *in regno ejus* (*Luc.* XXII). Econtrario : *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt* eis. Qui *exactores* ipsi et *mulieres*? *Exactores* propter rapacitatem, *mulieres* propter passivam et Sodomiticam libidinem. *Exactores* isti, *mulieres* istæ, Scribæ et Pharisæi fuerunt, qui turpis lucri gratia, ut acciperent decimas, et primitias unde libidines suas explerent, populo persuaserunt ut crucifigerent Dei Filium. Hoc faciendo nimirum omni gloria *populum spoliaverunt*, et nudum inter hostes constituerunt. Adhuc autem captivum populum beatum dicunt, pro Christo promittentes Antichristum. Sequitur ergo : *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Idcirco continuo dicit :

CAPUT XIII.

Quod Dominus de quo ait : « Stat ad judicandum, » Christus Jesus sit, de quo Stephanus : « Ecce, inquit, video cœlos apertos » etc., et quod judicii ejus jam fuerit actus quo decalvatus est vertex filiarum Sion Romanis devastantibus.

Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos. Dominus qui ascendit in cœlum, qui sedet ad dexteram Dei, ipse stat ad judicandum. Nam hoc et protomartyr Stephanus testatur, cum dicit : *Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei* (*Act.* VII). Cum hæc diceret, jam ille stabat ad judicandum, et judicium imminebat illi concilio malignantium. Unde sequitur adhuc : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi et principibus ejus*, id est contra seniores populi sui et principes ejus. Quare? *Vos enim*, inquit, *depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra.* Hinc ergo contra vos litem propono, hinc ego judicium exigo. O seniores populi mei, o principes populi mei, vos vincam meam depasti estis, vos quod amplius est, rapinam pauperis in domum vestrum comportastis. Nonne lex dicit : *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum?* (*Deut.* XXIII.) At vos vineam meam ingressi, ad agricolandum missos a me servos meos ut fructus afferrent, interfecistis (*Matth.* XXI), ut soli vineam meam depasceremini. Parum hoc fuit : misi ad vos unicum Filium meum, egenum et pauperem, et dixistis : *Hic est hæres, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*ibid.*). Ergo rapina pauperis in domo vestra; pauperem enim occidistis, ut vestra esset hæreditas. *Quare atteritis populum meum et facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum* (*Isa.* III), etc. O duri vindemiatores, quomodo vineam meam depascimini, atterendo et commoliendo facies pauperum? Videlicet nisi quid dederint in os vestrum, sanctificatis super eos bellum. Pauperes delinquentes publice arguitis atque confunditis, divitibus autem majora peccantibus, ne quidquam quidem facitis. Idcirco pauperem occidistis, ut vineam ejus usurparetis, ut pauperum spoliis tam atrociter abuteremini. Idcirco jam nunc audite sententiam Domini, o mulieres dominantes populi ejus, ut supra dixit : Nec enim pro viris ille vos computare dignatur, sed pro mulieribus, quoniam fluitis voluptatibus, et propter voluptates explendas, sic avare rapitis, ut nihil sit intolerabilius. Audite ergo, mulieres dominantes, mulieres luxu pariter, et sanguine fluentes : *Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit*, etc. Quid enim, o auditores, o totius mundi senatores, quid impudentius istis filiabus Sion, filiabus, inquam, id est non viris, quod esse debuerant, sed fluxis mulieribus? Elevantur sedentes super cathedram Moysi, et ambulant extento collo, accipientes salutationes in foro, et amantes vocari ab hominibus Rabbi, et nutibus oculorum eunt, et plaudunt semper gestientes ad adulterium et incestum, utpote principes Sodomorum ambulant, et pedibus suis composito gradu incedunt, hypocritæ dilatantes phylacteria sua, et magnificantes fimbrias, ita ut recte dicamus eis : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia* (*Matth.* XXIII). Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Nonne ergo justissime decalvabimus verticem, et nudabimus crinem talium filiarum, talium mulier-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cularum? Quomodo decalvabuntur? Ut perspicua sit omni mundo, tinea hypocritarum, auferemus eis pulchrum templum, præsides templi virtutes migrabunt, et nudas constituemus eas inter gladios Romanorum. *In die illa auferet Dominus ornatum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, periscelides, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et pallia, linteamina, et arcus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra.* Quid enim hæc faciunt superducta corporibus muliercularum, nisi quod tela concupiscentiæ viris injiciunt per fenestras oculorum? Sic nimirum quidquid Scribæ et Pharisæi faciunt circa semetipsos, et circa splendidum templi cultum, ad nihil aliud valet, nisi ad subversionem intuentium. Auferet igitur illa Dominus quæcunque per prædicta mulierum ornamenta recte signantur, ne diutius scandalum faciant aspicientibus. Nam revera si permansissent ejusmodi filiæ Sion cum omni civitatis et templi ornatu, scandalum non minimum fieret multis in Christum credentibus. Proinde decalvatis illis atque nudatis, *Erit*, inquit, *pro suavi odore fetor*, et *pro* **486** *zona funiculus*, etc. Quantum enim prius fama Synagogæ suavis erat, tanto et amplius nunc fetet, universa terra odorem ejus pessimum percipiente, pro zona vel cingulo sacro Aaron pontificis magni, longum in capite accepit funiculum captivitatis. Tandem ita concludit: *Et desolata in terra sedebit.* Scilicet ut quod prius faciebat, jam nullum ad appetitum sui Synagoga meretrix allicere possit.

CAPUT XIV.

Quod septem mulieres illæ sint dona Spiritus sancti requiescentes super unum Christum.

(Cap. IV.) *Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* *Septem mulieres* septem gratiæ spiritus Domini intelliguntur, id est *spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini* (*Isa.* xi). Istæ *apprehendent virum unum*, Dominum Jesum Christum, quem multo tempore desideraverant, quia nullum alium potuerunt invenire, in quo æterna statione requiescerent. Verum hic intellectus in parte deficit. Quomodo enim dicant septem Dei spiritus: *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur?* Aliter. *Et apprehendent septem mulieres virum unum*, ut supra. Quod est dicere: Filiæ Sion, ut prædictum est, mulieres quæ spoliaverunt populum meum, et dominatæ sunt ejus, Dominum vineæ occiderunt, ut licentius vineam ejus depascerentur, idcirco decalvabuntur, idcirco nudabuntur, et consurgent in judicio adversus eas septem mulieres, id est omnes gentes omnium Ecclesiæ gentium, quarum universitas et in Apocalypsi sub septenario numero intelligitur (*Apoc.* ii, iii, xiii). Surgent, inquam, in judicio adversus istam filiorum Sion generationem malam et adulteram, et condemnabunt eam (*Luc.* xi; *Matth.* xii). Quomodo? Apprehendendo virum unum, virum non alium, quam istum, quem illæ occiderunt, quem de vinea sua ejecerunt foras, et interfecerunt. Virum istum apprehendent in sanguine suo relictum, et eo magis dilectum. *Panem*, inquiunt, *comedemus*, etc. Ac si dicant: Filiæ meretricis hujus, cui tu panem tuum dedisti, quam tu vestimentis tuis operuisti, te occiderunt, et adhuc blasphemare non desinunt. Veni ad nos, et hoc tantum dignare ut invocetur nomen tuum. Non panem tuum quærimus, non a te vestimenta exigimus, illa meretrix panem non habebat, vestimentis indigebat. Nullas enim terras habebat, in Ægypto serviebat, dæmonum et Ægyptiorum libidini subjecta erat. Tu illam redemisti, tu illam per magnalia liberasti virtutis tuæ, tu illam manna cibasti, tu deinde terram illi, tu regiones gentium et labores populorum, unde panem sibi et vestimentum acciperet, dedisti. Cum hæc feceris, illa te ejecit, illa te occidit. Mala tibi pro bonis retribuit, nos econtra *panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur.* Non quærimus ut propter nos gentes illæ occidantur, quarum terram optimam, terram lacte et melle manantem obtineamus. Sed quid? *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, ut dicamur et simus uxores tuæ et Ecclesiæ tuæ, et hoc modo *aufer opprobrium nostrum*, ut jam non dicamur aut simus quod dicebamur et eramus, scilicet alienæ *a conversatione Israel, et hospites testamentorum promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* ii).

CAPUT XV.

Quod ex tunc omnibus credentibus peccata remittantur gratia Spiritus sancti, quemadmodum dicit: « Si ablnerit Dominus sordes filiarum Sion, » etc.

In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. Erit, inquit, *germen Domini* magnificum et gloriosum, de illa gratiosa et uniformi copula septem mulierum, de unica fide multarum in toto orbe Ecclesiarum. *Et* erit *fructus terræ sublimis*, tantæ videlicet homines perfectionis, ut cum adhuc pro conditione mortalitatis terra sint, pro magnitudine sapientiæ supernæ cœli sint, sitque jam eorum conversatio in cœlis (*Phil.* iii). Et erit exsultatio his qui salvati fuerint de Israel, exsultabunt enim apostoli, videntes quanta per eos Deus in gentibus operatus est (*Act.* iv). *Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita Hierusalem*, subauditur, cum plenitudo gentium subintraverit; nam tunc demum reliquiæ salvæ fient (*Rom.* xi). *Omnis*, inquit, *qui scriptus est in vita in Hierusalem*, id est quotquot prædordinati sunt ad vitam æternam. Quomodo autem *sanctus vocabitur*, aut erit? Ait: *Si ablnerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem ejus laverit de medio ejus, in spi-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ritu judicii et spiritu ardoris. Hæc nempe unica significationis regula est, unde et supra dixi : *Lavamini, mundi estote*, præmisso quod *manus vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isa.* I). Sanguis ille non aliter emundari poterit, nisi abluente Domino *in spiritu judicii et spiritu ardoris*, id est in igne Spiritus sancti cum lavacro aquæ visibilis. Ille unus idemque spiritus, spiritus judicii est et spiritus ardoris. Judicii, inquam, id est discretionis, quia fidelem ab infideli discernens, remissionem peccatorum per fidem tribuit. Ardoris autem, quia purgatum a peccatis hominem, deinde boni zeli igne accendit. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte.* Tunc enim redditur populo felicitas pristina, quam aliquando habuere in eremo, præcedente eos Domino per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis (*Exod.* XIII), ut nec in prosperis, nec in adversis aliquando turbentur, juxta quod in psalmo dicitur : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX). Fumus autem hic, non errorem vel ignorantiam significat, sequitur enim, *et splendorem ignis flammantis.* Ergo fumus quem creare decebat Deum, lacrymosa erit compunctio peccatorum pœnitentiam agentium, quam ordine sequitur lucidum regni Dei desiderium. *Super omnem enim gloriam protectio et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.* Qui post pœnitentiæ lacrymosæ fumum creaturam ignis flammantis, id est splendidi desideril consequi meruerit, ut delectet eum contemplari gaudia patriæ cœlestis, talis promissio gloriosa est illi. *Protectio*, inquit, *et tabernaculum erit super omnem gloriam.* Vere enim qui gustavit contemplando beatitudinem futuri sæculi, super omnem computat gloriam mundi vacare, **487** et in secreto abscondi *ab æstu atque a turbine, et a pluvia* præsentis sæculi, ut cum Psalmista dicere possit : *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui* (*Psal.* XXIX). Et in Canticis : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V). Nempe qui sic absconditus dormit, super omnem regum gloriam glorificatus est, cum dicere possit : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III).

CAPUT XVI.

Quod cantico isto secunda perioches sit passionis Christi, et quod secundum illud canticum Dominus illam parabolam dixerit : « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. »

(CAP. V.) *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam*, etc. Canticum hoc secundæ perioches initium est. Quod in initio dixerat, *filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I), hoc istud canticum in parabola vineæ latius ostendit. Dicitur autem per contrarium canticum, nam veraciter idem est væ quod, item in initio dictum est : *Væ genti peccatrici. Cantabo*, inquit, *dilecto meo*, id est Christo veraciter animæ meæ dilecto. Quis enim nescit quia tua anima, o cantor, optime desiderabilem Christum dilexit et diligit ? Nempe canticum sibi vel ad opus suum cantatum esse testatur, cum ex eo sumpta parabola, principibus sacerdotum et Pharisæis dicit : *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis* (*Matth.* XXI), etc. Canticum hoc quorum sit væ, distincte insinuat, dicendo : *Patruelis mei vineæ suæ.* Quis enim patruelis prophetæ exstitit, nisi agricolæ jam dicti, id est ordo leviticus et sacerdotalis? Denique cum ipse propheta de tribu Juda exstiterit, patruus ejus quodammodo fuit Levi. Patruelis autem ejus cunctus ordo leviticus et sacerdotalis. Porro vinea dilecti, populus exstitit. Igitur *cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ*, id est proloquar Christo quod annuntiet agricolis, et vineæ suæ, scilicet sacerdotibus et populo suo carmen lamentabile. *Vinea facta est dilecto meo.* Quænam ista vinea sit, ipse cantor aperit in fine conclusionis. *Vinea*, inquit, *Domini exercituum, domus Israel est.* Hæc *dilecto meo facta est* acquisitione, non auri, neque argenti, sed multorum mirabilium quæ fecit in terra Ægypti. Unde et scriptum est : *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Psal.* LXXIX). Facta est autem *in cornu*, id est, in eadem potentia, qua illam transtulit, quemadmodum et Balaam cum de eodem populo dixisset : *Deus adduxit eum de Ægypto*, continuo subjunxit : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis* (*Num.* XXIV). Hæc facta est, ut jam dixi, dilecto meo *filio olei*, id est filio charitatis Dei. Nam idcirco illi facta est, ut præparatam sibi ille adveniens possideret, et per suum sanguinem sanctificaret. Quod et fecit. Omnes enim per suum sanguinem de inferno eduxit, quorum pars vinea bona est. Sed et de radice ejus apostolos sumpsit, de quibus vel per quos totus mundus vitibus bonis impletus est. Sive *filio olei*, id est in loco pingui, quia revera nihil pinguius terra repromissionis. *Et sepivit eam*, id est angelorum præsidio sepsit eam. *Et lapides elegit ex ea*, id est idola, vel quidquid Dei cultum impedire poterat, diligenti cura persæpe rejecit ab ea. *Et plantavit eam electam*, id est optimam, in fide electorum Abraham, Isaac, Jacob, bene radicatam. *Et ædificavit turrim in medio ejus*, id est, templum in medio regiæ civitatis ejus. *Et torcular exstruxit in ea*, id est altare quod ita sacerdotibus commoda reportat, quemadmodum agricolis torcular. *Et exspectavi*, inquit, *ut faceret uvas, et fecit labruscas*, id est ut faceret bona, et fecit opera mala. *Nunc ergo habitatores Hierusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.* Nonne ergo canticum hoc dilecto animæ suæ cantavit ? Denique sic jam dictam in Evangelio parabolam secundum cantici hujus sensum contexuit, ut omnino sibi istud cantatum velit intelligi, tandemque percunctatur, et ipse pene eisdem verbis : *Cum ergo*, inquit, *venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis* (*Matth.* XXI)? Hoc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tantum interest, quod istic inter dominum vineæ et ipsam vineam illic autem inter dominum vineæ, et agricolas judicium postulat. Porro quid per labruscas hic velit intelligi, illic manifestius aperit, in hæc verba prorumpens : *Et agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt* (*Ibid.*). *Et nunc*, inquit, *ego ostendam vobis quid faciam vineæ meæ*. O habitatores Hierusalem, o viri Juda, ut judicaretis inter me et vineam meam interrogavi, et quia non vultis respondere quod sciscitor, ego ipse mihi respondebo : *Auferam sepem ejus*, id est tollam angelorum auxilia. *Et erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam. Non putabitur, et non fodietur.* Et est sensus : Destruam muros ejus, Romano circumcidente exercitu, ita ut in æternum non reædificetur. Nec vero sicut sub Babyloniis passa est, ita et sub Romanis patietur. Nam sequitur : *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Siquidem et Hieremias capta jam urbe prophetavit in populo, et Ezechiel, Daniel quoque et tres pueri, vel prophetasse, vel mirabilia signa etiam in captivitate fecisse narrantur, et postea Aggæus, et Zacharias futura dixerunt in consolationem populi servientis. Nunc autem ejusmodi *nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*, id est ut jam nec apostolos habeant, nec prophetas quos occidant. Unde et in Levitico loquitur : *Ponam cœlum vobis ferreum, et terram æneam* (*Lev.* XXVI). Quare hoc mandabo nubibus meis ? *Quia exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas.* Quanta enim iniquitas, et quantus clamor, quod et servos patrisfamilias occiderunt, et videntes filium ejus, de quo dixerat : *Verebuntur filium meum* (*Matth.* XXI), *crucifige, crucifige* clamaverunt (*Luc.* XXV).

CAPUT XVII.

Quomodo hujus loci prophetico sensui consonet illa invectio Domini, qua, postquam illam parabolam recitavit, octies væ increpuit Scribis et Pharisæis, octies enim ille post canticum istud væ illis pronuntiat, cum dicit : « Væ qui conjungitis domum, etc.

Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci, etc. Sexies hoc loco væ Spiritus sanctus per istum verbi sui ministrum conclamat : *Væ qui conjungitis domum ad domum ! Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem ! Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis ! Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum ! Væ qui sapientes estis in oculis vestris ! Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem !* Duo væ præterea sunt subaudienda in his duabus iræ sententiis : *Qui dicitis : festinet, cito veniat opus ejus ut videamus. Qui justificatis* 488 *impium pro muneribus, et justitiam justi auferetis ab eo.* Plane et hæc omnia de cantico sunt, quod dilecto suo cantare proposuit, quæ et malis decantat agricolis, id est interfectoribus ejusdem dilecti Scribis et Pharisæis. Testificatur hoc ipse dilectus qui cantata sibi ab isto propheta totidem væ, id est octo, recantat, cum dicit post parabolam quam de vinea proposuit : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui claditis regnum cœlorum ante homines ! Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longa orantes ! Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum ! Væ vobis, duces cæcorum, qui dicitis : Quicunque juraverit per templum, nihil est ; qui autem juraverit in auro templi, debet ! Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et ciminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis ! Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia ! Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia ! Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra mortuorum, et ornatis monumenta justorum* (*Matth.* XXIII). Nonne ergo cantor iste canticum ejusmodi cantans, eo tendit quo et dilectus ejus cui cantavit, qui recantando totidem invehitur sententiis?

CAPUT XVIII.

Quod primo væ intolerabilem Scribarum et Pharisæorum avaritiam prophetando percutit : et propter eamdem civitatem fore destruendam prædicit.

Et primum quidem væ intolerabilem Scribarum et Pharisæorum avaritiam percutit. *Væ*, inquit, *qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ! Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ ? In auribus meis sunt hæc Domini exercituum.* Ejusdem avaritiæ malum quæ pœna consequatur, continuo subjungit : *Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes et pulchræ absque habitatore. Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam. Et triginta modii sementis facient modios tres.* Plane hic propter avaritiam sacerdotum civitatem fore destruendam prævidet ac prædicit : Quod ipsum confirmat dilectus sæpe dictus, cui cantavit. Nam cum videns civitatem, flevisset super illam, dicens *Quia si cognovisses, et tu, quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et non relinquent in te lapidem super lapidem*, continuo, *ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est : vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Luc.* XIX). Et notanda dictionis proprietas, ubi per ellipsin majorem vindictæ vel iræ quantitatem acerrime significat. *Nisi*, inquit, *domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ absque habitatore*, subauditur, falsum vobis ego præcantavi væ. Quod autem decem *jugera vinearum* fecerint *lagunculam unam*, et *triginta modii sementis modios tres*, id est, quod hi qui divites fuerant, in obsidione Romana, fame et siti perierunt, infelicis historiæ textus satis ostendit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XIX.

Quod secundo væ eorumdem ebrietatem redarguit, qua jam ebrii Dominum comprehenderunt in illa paschali vespera.

Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuatis! Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Istud væ agricolas eosdem ebriositatis nimiæ redarguit. *Usque ad vesperam*, inquit. Nimirum in spiritu jam præsens aderat, futuro diei quo festiva ebrietate crapulati, dominum vineæ, Filium Dei comprehenderunt, cum esset vespera paschalis. Væ igitur vobis, ebrii, inquit, atque vomentes crapulati et sordidi, qui vino æstuantes, sobrium comprehendistis Filium Dei. *Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris.* Hoc ipsum Amos propheta vehementissime persequens, cum dixisset : *Qui comeditis agnum de grege, et vitulum de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii*, decentissime ad hos conversus ait : *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph* (*Amos* VI). Quod hic dicit : *Et opus Domini non respicitis, et opera manuum ejus non consideratis*, hoc ille expressit nimis eleganter, *et nihil*, inquiens, *patiebantur super contritione Joseph.* Nempe contritio Joseph, id est passio Domini, quæ per venditionem Joseph solet intelligi, opus est Domini, opus manuum ejus, opus nostræ redemptionis. Hoc opus Domini non respiciebant isti ebrii, nihil enim patiebantur *super contritione Joseph, optimo unguento delibuti.* Quam enim verum est quod *nihil patiebantur super contritione Joseph*, qui super eum nimio risu, et cachinno movebantur. Quid igitur? *Propterea captivus ductus est populus meus, qui non habuit scientiam. Propterea*, inquam, *quia* jam dicti operis Domini *non habuit scientiam*, quia contritioni Joseph compati nescivit, *captivus ductus est* in omnes gentes. *Et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti aruit.* Hoc adeo verum est ut nobilis femina, nomine Maria, in illa obsidione filium suum manducaverit. Sed parva est vindicta, nisi, sicut per Moysen prædictum est, *ignis succensus ardeat usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Sequitur ergo : *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. Et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes, gloriosique ejus ad eum*, etc. Econtrario, mites et humiles bonis Domini abundabunt, unde et tandem infert : *Et pascentur agni juxta ordinem suum, et deserta in ubertatem conversa, advenæ comedent.* Quando Dominus exaltatus fuerit in judicio, et sanctus in sua sanctificatus justitia, ut mali agricolæ male pereant, tunc qui fuerint de agnorum numero, non hædorum, in pratis Ecclesiæ pascentur, et quæ a Judæis deserta sunt, versa in ubertatem *comedent advenæ*, id est gentium populus.

489 CAPUT XX.

De tertio væ quo dicit. « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, » quia occidendo Christum mensuram patrum suorum impleverint.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Væ istud illi consonat quo Dominus : *Væ*, inquit, *vobis, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum* (*Matth.* XXIII). Et subinde : *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum* (*Ibid.*). Denique sic implere mensuram patrum impiorum, ut quia patres prophetas occiderunt, filii non degeneres occidant Dominum prophetarum, idipsum est quod trahere *iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Væ igitur vobis, quia trahetis nihilominus longum quoque funiculum pœnarum! Nam *a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare, venient omnia super generationem istam* (*Ibid.*).

CAPUT XXI.

De quarto væ illorum qui dixerunt : « Festinet, cito veniat tempus, » etc., videlicet quando dicebant : « Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. »

Qui dicitis : Festinet, cito veniat opus ejus, ut videamus, et appropiet, ut veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud. Qui, inquit, *dicitis : Festinet*, vobis væ. Quid enim? Nunquid non multum festinavit, et cito venit opus sancti Israel? Nonne cito resurrexit post tres dies? Nunquid non scitis illud? Nunquid non vobis annuntiaverunt custodes monumenti, qui, facto terræmotu magno exterriti, et præ timore angeli de cœlo descendentis, facti sunt velut mortui? (*Matth.* XXVIII.) Quid amplius festinare voluistis, dicendo : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credemus ei?* (*Matth.* XXVII). Quid tam cito venire voluistis, opus ejus dicendo : *Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult* (*Ibid.*). Imo quam nequissima festinatio fuit, quod contumelia et tormento eum interrogare voluistis si esset Filius Dei. Væ ergo vobis!

CAPUT XXII.

De quinto væ, pro eo quod dixerunt malum bonum, videlicet, reservando Barabbam, et condemnando Christum.

Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum dulce, et dulce amarum! Ut quid enim tam procaciter pervertitis judicium? *Bonum* Dei Filium dicitis *malum, malum* latronem Barabbam dixistis *bonum. Tenebras*, id est homicidia, et seditiones illius ponitis vobis *lucem*, hujus autem *lucem*, id est doctrinam et veritatem ponitis *tenebras*, id est seductionem. Dicitis enim : Quia malus est, et quia *commovit populum, docens per universam Judæam* (*Luc.* XXIII). Væ igitur vobis qui *dulce* hujus velut *amarum* rejecistis, et *amarum* Barabbæ combibistis, ut seditiones ejus hæreditate possideatis!

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXIII.

De sexto væ in eos qui, sapientes in oculis suis, tulerunt clavem scientiæ illis.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes! Ut quid enim clavem scientiæ tulistis? Ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Clausistis regnum cœlorum ante homines, sedentes super cathedram Moysi, amantes primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ac hominibus rabbi (*Matth.* XXIII). Igitur et pro hoc væ vobis!

CAPUT XXIV.

De septimo væ in eos qui viri fortes sunt ad miscendam ebrietatem.

Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem! Potenter bibistis, fortiter ebrietates miscuistis, viri fortes, viri phrenetici. Nam inde est quod medicum verum percussistis. Vinum pessimum, vinum erroris bibistis, et spiritum vertiginis. Hinc est quod Moyses dicit: *De vinea Sodomorum vinum eorum et de suburbanis Gomorrhæ. Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII). Et corporaliter ebrii illa vespera, de qua supra dictum est, Filium Dei comprehendistis, et deinceps vinum doctrinæ nequam fortiter, imo pertinaciter miscere non cessastis, ad defensionem vestri homicidii, ad multiplicandum blasphemias in illum quem occidistis, et odium ejus filiis vestris jugiter propinatis. Væ igitur vobis!

CAPUT XXV.

De væ octavo, in eos qui justificant impium pro muneribus et justitiam justi auferunt.

Væ vobis *qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi auferetis ab eo!* Quare enim justitiam justi, qui *benedictus venit in nomine Domini*, ab eo abstulistis, nisi quia munera vobis auri et argenti non attulit, sed pauper et humilis venit: *Ecce*, inquit Zacharias propheta, *filia Sion, ecce*, o filia Hierusalem, *rex tuus veniet tibi justus et salvator. Ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ* (*Zach.* IX). Quia non solum justus, sed et pauper venit, quemadmodum hic dicit, idcirco justitiam ejus ab eo abstulistis. Econtrario, si venerit in nomine suo ille alius dives impius, illum suscipietis, illum pro muneribus justificabitis, quasi victoriam omnium gentium protinus adepturi, quasi auream atque gemmatam Hierusalem in terris habituri. Væ igitur vobis!

CAPUT XXVI.

Quod propter hæc mala Romanus exercitus venire debuerit, et quomodo adhuc ultra illam vindictam manus Domini extenta sit.

Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet, etc. Quæ illis contigisse sub Romano imperio orbis universus audivit. *In omnibus his non est aversus furor ejus,* A *sed adhuc manus ejus extenta.* Hæc distinctio illud **490** innuit, quod dubium est neminî, quia inimicis Dei non novissima pœna vel malorum finis est mors corporis, quamlibet horrenda. Quapropter illud quod sequitur de secundo Christi adventu, quo judicaturus veniet, nil obstat intelligi.

CAPUT XXVII.

De eo quod ait: « Et ecce festinus veniet, et de die judicii quando rugiet ut catulus leonum, dicendo his qui a sinistris erunt: « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

Et levabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ, et ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens neque laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, neque solvetur cingulum B *renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus. Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti.* Nam Judæis qui illum rejecerant dispertitis, ipse *signum* crucis suæ, *levabit*, inquit, *in nationibus, procul, et sibilabit*, id est, occulta inspiratione adducet ad eum gentes *de finibus terræ, et ecce festinus velociter veniet.* Nam etsi videatur longum esse quod nondum venit, mora tamen non est in consideratione tanti negotii. Unde Sapiens: *Horrende*, inquit, *et cito apparebit nobis* (*Sap.* VI). *Non est deficiens, neque laborans in eo*, id est, non erit sicut prius mortalis, sicut prius infirmus, in illo adventu suo. *Non dormitabit neque dormiet*, idest non occultus ut ante, sed manifestus veniet Deus noster. *Non solvetur cingulum renum* C *ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus*, subauditur, ut tunc semel factum est, quando discinctus in cruce pependit, et moriendo rupta est corrigia carnis, quia calceatus venerat Deus. Sed quid? *Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti.* Dividas namque et acutas sententias dabit extento arcu acuti judicii multis judicibus arcus singulos tenentibus, id est auctoritatem judicandi. *Ungulæ equorum ejus ut silex, et rota ejus, quasi impetus tempestatis.* Equi et currus ejus, throni sunt et dominationes, et omnes virtutes cœlorum, quæ in adventu ejus movebuntur (*Luc.* XXI), et erit tempestas valida in circuitu ejus (*Psal.* XLIX). Equi tales ungulas quasi silices habere dicuntur, quia æterni sunt, et nulla infirmitate lassantur. *Rugitus ejus ut leonis,* D *rugiet ut catulus leonum, et frendet, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit qui eruat.* Vere rugitus ejus ut leonis, quo attonita terra tremet, et evigilantes exsilient mortui. *Rugiet ut catulus leonum*, dicendo: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). *Frendet et tenebit prædam, et amplexabitur*, dextros enim tenebit ut prædam suam, quia pro illis huic leoni prophetice dictum est: *Ad prædam, fili mi, ascendisti* (*Gen.* XLIX). *Non erit qui eruat*, certe non erit qui de manu ejus rapiat. *Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. Super eum*, inquit, scilicet super diabolum, quem cum magno sonitu videntibus cunctis præcipitabit. *Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. Aspiciemus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

inquit. Qui aspiciemus? Nos utique prophetæ sancti, et patriarchæ magni. Ergone talibus quoque ibi erunt tenebræ tribulationis? Erunt plane quando aspiciemus in terram, et videbimus hiantem tartarum, erunt, inquam, *tenebræ tribulationis* tam ingentes, ut si ullo modo mori possimus, solius visionis tribulatio sufficeret ad exanimandos nos nimietate pavorum atque tremorum. Nam *vix justus salvabitur* (*II Petr.* IV), ergo nos quoque tenebras tribulationis aspiciemus, ubi illa bellua mirabilis præcipitabitur, et *lux* quoque, id est sanctitas nostra horrore obtenebrabitur *in caligine ejus*.

CAPUT XXVIII.

Quid sit Dominum sedere super solium excelsum, et quæ sint sub eo implentia templum, quid Seraphim, quid facies, quid pedes Domini, et quid clamor dicentium: « Sanctus, sanctus. »

(CAP. VI.) *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum, et ea quæ sub eo erant, replebant templum.* Tertia hæc periocha maxime vigilantem intellectorem quærit, quia maxime clausa est propter eos, quos Spiritus sanctus notitia veritatis indignos judicavit, sicut ipsa Scriptura patenter innuit. Dicitur enim in primordiis: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculus ejus claude, ne forte videat oculis* (*Isa.* VIII), etc. Et circa finem ejusdem perioches: *Liga*, inquit, *testimonium, signa legem in discipulis meis* (*Ibid.*). Igitur ne quid de fumo illorum palamur, propter quos visionis hujus testimonium, ligatum atque signatum est, Spiritus sanctus corda illuminet nostra, luminis sui claritate. Eo duce primum adhibeamus evangelicæ veritatis candelabrum. Evangelista Joannes cum dixisset: *Propterea non poterant credere Judæi, quia iterum dixit Esaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit eorum cor, ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur et sanem eos*, continuo subjunxit: *Hæc dicit Esaias, quando vidit gloriam ejus et locutus est de eo* (*Joan.* XII). Proinde quis dubitet, hic Domini nostri Jesu Christi gloriam prædicari, et prophetam hic de eo loqui? *Ego vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, id est vidi in spiritu, vidi prophetali oculo Dominum omnium Jesum Christum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, super omnes cœlos elevatum, et receptum in paternæ dexteræ consessum. Illud vere excelsum est solium, et ab humilitate humana, qua pati dignatus est, longe elevatum. Cui autem et nunc præmiserit, *in anno quo mortuus est rex Ozias*, et posterius dicat, *et factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda*, etc., suo loco prætereundum non erit. *Et ea*, inquit, *quæ sub cœlo erant implebant templum* (*Isa.* VII). Postquam Dominus ascendens in cœlum, sedit super illud paternæ majestatis solium excelsum et elevatum, quæ deinde sub eo sunt, nimirum dona quæ dedit hominibus, dona sancti Spiritus, quæ dedit apostolis et cæteris in se credentibus. Hæc implent templum, id est ædificant et perficiunt Ecclesiam Dei, per mundum universum. *Seraphim stabant super illud.* Seraphim *ardentes*, sive *incendentes* interpretantur. Qui ergo sunt seraphim nisi apostoli, quos utique ardentes atque incendentes decimo die post ascensionem ejus effecit Spiritus sanctus? *Apparuerunt enim illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, suprague singulos eorum sedit. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto* (*Act.* II). Isti stabant super templum illud, nam isti Patres et judices Ecclesiæ Dei principantur. *Sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Senarius numerus plenus atque perfectus est, quippe qui suis partibus construitur. Habet enim mediam, id est tria; secundam, id est duo; sextam, id est unum. Quæ simul aggregatæ, senarium perficiunt. Et senario dierum numero Deus perfecit hunc mundum. Ergo sex alæ singulorum Seraphim plenam et perfectam significant notitiam veritatis, quam Spiritus sanctus apostolos docuit juxta promissum **491** dicentis: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XVI). *Duabus alis velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus.* Faciem Domini divinitas Christi est, de qua scriptum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Pedes Domini humanitas Christi est, de qua itidem scriptum est: *Et Verbum caro factum est* (*ibid.*). Utrumque velabant, id est utrumque prædicabant, et pro tempore indignis abscondebant, neque margaritas suas ante porcos mittebant (*Matth.* VII). *Duabus alis velabant*, id est utrumque prædicabant. Quid enim est quod totidem alis faciem quot et pedes velabant, totidemque *volabant*, nisi pari intentione tam divinitatem quam humanitatem Christi, et pro tempore sive loco, annuntiabant? Ad quid enim *volabant?* Sequitur: *Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus.* Ergo *volabant*, id est fidem sanctæ Trinitatis hactenus incognitam prædicabant, juxta regulam dicentis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Hic ter Sanctus unus est Dominus unus in tribus personis est Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Hic enim est Dominus Deus exercituum, ex tunc maxime, ex quo seraphim taliter clamare cœperunt *alter ad alterum*, id est concordi fide, et mutua collatione Scripturarum, ex tunc enim maxime accreverunt illi, et multiplicati sunt exercitus credentium. Unde et protinus subditur: *Plena est omnis terra gloria ejus*, subauditur, quæ prius tantum in Judæa cognoscebatur. Nam quod hic super solium excelsum et elevatum sedere cernitur, deinde et omnis terra gloria ejus plena esse dicitur, illud est quod uno versiculo innuit Psalmista: *Exaltare*, inquiens, *super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* CVII).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXIX.

Quid sit commotio superliminarium, et quid sit fumus impleus domum Domini, unde polluta sunt labia populi, cujus in medio propheta se habitare congemiscat, et quid volans ad eum unus de Seraphim.

Et commota sunt superliminaria domus a voce clamantis, et domus impleta est fumo. Clamantibus seraphim, et in tota terra Trinitatis mysterium prædicantibus, statim *commota sunt superliminaria templi*, et omnes illius cardines ceciderunt, impleta Salvatoris comminatione dicentis : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Aliter. *Commota sunt superliminaria*, id est zelo concitati sunt principes sacerdotum, Annas et Caiphas, et omnes qui Synagogæ præeminebant. *Commota sunt*, inquam, hæc superliminaria, pro audita Trinitatis gloria, et injecerunt manus, ut concluderent ora clamantium Seraphim, id est, ut prohiberent apostolos loqui in nomine Domini. *Præcipiendo*, inquiunt, *præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Hierusalem doctrina vestra* (*Act.* V), etc. *Commota sunt* igitur *superliminaria*, *et domus* non jam Domini, *impleta est fumo* invidiæ, et qua gloria Domini omnis terra splenduit, ex eadem in Israel cæcitas contigit. Et dixit : *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito! Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Hoc illud est quod in Actibus apostolorum legimus : *His auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres?* (*Act.* II.) *Væ*, ergo, inquit, *mihi, quia tacui!* Nec vero tantum *quia tacui*, sed quod pejus est, *vir pollutis labiis ego sum*, quod in persona eorum recte dici, facta ipsa consentiunt. Clamaverunt enim : *Tolle, tolle, crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX)! Veraciter ex eo polluta se labia cognoverunt habere, sed seducti fuerant, et per ignorantiam tali clamore labia sua polluerant. Sequitur ergo : *Et in medio populi polluta labia habentis, ego habito.* Multi enim ex eis non per invidiam clamaverunt, sed multitudinem secuti sunt. *Et volavit ad me unus de seraphim, et in manu ejus calculus, quem tulerat forcipe de altari, et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Iste unus de seraphim, Petrus apostolus exstitit, qui gratiæ pennis advolans dixit : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti* (*Act.* II). *In manu ejus calculus*, inquit, Calculus donum est Spiritus sancti, quo peccata comburuntur, in Christum credentium. Illud in manu erat seraphim, id est in potestate Petri apostoli præ cæteris. Illi namque Christus claves regni cœlorum specialiter tradidit (*Matth.* XVI). *Quem tulerat forcipe de altari*, id est quem promeruerat a Christo solido tenere fidei. Primus enim dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Habet igitur primus in manu calculum, id est sancti Spiritus donum, in potestate vel ministerio conferendæ remissionis peccatorum.

CAPUT XXX.

Quid sit dicere : « Quem mittam, et quis ibit nobis, » et quid illud : « Ecce ego, mitte me, » et quod Stephanus protomartyr sese obtulerit, et secundum sensum præsentis loci dura illi populo stans in concilio nuntiaverit.

Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade et dices populo huic : Audite, audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Quem, inquit, *mittam, et quis ibit nobis?* Ac si dicat : Quoniam neminem ex eis, quos mittimus vivere permittunt, et meipsum occiderunt, quem inveniam tantæ fortitudinis, ut mittam eum? *Quis ibit*, vel quis ire audebit *nobis* et dicet eis : Me, quem occiderunt Filium hominis sedere super solium excelsum, et elevatum, sedere vel stare a dextris Dei? *Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade*, etc. Supra diximus in personam eorum qui auditis Petri apostoli dictis compuncti corde dixerunt : *Quid faciemus*, prophetam dixisse, *væ mihi, quia tacui*, etc. Cujus nunc in persona dicit : *Ecce ego, mitte me.* Cujus, inquam, nisi protomartyris Stephani, qui gratia et fortitudine plenus ire non timuit? Nempe ille quasi injussus, ultro se obtulit, et *ecce ego, mitte me*, dixit, nec enim legimus quod per aliquem apostolorum mandatum accepit, sed quod publicum testimonium perhibens Filio Dei, cum tantum diaconus esset, prodigia et signa faceret apostolicæ virtutis (*Act.* VI). Nonne iste præsentem, de quo loquimur, legationem evidenter attulit, qui cum staret in concilio, *cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, et ait : Ecce video cælos apertos, et* **492** *Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII)? *Vade*, inquit Dominus, *dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere*, etc. Nimirum et hanc legationis partem pertulit, qui causas tantæ iræ non tacuit. Dixit enim : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui pronuntiabant de adventu justi, cujus nunc vos proditores, et homicidæ fuistis* (*ibid.*). Plane quod dictum est, *aure audietis, et non intelligetis*, continuo verum esse constat. Nam ubi dixit : *Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei, acclamantes voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum* (*ibid.*). *Excæca*, inquit, *cor populi hujus. Et dixi : Usquequo, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore*, etc. Et est sensus : Tandiu non audiet, et non videbit, et excæcatum habebit cor donec civitates Judææ, Vespasiano Titoque pugnantibus, penitus subvertantur, in tantum ut ne nomen quidem pristinum remaneat, et domus si-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quæ remanserint sine habitatore sint, et terra redigatur in solitudinem, et vel fuga vel captivitate in totum orbem Judaicus populus dispergatur, et nequaquam in Judæa, ut prius, sed in cunctis gentibus Judæorum populus multiplicetur. Nam hoc est quod sequitur : *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc in ea decimatio, et convertetur.* Ac si dicat : Quid autem dico multiplicabitur? Tanta erit infelicitas residui populi, ut ad comparationem prioris multitudinis vix decima pars remaneat. *Convertetur*, inquit, *et erit in ostensionem sicut terebinthus et sicut quercus quæ expandit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.* Et erit in deprædationem, quando post annos ferme quinquaginta Arianus venerit, et terram Judaicam penitus fuerit deprædatus in tantum ut terebintho et quercui, quæ glandes amiserit, comparetur. Denique post extremam vastitatem, etiam leges publicæ pependerunt, et prohibiti sunt Judæi terram, de qua ejecti fuerant, ingredi. Si quis autem crediderit in Christum, et impletum fuerit illud quod supra legimus : *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorrhæ fuissemus* (*Isa.* I), quando, juxta Apostolum, reliquiæ salvabuntur (*Rom.* IX), hoc semen sanctum erit, et apostolorum germine cunctæ Ecclesiæ pullulabunt.

CAPUT XXXI.

Cur assumpserit illi rem in diebus Achaz gestam conjunxerit, et qualiter impleverit præceptum dicentis in initio visionis : « Excæca cor populi hujus. » Itemque in finem ejusdem : « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. »

(Cap. VII). *Et factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda. Ascendit Rasin rex Syriæ et Phaace filius Romeliæ, rex Israel in Hierusalem, ad præliandum contra eam, et non potuerunt debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes : Requievit Syria super Ephraim. Et commotum est cor ejus et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.* Narrata visione, quod valde notandum est, continuo atque conjuncte longe post actæ rei narrationem subjungit, dicendo : *Et factum est in diebus Achaz.* Nec enim memoriæ debet nunc abesse quod visionem narrare incipiens tempus ejus posuit, dicendo : *In anno quo mortuus est rex Ozias* (*Isa.* VI), denique inter Oziam et istum Achaz anni fuere sexdecim quibus regnavi. Oziæ filius Joathan. Quid ergo continuando rem tanto post tempore gestam visioni præteritæ conjunctiuncula quoque usus est, dicendo, *et factum est in diebus Achaz?* Quid putamus, nisi quia in diebus Achaz tandem fecit id quod sibi tunc præceptum fuerat? Quid enim præceptum fuerat? Videlicet, ut cor populi excæcaret, id est ut sic visionem eamdem narraret, ut populus, quia non merebatur, non intelligeret. Nam qui tunc dixerat, *excæca cor populi hujus*, ipse postmodum dicturus est : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis* (*Isa.* VIII). Et propheta respondet : *Et exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum* (*Ibid.*). Ergo quæcunque A hoc loco Judæis obesse videntur, ut non intelligant, imo quæcunque juvare putantur impietatem illorum adversus ea quæ deinceps de Christo prophetantur, ligamenta sunt, signacula sunt testimonii prophetici. Imo leges evangelicæ, quæ per istum prophetam evangelizantur, dicentem : *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, etc. Nobis autem in Christo revelantur per ipsum, qui librum signatum aperuit, et solvit tam hæc quam cætera signacula ejus.

CAPUT XXXII.

De eo quod cum annuntiatum esset domui David, quia requievit Syria super Ephraim, annuntiatur conceptus et partus Virginis, et cur vocetur « Emmanuel ; » itemque, « accelera, spolia detrahe, festina prædari. »

Annuntiaverunt, inquit, *domui David, dicentes :* B *Requievit Syria super Ephraim. Et commotum est cor ejus*, etc. Quare *commotum est cor David, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti?* Videlicet quia, sicut subjunctum est, consilium inierat Syria malum, et Ephraim et filius Romeliæ contra Judam dicentes : *Ascendamus ad Judam, et evellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus, filium Tabeel.* Idcirco, *commotum est cor domus David*, videlicet ne periret regius honor de domo David. *Non stabit, inquit Dominus, et non erit istud*, etc. Deinde promissio : *Si non credideritis, non permanebitis.* Continuo sequitur : *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo* C *Dominum. Et dixit : Audite ergo, domus David : Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel : Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Ac deinceps : *Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus : Accelera, spolia detrahe, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum,* D *et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum* (*Isa.* VIII). De Jesu Christo Dei Filio prophetiam hanc esse veraciter scimus et confitemur. E contrario Judæi, quid ad Christum, inquiunt, vestrum tanta post tempora natum, quod tunc Rasin regem Syriæ interfecit Theglathfalassar rex Assyriorum, et dissipatum est ejus, scilicet Rasin et Phaceæ, filii Romeliæ, **493** consilium magnum? (*IV Reg.* XVIII.) Quid itidem ad Christum vestrum, quod, regnante Ezechia, egressus est angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia? (*IV Reg.* XIX.) Nunquid natus erat? Ad Ezechiam magis qui fecit quod erat bonum coram Domino juxta omnia quæ fecit David pater ejus, unde et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dominus erat cum eo, propter quod a propheta dicitur Emanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*, natus non de virgine, id est Betula, sed de adolescentula, id est anima. Dicimus ad hæc : Emmanuel noster nondum quidem in carne venerat, sed nihilominus ante Ezechiam et ante Achaz, imo et ante Abraham ipse erat. Nec solum Rasin et Phaceæ filii Romeliæ consilium magnum dissipatum, et exercitus Sennacherib per eum vel propter eum percussus est, sed et quidquid unquam mali evasit, vel boni consecutus est Israel, et patres ejus Abraham, Isaac et Jacob, opere factum est hujus Emmanuel (*IV Reg.* xv). Quis enim, aut quæ res Abraham sanavit, nisi fides hujus Emanuel? Ex quo credidit Abraham Deo, sibi dicenti : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii), quidquid boni in semetipso vel in posterum suis adeptus est, hujus seminis sui, hujus Emanuel nostri fecit vel promeruit fides. Igitur jam veritatis hujus thesauros ingrediamur, dicentes : *Si non credideritis, non permanebitis.* Quod est dicere : Nunc quidem Rasin regem Syriæ et filium Romeliæ, Sennacherib quoque regem Assyriorum ope futuri Emanuel evadetis, et in terra vestra manebitis; sed cum ille venerit, *si non credideritis, non permanebitis*, quia Romani venient et tollent vestrum et locum et gentem (*Joan.* xi).

CAPUT XXXIII.

De impietate Achaz, et de eodem Emmanuel, et quo sensu recte accipitur dictum : « Butyrum et mel comedet ut sciat, » etc., et cur post tanta tempora nasciturus jam promittatur.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. Non humilitatis est, sed superbiæ quod non vult a Domino Deo signum postulare. Quanquam enim scriptum sit in Deuteronomio : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* vi; *Matth.* iv), et hoc contra diabolum Salvator usus sit testimonio, tamen jussus ut peteret, obedientiæ debuit explere mandatum, præsertim cum et Gedeon et Manue signum petierint et acceperint (*Jud.* vi, xiii). Sciebat enim rex impius quod, si signum peteret, accepturus esset, et glorificaretur Deus. Ergo quasi idolorum cultor, qui in omnibus angulis platearum et in montibus, locisque nemorosis aras constituerat, et pro levitis habebat fanaticos, non vult signum petere, quod præceptum est. *Et dixit : Audite ergo, domus David : Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo?* Quis est iste qui dixit : *Audite ergo, domus David?* Nequaquam Deus, qui supra ad Achaz dixerat : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo*, sed propheta, ut ex consequentibus approbatur, *quia molesti estis et Deo meo.* Et est sensus : Quia non solum prophetas persequimini, et eorum dicta contemnitis, sed præsentis et jubentis Dei sententiæ contradicitis, ita ut ei exhibeatis laborem, qui in alio loco ait : *Laborasi sustinens* (*Isa.* i), idcirco Dominus faciet quæ sequuntur. Et hoc notandum quod, Achaz rege impiissimo nolente signum petere, sermo propheticus ad domum David, hoc est ad tribum regiam convertitur, de qua supra legimus : *Et nuntiaverunt hæc domui David, dicentes : Consenserunt Syria et Ephraim. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Propterea*, inquit, *quia molesti estis*, non solum *hominibus*, sed etiam *Deo meo*, prophetas ejus occidendo et cultum ejus abjiciendo, *dabit Dominus ipse vobis. Ipse*, inquam, *Dominus dabit signum vobis magnum*, et dignum se. Nam *ecce virgo concipiet*, etc. In eo terribile vobis erit illud signum, quod iste Emmanuel de virgine conceptus et natus *butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Quid enim? Ad hoc venit iste Emanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*, et ad hoc *butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum?* Ita plane. Nam vos estis *principes Sodomorum et populus Gomorrhæ* (*Isa.* i). Idcirco nunc loquitur apud se : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita : ut sciam* (*Gen.* xviii). Ergo *butyrum et mel comedet*, id est homo factus in omni convictu et habitu, in omni veritate naturæ humanæ conversabitur inter homines, ut non jam per solam scientiam, sed et per experimentum sciat *reprobare malum* vestrum, malum Sodomiticum, et *eligere bonum*, cum vos secundum furorem Sodomorum circumdederitis eum, expetentes ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum. Hæc passus, deinceps sciet *reprobare malum, et eligere bonum*, habens *potestatem facere judicium* (*Joan.* v), in quo sine dubio reprobabit malum et eliget bonum. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum* (*Isa.* viii). Quasi quæreres, ut quid propter præsens periculum promittitur nobis Emanuelis tanta post tempora nasciturl signum? Videlicet quia antequam modo supradicto *sciat reprobare malum, et eligere bonum*, antequam fiat homo, nunc idem Deus apud Patrem Deum hoc faciet, ut derelinquatur terra quam tu detestaris a duobus regibus suis. *Adducet Dominus super te et super populum tuum, et super domum patris tui dies, qui non venerunt a die separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum. Cum rege Assyriorum adducet*, inquit, *Dominus super te dies* quos nunquam habuisti. Ut videlicet superatis decem tribubus ab Assyriis in Emanuelis præsentia libereris. *Et erit in die illa : Sibilabit Dominus musca quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur*, etc. Muscas autem Ægyptios vocat propter sordes idololatriæ, et imbellem populum, et apem Assur, quia illo tempore potentissimum erat regnum, et ad bella promptissi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

num, vel ob id, quia omnis prope Assyriorum et Persidis regio usum habebat sagittarum. Legamus Regum, et Paralipomenon libros, et invenietnus ab Ægyptiis cæsum sanctum regem Josiam, et populum Israel potestati Ægyptiæ subjugatum, ita ut regem illis constitueret, et post multum temporis venit Nabuchodonosor cum innumerabili multitudine bellatorum, captaque Hierusalem, et cæteris Judææ urbibus dirutis, incendit templum, et habitatores Assyrios posuit in Judæa (*IV Reg.* XXIII; *II Par.* XXXIV; *IV Reg.* XV; *II Par.* XXXVI).

494 CAPUT XXXIV.

Quid sit dicendo : « Sume tibi librum grandem, » qui sint testes, quæ prophetissa, ad quam accessit, et de filio ejus.

(CAP. VIII.) *Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus : Accelera, spolia detrahe, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Rursus sub alia specie partus describitur virginalis. Non enim obscuritatem litteræ, sed claritatem spiritus prudens lector hic recipit. Alioquin si juxta litteram de prophetissæ mulieris conceptione prophetam generasse filium quis recipit, consequenter et Osee prophetam vere meretricem uxorem habuisse firmabit. Hæc ergo prophetissa, ad quam propheta jussus accedit, sancta est Maria, cujus in utero omnium prophetarum sanctorum completa est prophetia. Nec enim quod carne concepit, mente ignorare potuit. Ad hanc prophetissam, propheta iste, imo et omnes accesserunt prophetæ sancti, omnium quippe Sanctus, et omnium Verbum ad uterum ejus tendit. Proinde si nihil judicamus nos *scire, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum* (*I Cor.* II), solum hic et ubique quæramus eum, quia revera quidquid aliud senserimus, majestati sanctæ Scripturæ non est condignum. Ait : *Et dixit Dominus ad me.* Quo conjunctiuncula hæc, *et dixit,* respicit, nisi ad internos clamores prophetæ, sortem et hæreditatem in illa beata generatione Emanuelis habere desiderantis? *Sume tibi librum grandem.* Ad quid *grandem?* Quantum enim est, quod erat scripturus? *Accelera, spolia detrahe, festina prædari.* Magnum quidem nomen, sed parvo spatiolo potest largissime conscribi. Quid enim liber iste est grandis, nisi universa pagina sacri verbi Dei, quam primus Moyses, et post Moysen scripserunt cæteri? Illum *sume,* inquit, id est esto unus de consecretalibus Verbi Dei, unus citharœdorum, citharizantium in citharis suis, ante thronum Dei, unus de testibus virgineæ conceptionis, unus de patribus in generatione Filii Dei. *Et scribe in eo stylo hominis : Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Stylo hominis scribe,* id est stylo quo homines scribere consueverunt, Dei sacramenta comprehende. Vel certe *stylo hominis,* id est quantum de Deo capere potest fragilitas hominis. Nec enim tu, cum sis homo, comprehendere potes illud totum, quod est Emanuel. Nam totum *filium nemo novit, nisi Pater* (*Matth.* XI). Sicut e converso, *nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Ibid.*). *Accelera, spolia detrahe, festina prædari,* id est non patiaris ultra diabolum regnare, non patiaris armatum fortem, sua quæ possidet in pace diutius habere. *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ, et accessi ad prophetissam.* Certum habet fidelis intelligentia, quia veraciter ad prophetissam illam quam prædiximus accessit Esaias, in illa hora quando cum voce angeli salutantis eam et evangelizantis, quod conciperet et pareret filium, Spiritus sanctus in illam supervenit (*Luc.* I), in illa, inquam, hora cum omni multitudine verbi Dei Scripturæ quoque hujus plena illi notitia infusa. Statimque cum sermone angeli virgineum conceptum prædicantis, memoriæ ejus locutus est hoc illud esse quod supra dixit : *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Ita ad illam prophetissam hic accessit, testes sibi fideles adhibuit. Quot? Duos, id est *Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ.* Claret in omni Scriptura ejus, in tota amplitudine voluminis ejus, quia duos fideles, duos populos fidem Christi habentes, unum de Judæis, alterum de gentibus sibi testes adhibuit. Urias quod interpretatur *lux mea Deus,* ipse est Judaicus, apud quem prius lucere dignatus est Deus. Per Zachariam quod interpretatur *memor Domini,* nos de gentibus significamur, qui ejus quidem Emmanuelis venturi notitiam non habuimus; sed præteriti memorem fidem habemus. Sed et Barachiæ filii, id est benedicti Domini filii sumus, nec enim antequam ille veniret, quidquam boni habuimus, ut Judaicus populus, sed ex adventu ejus habemus, cui Psalmista dicit : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII). Adsumus ecce duo testes fideles in veritate rerum comprobantes, quia bonus et optimus cooperator divinæ generationis, iste ad prophetissam illam accessit, et verum esse confitemur quidquid de partu beatæ Virginis, quidquid de nobis iste prædixit. Quare jam vocabo eum, *accelera, spolia detrahe, festina prædari? Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Nunc interim, dum est apud Deum, Deus Verbum nondum caro factum, solummodo patrem invocare scit. Cum autem, ut supra dixi, virgo conceperit et pepererit, tunc demum et patrem invocare sciet et matrem. Multum ergo accelerabit, multum festinabit, qui antequam nascatur de matre, antequam patrem hinc, et matrem inde debeat habere, auferat fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ regem quoque Assyriorum percutiendo de exercitu ejus centum octoginta quinque, millia in una nocte. Planc aliud majus faciet, cum patrem et matrem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

invocare sciet, id est cum is qui ante tempora sæcularia de Patre natus est, sub tempore de matre natus fuerit. Tunc enim spirituales hostes, id est diabolum et omnes partes ejus superabit.

CAPUT XXXV.

Quod ait : « Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, et propter hoc adduci super populum illum regem Assyriorum. »

Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens : Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt sub silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, etc. Per translationem loquitur Siloe fontes Hierusalem et Assyrii flominis violentissimi, quod omnem terram Israel suis inundet aquis, et egrediatur ripas alvei, tantoque feratur impetu ut postquam decem tribuum occupaverit terram, ad Judam perveniat, et transiens ad collum usque pertingat, per quæ vicinam significat captivitatem. Non enim tunc captus est Judas, sed cunctis duarum tribuum urbibus subjugatis, sola remansit Hierusalem, quæ incredibili Dei misericordia liberata est. Potentiam ergo Assyrii et innumerabilis ejus exercitus, quam sublimi inundatione descripserat, nunc per aliam ostendit translationem, quod alis suis, id est ducibus et infinita multitudine operuerit terram Emanuelis, hoc est, defendentis eam Dei, sed tamen non possederit. Mystice **495** per aquas Siloe, quod interpretatur *missus*, quam ille populus contempsit, gratiam baptismi intelligimus, quam populus Judaicus abjecit. Legimus enim in Evangelio quod cæcum a nativitate, cujus oculos luto ex saliva sua facto, Dominus laverat, miserit ad aquas Siloe. Quibus cum cæcus lavisset lutum, cæcitate detersa, clarum oculorum lumen accepit (*Joan.* IX). Quod post signi magnitudinem indicat non aliter cæcitatem Judæorum et omnis increduli posse sanari, nisi doctrina aquarum Christi, quæ absque strepitu et clamore verborum leniter fluunt, tenebræ prioris fugentur erroris. Nimirum pro eo quod populus decem tribuum abjecit aquas Siloe, id est separatus est a Hierusalem et a domo David, adduxit super eos Dominus regem Assyriorum, quod interpretatur *dirigentium* ; sic pro eo quod abjecit populus Judaicus gratiam Dei et fidem Christi, adducit super eum Dominus diabolum regem superborum, et nihilominus exercitum Romanorum, et dupliciter captivati sunt. E contrario sicut ivit rex Assyriorum per Judam inundans, et alas suas extendit, implens latitudinem terræ, nec prævaluit, protegente te, o Emmanuel ; sic diabolus per Judam, id est, contra catholicæ confessionis Ecclesiam, multis persecutionibus consurrexit, et non prævaluit te protegente, o Emanuel, te defendente, o nobiscum Deus. Dicamus igitur nos, dicamus omnes id quod sequitur inimicis nostris, inimicis Christi persecutoribus nostris Judæis, paganis, hæreticis : *Congregamini, populi, et vincimini.* Item : *Inite consilium, et dissipabitur, Loquimini verbum et non fiet.* Itemque, confortantes alterutrum, dicamus nostris : *Ne dicatis : Conjuratio* id est, ne miremini, quasi novi aliquid acciderit, quoties populus impius blasphemias interrogat Christo. *Omnia enim quæ loquitur populus iste conjuratio est. Et timorem ejus ne timueritis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate. Ipse pavor vester et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel in laqueum et in ruinam habitantibus Hierusalem, et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Videlicet quia non receperunt Emanuelem, sed factus est *eis in lapidem offensionis, et petram scandali.* Idcirco *conterentur,* captivique ducentur.

CAPUT XXXVI.

Quod ait : « Liga testimonium, » et qualis secundum sequentia damnatio futura sit eorum qui non ad legem et testimonium, sed ad pseudoprophetas, falsum pro vero, Antichristum pro Christo recipiunt : Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.

Ipse qui dixerat superius : *Excæca cor populi hujus*, ipse nunc idipsum factum suo judicio commendat, dicendo : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Ac si dicat : Bene fecisti, ligando testimonium, signando legem hujusce visionis in discipulis meis, id est donec veniant discipuli mei, quos dignos faciet fides evangelica, ut aperiam illis sensum et intelligant Scripturas (*Luc.* XXIV). Protinus ille respondit : *Exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum.* Ligavi, inquit, et signavi, et quamvis tristitia sit mihi magna pro fratribus meis Israelitis, patienter exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam ab eis et ad gentes transivit. Exspectatus ille tandem cum plenitudo gentium subintraverit (*Rom.* II), revertens ad reliquias Israel dicit : *Ecce ego, et pueri quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israelis a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Pueri* quos reversus ostendit, multitudo gentium est, quæ subintravit *in signum et in portentum Israelis.* Mirabitur enim Israel, cum de gentibus reversus ad reliquias ejus, tot pueros, imo tantam multitudinem filiorum de Ecclesia gentium susceptorum præsentaverit. *Ecce ego*, inquit. *Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et divinis qui stridunt incantationibus suis, nunquid non populus a Deo suo requiret visionem pro vivis et mortuis? Ad legem magis et ad testimonium.* Sensus iste cum illo sermone ejus in Evangelio congruit : *Et dicent vobis*, videlicet pseudoapostoli, et pseudochristi : *Ecce hic Christus, aut ecce illic. Nolite ire, neque sectemini* (*Luc.* XVII). Nam revera pseudoprophetæ quasi pythones sunt, et quasi divini, *qui stridunt in incantationibus suis. Nolite*, inquam, *ire*, sed dicite pythonibus ejusmodi : *Nunquid non populus a Deo suo requirit visionem pro vivis et mortuis?* Et est sensus : Si populus Dei sumus, nonne sermonem ejus, sive pro vivis, sive pro mortuis magis quam vos pythones aut divinos attendere debemus? Ergo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad legem magis et ad testimonium subauditur, quam ad vestram seductionem respicere debemus. Habemus enim legem et testimonium ejus *cui tanquam lucernæ lucenti, in caliginoso loco* attendentes benefacimus (*II Petr.* I). *Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*, id est, si non sic responderint pseudoprophetis, Antichristi præconibus, in errorem inducentur, et lucem æternam non intuebuntur. *Et transibit per eam, et corruet, et esuriet.* Quisquis ita non dixerit, per eam, subauditur lucem, transibit cæcis oculis, et corruet in laqueum damnationis, et æterna fame esuriet. *Et cum esurierit, irascetur, maledicet regi suo, et Deo suo.* Irascetur plane et rixabitur, nec enim ibi confessionis vel supplicationis locus erit, aut tempus, et maledicet regi suo Antichristo, et Deo suo diabolo, quem secutus est deserto Deo vero. Non enim saltem in inferno rixarum illis deerit amaritudo. *Et suspiciet sursum, et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio, et tenebræ, et dissolutio, angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.* Et præcedentem, sicut et hanc periochem terribili conclusione terminavit. Differenter tamen. Nam illic, *aspiciemus in terra*, dixit, *et ecce tenebræ tribulationis* (*Isa.* v). Hic autem per tertiam personam, *suspiciet*, inquit, *sursum, et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio.* Nempe illic de seipso simul et omnibus electis loquitur, qui in illo judicii die quamlibet justi nonnullo metu concutientur. Hic autem de sola damnatorum parte, cui et sursum Deus iratus, et deorsum tartarus erit apertus. Recte igitur hic ita terminat: *Et non poterit*, inquiens, *avolare de angustia sua*, quod illic non dixerit.

IN ISAIAM LIBER SECUNDUS.

(Isa. IX-XLVI.)

496 CAPUT PRIMUM.

Quartam periochen ab eo incipere quod ait : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, » et cur evangelista de hoc loco sumens testimonium, partes istas omisit primo tempore, etc.

(Cap. IX.) Quariæ perioches sensum lucidum faciemque pulchram totus orbis videt, cujus hoc initium est: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris, trans Jordanem Galilææ gentium.* Primos intelligentiæ aditus evangelista Matthæus nobis aperit, cum dicit : *Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam. Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum, maritimam in finibus Zabulon, et Nephtalim, ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Profecto cum hæc dicit, visionem sive exortum magnæ lucis, lucidam prædicationem Salvatoris, lucidum vult intelligi Evangelium regni Dei, quod prima omnium terra Zabulon, et terra Nephtalim ex ore ejus audivit. Nam antequam Joannes traditus esset, nunquam ille per publicum prædicavit, aut apostolos elegit, licet discipulos habuerit, coram quibus nondum tradito Joanne aquas in vinum convertit, quod signorum ejus initium fuit (*Joan.* II). Sed quid est quod sumptum de isto loco testimonium non ad integrum scripsit? Sic enim se habet textus propheticæ lectionis : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris*, etc. Evangelica autem sic excepit. *Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris*, etc. Duas omisit prophetiæ præcipuas partes, *primo tempore alleviata est, et novissimo aggravata est.* Quid, inquam, est quod testimonium non integrum posuit, sed istas partes omisit? Videlicet quia quod hic intelligendum est, *primo tempore alleviata est, et novissimo aggravata est*, non jam tunc quando prædicare cœpit Dominus Jesus adimpletum est. Hoc interim nos intelligere voluit, quia prædicatio Domini Salvatoris quæ primum in terra Zabulon et terra Nephtalim audita est, visio magnæ lucis est quæ per hunc prophetam prænuntiata est. Nunc ergo per hanc intelligentiæ januam ingressi præsentis capituli spatia, quanta eadem juvamur luce perambulemus.

CAPUT II.

Quomodo Judæa « primo alleviata est, novissimo autem aggravata, » quando credendo in Christum magnam cœpit lucem videre populus gentium, et quomodo diabolus violentus exactor superatus sit.

Primo, inquit, *tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris, trans Jordanem Galilææ gentium.* Terram Zabulon, et terram Nephtalim prædictus evangelista viam maris appellat, quia secus mare Galilææ sita est, id est, secus lacum Genezareth qui Jordane fluente efficitur, cujus in littore Capharnaum, et Tyberias, et Bethsaida, et Corozaim steterant. Hæc terra duarum tribuum, totum significat hic populum Israeliticum. Recte videlicet, quia is qui missus erat ad oves quæ perierant domus Israel (*Matth.* XV), quique ante passionem suam dicebat

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

discipulis suis : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* x), primum in terra illa prædicavit, exinde enim prædicare cœpit. Igitur *primo tempore est alleviata terra Zabulon et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est*, id est præsentis Domini Judæa et prædicationem audivit, et mirabilia vidit, assumpti autem in cœlum verbum repulit, et vitæ æternæ indignam se judicavit. Primum illis oportuit loqui, novissime ad gentes ire vel mittere, quia Judæa cor suum aggravavit (*Act.* XIII). Itemque : *Populus gentium, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam.* Subaudiendum est, *primo tempore*, Judaicus qua videlicet hæc pro parte electorum alleviatus est, novissimo gentilis populus, quando Judaicus in incredulitate aggravatus est. *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Mors et umbra mortis hoc differunt, quod mors eorum est, qui cum operibus mortuis ad inferos descendunt, *anima enim quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII), umbra autem mortis eorum est, qui cum peccent, necdum de ista vita egressi sunt. Possunt enim, si volunt, agere pœnitentiam. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* O lux, inquit, quæ orta es, ambulantibus in tenebris et habitantibus in regione umbræ mortis, tu *gentem* filiorum tuorum *multiplicasti*, multa quippe extunc nata est gens filiorum lucis, sed *lætitiam non magnificasti.* Quorum lætitiam ? Apostolorum, qui primi in terra Zabulon, et Nephtalim videntes te lucem veram, facti sunt ipsi lux mundi. Eorum *lætitiam* nequaquam *multiplicasti*, **497** quia lætitiam, quam habuerunt de illuminatione gentium, magna tristitia permiscuisti, pro exæcatione sui, id est Judaici populi. Sed nec ipsius generis quam multiplicasti tu *lætitiam magnificasti.* Nam hæc sunt verba tua, verba lucis, quæ orta est eis : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei* (*Matth.* IV). Profecto pœnitentiam agentibus, nondum magnæ lætitiæ tempus est. *Euntes*, inquit Psalmista, *ibant et flebant mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV). Sed quid deinde? *Venientes* autem, ait, *venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (*Ibid.*). Hoc est, quod continuo sequitur : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia* (*Ibid.*). Hæc ergo tam apostolorum quam gentis, multiplicata lætitia sit aliquantula in spe, magnificabitur autem in re, *quando* velut messores *venient portantes manipulos suos, et tanquam victores* dividunt *spolia*, subauditur victi id est diaboli. *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.* Tu enim, Domine atque Salvator, *jugum oneris ejus*, id est diaboli, qui prius exsultabat in mundo, qui cunctis gentibus imperabat, qui gravissimo jugo servitutis colla omnium deprimebat, et virgam, quæ percutiebat universos, et peccata sibi quasi quoddam tributum reddere cogebat, detraxisti de humeris eorum, et tibi liberatos, servire fecisti absque ullo exercitu, absque effusione sanguinis in abscondita manu, sicut quondam sub Gedeon populo Israeli de Madianitis victoriam præbuisti (*Jud.* VII). Quomodo enim vestis quæ humano sanguine cruentata est, lavari non potest, sed infecta sanguine igne comburitur, ut maculæ fœdi cruoris cum vestimento intereant, sic diaboli violenta prædatio et tumultus ac turbæ, quibus humanum sibi subjecerat genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.

CAPUT III.

De ortu parvuli vel filii qui illum superavit, et nominibus, sive ordine nominum ejus, quorum primum est Emmanuel, octavum princeps pacis, et quis zelus Domini exercituum fecit hoc.

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia amodo et usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Ideo, inquit, diabolus, et omnis violenta prædatio, qua humanum oppresserat genus, et sanguinem sanguini miscuerat, erit in combustionem, et cibus ignis æterni, quia *natus est nobis parvulus*, id est humilis Filius Dei, cujus *principatus super humerum* ipsius erit, ita ut sibimet, cum sit Deus, propriis viribus ad tenendum principatum suum sufficere possit, qui et per humilitatem passionis suæ, agens judicium mundi, et per majestatem principatus sui, damnet illum in die judicii. Hic supra primum dictus est *Emanuel*, et deinde vocatum est nomen ejus, *accelera, spolia detrahe, festina prædari*, nunc vocabitur, et aliis nominibus sex, id est, *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Et vide quam pulcher ordo nominum. Primum *Emanuel*, id est *nobiscum Deus*, pro causa videlicet quæ prima est ordine, quia habitavit in nobis Deus homo factus. Secundum, *accelera, spolia detrahe, festina prædari*, ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, et spolia ejus distribuit (*Luc.* XI). Tertium, *admirabilis*, videlicet quia resurrexit a mortuis, et ascendens in cœlum, gloria et honore coronatus, sedet a dextris Dei. Quartum, *consiliarius*, ex eo scilicet, quod dans paracletum Spiritum sanctum apostolis suis, consilium habuit cum eodem spiritu consilii, de repellendis Judæis, et vocandis gentibus. Quintum, *Deus*, quia exinde ab omni mundo vere adoratur, ut Deus. Sextum *fortis*, quia vere fortis in judicio, quo exspectatur, apparebit. Septimum, *Pater futuri sæculi*, quia nimirum peracto judicio, non jam ut Dominus servorum, sed ut pater filiorum regnabit. Octavum, *princeps pacis*, quia revera laudabitur in æternum, et grates habebit ut auctor pacis, qua Deo sumus reconciliati, per mortem ejus, qui eramus inimici. Quid miraris? *Zelus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Domini exercituum faciet hoc. Vere et fideliter. Quisnam est iste *zelus Domini*, qui *faciet* ut talis parvulus nascatur nobis, et tantus filius detur nobis? Quis, inquam, est iste bonus zelus Domini, nisi bonus spiritus Domini? Nempe non virili semine, sed isto spiritu fiet, ut talis parvulus nascatur nobis, ut tantus filius detur nobis. Sic angelus Gabriel dicit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Quare autem præsenti loco Spiritus sanctus, *zelus Domini* dicitur? Videlicet, quia contra tyrannum regni Dei usurpatorem zelando fertur, et sua virtutitur, ut fortior illo forti armato sit iste (*Luc.* XI), qui natus est nobis parvulus, iste qui datus est nobis filius. Idcirco parvulus idem, dæmonia se in spiritu Dei ejicere, B profitetur (*ibid.*). Itaque misso foras principe mundi, *multiplicabitur*, inquit, *ejus imperium, et pacis non erit finis*, etc. *Multiplicabitur*, inquam, *ejus imperium*, ut non Judæorum tantum quibus imperavit David, sed et omnium imperator sit gentium, amodo et usque in sempiternum.

CAPUT IV.

Quod ait: « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel, » et quomodo hæretici qui significantur per Ephraim dixerunt vel dicant, « lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus. »

Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. Revera verbum hoc, verbum bonum, verbum carnem factum, misit Dominus in Jacob, voluit enim illud incarnari, et hominem fieri ex Jacob. Quare autem non dictum est in Isaac, aut certe in Abraham, ad quem primum promissio facta est? Videlicet, ut privilegium unius ingratissimæ gentis ostenderet. Nam neque Abraham unius gentis, secundum carnem quoque pater est, neque Isaac unius gentis pater est; dictum quippe est uxori ejus Rebeccæ: *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex ventre tuo dividentur* (*Gen.* XXV), scilicet altera ex Jacob, et altera ex Esau. Jacob autem unius populi pater est, qui est Israel. Ergo *Verbum misit Dominus in Jacob*, id est in illum peculiarem populum, ut incarneretur de semine Jacob. Et, o mira ingratitudo, verbum ipsum cecidit in Israel, D ita ut conteretur casu istius Israel. Nam in Israel illa ejusdem verbi sententia pervenit. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum* (*Matth.* XXI). Et sciet **498** omnis populus Ephraim, et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.* Populus Ephraim, omnes recte intelliguntur super quos lapis iste cecidit, quos Verbum istud terribili casu contrivit, tam Judæi quam hæretici. Quare videlicet, quia Ephraim cum hæc prophetia scriberetur, scissus erat a domo David, et aureos colebat vitulos, relicto templo Domini. Porro in A nomine Ephraim, decem tribus intelliguntur, quia Hieroboam, qui tulerat decem scissuras et vitulos illos fabricaverat, de tribu erat Ephraim. Illum imitantur quicunque resiliunt a regno Christi, sive Judæi sive hæretici. Igitur *sciet omnis populus Ephraim*, scient omnes qui se sciderunt a regno Christi, quia malum est eis, cecidisse in ipsis verbum istud, quod Dominus misit propter superbiam ipsorum, et magnitudinem cordis sui, qua dicunt: *Lateres ceciderunt, sycomoros succiderunt.* Per contemptum, lateres aut sycomoros, quæ ligna vilia sunt, eos appellant Judæi, qui in Christum credunt, omnesque hæretici catholicos qui suæ sectæ non sunt. Nos, inquiunt, quadro scientiæ lapide ædificemus, nos pro sycomoris illis, cedros quæ imputribiles sunt commutemus, dum insuperabile dogma tenemus. *Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos ejus in tumultum vertet.* Revera Rasin, id est sapientiam sæcularem, cujus utebatur auxilio, elevavit *Dominus super eum*, in quemcunque cecidit hoc verbum, quod non stat nisi in eo qui diligit Christum. Et inimicos ejus in tumultum vertet. Nam in sapientia sæculari confidunt adversarii Verbi Dei; fit autem eis e contrario, ut per eamdem sapientiam tumultuosa conflictatione destruatur. Etenim adversus Christum quidem concorditer dimicant, sed contra invicem contrariis divisi sectis, implacabilem trahunt discordiam. Unde postmodum sic dicitur. *Unusquisque carnem brachii sui vorabit. Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen,* C *simul ipsi contra Judam.* Denique hæc, etc. quæ hoc loco dicuntur, tripliciter intelligenda sunt. Legamus Regum et Paralipomenon volumina, et inveniemus Samariæ inter se bella civilia, dum alii pro aliis regibus dimicant, et quomodo suis regibus interfectis, in Judæ expugnatione concordent. Item legamus miserabile Hierosolymorum excidium, et inveniemus circumfuso Romano exercitu, triplicem intus discordiam, dum adversum se partes dimicant, et in rebellionem pertinaciter currendo Romanorum iram concorditer provocant, ut irato Deo, nullam hominum mereantur clementiam. Item ecclesiasticas legamus historias, et inveniemus hæreticorum adversus alterum rixas interminabiles, qui tamen, D dum seipsos contraria sentiendo dilaniant, concordi tamen malignitatis spiritu adversus catholicam debacchantur Ecclesiam. Triplici igitur sensu vere dictum est, *unusquisque carnem brachii sui vorabit. Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam.* Porro quod ait: *Vir fratri suo non parcet, et declinabit ad dexteram, et esuriet, et comedet ad sinistram, et non saturabitur.* Hunc sensum habet: Unusquisque tantæ crudelitatis erit ut ne charissimo quidem germanitatis nomini parcat, sed dexteram deserens atque contemnens saturetur in his quæ sinistræ erant, dum voluptatum et malorum patitur famem et semper cupit malis pejora sociare.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT V.

De Assur cui dicitur væ, et virga furoris mei, et baculus ipse, quod diabolum significet, et quomodo hunc ad gentem fallacem mittat Dominus, et quod ille contra Deum glorietur, sitque æterna damnatione attenuandus.

(Cap. X.) Malorum omnium incentivum, idemque pœnale flagellum est diabolus, cui tandem vel contradicitur sub specie Assur: *Væ Assur! Virga furoris mei, et baculus ipse in manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia et diripiat prædam, et ponam illum in conculcationem, quasi lutum platearum.* Nam post aliqua sic infertur: *Et erit in die illa, non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel. In veritate reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.* Ergo Assur iste, est diabolus, cujus captivitati hic manifeste contradicitur. Ubi enim apostoli procedit auctoritas, cesset omnis alia interpretatio: *Esaias*, inquit, *clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX). Et continuo subjungit: *Verbum enim consummans, et abbrevians in æquitate, quia verbum abbreviatum faciet Dominus super terram* (*ibid.*). Et revera si legamus Josephum et quanta hominum in Hierusalem, et in Judæa fuerit multitudo, quando passus est Dominus, intelligimus vix paucos in apostolis et apostolicis viris ex Judæis esse salvatos. Abbreviatus atque perfectus sermo evangelicus est, qui pro cunctis laciniosæ legis cæremoniis, dedit præceptum brevissimum dilectionis et fidei, ut quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri. Unde et Dominus in Evangelio: *In his*, inquit, *duobus mandatis pendet omnis lex et prophetæ* (*Matth.* XXII). Notandum tandem quam ordinate diabolicæ tyrannidis, et damnationis ejus similitudo præcesserit in isto Assur. Primo namque tanquam virga furoris Domini, et baculus indignationis ejus, ad gentem fallacem missus est ad gentem decem tribuum Israel, vitulos aureos, et Baal, etc. Deorum portenta fallaciter adorantem, et contra illum populum furoris sui mandavit ei Dominus ut auferret spolia, et diriperet prædam. Fecit, et prosperatus est. Transtulit enim Israel, posuitque eos in Ala, et in Abor juxta fluvium Gozam, in civitates Medorum Dominus miserat eum, Domini judicio venerat, data potestate ut ad suum cuncta faceret libitum. Ipse autem non sic arbitrabatur, et cor ejus non ita æstimabat, sed applaudebat sibimet, tanquam si glorietur *securis contra eum, qui secat in ea*, velut si exaltetur serra contra eum a quo trahitur, quasi si *elevetur virga contra levantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. Propter hoc misit Dominus Deus in pinguibus ejus tenuitatem, et subtus gloriam ejus succensa ardet quasi combustio ignis.* A Regnante Ezechia, factum est sic. Ascendit enim Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, et cepit eas. Et hæc, inquit, dicit Ezechiæ regi Judæ: *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam. Nunquid liberaverunt dii gentium singulos quos vastaverunt patres mei? Factum est autem in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* (*IV Reg.* XIX). Sic nimirum diabolum, quem nomine quoque **499** significat Assur (interpretatur enim *dirigens*, quia semetipsum diabolus dirigit, et in semetipso confidit). Diabolum, inquam, Dominus ad gentem fallacem misit, ut quæ *in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII), imo ut quæ scienter fallit, fallatur adhuc, illum, inquam, mittit Dominus, est enim, B sicut per beatum Job loquens testatur ipsi Deo, servus sempiternus (*Job* XL). Ille autem non sic arbitratur, et cor ejus non ita æstimat. Nec enim ita servit, ut Deo conferre velit, non ita veritatis rebelles æterna morte captivat, ut justitiam Dei facere intendat. Et nunc interim facit et prosperatur, omnem gentem fallacem captivando, quia permittitur. Futurum autem est ut meritas excipiat pœnas, quia Judam quoque et Hierusalem aggredi ausus est, quia catholicæ quoque confessionis Ecclesiam subvertere conatus est, quia contra ipsum Deum superbe gloriatus est. Egredietur angelus Domini, et castra ejus percutiet, egredietur, inquam, veniens ad judicium angelus magni consilii, ipsumque et angelos ejus in ignem æternum mittet. Nam hoc est, quod tandem C per metaphoram sic infert: *Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculum in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur, et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet.* Verumtamen de confractione lagunculæ diversorum sententia est. Alii volunt per hanc Christi passionem significari, quod volente Deo et idcirco caro ejus morti tradita sit, ut Judæorum sublimitas destruatur, et excelsi quondam corruant, in terram, et Libanus cum suis cedris succidatur, de quibus in Zacharia legimus: *Aperi*, Libane, *portas tuas, et comedat ignis cedros tuas* (*Zach.* XI). Alii autem volunt hunc locum adhuc dici de Assyrio, quod illo contrito, omnes in circuitu nationes, quæ D ditioni illius subjacebant, succidantur et humilientur, et saltus densissimus subvertatur, per quæ metaphoricos, populum et principes intelligi volunt. Libanum quoque cum excelsis suis cadere, ut nihil omnino Assyriæ resideat potestati.

CAPUT VI.

Quintæ perioches initium ab eo quod ait: « Et egredietur virga de radice Jesse, » et quod illa virga virga furoris Domini Assur, et quod nulla Spiritus sancti gratia Christo flori pulcherrimo defuerit, aut desit, aut unquam defutura sit.

(Cap. XI.) Ea quæ sequuntur, et nos de Christo scripta fatemur, et circumcisio non diffitetur. Et utralibet de prædictis lagunculæ sententiis potior sit quinta hic periocha incipit, et usque ad principium

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

visionis vel oneris Babylonis, omnis hæc prophetia de Christo est. *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Virgam de radice Jesse sanctam Mariam Virginem intelligimus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua et supra legimus : *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (*Isa.* VII), et florem, Dominum Salvatorem qui dicit in Cantico canticorum : *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II). Et quam pulchra oppositio! Supra ostendebatur ille spiritualis Assur, virga furoris Domini, et in manu ejus baculus indignationis ejus (*Isa.* X). Ecce autem virga gratiæ, virga requiei Domini, et in illa flos in qua habitet, super quem requiescat omnis plenitudo divinitatis. Nota Christianæ fidei celebrisque hæc descriptio est, septiformis Spiritus sancti. De singulis spiritibus, proprium quid breviter dicendum est, quod vere nihil horum Christo flore pulcherrimo defuerit, aut desit, ut unquam defuturum sit. Etenim sapientiæ spiritus in eo plenarie requievit, qui velut juxta fluenta plenissima residens, divinitati sibi insitæ semper intendit, et omnes diaboli tentationes in deserto sapienti responsione cessavit (*Matth.* IV). Spiritus intellectus in eo requievit; scivit enim quibus aperiret mysteria regni Dei, quibusve loqueretur in parabolis, atque sano cordis palato cuncta discernens, nec dæmones admittebat confitentes ipsum esse Filium Dei (*Marc.* I), nec indignis loquebatur mysteria Dei, imo prohibebat sanctum canibus dari, et margaritas ante porcos mitti (*Matth.* VII). Spiritus quoque consilii in eo requievit, unde et abscondebat hæc a sapientibus, et prudentibus, ut revelaret ea parvulis (*Matth.* XI). Spiritus quoque fortitudinis in eo requievit, cujus sibi conscius : *Nemo*, inquit, *potest rapere de manu Patris mei* (*Joan.* X). Item : *Ego cognosco oves meas, et non rapiet eas quisquam de manu mea* (*ibid.*). Spiritus scientiæ in eo requievit, quippe qui de omni Scriptura, tempori vel rei congruas proferebat sententias, ita, ut mirantes dicerent ejus adversarii : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* (*Joan.* IX.) Spiritus pietatis in eo requievit, quippe qui eo semper intentus fuit, ut vitam daret mortuis, mitemque patientiam habens, reddidit bona pro malis. Nam *Filius hominis*, inquit, *non venit animas perdere, sed salvare* (*Luc.* IX). Spiritus timoris Domini in eo requievit, videlicet ita ut pro deliciis haberet, cum voluntate patris saturari opprobriis, dicens per omnia ab initio suæ incarnationis, dicens, inquam, non solum verbis, sed et factis : *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat* (*Luc.* XXII). Igitur spiritus Domini, qui hactenus in magna silva generis humani requiem non invenerat, tandem super hunc florem requiescit, in quo æterna statione permanens nullam alicujus vitii repulsam aliquando pertulit.

A

B

C

D

CAPUT VII.

Cur de radice Jesse, quam de radice David dicere maluit, et quod omnia quæ de isto flore dicuntur, repugnantia sint dictis Assur arrogantis.

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Antequam progrediamur, quærendum est, cur propheta hoc loco Jesse maluerit nominare, quam David, dicere *de radice Jesse*, quam de radice David, cum non ad Jesse patrem, sed ad filium hujus David, floris hujus repromissio facta sit. Dicimus quod, quia David pro majestate regia persona fuit sublimis, Jesse vero qui et ipse dictus est Isai, ordine vel statu longe humilior fuit, adeo ut non semel, sed multoties David jam regi ab inimicis subsannando improperaretur, quod esset filius Isai; porro adversus superbiam Assur, id est diaboli sermo nunc erat, et velut antidotum humilitatem medicinalis gratia promittebat. Recte igitur regiam præterivit personam David, *egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse*, cum dicere posset de radice David. Omnia quæ de hac virga, vel flore ejus dicuntur, repugnantia sunt dictis Assur arrogantis. Dicebat ille: *Nunquid non principes mei simul reges sunt?* (*Isa.* X.) De isto autem Spiritus sanctus dicit : *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Hoc verissime dictum est : Nunquid enim *secundum visionem oculorum* Dominus noster virgæ virgineæ flos judicavit, et secundum personam primates quoslibet elegit, quos faceret senatores cœli, quibus daret claves regni sui? Nunquid *secundum auditum aurium* arguit, ut loquentes assumeret quos faceret causidicos veritatis, et reprobavit aliquos eo quod essent homines idiotæ, et sine litteris? Non utique sed judicavit *in justitia pauperes*. Qua justitia? Justitia fidei, quæ vera et antiqua justitia est, per quam et Abraham justificatus est. Nam *credidit*, inquit Scriptura, *Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV). Quomodo vel ubi in hac justitia judicavit pauperes? Exempli gratia : Petrus pauper erat, pauper, inquam, Petrus, id est humilis erat. Hic autem illi interroganti : *Vos quem me esse dicitis, respondens dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI). Hæc fides est, hæc fidei justitia est. In hac justitia fidei, statim pauperem judicavit, et dixit : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Ibid.*), etc. Veraciter ergo *non secundum visionem*, inquit, *oculorum judicabit*, sed *judicabit in justitia pauperes*. Et continuo subjunxit : *Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ*. Hoc manifestissime facturus est ultimi judicii die. Dicet enim arguendo in ira et in furore : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum* (*Matth.* XXV), etc. Hos veraciter arguere est *pro mansuetis*, id est pro mitibus quemadmodum dicit : *Quandiu mi*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis (*ibid.*). Minimi isti, mansueti sunt terræ, quia videlicet et angeli sancti mansueti sunt, sed non mansueti terræ, eo quod in terra nihil unquam passi sunt indigentiæ. *Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ex quo flos iste de virga vel radice Jesse egressus est, jugiter terram virga oris suis percutit. Unus enim magister noster ipse est, et discipulatui ejus subjectos sermone suo percutit, et a terrenorum amore compescit. Futurum est autem quod subjungit, *et spiritu labiorum suorum interficiet impium*, id est hominem peccati, filium perditionis. Nam illum, inquit Apostolus, *interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui* (*II Thess.* II). *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* Quod dixerat : *Et erit justitia cingulum lumborum ejus*, hoc repetivit dicendo : *et fides cinctorium renum ejus.* Nam justitia Christi, fides Christi est, non qua ille justificetur, sed qua nos in illo justificemur. Nec vero ipse indiguit ut pugnaciter cingulo lumborum aut cinctorio renum uteretur, sed Scriptura, more suo, sic de capite loquitur, ut confestim ad corpus respiciat, cujus est caput. Est itaque *justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus*, quia videlicet nos membra ejus, qui de luxuria progeniti sumus, magna fide indigemus, ut contra luxuriam fortes esse possimus.

CAPUT VIII.

Quod hujusmodi quæ sequuntur, qualiter ex tunc usque hodie in Ecclesia Christi impleta sint, et quæ sit scientia Domini, quæ hæc effecit.

Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit. Vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Notandum quod non dixerit, habitabit agnus cum lupo, et accubabit hædus cum pardo, sed *accubabit pardus cum hædo, et lupus habitabit cum agno.* Hic dicimus, ut non excidat memoriæ, quia tota hæc lectio oppositam sonat humilitatem superbiæ Assur. *Lupus* enim, id est persecutor quilibet, *habitabit cum agno.* Verbi gratia : Paulus qui primitus persequebatur Ecclesiam, et lacerabat, de quo dictum est : *Benjamin lupus rapax* (*Gen.* XLIX), habitabat cum Anania Christianæ simplicitatis agno, a quo baptizatus est (*Act.* IX), vel cum Petro apostolo, cui dictum est : *Pasce agnos meos* (*Joan.* XXI). Et *pardus* qui prius non mutabat varietates suas, lotus in fonte Christi, accubuit *cum hædo*; non qui a sinistris est, sed qui immolatur in pascha Domini. Leo quoque prius ferocissimus, et ovis et vitulus pariter morabuntur. Quotidie cernimus in Ecclesia divites et pauperes, potentes et humiles, reges atque privatos pariter commorari, et a pueris parvulis, quos apostolos intelligimus, imperitos sermone, sed non scientia, regi. *Vitulus et ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum, et leo quasi bos paleas comedet.* Cum enim inter se disciplina Domini fuerint fœderati, de quibus jam dictum est, tunc vitulorum atque ursorum catuli simul requiescent, id est familiæ fidem sequentes dominorum, pariter tollentes super se jugum Domini, requiem animabus suis invenient (*Matth.* XI). Quæ autem sunt paleæ, quas leo quasi bos comedet, nisi simplicia verba in Scripturis sanctis? Frequenter quippe evenit ut homines sæculi, mystica nescientes, simplici pascantur lectione Scripturarum. *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* *Infans* qui est malitia parvulus, *mittet manum suam* in foramen aspidis, id est, dæmones de obsessis hominum corporibus fugabit. Qui autem ablactatus est, et nequaquam lacte nutritur infantiæ, sed jam solido vescitur cibo, iste *in reguli cavernam mittet manum*, id est in ipsius Satanæ habitaculum, et inde extrahet eum. *Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo.* Hæc omnia quæ prædicta sunt, sic immutata ut recte dicere possis : *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI). *Non nocebunt in monte sancto meo*, id est in Ecclesia, de qua ipse : *Non potest*, inquit, *civitas abscondi supra montem posita* (*Matth.* V). *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Quærebas unde hoc leonibus et ursis, lupis et pardis, ecce causam effectivam reddidit dicendo, *quia repleta est terra scientia Domini.* Quæ autem est *scientia Domini*, quæ mira hæc efficit, nisi humilitas Domini? Nempe ipse cum dixisset leonibus et ursis, lupis et pardis : *Tollite jugum meum super vos*, continuo subjunxit : *Et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Tantus magister, hoc solum se docere profitetur, quia mitis est et humilis corde. Et hujus rei solius, dociles nos cupit mentes habere. Ergo *scientia Domini*, humilitas est Domini, sicut e contrario stultitia Assur, id est diaboli, superbia est diaboli. Hac *Domini scientia terra repleta est, sicut aquæ maris operientes.* Quomodo, vel quali ordine? Sequitur continuo :

CAPUT IX.

Quomodo radix Jesse in signum populorum, et sepulcrum ejus sit gloriosum, et quomodo adjecerit manum suam ad possidendum residuum populi sui, ad congregandum profugos Israel.

In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. Ex quo *radix Jesse steterit in signum populorum*, ex eo *repleta* **501** *est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Quid enim fuit *in signum populorum* stare radicem Jesse, nisi Filium hominis exaltari a terra, et omnia trahere ad se? (*Joan.* XII.) Ex eo nimirum spiritus est datus, postquam illa exaltatione Jesus est glorificatus (*Joan.* VII). Dixit autem de illo spiritu dato, evangelista testante : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*ibid.*). Igitur aquæ scientiæ Domini, aquæ operientes, subauditur peccata, signum illud, divisiones gratiarum Spiritus sancti, quo inebriatus lupus cum agno, et pardus cum hædo habitavit, et leo quasi bos paleas

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

comedit, *ipsum* inquit *gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Ecce hodie gentes ipsum deprecantur, et in sepulcro, id est in morte ejus gloriantur. In quo enim alio se gloriari profitentur? *Mihi*, inquit Apostolus, *absit, gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi!* (*Gal.* VI.) Idipsum cum Apostolo gentes quoque actu quodam loquuntur, pingentes jugiter signum crucis in suis frontibus. Hoc facere gloriosum est et regibus. Quare autem magis placeat dictum vel scriptum esse gloriosum sepulcrum ejus, quam signum vel dormitionem ejus? Nimirum quia *quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI), cum dixisset Apostolus, continuo subjunxit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*ibid.*). Parum erat ad gloriam radicis illius, si propter arida ligna tantummodo in crucem exaltaretur, et dormitione mortis sopiretur, nisi etiam plantata in sepulcro terræ gloriosa refloruisset resurrectione. Ita profecto parum esset omnibus in illo signo gloriantibus, si solummodo signum illud crucis in frontibus eorum pingeretur, quod facimus, quando quemque catechizamus, nisi etiam in sepulcro elementaris aquæ, terna mersione, pro triduana illius sepultura plantaretur novus exinde surrecturus, et delinceps inter membra novi hominis computandus. Notandum interea quod flos idem qui supra dicebatur egredi *de radice Jesse* nunc e converso dicitur *radix Jesse*. Quare hoc, nisi quia et ille radix carnis hujus, et iste radix est fidei illius? Iste de carne illius egressus est, ille de spiritu hujus resuscitandus est. Sequitur: *Et erit in die illa: Adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phetros, et ab Æthiopia, et ab Helam, et a Sennaar, et ab Amath, et ab insulis maris. Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.* Hæc propheta continue loquitur, postquam dixit *gloriosum* fore *sepulcrum*. Quid ergo aliud nobis prophetatur quam quod per Joannem evangelizatur, dum dicit, *quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum?* (*Joan.* XI.) Nam ecce *levabit Dominus in nationes signum populorum*, de quo jam dictum est. Vere levavit atque exaltavit sicut exaltatus est serpens in deserto, *ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III). Congregantur profugi Israel, colliguntur *a quatuor plagis terræ* dispersi Juda, ipsa namque congregatione et collectione sua fiunt Israel, fiunt Juda quælibet gentes, quælibet nationes. Quid porro est quod ait: *Adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui?* Quid, inquam, nisi quia jam dudum manum suam extendit ad possidendum, sed adhuc locus erat? Nempe in manu forti eduxit filios Israel de terra Ægypti, et illos per passionem suam, in domum suam induxit, sed vidit, quia *adhuc locus est* (*Luc.* XIV), quia nondum electorum numerus completus est. *Adjecit* ergo *secundo manum suam*, levando scilicet signum illud, non tantum in Israel, sed in nationes ut jam dictum est. Nihilominus, et illud vigilanter intuendum est quod, cum dixisset *ad possidendum residuum populi sui*, subjecit et dixit, *quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phetros*, etc. Quid enim est esse relictum ab Assyriis et a cæteris gentibus, sive insulis maris, nisi contemptum et despectum esse superbo mundo huic? Plane illud est quod Apostolus dicit: *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia et ignobilia mundi; et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* (*I Cor.* I). Ergo et in isto magna humilitatis Christi commendatio est, et contra superbiam Assur, de quo jam dictum est.

CAPUT X.

Quomodo per prædicationem hostes Juda perierunt, et Ecclesia de cunctis gentibus suscitata sit et desolaverit Dominus linguam maris Ægypti, id est stultam fecerit sapientiam hujus sæculi.

Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt. Ephraim non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humero Philistiim per mare simul prædabuntur filios orientis! Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. Eo tempore, inquit Isaias, nequaquam Ephraim et Judas, qui nunc me prophetante inter se hostili odio dissident inimici erunt, sed, juxta Ezechielis prophetiam, duæ virgæ in unam virgam copulabuntur (*Ezech.* XXXVII), et jungentur in Christi Ecclesia qui prius fuerant separati, ita ut in gentibus communi desudent labore et volent in humero Philistiim per mare volucri cursu, hoc est primum maritimis prædicent Palestinæ, et per mare pergant festinantes ad cæteras nationes. Quod de unius Pauli apostoli intelligamus exemplo, qui per Pamphyliam, et Asiam, et Macedoniam, et Achaiam, et diversas insulas et provincias ad Italiam quoque, ut ipse scribit, et ad Hispaniam, alienigenarum portatus est navibus (*Act.* XIV, XVI, et XXVII; *Rom.* XV). *Idumæa*, inquit, *et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt.* Hæ gentes eo tempore quo Isaias prophetabat, adversariæ erant populo Judæorum, et idcirco nunc dicit, quod postquam surrexit radix Jesse, ut regnet in gentibus, et vexillum crucis ob salutem totius orbis fuerit elevatum, tunc etiam *Idumæa et Moab et filii Ammon*, omnis scilicet multitudo Arabiæ, dent apostolis manus et in locis idololatriæ Christi Ecclesiæ suscitentur. *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui, et percutiet eum in rivis septem, ita ut transeant per eum calceati.* Regnante

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cæsare Augusto, quando flos de radice Jesse conscendit, et in urbe Romana prima descriptio facta est (*Luc.* II), potentissimum prius regnum Ægyptiorum, quod multis duravit ætatibus, Cleopatræ morte destructum est, et percussus est amnis Ægyptius in septem rivis, ut qui prius uno fluens alveo intransibilis erat, in septem rivos divisus atque concisus calceatis transiretur pedibus. Verum quantum hoc fuit ad majestatem vel fortitudinem spiritus Domini? Ergo et hoc, etc., quæ jam dicta sunt, quia facturus **502** ea promittitur spiritus Domini. spiritualiter oportet intelligi. *Et desolabit*, inquit, *Dominus linguam maris Ægypti*, id est, stultam faciet Dominus, ut Apostolus ait, sapientiam hujus sæculi (*I Cor.* I); *et levabit manum suam super flumen*, id est, declarabit veritatem suam super loquacem philosophorum vanitatem. Et hoc *in fortitudine spiritus sui*, videlicet quo misso de cœlo, ubi ascendit et sedit a dextris Dei, apostolos suos, qui prius erant infirmi, fortes effecit. Nam exinde et aperto sensu Scripturas intellexerunt (*Luc.* XXIV), et linguis omnibus locuti sunt (*Act.* II). Et ita *linguam maris Ægypti* desolaverunt, et omne lumen exsiccaverunt, atque percusserunt *in septem rivis*, ut transirent *calceati* in præparatione Evangelii pacis, pedibus pulchris, pedibus speciosis. *Et erit*, inquit, *via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, quando ascendit de terra Ægypti.* Sicut enim illis fugientibus, divisit Deus mare Rubrum, et merso Pharaone cum curribus suis et equitibus, pertransierunt cantantes supernæ victoriæ canticum (*Exod.* XIV), sic istis fugientibus diabolum aperiet baptismi salutaris sacramentum, mersoque diabolo, et omnibus pompis ejus, pertransibunt in vitam æternam cantantes hujusmodi canticum.

CAPUT XI.

De cantico prophetæ : « Confitebor tibi, Domine, » etc., ubi vel in quo iratus fuerit Deus homini, quando furor ejus in gratiam conversus sit, quas hauserimus aquas de fontibus Salvatoris, quas ejus inventiones notas fieri in populis, et in universa terra annuntiari oportuerit.

(CAP. XII.) *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me. Et dices*, inquit, *in illa die: Confitebor tibi, Domine*, etc. Hoc vere dixit, et dicit quisque nostrum in isto tempore acceptabili, in isto die salutis (*II Cor.* VI). Necessario dicit, necessario sic confitetur quicunque vult salvus fieri. Quid enim est, quod ista depromitur confessione, nisi quod oportet nos credere. *Iratus est mihi*, inquit, subauditur in Adam, *in quo omnes peccaverunt*, et *per peccatum* ira tua, id est, *mors introivit in mundum, et ita in omnes*, tam Judæos quam Græcos, *pertransivit* (*Rom.* V), testante Judæis Apostolo, cum dicit : *Eramus* enim et nos aliquando *natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). *Conversus est furor tuus, et consolatus es me.* Juste iratus es. Misericorditer autem *conversus est furor tuus* in gratiam, videlicet, quando *virga* supradicta *de radice Jesse* egressa est, et *flos de radice ejus* ascendit, in quo enim *consolatus es me*, nisi in spiritu tuo super illum requiescente? Nam inde paracletus, id est consolator, dicitur idem Spiritus. Super hoc *confitebor tibi*, dicamque: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo.* Quasi digitum intendam, neque a dextris, neque a sinistris claudicans, dicamque : Ecce iste flos candidus et rubicundus, qui temporibus Augusti Cæsaris, de virga virginea radicis Jesse egressus est, et sub Pontio Pilato in lignum crucis exaltatus, spinis clavorum laceratus iste, inquam, et non alius; *Deus* meus est *Salvator meus.* Non dicatur mihi ille vel ille, alius Messias, id est Christus est, et nondum venit, sed venturus est; nam iste est, et non alius est. Quisquis alius Christum se esse dicat, non Deus meus, sed diabolus est, non Salvator meus, sed hostis et filius perditionis est. *Fiducialiter agam, et non timebo*, non quod confidam in memetipso, sed quia, *fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Idcirco *fiducialiter agam, quia* ille fortis, *fortitudo mea est*, de quo supradictum est, *et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium* (*Isa.* XI). Non solum fortitudo, sed *et laus*, id est pulchritudo mea est flos iste, decus humani generis, gloria nostræ carnis. Quomodo autem *factus est mihi in salutem* nisi hominem assumendo, quod non erat, ut salvaret me per antiquam et in temporalem suæ divinitatis virtutem? *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quicunque ita dixeritis *in illa die*, quicunque ita confessi fueritis, propter ejusdem fidei confessionem, *haurietis aquas in gaudio*, quod nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI), *de fonte*, id est de plenitudine Salvatoris. Quas haurietis aquas, nisi Spiritus sancti dona quam plurima? Nam et hoc et ipse in Evangelio clamat: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem*, inquit evangelista, *dicebat de spiritu quem acceptari erant, credentes in eum* (*Joan.* VII). *Et dicetis in illa die : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* Hac die vel isto tempore, silentium est, ait propheta, sed in illa die cum hauseritis de fontibus Salvatoris aquas, loquemini et dicetis, audiente universa terra : *Confitemini Domino* peccata vestra, agite pœnitentiam, *et invocate nomen ejus*, in quo solo peccata remittuntur. *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Videlicet, ut omnes populi admirentur. Quales enim vel quantæ sunt adinventiones ejus? Bonæ adinventiones, miræ adinventiones, quas nemo adinvenisset, nisi ipse solus. De illis ipse ad beatum Job loquitur : *An extrahere poteris leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? Numquid pones circulum in naribus ejus, et armilla perforabis maxillam ejus? Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis illum ansulis tuis* (*Job* XL), etc. Istas *in populis notas facite adinventiones ejus*, quas profundo consilio adinvenit, ut astutum diabolum comprehenderet in astutia ejus. *Mementote quoniam excelsum est nomen ejus.* Cujus ejus? Dei Salvatoris, sedentis ad

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dexteram majestatis in excelsis. *Dedit* enim *illi* A *Deus nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil.* II). Horum mementote, et hæc nota facite prædicando ubique, *ipse cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). *Cantate Domino quoniam magnifice fecit. Cantate*, inquit, id est, non inviti, sed volentes evangelizate magnifica quæ fecit. Aquas enim in gaudio hausistis, ideirco Evangelium hoc gaudii vestri canticum vobis sit : *Annuntiate hoc in universa terra*, non in sola Judæa, sed et in universa terra. *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* O Sion, o specula, o collocata in sublimibus Ecclesia, *exsulta et lauda*, subauditur, in die illa, quando dicet ista, *quia magnus in* B *medio tui sanctus Israel, sanctus*, inquam, et sanctitatis flos, in quo, ut supradictum est, septiformis Spiritus Domini requiesceret. Huc usque manifesta de Christo prophetia est.

CAPUT XII.

Quod onera quæ sequuntur, inter quæ onus deserti maris, etc., *quæ secundum ordinem numerantur, cuncta persequi, neque nostræ facultatis, neque præsentis propositi sit.*

(CAP. XIII.) Sequuntur onera, de quibus in exordio prophetæ, imo evangelistæ hujus dictum est (*Isa.* IX) : *Onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Ægypti, onus deserti maris, onus Duma,* **503** *onus in Arabia, onus vallis Visionis, onus Tyri,* C *onus jumentorum austri.* Et decem quidem sunt, sed in principio novem numeravimus, quia videlicet *onus deserti maris*, non aliud est quam *onus Babylonis.* Dubium hoc esset, nisi præscripto *onus deserti maris*, in consequentibus ejusdem capituli legeremus, *Babylon dilecta posita est mihi in miraculum* (*Isa.* XXI). Et iterum : *Cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram* (*ibid.*). Et supra : *Ascende Elam, obside Madai* (*ibid.*). Mare autem propter multitudinem habitantium dicitur. Horum sub nominibus universæ partes nomini Christi, et sanctæ civitatis ejus Hierusalem cœlesti, adversantes condemnentur sicut in exordio diximus. Quæ videlicet partes, imo scissuræ quasi novem sunt, decimamque unius fidei catholicam Ecclesiam im- D pugnant, quia multi sunt, et ideo per novenarium intelligendi numerum, cui unum si addatur, fit unitas secunda sive decena, id est denarius. *Onus vallis Visionis, onus* est *Hierusalem*, quæ et ipsa multis Scripturarum locis inter gentes reputatur, quia non parum cœlesti Hierusalem adversata est, quippe quæ et prophetas ad se missos, et ipsum Dominum prophetarum occidit. Ideirco nunc dicitur *vallis*, quia non est ea de qua scriptum est : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI), *vallis* autem *Visionis*, quia videntium, id est prophetarum, seminarium fuit. Hæc prosequi, neque nostræ facultatis, neque nostri propositi est. Septem tantummodo periochas distinguere, breviterque percurrere proposuimus, quibus evangelica fides recapitulando, non tam prophetatur quam evangelizatur. Quinque ex his transegimus, sextam duce Spiritu sancto, jam nunc ingredimur.

CAPUT XIII.

Sextam periocham ab eo incipi quod ait : « Consurge, consurge, induere fortitudinem, » etc. *Per quæ datur intelligi quia propheta sanctus fortiter adcentum Salvatoris desiderabat.*

(CAP. LI.) *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ? Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis ? Qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* Hic jam in propheta *Spiritus* sanctus *pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII), ut veniat liberator animarum, sine quo nulli poterat esse salus. Sentiendum nobis istud est intimo affectu, quia fortiter rugiebat a cordis sui gemitu hic propheta sanctus, quem jure evangelistam dicamus, cum hæc et cætera quæ sequuntur loqueretur. Verbi gratia : *Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII). Sed jam verba proposita ordine prosequamur. *Consurge*, inquit, *consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Brachium Domini* quid est, nisi Verbum Domini, nisi unigenitus Filius Dei ? Nam Verbo Domini *omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). *Consurge* ergo, inquit, et hoc ipsum tertio repetit, ac si dicat : Quid tandiu te contines in sinu Patris, o brachium Domini, o dextera Domini ? Cur te quiescente, tandiu superabit fortis armatus, princeps mundi hujus ? *Consurge, et induere fortitudinem*, induere pulchram et fortem dilectionem, pulchrum et fortem obedientiæ charitatem. Ita *consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.* Jam quasi responderet ei *brachium Domini* : quomodo consurrexi ego *in diebus antiquis*, continuo subjungit : *Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ?* etc. Et est sensus : Nunquid non tu percussisti superbum Pharaonem, et vulnerasti typum superbi gestantem, figuram draconis diaboli præferentem ? Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, in typum lavacri salutaris, quod nobis de latere profundere proposuisti ? Nonne tu es, qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati (*Exod.* XIV), in typum futuri sacramenti tui, per quod nobis transeundum foret ut vocaremur liberati, ut essemus liberati de manu mortis ? Nunquid non tu hæc bona fecisti, meliora te facturum significans, o brachium Domini ? *Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. Et nunc*, inquit, sic facies, o brachium Domini, ut fecisti *in diebus antiquis*, sic consurges ut consurrexisti *in diebus antiquis.* Te consurgente *revertentur, et venient in Sion laudantes.* Qui *revertentur*, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui veniet? Qui redempti sunt a Domino. Qui redempti sunt a Domino? Nimirum non omnes filii Adam, sed quotquot prædordinati fuerant ad vitam æternam, antequam prævaricaretur Adam. Illi revertentur in patriam quam perdiderunt, venditi in Adam. Ipsa est Sion, ipsa est civitas omnium beatorum. *Laudantes revertentur, laudantes venient, et lætitia sempiterna super capita eorum*, id est in cordibus eorum. *Fugiet et dolor et gemitus.* Prima hæc abierunt, quod doleant, quod gemant non erit amplius. *Gaudium et lætitiam tenebunt*, quæ hic nulli gaudentes aut lætantes tenere possunt. Fugitiva namque lætitia, fugitivum est hujus mundi gaudium.

CAPUT XIV.

Qualem consolationem sive consolatorem promittat Deus, dicendo : « Ego, ego ipse consolabor vos, » et quam recte dicat continuo, « quis tu, ut timeas ab homine mortali?» etc., quia mox ut venit consolator Spiritus sanctus redarguit, verbi gratia, Petrum ut non timeret a Nerone, qui prius timuerat ab ancilla ostiaria.

Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fenum ita arescet, et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos et fundavit terram, et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus qui te tribulabat et parabatur ad perdendum? Ubi nunc est furor tribulantis? etc. Ego, inquit, qui percussi superbum, qui siccavi mare, qui posui profundum maris viam, ut vere fateamini, *ego*, inquam, *ipse consolabor vos.* Non legatus veniet aut angelus, sed *ego*, ego ipse *consolabor vos*, consolatione propria qua nemo alius posset consolari vos. Paracletum, id est consolatorem, ego habeo, paracletum Spiritum sanctum ego vobis dabo. *Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis?* etc. Nemini dubium quin hæc dicat paracletus, id est consolator Spiritus sanctus in aurem ejus, cui datur. Omnes enim quotquot fortes in Christo sumus, ex illo consolatore fortitudinem accepimus. Ipsi apostolorum principi Petro Spiritus sanctus hæc locutus est: *Quis tu, ut timeas ab homine mortali et a filio hominis?* Imo quis tu, ut timeres a muliercula, ab ancilla ostiaria? Certum quippe est, quia Petrus apostolus a tali persona timuit, et oblitus est Domini factoris sui, negavit illum (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII), quem confessus fuerat esse Filium hominis, Filium Dei vivi (*Matth.* XVI). Hic autem consolator ubi datus est, sic **504** illum corripuit, ut qui timuerat ostiariæ linguam, jam non timeret Romani imperii potentiam. Sic et cæteri quique pro sua portione consolatoris hujus virtute roborati sunt, ut non timerent *eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt* (*Matth.* X). *Ubi*, inquit, *nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus.* Quis *veniet ad aperiendum*, nisi ille, de quo Apostolus : *Veniet*, inquit, *Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium?* (*I Cor.* IV.) Hoc nempe ad consolationem pertinent eorum quorum in præsenti supplantatur judicium, ut beatos se fore credant, *cum oderint eos homines, et exprobraverint et ejecerint nomen eorum tanquam malum* (*Luc.* VI). *Non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus*, id est non mortem peccatoris volet, sed ut convertatur et vivat, et hoc volens semper panem vitalis doctrinæ apponet pœnitentibus, justitiam esurientibus. *Ego*, inquit, *sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare et intumescunt fluctus ejus, Dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram, et dicas ad Sion : Populus meus es tu. Dominus Deus* qui conturbat *mare et intumescunt fluctus ejus*, ut adversus servos suos persecutorum impetus infletur, superbiaque iterum ipso auxiliante conquiescat, apostrophen facit ad Filium, quem cito promittit esse venturum, dicendo : *Posui verba mea in ore tuo*, id est, mandatum tibi dedi obedienti propter consolandos servos meos. *Et in umbra manus meæ protexi te*, ut cum *obediens factus* fueris *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II), non derelinquaris in inferno, nec videat caro tua corruptionem (*Psal.* XX), *ut plantes cœlos*, id est, in fide corrobores apostolos, *et fundes terram*, scilicet Ecclesiam novam, *et dicas ad Sion : Populus meus es tu*, ex quo postulavi Patrem meum, et dedit mihi gentes in hæreditatem (*Psal.* II), quia videlicet gentes unde hæreditas mea inde dicuntur et sunt Sion.

CAPUT XV.

Quomodo testante hæc propheta, non fuerit ante vel præter Christum, ex omnibus sanctis vel justis qui Ecclesiam, quam hic per Hierusalem insinuat, posset resuscitare jacentem sub prævaricatione Adæ.

Hoc responso accepto propheta, qui supra dixerat: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini*, etc., bonum confestim nuntium apportat et lætabundus clamat : *Elevare, elevare, consurge, Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicem soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. Non est qui suscitet eam ex omnibus filiis quos genuit.* Quænam est ista Hierusalem, cui consolatio tam magnifica declamatur nisi universa electorum Ecclesia, quantacunque ab initio usque ad finem mundi, secundum præscientiam et prædestinationem Dei colligitur? Jacebat enim prostrata, per culpam primæ prævaricationis, et non erat de omnibus filiis ejus quisquam quamlibet justus, qui universalem ejus ruinam suscitare aut restituere esset idoneus, nisi solus iste, qui supra pro consolatore promittitur, ut jam diximus. Ergo, o Hierusalem, inquit, o universa Ecclesia Dei, cujus consolationem ego audivi, *elevare, elevare, consurge*, subaudi de casu quo in Adam corruisti, *quæ in transgressione Evæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. Usque ad fundum calicem soporis bibisti, et potasti usque ad fæces.* Nihil reliquum fuit amarissimæ potionis. Intus mors animæ, quæ a Deo te separavit, foris mors carnis, quæ animam a corpore dividit. Hoc dicto, ad nos apostrophen facit, ut dili-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gentes ad intelligendum simus et dicit : *Non est qui suscitet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit.* Hic nempe intellecta fidei opus est, ut sciamus quam necessarius mundo fuerit Christi Filii Dei adventus. Multos filios ista Hierusalem *genuit*, multos *enutrivit*. *Genuit* ante legem Abraham, Isaac et Jacob. *Enutrivit* sub lege Moysen, Samuel et David. Sed et isti omnes peccaverunt. Etsi quantulamcunque justitiam habuerunt actualem, originali peccato non caruerunt. Nam *omnes*, inquit Apostolus, *in Adam peccaverunt* (*Rom.* VI). Quomodo ergo quisquam ex omnibus his apprehenderet manum ejus, et suscitaret eam? *Duo sunt*, inquit, *quæ occurrerunt tibi.* Quæ sunt illa duo? *Vastitas et contritio, et fames et gladius. Vastitas* mortem animæ, *contritio* B mortem corporis designat. Item *fames* mortem animæ, quæ Deum cibum angelorum perdiderat, *gladius* mortem carnis significat, quæ animam a corpore separat. Hæc sunt duo quæ occurrerunt tibi, propter culpam primæ prævaricationis. *Quis contristabitur super te? Quis consolabitur te? Quis*, inquam, *contristabitur super te*, id est, quis pœnitentiam pro te suscipiens, satisfaciet pro te, cum nemo quamlibet justorum, vel pro solo se queat satisfacere? *Quis consolabitur te*, subauditur, impetrata reconciliatione, acquisita pace, comparata tibi remissione peccatorum? *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.* Ergo quomodo illaqueata bestia clamare tantum potest, laqueum autem per semetipsam evadere non C potest, sic *filii tui projecti*, et pro culpa priorum parentum exhæredati, liberatorem tantum fide magna inclamare potuerunt, laqueum autem suorum, multo magis vero alienorum peccatorum solvere non potuerunt. *Dormierunt in capite omnium viarum*, mortui sunt, quotidie moriuntur pro communi conditione cunctorum viventium, *pleni indignatione Domini* dicentis : Qua die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II), pleni increpatione Dei tui, superbiam hominis increpantis et dicentis : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III). *Idcirco audi hoc, pauperula, et ebria non a vino. Hæc dicit dominator tuus, Dominus et Deus tuus, qui pugnavit pro populo suo : Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjiciens ut bibas illud ultra. Idcirco*, inquit, quia nemo est ex filiis tuis qui suscitet te, *ecce* ego ipse Dominus Deus tuus *tuli*, id est, sine dubio tollam calicem illum de manu tua, moriens ipse pro destruenda morte tua, ut non bibas ultra, ut non moriaris in æternum, semel sublato calice, de duplici morte resuscitata. *Hoc audi* et crede, *o pauperula, non a vino vitæ æternæ*, quo inebriari debueras, sed absinthio mortis *ebria*. Nam *hæc dixit dominator tuus*, qui olim pugnavit pro populo suo, ut educeret illum de Ægypto, pugnaturus iterum pro populo suo, ut eruat illum ab inferno. *Et ponam*, inquit, *illud in manu eorum, qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ : Incurva ut transeamus.* Nam revera pro eo quod te humiliaverunt et incurvaverunt ut transirent, amplioA rem bibituri sunt damnationem diabolus et **505** angeli ejus, licet non invitam, sed volentem te incurvaverunt, et per te transierunt. Hoc est quod subjungitur : *Et posuisti in terra corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Et est sensus : Quomodo terra, quia inanimata est, et via quia trita est, non repugnat transeuntibus, sic tu non restitisti maligNis spiritibus, animam tuam quærentibus.

CAPUT XVI.

Repetitio adhortantis pro consolationis magnitudine, abhinc : « Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, » et subinde, « quia hæc dicit Dominus : Gratis venundati estis, et sine argento redimemini,» usque : « Ego qui loquebar, ecce adsum. »

B (Cap. LII.) *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ, Hierusalem, civitas sancti, quia non adjiciet ultra, ut transeat per te incircumcisus, et immundus.* Quia non parva res est, quia non levis consolatio promittitur, ecce toties dixi, et toties nunc dico, *consurge, consurge.* Et quid consurgendo facias, quid faciendo consurgas? *Induere fortitudine tua, induere vestimentis gloriæ tuæ.* Quomodo juvencula nobilis et inclyta, instante nuptiali die, se præparat, quanta potest fortitudine, quanta potest glosia vestimentorum, ut digne possit complacere, sic tu quondam captiva, nunc autem libera, præparare in occursum dominatoris tui, sponsi et amatoris tui, ut digno charitatis ornatu spectabilis merearis cubiculum ejus introire. Ita *consurge*, et confidenter age, *quia non adjiciet ultra* diabolus, *ut transeat per te incircumcisus* corde, *immundus* opere. *Excutere de pulvere, consurge, sede, Hierusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion. De pulvere* peccatorum *excutere*, ad bene operandum *consurge*, regnando *sede*, remissionem peccatorum accipiendo et dando *vincula colli tui solve. Quia hæc dicit Dominus : Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.* Dictio brevis, sed digna ore Domini. *Gratis*, inquit, *venundati estis.* Vere *gratis*, emptor enim diabolus, totum venditionis pretium defraudavit : Comedite, inquit, et *eritis sicut dii* (*Gen.* III). Mendacium locutus est. Non D enim de hominibus deos fecit. Ergo *gratis*, et non solum *gratis*, sed et damnose, *venundati estis*, quia cum potuissetis non mori, jam secundum animam mortui, simul etiam secundum carnem mortales facti estis. *Et sine argento*, inquit, *redimemini.* Vere *sine argento*, sed non sine pretio. *Non corruptibilibus auro et argento*, Petrus apostolus inquit, *sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati et incontaminati Christi, redempti estis* (*I Petr.* I). *Quia hæc dicit Dominus : In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi.* Nunquid argento redemptus inde exivit? Nonne potius per immolationem agni liberatus est, signatis postibus sanguine ejus, et superliminaribus suis? (*Exod.* XII.) Ita, inquit, et nunc *sine argento redimemini*, verum-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tamen non sine pretio, *sed pretioso sanguine Agni* A *veri, Christi Filii* Dei. Nam mundus iste Ægyptus est eis quos ad vitam æternam prædestinavit, et huc omnis electorum populus descendit in illis primis parentibus suis. *Et Assur*, id est diabolus, *absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est, dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis, dominatores ejus iniqne agunt, dicit Dominus, et jugiter nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus, nomen meum in illa die, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Propter hoc*, inquit, quia populus meus ablatus est gratis ut supra dixi, sed e contrario, dominatores, id est magistri ejus, Scribæ et Pharisæi inique agunt, et insuper per eos vel propter eos jugiter blasphematur nomen meum, *propter hoc*, inquam, per B memetipsum *sciet populus meus nomen meum, quia ego ipse qui loquebar ad* Abraham, *qui loquebar ad Moysen, qui loquebar* in prophetis et psalmis, *ecce adsum. Quid* enim *mihi est?* Quid, inquam, aliud mihi superest? *Holocaustum, et pro peccato* Pater meus non postulavit, propter hoc dixi : *Ecce venio* (*Psal.* XXXIX), propter hoc, *ecce adsum.*

CAPUT XVII.

Quam pulchri super montes sint pedes hoc bonum annuntiantis, qui pedes, et qui montes sint, qui speculatores, et quomodo videant omnes fines terræ salutare Dei Israel.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Ecce adsum, dixit, et huic auditori, huic in Spiritu sancto videnti pariter et audienti, suos veniendo pedes ostendit. Quos pedes, nisi vias suas? Quæ porro sunt viæ ejus, nisi misericordia et veritas? Scriptum est enim: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Duobus istis pedibus, iste qui nunc dicit, *ecce adsum*, in hunc mundum venit, videlicet quemadmodum dicit, *ut qui non vident videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* XV). Nam *ut qui non vident videant*, misericordiæ est, *et qui vident cæci fiant*, veritatis est. Pes iste Judæos contrivit, pes ille gentes sublevavit. *Quam pulchri*, inquit, *pedes*, quam speciosi pedes! Vere pulchri pedes, nam utrinque irreprehensibilis est. *Quam pulchri pedes super montes!* D Quos super montes, nisi super apostolos fide excellentes, meritis eminentes? Isti montes illos pedes primum exceperunt, unus enim ex illis dejectus est per veritatis judicium, undecim per misericordiam creverunt usque ad cœlum. *Annuntiantis*, inquit, *et prædicantis pacem.* Quam pacem, nisi humani generis reconciliationem? *Annuntiantis bonum.* Quod bonum, nisi gloriam Dei filiorum? *Prædicantis salutem.* Quam salutem, nisi beatam animarum atque corporum immortalitatem? *Dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.* Quid est *regnabit*, nisi misso foras principe mundi hujus, regnum quod tyrannus obtinuerat, Deus tuus obtinuit? Ergo pulchri pedes, quia pulchra annuntiatio, quia jucunda hæc prædicatio est. *Vox speculatorum tuorum. Levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* O Sion, *vox speculatorum tuorum* audita est, *speculatorum*, inquam, id est apostolorum, qui tibi pacem illam speculati sunt, qui tibi bonum illud prædicaverunt, qui tibi salutem illam annuntiaverunt. Speculatores isti *levaverunt vocem.* Vere *levaverunt*; nam *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). *Simul laudabunt*, videlicet idipsum sentiendo, idipsum docendo. *Quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* Inde nimirum præ omnibus beati sunt, quia *oculo ad oculum videbunt*, quemadmodum dicit : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quia multi prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis et non audierunt* (*Luc.* X). Ergo certi testes erunt, et idcirco non dispariter, sed simul laudabunt, non dissona, sed consona prædicabunt. *Videbunt*, inquam, *oculo ad* **506** *oculum, cum converterit Dominus Sion.* Nam et quando per passionem suam redimendo convertit Sion, oculis viderunt, et postquam convertit Sion, spoliato inferno, redivivum oculis viderunt, manibus suis palpaverunt. *Gaudete et laudate simul, deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* O vos deserta Hierusalem, o vos gentes quondam desertæ, nunc autem Hierusalem, accipiendo C peccatorum remissionem, *simul gaudete, et laudate* cum illa Sion, cum illa Ecclesia patriarcharum et prophetarum, et omnium electorum qui ex circumcisione sunt. *Quia consolatus est Dominus populum suum*, dando illi paracletum, id est consolatorem Spiritum sanctum, redemit Hierusalem, redemit omnes quos præscivit, et prædestinavit pertinere ad illam cœlestem Hierusalem, redemit, inquam, non auro vel argento, sed proprio sanguine suo (*I Petr.* I). Idcirco vos quoque gaudete et laudate, quia præparat *brachium suum*, id est Filium suum, in oculis omnium gentium, juxta prophetiam Jacob dicentis : *Et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Venient enim ab extremis terræ, qui videant gloriam Salvatoris sui Dei, filiis regni in tenebras exteriores projectis (*Matth.* VIII). Quid enim Dominus dicit?

CAPUT XVIII.

Quid sit recedere, exire, pollutum non tangere, vel mundare ferentes vasa Domini, et unde servus et unde sublimis sit Dominus Christus Jesus, qui hæc intelligit, et judicare scit, quomodo gloriosus fuerit aspectus ejus, nunc autem contineant super ipsum reges os suum.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Mundamini qui fertis vasa Domini, quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Præcedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel. Recedite, inquit, ab illa terrena Hierusalem, *recedite* a Judæis blasphemantibus, quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum in necem Romanus paratur exercitus, *exite inde, et pollutum nolite tangere*, nolite ritum Judaicum amplius contingere pollutum Christi sanguine, *exite* a cunctis eorum cæremoniis, quas odit anima Domini. Hoc modo *exite de medio ejus, mundamini*, id est Spiritu sancto baptizamini, et baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII), ut sint *vasa Domini. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis*, quod videlicet eorum est qui victi sunt, sed tanquam victores exibitis prædicantes Evangelium victoriæ Christi, *præcedet enim vos Dominus*, cooperans, et sermonem vestrum confirmans, sequentibus signis (*Marc.* XVI). *Et congregabit vos Deus Israel*, quia de dispersione gentium per vos atque vobiscum unum gregem adducet. *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. Servus meus*, idem qui supra dictum *brachium meum, et filius meus*, qui cum sit natura Filius, ex eo quod semetipsum exinanivit (*Phil.* II), servus est meus spontaneus, *ecce intelligit*, ecce judicium facere scit, qui quasi non intelligens judicatus est, et tacuit, patiens fuit. Jam jam *exaltabitur et elevabitur*. Semel de torrente bibit (*Psal.* CIX), resurgendo *exaltabitur*, ascendendo in cœlum *elevabitur*, sedendo ad dextram Patris *sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit super viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum*. Mira locutionis forma, mira apostropharum velocitas. De tertia ad secundam, de secunda protinus ad tertiam, dictio refugit personam. Cum dixisset, *ecce intelligit servus meus*, etc. ad ipsum apostropham fecit subjungendo, *sicut obstupuerunt super te multi*. Et revera bene et amicabiliter ad illum de quo loquebatur, se convertit, sed subjiciendo, *sic inglorius erit aspectus*, noluit dicere tuus, sed dixit *aspectus ejus*. Reverentiam Domino pietas exhibuit, quia veraciter non ipsi aspectus suus, sed hominibus male videntibus *aspectus ejus inglorius* fuit. Bene ergo ad homines, quasi parcens ori continuo se convertit, et quam ad ipsum cœperat, ad auditores dictionem peregit. Et est sensus : Cum tu miranda perpetrares, cæcorum oculos illuminando, mortuos resuscitando, amplius autem quod facere infinitus non potuisset exercitus, parvo flagello vendentes et ementes ejiciendo de templo, eum, inquam, talia faceres multi obstupuerunt super te. Sed *sicut obstupuerunt*, quantum obstupuerunt, *sic inglorius erit*, tantum *inglorius*, o auditores, *erit super viros aspectus ejus*, vel *forma ejus ; super viros*, inquam, id est, præ omnibus viris, quorum inglorius vel contemptibilis apud superbos aspectus visus est. Quando tam *inglorius erit aspectus ejus?* Quando comprehensus dabit corpus suum percutientibus, et genas suas vellentibus, et faciem suam non avertet ab increpantibus et conspuentibus, quando dabit percutienti maxillam, et his atque hujusmodi opprobriis saturabitur (*Isa.* L). Ad quid ista patietur? Quo fructu *sic inglorius erit aspectus ejus?* Ait : *Iste aspergel gentes multas*. Ac si dicat : Idcirco iste *erit inglorius*, ut gentes multæ in remissionem peccatorum aspergantur sanguine ejus. *Super ipsum continebunt reges os suum*. Quia quibus non est narratum, de eo videbunt, et qui non audierunt, contemplati sunt. In brevi fiet, ad modicum *erit inglorius aspectus ejus*, et confestim tanta erit mutatio ejusdem aspectus, quod super ipsum reges continebunt os suum, quem ministri pontificum obscuræ vilesque personæ ore procaci conviciati sunt, conspuerunt, deriserunt, blasphemaverunt. Cum post triduum resurrexit a mortuis, et in cœlum assumptus dederit Spiritum sanctum, discent quoque reges hanc disciplinam, ut os suum super ipsum contineant, non loquantur blasphemiam, sed confiteantur ejus gloriam, obliviscantur ejus respectu fastum regiamque superbiam, pressoque sub pedibus ejus ore, humilem precem scilicet fundant. Unde hoc? Videlicet quia quibus non est narratum de eo videbunt, et qui non audierunt contemplati sunt. Quibus non est narratum, vel qui non audierunt, nisi gentes, quæ legem non acceperunt, quæ prophetas non habuerunt? Ecce ipsæ viderunt, ecce ipsæ contemplatæ sunt aspectum ejus, non jam despectum, sed decorum, unde et canunt cum Psalmista : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV).

CAPUT XIX.

Quomodo id quod dixerat, « inglorius erit super viros aspectus ejus, » latius querula voce declamet propheta, ab eo quod ait : « Quis credidit auditui nostro, » usque ad id : « Et cum sceleratis reputatus est. »

(CAP. LIII.) *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum ; despectum, et novissimum virorum, virum dolorum,* **507** *et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* Hoc est quod supra dixit, *inglorius erit super viros aspectus ejus*. Latius illud de vulnerata corde, emissa in altum voce, declamat propheta venerandus, illis merito comparandus quibus ille, cum jam inglorius esset, ita loquebatur. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis* (*Joan.* XVI), etc. Vere enim sicut gemitus mulieris parturientis, sic istæ voces dolorem sonant animæ compatientis. *Quis*, inquam, *credidit auditui nostro?* subaudituri ex Judaico populo. *Et brachium Domini, cui revelatum est*, videlicet dum in forma contemptibili humilis Filius Dei adversus superbum diabolum consurgeret? Nam cum sit brachium, id est fortitudo Domini, *aspectus ejus super viros inglorius* fuit, *et sicut ascendit virgultum*, sive *radix de terra sitienti*, videlicet macro cortice folioque decrepito, quia vim non habet humoris, sic ascendit coram Domino hoc brachium suum de terra maledicta Judaicæ siccitatis, non habente humorem fidei. Et in oculis quidem illorum, quasi tale virgultum, vel talis erat radix, cæterum in oculis Domini, simul etiam in oculis omnis fidem habentis, sic erat et est, *tanquam lignum quod plan-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tatum est non in terra sitienti, sed *secus decursus aquarum* (*Psal.* I) plenitudinis Spiritus sancti de quo et conceptus ascendit. *Non est species ei neque decor*, videlicet dum conspuitur, et alapis cæsus, alba veste illusus, et spinis coronatus, tandemque cruci affixus reputatur inter sceleratos. Interim neque *species* divinæ virtutis, *neque decor* mundissimæ et sanctæ humilitatis inesse videtur illi. *Et vidimus eum, et non erat aspectus.* Hæc et cætera sic legenda sunt, ut humana æstimatio subaudiatur. Nam de veritate rei certissimus continuo subjungit propheticus spiritus : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos reputavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Illa quæ ante hæc dixerat, illa, inquam, sola oculi stultorum viderunt, qui in finibus terræ sunt, qui intus non aspiciunt, quia in capite, id est in corde non sunt. Attamen præ magnitudine doloris, præ immensitate justæ compassionis, sese propheta cum talibus adnumeravit, *vidimus*, inquiens, *eum, desideravimus eum despectum et novissimum virorum, unde nec reputavimus eum.* Hæc autem ex judicio dixit veræ rationis, vel ratæ veritatis, quia vere non suos, sed *nostros languores ipse tulit*, non suos, sed *nostros dolores ipse portavit*, non propter suos, sed *propter nostras iniquitates ipse vulneratus est*, non propter sua, sed *propter scelera nostra attritus est. Et nos*, inquit, *putavimus eum quasi leprosum.* Qui nos ita putavimus? Nunquid prophetæ, quorum ego unus sum? Non utique sed nos, infelix Judaismus, concisa circumcisio, dura incircumcisio, de quibus et nos secundum massam fuimus, sed secundum fidem exinde discernimur. *Putavimus eum quasi leprosum.* Imo putari volumus *quasi leprosum a Deo lepra percussum et humiliatum*, ita ut contaminari diceremus omnem qui sequeretur eum, qui crederet in eum, quomodo inquinatur, secundum legem, qui tangit leprosum. Idcirco extra portam ejectum condemnavimus eum, crucifiximus eum, ut consequenter nemo dubitaret, illum a Deo esse maledictum juxta legem dicentem : Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). Ibi illum, id est extra portam civitatis ejectum deridentes, putavimus nos legem implesse, jubentem ejici extra portam leprosum (*Lev.* XIII ; *Num.* V). Quid porro? *Disciplina pacis nostræ super eum*, id est reconciliati et pacificati sumus Deo, per illum tam dure disciplinatum, tam atrociter flagellis cæsum, tam crudeliter clavis et lancea vulneratum. Illo tali livore corporis ejus nos et in corpore et in anima sanati sumus. *Nos omnes quasi oves* insipientes *erravimus, Dominus autem posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, ut solus vapularet illud quod nos omnes errando commeruimus. Quomodo vel quo jure unus portavit *iniquitatem omnium?* Videlicet quia nos brutæ oves, ille autem rationalis pastor est. Quomodo in statera rationis, unus pastor centum ovibus pro dignitate rationalitatis, tanto ille nobis omnibus præponderat pro virtute divinitatis. Non ergo ululet lupus murmurando dicens, quia minus rapui et plus exsolvi. Nam ille unus quem nil sibi debentem rapuit melior omnibus nobis est, quos reddidit, quasi juste aliquando possessos pro debito peccati. Bene igitur *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, et bene ille prædictum sciens fructum, *oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Bene *sicut ovis ad occisionem* ductus est, *et sicut agnus coram tondente se* obmutuit, *et non aperuit os suum*, ut non solum nos sanguine suo redimeret, sed et lanis operiret, ut algentes infidelitate sua veste calefaceret. Quid deinde? *De angustia*, inquit, *et de judicio sublatus est. Solutis* enim *doloribus inferni, suscitavit illum Deus, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II), et ecce leo est, et fortiter rugit, qui *velut agnus coram tondente se* obmutuit. *Generationem ejus quis enarrabit?* Quia *abscissus est de terra viventium.* Extunc quidem, ex quo *de angustia et de judicio sublatus est*, resurgendo a mortuis, ut jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur (*Rom.* VI), extunc, inquam, prædicatur, quia est Filius Dei, et Filius Virginis. Sed utramlibet *generationem quis enarrabit?* Nam utraque mirabilis, et utraque ineffabilis est. Nam ineffabile est quod divina generatione Pater in psalmo : *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV), ineffabile itidem est quod de carnis generatione recte hic dictum intelligitur, qua *abscissus est de terra viventium. De terra*, inquam, non morientium, sive mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt, sed de terra *viventium*, id est de terra virginea per sanctum vivificata Spiritum, *abscissus est. Abscissus*, inquam, subauditur sine manibus, quemadmodum et Daniel. *Abscissus est*, inquit, *lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus* (*Dan.* II). *Propter scelus populi mei percussi eum*, subauditur, ego Deus Pater hunc Filium Christum. Unde Apostolus : *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). Hæc interloquto Patre, subsequens propheta, complet sententiam. *Et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus, et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Impios*, inquam, *et divites*, qui extento collo, moverunt, super eum caput, cum *inglorius* esset eis *aspectus ejus, dabit pro sepultura et morte sua*, subauditur, in manus Romanorum et in potestate malignorum spirituum, juxta illud Davidicum : *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt*, (*Psal.* LXII.) Quia non sicut calumniati sunt, malefactor hic erat, sed *iniquitatem non fecit, neque inventus est* **508** *dolus in ore ejus.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Et Dominus, inquit, *voluit contercre eum in infirmitate.* Quæ tandem, Domine, utilitas erit in illa tali voluntate ejus? Sequitur : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Et est sensus : Si æterno Patri Adæ debitum moriendo solverit, æternæ regenerationis Pater erit, *et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in illo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv). Nam hæc est *voluntas Domini*, quæ *in manu ejus dirigetur. Videbit semen longævum* novus hic Adam, quod ævi brevis fecerat esse ille verus Adam. Nam ille fecit ut in pulverem de quo sumpti sumus omnes reverteremur, hic faciet ut omnes resurgamus, et longævi, id est jam immortales simus. *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. Laboravit*, subauditur in morte, *anima ejus*, et *pro ea videbit* illud *semen longævum, et saturabitur* charitas ejus, quippe cui nostra salus cibus deliciosus. *In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos.* Hoc est quod Apostolus vehementer insistendo commendat in Epistola ad Romanos, quia *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam, justi constituentur multi* (*Rom.* v). Quæ est enim scientia ejus nisi obedientia ejus? *Cum esset Filius Dei*, inquit idem Apostolus, *didicit ex his quæ passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ* (*Hebr.* v). Ergo *in scientia sua*, id est in obedientia sua, inquit Deus Pater, *justificabit ipse justus servos meos multos.* Statimque subjungit : *Et iniquitates eorum ipse portabit. Portabit*, inquit, sicut pontifex idemque hostia quia pro justificandis peccatoribus oblatus est. *Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse multorum peccata tulit, et pro transgressoribus exoravit.* Quia, inquit, iniquitatem eorum ipse portavit, ideo *dispertiam ei plurimos*, ut videlicet per multas mansiones dispertiti, uno fruantur regno, *et fortium*, id est malignorum spirituum, *spolia dividet*, qui fortes erant, antequam ipse humanum corpus assumeret, et forti armato superato, fortior ipse domum ejus diriperet (*Luc.* xi). *Pro transgressoribus*, inquit, *oravit.* Non solummodo pro transgressoribus oravit dicens : *Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt* (*Luc.* xxiii), sed tota passio ejus oratio pro transgressoribus fuit, qui eramus nos, nam in Adam omnes peccavimus, omnes transgressi sumus. *Et pro transgressoribus*, quidem, sed non pro omnibus *oravit*, et *peccata* non omnium, sed *multorum* peccata *tulit.* Quod statim in illis duobus sceleratis, inter quos *reputatus est*, spectabile est. Alterum reliquit, alterius peccata tulit eumque secum in paradisum recepit.

CAPUT XX.

Quod duo scelerati illi, quorum alter confessus est, alter blasphemus perseveravit, diversorum populorum exemplum fuerint, et idcirco confestim in propheta dici : « Lauda, sterilis quæ non paris, » tanquam latroni pœnitenti et confitenti, de illo autem populo tanquam latrone impœnitente : « Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum. »

(Cap. LIV.) Eodem judicii pondere, deinceps duos itidem sceleratos, scilicet gentilem et Judaicum populum distinxit. Ille blasphemus in peccato suo moritur, hujus fidei et confessionis paradisus aperitur. Utrumque hoc sanctus in isto propheta spiritus, post tam evidentem Dominicæ passionis declamationem, manifestis exprimit vocibus. Et primo gentilitatis salvationem subjicit his verbis : *Lauda, sterilis, quæ non paris, decanta laudem et hymnum, quæ non pariebas, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dextram enim, et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.* Et post aliqua : *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum, et ego creavi interfectorem ad disperdendum. Omne vas quod fictum est contra te non dirigetur, et omnem linguam resistentem tibi, in judicio judicabis.* Per hæc persecutiones designat, quas eadem pro evangelica fide passura erat Ecclesia. Nam faber sufflans prunas, diabolus est, omnium malorum artifex, qui statu suo persecutionum excitat incendia, proferens contra illam vasa iræ, iniquitatem, blasphemiam continentia, quæ videlicet Ecclesia sine dubio judicatura est. Continuo subjungit : *Hæc est hæreditas servorum Dei, et justitia eorum apud me, dicit Dominus.* (Cap. LV.) *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac*, etc. Hæc invitatio publica, manifeste ad eamdem Ecclesiam de gentibus dirigitur, ut qui prius non habebant argentum Scripturarum, nunc properent, et solius fidei pretio sibimet emant aquas ut bibant, aquas salientes in vitam æternam (*Joan.* vii), emant vinum, et bibant, si fortes sunt, emant et comedant lac, si parvuli sunt. Gentium, inquam, Ecclesiæ cuncta hæc proponuntur. Nam subinde sequitur. *Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis*, etc. Hæc enim et cætera dicuntur tanquam latroni a dextris pœnitenti, et confitenti, id est populo gentili crucifixum pro salute sua, Christum humili fide suscipienti usque ad illum locum, quo dicitur : *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum* (*Isa.* lvi). Et notandus ordo promissionum, notanda distinctio consolationum. Postquam dixit : *Lauda, sterilis quæ non paris, decanta laudem et hymnum*, videlicet præ magnitudine gaudii, in similitudinem equi ad victoriam hinnientis, *quoniam plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum*, etc., primo martyrum repromisit coronas. *Ecce ego*, inquiens, *creavi fabrum sufflantem in igne prunas*, diabolum significans, qui statim in initiis evangelicæ fidei, sufflando persecutionum excitavit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mecundia, quibus utique martyrum fides aurea decocta est, et probata. Deinde dicendo : *Omnes sitientes, venite ad aquas*, divinæ scientiæ multitudinem significat, quæ reddita Ecclesiæ pace aliquantula multiplicata est, multis doctoribus studio haurientibus, et exponentibus Scripturas. Tandem dicendo : *Et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis. Si custodierint Sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus.* Hæc, inquam, dicendo ecclesiasticæ castitatis pulchritudinem, mira allicit elegantia, ut delectet nos esse eunuchos, id est continentes, casto etiam virginali proposito, atque ita propter regnum cœlorum castremus nosmetipsos (*Matth.* XII).

(CAP. LVI.) Post hæc jam ad sinistrum latronem, id est Judaicum populum, in blasphemia perseverantem sermo convertitur hoc modo : *Omnes bestiæ agri*, id est, omne vires **509** Romani imperii, *venite ad devorandum* magnum corpus latronis hujus incrassati, impinguati, dilatati, et inde recalcitrantis, id est jugiter blasphemantis (*Deut.* XXXII). Miroque modo antequam populum ipsum convincat exponendo malorum imminentium causas, omnes bestias ad devorandum illum invitat. Nam ad illum loqui postmodum sic incipit : *Vos autem, accedite huc, filii auguratricis, semen adulteræ et fornicariæ. Super quem lusistis, super quem dilatastis os, et ejecistis linguam?* Prius, inquam, bestias agri, universas saltus bestias inclamat, et ad devorandum invitat. Et quia culpa maxime sacerdotum erat, ipsos primum post illam bestiarum invitationem sermo propheticus accusat verbis his : *Speculatores ejus cæci omnes nescierunt universi. Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia, et canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate. Et erit sicut hodie sic et cras, et multo amplius.* Hæc omnia quia ad Scribas et Pharisæos, qui turbis persuaserunt, ut Dominum crucifigerent relata constat, et sensui manifesta sunt, sequentia superioribus jungenda sunt : (CAP. LVII.) *Justus perit, et nemo est qui recogitet in corde suo, et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus est justus. Veniat pax, et requiescat in cubili suo, quia ambularit in directione sua. Vos autem accedite huc, filii auguratricis.* Inter illa quæ supra colligendæ gentilitati per consolationem dicta sunt, et ea quæ deinceps abjectæ per judicium dicuntur Synagogæ, sic positum est istud : *Justus perit, et nemo est qui recogitet*, ut inculcare et replicare nobis concertet spiritus propheticus illud quod jam diximus : videlicet inter duos latrones justum perisse Dominum Jesum, ita ut alterum per misericordiam susciperet, alterum per judicium abjiceret, in typum gentilis et Judaici populi, quorum itidem alterum per misericordiam susciperet, alterum per judicium abjiceret. Ita ergo superioribus hæc præsentia continuantur. Tu *sterilis quæ non paris, lauda, decanta laudem* et hymnum, ut dixi; *vos autem accedite huc, filii auguratricis*, quibus *justus perit, et nemo ex vobis est qui recogitet.* Nec vero solus ille *justus perit*, sed *et viri misericordiæ colliguntur*, scilicet apostoli ejus, quos de civitate in civitatem persequimini. *Vos*, inquam, *accedite huc* ad diem malum, non ad diem bonum et pacis, de qua jam dixi, *veniat pax et requiescat in cubili suo*, qua videlicet pace reconciliavit nos Deo et Patri suo, sed ad diem belli, et gladio cadatis, ut devorent vos bestiæ agri, quas paulo ante convocavi.

CAPUT XXI.

Quod ab illo quo ait : « Vos autem accedite huc, filii auguratricis » usque ad id : « Omnes eos auferet ventus, tollet aura, » commemoratio sit peccatorum super generationem eamdem quæ Dominum crucifixit, quod merito et visibiliter Romanis et invisibiliter diabolo tradita sit.

Quomodo in prima periocha cum aperte vocationem gentium, et projectionem pronuntiasset Judæorum, antiquas reddidit causas, dicens : *Projecisti enim populum tuum, quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim* (*Isa.* II), ita et nunc peccata priorum ventura prædicit, super generationem istam, quæ Dominum crucifixit : *Vos autem*, inquit, *accedite huc, filii auguratricis, semen adulteræ et fornicariæ.* Cujus *auguratricis*, cujus *adulteræ* sive *fornicariæ?* Nempe Synagogæ, quæ augurata est, suas sequendo adinventiones, quæ adulteravit et fornicata est, quia Deo relicto, diabolo prostituta est. Synagogam cujus Judæi filii sunt, cœtum dicimus Scribarum et Pharisæorum, seniorum sacerdotum et summorum pontificum. Isti sunt supradicti speculatores cæci, qui venientem, imo præsentem Dominum non vident, quem pro officio priores videre debent qui tanquam canes muti, canes impudentissimi, saturitatem nesciunt, adeo gulæ et somno deditι ut latrare non valeant, hujus talis malignæ Synagogæ filii perditi, *accedite huc*, et propositis respondete quæstionibus : *Super quem lusistis, super quem dilatastis os et ejecistis linguam? Super quem*, inquam, *lusistis*, conspuendo faciem, et vellendo barbam ejus, *dilatastis os, et ejecistis linguam* dicendo : *Vah, qui destruit Templum, et in triduo restaurat illud?* (*Matth.* XXVII.) *Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax? Pater noster Abraham est*, dicitis (*Joan.* VIII); *unum Patrem habemus Deum, dicitis* (*ibid.*). Nunquid non potius filii diaboli estis, filii mendaces, ejus qui et mendax, et pater est mendacii? *Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras.* Nunquid non hi vos estis? nunquid pro consuetudine hoc scelus non habuistis? Nunquid, o Synagoga auguratrix et fornicaria, nunc recenti vel prima contra me insanisti petulantia? In *partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua. Et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Nunquid super his non indignabor? Su-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

per montem excelsum, et sublimem posuisti cubile tuum, et illuc ascendisti, ut immolares hostias. Et post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum. Talia nempe scelera tua Regum ac Paralipomenon narrat historia. Imo et ante Regum historiam fecistis ejusmodi sacrilegia. Dicit enim Psalmista : *Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum. Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus* (*Psal.* cv). Hæc omnia venient super te in generatione ista. Quare? *Quia juxta me discooperuisti et suscepisti adulterum. Dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis fœdus. Juxta me*, inquit, *discooperuisti, et suscepisti adulterum.* Quem *adulterum?* Olim Baal, nunc autem Barabbam. Baal juxta me in templo, Barabbam contra me in prætorio. *Dilexisti stratum eorum, manu aperta.* Me autem odisti et condemnasti vociferatione publica. *Pepigisti cum eis* [*fœdus*], me autem negasti. Cum quibus me negato *pepigisti*? Olim, ut jam dixi, cum Baal, et cum vitulis aureis, nunc autem cum Barabba et cum Cæsare. Dixisti enim : *Non hunc sed Barabbam* (*Joan.* XIX). Item : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*ibid.*). *Ornasti te regio unguento, et multiplicasti pigmenta tua.* Ad modum meretricis, quæ virum mediocrem fastidit et divites adulteros ambit, tu egisti. Regio te unguento unxisti. Olim idolo, verbi gratia, Moloch, qui et dicitur Melchoin, quod interpretatur *rex eorum*, olim te unxisti, videlicet sacrificando, nunc autem Cæsari te unxisti, scilicet adulando. *Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos.* Olim *legatos tuos misisti procul* ad convocandos adulteros, Deos Babylonios et Ægyptios; nunc autem ad congregandos adversum me Romani imperii ministros, **510** *et* hoc modo *humiliata es usque ad inferos*, ut ibi copuleris adulteris illis non jam voluptatis lecto, sed pœnarum gehennæ incendio. *In multitudine viæ tuæ laborasti, et non dixisti: Quiescam.* Una quippe est via regia, quam qui ambulat, non laborat, sed quiescit et vivit; multæ autem sunt viæ sinistræ et adulterinæ, quas quia tu ambulasti, semper laborasti, nunquam quievisti. Quid tandem? *Vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti me.* Et est sensus : Quia rebus omnibus abundasti, et affluxisti divitiis, quas tota manu quæsisti, idcireo Dominum neglexisti, videlicet ut Sodoma, quæ quia saturata est panibus, ut Ezechiel dicit, propterea superbivit (*Ezech.* XVI). Et nunc audi : *Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, et quasi non videns, et mei oblita es. Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. Cum clamaveris, liberent te congregati tui. Pro quo*, inquit, *sollicita timuisti*, subauditur, dicendo : *Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum et locum, et gentem* (*Joan.* XI), ego illud adducam tibi. Quare? *Quia mentita es*, quia falsum tibi timorem confluxisti, quia dolose *illic* trepidasti *timore, ubi non erat timor* (*Psal.* LII), et *mei non es recordata.* Nullam quippe mei mentionem fecisti, in illo tempore timoris tui, quem tibi proposuisti. Quis enim dixit in illo concilio : Contineamus manus nostras ab isto homicidio, locus enim et gens servari nobis poterit Dei auxilio? Itaque *mei non es recordata*, nec enim timore vero timebas, sed festinans ad homicidium, timorem libenter simulabas, qui nullus erat. Igitur *ego annuntiabo justitiam tuam*, ego toto orbi palam ostendam, nequissimam hypocrisim tuam. Nam hæc est justitia tua risu digna (ironice justitia, nam veraciter injustitia). *Opera tua non proderunt tibi*, id est, nullum nocebunt tibi. *Cum clamaveris*, videlicet circumvallantibus te undique Romanis viribus, *liberent te congregati tui*, quoscunque in malum tibi congregasti a sanguine Abel justi. Nam congregati tui cultus sunt idolorum, effusiones sanguinum, blasphemiæ et clamores adversum prophetas, et ipsum prophetarum Dominum, quæ omnia congregasti tibi usque ad hanc diem in malum tuum. Sed quomodo isti congregati te liberent? *Omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Ergo dictio hæc hostilis irrisio est, quia non liberabuntur, sed gladio cadent, et qui superfuerint quasi vento vel aura tollente captivi ducentur in omnes gentes. *Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum.* Hæc et cætera quæ sequuntur, partim bona pro parte electorum, partim mala pro parte reproborum, usque ad id quod dicitur : *Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in æternum* (*Isa.* LIX), studio proficiscendi præterimus. Nec enim totum prophetæ hujus profundum perambulare, sed præcipua Christi quærere testimonia proposuimus. Itaque nunc jam hujus, id est sextæ perioches finem facimus, septimam quæ et ultima est, a sequenti mox capitulo incipimus.

CAPUT XXII.

Septima periocha, qua universæ Ecclesiæ sub peccato in tenebris jacenti, dicitur propter adventum Salvatoris Christi : « Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen, » etc., usque ad id, « et domum majestatis meæ glorificabo. »

(Cap. LX.) *Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos. Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* Quod nunc dicit, *surge, illuminare, Hierusalem*, idipsum est quod supra dixerat, *elevare, consurge, Hierusalem.* Ad universam quippe sanctorum multitudinem bonus iste consolationis sermo dirigitur, quæ una unius regis civitas est, una et vera Hierusalem est. Jacebat illa sub peccato primæ prævaricationis prostrata, Deumque lumen suum pariete interposito inimicitiarum, non videbat, donec veniret Christus sol justitiæ, lux de luce, lumen de lumine, Deus de Deo, Filius de Patre. Dicit ergo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

huic Hierusalem. *Surge, illuminare, Hierusalem.* Bonum prophetici spiritus imperium, certum et indubitabile est venturi boni præconium. *Surge*, et *illuminare*, inquit, id est nunc revera surges, et illuminaberis. Unde hoc? Ait : *Quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Lumen*, inquam, *tuum*, quo defraudata es dolo serpentis in parentibus primis, quibus dixit : Comedite, et aperientur oculi vestri (*Gen.* III), ecce *venit*, ecce in uterum Virginis descendit, ecce ponitur in testa carnis ut lucerna tibi sit qua requiraris, qua illumineris; ita *venit lumen tuum* et illo nascente, *gloria Domini super te orta est*, quæ a te tenebrosam antiquæ prævaricationis ignominiam expurget. Quare signanter dico *super te? Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos. Super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* Idcirco *super te* quia populos superfluos, populos qui non pertineant ad te, qui non sunt ex fide, *et terram*, id est, omnem gentem terrenis inhiantem, et cœlestia non curantem, *caligo et tenebræ operient*, etenim ut sunt ita caligine et tenebris operti remanebunt. *Super te* autem quæ venturi fidem habuisti, *orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* Cum autem venerit illud *lumen tuum, non in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum* ponetur, ut ab omni mundo videatur (*Matth.* V). Hoc est quod sequitur : *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Nunc interim antequam oriatur ille Dominus, angustiis Judææ nomen ejus continetur, tunc autem cum velut lucerna super candelabrum posita fuerit, *gentes* quæ in profundis erant tenebris, *ambulabunt in illo lumine tuo, et reges* quoque supplices oculos attollent ad splendorem luminis quod ortum est tibi. Tunc non paucos filios, nec solos habebis Judæos. Sed quid? *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Filii*, inquit, id est tuo lumine illuminati, *tui* luminis baptismate purificati, *de longe venient; de longe*, inquam, id est de omni gente et natione, ab oriente et ab occidente, a meridie et a septentrione. Hactenus non ita, sed veniebant tantum de prope, tantum de carne Abrahæ. Nec vero tantum *filii*, sed et *filiæ tuæ venient*, et quandiu filiæ parvulæ erunt, cibumque solidum manducare non poterunt, lac simplicis doctrinæ de latere suo fugant. *Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa* **511** *fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Tunc*, inquit, *videbis* et gaudebis et in modum fluviorum aquis subitis inundaberis, *et mirabitur* et stupebit, imo *dilatabitur cor tuum* dilatatione charitatis, omnes suscipientis, nullas angustias tot filios parturiendo sustinentis. *Inundatio camelorum operiet te dromedarii Madian et Epha*, etc. Madian et Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque provincia appellatur Saba. Cedar autem regio Sarracenorum est, qui in Scripturis vocantur Ismahelitæ, et Nabaioth unus est filiorum Ismahel, ex quorum nominibus solitudo appellatur, quæ frugum inops, pecorum plena est. Per familiaria ergo nomina gentium barbararum, quæ vicinæ sunt Israel, totius mundi conversionem intellige prædicari, et hunc esse sensum : Greges camelorum iniquitatum vinculis resoluti, et animas suas effundentes Deo, operient te, Hierusalem, muneribus oblatis, et omnes de captivitate venient et conversione, aurum fidei deferentes, et thus sacrificii. Madian quippe in hoc loco interpretatur *iniquitas*, Epha *resolutus* sive *effundens*, Saba *conversio* vel *captivitas*, Cedar *tenebræ*, Nabaioth *prophetiæ*. Igitur *dromedarii Madian et Epha et omnes de Saba venient, omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi*, ut jam dictum est, *aurum fidei, thus* sacrificii *deferentes*. Et quia propria non sunt salute contenti. *Laudem quoque Domino annuntiantes*, id est cæteris quoque salutare Dei prædicantes. *Offerentur*, inquit, hæc *super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.* Domus majestatis Domini sancta catholicæ fidei Ecclesia est, altare autem ejus placabile, ipse Christus est. Nam sicut hoc visibile altare templo manufacto, sic Dominus Jesus Christus Domini Dei, id est Ecclesiæ præeminet, quæ sumus nos. Igitur *super placabili altari meo*, id est in illo in quo sum placatus Filio meo Jesu Christo, munera hæc *offerentur* et accepta erunt, et propter illud altare ego *domum majestatis meæ glorificabo*, propter Christum Filium meum, Ecclesiam, cujus caput ipse est (*Col.* I), ego tanquam majestatis meæ reclinatorium glorificabo.

CAPUT XXIII.

Per quorum ministerium fiant ista quæ sunt promissa, significari vel ostendi sub interrogatione mystice dicendo : « Qui sunt isti qui ut nubes volant, » etc.

Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Tanquam si interrogaret illa beata Hierusalem, quomodo vel per quos sibi quid audierat, *filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent*, etc. Suspiciens quodammodo in cœlum propheta, *qui sunt*, ait, *isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Mira percunctatio tendens ad hoc ut auditores habeat quam maxime attentos. Poterat namque dicere sic : Apostoli Salvatoris, lumine tuo, Hierusalem, de quo jam dixi, illuminati et facti ipsi lux mundi, ibunt in mundum universum, et verbo prædicationis pariterque operibus charitatis, filios tuos qui ad te veniant de longe, ex omni gente et natione generabunt. Sed voluit quia sic oportebat, rem in tempore suo cognoscendam, et discretius abscondere, et abscondendo convenienti et digno quantum potuit mysterio, cum percunctatione declamatoria significare. Dicit ergo sic : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Ad hæc ille qui misit eos, ita respondet : *Me enim insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe. Argentum eorum, et aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, et sancto Israel, quoniam glorificavit te.* Ac si dicat : Apostoli mei sunt, quibus ego dixi : *Non vos*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV). Ipsi *volant et nubes*, nullo quieti otio, sed impellente Spiritu sancto cunctis gentibus, pluviam salutaris doctrinæ portantes. Ipsi sunt quasi columbæ simplices, attamen serpentis astutiam vel prudentiam habentes (*Matth.* X). Columbæ illæ singulæ stant *ad fenestras suas*, id est exercent quas acceperint Spiritus sancti gratias divisas, semper prædicando volantes ut nubes, semper contemplando per illas fenestras suas cœlum suspicientes, meditando gementes, gemendo meditantes. Ad quid *volant? Me enim*, inquit, *insulæ exspectant; me*, inquam, Ecclesiæ futuræ, quæ mundo velut mari profundo continentur, *exspectant*, suam anhelantes inopiam, nec ego fallor quin nubium istarum gratanter susceptura sint pluviam. *Insulæ*, inquam *et naves maris*, exspectant in principio, videlicet ut sint in caput, et non in caudam (*Deut.* XXVIII), juxta illud in psalmo : *Venient legati ex Ægypto, prævenict Æthiopia manus ejus Deo* (*Psal.* LXVII). Quomodo naves de longe appulsæ, in portu consistunt paratæ, hic qui descendant in ipsis, et faciant operationem in aquis multis, sic parati erunt auditores nuntiis meis, suscepturi illos et operibus suis adjuturi, ut in profundendis gentibus Ecclesias construant, prædicando illam, quæ super te orta est gloriam Domini. Hoc modo *adducam filios tuos de longe. Argentum eorum et aurum cum eorum eis nomini Domini Dei tui, et sancto Israel*, id est ad honorem nominis Domini et sancti Israel, *quia glorificavit te*. Videlicet, ut supra dictum est, oriendo super te, et ostendendo gloriam suam videndam in te. Quod *aurum eorum*, nisi fides eorum? Quod *argentum eorum*, nisi facunditas sermonis eorum? Ista venient *cum eis*, ut scilicet aurea fide speciosi, et argenteo sermone nitidi et clari, destruere valeant cunctum errorem, universam hæreticam pravitatem ad honorem nominis Domini. *Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi.* Peregrini quippe, id est populi nationum, qui prius erant hospites testamentorum promissionis spem non habentes, ipsi exstruent te in tantum ut reges quoque eorum ministrent tibi, sive carnaliter ædificando Ecclesias, expensis publicis, et adversus persecutiones gentium atque insidias hæreticorum legum scita proponendo, sive spiritualiter reges spirituales animæ imperio, carnem subjugando, quod veraciter est ministrare tibi, et ædificare muros tuos.

CAPUT XXIV.

Quod qui promittebatur præsentia vocesque sunt arcentis : « Spiritus Domini super me, » etc., quæ sit illa unctio, quæ acceptabilis anni prædicatio, qui lugentes, quæ consolatio, et quæ desertorum et civitatum dissipatarum restauratio.

(CAP. LXI.) His hujusmodi promissionibus præmissis adest ipse qui promittebatur, et dicit : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domini, et diem ultionis Deo nostro.* Quomodo in præcedenti **512** pariocha similibus præmissis promissionibus, ipse veritatem promissionum comprobans, *propter hoc*, ait, *sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum* (*Isa.* LII), sic et in ista post præmissa sui adventus præconia, velut jam præsens repente propria voce clamat : *Spiritus Domini super me*, etc. Hoc enim ipse in Evangelio prædicare jam incipiens ore gratioso confirmat : *Traditus est ei liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit* quod voluit, invenit hunc locum, invenit hoc scriptum (*Luc.* XLV). *Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*ibid.*). Igitur, inquit, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Ac si dicat : Propter id quod unxit Dominus me, dixi ego, dixi, inquam, et nunc dico : Quia *Spiritus Domini super me.* Ubi autem vel quando unxit Dominus me? Quando concipiebar, imo ut conciperer in matris utero Dominus unxit me. Non enim mulier virili semine, sed virgo de Spiritus sancti unctione concepit me. Illic Dominus in regem unxit me, in regem, inquam, et in sacerdotem quoque illic Dominus unxit me. Item, in Jordane flumine eodem spiritu designavit me, quo, ut jam dixi, unxit Dominus me. Igitur *Spiritus Domini super me, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Non enim particulariter *spiritus Domini super me*, sed totus Spiritus Domini super me cum omnibus donis suis, sicut tota et integra venit columba super me cum omnibus membris suis. Ad quid ita *spiritus Domini super me? Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Bene ergo tanquam columba venit super me (*Matth.* III), quæ utique avis mansueta est, et pro cantu gemitum solet edere. Mansuetum quippe *ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer* gemituosis, *et contritis corde* misit me. Nec enim propter sanos et superbos, sed propter male habentes et contritos corde medicum *misit me;* non propter justos, sed propter peccatores, virum dolorum et scientem infirmitatem, virum mitem et corde humilem fecit me. *Ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, et annuntiarem annum placabilem Domini, et diem ultionis Deo nostro.* Quibus captivis, vel qua captivitate *captivis indulgentiam*, quibus ubi *clausis prædicarem apertionem? Captivis*, inquit, peccati *indulgentiam, clausis* inferni *apertionem.* Nam ex quo *per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, et per peccatum mors* (*Rom.* V), omnes homines captivi peccati, omnes homines clausi sunt mortis. Sed non omnes captivi *indulgentiam*, non omnes clausi amant *apertionem?* Quid igitur? *Ut annuntiem*, inquit, *annum placabilem Domini, et diem ultionis Deo nostro.* Primo *annum placabilem Domini, deinde diem ultionis.* Annus quippe placabilis Domini iste est primus adventus meus, quem annuntiabo vobis, dicendo : *Spiritus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Domini super me, propter quod unxit me semel in utero virginis, et iterum in aquis Jordanis. Porro dies ultionis, secundus adventus meus erit, dies, inquam, *ultionis Deo nostro* super eos qui non quærunt *indulgentiam et apertionem*, sed amantes servitutem peccati, currunt ad claustra mortis, surdis auribus contemnentes vocem post tergum monentis et dicentis : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei* (*Matth.* IV). *Ut consolarer omnes lugentes, et ponerem fortitudinem, lugentes Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Non, inquit, ideireo *spiritus Domini misit me*, ut risoribus hujus mundi alluderem, sed *ut consolarer omnes lugentes Sion*, id est eis qui lugent quod ablactati propter peccatum, et abjecti a superna matre Sion, dicumque cum Psalmista : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion* (*Psal.* CXXXVI), etc. Idcirco, inquam, *misit me*, ut hujuscemodi *lugentes consolarer*, ut istis *lugentibus ponerem fortitudinem et darem eis* tria hæc : *coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Coronam*, videlicet gloriæ, *pro cinere* pœnitentiæ. *Oleum gaudii*, consolationem Spiritus sancti, *pro luctu* præsentis orbitatis et exsilii, *pallium laudis*, id est gloriam resurrectionis *pro spiritu mœroris*, pro sacrificio spiritus contribulati, quod vult Deus, quid non despicit : *Et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas et dissipatas in generationem et generationem. Et stabunt alieni et pascent pecora vestra, et filii peregrinorum, agricolæ et vinitores vestri erunt. Fortes justitiæ vocabuntur* in Sion, *fortes*, inquam, *justitiæ*, id est qui non solum facere justitiam, sed et *persecutionem* pati *propter justitiam* parati sint (*Matth.* V), sanctum habentes fortitudinis spiritum. *Vocabuntur*, inquit, et quidem omnium justitiam diligentium, nomina, in superna Sion, scripta sunt, sed qui pro eadem justitiæ persecutionem quoque fortiter sustinent, illic multo maxime nominati et inclyti erunt, ex opposito fortium injustitiæ, de qualibus Psalmista dicit : *Tabernacula eorum in progenie et progenie, vocaverunt nomina sua in terris suis* (*Psal.* XLVIII). *Vocabuntur in ea* isti *fortes justitiæ, plantatio Domini, ad glorificandum*, videlicet ex optato plantationis adulterinæ, de qua recte dicitur : *Omnis plantatio quam non plantaverit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV). Nam ista plantatio Domini apostoli sunt et apostolici viri, plantati *ad glorificandum* Deum, ut ipsi quoque gloriam habeant apud Deum. Illa vero plantatio, propter quam illud dictum est. Scribæ et Pharisæi erant, qui contumeliæ spinas et blasphemiæ tribulos protulerunt. Isti *ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas et dissipatas*, illa videlicet ædificatione vel instauratione de qua unus illorum dicit, unus fortium justitiæ, unus plantatorum Domini, unus ædificatorum magnæ civitatis : *Dei summus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratium, quæ data est mihi ut sapiens architectus fundamentum posui; fundamentum autem aliud nemo potest ponere; præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III).

CAPUT XXV.

De apostolis et apostolicis viris, prædicatoribus verbi Dei, et qualiter eorum quibus sua spiritualia seminant, carnalia nunc metere, et in futuro duplicia, id est animæ pariter et corporis bona sperare debeant.

Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra, et filii peregrinorum agricolæ, et vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini, vocabimini ministri Dei nostri, dicetur vobis : Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis. O fortes justitiæ, o plantatio Domini, sancti apostoli atque apostolici viri *alieni*, qui non erant de gente vestra, alieni, inquam, filii peregrinorum, id est gentiles, qui non erant ut vos de carne Abrahæ, **513** *stabunt* devota fide, ad vestrum servitium, *ut pascant pecora vestra*, vestras comportant vindemias, ut quibus vestra seminastis spiritualia, digne illorum metatis carnalia (*I Cor.* IX). *Vos autem* tanquam sacerdotes, imo vere *sacerdotes Domini*, verbo Dei vacabitis otio sancto feriati, ut sitis id quod estis, *ministri* Domini, spiritualia ministrantes, ut carnalia jure ministrentur vobis. Hoc ingenuitatis nomine *vocabimini*, hoc nobilitatis nomen *dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis.* Quid isto verius ? Videbunt venturi, ad vestrorum cinerum memoriam fortitudinem, id est, labores gentium comportari, vestroque nomini gloriosorum diadematum regum, in pulvere substerni. Ita *superbietis*, videlicet superbia sancta et nobili, dum superbo altiores sæculo, superborum omnium colla vera gloria supervadetis. Hoc idcirco, quia nunc mihi dicenti, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus*, vos annuntiationem meam mansueti audistis, et credidistis, relictisque omnibus, secuti estis me, pauperes censu, pauperes spiritu, unde et odit vos mundus, et inde vestras quoque animas pro me posituri estis. Verum non eo tenditis, non illum finem exspectatis, ut sicut dixi : *Fortitudinem gentium comedatis, et in gloria eorum superbietis.* Sed quid ? *Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam.* Hoc est quod speratis, hoc est pro quo laboratis, *duplici confusione, duplici rubore* paupertatis et mortis affecti, ut videlicet laudent *partem suam*, ut talem habeant, qualem merito laudent *partem suam*, id est ut habeant vitam æternam, quæ non est alia quam cognoscere Deum, et quem ille misit Jesum Christum (*Joan.* XVII). Hæc enim pars justi est, unde et Lætabundus, *pars mea*, inquit, *Dominus* (*Psal.* LXXII). Hæc vestra erit beatitudo, quod unde vos *duplici rubore* confundimini, scilicet et in paupertate viventes, et in angustia morientes, inde sit ut Deum in partem suam habeant gentes, talem suam partem laudantes, talem acqui-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

siti mem negotiatione auri et argenti meliorem judicantes. *Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt et lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens judicium et odio habens rapinam in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes enim qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Ad nos, quos horum sacerdotum et ministrorum suorum imitatores esse vult, apostropham fecit, ut sciamus quid receperint, quid et nobis, si illos imitemur, sperandum sit. Propter hoc, inquit, quia reliquerunt omnia, et secuti sunt me (*Matth.* XIX), isti *fortes justitiæ* ædificatores, sive *sacerdotes, et ministri mei. Propter hoc*, inquam, *in terra sua duplicia possidebunt*; nam quia pauca eademque transitoria reliquerunt bona corporis, multa eademque æterna possidebunt bona animæ, et corporis, et utrobique *lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum.* Revera *diligens* in reddendo, et *odio habens rapinam* in retinendo debito. Non diligerem *judicium*, si mercedem retinerem, *rapinam* haberem *in holocaustum*, si oblata non redderem. Sed *amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiet centies, tantum nunc in tempore hoc, et in sæculo futuro vitam æternam* (*Marc.* X). Igitur de judicio certi, de retributione securi, malint omnes pii talium exemplo confundi *confusione* vel *rubore duplici, quia ego Dominus diligens judicium*, mihi quoque odiosum est non retribuere illis, quidquid accepero ab illis *in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate et fœdus perpetuum feriam eis. In veritate*, inquam, *dabo opus eorum*, ut maneat in veritate fructus vel opus eorum. Quo contra dicitur de opere reproborum : *Ecce vos estis de nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est* (*Isa.* XLI). Item : *Ecce omnes injusti, et vana opera eorum, ventus et inane simulacra eorum* (*ibid.*). Et alibi : *Confidunt in nihili, et loquuntur vanitatem.* Conceperunt laborem, *et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas aranearum texuerunt* (*Isa.* LIX). Non sic isti sacerdotes, et ministri mei, sed opus eorum in veritate, *opus*, inquam, *eorum dabo* in spiritu veritatis, *et fœdus perpetuum feriam eis*, ut sint filii non servi, amici facti ex inimicis per mortem meam reconciliati. *Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Semen eorum*, id est verbum prædicationis eorum, scilicet *in gentibus*, cum enim hi quibus oportuerat prius loqui, repulerint illud ipsi ad gentes convertentur (*Act.* XIII). Sed *et germen eorum scietur in medio populorum*, quia cum mortibus affecti, et in sepulcris fuerint conditi, rursus germinabunt quia de mortuis eorum corporibus, viva crebrescent opera virtutum ad roborandam fidem viventium. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos,* A *quia isti semen, cui benedixit Dominus.* Revera soli *qui viderint, cognoscent eos*, nam qui oculos suos compresserint, ne videant, non *cognoscent eos.* Nam videre eos benevolentiæ est, attentioris atque docilis animæ est. Itaque *qui viderint cognoscent eos*, ex operibus, *quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*; et beatificabunt eos, dicentes, quibus miro atque insitato modo, sanctum benedictionis spiritum dedit Dominus.

CAPUT XXVI.

Quomodo Ecclesia Dei delectetur super isto cum dicit : « Gaudens gaudebo in Domino, » etc., et quid sit vestimentum salutis et lætitiæ, quo illam Christus induit et circumdedit, et de unitate corporis Christi et Ecclesiæ.

B *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me. Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus.* Adventus iste, vel præsentia Salvatoris, unde propheticus hic sermo est, osculum illud est, quod sponsa desiderans dicebat in Canticis : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I). Ecclesia quippe sponsa fidelis nata in patriarchis, subarrata in Moyse et prophetis, illud suspirabat voto cordis festinantissimi, ut veniret ipse dilectus, et assumendo carnem, oscularetur eam *osculo oris sui.* Hoc facto hilariter nunc delectata C dicit : *Gaudens gaudebo in Domino*, etc. Hujusce particeps gaudii dicebat ille amicus egregius sponsi, ille sponsi et sponsæ consecretalis, et mutui conscius amoris : *Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est* (*Joan.* III). Nec vero dubium quin ille præcursor nativitatis, præcursor quoque factus passionis, ad inferos descenderit, et exspectanti **514** illic Ecclesiæ, nuntium bonum attulerit. Igitur quia postmodum de passione ejus propheta dicturus est. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra* (*Isa.* LXIII). Et paulo ante in persona ejusdem annuntiantis et prædicantis, dixit : *Spiritus Domini super me, eo quod* D *unxerit Dominus me*, recte et opportune voces istæ sic accipiuntur, tanquam apud inferos jam in occursum ejus exsultantis Ecclesiæ : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* Quæ mihi gaudii causa, quæ exsultationis ratio ? *Quia induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me.* Nudata fueram in Adam, foliis ficus pudenda contexeram, tunicis pelliciis, miserе operta, de paradiso ejecta fueram. Hic autem Dominus, et Deus meus pro foliis sicut vestimento salutis, et pro pruritu libidinis, prima baptismatis et remissionis peccatorum stola induit me, et pro pellicia mortalitatis tunica. resurrectionis et immortalitatis stola secunda circumdedit me. *Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suis. Quasi sponsum, inquam, *et quasi sponsam*. Unum quippe sumus corpus, caput et membra, sponsus et sponsa, Christus et Ecclesia (*I Cor.* XII ; *Rom.* XII). Jam jam in Christo sponso, et capite meo modicum passo, in æternum fulgebit victoriæ corona, in me sponsa virtutum et gratiarum, fulgida figentur monilia. *Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram universis gentibus.* Inde ille sponsus, et ego sponsa, quia ille Dominus Deus, et ego terra, vel hortus ejus, quia ille agricola, et ego agricultura ejus (*I Cor.* III). Unus idemque, quia Creator Dominus est et Deus, et quia homo factus, agricola est meus (*Joan.* XV). Quomodo agricola plantante atque rigante, et Deo incrementum dante (*I Cor.* III), terra profert germen suum, et hortus semen suum germinat, sic illo uno et quia homo est, evangelizando plantante atque rigante, et quia Deus est per Spiritum suum incrementum dante, proferam ego, et germinabo *justitiam* fidei, *et laudem* Dei, non coram una tantum gente Judæa, sed *coram universis gentibus*, ut videant opera mea bona, legendo dicta vel acta patriarcharum, vel prophetarum, audiendo vocem et videndo lucem apostolorum, et videndo atque credendo glorificent Patrem, qui in cœlis est (*Matth.* V).

CAPUT XXVII.

Quomodo dicta sponsæ fidelia confirmet Deus Pater, dicendo : « Propter Sion non tacebo. »

(CAP. LXII.) *Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum.* Quod dixerat sponsa, *sic Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram universis gentibus*, confirmat Pater sponsi Deus, dicendo, *non tacebo et non quiescam propter Sion, et propter Hierusalem*, etc. *Propter Sion*, inquit, *et propter Hierusalem*, cui juravi in Abraham, cui juravi in David, germinare *justitiam et laudem coram universis gentibus*. In Abraham, quando per memetipsum juravi, dicens : *Benedicam tibi, et semen tuum multiplicabo, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* (*Gen.* XXII). In David, quemadmodum ille dicit : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, quoniam elegit Dominus Sion* (*Psal.* CXXXI). Igitur quoniam debitor sum, et gratuito juramento teneor, *propter Sion non tacebo*, sed loquar, *et propter Hierusalem non quiescam*, sed operabor, *donec* angustiis Judææ per torcularia passionis *egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus velut lampas* ad illuminandum gentes *accendatur*, ut videant *gentes justum tuum*, o Sion, *et cuncti reges inclytum tuum*, o Hierusalem. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Nonne, inquam, *novum*, id est, nomen Christianum *vocabitur tibi, nomen novum*, id est nomen amicorum, nomen filiorum Dei vocabitur filiis tuis, qui hactenus servi, imo inimici et filii iræ dicebantur ob culpam primæ prævaricationis Adæ patris sui. *Quod*, inquam, *os Domini nominavit.* Sine dubio nomen æternum est, quodcunque *os Domini nominavit.* Ergo quod *os Domini nominavit*, idem est ac si diceret, quod tibi nomen in æternum permanebit. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* Apostolus dicit : *Nam gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in die Domini* (*II Cor.* I). Si ergo quilibet nostrum eorum gloria sumus, quia nos prædicando vel instruendo acquisierunt, quanto verius ejus gloria sumus, qui et nos et prædicatores nostros acquisivit per sanguinem suum ? Itaque *corona gloriæ in manu Domini eris, et diadema regni in manu Dei tui*, id est ei qui te redemit, sic pro gloria erit charitas redemptionis, quomodo corona vel diadema pro gloria est capiti regis emeriti. Quod intimans idem Apostolus dicit : *Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari* (*Hebr.* II). *Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata.* Hæc tuæ vetustatis erant nomina, et a patre tuo Adam tibi hæreditaria, *derelicta, desolata.* Non sic *vocaberis ultra*, nec memor ero horum nominum tuorum per labia mea. *Sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata.* Antequam deleatur parentum tuorum inobedientia, non potes vocari *voluntas mea in ea*, sed per obedientiam Patris tui hominis Jesu Christi fiet ut recte voceris *voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata.* Hoc repetens iterum dico. *Quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.* Quomodo terra tua *inhabitabitur ?* Habitatione sancta, habitatione angelica. *Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui.* Illi enim, qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis (*Matth.* XXII). *Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus*, id est, ad similitudinem gaudii quo gaudet *sponsus super sponsum*, ita *gaudebit super te Deus tuus*, quia plena tibi voluptate substantialiter infundetur, juxta illud : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Interim, donec earumdem veniat tempus nuptiarum, custodieris contra diabolum adulterum, neque dormiam sicut dormivi, donec surgerem *ad auram post meridiem* (*Gen.* III), post perpetratum corruptoris adulterium serpentis. Hoc est quod sequitur : *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Hierusalem laudem in terra.* Quinam sunt *custodes super muros* Hierusalem, qui *tota die et tota nocte* non tacent, nisi apostoli et apostolici **515** viri, rectores atque sacerdotes? qui interim dum adulteria spiritualia cavenda sunt, in regimine

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sanctæ Ecclesiæ positi sunt, ut neque in prosperis, neque in adversis taceant laudare nomen Domini, prædicare pulchritudinem, nobilitatem, divitias atque fortitudinem sponsi legitimi, modicum exspectandi, cito venturi. Unde quia non solum sermone prædicationis, sed et studio juvare debent orationis, ad eosdem sermo dirigetur, cum dicit: O vos, *qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et* [b]*ne detis silentium ei*, ne vacet illi dormire, quemadmodum olim dormivit tandiu, donec perficeretur cum natura humana adulterium serpentis diaboli, quod Scriptura innuens, dicit: *Et cum audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem* (*Gen.* III), etc. Primi homines illum toto meridie dormire passi sunt, quippe quem nulla laude, nulla prece inquietaverunt. Vos autem *ne detis illi silentium, donec stabiliat, et donec ponat Hierusalem laudem in terra*, id est donec Ecclesiam suam ad illum statum laudabilem perducat ubi jam neque fur, neque adulter appropinquare valeat.

CAPUT XXVIII.

Quod ait: « Juravit Dominus in dextera sua, » quod juramenti hujus sensum ipse dicat in Evangelio Dominus: « Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei. »

Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia, qui congregant illud comedent, et laudabunt Dominum, et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. Post mutua sponsi et sponsæ colloquia jam ad passionem, qua sponsa redimitur sermo propheticus aspirat, dicendo: *Juravit Dominus.* Quando enim *juravit* hæc *Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ*, nisi quando dixit ipse Filius Dei, dextera nimirum, et brachium fortitudinis Domini: *Amen, dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXIII). Denique mali et perdendi agricolæ illi, quibus hoc juravit, inimici erant, et *filii alieni*, comedentes *triticum*, et bibentes *vinum*, in quo sancta patriarcharum et prophetarum Ecclesia laboravit, et non reddentes fructum vindemiæ in tempore messis. *Juravit*, inquam, *Dominus*, quia sic jam non ultra erit. Sed quid? *Qui congregant illud comedent, et laudabunt Dominum*, id est ablatum ab illis regnum Dei possidebunt gentes facientes fructus ejus (*ibid.*), ut prius congregent Domino, et sic comedant, prius comportent et sic bibant *in atriis* ejus, in regno ejus. *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, et eligite lapides. Custodes* murorum Hierusalem, id est apostoli, jubentur transire *per portas*, ad veritatem Evangelii incedere secundum Scripturas, sicque parare *viam populo* Christiano, *planum* faciendo *iter*, et eligendo *lapides*, ut non sint offendicula sive scandala, quibus offendatur vel concidat fides Christiana. Et hoc illi quidem fecerunt quantum potuerunt, sed quia minus plana fuisset via, divinitus A provisa sunt arma Romanorum, ut non remaneret civitas, nec staret templum Judæorum, quo nimirum stante, quasi ad magnos lapides nimium offenderet simplicitas Christianorum. *Et elevate*, inquit, *signum ad populos, ecce Dominus auditum fecit ab extremis terræ.* Ne putent Judæi de se dictum, *præparate viam populo, elevate*, inquit, *signum* in gentes, et *ad populos* nationum, ut nequaquam unius terræ Judææ ad salutem provocentur angustiæ, sed auditum fiat in extremis terræ, ut passionem Creatoris totus mundus exaudiat. Pene ineffabile est quid admirationis, quid habet exspectationis quod dicitur: *Ecce Dominus auditum fecit ab extremis terræ.* Morientibus et desperatis in medio terræ, dicite, dicite quia *Dominus auditum fecit ab extremis terræ*, ab B hominibus humilibus, qui pro eo quod contemptibiles videbantur, quodammodo erant extrema terræ. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram eo. Dicite*, inquit, et testificamini *filiæ Sion*, id est Ecclesiæ patriarcharum et prophetarum, cui credenti potestas datur filiam Dei fieri. Quid dicetis ei? *Ecce* iste non alius, sed iste qui, juxta alium prophetam, *pauper* est, et *ascendens super asinum, et super pullum asinæ* (*Zach.* IX), *Salvator tuus* est, ecce *venit* ut redimat te, ut salvet te. *Ecce merces ejus* cum qua redimat te, *et opus illius coram eo*, quo salvet te. Non enim extra, sed intra semetipsum habet redemptionis tuæ pretium, non aliud quam sanguinem suum. Item *opus illius* quo te redemptam vivificet, non longe, sed *coram eo* est, statim quippe ut C te redemerit pretio sui sanguinis, sanctum tibi Spiritum dabit, Spiritum vitæ et salutis, quem accipient quotquot Salvatorem istum receperint, quotquot in eum crediderint. *Et vocabunt eos: populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis quæsita civitas, et non derelicta.* Eorum qui crediderint vocabulum erit *populus sanctus, redempti a Domino*, et hoc nomine apostoli et apostolici viri *vocabunt eos*, *tu autem*, o mater civitatum fidelis Sion, quæ hactenus apud inferos exsulabas derelicta, et non requisita, amodo *vocaberis quæsita, et non derelicta.*

CAPUT XXIX.

Quod passionem ejus admiratione dignam æstimari velit propheta, dicendo: « Quis est iste qui venit de Edom? »

(Cap. LXIII.) *Quis iste est qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Victoriosæ passionis præconia deinceps non repetiturus, nunc excellentius sub admiratione enuntiat, adjuncto videlicet gaudio pro triumphali resurrectionis et ascensionis ejus gloria. *Quis*, inquit, *iste est qui venit de Edom?* Quis iste est qui venit *tinctis vestibus de Bosra.* Quis est ille *formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Edom *terrenus*, atque *cruentus.* Bosra, quod est nomen civitatis in Moab, interpretatur *firma* atque *munita.* Porro terrenus atque cruentus populus Judaicus erat, firma atque

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

munita Hierusalem fuerat, fortissimis muris ante circumdata, sive infernus, in quo clausæ mortuorum animæ fortissimis custodiis tenebantur. Inde *venit iste* vere *formosus*, et juxta psalmum quadragesimum quartum : *Speciosus forma præ filiis hominum, formosus*, inquam, *in stola sua*, sive *tinctis vestibus*, id est candidus et rubicundus, candidus mundissima carnis virginitate, et rubicundus sacrosancta passione, et talis gradiens usque ad summum cœli, in multitudine fortitudinis suæ. Interrogant igitur occurrentes angeli, et dicunt : *Quis est iste, quis est iste*, rei novitate perterriti. Mysterium enim passionis et resurrectionis Christi, cunctis retro generationibus fuerat ignoratum. Respondet ille **516** interrogantibus : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Ego, inquit, sum *qui peccatum* non feci, *nec inventus est dolus* in ore meo (*I Petr.* II), sive qui malis mala, et bonis retribuam bona. Ego sum qui propugnare veni adversus adversarias potestates, et vinctos de carcere liberare, ut et adversarii pœnas, et captivi sentiant libertatem. Rursus angeli sciscitantur, et dicunt : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Si, inquiunt, tu es qui loqueris justitiam, et nullum admisisti peccatum, nonne indumentum tuum, indumentum, inquam, corporis tui sicut de utero virginali sumptum est candidum, ita permanere debuit? *Quare* ergo nunc sanguine est *rubrum*? Quare *vestimenta tua* sunt *sicut calcantium in torculari?* Nam ambæ manus tuæ, ambo pedes tui sic sunt, quasi clavis confixi fuerint, et unum latus tuum sic est, quasi lancea vulneratum est. Hæc omnia signa sunt mortis, quasi tu quoque torcular mortis calcaveris, imo in torculari mortis calcatus sis. Nam in torculari quidem, unde hæc similitudo sumpta est, aliud quod calcatur, aliud ipse est qui calcat. In passione autem mortis, unde hic sermo est, ipse qui calcat et ipse qui calcatur, idem est. Calcavit enim ipse qui semetipsum tradidit pro nobis, calcatus est tanquam botrus qui sub pressura crucis de acino corporis, vinum, id est spiritum suum emisit. Item torcular calcavit, quia sicut in torculari vinum expressum assumitur relictis acinis, sic in eadem passione sua bonos redimendo assumpsit, malos judicando reliquit. Respondet ergo percunctantibus : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.* Idcirco, inquit, *rubrum* est *vestimentum* meum, et sic *vestimenta mea* sunt, *quasi calcantium in torculari*, quia revera *torcular calcavi*. Calcavi autem *solus*, nullum quippe habui adjutorem ; neque enim angelus, aut archangelus, thronus, dominationes, aut ullus omnium cœlestium spirituum pro hominibus passus est, sed neque hominum quempiam habui adjutorem, in tantum ut etiam confidentissimus Petrus timore perterritus fugeret, imo et me negaret. Ita *torcular* A *calcavi solus*, subauditur in salutem supradictæ filiæ Sion, in salutem omnium credentium. Quid de illis qui non credunt? *Calcavi eos*, inquit, *in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Duplici contritione contrivi eos, præsenti furore meo, et futura ira mea condemnavi eos. Præsenti videlicet furore, ut Romanis tollentibus suum et locum et gentem perdant (*Joan.* XI). Futura ira, ut usque ad inferni novissima descendant. *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.* Denique sanguis meus, hæreditarius sanguis eorum effectus est, quia dixerunt : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Illic *sanguis eorum aspersus est super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi*, quidquid enim ad B cultum vel religionem mihi facere consueverant, holocausta eorum, neomenias et sabbata eorum, et omnes alias festivitates eorum, extunc odivi, et omnia sanguine polluta judicans, oculos meos averti (*Isa.* I). *Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.* Quis *dies ultionis*, quis *dies* vel *annus retributionis?* Ille nimirum quem jam prævidens propter reatum vituli, quem fecerant, dixit ad Moysen : *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum* (*Exod.* XXXII). Ille *dies* vel *annus retributionis meæ in corde meo* erat, et nunc venit, et quæcunque deinceps fecerunt patres eorum, imo et *omnis sanguis qui effusus est super terram a sanguine Abel justi*, ecce super generationem istam C venit (*Matth.* XXIII). Quid tandem pro me egi? *Circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Parum dictum erat, *non erat auxiliator, et non fuit qui adjuvaret.* Notum quippe ex Evangelio est, quia non solum *non erat auxiliator*, et non solum *non fuit qui adjuvaret*, cum ipse altus, id est in crucem elevatus circumspiceret, sed econtra *omnes videntes deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput* (*Psal.* XXI), dicendo : *Vah, qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas illud! Salvum fac temetipsum* (*Matth.* XXVII). *Dicitur* autem hic locutionis modus tapinosis, id est humilitas rei magnæ, non id agente sententia quod ostenditur. Igitur *circumspexi*, inquit, D *et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret*, sive, juxta alium prophetam : *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni* (*Psal.* LXVIII). *Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* In quo *salvavit mihi brachium meum*, in quo *indignatio mea ipsa auxiliata est mihi?* In eo videlicet quod, cum *factus* essem *homo sine adjutorio inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII), solvi dolores inferni, ne etiam ab illo me teneri possibile esset (*Act.* II). Et quomodo leoni fortissimo rugitus suus auxiliatur ad conterendas bestiolas minores, sic *indignatio mea mihi auxiliata est* ad consternendos universos inferni principes. Unde satis eleganter in spiritu Jacob patriarcha dicit : *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum? (*Gen.* XLIX). Exinde pœnas exegi de inimicis meis, de homicidis et derisoribus meis Judæis, ut caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes, et civitas eorum pariterque templum detraheretur in terra. Hoc est quod sequitur : *Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos indignatione mea, et detraxi in terram verticem eorum.*

CAPUT XXX.

Deploratio Judaicæ gentis ex persona prophetæ cum confessione præcedentis mali illorum meriti, et laude justitiæ Domini, super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, usque : « Sic faciam propter sermones meos, ut non disperdam totum. »

Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis, secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit : Verumtamen populus meus es, filii non negantes. Et factus est eis Salvator. Post ultimam Dominicæ passionis recapitulationem propheta sui, id est Judaici populi, abjectionem affectuosissime deplorat, sed in eodem ploratu suo sapiens, vimque doloris admissa ratione contemperans lacrymosæ voces orationis vera laude Dei prævenit, ne videlicet propter adversa sequentia prioribus ingratus existere videatur ejus beneficiis. *Miserationum*, inquit, *Domini*, subauditur antiquarum, *recordabor*, in ira, quam infert post easdem miserationes. Ac si dicat : Et licet post tot miserationes iram inferat, non tamen mutatus est, non mutabilitatis arguendus est. Nam et *multitudinem bonorum largitus est* **517** *domui Israel secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum*, et interea dixit, inquam, in Moyse, dixit in prophetis et Psalmis. *Verumtamen populus meus est, filii non negantes.* Quod erat dicere : Ego quidem Abraham, Isaac, et Jacob elegi, et veraciter dictum est : *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus* (*Psal.* CIV). Verumtamen non omnes qui ex Israel hi sunt Israelitæ, sed soli *non negantes filii* reputantur in semine. Hæc dixit, et, immutabili permanente proposito, *eis* tantum *factus est salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus.* Quorum *in omni tribulatione non est tribulatus?* Filiorum non negantium, filiorum fidelium. Illorum omnem tribulationem, omnem miseriam, omne peccatum, et omnem iniquitatem, ipse absque tribulatione sustinuit non invitus, sed voluntaria charitate portavit. Nam hoc est quod sequitur : *Et angelus faciei ejus salvavit eos in dilectione sua.* Si enim Apostolus in tribulatione sanctorum non est tribulatus, sed dilatato corde dixit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis* (*II Cor.* VI), quanto magis *angelus faciei Domini*, angelus magni consilii, cujus facies, facies est Domini, nulla tribulatione est angustiatus? *Salvavit*, inquit, *eos in dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos. Et portavit eos, et levavit eos cunctis diebus sæculi.* Quæ cuncta sunt officia suavissimæ et latissimæ charitatis. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt Spiritum sancti ejus.* Quinam ipsi? Utique *filii* negantes, gens peccatrix, populus gravi iniquitate, semen nequam, filii scelerati (*Isa.* I). Cujus *sancti ejus spiritum ad iracundiam provocaverunt et afflixerunt?* Sancti sanctorum, angeli *faciei ejus* quem blasphemaverunt, negaverunt, et interfecerunt. Quid pro hoc? *Et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos.* Palam omni mundo est, quia debellavit eos, et vicit eos, occidit in ore gladii, et in omnes gentes captivos duxit eos, non tanquam pater virga disciplinæ feriens, sed tanquam inimicus usque ad inferni novissima persequens. *Et recordatus est dierum sæculi, Moysi et populi sui. Recordatus est dierum sæculi*, recordatus est *Moysi*, recordatus est *populi sui*, in eo videlicet ut adduceret super eos omnem sanguinem justum, qui effusus est super omnem terram a diebus sæculi (*Luc.* XI), ut vindictam faceret in eos, quod toties *exacerbaverunt spiritum* Moysi (*Psal.* CV), quod toties tumultuando inquietaverant pacem populi sui. Hac præmissa laude et recordatione miserationum Domini, tandem luctum pro gente sua lacrymosum ingreditur tanto vocis clamore et cordis rugitu ut recte dicamus quia in isto Spiritus sanctus *gemitibus* orat *inenarrabilibus* pro Israel (*Rom.* VIII), ut ex eo saltem reliquiæ salventur (*Rom.* IX). *Ubi est*, inquit, *qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum sancti sui?* Et subinde : *Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ. Ubi est zelus tuus et fortitudo tua? Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se. Tu enim, pater noster et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a sæculo nomen tuum. Quare errare fecisti nos, Domine, de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te*, etc. (CAP. LXV). Taliter lugendi cæcitatem quæ contigit in Israel (*Rom.* XI), Deus tandem respondet. *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me.* Statim Filius cujus personæ sunt istæ voces apostropham facit ad ipsum Patrem his verbis. Et *dixi : Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen tuum.* Quare? *Expandi*, inquit, *manus tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*, etc. Hæc de plenitudine gentium, quæ subintratura erat, loquitur adversus Israel, cui cæcitas contigerit. Nec mora reliquias ex eo salvandas fore promittit cum dicit : *Quomodo, si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter sermones meos, ut non disperdam totum*, etc. Non ignoro plurima sparsim esse prætermissa, perspicue ad eamdem fidem Christi, gentium quoque vocationem pertinentia, sed, juxta propositum, septem tantum prophetæ hujus oportuit excipere

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pvrticulas, quibus recapitulata non partim, sed pene ex integro tota continetur fides Christiana, fides evangelica, facie aperta, serie ordinata. Et hic quidem finem facere, et ad prophetam alium transire poteramus, sed occurrit unum quod perpulchrum atque egregium, quod nullatenus devotio fidei nos intactum præterire patitur.

CAPUT XXXI.

Quod ait « antequam parturiret peperit, » etc., quomodo secundum hæc quoque falsum sit quod Judæi et quidam hæretici dixerunt ante Mariam non extitisse Christum

(Cap. LXVI.) *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Quatuor hæc dicta sunt, quorum unum nostræ regenerationis gratiam, tria vero unici Verbi Dei genituram, trimodam altissimo et pene ineffabili mysterio nobis insinuant. Nam quod ait, *nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos*, repentinam admiratur generationem credentium in Christum, qua post adventum Spiritus sancti, sancta Sion, id est apostolica Ecclesia, magnam Judæorum atque gentium multitudinem prædicationis verbo et salutari regeneravit baptismo, tanto miraculo ac si uno die gens tota uno pariatur utero. Hoc ex prædictis quatuor unum est. Cæterorum trium primum est quod *parturivit*, secundum quod *antequam parturiret peperit*, tertium quod Dominus ipse semetipsum qui *alios parere* faciat, non esse sterilem, sed se quoque peperisse altissima invectione asserit. Hæc, ut jam dictum est, tria generationis Christi documenta magna et mira sunt. Quando enim *Sion parturivit et peperit masculum?* Nimirum quando virgo Maria, pars magna sanctæ civitatis Sion, pars magna et regalis aula sanctæ Ecclesiæ, quæ est specula, in qua nunc speculamur, post in eadem facie ad faciem visuri Deum deorum, peperit Christum filium masculum, filium fortissimum, valentem ad debellandum fortem armatum, qui nullum timens, custodiebat atrium suum (*Luc.* XI), tenebat sibi quasi in pace mundum, quando illa beata Virgo peperit Christum Filium, utique *masculum peperit Sion.* Non enim sibi soli, sed toti Ecclesiæ Maria parturivit Christum. Sed non jam dicat Judæus, non dicat hæreticus eumdem Christum ex Maria existendi habuisse initium. Nam, *antequam parturiret, peperit. Antequam parturiret* illic, antequam tempus illud ei veniret, ut filium visibilem ex ventre Virginis sancta Sion ederet, *peperit*, et mater ejusdem Verbi effecta est. Concepit enim corde, et Verbum Dei peperit ore. Quoties ad aliquem prophetarum sive patriarcharum verbum Dei factum est, toties Sion peperit verbum Domini, non aliud quam quod beata Virgo concepit, et carnem factum peperit. Unde unus illorum hic idem Isaias dicit : *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram* (*Isa.* XXVI). Nota et celebris animabus sanctis est ista veritas, quod vere Deus amator fideli animæ ut sponsus sponsæ copuletur, atque ex illo per amoris spiritum suscepto semine imprægnata, loquendo, prophetando, et quod magis est, scientiam Dei scribendo, mater Verbi Dei efficiatur. Sic omnis Scriptura legalis et prophetica condita est, antequam omnis Scripturæ universitatem, omne Verbum suum Deus in utero Virginis coadunaret. Ipsa Virgo prius mente quam carne concepit, prius ore prophetando quam ventre parturiendo peperit. Igitur falsum est ante Mariam non exstitisse Christum. Nam antequam carnem ejus parturiret, peperit ore prophetarum, beata Sion unum eumdemque Christum, unum idemque Dei Verbum. Nec etiam satis est adhuc. Nam ne forte suspiceris quod antequam prophetæ loquerentur, non fuerit hoc Verbum Domini. Ecce enim ipse Deus dicit : *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Ac si dicat : Nunquid ego qui aliis bonum effari verbum dedi, ipse non prior de corde meo verbum bonum eructavi? (*Psal.* XLIV.) Est enim solœcismus per tempora verborum, dum dicit, *ipse non pariam, ipse sterilis ero*, pro eo ut dicat ipse, non peperi, ipse sterilis fui. Porro alibi recto, id est præterito utitur tempore, dicendo : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX). Verumtamen nec quia illic *ex utero genui te*, dixit, nec quia hic *ipse non pariam*, aut *sterilis ero* dicit : Idcirco Deus uterum et vulvam habere putandus est, sed ob significandam expressius suimet atque Filii sive Verbi substantialitatem, talibus opportune vocibus Deus uti dignatus est. Obmutescat igitur omnis impietas, quia quod Virgo Maria Verbum parturivit, incarnatum ipsum fide conceptum, dicto et scripto pepererunt prius animæ patriarcharum et prophetarum, ipsum nihilominus peperit ex utero, id est, ex profunda substantia sua genuit Deus Pater, ante omnia sæcula sæculorum. Adeo non Deus recens est, hic Deus noster (*Psal.* LXXX).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN JEREMIAM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

519 CAPUT PRIMUM.

Quintæ ætatis initium computari Hieremiæ vaticinium, et in hac ætate sacerdotium Christi figuratum factis, significatumque esse dictis propheticis.

Quintæ ætatis sæculi, crepusculum Hieremiæ prophetæ vaticinium est Babylonicam captivitatem, ruinam pariter et incendium civitatis ac templi sic prænuntians ut propriis quoque oculis cuncta cerneret. Hic jam recte quæritur quid eo tempore mundus acceperit, quo tanquam certo limite præfixo jam quinta ætas, post exactam quartam ætatem jure dici vel computari debuerit. Nam de præcedentibus ratio stat, quia videlicet prima ætate ante diluvium, velut infans permissus sibi, vacavit ab auditu sermonis Dei. Secunda vero, velut puer, prima doctrinæ percepit elementa in fœdere quod pepigit Deus cum Noe. Tertia, jam velut adolescens repromissionem beati seminis in Abraham, et disciplinam legis accepit in Moyse. Quarta, velut juvenis promissionem regni Christi audivit in David. Hoc ergo tempore quid amplius audivit vel accepit, ut recte computetur quasi quinta ætas pleni ac perfecti viri? Accepit nimirum promissionem sacerdotii Christi. Qui enim in Abraham homo, in David rex, in hujus temporis prophetis sacerdos promissus est. Sacerdotium ejus hic factis præfiguratur, dictis propheticis significatur. Et superiore quidem ætate dicitur in eum: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX), » dictum est ad Heli sacerdotem in typum ruinosi sacerdotii Judæorum, cui successurum erat fidele Christi et Ecclesiæ sacerdotium: « Ecce dies venient, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua (*I Reg.* I). » Verum hic multo plenius, multo sacratius causa pariter et effectus sacerdotii Christi figurantur, et adventus ejus tempora præfiniuntur. Nempe Babylonica gentis unius captivitas causam communem significat, pro qua generi humano tantus sacerdos necessarius erat, reversio autem captivorum sub Jesu sacerdote magno, remissio peccatorum in qua liberamur, duce et liberatore nostro pontifice magno Jesu Christo. Porro adventus ejus tempora hoc modo præfiniuntur: « Tu autem, Daniel, animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (*Dan.* IX), » etc. In extremæ quoque hujus ætatis margine, tota sacerdotis hujus promissio perficitur magnifice, dum dicit angelus ad Joseph virum Mariæ: « Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). » Claret enim ex hoc quia sacerdos iste Deus est, qui solus a peccatis salvare potest, « non habens quotidie necessitatem quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo (*Hebr.* VII). » Sane istos ætatum terminos auctoritas evangelica fundavit, dicendo in libro generationis Jesu Christi: « Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes sunt quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim (*Matth.* I). » Hoc recte intelligitur dixisse, solius generationis Jesu Christi respectu, qui, secundum eam promissionem quæ facta est ad Abraham: « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » verus homo est, secundum eam quæ facta est ad David: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI), » Rex utique est, secundum eam quæ facta est ad Joseph virum Mariæ: « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I), » nimirum officio sacerdos, potentia Deus est.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

520 CAPUT II.

Quomodo hæc quinta ætas similis sit cum quinta die creationis mundi, et cur tunc temporis templum pretiosissimum permissum est Babylonico igne conflagrari.

Igitur quintæ ætatis initium, hoc est, spectabilia Dei opera continentis, ut quinta dies creationis mundi, secundum spiritum consilii, qui nimirum a spiritu timoris Domini sursum quintus est. Consilii namque divini est quod pulchrum et nobile Dei templum in toto orbe tunc temporis unum et solum, auro ditissimum, opere mirificum, regione inclytum, regiamque civitatem David atque Salomonis, permissum est Babylonico igne conflagrari, spoliari, profanari, occisorum sanguine compleri. Erudiendus namque erat mundus, eatenus juvenis luxuriosus, ne putaret quod habitator cœlorum Deus, auro templi manufacti, vel civitatem opibus delectetur, et non potius hominum fide et bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, quo solo delectetur, ubi adoretur, in quo videri et præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus, vel auro templi manufacti requiratur. Habet quoque quinta hæc ætas quintæ diei creationis mundi aliquid simile. Nam sicut tunc non omne levatum est in aera, quod ex aquis ortum est genus creaturæ, sic non omnium captivorum fuit dicere : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus (*Psal.* CXXXVI). » Illorum hoc erat dicere, qui recordabantur Sion ubi fuerat nominis Domini templum sanctum, ubi licuerat non impediente Babylonico rege adorare unum et solum verum Deum. Tales nimirum non sub aquis fluminis Babylonici absorpti erant, sed supersedebant similes aviculis, quas aquæ imperio Dei produxerunt, parati ad volandum, mox ut permittentis audirent Cyri regis edictum. Cæterum qui Babylonicis voluptatibus et interdictis ex lege, Babylonicarum uxorum complexibus occupati resederunt, suamque captivitatem permissæ libertati præposuerunt, pisciculis similes fuerunt, quorum omnis voluptas sub aquis depressa est, et evolare nescierunt. Nunc jam in rem pergendum est.

CAPUT III.

Quod Hieremias ejusdem Domini, cujus propheta est, typum gesserit nomine proprio sanctificatione ex utero, prædicationis officio septies ad Hierusalem facto, cujus ruinæ superstitit ante obsidionem verbum Domini ad se factum esse referendo, eamque ad pœnitentiam provocando numero vel ordine determinato.

(CAPUT I). Primo Hieremias, quod interpretatur *excelsus Dominus*, ejusdem cujus propheta est excelsi Domini, in omni ordine prophetiæ suæ typum tenet. Nimirum in typum ejus, qui antequam ex utero Virginis homo conciperetur, apud Deum erat Deus, hic in utero matris sanctificatur, diciturque illi : « Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te, » etc. Item in typum ejusdem Domini nostri qui populo illi prædicavit, et ad pœnitentiam audire nolentes vocans, civitatis et templi exterminium prædixit, et quamvis occisus, eidem tamen exterminio superstes exstitit, et deinceps Judæos in cæcitate relinquens, gentibus evangelizavit. Iste propheta contra Hierusalem vaticinatus est, ad pœnitentiam provocans civitatem aversione contentiosa aversam, venturum prædicens exercitum Babylonicum, futurumque templi et civitatis incendium, et quamvis multa passus, eidem tamen incendio superstes exstitit, et rege Sedechia capto oculisque privato, deinceps ipse exteris nationibus prophetavit. Numeremus nunc, quoties ad istum ante civitatis obsidionem verbum Domini factum est, et secundum vices ordinem prophetiæ prosequamur sermonis evangelici ordinem, qui præclarus et notissimus est. Primo sic scriptum est. Et factum est verbum Domini ad me dicens : « Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. » Deinde secundo. « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Quid tu vides, Hieremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. » Item : « Quid tu vides ? Et dixi : Ollam succensam ego video, et facies ejus a facie aquilonis. » Hæc enim duo, pro uno verbo Domini recte habentur, quia videlicet unum idemque verbum et pœnitentiæ disciplinam recipientibus, vigilans correctionis virga est, et impœnitentibus olla succensa, id est, æternæ damnationis judicium est. Deinde loco tertio : « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Vade et clama in auribus Hierusalem, dicens : Hæc dicit Dominus : Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur (*Jer.* II), » et cætera quam multa, quibus Hierusalem prolixo sermone peccata sua commemorat, eamque ad pœnitentiam invitat. Post hæc loco quarto : « Verbum quod factum est a Domino ad Hieremiam dicens : Sta in porta domus Domini et prædica verbum istud, et dic : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini in portas has, ut adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII). » Deinde quinto loco : « Verbum Domini, quod factum est ad Hieremiam a Domino dicens : Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda et habitatores Hierusalem. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus quod præcepi patribus vestris (*Jer.* XI). » Et post aliqua. « Irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum (*ibid.*). » Deinde loco sexto : « Quod factum est verbum Domini ad Hieremiam de sermonibus siccitatis. Luxit Judæa, et portæ ejus corruerunt, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Hierusalem ascendit. Majores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendum, et non invenerunt aquam, reportaverunt

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vasa sua vacua (*Jer.* XIV). » Post hæc loco septimo : « Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino dicens : Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens : Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis, domus Israel, ait Dominus ? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel (*Jer.* XVIII). » Post hæc jam de imminenti excidio civitatis illius et templi fere omnis prophetia est.

521 CAPUT IV.

Quod dicitur primo ad eum : « Priusquam te formarem in utero novi te, » etc. Quomodo unctionem Sancti sanctorum et obedientiam atque glorificationem ejus personet.

Videamus nunc ista prophetia talis rursus Evangelio Christi quam similis est. Principio, quod dicitur, et pro modulo sancti hominis dicitur : « Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, ut destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes, » etc. Totum hoc et unctionem Sancti sanctorum, et obedientiam atque glorificationem ejusdem personare perspicuum est. Quis enim est quem extra illum et præter illum, priusquam in utero formaretur, Deus Pater noverit, et, antequam exiret de vulva, sanctificaverit, prophetam in gentibus dederit ? Omnium quippe, et singulorum Adæ filiorum vox illa veridica est : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L). » Sed et æquivocum est sanctificationis nomen. Aliter quippe sanctificatum dicitur, quod peccati contagione non tenetur, qua sanctificatione nemo, nisi per gratiam Christi sanctificatur, aliter quod in usus vel ministerium sanctitatis a publico et vulgato separatur. Hæc pars sanctificationis tam late patet, ut primogenitum quoque jumenti sanctum Domino vocetur, eo quod in usum vel in jus sanctorum altaris ministrorum legaliter segregetur. Item notitia Dei pro qua nunc dicit, « priusquam te formarem in utero, novi te, » nihilominus æquivocatur. Aliter quippe unigenitum Filium suum antequam formaretur in utero, aliter suorum quemque electorum novit ille, priusquam formaretur in utero. Illum enim per coæternam sibi essentiam, nostrum quemque novit, per constantem atque certissimam præscientiam. Igitur prophetam quidem, antequam formaretur in utero, novit, et antequam exiret de vulva, sanctificavit, ipsum autem, cujus hic typum gerit, Prophetam et prophetarum Dominum, filium suum unigenitum solum singulariter novit, et sanctificavit, priusquam formaretur in utero, priusquam exierit de vulva, factus homo. De eo quod noverit eum dicit ipse Filius : « Nemo novit Filium nisi Pater (*Matth.* XI). » Porro de eo quod sanctificaverit eum, priusquam de vulva exierit, omnium piorum et recte credentium, una fides certa est, quia non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus est, et propheta in gentibus, id est non Judæorum tantum, sed ad gentium quoque salvationem missus est. « Ecce, inquit, dedi verba mea in ore tuo, » videlicet, quæ tu obediens dicas et loquaris in mundo. Nam hoc est quod ait ipse Filius quodam loco : « Quia ego a me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mandatum dedit quid dicam et quid loquar (*Joan.* XII). » — « Ecce constitui te super gentes et super regna. » Te, inquam, factum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II), constituam super gentes et super regna, juxta quod de te canit Psalmista : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII). » — « Ut evellas et destruas ; » — « evellas, » inquam, male radicata, « destruas, » male ædificata, qualia sunt maxime Scribarum et Pharisæorum conciliabula, radicem avaritiæ fixam alte in terram habentia, similia quoque sepulcris mortuorum, quæ foris parent hominibus pulchra, intus autem mortuorum sunt ossibus plena (*Matth.* XXIII). Istos autem quomodo « evellas et destruas ? » Quando vindices tui Romani veniant, eorumque et locum et gentem tollant (*Joan.* XI), et deinde cum in manus materialis gladii traditi fuerint evulsæ a corporibus animæ partes vulpium, id est malignorum spirituum fiant (*Psal.* LXII). « Et disperdas et dissipes. » Non modo ita « evellas, » ut saltem uno captivitatis loco simul transponi permittas, sed « disperdas » in omnes gentes, dissipes in semitas, parvasque vicorum aut civitatum particulas. « Et ædifices et plantes. » Quos ? Non ipsos, sed pro ipsis alios, videlicet gentes hactenus desertas ædifices, gentes, hactenus in testamento Dei locum non habentes, in terra viventium plantes.

CAPUT V.

De eo quod secunda visione hic ait, primo : « Virgam vigilantem ego video ; » secundo autem : « Ollam succensam ego video, » et quomodo juxta horum similitudinem primus adventus Christi virga correctionis sit pœnitentibus : secundus autem impœnitentibus judicium sit æternæ damnationis.

Deinde illud sciendum quia sic venit iste Sanctus sanctorum, ut primus adventus ejus cunctis eum recipientibus, et ob hoc filiis, Dei factis, paterna sit virga correctionis, secundus autem adventus ejus impiis et incredulis futurus sit judicium damnationis. Dicit ergo. « Quid tu vides, Hieremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti. Quia ego vigilabo super verbum meum ut faciam illud. Quid tu vides ? Et dixi ;

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis. » Plane et tunc quando hæc dicebantur, parabantur mala, ut panderentur super omnes habitatores terræ Judææ a facie aquilonis, id est a Babylone, quæ illi terræ ad aquilonem sita est. Nec vero illud dubium quin illud unum, idemque captivitatis malum aliis virga, aliis olla fuerit succensa. Nec enim ad quem finem Danieli et sociis ejus, ad eumdem omnibus provenit illa captivitas. Verum multo præcelsius, multo negotiosius, hic excelsus Dominus, Sanctus sanctorum, Christus virgam vigilantem nobis credentibus vidit, « ollam succensam a facie aquilonis » impiis et contemptoribus vidit. Vidit, inquam, nobis « virgam vigilantem, » id est futuri judicii, et pœnarum inferni timorem. Quemadmodum Daniel et socii ejus cum illis quibus ob idololatriæ scelera fuerat iratus Deus, ita et nos omnes cum impiis fideles cum infidelibus uno eodemque captivitatis loco propter Adæ reatum tenemur, et æqualiter omnes morimur, omnes mortales sumus. Verum piis atque fidelibus ista captivitas, ista mortalitas virga est qua temporaliter ferimur, ut ad humilitatis disciplinam erudiamur, quia per superbiam cecidimus. Ideirco dicit in initio suæ prædicationis : « Pœnitentiam agite ; appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Cæterum et actualis pœnitentiæ disciplina, alias molesta, alias dulci et spontanea est. De illa quæ moleste imponitur scriptum est : « Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.(*Psal.* LXXXVIII.) » Molestum quippe est visitari in virga cujuscunque adversitatis sive infirmitatis juxta quod et alibi scriptum est : « Quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem **522** omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). » Sed hæc ipsa molestia per patientiam fructuosa disciplina fit, id est pœnitentiæ fructu non carebit. Porro spontanea pœnitentia, alias universalis, alias singularis est : Universalis est, qua peccata nostra confitentes in morte Christi Jesu semel baptizamur (*Col.* III). Singularis, qua quisque nostrum mortificat membra sua super terram, sicut dicit Apostolus (*Col.* III). Virgam igitur vigilantem piis atque fidelibus vidit excelsus Dominus, vigilantem, inquam, id est accelerantem, et ad omne opus bonum excitantem. Porro « ollam succensam » vidit, cum diceret, verbi gratia, per Joannem, de impœnitentibus : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III). » Itemque per semetipsum se dicturum testatur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). »

CAPUT VI.

Quod tertio Hierusalem peccata sua, ut ad pœnitentiam excitaret, commemorans tandem dicit : « Filia populi mei, accingere cilicio, luctum unigeniti fac tibi, » simile esse ei quod Dominus postquam Hierusalem ad pœnitentiam multis deflectere non potuit, tandem « flevit super illam » mala ei venturo denuntians.

(Cap. II.) Tertio loco quod dicitur : « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Vade, et clama in auribus Hierusalem, dicens : Hæc dicit Dominus : Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. » Hoc, inquam, et cætera quæ sequuntur, Evangelii ejusdem Domini nostri sensum ubique personant, videlicet ex quo, Joanne jam tradito, publicum ipse prædicationis opus ingressus est. Et vide quam vehementer hic sermo veritatem adjuvet Evangelii, pro qua decertans Apostolus dicit : « Non enim est personarum acceptio apud Deum. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt, et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur (*Rom.* II). » Item : « Non enim est distinctio, » subauditur, Judæi et Græci. « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* III). » — « Sanctus, inquit, Israel Domino primitiæ frugum ejus. » — « Primitiæ frugum ejus, » inquit. Hoc pro parte credentium, vel bene operantium verum est. Nam et « gloria et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco (*Rom.* II). » Sed vide quid postmodum sequitur : « Filii quoque Mempheos et Thaphneos constupraverunt te usque ad verticem. » Ac deinceps : « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix. Quomodo dicis : Non sum polluta, post Baalim non ambulavi ? Vide vias tuas in convallibus, scito quid feceris. » Et post aliqua (Cap. III) : « Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. In viis sedebas exspectans eos, quasi latro in solitudine, et polluisti terram in fornicationibus et in malitiis tuis. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ. » Hoc modo fere totus propheticus hic sermo protenditur, horrenda peccata commemorans, ad pœnitentiam provocans, tandemque in luctu et lamentatione finit, cum dicit (Cap. VI) : « Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere. Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos, » etc. Sic nimirum tota Domini prædicatio Hierusalem eamdem de peccatis arguit, et ad pœnitentiam vocat : « Pœnitentiam, inquiens, agite : appropinquabit enim regnum Dei (*Matth.* IV), » tandemque impœnitentem compatientis affectu ruituram plangit. Nam « videns civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu, quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt (*Luc.* XIX), » etc. Veritatem igitur Evangelii contra gloriationem Judaicam, multum adjuvat hic propheticus sermo, ut inflentur adversus eum prædicantem pœnitentiam, vel contra ejus apostolos, nullam distinctionem haberi volentes, Judæi et Græci, eo quod omnes peccaverint, et idcirco egeant omnes gloria Dei (*Rom.* III), et neuter salvari aliter possit, vel justificari, nisi per gratiam Dei, nisi per fidem Jesu Christi. Nam cum peccato originali, quo omnes in Adam peccaverunt (*Rom.* V), ecce multa Judæorum quoque actualia peccata et nimis magna sunt.

CAPUT VII.

Quod quarto loco stans in porta domus Domini dicit inter cætera : « Ecce spelunca latronum facta est domus ista, » quod eo respicit quia Dominus ingressus in templum, cœpit ejicere, dicens eis illud de Isaia : « Domus mea domus orationis vocabitur, » subjungens de isto propheta : « Vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

(CAP. VII). Postquam præcedentem sermonem in luctu finivit, quarto jam loco sequitur hoc verbum Domini : « Sta in porta domus Domini, et prædica verbum istud, et dic : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has ut adoretis Dominum, » etc. Sic plane Dominus Jesus postquam, ut jam dictum est, videns civitatem flevit super illam, stetit « in porta domus Domini, » et prædicavit verbum istud dicens : « Nolite confidere in verbis mendacii dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini est. » Ac deinceps : « Et ecce vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis. » Et subinde. « Ecce spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris. Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quæ fecerim eis. » Faciam, inquit, domui huic, in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, et projiciam vos a facie mea. Quomodo hæc Dominus noster dixit? Quomodo se in hoc prophetæ loco præfiguratum, et de sua causa prophetatum fuisse ostendit? Videlicet postquam super civitatem flevit, continuo ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, dicens illis : « Scriptum est : Quia domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo (*Marc.* XI ; *Matth.* XXI ; *Luc.* XIX). » Tunc nimirum stetit, magna et mira constantia in porta domus Domini, magnoque et terribili facto, vetuit eos confidere in verbis mendacii, dicendo. « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, » projiciens illos a facie sua cum holocaustis ipsorum quæ nunquam desideraverat, sicut in hoc ipso propheta testatur, dicens : « Holocaustomata vestra addite victimis **523** vestris et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum et victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus. Et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis, » etc. Hoc ipsum actu significabat, videlicet quod tam ipsos quam ipsorum sacrificia projecerit a facie sua, dum facto de funiculis flagello, vendentes et ementes cunctasque sacerdotum avaritiam ejecerit de templo. Sane quod dixerit, illos ejiciendo, scriptum est : « Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum, » partim de isto propheta, partim de Isaia testimonium sumptum est. In Isaia quippe sic scriptum est : « Domus mea domus orationis vocabitur, ait Dominus Deus (*Isa.* LXV.) » In isto autem : Ergo « spelunca latronum est domus ista, in qua invocatum est nomen meum. » Sequentia verbi vel sermonis hujus maxime illam projectionem eorum lacrymosa declamatione pronuntiant, quæ per jam dictum flagellum significata est, illam, inquam, projectionem, qua in manus gladii Romanorum traditi, et irrecuperabile civitatis, vel templi excidium passi, deinceps dicere potuerunt (CAP. VIII) : « Quare sedemus? Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi, quia Dominus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis. »

CAPUT VIII.

Quod quinto loco docens in verbo Domini : « Audite verba pacti hujus, » etc., prosequens convicit eos quod irritum fecerint pactum Domini, ut sciamus quam rationabile sit quod quidquid sacrificant Judæi, contemnit Ecclesia Christi.

(CAP. XI.) Insistunt adhuc Judæi projecti atque captivi, dispersi atque dissipati, et Judæorum sacerdotes sanguinei ; insistunt, inquam, contentiose, addendo holocausta sua victimis suis, et comedendo carnes quodammodo, dicentes : Cur non hodie sicut heri, et nudius tertius? Cur non hoc tempore holocausta faciamus sicut antiquitus? Nonne in istis est pactum quod cum patribus nostris pepigit Deus? Cur mutabilis esset, pactumque suum irritum faceret Deus? Adversus hujusmodi sacrificantium contentionem, ecce loco quinto verbum Domini factum ad Hieremiam consequenter de pacto illo loquitur, atque hic semetipsum noxæ eximit, ac justificat justus ac irreprehensibilis Dominus Deus. « Audite, inquit, verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda, et habitatores Hierusalem. Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea. » Ac deinceps. « Vociferare omnia verba hæc, in civitatibus Juda et foris Hierusalem, dicens : Audite verba pacti hujus et facite illa, quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Ægyptiusque ad diem hanc. » Et subinde : « Inventa est conjuratio in viris Juda, et in habitatoribus Hierusalem. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent illis. Irritum fecerunt domus Israel, et domus Juda pactum meum, quod patribus eorum, » etc. Sine dubio pacti verba quod cum patribus eorum, Abraham, Isaac et Jacob, et cum Moyse Deus pepigit, promissiones fuerunt beati seminis quod est Christus, promissiones, inquam Dei, et ad istas respondens fides eorumdem patrum, per quam et justificati sunt, et cum ipsa fide opera quoque decem præceptorum, quæ per Moysen in tabulis lapideis digito Dei scripta sunt. Porro holocaustomata et victimæ, verba pacti non fuerunt, sicut paulo supra legimus Deum comprobasse, sed ob diligentiorem pacti ejusdem custodiam quasi quædam claves, et quasi quædam vincula adhibita sunt, non jussa, sed permissa, non quæsita, sed pro tempore admissa. At illi pactum jam dictum, pactum fidei et bonorum operum irritum fecerunt, eundo post Deos alienos, faciendo scelera multa in domo Dei, sicut sequentia verbi vel prophetiæ præsentis ostendunt, et post omnia, quod omnium pessimum est, Christum occiderunt, in quo steterat omne pactum, cujus venturi fide patres justificati sunt. Quid ergo jam holocaustis victimas addunt et carnes comedunt? Ut quid tam male dividunt? Ut quid meliorem pacti partem, id est fidem et omnem justitiam subripuerunt, et partem contemptibiliorem, id est carnes taurorum, fetidumque sanguinem hircorum, Deo nolenti, imo repellenti ingerunt? Nonne totum quod offerunt, irritum fecerunt? Nonne sacrificia eorum, sacrificia sunt Cain, qui, quia male divisit, idcirco Deus ad munera ejus non respexit? (*Gen.* IV.) Clamat enim in hoc eodem prophetæ hujus capitulo adversus istos sanguis nostri Abel, id est Christi, quem occiderunt. In hoc occidendo, ut jam dictum est, maxime pactum omne irritum fecerunt. « Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi: tu ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi quoniam super me cogitaverunt consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi causam meam. » Obstruatur itaque omne os impiorum, quia Deus justus est, ipsi autem injusti sunt, et Deus juste respuit eorum holocaustomata, quibus pactum constituisse falso putaverunt, quia nimis injuste fidem et justitiam, quibus pactum constitutum est, multis sceleribus et tandem cruentatis in Christum manibus abjecerunt.

CAPUT IX.

Quod loco sexto sequitur verbum Domini de sermonibus siccitatis, eo respectu factum recte intelligi quod neque gratia prophetalis, neque ulla visitatio illis sit Spiritus sancti, ut cum veniant ad hauriendas Scripturarum aquas, reportent vasa vacua.

Ex quo sic irritum factum est pactum, jam nec prophetia, nec ulla omnino spiritualis gratia Judæis datur, nulla omnino scientia, nulla sapientia nec quidquam veri intellectus ducibus eorum, principibus eorum, magistris vel sacerdotibus eorum inesse comprobatur. Hæc vera, et vere magna, nimiumque damnosa siccitas est, quam in Isaia Dominus eidem Judææ comminans: « Et nubibus, inquit, mandabo, ne pluant super eam imbrem (*Isa.* V). » Recte igitur hoc loco, qui sextus est, sequitur quod ad hunc factum est verbum Domini de sermonibus siccitatis. (Cap. XIV.) « Luxit Judæa et corruerunt portæ ejus, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Hierusalem ascendit. Majores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendum, et non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua. Confusi sunt et afflicti, et operuerunt capita **524** sua propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terra. » Ecce videmus Judææ vastitatem, et desolationem videmus, quia non venit in ea pluvia scientiæ vel sapientiæ, quæ omnis fidem secuta, ad gentium Ecclesiam commigravit, juxta illud Psalmistæ: « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ (*Psal.* LXVII.) » Ei videmus quia minores veniunt ad obscurissimos senes suos haurire aquam, et non inveniunt, reportantque vasa animarum suarum vacua. Sed nunquid istud luget Judæa? Nunquid pro isto clamor Hierusalem ascendit, quomodo mortuo Pharaone ascendit ad Dominum, et misit illis nubes suas Moysen et Aaron? (*Exod.* V.) Non utique ita nunc. Nam lugent quidem, sed non scienter; clamant quidem, sed eorum brutus et sine sensu clamor est. Nec enim lugent eam quæ vere siccitatis causa est, iniquitatem suam, neque clamant ita ut dicant patrum suorum exemplo: « Eamus et sacrificemus Domino Deo nostro (*ibid.*). » Idcirco ascendit quidem clamor eorum, sed non ad Dominum. Nam quia rationabilis non est clamor, idcirco sicut hic ipse propheta congemit quodam loco, ille opposuit nubem, ut non pertranseat oratio (*Thren.* III). Credendum sane est diebus illis aeream Judæis accidisse siccitatem, sed sicut cætera mala majorum signa malorum, sic illa siccitas deterioris fuit siccitatis portentum. « Confusi sunt » agricolæ, « operuerunt capita sua. Nam et cerva in agro peperit, et reliquit, quia non erat herba, et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. » Quare agricolæ « confusi sunt, » nisi quia commissæ sibi vineæ dominum et hæredem occiderunt? Quæ vel qualis « cerva reliquit in agro, » quod « peperit, quia non erat herba, » nisi fidelis patriarcharum Ecclesia, quæ peperit quidem secundum carnem, sed reliquit populum istum, quia non est scientia? Videmus hæc, et quod sequitur: « Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum quia non erat herba. » Onagri atque onagrorum pulli, hodie Judæi sunt, nam et de illo populo sic mystice loquitur et alia Scriptura: « Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri liberum se natum putat (*Job* XI). » Stant isti ona-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gri « in rupibus » superbiæ suæ, malumque siti et fame perire quam domabili cervice ad præsepia Christi venire, quam humili spiritu ad caulas ovium Christi venire. Trahunt « ventum quasi dracones, » calidi namque sunt ut dracones, flamma invidiæ nimium ardentes, perinde quomodo dracones in siti ventum trahunt, ad refrigerandum ardorem naturæ, sic isti vera siti pereuntes, pro veris scientiæ aquis, inanes fabulas et ventosas ad consolandam inopiam suam trahunt genealogias. « Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba, » id est, « excæcavit illos malitia eorum, quia nescierunt Dei sacramenta (*Sap.* II). » Orat deinde propheta pro populo isto, nunc siti pereunte, ut quandoque pluviam de cœlo salutarem accipiat, et salventur ex eo reliquiæ. « Si, inquit, iniquitates nostræ contenderint contra nos, Domine, libera nos. Quæsumus, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ. » Et post aliqua. « Deducant oculi mei lacrymas per diem et noctem, non taceant, » etc. Et illius quidem siccitatis causa fuit, quia sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleretur Hierusalem usque ad os, absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino. Dicit enim post pauca (CAP. XV) : « Et dabo eos in furorem [fervorem] universis regnis terræ, propter Manassem filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in Hierusalem. » Cæterum siccitatis hujus qua nunc Judæa commarcuit, causa est universalis sanguinis qui effusus est super terram a constitutione mundi, maxime autem sanguis ipsius Domini, quo omnis salutaris aqua procedit (*Luc.* XI). Propter quod et post aliqua dicit (CAP. XVII.) : « Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. » Nam idcirco quia dereliquerunt, imo et occiderunt, confusi sunt, duplici fame confecti sunt, duplici siti aruerunt, duplici perditione corporis et animæ perditi sunt, juxta imprecationem subsequentem. « Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego. Paveant illi, et non parcam ego. Induc super eos diem afflictionis et duplici contritione contere eos. »

CAPUT X.

Septimo loco per id quod faciebat figulus opus super rotam, et dissipatum est vas quod faciebat e luto manibus suis, conversusque fecit vas alterum sicut placuit in oculis ejus ut faceret, dissipationem significare rebellium Judæorum, collectionem gentium : et in omnibus irreprehensibile esse judicium Dei.

(CAP. XVIII.) Judicia Dei sunt justa, incomprehensibilia et viæ investigabiles super quibus hominem Deo non respondere, sed humiliter os suum continere oportet. Proinde loco jam septimo quod sequitur verbum Domini hoc est : « Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens : Nunquid sicut figulus iste, non potero facere vobis, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. » Magnum reverentiæ documentum, magnum et congruum taciturnitatis et continentis linguæ instrumentum. Deus plastes noster est, nos autem lutum. Nos, inquam, omnes, tam Judæi quam gentes, una massa, unum sumus lutum. Non ergo Dei judicia nos audacter discutiamus, non figuli nostri digitos reprehendamus. Monet hoc vehementi increpatione Apostolus vas electionis, placitumque æterni figuli opus monet, inquam, nos et mittit huc, ut cum propheta isto præsens divinæ potestatis exemplar videamus. Cum enim objectionem fratrum suorum Israelitarum congemuisset : « Quid ergo, inquit, dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? absit! Moysi enim dicit. Miserebor cui misereor, et misericordiam præstabo cui miserebor (*Rom.* IX.) » Et subinde : « Quid ergo adhuc quæritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid potest figmentum dicere ei, qui se finxit : Quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eodem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » (*Ibid.*) Nimirum ut hæc diceret ipse quoque mente humili in isto propheta descenderat in domum figuli, et viderat quod domus Israel lutum esset, æque ut omne cœnum gentium, et quia non pro debito, sed pro sola gratia Deus figulus omnium, sumpsit Abraham cum esset lutum Chaldaicum, et ex illo, et ex seminis ejus massa lutea, fecit quæ voluit vasa misericordiæ, vasa honoris et gratiæ. Quid amplius illi debebat, quam universo **525** luto generis Adæ? Hoc ille sapiens et humilis, et ideo vere sapiens, quia humilis viderat et humiliter sentiebat, quia non propter figuli inertiam, sed propter incomprehensibilem justitiam, rebelle lutum in manu ejus dissipatum fuerat. Idcirco pio quidem affectu gemebat : « Veritatem, inquiens, dico, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis (*Rom.* IX), » etc. Sed eamdem tristitiam suam discreta et prudenti spe consolabatur, dicens post aliqua : « Isaias autem clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient (*ibid.*). » Item : « Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI). » Nempe et hoc viderat in isto propheta, quia « conversus figulus fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret, dixitque : Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis, domus Israel? » Cæterum et nos qui sumus ex gentibus, credentes in Christum, vas alterum ex eodem luto sumus. Cum enim dixisset idem Apostolus : « Quod si volens Deus notam fa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias bonitatis suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam (*Rom.* IX), » continuo subjunxit : « Quos et vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Oseæ dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos, dicetur eis : Filii Dei viventis (*ibid.*). » Porro ut ad spectandam similitudinem figuli revertatur, dicamus nunc : Quando figulus ille cognovit figmentum nostrum suscipiendo pulverem nostrum, tunc « ipse faciebat opus e luto manibus suis super rotam adhibitis » digitis suis, id est, donis Spiritus sancti, ut perfecta jam in plenitudine temporis, vasa thesauros susciperent misericordiæ et honoris. Sed ausum est infelix lutum blasphemare figuli sui digitos, dicendo : « Dæmonium habet (*Joan.* VIII). » Dicendo : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XII). » Quid igitur? nimirum justissime figulo digitos suos foris contrahente, et cum tota manu feriente, « dissipatum est vas, dissipatione valida, templo quoque perditi populi diruto, et civitate eversa. Quam videlicet dissipationem concedendo propheta dicit post aliqua : « Propterea da filios eorum infames, et educ eos in manus gladii. Fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ, et viri earum interficiantur morte. Juvenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos repente latronem, quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum, adversum me in mortem ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis. »

CAPUT XI.

Quomodo inter mala quæ obsessa civitate regi consulenti responsa sunt, confirmetur prophetia, non irritum fore juramentum Domini dicentis in David, « Semen ejus in æternum manebit, » dum interea dicit : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum. »

(CAP. XXI.) Septem prophetæ hujus membra præcipua tantummodo distinximus, et quasi in umbra longe præmissa futurum evangelicæ veritatis corpus assimilatum esse perpendimus. Quæ deinceps sequentur, ad istius statum temporis, ad illam civitatis obsidionem maxime pertinent, atque in primo sermone sic scriptum est : « Interroga pro nobis Dominum, inquit rex Sedechias, quia rex Babylonis Nabuchodonosor prælialur adversum nos, » etc. Et mihi quidem prosperum, quod ad temporis vel causæ illius subsidium valeret, responsum est, sed nihilominus inter mala illa, bona quoque futura sparsim prænuntiata sunt. Cum enim dixisset contra Sedechiam inter cætera (CAP. XXII) : « Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda. » Quasi quæreretur quid ergo fiet quo juramentum deveniet Domini dicentis in David : Semel juravi in sancto meo : Si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis (*Psal.* LXXXVIII). Subsecutus, hæc de futuro intulit (CAP. XXIII) : « Ecce dies venient dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc nomen, quod vocabunt eum Dominus justus noster. » Isti dies venerunt, et ecce sunt, jam enim suscitavit ex mortuis Dominus Deus David « germen justum, » et ecce regnat gloria et honore coronatus « rex et sapiens » est, ita ut stultum ejus sapientius sit hominibus, fecitque et adhuc facturus est « judicium et justitiam in terra. » Fecit namque judicium mundi per passionem suam, mittendo principem hujus mundi foras (*Joan.* XII), facturus est judicium in novissimo die veniendo cum nubibus cœli in potestate magna (*Matth.* XXIV). Fecit justitiam fidei, justificando omnem qui ex fide est, peccatorum remissione data, faciet justitiam, reddendo unicuique secundum opera sua (*Rom.* II). Hæc dixit, et deinceps passiones justi, hujus suis passionibus præcurrit, et ut superius jam dictum est, in typum ejus qui mortuis mortem superatus, temploque diruto atque civitate exterminata, gentes erat docturus, iste quoque templo et civitate superstes, nec mortuus, quamvis multa passus exteris prophetiam texuit nationibus. Ac nos nec facultatem, nec propositum habentes, ut cuncta prosequamur, plurimum historiæ campum, multamque prophetiæ silvam ejus prætermittentes, ad lamentationes ejus articulum vertamus.

526 CAPUT XII.

De lamentationibus, cur singulæ sententiæ singulis alphabeti litteris prænotantur, et quod ipse ordo alphabeti quadruplex sit idcirco quia prophetæ causa lamentandi erat.

Lamentationes prophetæ hujus sancti et sapientis veram esse scientiam arbitramur, earumque circa materiam versari rerum, quarum ad cognitionem nos pueri sive infantes sumus; quippe qui non nisi temporalem miseriam, temporaliumque rerum damna deflere novimus, et si temporalis jucunditas arrideat, captivitatis nostræ obliviscimur in qua nati sumus. Pulchre nobis hoc significatur in eo quod singulæ istarum lamentationum sententiolæ singulis alphabeti litteris prænotantur. Quid enim nobis per hoc innuitur, nisi ut humili conscientia parvulos nos esse judicemus, quatenus istorum declaratione sermonum illuminari digni habeamur? Scriptum namque est : « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis (*Psal.* CXVIII). » Igitur ad istud alphabetum quadruplici ordine distinctum, tanquam pueri abecedarii disponamur, sub istis vocibus con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tineri non dubitantes scientiam quæ abscondita est sapientibus et prudentibus (*Matth.* XI), ut nec prima noverint elementa. Luctus enim de quo veraciter dictum est : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). » Primum hoc intelligentiæ ostium est scire cur lamentationum atque alphabeti ordo sit quadruplex. Aperiat nobis clausis David, et videbimus quod viro huic seria lamentandi causa vel materia sit quadruplex. Prima namque causa exstitit universalis captivitas humani generis, qua projecti et dispersi sunt omnes filii Dei, in primis carnis suæ parentibus gratis venundati (*Isa.* LII), et præjudicium passi. Secunda causa hæc erat populi Dei captivitas Babylonica, quam sub oculis suis viderat, pro qua non lamentari durum fuisset et iniquum, præsertim cum Ecclesia Dei, temploque et altari nominis Domini viduata, compelleretur barbarorum venerari portenta deorum. Tertia causa viro sancto erat propriæ conscientiæ humilitas, qui quanto justior erat, tanto verius præter communem omnem filiorum Dei captivitatem, proprii status exsilium agnoscebat. Quarta erat causa captivitas ista deterrima, qua Judæos, ut nunc accidit, casuros in ore gladii, et captivos in omnes gentes ducendos fore prævidebat. Nec enim istam absque compassionis affectu captivitatem præscire poterat; quippe quam Dominus ipse prævidens super captivitatem ipsam miserum veris lacrymis flebat (*Luc.* XIX). His præmissis, nunc jam in rem pergendum est.

CAPUT XIII.

Quo sensu una illa electorum civitas recte dicatur plena populo, domina gentium et princeps provinciarum, et cur vel quomodo sola sederit, vel sub tributo facta sit.

(THREN. CAPUT I.) ALEPH, id est *doctrina*. « Quomodo sedet civitas sola plena populo, facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo. » ALEPH *doctrina* interpretatur, et ut perspicis, primum hoc apud Hebræos elementum est. Quid ergo sub isto continetur? Secundum illam, quam supradiximus, captivitatem primam atque universalem vigilanter intellige, et tunc demum primum doctrinæ cœlestis fundamentum te apprehendisse confide. Quænam « est civitas plena populo, domina gentium, princeps provinciarum? » Nimirum illa sancta civitas Hierusalem mater omnium nostrum (*Gal.* IV), cujus cives atque populares, sive municipes sumus nos quique credentium. Ista ante constitutionem mundi jam in præscientia sive prædestinatione Dei plena erat populo, numerati apud illum erant, qui sunt vel futuri sunt ex ejus populo sancto, populo electo. Hæc « domina gentium et princeps est provinciarum, » quia quantum jumentis humana natura pro dignitate rationis, tantum ipsa gentibus vel provinciis pro dignitate fidei, pro cognitione vel amore sui Creatoris præcellit. Quomodo factum est, ut ista sederet « sola, » fieret « quasi vidua, » penderet tributa? Nimirum prævaricando, scilicet peccante homine uno, homine primo; nam in illo peccavit, et præjudicium passa est universa posterorum ejus multitudo. Ex ea contigit ut sederet « sola, » sederet quomodo « vidua, » virum suum Deum non habens civitas sancta, sancta per fidem Ecclesia de paradiso projecta, in hoc mundo peregrina exsulando, moriendo, malo domino, id est peccato, solvens tributa pœnalia. Hoc veraciter initium doctrinæ est, ut credamus et confiteamur quia omnes in Adam peccavimus, quatenus consequenter per Christum justificemur in quem credimus (*Rom* III).

CAPUT XIV.

In qua nocte plorans ploraverit, et in quibus maxillis ejus lacrymæ ejus.

BETH, id est *domus*. « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. » Vere « plorans ploravit in nocte, » et ploratum ejus audivimus, si non dormivimus in ipsa nocte, verbi gratia cum in persona ejus dicit sanctus Job : « Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna (*Job.* III). » Nox illa diabolus est tenebrarum princeps, simulate et per mendacem transfigurationem dies, vere autem nox. In illa autem nocte homo male natus, et ejus noctis filius factus est, acquiescendo consiliis ejus nequam et de secreta paradisi requie, quasi de vulva, in istam mortalitatis miseriam projectus est. In illa nocte, id est pro illius noctis consideratione, « plorans ploravit » illa domina gentium, illa princeps provinciarum. Sed nunquid omnes qui ex illa civitate sancta erant vel sunt, istud plorando plorare noverunt? Non utique, imo ploratus iste paucorum, ploratus iste perfectorum est. Bene ergo cum dixisset, « plorans ploravit in nocte, » continuo subjunxit, « et lacrymæ ejus in maxillis ejus. » Maxillæ quippe hujus dominæ, viri excellentes fuere, videlicet patriarchæ et prophetæ, qui velut maxillæ semper patentes in facie, et non ut pleræque corporis partes pannis contectæ, ipsi quoque pro excellentia gratiæ sibi collatæ, meruerunt in sancta Dei Ecclesia non latere. In istis autem maxillis dominæ sunt lacrymæ ejus, isti enim ploraverunt, peregrinos et advenas se esse confitentes super terram (*Hebr.* XI), et videmus quas imitemur lacrymas eorum, ut risum reputemus errorem, et gaudio dicamus, quid frustra **527** deciperis. Ita plorante illa, non « est, inquit, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, » imo « omnes amici ejus spreverunt eam et facti sunt ei inimici. » Oderunt enim hi, qui nunc rident, amatores mundi ploratum ejusmodi, et quamlibet chari sive amici, id est cognati sint sive propinqui, separantur et longe fugiunt ab ea sensibus contrariis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XV.

Quod electorum universitas Juda sit, et quo migrans afflictionem vel servitutem inciderit.

GIMEL, id est *plenitudo*. « Migravit Juda, propter afflictionem et multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Juda *confessio* interpretatur, quo nomine civitas illa recte significatur, cujus totum opus vel omne officium confessio est. Unde Psalmista cum dixisset : « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, » continuo quasi quæreres, ad quid illuc ascenderunt, vel quid ibi facturi sunt, « ad confitendum, inquit, nomini Domini (*Psal.* CXXI). » Quo ergo vel unde « migravit? » A luce ad tenebras, a requie ad laborem, a regno ad captivitatem, a patre ad hostem, a vita ad mortem. Quare? « propter afflictionem et multitudinem servitutis. » Mira res! Nunquid afflictionem desiderabat, et multitudinem servitutis, et ideo migravit? Non utique, sed sufficientiam, et libertatem se sibi acquirere existimavit. Verum, quidquid illud est quod hoc modo quæsivit quod extra Deum invenit, afflictio est et multitudo servitutis. Idcirco Dominus ipse omnibus dicit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis (*Matth.* XI). » Et sanctus Job : « Quare, inquit, posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? » (*Job* VII.) Mira et miserabilis deceptio migrantis, quia, dum migrat spe divinitatis quam fallax serpens promisit, nihil aliud invenit quam « afflictionem et multitudinem servitutis, » afflictionem videlicet mortalitatis, qua sibimetipsi gravis sit et multitudinem servitutis peccati, tot enim dominis servit, quot vitiis. « Migravit » igitur de magno bono ad magnum malum, et « habitavit inter gentes, nec invenit requiem. » Hoc ad cætera mala pessimum accessit, quod « habitavit inter gentes. » Ut, verbi gratia, justus ille qui habitans inter Sodomitas utique non inveniebat requiem, sicut de illo scriptum est : « Et justum Lot oppressum a nefandorum injusta ac luxuriosa conversatione eripuit, aspectu enim et auditu justus erat habitans inter eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant (*II Petr.* II). » Adhuc audi : « Persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Parum erat habitantem inter gentes aspectu iniquorum operum cruciari, nisi et persecutionibus compelleretur consentire malis. Unde Psalmista ait congemiscens : « Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis (*Psal.* CXIX). »

CAPUT XVI.

Quæ viæ lugent, eo quod non sint qui non veniant ad solemnitatem, et quæ sit illa solemnitas, quæ destructio portarum, unde gemitus sacerdotum, et squalor virginum.

DELETH, id est *tabulæ*. « Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. » Principalis quidem una est via Sion Christus, qui dicit : « Ego sum via (*Joan.* XIV), » et ipse una principalis porta, ipse nihilominus unus et summus sacerdos est Sion. Verumtamen et omnis qui aliis exemplo ejus, tam verbo prædicationis quam exemplo boni operis, ad vitam ducatum præbent, viæ Sion et portæ ejus atque sacerdotes sunt. Quam ob causam istæ viæ lugent, et istæ portæ destructæ sunt, et isti sacerdotes gemunt? « Eo, inquit, quod non sint qui veniant ad solemnitatem. » Luctus iste vel gemitus magnæ charitatis est lugere quod non sint qui veniant, imo perpauci sint qui veniant ad solemnitatem veritatis et vitæ, quo multos perducere cupiunt, destructionem suimet libenter passuri, si modo ad illam solemnitatem per occasionem destructionis eorum multi venirent. Tales in psalmo dicunt : « Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum (*Psal.* XLIII). » Et est dictum a similitudine alicujus qui rem suam vendit, et nullum vel parvum inde pretium accipit. « Vendidisti, » inquiunt, id est, permisisti occidi populum tuum « sine pretio, » et si aliquos pro eis recepisti, « non fuit multitudo in commutationibus eorum, » non multos acquisisti ad comparationem occisorum, quia fortassis ubi mille interficiebantur, vix duo vel duo convertebantur. Propter hoc prædictæ lugent viæ vel portæ Sion, sacerdotes gemunt, virgines ejus squalidæ sunt, id est, cælibem vitam ducentes mundo huic despicabiles sunt, et « ipsa » idcirco « oppressa amaritudine. » Sed hæc ipsa amaritudo fructum parit dulcedinis æternæ. Hic jam quatuor litteræ vocibus istis prescriptæ continuandæ sunt. Plenum quippe propriis sensum interpretationibus perficiunt. Aleph, *doctrina*, beth, *domus*, gimel, *plenitudo*, deleth, *tabulæ* interpretantur. Porro domus Dei ecclesia est, et tabulis sacra lex inscripta est. Est igitur sensus : Doctrina Ecclesiæ Dei, plenitudo legis est, charitas est, cujus videlicet charitatis perfectæ lamentatio hæc est.

CAPUT XVII

Quomodo hostes in capite facti et inimici locupletati sunt, et parvuli ejus in captivitatem ducti.

HE, id est *ista*. « Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem a facie tribulantis. » Et hoc ad miseriarum accedit cumulum, quod qui hostes vel inimici sunt Ecclesiæ, principantur in hoc mundo, et capita populorum sunt, locupletantur, et divites sunt; unde et valentiores sunt ad persequendum, fortiores ad occidendum. Videlicet altior in hoc sæculo Cain quam Abel, locupletior Esau quam Jacob. Ita et in cæteris fere usque ad finem sæculi. Hoc idcirco, « quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniqui-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tatum ejus, » ut, videlicet occidente Cain, persequente Esau, recipiat ipsa in præsenti sæculo quod meretur, et non cum illis in futuro puniatur. Sed illud magis dolendum, et pene inconsolabile est, quod nonnunquam fit ut parvuli ejus ducantur « in captivitatem a facie tribulationis, » id est, infirmi atque imperfecti filii ejus corrumpantur exemplis, decipiantur persuasionibus, terreantur minis, atque ita cedant in prædam adversariis.

CAPUT XVIII.

De prælatis, et quomodo vel quando arietes absque pascuis abeant « sine fortitudine ante faciem subsequentis. »

Vau, id est *est*. « Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. » Hæc pro parte Sion infirmiore dicta, recte intelliguntur. Nam ea quæ vera, et vere fortis est Sion intus omnem decorem, intus habet omnem gloriam, juxta illud : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). » Cæterum de illa quæ pro omni religione in oculis omnium gloriatur, recte dicas quia « egressus est a filia Sion omnis decor ejus. » Item et hoc recte dicas quia « facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis, » quotiescunque prælati sic vivunt, quasi ignorent mandata, quasi non legerint Scripturas, « absque fortitudine » animæ subditi peccatis, cedentes impellentibus vitiis.

CAPUT XIX.

Illud vere lamentabile esse, quod incolatus vel peregrinationis nostræ non recordamur, nisi malis prementibus.

Zai, id est *hæc*. « Et recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator. Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. » Dies afflictionis Hierusalem, dies præsentis vitæ sunt. Nam vita hæc afflictio est, peregrinatio est, captivitas est. Porro desiderabilia ejus, « quæ habuerat a diebus antiquis, » eloquia sunt vel judicia Domini, quæ in diebus antiquis accepit, « desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, dulciora super mel et favum (*Psal.* XVIII). » Horum desiderabilium acceptioni statim prævaricatio obvenit; fecerunt enim virtulum in Oreb, cum adhuc tabulæ scriberentur in monte Sina (*Exod.* XXXII; *Deut.* IV), et extunc non cessaverunt prævaricari. Hujus afflictionis suæ, quam diximus, et prævaricationis, horum desiderabilium suorum, recordata est Jerusalem. Sed, quando recordata est? « Cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator, » cum vacaret hostibus videntibus eam insultare religioni et deridere Sabbata ejus. Hoc vere lamentabile est quod non aliter hujus incolatus sui, et peregrinationis suæ recordari poterat, nisi malis premeretur, nisi malis conculcaretur ab hostibus, nisi in manus gentium traderetur. Mallem, inquit, ut sponte recordaretur, mallem ut et prosperis abundaret, et nunquam prosperis falleretur, ut et transitoriis uteretur, et æternorum nunquam oblivisceretur.

CAPUT XX.

Quod peccato superbiæ præcedente, anima instabilis sit, et de vitio in vitium cadat, et qui sensus horum quatuor elementorum : HE, VAU, ZAI, HETH.

Heth, id est *vita*. « Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam, spreverunt eam, quoniam viderunt ignominiam ejus. Ipsa autem gemens conversa est retrorsum. » — « Propterea, inquit, instabilis facta est, » et de vitio in vitium cadit, quia « peccatum peccavit. » Non ergo pro ipsa instabilitate sua Deum accuset, etenim non idcirco « peccatum peccavit, » quia Deus instabilis naturæ condidit, sed idcirco « instabilis facta est, » quia « peccatum peccavit. » Quod peccatum? Peccatum superbiæ, quæ et de angelis dæmones fecit. Unde Psalmista, cum dixisset : « Non veniat mihi pes superbiæ, » subsecutus adjunxit : « Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV). » Hoc peccatum universa Hierusalem primitus peccavit in Adam, unde et sic instabilis facta est, tam vanitate animi quam mortalitate corporis, ut nunquam restitui posset, nisi per solam Christi gratiam. Deinde et singulariter quæque anima quæ viriliter stare non meretur, lapsa a priori statu, ita ut qui prius glorificabant eam spernant, versa vice, videntes ignominiam ejus, spernant, inquam, gementem et conversam retrorsum, respiciat semetipsam, et inveniet quia latens peccatum superbiæ præcessit, et propter illud instabilis facta sit, ac de vitio in vitium ceciderit. Rursus quatuor litteras copulemus, he, vau, zai, heth: he *ista*, vau et zai *hæc*, heth *vita* interpretatur. Et est sensus : *Ista* et *hæc vita* sunt. *Ista*, inquam, et quæcunque hujusmodi sunt perfecta, meditationi et memoriæ mandata, ad vitam proficiunt.

CAPUT XXI.

Quod vere lamentabile sit, sordes in pedibus habere.

Thet, id est *bonum*. « Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui. Deposita est vehementer non habens consolatorem. Vide, Domine, et considera quoniam facta sum vilis. » — « Sordes, inquit, ejus in pedibus ejus. » Cujus ejus? Dominæ gentium inclytæ et provinciarum principis, quæ recordari debuisset finis sui, ut terram sordidam non tangeret pedibus, non ambiret terrena affectu cupiditatis, sed corpore hic exsulans, mente conversaretur in cœlis. Non sic fecit, non sic recordata est finis sui, sed « deposita est » vehementer amando terram, et oblivioni tradendo altitudinem cœli, « non habens consolatorem, » imo non quærens, nec præ oculis habens virum, qui in cœlo est, consolatorem, dum vanam in terra quærit consolationem. Dicat ergo nunc saltem commonita

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dum cadit « populus ejus in manu hostili; » dicat, inquam, saltem nunc rediens ad cor prævaricatrix : « Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis. »

529 CAPUT XXII.

Qui sensus sub interpretatione horum elementorum contineatur, THETH, JOD, *et quod confessio bonum sit justitiæ principium.*

JOD, id est *principium*. « Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. » Idcirco confiteatur et vere dicat : « Vide, Domine et considera, quoniam facta sum vilis, » quia « misit hostis » diabolus « manum suam » et polluit « omnia desiderabilia ejus, » et « quia vidit gentes, » id est universas vitiorum phalanges, « ingressas sanctuarium » pectoris sui, « de quibus præceperas, » Deus, ut « ecclesiam tuam » non ingrederentur. Jungamus hæc duo elementa, theth, jod. Theth *bonum*, jod interpretatur *principium*. Et est sensus : Confessio ista *bonum principium* est, dum dicitur : « Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis, » propter causas hujusmodi : nam « justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII). »

CAPUT XXIII.

Quomodo priores sancti dederint pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam, id est, nondum rem, sed spem obtinuerint promissionis, quam audierant.

CAPH, id est *manus*. « Omnis populus ejus gemens et quærens panem, dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis. » — « Omnis, inquam, populus ejus, » videlicet pro meliori parte perfectorum, « gemens et quærens panem. » Nam omnis quidem populus, Domine, et principis hujusmodi gemendi causam habens, et pane indigens, veruntamen non omnis famem suam intelligens, non omnis panem suum quærere sciens. Quem enim panem, nisi illum quem propter pomum vetitum perdidit primus parens? Panem verum (*Joan.* VI), qui est cibus angelorum, hæc domina non habebat, et idcirco fame populus ejus deficiebat, tunc saltem « omnis gemens et » istum panem « quærens, » cum apud inferos famelicus exspectaret istum de cœlo descensurum panem, daturum vitam mundo, redditurum Dei visionem, inimicitiarum pariete soluto. Interim antequam vivus iste panis descenderet, « dederunt pretiosa quæque ad refocillandam animam. » Habuerunt enim pretiosam fidem, pretiosam Dei dilectionem patres sancti, et patriarchæ magni, et hæc dederunt pro cibo spei, qua suam refocillarent animam, sed non refecerunt aut saturaverunt. Beata spe promissionis, quam audierant, animas suas diu sustentaverunt, et inde beati, quod talem habere spem propter suam fidem, propter dilectionem et obedientiam suam meruerunt. « Vide, inquit, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis. » In quo « vilis? » In eo quod propter vilem cibum ligni vetiti vivum panem amisi, et omnis populus meus fame extabuit.

CAPUT XXIV.

Quod ait : « *Videte si est dolor,* » etc., *et omnem dolorem vanum esse, qui accidit pro qualibet alia re caduca, et hæc duo elementa juncta,* CAPH, LAMECH, *quem sensum habeant.*

LAMECH, id est *cor*. « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die furoris sui. » Qui, inquit, transitis per viam, qui cognoscitis, qui confitemini quia peregrini estis et advenæ super terram, manentem hic civitatem non habentes, sed futuram inquirentes (*Hebr.* XIII), « vos omnes attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus, » si est causa pro qua jure quis doleat extra causam, pro qua est dolor meus. Nempe omnis dolor qui non est meus, levis est, et vanus, cum sit pro vanis et caducis rebus, sicut econtrario omne gaudium, quod non est meum, vanum est, eo quod de vanitate pendeat rerum temporalium. Meus enim dolor unde est? Ex eo quia « vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die furoris sui; » dies furoris ille fuit, de quo primis hominibus dixit : « Quacunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II). » Comederunt, et dies ille in quo comederunt, dies fuit furoris, qui furor et justam animabus mortem, et justam corporibus mortalitatem intulit. Tunc locutus est Dominus quod pulvis fuissem, et in pulverem reversura essem. Sicut tunc locutus est, ita extunc « me vindemiavit, » et usque in finem vindemiare non desinit, quotidie de vinea succidendo botros meos, quotidie per mortem carnis auferendo filios meos. Juncta hæc duo elementa, caph, id est *manus*, lamech, quod interpretatur *cor*, juncto sensu *manum cordis*, id est opera requirunt ejus quæ in corde est fidei. Alioquin quid fides proderit, cum sine operibus mortua sit (*Jac.* II)?

CAPUT XXV.

Quod propter humiliandam animam, mortalem fecerit Deus conditionem corporis, et ipsam animam multis permittat passionibus affici.

MEM, id est *ex ipsis*. « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me, expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum, posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. » — « Ignem, inquit, misit in ossibus meis, de excelso » judicii sui solio, ignem utique lamentabilem, ignem non lucentem, sed consumentem, exsiccantem, devorantem. Iguis iste mortalis conditio est, qua virilis juventus paulatim desiccata in aridum contrahitur atque corrugatur senium, tandemque omni humore consumpto solvitur atque dissipatur in favillam et cinerem. Attamen hoc igne erudivit me, ut discerem non superbire, ut scirem incedere demisso capite, ut intelligerem quod Adam noluit intelligere, scilicet me non Deum, sed pulverem esse. Amplius autem ut erudiret me, « expandit rete pedibus meis, » id

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est, legem dedit mihi. Quid enim lex, nisi rete expansum pedibus meis? Non quidem lex rete peccati, « sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam (*Rom.* VII). » **530** Ergo quando legem mihi dedit, et gratiam distulit, expandit quodammodo « rete pedibus meis, » atque hoc modo « convertit me retrorsum. » Nam « cum venisset mandatum, peccatum, quod sine lege mortuum erat, » revixit (*ibid.*). Ego autem mortua sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Itaque « posuit me desolatam tota die, mœrore confectam » ut mœrens dicam : « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Ibid.*)

CAPUT XXVI.

Quod homo faciendo malum servus sit peccati, et non nisi per gratiam Dei poterit liberari.

NUN, id est *æternum*. « Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. » — « Jugum » enim, inquit, « iniquitatum mearum vigilavit. » Omnis enim qui facit iniquitatem, servus est iniquitatis (*Joan.* VIII), quodammodo vigilantis, ne servus, effracta compede, per noctem effugere possit. Vult enim interdum effugere servus peccati, sed eo negligenter volente et sæpe multum dormitante, peccatum non dormit. Iniquitates meæ « in manu ejus convolutæ sunt, » ad modum retis aut vinculorum, « et impositæ collo meo, » collo hominis, in quo superbia sedit, unde et libenter audivit dictum illud : « Eritis sicut dii (*Gen.* II). » Pugno et repugnare volo, sed « infirmata est virtus mea, » quia nondum venit liberatrix gratia. « Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere, » subauditur, nisi venerit gratia ejus liberans me.

CAPUT XXVII.

Quod in nullo patrum vel patriarcharum salus esse potuerit, et quod ipsi quoque mortales fuerint; et quid hæc tria elementa, MEM, NUN, SAMECH, *juncta significent.*

SAMECH, id est *adjutorium*. « Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. » Magnifici mei, electi mei patriarchæ fuerunt, magni quidem et justi et sancti, sed in nullo eorum mihi licuit gloriari, nec enim in aliquo eorum fuit salus. « Abstulit » eos « de medio mei, » mortui enim sunt, et nemo ex illis potuit eruere animam suam de manu inferi. « Vocavit adversum me tempus, » ut conterat illos « electos meos, » constituendo terminos eorum, quos præterire non poterunt, et hoc adversum me, ut non liceat mihi gloriari in homine. Hoc modo « torcular calcavit virgini filiæ Juda, » id est mihi filiæ suæ confessionis, quæ virgo esse, id est, nullum præter ipsum Creatorem meum aspicere debui. « Torcular, inquam, mihi calcavit, » ut amaritudine inebriaret me, qui fructus est peccati. Tres jam dictæ conjungantur litteræ, mem, id est *ex ipsis*, nun, quod interpretatur *æternum*, samech, id est *adjutorium*. Et est sensus : *Ex ipsis æternum adjutorium*. Quibus *ex ipsis?* videlicet quæ superioribus quatuor elementis significata sunt, theth, jod, caph, lamech, id est *bono principio confessionis*, et *manu cordis*, per quam intelliguntur opera fidei.

CAPUT XXVIII.

Quod veræ antiquæ Ecclesiæ idcirco fuerit plorandum, quia consolator longe factus est.

AIN, id est *fons*. « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquam, quia longe factus est consolator a me, convertens animam meam. Facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. » — « Idcirco, » inquam, quia « de excelso misit Dominus ignem in ossibus meis, » quia « vigilavit jugum iniquitatum mearum, » quia « abstulit omnes magnificos meos de medio mei : » amplius autem, « quia longe factus est a me, » et nondum venit, qui venturus est « consolator » Christus Dominus, qui convertat « animam meam in requiem et libertatem suam, et interim fiunt « filii perditi, » descendunt enim ad inferos, « quoniam invaluit inimicus » custodiens atrium suum tanquam fortis armatus (*Luc.* XI), « idcirco ego plorans, » et idcirco « oculus meus deducens aquam » lacrymarum.

CAPUT XXIX

Quod non potuerit Sion expandendo manus suas consolari.

PHE, id est *os*. « Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus. Facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos. » — « Manus suas, » id est opera legis et justitias carnis, « expandit Sion, » sed propter opera illa « non est qui consoletur eam; » non enim Dominus per illa justificat eam. Sed quid? Si taliter expansis manibus, se justificari arbitretur, « mandavit Dominus hostes ejus, » id est peccata ejus, « in circuitu ejus, » et multo plura, imo sine comparatione multa sunt peccata ejus, et mille justificationes ejus, « quasi » si sit « polluta menstruis, » alio quoque propheta testante, cum dicit : « Facti sumus ut immundi omnes nos, quasi pannum menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). »

CAPUT XXX.

Quod os Domini ad iracundiam provocavimus, videlicet culpam defendendo in Adam, et quid simul istæ tres litteræ significent, AIN, PHE, ZADI.

ZADI, id est *justitia*. « Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum. Virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem. » Non, inquit propheta, in omnibus his Deum accusat Sion; nam « justus est Dominus, » et rectum judicium ejus (*Psal.* CXVIII), sed accusat semetipsam, « quia os Domini ad iracundiam » provocavit, subauditur

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in Adam, in quo et peccavit. » Et quomodo os Domini ad iracundiam provocavit? Videlicet quia peccatum suum defendit; etenim peccati defensio justæ iracundiæ causa exstitit. « Audite, inquit, obsecro, universi populi, » etenim vobis quoque annuntiandum est, ut audiatis, et dolorem meum videbitis, quia « virgines meæ et juvenes mei in captivitatem abierunt, » imo et in captivitate nati sunt. Virginum mearum, juvenum meorum, id est omnium ad me pertinentium, parvorum atque magnorum, infirmorum **531** atque fortium, non hic locus est, non hoc regnum, sed incolatus et exsilium. Hoc, vos, audite, et ad veram et manentem civitatem, o universi populi, simul properate. Junctæ simul tres litteræ, ain, id est *fons*, phe, quod interpretatur *os*, zadi, id est *justitia*, consignificant sensum hunc: *Fons oris justitiæ*. Nempe talis lamentatio, talis confessio *fons* est *oris*, cui subest vena *justitiæ*, veritatem subministrans, ut non Deum accuset, sed se.

CAPUT XXXI.

Quoties Ecclesia sacerdotes sibi constituit, toties deceperunt eam, de his intelligi, qui semetipsos pascunt, et quæ sua sunt quærunt.

Coph, id est *vocatio*. « Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt, quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam. » Quos, inquis, « vocavi amicos meos? » Sacerdotes meos, senes meos? Quoties sacerdotes mihi constitui, quoties senes mihi præfeci, toties « amicos meos » mihi « vocavi, » ut viderent dolorem meum, ut consolarentur me, ut lenirent malum meum. At « ipsi » quoque « deceperunt me, » erant enim amici mensæ, quærentes quæ sua essent, non quærentes filiorum meorum salutem. Quotusquisque enim talium fuit amicorum, qui verum redderet amicitiæ fructum? Vix ipse Aaron suum exsecutus est officium, sicut decebat amicum. Fere omnes « in urbe consumpti sunt, » id est, in causa mea quasi non essent, obmutuerunt; quia « quæsierunt sibi cibum, ut refocillarent animam suam, » quæsierunt lucrum suum sibi, et, juxta prophetam, pastores vocati non gregem, sed semetipsos pascebant (*Ezech.* XXXIV).

CAPUT XXXII

Quomodo in illo in quo omnes peccavimus venter noster conturbatus sit, et cor nostrum subversum, id est corpus mortale factum est, et quid duo hæc elementa, coph, res, *juncta significent.*

Res, id est *caput*. « Vide, Domine, quoniam tribulor, venter meus conturbatus est, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interfecit gladius, et domi mors similis est. » Quoniam, « vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me, » tu, « Domine, » qui solus laborem et dolorem consideras, « vide quoniam tribulor, » quoniam » venter meus conturbatus est, et cor meum subversum est, » id est, quoniam homo totus duplici morte mortuus est, « venter meus, » id est, quod exterius est hominis mortale est, et ideirco jam mortuum, quia certissime moriturum est. Porro « cor meum, » id est quod interius est hominis, jamdudum mortuum est, videlicet ex quo peccatum admissum est. Ita foris et intus « amaritudine plena sum. » Quid dixerit « venter meus conturbatus est, et cor meum subversum est, » pene exposuit subjungendo: « Foris interfecit gladius, et domi mors similis est. » Nam « foris » quasi in ventre « interfecit gladius, » dum justa sententia mortis anima a corpore separatur, « domi » autem, id est in corde, « mors similis est, » dum sicut separatione animæ corpus moritur, ita separatione Dei anima mortua est. Jungamus duo hæc elementa, coph, quod interpretatur *vocatio*, et res, quod interpretatur *caput*, ut *vocationem capitis*, id est Christi, qui Ecclesiæ caput est (*Ephes.* v), intelligamus. Nam quia « vocavi, inquit, amicos meos, et ipsi deceperunt me, » vocat nunc caput suum Christum, dicendo: « Vide, Domine, quoniam tribulor, » sperans quod per illum et conturbationem ventris, et subversionem cordis reparatura sit, id est, quod tam corporis quam animæ resurrectione resurrectura sit.

CAPUT XXXIII

Quomodo inimici, id est maligni spiritus, in malo generis humani lætati sint, et quomodo erealone lætabitur super illos Ecclesia in die judicii.

Sin, id est *dentes*. « Audierunt quia congemisco, et non est qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum. Lætati sunt, quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. » Quinam « inimici mei audierunt malum meum, » et « lætati sunt? » Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, et angeli ejus « audierunt quia ingemisco, » et irridentes dicunt: « Non est qui consoletur eam. » — « Audierunt, » inquam, isti « inimici mei malum meum, » et quasi triumphum ducentes pro victoria « lætati sunt, » captivitatem universam quam in primo homine ceperunt agentes cum insultatione, ante superbiæ suæ currum. Sed quid? « Mihi adduxisti diem consolationis: » — « adduxisti, » inquam, nam ita certum est quasi jam adduxeris; promisisti enim Abrahæ, Deus qui non mentiris (*Num.* XXIII; *Tit.* I), « diem consolationis, » diem Christi, videntibus inimicis meis, qui nunc lætantur, « quoniam tu » malum meum justa ira « fecisti. » Et cum adduxeris « diem consolationis, fient similes mei. » Quomodo « similes mei? » Nimirum ut ego versa vice audiam, imo et videam malum eorum in die iræ et revelationis justi judicii tui.

CAPUT XXXIV

Quomodo vindemiandi sint illa vindemia irrecuperabili, damnatione irrevocabili, habente Ecclesia diem consolationis, et quid duo elementa novissima, sin, thau, *juncta significent.*

Thau, id est *signa*. « Ingrediatur omne malum eorum coram te, et devindemia eos, sicut devindemiasti me, propter omnes iniquitates meas. Multi enim gemitus mei, et cor meum gemens. » — « Omne, inquit, malum eorum ingrediatur coram te, et devindemia eos. » Nam ingressum est quidem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

jam « malum eorum coram te, » sed non « omne. » Et « vindemiasti jam, » sed non « devindemiasti eos. » Olim quippe « malum eorum, » id est superbia qua super cæteros angelos tumuerunt, dicente principe eorum diabolo : « Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV); » hoc, inquam, « malum eorum coram te » ingressum est, et pro hoc « vindemiasti, » id est judicasti, « eos; » de cœlo namque projecisti, et in istum caliginosum aerem devolvisti eos. At vero malum illud alterum, quo me plasma tuum per serpentem deceperunt, nondum coram te ingressum est, nondum tuo judicio requisitum est, quod ex me erat malum coram te ingressum est, etenim tu requisisti, primum dicens viro Adam : « Ubi es? quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? » deinde dicendo mulieri : «Quare hoc fecisti?» (*Gen.* III.) Ita quod ex me **532** erat malum coram te ingressum est, et pro hoc « vindemiasti me » primum dicendo mulieri : « Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos, et in dolore paries filios tuos; » deinde tam viro quam mulieri : « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*ibid.*). » Non ita tunc quod ex diabolo erat malum coram te ingressum est, neque enim requisisti, aut pœnam intulisti pro eo quod serpentem ingressus hominem derepit. Igitur « omne malum eorum, » omne malum diaboli et angelorum ejus, « ingrediatur coram te, » in novissimo magni judicii die, et qui « me jam vindemiasti, » tu « illos devindemia » vindemia irrecuperabili, damnatione interminabili. Nec enim mirentur solummodo vindemiari, quod jam factum est eis, quando de cœlo projecisti eos, sed et devindemiari digni sunt, ut tollantur in ignem æternum, et non requirantur in omnia sæcula sæculorum. Porro mihi, ut jam ante dixi, adluces « diem consolationis. » Quare? Quo judicio? Judicio misericordiæ, « multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens, » quæ sunt insignia pœnitentiæ. Duo hæc elementa novissima sin, quod interpretatur *dentes*, et thau, id est *signum*, ad invicem copulemus, ut dicamus sic, *dentium signa*. Porro per *dentium signa* omnis intelligitur sancta Scriptura, quia dentibus formatur omnis loquela. Quid hoc ad rem præsentem? Videlicet, ut quod perpulchrum est intelligamus ea quæ sub istis continentur litteris duabus illa esse, quæ nobis categorizat omnis Scriptura divinitus inspirata. Quid enim aliud nobis prædicat, nisi post illud malum decepti hominis pro quo « lætati sunt omnes inimici, » adducendum fuisse Ecclesiæ « diem consolationis, » id est primum adventum Christi Filii Dei, et posthæc futurum esse judicium, quo diabolus et angeli ejus, et cum illis omnes impii devindemiandi sunt, et mittendi in ignem æternum? (*Matth.* XXV.) Hac ergo lamentatione finita, quid sequens causæ habeat, breviter dictum superius et adhuc dicendum est.

CAPUT XXXV.

Quod sequenti alphabeto illius temporis lamentatio subtexatur, quando Nabuzardan Hierusalem igni succendit, simulque cum ea domum Domini combussit.

(THREN. CAP. II.) Omnem quæ in sequenti alphabeto subtexitur lamentationem super illa intelligemus terrena Hierusalem, quam tunc temporis Nabuzardan princeps exercitus servus regis Babylonis succendit et combussit igni, simulque cum ea domum Domini, et domum regis, murisque Hierusalem in circuitu destructis, reliquias quoque vulgi transtulit in Babylonem, tantum de pauperibus terræ relinquens vinitores et agricolas (*IV Reg.* XXV; *Jer.* XXXIX). Hoc vere sancto et sapienti viro lamentabile fuit, non solum propter ipsam magnitudinem cædis et incendii, verum et propter duritiam gentis peccatricis, quia non propter peccata exigua factum est ut tanta populo suo Deus, qui naturaliter miserator est et misericors (*Psal.* CX), mala inferret. Ad hujus alphabeti lamentationem disponendi sunt omnes, qui hodie quoque in verbis mendacii confidunt, quemadmodum illi quibus lamentator iste prius dicebat : « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII). » Etenim hodie quoque sunt plerique infantes, qui auro vel argento, et marmorum crustis atque pulchris parietibus templi manufacti, Deum qui spiritus est, putent delectari, et de semetipsis non perpendunt quales sint, vel quod debeant ipsi esse templum sanctum Dei, testante Apostolo, cum dicit : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III). » Talibus igitur proponatur alphabetum hoc.

CAPUT XXXVI.

Quo respectu Hierusalem vocaverit scabellum pedum Domini, et quomodo illam Dominus de cœlo in terram projecerit.

ALEPH. « Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, projecit de cœlo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. » Scabellum pedum Domini, civitatem Hierusalem nuncupavit, videlicet eo respectu quo et civitatem illam sancta Scriptura nominare consuevit, nimirum propter cultum divinæ religionis, et templum nominis Domini, quod juxta rationem temporis qualicunque ritu primitus in ea civitate celeberrimum fuit. Nam et propter eamdem causam in omni Scriptura sancta typum gerit Ecclesiæ Christi, in qua nunc per omnem terram vero ritu invocatur nomen Domini. Et tunc quidem, quia in illa sola civitate invocabatur nomen Domini, sola merebatur dici, scabellum pedum Domini; nunc autem quia in omni terra invocatur nomen Domini, et omnis terra plena est Ecclesiis Christi, recte omnis terra meretur dici scabellum pedum Domini. Unde est illud propheticum, id est de futuro dictum : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI). » Et Dominus in Evangelio eum dixisset : « Neque per cœlum juraveris, quia thronus Dei est, » continuo subjunxit, « neque per terram, quia scabellum pedum ejus est (*Matth.* V). » Jam quippe res

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

impræsentiarum erat, ut fieret quod Psalmista cecinerat : « Exaltare, inquiens, super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* CVII). » Nunc vide quam eleganter, quam magnifica similitudine tumultum ruentis miseræ civitatis expressit, dicendo, « et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. » Quasi regem aut quempiam personatum Patrem oculis ostendit, sedentem in alta sede, scabellum habentem sub pedibus suis, tanto furore excitatum, tanta ira commotum, ut pedibus se non tenentibus, scabellum suum longe projecerit, dum nescit, dum præ ira non attendit, quantum nociturum hoc sit pendentibus pedibus suis. Quasi hoc impetu, « filiam Sion, inquit, et inclytam Israel de cœlo in terram, » de omni dignitate in omnem ignominiam « projecit, » et caligine amentiæ ruentem involvit.

CAPUT XXXVII.

Superbiæ culpam fuisse, pro qua Hierusalem vel templum præcipitari debuerit.

BETH. « Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob : destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram. Polluit regnum et principes ejus. » Quod dixerat, » projecit de cœlo in terram inclytam Israel, » hoc iterum repetivit, dicendo, « præcipitavit, nec pepercit. » Itemque tertio : Virgines Juda « dejecit in terram. » Cunctis vocibus istis qualitatem culpæ designavit, et superbiæ culpam fuisse ostendit, pro qua Hierusalem destructa sit. Et magnum utique superbiæ malum, pro qua nec virginibus pepercisse, aut unquam parcere credendus sit.

533 CAPUT XXXVIII.

Quod ruinæ illius causa fuerit, quia cornu Israel Deus confregit.

GIMEL. « Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel, avertit retrorsum dextram suam a facie inimici, et succendit in Jacob, quasi ignem flammæ devorantis in gyro. » Amplius hic superbiam vicino vocabulo expressit, dicendo : « Confregit cornua Israel, » superbum quippe cornutum dici usitatum et frequens est. Hic igitur non immerito « Deus dexteram suam avertit retrorsum, » ut non auxiliaretur, aut subsistere faceret Israel, « ante faciem inimici, » non quod facturam suam contemneret, sed quod cornutos esse homines indigne ferret. Quare autem non dixit, et succendit ignem, sed « succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro? » Nonne revera succensus fuit ignis, quo Nabuzardan servus regis Babylonis civitatem et templum combussit? Ergo illud vult intelligi quod civitas illa, vento superbiæ suæ quasi ignem conflando, gentium contra se odia concitaverit, et ille fuerit quasi ignis flammæ devorantis in gyro, quem ut efficientem causam ignis elementaris consecuta sit.

CAPUT XXXIX.

Quod Deus superbientibus inimicus sit, et idcirco sic dixit : « Tetendit arcum suum. »

DALETH. « Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion. Effudit quasi indignationem suam. » Quia superbiæ cornu in causa fuit, Deus autem superbis resistit (*Jac.* IV), idcirco non quasi pater virgam arripuit, sed « quasi inimicus arcum suum tetendit, et quasi hostis dexteram suam firmavit, » ut videlicet sagittam suam fortiter excussam per cor ejus trajiceret, ut gladium suum firmiter impactum, usque ad vitalia deprimeret, ut facere inimici vel hostis est. Non enim, ut sæpe factum est, tradidit populum suum in manus gentium, ita ut in terra sua degentes victorum ferrent imperium, sed « occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, » id est omne quod delectabat, et quo Deum putabat delectari lasciva juvencula Sion. Et « effudit quasi ignem indignationem suam, » ut sic omnia tolleret indignatus, sicut ignis totam devorat stipulam.

CAPUT XL.

Quod non dixerit, « factus est Dominus » inimicus, sed « velut inimicus, » quod nec res nec vocabulum inimici in Deum cadat.

HE. « Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit omnes munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. » Dominus, inquit, qui dicebat ad Pharaonem : « Filius primogenitus meus Israel. Dixi tibi : Dimitte filium meum (*Exod.* IV), » ille Pater et Dominus, « factus est quasi inimicus. » Notandum diligenter, quia non dixit factus est inimicus, sed « factus est quasi inimicus. » Nam inimici nec res nec vocabulum in Deum cadit. Inimicus quippe is est qui jura violat, qui justa tollit aut negat, cujus ex parte deficit aut perit fructus amicitiæ, pax. Dominus igitur non inimicus, sed « quasi inimicus factus est, » tollendo sive occidendo omne quod pulchrum erat visu in Sion, præcipitando Israel, præcipitando omnia mœnia ejus, dissipando munitiones ejus, replendo in filia Juda humiliatum et humiliatam, utpote inimicitias gerens non adversus homines, sed adversus superbiam.

CAPUT XLI.

Quomodo civitatem illam vel templum tentorium Domini vocaverit.

VAU. « Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum, et in opprobrium et indignationem furoris sui regem et sacerdotem. » Tentorium sive tabernaculum Domini erat templum illud augustissimum ; nam in illo quasi in tabernaculo, quod ad horam figi solet, militabat nomini Domini fides peregrinantium, manentem hic civitatem non habentium, sed futuram inquirentium (*Hebr.* XIII). Hoc « dissipavit quasi hortum, » nec pluris fecit sanctum nominis sui locum quam vilem hortum olerum (*III Reg.* XXVII). « Festivitatem et sabbatum, » quæ utique visu pulchra erant, « oblivioni tradidit, regem et sacerdotem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in indignationem furoris sui et in opprobrium tradidit. » Hoc denique non prætereundum quia probrose sic regem projecit, ut, in oculis ejus occisis ipsius filiis tunc demum oculos ejus erueret rex Babylonis (*IV Reg.* XXV).

CAPUT XLII.

Quid sit, « *vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni.* »

ZADI. « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium ejus, vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. » Quærebas quid superius dixisset, « et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui; » ecce aperuit dicendo manifeste: « Repulit altare suum, maledixit sanctificationi suæ. » Porro magnitudinem doloris, et miserlarum tumultum quam vehementer expressit, dicendo: « Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni. » Ac si diceret: Nunquam altius in gaudio solemnitatis cecinerant, quam nunc in angustia et dolore suo clamaverunt.

CAPUT XLIII.

Quomodo tetenderit super illam Sion funiculum tempus captivitatis septuaginta annorum.

HETH. « Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum et non avertit manum suam a perditione. Luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. » Non casu hæc acciderunt, sed Dominus ista cogitavit, Dominus cum consilio hæc egit poscente ratione utilitatis, illo cogitante, illo negotii summam in libra rationis appendente, placitum fuit ut dissiparetur murus filiæ Sion, ut vanitas ejus ex adversis aliquam caperet instructionem. **534** Et ipse tetendit super eam funiculum suum longitudinis septuaginta annorum, et cogitavit non avertere « manum suam a perditione, » id est captivitatem finire ante consummationem tot annorum, nec ante reædificabitur antemurale et murus qui pariter dissipatus est.

CAPUT XLIV.

Quæ portæ ejus, et qui vectes quos Dominus contrivit, ut prophetæ ejus non invenirent visionem a Domino.

THET. « Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus, regem ejus, et principes ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. » Portarum quoque altitudo, vectiumque firmitas inter illa numerantur quæ visu pulchra erant, et istæ portæ civitatis cum vectibus suis contritis atque perditis in terram defixæ sunt, pro causa quam alius propheta congemit, quia « conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi (*Isa.* LIX). » Metaphoricos tamen regem, et principes, legem et prophetas vult intelligi. Nam, quasi quæreres quas portas in terram defixit, quos vectes perdidit et contrivit? « Regem, inquit, et principes ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. » Et congrua satis transformatio, quia videlicet ubi non est rex, neque princeps, ubi auctoritate sua non utitur lex, quæ in gentibus non est, ubi prophetis oracula cœlestia clauduntur, et Dei visiones subtrahuntur, sic est populus quasi civitas patens absque portis et vectibus.

CAPUT XLV.

Quomodo sederint in terra, et conticuerint senes, et cinere capita sua conspersernnt virgines.

JOD. « Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, conspersernnt cinere capita sua. » Senes Hierusalem « accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terra capita sua virgines Juda. » Erecti prius senes filiæ Sion, et multa loquentes, nunc præcipitati, et fracto superbiæ cornu mutilati sederunt taciturni in terra, tantum ab illa deturbati quam habebant confidentia templi Domini, quantum a cœlo distat terra. Virgines Hierusalem, virgines Juda « cinere, » quod insigne dolorum est, « conspersernnt capita sua, » et non habentes sponsos quibus pararentur, « abjecerunt capita sua in terra, » et ita completum est quod alius propheta prædixerat: « Propter hoc super adolescentulas ejus non lætabitur Dominus, et pupillorum ejus, et viduarum non miserebitur (*Isa.* IX). »

CAPUT XLVI.

Cur nunc dicit: « *Defecerunt præ lacrymis oculi mei,* » *qui antea dixerat:* « *Propterea da filios eorum in famem,* etc. »

CAPH. « Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. »—« Cum, inquit, deficeret parvulus et lactens, » tunc « defecerunt præ lacrymis oculi mei; et viscera mea, » imo pietatis tumultu « conturbata sunt, » et « jecur meum » quod sanguinis est fons, « in terra effusum est. » Quid enim? Nunquid poterat naturalis affectus carnis et sanguinis rationis sequendo judicium persistere in altitudine zeli? Dicebam antequam hæc fierent: « Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii. Fiant uxores eorum absque liberis et viduæ, et viri earum interficiantur morte (*Jer.* VIII): » hæc, inquam, et his similia dicebam, concordando per spiritum judicio et justitiæ tuæ. At ubi mala ipsa venerunt, et res oculis exhibita est, vicit pietas, et a supernis judiciis relapsa in semetipsam vulnerata ruit natura.

CAPUT XLVII.

Quomodo infantes ad ubera pendentes fame cruciati, animas exhalabant.

LAMECH. « Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. » Quomodo interea lacrymas tenerent oculi? Mista angustiæ simplicitate vel simplicitati angustia, matribus suis tabidis et fame marcescentibus dicebant parvuli: « Ubi est triticum, » ubi est « vinum, » pro ætate non discernentes utrum per laborem acquirere, an ex natura sua proferre

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

solerent matres triticum et vinum, et hæc dicentes in ipso ejulatu, « quasi vulnerati, » imo vere famis aculeo transverberati deficiebant, et, quod humanitati visu intolerabile erat, « in sinu matrum suarum » a siccis uberibus decidentes « animas suas » exhalabant.

CAPUT XLVIII.

Quomodo Hierusalem impœnitentia sua nulli potuerit assimilari, et idcirco dicat : « Quis medebitur tui? »

Mem. « Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui? » Nunquid, ait, Ninivitis comparabo te? Non utique, nam pœnitentiam egerunt, ad prædicationem Jonæ (*Jon.* III). Nunquid Tyro aut Sydoniis exæquabo te? Non utique, nec enim facta et dicta sunt in illis, quæ facta et dicta sunt in te. Si in illis facta fuissent, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent (*Matth.* XI). Tui ergo quis medebitur? Non profecto ipse, si de cœlo venerit, medicorum medicus. « Magna est velut mare contritio tua, » et quicunque accedit ad medendum, persecutionum et ipsius mortis in te patitur naufragium.

535 CAPUT XLIX.

Qualiter prophetas mendaces et ipsam, quod eos audierit, increpet.

Nun. « Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent, viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones. » Ubi nunc propheta tuus ille Ananias filius Azur, qui tulit catenam de collo meo, et confregit eam, dicens : « Hæc dicit Dominus : Si confringam jugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium? » (*Jer.* XXVIII.) Et cæteri prophetæ tui ubi sunt, qui dicebant : « Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem dabit vobis Dominus in loco isto? » (*Jer.* XIV.) Dicebam ego : « Falso prophetæ isti vaticinantur visionem mendacem, et divinationem fraudulentam, et seductionem cordis sui prophetant vobis, et non audistis me (*ibid.*) » Ecce res ipsa probat quia « viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam » medici tam imperiti quam infideles, « ut te ad pœnitentiam provocarent. »

CAPUT L.

Ilina quoque ad cumulum miseriarum accessisse, quod transeuntes insultando plauserunt super eam.

Samech. « Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Hierusalem. Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? » « Hæccine est? » inquiunt. O quanta mutatio rerum! « Urbs perfecti decoris, universæ terræ gaudium, » cui de universa terra convehebatur aurum, cui non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur, quia classes ejus ibant per mare deferentes aurum, tantaque illi erat argenti abundantia, quanta lapidum (*III Reg.* X). Hæccine illa est? Hæc dicentes « manibus plauserunt, » ore « sibilaverunt, caput suum super » te « moverunt. »

CAPUT LI.

Quam vere insultaverint, cum et post septuaginta annos, soluta servitute, ne reædificaretur civitas vehementer obsliterint.

Phe. « Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt et fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus. En ista est dies quam exspectabamus, invenimus, vidimus. » Dolenda exprobratio! Lamentabilis insultatio! Nam quid putas quantum insultaverunt, quam volentibus animis expectatum desolationis tuæ diem viderunt, qui et post septuaginta annos, tam diutino miseriarum tuarum nondum satiati spectaculo, cum soluta esset captivitas, et exisset sermo ut reædificaretur civitas, totis conatibus impedierunt regi Artaxerxi scribentes epistolas ut mutaret edictum, insuper armis parati ad opus impediendum (*I Esdr.* IV).

CAPUT LII.

Quomodo illud non tam per Nabuzardan quam Domini judicio factum sit, qui et per Moysen talia prædixit.

Ain. « Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis, destruxit et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, exaltavit super te cornu hostium tuorum. » Non, inquit, Nabuzardan aut ipse Nabuchodonosor rex Babylonis hæc fecit tibi, sed Dominus ipse cogitavit, et ipse fecit. Quid enim? Nunquid novi aliquid cogitavit? Nunquid non hæc tibi facere, id fuit sermonem complere « quem præceperat a diebus antiquis? » Nunquid non antiquitus præcipit Moysi quia « si audire nolueris vocem Domini Dei tui, » hæc et hæc « venient tibi, et ducet Dominus te, et regem tuum quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu et patres tui, et servies diis alienis? » (*Deut.* XXVIII.)

CAPUT LIII.

Quid clamaverit cor prophetarum qui hæc prædixerunt, et auditi non sint clamantes super muros filiæ Sion.

Sade. « Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion : Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi neque taceat pupilla oculi tui. »—« Clamavit cor eorum. » Quorum « eorum? » Nunquid hostium, quorum super te cornu exaltavit, aut inimicorum, quos super te lætificavit? Imo eorum ad quos vel per quos ille sermo Domini factus est, « quem præceperat a diebus antiquis, » et nunc implevit. « Eorum, » id est Moysi et prophetarum, « cor clamavit ad Dominum super muros filiæ Sion, » tanquam speculatores dati ad annuntiandum, clamaverunt ut avertereris ab impietate tua, et clamando suas salvaverunt animas, tu autem, o filia Sion, quia clamorem illorum non audisti, ecce mortua es in iniquitate tua. Quare autem non dictum est, clamavit os eorum, sed « clamavit cor eorum? » nimirum, quia non negligenter

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

clamaverunt, non more salutantium verba dederunt, sed volenti animo, toto cordis affectu, profundo charitatis sensu clamaverunt, annuntiaverunt, prophetaverunt, adjuvare volentes, ut nequaquam dormientem te comprehenderet velociter accurrentis periculi malum. Quare autem non dictum est, clamavit cor eorum ad Sion, sed « clamavit ad Dominum ? » Videlicet, quia cum clamore annuntiationis, quo citare volebant Sion, oratione quoque clamabant ad Dominum, et de hoc ipso quod clamassent ad Sion, licet non exauditi, testem sibi faciebant Dominum. Dicebant tibi : « Deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem, » quo restinguere valeas iræ et furoris ignem imminentem, « non des requiem tibi, » ne tanquam fur te comprehendat ira Domini, « neque taceat pupilla oculi tui, » quia lacrymarum magis quam labiorum clamorem Altissimus audit.

536 CAPUT LIV.

Quid sit quod clamaverunt : « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. »

Cons. « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leva ad eum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame et in capite omnium compeditorum. »—« Consurge, » inquam, et arma tua corripe, arma laudum, arma vigiliarum, arma lacrymarum, quod est effundere « sicut aquam cor tuum, » et hoc « ante conspectum Domini, » ut fortissimum Dominum ordinata fortitudine tenere, et pietate pronum flectere possis. Memento interea, levare ad eum manus tuas, parum quippe fortitudinis est in laude, in vigiliis, in lacrymarum effusione, nisi porrigendo eleemosynam, etc., faciendo pietatis opera leves ad Deum, levesque usque ad cœlum manus tuas pro vita parvulorum tuorum. Hæc tibi clamantes, dicebant :

CAPUT LV.

Quid clamet, ascendo : « Vide, Domine, quem vindemiaveris. »

Res. « Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta. » Hoc illud est quod clamabat cor eorum pro te ad Dominum, clamando et ad te super muros tuos, filia Sion. Clamant et adhuc : « Vide, Domine, » inquiunt. Quare faciem tuam avertis ? Si oculos misericordiæ converteris huc, et quod facis ipse videris, ipse visu tuo vulneratus, satis pœnarum esse sumptum æstimabis. « Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ, » et tu qui pius es durare videndo poteris? « Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta, » et tua videndo se continebunt viscera ? Hoc et illud, id est famem et gladium, vide : « vide, » inquam, « quem » populum, quem locum « vindemiaveris ita, » neque enim populus longinquus, et locus est ignotus, sed gens tua et civitas sancta.

CAPUT LVI.

Quod ad misericordiam divina multo magis quam humana trahatur natura.

Sus. « Jacuerunt in terra foris senex et puer, virgines meæ, et juvenes mei ceciderunt in gladio. Interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es. » Hoc vide, quia « puer et senex foris in terra jacuerunt. » Nonne ipsa humana natura trahitur ad misericordiam in his ætatibus puerorum et senum ? Ergo vide quomodo jacuerint, quantum percusseris, nec misertus eis. Multo magis enim divina quam humana natura trahitur ad misericordiam, et sine dubio misereberis videndo quid feceris.

CAPUT LVII.

Quomodo id quod accidit quasi Deo imputat.

Thau. « Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent de circuitu, et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur : quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos. » Hæc omnia vide et considera quid fecisti, et videndo mente convulneratus, sine dubio reliquos considerabis, captivos tuos revocabis.

CAPUT LVIII.

Quod tertio alphabeto propriam causam propheta lamentetur ; et cur hic jam singula elementa triplicentur, cum in cæteris simpla sint.

(Thren. cap. III.) Post universalem generis humani, post communem unius gentis lamentationem, tertio demum singularem hoc loco suam captivitatem propheta lamentatur lamentationibus propriis. Singularis autem et sua cujusque captivitas est proprii peccati modus, propriæ tribulationis pondus. Hoc animadverso, jam et illud quod quæri poterat citius occurrit, scilicet cur cum cæterarum lamentationum singulis alphabetum simplum, huic soli triplum ascriptum sit. Nam tripla viro huic lamentandi causa exstitit : prima, quod ipse æque ut omnes homines in Adam captivatus est ; secunda, quod se vivente, se vidente, quamvis hostium grata reservata, propria combusta, et gens sua captiva a est ; tertia, quod propriam fragilitatem noverat, propriis calamitatibus et omnimoda inter suos et a suis affectibus fuerat. Disponamur ergo ad hoc alphabetum dociles pueruli, et ab isto lamentatore docti, sciemus singuli de causa tam propria quam universali, quod vere lamentabilis sit.

CAPUT LIX.

Quæ sit illa paupertas, quæ tenebræ, et quæ sint illæ manus, de quibus dicit.

Aleph. « Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. » Aleph. « Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. » Aleph. « Tantum in me vertit et convertit manum suam tota die. » « Ego, inquit, vir videns paupertatem meam. » Non dixit, ego vir pauper, parum enim dixisset : nam vere omnis homo pauper est. Omnis homo in primo parente pauper est, gloria sua spoliatus, gloria Dei denudatus est. Sed non omnis homo videt, non omnis homo intelligit hanc ipsam paupertatem suam. Igitur quod satis est, quodque imitabile foret, dicere

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

maluit. « Ego vir videns paupertatem meam, » videns, inquam, « in virga indignationis ejus, » id est ad videndum pœna corruptionis et mortalitatis commonitus, qua percussi sumus omnes homines ut moriamur, et quia percussi sumus omnes infirmamur, et tandem pulvis in pulverem revertimur. ALEPH. « Me minavit et adduxit in tenebras et non in lucem. » Hoc mihi malum alterum ad communem paupertatem accessit, quod « minavit me, et non in lucem, sed in tenebras adduxit, » ut viderem gentis meæ tenebras, tenebras miseriarum densas, et convolutas, super quibus congemiscens, dixit supra : « Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion (*Thren.* II), etc. ALEPH. « Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die. » Quid, inquit, dicam de mea causa propria, de propriæ conscientiæ miseria ? Cæteri vivunt, cæteri quos video homines sunt, et quidquid de illis sit, « tantum » de me scio, quia manum suam « in me vertit, et manum suam » non ad horam, sed « tota die in me convertit. » Quot in anima mea peccati vulnera, tot manus ejus in me sunt vulnera. Quot menti et corpori meo adversa, tot in me sæviunt manus ejus flagella.

537 CAPUT LX.

Quomodo se in Adam mortalem factum, in exustione Hierusalem felle cibatum, in propriis culpis deploret obtenebratum.

BETH. « Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea. » Propter veterem Adam, vetustam fecit pellem, vetustam fecit carnem meam. In quo « pellem meam vetustam fecit? » In conditione mortalitatis. In quo « carnem meam vetustam fecit? » In concupiscentia, et passione desiderii. In quo « contrivit ossa mea? » In eo quod « non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio (*Rom.* VII). » Ossea in me ratio est, et ossea, id est bona voluntas, unde condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Sed hæc eadem « ossa mea contrivit, » pugnaci lege peccati, quæ est in membris meis (*ibid.*) juste superducta. BETH. « Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. » Propter illam vetustatem et contritionem omni humano generi superductam, « ædificavit » ædificium calamitatis « in gyro meo, » in populo meo famem et gladium et ignem convocavit, et stare fecit in circuitu meo. « Et circumdedit me felle et labore, » felle amaritudinis et tristitiæ in mente, labore carceris et inediæ in carne. Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu : « Persequimini et persequamur eum (*Jer.* XX). » Cæsum etiam in carcerem miserunt me, in lacum in quo non erat aqua projecerunt me, ut morerer ibi fame (*Jer.* XXXVII, XXXVIII). BETH. « In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. » Præterea « in tenebrosis » propriæ conscientiæ « collocavit me, » certum enim de propria salute non sinit me esse ut me arbitrer comprehendisse (*Phil.* III), semperque suspectus sum in timore judicii superventuri, ut non magis præsumam de salute, quam præsumere possunt mortui sempiterni, quos propria conscientia reatus quotidie morti sempiternæ addicit. Nullo enim justior sum, nisi per gratiam Dei, nisi per gratuitam misericordiam vocantis et justificantis quos vult (*Rom.* VIII).

CAPUT LXI.

Quod in Adam inimicitias Dei ruens, in præsentibus malis civitatis desolatus, et in propriis passionibus, quasi sagittis percussus sit.

GIMEL. « Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. » Quid « adversum me circumædificavit? » Utique parietem inimicitiarum propter Adam æmulum suæ divinitatis : sumus enim secundum illam, ego et patres mei, natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). « Non egrediar » parietem istum, « aggravavit enim compedem meum, » nec nisi « in Deo meo transgrediar murum (*Psal.* XVII). » GIMEL. « Sed et cum clamavero et rogavero, excludet orationem meam. » Non solum illud commune habeo, quod doleam, sed et hic dolor est recens, dum video gentis meæ captivitatem, pro qua clamare quidem et rogare possum, « sed cum clamavero » non exaudiet, donec impleatur numerus septuaginta annorum, usque ad illum terminum exclusit orationem meam. GIMEL. « Conclusit vias meas, lapidibus quadris semitas meas subvertit. » Præter illa quæ extrinsecus sunt, domi « vias meas conclusit, » in conscientia propria « semitas meas subvertit. » Volo in terra positus corpore conversari, in cœlis mente, cupio gustatam Domini saturitatem plenius apprehendere. At ille admissis tentationibus, permissis cogitationum fluctibus, circumvallavit me, imo ut me potius accusem, peccata propria quasi quadros lapides peccatrici obducit conscientiæ, atque hoc modo « vias meas conclusit, semitas meas subvertit, » ut in contemplandam ejus gloriam currere non possim.

CAPUT LXII.

Quomodo homini prævaricatori Deus factus est ursus insidians, quomodo idcirco semitas ejus subvertit pronas in malum.

DALETH. « Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis. » Mira doloris acerbitas, mira lamentationis asperitas. Quisnam « ursus insidians, » quisnam « leo in absconditis » tibi « factus est? » Deus fortissimus spirituum, Deus cognitor omnium, quomodo ursus tibi aut leo factus est? ubi vel quando insidiatus est? In paradiso, ubi mecum, id est cum patre meo Adam, loquebatur serpens, ubi Evam mittebat ad Adam diabolus, qui ingressus fuerat serpentem (*Gen.* III). Tacuit dum ille loqueretur, siluit dum homo illi assentiretur, peractoque sacrilegio, iratus velut ursus ex insidiis velut leo prodiit de absconditis, et dixit : « Adam, ubi es (*ibid.*)? » etc. Nonne quasi insidias ejus Scriptura innuit per similitudinem meridianæ dormitionis? Ait enim : « Et cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem (*ibid.*). » Ergone injuste egit, qui quasi toto meridie dormiens tacuit, et per-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

acto crimine quasi tunc primum evigilans de absconditis suis ad interrogandum processit? Non utique, nam ante præmonuerat, dicens : « Quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini (*Gen.* II). » DALETH. « Semitas meas subvertit et confregit me, posuit me desolatam. » Propter illud universale malum ecce hodie, « meas, » id est gentis meæ, « semitas subvertit, » semitas pravas, semitas in malum pronas, et in manu regis Babylonis, « confregit me » ferro, fame, et igne. « Posuit me desolatam, » videlicet septuaginta annorum captivitate. « Desolatam » cum dicit in persona Hierusalem, præsens captivitatis malum evidenter plangit. DALETH. « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. » Hoc de propria persona loquitur, hoc de propria conscientia gemit. Nam et foris corporaliter ita passionibus expositus fuerat, ut recte quasi signum ad sagittam positum se esse gemat, et intus in anima, quamvis justus esset, multum erat quod tentationum sagittis patebat. Unde Psalmista : « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi (*Psal.* XXXVII). »

CAPUT LXIII.

Quomodo in Adam sagittis libidinum convulneratus, in prophetando imminentem captivitatem a populo suo derisus, carceribus, et inedia amaricatus sit.

HE. « Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. » Certum catholicæ fidei tenet auctoritas, quia nisi admissa fuisset prævaricationis culpa, non fuisset carni hominis rationalis invecta bestialis voluptas. Ita conditus homo fuerat ut spiritus carni dominaretur, si tamen **538** spiritus ipse dominatori Deo permaneret subditus, et proinde homo ad generandum non libidine, sed ratione duceretur. Sed enim spiritus Deo subditus esse renuit, idcirco carni subditus est. Atque ita « homo comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Dicat ergo in persona generis humani : « Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, » id est concupiscentiæ passionisfilius exposuit me, per inevitabiles sententias justitiæ suæ. HE. « Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. » Videlicet dum dico : « Hæc dicit Dominus : Venient Chaldæi, veniet Nabuchodonosor rex Babylonis (*Jer.* XXXII), » deriserunt me cantantes contra me tota die veritatem prophetiæ, quasi verba deridentes insaniæ, erroris atque amentiæ. HE. « Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. » Ipsis quidem ad publici mali cumulum profecit risisse cum malefecerint, et cantasse in rebus pessimis, sed et « me replevit amaritudinibus » plagarum et carceris atque inediæ, et « inebriavit me absinthio » timoris et doloris atque tristitiæ.

CAPUT LXIV.

Quomodo in morsu primi hominis dentes suos perdiderit, in obsidione civitatis, dum loqueretur pro illa in conspectu Domini, anima ejus repulsa sit, in propria conscientia de meritis suis timuerit.

VAU. « Et confregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. » Notum est quia dentes hominis propter peccatum Deus confregit; moveniur enim et excidunt senibus curvis et aridis. Et si quidem in aliquo firmiores usque ad terminum vitæ consistunt, ut in Moyse de quo scriptum est quia « dentes illius non sunt moti (*Deut.* XXXIV), attamen in sepulcro confringuntur, ubi putredo ossa quoque consumpserit. Sed nunquid sic Deus solos hominis dentes confregit? Nonne et omnes artus et ossa omnia confregit, et in pulverem redegit? Quare ergo de solis dentibus dixit? Nimirum quia dentibus homo primum peccatum perpetravit, dum ligni vetiti fructum momordit. Igitur « dentes meos, inquit, ad numerum confregit, et cinere me cibavit, » quia propter morsum, genus humanum morte confregit, et in cinerem redire jussit. VAU. « Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum. » Præter illud universale malum ecce impræsentiarum civitate obsessa inter famem et gladium pereuntibus et periclitantibus filiis populi mei, dum starem in conspectu ejus, ut loquerer pro eis bona, « repulsa est anima mea, » non exaudita est oratio mea. Multa patribus nostris præstitit bona, sed præ multitudine malorum præsentium « oblitus sum bonorum » præteritorum. VAU. « Et dixit : Periit finis meus, et spes mea a Domino. » Ad illa mala communia metus mihi additur judicii et justitiæ Dei, quia videlicet si absque misericordia judicer, « periit finis meus et spes mea a Domino. » Hoc ego dixi, Psalmistæ consentiens dicenti : « Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII). »

CAPUT LXV.

Quomodo Deum rogat recordari primæ transgressionis, et quid pœnarum inde provenerit, et quod ex eo speret sibi futura bona, quia præsentia mala recipit.

ZADI. « Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis. » Postquam iratus es, inquit, peccanti homini misericordiæ recordare, quia pro peccato unius hominis multum est pœnarum, multum paupertatis et absinthii et fellis. Paupertas mortalitas corporis est. Absinthium et fel mors animæ est. Horum si recordatus fueris, multum pœnarum sumptum esse misericordia æstimabit. Quod sciens alius dicit : « Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas in statera. Quasi arena maris hæc gravior apparebit (*Job* XXXI). » ZADI. « Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. » Malorum quæ vidi, malorum civitatis et populi, famis, gladii, atque ignis memoria memor ero, ita ut nulla memoriam hanc deleat consolatio, et continuo dolore continua tristitiæ pœna tabescet in me anima mea. ZADI. « Hæc recolens in corde meo. » Subauditur afflictione divina cruciabor, et idcirco consolationem « sperabo » in illa cœlesti patria, quia recipio mala in vita mea.

CAPUT LXVI.

Quod gratulctur non æque hominem, ut diabolum, propter peccatum suum derelictum, et quod post noctem Babylonicæ captivitatis, mane libertatis futurum sit.

ETH. « Misericordiæ Domini, quia non sumus con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. » Cum, inquit, et angelus et homo peccaverint, angelus qui factus est diabolus, et complices ejus angeli consumpti sunt, nec enim requirendi sunt in æternum, et omnes ab illis miserationes Domini defecerunt, nunquam enim Deus miserebitur illorum. Non ita nos homines consumpti sumus, sed nobis Deus in ira misericordiæ suæ recordabitur. Grates ergo misericordiæ Domini, quia circa nos misericordia judicium superexaltavit. Eth. « Novi diluculo, multa est fides tua. » — « Non, inquam, defecerunt miserationes ejus, » sed quasi diluculo novæ consurgent post exactam tenebrarum præsentium noctem. Quam ob causam? « multa est fides tua, » id est multi sunt quorum fides meretur, ut post istam caliginem qua obtecta es in furore Domini, o filia Sion, novarum tibi miserationum diluculum consurgat. Eth. « Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum. » Nunc, inquit, ad me redeo, ad quem factum est verbum Domini, dicens: « Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in loco isto (*Jer.* XVI), » etc. Hæc audiens « anima mea dixit: Pars mea Dominus, propterea exspectabo eum, » id est, alii qui volunt solliciti sint, et turbentur erga plurima, mihi est unum necessarium (*Luc.* X), propterea unum exspectabo Dominum, rejecta sollicitudine terrenorum, quæ multa sunt.

539 CAPUT LXVII.

Quomodo qui veritatem exercendo in Adam justus sit et bonus sperantibus in eum, et quomodo captivis Babyloniæ bonum sit non murmurare, sed exspectare salutare Domini cum silentio.

Teth. « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti eum. » Ne desperes, o tu aliquis, reputans severum nimis esse Dominum, eo quod tam vehementer primis hominibus fuerit iratus propter causam exiguam aut vilem, id est propter vetiti ligni non grande pomum, quia « bonus Dominus sperantibus in eum » et sperando confitentibus reatum suum, quod illi primi homines non fecerunt; « bonus, inquam, Dominus animæ quærenti eum, » quem non quæsierunt illi, quinimo fugientes faciem ejus in medio ligni paradisi sese absconderunt (*Gen.* III). Quid porro illis est qui sperant in eum, qui non quærunt, sed fugiunt eum? Nonne et illis est bonus? Imo justus. Et quidem si justus est, et bonus, verumtamen aliud secundum quod bonus, aliud operatur secundum quod est justus. Nam bonus et justus hoc differunt, quod misericordia et judicium. Bonus quippe sperantes in se et quærentes se per misericordiam salvat, justus desperantes et se fugientes per judicium damnat. « Spera ergo in Domino, et fac bonitatem (*Psal.* XXXVI), » quia « bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. » Teth. « Bonum est cum silentio præstolari salutare Domini. » O vos captivi, qui et juxta præsentem historiam per annos septuaginta super flumina Babylonis sedebitis et flebitis, dum recordabimini Sion (*Psal.* CXXXVI), quia « bonum est cum silentio exspectare salutare Domini, » nolite murmurare, quod post illam universalem generis humani captivitatem, ista quoque vobis captivitas accesserit, sed cum silentio et humilitate salutare Domini Christum Deum præstolamini, qui antequam in carne veniat, Babylonica captivitate vos absolvet, et cum in carne venerit, totius mundi hujus captivitatem in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII) convertet. Teth. « Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. » Quod universaliter de omni genere hominum, in hoc mundo peregrinantium, quod communiter dico de præsenti captivitate nostræ Sion, hoc et singulariter dixerim de unoquoque virorum, quia « bonum est » ei « cum portaverit jugum ab adolescentia sua, » id est cum sese in omnibus humiliaverit, non reprehendendo Dei judicia. Cum in multis aliis, tum maxime in istis concisionibus singulæ sententiæ propriis præscriptionibus ipsa voce congruunt. Nam Teth interpretatur *bonum*, et singulæ sententiæ id prædicant, quod vere sit bonum.

CAPUT LXVIII.

Quomodo diversus sit a primo homine is qui sedet solitarius et levat se super se, et quomodo in illa captivitate sit tacendum, si forte sit spes ut reducatur quæ in Babylonem ducta est.

Jod. « Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. » Talis utique ad novum pertinebit hominem, non ad illum veterem qui noluit solitarius sedere et tacere, consilium iucundo cum illo susurratore, deceptore, antiquo serpente. Nunquid enim ille solitarius aut taciturnus sedit et levavit se super se ad Deum, qui super se erat tota suspensus mente? Non utique, nam econtra ad susurrium bestiolæ reptantis super terram inclinavit se. Jod. « Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. » Non in cœlo, sed « in pulvere ponet os suum, » audiens dicentem sibi Magistrum bonum: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Hoc faciendo exspectabit humiliter « si forte sit spes. » Dicet enim: « Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? (*Joel.* II.) » Nimirum hic ego sum. Ponam « in pulvere os » meum, dicendo: « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum (*Psal.* CXVIII), » — « si forte sit spes, » si forte reducatur captivitas, eruta velut torris de igne, quæ nunc in Babylonem ducta est. Jod. « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. » — « Se, inquam, percutienti dabit maxillam, » non percutienti gentem suam, propriis, non alienis « saturabitur opprobriis. » Nam hic laudabilis patientia, illic reprehensibilis est mentis duritia. Faciet hoc modo quicunque portavit « jugum ab adolescentia sua. » Quis autem hominum jugum patrior homine illo portavit « qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudine factus » est « hominum et habitu inventus ut homo? Humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). » Ille ergo singularis patientiæ, « dabit percutienti se maxil-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lam, » imo et juxta prophetam alium, « dabit corpus suum percutientibus, et genas suas vellentibus, faciem suam non avertet ab increpantibus et conspuentibus (*Isa.* L), » et ejusmodi « saturabitur opprobriis, » nec enim invitus, sed præ nimia dilectione nostri, sic illa suscipiet tanquam panem saturitatis. Singuli quoque nostrum persecutionem pro justitia patientes, demus percutienti maxillam, et saturemur opprobriis, videlicet libenter accipiendo mala præsentia, ut futuris saturemur bonis.

CAPUT LXIX.

Quomodo qui Adam de paradiso emisit non repellet in sempiternum, sed iterum miserebitur et reducet de Babylonica captivitate, et qui quemque humiliat, non ex toto abjecit, sed contra, quem corripit diligit, et quem flagellat recipit.

CAPH. « Quia non repellet in sempiternum Dominus. » Dixi supra quia « bonus est Dominus sperantibus in eum, » et quo respectu dixerim si quæras, ecce nunc dico « quia non repellet in sempiternum. » Repulit ad tempus, dicendo : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum, videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum (*Gen.* III), sed « non repellet in sempiternum. » Adhuc requiret plasma suum, et omnia trahet ad seipsum (*Joan.* XII). Gladium repellentem, gladium flammeum, quem posuit ante paradisum, quandoque versabit, et dabit nobis edere de ligno vitæ gratis. CAPH. « Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. » Dixi, et verum dixi, « bonum » esse « præstolari cum silentio salutare Domini, » quia et si abjecit, et si altare suum repulit, etiam « miserebitur, » ut, soluta captivitate, Hierusalem reædificetur, templum restituatur. CAPH. « Non enim humiliavit ex toto corde suo, et abjecit filios hominis. » Dixi, inquam, **540** et verum dixi, « bonum » esse « viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua; » nam et si singulos filiorum hominis humiliavit, quorum primus in numero ego sum, « ex toto corde suo non humiliavit, » non totum ex ira prodit quod humiliavit vel abjecit, sed utiliter laboribus nos erudit, sicut scriptum est : « Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). »

CAPUT LXX

Quomodo justum cum impio contereret, judicium viri declinare, hominem in judicio pervertere Dominus ignoret.

LAMED. « Ut contereret sub pedibus meis omnes vinctos terræ; » LAMED. « Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi; » LAMED. « Ut perverteret hominem in judicio suo Dominus ignoravit. » Idcirco dixi : Dominus bonus est, quia hæc, et hæc facere ignoravit. O laudabilis ignorantia ! O pura simplicitas, et simplex divinitatis puritas, omnes vinctos terræ sub pedibus suis indiscrete conterere! Verbi gratia : Cain et Abel, Jacob et Esau ignoravit, et alios per gratiam salvare, alios per justitiam conterere novit. Declinare « judicium viri ignoravit, in conspectu vultus Altissimi, » et tres pueros in camino ignis illæsos conservare sapiens judex novit (*Dan.* III). Pervertere hominem, id est, de recto perversum facere « in judicio suo ignoravit, » et de perverso rectum et justum facere novit.

CAPUT LXXI.

Quam reprehensibile sit, si dicat quis fieri aliquid, Domino non jubente : si dicat ex ore Altissimi nec bona, nec mala egredi, murmurans vero peccatis imputando fatali necessitati.

MEM. « Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? » MEM. « Ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala? » MEM. « Quid murmuravit homo, vivens vir pro peccatis suis? » Cum Dominus tam bonus sit, « quis est iste, » ponens fortunæ mensam et dicens : Hoc vel illud fiet, « Domino non jubente? » Cum enim dicit casu vel fortuitu hæc vel illa contingere, aut certe stellis ascribit causas mortis vel vitæ humanæ, putatque horum quidpiam fieri Domino non jubente? « Quis est iste? » Denique nullus est omnino quasi non sit ignorandus. Cum dicit, « ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala, » sed casu geruntur omnia, quis illum scire dignetur, quis notum habere debeat? Nullius quippe sensus aut rationis est putare quod Altissimus non curet humana, pro eo maxime quod hoc tempore templum tam pulchrum destructum est, et deserta facta est tanti nominis civitas. Præterea « quid murmuravit homo, » quid murmuravit « vivens vir pro peccatis suis? dicendo cogi se ad peccatum necessitate fatali!

CAPUT LXXII.

Quod potius redemendum sit ad cordis discretum, et cum bonis operibus faciendu confessio peccatorum.

NUN. « Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. » Anathematizemus pessimam hanc desperatoris sectam, potiusque « vias nostras, » id est sanctas scrutemur Scripturas, et credentes illis testantibus quod Deo cura sit de nobis, « quæramus, et revertamur ad Dominum, » quia sicut supra dixi, « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. » NUN. « Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlum. » Non, inquam, desperemus, sed « levemus corda cum manibus, » id est fidem habeamus cum bonis operibus. Ita fiet ut « ex ore Altissimi, » ex ore Domini qui est in cœlis, post mala nostra quæ commeruimus bona ejus egrediantur, convertatque captivitatem Sion, et nos simus sicut consolati, et de bonis oris ejus, gaudio os nostrum repleatur (*Psal.* CXXV). NUN. « Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es. » Non dicamus singuli : Fatum me constringit, necessitas quæ in stellis fixa est me compulit, non enim creatura Dei mala est, sed « nos inique egimus, » nostrum quisque peccati dominum collo suo sponte adduxit. Atque hoc modo te, Deus, « ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es, » ne statim liberares liberari volentes, et adversus peccatum pugnantes.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT LXXIII.

Quomodo in primo homine Deus humanum genus percusserit, et in manum inimicorum traditos non exaudierit.

SAMECH. « Operuisti in furore, et percussisti nos, occidisti, nec pepercisti. » Non ita est ut dixit iste, nescio quis : « Ex ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala, » sed egressa sunt ex ore tuo judicia justa, et pro causa vel ratione certa tu in furore propter peccatum Adæ « operuisti, et percussisti nos, occidisti nec pepercisti, » id est, pariete inimicitiarum opposito et in anima morte justa et in corpore mortalitatis pœna « percussisti nos. » Ita « occidisti, nec pepercisti. » SAMECH. « Opposuisti nubem, ne transeat oratio. » Ecce et in afflictione præsenti nubem peccatorum nostrorum tibi opposuisti, scelerum nostrorum densitatem cõram facie tua posuisti, et idcirco fame vel gladio pereuntium, post ignem quoque Babylonium in captivitatem migrantium, clamorem vel orationem non exaudisti. SAMECH. « Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. » Præter illa universalia vel communia mala illud mihi accessit, quod me, cui dixerus : « Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te (*Jer.* I), » — « posuisti in medio populorum » velut « eradicationem et abjectionem, » velut vitiosum aut venenatum gramen, quod ne ipsam terram corrumpat, eradicatur et abjicitur. Ita me homines oderunt, exprobraverunt, et ejecerunt nomen meum tanquam malum (*Luc.* VI).

541 CAPUT LXXIV.

Quod electis nunquam ab initio inimici defuerint, et quod prophetis ipsa prophetia tribulationis causa fuerit.

PHE. « Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. » Ab initio sæculi inimici nobis fuerunt diabolus et angeli ejus invisibiles, Cain et omnes sequaces ejus inimici visibiles. « Omnes » undique « super nos os suum aperuerunt, » sæpe nos expugnaverunt, sæpe supra dorsum nostrum fabricaverunt (*Psal.* CXXVIII). PHE. « Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio. » Hoc est præsentis quoque temporis lamentabilie malum, quod dum vaticinamur : « Hæc dicit Dominus, » et, « Hæc verba mandavit Dominus, » et, « Hæc ait Dominus : Dabo Sedechiam regem Juda et servos ejus, et populum ejus in manu regis Babylonis (*Jer.* XXI), » propter hujusmodi vaticinationem formidamus, illaqueamur, cædimur, et in nervum mittimur, atque omnibus malis conterimur. PHE. « Divisiones aquarum adduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. » Igitur mala undique, mala foris et intus. Foris formido et laqueus, et contritio pro vaticinatione, intus dolor et gemitus pro vaticinationis effectu et veritate, pro filiæ populi mei contritione.

CAPUT LXXV.

Quod universalem generis humani ruinam, in quam per Adam incidit, et præsentem gentis suæ captivitatem, et propriam fleverit fragilitatem.

AIN. « Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. » — « Oculus meus, » oculus interioris hominis, oculus cordis, qui ad videndum Deum creatus est, videns dolorem suum « afflictus est, nec tacuit, » grandem quippe habet vocem, et disertam linguam rationis. Quare afflictus est? « Eo quod non esset requies, » eo quod propter culpam primæ prævaricationis ad laborem natus esset. AIN. « Donec respiceret et videret Dominus de cœlis. » Non tacuit idem oculus meus, « donec Dominus de cœlis respiceret et videret, » cujus respectus et visus et antiquæ captivitatis solutio, et præsentium captivorum qui in Babylonem ducti sunt, consolatio est. AIN. « Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. » Hoc maxime evidens proprii doloris lamentum est. Nam quis « oculus meus, » nisi oculus concupiscentiæ « deprædatus est animam meam? » Subdendo quippe « in cunctis filiabus urbis meæ, » satis expressit oculum concupiscentiæ, oculum vagum, oculum captivum, et captivatorem infelicis animæ. Nam cum quinque sint fenestræ nostræ, per quas mors ingreditur, id est, quinque sensus corporis per quos mors in animam intus tanquam fur aut prædo ingreditur, omnium ad ejusdem mortis opus visus efficacissimus est. Notandum duas hic litteras, phe et ain, ordine præposterus esse. Prius nempe ain, posterius phe in ordine alphabeti esse debuit. Nec vero abs re factum est; nam ain *fons* interpretatur sive *oculus*, et idcirco huic elemento magis congruit, « oculus meus afflictus est, oculus meus deprædatus est animam meam. »

CAPUT LXXVI.

Quod primum hominem diabolus quasi avem venatione ceperit, et quod præterea intus in mente multos tentationum fluctus pertulerit.

ZADI. « Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. » Inimici mei, diabolus et angeli ejus, gratis odientes me, in uno homine me et omne hominum genus ceperunt venatione, decipula ligni concupiscentiæ. ZADI. « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. » Præter illam universalem mundi captionem lapsa est in lacum vita mea, submiserunt enim in funibus me in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, et descendi in cœnum, et quantum in ipsis erat, posuerunt lapidem super me, præfinito consilio ut morerer ibi fame (*Jer.* XXXVIII). ZADI. « Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi : Perii. » Præter illa quæ foris passus sum, intus in mente, « inundaverunt aquæ » et fluctus tentationum, et pene a spe decidens, « dixi : Perii, » juxta quod loquitur et alius : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII.)

CAPUT LXXVII.

Quomodo non desperans invocaverit, et quomodo orare non desinat pro his qui ducti erant captivi, et qualem consolationem divino responso accepit.

COPH. « Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

novissimo. » Vere non desperantis, sed inter spem et metum pugnantis est dixisse : « Perii, » et tamen « invocavi nomen » Domini. Sane lacus novissimus peccatum originale est, quia quisquis illo tenetur, sine dubio a Deo separatus est, nec incerta damnatione concluditur. Illo tam iste qui hæc loquitur, quam omnes homines ante adventum Christi tenebantur, et idcirco « de lacu novissimo » nomen Domini se invocare recte profitetur. Copu. « Vocem meam audisti : ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. » — « Audisti, » inquam, sed jam audisse se, non statim exaudisse est. Nam per omnia penetrantem scientiam audisti, ut per gratiam exaudias orandus es, esto exorabilis, altissime Conditor, depressæ ac pene sepultæ nostræ captivitatis. Copu. « Appropinquasti in die, quando invocavi te, dixisti : Ne timeas. » Tuum quippe est appropinquare pro re, pro universa quantitate calamitatis et miseriæ, propter quod et alius : « Juxta, inquit, Dominus his qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII). » — « Dixisti » profunda vulneratus compassione, dixisti, inquam, « Ne timeas, » quæ paternæ vel maternæ dulcedinis vox est consolatoria.

CAPUT LXXVIII.

Quomodo judicium postulet, qui mala quæ pertulit se commeruisse conscius non est.

Resch. « Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. » — « Judicasti » plane clementi judicatione « causam animæ meæ, » quæ judicatio, redemptio est vitæ meæ. Unde Psalmista : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLVII). » Resch. « Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me, judica judicium meum. » **542** Vidisti oculis, quibus omnia vides, nec insinuatione tibi opus est, « vidisti » et scis « iniquitatem adversum me illorum » pro quibus steti in conspecto tuo, ut loquerer pro eis bona. « Judica » ergo « judicium meum, » nec sine fructu perire patiaris laborem meum. Resch. « Vidisti furorem omnem, universas cogitationes eorum adversum me. » Ut jam non tantum de exterioribus loquar pressuris, « omnem furorem » contra quos postulo judicium, « universas cogitationes » visibilium et invisibilium inimicorum meorum « adversum me tu vidisti. » quia tu solus laborem et dolorem consideras, ut Psalmista dicit (*Psal.* X) : « Judica » ergo « judicium meum discerne causam meam. »

CAPUT LXXIX

Adversus eos qui malis student, et hostes sunt innocentiæ.

Schin. « Audisti opprobria eorum, Domine, omnes cogitationes eorum in malum adversum me. » Ex quo sanguis Abel justi primam vocem clamoris ad te de terra emisit, continuata generationis nequam adversus generationem electorum tuorum opprobria tua audisti, nec opus est ut quis doceat te, qui omnia scis. Schin. « Labia insurgentium, et cogitationes eorum audisti adversum me tota die. » Non solum labia quæ homo potuit audire, sed et cogitationes eorum audisti, imo et vidisti, Domine, juxta illud : Homo videt in facie, Deus autem in corde (*I Reg.* XVI). Tota die insurrexerunt, « tota, inquam, die, » id est, non ad horum, sed perseveranter cogitaverunt, et locuti sunt adversum me. Schin. « Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide. Ego sum psalmus eorum. » — « Vide, » inquam, spectaculo dignam « sessionem, et resurrectionem eorum, » quam diversa, quam dissimilis sit sessioni piorum, resurrectioni justorum. Nam pii vel justi bene sedent, ut bene resurgant, id est humiliantur, ut exaltentur, juxta illud : « Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris (*Psal.* CXXVI), » isti autem nequissima sessione se submittunt in hypocrisi, ut decipiant, et, cum id effecerint, resurgunt atrociter, et tanquam pro victoria in rebus pessimis exsultant. Nam cum ita resurrexerint, « ego sum psalmus eorum. » Unde dicit caput omnium nostrum » : Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum (*Psal.* LXVIII). »

CAPUT LXXX

Quod non imprecando, sed concedendo dicit : « Redde eis vicem. »

Thau. « Redde eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. » Non imprecantis animo, sed concedentis dico « redde, » sciens constantiam justitiæ tuæ, de qua et Psalmista : « Quia tu reddes, inquit, unicuique juxta opera sua (*Psal.* LXI ; *Matth.* XVI). » Thau. « Dabis eis scutum cordis laborem tuum. » Prima hæc erit redditio, ut obscures et claudas cordis eorum oculos, ne cognoscant te quem cognoscere merces piorum est. Laborabis ipse, qui ad laborem misisti nos ; laborabis, inquam, usque ad mortem in peccatis eorum, et hoc erit « eis scutum cordis, » ut non credant in te, pro eo quod te adeo laborasse audierunt. Thau. « Persequeris in furore, et conteres eos sub cœlis, Domine. » Secunda hæc erit redditio, qua persequeris, et conteres eos æterna contritione in novissimo magni judicii die.

CAPUT LXXXI.

Quomodo omnium illorum qui prophetas et justos persecuti sunt crudelissimi ac perditissimi fuerint Judæi, qui Christum occiderunt, et quomodo propter hoc obscurati et dispersi sunt.

(Theren. cap. IV.) Horum omnium qui prophetas et sanctos omnes persecuti sunt, et incolatus eorum quo in hoc mundo peregrinantur, dolorem continuum persequendo auxerunt ; eorum, inquam, omnium crudelissimi atque perditissimi Judæi exstiterunt, qui peregrinantem in hoc mundo Dei Filium pauperem et dolentem persecuti sunt, et percussum a Patre obedientissimæ charitatis vulnere, nequissima morte percusserunt, quemadmodum ipse per Prophetam justam querelam depromens : « Quoniam quem tu percussisti, inquit, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt (*Psal.* LXVIII). » Damnationem illorum novissime hic lamentator per justitiam concesserat, dicens : « Redde eis vicem,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Domine, juxta opera manuum suarum, dabis eis scutum cordis laborem tuum, persequeris in furore, et conteres eos sub cœlis, Domine, » nunc jam per naturalem pietatis affectum deplorat, sic incipiens : ALEPH. « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. » Dolentis pariter et admirantis est dicere, « quomodo obscuratum est aurum, quomodo mutatus est color optimus. » Aurum coloris optimi, Judæi erant, ex quibus salus est, unde Apostolus : « Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter patres (*Rom.* XI). » Quomodo aurum hoc, mutato colore, obscuratum est? Quomodo cæcitas contigit in illis? Quomodo obscurati sunt oculi eorum, ne videant? Adhuc autem cum fuissent « lapides sanctuarii, » et ex illis ædificari cœpta fuisset domus Domini, quomodo « dispersi sunt in capite omnium platearum? » Perciderunt quippe suum et locum et gentem, et projecti spiritualiter foras de sanctuario Domini, ita ut sint « dispersi in capite omnium platearum, » id est principes vagantium, vel terrena quærentium, et cupidissimi omnium cupidorum, corporaliter quoque in omnes gentes dispersi sunt, et captivi in singulis civitatibus, parvas plateas ad habitandum sibi locaverunt.

CAPUT LXXXII.

Quomodo Judæi primo inclyti, et quo auro fuerint amicti, et quomodo nunc vasa testea sunt.

BETH. « Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli. » — « Inclyti, inquam, filii Sion, et amicti auro primo » erant. Quomodo vel quam inclyti? Multum inclyti, quemadmodum Apostolus dicit : « Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Multum ergo inclyti. Quomodo « amicti auro primo? » Nimirum quia primum « credita sunt illis eloquia Dei (*Rom.* III). » Denique aurum primum lex et prophetæ sunt, **543** quo videlicet auro tantum exterius amicti erant, non enim in dilectione cordis, sed in ostentatione oris illud habuerunt. Ecce ergo « reputati sunt ut vasa testea, opus manuum figuli, » confracti virga ferrea regis a Deo Patre constituti, quia noluerunt eumdem audire prædicantem præceptum Domini (*Psal.* II.)

CAPUT LXXXIII.

De crudelitate lamiæ, id est gentis illius in comparatione lamiæ, quia filios suos occidit, dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super, » etc.

GIMEL. « Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. » Lamia monstrum animal est, a laniando dictum. Attamen naturalem erga fetus suos habet affectum. Idcirco nunc ait : « Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. » Et est sensus : Omnes naturæ animantium, omnium jumentorum, et reptilium, et bestiarum terræ, sed et lamiæ, quæ non tam bestiæ quam monstra sunt, naturalem erga fetus suos habent affectum. At vero « filia populi mei » nimium « crudelis, » nec saltem mammam nudavit infelicissimis catulis suis. Cui ergo poterit comparari? Unum est animal struthio, quod in similitudinem avis pennas habet, non tamen altius levatur a terra, tantæ, tamque obliviosæ crudelitatis, ut projecta in pulvere ova sua derelinquat. Huic similis est filia populi mei, speciem quidem virtutis habens, sed virtutem volandi in altum non habens, crudeli animo plebeculam simplicem, quam ad æternam debuerat fovere salutem, in pulvere perditionis obliviscens. Parum pro similitudine dictum est, sed non erat aliud monstrum sive animal, quod totius crudelitatis ejus similitudinem exhiberet. Neque enim filia populi mei posteros suos, ut struthio ova sua solummodo derelinquit, sed insuper et occidit, dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » DALETH. « Adhæsit lingua lactantis ad palatum ejus in siti. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. PHE. « Qui vescebantur voluptuose interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora. » Hæc tam corporaliter quam spiritualiter miseris acciderunt Judæis, quibus nondum natis, ut ante dictum est, hæreditarius a crudeli matre sua Synagoga derelictus est sanguis Christi. Legamus excidium miseræ Hierusalem, et videbimus parum hic dictum esse pro magnitudine famis et sitis. Porro spiritualiter extunc usque hodie lingua lactantis adhæret « palato ejus in siti, » et non est qui panem frangat petentibus parvulis, nimiam quippe habent famem et sitim audiendi verbum Dei, non quod desiderent verbum Dei, sed quia malunt interire quam frangere sibimet panem Scripturarum, ut vivant ex medulla intelligentiæ spiritualis. Olim « vescebantur voluptuose, et nutriebantur in croceis, » utpote filii regni, et propter fidem patrum charissimi, nunc autem intereunt in viis malignis spiritibus oppositi dum amplexantur stercora, id est fidunt in carnalibus cæremoniis, quas et Apostolus detrimentum facit, et arbitratur ut stercora (*Phil.* III).

CAPUT LXXXIV.

Quomodo major effecta est iniquitas populi illius peccato Sodomorum, et quomodo dictum sit : « Et non ceperunt in ea manus. »

VAU. « Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. » Plane major effecta est, major culpa, major pœna. Nam iniquitas Sodomorum quousque progressa est? « Et non ceperunt in ea, inquit, manus. » Legimus quod in ea, dum apud justum Loth hospitaretur Dominus, vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul, et dixerunt : « Educ viros huc, ut cognoscamus eos (*Gen.* XIX). » Magna iniquitas, sed

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« non ceperunt in ea manus, » id est, non usque ad effectum operis progressum est scelus. Iniquitas autem populi civitatis meæ quousque progressa est? Cum hospitaretur in ea, et Pascha celebrasset Dominus, vallaverunt eum, exeuntes cum gladiis et fustibus (*Matth.* XXVI), et ceperunt in ea manus, videlicet eum, quem in Sodoma « non ceperunt manus, » ceperunt, inquam, comprehenderunt, illuserunt, flagellaverunt, occiderunt. Ergo « major populi mei iniquitas peccato Sodomorum, » et idcirco major et pœna. Nam Sodoma subversa est in momento sine manibus, populus autem meus diu cruciatus, tandem subversus est, tam suis quam Romanorum manibus.

CAPUT LXXXV.

Quomodo Nazaræi gentis illius candidiores nive, nitidiores lacte, etc., *fuerint, et quorum facies modo denigrata sit.*

ZAIN. « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores » CHETH. « Denigrata est super carbones, facies eorum et non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum. » Vere ergo « mutatus est color optimus. » Quanti enim, quam pulchri fuerunt populi hujus Nazaræi? « Nazaræi, » id est sancti ejus, fuerunt Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Samuel et David, et cæteri omnes sancti, « qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones (*Hebr.* XI). » Isti « Nazaræi candidiores nive, nitidiores lacte » fuerunt. In nive sola est candoris pulchritudo, in lacte cum nitore est et saporis dulcedo. Parum ergo erat fuisse candidiores nive, nisi fuissent et nitidiores lacte, id est, parum fuisset propria sibimet munditia candidos fuisse, nisi venientibus ad se per sermonem suum gustum præbuissent dulcedinis æternæ. Sed et cum candidi et nitidi essent, passionibus superadditis quemdam purpureum traxerunt ruborem. Nam ludibria, et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres. « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. » Ergo « rubicundiores ebore antiquo, » quod videlicet os casti animalis est, et cum fuerit candidum, majorem ex rubore pulchritudinem habet. Tandem « sapphiro pulchriores, » id est cœlestibus mansionibus non indecentes. Nam sapphirus cœli sereni speciem habet, **544** et ipsa specie bene cœlestes designat mansiones. Nunc autem « denigrata est super carbonem facies eorum. » Quorum eorum? Videlicet filiorum, qui de Nazaræis patribus cum nati fuerint, et ipsi per fidem Nazaræi esse debuerunt. « Super carbones, » inquam, denigrati sunt, id est, omni gratia perdita, qua quondam vivebant, exstincti et obscura mentis cæcitate denigrati sunt. « Et non sunt, inquit, cogniti in plateis. » Quis enim eos dignetur cognoscere, quod semen Abrahæ sint? Dicitur « in plateis, » cantatur eis in triviis : « Semen Chanaan et non Juda, pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa (*Ezech.* XVI). » — « Adhæsit cutis eorum ossibus, » id est dediti sunt carnis sensibus. Cutis enim, id est exterior religio, quæ candere ut nix, nitere debuerat ut lac, aruit et facta est quasi lignum perdita venustate fructuum, delapsa pulchritudine foliorum. TETH. « Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumpti a sterilitate terræ. »

CAPUT LXXXVI.

De horrenda Judaicæ obsidionis fame, ubi « manus, inquit, mulierum misericordium coxerunt filios suos. »

JOD. « Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritionem filiæ populi mei. » Plane et absque cunctatione « melius, » id est, levius « fuit occisis gladio quam interfectis fame. » Non modo quia compendiosius mortem perpessi sunt, verum quia plurimam ad augendorum scelerum necessitatem evaserunt. Quantum enim fuit, quod dum paulatim fame extabescunt, inter ipsas diræ consumptionis moras « manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, et facti sunt cibus earum? » Hoc enim fecisse legitur mulier quædam, Maria nomine, genere et facultate nobilis, quæ cum reliqua multitudine Hierosolymis reperta, communem cum omnibus obsidionis casum ferebat. Dolenda vero, et lamentationi congruens ironia, qua mulieres ejusmodi præ fame in insaniam atrociter conversas misericordes appellat. CAPH. « Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. » Ubi hæc secundum furorem suum Dominus locutus est? In Moyse, inter multas et horrendas maledictiones, quas utique prophetica veritate comminatus est : « Homo, inquit, delicatus vita et luxuriosus valde invidebit fratri suo, et uxori quæ cubat in sinu suo, ne det ei de carnibus filiorum suorum quas comedet, eo quod nihil habeat aliud in obsidione et penuria, qua vastaverint te inimici tui, intra omnes portas tuas (*Deut.* XXVIII), » etc.

CAPUT LXXXVII.

Quomodo non crediderint prædicenti quod hæc mala ventura essent eis, et apostolis ejus clamaverunt, « Recedite, recedite, abite, » et illi ad gentes conversi sunt.

LAMED. « Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores urbis, quoniam ingrederetur hostis inimicus per portas Hierusalem. » MEM. « Propter peccata prophetarum ejus et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. » NUN. « Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine. Cumque non possent intrare, tenuerunt lacinias suas. » — « Reges terræ » et principes, qui astiterunt et convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus (*Psal.* II), imo « et habitatores urbis, non crediderunt, » quod propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum, « ingrederetur hostis inimicus per portas Hierusalem. » « Non, inquam, crediderunt, » cum audirent sibi prædicentem : « Ut veniat super vos omnis sanguis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*Matth.* XXIII). » Item : Cum illum flevisse super civitatem audissent, et dixisse : « Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo (*Luc.* XIX), » etc., non crediderunt. Parum est, non crediderunt; insuper et ipsum occiderunt, et occidendo mensuram patrum suorum impleverunt. Idcirco erraverunt cæci in plateis, ita ut exemplo Sodomorum, non possint invenire ostium (*Gen.* XIX), quia polluti sunt sanguine ejus qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* X). » Cumque non possent, subauditur, tenere eum, tenuerunt lacinias suas, id est, cum veram non apprehenderint justitiam, inanes ceremonias, vanas et pannosas sectati sunt carnis justitias. SAMECH. « Recedite, polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere. Jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt : Inter gentes non addet ultra ut habitet in eis. » Idcirco cæci in plateis sanguine polluti erraverunt, quia postquam prophetarum et ipsius prophetarum Domini sanguinem fuderunt, clamaverunt prophetis, sapientibus et scribis quos misit ad eos (*Matth.* XXIII), clamaverunt, inquam, persequendo de civitate in civitatem, et jurgati sunt atque commoti, seditiones excitando in apostolos Christi, et dixerunt : Recedite, polluti, recedite, abite, nolite tangere, nolite loqui nobis in isto nomine. Hoc dixerunt inter gentes, et hæc dicendo fecerunt ut abirent ad gentes, et dicerent eis : « Vobis quidem primum oportebat loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Ergo non addet, inquit, ultra ut habitet in eis, ita ut recedens dicat : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). »

CAPUT LXXXVIII.

Quomodo facies Domini diviserit eos in ipsa obsidione pro intestina discordia, quia Barabbam seditionis auctorem elegerant sibi Christum crucifigentes, quem tandem reliquiæ Israel cognoscentes, dicent : « Lubricaverunt vestigia nostra, Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. »

PHE. « Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos. Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. » Propter hæc « facies Domini, » facies irata, qualis juxta Psalmistam est vultus Domini super facientes mala (*Psal.* XXXV), « divisit eos, » divisit, inquam, multiplici divisione adversum semetipsos. Antequam ingredcretur hostis Romanus per portas Hierusalem, cum adhuc clausi essent, triplici (ut Josephus refert) semetipsos intus bello dilacerabant, et illam legenti miserabilem tragœdiam satis claret, quam vere hic dictum sit, « facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. » — « Non, inquit, addet, » subauditur Deus, « ut respiciat eos, » sed propriis seditionibus divisos interire permitter-

A 545 eos. Et merito, quia, data sibi optione, Barabbam seditionis auctorem dimitti sibi petierunt, regem autem suum pacificum occiderunt. AIN. « Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem quæ salvare nos non poterat. » ZADI. « Lubricaverunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. » Dicant hoc saltem reliquiæ Israel, dicant ut convertantur et salventur. Quid mirum, si postquam occidendo Christo Domino cecidimus, ita « facies Domini divisit » nos? Nempe et « cum adhuc subsisteremus, » antequam in morte ejus ruinam nostram perpetrassemus, « defecerunt » multoties a Domino Deo no-
B stro « oculi nostri » conversi « ad auxilium nostrum vanum, » respicientes attenti « ad gentem quæ salvare non poterat. » Verbi gratia, sperantes in Ægypto, in equis et equitibus fiduciam habentes, Baal quoque et vitulos pro Deo colentes. Hoc modo « lubricaverunt vestigia nostra, » et claudicavimus in duas partes, « in itinere platearum nostrarum, » id est in idololatria licentiosa, et plena scelerum. Plateæ namque latæ viæ sunt, et vagum atque licentiosum designant idololatriæ ritum. Idcirco appropinquavit finis noster, idcirco completi sunt dies nostri, et justus est Dominus qui hæc fecit nobis. COPH. « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. » — « Venit, » inquam, et cito
C venit « finis noster, » nec in tempora longa factum est istud. « Velociores enim fuerunt persecutores nostri aquilis cœli. » Qui enim fuerunt persecutores nostri, nisi peccata nostra? Porro de velocitate peccati persequentis loquitur Deus ad Cain : « Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit (*Gen.* IV). » Igitur « persecutores, » id est peccata nostra « velociores fuerunt aquilis cœli, » quia ubi peracta sunt, statim in foribus adfuerunt, ut nullum usquam pateret effugium. « Super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. » Idcirco Psalmista dicit : « Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus (*Psal.* LXXIV), » subauditur, patet
D locus effugii, « quoniam Deus judex est (*ibid.*). » Metaphoricos per montes superbiam peccantium, per desertum desertionem a Deo significat, juxta quod ipse : « Ecce, inquit, relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » RESCH. « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. » Quæ tandem velocium persecutorum nostrorum, quæ peccatorum nostrorum velociter nos persequentium summa est? Nimirum mors Christi Domini, quia captus est in peccatis nostris, quia scelere nostro ad mortem ductus est, et cum cui diximus, antequam veniret : « In umbra tua vivemus in gentibus, » id est in gratia tua salvabimur, et ab omni gente non sancta discernemur, hæc enim

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et hujusmodi de illo in Scripturis legebamus, eum, inquam, in peccatis nostris cepimus et in mortem tradidimus. Hoc facto nosipsos occidimus, nam spiritus oris nostri ipse Christus Dominus, Spiritus, inquam, sine quo nusquam vita est, nusquam salus, et sine quo mortuum ac sine anima est, quidquid ore nostro ex lege aut prophetis legimus, vel scire nos arbitramur.

CAPUT LXXXIX.

Quomodo lamentationes omnes consolationis bona spe concludat, dicendo cum ironia : « Gaude et lætare, filia Edom, completa est, etc., » *per Edom omnes terrenos qui persecutionem inferunt, per Sion omnes electos qui persecutionem sustinent, significans.*

Schin. « Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus. Ad te quoque pervenit calix, inebriaberis atque nudaberis. » Thau. « Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra ut transmigret te. Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom, discooperuit peccata tua. » Lamentationum conclusio bona, consolationis spe lamentatorem recreat, tum de imminente et certissima hostium vindicta, tum de sanctæ Sion, quæ captiva fuerat, visitatione et liberatione æterna. « Gaude, inquit, et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus. » Nomine Edom, quod interpretatur *terrenus* sive *sanguineus*, universos hostes cœlestis Hierusalem, quia vere terreni sunt, significat. Sic Psalmista, cum eodem quo et iste spiritu lamentando dixisset : « Super flumina A Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion (*Psal.* CXXXVI), » etc. Hostes ejusdem Sion hoc eodem significans nomine, dixit ad Dominum : « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem. Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (*ibid.*). » — « Gaude, inquit, et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus, » id est quæ terrenum habes fundamentum, quæ hic recipis consolationem tuam. Hus quippe *consolator* interpretatur. Gravis ironia. Unde enim gaudeas et læteris, filia Edom? Quia « ad te quoque perveniet calix iræ Dei, quo inebriaberis, et nudaberis. » Bibes enim fel sempiternæ amaritudinis, et æterna confusione ignominiosa eris. « Tua autem iniquitas completa est, o filia Sion, » id est pœna vel captivitas tua B temporalis est, « non addet ultra ut transmigret te, » finita hac præsentis sæculi transmigratione, vel captivitate. « Visitavit iniquitatem tuam, » scilicet Deus, o « filia Edom, discooperuit peccata tua. » Repetitio, confirmatio damnationis et confusionis Edom. Hic quidem propheta hostes supernæ Hierusalem semel et iterum designat per Edom, cum si solam attenderet historiam, potius nominare debuisset Babylonem. Psalmista vero primo quidem per Edom significat eosdem hostes Hierusalem, dicendo : « Memor esto, Domine, filiorum Edom, » deinde autem per Babylonem, dicendo : « Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam (*ibid.*). »

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN EZECHIELEM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

(Ezech. I-XII.)

546 CAPUT PRIMUM.

Quomodo, in afflictione civitatis, sanctis prophetis increbuerunt consolatoriæ visiones futuri regni Dei.

Hac mundi ætate quinta, quam præcedenti volumine sumus ingressi, sanctis in Babylone captivis, propheticæ crebrescunt visiones regni Dei, quarum C claritas sic illud citius affuturum denuntiat, quomodo albescente aurora solem in proximo adesse nemo qui ambigat. Nec enim solis jam, ut ante, verbis Spiritus sanctus in aurem loquitur prophetarum, sed et quasdam imagines quibus oculos videntium familiarius instruat, digito Dei, qui est ipse, præ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pingit. Verbi gratia : Ubi ante captivitatem istam visus est Filius hominis veniens in nubibus cœli, ut daretur ei regnum et honor, et omnis populus, tribus, et linguæ servirent ei. O venerabilis ordo regni Dei! o rationabilis et opportuna consolatio regis Dei! Non venit hoc regnum cum festinatione, quemadmodum regnum hujus mundi, de quo rectissime dictum sit : « Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimis suis benedictione carebit (*Prov.* xx). » Festinavit Cain terræ ambitor ædificare civitatem, et vocare nomen ejus ex nomine filii sui Enoch, occiso Abel fratre suo (*Gen.* iv). Extunc a filiis hujus sæculi festinatum est ad regnandum, usque dum venit diluvium et perdidit omnes. Post hoc surrexit Nemroth potens in terra, et robustus venator coram Domino, et hic festinus regnavit. Fuit autem principium regni ejus hæc ipsa, de qua nunc loquimur, Babylon (*Gen.* x). In ista regnabatur, et jugum ferreum regis ejus Nabuchodonosor, posuerat nunc Dominus super collum cunctarum gentium (*Jer.* xi). Porro regnum Dei veniebat interim, cum dilatione, et cives ejus propter spem illius de terra, et de cognatione sua egrediebantur, « non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram (*Hebr.* xi). » Nunc maxime confortato regno mundi peregrinabantur, et hospites erant, imo et captivi cives regni Dei, et dicebant præsenti captivitatis loco commoniti. « Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra (*Psal.* cxxxvi), » etc.

CAPUT II.

Quod Ezechiel propheta difficilis sit, et quod in prima visione recte quæri debeat quomodo quatuor animalia unum animal sint.

Igitur revelationes regni Dei debita cum veneratione suscipientes, ad prophetam Ezechiel accedamus, cujus difficultatem, ut ait beatus Hieronymus, Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii, id est tricesimum annum impleverit, nec principia libri Geneseos, nec Canticum canticorum, nec hujus voluminis exordium, et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. Item dicit : « De hac visione prolixius diximus, quia et obscura est, et a multis varie exponitur. » Sed et beatus papa Gregorius secundum dulcedinem gratiæ sibi collatæ plenissime dixit, de prophetia præscripti, id est tricesimi anni usque ad illum locum : « Et tu, sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem (*Ezech.* iv). » Cum ergo de hac visione tanti viri dixerint, et ante ipsos a multis varie exposita sit, et ut fatentur ipsi, multum habeat obscuritatis, nos quid faciemus? Tenemur quippe nostri voluptate propositi, ut ne in isto quidem propheta tam arduo, tanquam difficili tædeat nos immorari, quærendo testimonia gloriæ Christi Filii Dei. Fatemur enim aliquid non parvum de obscuro superesse, quod adhuc studiosius elucidandum sit. Quid est illud? Nimirum similitudo quatuor animalium. In quo hæc similitudo quidquam adhuc obscuritatis aut difficultatis habet? In eo videlicet, quod et quatuor animalia dicuntur, et animal unum. Nam sic in prophetia anni sexti post multa legimus : « Ipsum est animal quod videram juxta fluvium Chobar. Cumque ambularent Cherubin, ibant et pariter rotæ juxta ea (*Ezech.* x). » Ac deinceps : « Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chobar. Et intellexi quia cherubin essent. Quatuor per quatuor vultus uni, et quatuor alæ uni, et similitudo manus **547** hominis sub alis eorum, et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram, juxta fluvium Chobar (*ibid.*). » Igitur animalia ipsa, quæ et quatuor sunt, et unum, duce Spiritu sancto, quærere cupimus, nihil metuentes quod in visione a multis propter suimet obscuritatem varie exposita, varietatem seu multitudinem expositionum auxerimus. Nam ipsum animal quod quærimus, cum inventum fuerit, tale ac tantum est ut solo nomine, vel auctoritate sua parvitatem nostram, si opus sit, ab omnium qui hæc visuri sunt contemptu vel indignatione defendere possit.

CAPUT III.

De ipso propheta, quomodo ejusdem, cujus visionem vidit, typum gesserit Filii Dei. Quid ventus turbinis, et quid nubes magna, et quid involvens ignis, et cætera quæ adjecta sunt quid sint.

(Cap. I.) « Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus. Et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis, et ex medio eorum similitudo quatuor animalium et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, et quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, et pedes eorum pedes recti, et planta eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Videns iste, qui in propria vel prima persona nunc dicit, « et vidi, » præmisit secundum tertiam personam de semetipso loquens : « Et facta est super eum ibi manus Domini. » At idem et ante hoc per primam personam dixit : « Aperti sunt cœli et vidi visiones Dei. » Itaque veritatem servat conjunctam humilitati, ut pro humilitate dicat, « facta est super eum manus Domini, » et pro necessaria rei veritate dicat, « et vidi visiones Dei. » Porro cum dicit, « visiones Dei, » pulchre et recte subintelleximus Filii, de Deo Dei, quia nihil melius occurrere potest intellectui, quam ad propriam visiones istas pertinere personam Filii Dei, quem et nomine significat. Ezechiel namque interpretatur *fortitudo Dei*. Porro Buzi *contemptus* sive *spretus* interpretatur. Et recte Dei Filius per Ezechiel filium Buzi sacerdotem designatur, quia, cum sit fortitudo Dei, « sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* cix), » secundum carnem filius est populi contemptibilis, populi Judaici, ex eo con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tempti, quod eumdem filium suum contempsit. Itaque visiones istæ Dei, revelationes sunt adventus Christi Filii Dei, qui rectissime in isto propheta, alibi unum animal dicitur, alibi quatuor animalia, videlicet propter quatuor necessaria nobis Evangelii sui sacramenta, quæ postmodum singula propriis speciebus agnoscenda sunt. Visuro autem adventum hujus Filii Dei pulchre et causa præostenditur, propter quam illum nobis advenire necessarium fuit. « Et ecce, inquit, ventus turbinis veniebat ab aquilone, » etc. Ventus turbinis ab aquilone venit, quando frigidus a charitate Dei, diabolus flavit, et turbine tentationis genus humanum in primis parentibus a beatitudinis statu dejecit. Tunc venit, « et nubes magna, » id est, ejusdem generis humani cæcitas, qua convolutus homo, et inimicus Deo factus, a visione faciei ejus exciderat. Post hæc, « et ignis involvens, » id est, damnatio post hanc vitam peccatores excipiens, et sempiterno horrore convolvens. Attamen « in circuitu ejus splendor, » inquit, quia videlicet in ipsa ira juste illata, divinitas splendere non desiit, creaturam suam prosequens, multisque monitis et signis revocans ad cognitionem sui. Propter hæc utique mediatorem Dei et hominum (*I Tim.* II), Deum et hominem Jesum Christum advenire nobis necessarium fuit. Sequitur ergo: « De medio autem ejus quasi species electri, » id est, de medio ignis. Electrum pretiosissimum, ex auro argentoque confectum, una eademque persona jam dicti mediatoris Dei et hominum, in quo pretiosa divinitas ut aurum, nostra vero humanitas mundissima in illo velut argentum est. Talis species electri « de medio ignis, » quia nimirum propter nos damnatus et mortuus, mediator Dei et hominum, talis ab inferis victor ascendit. Et ex medio eorum, scilicet venti, vel turbinis, nubes et ignis, et splendoris in circuitu micantis, « similitudo quatuor animalium. » O visor visionum Dei, si, ut ipse post multa dicturus es, unum est animal, quomodo quatuor numeras? Ait: « Et hic aspectus eorum. Similitudo hominis in eis. Et quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. » Ac si dicat: Unius quidem erat similitudo hominis, Jesu Christi Filii Dei, similitudo, inquam, et nondum res, nondum enim natura erat filius hominis, sed huic « uni quatuor facies et huic uni quatuor pennæ, » quas utique facies, et pennas visionem Dei speranti nescire non licet. Quæ porro illæ sunt? Prima est incarnatio vel nativitas ejusdem hominis Jesu Christi Filii Dei; secunda, passio; tertia, resurrectio; quarta ascensio, vel sessio ad dextram Patris. Facies istas non vidisse nobis non licet, sicut apostolicum catholicæ confessionis symbolum docet: « Credo, inquit, in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. » Sequitur continuo: « Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. » Hoc est unum animal, hic est unus homo, de quo nunc dicit, » similitudo hominis in eis. » — « Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. » A Hæc est facies prima. « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferna. » Hæc est secunda facies. « Tertia die resurrexit a mortuis. » Hæc est facies tertia. « Ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. » Hæc est facies quarta. Tot facies, et totidem pennæ huic uni. Verum quæ facies, eædem et pennæ. Sed facies, quia per fidem cognosci possunt, et cognita necessariæ sunt; pennæ autem, quia ratione humana comprehendi non possunt. « Pedes eorum, pedes recti, » quia videlicet processus eorum justitia sunt Dei, et ad justitiam valent omni credenti. Quid enim rectius aut justius, quam obedientem fuisse Christum Patri in omnibus his? Idcirco continuo B subjungit: « Et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. » Vitulus ex præcepto legis solebat pro peccato offerri multitudinis, sive sacerdotis et multitudinis simul. Ergo planta pedis eorum, ut « planta pedis vituli, » id est finalis utilitas eorum, remissio est peccatorum totius mundi. « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Recolamus quia Redemptor noster incarnatus et passus, postquam resurrexit, et in cœlum ascendit, magnifica hominibus dona scintillavit, quando « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes apostoli, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* II). » Hæc, inquam, recolamus, et sciemus quid dixerit, « et scintillæ quasi aspe- C ctus æris candentis. » Nam dona illa « scintillæ » fuerunt « quasi aspectus æris candentis, » utpote cum fervore charitatis igneæ, longe audibilem reddentia tinnitum evangelicæ prædicationis.

548 CAPUT IV.

Quid facies sit, et pennas per quatuor partes habere, ipsasque invicem junctas esse, et quid quod ait: « Non revertebantur cum incederent. »

« Et manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus. Et facies et pennas per quatuor partes habebant, junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Facies eorum nunc ex parte cognoscimus, pennas D eorum per spem sequimur; speramus enim, quia quod nunc per speculum in ænigmate videmus, tandem facie ad faciem visuri sumus. Manus enim per familiaritatem charitatis contingimus, quibus et trahimur, uti per fidem et spem, eadem charitate opifice, post facies et pennas curramus. « Sub pennis, inquit, manus hominis in quatuor partibus, » quia nimirum in jam dictis quatuor Evangelii Sacramentis, altitudinem consilii divini per fidem aspicere non possemus, nisi inclinata ad nos charitas, familiari nobis tactu blandiretur. « Et junctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum, » quia videlicet sic sibi conjuncta illa, et consociata sunt, ut nihil prosit fidem alterius habere, nisi credas et alterum. Verbi gratia: Quid prodest credere Christum pro

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

salute generis humani passum, nisi credas et de incorrupta Virgine natum? « Non revertebantur, ait, cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Verum est, et sana fide credendum quia, postquam semel incesserunt, non revertentur amplius, neque enim fiet quod impiissima hæresis delirare ausa est, ut iterum Christus nascatur, iterumque patiatur, iterum resurgat, iterumque in cœlum ascendat, sed sicut Apostolus ait: « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* VI). » Item: « Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummationem sæculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit, et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit, exspectantibus se in salutem per fidem (*Hebr.* IX). » Igitur unumquodque coram facie sua gradiebatur, et non revertebatur, quia nimirum singula eorum quæ diximus facta sunt semel, et non iterabuntur.

CAPUT V.

Quid sit in uno Christo facies hominis, facies leonis, facies vituli, facies aquilæ volantis; cur facies leonis a dextris, cur facies vituli a sinistris, et cur facies aquilæ desuper.

« Similitudo autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Et facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper. » Hoc est quod paulo ante diximus, quia cum credidimus propter quod et locuti sumus (*Psal.* CXV), Jesum Christum Filium Dei unicum de Spiritu sancto conceptum, et ex Maria Virgine natum, faciem utique veri intuemur hominis, non in phantasmate, sed in veritate carnis absque peccato concepti et nati. Cum autem itidem passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, et sepultum, ad infernum descendisse credentes confitemur, procul dubio faciem vituli contemplamur, vituli immaculati, qualem non littera, sed in spiritu legis intelligimus, dicente Domino ad Moysen: « Si sacerdos qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino (*Lev.* IV), » etc. de quibus suo loco plenius pro posse diximus. Cum nihilominus credimus et confitemur quia tertia die resurrexit a mortuis, nimirum cum tremula fide et fideli tremore faciem sumpsimus leonis fortissimi, de quo patriarcha Jacob: « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum? (*Gen.* XLIX). Ad summum, cum credimus et confitemur, quia « ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos, » ecce ista est nobis « facies aquilæ, » quam nubes suscepit ab oculis humanis, quemadmodum ipse dixit: « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III). » Notandum interea quod faciem leonis a dextris, faciem autem bovis intuetur a sinistris ipsorum quatuor, id est, unius mediatoris Dei et hominum, in quem dicuntur ista quatuor. Nam per dexteram felicitas, per sinistram designari solet adversitas. « Facies ergo leonis a dextris, » quia nimirum magna illi est felicitas resurrectionis, « facies autem bovis a sinistris, » quia dura et laboriosa fuit illi humilitas passionis, quemadmodum dicebat: « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI); » et: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*ibid.*). » Porro quod facies aquilæ desuper sit, quia in cœlum ascendit, gaudentes videmus, quemadmodum dicit Apostolus: « Videmus Dominum Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum (*Hebr.* II), » etc. Sed et quod inde venturus judicare vivos et mortuos faciem aquilæ respicit, quæ, ut physici perhibent, pullos suos judicare solet. Singulos quippe radiis solis objicit, et eum qui libero aspectu solem intuetur, ut proprium genus agnoscit; eum autem qui reverberatis et palpantibus oculis solem non sustinet, velut adulterinam sui generis maculam damnat atque abjicit. Sic nimirum iste qui ascendit in cœlum, cum inde venerit judicare vivos et mortuos, singulos et omnes nos examinabit, adductos ante terribile illud tribunal suæ vel paternæ majestatis, et quem gloria divinitatis pro conscientia reverberaverit, tradet igni inexstinguibili; quem autem illa suo intuitu dignum judicabit, componet in illum gloriosum et felicem cœtum filiorum Dei.

CAPUT VI.

Cur in Apocalypsi non idem animalium ordo, et quo respiciens Joannes, illic post faciem leonis, hic autem quo intendens propheta prius posuerit faciem hominis, et quo sensu iste quatuor pennas sui, hic autem singula animalia senas alas habere dixerit.

Hic jam recte quæritur cur in Apocalypsi istorum quatuor animalium non idem ordo sit? Sic enim Scriptura illa dicit: « Et animal primum simile leoni. Et secundum animal simile vitulo. Et tertium animal habens faciem quasi hominis. Et quartum animal simile aquilæ volanti (*Apoc.* IV). » Hoc ergo quæritur quid sibi velit ordo tam diversus. Primoque dicimus quia nihil contrarium resonat in eo quod dicit, « primum, secundum, et tertium animal. » Nam **549** hic propheta hujusmodi nomini nihil apposuit, sed hoc tantum, « similitudo, inquit, vultus eorum facies hominis et facies leonis a dextris, » etc. Attamen quoniam prius similitudinem posuit hominis, esto ut idem valeat, ac si dicat, prima facies hominis, et secunda facies leonis aut vituli. Uterque ordo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ratus, neque alter alteri contrarius est, diverso tamen respectu : ille videlicet Veteris Instrumenti, hic autem Novi. Ille consideratione Scripturæ Veteris, hic autem rei gerendæ respectu ordinem suum tenuit. Etenim unus idemque mediator Dei et hominum in Scriptura legislatoris Moysi, prius leo quam homo dictus est. Prius, inquam, leo, et inde vitulus, deinde homo, deinde aquila, per Moysen dicitur. Nam apud illum in libro Genesis Jacob patriarcha dicit : « Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti. Requiescens accubuisti ut leo, et quasi lœena (*Gen.* XLIX). » In libro autem Levitici, per vitulum sine dubio figuratur, qui pro peccato jubetur immolari, et extra castra efferri atque incendi (*Lev.* IV). In Deuteronomio promittitur homo in veritate carnis, et omnis naturæ hominis, dum idem Moyses dicit : « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies ut petisti a Domino Deo tuo in Oreb (*Deut.* XVIII). » Nam qui causas petitionis veraciter attendit, in libro Exodi, plane intelligit illud dictum et hoc promissum, quod Deus homo fieret, cui posset homo loqui. Tandem in Cantico Deuteronomii aquilæ assimilatur cum dicitur : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis (*Deut.* XXXII). » Quod ita recte intelligitur, ut dum dicit : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III), » subaudiamus, expedire nobis, ut « sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, » sic ille faciat nobis, et quo ascendere non possumus, portet nos in humeris suis, portet nos super alas suæ divinitatis. Igitur et ille qui dixit, « animal primum simile leoni, » verum dixit, quia sic res prænuntiata fuerat, et iste qui primam posuit faciem hominis, recte nihilominus fecit, quia sic res adimplenda erat. Etsi rite perpendas, pulchra est contentio, quasi duorum hominum honore se invicem prærevenientium, dum et ille de Novo Testamento sacrum servat ordinem Scripturæ Veteris, et hic de Veteri Testamento sacrosanctum observat effectum, ordinemque evangelicæ novitatis. Sed et illud quæritur quomodo hic dicat, « quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, illi autem et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. » Ad quod breviter dicendum, quia singulæ facies, singulas et eodem sensu senas habent alas, quia videlicet in singulis sacramentis Christi Filii Dei, una eademque excellentia, unus volatus, unus spiritus, una divinitas est, unum Verbum, per quod in sex diebus omnia facta sunt.

CAPUT VII.

Quod recte sancta Ecclesia non nisi quatuor evangelistas recipere voluerit, et quæ facies cui evangelistæ maxime congruit.

Igitur ut superius quærendum proposuimus invenisse nos arbitramur, quia et animal unum, et quatuor animalia sunt, id est unus Christus, et quatuor principalia Christi sacramenta sunt, quorum facies nulli licet ignorare Christianorum, licet comprehendere non possit volatum. Unde vere laudabilis et veneratione digna sanctæ Ecclesiæ studiositas atque diligentia, quæ plures hoc numero habere noluit evangelistas. Siquidem et præter istos, multi Evangelia scripserunt, sicut et Lucas testatur dicens : « Quandoquidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt, visum est, et mihi assecuto a principio omnia, diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem (*Luc.* I). » Bene ergo ne tantæ majestatis materiam turba scriptorum suo, id est humano sensu scribentium, vilem redderet, atque multitudinem dictorum sive rerum mentes atque aures humani generis usque ad fastidium implendo oneraret, terminum posuit magistra discretio sedentis in Ecclesia Spiritus sancti, sufficere judicans quadrigam evangelistarum, cursuro per mundum verbo Evangelii Christi, Dei et hominis, sacerdotis et regis. Istos enim non hominis ordinatio, sed Dei vocatio præparavit, et quasi in speculis gratiæ, quatuor facies hujus propheticæ veritatis in eis expressit. Denique in Matthæo facies hominis, in Marco facies leonis, in Luca facies vituli, in Joanne facies agnoscitur aquilæ volantis. Hoc pene cunctis notum est, licet de Matthæo et Marco diversa dixerint magni doctores. Alii in Matthæo faciem hominis, et in Marco faciem leonis, atque alii econtra in Matthæo faciem leonis, et in Marco suscipientibus faciem hominis. Nec vero soli evangelistæ, sed et quique fidelium singuli pro modulo suo facies istas imitari possunt, sectando cum fide prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Christianum quippe prudentem esse, id est hominis Christi faciem habere, temperantem esse, crucifigendo carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, id plane est faciem vituli habere; fortem esse in adversis, id est faciem leonis; justitiam tenere, id est faciem habere aquilæ volantis.

CAPUT VIII.

Quomodo facies et pennæ animalium desuper extentæ sint, quæ duæ pennæ et quomodo jungi, quomodo corpora eorum tegere, et ipsa animalia quomodo ubi erat spiritus impetus, illuc isse vel ire, et non reverti dicantur.

« Et facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper. Duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum. » Facies animalium, et pennæ eorum desuper extentæ sunt, quia neque de terra sunt, neque de terra loquuntur, sed desursum sunt, et sursum tendunt, sursum vocant rationalis hominis animum, ut contemnat quidquid in imo est, dicatque : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III). » Porro duæ pennæ singulorum quæ conjunguntur, et duæ quæ tegunt corpora eorum, eædem sunt, omnes Scripturæ altisonæ divum testamentorum evangelicæ fidei testimonium perhibentium,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

omnes istæ junguntur et concorditer sonant ad aperiendum fidelibus. Junguntur nihilominus ad tegendum et claudendum infidelibus, quemadmodum dicit Apostolus : « Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei (*II Cor.* IV). » — « Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. » Et supra dixit, quia non revertebantur **550** cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. Possemus arbitrari quod tantum pro firmamento rei repetitio facta sit, nisi quia interpositum est, quod non otiosum existimamus, « ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. » Quamdam utique, id quod dicitur, gradientium sonat acrimoniam, pugnantium constantiam, vincentium triumphalem gloriam. Quis enim nesciat quia sacramenta Evangelii per mundum gradi cœperunt duce sancto Spiritu, et illuc tantum gradi potuerunt Evangelii præcones, « ubi erat spiritus impetus? » Alioqui nisi fortissimo ferrentur spiritus impetu, tanta fuerunt obstacula contradicentium, ut inaniter graderentur et ambulantia in vacuum reverterentur. Sed dicit ipse homo et Deus, sacerdos et rex, suis quadrigis, suis animalibus : « Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis; Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quæ oporteat dicere (*Luc.* XII). » Item : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus (*ibid.*). » Igitur « ubi erat spiritus impetus, illuc gradiebantur, et non revertebantur cum ambularent, » id est duce ac principe belli sancto Spiritu sine victoriæ effectu non revertebantur, cum adversus principem mundi diabolum dimicarent. Nempe hoc est quod per alium prophetam de verbo suo loquens Deus : « Non revertetur, inquit, ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud (*Isa.* V). »

CAPUT IX.

Quomodo aspectus animalium quasi carbonum ignis ardentium aspectus sit, et quis ille ignis, et quod de igne fulgur egrediens erat.

« Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. » Bona similitudo animalium, bonum utrobique habens effectum, hinc comburens quasi aspectus carbonum ardentium, illinc illuminans quasi aspectus lampadarum. Nihil verius, nihil Christianæ fidei certius atque constantius. Quid enim consequimur, tendendo in aspectus hujusmodi animalium? Quid accipimus credendo in unum Jesum Christum Dei Filium, de Spiritu sancto ex Maria Virgine conceptum et natum, deinde passum, crucifixum, mortuum ac sepultum, deinde a mortuis tertia die propria virtute suscitatum, deinde super cœlos elevatum usque ad paternæ majestatis consessum? Quid, inquam, vultus istos aspicientes, ista credentes et confitentes consequimur vel accipimus? Nimirum geminum Spiritus sancti donum, quorum alterum et primum remissio est peccatorum, alterum et secundum diversarum est distributio gratiarum. Primo namque vultuum istorum intuitu, id est prima Christi confessione, dum baptizamur, remissionem peccatorum accipimus, et illic aspectus animalium sic nobis est, « quasi carbonum ignis ardentium ; » comburuntur enim atque consumuntur illic omnes sordes præcedentium delictorum. Deinde secundo vultuum eorumdem intuitu, cum impositionem manuum accipimus, divisiva singulis gratia tribuitur, prout vult Spiritus sanctus, atque illic nobis sunt « quasi aspectus lampadarum. » Lucet enim proximus quisque nostrum in gratia quam accepit, alius in fide, alius in sermone sapientiæ vel scientiæ, alius in operatione virtutum (*I Cor.* XII). Bona igitur et operosa « similitudo aspectus animalium. » Quid porro vel quomodo erat, imo quæ est « hæc visio discurrens in medio quatuor animalium splendor ignis, et de igne fulgur egrediens? » Profecto splendor serenam lucis pulchritudinem, fulgur egrediens molestum affert timorem. Ergo « splendor ignis » lucida est serenitas charitatis, « fulgur egrediens » severitas est timoris Dei. Et ordine quidem vel actu prior est amor, posterior vero timor. Igitur quia ex uno eodemque animalium istorum contuitu et ignis splendet charitatis, et pœnalis egreditur fulgur timoris, quem perfecta charitas foras mittit (*I Joan.* IV), recte dictum est, « hæc erat visio discurrens in medio quatuor animalium? » Nam quandiu in hoc mortali corpore sumus, singulis nostrum visio talis discurrit, dum anima Dei et supernæ gloriæ contemplatrix, nunc amore dilatatur, nunc timore constringitur ex uno eodemque igne cœlestis desiderii. Nam etsi multum in charitate profecit, quæ perfecta servilem timorem foras mittit, attamen illo timore non caret, de quo scriptum est : « Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII). » Hic timor diligentem, etiam reverentem et religiosum facit, non jam quidem servientem in timore, attamen exsultantem cum tremore, quia quamvis diligat et diligendo exsultet, nemo tamen scit utrum amore an odio dignus sit (*Eccle.* IX). Et siquidem scit, juxta illud : « Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei (*Rom.* VIII), » non tamen scire præsumit, sed sciens quodam modo nescit, et nesciens aliquo modo scit.

CAPUT X.

Quando animalia revertantur in similitudinem fulguris coruscantis, cum supra dictum sit « quia non revertebantur. »

« Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » — « Revertebantur, » inquit. At idem supra, semel atque iterum dixit, quia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« non revertebantur. » Num idem affirmat quod negavit? Non utique, sed diversi sunt modi reversionis. De duobus modis qui non revertuntur, supra diximus, nunc dicere oportebat, quonam modo vel quibus modis revertantur. Primo fidelium neminem latet quod animalia hæc tunc reversura sint in similitudinem fulguris coruscantis, quando cum potestate magna et majestate veniet judicare mundum, quemadmodum dicit : « Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis (*Luc.* XI; *Matth.* XXIV). » Tunc, inquam, hæc animalia revertentur, tunc enim ad convincendum impios, et lætificandum pios, palam omnibus fiet quam vere unus idemque mediator Dei et hominum Christus, homo, et vitulus, et leo, et aquila sit, id est, quam vere cum Deus esset, carnem assumpserit, et pro omni mundo passus sit et resurrexerit, atque in cœlum ascenderit. Deinde sciendum quia cum baptizamur, vel baptizamus in nomine Christi Jesu, itemque cum sacrosanctum corporis ac sanguinis ejus mysterium in sancto altari celebramus, hæc animalia sine dubio præsentia invisibili ad nos revertuntur. Nam de reversione illorum, secundum baptismi sacramentum Apostolus loquitur : « Omnes quicunque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI). » Porro de reversione secundum corporis et sanguinis ejus sacramentum, idem dicit : « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (*I Cor.* XI). » **551** Igitur et revertuntur animalia hæc, reversione quidem vel præsentia invisibili, sed actu vel sacramento visibili, unde dicit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). »

CAPUT XI.

Quid sit rota una apparens juxta animalia, quæ ejus quatuor facies; quid sit quod dictum est, « quasi visio maris; » quomodo una similitudo ipsarum quatuor, quomodo rota in medio rotæ.

« Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram, juxta animalia, habens quatuor facies, et aspectus rotarum et opus earum, quasi visio maris. Et una similitudo ipsarum quatuor et aspectus earum, et opera quasi si sit rota in medio rotæ. » Rota una hoc loco est omnis sancta Veteris instrumenti Scriptura, de qua veraciter juxta Psalmistam dicere liceat : « Vox tonitrui tui in rota (*Psal.* LXXVI). » Nam revera exinde Deus tonat, contestans omni mundo, nec latere sinit, quanta sit quatuor animalium auctoritas. Ergo « cum aspicerem, inquit, animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia. » Nihil verius. Nam verissime aspicientibus nobis hæc animalia, id est fideliter credentibus, ea quæ jam diximus quatuor evangelicæ fidei sacramenta, apparet atque intelligibilis fit sanctæ legis et prophetarum Scriptura, tota in modum rotæ perfecta, veluti si cuipiam rei obscuræ, clarissimum candelabrum admoveas. Quanto enim propius legem et prophetas intelligere volens, facies istas, facies Christi adhibueris, tanto pulchriorem, tantoque perfectiorem rotam istam considerando admiraberis, et admirando gaudebis. Et econtrario, quanto negligentius vel tardius animalia hæc aspexeris, tanto segniorem et tanto magis sine sensu vitali, rotam istam suspicaberis. Proinde Judæi, quia hæc animalia non aspiciunt, rotam istam quasi mortuam et ignobilem sibi reddunt, non quia sic est, sed quia non nisi in Christo secundum animalia hæc videri vel inveniri potest vita, quæ in illa est. Unde Apostolus : « Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur (*I Cor.* III). » Ita nimirum cum hic dicit, « cumque aspicerem animalia, apparuit rota una, » idem est, ac si dicat, nisi aspicerem animalia, non apparuisset mihi rota illa. Apparuit autem super terram juxta animalia, tanquam diceret : Non aspiciet me aliquis, nisi aspiciat hæc animalia, non apparebo cuiquam, nisi cui apparuerint hæc animalia. Quare autem additum est, « super terram, » nisi quia prius latuerant, et adhuc ubi hæc animalia non aspiciuntur, latent subtus terram, subtus terrenitatem Judaicam ? Vel « super terram, » subauditur omnem nunc apparet rota, quæ prius ne curreret, in sola coercebatur Judæa, fitque quod dixit Psalmista, « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* CVII). » Habens, inquit, quatuor facies. » Quæ animalium, imo unius animalis, ut superius dictum est, ipsæ et non aliæ sunt unius rotæ quatuor facies. Non quidem hic ipsarum in rota exprimit proprietates facierum, sed eædem ipsæ sunt. Omnis enim Scriptura sancta, Scriptura vetus, tam legalis quam prophetica, quatuor istis faciebus, scilicet hominis, vituli, leonis, atque aquilæ volantis est distincta, quia quidquid ad docendum, ad instruendum, ad erudiendum omnem hominem utile sonat, eo tendit, eo spectat, ut mediatorem Dei et hominum, Jesum Christum vere hominem (*I Tim.* II), vere passum et mortuum, vere resurrexisse a mortuis, vere ascendisse in cœlum, secundum Evangelii fidem testetur atque defendat. « Et aspectus, ait, rotarum, et opus earum quasi visio maris. » Quæ putas vel qualis est visio maris ? Utique inexpertis et corde pavidis tremenda est et desperabilis, expertis autem et animo constantibus adeo tolerabilis, ut non dubitent fragili ligno committere se ad vincendam altitudinem fluctuum, violentiamque abyssi vehementis. Tunc si flaverit aura placida, velociter atque delectabiliter optatam deferuntur in patriam ; si autem ventum sequantur contrarium et sidera errantia, non perveniunt ad portum, sed in fluctibus res pariter amittunt et vitam. Talis nimirum rotarum, sive rotæ quatuor facies habentis visio est. Inertibus et veram fidei virtutem non habentibus, tremenda et inacces-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sibilis est ; studiosis autem et bonam spem habentibus, adeo tractabilis, ut non dubitent se naviculæ Ecclesiæ, et arbori crucis committere, ad transmeandum altitudinem dictorum et sensuum, qui multiplices sunt in lege, et prophetis et psalmis. Tunc si aspiraverit gratia Spiritus sancti, isto quasi delectabili navigio currunt in illam cœlestem patriam ; si autem spiritum erroris et vanitatem sectentur hæreticam, pejus in hoc profundo pereunt, quam si pauperlatem propriam confitentes, nunquam navigandi sumpsissent audaciam. « Et una, inquit, similitudo ipsarum quatuor. » Vere una similitudo, nam si quis in una facie erraverit, nunquam in cæteris veritatis notitiam tenebit. Verbi gratia : Qui illud non bene perspexerit, quod facies leonis in eo sit quod resurrexit a mortuis, juxta quod rota ista loco illo testatur : « Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum (*Gen.* XLIX)? » nunquam faciem aquilæ volantis in eo perspiciet, quod in cœlum ascendit, ubi nos, juxta testimonium rotæ hujus, nos, inquam, pullos suos portare possit in humeris suis. Sic et qui faciem hominis non perspicit, in eo ut credat quod Deus et homo sit, non est illi unde sciat quod passione sua mundum redimere potuerit. Sic « una est similitudo ipsarum quatuor, » ut nimirum qui in una facie fallitur, consequenter fallatur et in omnibus. « Et aspectus earum et opera quasi si sit rota in medio rotæ. » Hoc pingendo potius quam scribendo, hoc agendo melius quam colloquendo, ostenditur videlicet quomodo rota in medio rotæ, quasi per centrum ducatur, et quantum alterius continet, tanta sui parte ab altera contineatur. Cæterum, juxta sensum spiritualem vel mysticum, « rota est in medio rotæ, » id est, sensus spiritualis in medio litteræ. Cum enim utrumque, scilicet veritatem historiæ et intelligentiam suscipiamus allegoriæ, rotam veraciter habemus « in medio rotæ. »

CAPUT XII.

Quomodo per quatuor partes euntes eant, quomodo vel quibus aspectus sit horribilis, et quomodo totum corpus sit plenum oculis.

« Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent. Statura quoque erat in rotis, et altitudo, et horribilis aspectus, et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor. » **552** Quomodo, inquam, fieri potuerit, vel possit, ut rotæ corporales aut visibiles per quatuor partes euntes eant, et non revertantur cum ambulaverint, præsertim cum aspectus earum et opera sic sint, quasi si sit « rota in medio rotæ, » videat qui potest. Cæterum quia visio est, intelligi potest quod simul omnes et eædem in diversas quatuor partes abirent, et non reverterentur cum ambularent. In re quæ significabatur, non dubium est quomodo factum sit aut fiat, quia videlicet sancta Scriptura sæpe dictas habens quatuor facies, per quatuor facies suas eundo ivit, id est quadrifidum continens sensum incarnationis, passionis, resurrectionis, et ascensionis Christi Filii Dei, quatuor mundi partes occupavit. Quod « non revertebantur cum ambularent, » ita intelligendum, ut supra. Quomodo autem, vel quibus statura, et altitudo rotarum vel aspectus earum est, aut erat horribilis? Nimirum male videntibus, et invidentibus Judæis est horribilis, eo quod animalia hæc, juxta quæ constiterunt rotæ istæ, non aspexerint et aspicere noluerint. Idcirco altitudo vel aspectus rotarum horribilis est illis, maxime quia totum corpus illarum plenum est oculis. Sic illis quondam cornutus, id est radiosus Moyses ex consortio sermonis Dei, fuit horribilis, cum eis potius dulcis esse debuisset atque venerabilis, et timebant prope accedere. Quod faciei splendidæ radiis in Moyse, hoc tam multis oculis significatur in corpore rotarum in hac visione. Quidquid loquitur Moyses remoto velamine splendidum est, quidquid sanctæ Scripturæ rota continet, credentibus in Christum altum et luminosum est. Verum Judæis Christum non recipientibus, et de illo Scripturas loqui non consentientibus, quidquid exinde illis ingeritur, quo magis altum, eo magis horribile, et quo magis luminosum, eo magis intolerabile. Fugiunt ut quondam Moysen fugerunt, et lippientibus oculis velamen perfidiæ pertinaciter obstringunt.

CAPUT XIII.

Quomodo cum ambulantibus rotæ ambulent, et cum elevatis eleventur, et quomodo spiritum sequantur, vel spiritus vitæ in illis sit.

« Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea, et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter levabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. » Animalia ambulare est Evangelium Christi de loco ad locum, de gente in gentem transire, ipsaque de terra elevari est sublimiter intelligi, quia scriptum est : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem (*Isa.* I). » Denique quando in nomine Christi pœnitentiam et remissionem peccatorum prædicari cœptum est ab Hierusalem, extunc animalia hæc ambulare cœperunt, extunc « de terra » elevata, id est, sublimiter intellecta sunt, et toti mundo in tanta veneratione habita, ut non minus hominis aut vituli faciem mundus adoret, juxta præscriptam rationem, quam hominis ac vituli creatorem Deum Patrem, non inquam, minus leonis aut aquilæ volantis, quam totius mundi creatricem Trinitatem. Ita ambulantibus, et ita elevatis animalibus, pariter et rotæ ambulant, et pariter elevantur, quia videlicet quocunque pergit Evangelium Christi, lex et prophetæ comitantur, neutrum quippe sine altero cuiquam suscipere conceditur, et quantumlibet vilem habeat corticem litteræ, lex æquali cum Evangelio majestate honoratur et glorificatur in uno eodemque spiritu. Quare? « Spiritus enim vitæ erat in rotis. » Ac si dicat : Nam extrinsecus quidem hispida legis littera occidit, sed spiritus vivificans intus est suavis et dulcis. Verum ergo est quia « quo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter levabantur sequentes eum. » Quod est dicere : Apud quemcunque est Spiritus sanctus, apud illum aperiente sensum ad intelligendum Scripturas Spiritu sancto, Scripturæ ipsæ in magno honore habentur, in magna æque ut Evangelium Christi majestate adoratur et suscipitur. Quis enim digne suscipiens illud de Verbo Dei dictum : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I), » non statim intelligens, eadem veneratione suscipiat illud de psalmo : « Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* CXLVIII). » Itemque illud de Moyse : « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I), » dixit Deus : Fiat hoc vel illud, et factum est ita ? Ergo cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant, et cum elevatis a terra pariter elevabantur, et rotæ sequentes ea, quia « Spiritus vitæ erat in rotis. » Proinde non putent Judæi quod, cum animalia hæc abire et ad gentes ire fecerunt, lex et prophetæ apud illos remanserint, vel quod cum hæc animalia foris stent extra Synagogam ipsorum, lex et prophetæ intus sint, quia si verus est hic propheta ipsorum, cum euntibus abierunt, et cum foris stantibus animalibus nostris rotæ istæ de Synagoga illa egressæ stant foris, stant, inquam, foris spiritus vitæ, qui est in rotis, et intra Synagogam abdita sola est littera, quæ occidit.

CAPUT XIV.

Quid sit super capita animalium similitudo firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis, et quid sub firmamento pennæ extentæ alterius ad alterum, et quomodo unumquodque velet corpus suum.

« Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, et extenti super capita eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ earum recte alterius ad alterum. Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur. » Similitudo firmamenti super capita animalium, regnum immortalitatis est, pro mercede paratum evangelizantibus, et suscipientibus Christi Evangelium. Hoc firmamentum « quasi aspectus est crystalli horribilis, » videlicet quia crystallum forte quidem limis est, sed ex aqua solidatur, recte per crystallum regnum illud intelligitur, ubi et angelica natura ex mutabili immutabilis facta, et ita solidata est ut jam solvi vel in vitium labi non possit, pro eo quod apostatis sponte labentibus angelis, pars illa ipsum humiliter cavit et cum superbientibus pedem movere noluit. Et humana quoque natura itidem remuneranda est, ut post resurrectionem solidata, jam ultra neque mori, neque peccare possit. Quod crystallum horribile, et extensum super capita animalium dicitur, quia illæ potestates angelicæ, quæ omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positis, terribiles atque pavendæ sunt. Unde Daniel, cum quasdam regni illius vidisset imagines : « Horruit, inquit, spiritus meus. Ego Daniel territus sum nimis, et **553** visiones capitis mei conturbaverunt me (*Dan.* VII). » Sub hoc firmamento, ait, « pennæ eorum recte alterius ad alterum, » verumtamen « unumquodque duabus alis velabat corpus suum. » Nam quandiu in hoc mortali corpore sumus, ubi quidem gratiarum cœlestium sese nobis alæ aperiunt, quidquid illud est, rectum et rationabile sonat in toto Evangelio sanctorum animalium, summaque concordia alterius ad alterum. Nam sibi bene consonant, et bene conveniunt, Christum non hominem tantum, sed et verum esse Deum, atque idcirco digne hominem unum potuisse passione sua totum redimere mundum. Idcirco nihilominus, quia Deus est, potuisse resurgere a mortuis, et ascendere in cœlum. Verum hæc ipsa nunc ex parte nobis velantur, neque ad plenum ea cognoscere possumus, quemadmodum dicit Apostolus : « Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII). » Amplius autem infidelibus totum velatur, quorum, ut superius dictum est, quia infideles sunt, mentes excæcavit Deus. Igitur « sub firmamento pennæ eorum recte quidem alterius ad alterum, sed unumquodque duabus alis velabat corpus suum, » quia quandiu in hac mortalitate vivitur, ipsum quod credimus non parva nobis ex parte absconditur. « Et alterum, inquit, similiter velabatur. « Similiter, » inquam, nam pro quanta parte cuique nostrum absconditum est unumquodlibet eorum quæ credidimus, pro tanta parte et alterum velatur, nec majore quispiam mensura mysterium sacrosanctæ Incarnationis, quam Passionis aut Resurrectionis comprehendere mereretur.

CAPUT XV.

Quid sit audire sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, et in quo quasi sonum sublimis Dei, quid sonus castrorum, et quid sit stantibus eis dimitti pennas eorum.

« Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum. Cumque starent, dimittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox supra firmamentum quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas. » Ubi « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, replevit totam domum ubi erant sedentes » apostoli (*Act.* II), illic extunc audiri cœpit sonus alarum animalium cœlestium, ita ut « facta hac voce conveniret multitudo, quæ et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes (*ibid.*). » Tunc, inquam, cœpit audiri sonus alarum sicut sonus aquarum multarum. Multæ siquidem gratiæ cœlestes, multa charismatum tunc dona confluxerunt, multa vivæ aquæ flumina de ventre credentium fluere cœperunt, multis sermonibus, multis loquelis, et omnium gentium linguis, completumque est illud : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Item : « Cœli enarrant gloriam Dei, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Igitur « audiebam, inquit, sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, » quem videlicet sonum majorem faciebat motus aquarum aliarum, motus aquarum repugnantium, secundum alterius quoque psalmi testimonium : « Elevaverunt, inquit, flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam : Elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus (*Psal.* XCII). » Cujus enim hoc, nisi mirabilis Domini miraculum fuit ? Fuerant enim homines idiotæ et sine litteris, quibus nunc datum est os et sapientia, cui non poterant resistere, et contradicere omnes adversarii sui (*Luc.* XXI). Propterea cum dixisset, « quasi sonum aquarum multarum, » continuo subjunxit, « quasi sonum sublimis Dei. » Hoc et ipsi fatentur cum dicunt, « ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis (*II Cor.* IV). » Nam revera neque ab homine neque per hominem talem sonum, sive tantas voces acceperunt, sed per revelationem Jesu Christi, utique sublimis Dei sedentis sublimi solio ad dextram Patris. « Cum, inquit, ambularent quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum. » — « Cum ambularent, » id est prædicarent. Nam ad sonum prædicationis sonus econtrario fiebat contradictionis, juxta quod ante dictum est : « Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum, » et hinc erat quasi sonus multitudinis atque castrorum. « Et cum starent dimittebantur pennæ eorum. » Cum starent, id est cum non prædicarent. Stabant enim aliquando, prohibente ne ambularent Deo, vetante Spiritu sancto, juxta illud in Actibus apostolorum : « Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu (*Act.* XVI). » Igitur cum fieret vox super firmamentum, cum audirent sublimis Dei, vel Spiritus sancti prohibentis imperium, quod imminebat capiti eorum, cui subjecti erant, et parati ad obediendum, « stabant, » id est non prædicabant, et tunc « dimittebantur pennæ eorum, » nec erat ut sonus multitudinis atque castrorum, quia non erat contradictio, aut bellum, nisi ad eum, qui ex parte ipsorum erat, prædicationis sonum.

CAPUT XVI.

Quid sit similitudo throni super firmamentum, et quid sit aspectus hominis super thronum sedentis.

« Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni, et per similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum a lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque ad dorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc erat visio similitudinis gloriæ Domini. » Quod super firmamentum in illo immortalitatis regno super omnem principatum et potestatem et virtutem, non jam similitudo, sed veritas throni sit, et non jam « similitudo quasi aspectus hominis, » sed verus aspectus veri hominis Jesu Christi sedeat desuper, assertione nostra non indiget. Certum quippe habet catholica fides, et de hoc dubitare cuipiam sacrilegium est, quia quod tunc in imagine ostendebatur ex tunc in rei veritate perfectum est, ex quo « videntibus apostolis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I), » — « et sedet a dextris Dei (*Marc.* XVI), juxta illud : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Sedes illius firmitatem et gloriam designat, cum dicit, « quasi aspectus lapidis sapphiri. » Nam in lapide firmitas, **554** in sapphiro sereni cœli pulchritudo est. Quare autem, in illa similitudine throni, solum videt quasi aspectum hominis, cum hactenus quatuor facies numeraverit, faciem hominis, faciem leonis, faciem vituli, faciem aquilæ volantis ? Videlicet quia sedens ille, leo, vitulus, aquila dicitur, tantum pro similitudine vel parabolica translatione, homo autem est, et esse permanet in veritate naturæ. Et hunc hominem « vidi, inquit, quasi speciem electri. » Nam quomodo electrum non ex una tantum specie, sed ex duabus constat speciebus, auri atque argenti, sic homo ille non ex una tantum, sed ex duabus consistit naturis, Deus ex sua, vel ex Dei Patris, homo ex nostra substantia quam assumpsit. Nec tantum « quasi speciem electri, » sed « velut aspectum ignis ait, intrinsecus ejus per circuitum a lumbis ejus et desuper. » Ignis intrinsecus, ejus ignea divinitatis virtus est, quæ intrinsecus habitans, carne vestita est. « Nam Deus noster ignis consumens est (*Hebr.* XII). » — « A lumbis, » inquam, desuper tantum ignis ; nam a « lumbis ejus usque deorsum, vidi, inquit, quasi speciem ignis splendentis in circuitu, simulque velut aspectum arcus cum fuerit in nube, in die pluviæ. » Quid est hoc, nisi quia ante carnis assumptionem, quæ per lumbos recte exprimitur, Deus generi humano iratus, tantummodo ignis consumens erat, postquam autem carnem assumpsit jam non solummodo ignis, sed et inclinatio nobis est propitiationis. Arcus quippe in die pluviæ signum est fœderis et pacis, sicut ipse Deus Noe promisit (*Gen.* IX). Igitur « a lumbis ejus usque deorsum, » simul species ignis et aspectus arcus quod est signum propitiationis, quia postquam homo factus est, sic ignem justitiæ, vel judicii sui placida miserationis aura contemperavit, ut neminem ignis ille judicaturus sit qui nunc interim per fidem ad misericordiam ejus confugere voluerit. Hic talis aspectus tam temperatus splendoris per gyrum, omnibus nimirum paratus qui in circuitu ejus sunt, qui in ipsum credunt, qui ad ipsum respiciunt. (CAP. II.)

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Hæc visio similitudinis gloriæ Domini, » id est, dignam et congruam præferens similitudinem ejus, quæ nunc est gloriæ Domini, gloriæ Filii Dei, ejus quidem filii hominis gloria et honore coronati, et constituti super opera manuum Patris.

CAPUT XVII.

Quorum in hoc propheta typum gesserit, quod ait : « Et vidi et cecidi in faciem meam, » etc., et quomodo ad gentes apostatrices missus sit.

« Et vidi, et cecidi in faciem meam. Et audivi vocem loquentis, et dicit ad me : Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos. » Post revelatam Evangelii Christi gloriam, quæ deinceps consecuta sint, vel consequantur, prophetica visio demonstrare hinc incipit, clauso quidem sermone, sed tali sermonis vel revelationis ordine, ut collata cum rebus deinde gestis, prope quasi historica narratio sit. Propheta ipse postquam Evangelii figuras sive imagines tam mirabiles pervidit, jam nunc prædicatoris ejusdem Evangelii, id est apostolorum vel discipulorum Christi typum gerit. « Et vidi, inquit, et cecidi in faciem meam. » Non statim ut vidit similitudinem quatuor animalium vel cætera quæ consecuta sunt, cecidit in faciem suam ; sed postquam vidit similitudinem throni, et desuper similitudinem quasi aspectus hominis, « cecidi, ait, in faciem meam. » Sic nimirum apostoli non statim ut Christum Dominum cœperunt sequi, et videre gloriam Evangelii ejus, ita cognoverunt eum, vel ita crediderunt ut adorarent eum, sed postquam resurrexit a mortuis, et in cœlum ascendit, adoraverunt, et adorandum illum esse prædicaverunt. « Et audivi, ait, vocem loquentis, et ait ad me : Fili hominis, sta super pedes tuos. » Dicendo, fili hominis, admonebat eum propriæ conditionis, ne nesciret quod cœlesti admissus esset visioni, gratiæ magis esse quam meriti. Et apostolis utique quodammodo dictum est : State super pedes vestros, et revera ingressus est in eos Spiritus, et statuit eos super pedes suos, quando qui prius erant infirmi et timidi, induti sunt virtute ex alto, confirmati Spiritu sancto, ita ut, verbi gratia, Petrus, qui Christum Dominum et Magistrum suum, confiteri timuerat coram una ancilla ostiaria, jam confiteri non dubitaret in plena Synagoga, imo coram universa Roma mundi domina, tot fascibus, tot potestatibus, totque gladiis armata. Et audivi loquentem ad me et dicentem : Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices quæ recesserunt a me. Patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura facie et indomabili corde sunt. » Quid aliud dictum putamus apostolis, nisi ut confirmati Spiritu sancto, irent ad filios Israel, non jam Dei populum, sed plurali numero gentes, gentes apostatrices, quæ a Domino recesserunt, gentibus quibuslibet deteriores, quorum patres prævaricati fuerint pactum Domini usque ad diem illum, et ipsi malorum patrum filii pessimi, dura facie et indomabili corde erant? Neque enim tunc temporis sine auctoritate Scripturæ diceret illis Stephanus protomartyr : » Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, et vos (*Act.* VII). »—« Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est. Et scient quia propheta fuerit in medio eorum. » Non ignorabat Dominus Deus quod nec ipsi audirent neque quiescerent, sicut nec patres eorum audierant, aut quieverant, sed illis oportebat primum loqui verbum Dei (*Act.* XIII), ut essent inexcusabiles, scire nolentes quod propheta ille, de quo prædixerat Moyses (*Deut.* XVIII), fuerit in medio eorum.

CAPUT XVIII.

Quid sit librum coram illo expandi, qui erat involutus et scriptus intus et foris, et quid in eo scriptæ esse lamentationes, et carmen et væ.

« Aperi os tuum, et comede quæcunque ego do tibi. Et vidi, et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris. Et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen et væ. » Liber iste involutus ipse est qui in Apocalypsi memoratur septem sigillis signatus (*Apoc.* V). « Intus et foris scriptus est, » intus videlicet per allegoriam, foris per historiam. Intus per spiritualem intellectum, foris per sensum litteræ simplicem. Hic denique liber, omnis sanctuarii Scriptura est. Hunc manus missa coram apostolis expandit, quando dextra Patris Filius Dei Scripturarum illis intelligentiam dedit, sicut ait Lucas, quia **555** « tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). » Lamentationes in hoc libro scriptæ sunt, et carmen, et væ. Prius lamentationes, deinde carmen, quia qui seminant in lacrymis, in gaudio metent (*Psal.* CXXV), qui autem nunc lamentari, id est pœnitentiam agere nolunt, illis væ, quia mittentur in ignem æternum. Quid aliud totus liber, quid, inquam, aliud omnis sacra Scriptura continet ? Et recte dicitur, » aperi os tuum et comede quæcunque ego do tibi, » quia nimirum oportet ut ad comedendum verbum Dei cibum, pia aviditate submissi disponamur, juxta quod in psalmo dicitur : « Dilata os tuum, et implebo illud (*Psal.* XXC). » Comedere quippe est Scripturam intelligere, quod Dei donum est, propter quod dicit, « et comede quæcunque ego do tibi. » Ergo nostrum quidem est os aperire, id est Scripturæ intellectum quærere, Dei autem implere, id est verum Scripturæ sensum aperire. (CAP. III.) Hunc librum nisi manus missa expandisset, hodie non legeremus, id est sanctam Scripturam, nisi Christus Dei Filius in semetipso opere adimplesset non intelligeremus. « Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce. » Qui expertus est, ipse novit, quam vere dulcis sit Scripturarum cibus, id est sensus spiritualis. Propter quod dicit : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ori meo (*Psal.* CXVIII).» — « Et dixit ad me : Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te : Dominus autem Israel noluit audire te, quia nolunt audire me. » Quam vere hæc dicta sint, effectus probavit. « Si, inquit, ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ mittereris, ipsi audirent te, quod et factum est. « Domus autem Israel noluit audire te, » quod et factum est. Nos enim populi multi, profundi sermonis, Græci et Latini, missos ad nos audivimus apostolos Christi, domus autem Israel eos audire noluit.

Manifesta transcurrimus, imo et quædam transilimus, quia videlicet jam ostio patente si semper ad apostolica respicias tempora, fere nihil est quod gressus intelligentiæ retardet.

CAPUT XIX.

Quomodo apostoli Christi, quos ut spiritus iste assumpserit, audierint post se vocem commotionis magnæ : « Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. »

« Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco sancto suo. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ. » Hoc dicere primum utique apostolico congruit ordini. « Et assumpsit me, inquit, spiritus, » subauditur in opus vel ministerium suum. Sic enim dicit in Actibus apostolorum idem Spiritus sanctus : » Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus quo assumpsi eos (*Act.* XIII). » Quid autem est quod, assumente se spiritu, « audivi, inquit, post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco sancto suo? » Nimirum cum hinc plura recte et utiliter dicantur, illud cum auctoritate Scripturæ fidenter dicamus, quia omni habenti dabitur (*Luc.* XV), id est evangelizanti cuique quantum accepit gratia scientiæ vel sapientiæ, magis ac magis augebitur. Ergo « assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ, et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, » idem est ac si dicat : Ubi ad imperium sancti Spiritus, obedienter Evangelii ministerium ingressus sum, creditumque mihi talentum cœpi expendere, magis ac magis sensu ditescere, atque aures audiendi cœpi habere, et interno auditu audire vocem commotionis magnæ, vocem et lamentationem supernæ patriæ, totiusque angelicæ curiæ, et in cœlis conversari, suspensa mente, cum adhuc in terris peregrinarer corpore, et intelligere præclarius Evangeliorum alas sacramentorum ad invicem percutientium, id est consona veritatis testimonia reddentium, intelligere nihilominus vocem rotarum sequentium animalia, id est legis et prophetarum testimonia, Christi Evangelio consonantia. Hæc omnia post me audivi, id est de præterito recollegi. Verbi gratia : Petrus coram se non audiebat, præsentis quippe Domini facta vel dicta non intelligebat. Propterea dictum est illi : « Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea (*Joan.* XIII). » Et alibi tam Petro quam cæteris : « Adhuc et vos sine intellectu estis? » (*Matth.* XV.) Nec mirum. Erant enim homines idiotæ et sine litteris. At ubi eum, scilicet Petrum, assumpsit spiritus promissus, ab eodem Domino dicente : « Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*Joan.* XVI), « præteritum Christi Evangelium, sensu et intellectu recollegit, præteritas quoque prophetarum voces intus audivit, foris enuntiavit, dixit enim : « Viri Judæi et qui habitatis Hierusalem universi, non sicut vos æstimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ (*Act.* II), » etc. Et subinde : « David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem (*ibid.*). » Igitur qui ante me, ne saltem alarum animalium vocem audire potui, jam assumptus a spiritu, non solum animalium, sed et rotarum animalia sequentium vocem post me audivi magna commotione, id est qui cum in præsenti haberem Deum, ne saltem incarnationis ejus causam, passionis utilitatem, resurrectionis veritatem, ascensionis gloriam intelligere potui. Jam misso de cœlis Spiritu sancto, non solum hæc, sed et legis et prophetarum arcana de præterito valui percipere, magna interim auditus certitudine. Et quasi quæreres qualem vocem audierit, vel ne dubitares utrum articulatam, an inarticulatam vocem audierit, in illa magnitudine commotionis, pulchre ait : « Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, » non quod sola, sed quod prima hæc vox laudis in commotione animalium audita sit. Nam ubi prima facies hominis alam suam movit, id est ubi primum Deus homo factus in carne apparuit, audita est bene hæc eadem angelicæ laudis vox : « Gloria in excelsis Deo (*Luc.* II). » Proinde si quæras de quo loco sancto suo benedicta sit gloria Domini, ecce locus ejus in excelsum solium paternæ majestatis, cujus ad dextram consedit gloriosus victor, quod præoptantes simul et prænuntiantes, dicebant : « Gloria in excelsis Deo. »

556 CAPUT XX.

Quomodo apostoli accepto Spiritu sancto amari et indignantes facti sint, et ad quem acervum novarum frugum venerint, sederint, et mœrentes manserint.

« Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me, et abii amarus, in indignatione spiritus mei. Manus enim Domini erat mecum confortans me. » Bene et competenter. Parum quippe fuerat sanctis apostolis

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

per assumptionem Spiritus vocem audisse post se, id est facta præterita, et antiquas Scripturas intellexisse, nisi per eumdem Spiritum levati, et competenti fiducia sublimes facti, auderent amari indignantesque incedere spirituali indignatione et severa amaritudine, qualem utique indignationem sive amaritudinem Spiritus sanctus sese illis conferre significans, apparere voluit in igne. Nam « apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* II). » Proinde quasi quæreres quomodo amarus, vel quali indignatione, addit continuo : « Manus enim Domini erat mecum confortans me. » Ergo fortitudo zeli, qua fortes facti sunt apostoli, ipsa est amaritudo dulcedini vitiorum contraria, ipsa est indignatio quæ pro causa Dei, quamlibet altos homines despicere non dubitat. « Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar, et sedi ubi illi sedebant, mansi diebus septem mœrens in medio eorum. » Miro modo prophetica hæc Scriptura tempus quoque insinuat quo Christi apostolos virtute armatos ad prædicandum misit Spiritus sancti gratia, dicendo : « Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum. » Quo enim anni tempore sint acervi novarum frugum in terris illis, testantur duo panes primitiarum, qui in solemnitate Pentecostes, ex lege jubebantur offerri. Ergo non ab re ad acervum novarum frugum se venisse dicit, spiritualiter pro ratione temporis novas fruges eos appellans, qui per prædicationem apostolorum ad Christum collecti sunt, ipsa die adventus Spiritus sancti. Spiritualiter, inquam, ipsos transmigrationem, ipsos acervum appellat novarum frugum, ipsos habitasse dicit juxta fluvium Chobar ; « Transmigrationem, » quia nimirum credendo in Christum, captivos se esse confitebantur, et transmigratos in Adam ab illa superna Hierusalem; « acervum novarum frugum, » quia consepulti grano frumenti Christo per baptismum in mortem (*Col.* II), deinceps in novitate vitæ ambulare cœperunt (*Rom.* VI), « juxta fluvium Chobar, « quod nostra lingua *grave* sonat, habitabant, quia quotquot supernæ Hierusalem veraciter meminerunt, gravitatem miseræ mortalitatis tristes præ oculis habebant et flebant, juxta illud Davidicum : « Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion (*Psal.* CXXXVI). » Sedi, inquit, ubi illi sedebant, et mansi septem diebus mœrens in medio eorum. » Et apostoli utique in medio prædictorum mœrentes sederunt, mœrentes, inquam, non modo quod in mundi hujus Babylone captivi essent, verum et quod nimium paucos ex cognatis suis Judæis ad memoriam supernæ Hierusalem revocare possent, insuper et multas persecutiones ab eis illatas sustinerent. Septem dies quibus in medio eorum sedisse dicitur, post hæc egressurus in campum ad imperium Domini, totum significant tempus, quo Judæam non reliquerunt apostoli, scilicet fere bis septem annos usque ad quartum Claudii annum, quo Paulus et Barnabas a Spiritu sancto ad prædicandum gentibus sunt missi, et Petrus Romam ingressus est.

CAPUT XXI.

Quanta sit evangelizandi necessitas eis quibus dispensatio credita est, secundum id quod ait : « Speculatorem dedi te domui Israel, » et quod per hæc subversio pronuntietur Hierosolymorum, quæ subsecuta est passionem Domini, et prædicationem apostolorum.

« Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via pessima, et vivat, ipse impius in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. » Magna et formidabilis necessitas speculatorum ejusmodi, quam sciens unus illorum Paulus, dicit : « Nam si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim incumbit mihi. Væ enim mihi est, si non evangelizavero! Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est (*I Cor.* IX). » Magna itidem, et justa damnatio Judææ, quæ speculatorum vigilantiam clamantem, quantum potuit, audire nolpit, sed et persecuta est, et longe a se repulit. Sequitur enim : « Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. » Liberationem hujuscemodi quomodo agnoscerent, vel qualiter asserrerent apostoli, Dominus ipse in Evangelio sic prædocuit : « Et quicunque non receperint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis (*Matth.* X; *Marc.* VI; *Luc.* IX). » Hoc fecisse illos apostolicorum actuum Scriptura non tacuit, quando Judæorum seditionibus defessi, transierunt ad gentes bona conscientia liberati. De quo illorum transitu sequitur hic : « Et facta est super me manus Domini, et dixit ad me : Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum. Et surgens egressus sum in campum. » Mystice quippe campus latitudo est gentium. « Ibi, inquit, loquar tecum, » subauditur, cum multo majore fructu audientium. « Ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam videram juxta fluvium Chobar. » Et est sensus : In campo, in latitudine gentium, non minus quam in Ecclesia eorum, qui ex Judæis crediderunt, Evangelii gloria claruit in omni gratia, in prodigiis, virtutibus, et signis, primo extunc ubi loquente Petro ad eos qui de gentibus veniebant, cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum, et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum (*Act.* X). Unde Petrus : « Si ergo eamdem gratiam Deus dedit illis, sicut et nobis qui credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum? » (*Act.* XI.) Et alibi : « Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum (*Act.* xv). » Igitur quæ juxta fluvium Chobar, eadem deinde in campo stetit gloria Domini, quia sicut et Paulus ait : « Non est distinctio Judæi et Græci (*Rom.* x), » et per indebitam gratiam, primum Judæo, deinde Græco eadem se exhibuit gloria Domini, ut justificaret utrumque per fidem Jesu Christi (*Gal.* II). « Et cecidi in faciem meam, et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. » Cur hoc in campo **557** ut supra « juxta fluvium Chobar » de propheta agitur, nisi ut specialiter designetur, quia etiam electis gentium dandus esset Spiritus sanctus qui eos quos assumeret, prius a superbiæ suæ statu dejiceret, et postmodum « super pedes suos, » id est super bona opera sua solidaret? Et nunc quidem Israelitico populo ablata, in altitudinem gentium gloria Domini sparsa est, sed et in fine mundi ad illos revertetur, sicut scriptum est : « Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI). » Sequitur ergo : « Et locutus est mihi, et dixit ad me : Ingredere et includere in medio domus tuæ. » Includi in medio domus suæ præcipitur, quia Antichristi tempore ab eis gentibus, quæ in infidelitate remanserint, conversa plebs Judæorum dura, persecutionibus angustatur. Unde subditur adhuc : « Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum, et linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. » Propheta in domo sua vincula suscipit, et ligatur, quia in extremis cum Judæa crediderit, gravissimas Antichristi persecutiones patietur. Et in medio eorum non egredietur, quia ad corda pravorum prædicatio non pervenit, dum tacet lingua bonorum ligata tribulationibus.

CAPUT XXII.

De civitatis obsidione, quomodo portentum ejus fuerit, quod dormire jussus est propheta super latus suum sinistrum, et portare iniquitates domus Israel trecentos et nonaginta dies, et dormire in latus suum dextrum, et portare iniquitates domus Juda quadraginta diebus.

(Cap. IV.) « Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et describes in eo civitatem Hierusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, » etc. Juxta rerum gerendarum ordinem, sensumque propheticum eorum quæ tunc gerenda, nunc autem gesta sunt, hoc prophetiæ capitulum et loco jungendum est, ubi paulo ante dixit : « Et surgens egressus sum in campum, et ecce gloria Domini stabat quasi gloria quam videram juxta fluvium Chobar » Postquam enim repulsa a Judæis ad gentes exivit gloria Domini, notum omni mundo illud miseræ civitatis Hierusalem excidium successit, quod non dubitamus hic prophetice præmonstrari. Sequitur enim : « Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitates eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel : Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo, et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. » Cum dixisset « dormies super latus tuum dextrum, » secundo, » et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus, » tunc demum subjunxit : « Diem pro anno dedi tibi. » Notandum quod non itidem cum dixisset, « ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel, » non, inquam, itidem subjunxit, diem pro anno dedi tibi. Hæc dicimus, ut longissimam, et quæ longe ante hanc prophetiam cœpta est, annorum prolixitatem evadamus, et ad id quo tendimus, secundum certum rerum gestarum eventum liberius accedamus. Nam a Phacee rege Israel, sub quo Salmanasar Israelitici populi vastavit millia multa usque ad quadragesimum annum Assueri, supputamus quidem annos trecentos nonaginta, quando universa Judaici populi persecutio est mitigata (*IV Reg.* XVII; *I Esd.* IV), sed hæc supputatio cæteræque expositiones, quas alii atque alii super hoc loco senserunt, scrupulosæ sunt, atque rei de qua nunc agitur, minus, ut arbitramur, conveniunt. Igitur quia nec littera præsens nos cogit suscipere utrobique, id est tam in sinistri, quam in dextri lateris dormitione, diem pro anno dari, jam nunc ad illud, de quo supra cœpimus, extremum Hierosolymorum excidium accedamus, et historiæ veritate perspecta, videbimus quam recte in signum ejus, vinctus atque constrictus propheta sit, et sic dormire jussus.

CAPUT XXIII.

De misera obsidione Hierusalem, facta a passione Christi anno quadragesimo primo sub Tito et Vespasiano imperatoribus.

Anno primo delati imperii Vespasiano, qui erat a passione Domini nostri Jesu Christi quadragesimus primus, Titus paterni exsecutor electus triumphi cum electa manu Hierosolymam dirigitur, post tres annos susceptæ expeditionis; nam hic erat annus quartus. Pater quippe Vespasianus, ut victis post commemorat filius Titus, cum potuisset improvisus in imparatos se infundere, Galilæam circuibat, longinqua exurebat, ut vos, inquit, deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Virtutem ostendit, et cum universos terreret, Ægyptum petiit, ut inducias resipiscendi daret. Insolentiores vos nostra fecit absentia, quia nos occupatos putastis, etc. Quarto itaque expeditionis, primo, ut jam dictum est, imperii Vespasiani anno, repletis intra paucos dies ordinibus militarium numerorum, de quibus lecta manus missa fuerat in Italiam, ventum est ad urbem, quæ ferebatur latronum armis premi, et factionum stipamine circumveniri, quippe cui tertius tyrannus Eleazarus accesserat, occupatis templi interioribus, et circuitu omni, supra fores quoque in vestibuli ipsius fronte armis constitutis. Simon vero, quem sibi tyrannum populus introduxerat, superiora urbis te-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nebat, inferiora quoque populo ipsius replebantur. Inter tres medius erat Joannes, inferior Eleazaro, superior Simone, instructior tamen cæteris subsidiis machinarum, et omni genere telorum bellum æquabat. Instabat autem paschalis celebritas, et quemadmodum Moyses tanto tempore ante cecinerat, foris vastabat eos gladius, et intus pavor (*Deut.* XXXII), et ubi primum forense prælium commissum est, et paulisper quievit, internum successit. Namque paschalis, ut jam dictum est, interventu celebritatis, subornatis plerisque, Joannes quasi observationis gratia templum adiret, quippe cum ipsi factionum viri nunc se cohortati fuissent invicem, ut in unum conspirantibus studiis patriam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis victoriam daret, ita tanquam sociis data ingrediendi copia dolum patravit. Ingressi enim specie civili, sed interius armati, rejectis exuviis, gladios attollunt, loricato pectore, et præliari accincti munimine. His malorum habitis initiis, totus exactus est annus miserabilis, palamque fuit miseris, tunc Barabbam seditionis auctorem vivere, Jesum **558** autem pacis principem sibi mortuum esse (*Matth.* XXVII; *Luc.* XXIII; *Joan.* XVIII). Hostis extra murum pacem offerebat, seditionis auctores intra murum præliabantur. Cogebat fames egredi, quibus beneficium erat ferro perire, jejunii comparatione. Furebat intus Simon, furebat Joannes, insidiabantur singulis per ministros suos. Si quis fugere tentaret, tractus per humum discerpebatur. Eorum quoque qui abierant proximi trucidabantur, aut cruci affixa plerorumque cadavera, suis qui elapsi fuerant, ostentabantur. Eo usque fames grassata est, ut mulier quædam, Maria nomine, de locupletissimis regionibus Pereæ, infantulum quem genuerat, gladio occisum, atque igni appositum, pietatis genitalis usu oblitterato comederet. Quid multa? Revertentis anni mense quinto, decima mensis, templum cujus jamdudum nuda facies remanserat, exustum est, quo die quondam Babyloniis ingruentibus fuerat incensum. Verum ante hoc muris dirutis patuerat excessus clausis ad Romanos confugiendi, tanta inedia confectis, ut appositis cibis, plerique cum quid absorbuissent mollioris alimoniæ, interclusis jam faucium meatibus strangularentur. Quis igitur non videat historiam tam atrocis tragœdiæ, cum numero convenire dierum hujus propheticæ dormitionis in sinistro latere? Nempe et si paulo plures videantur miseræ obsidionis, quam trecenti nonaginta dies, usque ad id, quo clausis ad Romanos confugiendi facultas facta est, quod tamen probare difficile est, attamen ad laborem prophetæ pro tota parte anni secundi, quantulacunque fuerit, sufficiunt viginti quinque dies. Nunc ad ipsa prophetiæ verba revertamur.

CAPUT XXIV.

Quomodo passio et carceres Evangelii prædicatorum eorumdem objectio quoque præsignata sit in propheta isto, et quam pessima quamque horrenda fames obsessorum præsignetur in ejusmodi pane, quem propheta sibi coquere in stercore, et comedere jubetur.

Postquam gloria Domini in campum exiit, quo significabatur evangelica prædicatio, ad gentes exitura, relictis Judæis, loquitur spiritus ad prophetam : « Ingredere, et includere in medio domus tuæ, et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris de medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est (*Ezech.* III). » Hoc portento Evangelii prædicatores a domesticis et contribulibus suis vincula et carceres passuri, et ob hoc ora sua illis clausuri significantur, donec circa finem sæculi iterum illis prædicatio reddatur, et saltem reliquiæ ex illis convertantur. Sequitur enim : « Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Qui audit audiat, et qui quiescit quiescat, quia domus exasperans est. » Ait autem Dominus eis qui prophetas occiderant, et apostolos, sicut per prædicta vincula significatur, persecuturi erant : « Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam (*Matth.* XXIII). » Sequitur ergo : « Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Hierusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. » Hæc est Romanorum obsidio, quam prævidens Dominus flebat super eam, dicens : « Quia si cognovisses, et tu (*Luc.* XIX). » Et tu, sume tibi sartaginem ferream, et pones eum murum ferreum inter te et inter civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam. » Signum est domui Israel. Hæc est ira Dei, de qua idem qui supra Dominus dicit : « Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic (*Luc.* XXI). » Sartago quippe ferrea, quæ et murus ferreus cœlestis iræ nimietatem significat, cujus severitatem excurrere non possit misericordia, ut ad clausos vel obsessos perveniat. Et ut sciat propheta quanta obsidionis futura sit mora, et tu, inquit, dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel. » Annos, ait, videlicet plus quam unum, minus tamen quam duos. Item, ut sciat quantum temporis a perpetrato sacrilegio Dominicæ mortis usque ad eamdem obsidionem futurum sit. Et cum, inquit, compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo, et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. « Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. » Denique a passione Domini usque ad obsidionem civitatis quæ, ut supra dictum est, cœpta est quarto anno expeditionis, quadraginta anni fuerunt. Bene ergo, quia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nimium et importabile fuisset prophetæ tanto tempore dormire super latus unum, « diem, ait, pro anno dedi tibi. » Tum ne ignoret quam pessima, quam horrenda in ipsa obsidione futura sit famis rabies : « Et tu, inquit, sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam, et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus unum : trecentis nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die; a tempore usque ad tempus comedes illud : et aquam in mensura bibes, sextam partem hin : à tempore usque ad tempus bibes illud, et quasi subcinericium panem hordeaceum comedes illud, et stercore quod egredietur de homine, operies illud in oculis eorum. Et dixit Dominus : Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos. » — « Inter gentes, » id est Romanos obsidentes, « ad quas ejiciam eos, » ait, cum prævalens subegerit illos fames. Et bene « pollutum panem » dixit : quid enim pane illo pollutius, quem ut comederent parricidiali sanguine polluebant? Insidiabantur invicem, quis cui raperet. Ubi alimenti suspicio, ibi bellum inter domesticos, pugnabatur pro cibo, necabantur charissimi, discutiebantur defuncti, ne quis inter amictus eorum cibus lateret. Simulare se aliqui mortuos existimabantur, ne viventes aliquid alimenti habere suspicarentur. Sed ne viventes quidem aut vitæ fungi munere, aut mortem simulare poterant, verum aperto ore, sicut rabidi canes, aurarum captantes spiramina, huc atque illuc circumferebantur. Insidiabantur juncentis alvum purgantibus, et vetusta rimabantur bovum stercora, ut (quod visu erat horribile!) hoc fieret esca esurientibus. Recte igitur « operies, inquit, illud stercore, quod egreditur de homine, » quia cibum suum polluere habebant homines mutuo sanguine, licet prophetæ hoc exhorrescenti moderatius concessum **559** sit, ut fimum boum acciperet pro stercoribus humanis. Notandum sane quod de quadraginta dierum dormitionis in dextro latere panibus omnino taceat, quia videlicet per jam dictos quadraginta annos Judæi propter scelera sua non sanguine aut fame vapulaverunt, quinimo luxuriis cumulaverunt, sicut testatur fremebundo spiritu, loquens illis Jacobus apostolus : « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis (*Jac.* v). » Et post pauca : « Et epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis justum, et non restitit vobis (*ibid.*). »

CAPUT XXV.

Quomodo Judæi reliqui tanquam pili capitis, aut barbæ, gladio acutissimo abrasi sint, Hierosolyma a tribus tyrannis crudelissimis funditus destructa.

(Cap. V.) « Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et assumes eum, et duces per caput tuum et barbam tuam. Et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos. Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis. Et assumes tibi tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus. Tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui, et ex eis rursum tolles, et projicies in medio ignis, et combures igni. Ex eis egredietur ignis in omnem domum Israel. » Miseriarum prædictæ obsidionis, vel excidii Hierosolymorum recapitulatio hæc et brevis complexio est. « Sume, inquit, tibi gladium acutum, radentem pilos. » Gladius acutus radens pilos, severa scelerum ultrix sententia est, superfluos exterminatura Judæos. Sicut enim pili capitis aut barbæ corpori adhærent, sed corporis partes aut membra non sunt, sic Judæi, de quibus vel contra quos sermo est, Deo patrum suorum nomine quidem vel professione adhærebant, sed nullo veritatis timore vel amoris affectu ad eum pertinebant. Unde est illud : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* xxix; *Matth.* xv). » — « Assumes, inquit, eum et duces per caput tuum et per barbam tuam, atque divides eos in statera ponderis, » ut videlicet cadant in ore gladii, et captivi ducantur in omnes gentes, prout se habent mensuræ, vel pondera peccati. Nam « tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis. » Isti sunt, quos trium latronum Joannis, Simonis, atque Eleazari gladius discors intra civitatem trucidavit, simulque fames indefessa plebium populatrix, tanta multitudine, ut eum sepeliri nequirent, de muro defunctorum reliquiæ in profunda præcipitia dejicerentur. Denique aspiciens Titus præruptos specus cadaverum saniem dilaceratis visceribus innatantem, alte ingemuit, et manus ad cœlum elevans, testatur haudquaquam illud sibi ascribendum, qui voluisset veniam dare, si deditio procederet, exspectasse se ut pacem rogarent, paratum se ut incolumes servaret, si bellum depc-suissent. « Et sumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus. » Isti sunt quos foris consertis prœliis Romanus mucro concidit. « Tertiam vero aliam disperges in ventum. » Isti sunt qui venditi et captivi in omnes gentes abducti sunt. Plurimi venales, sed pauci emptores, quia et Romani habere in servitutem Judæos dedignabantur. « Et gladium, inquit, nudabo post eos. » Isti sunt qui Tito procedente, et per singulas urbes pompam celebrante victoriæ, perimebantur in arena, quicunque pergebant, ac dilacerati a bestiis pendebant merita rebellionis. « Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui. » Isti sunt qui vitæ reservati, vitam hactenus agunt sub jugo ligatam extrema servitute, conditione, vectigali. Sed nunquid isti vindictam evadunt sanguinis Christi? Non utique; nam quia incredduli sunt, et in incredulitate permanent, « ex eis, inquit, rursum tolles, et projicies in medio ignis, et combures eos igni. » « Et ex eis, » inquam, non omnes, nam aliqui ex

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eis convertentur, et in novissimo reliquiæ salvabuntur, quos ignis gehennæ non suscipiet. Ex eis « egredietur ignis in domum Israel; » nam revera ex eis tempore Antichristi conflabitur persecutio in omnes, qui veraciter erunt domus Israel.

CAPUT XXVI.

Mala omnia quæ Hierosolymis acciderunt, maxime pro culpa accidisse sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, et ergo consequenter nunc dici : « Hæc dicit Dominus montibus et vallibus : Ecce ego inducam super vos gladium. »

(Cap. VI.) « Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos, et dices : Montes Israel, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus : Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra, » etc. Malorum omnium quæ hic dicta sunt, maxime principes sacerdotum et Scribas ac Pharisæos causa prensit. Idcirco et Dominus postquam flevit super civitatem, et hæc omnia mala illi ventura prædixit, continuo ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo et ementes, corripiens sacerdotes, eo quod de domo orationis fecissent speluncam latronum (*Luc.* XIX), et hic sermo propheticus, per metaphoram sub nomine montium et collium, rupium et vallium, contra eosdem sacerdotes invehitur. Tres erant ordines orbi eminentes, sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum, alii quidem omnes æstimatione propria vel gradibus suis, ut montes, et colles atque rupes, sed revera, per hypocrisin atque profundam voracitatem, cuncti imæ valles, omnes avaritiæ sentinam trahentes, sicut et Dominus in Evangelio semel et iterum, imo sexies aut septies acri invectione improperat illis ut dignum est : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mentham et anethum decimatis, relinquentes quæ graviora sunt legis, væ vobis, hypocritæ » qui hæc et illa facitis (*Matth.* XXIII). Et bene ad ignominiam illorum non ait : Ecce ego disperdam templum meum propter vos et altare, et sancta sanctorum, quibus vestra inhianter incubat avaritia, sed, « Disperdam, inquit, excelsa vestra, et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra, » nomine excelsorum, simulacrorum, sive idolorum, suum infamans templum propter illos, et altare suum, quia non tam ipse in illo templo suo colebatur ab eis quam turpe lucrum, vel turpis lucri deus Mammon. Amen et propter excelsa vetera simulacra sive idola, quæ patres eorum coluerunt, et propter quæ sanguinem prophetarum fuderunt, mala omnia super generationem illam venerunt, idcirco quia **560** Dominum prophetarum occidendo, et apostolos ejus persequendo, mensuram patrum suorum impleverunt.

CAPUT XXVII.

De horrore et magnitudine diei judicii, in quo majora cunctis præteritis malis recipient impii. et hoc esse quod dixit : « finis venit, venit Finis super quatuor plagas terræ. »

(Cap. VII.) « Et factus est sermo Domini ad me dicens : Et tu, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel : Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ, nunc finis super te, et emittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas, et non parcet oculus meus super te, et non miserebor, sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt, et scietis quia ego Dominus. Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una, afflictio ecce venit, finis venit, venit finis, evigilavit adversum te, ecce venit. Venit contritio super te, qui habitas in terra. Venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium. » Et si illis quibus tunc temporis Babylonica captivitas imminebat, quasi digito videbatur ostendi finis ille, et illa afflictio, et dies ille occisionis, nobis tamen qui adhuc ista legimus, finis ille, et ille dies afflictionis, dies occisionis sine dubio declamatur, qui non jam ut tunc super unam gentem, sed « super quatuor plagas terræ, » et super omnem qui habitat in terra, venturus est, vere finis, vere dies afflictionis, vere « dies occisionis, » cujus magnitudini exprimendæ, nec ista præsens, nec ulla cujusquam declamatio sufficit. Nam ut cœptum jam compleamus ordinem, illa est dies universalis judicii, quod vere « tempus erit occisionis, et non gloriæ montium, » id est superborum, sicut et propheta alius cum de prædicta tantum Babylonica captivitate dicere videtur, simili declamatione de illo novissimo die dicebat : « Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis (*Soph.* I), » etc. Etenim quia evangelicæ fidei finis hic est, ut is qui propter nos homo factus et passus est, resurrexit, et in cœlum ascendit, inde ad judicandos vivos et mortuos venturus esse creditur, recte sicut in initio prophetiæ hujus anni qui erat quintus annus transmigrationis, per quatuor facies animalium quadrifidum Christi intelligimus Evangelium, sic in fine, id est ab hoc loco usque ad id quod dicit postmodum : « Secundum viam eorum faciam eis, et secundum judicia eorum judicabo eos, » futurum illud denuntiari intelligimus universale judicium. Et non dicat malus servus in corde suo, in tempora longa fiet istud, vel « moram facit Dominus meus venire, » et hac præsumptione securior factus, incipiat « percutere servos suos, manducare autem et bibere cum ebriis (*Luc.* XII). » Nam revera, et si illud non crediderit, quod illud judicium tam prope sit ut digito possit ostendi dicendo, « ecce finis, ecce afflictio, ecce dies occisionis, ecce venit finis, nunc venit finis, » vel, juxta illum alium, « juxta est dies Domini, juxta, et est velox nimis (*Sophon.* I), » at saltem illud dissimulare non potest, quoniam propria vel singulari morte cito moriturus, et in illa jam secundum animam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

judicandus sit. « Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora quam ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis (*Luc.* XII). »

CAPUT XXVIII.

De visione anni sexti, quod ad eadem pertineant sacramenta Christi Filii Dei, quod videlicet, per quatuor abominantium incrementa causæ reddantur, cur Dominus Judæos reliquerit et in campum gentium exierit.

(CAP. VIII.) Post unius, id est quinti anni transmigrationis prophetiam, sequentis quoque, id est sexti non prætereundam arbitramur, quia nimirum usque ad id quod « ait, et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam, ad transmigrationem in visione spiritus Dei, et sublata est a me visio quam videram (*Ezech.* XI), » ad idem mysterium Christi, ad eadem spectat sacramenta Evangelii Christi Filii Dei. « Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis, ego sedebam in domo mea, et seues Juda sedebant coram me, et cecidit ibi super me manus Domini Dei. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis, ab aspectu lumborum ejus, et deorsum ignis, et a lumbis ejus, et sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram et cœlum, et adduxit me in Hierusalem in visione Dei, juxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundum visionem quam videram in campo. » Quinto anno transmigrationis Jechoniæ, quarto mense, quinta mensis, superiorem visionem factam ad prophetam legimus (*Ezech.* I), hæc autem quam nunc exponere volumus, sexto anno ejusdem regis, sexto mense, quinta mensis facta memoratur. Ex quo perspicuum est post annum et duos menses hæc facta quæ scripta sunt, et vel intermissam per annum et duos menses prophetiam, vel per totos quatuordecim menses gesta, quæ superior sermo contexuit. « Et dixit ad me : Fili hominis, leva oculos tuos ad viam aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce ab aquilonari parte altaris idolum zeli in ipso introitu, » etc. Quatuor abominationum incrementa, quæ prophetæ in hac visione ostenduntur, diligenter consideranda sunt. Nam quasi causas justitiæ quæreres, cur secundum præcedentis anni prophetiam gloria Domini, relictis Judæis in campum gentium exierit, atque ipsi Judæi postmodum obsessi, et fame perditi ceciderint in ore gladii, atque in omnes gentes captivi ducti sint, ecce altius repetit, et quatuor abominationes gentis gradatim in pejus proficientes, ostendens, deinde sub eadem pene imagine gentis ejusdem destructionem repræsentat atque confirmat, incipiendo sic : « Appropinquaverunt visitationes urbis (*Ezech.* IX). » Et deinceps : « Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubim. Rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub alterum. Et aspectus earum et similitudo una quatuor quasi si sit rota in medio terræ, » etc. (*ibid.*). De eo cujus « similitudo quasi aspectus ignis ab aspecta lumborum ejus, et deorsum ignis, et a lumbis ejus et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri, » jam superius dictum est, nec dubium, quin ipse sit Christus Filius Dei, idemque filius hominis in quo et similitudo est electri ex auro argentoque compositi, qui et in fine judicaturus est sæculum per ignem, quod significatur quasi per finales partes corporis igneas, dum dicitur, « ab aspectu lumborum ejus, et deorsum ignis. Abominatio prima hæc est. » — « Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce **561** ab aquilonari parte altaris idolum zeli, in ipso introitu. Adhuc conversus ait : Videbis abominationes majores. » Abominationes majores istæ sunt. « Cum perfodissem parietem, apparuit ostium unum. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum, et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Jechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulæ de thure consurgebat. » Majores abominationes istæ sunt, quia videlicet illic solummodo « idolum zeli in ipso introitu, » hic autem non solum idola, sed et « septuaginta viri de senioribus domus Israel stabant, et Jechonias in medio eorum, et unoquoque eorum habente thuribulum in manu sua vapor de thure consurgebat. » — « Adhuc, inquit, conversus, videbis abominationes majores. » Quæ sunt istæ majores ? « Introduxit me per ostium domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem, et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. » Juxta gentilem fabulam in mense Julio Amasius Veneris et pulcherrimus juvenis occisus, et deinceps revixisse narratur. Unde eumdem mensem Julium eodem nomine appellabant, et anniversariam ei solemnitatem celebrabant, in qua plangebatur a mulieribus quasi mortuus, et postea quasi reviviscens canebatur atque laudabatur. Majores abominationes istæ sunt, quia videlicet illic viri stabant, hic autem mulieres etiam sedebant. Pluris quippe est in abominationibus sedisse quam stetisse, id est majoris noxæ est peccatum in usum traxisse quam peccatum perpetrasse. Sed de his postmodum : « Adhuc, inquit, conversus videbis abominationes majores. » Quæ sunt istæ abominationes majores ? « Et introduxit me in atrium domus Domini interius, et ecce in ostio templi Domini, inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. Et ecce, ait, applicant ramum ad nares suas. » Adorare ad ortum solis, qui utique creatura est, id nimirum errare est, dorsum autem habere contra templum Domini, et ramum applicare ad nares suas, id plane est redarguentem Dominum contemnere, ac sibimet in malis suis complacere.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXIX.

Quod per quatuor incrementa hæc, idem debeat intelligi quod per propheticum sensum : « Super tribus sceleribus Damasci, Gazæ, Tyri, et cæterorum, et super quatuor non convertam eum. »

Incrementa hæc peccati diligentius consideraturi, prophetæ alterius recordemur, per quem loquitur Deus : « Super tribus sceleribus Damasci, Gazæ, Tyri, sive Edom aut filiorum Ammon, vel certe Moab, aut Israel, » quorum septenario numero gentes omnes significantur, super tribus, inquam, sceleribus cujuslibet eorum, « et super quatuor non convertam eum (*Amos.* I, II). » Primum scelus est malum in desiderio habere ; secundum, opere perpetrasse ; tertium, in consuetudine habere ; quartum, opera mala defendere, et in ipsis sibimet complacere. Primum horum significat « idolum zeli, in ipso introitu ab aquilonari parte. » Quid enim est idolum zeli in introitu habere, nisi malum desiderium, quod est introitus perversitatis in oculis Domini versare ? Idcirco dicit : « Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (*Isa.* I). » Quid autem cuique ante idolum cum thuribulo in manu sua habito stare, ita ut vapor nebulæ de thure consurgat, nisi præmeditatum scelus opere perpetrare, ita ut peccati effectus usque ad exteriores sensus erumpat ? Quid deinde est, mulieres in planctu Adonidis sedere, nisi effeminatas animas in consuetudine peccati computruisse ? Tria hæc primus Psalterii versiculus breviter complexus est : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum (*Psal.* I), » id est qui malum non concepit desiderium, quod erat intus habere « zeli idolum ab aquilonari parte, » id est, a diaboli suggestione. « Et in via peccatorum non stetit (*ibid.*), » id est ad effectum peccati non pervenit, quod erat ante idolum stare, et de thuribulo in manu vaporem nebulæ producere. Et bene istud perfosso pariete deprehendi dicitur, quia quisquis malum quodlibet occultum in corde versat, verbi gratia fraternum odium, mox ut pulsatus fuerit manu increpationis, per apertum linguæ ostium vaporem ignis sublatentis protinus emittit. « Et in cathedra pestilentiæ non sedit (*ibid.*), » id est, qui malæ consuetudinis putore proximos non corripit, quod erat mulieres sedere, et Adonidem plangere, quia profecto velut mulieres illecebrosis gestibus, et plangentes canunt, et canendo plangunt, plangunt, inquam, Adonidem mortuum, et canunt quasi redivivum, et amissis mœrent, et recuperatis voluptatibus gaudent, ad subversionem audientium. Hæc tria respiciens prædictus propheta, et dicens « super tribus sceleribus, » quasi repressit se, quia videlicet, fieri potest, et nonnunquam factum est ut eum qui usque ad malam consuetudinem pervenit, Dominus converteret. Unde in Evangelio suo, non tantum puellam in domo mortuam jacentem, et adolescentem, qui jam efferebatur ad tumulum (*Luc.* VII), sed et quatriduanum, jamque fetentem suscitavit Lazarum (*Joan.* XI). Itaque cum dixisset Amos propheta, « super tribus sceleribus, » non voluit statim dictionem perficere, dicendo « non convertam eum, » quia quamvis rarius, constat tamen Dominum convertere, vel convertisse eum qui ejusmodi est, et ita dicere maluit, « et super quatuor non convertam eum. » Quartum quippe scelus est, secundum hunc locum adorando solem, dorsum habere contra templum Domini, et ramum applicare naribus suis, id est in ipsa consuetudine peccati superbiæ contemnere vocem revocantis Domini, atque procaci defensione uti, et interea lætari in malefactis, et quasi ad suavem ramusculi odorem exsultare in rebus pessimis (*Prov.* I). Istud quoque de vitiosa radice primi parentis contraxerunt cunctæ propagines humani generis. Nam ille postquam et occultam in corde divinitatis ambitionem concepit, et vetitum lignum momordit, et a facie Domini se abscondit, quarto quoque scelere cervicem erexit, dicendo : « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi (*Gen.* III). » Nunc jam ad gentem ipsam, vel urbem, contra quam primum hic sermo est, revertamur, et hæc quatuor peccati ejus incrementa numeremus, propter quæ juste projecta sit in Salvatoris adventu.

562 CAPUT XXX.

Quid fuerit, populo illi habere idolum zeli : quid cum thuribulo stare coram idolis, quid a mulieribus sedentibus plangi Adonidem, et quid adorare ad ortum solis applicando ramum ad nares.

« Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce ab aquilonari parte altaris idolum zeli in ipso introitu. » Oculos levare est superiora tempora memoria repetere, videlicet exitum filiorum Israel de Ægypto, quando ingressi sunt, et mare transierunt in manu forti, et brachio extento (*Exod.* XII). Nunquid non idolum zeli erat in ipso introitu, quando primum ad cultum Dei patrum ipsorum intromittebantur ? Plane Ægyptum mente secum ferebant, Ægyptum et idola Ægypti non mutato animo secum portabant, sed non etiam actu prodebant ? Ventum est ad abominationes majores, ubi fossus paries, id est occasio data est, murmuraverunt, et post Ægyptum atque ollas carnium Ægypti ejulaverunt (*Exod.* XVI), et caput vituli secundum monstruosum ritum Ægypti fecerunt et adoraverunt (*Exod.* XXXII) : Ergo illic tantum idolum zeli, hic autem coram idolis stantes viri cum thuribulis et fumo thuris, id est illic quidem cum ab Ægypto exirent, idololatria male imbuto animo cubabat, hic autem opere prorupit manifesto. Ex eo ventum est et ad majores abominationes, id est ad mulieres sedentes, et Adonidem plangentes, versa quippe est in consuetudinem hujusmodi sordium ingluvies, sicut scriptum est in libro prophetarum : « Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel ? Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Remphan, figuras quas fecistis vobis, adorare eas (*Amos* V ; *Act.* VII). » Ventum est usque ad mulieres sedentes, id est eo usque ut propter hujusmodi scelera sacrilegii, sessione, id est consuetudine inveterata pro-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

phetas Domini gens effeminata trucidaret, quod prima fecit mulier Jezabel, et post illam filia ejus Athalia. Jezabel in Samaria, Athalia insanivit in Hierusalem. Illa Baal superduxit in Israel, et prophetas Domini occidit (*III Reg* XIX), ista in Hierusalem, itidem Baal introduxit in templum Domini, et reges occidit, regium, inquam, semen omne occidit, ne superesset qui regnaret de domo David (*IV Reg.* XI). Novissimum atque pessimum omnium genti illi supererat, ut facies ad orientem, dorsa autem verteret contra templum Domini, quod et fecit. Christum enim Dei Filium verum et sanctum divinitatis templum contempsit. Parum est quod, dorso contra illud verso, veritatis oracula inde procedentia respuit, insuper et solvere ausa est manibus aut linguis sacrilegis ; « facies enim habebant ad orientem, et adorabant ad ortum solis, » id est, claritatem ambiebant, et lucem præsentis sæculi, cum desperatione futuri. Ideirco dicebat eis : « Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo est Deo non quæritis? » (*Joan.* V.) In tanto scelere ramum quoque applicabant ad nares suas, id est, complacebant sibimet, quasi lege adimpleta, cujus de fructu cum non ederent, sola pompatice tractabant suave odorantia verborum folia. « Propter hæc venit super generationem illam omnis sanguis justus qui effusus est super terram a constitutione mundi (*Matth.* XXIII), » hoc est quod sequitur.

CAPUT XXXI.

Quod propter hæc clamatum sit : « Appropinquaverunt visitationes urbis ; » qui sex viri venientes, et quid vas interius uniuscujusque in manu ejus, et quis vir in medio eorum vestitus lineis, et quid atramentarium scriptoris ad renes ejus.

(CAP. IX.) « Et clamavit in auribus meis voce magna dicens : Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem, et uniuscujusque vas interius in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus. » — « Visitationes urbis appropinquaverunt. » illæ videlicet quas, propter abominationes prædictas, abominationes vituli, quamprimum fecerunt, comminans Dominus : « Ego autem, inquit, in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum (*Exod.* XXXII). » — « Et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua, » quia videlicet in illa generatione mala et adultera, præter peccata patrum unusquisque et propria habebat peccata in manu sua, sive in vase, id est in conscientia propria, quibus utique implebant mensuram patrum suorum, maxime persequendo Christum et apostolos, vel sapientes ejus, ex quibus occiderunt, lapidaverunt, crucifixerunt, flagellaverunt, et de civitate in civitatem persecuti sunt (*Matth.* XXIII). Qui enim sex viri, qui veniebant cum singulis vasis in manu sua, nisi sex ætates mundi, quarum a sanguine Abel justi, omnia super generationem illam refundenda erant peccata? « Porro vir unus in medio eorum vestitus lineis et atramentarium scriptoris ad renes ejus » Christus est Dei Filius, qui carnis nostræ vestitus lineis, venit in hunc mundum, ad hoc ut electos suos jam dictæ ultioni excipiendos conscriberet in libro viventium. Cujus rei signum illud fuit, quod protinus nascituro filio « exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc.* II). » « Et ingressi sunt, inquit, et steterunt juxta altare æreum. » Steterunt, inquam, parati ad præceptum peragendum, hi ut mandatum misericordiæ, illi ut sententiam perficerent justitiæ. Sane altare æreum foris erat extra velum ; nam altare aureum intra velum erat, cum mensa et propitiatorio, et arca testamenti, et duobus cherubim, quod dicebatur Sancta sanctorum. Hoc altare extrinsecus præsentis Ecclesiæ, illud intrinsecus supernæ vel cœlestis erat signum. Hic stetit extrinsecus vir ille, nam in illud intrinsecus per suum sanguinem habebat introire. « Et gloria Domini assumpta est de cherubim » quæ erat super eum ad limen domus. Et vocavit virum qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. » Gloria Domini tunc ad limen domus assumpta est, et virum istum vocavit, quando ad Jordanem cum baptizaretur manifestis indiciis testificata est gloria Patris, descendente super eum Spiritu in specie columbæ, simulque delapsa voce hujusmodi : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III). » Tunc, inquam, virum istum vocavit, atque ad evangelizandum pauperibus misit (*Luc.* IV). Nam hactenus non evangelizaverat, sed extunc evangelizare cœpit, et sacerdotio suo fungi, cujus erat signum id quod hic vestitus videbatur lineis.

563 CAPUT XXXII.

Quid sit signare thau super frontes virorum gementium, et quid sit percuti omnes qui hoc signo non sunt signati, et a sanctuario Domini incipi.

« Et dixit Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem in medio Hierusalem, et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit : Audite me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite. Non parcat oculus vester, et non misereamini. Senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite, usque ad internecionem. Omnes autem super quos videritis thau, ne occidatis ; et a sanctuario meo incipite. » Antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau littera, crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur. Notandum ergo quod dicitur : « Transi per mediam civitatem in medio Hierusalem, et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. » Nam hoc est quod Dominus noster ex hoc mundo transiturus ad Patrem, et signum crucis suæ scrip-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

turus in frontibus nostris, non atramento, sed sanguine suo et Spiritu sancto, primum prædicare cœpit, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV), » quia videlicet, non quibuslibet, sed gementibus et dolentibus super malis pristinis, id est pœnitentiam agentibus inscribitur hoc signum. Non enim aliter, nisi abrenuntiemus diabolo et pompis ejus, baptizamur in remissionem peccatorum, quod est accipere crucis Christi signaculum. Signum hoc, tam mortuis electis quam vivis, vir iste sacravit passione sua, sed et usque hodie, quamvis in cœlo sedeat, et corporaliter sit absens quantoscunque signationis hujus habeat ministros, hic est qui signat, nam hic est qui baptizat : « Transite, inquit, per civitatem sequentes eum, et percutite, » subauditur, omnem super quem non videritis signum thau. Omnem autem super quem illud videritis, ne occidatis. Sic quondam in Ægypto præcipiebatur filiis Israel : « Fasciculum hyssopi tingite sanguine, et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem, transibit enim Dominus percutiens Ægyptios. Cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium, et non sinet percussorem ingredi et percutere (*Exod.* XII). » Nulla hic distinctio Israelitæ et Ægyptii, nisi in postibus et superliminaribus domorum sanguis agni, nulla itidem distinctio hic justi et peccatoris, nisi in frontibus signum thau, signum crucis Christi Filii Dei. « Et a sanctuario meo incipite, » inquit. Quare? Videlicet, quia existimat populus, cujus sanctuarium meum est, quod non indigeat signaculo crucis, signaculo justitiæ Dei, quippe qui justitiam suam statuere vult, et ideo justitiæ Dei non est subjectus (*Rom.* X). Ne ergo arbitretur non necessariam sibi esse justitiam fidei, et signaculum crucis Christi, vel ad se non pertinere prophetiam hujus percussionis, effundite vasa hæc omnia super generationem istam, quotquot impleta sunt, a sanguine Abel justi, et effundentes atque percutientes a sanctuario meo incipite, ut non relinquatur lapis super lapidem in isto pulchro templo (*Matth.* XXIII, XXIV), in ista magna civitate contaminate domum, implete atria interfectis, et egredimini.

CAPUT XXXIII.

Quid sit virum qui indutus erat lineis dicere : « Feci sicut præcepisti, » et quid quod dicitur ei : « Ingredere in medium rotarum, et imple manum tuam prunis ignis, et effunde super civitatem. »

« Et ecce vir qui indutus erat lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo respondit verbum, dicens : Feci sicut præcepisti mihi. (CAP. X.) Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super ea. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, et ait : Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. » — « Feci, inquit, sicut præcepisti mihi. » Ac si diceret : Obediens tibi factus sum usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II), et ita faciendo signavi super frontes, signum sanctificavi quo signentur frontes gementium ac dolentium, pœnitentiam agentium, et peccatorum remissionem quærentium. De cætero superest mihi obedientiæ meritum, ut des mihi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine meo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*ibid.*). Nam hoc est quod in persona ejus Psalmista dicit (*Psal.* CVII) : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, » subauditur, ad tibi obediendum, jam quod superest fiat, ut a mortuis resurgam, et tunc demum « cantabo, et psallam in gloria mea. » At ille Deus videlicet Pater, protinus respondens : « Exsurge, inquit, gloria mea, exsurge psalterium et cithara. » Et ille : « Exsurgam, ait, diluculo. » Et subinde Pater Deus ad Filium Deum : « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. » De illa exaltatione hic dictum est : « Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super ea. » Nam et in præcedenti visione dictum est, solum hoc ex lapide sapphiro, in firmamento, quod erat super caput cherubim, sive ut illic scriptum est, « quod erat imminens capiti animalium (*Ezech.* II), » consessus dexteræ Patris, de quo et David in spiritu dicit : « Dixit Dominus Domino meo (*Psal.* CIX), » etc., et hic in eodem spiritu refert, eumdem Patrem dixisse sic : « Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effundes super civitatem. » Etenim ubi Christus Dei Filius resurrexit a mortuis, et ascendens in cœlum, sedet a dextris Dei, eadem resurrectione, eodem ascensu, vel sessione sua ingressus est « in medio rotarum, » videlicet ad illuminanda vel aperienda, quæ prius clausa erant arcana Scripturarum. quas superius dictum est significari per similitudinem rotarum, quæ et subtus cherubim esse dicuntur, quia nimirum cuncta in illa respiciunt animalia cœlestia, de quibus plenius illic diximus. Quid autem est quod illic ingresso dicitur, « imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem, » nisi accipe potestatem judicium facere, quia filius hominis es (*Joan.* V), judicare peccatricem civitatem, imo et omne sæculum per ignem, qui ignis est inter cherubim, id est, prædicatur sparsim in Scripturis inter illa quæ scripta sunt, de animalibus illis sæpe dictis.

564 CAPUT XXXIV.

Quid sit viro ingrediente cherubim stare a dextris, et atrium interius nube, exterius autem impleri splendore gloriæ, et quid sit cherub extendisse manum ad ignem, et dedisse viro qui erat indutus lineis.

« Ingressusque est in conspectu meo, cherubim autem stabant a dextris domus, cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius, et elevata est gloria Domini desuper cherubim ad limen domus, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. » Bene in conspectu meo dixit, nam « videntibus apostolis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I). » Bene nihilominus, « cherubim stabant a dextris domus, cum ingrederetur; » nam quæcunque scripta sunt vel erant, secundum animalia, quæ prædiximus, testimonium palam reddere cœperunt gloriæ ejus, cum fuisset assumptus. « Et nubes, inquit, implevit atrium intus, » id est, Judaicus qui erat intus et hactenus Deo propinquus, per infidelitatem obscuratus est populus. « Et elevata est gloria Domini desuper cherubim ad limen domus, » illa videlicet gloria Domini, de qua Psalmista : « Exaltare, inquit, super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua (*Psal.* CVII), » palam omnibus innotuit secundum veritatem Scripturarum, apostolis prædicantibus. « Et repleta est domus nube, » subauditur gloria Domini ad limen domus elevante se, primi enim sacerdotes et ordo Leviticus, primi, inquam, Scribæ et Pharisæi, quorum erat ministerium domus, percussi sunt cæcitate, gloria resurrectionis foris apparente. « Et atrium repletum splendore gloriæ Domini, » plurimi namque de populo crediderunt in initio prædicationis evangelicæ Spiritu sancto illuminante. « Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius; » pervenit enim citius sonus apostolorum prædicantium, ad nos gentes, qui foris eramus. Qualis erat ille sonitus? « Quasi vox Dei omnipotentis loquentis » vere. Non enim ipsi erant qui loquebantur, sed Spiritus sanctus; nec ipsi homines, de suo loquebantur, sed loquebatur in eis Christus, et cooperabatur Deus Pater hominibus, qui fuerant prius idiotæ et sine litteris, sermonem illorum confirmans sequentibus signis (*Marc.* XVI). « Et extendit cherub manum de medio cherubim ad ignem, qui erat inter cherubim, et sumpsit, et dedit in manu ejus, qui indutus erat lineis. Qui accipiens, egressus est. » Accepto igne vir ille ad quid egressus sit, quid fecit, vel quid facturus sit, quis nescit? Postmodum quippe civitas illa conflagrata et igne hostili, et sæculum omne tandem per ignem judicabit. Quomodo autem manum extendisse cherub, et huic viro ignem dedisse dicitur. Et quis est iste cherub? Nimirum qui per virum ipsum designatur, et per cherub unus idemque Deus et homo Christus. Ipse, inquam, cherub, ex eo quod erat sapientia Dei, quia cherub *plenitudo scientiæ* interpretatur, quod esse affectabat ille princeps Tyri ignominiosus, propter quod et propheta iste contra illum cum improperio et ironia loquitur : « Tu cherub, extentus et protegens (*Ezech.* XXVIII). » Ipse nihilominus vir, quia cum Deus esset, homo factus est. Itaque unus idemque dat atque accipit, quia ex eo quod Deus est, inferiori naturæ hominis dedit, ex eo quod homo est, a superiore divinitate accepit. Inde Psalmista : « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus (*Psal.* LXVII). » Sive « accepisti dona in hominibus » juxta Hebraicam veritatem dicas, sive « dedit dona hominibus, juxta Apostolum (*Ephes.* IV). » Et Septuaginta, prædicta discretione fide dirigitur intelligentia. « Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubim, rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub alterum. Species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi. Et aspectus earum similitudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ. » Et post pauca : « Ipsum est animal quod videram juxta fluvium Chobar. » Ac deinceps : « Ipsum est animal quod vidi super Deum Israel, juxta fluvium Chobar. Et intellexi quia cherubim essent quatuor, per quatuor vultus uni, et per quatuor alæ uni, et similitudo manus hominis, sub alis eorum, » etc. Horum superius necessario meminimus, ubi oportebat dignoscere quomodo animalia hæc et quatuor sint, et unum. Idcirco hæc præsenti loco prætergredimur, præsertim quia prolixior cursu, et proficiscendi studio semel dicta declinare compellimur. Sane illud observandum, quod prius species rotarum fuerit, « quasi visio maris, » nunc autem « quasi visio lapidis chrysolithi » sive carbunculi, ut pœnarum per ignem, qui a cherub traditur, similitudo monstretur

CAPUT XXXV.

Cum dicit : « Et sublata est a me visio quam videram, » subaudiendum est, illius viri, et subintelligendum usque ad vicesimum et quintum annum transmigrationis, quo eumdem viri speciem vidit.

(Cap. XI.) Visionis præsentis narrationem propheta sic terminare curavit. « Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam, ad transmigrationem in visionem, in visione, in spiritu Dei, et sublata est a me visio, quam videram. » Sublatam a se visionem gloriæ Domini, cum dicit, subaudire licet, usque ad vicesimum quintum annum transmigrationis. Quam enim isto et superiore anno visionem vidit, scilicet speciem viri gloriosi et desiderabilis et similitudinem cœlestium animalium, quæ visio erat « similitudinis gloriæ Domini (*Ezech.* II), deinceps vidisse non legitur usque ad vicesimum quintum annum transmigrationis, quando dicit : « Facta est super me manus Domini, et ecce vir cujus erat aspectus quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus (*Ezech.* XL). » Item : « Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar (*Ezech.* XLIII). » Hæc visio sicut et duæ quas prælibavimus, scilicet quinti et sexti transmigrationis anni, de propria persona, et evangelica gloria est Christi Filii Dei, quæ autem interposita sunt alarum, aut certe appendentium prophetiæ sunt rerum; verbi gratia, postquam sublata est a me visio quam videram, quæ utique visio de rebus erat longo post tempore futuris, statim de

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

proximo, id est, de instante Babylonica captivitate subjungit (Cap. XII) : « Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per viam coram eis. » Ac deinceps : « Super ducem onus istud, qui est in Hierusalem. Extendam rete meum super illum, et capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, et ipsam non videbit, ibique morietur. » Ducem quippe Sedechiam significat, cujus facies velanda erat, ut cœcus terram Babylonicam non videret (*IV Reg.* XXV). Igitur et nos hic præsentis voluminis finem faciamus, et a repetita jam tertio gloria Domini, id est a visione vicesimi quinti anni, libri sequentis exordium sumamus.

565 IN EZECHIELEM LIBER SECUNDUS.

(Ezech. XL-XLVIII.)

CAPUT PRIMUM.

De visione ultima, quod quammaxime clausa sit, et idcirco quammaxime opus sit illum ad candelabrum, quod est Christus, admoveri, ut ex parte aliqua possit cognosci.

Quoniam cœlestia, de quibus supra loquebamur, animalia sequi cupimus, et de illis scriptum est : « Unumquodque eorum coram facie sua gradiebatur (*Ezech.* I), » nos quoque pro modulo nostro coram facie nostra gradiamur, id est propositi nostri intentionem memoriter teneamus, ut visionem quammaxime clausam, ne dicam obscuram, aliquanta ex parte videre atque cognoscere valeamus. Est autem nostra in hoc opere intentio, sicut in initio proposuimus, gloriam sanctæ Trinitatis, fidem Christi, et gloriam quærere regni ejus. Quid isto candelabro lucidius? Aut quo in lumine alio lumen istud videre poterimus, nisi in isto de quo sine dubio Scripturæ loquuntur ? Accedamus igitur propius, et ad lumen ejus volumen visionis hujus expediamus, quia revera quanto vicinius, quanto attentius ad ipsam ejus propriam personam aspexerimus, tanto amplius Scripturæ hujus, quæ clausa est, sensus nobis aperietur.

CAPUT II.

Quod hæc visio altius quam priores contingat gloriam vel divinitatem Christi, et quæ sit civitas cujus in ædificium vir ille prophetam introduxit.

(Cap. XL.) « In vicesimo et quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno, postquam percussa est civitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Dei. Adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum. Et introduxit me illuc, et ecce vir unus, cujus aspectus quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus. Stabat autem in porta. » Duobus prophetiæ suæ prioribus annis, magnam quidem iste semel et iterum viderat gloriam, sive similitudinem gloriæ Domini, faciem hominis, faciem leonis, faciem vituli, et faciem aquilæ volantis, et deinde quasi aspectum lapidis sapphiri, similitudinem throni ; super similitudinem throni, similitudinem quasi aspectum hominis (*Ezech.* I). Sed nunquid hoc totum, et non amplius est Christus Filius Dei ? Nunquid nihil superest de illo scire, aut credere, præter illa quæ per facies istas signantur, videlicet, quod de Virgine homo natus, et passus sit, resurrexerit, et in cœlum ascenderit, et de illa sede paternæ majestatis ad judicandos vivos et mortuos venturus sit ? Nonne et illud maxime necessarium ad salutem nostram fidei regula exigit ut credamus et sciamus quia Deus erat, « et omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil ? (*Joan.* I.) » Bene igitur propheta, postquam illa quæ supra dicta sunt vidit, adducitur per manum Domini in terram Israel, « et dimittitur super montem excelsum nimis, » in illam nimirum terram, et in illum montem nimis excelsum, ubi « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*ibid.*), » ut videat quia omnia per ipsum facta sunt, et quia antequam Verbum caro fieret, omnes de plenitudine ejus acceperunt idipsum quo impleti sunt (*ibid.*). Illic erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum civitatis Hierusalem, de qua Psalmus : « Hierusalem, inquit, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI). » Ædificatur enim adhuc ex hominibus, ædificata dudum ex beatis spiritibus, quorum omnis societas frigidum aquilonem, id est superbum detestatur diabolum, humiliter ad austrum, id est ad sanctum vergit spiritum, amando et laudando Creatorem suum. « Et introduxit me, inquit, illuc, » subauditur in spiritu, ut contemplarer opus, quod a principio operatus est Deus, qui in fine sæculorum homo fieri dignatus est. Nam de illo protinus sequitur. « Et ecce vir, cujus erat aspectus quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus. »

CAPUT III.

Cur aspectus viri quasi species æris, et cur funiculus et calamus mensuræ in manu ejus sit.

« Ecce, inquit, vir. » Vir non quidem jam ex essentia, sed præscientia, et ordinatione præfixa, Deus autem et tunc et nunc æterna atque incommutabili essentia. « Cujus erat aspectus quasi species æris, » ipse est enim sonorum Verbum Patris, cujus hodie tantus in omnem terram sonus exivit, ut recte per

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

speciem æris, quod metallum valde sonorum est, præsignari debuerit. « Et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus. » Funiculus architectorum, sive cœmentariorum, calamus autem scriptorum est. Et bene hoc utrumque in manu erat, imo est in manu hujus Verbi scilicet; nam ipse est architectus et fabricator mundi, et ipse idem antequam fieret vir, sanctam Scripturam **566** legalem atque propheticam condidit. Et bene funiculus tantummodo funiculus, calamus autem, calamus mensuræ dicitur. Etenim fabricam mundi, cujus opificii signum erat funiculus, solus per semetipsum condidit, cujus rei vel structuræ potentiam non ad mensuram accepit, sanctam autem Scripturam per homines edidit, quibus utique non omnibus omnia, sed singulis quam voluit ad mensuram dedit. « Stabat autem in porta. » Vere stabat, et adhuc stat in porta, quia vere nullus, vel ad veram facturæ mundi notitiam, vel ad sanam sacræ Scripturæ intelligentiam, nisi per ipsum intrat. Nec vero tantummodo in porta stat, sed et ipse porta est, porta, inquam, et portarius, ostium et ostiarius ipse est. Porta nimirum sive ostium eo quod homo, portarius sive ostiarius, eo quod Deus est. « Ego, inquit, sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* x). » Et nihilominus de semetipso dicit : « Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt (*ibid.*) »

CAPUT IV.

Quam opportune illi cui alta ostensurus est, dicat : « Fili hominis, » et quod ei qui videt expediat ut annuntiet.

« Et locutus est ad me idem vir : Fili hominis : vide oculis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi adductus es huc. Annuntia omnia quæ tu vides domui Israel. » — « Fili hominis, » inquit. Opportuna commemoratio infirmitatis, tanquam diceret : O videns, magnitudine revelationum ne extollaris ubi visiones Dei vides, quia filius hominis vermis es. Hoc non te prætereat, istud tene memoriter. Ita humiliato capite, « vide oculis tuis, et auribus tuis audi, » oculis cordis, auribus interioris hominis, « et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, » neque sis eorum, quorum cor aversum ita intelligere nolint. Hoc enim competit, ut benevolo corde adsis, neque sis ingratus, « quia ut ostendantur tibi adductus es huc, » ut occurras cum omnibus sanctis « in unitate fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV). » ut jam non sis parvulus, quemadmodum illi qui Messiam audientes esse venturum, putant vel putaturi sunt, quod homo tantum sit, quod non sit idem Deus, antequam homo aut vir. Et quia sicut « corde creditur ad justitiam, ita et ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X), » annuntia omnia quæ tu vides domui Israel. Quamvis annuntiatio hæc, nunc interim pro tempore et re clausa esse debeat, quia videlicet domus Israel nunc si nudo sermone annunties, ea portare neque vult, neque potest, tamen annuntia quæ tu vides, non tantum præsenti, imo non tam præsenti quam ei quæ futura est, non tam carnali quam spirituali domui Israel. Primum tibi ipsi, jam nunc impræsentiarum, quod hoc licet absconditum, confessionis aurum contuleris in thesauros veritatis, deinde proderit et futuræ domui Israel, videnti et cognoscenti ex parte, et nihilominus veneranti quod videre aut cognoscere non potest, donec veniente eo quod perfectum est, evacuetur quod ex parte est (*I Cor.* XIII).

CAPUT V.

Cur cum utrumque in manu viri sit et funiculus et calamus, de funiculo coram propheta agatur nihil ; et quod per calamum sex cubitorum et palmi septiformis gratia Spiritus sancti intelligatur, et quid sit murus forinsecus per circuitum domus.

« Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum et palmi, et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. » Notandum imprimis quod cum utrumque, scilicet calamus et funiculus lineus, et calamus mensuræ in manu viri sit, de funiculo tacetur, nihilque cum illo demonstratur, et totum in oculis prophetæ, cum calamo mensuræ agitur. Cur hoc ? Videlicet quia non ad hoc propheta vel quisquam alius adducitur, ut discat qualiter mundi fabricam fecerit Deus, quod per architectonicum funiculum intelligitur, sed ad hoc tantum ut videat quid inde Scriptura loquatur, quæ per calamum exprimitur, et credat, quia secundum testimonium ejus, per Verbum suum cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, fecit unus et solus Deus, per Verbum, inquam, suum, quod et caro factum est, cujus, inquit, evangelista, gloriam vidimus (*Joan.* I). Quis autem est calamus iste in manu viri, nisi ille de quo Pater in David : « Lingua mea, inquit, calamus scribæ, velociter scribentis ? » (*Psal.* XLIV.) Quis, inquam, est calamus istæ mensuræ sex cubitorum et palmi, nisi gratia septiformis Spiritus sancti ? Etenim calami hujus cubitus unus timor, cubitus unus pietas, cubitus unus fortitudo, cubitus unus consilium, cubitus unus intellectus, psalmus autem sapientia est. Siquidem cætera temporaliter operantium quædam arma vel instrumenta sunt, sapientia vero quiescentium merces, quæ in illa vita permanens feliciter palmum adimplet. Igitur « murus forinsecus in circuitu domus undique et in manu viri calamus mensuræ, » quia videlicet, antequam vir iste calami, id est Spiritus sancti, mensuras prophetis suis manu sua distribueret, latebat omnes homines quid in secreta atque ineffabili domo apud Deum esset, sed et nunc ultra nihil scire possumus, nisi quod per mentem et os illorum, calamo suo, id est Spiritu sancto disserere dignatus est. « Et mensus est, inquit, latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno, » latitudo ædificii Scripturæ est litteralis, altitudo autem sensus ejusdem est spiritualis. Utrumque mensus est calamo uno, quia nimirum utrumque

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nobis traditum est ab uno eodemque auctore Spiritu sancto.

CAPUT VI.

Quid porta orientalis ad quam venit vir, et quid per gradus ascendentes, et quid per thalamum debeat intelligi.

« Et venit ad portam quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus ejus, et mensus est limen portæ calamo uno, id est limen unum calamo uno in latitudinem. Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum. Et inter thalamos quinque cubitos, et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, et mensus vestibulum portæ intrinsecus calamo uno. » Porta quæ viam orientalem respicit, prima est origo sæculi. Ad illam utique portam venit hic vir; **567** jam enim, jamdudum, inquam, erat in sinu Patris. Denique ipse est et erit Sapientia Dei, quæ in Parabolis dicit : « Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam terra fieret. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, etc. (*Prov.* VIII), » « Et ascendit, inquit, per gradus ejus. » Per gradus, inquam, ad portam viæ orientalis ascendit, gradatim quippe, et per quosdam ascensus opera sua disposuit, verbi gratia, prius terram inanimatam, deinde animatas arbores, deinde animata et sensibilia animantia terræ, deinde animatum sensibilem et rationalem hominem creavit. « Et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est limen unum, calamo uno in latitudinem. » Limen portæ introitus ædificii est. Quapropter et per limen, totius operis dispositio recte intelligenda est, de qua evangelista : « Quod factum est in ipso vita erat, » inquit (*Joan.* I). Mensus est itaque limen portæ, sive latitudinem liminis calamo uno, id est proposuit amplificare opera sua in uno spiritu, videlicet secundum amplitudinem magnificentiamque ejus, ut quia ille septiformis est, faceret sex pulcherrimi operis facies, et in die septimo opus suum complens, ab omni opere requiesceret. Requies illa thalami nomine statim designata est. « Et thalamum, inquit, calamo uno in longum, et uno calamo in latum. » Quadra erat thalami positio, qua requiei Domini plena æternitas, et æterna significatur plenitudo in uno dimensa calamo, id est, Spiritu sancto perfecta, qui verus est amor. « Et inter thalamos quinque cubitos. » Ibi revera Creator creaturæ tanquam sponsus sponsæ, in thalamo vero copulatur conjugio, et hæc in Scripturis sanctis usitata quidem est similitudo (*Psal.* XVIII), sed quinque cubiti sunt inter thalamos, id est totis quinque sensibus illi disparantur thalami, ab istis quos solos novit homo. Etenim thalami illius voluptatem quinque sensuum carnis nullus percipit, testante Scriptura, quia oculus non vidit, nec auris audivit, sed nec in cor hominis ascendit, quæ Deus in illo thalamo diligentibus se præparavit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). » Quod autem et unus thalamus, et plures recte dicantur thalami, postmodum non præteribimus. « Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, et mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo uno. » Ordo verborum est. Et limen portæ mensus est, juxta quantitatem vestibuli, quod erat intrinsecus, scilicet calamo uno; etenim mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, dum limen quod modo describitur juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, dicente propheta. « Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, et mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, » aperte ostenditur quia limen, quod prius descriptum est, extrinsecus fuit. Porro limen exterius, littera; limen vero interius in Scriptura sacra, allegoria est: quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine quod est exterius ad hoc quod est interius venimus. Et bene utrumque calamo uno mensuratur, quia videlicet utriusque, tam litteræ quam allegoriæ, veritas eodem auctore spiritu commendatur. Vel certe, quia ut supra diximus, testante evangelista : « Quod factum est in ipso vita erat (*Joan.* I), » et illic limen interius, et hic vestibulum intrinsecus recte accipimus, ut hic et illic, quod « in ipso vita erat » intelligamus, et tunc demum « quod factum est, » cum Scripturæ ordine, juxta propositionem nostram prosequamur. Sequitur enim!

CAPUT VII.

Quid sit quod prius cum mensura calami metiebatur, et deinde omnis per cubitos mensura peragatur, et quod vestibulum portæ octo cubitorum esse, et in fronte duos habere cubitos describatur.

« Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis, vestibulum autem portæ erat intrinsecus. Porro thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc et tres inde, mensura una trium, et mensura una frontium, ex utraque parte. » Notandum quippe quod hic jam de calamo ad cubitos ratio mensuræ convertitur, et dum atrium exterius, dum atrium interius, cum ternis unumquodque portis, templum quoque et gazophylacia vir ille permetitur, nulla calami mentio fit, sed omnis per cubitos mensura peragitur. Proinde non ad reticendum, quia quod hactenus dicebatur, secundum id valeat intelligi, quod « in ipso vita erat, » et quod deinceps sermo narrare ingreditur, secundum id debeat accipi, « quod factum est, » eodem ordine, quo Scriptura prosecuta est, sic incipiens : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » Quid enim est, quod cum dixisset, « et mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo uno, » id est sex cubitis et palmo, continuo subjunxit, « et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, vestibulum autem portæ erat intrinsecus? » Quid, inquam, est, quod unum idemque intrinsecus vestibulum, uno calamo permensum, continuo octo cubitorum, nisi quia ubi creaturæ opus immutabiliter vita erat, ibi quoque finis ejus præfixus est, ut post mutabilem cursum perficeretur in octava? Septenarius quippe numerus, qui est in calamo longo sex cubitis et pal-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mo, insolubilis est; unde et apud philosophos mas dicitur, octonarius autem femina, quia solubilis est, et usque ad ultimam unitatem in æquas partes secatur. Idcirco per illum immutabilis vita quæ secundum evangelistam in Verbo erat, in isto autem mutabilis creaturæ cursus intelligitur creaturæ rationalis, quæ, ut jam dictum est, perficitur in mundi ætate octava. Iis igitur præmissis secundum id quod, ut sæpe dictum est, « in ipso vita erat, » nunc demum exterius quod factum est creaturæ opus ingredimur, ad laudem et gloriam hujus viri gloriosi, et mensoris fidelissimi, qui ut passim in omnibus Scripturis, ita quammaxime et in hac visione testificatur quod ipse sit antiquus mundi architectus, in quo fieri homo est dignatus, quique ut psalmus quoque confitetur, de gloriosa civitate Dei, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI).

CAPUT VIII.

Quid sint thalami tres hinc, et tres inde, et quomodo mensura una trium, et in quo mensura una sit angelorum et hominum electorum.

« Et mensus est frontem ejus duobus cubitis. » Portæ thalami quoque ad viam orientalem tres hinc et tres inde. Mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte. Frons vestibuli initium et prima est dictio Scripturæ, qua describitur primum factura mundi. Mensura frontis hujus duo cubiti sunt. Ait enim : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I). » Unus est cubitus cœli, id est omnium invisibilium. Unus itidem cubitus terræ, id est omnium visibilium. Magna quidem ista vel illa creatura, sed **568** considerata magnitudine hujus viri immensi, vix cubitus meretur dici, qui juxta prophetam alium, palmo cœlos ponderavit, et molem terræ tribus digitis appendit (*Isa.* XL). Quare autem sex erant thalami tres hinc et tres inde ad viam orientalem, nisi quia bis ternis diebus operatus est mundi opifex, et tunc demum ingressus est in suam requiem? Etenim una quidem est ejus requies, sed quia sex operis sui explicuit species unus artifex recte sex thalami sunt, et una nihilominus designatur requies. Dicendo autem « hinc et inde, » breviter distinxit thalamos cœli et terræ thalamos angelicæ et humanæ creaturæ. Angelica quippe creatura, eo ipso quod terrenum corpus non habet, comparatione hominis quasi cœlum est, sed nihilominus, tam humana quam angelica creatura Creatoris dignatione beatæ requiei thalamis admissa est. « Mensura, inquit, una trium, » Non dixit mensura una omnium, id est sex thalamorum, licet et hoc quadam ex parte sit verum; nam et homines electi sic erunt sicut angeli Dei (*Matth.* XXII), et in Apocalypsi legimus : « Mensura hominis quæ est angeli (*Apoc.* XXI), » sed dixit, « mensura una trium, » videlicet hinc trium, et inde trium. Hinc angelorum, præter quos nihil rationale creatum est primis tribus diebus, quibus fabrica mundi explicata est. Inde hominum, præter quos itidem nihil rationale creatum est cæteris tribus diebus, quibus eadem fabrica mundi mobilibus creaturis perornata est. Mensura igitur hinc una trium cum dictum est : « Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona (*Gen.* I); » nam hæc est angelica creatura. Mensura rursus una trium, cum dictum est : « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II), » quæ una et communis humanæ creaturæ mensura est. Porro et mensura una frontium ex utraque parte, nam ex imagine et similitudine Dei relucet creatura, utraque in fronte, id est, in mente. Licet hinc, id est ex nostra parte scriptum legamus : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I), » tamen et ex alia parte idem sentiendum est, licet non eadem monstretur dictione. Nam cum dicitur : « Fiat lux, » brevius quidem, sed non minus in angelica creatura imaginis et similitudinis Dei claritas exprimitur. Denique et e converso factus, et perfectus homo, ad imaginem et similitudinem Dei, id est propter id quod rationalis et divinæ bonitatis est imitatrix, insignis habetur creatura utraque.

CAPUT IX.

Quid sit latitudo portæ decem cubitorum, et longitudo tredecim.

« Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum et longitudinem portæ tredecim cubitorum. » Porta hæc non eadem quæ supra, non a prædicto ædificio, sed e contrario, et ad medium thalamorum patens intelligenda est. Hæc porta, illa lex vel conditio est, qua observata ingredimur in illam æternorum thalamorum Dei requiem. « Ingredimur enim, inquit Apostolus, in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit : Si introibunt in requiem meam (*Hebr.* IV). » Item : « Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit a laboribus suis, sicut requievit Deus ab operibus suis (*Ibid.*). » « Et longitudinem, inquit, portæ tredecim cubitorum. » Hoc loco longitudo portæ altitudo dicitur, sicut nos quem altum videmus, longæ staturæ dicimus. Nam longitudo portæ dici in transversum non potest, cujus latitudo per decem cubitos demonstratur. Grandis porta, et pro modulo hominis, si ad corpusculum spectes, lata satis, et spatiosa. Ait autem Dominus : « Quam angusta porta, et arcta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam (*Matth.* VII). » Verum alia quædam est grossitudo sive vastitas, cui revera hæc talis porta decem cubitis lata, et tredecim longa, nimis angusta et arcta sit. Hæc est vastitas cupiditatum, hæc est grossitudo divitiarum. Nam idem dicit : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei (*Matth.* XIX). » Etenim latitudo decem cubitorum, decem legis præcepta sunt. Et cum unum eorum sit : « Non concupisces (*Exod.* XX), » quomodo per hanc porta intrare posset, qui latitudine ejus tanto vastior est, quanto plures circum se aggravavit cupiditas? Et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hæc quidem latitudo prioris populi fuerit, qui decem præcepta legis accepit, nam nostra ex Evangelio est tredecim cubitorum longitudo, quibus super eadem præcepta fides datur sanctæ Trinitatis, a quibus sic exigitur unum et solum Deum confiteri, ut certam faciamus distinctionem personarum, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

CAPUT X.

Quid ante thalamos margo cubiti unius, et quid thalami sex cubitorum, et quid latitudo a tecto usque ad tectum viginti quinque cubitorum.

« Et marginem ante thalamos cubiti unius, et cubitus unus finis utrinque. Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. »—« Marginem ante thalamos » intelligimus proeminentiam tecti ultra parietem eminentis. Hic erat « cubiti unius, » quo nimirum cubito, mediator Dei et hominum Christus, intelligitur, quasi ultra thalamorum parietes proeminens, dum foris humanæ formæ, quam suscepit, electis omnibus angelis sive hominibus beatam semper præsentat visionem. Intus in interiore homine illa est voluptas, quæ per thalamos intelligitur, quia divinitas amanti creaturæ ineffabiliter copulatur, verum et præter hoc foris in loco semper apparet, et præsto est ille desiderabilis filii hominis aspectus, in quem cum desiderent angeli prospicere (*I Petr.* I), sine dubio et hominis eadem semper exhilarantur visione, semper desiderata, semper præsente, amantes sine defectu, deficientes sine passione. « Thalami sex cubitorum erant hinc et inde, » subauditur, et palmi unius, quod supra dictum est, sed idcirco repetivit, ut continuo subjungeret : « Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus, latitudinem vigenti et quinque cubitorum, ostium contra ostium. » Hic numerus ex quinario numero per semetipsum multiplicato conficitur. Et quia quinque carnis sensibus præditi sumus, eorum similitudinem numerus iste ex quinario in semetipsum ducto quadratus significat, qui et si minus spirituales sunt, in bono tamen opere exterius per provectum multiplicantur. Ne ergo dubitemus solummodo spirituales aut virginei propositi homines in illam requiem ingredi et requiescere cum Deo requiescente ab operibus suis, « Latitudinem, inquit, a tecto thalami usque ad tectum ejus, mensus est viginti quinque cubitorum. » Pene et huic simile in Canticis legimus, ubi cum dictum esset : « Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum (*Cant.* III), » continuo subjunxit : « Media charitate constravit propter filias Hierusalem (*ibid.*) » Quod ait, « ostium contra ostium, » subauditur thalamorum, **569** hinc trium et inde trium, mutuam concordiam et patientia semper in laude Dei corda simul et ora significat angelorum et hominum.

CAPUT XI.

Quomodo fecerit frontes per sexaginta cubitos, et ante faciem portæ quinquaginta cubitos, quid fenestræ obliquæ, et quid palmarum pictura per circuitum.

« Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et a fronte atrii portæ undique per circuitum. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli interioris quinquaginta cubitos. » Spatii sub dio, cujus latitudo viginti quinque cubitorum erat, longitudinem per sexaginta cubitos mensus est. Hoc erat spatium atrii inter frontes atrii supradicti. Verum quia vestibulum portæ interioris, occurrens portæ octo cubitos occupaverat, et præterea duos in fronte sua cubitos habebat in lateribus quidem sexaginta cubitos admittebat ; sed coram facie sua, vel coram facie portæ atrii de sexaginta cubitis, quinquaginta, id est decem minus, effecerat. Hoc est quod cum dixisset, « fecit frontes per sexaginta cubitos, » continuo subjunxit : « Et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. » Porro per sexaginta cubitos, qui numerus ex senario numero denarioque perficitur (sexies namque decem, sive decies sex, sexaginta fiunt), per sexaginta, inquam, cubitos ingredientium opera, per quinquaginta vero misericordiæ occurrentis significatur gratia. Nam hic numerus ex lege sacratus est, dum quinquagesimo anno ad possessorem suum post venditionem omnis possessio redire jubetur, unde et idem remissionis annus jubilæus, id est dimittens, dicitur (*Lev.* XXV). Plane utroque indigemus, quicunque in illos thalamos, in illam Domini requiem in qua requievit prior ille ab operibus suis, ingredi cupimus. Quis enim angelorum aut hominum per sola merita sua illuc ingrederetur, nisi per gratiam fuisset assumptus? Aut quanta sunt opera cujusque nostrum, ut in eamdem cum Deo requiem ingrediamur, per solum justitiæ debitum? De portis atrii, quæ erant undique per circuitum, dicemus postmodum. « Et fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum quæ erant intra portam, undique per circuitum. Similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, et ante frontes pictura palmarum cælata. » Fenestræ obliquæ quasi sagittæ dicuntur, eo quod instar sagittarum angustum in ædes lumen intromittant, et intrinsecus dilatentur. Porro si thalami sunt illa de qua loquimur requies Dei, et Deus lux est, hoc fenestræ istæ a nostris differunt, quod nostræ a foris lumen accipiunt, istæ ab intus foras mittunt. Palmarum quoque nobis cælatura vel pictura monstratur, ut de mundo victoriam possidentes, digni efficiamur post laborem pugnæ cum palma virtutum in illam requiem introire.

CAPUT XII.

Quid sit atrium exterius, de quo ait : « Et eduxit me ad atrium exterius, » etc. quid per triginta gazophylacia, quid per portas, sive longitudinem intelligamus centum cubitorum.

« Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum. Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. Et mensus est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

latitudinem a facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos, ad orientem et ad aquilonem. » Post ædificii prioris, et thalamorum dimensionem propheta ad atrium exterius educitur, quia videlicet sanctam ingressi Scripturam, post explicitam mundi fabricam, et postquam Deum ab operibus suis requievisse legimus, in subsequentem rerum historiam proficiscimur, quæ extra requiei illius secretum gestæ sunt vel geruntur. Incipit autem sic : « Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit in paradiso voluptatis (*Gen.* II), » etc. Omnis hæc historia quasi atrium exterius est usque ad Abraham, ab Abraham autem, ad quem primum repromissus est Christus, de semine ejus nasciturus (*Gen.* XII), atrium est interius usque ad templi veri positionem, quod hæc prophetia post illud atrium permetitur, id est usque ad ejusdem Christi incarnationem, quo in templo suo Deus homo humano generi est repropitiatus. Igitur « eduxit me, inquit, ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum, » id est postquam fecit me intelligere quomodo peracto opere suo die septimo requievit Deus, aperuit mihi sensum ut intelligerem ea quæ subsequenter leguntur, et ecce apparuit littera ditissima et valde operosa, quia spiritalis intelligentiæ gaza, et quasi lapidis marmorei varietas in ea continetur. « Gazophylacia, inquit, triginta in circuitu pavimenti. » Tricenus gazophylaciorum numerus, conjugii castitatem significat, quam in primis hominibus construxit, et dedicavit Deus. Quanticunque post illam conjunctionem casti, et Deo digni conjuges in illa Scriptura leguntur, gazophylacia fuerunt vel sunt, sensuum spiritualium gazam plurimumque servantia sacramentorum Christi aurum, verbi gratia : « Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam (*Gen.* II), » etc. Hoc vere magnum gazophylacium verissimæ gazæ servatorium. Nam « sacramentum magnum hoc est, » quod servat hæc littera : « Ego autem, inquit, Apostolus, dico in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* III). » Et quomodo super terram varium et pulchrum sternitur ex marmore pavimentum, sic et in isto et in cæteris super vilem litteraturam spiritualis intelligentiæ conspicit ornamentum quisquis oculos habet ad videndum. « Et pavimentum, inquit, in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. » Revera « secundum longitudinem portarum, » nam prout temporibus suis a supradicto Dei templo, id est ab incarnatione Christi longe aberant sancti Patres, qui verbi Dei vel venturi Christi portæ nobis exstiterunt, mystica illorum conjugia sive facta, interpretatione veneranda sunt. « Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris, intrinsecus centum cubitos ad orientem et ad aquilonem. » Mensura centum cubitorum, remuneratio est bonorum aeternorum, cujus plenitudinem in Evangelio quoque Dominus significans : « Centuplum, inquit, accipiet et vitam æternam possidebit, » id est pro temporalibus æterna recipiet, quæ remuneratio tam lucrosa, ac si parvo numero centenarius numerus comparetur. Tantam latitudinem a facie mensus est portæ inferioris, id est a primo Adam, qui secundum tempus a sæpe dicto templo Dei longissime abfuit. Primo enim huic præceptum positum est hujusmodi : « Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem **570** scientiæ boni et mali ne comedas (*Gen.* II). » Quod profecto præceptum si custodisset, centum retributionis quasi cubitos recepisset, nam pro ligno uno sibi interdicto lignum vitæ quandoque comederet, et tam corpore quam anima immortalis esset, quandoque absque morte corporis ad beatam immortalitatem, et immortalem angelorum beatitudinem transiret. « Et mensus est, inquit, ad orientem et ad aquilonem, » id est remunerationem promisit omnibus bene merentibus sive in prosperitate pacis, sive inter adversitatem tentationis.

CAPUT XIII.

Quid sit porta respiciens viam aquilonis, quid mensuræ quinquaginta cubitorum in longitudinem, et viginti quinque in latitudinem, quid fenestræ, quid vestibulum, et quid ascensus septem gradnum

« Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis, atrii exterioris mensus est, et mensus est a porta usque ad portam in via australi, tam in longitudine quam in latitudine, et thalames ejus tres hinc, tres inde, et frontem ejus et vestibulum ejus, secundum mensuram portæ prioris quinquaginta cubitorum, longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. » Post portam orientalem, qua prospera et bona solent enuntiari, venitur ad portam quæ respicit viam aquilonis, qua non dubium est adversa significari, quia videlicet post lectionem Creatoris mundi, et ejus quæ primo homini apposita fuerat felicitatis, historia sequitur miseriarum et magnæ infelicitatis. Homo deceptus a diabolo, de paradiso ejectus est, spiritu mortuus, et carne mortalis atque universæ posteritati suæ comportans hæreditatem ejusdem geminæ mortis, et deinde multiplicatis hominibus, corruptaque omni carne, tunc ille mundus diluvio inundatus periit (*Gen.* VII). Verum nec ibi mensoris hujus diligentissimi diligentia vel benevolentia cessavit, sed secundum mensuram portæ prioris « mensus est, tam in longitudine quam in latitudine, » etc., id est locutus est hominibus, manifestavit illis opera sua, quamvis pro modulo suo secundum exemplum ejus bene operarentur, ut et ipsi in thalamos ejus requiei ingredi mererentur. « Quinquaginta cubitorum mensus est longitudinem, atque latitudinem viginti quinque cubitorum; » proposuit enim illis remissionis spem, quam possent adipisci per fidei longitudinem, et per charitatis bonis quinque sensuum operibus excreitatæ latitudinem. « Mensus est, inquam, a porta viæ aquilonis usque ad portam in via australi, » id est, ita ut et malis in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prædicto diluvio mala redderet pro meritis, et bonis bona reservaret, quatenus de semine illorum repararetur orbis. Eorum thalami erant secreta conscientiæ bonæ, tres hinc, et tres inde; tres, inquam, hinc, id est ex presenti, in fide, spe et charitate: inde autem, id est ex futuro in beata Trinitatis visione. « Fenestræ autem ejus et vestibulum et sculpturæ secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem, et septem gradus erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam. Et porta atrii interioris contra portam aquilonis et orientalem, et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. » Per fenestras et vestibulum quod erat secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientalem, hoc subtiliter indicatur, quod in introitu virtutum positi, et in auctorem respicientes, cujus erat opus creatio mundi, et requies in regno immortalitatis, ad visionem ejus essent perventuri. Porro septem gradum per quos erat ascensus ejus primus est timor, secundus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consilium, sextus intellectus, septimus sapientia. Eosdem gradus Isaias in ipso capite nostro enumerans, descendendo magis quam ascendendo numeravit, dicendo « spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Et recte, quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Hic autem quia de terrenis hominibus sermo est, qui de deorsum ad superna tendunt, iidem gradus ascendendo nihilominus recte numerantur, quia cum scriptum sit : « Initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I), » constat procul dubio quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem redditur. Perfectam quippe habet sapientia charitatem. De centum cubitis, vel de numeri hujus sacramento suprà dictum est.

CAPUT XIV.

Quid sit via australis sive porta respiciens ad austrum, et quod pro ratione temporum prima atrii exterioris porta orientalis, secunda aquilonaris, tertia dicta sit australis.

« Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta quæ respiciebat ad austrum. Et mensus est frontem ejus et vestibulum ejus, juxta mensuras superiores, et fenestras ejus, et vestibula in circuitu » etc. ut supra. Post portam aquilonarem exitur ad viam vel portam australem, qua bona significantur, quia post præcedentis ætatis adversitatem, et impiorum perditionem hominum, statim prospera nobis occurrunt Scripturæ ordinem prosequentibus; cum, verbi gratia, ad Noe loquitur Deus : « Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis et pecudibus terræ, cunctisque quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam interficietur ultra omnis caro aquis diluvii neque erit deinceps diluvium dissipans terram (*Gen.* IX), » etc. De cunctis portæ hujus mensuris, et de gradibus, quibus ad eam ascenditur, idem sentiendum; nam eadem cuncta sunt quæ superius. Et hic quidem dimensionum atrii vel portarum atrii exterioris finis est. Et notandum in dimensionibus hic esse portarum ordinem, ut prima orientalis, secunda aquilonaris, tertia australis sit, videlicet pro ratione, vel ordine temporum aut rerum, quas hactenus Scriptura memoravit. Non ita se ordo habet portarum atrii interioris, sed quo illic nomine ultima erit, id est australis, illo hic prima est, cum dicitur.

CAPUT XV.

Quod alio ordine prima interioris atrii porta australis dicitur, secunda orientalis, tertia aquilonaris, et quid significent, et quod in vestibulo aquilonaris portæ sexdecim mensæ quatuor majores, et duodecim minores sint.

« Et introduxit me in atrium interius ad portam australem, et mensus est portam juxta mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus eisdem mensuris, » etc. Quæ prima ponitur porta hujus atrii interioris, australis dicitur, quæ secunda, **571** orientalis, quæ vero tertia, aquilonaris. Et hoc nimirum juxta rationem vel ordinem temporum aut rerum quæ gestæ sunt. Nam hoc interius atrium, illa est series patrum, quam continet Liber generationis Jesu Christi apud Matthæum (*Matth.* I). Isti sunt patres, ex quibus Christus secundum carnem verum Dei templum, templum non manu factum. Australis porta illic est Abraham, orientalis David, aquilonaris transmigratio Babylonis. In hoc uno temporum ratio deficit quod tamen rerum qualitas exigit, quod prima, ut jam dictum est, australis, secunda dicitur orientalis. Nam secundum, quod Abraham tempore prior fuit, et ad hunc primum promissio facta est beati seminis, quod est Christus (*Gen.* XII, XXII), porta hæc prima ponitur, orientalis recte dici debuisse videretur. Verum etsi David tempore posterior fuit, et ad hunc posterius promissio facta est Dei, dicentis: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXIX), » est tamen altera non parva pars dignitatis, propter quam hic potius porta dici mereatur orientalis. Cujus enim æque ut Abraham promissionem accepere meruit, ejus mysteria pectore sacro et ore prophetico ceciuit Christi Filii Dei. Hoc Abraham non fecit. Iste super omnes docentes se prudens, et super senes intelligens (*Psal.* CXVIII), primus in omni generatione Jesu Christi sacramenta ejus, sacramenta nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis quoque, et regni ejus miranda elegantia decantavit, et verbis pene nudis, in quantum ratio temporis permisit, aut hominum, quales tunc erant, duritia ferre potuit, præeunte auctoritate regali, ut quidquam eloqui auderet de regno Dei, et judicio futuro, de virtutibus futuri sæculi, de qualibus Moyses nihil nisi per figuras et ænigmata scripsit. Recte igitur dicatur hic porta orientalis, duplici gratia, pater Christi Filii Dei, altera, quia et ipse repromissionem accepit, altera, quia nascitur post multa tempora

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fideli corde sacramenta concepit, et ore sacro edidit. Hæc si rite perpendamus, amplius eo delectabimur, quod evangelista Matthæus hunc et ante et post Abraham in illa generatione nominavit, prius dicendo: « Liber generationis Jesu Christi filii David (*Matth.* I)» et post, dicendo: « Jesse autem genuit David (*ibid.*), » Aquilonaris porta, ut hic tertia scriberetur, id quoque rerum ordo vel qualitas poposcit, quia videlicet, juxta quod Hieremias prædixerat: « Ab aquilone pandetur omne malum super habitatores terræ (*Jer.* I), » tota aquilonaris, id est nimium adversa erat transmigratio Babylonis. Inde autem eadem transmigratio porta debuit dici, quia nimirum tunc gratia prophetica profusior populo Dei, sive atrio templi Dei sese infudit, prophetantibus Hieremia, et hoc ipso Ezechiele, Daniele, Aggæo, Zacharia, et Malachia. Sed et cæteri omnes prophetæ fere in omnibus quæ loquuntur circa illam Babylonis captivitatem versantur, non quod illam tantummodo peccatori comminentur populo, sed quod illa typus fuerit captivitatis, qua universaliter omnes homines in hujus mundi Babylone sub spirituali Nabuchodonosor exsulamus; unde non nisi per pœnitentiam, quam omnes prophetæ concorditer prædicant, et per Christi gratiam liberandi sumus. Unde recte in vestibulo portæ hujus aquilonaris mensæ hinc et inde numero sexdecim visuntur, quæ sunt scripturæ XVI prophetarum, quorum alii ante, alii post ipsam captivitatem, alii sub eadem captivitate prophetaverunt, quorum fidei vel testimoniis, quia totum innititur quod Deo dignum offerimus, recte dictum est, « super quas immolabant, et super quas ponant vasa, in quibus immoletur holocaustum et victima. »—« Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonem, et facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis. » Cantores hujus atrii lex et prophetæ sunt, id est omnis scriptura Veteris Testamenti libri viginti quatuor, quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannes inducit, adorantes Agnum, et coronas suas, prostratis vultibus offerentes, stantibus coram quatuor animalibus oculatis ante et retro, id est et in præteritum et in futurum respicientibus, et indefessa voce clamantibus: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est (*Apoc.* VI). » Horum profecto cantorum gazophylacia extra portam interiorem, id est merces omnis extra præsentem vitam reposita est, et facies eorum, facies, inquam, una, id est intentio consona contra viam australem, ex latere portæ orientalis, tendit enim in veram plenitudinem lucis, in adventum veri orientis Christi Filii Dei, quæ videlicet porta « respiciebat ad viam aquilonis, » ut revocaret eos quos abduxerat aquilo diabolus, et aberrare fecerat ab oriente veri et æterni Solis. Illud tamen prætereundum non est quod singulas portarum hujus, id est interioris atrii vestibula ad atrium exterius respicere dicuntur, ut videlicet eorum, qui ante legem et eorum qui sub lege fuerunt sancti et justi una fuisse fides, una exspectatio, vel spes intelligatur.

CAPUT XVI.

Quid sit mystice, quod portarum interioris atrii ascensus numero graduum differunt, scilicet quod illic septem, hic octo gradus sint.

Nec illud prætereundum, quod portarum hujus interioris atrii, et portarum exterioris atrii ascensus numero graduum differunt. Nam ad illas septem graduum erat ascensus, ad istas octo gradibus ascendebatur. Denique ante Abraham, quem primam et australem hujus atrii portam fuisse diximus, nulla octavæ mentio est, qua resurrectio significatur, sed in septima finis erat, qua ab operibus suis requievit Deus. Ad Abraham primum octavæ mentio fuit, dicente Deo: « Infans octo dierum circumcidetur in vobis (*Gen.* XVII).» Per circumcisionem infantis fides seminis ejus, quod est Christus, signabatur, per octavum diem resurrectio, quæ octava mundi ætate per eumdem Christum donanda erat, præfigurabatur. Sed et in Evangelio primum eo ipso Abraham fidem resurrectionis astruit ipse Christus, dum dicit Sadducæis resurrectionem non credentibus: « De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est, Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium (*Matth.* XXII). » Et de illo Apostolus dixit: « Quia fide obtulit Isaac cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus (*Hebr.* XI). » Igitur ubi secundum Scripturas augmentum fidei reperitur, recte ascensionis quoque gradus augentur, et post septem in octavum ascensus perficitur, ob significandum eorum profectum qui ita crediderunt, vel speraverunt introire in requiem Dei, et sabbatizare cum illo ab operibus suis, ut etiam crederent vel exspectarent resurrectionem carnis celebrandam octava ætate mundi, in cujus fidei signum circumcisionem susceperunt octavæ dici.

572 CAPUT XVII.

De gazophylacio sacerdotum, qui excubant in custodiis templi, et gazophylacio sacerdotum, qui excubant ad ministerium altaris, et cur sic dictum sit: « Isti sunt filii Sadoch, » et quid sit altare ante faciem templi.

« Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium, quod respicit viam meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. Porro gazophylacium quod respicit ad viam aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris. » Notandum quod sacerdotes, quibus custodiæ templi delegatæ sunt, habitant in gazophylacio, quod respicit ad viam meridianam, in qua lux plenissima est; hi autem qui excubant ad ministerium altaris, in quo offeruntur victimæ pro peccato, in gazophylacio sint, quod

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

respicit viam aquilonis eos qui ab aquilone veniunt, et offerunt victimas pro peccatis suis, suscipere et salvare cupientes. Nimirum utrinque gazophylacium, una sancta Scriptura est, in qua thesaurus noster est, si vere simus divites, si in litteræ theca aurum spiritus et sacramentorum Christi, pretiosos novimus possidere lapides. Hoc tale gazophylacium tam ad meridiem quam ad aquilonem patet, quia nimirum si Scripturam attendas maxime propheticam, divitias salutis non minus Judæorum quam gentium possidet. Qui autem sunt hi sacerdotes? Ait: « Isti sunt filii Sadoch, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei. » Sadoch *justus* interpretatur. Porro justitiæ principium fides est, per quam et ante circumcisionem Abraham justificatus est. « Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen.* xv).» Bene ergo non dixit, isti sunt filii Abrahæ aut filii Israel, aut certe filii Levi, sed « isti sunt filii Sadoch. »—« Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine (*Rom.* ix). » Igitur isti quorum gazophylacia hæc sunt, qui jure excubent in custodiis templi, vel ad ministerium altaris, isti, inquam, sunt filii Sadoch, filii justi Dei, vel Christi Filii Dei, et inde veraciter Abrahæ filii, quia filii justitiæ. « Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum. » Hic eodem sensu quo et in exteriore atrio centum cubiti intelligendi sunt. Nam fideles carnis Christi patres, quorum ex carne, quia templum corporis ejus constructum est, idcirco illos atrium interius esse dicimus, pro peregrinatione, qua in terra aliena propter promissionem peregrinati sunt, centuplum acceperunt. Etenim, juxta Apostolum, aspicientes in remunerationem nequaquam exspectatione sua frustrati sunt (*Hebr.* xi). « Et altare ante faciem templi. »—« Altare ante faciem templi » fides eorumdem patrum exstitit, quæ digna occursione constructionem ejusdem templi, id est incarnationis Christi prævenit, quæ statim in hoc propheta mysticis designatur mensuris, incipiendo sic:

CAPUT XVIII.

De gloria Dei, quod ipsa eadem per mysterium templi, quæ et in primis visionibus per quatuor facies, hominis, leonis, vituli, et aquilæ præfigurata sit.

« Et introduxit me in vestibulum templi, et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde, et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. » Quæ hactenus dicta aut significata sunt, Spiritus propheticus duorum annorum, quibus hic propheta vaticinari cœpit, visionibus superposuit, et cujus illic humanitatem gloriosam expressit, per quatuor facies, hominis, leonis, vituli atque aquilæ volantis, ejus hic sempiternam divinitatem, et eadem humanitate longe antiquiorem miris multumque arcanis modis significavit. Nunc demum quam illic semel et iterum viderat gloriam, hic jam tertio replicat sufficientibus testimoniis assertionem fidei suæ roborans, quod is qui homo in terris apparuit, qui passus est, qui resurrexit, et in cœlum ascendit, ipse sit qui cum Patre omnia creavit. Ait enim post aliqua: « Et duxit me ad portam, quæ respicit ad viam orientalem, et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et visio visionem secundum speciem quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar, et cecidi super faciem meam (*Ezech.* xliii). » Igitur gaudentes, et tam cum isto propheta, quam cum dilecto evangelista confitentes, quia « vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* i), » sequamur quantum possumus, quo symmisten suum ducit iste venerabilis vir.

CAPUT XIX

Quid vestibulum hinc quinque et inde quinque cubitorum, et quid porta latitudinem habens trium hinc et trium inde cubitorum, quid columnæ in frontibus, una hinc, et altera inde.

«Et introduxit me, inquit, in vestibulum templi.» Introduci in vestibulum templi, catechizari est verbo fidei, addiscere causas necessarias adventus Christi Filii Dei, cur sibimet Deus humani corporis templum ædificaverit, propter quos, utrum propter quosdam, an absque distinctione personarum propter omnes homines advenerit. Hic jam vide quid ille fecerit. « Mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde, et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. » Decem cubiti quorum quinque hinc, et quinque inde, mediam habent portam, tribus hinc, et tribus inde latam cubitis, Decalogus est legis, quæ « nihil ad perfectum adduxit (*Hebr.* vii). » et idcirco necessarium fuit, ut porta justitiæ Christus in medium ejus se offerret, et quasi utraque manu defectu suppleret legis infirmæ, legis impotentis. Hinc Apostolus ait: « Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis (*Rom.* viii).» Igitur ut justificatio legis impleretur, porta justitiæ Christus advenit, et quasi qui nos dextra lævaque sustentans, cubitos decem præceptorum legem aliquid posse effecit. Unde hæc potentia vel facultas illi homini? Videlicet, quia non homo tantum, sed Deus ipse est, quia qui sex diebus omnia fecit, ipse est, alioqui nec ipse posset. Ait ergo: « Quia latitudinem portæ tribus cubitis hinc, et tribus inde mensus est, » qui fiunt cubiti sex, cujus nimirum latitudinis Scriptura testis est, quia sex diebus, ut jam dictum est, dixit Deus Fiat, et factum est quidquid usquam creaturarum est (*Gen.* i). Si dixit et factum est, per Verbum utique factum est, Christus autem Dei Verbum est. Idcirco potuit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

573 idcirco legem imperfectam ad perfectum adduxit. Et hic non propter Judæorum tantum, sed et propter gentium salutem venit, imo non justos, sed peccatores vocare venit (*Matth.* IX). Sequitur ergo : « Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et latitudinem undecim cubitorum. » Hic numerus, scilicet viginti, in decenario limite binarius est. « Ergo longitudo vestibuli cubitorum viginti, » extensionem significat gratiæ Christi, cujus adventus non usque ad Judæos tantum, sed usque ad salvandas gentes pertingit. Porro undenarius numerus peccatorum typus est. Omne enim peccatum undenarium, quia cum quis perversa ait, præcepta Decalogi transit. Magna ergo, si ad mysterium spectes, latitudo vestibuli, magna enim et ampla gratia justi Dei, quæ universum mundum sub peccati onere curvum intra sinus suos recipit. B « Et octo gradibus ascendebatur ad eam. » De octo gradibus jam supra dictum est, nec repetere oportet, nisi forte ex Evangelio gradus eosdem suscipiamus, aliis nominibus ut dicamus octo beatitudines quarum prima : « Beati pauperes spiritu, » octava est : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V.) » — « Et columnæ erant in frontibus una hinc et altera inde. » Columnæ in frontibus duæ sunt, una hinc, quæ vocatur misericordia, altera inde, cui nomen judicium. Hinc misericordiæ, illinc judicii columna stat. Primo namque adventu suo Christus Dominus misericors venit ad redimendum, secundo veniet ad judicandum. Hæc omnis est introductio in C vestibulum templi, quia videlicet hæc omnia credere et confiteri oportet eum, qui templum ingredi, id est corpori Christi per baptismum cupit uniri.

CAPUT XX.

De eo quod ait : « Et introduxit me in templum. » Et quid sit latitudinis frontium sex cubiti hinc, et sex inde, et quid latitudinis portæ quinque hinc et quinque inde.

(Cap. XLI.) « Et introduxit me in templum, et mensus est fronies sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde. Latitudo tabernaculi, et latitudo portæ decem cubitorum erat, et latera portæ quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde. » Post vestibuli stationem in ipsum templum introduci est, data confessione, baptizati in nomine Patris, et Filii et Spiri- D tus sancti. Nam ex eo quisque sic in illud templum Dominici corporis ingressus est, ut et Christum induerit, testante Apostolo, cum dicit : « Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III). » « Sex, inquit, cubitos hinc latitudinis, et sex cubitos latitudinis inde. » Hæc est latitudo confessionis, quam debet scire quisquis hoc templum ingredi meruerit. Sex cubitos quo dierum numero creaturæ multitudinem Creator unius explicuit, sex, inquam, cubitos hinc Apostolus confitetur, cum dicit : « Quia in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia A in ipso constant (*Col.* I.) » Sex itidem inde cubitos confitetur cum protinus subjungit : « Et ipse caput Ecclesiæ qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in cœlis sive quæ in terris sunt (*ibid.*). » Iste sunt frontes templi, iste pulcher aspectus, magnumque et luminosum spectaculum in oculis animæ confitentis. Sed hæc ipsa pulchritudo confessionis opera requirit. Sequitur ergo : « Latitudo portæ decem cubitorum erat, et latera portæ quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde. » Tabernaculum interiorem domum dicit. Per cujus circuitum latera, id est tabulæ bis triginta tria erant, ut sequens sermo describit. Porro latitudo portæ introitus ejusdem tabernaculi erat, patens decem cubitis, et latera habens quinis hinc inde cubitis, qui simul sunt viginti cubiti, quæ erat latitudo tabernaculi. Nam continuo subjungit. « Et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum. » Igitur latitudo portæ decem cubitorum post ea quæ prædicta sunt bonorum est incessus operum, per latitudinem charitatis currentium, de qua totum pendere constat legis Decalogum. Fides enim per dilectionem operatur (*Gal.* V), et idcirco senis frontium cubitis, statim hujusce latitudinis porta coram panditur.

CAPUT XXI.

De dispositione oraculi, et quid sit in fronte portæ mensura duorum cubitorum.

« Et introgressus intrinsecus, mensus est in fronte portæ duos cubitos, et portam sex cubitorum, et latitudinem portæ septem cubitorum. Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum ante faciem templi. Et dixit ad me : Hoc est Sanctum sanctorum. » Oraculum sive Sanctum sanctorum in templo, Deus est in Christo. Unde dicit Apostolus : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V). » Oraculum autem et præ foribus oraculi templum, sicut non duo templa, sed unum templum sic hominem, et in homine Deum, non duos Christos, sed unum confitemur Christum. De vocibus sive responsis hujus oraculi, et de dispositione Verbi incarnati, illud sacri corporis templum inhabitantis, non solum apostoli, sed et ipse Christus jugiter secundum hominem pependit, ut nihil a semetipso faceret, aut judicaret, ita ut verbi gratia, gentem suam, vel civitatem Hierusalem rupturam flere posset, flendo tamen non liberaret. Oraculum illud, quantæ longitudinis, tantæ et latitudinis, tantæ nihilominus erat et altitudinis, quia videlicet Christi Domini nostri divinitas, quantæ antiquitatis, quæ per longitudinem, quantæ majestatis, quæ per altitudinem, tantæ omnino charitatis est, quæ intelligitur per latitudinem. Porro longitudo templi quadraginta cubitorum, qui numerus semper in labore positus est, labores significat vitæ præsentis, quos in corpore suo Dominicus homo longanimiter pertulit. Totum hoc bre-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

viter in fronte portæ designant cubiti duo, dum confitemur quod unus idemque Christus Deus et homo sit, quæ summa est catholicæ confessionis.

CAPUT XXII

Quid significent latera bis triginta tria, et quid quod erat lateris longitudo sex cubitorum, latitudo quatuor cubitorum, et quid quod latera hæc parietem templi non attingebant.

« Et mensus est parietem domus sex cubitorum, et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. Latera autem latus ad latus bis triginta tria, et erant eminentia quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi. » Latera **574** bis triginta tria, dicendo, cum sexaginta sex dicere potuerit, amplius placet intellectui, quia videlicet triginta tribus annis templum Dominici corporis, et in illo templo suo Deus majestatis Filius Dei Patris sustinuit in hoc mundo peregrinari. Idcirco recte distinguuntur latera bis triginta tria, quia nimirum per tot annos obedientiæ Patri servivit, utraque divina scilicet et humana Christi natura. « Erat autem lateris longitudo sex cubitorum, et latitudo quatuor cubitorum. » Illo, id est senario numero perfectio divinorum operum, quæ operabatur mirabiliter, quemadmodum dicit : « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit (*Joan.* xv), » isto autem, id est quaternario quatuor significantur elementa hujus mundi, sub quibus servivit exinanitus in forma servi, « in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Phil.* II.) » Latera hæc non attingebant parietem templi, quia videlicet non permansuros assumpsit labores vitæ præsentis, sed temporales, quos omnino amoveret gloria resurrectionis, testante Apostolo, cum dicit : « Nunc autem semel in consummationem sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit, et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata, secundo apparebit sine peccato exspectantibus se per salutem in fide (*Hebr.* IX.) »

CAPUT XXIII.

Quid sit mystice in hoc templo tristega, id est tria cœnacula, quid sit per ostium ascendere ad superiora et medium, et quid sit illud ostium.

« Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cocleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum, idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. » Quod dixit, ad superiora in medium, idem est ac si dicat, in medium et superius cœnaculum. Tristega enim erant, de quibus et in templo Salomonis, juxta mysterium, diximus, et nunc dicimus quia in hoc divinitatis templo, in hoc Deo vel homine Christo tria tabulata sunt (*III Reg.* VI), et necesse est ut quisquis in Christo manere desiderat, in quolibet eorum fideliter consistat. Quænam sunt tabulata hæc ? Profecto tres bene vivendi distinctiones. Tres credentium in Christum ordines, quod et ipse mystice discernens : « Duo, inquit, in agro, duæ molentes in unum, duo in lecto, unus assumetur et unus relinquetur (*Matth.* XXIV). » Itidem, isti sunt ordines, quos in isto propheta sub nominibus intelligimus, Job, Noe, Daniel, etc., ut ibi legere potes. (*Ezech.* XIV). Dicamus et aliud. Cum de hac, quam in terris agimus vita, ad requiem spiritus in futuro pervenerimus, quasi ad superiorem gradum domus tendimus, et ubi carne soluti ad requiem spiritus ascenderimus, carnis etiam nostræ receptionem in die resurrectionis quasi supremi cœnaculi exspectamus ascensum. Quod autem « platea erat in rotundum ascendens sursum per cocleam et in cœnaculum templi deferebat per gyrum, et idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora, et in medium, » puto perspicuum esse lectori semper angustiora esse quæ deorsum sunt, paulatimque dum ad summa contendimus, latiorem nobis aperiri viam, et impleri quod scriptum est : « In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV). » Per rotundum autem et cocleam ascendimus templi cœnaculum. Quæ figura inter omnia schemata a philosophis quoque hujus sæculi pulchrior approbatur, dum et cœlum, et sol, et luna, et astra cætera, et punctum terræ, et in corporibus quoque humanis oculi quasi altera sidera, et figura capitis quod omnium sensuum receptaculum est, teretesque digiti, femora, et brachia hanc præferunt rotunditatem. « Et ostium, inquit, lateris ad orientem. » Et de hoc ostio in descriptione templi Salomonis scriptum est : « Ostium lateris medii in pariete erat domus dexteræ, et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium (*III Reg.* VI). » De hoc ita diximus. Ostium lateris templi vulnus est in latere lanceato Dominici corporis præter quod non est aditus, non est ostium vel janua, qua intret quis, ut in quovis ordine coram Deo stare possit. Nam ex illo latere, cum lancea percussum esset, sanguis et aqua profluxit (*Joan.* XIX), quo sacramento deletum est peccatum mundi, in quo et baptizati sumus in Christo Jesu, dicente Apostolo : « Quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). » Ergo unum est ostium, unum baptisma (*Ephes.* IV), per quod in introitu in illud Dei templum, quo cum admissus fuerit, tum demum ascendere licet, vel a primo in medium, vel a medio in tertium, prout delectaverit quemque ascensus virtutum, vel celsitudo meritorum. Aliqua quæ planiora sunt percurrimus, ut difficilioribus atque utilioribus immoremur.

CAPUT XXIV.

Quomodo in domo erant laquearia prima post triginta cubitos, secunda post sexaginta, tertia post centum et viginti, et quomodo mystice intelligendum sit : « Et vidi in domo altitudinem per circuitum, » etc.

« Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera, ad mensuram calami sex cubitorum spatio. Et latitudinem per parietem lateris foriuse-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cus quinque cubitorum, et interior domus in lateribus domus. » Latera ista ejusmodi intelligenda sunt, de qualibus Scriptura libri Regum in descriptione templi Salomonis dicit : « Texit quoque domum laquearibus cedrinis (*III Reg.* VI). » Porro laquearia sunt tabulata, quæ supposita trabibus affiguntur clavis, decoremque picturæ suæ solent aspectantibus præmonstrare mirandum. Terna autem erant in templo laquearia, prima videlicet post triginta cubitos a pavimento, secunda post cubitos sexaginta contra summitatem porticuum, tertia post cubitos centum viginti in summitate totius domus. Non enim in Palæstina sicut in Ægypto culmina in tectis habentur, sed plana potius tecta domorum ad sedendum videlicet, vel deambulandum apta construuntur. Unde dicit in Evangelio Dominus : « Et quod in aure auditis prædicabitur in tectis (*Luc.* XII). » Cæterum spiritualiter et nos templum hoc per fidem ingressi, videmus altitudinem per circuitum fundata latera, ad mensuram calami sex cubitorum spatio, et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum. Quæ sunt hæc in altitudine, et per circuitum latera, nisi alta et perfecta quæ in templo illo Dominici hominis recondita sunt intelligentiæ spiritualis arcana? Unde bene « ad mensuram calami sex cubitorum » dicuntur fundata, quia juxta mensuram, quam unicuique prophetarum sive apostolorum divisit Deus, firmiter et stabili fide sunt omnia conscripta. Porro forinsecus latitudo quinque cubitorum, qui numerus carnalibus propter quinque corporis sensus magis competit, litteralis sive historia Scripturarum est mediocritas, quæ ardua cœlestium mysteria spectare non valentibus per discretionem est proponenda. Interior **575** domus, in lateribus domus, de quibus supra diximus, evangelica proprie doctrina est, quam et præcipue in hoc templo altitudinem videmus ad mensuram calami sex cubitorum, itemque ad mensuram quinque cubitorum, ut sicut jam dictum est, et magis perfecti, qui per senarium et mediocres qui per quinarium discernendi significantur, numerum habeant quo utiliter levent internorum aciem oculorum. « Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique, » subauditur vidi. Gazophylacia hæc thesauros omnes sapientiæ et scientiæ, qui in hoc templo, id est in Christo sunt absconditi, latitudo autem inter hæc cubitorum viginti, qui numerus binarius est in decenis superexcellentiorem viam significat geminæ charitatis, Dei et proximi, sine qua nihil cætera charismata prodesse Apostolus asserit (*I Cor.* XII).

CAPUT XXV.

Ex eo quod templum humani corporis Deus majestatis sibimet condiderit, quis nobis fructus accesserit, secundum id quod ait : « ædificium quod erat separatum, » etc.

Ex eo quod secundum propheticam visionem, Deus majestatis, templum sibimet humani corporis condidit, quis nobis fructus accessit? Quis nisi quod Apostolus ait : « In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconcillare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt? » (*Col.* I.) Sequitur ergo : « Et ædificium quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis septuaginta cubitorum. Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitorum, et mensus est domum longitudine centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium, et paries ejus longitudinis centum cubitorum. » — « Et ædificium, inquit, quod erat separatum. » Quod illud ædificium? Nimirum beata sanctorum societas angelorum, quos inter et nos grandis erat separatio, grande dissidium. Idcirco dicitur, « ædificium erat separatum. » Et continuo subjungitur : « Versumque ad viam respicientem ad mare. » Via respiciens ad mare, Deus noster Christus erat, quippe qui et per prophetas suos prænuntiabat quod in plenitudine temporis dignaretur ad nos descendere, et in nostro mari naufragium mortis, atque in exemplum Jonæ triduanam sepulturam subire. Ad hanc viam versum illud ædificium separatum, ejus namque gratiam exspectabat sanctorum charitas angelorum a nobis separatorum, exspectabat, inquam, quando pacificaret, et conjungeret nos cum illis per sanguinem suum. Illud ædificium septuaginta latitudinis cubitos habebat, qui numerus in decennis septenarius est, et idcirco in limite latiori latissimam charitatis requiem latitudo ista significat, quia jam tunc et sine nobis in Deo suo societas angelica requiescebat. Attamen plurimum perfectioni vel instructioni deerat, quia videlicet ovis centesima perierat, drachma decima perdita fuerat (*Luc.* XV). Ait ergo : « Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitorum. » Quinarius qui secundæ unitatis, id est denarii, medietas est, nondum plenam, nondum perfectam multiformis sapientiæ Dei notitiam significat. Nam sciebant quidem jam beati angeli quantæ Deus esset potentiæ, sed nondum experimento didicerant quantæ idem esset clementiæ. Istud perdiscere habebant per admirabile opus reparationis nostræ. Unde dicit Apostolus : « Et illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis, in Deo qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III). » Ergo paries quasi semiplenus, id est, « quinque cubitorum » erat, ad integrum, quod per secundam unitatem, id est per denarium, intelligitur, nondum pervenerat. Sed et « longitudo ejus nonaginta cubitorum » erat, et ad centum non pervenerat. Numerus quippe centesima ove perdita, diminutus erat. Sed quid fecit ille? « mensus est domum longitudine centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus longitudinis centum cubitorum. » — « Latitudo autem ante faciem domus, et ejus quod erat separatum contra orien-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tem, centum cubitorum. » Dimensio ista quadra est. Et est sensus : Ovem centesimam ad ovile reportavit, et ovium suarum numerum ad integrum supplevit (*Luc.* xv), et sicut centenarius numerus quadratus est, decies enim decem centum efficiunt, ita suum ovile magna quondam parte mutilatum, totum reformavit, atque replevit, quasi per quadrum.

CAPUT XXVI.

De eo quod ait : « Et mensus est longitudinem ædificii, » etc., quid per ea significetur.

« Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum, et ethecas ex utraque parte centum cubitorum, et templum interius, et vestibula atrii, limina et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu. A terra autem, usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia, et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, et forinsecus ad mensuras et fabrefacta cherubim et palmæ, et palma inter cherubim et cherub. » Ubi prædictum templum ædificatum, imo et Judaica impietate solutum, divina in triduo potentia resuscitatum est, continuo quod separatum erat ædificium perfectum, et de nonaginta in centum cubitos provectum est, id est beata societas angelorum drachmæ decimæ quæ perdita fuerat, et ovis centesimæ quæ perierat, inventione redintegrata est (*Luc.* xv). Omnes quippe qui Christi gratiam exspectaverant electi ab origine mundi, tunc apertis ejusdem ædificii portis introierunt, et pro inventione ovis, quam pastor pius propriis reportabat humeris, totum illud exhilaratum ovile ovium cœlestium, gaudiumque fuit commune amicorum congratulantium. Sed erat adhuc locus, nec enim totus ex illis, qui adventum hujus gratiæ præcesserant, completus erat præfinitus ab initio electorum numerus : Ergo « mensus est, inquit, longitudinem ædificii ad dorsum. » Quid est « ad dorsum, » nisi post discessum suum? Denique postquam discessit venerabilis iste vir, « mensus est longitudinem centum cubitorum, longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum, » id est postquam in cœlum ascendit, dedit dona hominibus plena largitate (*Ephes.* iv), quasi centenaria perfectione, propter eos qui adhuc erant inimici non credendo, vel non cognoscendo Christum Filium Dei. Vestibula atrii limina, fenestræ obliquæ, et ethecæ, id est eminentia ex utraque parte, diversa significant ministeria sanctorum apostolorum, prophetarum, evangelistarum, doctorum, atque pastorum, quos posuit, vel dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*ibid.*), id est Ecclesiæ, quæ et ipsa est templum **576** Dei, quod et hic dicitur templum interius, quod ad dorsum, id est post ascensum suum, ut jam diximus; mensus est hic sæpe dictus vir. Ethecas autem Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia sive mœnia ab eo qui primus invenit. Cælata erant omnia vel fabrefacta, a pavimento usque ad fenestras, et fenestræ clausæ, etc. Nihil enim absque ratione et mensura in Dei templo a Deo factum est, a pavimento usque ad fenestras, id est ab infirmo electo usque ad prædicatores clarissimos, per quos domui Dei veritatis infulsit claritas. Quid autem est, quod clausæ quoque fenestræ, cælatæ dicuntur, aut fabrefactæ? Nimirum illud quod hodie per totum mundum mirando gaudemus, et gaudendo miramur, quia postquam morte intervenient, clausa sunt ora beatorum apostolorum Christi, per quos velut fenestras, illuminatus est mundus, dum adhuc paterent, adhuc et vocis officio, scilicet in prædicatione fungerentur, postquam clausæ sunt illæ fenestræ, pulchrius, atque splendidius cælatæ atque fabricatæ sunt, cælatura virtutum, fabricatura miraculorum. Ibi « cherubin et palmæ, » id est quam in scriptis eorum quotidie scrutamur multitudo scientiæ, et quas in gestis eorum veneramur, non incruentæ martyrii victoriæ. Ibi « facies hominis juxta palmam ex hac parte, et facies leonis juxta palmam ex alia parte, » tota enim eorum doctrina hæc duo nobis categorizat, quia qui primo adventu suo venit nobis ut homo mansuetus in multitudine misericordiæ, secundo adventu venturus est tanquam leo terribilis in magna judicii fortitudine.

CAPUT XXVII.

Quod ait : « Hæc est mensura coram Domino, » videlicet altare ligneum, significans crucis mysterium, et corporis ac sanguinis sacramentum, et quia altitudo ejus trium cubitorum, quid significet longitudo ejus duorum cubitorum.

« Altaris lignei trium cubitorum altitudo est, et longitudo ejus duorum cubitorum, et anguli ejus et longitudo ejus, et parietes ejus lignei. Et locutus est ad me : Hæc est mensa coram Domino. » Nimirum et hoc ad dorsum vir ille mensus est. Altare quippe ligneum, mysterium crucis, mysterium vel sacramentum passionis Christi est. « Cum venisset hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem (*Joan.* xiii), » in ipso transitu respiciens « ad dorsum, » id est, ad nos qui crediturі eramus, post eumdem ipsum transitum, « mensus est altare ligneum, » id est jam dictum crucis vel passionis suæ sacramentum, substantiam panis et vini accipiens in manibus suis, dicensque post benedictionem : « Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus (*Matth.* xxvi; *Marc.* xiv; *Luc.* xxii; *I Cor.* ii). » Altaris hujus « altitudo trium cubitorum, longitudo duorum cubitorum » est. Altitudo trium cubitorum fides est sanctæ Trinitatis, sine qua nusquam est altare Dei. Longitudo duorum cubitorum extensio geminæ dilectionis Dei et proximi, sine quo nihil dignum Deo potest offerri, qua plurimum indiget quisquis ad hoc altare hostiam vivam sacrificaturus accedit. Anguli ejus, longitudo ejus, et parietes ejus lignei, totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constat vivificæ crucis, quia totius sacrificii summa est passio ejus, qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificavit, « et hæc est, inquit, mensa coram Domino, » subauditur, sola et unica; nam Judaici mensa sacrificii, jam non est coram Domino. « Ne offeratis, inquit, ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi (*Isa.* I). » Item : « Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo (*ibid.*)? » subauditur, non. Sed quid? Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX), et multa his similia.

CAPUT XXVIII.

Quid in templo vel sanctuario duo ostia, et quid ex utraque parte bina significent ostiola.

« Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur, bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. » Duo templi et sanctuarii ostia, duo sunt Testamenta, quorum et ædituus est ipse, cujus est templum, « sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit (*Apoc.* III). » In his duobus ostiis ex utraque parte bina sunt ostiola quæ in se invicem plicantur, quod juxta litteram perspicuum est. Solent enim in majoribus triclinliis bina sibi hærere ostia atque conjungi, ut major introitus nequaquam duobus et ingentibus, sed et quatuor claudatur minoribus vel aperiatur foribus. Juxta sensum spiritualem « bina erant ex utraque parte ostiola quæ in se invicem plicabantur, » ut et in historia spiritus habeas intelligentiam, et in tropologia historiæ veritatem. Quorum utrumque alterò indiget, et si unum defuerit, perfecta caret scientia. « Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim et sculpturæ palmarum, sicut et in parietibus quoque expressa erant. Quamobrem erant grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus. » — « Cælata, inquit, erant in ipsis ostiis cherubim et sculpturæ palmarum. » Quid enim sacra utriusque Testamenti scriptura, nisi scientiæ multitudinem, et victoriæ continet insignia? Ex illa Deum cognoscimus, quem scire summæ est vertex scientiæ, ex illa sumimus arma, quibus utendo « non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI), » feliciter cum palma justitiæ queamus ad coronam victoriæ pervenire. Unde « et grossiora, inquit, ligna erant in vestibulo portæ forinsecus, » ut et firmitatem haberent, et cælaturam possent recipere. Pulchreque juxta intelligentiam spiritualem firmiora et cælata sunt ostia, ut et firmitatem habeant et pulchritudinem, ne quis ad sancta sanctorum similis Oziæ posset irrumpere, et sibi sacerdotium vindicare (*II Par.* XXVI).

CAPUT XXIX.

Quod Ecclesia gentium nihil minus habuerit, et quod Judæi et Græci Deus nullam distinctionem fecerit. Et hoc recte intelligi in eo quod ait, « in facie longitudinis centum cubitos ostii, » etc.

(CAP. XLII.) « Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, et induxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad aquilonem. In facie longitudinis centum cubitos ostii aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. » Has maxime partes ille vir « ad dorsum mensus est. » Hæc est enim Ecclesia de gentibus, cujus hic mensuræ describuntur, quæ sub aquilone jacens frigida, nullum coloris aut luminis divini acceperat beneficium. Postquam vir **577** ille, qui in cœlum ascendit, quasi ad dorsum ejus accessit, cujus faciem, id est præsentiam in carne non vidit, et credendo in illum jam assumptum evangelicæ gratiæ mensuras, centenas, et quinquagenas accepit, sicut in typum ejus mulier illa quæ fluxum sanguinis patiebatur accedens retro, et tangens fimbriam vestimenti, per fidem suam salvari meruit (*Matth.* IX; *Luc.* VIII). « Eduxit me, inquit, in atrium exterius, per viam ducentem ad aquilonem, » tunc videlicet, quando Judæi, qui quasi in meridie erant, repellentibus et blasphemantibus, usi sunt apostoli auctoritate Spiritus sancti, ut dicerent : « Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII). » Sic enim præcepit nobis Dominus : « Posui te in salutem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*Isa.* XLIX). » Sic nimirum præcipiendo Dominus induxit prophetam, induxit apostolorum chorum « in gazophylacium, » quod erat contra separatum ædificium, « et contra ædem vergentem ad aquilonem, » aperuit enim illis veritatis thesaurum, ut ex Scripturis intelligerent vocationem gentium, quod non Judæorum tantum esset Deus, sed et gentium a quibus eatenus illud sæpe dictum cœleste ædificium erat separatum. « In facie longitudinis centum cubitos mensus est ostii aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos. » Quid enim Ecclesia gentium minus habuit, vel quam Judæi et Græci distinctionem Deus fecit? (*Rom.* III.) Latitudo quinquaginta cubitorum largissima est remissio peccatorum, pro qua decertans Apostolus quod ex fide sit, non ex operibus legis, illud maximum in testimonium adduxit, quod Abraham non ex circumcisione, sed ante circumcisionem per fidem justificatus sit. Longitudo centum cubitorum plena et perfecta est remuneratio futurorum, Græco non minus quam Judæo reposita, juxta eumdem Apostolum. « Gloria enim, inquit, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco (*Rom.* II). » Ubi erat, inquit, porticus juncta porticui triplici. Porticui triplici, id est laquearia terna habenti. Nam et postmodum subdit : « Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum. » Assertio est fidei gentium et admiratio facilitatis eorum, quia veloces fuerunt ad credendum. Porticus erat juncta porticui triplici,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

etenim tristega erant, et cum columnas non habebant, « sicut erant columnæ atriorum, » id est, auditus vel sensus eorum, cito admistus est apostolicæ fidei, et confessionem velociter suscepit sanctæ et individuæ Trinitatis, et tamen patriarchas aut prophetas non habuerunt, quæ fuerunt columnæ Judæorum.

CAPUT XXX.

De mensuris quingentorum calamorum, per circuitum, vel ad quatuor mundi partes, quomodo scientiam Scripturarum significent, post reconciliationem generis humani, per Christum in quatuor mundi partes diffusam.

« Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem, et mensus est eam undique per circuitum. Mensus est autem contra ventum orientalem in calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. Et mensus est contra ventum aquilonarem quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est murum ejus. » Quia prophetam, imo prophetæ doctorem, mirabilem virum et sapientem architectum, quantum potuimus in hac visione secuti, et illud, quod per ipsum omnia facta sunt, et illud, quod per ipsum omnia instaurata sunt benevola fide confessi sumus, quod ad nostri maxime operis pertinebat propositum, deinceps plura omittentes propter compendium, illa tantum de hac ipsa visione sumemus quæ potiora sunt. Primo dicendum, juxta litteralem descriptionem, quia hic murus simul duo millia calamos habebat. Sin autem calamus sex cubitorum erat, et palmi qui sexta pars cubiti est, perspicuum est murum exteriorem per circuitum habuisse calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta et tres, et trientem de duobus millibus. Prudens lector et diligens legat librum Jesu filii Nave, et inveniet quomodo in suburbanis hæc mensura tenetur. Cæterum, ut ad mysticum revertamur sensum, quid post divisiones templi atriorum sive ædificiorum, tanta significat multiplicitas calamorum, nisi illam quæ post incarnationem Christi, per ipsum facta est reconciliationem generis humani, et quæ per quatuor partes mundi diffusa est scientiam Scripturarum? Etenim prius tantum in Judæa notus erat Deus (*Psal.* LXXV), et illic sacra Scriptura quæ per calamum intelligitur in angusto detinebatur. Nunc autem ex quo Christus in cœlum ascendit, Ecclesia ejus in orientem, septentrionem, meridiem, et occidentem, quasi quingentis dilatata est calamis, id est multiplicem habet scientiam Dei, et ex paucis legis et prophetarum et Evangeliorum libris, tractando atque commentando armaria sua mundus implevit. Quod autem hæc multiplicitas, duodecim millia cum trecentis triginta tribus effecit, et insuper trientem de duobus millibus, illud continet sacramentum, ut singulis apostolis millenus numerus deputetur, et tamen ad mensuram plenitudinis Christi, et perfecti nemo veniat, nisi jungantur ei trecenti et triginta tres cubiti, per quos sanctæ et individuæ Trinitatis mysterium demonstratur. Præterea quingentesimus numerus, qui vicenus est quinquagenario, quod ad remissionem pertineat omnium peccatorum, non solum vetus Scriptura, sed et Salvatoris in Evangelio verba demonstrant, dicentis : « Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque (*Luc.* VII). » Et murus dividit inter sanctuarium, et vulgi locum. Ex quo intelligimus omnem supra templi descriptionem sacerdotum qui sunt filii Sadoch ministeriis delegatam ; hunc enim numerum qui tanto spatio dilatetur, et universa circumeat, separare sanctuarium et vulgi locum.

CAPUT XXXI.

Quod ait : « Vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet, » etc.

(CAP. XLIII.) « Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem, et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar, et cecidit super faciem meam. » Ordo tandem fidei necessarius hic perfectus est, dum post cunctas divisiones superiora longe repetens, « et vidi, inquit, visionem secundum speciem **578** quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar, » subauditur, anno quinto, itemque, anno sexto transmigrationis regis Joachim. Quinam ille aspectus, vel quæ illæ species fuerunt? Nimirum aspectus hominis, aspectus leonis, aspectus vituli, aspectus aquilæ volantis. Aspectibus vel speciebus illis vera humanitas, vera passio, resurrectio quoque et ascensio significabatur Christi Filii Dei, quæ omnia corde credere ad justitiam, et ore confiteri oportet ad salutem (*Rom.* I). Sed hæc quidem evangelica doctrina est, et familiarius parvulis quasi lactis alimonia dulcis auditu, et salubris animæ gustu est. Verumtamen ad perfectionem fidei necdum satis est, nisi post lactis poculum proficiendo ad solidum perveniat cibum, ut credat et confiteatur quia « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I), » et isto illud posterius esse, quod prius capere potuit, scilicet quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*ibid.*), » et secundum illas facies hominis, vituli, leonis, atque aquilæ volantis, videndam nobis gloriam suam præbuit. Recte igitur prioribus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prophetiæ suæ annis, illud accepit vel scripsit, quod commodius capere possunt parvuli, et tandem in hac extrema visione pro exercitatione perfectiores habens sensus accepit, vel perfectos habentibus sensus scripsit, quid ante facies illas Christus Dei filius fuerit, et tunc demum cadit super faciem suam, videlicet perfecta adoratione verus adorator adorans in spiritu et veritate (*Joan.* IV).

CAPUT XXXII.

De eo quod ait : « Et convertit me ad viam portæ sanctuarii, » etc., quod per hæc in isto quoque virginalem partum visio prophetica designet.

Verumtamen quantumvis fodiendo in altum de occulto visionis hujus thesauro, necdum cuncta protulimus quæcunque de Christo Deo et Domino nostro credere vel confiteri Christiana veritate compellimur. Necdum enim illud usquam consulta littera nobis respondit quod permaxime splendet in omni pulchritudine catholicæ confessionis, quod illa facies hominis, quam sæpe dixit, de Virgine matre concepta et edita sit. Sequamur ergo et juxta vestigia sanctorum Patrum, qui hæc loca scrutati sunt, nos quoque scrutantes audiamus atque intelligentes gaudeamus invenisse nos quod non fuerit oblitus iste propheta sanctus confiteri sicut a Spiritu sancto doctus erat, venerandum virginalis uteri partum. Ait post aliqua. (CAP. XLIV.) « Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur. » Hæc profecto cum dicit, congrua sub imagine doctum se asserit, quod homo ille qui Deus erat per uterum Virginis in hunc mundum introierit. « Convertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarii exterioris. » Porta sanctuarii quæ est, nisi Virgo, per quam primo patuit janua sanctuarii exterioris, sanctuarii cœlestis, quod erat extra nos, extra quod eramus nos? Porro via portæ hujus series est generationis, quæ in Evangelio texitur ab Abraham usque ad « Joseph virum ipsius, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus (*Matth.* I). » Hæc porta respiciens ad orientem, et verum in semetipsa suscipiens justitiæ solem (quod veraciter credimus et confitemur) erat clausa. Nec enim ut conciperet aut pareret, vir illam aperuerat. Et dixit Dominus ad me : « Porta hæc clausa erit, » subauditur, quod nunc est. Clausa est dum concipit, dum pariet nihilominus clausa erit. « Non aperietur, et vir non transibit per eam. » Clausa ante partum, clausa erit et post partum. Ex eo enim tempore quo angelus loquebatur : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Et quando natus est, virgo permansit æterna, ad confundendos eos, qui arbitrantur eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus, qui vocantur in Evangelio (*Matth.* XII ; *Marc.* III). Pulchre cum dixisset : « Et vir non transibit per eam, » continuo subjunxit : « Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. » Ac si diceret : Non mireris quod vir non transibit per eam, et tamen pariet filium, quoniam filius, quem pariet, Dominus Deus est Israel. Si is quem parit homo tantum, et non Deus esset, neresse erat ut ante partum, imo et ante conceptum vir per eam transiret, nunc autem Dominus Deus Israel est, qui aliunde veniens ingressus in hunc mundum per eam, et idcireo non mirum quod talis filius portam clausam, id est, matrem suam servare potuit incorruptam. « Eritque clausa principi, » id est ad opus vel ad honorem principis : Princeps iste magni principatus, qui est in forma Dei, « ipse sedebit in ea, » ipse semetipsum humiliabit formam servi accipiens (*Phil.* II), « ut comedat panem coram Domino, » id est ut obediat Deo Patri suo, quod est illi panem comedere, testante ipso, cum dicit : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* IV). » « Per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur. » Notanda diligenter distinctio ingressus atque egressus principis hujus. Denique nos omnes, qui portis apertis, id est membris corruptis nascimur, per quam viam traduce inserente ingredimur, per ipsam et egredimur, unde et ignobiles, nimiumque plebei sumus. Iste autem princeps nobilis « per viam, inquit, vestibuli portæ ingredietur, » id est per fidem credulæ Virginis concipietur, ut per viam non jam vestibuli portæ, sed « per viam ejus egredietur, » id est per integra virginalia, vera de carne caro, verus de matre homo nascetur.

CAPUT XXXIII.

Quomodo legitima quædam ad correctionem prævaricatorum legis edicat auctoritate Domini, hæc et hæc dicentis emissa, et pro ipso numero septenario spiritualis intelligenda sit legislatio.

Post hæc jam legitima quædam sequuntur, ad correctionem prævaricatorum legis, et de quibus sermo sic incipit : « Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus, et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini, et cecidi in faciem meam. Et dixit ad me Dominus : Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus, et pones cor tuum in viis templi, per omnes exitus sanctuarii. » Hoc modo ingressus novam legislationem, quasi oblitterata jam lege Moysi superducit, septies emissa auctoritate dicentis Domini Dei : « Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel, **579** eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo. Hæc dicit dominus Deus : Omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

alienus qui est in medio filiorum Israel. (Cap. XLVI.) Hæc dicit dominus Deus. Sufficiat vobis, principes Israel. Iniquitatem et rapinas intermittite, judicium et justitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus. Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense in una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. (Cap. XLVI.) Hæc dicit Dominus Deus : Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus sit, die autem Sabbati aperietur, sed et in die kalendarum aperietur. Hæc dicit Dominus Deus : Si dederit princeps domum alicui de filiis suis, hæreditas ejus filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. (Cap. XLVII.) Hæc dicit Dominus Deus : Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel, quia Joseph duplicem funiculum habet. » Ista legentes, et divinæ auctoritatis vices interpositas dinumerantes, quærimus quid ista sibi velint, statimque respondet iste numerus, legem spiritualem hic proponi spiritualibus, eo quod septem sint gratiæ Spiritus sancti. Simul ad memoriam reducimus illud legislatoris Moysi dictum : « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, sicut me, » dixit (*Deut.* XVIII), tanquam diceret : Sicut ego homo sum tibi carnali populo Israel legislator vetus, sic ille verus homo erit spirituali populo legislator novus. Igitur dum quærimus quid hæc in isto propheta legislatio sibi vult, omnia nobis respondent quia princeps ille qui juxta præcedentia lectionis per clausam portam egreditur, legem affert meliorem pro suo principatu, legem novam, legem vitæ ac spiritus, quæ totum hominem liberare possit a lege peccati ac mortis. Proinde illud quoque nequaquam a mysterio vacare advertimus, quod in initio propheta dicit, « et adduxit me per viam portæ aquilonis (*Ezech.* XLIV). » Denique iste vir iste novus legislator, juxta patriarchæ Jacob vaticinium, « exspectatio est gentium (*Gen.* XLIX), » quæ ad aquilonem versæ erant, id est ad diabolum, qui per frigidum designatur aquilonem, quem per longos et vetustos errores secutæ fuerant, et ipsæ Judæis repellentibus legem hujus viri recepturæ erant.

CAPUT XXXIV.

De aquis egredientibus et descendentibus a latere dextro, quod significent dona procedentia de non manufacto templo corporis Christi.

Notandum deinde quia septimo edicto terra dividitur, dicendo : « Hic est terminus in quo possidebitis terram. » Præmissa vel præunte terræ et aquarum sanitate, ut recte in hac distributione terram viventium debeamus intelligere, sanitas terræ unde processerit hoc modo propheta describit. « Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ ingrediebantur subter limen domus ad orientem. Facies enim domus respiciebat ad orientem, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem viam quæ respiciebat ad orientem, et ecce aquæ redundantes a latere dextro, cum egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad talos. Rursusque mensus est mille et transduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari. Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis, ex utraque parte. Et ait ad me : Aquilæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare et exibunt, et sanabuntur aquæ. » Si rite attendimus, mundus iste mare mortuum erat. Ad quid autem latus templi Dominici, templi non manu facti lancea perforatum est, et ex illo vulnere aqua cum sanguine cucurrit, nisi tolleretur mors hujus mundi, quo sanarentur aquæ generis humani ? Nec vero solummodo de corpore sive latere visibili aqua profluxit visibilis pro causa patrandæ sanitatis, sed et de divinitate invisibili invisibilis aqua processit, aqua sapientiæ salutaris, aqua, id est gratia Spiritus sancti (*Joan.* XIX). Idcirco rectissime dictum sit, « ecce aquæ redundantes a latere dextro, » a latere divino. Porro illud caute et diligenter discernendum est, quia prius dixit, « aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris, » et deinde « ecce aquæ redundantes a latere dextro. » Cum enim templum istud templum Dei proprium sit, « in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo divinitatis (*Col.* II), » quomodo vel unde descendebant illuc aquæ istæ quæ sunt dona Spiritus sancti? Ergo nec iste sermo nos oblivisci patitur, quia Deus et homo est unus, idemque Christus, et in ipso natura hominis accepit quod in Christo nihilhominus dare poterat natura Dei. Nunc videamus quo ordine, vel quanto gratiæ inundantis incremento nostras aquas mortuas aqua ista viva sanavit. Prius tamen non prætereat quia, cum dixisset, « aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris, » ut deinde diceret, « et ecce aquæ redundantes a latere dextro, » interposuit dicens, « et eduxit me per viam portæ aquilonis. » Quid est enim quod ad videndam redundationem aquarum viventium propheta educitur, per viam portæ aquilonis frigidi, nisi quod in nationes effundenda erat gratia Spiritus sancti ? Nunc revertamur ad proposita.

CAPUT XXXV.

Quid significet quod aqua mensione prima ad talos, secunda usque ad genua, tertia usque ad renes pertingit, quarta autem transiri nequit, et quid sit omnes aqua sanari, et pisces magnos multiplicari, et cur sit nomen civitatis, Dominus ibidem.

« Et mensus est mille cubitos, et transduxit me

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

per aquam usque ad talos. » Mille mensoris hujus cubiti plenitudinem significant gratiæ largitoris, qui prima mensione omnia tulit peccata mundi, per quam prophetam usque ad talos transduxit. Nam per talos aqua tinctos primæ mensionis, exstinctio significatur peccati originalis, quia pro illo Deus ad serpentem pro muliere dixit : « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (*Gen.* II). » Etenim maxime pro peccato originali insidiabatur diabolus serpens antiquus calcaneo mulieris et seminis ejus, id est extremo fini ejus, in tantum ut ad ipsum Christum Dei Filium venire auderet insidiator, nihil tamen nociturus, sicut ipse testatur : « Venit enim princeps mundi hujus, et **580** in me non habet quid quam (*Joan.* XII). »—« Rursum mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad genua. » Per talos soli apostoli, de quibus propheta : « Quam pulchri, inquit, super montes pedes evangelizantis pacem ! » (*Isa.* LII.) Per genua universi significantur adoratores ejusdem Christi Filii Dei. Usque ad hæc genua secundæ mensionis aqua pervenit, quando cum dixisset : Accipite Spiritum sanctum, » continuo subjunxit : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* XX). » Nam de omnibus qui Christo genu curvant, dixit : « Tertio mensus est mille, et transduxit me, inquit, per aquam usque ad renes. » Tunc nimirum tertio mensus est, et suos, quorum hic propheta typum gerit, « per aquam usque ad renes transduxit, » quando jam sedens a dextris Dei, Spiritum sanctum misit illis qui eatenus carnales et infirmos virtute induit, fortitudine accinxit. Quarto mensurus est, et torrentem faciet, « quem, inquit propheta, non potui pertransire, » scilicet in resurrectione; nam nec oculus videre nec auris potuit audire, sed nec in cor hominis æstimatio ejus potuit ascendere (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Tunc ad plenum aquæ nostræ sanatæ erunt, et omnis anima quocunque venerit hic torrens vivet, eruntque pisces multi satis, omnes videlicet electi, quos in captura piscium centum quinquaginta trium post resurrectionem suam Dominus significavit (*Joan.* XXI). Verumtamen non omnes aquæ sanabuntur. Nam et Apostolus loquitur : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (*I Cor.* XV). » Recte ergo et hic sequitur : « In littoribus autem ejus et in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. » Littora maris hujus, atque palustria, dura sunt hominum corda, dura, inquam, velut littorea saxa per incredulitatis duritiam. Itemque palustria, id est cœnosa per concretam omnium vitiorum fetulentiam. Hæc, inquam, « non sanabuntur, quia in salinas dabuntur, » id est etsi resurgant, non resurgent in incorruptionis sanitatem, sed ad æternam resurgent mortis passionem. « Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum per singulos menses afferens primitiva. » Hæc, etc., quia pene eadem in Apocalypsi leguntur (*Apoc.* XXII), et nos ad alia tendentes brevitati studere cupimus, jam hic finem hujus lectionis facimus, virum gloriosum magnæ civitatis, et templi sui mensorem, sive architectum, atque principem exoratum esse cupientes, ut prædiorum civitatis hujusce quæ per quingenta et quatuor millia undique mensus est, aliquam nobis tribuat portionem. Sine dubio centupla illic reposita sunt sanctis, hic sua quælibet pro illo principe relinquentibus. Constat autem quia dum terrena relinquuntur, quinque corporis sensus suis voluptatibus orbantur. Recte igitur quingenta millia discriminantur, ut secundum numerum sensuum, qui hic pro spe futurorum refrenantur, ipsa remuneratio centenaria quinquies multiplicetur. Super omnem autem beatitudinem illud amplectendum, est, quod sic tandem concluditur. (CAP. XLVIII.) « Et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem. » Quia videlicet quod nunc cognoscimus ex parte, quod nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc cognoscemus, sicut et cogniti sumus, tunc videbimus facie ad faciem (*I Cor.* XIII), videbimus sicuti est (*I Joan.* III), videbimus Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN DANIELEM PROPHETAM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

581 CAPUT PRIMUM.

De visionibus Danielis, quomodo regnum Dei peregrinantibus sub jugo Babylonis, civibus suis pro consolatione septiformiter ostensum sit.

Aperiente Christo, cujus in hoc opera mysteria quærimus, jam nunc Danielis volumen introspicimus, et quamvis susceptum cursum maturius finire optemus, hanc tamen Scripturæ partem intactam præterire non sustinemus. Grandi enim intus spectaculo detinemur. Quod est illud spectaculum? Imaginaria regni Dei contra regnum diaboli monomachia, peregrinantibus captivis sub jugo Babylonico, pro consolatione civibus regni Dei septiformiter ostensa. Prima est forma, qua statuam magnam atque terribilem nimis, lapis unicus de monte promicans, sine manibus confringit atque comminuit (*Dan.* II). Secunda, qua missos a rege tres pueros in fornacem ardentem non tangit neque contristat ignis, et aspectus quarti similitudo est Filii Dei (*Dan.* III). Tertia, qua rex magnus atque robustus, magnæ Babylonis suæ quam ædificasset mirator, voce de cœlo ruente dementatus, ejectus est ex hominibus, et fenum ut bos comedit, atque ab hoc experimento confiteri compulsus est quia Altissimus in sempiternum vivit, « et regnum ejus in generationem et generationem; et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti? » (*Dan.* IV.) Quarta, qua Babylonis ipsum regnum a rege Deo victum est, datumque Medis et Persis, interfecto Balthasar Chaldæo, cui et Darius Medus successit (*Dan.* V). Quinta, orator Dei calumniosos regatores regis hominis mortalis vicit, « et misit, inquit, Deus meus angelum suum et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me (*Dan.* VI). » Quod pronuntians rex : « Deus, inquit, Danielis, ipse est Deus vivens et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum (*ibid.*). » Sexta, qua cum pugnantibus quatuor ventis cœli, et quatuor bestiis ascendentibus de mari, post illas tandem « cum nubibus cœli, quasi Filius hominis venit, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi tribus et linguæ ipsi servient (*Dan.* VII). » Septima, qua destruendum esse peccati regnum, superveniente regno justitiæ Dei, manifestius edocetur oraculo hujuscemodi : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (*Dan.* IX). » Hic ergo paulisper immoremur, et quanquam nota replicantes, laudem et gloriam regis Christi, sine fastidio prædicamus.

CAPUT II.

De Nabuchodonosor, quod civitatem Hierusalem semel et iterum oppugnando atque captivando typum asseruit diaboli inimici Ecclesiæ Christi.

In primis Babylonis regem, multarum gentium victorem et Dominum, totam aut quietam pro victoriis habere gloriam, præsagia futurorum, et præsentia quoque mala sinunt. Tenet autem typum diaboli in eo videlicet quod civitatem Hierusalem semel et iterum oppugnando conculcavit, atque captivum ex ea duxit populum Dei. Semel, inquam, quando, ut hic scriptum est, regnante Joachim anno tertio regni ejus obsedit eam, regemque Joachim transtulit, partemque vasorum domus Domini asportavit, quæ et intulit in domo Dei sui, omnesque viros fortes et bellatores captivos duxit, suffecto rege Sedecia qui patruus erat Joachim (*IV Reg.* XXIV). Iterum autem, quando, rebellante eodem Sedecia anno nono regni ejus, venit ipse et omnis exercitus ejus in Hierusa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lem, et interrupta est civitas, comprehenditque **582** Sedeciam et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem Hierusalem quoque destruxit, et domum Domini succendit Nabuzardan princeps exercitus servus ejus, et reliquam partem populi transtulit in Babylonem, et omnia vasa reliqua in quibus Domino ministrabant (*IV Reg.* XXV). Utrobique, ut jam dictum est, typum diaboli tenet iste rex Babylonis. Sic namque diabolus civitatem sanctam, viventis Dei Hierusalem cœlestem, semel et iterum oppugnavit. Semel quando adversus Altissimum superbiendo, socios superbiæ suæ angelos dæmones factos, secum in confusionem traxit (*Isa.* XIV). Iterum, quando primum hominem deceptum cum omni genere ejus, in istam confusionis regionem, imo duplicem corporis et animæ captivitatem deduxit (*Gen.* III). Unde notandum quod iste Nabuchodonosor prima transmigratione, tantummodo partem populi, partemque vasorum transtulit (*IV Reg.* XXIV); secunda vero, et reliquam partem populi, et residua vasa tulit, sed et muros Hierusalem destruxit, et domum Domini igne succendit (*IV Reg.* XXV). Sic denique prima irruptione supernæ civitatis Hierusalem partem, id est quosdam angelos perdidit, secunda vero non quosdam, sed omnes homines, quorum multitudo pro parte electorum, sancta Hierusalem, omnes, inquam, in uno parente perdidit, et gehennali peccati incendio conflagravit. Recte igitur carnalis Nabuchodonosor nequitiam quasi pro victoria gloriam ducat, visiones videt regni alterius, regni Dei, quo superveniente non modo Babylonem suam, sed et totum mundum interiturum esse non ignoret. Sic etenim spiritualis Nabuchodonosor diabolus supernæ vastator Hierusalem, nunquam de regno suo, de regno peccati et mortis ita securus exstitit, quin salutem quodammodo somniaret, quod scire nolebat, Scripturis attestantibus, quandoque surrecturum fore contra se regnum, sed dicit in Evangelio suo rex magnus et stabilimentum regni Dei : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet (*Luc.* XI). » — « In pace, inquit, sunt ea quæ possidet. » Sic nimirum et iste typum gerens, ut jam diximus, ejusdem fortis, vano tumore dixit, cum jam audisset expositum quod contra se clamaret sanctus et vigil : « Nonne hæc est Babylon quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? » (*Dan.* IV.) Itaque non ideirco de illo dixit, « in pace sunt ea quæ possidet, » quod unquam vere securus esse potuerit, sed quod tumidus esset latro, tumore furioso, pacem quæ non erat falso sibimet arrogavit.

CAPUT III.

Quæ vel qualia desiderando Daniel, vir desideriorum dici meruerit, proponens in corde suo ne pollueretur de mensa regis.

Porro nunc nobis in memoriam veniat, hunc sanctum Danielem cœlesti testimonio virum desideriorum esse dictum (*Dan.* IX). Qualium enim desideriorum erat vir, nisi qualia conjicere possumus ex revelationibus hujusmodi? Dicamus ergo quia, cum unus Deus, unum sit sanctorum desiderium, duo propter illud eis desideranda sunt, alterum, ut auferatur peccati regnum, quod jam factum est, et fit per primum Christi adventum, alterum, ut inimicis Dei tota insultationis tollatur vox, quod faciendum est per secundum Christi adventum. Horum desideriorum flammam sancto huic sine dubio tempora illa multum adauxerant. Amabat enim Deum, et necesse erat ut pro illo quem amabat æmularetur contra illud inimicum regno ejus, peccati regnum, contra inimicos regni ejus peccatores homines, ut diceret illud Davidicum : « Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? » (*Psal.* XCIII.) et his similia. Videbat se exsulem, natum in hoc mundo, propter originale peccatum, audiebat propter actualia peccata captivato Dei populo dicere gentes : « Ubi est Deus eorum? (*Psal.* CXIII). » Hinc tyranidem diaboli, illinc superbiam aspiciebat hominis verbis. Nimirum utrorumque oderat amicitiam, quia veram solius Dei desiderabat gloriam. Opportunas itaque pro re et tempore consolationes assecutus est, juxta præparationes, quibus cor ejus præparabat dicente Psalmista : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationes cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* IX). » Præparationes hujus luctuosas, Scriptura hæc statim primo loco indicat. (CAP. I.) « Proposuit autem Daniel in corde suo, ne polluereturde mensa regis, neque de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum præpositum, ne contaminaretur. » Ac deinceps : « Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientiam. Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. » Unde quia vir desideriorum ejusmodi erat, et viriliter desiderabat judicium Dei, divino illum constat præsagio sic meruisse nuncupari. Daniel quippe interpretatur *judicium Dei.*

CAPUT IV.

Quod providentia Dei factum sit ut non ipse Daniel, sed Nabuchodonosor somniaverit mysterium regni Dei, et cur non sit mirandum, quod impio Deus secreta sua revelavit.

Et notanda diligenter studiosa consolatoris Dei providentia. (CAP. II.) « Nabuchodonosor, inquit Scriptura, somnium vidit, et conterritus est spiritus ejus, et somnium fugit ab eo. Præcepit ergo rex ut convocarentur arioli et magi et malefici et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua, » etc. Non Daniel ipse somnium vidit, sed quod Daniel interpretaretur, Nabuchodonosor vidit, et visum memoria tenere non potuit. Quo enim tendebat Deus, qui non superbis, sed humilibus, imo non inimicis, sed amicis suis secreta sua revelare consuevit? Nimirum ut tunc quoque captivos suos daret in misericordias, in conspectu ejus qui ceperat eos (*Psal.* CV). Quod et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

factum est : nam per occasionem revelationum, primus ille « rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna ei dedit, et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratuum super cunctos Babylonis sapientes. Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrach, Misach, et Abdenago. Ipse autem Daniel erat in foribus regis. » Nec mirandum propter hoc regem impium ad ea cœlestibus admissum fuisse mysteriis, ut diceret : « Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio Dei, » cum et propter hoc ipsum Cyri regis Persarum victorias vaticinari Spiritus sanctus non dedignatus sit : « Qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem meam voluntatem complebis. Qui dico Hierusalem : Ædificaberis; et templo : Fundaberis. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dextram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam. » Ac deinceps : « Et vocavi te in nomine meo, assimilavi te, et non cognovisti me. Ego Dominus, et non est amplius. Extra me non est Deus. Accinxi te, et non **583** cognovisti me (*Isa.* XLIV, XLV). » Igitur quia captivitas illa non ita ut nunc Judæis ira consummata, de qua Moyses in Cantico : « Ignis, inquit, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » sed paternæ correptionis virga erat, nec istud prætereundum est in laudibus clementiæ Dei, quod, dum corripit, dum flagellat et percutit, pariter clementiæ suæ januas aperit, intantum ut, pro benevolentia sua captivis suis paranda, reges barbaros, homines ethnicos, alios secretorum suorum revelationibus admittebat, alios antequam nati sint, tuba illustret prophetica, futuras illis promittendo atque pronuntiando victorias.

CAPUT V.

Quod quærebatur Daniel ut periret cum sociis suis. Et de cantico : « Super flumina Babylonis illic sedimus, » etc., quod in persona illorum David cecinit.

« Et egressa sententia, sapientes interficiebantur. Quærebaturque Daniel et socii ejus ut perirent. » O dura interrogatio! Idcirco Psalmista dudum spiritu prophetico in persona illorum atque similium dicebat : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. » Quare illic flevimus? « Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba cantionum, et qui abduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo canticum Domini cantabimus in terra aliena? » (*Psal.* CXXXVI.) Nimirum Danieli et sociis ejus primum pro tali causa fletus iste et conquestio tam dolenda competebat. Denique sacramentum visionis, quam Nabuchodonosor viderat verbum cantionis erat, « hymnus de canticis Sion erat, canticum Domini » erat. At illi in terra aliena erant, non modo quod in illa Babylone captivi, sed et quod in hoc mundo exsules erant, a superna matre sua Hierusalem captivati in Adam. « Quomodo ergo, inquiunt, cantabimus canticum Domini in terra aliena? » O rex, canticum quod interrogas, sacramentum visionis quod exquiris interrogatione dura, hoc, inquam, etc., cœlorum secreta ac beatorum archangelorum cantica cantare vel scire hic non possumus, nisi paucissimi nostrum prophetæ, quibus Deus revelat, non meritis ipsorum, sed sua gratia! « Cum ergo rem indicasset Arioth Danieli : Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. » Etiam si non quæreretur occidendus ipse et socii ejus, tum quia vir desideriorum, ut supra jam diximus, gloriam Dei desiderabat, plane præsens negotium non negligendum duceret, quo Deus glorificari poterat. Dixerunt enim regi suo Chaldæi : « Sermo enim quem tu, rex, quæris, gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. » Sed etenim, o servi, non deorum, sed dæmonum, quorum nulla est de sacramentis cœlestibus cum hominibus collatio, non reperietur quisquam qui indicet sermonem hunc, excepto uno et vero Deo, cujus cum hominibus pius conversatio est familiaris, quemadmodum dicit : « Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo (*II Cor.* VI). Igitur non modo, ne periret cum cæteris sapientibus Babylonis, verum etiam ut res proficeret ad laudem Dei. « Ingressus in domum suam Daniel, Ananiæ, Misaeli, et Azariæ sociis suis indicavit negotium, ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto. Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est, et Daniel benedixit Deo cœli, » etc. Bene et in tempore tunc revelatum est. Jam dudum sic revelare proposuerat, sed differendo, tempus et locum exspectabat. Captivos quippe suos, in ira misericordiæ memor, jam commendare atque honestare intendebat. Siluit ergo, donec « egressa sententia, sapientes interficerentur, » ut res tanto gratior veniret, quanto majore in periculo subveniret. Et ut ad supra memorati quæstionem psalmi redeamus, quo dicitur ab istis, pro dura interrogatione flentibus, « quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, » prius rex ipse, atque omne Babylonis regnum commotum est, ipsaque commotione quasi concurrentibus universis populis et gentibus commune auditorium paratum est, quatenus dum inciperent cantores isti, datum sibi per misericordiam in terra aliena cantare canticum Domini, starent ad audiendum, non modo attenti atque benevoli, verum et auditores desiderantissimi, collaudatores atque admiratores reverentia pleni. Aliter sic factum fuisset, si ultronea nimis cantatione propheticus spiritus salicibus illis cantasset, nimirum margaritas canticorum Sion, torva brutaque porcorum immunditia conculcassent.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT VI.

De interpretatione somnii quod viderat Nabuchodonosor, et de successione regnorum, et quod Christus secundum illud somnium lapis comminuit omne regnum.

« Tu, rex, cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc, et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt, » etc. « Verum, inquit, est somnium. » Ecce videmus quia « verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus, » quia secundum hæc per partum incorruptæ Virginis suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus populo alteri non dabitur, comminuit, et consumit universa regna hæc, regnum Babyloniorum aureum, quod erat ditissimum, regnum Persarum, et Medorum argenteum, id est minus opulentum, regnum Macedonum æreum, id est multa eloquentia sonorum, regnum Romanorum ferreum, id est fortissimum, quod comminuit et domat omnia ferrum. Universa, inquam, regna hæc comminuit hoc regnum, et ipsum stabit in æternum futurum, de quo loquimur. Nam quomodo Apostolus cum præmisisset illud Davidicum : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII), » futurum ait de quo loquimur : « Nondum enim videmus illi omnia subjecta, eum autem qui modico quam angeli minoratus est, videmus Dominum Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum (*Hebr.* II), » ita et hic præmisso quod constantissimum est, quia « lapis abscissus de monte sine manibus, » id est Christus sine virili complexu de Virgine natus, factus est mons magnus, postquam percussit statuam regnorum mundi hujus. Dicamus quia futurum est, quamvis jam ex parte factum sit id de quo loquimur. Nondum enim comminuta atque consumpta videmus universa regna, eum autem qui illa per primum adventum suum comminuit, videmus lapidem implevisse orbem terrarum. Comminuet autem omnia atque consumet usque ad summum per secundum adventum, et regnum ejus stabit in æternum.

584 CAPUT VII.

Quod martyrum Christi præfiguratio fuerit, in eo quod tres missi sunt in caminum ignis, « et species quarti, inquit, similis Filio Dei, » et quod ille hoc videns et Deum benedicens, regnum hujus mundi qui ad Christum conversi sunt typum gesserit.

(CAP. III.) « Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, et statuit eam in campo Duran provinciæ Babylonis. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus et judices, duces et tyrannos, et præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. » Præcedenti revelatione satis demonstratum fuerat quia sapientia et fortitudo Domini sunt, et ipse mutat tempora et ætates, transfert regnum atque constituit, et universa hæc uno lapide, id est solida Christi Filii sui virtute comminuit atque consumit. Verum ipsa comminutio sive consumptio, qualia vel quanta per martyrum bella facta sit, fiat atque facienda sit usque in finem sæculi, quis illic quæsivit aut intellexit? Sequitur ergo ordine recto, et vere mystico in hac visione miranda martyrum Christi præfiguratio quorum revera fides lapis est. Christus enim in ipsis est, et in ipsis Christum pugnare nemo qui dubitet. Quo enim modo venerabilius illorum certamen præfigurari potuit peragendum adversus regnum mundi, adversus regnum diaboli? « Nabuchodonosor, inquit, rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, » Nimirum hæc est idololatria bruta, quam erexit rex Babylonis, rex spurcissimus Nero, Romani dedecus imperii, quæ, videlicet Roma, Babylon erat altera, testante Petro apostolo, cum dicit : « Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta (*I Petr.* V). » Erexit, inquam, non quod ante idololatria non fuerit, sed quia rebellans lapidi, qui, ut supradictum est, regna mundi percusserat, eamdem idololatriam altius erexit, et edicta primus proposuit, scribens magistratibus, judicibus, ducibus, tyrannis, et præfectis omnibusque regnorum principibus ut convenirent ad dedicationem statuæ, ut conjurarent ad defensionem erroris antiqui, contra novam doctrinam fidei Christianæ. Altitudo cubitorum sexaginta, latitudo cubitorum sex. Senarius hic in singulari ille in deceno limite universitatem significat creaturæ, quia senario numero dierum universa creata sunt. Et signanter hoc utrobique numero statuam suam ille distendit, in quo nesciente illo significabatur, quod Apostolus dicit : « Et servierunt creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I). » Quid multa? Sidrach, Misach, et Abdenago deos non colentes regis Babylonii, et statuam non adorantes quam erexit, colligati missi sunt in medium camini ignis ardentis. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Dominum et dicentes hymnum Domino. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere, et ait optimatibus suis : Nonne tres viros misimus in medio ignis? Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio Dei. » Sidrach *decorus meus*, Misach *qui risus*, Abdenago *serviens taceo* interpretatur. Item, Anania *gratia Domini*, Azarias *adjutorium Domini*, Misael *quæ salus Dei* interpretatur. Tres isti tam numero quam nominibus, tam causa quam passionibus, universos significant milites atque bellatores regni Dei, confessores Trinitatis decoros, ridentes, et serviendo tacentes, id est vita innocuos, « spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* XII), » in quibus gratia Domini, cum quibus in ipsis passionibus adjutorium Domini, quorum est salus Domini, ipse Christus pro quo et passi sunt, de quo iste mirando intellectu, « et species, inquit, quarti similis Filio Dei. » Ipse namque et in alio propheta dicit martyrum suorum unicæ charitati : « Noli timere quia redemi te, vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum pertransieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te. Cum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, Salvator tuus (*Isa.* XLIII). » Sed idem, videlicet Nabuchodonosor : « Benedictus, inquit, Deus eorum, qui misit angelum suum et eruit servos suos. » Ergone priorem sententiam infirmat aut destruit angelum vocando illum, de quo prædixerat, « et species quarti similis Filio Dei ? » Non utique. Nam idem, qui natura est Filius Dei, officio factus est nobis Angelus Domini, Angelus magni consilii. « Contemplabantur, inquit, viros istos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non esset adustus, et sarabalia eorum non fuissent immutata, et odor ignis non transisset per eos. » Hæc omnia de martyribus nostris, de testibus Christi Filii Dei veraciter prædicemus, quia quandiu incorrupta atque invicta perstitit in illis fides Christi, nulla fuit in eos potestas pœnarum aut mortis, nihil eis nocitum est, et quamlibet visi sunt oculis insipientium mori (*Sap.* III), non sunt mortui; nam Deo suo vivunt, qui dixit : « Et capillus de capite vestro non peribit (*Luc.* XXI). » « Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach et Abdenago, » ait Nabuchodonosor, idem ipse, qui in ignem miserat illos, « quia misit angelum suum, et eruit servos suos, » — « A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, et lingua quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur. » Ecce hodie sic dicit, sic prædicat ipsum Romanum imperium, quod Christi martyres interfecit. Mirabilis vere et in malis Deus, quibus sic utiliter novit in bono uti. Iste malus sibi et inutilis, ecce, quam bona quam utilia toti mundo præsagia cecinit, et de eodem quidem foramine dulcem pariter et amaram, dulcem, inquam, nobis, et amaram sibi aquam emisit, paulo ante cadens in faciem suam, et adorans Deum Danielis, dicensque : Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, etc., quasi pocula fundens dulcedinis, postmodum dicens cultoribus ejusdem Dei et Domini, amara hæc. « Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea? » Nunc autem iterum dulcia. « A me ergo positum est hoc decretum, » etc. In qua dulcedine itidem perseveraturus non erat. Typum quippe, ut jam dictum est, præferebat regni hujus mundi, quod unum idemque per alias quidem regalis fastigii personas, dulcia præconia, per alias autem amaras ructare habebat blasphemias contra majestatem regni Dei. Proinde sequamur ordinem, visuri quali tandem imagine perficienda signetur hic victoria ejusdem regni Dei.

585 CAPUT VIII.

Quod Nabuchodonosor ex hominibus ejectus est, et fenum ut bos comedit, et quod in hoc præfiguratum sit quod Apostolus ait : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi per Evangelium Christi, » et de victoria regni Dei, cujus potestatem ille recepto sensu confessus est.

(CAP. IV.) « Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo. Somnium vidi quod perterruit me, et cogitationes meæ in stratu meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Et per me positum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi, » etc. Ecce tertio victa est, congrediens cum fortitudine Dei, superba infirmitas hominis regis. Dixit enim, imo respondit, videlicet ad interpretationem somnii quam audierat contra se, arbor magna et fortis succidenda ramis præcisis, et excussis denudanda foliis. Respondit, inquam, et ait :

« Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi domum regni in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? » Tanquam diceret : Et quis ille vigil et sanctus, cujus ad imperium sive clamorem, sic et sic ab hominibus ejici possim, ego robustus et fortis, ego gloriosus et decorus ædificator magnæ Babylonis? Itaque semel et iterum victus jamdudum et inglorius confessor victoriæ cœlestis hæc dicendo, tertiam jam vice cervicem erexit. Sed enim continuo durum nimis esse persentit, contra stimulum calcitrare, hos petulcus et indomabilis. « Cum enim adhuc esset sermo in ore regis, inquit Scriptura, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum transit a te, » etc. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor. Ex hominibus ejectus est et fenum ut bos comedit. » Hoc igitur quærimus quam et ista res partem significet victoriæ, regis Dei victoriæ regni Christi Filii Dei, statimque illud occurrit quod Apostolus dicit : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? (*I Cor.* I). » Item : « Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*ibid.*). » Pulchram nimirum et propriam reprobandæ sapientiæ hujus mundi imaginem, tanta tam magni, tamque superbi regis, dementatio prætulit in eo maxime quod fenum ut bos comedit. Nam et de illo ingente stulto, cujus iste typus est ad beatum Job Dominus dicit : « Ecce Behemoth quem feci tibi, fenum quasi bos comedit (*Job* XL). » Quidnam est fenum bovis hujus pabulum, nisi multitudo carnalium, mane virentium, cito florentium, et cito nihilominus flore peracto arescentium? « Omnis enim caro ut fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni. Ortus est sol, et exsiccatum est fenum, et flos ejus decidit (*Isa.* XL). » Ergo descendente sancto et vigil ad clamorem ejus, ex hominibus ejectus Nabuchodonosor, fenum ut bos comedit, quia descendente in hunc mundum virtute et sapientia Dei Christo, ad prædicationem ejus stulta facta est sapientia hujus mundi, sapientia principum hujus sæculi (*I Cor.* I), et ejecta ex hominibus divinam rationem recipientibus, solummodo fenum, id est homines superfluos, et super numerum pullulantes ex carnis vitio devorare potuit. Sed sequitur post hæc :

« Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mihi, et Altissimo benedixi, » etc. Num ergo consequens est, ut existimaverunt nonnulli, quos cum sapientes se esse putarent, vere stultos Ecclesia Dei comprobavit, quod Behemoth ille jam dictus os suum bruteumque pectus resipiscendo vel pœnitendo aperire debeat in laudes et benedictiones Altissimi? Non utique. Paratus est enim illi et angelis ejus ignis æternus, sicut habet veritas Evangelii (*Matth.* XXV). Potest autem longe sanius intelligi, salva, et permanente eadem veritate Christi, quod magna pars corporis ejus, id est multi sapientium sæculi, quales stultos fecit sapientia Dei (*I Cor.* III), resipuerunt et quotidie resipiscunt usque in finem sæculi, juxta quod et de eodem Behemoth ad supradictum beatum Job Dominus per alias similitudines dicit : « Concident eum amici, et dividentillum negotiatores (*Job* XL). » Et continuo : « Nunquid implebis, ait, sagenam pelle ejus, aut gurgustium piscium capite ejus? » (*Ibid.*) Subauditur enim, ut ego, qui vocans piscatores homines, et faciens eos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV), sagenam meam primum pelle ejus impleo, extremos atque infinitos colligendo, et postmodum prudentes mihi adversarios subdendo, quasi gurgustium piscium capite ejus impleo. Hæc pro intentione nostra dixisse sit satis, videlicet ut in isto Babylonis rege tertia vice jam victo significatam intelligeremus perfectam victoriam regis cœli confitente ipso, cum jam tertia confessione dicit : « Quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem, et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum redacti sunt. »

CAPUT IX.

De eversione Babylonis quæ facta est a Medis et Persis, quomodo per illam significetur futura in die judicii destructio totius civitatis diaboli.

Futurum autem est ut tota destruatur civitas diaboli, et sub cœlo pereat, quæ civitati Dei viventis ab initio adversata est, et usque in finem sæculi adversari non desinit. Sequitur ergo pulchro satis, quia mystico ordine illa quæ a Medis et Persis facta est eversio Babylonis ejus, quæ cum rege suo Hierusalem illam destruit terrenam, in qua invocatum est nomen Dei viventis, et populum ejus captivavit. (CAP. V.) « Balthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, et unusquisque secundum suam ætatem bibebat, » etc. Ibi maxime propositi vel intentionis nostræ figuras oculum, ubi « apparuerunt, inquit, digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, et rex respiciebat articulos manus scribentis. Tunc regis facies commutata est, et cogitationes ejus perturbabant eum, et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur. » Quid enim manus illa innuit? Nimirum qui per lapidem de monte sine manibus in primo, qui proprio nomine suo in secundo, quique nomine vigilis et sancti in tertio, idem ipse Filius Dei Christus per manum scribentem designatur capitulo quarto. Manus enim, id est dextera Patris, semetipsam exercet ad judicandam impietatem Babylonis spiritualis, ad destruendum inimicum sibi regnum mundi, scribens imo scripta jam dudum habens, quæcunque mala Babylon ista sanctis ejus intulit. Et notandum quod in medio convivii manus in illa nocte apparuit, et jam temulentorum regis et optimatum ejus securitatem visione horribili fortiter conterruit. Sic enim repentina et improvisa dies illa securis, et contemptoribus Dei, superveniet ipso attestante cum dicit : « Et sicut factum est 586 in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes (*Matth.* XXIV). » Igitur cum Balthasar rex grande convivium fecisset, et unusquisque secundum suam biberet ætatem, cum biberet ipse, et optimates ejus, uxores et concubinæ ejus, cum biberent vinum et laudaverunt deos suos, aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, et lapideos, in eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis, scribentis, inquam, peccatum, judiciumque et iram secundum peccata superbiæ Babylonis, quia secundum hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur, et Babylon civitas diaboli, civitas confusionis, sanguine sanctorum ebria meretrix, eadem ejus revelatione indicabitur. Et illius quidem Babylonis regnum numeratum atque completum, appensum in statera, atque divisum, datum est hominibus Medis et Persis, hujus autem Babylonis regnum nihilominus per homicidia singula, cæteraque scelera dinumeratum, atque in statera justa appensum, ac terribili sententia divisum, dabitur non hominibus, sed dæmonibus, non Medis aut Persis, sed malignis spiritibus; non Dario, sed diabolo et angelis ejus. Hoc prævidens Isaias, dicit : « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra (*Isa.* XLVII). » Non est solium filiæ Chaldæorum, id est fortium, scilicet malignorum spirituum, quorum recte dicitur filia, quia ferocem illorum superbiam est imitata. Ac deinceps : « Et nunc audi hæc, delicata et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et præter me non est amplius. Non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Venient tibi hæc duo subito in die una, sterilitas, et viduitas (*ibid.*), etc. In Apocalypsi quoque ipse qui hic per manum scribentem figuratus est, ipse, inquam, angelus qui descendit de cœlo habens potestatem magnam, cujus a gloria terra illuminata est, exclamat in forti voce, dicens : « Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt (*Apoc.* XVIII). »

CAPUT X.

De occiso Balthasar, et dato regno ejus Medis et Persis, quomodo per illam invidiam quam pertulit Daniel, major illi gloria creverit.

« Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chal-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dæus, et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos. » Hoc modo impleta est veritas vaticinii, quo dudum regi Nabuchodonosor ita prædixit : « Tu ergo es caput aureum, et post te consurget regnum aliud minus te (*Dan.* II). » Illo vaticinio jam futuri regni, benevolentiam captivis spiritus gratiæ propheticæ comparavit, amplius autem isto quo superrime, id est eadem nocte dixit, « divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. » His præeuntibus prophetalis præconii meritis, Daniel in consolationem captivorum novo imperio charus acceptusque esse potuit. Hoc subsequens protinus sermo evidenter ostendit. (CAP. VI.) « Placuit, inquit, Dario, et constituit supra regnum satrapas centum viginti, et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat, ut satrapæ illis redderent rationem, et rex non sustineret molestiam. » Verum quo regi sapienti complacuit, eodem splendore suo vir splendidus satrapas exussit. Omnes in invidiam sui virtus emerita concitavit. « Quærebant, inquit, occasionem, ut invenirent Danieli ex latere regis, nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo, » etc. Plana cunctis et patente rei admirabilis historia litterali, Christi Domini et regis, in isto quoque præcone ejus speculamur gloriam, ut dignum est. Nam passus quidem invidiam est propter temporalem terrenorum principum gratiam gloriosam, sed ad gloriam eamdem pervenerat propter veri Dei gloriam per acceptam spiritus prophetici gratiam. Ergo passionis Christi veritatem, victoriæ Christi figuram in passione hujus contemplemur, in victoria hujus prædicemus.

CAPUT XI.

Quomodo in eo quod in lacum missus est per invidiam principum, et illæsus fuit, passionem et victoriam Christi, quem per invidiam occiderunt Judæi, significavit.

« Principes et satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere regis. » Daniel cujus hoc ipsum nomen interpretatur *judicium Dei*, typum hoc loco præfert Christi Filii Dei, cujus nimirum est judicium Dei, quia Pater illi judicium omne dedit (*Joan.* V). Quis nesciat quod sæpe nimium occasionem illi quæsierunt principes, sacerdotes et seniores Judæorum, ut invenirent illi ex latere regis? Regem quippe habebant Cæsarem, et ad invidiam illius dicebant : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Quærebant, inquam, occasionem illi ex latere regis, si quo modo dicere possent, regem se fecit, prohibuit censum dari Cæsari (*Luc.* XXIII). Sed, nullam, inquit, causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo. » Vere fidelis erat et verax, et justitia pugnabat atque judicabat. Dicebat enim : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII). » Attamen prævaluerunt, sententiamque extorserunt principes isti ab invito rege suo, ut mitteretur Daniel in lacum leonum. Ex hoc idcirco propter illam occasionem, quia Daniel orabat Deum suum, quia non attendebat calumniosum quod erat subreptum regi Persarum atque Medorum decretum, quia cum redderet quæ erant regis regi, nihilominus Deo curabat reddere quæ erant Dei. Sic plane principes sacerdotum persuasis turbis tumultuosa vociferatione, Romanis legibus damnationem Domini nostri Jesu Christi extorserunt, non quod omnino excusabilem fuisse illum arbitremur Romani imperii ministrum præsidem Pilatum, tanquam vere contra voluntatem suam coactus fuerit, quem potius cogi voluisse non dubitamus, ut nullam ipse post hac pro injuste damnato homine criminationem pateretur (*Matth.* XXVII; *Marc.* XV). Verum quocunque ministro, qualicunque serviente animo, Romani potestatem imperii quo voluerunt inflixerunt, et innocentem Christum Dei Filium miserunt in lacum leonum, id est interemerunt, ut descenderet in infernum. « Sed Deus meus, inquit, misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me. » Imo huic salvavit brachium suum, quemadmodum dicit : « Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi (*Isa.* LXIII). » Adeo salvavit illi brachium suum, concludens ora leonum spiritualium, ut suscitaret eum a mortuis, solutis **587** doloribus inferni, justa quod impossibile erat teneri illum ab eo (*Act.* II). » Hoc autem rex vehementer gavisus est : Quandoque enim audivit, audivit hoc, inquam, patienter Romanum imperium, et advertit prudenter quod Deus Jesum a mortuis suscitasset, et imperatoribus ipsis credentibus Romanus orbis vehementer gavisus est. « Et precepit, inquit, Danielem educi de lacu. » Mutavit leges, convertit edicta Romani imperii majestas, et eum qui cum descendentibus in lacum æstimatus fuerat Dominum Jesum Christum prædicari præcepit, quod de lacu mortis esset eductus, quod resurrexisset Deus et homo semel mortuus, jam ultra in æternum immortalis Christus (*Rom.* VI), hoc præsenti edicto satis evidenter præsignatur. « Pax, inquit Darius, vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum ut in universo imperio et regno meo tremiscant et paveant Deum Danielis. Ipse enim est Deus vivens et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum. » Qui accusaverunt Danielem, ipsi in lacum leonum missi, repente consumpti sunt, quia revera qui Christum in morte concluserunt, et vitam ejus in lacum mortis deduxerunt, ipsi pro hoc in mortem devenerunt, ipsi ad inferos descenderunt, completo Psalmistæ vaticinio dicentis : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam (*Psal.* LVI). » Item : « Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit (*Psal.* VII). »

CAPUT XII.

De pugna quatuor ventorum cœli, et de eo quod Antignus diurnum sedit, et quod Filius hominis venit in nubibus cœli, et de judicio mundi.

(CAP. VII). « Anno primo Balthasar regis Baby-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lonis, Daniel somnium vidit. Visio autem capitis ejus in cubili suo, et somnium scribens brevi sermone comprehendit, summatimque perstringens, ait : Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. » Magnum et evidens hac visione Christi Filii Dei ejusdemque filii hominis testimonium, magnum et amplum hujusce revelationis spectaculum, quo libentius nihil aspiciant simplices oculi credentium, nihil dulcius audiant benevolæ aures diligentium Deum Patrem antiquissimum, et Dei Patris Filium, hominem quidem novum, sed Deum nihilominus antiquum. « Quatuor, inquit, venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant. » Quid bestiæ significaverint, unus de assistentibus satis exposuit. « Hæ, inquit, bestiæ magnæ quatuor, quatuor regna consurgent de terra. » Sed quare venti, et quare bestiæ? Nimirum venti propter vanitatem, bestiæ propter ferocitatem. « Vanitas vanitatum, inquit Ecclesiastes, et omnia vanitas (*Eccle.* 1). » Mare magnum est hoc sæculum. Quatuor venti ergo cœli in hoc mari magno pugnaverunt, quia quatuor regna sæculi hujus, status sui brevitatem non considerantes, in vanum flaverunt, regnum Babyloniorum propter superbiam et luxuriam, alas habenti, leænæ assimilatum, regnum Persarum et Medorum urso propter ferocitatem, regnum Græcorum pardo propter levem sectarum varietatem, regnum Romanorum terribili atque mirabili bestiæ dentes ferreos habenti propter insuperabilem fortitudinem comparatum. Quid aliud hæc regna bestialia, quam venti fuerunt? Venti, inquam, et venti cœli fuerunt, non tamen cœlum possederunt, quod per superbiam contingere se putaverunt, sed ne mare quidem diu tenere potuerunt, quod ad horam turbaverunt atque pertransierunt. Illis ergo cum ventosa vanitate sua præterlapsis. « Aspiciebam, inquit, donec throni positi sint, et Antiquus dierum sedit. » Nimirum hæc erat dulcis imago regni Dei, quod exspectabat, ut superius jam dictum est, is ipse qui hæc vidit, civis cœli, peregrinus hujus sæculi, captivus illius Babylonis, unde et ardentior erat desiderator regni Dei, ita ut vir desideriorum mereretur vocari, et pro consolatione animæ suæ tantas tamque mirificas videre visiones ejusdem regni Dei. Quid enim dulcius, quid ad consolationem commodius, ut videret, optare, inquam, potuit? Antiquus, ait, dierum, sedit. At ille olim in genere humano sedem non habebat, quia per prævaricationem primi hominis, regnum peccati et mortis in hunc mundum introierat. Ergo sedit, id est contra regni sui persuasorem diabolum judicium constituit. Sequitur enim : « Judicium sedit, et libri aperti sunt. » Hoc quidem de judicio futuro intelligitur, quia de ultimo regni diabolici rege Antichristo sic præmissum est : « Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus, et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. » Sed subinde sequitur : « Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnis populus tribus ac linguæ ipsi servient. » Hoc primo certe in adventu factum esse, certum tenet Christiana fides. Filius hominis jam usque ad Antiquum dierum pervenit, Jam in conspectu ejus obtulimus eum, quicunque propter peccata nostra oblatum esse credimus, et confitemur eum, et quotidie in sancto altari oblationis ejus sacrum celebramus mysterium. Jam dedit ei potestatem, et honorem et regnum. Jam enim propter passionem mortis, gloria et honore coronavit eum, et constituit eum super opera manuum suarum (*Hebr.* II). Nam hoc est quod, cum surrexisset a mortuis, dicebat : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Et tunc omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient, baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, secundum ejus imperium. Quid enim si qui adhuc servituti ejus contradicunt? Profecto servitutem debent, et ab ipso pœnam recipient, propter servilem suum timorem, propter suam cervicosam rebellionem : « Sede, inquit, a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Et subinde : « Dominare in medio inimicorum tuorum (*ibid.*). » Igitur quod dictum est : « Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit, » itemque « judicium sedit, et libri aperti sunt, » majestatem quidem personat judicii futuri, et adventus secundi. Verumtamen ita ut primi quoque adventus nonnulla consideratio sit, quo idem judicium cœpit agi, testante ipso Judice, cum dicit : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII). » Proinde ad laudem Dei, ad gloriam regni Dei, quod nunc intra nos est, referre libet hæc ad primum adventum Christi Filii Dei, ut videlicet primo adventu cœptum fatcamur, quod in secundo consummandum est.

588 CAPUT XIII.

Quid sint throni positi, quis thronus ejus, flamma ignis et rotæ ejus, ignis accensus, quid fluvius igneus egrediens a facie ejus, quid judicium sedens.

« Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit. » Aspiciebam, inquam, desiderans atque suspirans desiderio, atque suspirio, quod erat commune omnium justorum, non ignorantium se a regno Dei excidisse in Adam, et exspectantium ut in nobis recuperaret ipse regni sui gloriam. Quod et ita factum est. « Throni positi sunt et Antiquus dierum sedit. » Thronus unus et plures throni, una Ecclesia est et plures sancti, quorum in cordibus ille Antiquus dierum sedit, Deus quippe recens in illis non fuit. Thronus ejus Abraham, thronus ejus David, thronus ejus singuli sancti,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quorum in cordibus ille per fidem sedit, thronis eisdem positis, id est longa exspectatione in occursum regni ejus præparatis. Qualis ille sedit? « Vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus, quasi lana munda. » Gloriosa hæc regni ejus insignia sunt. Nix quippe remissionem peccatorum, lana nuditatis nostræ operimentum significat. Inde Psalmista : « Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). » Item : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI). » — « Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. » Licet ignis iræ et flamma hic intelligi possit vindictæ futuræ, tamen, quoniam fluvius igneus dulciori dignior est adhuc intellectu, maxime quia sic dictum est, egrediebatur a facie ejus. Quid enim non dulce, non amabile egreditur aut procedit a facie ejus? Ergo fluvius igneus non injuria, non coacta sententia, dicimus quod ipse sit Spiritus sanctus, de quo Psalmista : « Fluminis, inquit, impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Et in Isaia idem Spiritus sanctus : « Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium (*Isa.* LXVI). » Hic sine dubio fluvius egrediebatur a facie ejus, unde procedens dicitur hic Spiritus sanctus. Igneus autem est et rapidus, quia mentes igneas reddit, et linguas disertas, atque vividas efficit, quod et testatus est, et ab effectu comprobavit, quando super discipulos apparuit tanquam ignis, et cœperunt loqui variis linguis (*Act.* II). Linguis rapidis, ita ut silentium illis nulla posset indicere potestas sæculi. Extunc thronus ejus, id est Ecclesia ejus flamma ignis, et rotæ Evangeliorum ejus ignis accensus. « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Hoc et de angelicis spiritibus recte valet intelligi, quorum infinita nobis millia ministrant, vel assistunt ei (*Apoc.* V). Verum, quia de genere humano negotium est, cujus sibi millia Deus in regnum dignatione sua acquisivit, sic juvat continuari. Fluvio igneo rapidoque egrediente a facie ejus, « millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, » id est, dato Spiritu sancto, qui ab ipso procedit, innumerabiles homines, qui prius non erant ejus, per aquam et per eumdem renati spiritum distributis ordinibus servire cœperunt majestati ejus, alii per activam ministrantes ei, alii per contemplativam vitam assistentes ei. Plures autem in activa ministrant, pauciores in contemplativa assistunt ei. Bene ergo indefinita quantitate dictum est, « millia millium ministrabant ei, » definita vero, « et decies millies centena millia assistebant ei, judicium sedit, et libri aperti sunt. » Hoc utriusque judicii quasi confinium est, id est recta utrumque judicium significatione contingit. Etenim judicium jam sedit, sicut prædictum est, ut princeps hujus mundi ejiceretur foras (*Joan.* XII), sedebit adhuc, ut idem princeps cum angelis suis, idem, inquam, tanquam caput cum omni corpore suo meritas recipiat pœnas. Unde sequitur : « Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur. Et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset igni ad comburendum, » etc. Item, « libri jam aperti sunt, » aperiente Agno librum magnum, septem sigillis signatum, aperiente illo discipulis suis sensum ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Aperti, inquam, sunt libri per primum judicium, ita tamen, ut qui non videbant viderent, et qui videbant cæci fierent (*Joan.* IX), aperiendi autem sunt libri, libri conscientiarum, ut judicentur singuli ex his quæ ibi scripta sunt.

CAPUT XIV.

De veniente Filio hominis, quomodo usque ad Antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem et honorem et regnum.

Manifeste quidem hactenus conscriptum est judicium divinum, sed non dictum est qualem per manum sive personam sit agitandum. Non enim judicabit per semetipsum ille Antiquus dierum, quia Pater non judicat quemquam (*Joan.* V). Et si throni hinc positi sunt, non consequitur, ut sedeat ad judicandum, ut cum vestimento niveo sive candido et capite cano ad proferendam sententiam visibiliter atque localiter sessurus exspectetur iste Antiquus dierum. Itaque nondum dictum est quæ vel qualis factura sit judicium persona. Sed quid sequitur : « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. » Igitur quod in Evangelio suo prædicat ipse Filius hominis, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*ibid.*), hæc prophetica visio lucido satis defendit testimonio. Quæ autem causa vel ratio est, ut judicium faciat hic potius Filius hominis quam Pater, nisi quia Filius hominis est? Sic et ipse, cum dixisset : « Et potestatem dedit ei judicium facere, » continuo quasi quæreres quo jure, quo ordine justitiæ Filius judicet magis quam Pater : « Quia, inquit, Filius hominis est (*ibid.*). » Ac si diceret : Quia persona Filii sese operosius impendit ad reparationem mundi, intantum ut fieret Filius hominis, sola quippe hæc persona incarnata et passa est pro salute mundi, recte ergo potestatem habet judicium faciendi, ut sola judicet persona, quæ sola redemit, id est ut in judicio sola spectetur persona Filii, secundum formam visibilem, formam servi, in qua semetipsam sola exinanivit. Quoniam ad alia properamus, et hæc cæteraque a Patribus doctissimis pertractata sunt, jam ad septimum prophetæ hujus accedamus præconium, quo regni Dei quod exspectabat edicere meruit, tempus quoque præfinitum.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

589 CAPUT XV.

Quomodo suppleantur septuaginta hebdomades, de quibus dicitur ad prophetam : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum ut consummetur prævaricatio, » etc., « et ungatur Sanctus sanctorum. »

(Cap. IX.) « In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, cum, inquit Daniel, loquerer et orarem et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, ut prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, ut me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et locutus est mihi, dixitque : Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es. Tu autem animadverte sermonem, et intellige visionem : Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. » Esdra narrante didicimus quod Neemias cum esset pincerna regis Artaxersis, vigesimo anno regni ejus, mense Nisan impetraverit ab eo restaurari muros Hierusalem (*II Esdr.* I), templo multo ante permittente constructo, ipsumque opus, ut dictum est, in angustia temporis perfecerit adeo, scilicet a finitimis gentibus impugnatus, ut structores singuli gladio renes accincti, una manu pugnasse, alia murum recuperasse narrentur (*II Esd.* IV). Ab hoc ergo tempore usque ad Christum ducem hebdomades septuaginta computa, hoc est, annos duodenorum mensium lunarium, CCCCXC, qui sunt anni solares CCCCLXXV. Siquidem Persæ a præfato vigesimo anno regis Artaxersis usque ad mortem Darii, regnaverunt anni CXVI et hinc Macedones usque ad interitum Cleopatræ annis trecentis. Inde Romani usque ad septimum decimum. Tiberii Cæsaris annum monarchiam tenuerunt annis quinquaginta novem, qui sunt simul, ut diximus, anni CCCCLXXV, et continentur circulis decemnovenalibus XXV dies novies enim viceni et quini fiunt CCCCLXXV. Et quia singulis circulis embolismi septem accrescunt, multiplica viginti quinque per septem CLXXV qui sunt embolismi menses CCCCLXXV annorum. Si ergo vis scire quot annos lunares facere possint, partire centum septuaginta quinque per duodecim. Duodecies deni et quaterni, CLXVIII. Quatuordecim ergo annos faciunt et remanent menses septem. Hos junge ad supra scriptos CCCCLXXV, ut fiunt simul CCCCLXXXIX. Adde et menses superfluos A septem, partemque octavi decimi anni imperii Tiberii Cæsaris quo Dominus passus est, et invenies a tempore præfinito ad ejus usque passionem, hebdomades septuaginta abbreviatas, hoc est, annos lunares CCCCXC. Ad ejus vero baptismum quando unctus est Sanctus sanctorum descendente super eum Spiritu sancto sicut columba, non solum hebdomades septem et sexaginta duas fuisse completas, sed et partem jam septuagesimæ hebdomadis inchoatam. « Et post hebdomades, inquit, septuaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. » Non statim post sexaginta duas hebdomades, sed in fine septuagesimæ occisus est Christus, quam ideo quantum conjicere possumus, segregavit a cæteris, quia de hac erat plura relaturus. B Nam et Christus in illa crucifixus est, a populo perfido, non modo in passione, verum continue ex quo a Joanne prædicari cœpit, negatus est. Quod autem sequitur : « Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. » Non ad septuaginta hebdomades pertinet. Prædictum enim fuerat, quod ipsæ hebdomades ad Christi usque ducatum pertingerent. Sed Scriptura prædicto adventu et passione ipsius, quid etiam post hanc populo qui eum recipere nollet, esset eventurum ostendit. Ducem enim venturum, Titum dicit, qui quadragesimo anno Dominicæ passionis ita cum populo Romano civitatem et sanctuarium dissipabit, ut non remaneret lapis super lapidem (*Luc.* XIX). Verum C his per anticipationem prælibatis mox ad exponendum hebdomadæ quam omiserat rediit eventum. « Confirmabit autem pactum multis hebdomas una. » Hoc est ipsa novissima, in qua vel Joannes Baptista, vel Dominus et apostoli prædicando multos ad fidem converterunt. « Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » Dimidium hebdomadis hujus septuagesimæ quintus decimus annus Tiberii Cæsaris erat, quando inchoato Christi baptismate, hostiarum purificatio fidelibus paulatim vilescere, cœpit. Item quod sequitur : « Et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio » ad sequentia tempora respicit.

CAPUT XVI.

D *De oratione Danielis, quomodo secundum illam responsum ei sit, cum videatur orasse pro solvenda illa quæ tunc fuit captivitate Babylonica, et quasi econtrario major exsistetur ei futura Judæorum vastitas.*

Hujus prophetiæ veritatem et historia veterum et nostrorum hodieque temporum testatur eventus. Verum si solam litteram spectes, nunquid hujuscemodi responsa Danielis oratio flagitabat? Dixerat enim : « Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni. » Ac deinde orans : « Avertatur, inquit, obsecro, ira tua et furor tuus a civitate tua Hierusalem et monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum Hierusalem et populus tuus in opprobrium

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc autem exaudi, Domine Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus, et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum est. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, et audi, aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem super quam invocatum est nomen tuum. » Ita si solam litteram spectes, nihil invenis præter illam septuaginta annorum Babylonicam captivitatem, nihil præter civitatis et templi manufacti cineres quod deploret aut recuperari desideret. Verum si ita erat, si hoc tantum in votis habebat, numquid opportunam pro re consolationem accepit? Nonne potius contraria votis **590** audivit? Non enim dictum est illi, ædificabitur Hierusalem, et templum renovabitur, atque omnis cultus cæremoniarum, sed quod his valde contrarium est, « occidetur, inquit, Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio, et deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. » Igitur cum dicit: « Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni, » vigilanti lectori illud se spiritu prophetico intellexisse insinuat, quod hodie revelata facie videt Christi Ecclesia, scilicet captivitatem illam, unius populi Judaici fuisse imaginem alterius magnæ captivitatis, quæ uno peccante Adam, universo generi humano accidit, et illos septuaginta captivitatis annos, tempus omne significasse, quo populus Dei peregrinatur in hoc sæculo. Quid enim magnum erat intellexisse, quod palam omnibus verba sonabant Hieremiæ prophetæ? Ergo cum dicit orans: Exaudi, Domine Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus, et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, » etc., cum, inquam, hæc dicit, sub istis vocibus res majores intendit, et sic illam captivitatem solvi optat, ut pro majore sollicitus sit, leniter laturus illud majus templi vel civitatis excidium, defectum quoque hostiæ et sacrificii, perpetuamque desolationem templi, abominabilis, dummodo fiat quod erat, necessarium, ut scilicet « consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et ungatur Sanctus sanctorum. »

CAPUT XVII.

De septuaginta annis captivitatis, quando, teste Scriptura sacra, completi fuerint, et quomodo de illis Josephus sibimet contraria scripserit.

Porro cum captivitas illa Judaici populi, captivitatem significet peccati, quæ universo, ut dictum est, generi humano accidit, consequenter ejusdem relaxatio captivitatis salvationem significat mundi, et ut secundum verba Scripturæ hujus loquamur, typus fuit consummandæ prævaricationis, finiendi peccati, delendæ iniquitatis, adducendæ justitiæ sempiternæ, implendæ visionis et prophetiæ, ungendi Sancti sanctorum, qui et ipse templum verum, templum non manufactum, rex et fundator civitatis, in qua dignaretur homo nasci. Itaque de ipsa captivitatis relaxatione, templique reædificatione, pauca dicturi, juxta nostri tenorem propositi, dicamus primo juxta litteram de ipsis septuaginta annis. » Cum cœperint inquit Hieremias, impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, et reducam vos ad locum istum, ait Dominus (*Jer.* XXIX). » « Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad implendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, et transduxit vocem in universo regno suo, etiam per Scripturam dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Hierusalem, quæ est in Judæa (*I Esdr.* I), » etc. Impedientibus autem Samaritis intermissum est opus usque ad annum Darii secundum. Illo anno septuagesimus captivitatis Hierusalem annus impletus est (*Jer.* XXV, XXIX); ut vult Eusebius, testem adhibens Zachariam prophetam, apud quem secundo anno Darii loquitur Angelus: Domine, exercituum usquequo tu non miserebris Hierusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? (*Zach.* I). Iste septuagesimus annus est. Item, quarto Darii anno, dicit idem propheta: Cum jejunaretis, et plangeretis post hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi? (*Zach.* VII.) Sexto Darii anno templi ædificatio completur, die tertia mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus, ex quo ejus fundamenta sub Cyro jacta sunt. Unde in Evangelio dicunt Judæi: « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc (*Joan.* II). » Cœperunt autem ædificare anno secundo Darii, mense sexto, die vicesima quarta, et anno sexto (*Agg.* II), ut dictum est mense duodecimo, die tertia compleverunt. Ex quo apparet opus templi, et antea non parva ex parte peractum. Consentit hic Josephus in Antiquitatum libro, scribens templum et Hierusalem et omnem Judæam septuaginta annis permansisse desolatam. Qui rursus numerando reges Babylonis, si tamen ipse sic scripsit, et non codex fallit mendosus, conferens annos ad eversa Hierusalem usque ad eversionem regni Chaldæorum colligit. Scribit enim post Nabuchodonosor, qui teste Scriptura sacra, viginti quinque post eversam Hierusalem vixit annos, Evilmerodach filium ejus regnasse annis octodecim, post quem Egesar filium ejus XL et huic successisse Jasordach mensibus novem, atque hoc defuncto ad Balthasar qui Naboon nuncupatus est, transisse imperium, ejusque anno decimo septimo a Cyro et Dario regibus captam esse Babyloniam. Hic Darius Danielem prophetam assumens ad se, in Mediam duxit, et omni cum honore celebravit. Fiunt

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

autem anni centum, superadditis mensibus novem, secundum Josephum, si tamen, ut dictum est, ipse sic scripsit, et non mendosus codex fallit. Tradunt Hebræi, ut beatus Hieronymus ait, hujuscemodi fabulam. Post septuagesimum annum, quo Hieremias captivitatem populi Judæorum dixerat esse solvendam, de quo et Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grande convivium insultans quodammodo spei Judæorum et vasis templi Dei. Sed statim ultio consecuta est. Nunc ad incœpta redeamus.

CAPUT XVIII.

De Cyro rege, quomodo secundum vaticinium Isaiæ prophetæ Christo assimilatus fuerit, maxime, quia populum Dei liberavit, et in patriam remiserit.

Juxta mysticos sensus Cyrus rex Dominum Salvatorem et nomine designat et factis. Hoc non ex nostra conjectura, sed ex manifestis Esaiæ verbis dicimus, quibus ex persona Domini dicebat : « Assimilavi te, et non cognovisti me (*Isa.* XLV.) » Assimilavit namque eum Deus Filio suo, quamvis ipse Deum se assimilantem minime cognoverit. Sed dicis : In quo eum assimilavit ? Primum in eo (*ibid.*) quod Christum suum illum cognominare dignatus est, ita dicendo : « Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, » etc. Deinde quod eum Cyrum, quod interpretatur *hæres*, multo antequam nasceretur, vocandum esse disposuit. Hoc enim **591** vocabulum recte congruit illi, cui dicit idem Deus Pater : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II). » De quo et Apostolus ait : « Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula (*Hebr.* I). » De quo etiam in carne apparente inimici persequentes dicebant : « Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Matth.* XXI; *Marc.* XII). » Assimilavit ergo Cyrum Dominus Deus unigenito suo, Deo et Domino nostro Jesu Christo, quia sicut ille, destructo Chaldæorum regno, populum Dei liberavit, ac in patriam remisit, templumque quod erat incensum in Hierosolymis reædificari præcepit, et hoc ipsum edictum etiam per litteras manifestare curavit, ut implerentur verba Hieremiæ prophetæ, quibus hoc futurum esse prædixerit, ita mediator Dei et hominum (*I Tim.* II), destructo per orbem diaboli regno, electos suos, qui erant dispersi ab ejus tyrannide revocatos in suam congregat civitatem cœlestem veram Hierusalem, id est pacis visionem, et hoc ipsum per litteras manifestat, sanctas videlicet in mundum universum mittendo Scripturas, quibus fidem sui nominis ac spem salutis, cunctis qui ad regnum suum pertinent, hoc est electis omnibus, prædicat. Nihilominus quod in Scriptura sua dixit idem Cyrus : « Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli (*I Esd.* I), » veraciter soli convenit majestati ejus, qui dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Cæterum minus verum videtur sonare quod ille omnia sibi regna terræ a Deo tradita dicit, nisi forte intelligendum quod, eo tempore quo hæc scripsit, nullum sui regnum adversarium habuerit, vel certe victo, destructo atque exhausto tam robusto, tamque antiquo Chaldæorum imperio, nullum suo regno in toto orbe resistere posse crediderit. Credendum est autem maxime, ex illa Esaiæ prophetia, hunc Cyrum regem dilexisse filios Israel, eosque de captivitate exemptos domum remisisse, ac templum reædificare jussisse Domini Dei eorum. Audierat quippe tam Esaiam quam Hieremiam prophetam eorum per Spiritum Dei de regno suo et Babyloniorum destructione fuisse prælocutum (*Isa.* XLV; *Jer.* XLIV). Nam et spiritualiter ipsum genus expugnationis quo Babyloniam cepit exprescrant iidem prophetæ. Quorum Esaias : « Qui dico, inquit, profundo : Desolare, et flumina tua arefaciam (*Isa.* XLIV). » Porro Hieremias : « Murus, inquit, Babylonis ille latissimus suffossione suffoditur, et portæ ejus excelsæ igni conburentur (*Jer.* LI). » Narrant enim historiæ quia, diviso atque exinanito per plurimos rivos flumine Euphrate qui per medium Babylonis influebat, per arefactum ac desolatum ejus profundum urbem hostis intraverit. Non ignoramus quæ de hac civitatis vel templi ædificatione in libro continentur Esdræ et Neemiæ, cuncta spiritualibus plena mysteriis esse, sed nos propositi itineris longitudine devocamur, ne diu multum locis singulis immoremur. Pauca ergo contingemus secundum præconia Aggæi et Zachariæ prophetarum, qui illo tempore magno spiritu prophetaverunt. Magni quippe spiritus isti prophetæ fuerunt, ut adversus tanti regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum ædificationem templi Domini impedientes, juberent templum extrui, sicut scriptum est. Itaque exemplum edicti regis Artaxerxis lectum est coram Reum Beeltheem et Samsai scriba et consiliariis eorum, et abierunt festini in Hierusalem ad Judæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore (*I Esd.* IV). « Tunc intermissum est opus domus Dei in Hierusalem, et non fiebat usque ad annum secundum Darii regis Persarum. Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Hierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedech, et cœperunt ædificare templum Dei in Hierusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos (*I Esd.* IV, V). »

CAPUT XIX.

De prophetia Aggæi prophetæ, qui tempore illo quo cum reædificaretur templum gloriam spiritualis domus Domini prophetaverit, et desideratum cunctis gentibus venturum prænuntiaverit.

Primus eorum Aggæus dicit : « Et tunc, confortare, Zorobabel, dicit Dominus, et confortare Jesu filii Josedech sacerdos magne, et confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum, cum egrede-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

remini de terra Ægypti, et spiritus meus erit in medio vestrum. Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et Desideratus veniet cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum (*Agg.* II). » Vel hoc solum quod dixit, « et veniet Desideratus cunctis gentibus, » auditorem percellere potest, ut dormitantes oculos aperiat, atque de terra in cœlum sublevet, nec putet de domo illa inanimata et lapidea dictum, « et implebo domum istam gloria, et magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ. » Primo itaque sacramentum cerne Trinitatis. « Ego, inquit, sum vobiscum, et Spiritus meus, et verbum in quo posui testamentum cum egrederemini de Ægypto. » Quod autem dicit, « in medio vestrum, » juxta illud sentiendum quod in Evangelio scriptum est : « Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, qui post me venit (*Joan.* I). » Hæc ergo dicit Dominus exercituum ad vos, qui videtis domum priorem sic esse quasi non sit. Movi cœlum, quando de cœlo audita est vox mea : « Vos enim vidistis, quod de cœlo locutus sum vobis (*Exod.* XX). » Movi terram, quando priori populo tradidi testamentum meum, et in auditorio meo caligo, turbo tenebræque cernebantur. Movi mare Rubrum, quando viam præbui populo transeunti. Movi aridam, scilicet vel Ægyptum, per plagas cultu Dei vacuans, vel solitudinem per quam quadraginta annis populus circuivit. Hæc adhuc semel movebo. Tempore quippe passionis Dominicæ fugiente sole, cœlum motum est, et tenebræ factæ sunt usque in horam nonam super omnem terram (*Marc.* XV). Vere enim postquam venit ille Desideratus cunctis gentibus, motæ sunt omnes gentes, et impleta est gloria domus Domini, et quando Dominus distat a servo, tanto domus ista melior est cui præest Dominus, domo priore cui præfuit servus. Illustrior quippe fit Ecclesia, quam quondam fuerat Synagoga. Verumtamen propius adhuc inhærere libet sensui quem supra tenere incœpimus. Diximus enim prioris domus descriptionem, id est Babylonicam captivitatem, et civitas Hierusalem destructa, et templum igne succensum est, typum universalis fuisse captivitatis, qua in Adam universitas captiva est generis humani, a rege Babylonis, a principe hujus mundi, a diabolo rege confusionis. Dicamus ergo, imo dicentem audiamus Dominum super hoc : « Magna **592** erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ. » Quod ut fiat, « veniet, inquit, Desideratus cunctis gentibus. » Nimirum ecce videmus, ecce credimus, et confitemur humanam naturam per hujus Desiderati adventum supra primæ originis reparatam esse dignitatem. Si domus Domini, quæ sumus nos, igne diabolicæ confusionis exusta non fuisset in Adam, Deus Dei Filius nostram non suscepisset naturam, gloria et honore propter passionem mortis coronandam. Si Deus nostram, id est humanam non suscepisset naturam, eadem natura nostra supra dignitatem non ascendisset angelicam. Nunc autem tanto omnem caro nostra superexcessit creaturam ut sanctæ Trinitatis confitentes gloriam, hominem, humanam in altitudine admirantes, suspiciamus naturam, Dei namque et hominis utramque in una Filii persona confitemur, et adoramus substantiam. Igitur « magna est gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, » major quippe multo nunc est beatitudo congregationis nostræ, qui tanto duce, tam glorioso congregamur principe, quam si nunquam nos in primo parente confragrasset diabolicæ flammæ invidia. Juxta hunc sensum quo pertinuit dicere, » meum est argentum, et meum est aurum? Ad hoc ut respondeamus, quærimus primo, quod argentum, quod vel quale Dei sit aurum? Hinc jam Psalmistam prædicantem audimus : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI). » Item : « Judicia Domini vera justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum (*Psal.* XVIII). » Ergo divitias suas exponere volens, quibus gloriosam faceret domum suam, « meum est, inquit, aurum, et meum est argentum, » dona sua significans, quæ daturus erat hominibus, quemadmodum de eodem Desiderato Scriptura loquitur : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII; *Ephes.* IV). » Et jam quidem venit iste Desideratus, sed primo adventu ejus non adeo commota sunt cœlum et terra et mare et arida, neque apparuit adhuc, aut impleta est magna domus ejus gloria. « Nunc, inquit, Joannes, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* V). » Sed neque desideratus adhuc erat cunctis gentibus, quippe a quibus nesciebatur. Igitur quod præmiserat, « quoniam ego vobiscum sum, verbum quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti, et Spiritus meus erit in medio vestrum. » quibus verbis, ut jam diximus, breviter expressum est sacramentum Trinitatis, ad primum spectat adventum hujus Desiderati, per quem factum est, ut spiritualiter egrederemur de terra Ægypti, baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hoc animadverso, jam quæstione non indiget quod sequitur, quia veraciter « adhuc unum modicum est, et ego, inquit, commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam, » illa videlicet commotione quæ in Evangelio his verbis exprimitur : « Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur (*Luc.* XXI). » Itaque qui primo venit occultus, secundo adveniet adventu manifestus (*Psal.* XLIX), motis cœlo et terra, et mari,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et arida, et motis cunctis gentibus, quemadmodum ibidem continuo dicitur : « Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate (*Luc.* XXI). » Veniet, inquam, jam tunc Desideratus cunctis gentibus, id est fidelibus suis electis, et congregatis, ex omnibus gentibus. Tunc apparebit istius domus gloria quæ hic promittitur, et de qua illic continuo sequitur : « His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra (*ibid.*). »

CAPUT XX.

De prophetia Zachariæ sub eodem tempore, quomodo dicat : « Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem, » etc., et quomodo pro Jesu Christo Deus Pater increpaverit Satan.

Post hunc, videlicet Aggæum paulo junior, id est duobus mensibus tardius prophetare incipiens, Zacharias filius Barachiæ secundum nomen suum memor Domini, et secundum nomen paternum benedictus Domini, dum et ipse cum Aggæo, quod interpretatur *festivitas* magna spe et fide in Dominum civitatem Hierusalem exstrui persuadet, vel rege prohibente, vel gentibus, hoc modo memor est Domini Jesu sacerdotis magni. « Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. « Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te, qui elegit Hierusalem (*Zach.* III), » etc. Quomodo Hebræi locum illum edisserant, non magni pendentes, quoniam omnis Judæorum sensus caro est, qui soli litteræ carnaliter inhæret. Jesum hic proprio nomine designatum intelligimus, id est Salvatorem nostrum. Ipse est enim, quem, antequam veniret, multi justi et prophetæ, quorum hic Zacharias unus est, videre desideraverunt, et non viderunt (*Luc.* X). Attamen aliqua sub imagine vidisse, imo prævidisse multum fuit. Ergo lætabundus hic dicit : « Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, » videlicet prophetica ostensione, quomodo sanctis prophetis peccata sua vel populi lugentibus pro consolatione magna solitus est illum Deus ostendere. Non sufficerat dixisse sacerdotem, nisi addidisset magnum, quia videlicet non de pluribus sacerdotibus, qui morte prohibentur permanere, sed super omnes est sempiternum habens sacerdotium, eo quod manet in æternum, ad quem dictum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Stantem quoque dixit, id est stabili gradu consistentem, imo vultui Dei pro nobis assistentem, et paratum illi ad obediendum usque ad mortem coram angelo Domini, id est secundum beneplacitum verbi plena divinitate corporaliter in se inhabitantis, quod est Angelus magni consilii, non quod aliter et aliter sit, aut duas personas recipimus in Filio, sed quod idem atque unus Christus Jesus, ut Deus susceptæ humanitati imperet, atque ut homo divinitati Verbi sibimet uniti obtemperet. « Et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei, » subauditur, sed non prævaluit. « Venit enim, inquit, princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV). » Eo usque venit et stetit, atque adversatus est ei, donec faceret eum interimi, sed hoc totum est a dextris ejus, id est ad profectum gloriæ ejus. Nam propter hoc Deus, et Satan increpavit, et illum exaltavit, dando illi nomen, quod est super omne nomen (*Phil.* II). Increpavit, inquam, illum unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quapropter sic pulchre dictum est : « Et dixit Dominus ad Satan. » Dominus de Domino dixit, et utique pro Domino sacerdote magno dixit. Quid autem increpando Satan pro Domino Filio fecit Dominus Pater, Dominus Spiritus sanctus? Ejecit **593** illum foras, juxta illud : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan* XII). » Increpando quippe illum Dominus, qui elegit Hierusalem, per passionem Christi ejecit eum foras tanquam hostem, imo latronem de regno suo, tanquam adulterum de cubiculo suo. Hierusalem quippe intellectualis illa civitas Dei et sponsa est, quam Satan velut latro deprædatus fuerat, velut adulter in primo homine per serpentem commaculaverat. « Nunquid ait, non iste est torris erutus ex igne? (*Zach.* III.) » Tanquam diceret Satan : Quo jure Dominus me increpet? Quo jure foras ejiciat? Impurissime Satan, nunquid non iste ad quem venire, cui adversari ausus es, mortuus cum peccatum non fecisset, ad inferna descendit, et velut si torris eruatur ex igne, ita semetipsum excussit « solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat illum ab eo teneri? » (*Act.* II.)

CAPUT XXI.

Quomodo Jesus indutus erat vestibus sordidis, non suis sordibus, sed alienis, et quomodo ablata sunt ab eo vestimenta sordida, et cidaris munda super caput ejus posita.

« Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli. Qui respondit et ait ad eos qui stabant coram se, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. Et dixit : Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum mutatoriis (*Zach.* III). » Quomodo hic Jesus erat indutus sordidis vestibus? Eo nimirum modo, juxta quem et alius propheta loquitur : « Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus, et consideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum (*Isa.* LIII), » etc. Talis itaque, id est « sordidis indutus vestibus, stabat Jesus ante faciem angeli, » scilicet in agonia passionis, ubi angelum usitato vocabulo accipimus, nihil impedit, imo et magis placet, juxta veritatem Evangelii. Cum enim

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

factus in agonia prolixius oraret, et fieret sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, quod erat sine dubio indutum est sordidis vestimentis infirmitatis apparuit illi angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII). Nec mirum. Nam « minuisti eum, inquit Psalmista, paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII), » videlicet in eo quod semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Phil.* II). Sed auferte, inquit, vestimenta sordida ab eo. Dixerat hoc angelus in persona Dei, subjungens etiam, « ponite cidarim mundam super caput ejus. » Dicamus autem nos quia jam factum est, quia per passionem mortis vestimenta sordida Jesus sacerdos magnus deposuit, id est conditionem mortalitatis exuit cum peccatis et iniquitatibus omnium nostrum, quas in se suscepit, resurgendo autem a mortuis indutus est mutatoriis, et posita est cidaris munda super caput ejus. Unde et cum Psalmista canimus : « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII) ; » et cum Apostolo : « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). »

CAPUT XXII.

De eo quod dicitur : « *Ecce ego adducam servum meum orientem,* » etc.

Cæterum et quotidie sordida magni Sacerdotis hujus vestimenta tolluntur, et ipse mutatoriis induitur, quotiescunque corporis ejus, quod est Ecclesia, peccata lavantur, superductis justitiæ operibus, juxta hanc vero rationem, quod ille caput et Ecclesia corpus, ille, inquam, caput, et nos membra sumus, quod hactenus de hoc Sacerdote magno dicebatur, de capite intellexerimus, quæ post hæc dicuntur, de corpore intelligamus. « Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici tui qui tecum habitant coram te, quia viri portendentes sunt : Ecce enim ego adducam servum meum orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt (*Zach.* III). » Et post aliqua : « Et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus (*Zach.* IV). » « Audi, inquit, Jesu sacerdos magne, » imo audi Ecclesia, corpus Jesu sacerdotis magni, genus regale et sacerdotale, et audiant amici, qui habitant coram te, id est apostoli et prophetæ vere amici, parati videlicet propter te animas ponere, et idcirco habitantes coram te, ut pugnent moriendo, moriantur pro te pugnando, unde et viri portendentes, id est magnorum exemplorum auctores, vel magni futurorum præcones sunt. « Ecce enim ego adducam servum meum orientem, » id est Christum Filium meum, servum meum secundum susceptam servi formam orientem, id est Christum secundum sempiternæ divinitatis lumen. « Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt. » Nimirum inde dixi orientem, quia septem oculis totum illuminat orbem. Nam ipse qui servus propter assumptam hominis naturam, ipse oriens propter septiformem divinitatis plenitudinem corporaliter in se habitantem, ipse lapis propter mysterii causam præsentem, id est propter civitatis vel templi cœlestis ædificationem, cujus in typum civitas illa ædificari incipiebat, cum istam propheta videret visionem. Quæ cum ita sint, perspicuum est cur deinde dicat, « et educet lapidem primarium. » Etenim nos quotquot superædificamur, lapides vivi dicimur, hic autem non solum lapis vivus, sed lapis quoque dicitur primarius, ob causam hanc, quia septem oculis est perlucidus, et qui homo fieret ut nobis in fundamento supponeretur, idem in principio erat Deus. Sequitur autem : « Exæquabit gratiam gratiæ ejus. » Nam ergo æquales illi erimus ? Non utique, quia nos adoptivi, ipse autem naturalis Dei Filius. Nec sic dictum est, et exæquabit gratiam naturam ejus, sed « exæquabit gratiam gratiæ ejus, » ut ex Israel credentes, et gentium populus æqualem gratiam, et par accipiant munus. Nam isti sunt parietes, quos in se uno conjungit hic lapis angularis, lapis primarius.

CAPUT XXIII.

De candelabro, de quo idem : « *Ecce, inquit, candelabrum aureum totum,* » etc., *lucernæ ejus super illud quod sit Christus, et quid sint duæ olivæ, una a dextris, et una a sinistris ejus.*

« Et dixit ad me. Quid tu vides ? Et dixi : Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem **594** lucernæ ejus super illud, et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput illius, et duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus (*Zach.* IV). » Qui paulo ante per lapidem septem oculorum, ipse nunc per candelabrum figuratur aureum, totum septem lucernarum, scilicet Christus, qui septem spiritibus lucens, universam illuminat Ecclesiæ suæ domum. De isto candelabro plenius in Exodo diximus, ubi cum totidem lucernis suis a Domino per Moysen fieri imperatur (*Exod.* XV). Idcirco nunc ad alia properantes, duas tantum olivas, quæ sunt super illud, « una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus, » agnoscere cupimus. Has quippe alii Moysen et Eliam, qui cum Domino loquebantur in monte, id est legem et prophetas, passionem ejus concorditer prædicantes, alii legem et Evangelium interpretantur, et in dextera Evangelium sit in sinistra lex. Ergo non longe quidem ab hoc sensu progredientes, manifestius tamen olivam utramque discernere cupimus, quibus hinc et inde stantibus tantum tamque lucidum candelabrum, sive candelabri lampas, rite condecoretur. Apostolus de isto candelabro, id est Christo ad Colossenses scribens, ita loquitur : « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant (*Col.* I). » Quisquis hæc de illo fideliter sentit, profecto olivam uberem stantem intuetur a dextris candelabri sive lampadis, quia veraciter propter bonitatem suam Deus Pater per Verbum suum bonum, hæc omnia creavit. Sequitur Apostolus continuo et dicit : « Et ipse est

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis ut sit ipse in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt (*ibid.*). » Quisquis itidem hæc de illo non ingrata fide sapit, nimirum olivam speciosam a sinistris prospicit, a sinistris, inquam, quia peracta sunt hæc in adversitate tribulationis propter benevolentiam charitatis, qua Patri obediens miseriæ nostræ condescendit. Coram tanto tantæ claritatis candelabro quomodo subsisteret mons magnus, id est princeps tenebrarum? Increpatur ergo repentina invectione, ut transferat et mittat se in mare. Quis tu mons magne, coram Zorobabel in planum? Zorobabel quippe et ipse Christum significat, ducem magnum, ortum secundum carnem in hac Babylone : nam et ille sic dictus est, eo quod ortus fuisset in Babylone.

CAPUT XXIV.

Quod ait : « Exsulta satis, filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi justus. »

« Exsulta satis, filia Sion, jubila, Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Hierusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus. Et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua (*Zach.* IX). » Quod Danieli ostensum est, post aurum et argentum, æs quoque et ferrum, itemque post quatuor bestias grandes ascendentes de mari, quæ sunt quatuor regna mundi (*Dan.* VII), ipsum post eadem regna superbi hujus sæculi, iste quoque prædicat regnum Dei, regnum humilitatis Christi. Supra namque dixerat : « Et conversus sum et levavi oculos meos et vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii fortes (*Zach* VI). » Denique hæc erant illa quatuor regna mundi egredientia quasi de medio duorum montium, qui erant ærei, id est insuperabilia atque fortissima, et quæ, ut putabatur, nulla possent vetustate consumi. « In quadriga prima equi rufi » erant cruenti et sanguinarii, et Babylonica captivitate et crudelitate terribiles. « In quadriga secunda equi nigri, » regnum Medorum atque Persarum, quod litigæ sedens et egrediens per Assueri regis edictum mortem omnium Judæorum tristi nuntio præferebat. « In quadriga tertia equi albi » Macedones, sub quorum rege Antiocho Machabæorum victoriam legimus. « In quadriga quarta equi varii fortes, » scimus enim Romanorum reges alios in gentem Judæam esse clementes, ut Caium Cæsarem Augustum, et Claudium, alios persecutores atque terribiles, ut Caium Caligulam, Neronem, Vespasianum, et Adrianum. Nunc autem annuntians regnum Dei cum dixisset : « Ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator, continuo subjunxit : « Ipse pauper et ascendens super asinum, et super pullum filium asinæ. » Tanquam diceret : « Hi in curribus, et hi in equis, hic autem in nomine Domini » benedictus venit nobis (*Psal.* XIX). Nam et cum, juxta litteralem hujus prophetiæ sensum, sedens super pullum asinæ ingrediens veniret in civitatem Hierusalem regnum accepturus, id est per passionem suam ad seipsum omnia tracturus, turbæ conclamabant illi : « Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI), » benedictum regnum quod venit patris nostri David. Cujus regni effectus vel officium in quo sit, subdendo manifestat : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua (*Zach.* IX). » Quod ita intelligitur : In sanguine passionis tuæ eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti. Protinus ad ipsos gratulabundus per apostrophen dicit : « Convertemini ad munitiones vincti spei (*ibid.*). » Et est sensus : Qui nunc vincti estis, qui solutionem vinculorum in Christi speratis adventu, convertemini ad munitionem, quam non aliam debemus accipere, nisi habitationem paradisi, in quam primus cum Domino latro ingressus est.

CAPUT XXV.

Quid sit domus David, et quæ Hierusalem, de qua dicit : « Et effundam super domum David, » etc.

« Et effundam super domum David, et super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt. Et plangent eum quasi unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti (*Zach.* XII). » Ac deinceps : « In illa die erit fons patens domus David et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zach.* XIII). » Hic spiritus gratiæ et hic fons domus David, ille spiritus et illa aqua est, de qua Scripturarum omnium sacrarum Salvator noster in Evangelio loquitur : « Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). »

595 Porro Hierusalem, super quam effunditur hic spiritus, ipsa est menstruata, cujus in oblationem patens factus est iste fons domus David, id est latus lanceæ apertum est Filii Dei filii David, unde hæc aqua lavacri salutaris, cum sacro fluxit sanguine nostræ redemptionis (*Joan.* XIX). Et ne solam illam quæ de gentibus est Ecclesiam quis putet menstruatam debere intelligi propter idololatriæ sordes, quibus polluta fuit, unus ex illis prioris populi electis Isaias propheta sanctus dicit : « Et facti sumus ut immundus nos omnes, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV). » Igitur universa Ecclesia, a primo usque ad ultimum electum, ipsa est Hierusalem, adhuc eo tempore quando prophetæ ista loquebantur, menstruata, id est peccati originalis sanguine polluta, non aliter Sancto sanctorum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deo civitas aut regnum futura, nisi effunderet Dominus super illam spiritum gratiæ et precum, id est spiritum remissionis peccatorum, nisi in ablutionem ejus patens fieret fons domus David, id est nisi fuso de latere crucifixi Salvatoris sanguine cum aqua conditum fuisset baptismi salutare sacramentum. Et quidem prius est ad fontis visibile sacramentum accedere, et tunc demum accipere Spiritum in remissionem peccatorum, sed quia spiritum idem ablutionis ejusdem arbiter est, et tota de illo fontis visibilis utilitas pendet, recte prius dictum est, « effundam spiritum gratiæ et precum, » et deinde « erit fons patens domus David. » Non ergo novum aliquid dixit ipse verus David, sed cum veridicis hujus et cæterarum Scripturarum testimoniis locutus est: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III). » Porro quia Hierusalem illa terrena, spiritum vel fontem istum non erat receptura, idcirco, « in die illa, inquit, magnus erit planctus in Hierusalem (*Zach.* XII), » etc. Planctus ille incœptus obsidione Romana usque in finem perseverat, quemadmodum Moyses in cantico: « Ignis, inquit, succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Et notandum, imo mirabile quod ita dixit, « et plangent eum quasi unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti (*Zach.* XII). » Quid enim? O Judæi, Christus Dei Filius vobis non complacuit, quia talis erat, quia taliter venit, quia sic et sic operatus est, quia sic et sic locutus est. Nullo modo vobis complacuit, animo vestro non convenit, alium vultis, alium exspectatis. At ille, scilicet Deus Pater qui istum misit Filium, alterum non habet. Iste Filius primogenitus atque unigenitus illi est. Alterum, inquam, non habet, primus illi et novissimus est, alium non mittet. Quid ergo facietis desolati? Nimirum ut ait ipse: « Tunc aspicietis ad eum quem confixistis. » Ut, inquam, ait, nunc spiritus ejus gravi veritate vera gravitate? « Plangetis super eum quasi super unigenitum, et dolebitis super eum ut doleri solet in morte primogeniti. » Quia vobis mortuus est hic primogenitus quia vobis vos occidistis unigenitum, post hac Salvatorem neque hunc habituri, neque alium, quia hic solus est, hic primogenitus, hic unigenitus est.

CAPUT XXVI.

De prophetia qua dictum est: « Ecce ego mitto angelum meum, » etc., quod et hic a templo sumpta parabola de novo templo, et novo Christi sacerdotio vaticinetur.

Post Zachariam Malachias ultimus in ordine XII prophetarum, quem ipsum Hebræi Esdram sacerdotem fuisse autumant, ita dicit: « Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus. Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi. Et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia (*Mal.* III), » etc. Et hic a templo quod tunc reædificabatur, parabola de novo templo et novo Christi sacerdotio vaticinatur. Nam de illius templi reprobandis cultibus paulo ante sic loquitur: « Ecce ego projiciam vobis brachium, et disperdam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum (*Mal.* II). » Item: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, et vos polluistis illud (*Mal.* I). » Ergo ecce venit, sive et statim veniet ad templum suum, id esse intelligimus, veniet ad Ecclesiam suam ad sanctum Spiritus sancti sanctuarium, incorruptæ Virginis uterum, ut exinde sibi ædificaret templum verum, juxta quod et alia Scriptura dicit: « Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX). » Et ipse in Evangelio Dominator Dominus, et hic ipse angelus testamenti: « Solvite, inquit, templum hoc, et post triduum excitabo illud, dicens de templo corporis sui (*Joan.* II). » Hoc ita factum est, et jam venit. Cæterum, o Judæi qui dicitis: Ultimo tempore venturus est, nondum venit, quomodo vos rerum exitus non docet veritatem? quod enim templum suum Dominator inveniet? Nam usque ad fundamenta destructum est. Aut si ab alio exstruendum est antequam Christus adveniat, quid Christus eorum amplius facturus est, cum ab alio restituta sint omnia? Igitur jam « venit Dominator Dominus quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis, » sed non talis qualem quæritis, non talis venit, qualem vultis. Quæritis enim Dominatorem urbium, et terreni sceptrigerum imperii, largitorem auri et argenti, qui per mille annorum sæculorum satisfaciat cupiditatibus vestris et luxuriis. At ille non talis est, neque ad hoc venire debuit, sed ad hoc ut quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, sederet conflans et mundaret argentum, et purgaret filios Levi, quod jam fecit et facere non desinit usque ad finem sæculi. Sedet enim a dextris Dei de cætero jam igneus et immortalis Dominus judicii. Nec mora, postquam illuc ascendit, misit ignem suum, misit velut ignem Spiritum sanctum, et emundavit atque purgavit filios Levi, id est apostolos suos successores legitimos sacerdotii sui, et colavit eos quasi aurum, videlicet liquefactos amore suo, quo ineffabiliter inflammati sunt, ita ut veraciter quisque illorum dicere posset: « Anima mea liquefacta est, » ut dilectus locutus est (*Cant.* V). Ex tunc placet « et placebit Deo sacrificium Juda et Hierusalem, » id est confessionis et pacis, quod est corpus et sanguinis Christi Filii sui, de quo et Psalmista, reprobatis carnibus taurorum et sanguine hircorum; « immola, inquit, Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX). » Ita placet hoc sacrificium, « sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui, » id est sicut sancti angeli, qui immortalitatis sæculi dies lucidi sunt, et anni æterni. Nam per hoc singulare sacrificium fit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ut simus æquales angelis Dei. De secundo adventu continuo subjungit : « Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuriis (*Mal.* III). »

596 CAPUT XXVII.

Quod hæc de templo manufacto valeant utiliter intelligi, ad quod « tulerunt eum, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, » etc., et quia sacerdotium erat primogenitorum antiquitus, et quia hic est primogenitus.

Valet nihilominus, et in rem plurimum confert ut cum dicit, « et statim veniet ad templum suum (*Mal.* III), » templum intelligamus manufactum, et recordemur in Evangelio secundum Lucam sic esse scriptum : « Et postquam completi sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II). » Itemque illud nos non prætereat, quod cum ejusdem præcepto legis omne primogenitum legis redimeretur quinque siclis argenti (*Lev.* XXVII), iste primogenitus virginis redemptus non est, sed tantummodo dederunt hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum, quæ non erat redemptio primogeniti, sed oblatio pro ea quæ peperit, ut emundaretur a profluvio sanguinis, non quia peperisset primogenitum, sed simpliciter quia peperisset sive masculum sive feminam (*Lev.* XII). Cur hæc dicimus? Videlicet quia sacerdotium antiquitus primogenitorum erat, et hæc erant primogenita, quæ pro edulio lenticulæ vendidit Esau fratri suo Jacob (*Gen.* XXV). Verum quia per principes tribus Levi, videlicet Moysen et Aaron facta est quantula salus, ut educerentur filii Israel de illa terra Ægypti, de illa domo servitutis, et verum nondum erat sacrificium. Idcirco legislator, imo legis auctor et dator Deus, non magnopere de illo carnali sacrificio curavit, ut servaretur jure suo primogenitus, donec veniret iste verum habens sacrificium Filius Dei, primogenitus idemque unigenitus Virginis. Quod sentiens divinus evangelista cum dixisset, « et peperit filium suum, » continuo addidit « primogenitum (*Luc* II), » ut subaudiat prudens lector vel auditor, illum esse cujus esset sacerdotium, quique amoto vicario Leviticæ tribus sacerdotio, non redemptus assisteret Deo Patri offerens semetipsum, jam ex eo sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). Igitur veniet, inquit, ad templum suum, id est recipiet sacerdotium suum, oblatus Deo et Patri suo, sanctus sanctorum, sacerdotum sacerdos, « et purgabit filios Levi, » id est novos faciet sacerdotes, non per sortem, sed per fidem, non secundum carnem Levi, sed secundum gratiam Spiritus sancti. Nam ne quis putaret reprobato sacerdotio reprobari etiam personam Levi, paulo ante dixit : « Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset mandatum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate : labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* II). » Itaque ille quidem in posteris suis pro tempore functus est honore sacerdotii, nunc vero hic dominator Dominus et Angelus testamenti veniens ad templum suum, posteros ejus pontifices et Pharisæos, facto flagello iratus et rigidus ejecit, sacerdotes alios igne Spiritus sancti quasi aurum et quasi argentum conflaturus atque purgaturus sibi. Quare ait ; « Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi (*ibid.*), » etc. Non ignorat anima fidelis et eruditæ pietatis, quod sequitur : Si affligit homo Deum, quia vos confixistis me in decimis et primitivis, et vos me configistis gens tota (*Mal.* III), illud esse quod propter avaritiam suam hunc dominatorem Dominum et Angelum testamenti crucifixerunt pontifices et Pharisæi. Ideo dixit, « in decimis et in primitivis vos me configitis. » Testatur et hoc ipse in psalmo, cum dicit : « Quoniam zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII). » Quod est dicere : « Quoniam pro domo tua zelatus sum, ejiciendo vendentes et ementes, dicendo, scriptum est : « Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* XXI), » idcireo hæc omnia passus sum, quorum hæc summa est, quia confixerunt me.

CAPUT XXVIII.

Quod dum ad finem properamus, non omnibus prophetis insistere potuimus, ut singulorum confessionis donaria, quæ ad templum Dei non manufactum detulerunt, inspiceremus.

Hactenus sanctum patriarcharum atque prophetarum chorum consecuti, ad templum devenimus, quo Sanctus sanctorum Christus sacerdos summus candida pietatis stola redimitus, « non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem » Deo Patri astitit pro reconciliandis hominibus et intuiti sumus (*Hebr.* IX), quod quisque illorum pro studio ac ferventi desiderio et devotione, suum propriæ confessionis et pulchritudinis obtulerit aurum, festinando partem habere in sacrificio ejus, secundum psalmum XCV, qui intitulatur sic : « Quando domus ædificabatur post captivitatem, canticum David. » Etenim illic scriptum est : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. » Et scimus quia domus quæ ædificabatur post captivitatem domus spei nostræ, domus est sapientiæ, quam illa sibi ædificavit, domus carnis vel corporis quam sibi assumpsit de Virgine Verbum Dei, in qua corporaliter inhabitaret plenitudo divinitatis, post captivitatem qua captivi facti sumus in Adam, cujus in typum domus illa manufacta ædificabatur post captivitatem Babylonicam. Huc usque venerabilem antiquorum cœtum sanctorum secuti sumus, et contemplati su-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mus quid confessionis et pulchritudinis, quid sanctimoniæ et magnificentiæ quisque obtulerit, et si non totum perspeximus, gaudendum tamen nobis, quod, velut in nocte sublustri, in qua clarus nondum intuitus est, beatæ illorum visioni admissi sumus. Verum illud admodum nostram exiguitatem contristat, quod dum properamus, non omnium singulos licuit cognoscere vultus, vel donaria confessionis ponderare, quæ a singulis offeruntur. Præterivimus enim novem ex illis, scilicet Oseæ, Johel, Amos, et Abdiam, et Jonam, Michæam, Naum, Abacuc, et Sophoniam, et A sanctum Job, qui non quidem de eadem linea ortus est seminis Abraham, sed ad eamdem per omnia cum istis contendit regis et sacerdotis Christi testificandam gloriam. Omnes ergo in hoc placatos nobis esse optemus, dum illorum fidem aut dignitatem non negligendam fuisse duximus, sed multitudinis nimiæ fastidia vitando, imo nostram fatendo inertiam, fessi ad residendum, quasi ad cornu altaris declinavimus, finem jam quintæ ætatis hujus facientes, et ad cursum sextæ inopem animum parva recreatione reparantes.

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

IN VOL. QUATUOR EVANGELISTARUM

COMMENTARIORUM LIBER UNUS.

597 CAPUT PRIMUM.

De sexta mundi ætate, qua cunctis præmissis præconibus, venit ipse qui loquebatur rex et sacerdos.

Sexta mundi ætate Christus Dei Filius de Virgine nascitur, cunctisque jamdudum præmissis præconibus, tandem adest ipse qui loquebatur. Ex eo jam tempore, *ecce regnum Dei intra nos est* (*Luc.* XVII), rex enim ante nos graditur, rex, inquam, et sacerdos ante nos et pro nobis ingreditur, qui et in psalmo loquitur : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus* (*Psal.* II). » Regnum ergo extunc et sacerdotes Domino Deo nostro facti sumus. Tanto nobilitatis honore iste cum sit os ex ossibus nostris, et caro de carne nostra, nostram antiquam ignobilitatem consolatur. Servi quippe omnes eramus, qui omnes de servo nati fuimus, id est de Adam qui peccatum fecit, et illeirco *peccati servus* fuit (*Joan.* VIII). Hic autem nobilis est, nobiliter de Virgine matre creatus, nobilius de Deo Patre natus. Digna ergo imperare persona generi humano data est, quando, ut jam dictum est, Christus Dei Filius de Virgine natus est.

B diei creationis secundum spiritum intellectus, qui sextus est rursum a spiritu timoris Domini. Illic namque habes : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I), et præsit piscibus maris et volatilibus cœli, universæque creaturæ omnique reptili quod movetur in terra. Hic autem habes factum hominem, qui ipse *imago est Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia* (*Col.* I). Ille talis factus est, qui piscibus maris, cæterisque animantibus præest dignitate rationis, hic talis natus est, qui hominibus præmineret majestate divinitatis, vel primatu intelligentiæ spiritualis Utrobique sextus, ut jam dictum est, a timore spiritus intellectus operatur, dum et ille per intellectum excellens cæteris animantibus vocabula imponit, et hic ad intelligendum Scripturas sensum hominibus aperit, quorum nomina in cœlo scripsit. Ille celsus et erectus statura præ cunctis generibus animantium, hic *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Ille colonus paradisi, hic Dominus, imo et plantator paradisi. Verum de hujusmodi dicendum in tertia parte hujus operis, quam tertiæ personæ sanctæ Trinitatis Spiritui sancto nostra propositio dedicavit. Nunc quod ad præsentem locum attinet prosequamur, id est regnum regis hujus secundum evangelica præconia prædicemus.

CAPUT II.

Quomodo sexta hæc ætas sexto primæ creationis sæculi dici correspondeat.

Respondet itaque sexta hæc ætas sæculi sexto

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT III.

Quanta regis hujus nobilitas sit secundum initia quatuor Evangeliorum ejusdem Jesu Christi Filii Dei.

Primus evangelista Matthæus dicit : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Post hunc Marcus sic incipit : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei* (*Marc.* I). Deinde in Luca, Gabriel angelus Mariæ percunctanti : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, respondens ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Deinde Joannes altius repetens, dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). His perspectis intus fides quæ vultus ingenuos probare atque a plebeis discernere novit, magnificam sui regis ingenuitatem agnoscit, **598** creditque et confitetur non ingratis laudibus, quod solus iste humano generi sit homo nobilis quem solum regnare decet, cujus profiteri servitutem omni homini vera, et unica sit libertas. Qualis enim est secundum hæc quæ præscripta sunt hujus regis nostri facies? Nimirum cum sic dicitur : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*, probat auditus fidei, quia verus homo est, quippe qui de hominis David atque Abrahæ semine natus est. At illi non valde erant nobiles, quippe qui in iniquitatibus concepti sunt, et eorum quemque sua in peccatis conceperat mater. Quod ergo illorum ignobile erat, qualiter excellit generatio hujus Jesu Christi, singulariter nobilis et inclyti? Nimirum concipiente illum matre sua, non de semine viri, sed de operatione Spiritus sancti, quod in Luca fides eadem audivit, dicente Angelo : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ergo longe nobilior iste filius David, filius Abrahæ quam omnes patres sui, etiam secundum formam servi. Nunquam enim servivit, non saltem in massa servus fuit, quia non saltem in Adam peccatum fecit, *in quo*, ut ait Apostolus, *omnes peccaverunt* (*Rom.* V). Cæteri, Marcus et Joannes altius personat id quod ista nobilitate hominis nobilius est. Marcus dicendo, *initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei*, illam ejus nobilitatem confessus est, quæ non matre, sed ex Patre, non ex carne, sed ex divinitate est. Attamen minus definivit adversus serviles blasphemias hæreticæ ignobilitatis. Nam et multi dicuntur et leguntur filii Dei, sive homines, sive angeli, filii, inquam, Dei, sed gratia adoptionis, non proprietate naturæ. Quod perpendens Joannes, litem omnem diremit diffiniendo, hunc Filium Dei qualis sit, quam dissimiles natura sint illi omnes quicunque nominantur et sunt filii Dei. Nam in principio, inquit, *erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ecce hic est vultus ingenuus regis nostri, filius hominis sine peccato, Filius Dei natura, non dono.

CAPUT IV.

De generatione Jesu Christi filii David, filii Abraham, quod maxime spiritualis sit, unde et contigit illa linea Joseph, qui non enim secundum carnem genuit, et posteritas Hiezabel usque ad quartam generationem eradicata est, quæ præcones veri Dei prophetas occidit.

Aperiat nunc nobis ipse librum suæ generationis, ut videre queamus, qualis vel qua ratione generatio ipsa conscripta sit, vel cur liber generationis dici debuerit. In Genesi legimus : *Hic liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, masculum et feminam creavit eos. Et benedixit illis, vocavitque nomen eorum Adam, in die qua creati sunt* (*Gen.* V). Hic liber, inquit, generationis Adam, liber terrenus, liber generationis terrenæ, liber generationis in terra scriptæ, juxta illud : *Recedentes a te in terra scribentur* (*Jer.* XVII). Recesserat enim homo a Deo, et recedendo merucrat in terra scribi, dicente Deo, *donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III). Hic autem homo Jesus Christus, rex nobilis, rex magnus, homo cœlestis, homo novus, idcirco natus, idcirco rex datus est, ut provinciales suos in libro vitæ conscriberet, ut civium suorum nomina in curia cœlesti notificaret. Igitur hic est liber generationis electæ, generationis Christianæ in cœlo conscriptæ, cui libro longe diversus est ille liber generationis Adam. Nam in illo confusa est generatio filiorum hominum, et filiorum Dei, quia *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ* (*Gen.* VI), acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt. Hic autem liber simplicem admittit generationem filiorum Dei, fratrum et cohæredum Jesu Christi. Alioquin quæ ratio est, ut generationis linea contingat Joseph, qui Jesum Christum non genuit? Aut qua ratione tres istos de medio generationis hujus eliminavit Ahaziam, Joas et Amasiam? Itaque evangelista divinus, quod dignitatem evangelicam condecuit, generationem carnis Jesu Christi minus curavit, quæ paucorum erat, nec eisdem ad salutem sola sufficiebat, sed ad generationem gratiæ intendit, quæ multorum est vel esse potest, et eis ad salutem sola sufficere valet. Quod sua commendans auctoritate, ipse cujus est hic liber generationis, cum dixisset ad eum *quædam mulier, extollens vocem de turba : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* (*Luc.* XI), ut corrigeret imperfectæ scientiæ confessionem, dixit : *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (*ibid.*). Hoc fecit beatus venter qui te, Christe, portavit, credidit enim verbo Dei, credidit angelo evangelizanti omnipotentiam Dei, deditque credulitatis suæ responsum festinum ; *Fiat*, inquiens, *mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). Idcirco beata est, et hæc beatitudinis ejus principalis causa est. Hoc Abraham fecit, qui cum uxorem haberet sterilem, credidit Deo dicenti : *Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII), et in hac fide sperans et de promissa mercede securus, perpetuam peregrinationem ingressus est. Idcirco beatus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et ipse testimonio laudis evangelicæ, qua hic in capite libri sic scriptum est : *Jesu Christi filii Abraham* (*Matth.* I). Hoc Hiezabel non fecit, quinimo præcones hujus generationis prophetas Domini interfecit. Idcirco beata nequaquam est, quinimo posteritas ejus usque ad quartam generationem, de isto generationis Jesu Christi libro est eradicata. Nam et ipsi posteri ejus jam dicti Ahazias, Joas, Amasias, secundum exemplum ejus prophetas Domini occiderunt, aut prophetare prohibuerunt.

CAPUT V.

Quare junior David Abrahæ præpositus sit, dicendo : « Filii David, filii Abrahæ, » et quomodo idem David prius Verbi Dei quod Christus est, quam carnis Christi pater esse meruit.

Quare autem junior David patri Abrahæ præpositus est in libro generationis hujus, dicendo, *filii David, filii Abraham?* Nimirum hoc evangelista pro sua fecit intentione : nam si diligenter advertas, cum regnum Christi evangelizat, plusquam cæteri evangelistæ, regalia regis hujus conscribit insignia, quod non tacebit nostri quoque studii possibilitas. David autem rex fuerat, et regalis ad eum promissio facta est dicendo : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Deinde regni Christi filii sui mystica factis præsignaverat, dictis cecinerat. De factis ejus mystiris vel passionibus figurativis, suo loco pro posse diximus, dicta ejus omnis Ecclesia concinit, et concinendo regnum Christi confitetur, verbi gratia, in illo rege David, rex iste Christus loquitur : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus* (*Psal.* II). Item, in eodem de isto Filio suo rege nostro persona Patris loquitur : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi* (*Psal.* XLIV). Et ad ipsum regem : *Accingere*, inquit, *gladio tuo super femur tuum, potentissime.* **599** *Specie tua et pulchritudine tua. Intende, prospere procede, et regna.* Et subinde : *Populi sub te cadent in corda inimicorum regis, sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. Virga directionis, virga regni tui* (*ibid.*), etc.; usque ad finem psalmi. Sed et ipse propheta de isto ad Patrem dicit : *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI). Quid multa? Cuncta quæ locutus est Domino, vel cecinit, mysteria sunt regis hujus Christi Filii Dei filii sui, ut recte beatificet animam ejus, mulier quæ usque hodie vocem extollit de universa Judæorum, paganorum, atque hæreticorum turba, scilicet catholica Ecclesia, dicatque : Beata anima regis David, quæ audivit verbum Dei et custodivit illud, quæ admissa castæ Dei Patris copulæ, verbum bonum de corde vel ore ejus suscepit, priusque verbi, quod est Christus, quam carnis Christi pater esse meruit. Recte igitur hic evangelista regni Dei regem regis Patrem, in libro generationis, præposuit patri, quem Scriptura solummodo seminis, id est hominis, enuntiat patrem, dicens : *Jesu Christi filii David, filii Abraham.*

CAPUT VI.

Quod in eadem generatione tres isti Abraham, David, et Joseph, magis insignes sint, et quod ad istos per incrementa ternaria promissio Christi facta sit.

Nominatus deinde loco vel ordine suo dum dicitur : *Jesse autem genuit David regem* (*Matth.* I), tertio tandem repetitur in Joseph, nominatione insigni, compellatione angelici præconii : *Joseph, fili David, noli timere* (*ibid.*). Verum hæc nominatio magnifica propria sit beati Joseph, qui sponsus custosque esse beatæ Virginis, et nati ex ea regis Filii Dei, filii David, optimo nomine pater dici meruit. Ecce enim in hoc generationis libro tres isti sunt patres insignes Jesu Christi, hominis, regis et Dei, et secundum hæc tria ternarium esse advertimus incrementum promissionis Christi, quæ ad ipsos spiritualiter facta est, scilicet Abraham, David et Joseph. Denique homo tantum intelligitur in promissione quæ ad Abraham hoc modo facta est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Jam autem rex ea promissione pronuntiatur, quæ facta est ad David : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Porro beato Joseph promittitur tanquam Deus, dum ei dicitur : *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I). Nam quia salvere a peccatis Dei est, neque hoc nisi solus Deus potest, dum dicit, *ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum*, idem atque æquipollens est, ac si dixisset : Ipse enim Deus est, et idcirco vocabis eum Jesum, id est Salvatorem.

CAPUT VII.

Quomodo tres magi, secundum eadem incrementa, myrrham, aurum et thus obtulerint.

Miro autem modo, miro et venerando gratiæ dono, cunctos fidei hujus thesauros quos sparsim thesaurizaverant prædicti patres Jesu Christi, simul gentilibus refudit ortus vel adventus ejusdem regis, sicut continuo narrat hoc modo hic evangelista regni Dei : *Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II). Denique gentiles isti simul hominem, regem et Deum Jesum esse confessi sunt verbis, testati sunt muneribus, dicendo enim : *Ubi est qui natus est*, hominem, dicendo, *rex Judæorum*, regem; dicendo, *vidimus stellam ejus*, Deum esse confessi sunt. Item, apertis vasis suis, offerentes ei munera, auro regem, thure Deum, myrrha hominem mortalem esse testati sunt. Hoc, inquam, mirando simul et venerando gratiæ dono gentilibus una inspiratione collatum est quod ternario, ut prædictum est, promissionis incremento, Judaici populi patribus fuerat præparatum, totiusque fidei Christianæ summam, tam voce quam muneribus, de bono cordis sui thesauro protulerunt.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT VIII.

De turbatione Herodis, qua turbatus est ipse et omnis Hierosolyma cum illo.

Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum eo (*Matth.* II). Turbatio Herodis et Hyerosolymæ de profundo prodiit erroris infiniti, de cæcitate mentis, et tenebris ignorantiæ inexcusabilis, quia ejusmodi ignorantia, scilicet ignorare regnum Dei, regnum regis hujus, quid vel quale sit peccatum est, imo pœna peccati, quemadmodum Sapientia dicit : *Hæc cogitaverunt et errarerunt, excæcavit enim illos malitia ipsorum, et nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II). Hic error, hæc ignorantia, a capite descendens, id est a senioribus qui videbantur regere populum, simplices atque idiotas non malitiose involverit, ita ut apostoli quoque qui magistrum suum Dominum Jesum Christum regem Judæorum, ex lege et prophetis promissum advenisse credebant, et gaudebant, nimium carnaliter de regno ejus sentiendo errarent, non malitiose, ut jam dictum est, sed simpliciter, donec glorificato eodem Jesu, et accepto ejus spiritu, scirent quia regnum ejus de hoc mundo non est. Porro Scribarum et Pharisæorum qui legem et prophetas lectitabant ignorantia, malitiosa erat et damnabilis cæcitas, quia futurum Messiam, id est Christum legentes, non regnum justitiæ, sed regnum peccati et cupiditatis intelligere volebant, aut poterant, et interim sub specie religionis cupiditatibus suis studebant. Propterea vehementer illos percutit hæc sententia hujus regis : *Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, non enim vos intratis, nec introeuntes sinitis intrare* (*Matth.* XXIII). Igitur cœli regi nato rex terræ Herodes turbatus est, utpote cæcus, et pœnalem habens ignorantiam regni ejus, quasi illo rege foret ipse regno deturbandus, quippe qui non erat sceptriger de tribu Juda, aut dux de femore ejus. Audierat enim scriptum illud propheticum : *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX).

CAPUT IX.

Quomodo vane timuerit Herodes, dicente propheta : « Et tu Bethleem terra Juda, » etc., cum in eodem propheta prædicetur, regnum Christi potentia cœlesti nullo terreno regno nociturum.

Et congregans omnes principes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est per prophetam : Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te **600** *enim exiet dux qui regat populum meum Israel* (*Matth.* II). Quia Christum, ut jam dictum est, audierat nasciturum, nec auferendum esse sceptrum de Juda, et ducem de femore ejus, donec ille veniret, se autem rege, sceptrum de Juda, et dux de femore ejus ablatus erat, quippe qui ex patre Idumæo et ex matre erat Arabica. Igitur illud sciscitabatur, ubi Christus nasceretur, insidias machinaturus. Et verum quidem Scribæ, et principes sacerdotum de Scriptura prophetica protulere judicium. Sed nunquid solum hoc per prophetam illum fuerat dictum, Christum regem in Bethleem nasciturum ? Nonne per prophetam eumdem dixerat Spiritus sanctus, regis hujus ortum, nihil Herodi, imo nihil cuiquam mortalium esse nociturum ? Nempe, antequam locum expressisset nativitatis ejus prælicere curavit, et miram innocentiam regni ejus. Dixerat enim : *Et in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ. Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare* (*Mich.* IV), etc. Ergo cæco cæci male ducatum præbebant, ideoque ambo in foveam cadebant, dum sciscitaretur Herodes ubi Christus nasceretur, nesciens sciscitari quale foret regnum ejus, et illi ostendentes locum nativitatis non viderent in eadem Scriptura pacem et innocentiam regni ejus. Quid enim verius eo quod dixit, *non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare ?* Gens quippe regis hujus, gens conversa ad regem istum, gens tota parvulorum est, nequaquam sumptura gladium, aut belligeratura contra Herodis vel Romani imperii gentem, sed gente adversa feriente se gladio, semper et in ipsa morte prædicatura pacem. Quomodo parvuli quos continuo tu, o funeste Herodes, occidisti, non se defenderunt, non te repercusserunt sic universa regis hujus gens, dum occidetur, gladium non levabit, non contra gentem homicidam tui similem belligerabit. Nec vero contrarium huic est id quod subinde regis hujus civitatis Sion consolator Spiritus per eumdem prophetam dicit : *Surge, et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminuam populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ* (*ibid.*). Longe aliud cornu, et interfectio dissimilis. Cornu istud non contra homines, sed contra diabolum erigitur, interfectio hæc non hominum, sed vitiorum est. Cornu istud de cœlo datum est, dicente suis rege isto : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV), interfectio hæc est, de qua Petro dictum est : *Surge, Petre, occide et manduca* (*Act.* X). Igitur, o Herodes latro, filiorum tuorum occisor, illic trepidasti timore, ubi non erat timor.

CAPUT X.

De eo quod in Osea dictum est : « Ex Ægypto vocavit Filium meum, » quam vere ad Christum pertinuerit, et quam impie Julianus evangelistam simplicitati gentium quasi illudentem calumniatus sit.

Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem : Ex Ægypto vocavi Filium meum (*Matth.* II). Propheta, per quem hoc dictum est, Oseæ est. Porro textus sive locus, unde hoc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

breviter sumptum est testimonium, sic se habet. *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel, quia puer Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi Filium meum* (*Ose.* XI). Igitur præeunte, imo exigente auctoritate hujus evangelistæ, veraciter dicamus quia *rex Israel*, qui *pertransiit sicut mane*, transit rex alienigena Herodes, puer autem Israel Salvator est, tunc temporis infantulus, et puer quem dilexit Pater, et dixit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Rex, inquam, Israel illius temporis Herodes, erat alienigena sicut mane transiturus, id est temporalis cito periturus. Itaque dum dicit angelus Joseph : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi donec dicam tibi* (*Matth.* II), scilicet usque ad obitum Herodis, quoniam tunc, id est post obitum Herodis B adimpletum est, quod dictum erat a Domino per prophetam dicentem : *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, hæc quoque dicta prophetica quæ circa testimonium hoc textus continet ejusdem angeli sint, dicatque : *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel, quia puer Israel, et dilexi eum, dicit Dominus*, ut sit sensus. Iste rex Israel, qui quærebat puerum ad perdendum eum, ecce mortuus est et moriendo pertransit, *sicut mane transiit*. Cito namque transit mane, verumtamen iterum revertitur, hic autem non revertetur amplius. Ergo *sicut mane transit*, sic iste *transivit*, imo, quia jam ultra non rediturus est, sicut mane redit, iste pertransiit, qu'a *puer meus Israel* iste est, quem quærebat ad perdendum eum, C *et dilexi eum*. Nam et juxta alium prophetam : *Ecce puer meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi illo anima mea* (*Isa.* XLIII). Sic olim faciebant reges Israel. *Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant* (*Ose.* XI), subauditur, prophetas occidentes ob defensionem simulacrorum, quemadmodum nunc quærebant occidere puerum dominum prophetarum, abeuntes a facie regis sui Herodis, vocantis eos ad occidendum tot infantes propter eum. Quodque sequitur : *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nesciebant quod curarem eos* (*ibid.*); subauditur, ita et nunc. Nam, quemadmodum tunc, cum peccassent et fecissent sibi vitulos, dedi locum pœnitentiæ, et ignoraverunt quod curarem D eos, ut, obducto vulnere idololatriæ, pristinam reciperent sanitatem; ita et nunc cum ad hoc venissem clemens pastor, ut morbidam ovem quæ erraverat humeris meis portarem, ipsi ignoraverunt *quod curarem eos*, imo scire aut intelligere noluerunt quod venissem ad salvandum eos. Quid deinde ? *Non revertetur in terram Ægypti et Assur, ipse rex ejus, quoniam noluerunt converti. Et cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum, et populus meus pendebit ad reditum meum. Jugum autem imponetur ei simul, quod non auferetur* (*ibid.*). Omnino ita et nunc. Quemadmodum enim tunc, quia *noluerunt converti, cœpit gladius in civitatibus eorum, et impositum est eis ab Assur captivitatis A jugum*, ita et nunc multo amplius, quia noluerunt converti, ceciderunt in ore gladii, et in omnes gentes captivi ducti sunt. Cætera ut prosequamur, præsens non admittit locus. Hoc tantum animadvertisse contenti simus quod impie Julianus Augustus, in volumine quod adversum Christianos evomuit, hunc evangelistam calumniatus est, dicens eum, id quod de Israel scriptum est, ad Christum transtulisse, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant illuderet. Nam vere hic nemini illusit, sed veritatis testis oculos fidei habentibus, amplum **601** sub obscuræ prophetiæ locum, brevi versiculo fideliter illustravit.

CAPUT XI.

Quam recte evangelista dicturus : « Ex Ægypto vocavi filium meum, » præmiserit : « Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel, » quod latius dici potest de omni regno mundi, quia mane surrexit et cito transiit.

Nunc revertamur ad rem, nam de regno regis hujus loquebamur, cui et præsens volumen dedicavimus, pro cujus regis ortu rex Herodes turbatus, sciscitatus est locum nativitatis ejus. De hoc ergo regno sermonem repetentibus, illud admodum placere debet, quod de primo adversario ejus dictum est : *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel* (*Osee* XI). Dicamus latius ad gloriam et laudem regni Dei, quia *sicut mane transiit, pertransiit* regnum hujus mundi. Mane quippe surrexit, mane, id est, festinanter exstructum est a filiis hujus sæculi, quorum primus erat Cain, qui occiso fratre, festinavit ædificare civitatem, et appellare eam ex nomine filii sui primogeniti. Extunc in posterum per successiones suas contentiose regnaverunt principes illius generationis omnes matutini, omnes festini, et ecce tempore illo, de quo loquimur, regnum illorum fortissimum erat, velut *bestia terribilis et fortis nimis, dentes ferreos habens, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus conculcans* (*Daniel* VII). Jam comederat atque comminuerat, jam sub pedibus ejus communitus mundus jacebat, cum in isto rege humili, de Virgine nato, regnum Dei quasi vespere silenter surrexit, id est circa finem sæculi. Omnes alterius generationis filii persecutionem passi a generatione Cain, quasi tota die laborantes, pondusque diei et æstus portantes exspectaverant hoc vespertinum regnum Dei, manentem hic civitatem non habentes, sed futuram inquirentes, *et confitentes quod peregrini et hospites sint super terram* (*Hebr.* XI). Hos atque illos distinguens spiritus regis hujus in psalmo dicit : *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite, postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris* (*Psal.* CXXVI). Rex ipse per omnia sic egit : Ante lucem surgere, quia vanum erat, noluit, sed, postquam sedit, *humiliatus usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II), postquam manducavit panem doloris in passionis tolerantia faciendo voluntatem Patris (*Joan.* IV), quam facere cibus erat illi tunc demum in luce surrexit, tunc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

demum in gloriam suam intravit. Ante lucem, inquam, surgere noluit, imo *cum cognovisset, quia venturi erant, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem solus ipse* (*Joan.* VI). Igitur non solus rex ipse Herodes, sed et omne regnum hujus mundi, *sicut mane transiit, pertransiit*, juxta illud : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimis benedictione carebit* (*Prov.* XX), regnum autem Dei, quod per patientiam construitur, in æternum permanebit.

CAPUT XII.

Quod frustra timuerunt reges terræ, quia non dixit Joannes, arma corripite contra reges, propter Christum, sed « pœnitentiam agite, » etc.

In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* III), etc. Frustra nimirum reges terræ timuerunt, sine causa turbati sunt. Ecce enim qualis magister militum, qualis signifer regis hujus, qualis primæ legionis primicerius, pilis camelorum vestitus, et zona pellicia præcinctus. Non dicit, arma corripite, appropinquabit enim regnum Judæorum, sed *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Non dicit, filii regum et Patriarcharum, demonstro vobis animosa sumere bella, sed dicit : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Non dicit, nolite Cæsari censum dare, sed dicit : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Non dicit, jam jugum imperatorum contritum est, sed dicit : *Jam enim securis ad radices arborum posita est*. Non dicit, oliveta Judaica servabuntur, et Romana pomeria succidentur, sed, absque distinctione hortorum aut nemorum, *omnis*, inquit, *arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*. Nunc cæteris omissis, præsentis negotii maxime est disserere hoc unum : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Quid est regnum cœlorum? Regnum sanctorum, sive eorum qui in cœlis regnabunt. Nam sancti quorum in cœlis est regnum, ipsi quoque cœli dicuntur et sunt juxta illud : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psal.* XVIII). Istorum cœlorum hactenus longe erat regnum, quippe qui necdum habebant regem suum, sed exspectabant promissum. *Juxta fidem*, inquit Apostolus, *defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram* (*Hebr.* XI). Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Ergo prius longe erat, sed nunc, inquit, *appropinquabit regnum cœlorum*. Quando vel quomodo appropinquabit? Quando rex iste a terra exaltatus fuerit, eadem ipsa exaltatione sua destruet regnum peccati et mortis, quæ, ut idem Apostolus ait, regnavit ab Adam usque ad Moysen (*Rom.* III), non quod per legem Moysi regnum illud destructum fuerit, sed quod a Moyse peccatum audita contradictione contra se conscriptæ legis, quasi tyrannus irritatus amplius in subjectos homines grassari cœperit. Destruet, inquam, rex iste exaltatus a terra regnum peccati, et omnia trahet ad seipsum, resurgensque a mortuis intrabit in gloriam suam regni cœlorum rex. Igitur *pœnitentiam*, inquit, *agite*, quia pœnitentiam agentium est emundari a peccati servitute, exaltari regis sanguine, et in regnum cœlorum introire. Et ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham, quia non est hoc regnum habentium Patrem Abraham, sed agentium pœnitentiam. Imo non in carne gloriantes, sed pœnitentiam agentes veraciter dicere possunt : *Patrem habemus Abraham*. Nam hoc est quod sequitur : *Dico enim vobis, quoniam potens est, Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, subauditur, si modo sciant aut velint pœnitentiam agere. Etenim lapides lapidum cultores gentiles erant.

602 CAPUT XIII.

Quæ causa fuerit ut, qui peccatum non fecerat, ad baptismum veniret Joannis, qui in pœnitentiam baptizavit.

Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo; Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum (*Matth.* III; *Joan.* I). Certum tenet tota regalis Christianæ fidei curia, quia rex iste liber homo erat, quia peccatum non fecerat, ac proinde peccati servus non erat, atque idcirco non egebat pœnitentia. Joannes autem in pœnitentiam baptizabat. *Ego quidem*, inquit, *vos baptizo in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*. Quamobrem igitur ad suscipiendum tale baptismum veniebat? Nimirum quia causa postulabat, quia justitiæ ratio flagitabat. Erat autem duplex causa. Prima, ut pro omnibus pœnitentiam ipse agendam susciperet, quod et fecit continuo ut baptizatus est, jejunavit enim quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et deinde incessanter afflictus est tentationibus, persecutionibus, contumeliis, opprobriis, flagellis, et tormento ultimæ mortis. Secunda, hæc causa erat, ut nemini æstimare liceret se justum esse, et idcirco pœnitentia vel baptismo non indigere, ut nemo detrectaret, quasi justus, suscipere baptisma Domini, cum Dominus ipse suscepisset baptisma servi. Nam quisquis ita putaret, miles regis hujus dici vel esse non posset, regnum cœlorum non introiret.

CAPUT XIV.

Cur in primo adventu suo rex iste spiritum sicut columbam viderit, secundo autem in igne revelandus sit; et quod rex iste secundo unctus fuerit, et de eo quod dictum est : « In te mihi complacui. »

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et venientem super se. Ecce vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilec-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tus, in quo mihi complacui (*Matth.* III; *Marc.* I; *Luc.* I; *Joan.* I). Quare in primo adventu suo *vidit* rex iste *Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se?* Nimirum quia veniebat tunc nobis in mansuetudine, in multitudine misericordiæ, quia veniebat in spiritu pietatis, peccatores non condemnare, sed ad pœnitentiam invitare. Secundo cum venerit, non tunc super eum columba apparebit, sed in igne revelabitur, ignis in conspectu ejus ardebit (*I Cor.* III; *Psal.* XLIX). Hoc jam secundo rex noster Deus noster in homine assumpto oleo lætitiæ unctus est. Semel namque unctus jam fuerat in utero Virginis, quippe qui conceptus est, non ex semine viri, sed ex operatione Spiritus sancti. Ergo secundo hic Sanctus in baptismo unctus est, præ participibus suis, id est, præ omnibus sanctis, quos sui participes fecit, ut quod est ipse per naturam, sint per gratiam, scilicet filii Dei. Sed de hoc alias. Nunc instantia prosequamur. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quando vel quomodo in isto mihi complacui? Tunc utique quando in isto principio cœlum et terram creavi, quando in isto omnia feci; tunc, inquam, in eo mihi complacui, testante Scriptura, cum dicit : *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem quod esset bona. Dixit Deus fiat hoc vel illud, factumque est ita, et vidit Deus quod esset bonum.* Itemque : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Sic in isto mihi complacui, meo ipse judicio comprobatus quod operarius et architectus essem bonus et utilis. Hæc idcirco Pater opportune dixerit, ne dubitet auditor benevolus, hunc Filium dilectum illud esse *Verbum, per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I). Sed et tunc in isto bonus Deus sibi complacere veraciter potuit, quando eum, qui Deus erat propter charitatem suam hominem fieri, et pro hominibus pati voluit. Nullum enim unquam opus bonitatis laude dignius fecit.

CAPUT XV.

De tribus tentationibus, quibus rex iste victor vicit, cum cæteri omnes servi fuerint peccati, et idcirco « accedentes angeli ministrabant ei. »

Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Tunc accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (*Matth.* IV; *Marc.* I; *Luc.* IV), etc. Quia Filius iste rex erat, regis autem legitimi officium est prima fronte contra hostem congredi, ac dubio militi in semetipso præbere exempla virtutis, ut cum ita gesserit, tunc demum majori cum auctoritate exercitum cohortari possit. Recte ergo continuo docturus, primum tentationes nostras in semetipsum admisit, et vicit, atque vincendo milites suos vincere voluit. Quare autem triplicem fraudulenti hostis tentationem perferre voluit? Singulas consideremus, cujus generis unaquæque sit intueamur, jamque se ostendet altitudo rationis in humilitate tentationis. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes* A *fiant.* Tentatio hæc nimis antiqua est, nam ipsa gula est, per quam primus homo tentatus atque illectus est. *Non*, inquit, *in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut.* VIII). Sic plane tunc respondere debuerat homo rationalis. Non in omni vel solo paradisi ligno vivit homo, sed in præcepto, quod a Deo propositum est illi bene custodito. Non sic dixit, magisque ad morsum, quam ad hujusmodi responsum os suum aperuit. Idcirco ille servus factus est ejus, a quo et superatus est; hic autem legem intendens regalem liber procedebat, cui dicebatur in psalmo : *Intende prospere, procede et regna* (*Psal.* XLIV). *Si*, inquit, *Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia angelis suis Deus mandavit de te* (*Psal.* XC), etc. Tentatio hæc Judaicæ B curiositatis est. Nam *Judæi signa petunt* (*I Cor.* I). *Et illi quidem tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male locuti sunt de Deo, dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* (*Exod.* XVII; *Psal.* LXXVIII.) et cætera, dixeruntque : *Estne Deus in nobis, an non?* Hic autem datum homini acceptans præceptum, *scriptum est*, inquit : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). *Hæc*, inquit, *omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Tentatio hæc paganæ dementiæ est. Pagani quippe vel gentes propter regna mundi et gloriam eorum, diabolum in simulacris adoraverunt, et ut foris exaltarentur, intus ceciderunt : Hic autem stans in gradu suo, poplite recto, et inflexibili regiæ libertatis collo, *scriptum est*, inquit, subauditur homini, C *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*ibid.*). Igitur, o speciosissime forma **603** præ filiis hominum, te solum regnare decet, regnumque obtinere Judæorum pariter et gentium, quia tentatus per omnia pro similitudine victisti, et absque peccato supergressus es tentationes Judæorum et gentium quibus universaliter in Adam, quibus particulariter in semetipsis tentati et omnes victi sunt, præter unum, sicut scriptum est : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, LII). Et quia victori regi servitus debetur a suis lætantibus ministris, *tunc*, inquit Evangelista, *reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

CAPUT XVI.

D *De prædicatione Domini et regis nostri, quam tradito Joanne incæpit, et de testimonio prophetico, ubi inter cætera dictum est : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. »*

Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et cætera, usque *docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni* (*Matth.* IV). Tanquam ad regalia properans insignia, unum hic evangelista, eumdemque primum Evangelii annum prætermisit, de quo Joannes plurima scribit. Et recte ab eo hic incipit, quod Joannes traditus est, nam extunc publice rex et Dominus iste sua potestate utens prædicare cœpit : *Erat enim*, inquit, *docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Scribæ eorum et Pharisæi (*Matth.* VII). Nec vero solum id impletum esse credimus, quod hic de propheta testimonium sumpsit. *Terra Zabulon, et terra Nephthalim* (*Isa.* IX), et cætera, usque *lux orta est eis*, sed et reliqua ejusdem capituli prophetici, quæ propter prolixitatem supprimens, tanquam ostio patefacto, reliquit intelligenda hic scriba magni regis, ut scias hunc esse, de quo scriptum est illic, *et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia amodo, et usque in sempiternum* (*ibid.*) *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Juxta prophetæ præscriptum testimonium agebat, ut multiplicaretur ejus imperium, quod est regnum cœlorum, peccatores ad pœnitentiam invitans, et deinde Simonem Petrum, et Andream fratrem ejus, cæterosque apostolos vocans. Nam, si quæras qualiter multiplicandum foret ejus imperium: *Faciam vos*, ait, *fieri piscatores hominum.* Denique sic factum est. Pauci qui tunc regem suum secuti sunt, facti sunt piscatores hominum, et extunc multiplicatur imperium Christi regis magni multitudine gentium, sublatis adversariis et inimica morte, pax erit, *et pacis non erit finis.*

CAPUT XVII.

Quod Jesus vocatis turbis docuit discipulos suos quales esse debeant, qui militent regno Dei.

Videns autem turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, etc. Loquatur nunc nobis rex et Dominus noster leges regni sui jam non montis exigui, sed ipsius ascensor cœli, sedens non in vertice montis terreni, sed *ad dexteram majestatis in Excelsis* (*Hebr.* I), aperiens pro imperii majestate non sensualiter os suum, sed invisibiliter thesaurum suum, in quo divitiæ salutis, id est, sapientia et scientia repositæ sunt. Gloriam quippe regni ejus et potentiam loqui gestiens, secundum evangelistam hunc, qui de illo pene cuncta regalia loquitur, huc usque properavimus, ubi *videns turbas ascendit in montem*, et aperuit regale os suum, ut ipse loqueretur ore suo rex, qui loquebatur prius per suorum ora præconum. Loquebatur, inquam, dignas apertione oris sui sententias, et docebat qui vel quales esse debeant, qui militent regno Dei, quo belli ordine, vel qualibus armis promerendum sit, ut sempiterna stipendia percipiant illius regni. Putabant enim carnales filii regni qui audierant illud repromissum fuisse patribus suis, quod tempore illo Messia imperante divites sibi forent, atque opulenti, vacaretque superbire in divitiis; putabant reges et principes terreni imperii audito nomine hujus regis qualis fuerat Herodes, quod sanguinem suum fundere, sibique urbes, et vectigalia præripere haberent milites regni Dei.

CAPUT XVIII.

Quales leges et qualia edicta sint hujus regis regni Dei, ut non sit cur timere debeat propter eum Herodes et cæteri reges mundi, cum sic prænuntiat regni sui militibus: « Beati pauperes spiritu, » etc.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V; *Luc.* VI). O amabile regnum Dei, o pia et venerabilis conditio, proposita quærentibus regnum Dei. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu*, beati habentes spiritum timoris Domini, quia, tametsi divites in hoc sæculo sunt, ut fuit Abraham, tametsi regali purpura vestiti incedant, et crebros de hostibus triumphos ducant, ut fecit David, corde contrito, et humiliato ambulant spiritu, cognoscentes se esse pauperes spiritualibus bonis, mendicantes jugiter, et supplici gemitu stipem postulantes, ab uno et solo divite rege regni Dei. Hoc perversus ille angelus in cœlo non fecit, arbitrans semetipsum sufficere sibi, et cecidit angelus, et factus est diabolus (*Isai.* XIV). Hoc primus ille generis nostri pater Adam in paradiso non fecit, arbitrans propriis semetipsum divitiis adornare posse ad similitudinem Dei, et idcirco a paradiso excidit, et in infernum cecidit. Miseri ergo superbi omnes tumido spiritu, *beati autem pauperes spiritu*, quia sic mendicando grandem eleemosynam, id est regnum cœlorum, de manu regis consequentur. Nam hoc est quod de isto rege, de isto filio regis, vel de judicio ejus Psalmista dicit: *Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.* Item: *Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet* (*Psal.* LXXI). Paupertatis imperandæ ipse, ut regem decet, exemplar est. Nam de illo in propheta tale insigne est: *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ* (*Zach.* IX). Itemque pro illo contra Judam sive Judaicum populum conquestio est hæc: *Et persecutus est hominem inopem, et mendicum et compunctum corde, mortificare* (*Psal.* CVIII). *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites, id est, spiritum pietatis habentes, mansueti atque tractabiles, non opera sua defendentes, sed veritati confitentes peccata sua. Isti *beati, quoniam* **604** *possidebunt terram*, quam pro contrario spiritu perdidit immitis atque intractabilis Adam. Manum quippe Dei pertractantis atque dicentis, quare hoc fecisti, spinosus ericius immiti responso exasperavit, dum dixit mulier: *Serpens decepit me, comedi*, dum dixit vir: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi et comedi* (*Gen.* III). Immites isti ita se defenderunt, et idcirco miseri, quia terram viventium perdiderunt. *Beati* autem *mites*, qui neque judicia vel mandata Dei reprehendunt, neque semetipsos defendunt, *quoniam ipsi possidebunt terram*, non istam terram mortuorum atque morientium quam reges immites armis cruentis sibi subjiciunt, et tamen eam possidere non possunt, sed terram viventium, in qua est lignum vitæ, quæ revera fluit lacte et melle. Nihilominus quod hic prædicat militibus, exemplo suo persuadet alibi rex ipse, dum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

veraciter dicit : *Et discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Beati, inquam, isti, qui tantum a spiritu scientiæ profecerunt, ut sciant tempus istud tempus esse lugentium, ut sciant lugere mortuos suos, id est semetipsos; quia in Adam omnes mortui sunt, et ex eo non est domus in qua non sit mortuus, cum universali originalis peccati morte, trahente unoquoque actualis etiam peccati morticinium proprium. Qui in hac scientia lugent, id est, pœnitentiam agunt, nimirum beati sunt, *quoniam ipsi consolabuntur;* ipsi enim sunt, quibus promittitur et datur Paracletus, id est consolator, Spiritus sanctus, annuntians illis quia causa hujusmodi luctus destructa est mors illis in uno homine, in isto rege suo Christo Domino Jesu, qui et in isto loco hæc dicit, et alibi loquitur : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut medèrer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut consolarer omnes lugentes, et ponerem fortitudinem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (*Isa.* LXI). Nimirum nec partis hujus exemplo rex ipse defuit, antequam enim hæc diceret, *prior luxit*, suisque dedit militibus exempla lugendi, videlicet ubi peccati nostri mortem lugendo *quadragiuta diebus et quadraginta noctibus jejunavit* (*Luc.* IV). *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Isti fortes sunt, et idcirco beati, habent enim sanctum fortitudinis spiritum, dum in prædicto luctu suo, fide et spe confortati sitiunt, et avide fructus dignos pœnitentiæ faciunt. *Beati*, inquam, *quia saturabuntur*, et satiabuntur, videlicet eo ipso quod *esuriant et sitiunt*, id est, justificabuntur per unum justum regem suum, Jesum Christum. Hujus quoque virtutis, id est, esuriendi et sitiendi justitiam, ipse qui docet, exemplum actu præbuit rex, dicendo : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III), quod utique esuriens ac sitiens dixit, quemadmodum quodam loco testatur, dicens : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV). *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Vere et juste beati agentes, cum spiritu consilii, ut peccantibus in se cum nocere possint misericorditer indulgeant, propter conventionem illam, quam inter Deum et homines rex ipse constituit, ut dicant : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI; *Luc.* XI). Beati, inquam, isti, quoniam non repugnante justitia ipsi misericordiam consequentur, ut quæ peccaverunt in Deum; dimittat illis Deus. Econtrario non beati immisericordes, quoniam ipsi misericordiam non consequentur, quod maxime ex illa evangelica regis justitiæ parabola comprobatur, *qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta.* Sic enim justissime concluditur. *Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII). Plane rex iste hac vicissitudine non indiguit, quippe qui peccatum non fecit, quod dimitteretur illi, attamen fecit quod docuit. Dixit enim : *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Atque ita factum est : Dimissum est enim eis qui crediderunt. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundo corde ille est quem emundavit puritas dilectionis ex operibus misericordiæ ut habeat simplicem et absque odio cordis oculum, ut sit mundus ab omni cupiditatis pulvere, ab omni furoris perturbatione. Sed ecce legimus sanctum Moysen nimia commiseratione pro populo Dominum Deum suum orasse, cum dixisset : *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). Adeo cor ab omni cupiditate vel ambitione mundum possidebat, ut non curaret promissionem hanc, *faciamque te in gentem magnam*, sed stabat in confractione cordis in conspectu ejus, ut averteret iram ejus. Hic tamen cum tam mundi cordis sibimet conscius diceret : *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Non*, inquit, Dominus, *poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII). Quid ergo dicemus? Nimirum quia et Moyses mundo corde erat, et tamen nihilominus sententia veritatis vera est. Non enim dixit, *beati mundo corde*, quoniam ipsi Deum vident, aut viderunt, sed *quoniam ipsi Deum videbunt*, subauditur postmodum, soluto pariete inimicitiarum, quibus interjacentibus, ex quo primus homo per peccatum contra se hostilem Dei iram constituit, neque Moyses, neque *hominum quisquam Deum vidit unquam* (*Joan.* I). Et hujus visionis Dei facultatem penes semetipsum esse testatur ipse rex qui hæc loquitur, videlicet quod visionem Dei conferat quibus vult, cum alibi dicit : *Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI), per speculum in ænigmate dando spiritum intellectus mundis corde, ut intelligant Scripturas, quæ utique clara sunt specula visionis divinæ. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacifici sunt, qui primo quidem et præcipuo studio inter se et Deum, inter omnes, quoad possint, homines Deumque pacem exquirunt, secundo autem inter hominem et hominem lites dirimere, charitatisque concordiam nectere satagunt. Beati nimirum isti, *quoniam filii Dei vocabuntur*; filii, inquam, non quidem natura, sed gratia, fratres et cohæredes unigeniti filii principis pacis, qui inter Deum et homines per suum sanguinem inimicitias solvit, pacem reformavit. Isti in septimo, spiritu sapientiæ jam sabbatizare incipiunt, adhuc positi in isto mortali corpore, suntque, ut jam dictum est, filii Dei, filii sapientiæ. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Jam prioris meriti fuerat hoc primum, *beati* enim, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quid ergo amplius in octavo dum dicitur : *Beati qui persecutio*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Nam magnum quidem est pauperem spiritu esse, et cæteros assequi gradus justitiæ, maximum autem et optimum propter eam justitiam persecutionem sustinere. Quomodo ergo inferioris et summi meriti, id est primi et octavi una merces eademque est? **605** Sed advertamus omnia quæ hactenus, id est, a primo usque ad septimum gradum disposita sunt communia esse merita vel præmia cunctorum regis hujus exercituum, id est, angelorum et hominum, hoc autem, scilicet persecutionem pati propter justitiam proprium esse hominum, qui utique ex anima et corpore consistunt. Igitur beati tam angeli quam homines pauperes spiritu, mites, lugentes sive condolentes, justitiam esurientes et sitientes, misericordes sive commiserantes, mundi corde, pacifici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, in quo terram viventium possidebunt, consolabuntur et saturabuntur, et misericordiam consecuti, Deum videbunt, et filii Dei vocabuntur; beati præterea homines, qui soli in corporibus suis persecutionem passi propter justitiam, regnum cœlorum, quod jam cum beatis angelis possident, secundum animam in octava, id est, in resurrectione possidebunt, etiam secundum corpus. Parum autem fuerat dixisse, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, quia videlicet hodie paucorum hominum istud est, nisi forte quia confirmare licet, quod *omnes qui pie volunt vivere in Christo* (*II Tim.* III), etsi extrinsecus pacem habeant, intus tamen a vitiis spiritualibus sive carnalibus infestationem patiuntur, propter justitiam pietatis ejusdem. Cum igitur dixisset: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, subsecutus, *beati*, inquit, *estis cum maledixerint vobis*, etc. Hoc dicto sine dubio nos quoque extremos contigit, quos hodie quoque in synagogis suis sub nomine Nazaræorum maledicunt Judæi. Sane cum omnium, quæ hactenus dixit rex noster, exempla in semetipso præbuerit, tunc vero hujus patientiæ, id est persecutionis, propter justitiam sustinendæ, tale tantumque exemplum dedit, ut nesciri non possit, imo oblivisci nefarium atque impium sit. Passus quippe est persecutionem propter justitiam *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II), et idcirco ipsius est regnum cœlorum. Nam *propter hoc Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*ibid*). Quid igitur, o reges terræ et principes, audito nomine regis Christi, vel regni ejus, turbati estis male solliciti? Securi estote quia milites regis, vel municipes regni hujus lege prohibentur esse ut vos, superbi, inmites, risores, justitiæ tædium patientes, inmisericordes, immundi, inquieti, sed omino tales, ut injuriam pati quam facere, peregrinari quam regnare, occidi malint quam occidere.

CAPUT XIX.

De sequentibus sermonis ejus quomodo nulli blandiatur, sive aduletur, dura prædicando et aspera: « Intrate per angustam portam, » et quod hoc exemplo cuncti adjutores regni Dei non debeant ita delectari numero discipulorum, ut non prædicent eis dura, per quæ itur ad Deum.

Post hæc magnis ac legitimis, idemque in magna curia totius aures audiendi habentis Ecclesiæ, orator facundus sermonem dignum se hoc modo ingreditur. *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi* (*Matth.* V), etc. Primatibus vel primis officialibus suis, id est, apostolis rex regni Dei hæc loquitur, brevi similitudine, magnam satis exprimens distantiam ipsorum a ducibus terræ, vel principibus, cunctisque regno terreno militantibus, quia videlicet non sunt ut illi qui bellis atque discordiis insistant, sed mundum insulsum, et habentem ignorantiam Dei cœlestis doctrinæ sale condiant, atque in docendo benevolentiam mercantur audientium bona verba dicturi, bonorum nihilominus operum lucem proferant. Sed quid sibi vult hæc tanta tamque vehemens regiæ auctoritatis severitas, tanta districtione formidabiles provincialibus suis jam in exordio regni sui proponens sententias? *Nolite*, inquit, *putare quia veni solvere legem aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere.* Et subinde: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Post hæc, et cætera hujusmodi, quæ nimirum angusta sunt, et quanto angustiora tanto perfectiora legalibus præceptis, ita dicit: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam: Quam angusta porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* (*Matth.* VII.) Quid, inquam, hoc sibi vult, quod rex iste sapiens in exordio regni sui, imo nondum sedens in solio regni, tam dura tamque aspera prædicit? Nunquid adhuc ignorabat illud quod postmodum de eximio milite suo loquens cum dixisset: *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum*, continuo subjunxit, *ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt?* (*Matth.* XI.) Imo et illud jam dudum noverat, quam ob causam regnum Israel a domo David scissum fuisset, videlicet quia dixerat novus rex. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, et nunc Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum.* Quo audito, populus, *Quæ*, inquit, *nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai? Redi in tabernacula tua, Israel. Nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel quicunque habitabant in civitatibus Juda, regnavit domus David* (*III Reg.* XII). Hoc, inquam, factum noverat, sibique simile eventurum erat. Si enim in adulterio simul et homicidio David, sacrum invenerunt sancti Patres exemplar cœlestis mysterii, cur non in stultitia regis pueri reperisse nos juvet alli-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tudinis similitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei? Constat quippe certa et vera Patrum eorumdem attestatione, quia quod a domo David scissum est regnum Israel, tribus autem Juda adhæsit regi suo, simile vel par est ei quod accidit vero David Christo, quando a fide ejus multitudo seditiosa per multas atque multiloquas hæreses scissa est, sola autem vere confessionis Ecclesia, fabricantibus illis vitulos mendacii, veritatem tenens adhæsit regi suo, et templo Dei sui. Itaque quod nunc ait rex iste, rex novus nondum per passionem mortis gloria et honore coronatus, *audistis quia dictum est antiquis : Ego autem dico vobis*, et in omnibus angustam ostendit esse viam regni sui, magis quam hactenus fuerit (*Matth.* v), pene idem est ac si dicat : Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum. Pater quippe Deus pronis ad sanguinem hominibus grave jugum imposuit, dicendo : *Non occides* (*Exod.* xx), grave jugum petulcis atque luxuriosis, dicendo : *Non mœchaberis* (*Deut.* v), grave jugum jurantibus, dicendo : *Non pejerabis* (*Levit.* xix), grave jugum iracundis, ac propriæ vindictæ avidis, dicendo ; *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* xxi). Hic autem Filius ejusdem Dei super jugum illorum addidit, **606** dicendo : *Omnis qui irascitur, reus erit ; omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est ; non juretis omnino, sit sermo vester, Est est, Non non, et, ego autem dico vobis, non resistere malo* (*Deut.* xix). Quid igitur hoc sibi vult, nisi quia rex iste Deus est, et judicii Dominus, et quod regno terreno solet obesse, hoc cœlesti prodest regno ejus? Denique reges terræ ab hominibus fiunt, tributisque egent, et vectigalibus hominum suæ anhelanti inopiæ subveniunt reges egeni et inopes, huic autem cœlesti Domino et regi veraciter dicit sapiens terræ rex : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv). Proinde homines terreni ut reges fiant, et in domibus regum sint, mollibus vestiantur, id est, placentia loquantur, nam rex iste qui veraciter dicit hominibus : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* xv) ; rex, inquam, iste unus et solus, non ab hominibus, neque per homines factus, nemini blanditur, sed sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, ita recta sunt verba ejus, ut judicet et probet eos qui regno suo digni habeantur. Hoc itidem ejus exemplo faciendum est cunctis regni ejus adjutoribus, ut videlicet nemini adulentur delectati numero discipulorum, sed prædicent illis dura et aspera, per quæ itur ad Deum. Nec vero quidquam in hoc est quod vereatur aut vereri debeat prudens magister militum. Nam si is qui venit revera Deum quærere, et regno Dei veraciter militare cupit, nulla terretur austeritate legis militaris, sciens quia rex qui dura hæc proposuit, dicit in fine sermonis : *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra petram* (*Matth.* vii). Qui hæc non attendunt, juxta quod Apostolus sit : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* ii), similes sunt Scribis et Pharisæis, quos Evangelista continuo denotat, cum dicit : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* vii) ; potestate namque se privant, qui, cum quidpiam ab aliquo accipiunt, illum censent militem bonum, qui autem non dederint aliquid in ore eorum, sanctificant super eos bellum. Hoc rex iste non faciebat, idcirco sic dictum est, erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ et Pharisæi, id est, non sua quærendo, contemptibilem faciebat docendi auctoritatem, quemadmodum illi.

CAPUT XX.

Quomodo veraciter dictum sit : « Erat enim docens eos sicut potestatem habens, » secundum signa quæ fecerat.

Amplius autem : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi* (*Matth.* vii), subauditur, sive boni sive mali. Fuerunt enim in illis scribæ boni, videlicet quorum Moyses et Esdras erant optimi. Fuerunt et boni Pharisæi, scilicet Aaron, et filii ejus, imo quotquot erant sacerdotalis aut Levitici generis. Nam Pharisæi clerici dicuntur illius populi. De optimis sumamus comparationem. Non sicut Moyses et Aaron erat iste docens, sed sicut potestatem habens, verbi gratia. *Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, ut proficiscantur : Tu autem eleva virgam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio maris per siccum* (*Exod.* xiv). Sic et in cæteris quæcunque fecit non penes se potestatem habebat, quippe qui homo et non Deus erat, et idcirco necessario ad Deum potestatem habentem clamabat. Hic autem sicut potestatem habens cuncta peragebat, quippe qui non homo tantum, sed Deus et homo erat. Consideremus ergo ejus opera quomodo sicut potestatem habens illa faciebat. *Descendente illo de monte cum sequerentur eum turbæ multæ, ecce*, inquit, *leprosus veniens adoravit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* viii). Non dixit, si clames ad Deum, potes emundationem mihi obtinere, sed quod magnæ fidei est, *si vis*, ait, *potes me mundare*. At ille veraciter potestatem habens, ut eamdem potestatem gesta quoque corporis significaret, *extendens manum tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Deinde accedens Centurio, potestatem illum habere*, ut habebat vere, egregia fide confessus est. *Tantum*, inquit, *dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate, habens sub me milites, et dico huic : Vade et vadit, et alii : Veni, et venit, et servo meo, fac hoc et facit* (*Marc.* i ; *Luc.* v). Denique hac proposita similitudine vir admirandæ fidei, hoc voluit subintelligi, ut diceret : Tu homo qui et Deus es, passiones omnes

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et universas infirmitates habes potestati tuæ et judiciis tuis militantes, et dicis huic, *vade et vadit*; dicis, inquam, huic spiritui infirmitatis, recede et recedit; dicis item alio, cum causa et ratio postulat, *veni et venit*, ut scilicet flagelletur, quem flagellari volueris, tu qui malis servitiis nosti bene uti. Itaque potestatem confessus est, et responsum accepit, sicut potestatem habentis pro merito suæ fidei, vade, et sicut credidisti fiat tibi. Sic et cætera quæcunque faciebat, sicut potestatem habens operabatur, et non sicut Scribæ et Pharisæi, imo non sicut summi principes Moyses et Aaron, quibus ut aliqua facerent clamore et oratione opus erat, et idcirco recte admirabantur turbæ super doctrina ejus.

CAPUT XXI.

Quod illud ad potestatem regiam pertinuerit, ut aliis quoque potestatem daret ejiciendi immundos spiritus, et curandi omnem infirmitatem, et quorum signa, antiquorum sanctorum, an apostolorum potiora fuerint.

Quia de potestate loqui cœpimus, et potestatem regiam Domini nostri agnoscere debemus, quod maxime ad hanc rem attinet non prætereamus. *Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. Duodecim autem apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus, Philippus, et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicanus, et Jacobus Alphæi, et Thaddæus, Simon Chananæus, et Judas Iscariotes qui tradidit eum* (*Matth.* x). Ecce potestatem habens vere regiam, potestatem habens jure divinam. Nec vero solummodo potestatem habens, sed potestatem hominibus dare potens. Quid amplius, inquam, hominibus contulit Deus, in forma Dei, quam nunc Deus in forma hominis, Dominus in forma servi? Conferamus nunc potestatem quam dedit Moysi Deus in forma Dei, potestati quam dedit hic apostolis Deus in forma servi. In quo fuit illa potestas quam Moysi potens iste dederat? In projiciendo virgam coram Pharaone, ut draco fieret, **607** virgas maleficorum devoraret, in educendo ranas et ciniphes, cœnomiyam quoque, et mortem in omne pecus Ægyptiorum, in spargendo favillam in cœlo, ut fierent ulcera in homines, in extendendo manus in cœlum, ut Dominus ignem et grandinem plueret, et ut super omnes fines Ægypti locusta veniret, et ut per triduum in tota terra Ægypti tenebræ fierent, et ut, percussis a Domino primogenitis Ægyptiorum, elevaret virgam super mare, quo diviso, populus transiret. Magna quidem magnæ potestatis opera sunt hæc, verumtamen prudenter considerandum quia non adeo vicina saluti humanæ potestas illa operata est. Nam extra ipsam hominis substantiam cuncta peracta sunt. Hic autem et ipse potestatis Dominus circa ipsam hominis substantiam operatur, et ipsi quibus potestatem largitur, videlicet *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et ut curarent omnem languorem et omnem infirmitatem*. Ubi major clementiæ gratia, ibi sine dubio major venerandæ potestatis dignitas. Hæc opera potestatis simul et gratiæ sunt, et vicinliora humanæ saluti, et idcirco recte reservata sunt adventui Salvatoris, cujus et propria potestas est, et per quem gratia facta est. Prophetarum tamen nobilissimi Helias et Helisæus quædam hujusmodi opera fecerunt. Nam Helias mortuum resuscitavit (*III Reg.* xvii), Helisæus quoque et mortuo vitam reddidit, et leproso lavacrum quo mundaretur ostendit (*IV Reg.* iv, v). Verum hæc ita facta sunt, ut vitæ et salutis per potentem hunc perficiendæ sacramenta præsignarent, sicut ipse in Evangelio insinuat, dicens: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, et ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus* (*Luc.* iv).

CAPUT XXII.

Quomodo juxta prophetiam dicenti: « Audi, serve meus Jacob, et Israel, quem elegi, » etc. Iste verus Jacob et verus Israel, et quia iste duodecim filios carnaliter, hic duodecim apostolos spiritualiter genuit, quibus hanc potestatem dedit.

Quibus primis potestatem hanc potens iste dedit duodecim apostoli sunt, de quibus et Marcus: *Et fecit*, inquit, *ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare, et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia* (*Marc.* iii). Et hoc valde delectat quod hic homo cœlestis verus Jacob et spiritualis Israel in primordio suæ gentis vel generationis duodecim spirituales filios genuit, illum Jacob sive Israel in typum sui præcessisse comprobans, qui carnales filios duodecim patriarchas patres et principes futuræ gentis carnaliter genuit. Hic est enim veraciter ille Jacob et ille Israel, cui in Esaia dicebat Pater: *Et nunc audi, serve meus Jacob, et Israel, quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam* (*Isa.* xliv), etc. Quid enim verius si ad istum respicias, quid, inquam, verius aut certius eo quod ait, *effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam*? Effudit enim super hoc semen, et super hanc primitivam stirpem ejus Spiritum sanctum suum, et in eodem spiritu benedictionem suam, quando *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* ii). Quid enim deinde? *Et germinabunt*, inquit, *inter herbas quasi salices, juxta prætorfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum, et ille vocabitur in nomine Jacob, et hic scribet manu sua Domino, et in nomine Dei Israel assimilabitur* (*Isa.* xliv). Hoc ita verum est, ut assertione nostra non indigeat, imo ut nesciri non liceat, quia post effusum sanctum benedictionis Spiritum, continuo qui pauci fuerant, germinave

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

runt *quasi salices*, id est, multiplicati sunt velociter convocando atque convertendo omnes gentes, et iste atque iste pro modulo quisque suo professus est quid esset, aut quid posset, secundum gratiam quam pro voluntate distribuentis Domini ac Dei consecutus est. Igitur, ut ille Jacob sive Israel duodecim filios (*Gen.* XXXIII), sic verus iste Jacob et verus Israel spiritualiter initium suæ gentis duodecim genuit apostolos. Et ille de suis carnalibus : *Parvuli sunt*, ait, *quos donavit mihi Deus* (*Isa.* VIII), et iste de suis spiritualibus : *Ecce*, inquit, *ego et pueri quos mihi dedit Deus* (*Hebr.* II).

CAPUT XXIII.

Cur inter tales filios ac principes regni Dei, Judam quoque qui ad illud regnum non pertinebat, ipse omnia sciens admiserit.

Sed inter regis filios et regni Dei principes, quid ille Judas, qui regis ejusdem proditor et filiorum regis proditor futurus erat. Neque enim ignorans illum rex elegit, quippe qui alio loco dicit : *Ego scio quos elegerim* (*Joan.* XIII). Ut quid ergo talem elegit, et huic tali potestatem cum cæteris dedit ? Ac si jam interrogassemus eum, ipse respondit : *Ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum suum* (*ibid.*). Sed nunquid talem non elegisset, nisi hoc Scriptura prædixisset ? Imo nisi talem electurus fuisset, Scriptura hoc non dixisset. Verbo vero electionis hic non absurde utimur, cum ipse dicat : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est ?* (*Joan.* VI.) Quare igitur malum sciens inter bonos admisit ? Nimirum ut prior ipse faceret, quod postmodum in parabolis, quas primas locutus est nobis, esse faciendum docet. Cum enim parabolam seminantis, quam primam dixerat, exposuisset, continuo hanc aliam proposuit, dicens : *Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici et abiit* (*Matth.* XIII), etc. Nimirum paterfamilias seminis boni seminator, qui hæc dicit : *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum, sinite utraque crescere usque ad messem* (*ibid.*), ipse est rex regni cœlorum, id est præsentis Ecclesiæ, vel congregationis sanctorum, in qua bono semine zizania, id est filiis regni filii nequam, quos inimicus diabolus superseminavit, *usque ad messem*, id est usque ad consummationem sæculi permisti sunt. Illos tolerari jubet, cum dicit : *Sinite utraque crescere usque ad messem*, cum sæpissime citius efflorescant, et sublimius crescant, ita ut summos honores in ecclesiasticis gradibus apprehendant, eo quod nihil noceat bonis permistio malorum, quos pro tempore inviti sustinent, quia corrigere non possunt. Igitur quod præcepturus erat, recte et ut præceptorem decebat, prior ipse fecit, admittens Judam in illo sanctorum numero, quibus potestatem dabat ejiciendi spiritus immundos, et curandi omnem languorem, omnemque infirmitatem, ut scias, dona Dei pervenire **608** ad illos, qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit is per quem accipiunt, qualis fuit et Judas. Sciendum tamen quia postquam, ut Lucas scribit, *intravit in eum Satanas, et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus quemadmodum eum traderet illis. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare ; et spopondit* (*Luc.* XXII), jam nec in ejiciendis spiritibus immundis, hæc in languoribus aut infirmitatibus curandis illa potestate apostolica usus est, quippe qui sequenti die inter cœnandum per buccellam intinctam proditor designatus continuo exivit, et antequam eum, quem tradiderat in crucem suspenderent Judæi, *laqueo se ipse suspendit* (*Matth.* XXVII). Nec vero tam segnis patientiæ, veros Christi apostolos fuisse arbitremur, ut postquam ille designatus est, si non exisset, communicare illi potuissent, ut prius. Hæc idcirco dicimus, ut zizania, quæ inimicus homo semini bono superseminavit, non absque discretione rerum vel temporum toleranda esse, vel communionem illorum nihil obesse putemus. Cum adhuc esset Judas occultus fur, idque solus sciret Deus Christus, nihil bonis apostolis oberat, quod ejus communione vel potestate apostolica commiscebatur. At ubi deterrima ejus iniquitas actu prodiit, ut cum inimicis Domini et magistri sui pactum iniret proditionis et homicidii, ubi hoc hominibus notum fecit homo Christus, nunquid rationi placet, sine culpa potuisse fieri, ut deinceps illi diabolo aliqua homines fideles communione commiscerentur ? Sic nimirum quandiu quilibet filii nequam quantalibet regno Christi scandala faciant, ita agunt ut tamen sub nomine Christiano tegantur, solusque quales sint noverit Deus, tolerandi sunt. At ubi manifesto convictos actu nominaverit ex nomine quo digni sunt, Christus, qui in Ecclesia loquitur, jam nec ratio, nec veritatis regula patitur, ut cum huiusmodi vel cibum sumamus (*I Cor.* V).

CAPUT XXIV.

De inimicis regni Dei qui dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, » quibus ait : « Omne regnum divisum contra se desolabitur. »

Prima potestas regis hujus erat in ejiciendis dæmonibus, hoc modo invidiæ flamma perustos movit inimicos ejus : *Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Nunquid hic est filius David ? Pharisæi autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* (*Matth.* XII). Quærimus et scire cupimus, isti inimici regni Dei, quales apud se intus fuerint, qui foris tales apparuerunt, qui tantum tamque horridum blasphemiæ putorem, per apertas oris et linguæ portas efflaverunt, contra conscientiam propriam, contra veritatem debacchantes, sibi non incognitam. Sciebant enim quod Dæmonia Dominus ejecerit in digito Dei, sciebant, inquam, eadem ratione duce qua et Magi coram Pharaone scire potuerunt et dicere : *Digitus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dei est hic (*Exod.* VII). Quærimus ergo. Et unde seire poterimus ? Ait : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur. Et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum ejus ?* (*Matth.* XII.) Validum quippe argumentum, et quo vehementius, verius, atque constantius apud oratores sæculi sive dialecticos nullum est. Sed quid illo conficitur ? Hoc nimirum, quod non possit stare regnum Satanæ. Sic enim conclusit : *Quomodo ergo stabit regnum ejus ?* Ergone istud in quæstione erat, utrum staret regnum ejus ? Nunquid hoc affirmaverant isti adversarii regni Dei ? Si non affirmaverant, frustra negant. Frustra (quod absit !) contra illos tam valide argumentatur sapiens rex regni Dei. Compellimur igitur dicere illos adversarios ejus tam pessimos, tamque perversos fuisse ut in auribus ejus, et si non vocis strepitu, certæ cogitationis clamore dicerent stare regnum Satanæ. Sed rem tam grandem unde poterimus probare ? Parum quippe cuipiam videatur ut dicamus. Nisi istud in cordibus eorum affirmaret Satan ipse qui eis dominabatur, non econtrario, sic Dominus noster argumentaretur. Ergo ad sanctæ et veridicæ Scripturæ auctoritatem confugiamus. In Esaia loquitur Spiritus sanctus, nimirum jamdudum audiens blasphemias, quas ab istis illusoribus erat acceptaturus : *Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Hierusalem. Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Et ponam judicium in pondere, et justitiam in mensura. Et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos* (*Isa.* XXVIII). Tali propheticæ veritatis præeunte testimonio dicere non dubitamus eos tam fuisse perditos ut, apud Deum omni spe diruta, sese ad diabolum divertissent, et per arcana maleficiorum commercia pactum cum illo pepigissent, facturi quidquid tali domino placuisset usque ad ipsam regis magni Dei interfectionem, dummodo templi divitias et consuetas populi rapinas non perderent. Nam hoc est quod et in quadam dicitur parabola : *Occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI). Cum autem tam deterrime mendacium posuissent spem suam, et mendacio protegi sperarent, multum contra eamdem spem suam faciebant, cum dicerent : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Hæc enim dicendo fatebantur quia dæmonibus nulla est fides, nulla concordia, nullus pacti tenor, nulla jurati fœderis custodia. Opportune igitur, *Jesus sciens cogitationes eorum, omne*, inquit, *regnum divisum contra se desolabitur*, etc. *Sciens*, inquit, *cogitationes eorum.* Quas *cogitationes eorum ?* Non utique quod dixerunt, *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Nam hæc erant dicta. Sed *sciens cogitationes eorum*, et audiens dicta eorum, *cogitationes*, inquam, *scicus*, quibus Satanæ regnum stare sperabant, unde et fœdus cum morte percusserant, et cum inferno pactum fererant, et audiens dicta eorum, quibus iidem Satanæ regnum fatebantur esse divisum, ut convinceret eos ex ore ipsorum, quod decepti ac perditi in mendacio spem suam posuissent, talem facere dignatus syllogismum : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum ejus ?* Et continuo : *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejicinut ?* (*Matth.* XII.) Nam filii quoque eorum apostoli potestate, **609** ut supra dictum est, sibi tradita jam dæmonia de obsessis corporibus ejicere poterant vel cœperant. Futurum autem erat ut et de animabus gentium ejicerent, atque de templis, aris et simulacris abigerent, eisdem adversariis videntibus atque invidentibus, et dicere non valentibus, quod hoc facerent in Beelzebub, eo quod Beelzebub contra semetipsum facere non posset id in quo maxime regnum suum destrueretur, scilicet idolorum cultus. Quid ergo, inquit, tunc dicetis ? Nihil quidem habebitis quod dicatis, et nihilominus tamen persequemini. Quid deinde ? *Ideo ipsi judices erunt vestri* (*ibid.*). Sedebunt enim *super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX), quia videlicet cum fecerint quod primum facere oportebit, id est primum vobis verbum Dei locuti sint, vos non credetis. Idcirco vos judicaturi, jamque judicantes convertentur ad gentes. *Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Ac si diceret : Si ora vestra blasphemiis fluentia continueritis, mentemque et linguam correxeritis, ut dicatis quod dignum, quod verum est, quia *in spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei*, ut liberati a servitute peccati, sedes et domus efficiamini regni Dei. Sed vos non per ignorantiam, sed per invidiam, non per errorem, sed veritatis odium loquimini sic. *Ideo dico vobis : Omne verbum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittentur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). Denique verbum ille contra Spiritum dicit, qui veritatem sciens ex Scripturis, quæ utique verba sunt Spiritus sancti, veritatem eamdem in injustitia vel mendacio detinet, præ furore invidiæ vel odii rotans verba aliena contra conscientiam cordis sui. Huic nimirum *non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non quod ullum peccatum vere

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pœnitentibus irremissibile sit, sed quod talis ad humilitatem veræ pœnitentiæ nunquam aspirare dignus sit judice Deo, judicante ipso, in quem peccavit, Spiritu sancto.

CAPUT XXV.

De primatu Petri apostoli inter illos principes regni Dei, et quod cum adhuc nesciret quale foret ipsum regnum Dei, cum diceret : « Absit a te, Domine! non erit tibi ita, » ipsius regni Dei potestatem acceperit.

Prædicti duodecim apostoli, potestatem, ut dictum est, acceperant, ut spiritus immundos ejicerent, et omnem languorem, omnemque infirmitatem evangelizando regnum Dei curarent, omnes equidem, sed inter omnes unus per primogenitam fidem Petrus hoc promeruerat. Primus hic dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ut claves ejusdem regni Dei acciperet, dicente sibi rege ipso, collaudatore probatæ fidei : *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Pars juris cœlestis, et senatoriæ dignitatis quæ subjecta est his verbis : *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII; *Luc.* IX). Cæterisque apostolis communiter contradita est. Dixit enim alibi : *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVIII). Itemque et alibi : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (*Joan.* XX). Itaque potestas quidem communis omnium, sed unum et singulare, unius est Petri privilegium, cui prius et singulariter dictum est, *tibi dabo claves regni cœlorum.* Potestatem, inquam, regni Dei acceperunt, sed ejusdem regni scientiam non habebant, quale foret hoc regnum, qua via vel quali ordine in illud esset ascendendum, tam princeps Petrus quam cæteri ignorabant. Unde cum diceret rex ipse quod oporteret eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum, et occidi, et die tertia resurgere, quod erat profecto in regnum introire, assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens : *Absit a te, Domine! non erit tibi hoc.* Statimque audire meruit : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum* (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII). Simpliciter nimis Satanas, id est, adversarius erat, nimiumque simplici voluntate communi bono contraibat. De cæteris autem Jacobus et Joannes filii Zebedæi multum eadem errantes ignorantia : *Magister*, inquiunt, *volumus ut quodcunque petierimus facias nobis. At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt : Da nobis, ut unus ad dextram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua* (*Marc.* X). Itaque qui ad hoc vocati erant ut universo mundo prædicarent regni Dei gloriam, quam rudes, quam indocti, quam parvuli, et infantes erant. Ideirco rex ipse, idemque magister parvulorum eruditor fieri dignatus est, ita ut propter hoc ipsum quod parvuli erant, quibus lacte, et non solido cibo opus erat (*Hebr.* V), in parabolis loquebatur ad eos, quatenus per notarum similitudines rerum ad incognita regni cœlestis mysteria paulatim nos introduceret.

CAPUT XXVI.

De parabolis ejusdem regis introductoriis ad cognoscenda mysteria regni Dei, et de eo quod ait : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, » subjungens, « quia videntes non vident, et audientes non audiunt. »

Et quod maxime in evangelistæ hujus dispositione delectabile est, quot erant apostoli, totidem, id est duodecim erant introductæ parabolæ. Prima est parabola seminantis, qui *dum seminat quædam*, inquit, *ceciderunt secus viam, et venerunt volucres et comederunt ea* (*Matth.* XIII). Et reliqua. Sane quod in illa vel pro illa parabola dicit eis : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum*, vel ut apud Lucam manifestius : *Cæteris autem*, inquit, *in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant* (*Luc.* VIII), non de illo tempore, quo hæc dicebantur, sentiendum est, sed de illo quo venturus erat Spiritus sanctus, et docturus eos omnem veritatem. Quo nimirum intendens ipse, continuo passurus dicit ipsis : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis* (*Joan.* XVI). Secunda parabola est hominis, *qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit* (*Matth.* XIII). Tertia est, quam proposuit dicens : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit* **610** *arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus* (*Luc.* XIII). Quarta hæc est. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentaretur totum* (*Matth.* XIII). Quinta : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit* (*ibid.*). Sexta : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas* (*ibid.*). Septima : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti* (*ibid.*). Octava : *Simile est regnum cœlorum regi, qui voluit rationem ponere, cum servis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta* (*Matth.* XVIII). Nona : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam* (*Matth.* XX). Decima : *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII). Nam duas in hoc numero prætermittimus, quas, non tam discipulis suis quam principibus sacerdo-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tum, locutus est inimicis suis, quarum una hæc est : *Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit : Fili, vade hodie operare in vinea mea* (*Matth.* XXI). Alia : *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular* (*ibid.*), etc. Undecima est : *Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ* (*Matth.* XXV). Duodecima : *Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. — Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum* (*ibid.*). In his parabolis introducendi studio loquebatur illis, aliquando solis, aliquando simul astantibus, et audientibus turbis. Plane quod in prima dixit : *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, sive regni Dei, illis autem non est datum* vel, *cæteris autem in parabolis* (*Matth.* XIII ; *Luc.* VIII), sicut supradicere cœperamus, tunc adimpletum est, quando principes isti accepto Spiritu sancto, Spiritu veritatis, omnes cœperunt nosse mysterium regni Dei, quod occultum erat in lege et prophetis, nos autem populares vel plebei, quibus tanta non collata est gratia, cœpimus præeunte fide, ex parabolis istis evangelicis eadem paulatim percipere mysteria regni Dei. Sed quid est quod subjungit : *Ideo in parabolis loquor eis, ut adimpleatur in eis prophetia Isaiæ prophetæ, dicentis : Auditu audietis et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis?* (*Matth.* III). Num ideirco loquebatur in parabolis, ut illi de quibus hoc prophetatum fuerat non perciperent mysteria regni Dei? Hoc nempe ut intelligamus, ipse litteræ textus vel ordo compellit. Dixerant enim discipuli, stantibus in littore turbis : *Quare in parabolis loqueris illis?* (*Ibid.*) Cui nimirum percunctationi, ne dicam intentioni, sive voluntati, quia vera necdum via tendere sciebant ad manifestationem regni Dei, percunctationi, inquam, satisfacere hoc erat, ut manifeste et non in parabolis, sed actu ipso, et potentia spectanda cunctis jam se ostenderet regem esse regni Dei. At ille tali ordine processurus erat rex regni Dei, ut intus admitterentur humiles illuminati, superbis relictis foris, ut errarent cæci in plateis. Cum igitur dixisset *vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, terribiliter pro re et tempore subjunxit, *quia videntes non vident, et audientes non audiunt.*

CAPUT XXVII.

De virtutibus ejus sive miraculis, quod talia sint, ut ex illis manifestentur potestas simul, et misericordia regis Dei.

Virtutum opera parabolis prædictis ad idem regni Dei consignificantia, sic evangelista iste contexuit, ut in omnibus et regalis potestas, et misericors gratia, diligenter exspectantibus appareat. Sunt autem numero decem et octo quæ certis et locis et personis edita sunt. Primum est ubi descendente illo de monte, et sequentibus turbis : *Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum dicens : Volo, mundare* (*Matth.* VIII). Secundum, ubi Centurioni dicenti : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus*, miratus fidem ejus, cum regali imperio dixit : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi* (*ibid.*). Tertium, ubi *tetigit manum* socrus Petri, *et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis* (*ibid.*). Quartum, ubi facto motu magno in mari, surgens qui dormiebat Rex cœli, terræ et maris, *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna* (*ibid.*). Quintum, ubi dæmonibus rogantibus eumdem regem potestatem habentem, ac dicentibus : *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum*, tales non longa vel familiari responsione dignatus est, ait : *Ite* (*ibid.*). Sextum, ubi paralyticum videns in lecto jacentem et fidem offerentium, cum dixisset : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, et pro hoc quidam de scribis murmurarent, dicentes : *Hic blasphemat, ut sciatis*, inquit, *quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Matth.* IX.). Septimum, ubi *mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. At* ille *conversus, et videns eam*, solito cum imperio *dixit : Confide, filia, fides tua te salvam fecit* (*ibid.*). Octavum, ubi Dominator vitæ et mortis : *Recedite*, inquit, *non est enim mortua puella, sed dormit.* Et ejecta turba, *tenuit manum ejus, et surrexit* (*ibid.*). Nonum, ubi clamantibus duobus cæcis : *Miserere nostri, fili David*, confessionem approbans regii nominis, *secundum fidem vestram*, inquit, *fiat vobis* (*ibid.*). Decimum, ubi *obtulerunt ei hominem mutum dæmonem habentem, et ejecto dæmonio, locutus est mutus* (*ibid.*). Undecimum, ubi Dominus Sabbati convictis adversariis, quod liceat sabbatis benefacere, ait homini manum habenti aridam : *Extende manum tuam. Et extendit* (*Marc.* III). Duodecimum, ubi *oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret* (*Matth.* XII), et pro hoc invidentibus atque blasphemantibus Pharisæis, jus suum defendit, quod ipse esset rex regni Dei, qui fortem armatum alligare venerit, ipsi autem servi ejusdem tyranni in ruina regni ejus divisi forent involvendi (*ibid.*). Tertium decimum, ubi *quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis*, de quinque panibus hordeaceis satiavit et duobus piscibus (*Matth.* XIV), propter quod et juxta alium evangelistam, rapere volebant eum, et facere regem sibi (*Marc.* VI). Quartum decimum, ubi discipulis periclitantibus in medio mari, *Quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare*, et Petro dicenti : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*, ipse ait : *Veni* (*Matth.* XIV). Quintum decimum, ubi cum dixisset mulieri Chananææ, Rex et nobilium filiorum Pater ingenuus : *Non est bonum sumere* **611** *panem filiorum et mittere canibus :* illa respondit : *Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, severitatem imperii vel judicii sui mox in clementiam con

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vertit, *o mulier*, inquiens, *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* (*Matth.* xv). Sextum decimum, ubi miseratus turbam, eo quod non haberent quod manducarent, et si dimitteret eos jejunos, deficerent in via, saturavit de septem panibus et paucis pisciculis quatuor millia hominum, extra mulieres et parvulos (*Matth.* xv). Septimum decimum, ubi *Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus duxit in montem excelsum, et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Helias cum eo loquentes* (*Matth.* xvii), in quo præsignavit illam, quæ nunc est regni sui gloriam, contestantibus Moyse et Helia, id est lege et prophetis, quia rex ipse est jam immortalitatis carne regnans semper in splendore divinitatis. Octavum decimum, ubi homini provoluto genibus ante eum, et dicenti : *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur*, respondens ait : *O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum, usquequo patiar vos? Afferte illum ad me. Et increpavit illum, et exivit ab eo dæmonium. Et hoc*, inquit, *genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium* (*ibid.*), quod tamen ejecerat ipse potestatem habens non per orationem, neque per jejunium. Post potentis misericordiæ suæ, sive misericordis potentiæ magna hæc opera, per quæ cunctis regno suo servientibus majora intus bona spiritualiter præsignabat, unum ponitur opus terribile, quo ejusdem regni sui hostibus magnitudinem significavit, ejus quæ nunc est illis iræ et vindictæ. *Intravit*, inquit, *in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit* (*Matth.* xxi; *Joan.* ii). Denique hoc non leviter attendendum est, in potentia regis, quod cum uno flagello de funiculis, homo tunc vilis, et in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, hoc fecit quod infinitus non potuisset facere exercitus. Tumultus ille quo sic perturbati, funiculus ille quo de templo sic ejecti sunt, tempestatem illam præsignavit, qua de regno Dei projecti sunt, longis peccatorum suorum funibus circumdati a sanguine Abel justi, locum quoque et gentem tollentibus Romanis, cujus rei tumultum totus orbis audivit.

CAPUT XXVIII.

Qualiter in fine tollenda sint omnia scandala de regno Dei, et quod non vane Pater Augustinus velit intelligi Matthæum in leonis facie.

Nemo fere qui nesciat, nemo prorsus qui nescire debeat, cuncta hæc cæteraque quotidiana ejus facta et dicta, sicut a Patribus sanctis sunt exposita, regni Dei, id est Ecclesiæ præsentis continere mysteria, quod videlicet regnum usque ad finem sæculi, ex bonis malisque permistum secundum edictum, pariterque exemplum regis eruditur et perficitur in omni patientia. Tandem, qualiter de hoc regno tollenda sunt omnia scandala, quod per multiplices apud hunc evangelistam significabatur parabolas, terribiliter hæc novissima ante passionem prolocutio regis indicat. *Cum autem*, inquit, *venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis. Et statuet oves quidem a dextris, hœdos autem a sinistris* (*Matth.* xxv), etc. Jam sæpe dictum, et sæpe dicendum est quia cuncta fere sic locutus est hic evangelista, ut ubique spectanda nobis proponatur tam vocibus quam sensibus regni cœlorum majestas, regia persona, regalis Domini nostri Jesu Christi potestas. Hoc animadverso, Pater Augustinus (*De cons. Evang.* l. i, c. 6, *sup. Joan.* tr. 36), ubi evangelicæ quatuor facies spectandæ proponuntur, tam in Apostolo, quam in propheta, non vane arbitratur, aut intelligi vult, quod facies leonis sit Matthæus, facies autem hominis Marcus, licet alii plures econverso tradiderint, quod in homine Matthæus, in leone Marcus sit agnoscendus. Nos hujus ætatis sextæ finem facientes de septima breviter quid loquamur, ut juxta propositum ad laudandam atque adorandam sancti Spiritus gratiam, quandoque lassi perveniamus

CAPUT XXIX.

De septima ætate mundi, quod veraciter sabbatum dicatur et sit, id est, requies, et quid sit illa.

Septima mundi ætas, non pro tempore, vel temporum ordine ætas dicitur, aut septima nuncupatur. Neque enim quomodo quinta quartæ, quomodo sexta quintæ, sic illa huic sextæ temporaliter succedit, sed conjuncta velut ex latere, usque ad finem sæculi, usque ad universalis diem resurrectionis, cum ea currit. Est autem alterius sæculi secretum, in quo electorum animæ depositis corporibus, felici sabbatismo, cum Deo requiescunt, quæcunque per sex ætates mundi, diversis meritis operum, differentes quidem mansiones, sed eamdem requiem ingredi meruerunt. Ipsa Sabbatum, id est, requies dicitur et est, quia nihil illic operantur, sed operum suorum mercede recepta, quieto deinceps otio feriantur. In hujus sabbatismi typum legale illud sabbatum circumcisioni datum fuisse recte intelligitur, ut quidquid de illo carnali sabbato littera legis loquitur, de isto spiritualiter intelligat homo rationalis, in spiritu legisperitus, in veritate litteratus. Exempli gratia : *Memento*, inquit Dominus, *ut diem Sabbati sanctifices* (*Exod.* xx). Hoc præceptum in Decalogo, tabulis digito Dei inscriptis, quartum est. Quod tunc demum veraciter sic intelligis, ut scribentis Dei digito dignum sit, ut sanctificare diem Sabbati id esse sentias, ac si dictum esset : Memento ut quidquid boni operaris, non pro qualibet transitoria et vana re, sed pro æterna facias remuneratione. Igitur præsentis vitæ tempus operandi quod bonum est, rationem vel opportunitatem habet, illius autem sæculi cuncta longiturnitas quiescentium est, fixamque et immutabilem sabbati legem possidet. In illam requiem Deus prior ingressus est, quod et Scriptura testatur, cum dicit : *Complevitque*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus die septimo opus suum quod fecerat et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat (*Gen.* II). Apostolus autem : *Qui enim*, inquit, *ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem* (*Hebr.* IV), etc.

612 CAPUT XXX.

Quod revera Christus post passionis laborem in illa sabbatizaverit, et resurgens ex mortuis, jam in octavam introierit.

Amplius autem, post passionis et mortis laborem, in illo sabbato suo requievit Deus. Deus enim erat in Christo, et quia propter personæ unitatem congrue Deus laborasse dicitur, ubi laboravit, et usque ad mortem fatigatus est Christus, pulchre requievisse Deus dicitur, ubi exempta corpori per crucem sabbatizavit anima, de qua nunquam recessit semel assumptum Verbum Deus. Tunc ergo Deus in sabbato suo requievit ab operibus suis, quando Deus et homo Christus, et secundum animam in secreto divinitatis, et secundum corpus in sepulcro terræ requievit. Delectat valde illa Dei dispositio, sex diebus operantis in sudore passionis, et septimo deposita carne requiescentis. Nam sicut evangelica fideliter narrat historia, primo dierum, id est die Dominica in civitatem Hierusalem passurus introivit; secundo et tertio mitis agnus, inter lanistas crudelissimos, juges insidias pertulit, quarto a discipulo suo traditus est, quinto testamentum scribens filiis, hæreditatem corporis et sanguinis sui delegavit; sexto moriendo, suum omne opus acri cum labore consummavit; septimo in sepulcro requievit, et in illa ætate quam dicimus septimam, usque ad primam Sabbati cum beatis spiritibus sabbatizavit, deinde resurgendo a mortuis, jam in octava est, id est in gloria immortalitatis et incorruptionis. Maxime ergo illo respicientes dicamus cum Apostolo, quia *qui ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus* (*Hebr.* IV). Etenim illo labore suo, et illa requie sua requiem nobis acquisivit Deus et Dominus noster Jesus Christus, ut deposita A carne, mox in septima requiescamus, donec resurrectione carnis celebrata, jam in octava regnemus.

CAPUT XXXI.

Quod ad hunc sabbatismum nos invitet, dicendo : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos »

Hæc itaque septima ætas, septimum respicit diem creationis mundi, sabbatum, id est requiem Domini, septimum a spiritu timoris Domini, spiritum possidens sapientiæ, quæ ipsa requies est filiis suis. Ad hanc omni aviditate festinant filii sapientiæ, et cum adhuc pro conditione mortalitatis hic laborent, illuc mente transpositi properant, quanta possunt ex parte requiescere. Invitat enim eos jugiter mater sapientiæ, cum dicit. « *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). » Cum autem hæc dicit clamitando foris, in plateis dando vocem, intus nihilominus Spiritu sancto docet, intus in corde persuadet, ut tædium patientes curarum et sollicitudinum hujus sæculi, dulcedine delectentur sanctæ contemplationis. Veniunt ergo ad scholam sapientiæ, juxta et illud consilium quod offert in psalmo ejusdem sapientiæ Spiritus, dicendo : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). In qua schola quanto quisque melius atque efficacius studuit, tanto viciuior atque apparitior factus est huic septimæ, id est requiei, et cum a scholis egreditur, quanto exercitatior est in verbo Dei, tanto honorabilior assistit ante faciem regis, et in illo æterno choro beatorum gradum altiorem ordinante illo sortitur, testante propheta cum dicit : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudierint plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* II). Proinde veraciter quidem beata activa, sed beatior vita contemplativa, Domini quoque testimonio, qui illa non improbata istam collaudat, *Maria*, inquiens, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X).

Finis secundæ partis libri hujus de sancta Trinitate et operibus, respicientis opera Filii secundæ personæ Trinitatis ejusdem.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

R. D. D. RUPERTI

ABBATIS TUITIENSIS

DE TRINITATE ET OPERIBUS EJUS

LIBRI XLII.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER PRIMUS.

613 CAPUT PRIMUM.

De gemina resurrectione mortuorum, quarum altera nunc resurgimus in anima accipiendo Spiritum sanctum, altera vivificabuntur et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem in nobis eumdem Spiritum sanctum.

Omnipotentis iram simul et gratiam Psalmista brevi laude constans: *Avertente*, inquit, *te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII). Quod enim memoriter tenendum et suppliciter confitendum est, propter peccatum unius hominis, avertit Deus faciem suam, et turbati sumus, abstulit spiritum nostrum et defecimus, et in pulverem nostrum revertimur. Et hic dupliciter iræ vindicta geminæ mortis pœna intelligenda est. Nam quo die comederunt ex ligno vetito, avertit Deus faciem suam, et prævaricatores turbati, id est in anima mortui sunt, et præter illam mortem auferente illo spiritum eorum, et dicente homini: *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III). Quod itidem fideliter credendum, et cum omni gratiarum actione recolendum est, propter justitiam unius hominis Jesu Christi, emisit Deus Spiritum suum, et creati sumus, et faciem terræ renovavit. Et hic duplicis gratiæ indulgentia, geminæ gloria vitæ, vel vivificationis agnoscenda est. Nam qua die vel hora credit homo in Christum, et baptismi ejus percipit sacramentum, emittit Deus spiritum suum et creatur, ut, omni vetustate peccati abolita, jam nova secundum animam creatura sit, et præter hoc facies terræ, id est terreum corpus, quod inveteravit et mortuum est propter peccatum, renovabitur in novissimo die resurrectionis. Hæc duplex gratia resurrectionis animarum, et renovationis corporum, hæc gemina resurrectio mortuorum, nunc nobis, ruminanda atque tractanda est, in laudem et gloriam ejusdem Spiritus sancti, Dei et Domini nostri, cujus emissio per Christum nostras jam animas vivere fecit, et corpora vivificabit. Nam *corpus quidem*, inquit apostolus, *mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum a mortuis, convivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* (*Rom.* VIII.)

CAPUT II.

Quod novus homo Christus primum ac præcipuum opus sit sancti Spiritus, et idcirco sermonis de operibus ejusdem Spiritus sancti principium a conceptione illius hominis recte debuerit inchoari.

Verum speculandæ hujus gratiæ via recta legitimusque ordo, tunc demum nobis servabitur, si gratiæ principem et largitorem, Dei et hominum mediatorem (*I Tim.* II), hominem Jesum Christum prius cognoverimus (*I Joan.* II). Ipse est, secundum hominem, primum ac præcipuum Spiritus sancti opus, quo pulchrius aut pretiosius nihil unquam fecit Deus, aut iste Dei Spiritus. Novus hic homo, nova hæc creatura est. Forte dicis: Si Christus nova creatura, si, ut Apostolus ait: Et nos in Christo nova sumus creatura (*II Cor.* V; *Gal.* VI), quomodo verum dixit Scriptura, quia requievit sive cessavit Deus die septimo ab omni opere suo quod patrarat? Quomodo cessaverat, si hanc novam creaturam facturus erat? Ad hæc, inquam, primo sciendum quia persona, quam Scriptura illa veterem narrat condidisse creaturam, Deus Pater est. Persona, inquam, quæ dixit, et dicendo fecit, Pater est Verbi, quo *cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII), Pater est generans Verbum, per quod *omnia facta sunt* (*Joan.* I). De ipsa nihilominus persona sentire littera postulat, quod requieverit et cessaverit. Num ergo quia Deus Pater cessaverit, consequitur quod Spiritus ejus cessaverit? Non utique, nam etsi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cessavit Pater, cujus erat proprium condere rerum naturam, non cessavit Spiritus sanctus, cujus est opus proprium meliorare naturam. Sic recte distinguamus Patrem Deum, et Spiritum sanctum Deum, ut Pater condiderit, Spiritus sanctus **614** reformaverit quam voluit creaturam, et utraque persona per tertiam sive mediam, id est, per Filium. Sed Pater per Filium Deum tantum, Spiritus sanctus per Filium jam hominem factum. Nam sicut nulla creatura facta est nisi per Filium Deum, sic nulla reformata est nisi per eumdem Filium Deum, hominem factum. Itaque, ut dicere cœperamus, novus homo Jesus Christus, primum ac præcipuum Spiritus sancti est opus, quippe qui de Spiritu sancto conceptus est. Igitur ut magnum et evidens habeamus ostium sermonis de Creatore, Spiritu sancto renovante faciem terræ, ab illa ejus emissione sumemus principium, de qua angelus ad Mariam: *Spiritus*, ait, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Et hoc quidem faciemus si prius breviter faciem ejusdem sancti Spiritus in confessione veræ fidei prævenire meruerimus.

CAPUT III

Quod Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis Deus ac Dominus sit, et quod hæc propria persona sit amor Dei, quem qui non habet angelus, est diabolus; qui non habet homo cum angelo non habente damnatur.

Spiritum sanctum credimus et confitemur verum esse Deum et Dominum, Patri et Filio consubstantialem, et coæternum, id est per omnia secundum substantiam, quod Patrem et Filium, non eumdem in persona quam Patrem et Filium. Nam sicut alia Patris, et alia Filii, sic nihilominus alia est persona Spiritus sancti, divinitas autem et gloria atque majestas quæ Patris et Filii, eadem nihilominus est Spiritus sancti. Et ut persona Filii et hujus Spiritus sancti proprietates, aliis quoque discernamus vocabulis, sicut Filium Verbum Patris dicimus, sive rationem, non utique verbum affectivum, neque affectatam rationem, sed substantiale Verbum, et rationem sempiterne et substantialiter viventem, sic Spiritum sanctum dicimus Patris et Filii charitatem, sive amorem, non utique accidentalem charitatem, neque adventitium amorem, sed substantialem charitatem, et æternæ constantiæ amorem. Qui amor quanti sit momenti, imo quantæ sit majestatis, ut aliquatenus speculari mereamur, conferamus nunc in eodem genere vel specie creaturam ejus participem creaturæ quæ ejus particeps non est. Certe si de angelica specie duos conferas, alter diabolus, alter forte sanctus Gabriel, aut gloriosus Michael est. Si de humano genere, verbi gratia, de apostolico sumas ordine, alter beatus Petrus apostolus, alter Judas diabolus est. Attamen hoc solum interest quod hic homo, vel hic angelus, hujus amoris est particeps; ille autem homo, vel ille angelus non est ejus particeps. Uterque, ex majestate Verbi per quod factus est, hoc habet ut sit rationalis; hoc solo, ut dictum est, differunt quod hic habet, et ille non habet communionem hujus amoris. Claret itaque etiam in isto proprietas operationis Spiritus sancti, quia videlicet per Verbum Patris esse sumpsit, per Spiritum vero sanctum, bene esse sumit creatura rationalis.

CAPUT IV.

Quod procedens sit Spiritus sanctus, et quod Filius quidem a Deo processisse, hic autem a Deo procedere recte dicatur.

Hic Deus, hic Spiritus sanctus, alias quidem mitti, vel emitti, ut supra meminimus, *emitte Spiritum tuum et creabuntur* (*Psal.* CIII), alias autem procedere dicitur. Parum erat ad majestatem vel gloriam ejus quod mitti dicebatur, nisi et procedere diceretur. Etenim sæpius persona inferior mitti dicitur, et potest non sua voluntate venire vel ire qui mittitur. At vero Spiritus sanctus, in persona sua Dominus, mittente se non minor est, et sua gratia cum mitteretur venire dignatus est. Recte igitur procedere, vel procedens dicitur, ut ipso Verbo dominantis personæ dignitas pariter et voluntas indicetur. Procedere autem vel procedentem hunc esse, non quilibet auctor, non angelus aut propheta, sed ipse ore proprio Deus et Dominus noster Jesus Christus primus dixit: *Cum venerit*, inquit, *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* XV). Et notandum quod de seipso loquens præterito hujus verbi tempore usus est: *Ego enim*, inquiens, *ex Deo processi et veni* (*Joan* VIII). Itemque alibi: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI), de isto autem non præterito, sed præsenti tempore dixit, *qui a Patre procedit*. Etenim aliter ipse a Deo processit, nascendo videlicet ante sæcula, de secreta substantia Patris, ut conderet mundum, quod semel factum est, sive assumendo carnem, ut qui invisibilis erat, visibilis fieret, quod itidem semel factum est. Aliter Spiritus iste procedit cum subjectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit quoties vivificat ea quæ mortua erant, et replet ea quæ vacua fuerant. Amplius autem atque abundantius in illa beata vita, quam speramus, de divina majestate æterna processione procedit, quomodo calor de substantia ignis, quia, ut jam dictum est, ipse amor est, imo et torrens voluptatis, qui illic nunquam deficit.

CAPUT V.

Quod Filius a Patre solo processit nascendo, Spiritus autem sanctus a Patre procedat, et Filio, et quod in enuntiando nonnihil distantiæ sit, cum Filius alias absolute Pater, alias Pater meus dicit.

Sed et in hoc differt, quia Filius de solo Patre processit, videlicet nascendo, ut jam dictum est, hic autem Spiritus de Patre Filioque procedit. Nec enim quia sic dixit Filius Dei, *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* XV), consequitur quod non ab ipso etiam procedat Filio, cum et hoc præmiserit ipse, quem ego mittam vobis a Patre. Longe melius

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est, quod intelligi voluit sic distinguendo *quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* xv). Sciendum quippe quod in nomine Patris, alias quidem una de tribus personis, alias autem sine distinctione personarum Deus sive divinitas debeat intelligi. Discretionis hujus vis, sive evangelica rite verba perpendas, in promptu est. Nam alias absolute Patrem, alias cum possessivo pronomine, Patrem meum, Pater meus, Patris mei dicit ipse Filius Dei. Ubi sic Patrem nominat procul dubio distinctionem facit personarum, Patris, et Filii, et quæ illic de semetipso loquitur, longe superexcelluni formam servi. Exempli gratia: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v).
615 Item: *Ego veni in nomine Patris mei* (*ibid.*). Et alibi: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joan.* xx). Ubi autem absolute dicit Pater, non unam personam, sed simul Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unam vult intelligi divinitatem, et quæ illic de semetipso loquitur humiliora sunt, et formam servi non supereminent. Verbi gratia: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam, sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* xiv). Item: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* xi). Hoc animadverso nullum movet scrupulum, imo fidei confert plurimum, quod ita dixerit: *Cum venerit Paracletus* (*Joan.* xiv), etc. Quid enim est, quod cum dixisset, *quem ego mittam vobis, addidit a Patre*, nisi ut intelligas quia quod Spiritum sanctum mittit Dei Filius, non est ex humanæ naturæ paupertate, sed ex divinæ sufficientia naturæ? Et quid est quod *a Patre meo procedit* dixit, nisi quia non ab una tantum persona, sed absque personarum distinctione a divina majestate Spiritus sanctus procedit?

CAPUT VI.

De processione Spiritus sancti, quia non de Patre solo processerit, sed de Patre et Filio procedit.

Igitur Filius de solo Patre generatione processit inenarrabili, hic autem Spiritus sanctus, de Patre et Filio processione procedit nihilominus ineffabili. Habemus tamen in hac nostræ peregrinationis paupertate quasdam primitias intelligentiæ, unde sciamus eum non tantum de Patre, sed et de Filio procedere. Ecce enim Scripturam sanctam legimus. Quid autem Scripturam sanctam nisi verbum Dei esse credimus? Plane multa sunt verba digesta calamo prophetarum, sed unum est Dei Verbum universitas Scripturarum, Verbum, inquam, unum quod velut semen de legitimo viro suo Deo fideles animæ conceperunt, et ore facundo parientes, signis quibusdam, id est litteris, ut nobis cognoscendum transmitterent, tradiderunt. Cum igitur Scripturam sanctam legimus, Verbum Dei tractamus Filium Dei per speculum et in ænigmate præ oculis habemus. Et revera, si benevoli lectores sumus, si benevoli auditores lectioni assistimus, legendo vel audiendo accendimur, legendo vel audiendo ad amorem Dei proficimus. Nonne ergo de Scriptura sancta nobis amor Dei processit? Quid autem est amor Dei, nisi, ut supra jam diximus, Spiritus Dei? Procedit donum ex Patre, ut per Scripturam intellectam cognoscamus Filium Patris; procedit nobis amor ex intelligentia Scripturæ, ut amemus Patrem Filii, diligamus Filium Patris. Nonne ergo jam nobis etiam hoc modo Spiritus sanctus ex Patre Filioque processit? Igitur quoniam, dum vivimus, solem illum in sua claritate fulgentem videre non possumus, saltem ex isto speculo colligere licet, quia de Patre et Filio procedit hic Spiritus sanctus. His pro tempore et re, de adoranda majestate Spiritus sancti breviter dictis, jam nunc in consideratione pulchri operis ejus ipso duce pergendum est.

CAPUT VII.

Quod sacrarium hujus Spiritus sancti beata Maria Dei Patris sponsa fuerit, et ex ipsa fructus omnis exstiterit, propter quem antiquæ Ecclesiæ virum se fuisse Deus Pater asserit.

Primoque sciendum beatam virginem Mariam, templum et sacrarium hujus Dei, et Domini nostri Spiritus sancti, sponsam esse vel fuisse Dei Patris, atque in ea completum esse causam, cur Synagogam, id est Ecclesiam prioris populi, idem Deus Pater se adamasse atque in conjugium assumpsisse tam multis testetur Scripturæ locis. Verbi gratia, cum in Ezechiele dicit: *Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non pepercit oculus meus super te, ut facerem tibi unum de his misertus tui, sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ in die qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi tibi, cum esses in sanguine tuo: Vive. Dixi, inquam, tibi cum esses in sanguine tuo: Vive. Multiplicatam quasi germen agri dedi te, et multiplicata es, et grandis effecta, et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem. Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda et confusione plena. Et transivi per te, et vidi te, et ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus. Et facta es mihi, et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, et vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacinthino, et cinxi te byssino, et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et dedi inaurem super os tuum, et circulum auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento, et vestita es bysso, et polymito et multis coloribus* (*Ezech.* xvi). Hæc utique dicendo, virum se factum profitetur Synagogæ, quam de Ægypto eduxerit, conculcatam in sanguine peccati, et fanatici erroris, quo servierat diis Ægyptiis, atque in monte Sina, cum ea pactum ingressus sit, et legalis Scripturæ ornamenta dederit. Nam quod pactum inibi cum illa ingressus sit, claret, hoc modo narrante Scriptura:

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum (*Exod.* XXIV). Multa ejusmodi sunt in Scripturis propheticis, multis in locis, ubi virum sive maritum Ecclesiæ sive Synagogæ sese Deus esse asseruit. Nunquid lætabunda, aut ludrica levitate, et non cum certæ rei pondere hæc loquebatur, omnis sapientiæ Pater Deus, cujus est amor magnus et immensus, hic Deus, hic Spiritus sanctus? Absit hoc! Actu quippe vir esse intendebat rationalis creaturæ humanæ, id est Filium sibi ex ea generare, quod et facere jam incipiebat, cum hæc et hæc diceret, cum Moysen et prophetas mitteret. Electas nimirum, et probatæ fidei de illa gente animas vir Deus complexibus suis, complexibus castis, spiritualiter Deus Spiritus sanctus admittebat, et in impetu hujus amoris sui, hujus Spiritus sancti, semen suum de secretis suis, Verbum suum de profundo cordis sui incutiebat illis. Susceptum in anima fideli Verbum veritatis, ora sibi prophetantia sumpta voce corpora laxabat, fidemque ab auditoribus exigebat. Unde et apud Isaiam tales animæ dicunt : *A timore tuo, Domine, concepimus, et* **616** *peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram* (*Isa.* XXVI). Rem veritatis non extenuet suspicio affectatæ similitudinis. Nam revera quæcunque sancta et veridica Scriptura nobis de amore Dei, vel amante Deo loquitur, tam vera tamque constantia sunt, ut potius hæc nostra carnalia de quibus similitudines ducuntur, illis constantis veritatis quædam quasi umbræ vel transitoriæ imagines sint. Verum quia nobis qui de terra sumus, prius ista terrena in notitiam venerunt, idcirco istæ res, illæ autem rerum similitudines æstimantur; revera autem illæ res, istæ vero rerum similitudines sunt quæ et illis permanentibus transeunt.

CAPUT VIII.

De beatitudine Virginis Mariæ, et cur anterior Ecclesia Dei Patris, posterior Filii Dei sponsa recte intelligi ac dici debeat.

Igitur, ut jam dicere cœperamus, beata Virgo Maria sponsa Dei Patris erat, et causam pro qua gentis illius Ecclesiam ille suam in Scripturis conjugem dicebat, in ea perficere, id est Verbum suum quod modo jam dicto per corda et ora prophetarum vocale fecerat, per hujus beatæ Virginis uterum carnem fieri ante omnia sæcula proposuerat. Hoc facto, futurum erat ut ipsum Verbum caro factum (*Joan.* I), ipse Deus Dei Filius, homo factus, sponsus vocaretur et esset, atque ad suscipiendas conscriptiones conjugii ejus, omnis Ecclesia, non relicto Patre (quem solum prius virum suum vocare consueverat), conveniret. Sic autem beata Virgo, prioris Ecclesiæ pars optima, Dei Patris sponsa esse meruit, ut exemplar quoque fuerit junioris Ecclesiæ sponsæ Filii Dei, filii sui. Spiritus enim sanctus qui in utero vel de utero ejus incarnationem operatus est unigeniti Filii Dei, ipse de utero vel per uterum Ecclesiæ, per vivificum lavacrum gratiæ suæ multorum operatus erat regenerationem filiorum Dei. Unde nobis suo loco plenius dicendum erit. Nec vero ab re ita distinguimus, ut prædecentem Ecclesiam Patris sequentis Filii sponsam esse dixerimus. Nam quem virum non cognoverat, ejus conjux Synagoga dici vel esse non poterat. Constat autem quia Dei Filium illius temporis Ecclesia non cognoscebat; nam excepto quod paucissimis per prophetiæ Spiritum revelabatur, de cætero Deus absconditus erat. Ergo quia in publico conventu, in solemni religionis illius cultu non apparebat, neque adhuc rex Deus huic Filio suo nuptias fecerat, nondum actu Dei Filius sponsus aut maritus erat. Pater autem Deus quem solum et eumdem vix Synagoga noverat, vir ejus erat, et ut pro viro legitimo haberetur vehementi zelo exigebat. Verbi gratia : *Saltem*, inquit, *amodo voca me : Vir meus, dux virginitatis meæ tu es* (*Jer.* III). Et multa his similia. Igitur iste vir erat. Tota autem talis viri utilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodo *ubi venit plenitudo temporis* in jam dictam Virginem se contulerit (*Gal.* IV), ipsa quæ experta est melius novit, nos autem audivimus tantum verba æternæ mandata memoriæ, verba Gabrielis archangeli dicentis :

CAPUT IX.

De conceptu beatæ Mariæ Virginis per hunc amorem, id est Spiritum sanctum, dicente angelo : « Spiritus sanctus superveniet in te, » etc.

Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). Verba, inquam, hæc nos audivimus tantum, illa autem et prior audivit, et auditu credens, continuo quod audierat experiri meruit. Ubi enim bene credula mentem suam et os suum aperuit, ut diceret : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*), mox juxta dictum angeli hic Spiritus sanctus superveniens in eam per apertas fidei januas sese infudit. Quo autem sese infudit? Nimirum prius in sacrarium pudici pectoris, deinde in templum sacri et incorrupti uteri; in domum pectoris, ut prophetissam faceret; in uterum, ut matrem faceret. Nam hæc est prophetissa, de qua gratulabundus loquitur propheta sanctus Isaias : *Et accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium* (*Isa.* VIII). Num autem istum solum ad hanc prophetissam accessisse putamus, aut quomodo accedere potuerit miramur? Imo sanctos omnes prophetas, primumque Moysen ad hanc prophetissam accessisse non dubitamus. Omnes omnino ad illam convenerunt, omnium enim et singulorum divisivæ gratiæ, et particulares prophetiæ, in istam prophetissam simul convenerunt, simul Spiritu sancto superveniente concurrerunt. Et beatum se Isaias, imo beatos se omnes prophetæ sancti non immerito crediderunt, quod hoc modo ad istam prophetissam accessuros se esse noverunt, quod ad istud Dei templum, ad istud Spiritus sancti sacrarium quidpiam Verbi boni sese afferre cognoverunt. Neque enim hæc beata Virgo particularem ut singuli illorum verbi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

gratiam, sed universam isto Spiritu sancto superveniente suscepit ex eo Verbi Dei substantiam, et prophetissa singularis facta est, plenam Spiritus sancti gratiam suscipiens, totum Dei Verbum, Deum verum prius mente quam ventre suscipiens. Hoc digne nuntius ille perpendens, talem tamque inauditam cunctis sæculis præmiserat salutationem : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Ad exponendam ejus gratiæ magnitudinem parum fuerat dixisse : *Spiritus sanctus superveniet in te*, nisi addidisset, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Miro videlicet atque ineffabili modo, ut fortitudinem sustinere posset conceptus sui, virtus Altissimi obumbravit ei ; virtus, inquam, Altissimi, id est idem ipse Spiritus sanctus, Spiritus amoris obumbravit ei. Quid enim puella fragilis, non modo sexu, sed et conditione mortalitatis suscepit aut concepit, nisi validum Verbum Deum, validam substantiam Verbi, de optima substantia Patris Dei, quem tremunt angeli? Etenim vel aspectum ejus nulla valet ferre creatura, nisi hoc Spiritu amoris præventa sit, testante Scriptura cum dicit : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* (*Psal.* XLVII). Hæc autem Virgo non uteunque aspectui ejus præsentabatur, sed de secretis paternis totum se inserebat illi Verbum Dei, Verbum Deus. Opportune igitur obumbrabit illi virtus Altissimi, virtus miraculorum potens, feminam substantiam Deo Verbo conciliare valens.

617 CAPUT X.

Quod non ita supervenerit Spiritus sanctus, ut pro semine sit, nec ipse qui conceptus est dici debeat Spiritus sancti filius.

Ideoque, ait, *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*ibid.*), atque hoc modo fiet istud quod *concipies et paries filium* (*ibid.*), quæ virum non cognoscis, *ideo sanctum quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei*. Num ergo vocabitur aut erit filius Spiritus sancti? Non utique. Neque enim Spiritus sanctus ita superveniet in te ut pro semine sit, aut ut de substantia sit ejus caro Verbi, aut Filii quem concipis. Concipies enim de sancto quidem Spiritu, sed non generante sancto Spiritu. Conceptus iste Spiritus sancti non generatio, sed operatio est. Caro de carne Virginis, non de ipsa erit substantia sancti Spiritus. Et notandum quod non dixerit sanctum vocabitur aut erit, neque erit dixit, sed *vocabitur Filius Dei quod nascetur ex te*. Quod enim Virgo concepit jamdudum erat. Et antiqua essentia sanctum erat, Filius Dei erat. Restabat hoc solum ut vocaretur quod erat, et ipsa vocatione dum vocatur Filius Dei manifestaretur nomen Dei, quod nondum notum erat, non quo dicitur Deus, sed quo Pater Filii vocatur. *Vocabitur*, inquam, *Filius Dei*, quod jam est, non adoptione gratiæ, sed proprietate naturæ. Item et illud notandum quod non dixit, qui nascetur ex te sanctus, sed *quod nascetur ex te sanctum*. Etenim multi quidem sancti, vel sanctificati dicuntur, unum autem est sanctum, id est sanctitas, qua sancti omnes sanctificantur. Hoc sanctum est iste Sanctus sanctorum, quem non in delicto prævaricationis Adæ conceptum vel natum sanctitas accidens sanctificavit, sed essentialiter sanctum, Virgo incorrupta de Spiritu sancto concepit. Sic igitur melius atque præstantius dictum est, ut dici debuit, *quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Sed nec illud vacat, quod vocabuli positionem archangelus variavit. Nam paulo ante, *et vocabis nomen ejus Jesum* (*Matth.* II), hic autem, *et vocabitur*, inquit, *Filius Dei*. Illic *vocabis*, hic autem *vocabitur*, dixit. Nihilominus et ad beatum Joseph, *et vocabis*, ait, *nomen ejus Jesum*. Etenim nomine Jesu, quo plures equivocabantur, libere ab ipsa vel ab Joseph vocari potuit. Filius autem Dei sive Filius Altissimi ut vocaretur, reservandum erat evangelicæ prædicationi. *Vocabitur* ergo, id est invocabitur ab omni sæculo hoc nomine quod est *Filius Dei*, Filius Altissimi. Ecce hæc est illa nova creatura, ille novus homo, de quo Apostolus : *Primus*, ait, *homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XIII). Item : *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus vero in spiritum vivificantem* (*ibid.*). Proinde jam ad superiora revertamur, et in laudem Dei Patris, qui primum illum per omnipotentiam plasmavit, in laudem Spiritus sancti, qui novissimum istum pulchris digitis composuit, duos homines istos conferentes nova et vetera de thesauro ejus proferamus (*Matth.* XIII).

CAPUT XI.

De plasmatione primi hominis terreni, et conceptione secundi hujus cœlestis, quanto ista conceptio illa formatione dignior atque perfectior sit.

Faciamus hominem, ait Pater, *ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis, universæque creaturæ, omnique reptili quod movetur in terra* (*Gen.* I). Subinde sequitur, ei dicit Scriptura : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II). Hominem illum terrenum cum isto cœlesti homine conferentes, hoc primum in factura illius abesse perspicimus, quod terram ipsam, cujus de limo formaret eum, non benedixit Deus. Ecce autem in ista cœlestis hominis factura nova, dicit archangelus, imo qui in archangelo loquitur Spiritus sanctus : *Benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Et Psalmista per propheticam huc adductus gratiam, succinit, et dicit : *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXIV). Amplius autem et in hoc terra ista præpollet, quia terra Domini est. Non enim illic dixit Scriptura : *Formavit igitur Deus hominem* de limo terræ suæ, sed tantum *de limo terræ*, hic autem non tantum *benedixisti, Domine, terram*, sed benedixisti, ait, Domine, terram *tuam*, etc. Qualis enim illa, et qualis terra ista? Terra illa nullo modo seminis Dei perceptibilis, utpote irrationabilis, insensibilis, inanimata, immobilis. Terra autem ista ani-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mata, sensibilis, rationalis, et, quod optimum est, fidelis, et propter fidem Spiritus sancti, et seminis Dei perceptibilis. Non ergo melior aut sapientior est artifex Spiritus sanctus, quam Deus Pater, licet iste novus Adam, qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior atque dignior illo sit vetere Adam, quem fecit Pater, sed melior terra, melior et divinæ rationi vicinior a Spiritu sancto materia sumpta est. Præterea non eadem hic atque illic utriusque figuli intentio. Illic nempe intentio Patris erat condere naturam, hic intentio Spiritus sancti facere gratiam. Igitur, ut dicere cœpimus : *Faciamus*, ait Pater, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Alio jam loco diximus, quia manifeste Trinitas loquitur, dicendo, *faciamus*. Verumtamen proprium erat opus Patris facere, proprium opus Filii redimere, proprium Spiritus sancti opus illuminare, et ad similitudinem Dei hominem producere. *Faciamus* ergo, ait, *hominem*. Dixit hoc, et continuo fecit hominem, verumtamen non ut proposuerat dicendo : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, sic subjuncta quoque narratio explicat hominis facturam. Ait enim : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*. Non dixit : Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, non dixit ad imaginem et similitudinem Dei creavit illum, sed tantum *ad imaginem suam creavit, ad imaginem Dei creavit*. Non ergo sic omnino, ut proposuerat Deus facere hominem, narrat eadem Scriptura factum esse hominem. Et recte atque provide, nam illa vice, illo tempore non pervenit homo usque ad illam perfectionem. Factus est ad imaginem Dei, quia factus est rationalis, non pervenit ad similitudinem Dei, quia non imitatus est donum Dei. Sed nunquid vitium ejus, propter quod a similitudine Dei longius recessit, antiquum Dei consilium vel propositum evacuare debuit? Memor igitur hic Spiritus **618** sanctus illius propositi, ecce venit ad partem suam operandam, ad facturam hominis perficiendam, ut perduceret hominem ad similitudinem Dei, ad quam non pervenit homo, nisi participatione ejus, id est Spiritus sancti. Venit, inquam, ipsa similitudo, venit imago Dei invisibilis, et in illa beata Virgine obviaverunt sibi, in illa domo pudici pectoris se osculatæ sunt. Nam *imago Dei*, ut Apostolus ait, ipse est Filius Dei (*II Cor.* IV), similitudo autem utriusque hic est, unus Spiritus Patris et Filii. Quapropter et illud notandum quod non dictum sit, *faciamus hominem* ad similitudinem et imaginem nostram, sed *ad imaginem et similitudinem nostram*. Filius quippe, sicut non est Filius Patris et Spiritus sancti, sed solius Patris, sic non est imago Patris et Spiritus sancti, sed tantum Patris, et idcirco non recte sic præposteraremus ad similitudinem et imaginem nostram, ad imaginem, inquam, nostram, id est Patris et Spiritus sancti. Spiritus vero sanctus, sicut est Spiritus Patris et Filii, sic et similitudo est Patris et Filii, et idcirco recte sic dictum confirmamus, *ad imaginem et similitudinem nostram*, similitudinem, inquam, nostram, id est Patris et Filii. Convenerunt igitur in beatam Virginem similitudo atque imago Dei invisibilis, et sicut in psalmo canimus : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Veritas quippe et justitia, secundum Scripturarum auctoritatem, vera sunt nomina hujus imaginis, id est Filii Dei. Misericordia et pax pia sunt vocabula hujus similitudinis, id est Spiritus sancti. Itaque quod dictum est : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*, hoc repetitum est dicendo : *Justitia et pax osculatæ sunt*. Dicendo deinde, *veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*ibid.*), removit impietatem blasphemiæ dicentis quia Jesus ex Maria initium sumpsit. Etenim unus, idemque Dei Filius, secundum carnem quidem *de terra ortus est*, sed, secundum Divinitatem prius *de cœlo prospexit*.

CAPUT XII.

De consideratione operis hujus Spiritus sancti, cum testimonio prophetico quod Pater Deus dicit : « Eructavit cor meum verbum bonum, » etc.

Quomodo autem convenerunt in illud sacrarium hic Spiritus sanctus et ille Filius Dei, nisi mittente Patre, quemadmodum dicit in David : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis ?* (*Psal.* XLIV.) Neque enim tantummodo intelligendum est de creatione mundi, ubi Pater verbum bonum eructabat, creando quidpiam, et dicendo : *Fiat* (*Gen.* I), præsertim cum in isto confestim addat : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV), etc. Ergo hic quoque, imo hic maxime in uterum Virginis Verbum bonum cor Patris eructavit, et dixit ipse opera sua regi. Quomodo ? *Lingua*, inquit, *mea*, id est spiritus meus, revera *calamus scribæ velociter scribentis ;* Verbum meum, Verbum bonum naturæ humanæ velociter inscripsit, et sic dixi *opera mea regi*, ut assumptum hominem nihil lateret omnium quæcunque feci, ut sciret facere omnia quæcunque ego facere sciví. Igitur qui dixit olim : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ejus Spiritus hic facit hominem novum, quem veraciter ipsam confiteamur esse imaginem, in quo plenariam non dubitemus inesse Dei similitudinem. Et illic quidem dixit : *Et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque creaturæ, omnique reptili quod movetur in terra* (*Gen.* I). Hic autem dicit : *Populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ; virga directionis, virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Ergo illum præesse jussit piscibus, volucribus et bestiis, videlicet dignitate rationis ; istum autem populis, scilicet auctoritate divinæ majestatis. Cum enim dixisset, *populi sub te cadent, in corda inimicorum regis*, licet hoc idem sit, populi qui inimici fuerant te adorabunt, vera adoratione cordis, tamen ne quid deesset, saltem in proprietate vocis, continuo subjunxit : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*. Deum utique hunc appellavit, qui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tanto et multo amplius præesse debeat populis quam illa piscibus, volucribus, et bestiis.

CAPUT XIII.

Quod dictum est : « Masculum et feminam creavit eos » hic autem, « ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, » quomodo illis, et quomodo illum benedixerit.

Et illic dictum est : *Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). *Masculum*, inquit, *et feminam creavit eos*. Multo hic honorificentius eum dixisset : *Dico ego opera mea regi, speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*, postmodum ei nuptias præparans, *Astitit*, ait, *regina a dextris tuis*. (*Psal.* XLIV) Verumtamen adhuc secretius in ipso virginei ventris hospitio scire debemus quiddam factum longe pulchrius, longe dulcius eo quod illic factum, dictumque est, *masculum et feminam creavit eos*. Scriptum est enim alibi et de isto : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII). Quo etenim sponsus iste de thalamo suo, nisi de sacro intemeratæ Virginis utero processit? Scire ergo debemus de Deo et homine Christo, quia sanctus hic Spiritus non quidem masculum et feminam creavit eos, sed in uno unius, ejusdemque personæ Christo, creatam hominis naturam conjunxit in creato Dei verbo. *Et benedixit eis, et ait.* Nimirum et hunc Deum et hominem Deus benedixit, oleo benedictionis unxit, imo et in labiis ejus omnimodæ gratiam benedictionis diffudit, quemadmodum dicit : *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Et subinde : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Præ consortibus, inquam, tuis. Non enim quemadmodum consortes tui qui, postquam in delictis, vel peccatis concepti sunt, deinde per gratiam miseratoris divisiva singuli percipiunt dona benedictionis, non, inquam, sic tu, sed in ipsa conceptione plenitudinem possides totius benedictionis, ut de tua plenitudine accipiant omnes consortes, vel participes tui. Et ad quid illis benedixit? Ad hoc nimirum, ut crescerent et multiplicarentur. Sic enim dixit : *Crescite et multiplicamini.* Et illa quidem benedictio, quantum quidem ex Deo, irrita fieri non potuit, quantum autem ex homine, pene irrita facta est, ita ut melius nobis esset, si non fuissemus nati, si non crevissent homines, et non fuissent multiplicati, nisi subvenisset benedictionem repetendo auctor benedictionis. Huic autem ad quid Deus benedixit? Ad quid illum unxit oleo lætitiæ præ participibus suis? Nimirum, ut et ipse cresceret, et multiplicaretur, cresceret in persona sua, quia erat minutus paulo minus ab angelis, proficeretque usque ad dexteram majestatis in excelsis, et omnia subjicerentur illi (*Hebr.* I ; *Psal.* VIII), multiplicarentur in filiis suis **619** et cohæredibus, filiis Dei, filiis adoptionis. Ad hoc benedixit huic benedictione regali, benedictione sacerdotali. Omnes quippe, qui ejus benedictione creverunt et multiplicati sunt, reges sunt, sacerdotes sunt, unde et gratias agentes dicunt : *Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram* (*Apoc.* V). In istis ratum veraciter permanet illud, quod subjungitur benedictionis edictum. *Et replete terram, et subjicite eam.* Subjiciunt enim terrenitatem suam, et dominantur bestiis, id est bestialibus suis subditorumque sibi hominum vitiis.

CAPUT XIV.

Quod homo uterque et primus ille et secundus iste formatus sit de limo terræ, et quid magis in isto non solum venerabile, sed et mirabile, et quod causa non sit cur Verbum vel hic Spiritus sanctus uterum femineum debeat horrere.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo, subauditur ille primus, *in animam viventem* (*Gen.* II) ; iste vero novissimus in spiritum vivificantem. Hoc nimirum, tam de isto novissimo quam de illo primo, veraciter prædicatur quod tam istum quam illum formavit Dominus Deus de limo terræ. Cæterum in multitudine filiorum hominum non fuit, nec est, nec erit, de quo idipsum eodem modo veraciter prædicari possit. Nam omnes quidem homines formantur de limo terræ, sed longe alio modo, alio ordine, id est non novo opere, sed usu naturæ. Ambos istos formavit Dominus Deus de limo terræ, sed illud quidem Dominus de limo terræ insensibilis et inanimatæ, istum autem Spiritus sanctus de limo terræ, sed animatæ, id est de humore carnis virgineæ sua formavit operatione. Et illum quidem absque patre et matre, istum autem de matre sine patre. Utraque formatio mirabilis. Verumtamen contra argumentatores hæreticæ temeritatis dicentes : Quomodo de virgine homo formari vel nasci potuit, nec tamen dicentes : Quomodo de limo terræ primus homo formari potuit, istam quidem mirabilem, sed illam dicere non dubitamus mirabiliorem. Mirabilius quippe est de terra inanimata hominem fieri, quam de carne feminæ, licet virginea, hominem concipi aut nasci. Ergo ista quidem formatio venerabilior, sed illa mirabilior. Cæterum, si ad magnitudinem dignationis respicias, nihil mirabilius inter omnia quæ facta sunt, sive in cœlo, sive in terra, quam id quod Deus dignatus est concipi vel nasci de femina. Nec enim adeo miramur quod omnipotens virginei conceptum vel partum dare potuit, mirari autem multo maxime simul et venerari debemus quia tantus hoc voluit, quia femineum Deus, Dei Filius, Deus Dei Spiritus uterum non horruit. Non horruit, inquam, Verbum Dei, Verbum Deus quin femineæ carnis humori, quasi coagulum se commisceret, non horruit Spiritus Dei, Spiritus Deus quin, admotis omnibus digitis suis, corporis humani vasculum de illa substantia studiosus figulus perficeret. Attamen si ad rationem attendas, quæ causa erat ut Creaturam suam horreret Divinitas? Tu enim quisquis tale quid perhorrescis, perpende ipsum horrorem tuum, utrum ex sensu, an ex ratione sit.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Differt enim utrum ex sensu, an ex ratione sit horror, a quo quidpiam patiaris. Denique in multis sensus magis horrescit id quod rationis judicio præcellit. Verbi gratia : Serpentem magis quam lapidem tangere perhorrescis. Sed rursus judicio serpentem lapidi præferre non dubitatis, videlicet eo quod lapis insensibile et inanimatum, serpens autem animatum et sensibile corpus sit. At vero Deus nullis sensibus fungitur, Deus Dei Filius, non sensu, sed ratione agit, imo ipse sempiterna ratio est. Sed si rite perpendas, horror tuus, quem super feminea natura pateris, magis ex sensu quam ex ratione descendit. Igitur nihil erat propter quod creaturam suam, id est naturam femineam, abhorreret Dei Filius, præsertim quam illi præparasset, quamque ab omni corruptione immunem conservaret hic sanctus Dei Spiritus, qui, ut jam dictum est, totus in ratione est, et nullis subjacet sensibus impassibilis Deus.

CAPUT XV.

Quod dictum est : « Speciosus forma præ filiis hominum, » et quod primus homo tantum formatus, hic autem et forma et formatus recte dicatur.

Tandem formatum istum ab illo formato discernimus, non tantum in eo quod istum Spiritus sanctus de virginea carne, illum autem formavit Dominus Deus de limo terræ, verum et ipsa formationis dictione. Dicimus namque quia formatus ille, formatus tantum, hic autem formatus et ipsa forma est. Quod ut manifestius fiat, definite oportet dici, quid sit formatum, et quid solummodo forma. Formatum id quod constat ex materia simul et forma, simpliciter vero forma, dicitur forma carens materia. Tale autem nihil est, præter unum Deum. Solus quippe ille est forma carens materia. Neque enim ex ulla consistit materia, quippe qui creatus vel factus non est, unde et nullis accidentibus subjacet, et incommutabilis est. Cætera formata sunt, id est ex materia formaque consistunt, ut, verbi gratia, statua. Consistit enim ex materia forte ærea vel lapidea, et forma, quamcunque artifex voluit, scilicet hominis, equi, aut cæterorum cujuslibet gentis. Sed nec ipsum æs simpliciter forma est; consistit enim ex materia sua, id est terra. Terra quoque formata est, et non simpliciter forma. Dicitur enim terra quod sit gravis et sicca. Hoc ergo formatum et forma differt quod forma simplex solus Deus est, qui formatus non est, formata vero cætera, quorum sine dubio fortissimum homo est. Nemini quippe dubium quia formatus est, et quia materia ejus terra est. At vero primus ille Adam homo tantum, hic autem secundus et Deus et homo est. Igitur formatus ille, uti ante proposuimus, formatus tantum, hic autem formatus et ipsa forma, unde et formosus vel speciosus recte dicitur, *speciosus*, inquam, *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Pulcherrimum hoc atque piissimum hujus Spiritus sancti opus est, quod interventu amoris æterni, qui ipse est, formam Domini formato conjunxit homini, conjunctione sempiterna, conjunctione indissociabili, ita ut forma et formatus unus sit formosus, unius personæ speciosus Deus et homo Jesus Christus.

CAPUT XVI.

Quod in eo quoque distantia sit, quia in faciem illius primi inspiravit Deus spiraculum vitæ, in isto autem totus requievit spiritus vitæ, spiritus gratiæ.

Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II). Hoc de illo simpliciter intelligatur, quia, cum formatum esset corpus de limo terræ, tunc demum *inspiravit in faciem ejus spiraculum* **620** *vitæ*, id est creatam indidit illi substantiam viventis animæ. Hoc etenim astruit Scriptura continuo subjungens: *Et factus est homo in animam viventem.* Cæterum de isto dignius atque divinius intelligi oportet, quia *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, id est inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ, Spiritus sanctus plastes ejus, opifex munditiæ ejus, ut requiesceret in eo statione æterna permansurus. Hic enim erat ille flos ejus, illa requies ejus, quem ipse sibi prophetica veritate pollicebatur, Isaia dicente : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Quam autem in faciem ejus inspiravit hoc spiraculum vitæ? Nimirum in substantiam rationalis animæ. Neque enim dubium cuiquam licet esse, quin totum hominem, id est corpus et animam, fecerit Spiritus sanctus, totum, inquam, hominem assumpserit Verbum Dei, Verbum Deus. Non juxta quosdam hæreticos, Verbum in carne pro anima fuit, neque juxta alios, nimium brutos, animam irrationalem et brutam assumpsit, sed veram carnem et animam rationalem, totum hominem verum, Deus verus assumpsit, quia videlicet totus in anima et corpore perierat homo, et idcirco totum, id est anima et corpus, a Redemptore suscipi oportebat. In illam faciem, in illam gloriosæ animæ rationem totus spiravit spiritus iste, creaturamque Creatori, substantiam creatam Deo increato condignam sua fecit plenitudine, id est sapientia maturam, intellectu dilatatam, consilio providam, fortitudine constantem, scientia dissertam, pietate mitem, sancto timore humilem. Non enim Verbum Deus hoc indigebat, ut Spiritu sancto repleretur, quippe de quo æque ut de Patre Deo procedit idem Spiritus sanctus, sed anima creata nostræ inopis naturæ creatura cum carne sua hoc opus habebat ut acciperet hunc spiritum, quem et accepit, non ad mensuram, ut testatur Joannes dicendo : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III), sed totam, ut jam dictum est, septiformem spiritus gratiam, unde et factus est homo *in spiritum vivificantem* (*I Cor.* XV).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XVII.

De comparatione dictionum, quibus dictum est : « Factus est primus homo in animam viventem, novissimus in spiritum vivificantem. »

Conferamus hanc quoque apostolicæ definitionis partem, qua dicit *in spiritum vivificantem*, cum illa vetustiore qua dictum est *in animam viventem*. Veraciter in ista plenitudo divitiarum, in illa tenuitas inopiæ est. Cum enim dicit *in animam viventem*, subaudiendum est, et non vivificare valentem. Nam revera noster ille parens hic factus est homo vivens, ut naturaliter possit traducere semen ad propagandam sobolem, verum in potestate non habuit, vel ipsi semini suo dare animam viventem, vel jam viventi animæ sobolis suæ gratiam conferre spiritualem. At vero isto præcursore suo Joanne prior, ac per hoc sine dubio sua propria carne antiquior sic factus est ut nihil secundum animalem hominem generaturus, ab illo in carne generatos prius sive posterius, vivificaret in spiritu, quemadmodum idem præcursor ejus testatur, *et de plenitudine*, inquiens, *ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* I). Nam et antequam homo fieret, gratiam prophetalem, et postquam homo factus est, acceperunt prophetæ de plenitudine ejus in hoc eodem spirito peccatorum remissionem. Igitur longe minus est *in animam viventem*, longe altius *in spiritum vivificantem*. Quamvis autem et post illum apostoli atque apostolici viri, catholici episcopi atque orthodoxi presbyteri prædicando, baptizando vivificent, unus tamen et solus hic homo factus est *in spiritum vivificantem*. Neque enim nos aut priores nostri de plenitudine accepimus apostolorum, sed de ista plenitudine ejus, de qua apostoli et prophetæ acceperunt. Nihil quippe nobis aut sibimetipsis sine illo facere potuerunt. Cœpto sequamur ordine operationem Spiritus sancti, in isto homine cœlesti, formam ejus aspiciendo in illo terreno, quam et apostolus breviter præostendit, dicendo : *Qui est forma futuri* (*Rom.* V).

CAPUT XVIII.

Quod illum quidem Deus in paradiso voluptatis posuit; in isto autem, quod est mirabilius, quemdam paradisum sanctus Spiritus contulit, et fluvium inde doctrinæ evangelicæ produxit.

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat; produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita (*Gen.* II). Revera et antequam flos iste de virga stirpis Jesse ascenderet, *plantaverat* idem *Dominus*, idem Deus Spiritus sanctus, *paradisum voluptatis* spiritalem, et in eo *omne lignum pulchrum visu, et suave ad vescendum*, sed super nullum lignorum omnium potuerat requiescere. Paradisus quippe sanctorum antiquorum patriarcharum et prophetarum erat Ecclesia, et in ea pulchrum lignum Abraham, A pulchrum lignum Isaac, pulchrum lignum Jacob, pulchra et suavia ligna cæteri patres sancti et justi, quorum fidei fructus hodie quoque legentibus ad vescendum, id est imitandum valde suavis est. Et super talium flores lignorum aliquando hic Spiritus Domini residebat, sed, ut jam dictum est, super nullum istorum requiescere poterat. Plantaverat, inquam, Dominus hujusmodi paradisum voluptatis ab initio, id est a primo electo. Primus quippe electus, prima hujus paradisi fuit plantatio. Et illum quidem hominem posuit Dominus Deus in locali paradiso, hunc autem paradisum spiritualem, quod mirabile est, posuit Spiritus sanctus in homine isto. Attamen cui mirum hoc videbitur, rite perpendenti amplitudinem animæ ejus? Nec enim parvæ amplitudinis est anima, in qua plenitudo divinitatis inhabitat (*Col.* II). Igitur, et verius dicam, ipsa talis anima paradisus deliciarum Dei facta est, totum intra se plantatum continens paradisum Scripturarum, lignum etiam vitæ *in medio paradisi*, id est ipsam Verbi æterni substantiam in medio suo, *lignum quoque scientiæ boni et mali*, id est tentationes ex nobis susceptæ infirmitatis. Nam quia per illud lignum primus homo tentatus et victus est, recte illo infirmitas humana intelligitur, per quam iste tentatus fidelis inventus est, *tentatus*, inquam, *per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV), ut qui jam noverat per scientiam, cognosceret etiam experimento figmentum nostrum, sciret expertus *reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII). Verumtamen et secundum quemdam modum, istum quoque posuit in paradiso, factum scilicet *ministrum circumcisionis* (*Rom.* XV), ut opera spiritus in illo paternæ legis horto operaretur. **621** Fluvius qui nobis de paradiso isto egreditur, evangelica doctrina est. Hujus doctrinæ fluvius quatuor capitibus, id est quatuor Evangeliis, nobis distinguitur, sive quatuor sacramentis Christi principalibus, id est incarnatione, passione, resurrectione et ascensione ejus, quorum fide et confessione universus per baptismum irrigatur orbis.

CAPUT XIX.

Quomodo istum Spiritus sanctus iterata positione in paradiso posuit, et quomodo tentatus iste tentatorem, qui primum hominem vicerat, vicit.

Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. Jam hoc dictum fuerat quia *plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis* ab initio, *in quo* posuerat *hominem quem formaverat*. Num ergo bis ille positus fuit in illo paradiso? Non utique terrenus ille homo bis positus fuit, sed hic cœlestis homo in spirituali paradiso iterata positus est positione Spiritus sancti. Cum enim jam illum posuisset, illa quam diximus positione incarnationis, posuit illum idem iste Spiritus positione injunctæ prædicationis. Cujus videlicet secundæ positionis hic modus est : *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante apertum est cœlum, et de-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

scendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba A *in ipsum* (*Luc.* III). Ac deinceps : *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est ab Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum* (*Luc.* IV). Hic positionis modus et secundum præscriptam litteram et secundum rem præsentem, a priore differt. Dictum quippe est prius quia *posuit* in paradiso *hominem, quem formaverat*, et nihil additum est, post vero ubi præmissum est, *tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis*, additur, *ut operaretur et custodiret illum*. Sic nimirum prima positione, qua posuit hunc cœlestem hominem sanctus iste Spiritus in paradiso suo, prima, inquam, positione incarnationis usque ad annum tricesimum tacetur de omni conventione cujusquam operis, hac autem iterata positione sic ipse fecit et dixit : *Regressus est in virtute Spiritus in Galilæam, et venit Nazareth, et intravit secundum consuetudinem suam synagogam, die Sabbati, et surrexit legere, et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat* (*Isa.* LXI) : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, et prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*Luc*, IV). Tulit ergo veraciter Dominus Deus, tulit Dominus et Deus Spiritus sanctus hominem suum, C hominem cœlestem et novum, et posuit eum in paradiso voluptatis suæ, in paradiso Ecclesiæ, jam non qualemcunque paradisum, sed paradisum deliciosæ habitationis suæ, ex eodem tempore, ut operaretur et custodiret illum, operaretur, inquam, secundum columbinam ipsius Spiritus sancti simplicitatem, custodiret contra serpentinam diaboli calliditatem. Etenim hoc maxime ex adverso respondet, quod ad illum terrenum hominem, diabolus in serpente dimissus est, super istum cœlestem hic Spiritus sanctus in specie columbæ emissus est. Unde et ille per illum serpentem in tentationem incidit, iste per columbam, id est per istum Spiritum pietatis tentatorem vicit. Cum enim ab isto Spiritu actus in D desertum homo iste jejunando quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et nihil manducando, illius hominis gula naturali esurie vapularet, dixit illi diabolus, ille serpens antiquus : *Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat*. Respondit ille, quod hæc columba mitis, hic Spiritus sanctus innuit, quod columbina Scriptura sancta voce præmonuit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei* (*Luc*, IV). Sic incontinentis gulæ dedecus, continentiæ pulchritudinem superinduit, et sic columba cum serpente miro certamine, simplicitate malitiosum elusit, paulatim deinde ad profectum deducens hominem, donec perfecta obedientia totum conculcaret et contereret caput atque corpus serpentis. Sed jam ipsam columbam maxime sermo intendat, cui maxime hæc nostri opusculi dicata est pars.

CAPUT XX.

Cur secundo super illum hic Spiritus venit, cur per columbam magis quam per aliam speciem illum designare voluit.

Primo quærimus quæ fuerit causa ut super istum hominem suum veniret Spiritus sanctus, non quomodocunque, sed sicut columba ? et a quo convenientius quærimus quam ab eo qui vidit, et illo viso testimonium perhibuit quia hic est Filius Dei. Ait enim : *Et ego nesciebam eum. Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* (*Joan*, I). Item : *Et ego nesciebam eum. Sed qui misit me* B *baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*ibid.*). Ergo Joannes eum quærebat et scire volebat quem secundum faciem non sciebat, et scire volens altis profundi desiderii suspiriis cœlum pulsabat, ut sibi manifestaretur ille quem venisse in Spiritu sciebat, et in facie non cognoscebat. Neque enim ille testimonio quæritando sese ingerebat. Apud se latebat, semetipsum non clarificabat, humilitatis exemplum omnibus præbens quod Apostolus suis utiliter prædicaret, dicens : *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu* (*Hebr.* IV), C etc. Igitur non ut esset Christus, id est non ut tunc primum ungeretur, qui in primordio suæ conceptionis plenarie fuerat unctus, sed ut manifestaretur in Israel, qui esset Christus, idcirco super unctum venit unctio ejus, venit visibili specie, super Christum ipse Spiritus ejus. Verum itidem per aliam speciem manifestare illum poterat idem Spiritus. Quare ergo super ipsum apparuit sicut columba, magis quam sicut ignis aut flamma ? Ad quod dicendum, quia illo vel illo tali indicio, quilibet mediocriter unctus, digne manifestari poterat, id est in quo non principalis, sed plebeia, in quo particularis dari significaretur gratia, et non ipsa inhabitare gratiæ universitas. Hic autem ille manifestandus D erat, in quo *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat* (*Col.* II). Tale igitur pro manifestatione ejus dandum erat signum, quali nunquam ante vel post designari decuit quemquam sanctorum. Quid enim columba ? Utique quiddam totum, caput et membra, corpus integrum. Hoc ergo significabat quia in isto singulariter uncto tota *plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat* : — *corporaliter*, inquam, **622** id est, sicut integro corpore columba super eum, et in ipso manens apparebat, nulla corporis parte mutilata columba, nullam septiformis Spiritus gratiam, magno huic Sacerdoti deesse significat, unde et adoptionis Pater, et omnium filiorum Dei summus princeps et magnus est Pontifex. Denique Matthæus regno, Lucas maxime intendit ejus sacerdotio, cu-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

jus videlicet Sacerdotis magni generationem sanctam conceptionemque sancti Spiritus operatione celebratam, de qua pro posse diximus, ore sacro vitulus disertus denarrat. Quapropter et illud notandum quia quod Matthæus non fecit, hic in generatione scribenda sursum ascendit, totam contexens generationem optativam, quæ ministerii sacerdotalis est. Etenim sacerdotis hujus non erat secundum carnem gignere, sed secundum spiritum sanctificare. Itaque cum Matthæus genituram carnis pene in directum descendendo deduxerit, hic, ne uno quidem gradu carnalis genituræ sursum ascendendo verbum tetigit, sed sic incipiendo : *Ut putabatur filius Joseph*, continuo subjunxit : *Qui fuit Heli* (*Luc.* III), subauditur filius optativus. Nam secundum carnem non Heli, sed Jacob fuerat pater ejus. Post hoc initium nusquam usus verbo, quo utitur Matthæus, id est *genuit* (*Matth.* I), non carnalem hominis, sed spiritualem sacerdotis generationem sese intendere satis ostendit.

CAPUT XXI.

De singularum proprietatibus gratiarum, quas omnes in eum contulit, scilicet sapientiæ, intellectus, etc.

Actibus subsequentibus singularum discernere proprietates gratiarum operæ pretium est, scilicet *sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris* (*Isa.* XI). Nimirum illud *sapientiæ* magis proprium est quod statim in desertum actus ab eodem Spiritu : *Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Matth.* IV; *Marc.* I; *Luc.* IV), antiquas tentatoris admissi vicit fraudes, peccatum fugiens, quæ summa sapientia est. Habet tamen hic locus nonnihil de proprio scientiæ, videlicet quod responsa sua de Scripturarum thesauro sumit, ac dicit : *Scriptum est : Quia non pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei. Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum* (*ibid.*). *Intellectus* est quod cum traditus esset ei liber Isaiæ prophetæ, et invenisset scriptum (*Isa.* LXI) : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, hodie*, inquit, *impleta est hæc Scriptura in auribus vestris* (*Luc.* III). Cum enim hæc dicit, spiritualem utique spiritualiter contritorum sanctionem, spiritualem spiritualiter captivorum remissionem, spiritualem spiritualiter cæcorum visum, spiritualem spiritualiter confractorum dimissionem intelligit atque intelligi vult. Porro absconditi *consilii* quædam oculos vel aures habentibus signa profert, cum dicit : *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, et ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sidoniorum ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Heliseo propheta, et nemo eorum mundatus, nisi Naaman Syrus* (*III Reg.* XVII; *IV Reg.* IV; *Luc.* IV). Hæc enim cum dicit, veraciter illud consilii se apud se habere innuit, scilicet, ut superbientibus Judæis clauso misericordiæ cœlo, cunctam legalis ac propheticæ gratiæ pluviam ad gentes commigrare faciat, et lepra peccati illorum non curata, lepram gentium mundare properet, lavacro septemplici, id est omnimoda spiritus septiformis gratia. *Fortitudinis* primus est actus, ubi cum ejecissent illum extra civitatem, et duxissent *illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum, ipse transiens per medium illorum ibat* (*Luc.* IV), majus utique *fortitudinis* opus in hoc ipso significans. Quod est illud? Nimirum quia tandem illum post multas persecutiones in infernum præcipitatum esse volentibus, ipse de morte ad vitam, sive per mortem in gloriam suam transiens, ecce per medium illorum ivit, per medium illorum persequentium, et non videntium, ad credentes et illuminatas gentes transivit. Amplius autem *fortitudinis* erat quod ex præsentia ejus torquebantur, et torments sua confitebantur dæmonia, dicentia : *Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scimus quis sis, Sanctus Dei. At ille increpans non sinebat ea loqui*, dicens cuipiam illorum : *Obmutesce et exi* (*ibid.*). Quantæ *fortitudinis* esset hoc initium vel signum, ipse quodam loco sic parce innuit : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* (*Luc.* XI). *Scientiæ* illud erat quod jam supra tetigimus, quia tam prompte tam convenienter pro re et tempore, semper ubique sumpta de omnibus Scripturis proferebat testimonia, ut mirantes dicerent adversarii : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* (*Joan.* VII.) *Pietatis* illud esse nemo qui nesciat, quod intelligi vult hujuscemodi parabolas dicendo : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, et incidit in latrones* (*Luc.* X). Item : *Iratus paterfamilias*, quia fecerat cœnam magnam, et omnes qui vocati erant, cœperunt simul excusare, *dixit servo suo : Exi cito in plateas, et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc* (*Luc.* XIV). Item : *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam? Et cum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens* (*Luc.* XV). Item : *Homo quidam habuit duos filios, et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit* (*ibid.*). Item : *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius* (*Luc.* XVI), etc. Hæc denique veneranda *pietatis* insignia sunt, quod videlicet Samaritanus misericordia motus super illum, qui incidit in latrones, appropinquavit et *alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens in jumentum suum, duxit in stabulum, curam illius agens* (*Luc.* X). Itemque alibi : Quod misericordia motus, et accurrens *cecidit super collum ejus, et osculatus est eum*,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

qui per pœnitentiam est reversus, suomet judicio, jam non dignus vocari filius, et occidit ei vitulum saginatum, dicens : *Manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et revixit, perierat et inventus est* (*Luc.* XV). Quod pastor bonus ovem, quæ erraverat, requisitam, et inventam, in humeros suos gaudens imposuit, quod juxta exemplum villici iniquitatis, quem laudavit dominus quia prudenter fecisset, nobis agendum censuit : *Facite*, inquiens, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XV). Illud tandem sancti et venerandi *timoris* est quod non jactabundo contemptu mortis sese offerri, sed pavens et tædium patiens positis genibus orat : *Abba, Pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer calicem hunc* **623** *a me*, eodemque timore reverendo multum submissus, sed non, inquit, *quod ego volo sed quod tu* (*Marc.* XIV). Amplius autem in eo veri et perfecti est insigne *timoris* quod *apparuit illi angelus de cœlo confortans eum, et factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). Videlicet futuris martyribus dare illum decebat exemplum utile, ut non præsumerent de virtute tolerantiæ, sed solliciti paverent in humilitate patientiæ.

CAPUT XXII.

De septem naturalibus columbæ virtutibus, quomodo per singulas illarum singulæ virtutes vel gratiæ significentur, et quibus modis easdem columbæ virtutes spiritualiter in suis actibus Christus habeat.

Igitur totus super illum requievit septiformis gratiæ spiritus, secundum signum quo idipsum manifestaretur, id est secundum columbæ integrum corpus. Quapropter nec illud prætereundum, quia volucris hujusce, scilicet columbæ, natura fungitur septem suis virtutibus, quadam similitudine congruentibus septem hujus Spiritus sancti gratiis, quas diximus. Primo, sedet enim super rivos aquarum, ut accipitrem, conspecta ejus umbra, velociter effugiat. Secundo, nihil vivum comedit. Tertio, pullos alienos nutrit. Quarto, in foraminibus petræ nidificat. Quinto, grana candidiora colligit. Sexto, felle caret. Septimo, gemitum pro cantu habet. Deinde in eo quod juxta fluenta residens accipitrem præcavet *sapientiæ;* in eo quod pullos educat alienos, *consilii;* in eo quod in foraminibus petræ nidificat, *fortitudinis;* in eo quod grana candidiora colligit, *scientiæ;* in eo quod felle caret, *pietatis*; in eo quod gemitum pro cantu habet, *timoris* quædam imago est. Sedet enim iste Spiritus sanctus, imo is in quo est Spiritus sanctus, maxime hic totius plenitudinis ejus possessor Dominus noster, juxta plenissima sedit fluenta Scripturarum, cunctas antiqui hostis prævidens, et potenter cavens tentationes, quod *sapientiæ* est. Nihil vivum comedit, id est neminem unquam justum condemnavit, aut certe neminem male vivum, id est concupiscentiis et vitiis militantem sibimet per acceptionem personarum concorporavit, quod *intellectus* est. Alios pullos nutrit, id est gentes abactis Judæis nutriendos recipit, qui eramus alieni a testamento Dei, quod incomprehensibilis et investigabilis *consilii* est. In petra nidificat, quo serpens accedere non possit, id est in vulneribus passionis suæ spem suorum collocat, unde diabolus rapere non possit, quod *fortitudinis* est. Grana candidiora, id est lucidiores de acervo Scripturarum, in omni sermone suo sententias, congerit, quod *scientiæ* est. Felle caruit, id est mala pro malis, vel maledictum pro maledicto, non reddidit, quin etiam pro interfectoribus suis exoravit, dicendo : *Pater, dimitte illis; nesciunt enim quid faciunt* (*Luc.* XXIII), quod *pietatis* est. Gemitum pro cantu habuit, id est gemitibus inenarrabilibus, et ut ait Apostolus : *Cum clamore valido et multis lacrymis* pro nobis exorans (*Hebr.* V), *obediens* fuit *usque ad mortem* (*Philipp.* II), quod *timoris* est.

CAPUT XXIII.

Quod hujus rei signum fuerit ipsa columba, quam firmiter teneat Ecclesia, videlicet quia hic est qui baptizat.

Cujus tandem rei signum, vel manifestatio, illa talis species erat? Nimirum sacerdotis singularis et Baptistæ unici Domini nostri signum hoc erat, in eo quod baptizat. Sic enim dictum est : *Super quem videris Spiritum descendentem, sicut columbam, et manentem in eo, hic est qui baptizat* (*Joan.* I). Non dictum est, hic est Filius Dei, sive hic est Christus, quamvis et hoc veraciter dici potuisset, sed hic est qui baptizat. Ergo Baptista Joannes Baptistam quærebat, baptismum suspirabat, id est hunc effectum, hanc utilitatem intendebat, ob quam venisse gaudebat, Christum videre, videndumque indicare sitiebat, ut ille in Spiritu sancto baptizaret, id est peccata mundi tolleret. Totus quippe mundus in sordibus, omnis homo immundus erat et illotus. Non sola gentilitas sanguinis fluxu sordebat, sed et Synagogæ omnes justitias. Spiritus iste sanctus, per prophetas panno menstruatæ similes esse censebat (*Isa.* LXIV). Quid ergo, inquis, Abraham? An non saltem ille mundus fuerat, dicente Scriptura : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam?* (*Gen.* XII.) Non utique jam propter justitiam illam mundus fuerat, sed propter justitiam illam istum emundatorem, promissione accepta, sperare meruerat. Idcirco donec veniret iste qui baptizat, ille et omnis posteritas ejus, verbo promissionis tantummodo catechizata, foris exspectabat, cœlesti Ecclesiæ nondum in visione Dei communicabat. Quid ipse Joannes, qui adhuc ex utero matris suæ Spiritu sancto repletus est? Quare ergo dicebat : *Ego a te debeo baptizari?* (*Matth.* III.) Annon ubi exsultavit in utero matris suæ ad vocem salutationis Mariæ, potuit mundari eodem quo exsultavit gaudio Spiritus sancti? Non utique jam propter hoc mundus erat, non jam propter hoc maculam culpæ originalis exuerat. Non ille in remissionem peccatorum, sed in propheticam, imo plus quam propheticam gratiam illic acceperat Spiritum sanctum. Igitur suum et universi mundi baptismum, atque Baptista Joannes desiderabat,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et illi desiderio responsum est : *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*Joan.* I). Et quomodo Simeon ille justus, exspectans consolationem Israel, in quo hic Spiritus sanctus erat, responsum ab ipso accepit *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum* Deum (*Luc.* II), sic iste neque Simeone, neque ullo sanctorum in sancto desiderio minor, accepit responsum gratiæ in se habitantis, quod non prius perficeret cursum suum baptizando in aqua, nisi prius videret istum qui baptizat in Spiritu sancto, peccatorum remissionem tribuendo omni mundo.

CAPUT XXIV.

Quod vere omnes electos baptizet et baptizaverit iste unus unius Spiritus sancti gratia, et quod istud tenendum sit contra hæreses et schismata infidelium.

Non autem est dictum solummodo propter communem quæ tunc erat humani generis indigentiam, sed et propter servandam in futura Ecclesia pacis charitatisque custodiam, et sic dictum, et sic tale datum est signum. Denique illud constans est, et nemini dubium **624** esse licet, quin sanctos omnes, qui illum per præteritas generationes ab origine mundi exspectaverant, omnes, inquam, usque ad illum electum latronem, lavit per semetipsum a peccatis omnibus in spiritu sancto, in aqua et sanguine profluente de latere suo (*Apoc.* I). Futurum autem erat ut, per ministros gratiæ suæ, baptizaret eos qui crediturі erant in hoc eodem Spiritu sancto, in ejusdem aquæ et sanguinis sacramento. Hic nimirum non defuturæ erant lites corvorum rixantium seorsum, ac seorsum baptizantium, et contra alterutros dicentium : Ego baptizo, ego sanctifico. Ille adulter, ille ebriosus, aut fornicarius nunquid te baptizare, nunquid te sanctificare poterat? Illius vel illius qui te baptizavit fides, sine operibus erat mortua, mortuum itaque tibi dedit baptisma. Bene ergo et opportune pacifica designante columba, dictum est : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*Matth.* III). Adeo namque proni ad scissuras futuri erant, qui baptizarentur, ut non modo pro bonis adversus malos, sed et pro bonis adversus bonos, quasi pro optimis baptizatoribus suis adversus baptizatores minus bonos inflarentur atque rixarentur. Sic illi jam facere cœperant, quibus vas electionis Apostolus dicebat : *Significatum est mihi, fratres, de vobis ab his qui sunt Cloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* (*I Cor.* I.) Bene hic attenderat, quid mallet columba mitis, id est hic Spiritus pietatis, Spiritus unitatis et pacis, unum designans atque dicens : *Hic est qui baptizat.* Ac si diceret : Sive per bonos, sive per malos, sive per summos, sive per infimos, visibiliter operetur Ecclesia ministros, hic est qui invisibiliter baptizat in Spiritu sancto. Verum de illo Domini Christi et hujus Spiritus sancti baptismo, plenius post aliqua dicendum erit. Nunc interim illud dictum sit, quia sanctus iste Spiritus unicam et condignam sibi mansionem tandem se adeptum esse, imo se sibi fecisse declaravit (*Matth.* III; *Luc.* III; *Joan.* I; *Marc.* I). Ubi super hunc proprium hominem suum in tali specie apparuit et in eo mansit, non ad mensuram, ut participibus vel consortibus ejus, divisivam indulgens ei gratiam, sed in eo tota cum divinitate sua corporaliter inhabitans (*Col.* II), et per id quod cœlis apertis super eum descendit, cœlos credentibus in eum per passionem ejus aperiendos esse testificans, qui ex quo peccavit homo generi humano clausi erant.

CAPUT XXV.

Quod dictum est : « Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane, » et de eo quod cum de cæteris spiritibus dictum sit : « Et requiescet super eum, » de solo timore ita dicitur : « Et replebit eum spiritus timoris Domini. »

Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane (*Luc.* IV). — *Plenus*, inquam, *Spiritu sancto;* nam hoc ipsum columbo, sicut jam diximus, significaverat, descendens super eum et manens in eo. Sed nunquid extunc, et non ante Dominus Jesus *plenus* erat *Spiritu sancto?* Nonne ex utero Virginis conceptus fuerat de Spiritu sancto? An quando compingebat illud suum sacri corporis templum, foris stabat, et non introivit, donec perveniret homo ad tricesimum ætatis suæ annum? Imo nec foris stetit, cum sacrum conderet corpus Deus incircumscriptus Dei Spiritus, nec postquam illud semel condidit, ulla unquam hora vel momento frigescente, gratia foras exivit, aut abesse potuit. Quid ergo nunc primum plenus Spiritu sancto dicitur, cum a Jordane regreditur? Nimirum quia qui hactenus se continuerat intus, hic procedere cœpit Spiritus sanctus, de triclinio mentis ad officia corporis, de potestate ad actum, de intima requie ad exterius ministerium, ut per doctrinam diffunderet gratiam in labiis, per miraculorum exhibitionem, moveret manus ejus tornatiles, aureas, plenas hyacinthis. Amplius autem ex eo recte *plenus Spiritu sancto* dicitur, ex quo agere cœpit ea quæ sunt spiritus timoris Domini, id est jejunando famem pati, perferre fraudes tentatoris, circuire et prædicare regnum Dei, atque pro voluntate vel mandato Patris, *obediens esse usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II). Scriptum quippe fuerat : *Et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* II). Notandum denique in toto ordine septem spirituum, quia, cum dictum sit, *et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis* (*ibid.*), in istis spiritibus, non mutato verbo requietionis, in septimo tandem mutatur verbum vel modus dictionis, *et replebit eum spiritus timoris Domini.* Si ergo evangelistam prophetæ scienter in isto consonuisse non ignoramus, ut quia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dixerat ille, *et requiescet super eum spiritus timoris Domini*, iste vim dictionis antiquæ respiciens consonanter dixerit : *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane*, mirandum universæ creaturæ proponitur spectaculum, quod scilicet Creator hominum, Deus illuc usque descenderit, unde peccatori homini, ab infernalibus peccatis et vitiis emergenti, initium ascendendi sumendum sit. Nam *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* cx). Huc usque Creator descendit dicente propheta, post omnes gradus spirituum Domini : *Et requiescet eum spiritus timoris Domini*. Non erat mirum quod requiesceret super eum *spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis*, non, inquam, mirum, quia magnificum erat, quia divinam majestatem dignitate antiqua dicebant hæc omnia. Quis autem angelorum aut hominum non miretur Dominum usque ad timorem Domini descendisse, Deum et Dominum cœlis ac terris timendum, timoratum factum esse, non partim sed plenarie, et quantum verbo repletionis aut plenitudinis potuerunt homines in eodem Spiritu sancto loquentes significare? Itaque secundum hunc modum digna cum admiratione dictum sit : *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.*

CAPUT XXVI.

Quod vere sit Deus is, quo Jesus plenus dicitur, et quod cujuscunque hominis animam implere nonnisi Dei sit.

Præterea quia non sola Spiritus sancti opera narrare, sed ipsam quoque personam ejus prædicare, venerari et adorare præsenti opere intendimus, audiat Macedonius, aut quisquis alius blasphemiæ in Spiritum sanctum reus, dicere ausus fuit, Non est Deus, aut, inquam, quod dicitur : *Jesus Spiritu sancto plenus*. Quid enim? Non est Deus iste, quo plenus est is qui omnia implet Dominus Jesus. Imo ut de illo tali homine, nunc interim taceam, quemlibet angustioris pectoris hominem implere, non nisi Dei est. Manifestius dicamus spiritum hominis substantialiter introire, nonnisi Dei est. Creatus spiritus, creato spiritui, id est angelicus spiritus humano spiritui vel humanus spiritus angelico spiritui infundi non potest. Alter alterius capax, sive alteri alter captabilis non est. Neuter **625** quippe alterutro subtilior est. Uterque enim creatura, uterque rationalis, et immortalis est. Solus Deus, natura vel substantia, utroque subtilior, ac proinde utrique captabilis est. Sed ecce, non tantum homines Spiritu sancto repletos, quod passim leginus, sed ipsum Dominum Jesum, pronuntiat evangelista, plenum Spiritu sancto. Quomodo ergo non videbat corvus prædictus Macedonius quia Deus est ista columba, iste Spiritus sanctus? Sed ille forte diceret ad hæc : Nonne homo interdum dicitur, et est maligno plenus spiritu? Ad hæc inquam : Dicitur quidem, sed aliter, hic sancto Spiritu, aliter ille maligno impletur spiritu. Nam spiritus malignus, non ipsi humani spiritus substantiæ substantialiter infunditur, sed per occultos irrepens meatus, perque cavernas corporis receptus, animam in suis obsidet sedibus, eamque tartareis discruciat flagris in quantum fuerit permissus. Sic febris, sic etiam potionis fervor nimius animum subvertit, vimque rationis enecat, non tamen ipsam animæ substantiam, aut febris, aut per corpus digerenda complevit vinositas. At vero hic Spiritus sanctus animæ substantiam substantialiter ingreditur, eamque ineffabiliter et dilatando complet, et complendo dilatat, in ea substantialiter inhabitat atque inambulat, quæ merces, quæ gloria sanctis in futuro reposita est. Nam in præsenti paucissimorum est persentiscere saltem ad horam, vel momentum, substantialem ejus tactum, præter hominem istum solum et singularem, de quod unice dictum est hic : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem in eo.* Hoc plane quod diximus, vel ex ipsis ejusdem Spiritus sancti vocabulis, comprobari promptum est, scilicet ex eo quod dicitur, *spiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus consilii, spiritus fortitudinis, spiritus scientiæ, spiritus pietatis, spiritus timoris Domini.* Nam ubi putas sapientia, vel intellectus, nisi in anima? ubi consilium, ubi fortitudo, ubi scientia, ubi pietas, aut timor Domini, nisi in anima vel mente inhabitat? Igitur hic solus increatus Spiritus, humano sive angelico spiritui substantialiter captabilis est, et vel ex hoc solo convincitur Macedonius, omnisque ejusmodi corvus, quia talis hæc columba, tantus iste Spiritus sanctus Deus est.

CAPUT XXVII.

Quod nos omnes ubi Jesus plenus dicitur ad hauriendum invitemur, et quod duo data sint hujus spiritus, et quodnam horum antiqui Patres prius, et quod posterius. Itemque nos quod prius, quod posterius acceperimus.

Sane cum hic *Spiritu sancto plenus* dicitur, eodem dicto nos ad hauriendum invitamur. Item cum dicit ille alius testis pleni hujus : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* I), nos ad accipiendum, nos ad hauriendum provocamur. Hic unus est, a quo, in quo, et per quem gratiam et veritatem haurimus, spiritum gratiæ et spiritum veritatis accepimus. Cum enim dixisset, *et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, continuo subjunxit : *Et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*ibid.*). Et nos quidem atque illi qui hæc dicunt *et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, nos, inquam, et qui post, et illi qui ante passionem hujus pleni hauserunt eadem data, sed ordine præposterato accepimus. Quot enim, vel quæ sunt hujus spiritus data, nisi duo, alterum in remissionem peccatorum, alterum in divisiones gratiarum? Hæc, inquam, eadem, sed non eodem ordine nos atque illi accepimus. Nam illi prius divisiones gratiarum, et post remissionem peccatorum, nos prius remissionem peccatorum, et deinde accepimus *divisiones gratiarum* (*I Cor.* XII). Omnes enim usque ad Joannem, prius divisiones gratiarum acceperunt, imo et prius mortui sunt, quam acciperent remissio-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nem peccatorum. Hanc enim diu exspectatam in sola tandem Christi passione acceperunt. Fide fortes, miraculorum potentes, prophetica gratia pollentes fuerunt, et tamen omnes apud inferos detinebantur, propter originale peccatum. Fusus est sanguis Christi atque cum sanguine aqua pariter de latere ejus cucurrit, et quia fidem habuerant, eorum omnium peccata lavit. Ipsi quoque apostoli prius ejusmodi gratias partim acceperunt, ut scilicet infirmos curarent, spiritus immundos ejicerent, et, post passionem Christi, remissionem peccatorum, ut in regnum cœlorum introirent. At vero nos omnes, qui post eamdem Christi passionem ad fidem venimus, prius in remissionem peccatorum baptizamur, et tunc demum ejusmodi gratias accipimus ab eodem Spiritu sancto, dividente *singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Nam quod super Cornelium et super cæteros, qui pariter audiebant verbum, nondum baptizatos in remissionem peccatorum manifestatum fuit hoc datum, cecidit enim Spiritus sanctus super eos, qui et erant loquentes linguis, et magnificantes Deum (*Act.* X), necessaria tunc temporis hujus Spiritus sancti advocatione factum est. Dicebant enim atque dicturi erant illi qui ex circumcisione crediderant : *Quare introisti ad viros præputium habentes ?* (*Act.* XI.) Ut ergo super incircumcisis carne, ad fidem Christi recipiendis auctoritas non deesset, advocatum se opportune hic exhibuit Deus, cui homo contradicere non posset, hic spiritus quem caro prohibere non auderet, ut in magna tutela constans Petrus diceret : *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ergo quis eram, qui possem prohibere Deum ?* (*Ibid.*) Alias fere nusquam post glorificationem Domini Jesu, hunc Spiritum sanctum invenimus prius datum esse in divisiones gratiarum quam in remissionem peccatorum.

CAPUT XXVIII.

De processione Spiritus sancti contra eos qui dixerunt eum a solo Patre, et non a Filio procedere, et quod illa processione qua remittuntur peccata de Filii persona procedat.

Quapropter quoniam duæ sunt personæ Patris et Filii, de quibus procedit hic Spiritus sanctus, sic duo, ut jam dictum est, data sunt ejusdem Spiritus, non improbabiliter dici arbitramur, quia qua de Patre procedit processione, distribuitur operatio ejus in divisiones gratiarum, processione qua procedit de Filio, datur idem Spiritus in remissionem peccatorum. Etenim patriarchæ ac prophetæ nunquid coram hominibus confitebantur Dei Filium ? Attamen accipiebant diversa dona charismatum, non quia cognovissent Filium, aut credidissent in eum, sed ut cognoscerent eum, et credentes exspectarent venturum. Hoc ipsum quod prophetæ erant, et venturum præsciebant Dei Filium, non utique ex Patris et Filii, sed ex solius Patris, vel Dei, præeunte confessione percipiebant At vero ubi Dei Filius semetipsum hominem exhibuit hominibus, et qui sæculus auro Dei, id est plenitudine plenus erat hujus Spiritus sancti, scissus ex tormento passionis, illinc extunc processisse vel procedere hunc eumdem Spiritum sanctum in remissionem peccatorum, **626** nullus ambigit, nemo diffidit, nullus dubitat nisi infidelis. Processit tunc ad mortuos qui tenebantur in infernalibus claustris, hæreditario ex Adam peccati vinculo compediti, sanctorumque omnem justitiam, eatenus panno menstruatæ comparabilem, usque ad purum et perfectum lavit, procedit ex tunc ad vivos quotquot in eadem morte ejusdem Filii Dei baptizantur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Igitur adversus errorem eorum qui dixerunt hunc Spiritum sanctum non a Patre et Filio, sed a sola persona Patris procedere, illud constanter dicendum est quia quod a Patre procedit Spiritus sanctus, gratiarum divisio, quod a Filio procedit, peccatorum remissio est. Porro, utrum horum melius donum, utrum utilius sive felicius sit, non dubium habentes cum Psalmista dicimus : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Non dixit : Beati prophetiam habentes, quorum utique unus et præcipuus ipse jam erat, sed dixit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, quorum universitas una est omnium electorum Ecclesia, de quibus unus esse cupiens vel sperans, dicebat alio loco : *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L).

CAPUT XXIX

Quomodo is qui plenus est Spiritu sancto in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter, aliquid nescire dicatur, et quod modus sciendi triplex habeatur.

Unum adhuc in hoc themate est quod quæramus. Si *plenus Spiritu sancto Jesus* (*Luc.* IV), si tota in eo columba manet, si in ipso *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Col.* II), quomodo quidpiam nescire, aut quidpiam non posse se ipse fatetur ? Dicit enim : *De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV). Et apud Joannem : *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V). Item : *Non possum ego a me facere quidquam. Sicut audio, judico* (*ibid.*). Primum de die illa quærimus, cur vel quomodo dixerit, *nemo scit, neque angeli, neque Filius, nisi Pater solus*. Si enim hic in solo Patre una tantum persona intelligimus, et proinde neque Filium neque hunc Spiritum sanctum de die illa scire arbitramur, profecto Patris, et Filii, et Spiritus sancti unitatem in divinitate, æqualitatem in majestate non tenemus. Et ubi erit quod Filio per os Petri apostoli universa dicit Ecclesia : *Domine, tu omnia nosti ?* (*Joan.* II.) Ubi erit quod de hoc Spiritu sancto Paulus apostolus dicit : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei ?* (*I Cor.* II.) Ergo fidelius ac reverentius suscipiendum est quod dicitur, *de die autem illa nemo scit, neque angeli, neque Filius*. Et quidem fideliter dicimus, *neque Filius* scit, id est non vos scire

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

facit. Sed adversus contentiones Arianas non hoc satisfacit, nam neque Pater nos scire facit. Igitur ut firmius atque sanius teneamus quod dixit, consulamus intentionem dicentis, simulque et illud quæramus modus sciendi utrum simplex aut multiplex sit. Hoc jam citius occurrit, quia multiplex est. Dicimur enim scire quod intelligimus, scire quod non improbamus, scire quod experti sumus. Modi isti in Deo plurimum differunt, si rite advertis. Primo videlicet modo, unus Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus semper omnia scit. Secundo modo, bona semper scit, mala semper nescit. Tertio modo, quædam bona, sive quædam mala aliquando scit, aliquando nescit: Bona, cum, verbi gratia, ad Abraham dicit: *Nunc cognovi quod timeas Deum, et non pepercerisunigenito filio tuo propter me* (*Gen.* XXII). Nam quod erat in Abraham, id est timorem Domini, nunc se cognovisse perhibuit, eo nimirum quo prius non cognoverat modo, scilicet experimento. Mala vero cum itidem, exempli gratia, ad Abraham dicit: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus, et peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, aut non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Nam quod erat malum, et pessimum scire volebat, eo quo prius nesciebat modo, id est experimento. Quod et factum est. Illo nempe protinus scivit modo, quia quo scelere solebant furere in viros, eodem furentes in ipsum dicebant Lot: *Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc ut cognoscamus eos* (*Gen.* XIX). Cum itaque tres sint modi scientiæ, vel cognitionis Dei, ut jam sciamus juxta quem modum dixerit, *de die autem illa nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater solus*, quæramus intentionem dicentis, et ipsa quoque cito quærentibus occurrit, quia nimirum pro inculcando nobis metu illius diei vel adventus sui, et consummationis sæculi hoc dixit: Dixerat enim: *Et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum* (*Matth.* XXIV; *Marc.* XIII). Igitur in hoc dicto ejus, *de die autem illa nemo scit neque angeli, neque Filius, nisi Pater solus*, hunc esse sensum fideliter accipimus ac si diceret: Dies autem illa tantæ erit iræ, tantæ calamitatis et miseriæ, tantæ tribulationis et angustiæ, quantam nemo unquam ullo potest, potuit, poterit experimento præscire, neque angeli cœlorum in illa lucis et tenebrarum, id est bonorum et malorum angelorum terribili divisione, neque Filius in toto suæ passionis vel mortis agone. Perspicuum quippe est quod Filium, id est seipsum, secundum quod homo est, pro omni posuerit homine, quia non dixit, neque angeli in cœlo, neque homines in terra, sed *neque angeli in cœlo*, inquit, *neque Filius*. Relinquitur ergo quod ait, *nisi solus Pater*, id esse ac si dixisset, nisi solus Deus unus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, præsertim quia non dixit Pater meus, in quo utique una necessario persona intelligeretur. Et ille scilicet Deus magnitudinem sive amaritudinem illius diei, non experimento scit, quippe cum sit Deus impassibilis, sed sic penes se notitiam habet, ut non possit ulli creaturæ aliter nisi solo actu et re ipsa notum fieri, quid angustiarum illic futurum sit, ubi quemadmodum ad beatum Job loquitur ipse Deus: *Videntibus cunctis* illa bestia *præcipitabitur* (*Job* XL); et: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur* (*Job* XLI). Nam revera si nos aut angeli mortales tunc essemus, vel post resurrectionem ullo modo mori possemus, solo visu exanimes efficeremur, videntes tartarum apertum ignemque æternum, paratum diabolo et angelis ejus, in quem et nos præcipitandi eramus, si non per solam gratiam præventi fuissemus.

627 CAPUT XXX.

Quantæ potentiæ sit, quod Filium non posse facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, ipse dicit.

Restat ut de eo quæramus quod ait: *Non potest Filius facere quidquam*; et: *Non potest ego a meipso facere quidquam* (*Joan.* V). Nam hoc nihilominus plenitudini de qua loquebatur repugnare videbatur, nisi recte et ut dignum est intelligatur. Primum ergo in isto quoque ex præcedentibus dictis, vel factis intentionem dicentis colligamus quæ hujusmodi sunt. *Surge*, inquit, *tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo, et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem Sabbatum in illo die. Dicebant ergo Judæi illi qui sanus factus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Ac deinceps: *Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato. Jesus autem respondit illis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Et subinde: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a seipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*ibid.*), etc. Qua putas intentione hic dixit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, nisi ut doceret se esse Dominum etiam Sabbati? *Pater meus*, inquit, quia Dominus est Sabbati, *usque modo operatur* in Sabbatis, non minus quam prima vel secunda Sabbati dans pluviam super terram, et producens fenum jumentis, producens ventos de thesauris suis (*Psal.* CXXXIV), et solem suum faciens oriri (*Matth.* V), et nemo ex vobis dicit, Quare ille Sabbatum non custodit? Et forte, si quid habetis rationis, ideirco illum censetis Sabbati lege non teneri, quia *bene omnia* facit (*Marc.* VII), et nihil male potest operari. Ergo is jure non tenetur lege Sabbati, quia non potest male operari. Ad hæc inquam: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam.* Quid est hoc dicere, nisi constanter asserere Filium Dei æque ut Patrem Deum esse inconvertibilem? Quid enim est quempiam a seipso *quidquam* facere, nisi seorsum extra Deum, absque imperio vel voluntate Dei quidquam facere?

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Quid, inquam, hoc est nisi peccatum facere, aut peccare? Nempe diabolus a seipso primus fecit, quando primus peccatum fecit et peccavit; imitantur autem illum quicunque peccant et a semetipsis faciunt, relicto consortio vel auctoritate Dei. Nihilominus et ja semetipsis faciunt, quando loquuntur extra Deum, loquentes mendacium, dicentes *malum bonum, et bonum malum* (*Isa.* v), et idipsum defendentes. *Linguam*, aiunt, *nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est?* (*Psal.* xi.) Sed *non potest*, inquit, *Filius a se* ipso *facere quidquam*. Ergo inconvertibilis est Filius, quem convertibilem esse dicebat Arius hæreticus. Nam *non potest a se* ipso *facere quidquam*, et hoc illi impossibile est per naturam. Et si angeli sancti firmati sunt post ruinam illius qui a seipso fecit, etiam amplius non possunt a seipsis facere quidquam, non hoc habuerunt per naturam, sed acceperunt per gratiam. Hic Filius hoc semper habuit, et habet per naturam, et idcirco certus de stabili jure suo : *Pater meus*, inquit, *usque modo operatur, et ego operor*, quia videlicet quemadmodum ille, ita et ego inconvertibiliter omnia bene facio, non a meipso quidquam faciens, nisi quæ video Patrem facientem. Itaque quod dixit hic se non posse, plenitudini ejus, de qua loquebamur, non modo non repugnat, verum etiam validius plenitudinis atque fortitudinis ejus argumentum est.

CAPUT XXXI.

Quomodo secundum ordinem gratiarum ejusdem Spiritus sancti operetur in Ecclesia sua Christus, operibus distinctis a passione sua usque in finem sæculi.

Nunc in altum fidei vela pandenda sunt. Etenim quæ de isto pleno sive de plenitudine ejus hactenus manant, et usque in finem sæculi manare non desinunt, septem hujus septiformis flumina ipso aspirante permeare cupimus, eodem quo ordine Spiritus eosdem a Christi Domini passione usque ad ultimum judicii diem, in hoc mundo universali, magis operari ex ipsis operibus advertere possumus. Ordo ipse a nobis susceptus iste est : In ipsa humilitatis Christi passione diaboli calliditas superata est, juxta illud : Et prudentia ejus percussit superbum (*Isa.* xxvi, li), et in sacramentis ejusdem passionis quibus regeneramur, vel regenerati sumus, sanctum sapientiæ Spiritum prædicabimus. In eo quod per eamdem Christi passionem *velum templi scissum est* (*Matth.* xxvii), imo velamen vultus Moysi quod positum est super cor Judæorum, a cordibus credentium sublatum est (*Exod.* xxxiv ; *II Cor.* iii), ut aperto sensu Scripturas intelligerent, maxime apostoli, qui erant homines idiotæ et sine litteris, sanctum *intellectus* Spiritum confitebimur. In eo quod *cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret* (*Rom.* xi), veterisque culturæ templum exterminio datum est, ne currentis Evangelii quadrigas stantes impedirent ejus lapides, sanctus nobis *consilii* Spiritus glorificandus est. In præliis martyrum, quibus diabolus victus est, et de templis, vel delubris, atque simulacris gentium non valentibus adversariis resistere, aut contradicere ejectus est, sanctus nobis *fortitudinis* Spiritus, qui in ipsis loquebatur collaudandus est. In sanctis Patribus atque doctoribus nostris, qui Scripturas sanctas fideliter tractando exposuerunt, ita ut in ipsis veraciter impleium sit illud propheticum : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* xii), sanctus nobis *scientiæ* Spiritus digna cum gratiarum actione venerandus est. In eo quod postquam plenitudo gentium subintraverit, tunc *auferetur velamen* (*II Cor.* iii), et reliquiæ convertentur ex Israel (*Rom.* ix, xi), sanctus nobis *pietatis* Spiritus confitendus est. In eo quod ad judicandos vivos et mortuos venturus est, ut procedant *qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v), sanctus nobis *timoris* Domini Spiritus prædicandus est. Et quidem septem primæ creationis diebus, totidemque sequentibus mundi ætatibus insistentes, ad eosdem respiciebamus spiritus, quod secundum ipsos operaretur Deus Pater, Deus Filius ; sed illic tanquam in imagine, hic autem in re ipsam nobis adesse intuemur personam Dei sancti Spiritus. Ipse quoque ordo differt. Nam in illis a *timore* ad *sapientiam* ascendebamus, hic autem a *sapientia* ad *timorem* descendimus, habentes in fine sæculi quod semper timeamus, quamlibet perfecti simus, quamvis apud homines jam apprehendisse videamur. Etenim quis sapiens aut intelligens, quis consultus aut fortis, quis scientiarum, aut pietatis thesauros possidens, castum ibi cor se habere gloriabitur, ubi virtutes cœlorum movebuntur, ubi timebunt angeli, et territi purgabuntur? Magnus ergo *ibi timoris Domini spiritus*. Igitur per hæc septiformis gratiæ flumina navigaturi, ducem ipsum atque rectorem Spiritum sanctum invocamus, ut ipso cursum regente ad optatum finem, cum fructu lætitiæ, mereamur pervenire. Amen.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER SECUNDUS.

DE SAPIENTIA LIBER PRIMUS.

628 CAPUT PRIMUM

De Spiritu sapientiæ, quod per hunc obediendo et patiendo semetipsum Deo obtulerit Christus.

Spiritum sanctum, *per quem*, ut Apostolus ait, *Christus semetipsum obtulit Deo hostiam viventem, ut suo sanguine emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX), Spiritum sapientiæ dicimus, sapientiæ, inquam, *quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent*, ait idem, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Cum autem Spiritum sapientiæ dicimus vel audimus, effectorem sive largitorem subintelligimus. Sed et ipsius, quam efficit hic Spiritus, definitio sapientiæ, si convertitur, dicere non dubitamus sensum esse quemdam, quo a nobis ipsa sapientiæ substantia sentitur, quæ est secundum divinam naturam ipse Christus, Dei Filius, Verbum Dei, Verbum Deus. Qui, cum secundum divinam, ut jam dictum est, naturam ipsa sit sapientia, secundum humanam naturam in eo requiescere hic *sapientiæ spiritus*, et ipse sapiens esse dicitur, quia videlicet anima ejus habitantis in ipsa substantialis sapientiæ sensum habet plenarium præ cunctis sapientiæ participibus, illum sapientiæ sensum, maxime ex obedientia, vel patientia ejus, ex processu sive fructu obedientiæ vel patientiæ ejus cognoscere vel inquirere debemus. Et hoc ipso adjuvante facturi, nunc prius faciem ejusdem sapientiæ, a facie sapientiæ filiorum hujus sæculi discernere conemur.

CAPUT II.

Quod in contrarium afferant sapientia, quam hic Spiritus sanctus efficit, et sapientia hujus mundi, et invicem adversari non desinant usque in finem sæculi.

Sapientia quam hic Spiritus sanctus efficit, unde et Spiritus sapientiæ dicitur, hoc maxime differt a sapientia sæculi, quod illa pervertit ac destruit, hæc autem rectum tenet aut custodit in homine ordinem primæ conditionis. Recolit enim hæc, imo nunquam obliviscitur, quod illa scire, vel reminisci dedignatur, scilicet quod dixerit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis omnique reptili* (*Gen.* I). Ac deinceps, eadem Scriptura referente : *Formavit hominem de limo terræ* (*Gen.* II). Hæc ista recolens semperque memoria tenens, ita servat eumdem conditionis ordinem, ut animam sursum sublevet *ad imaginem Dei*. corpus vero humiliet in terram, cujus *de limo* Deus illud *formavit*, qua tenus Deo spiritus hominis subditus sit, corpus vero spiritui. Econtra, sæculi hujus sapientia sic eumdem ordinem pervertit, ut dictum est, et destruit, ut inflatum sensum hominis faciat immemorem Dei, corpus autem in magno habeat, seu facultates corporis qualia sunt divitiæ, principatus, et claritudo generis, sicque Deo rebellis spiritus hominis, spiritui vero dominetur vilior portio carnis. Ab hac parte judicium rationis, nec philosophos hujus mundi secernit, *dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt*, etenim *servierunt creaturæ potius quam Creatori*, unde et *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis* (*Rom.* I). Illa ergo sapientia multum perverso ordine quasi manibus ambulans, pedes sursum attollit, et caput per terram trahit; hæc autem recte incedens pedibus terram premit, facie cœlo intendit. Tam diversis, imo contrariis vultibus nunquam pax aut concordia convenire potuit, sed semper invicem adversantur, et adversari non desinunt usque in finem sæculi. Est autem summa illius jactantia, pares homines etiam cum injuria potuisse supergredi, summa hujus laus, subveniendo paribus aut etiam minoribus injuriam non solum non facere, verum etiam æquanimiter pati. Summum utriusque certamen, in passione Christi Filii Dei, sic universo spectatum est orbi ut tam nobiliter nusquam hic Spiritus sapientiæ per patientiam vicerit, nusquam tam ignobiliter sapientia sæculi stulta convicta sit. Hinc ergo ut proposuimus spectaculum jam nunc ingrediamur. In eo primum sapientiæ virtutem novus hic Adam exercuit, quod peccatum non fecit, a quo vetus ille non abstinuit; deinde in eo quod omni obediens se subditur majori, quod illé non fecit. Majorem autem dicimus, homine assumpto, Deum, qui illum assumpsit, majorem, inquam, divinitatem impassibilem, humanitate passibili, quemadmodum dicit : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV). Majorem denique se Patrem cum dicit, et *meum* non addit, non unam tantum personam, sed unum intelligimus Deum Patrem *omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (*Ephes.* IV), id est Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. Huic, inquam, majori, iste novus homo, iste in una eademque persona Deus et homo, unus Christus omni obedientia subdidit se, in eo scilicet quod peccatum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

non fecisset (*I Petr.* II), et idcirco morti nihil deberet, mori nihilominus voluit, propter mandatum ejusdem majoris, quemadmodum dicit : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo* **629** *Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* XXIV). Mori autem non qualicunque voluit morte, sed morte crucis, quod et Apostolus digne magnificans, cum dixisset: *Factus est pro nobis obediens usque ad mortem*, addidit, *mortem autem crucis* (*Philipp.* II). Consideravit enim, ut vere sapiens, quod non parvo cum fructu deberet mori, sicut quasi pro conditione loquebatur jamdudum de illo in propheta hic idem sapientiæ Spiritus : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos* (*Isa.* LIII), etc. Hoc ille vetus homo non fecit. Noluit se subdere majori, noluit obediens esse usque ad abstinentiam, abstinentiam autem unius ligni. Quanto melior *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vera et humano generi valde necessaria sapientis obedientia, sapientis atque obedientis patientia, sola valens ad insipientiæ atque obedientiæ illius tollenda nobis opprobria. Hæc sapientia, vel hic spiritus sapientiæ, generis humani ora laxavit, et linguam disertam fecit, ita ut confidenter dicamus, quotquot credimus in istum sapientem Christum Filium Dei : Pater vetus Adam, Pater carnis nostræ insipiens peccavit, et non est; nos autem iniquitatem ejus portavimus (*Thren.* III), sed itidem Pater noster Dominus Christus, novus Adam, Pater fidei nostræ justitiam fecit, et hic jam in mundo non est. Quare ergo justitiæ ejus hæreditatem non toleremus, qui ab illo Patre hæreditatem injustitiæ portabamus?

CAPUT III.

De beato Job, quod in illo præcesserit hujus sapientiæ, id est patientiæ, Christus typus.

Res magna, et grandi sermone dicenda, sed non absque certo præsidio Scripturarum, non absque fida statione rerum præcedentium, quatenus in gradu suo firmiter stet sermo fidelior, et non pro incerta multitudine dictorum suomet ipse lassetur fastidio. Gaudemus ergo nunc eo ipso quod longe superius quodam loco condolebamus, scilicet quod cum futuræ veritatis, id est Christi Filii Dei, venerandas imagines sive figuras in patriarchis, regibus et prophetis per ordinem contemplaremur, beatum Job exemplar patientiæ præterivimus, quem Patrum venerabilium auctoritas non tacuit in typum præcessisse ejusdem Domini Christi et Ecclesiæ ejus. Hoc, inquam, nunc gaudemus; hic enim non parum habet locum commemoratio ejus. Siquidem sapientiæ spiritus, de quo nunc loquimur, qui in hujus sapientis Christi patientia plenarie requievit, ejusdem futuræ requiei suæ figuram in illius patientia præclaro certamine expressit. Igitur quoniam et rei, de qua loquimur, magna majestate ac splendida reverberamur, hoc quasi speculum soli admoveamus, ut tolerabilius atque certiore intuitu hunc sanctum sapientiæ Spiritum, in Christo operantem, sequi valeamus.

CAPUT IV

Quomodo Satan, ubi exemplar hujus sapientiæ Job tentandum expetebat, circuibat terram et perambulabat eam. Hic autem, ubi Christum fecit occidi, foras missus est.

Exemplar sapientiæ hujus, quæ, ut Apostolus ait, gentibus stultitia est (*I Cor.* I); sed enim quod *stultum est Dei, sapientius est hominibus* (*ibid.*). Hujus, inquam, sapientiæ exemplar in eo est quod *egressus Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus. Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio* (*Job* I, II). Nempe ulcus pessimum intentabat Satan in Job, id est dolentem, subauditur pro nobis Dominum Jesum, quando juxta sapientis illius testimonium dicebant impii, quorum utique corda possidebat Satan : *Morte turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II). Et illum quidem percussit simplicitati atque rectitudini innocentis ac timentis Deum invidens, istum autem percuti fecit, tormenta quæ ex ejus præsentia patiebatur ferre non sustinens, quod multoties confessus est. Verbi gratia, cum diceret per os hominis, cui totam immiserat legionem. *Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei summi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas* (*Marc.* V). Amplius enim Satan in isto urgebatur, magis in isto quam in illo ad judicium disceptationemque vocabatur. Illic etenim interrogatus a Domino dicente: *Unde venis?* responderat semel et iterum: *Circuivi terram et perambulavi eam* (*Job.* I), non exigebatur judicium, non erat qui diceret : Nunc judicium sit mundi, nunc ejicieris foras, o circuitor mundi et perambulator terræ Satan. Non, inquam, erat qui hæc diceret, et idcirco gloriabatur, quod nullo fortiore superveniente vacaret sibi victori circuire terram et perambulare eam. Hic autem erat qui diceret : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Igitur cum hic dolens qui quondam dives et ut vere rex sedebat, circumstante angelorum exercitu extra portam ejectus morte esset turpissima percussus, quasi leprosus reputatus revera sedebat Job in sterquilinio sanie coopertus; nam Dominus posuerat in eo iniquitates omnium nostrum (*Isa.* LII). Verum easdem iniquitates nostras, omnemque corruptionem, et ipsam mortalitatem nostram per virtutem resurrectionis erasurus erat, et idcirco recte dictum est quia Job *testa saniem radebat.* Testa quippe prius mollem lutum, post autem igne coquente solidum factum, caro est Christi prius passibilis atque mortalis, utpote nostrum lutum, post autem per ignem passionis, sic in resurrectione solidata, ut morte aut ulla corruptione jam non solvatur in æternum. Hoc secundum rem veram in isto factum est, de quo loquimur, spiritu sapientiæ, secundum sensum autem, vel sa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

pientiam hujus sæculi stultitia videbatur. Sed esto : Quoniam, inquit Apostolus, non potuit *mundus per sapientiam* cognoscere *Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (*II Cor.* I). Nemo revera nisi ad istam, quam dicunt stultitiam Deus descendisset, Deum mundus vane sapiens non cognovisset.

CAPUT V.

Quod omnes electi maledixerint quantum potuerunt eidem diei vel nocti, quam maledixit Job ; solus autem Christus, quia peccatum non fecit, efficaciter maledicere, id est damnare, potuerit.

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine (*Job.* III). Dies nativitatis vel nox, quam maledicere sapientis erat, peccatum fuit primi hominis, dies, inquam, ironice, vere autem nox. Nam illo tanquam in die nobis aperiendi promittebantur oculi, dicente deceptore : Comedite, et *eritis sicut dii* (*Gen.* III), sed ubi creditum est illi, paries inimicitiarum inter nos et Deum consurrexit, et ita in nocte, id est non visuri Deum male fuimus concepti. **630** Et illum quidem diem, imo illam noctem, Job ille maledixit, quantum potuit, et quisquis alius ab origine mundi peccatum illud diaboli damnavit, et justitiam Dei suspiravit, sed nullius eorum maledictio satis efficaciter illud damnare potuit. Causas ejusdem impossibilitatis postmodum ita subjungit : *Quare non in vulva mortuus sum ? Egressus ex utero, non statim perii ? Cur exceptus genibus ? Cur lactatus uberibus ?* (*Job* III.) Absit enim nos credere quod tantus vir, tanta spiritus scientia præditus, tanta interim judicis attestatione laudatus, abortivum se optet interiisse, sed sicut etiam per remunerationem cognoscitur, intus habet testem suæ fortitudinis, intus pensanda sunt ejus pondera locutionis. Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, et deficiendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus, culpam confiteri noluit per audaciam (*Gen.* V). Plane et nos in illa vulva non mortui sumus, et egressi ex utero illo non statim perivimus, imo eisdem excepti genibus, eisdem lactati uberibus. Nam in illo Adam omnes peccaverunt, inquit Apostolus (*Rom.* III). Igitur peccati illius diem sive noctem, neque prædictus Job, neque electorum quisquam satis efficaciter maledicere, id est damnare potuit, quia ut de actualibus taceam peccatis eorum, quibus non omnino caruerunt, omnes illud idem de Adam contraxerunt originale peccatum. Hic unus efficaciter maledicere, id est damnare potuit, quemadmodum et Apostolus dicit : *Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens, de peccato damnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII).

CAPUT VI.

Quomodo dixerit vel dicat Christus pro cuncto genere humano : « Pereat dies, in qua natus sum, » etc.

Proinde dicat hic unus homo, dicat hic unus pro cuncto genere humano : *Pereat dies in qua natus sum, et nox, in qua dictum est : Conceptus est homo* (*Job* III). Sed nunquid iste in illo peccati die natus est, et in illa nocte infelicitatis conceptus est? Natus plane in illo die, et conceptus est in illa nocte. Verumtamen longe aliter novus hic, atque aliter novus ille homo. Nam ille prædicto modo natus vel conceptus est, ut qui homo erat et bene erat, peccator fieret et male existeret ; hic autem ita conceptus et natus est, ut qui Deus erat, et impassibilis atque mortalis erat, homo fieret, et passibilis atque immortalis existeret. Et uterque quidem in die vel nocte peccati, sed ille ut fieret peccatum, hic autem quia factum fuerat peccatum. Ille prava suggestione deceptus, et propriæ substantiæ corruptione natus, id est degeneratus est. Hic autem voluntate Patris et sua de Virgine conceptus, et alienæ substantiæ assumptione homo factus. Ille diabolo natus ad culpam simul et pœnam. Hic Deo natus est sine culpa, ad culpæ pœnam. Istic sapientiæ locus est, istic sapientiæ spiritus quid dicat vel innuat attendendum est. Ecce enim homo Christus, homo justus, hominibus peccatoribus multum debet. Confortentur manus dissolutæ, et roborentur genua peccatorum debilia (*Isa.* XXXV), quia videlicet, si fide et pietate eruditi, si sapientes causidici vel juris periti sint, habent quo constringant judicem suum. Dicat enim : Ego propter vestrum peccati diem natus, propter vestram iniquitatis noctem conceptus, et qui Dominus Deus immortalis eram, homo mortalis factus sum. Dicant ad hæc peccatores fideles, peccatores pœnitentes : Et siquidem multum tibi debemus nos, Deus Christe, quia homo factus es, at tu econtra multum nobis debes, homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset. Confortentur, inquam, nec enim id solum attendere debent, quod tantæ dignitatis Dominus propter tam indigna servilium personarum delicta, tantis affectus est injuriis et ipsa morte, morte autem crucis (*Phil.* II). Verum id quoque, quod nisi peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis. Nec enim Dominus ille pro servis contumacibus sive sceleratis plus injuriarum quam gloriæ pro eisdem suscepit. Nam pro quibus in cruce pependit, pro eisdem ut interpellet (*Rom.* VIII), sedet nunc a dextris Dei (*Psal.* CVI). Hic accepta ratione veritatis, a quocunque illam acceperit, sive a Judæo, sive a gentili, vim pati gaudet rex regni Dei, ut regnum ipsum diripiant violenti (*Matth.* XI), quibus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et quasi ratione victus, aperiat os suum, et dicat eis : *Pereat* vobis *dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Quod est dicere : Dies peccati, qui secundum falsitatem serpentis dicentis : Comedite et *aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*Gen.* III), putabatur dies, revera autem nunc nox est, in qua die vel nocte, id est propter quam diem vel noctem, ego qui Deus eram, homo natus sum, *pereat* vobis. Quomodo pereat? *Non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine* (*Job* III). Hæc vestra beatitudo sit, quam et in psalmo Propheta dicit suspirans : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* (*Psal.* XXXI), etc. Nam hoc est non requiri diem illum, et non illustrari lumine, quod est remissas iniquitates et peccata tecta esse. In hanc nimirum largitatem os suum tunc semel aperuit, in æternum non clausurus illud, quando dixit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI).

CAPUT VII.

Quod Judæi qui prius lucebant, excæcati sint in passione ejus, et quod ei contra illos dicere conveniat : « Obscurentur stellæ in caligine noctis illius. »

« *Obscurent eum tenebræ, et umbræ mortis, occupet eum caligo, et involvantur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellæ caligine ejus* (*Job* III). *Obscurent eum*, inquit, *tenebræ et umbra mortis*, subauditur in reprobis. Nam in electis dies ille vel nox illa periit. Nimirum in hoc quoque os suum aperuit, data sibi potestate judicium faciendi, ut eumdem diem peccati damnet in reprobis, quem destruxit in electis. Unde et cum dixisset : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, continuo subjunxit : *Qui vero non crediderit condemnabitur* (*Marc.* XVI). Hæc, et cætera quæ sequuntur relinquimus, quoniam multa sunt, et in B. Gregorii papæ Expositionibus, luce clariora redduntur, et tantummodo pauca ex multitudine **631** decerpimus secundum intentionem, qua nunc in laudibus spiritus sapientiæ mentem extendere cupimus. *Obscurentur*, inquit, *stellæ caligine ejus.* Stellæ hoc loco tales intelligendæ sunt, quales et in Apocalypsi intelligimus, ubi scriptum est : *Et cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram* (*Apoc.* XII). Stellas namque in terram trahere est eos qui videntur studio vitæ cœlestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Tales profecto tunc Judæi fuere, qui cum putarentur Scripturarum lucem habere, seque arbitrarentur stellas esse secundum promissionem quæ facta est ad Abraham dicendo : *Suspice cælum et numera stellas, si potes, sic erit semen tuum* (*Gen.* XV), cauda draconis antiqui colligati tracti sunt in terram quando in iracundia terræ loquentes, dixerunt : Interficiamus eum, *ne forte* veniant *Romani, et* tollant *nostrum et locum et gentem* (*Joan.* XI). Has ergo stellas intuens, *obscurentur*, inquit, *stellæ caligine ejus.* Quomodo hoc dixit? Nimirum non tam voce quam facto mirabili, ubi crucifixo illo *a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam* (*Matth.* XXVII). Hoc etenim signo dicebatur eis, quod lucem perderent, relinquendi in tenebris, in profundo ignorantiæ veritatis. Unde Apostolus : *Nolo enim*, inquit, *vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel* (*Rom.* XI), et subinde : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit (*ibid.*)?

CAPUT VIII.

Quod crux Christi illa fuerat statera, in qua suspirans ille : « Utinam, inquit, appenderentur peccata mea, quibus iram merui, » etc.

Istæ viæ investigabilis sapientiæ Dei erant misericordia et veritas (*Psal.* LXXXIV), sive misericordia et judicium, et hoc agebat in illa passione Christi hic spiritus sapientiæ, quatenus *misericordia* superexaltaret *judicium* (*Jac.* II), nemine cognoscente principium tenebrarum, aut principium hujus sæculi, qui illam crucifixerunt. Hoc, inquam, agebat hic spiritus sapientiæ quatenus, librata æquitatis statera, plus pœnarum de humano genere sumptum appareret quam culpa meruisset, atque ita mutari jam sententiam antiquæ damnationis, ratio justa postularet, rationabilis justitia non negaret : hoc suspirans in illo beato Job ejusdem sapientiæ Spiritus, pro nobis omnibus dicebat : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret* (*Job* VI)! Quomodo autem hoc fieri posset? Quomodo calamitas humani generis peccatis ejus gravior appareret, nisi ut plures fierent damnati quam rei, plures puniti quam auctores sive hæredes peccati? Hoc ergo mira et laudabili arte spiritus sapientiæ agebat. In eo quod Christus ad mortem tradebatur, qui peccatum non fecerat, ibi erat crux, statera Patris, habens disposita hinc in lance judicii peccata mundi, inde in lance misericordiæ calamitatem generis humani. Vicit pondere calamitas in lance misericordiæ, lancemque sustollens judicii, peccata decussit in profundum maris. Cur hoc? Videlicet quia plures erant damnati quam rei, plures, inquam, puniti, quam qui merebantur puniri. Unus abundabat in numero damnatorum, unus supererat Christus, damnatus, non reus, punitus, et causam, non habens cur puniretur. Hujus dolentis passio totius generis humani doloribus justis injuste superaddita præponderavit, quasi massa arenaria, graviorque fuit calamitas mundi quam ejusdem peccata, ac proinde misericorditer quidem nostra, id est damnatorum suscepta est causa, sed juste mutata, qua fueramus damnati sententia. Laus igitur huic sapientiæ Spiritui, cujus tali artificio factum est ut ju-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ste hostes universos perderet, dum admittitur ad unum qui morti nihil deberet.

CAPUT IX.

Quomodo in illo homine hæc sapientia derisa sit a filiis stultitiæ, et quod pro illo dictum sit : « Qui deridetur ab amico suo, sicut ego. »

Interea deridetur tanta sapientia, deridetur, inquam, a filiis stultitiæ, sibimet invicem applaudentibus, velut qui astute et efficaciter insidiati fuerint sanguini, abscondendo contra insontem tendiculas, atque alterutrum dicentibus : *Deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum, omnem pretiosam substantiam reperiemus* (*Prov.* 1). Derisores eorum legimus, audivimus : Exspuerunt in faciem ejus, colaphis eum cæciderunt, palmas ei in faciem dederunt (*Matth.* XXVI), arundine nihilominus caput ejus percusserunt, et genu flexo salutantes, dixerunt : *Ave, rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). Sed et cum jam crucifixissent eum, amplius illudebant dicentes : *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud ! Salva temetipsum* (*Marc.* XV). Item : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XXVII). Hoc modo deridebant eum stulti filii stultorum. Sed ecce jam in isto dicebat, iste consolatorius spiritus sapientiæ pro illo : *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. Deridetur enim justi simplicitas, Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Nimirum interroga jumenta, et docebunt te, et volatilia cæli, et indicabunt tibi, Loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit in cujus manu anima omnis viventis et spiritus universæ carnis homini? Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet, et si incluserit hominem, nemo est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Et si emiserit eas, subvertent terram. Apud ipsum est fortitudo et sapientia, ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. Balteum regum dissolvet, et præcinget funes renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios et optimates supplantat. Commutans labium verácium, et doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant, relevans. Qui relevat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes et perdit eos, et subversas in integrum restituit. Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios* (*Job* XII).

632 Nimirum prophetica hæc esse innuit, dum continuo subjungit : *Ecce omnia, et vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula* (*Job* XIII). Prophetica, inquam, hæc esse, et quæ ventura erant oculis suis præsentia testatur, per prophetiæ spiritum facta esse. In illo enim ea quæ secutura erant videbat assistentia, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt.

CAPUT X.

Quod in typum ejus, qui deridendus erat a consanguineo sibi populo Judaico, derisus ab amicis suis fuerit Job, et quod de Christo veraciter dictum sit : « Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. »

Igitur quod dicebat hic in typum ejus percussus et *sedens in sterquilinio* (*Job* II) judicium damnationis erat in illos stultitiæ filios qui vere sapientem et summe sapientem deridebant modo supradicto : *Qui*, inquit, *deridetur ab amico suo, sicut ego* (*Job* XII). Quid enim est *sicut ego*, nisi ac si diceret, cujus ego derisus ab amicis meis, typum præfero? Nam ego ab amicis meis derideor, ille deridetur, id est sine dubio deridendus est ab amico suo, a consanguineo suo Judaico populo, cui loquitur in psalmo : *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV). Nam ille populus mira stultitia eum maledicebat, cum quo dulces cibos capiebat, id est eum in cruce pendentem deridebat, quem in templo sacrificiorum cæremoniis figurabat. Et quemadmodum istum Job amici ejus sedentem in sterquilinio deridebant quem sedentem quasi regem circumstante exercitu venerari soliti fuerant, sic Scribæ et Pharisæi morientem illum deridebant, quem ut vere regem magnum, Regem regum in prophetis lectitando prædicabant. Sed enim quomodo amici illi, elevantes oculos suos non cognoverunt quod ipse esset Job (*Job.* II), si isti non cognoverunt, imo cognoscere noluerunt quod hic esset Christus, qui repromissus fuerat ad patres eorum, noluerunt, inquam, cognoscere elevantes, id est elevatos oculos in superbiam habentes. Itaque *qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit*, ait, *Deum, et exaudiet eum. Deridetur enim justi simplicitas.* Ac si dicat : En ego derisus ab amicis meis invoco Deum, et nondum exaudit me, nondum, inquam, exaudit, ut pro hac derisione in regnum suum cœleste suscipiat me. Alius est qui deridebitur ab amico suo sicut ego, et in ipsa derisione *invocabit Deum et exaudiet eum*, ut pro ipsa derisione gloria et honore coronet eum (*Psal.* VIII). Tunc ille dicet : *In tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus* (*Psal.* XVII). Sicut enim nunc mea infirmitas, sic et tunc illius *justi deridebitur simplicitas*, quod *sicut ovis ad occisionem* ducatur, et sicut *agnus coram tondente se*, sic *non* aperiat *os suum* (*Isa.* LIII), et reputabitur pro stultitia. Sed enim hoc *stultum* ejus *sapientius est hominibus* (*I Cor.* I). Quid enim? *Lampas contempta*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. Etenim hic justus, cujus simplicitas deridetur, ille est, de quo in propheta loquitur Deus : *Propter Sion non tacebo, propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur* (*Isa.* LXII). *Lampas* ista lucens dictis vel doctrinis, splendens miraculis, *contempta est apud cogitationes divitum*, apud superbiam tenebrarum, quæ lucem illam comprehendere non potuerunt. Quare? quia non lucebat quomodo volebant, non splendebat quomodo splendere volebant suum Messiam, scilicet ad præsentem et vanam hominum gloriam. Talem enim non exspectabant Christum, qualem istum viderunt, sed qualem splendore maligno splendentem susceputi sunt Antichristum. Idcirco *contempta* est *lampas ista apud cogitationes eorum* maxime ubi per mortem crucis lucem ejus se exstinxisse putaverunt. At illa parata erat et *parata* est *ad tempus statutum*, quo in tempore fiet illis quod scriptum est : *Domine, exaltetur manus tua, ut non videant, videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret* (*Isa.* XXVI). Illud tempus suum, quo super candelabrum cœli ponenda lampas ista prospiciens, derisores tenebrarum patiebatur, dum exstingui putaretur, vere lampas sapientiæ pro sua quoque taciturnitate, juxta illud : *Sapiens tacebit usque ad tempus* (*Prov.* II).

CAPUT XI.

Quomodo vel unde divites fuerint, qui hanc sapientiæ lampadem contempserunt.

Ergone divites erant illi, quorum apud cogitationes lampas ista contemnebatur? An divitum et non magis pauperum sensu erat contemnere splendida facta, lucida dicta lampadis hujus? Plane divites, sed non de suo, divites rapto, divites ex aliene, ita ut cum dictum sit, *apud cogitationes divitum* idem improperium intelligas, ac si dictum fuisset, apud cogitationes prædonum. Sequitur enim : *Abundant* enim *tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Denique isti erant prædones Dei, prædones uniuscujusque proximi sui. Nam quod prædones Dei fuerint testatur ipse Deus, dum in Oseæ de Synagoga illiorum, querelam depromens dicit : *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo et liberabo lanam meam et linum meum quæ operiebant ignominiam ejus.* (*Ose.* II). Porro quod proximorum quoque prædones fuerint, testatur in Isaia, cum dicit : *Vos enim depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domibus vestris* (*Isa.* III). Item : *Væ, qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci* (*Isa.* V), et his similia. Ergo cum dixisset : *Apud cogitationes divitum*, quasi quæreres unde vel quomodo ditati sunt, *abundant*, inquit, *tabernacula prædonum.* Quare autem non dixit Domus, sed tabernacula prædonum? Videlicet, ut acrius percuteret ingratitudinem illorum, mala pro bonis Deo reddentium. Hac etenim dictione nos ad historiam mittit paupertatis et fugæ illorum, quando fugientes de terra Ægypti, de domo servitutis, ubi propter venditionem fratris sui Joseph, justa captivitate servi erant, in tabernaculis habitabant ne passum quidem pedis de ulla terra habentes, nisi quod ejecit Deus a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram eorum. *Dedit*, inquam, *illis regiones gentium, et labores populorum possederunt* (*Psal.* CIV). *Abundant* ergo, inquit, *tabernacula prædonum*, id est de tabernaculis ad divitias, dono quidem Dei pervenerunt, sed eisdem divitiis, tanquam Dei prædones abusi sunt. In quo? *Audacter*, ait, *provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Et quidem pro hoc ipse in persona sua conqueri poterat **633** dicendo : *Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, quia eduxi te per desertum quadraginta annos, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam? Quid ultra debui facere tibi, et non feci?* (*Mich.* VI). Hæc, inquam, et his similia, poterat ipse conqueri in propria persona sua, sed taciturnitatem habens usque ad tempus, quod sapientis erat, exspectabat donec istam querelam de prophetis arreptam per os omnium gentium depromeret idem sapientiæ Spiritus, adjungendo : Parasti crucem Salvatori tuo.

CAPUT XII.

Quæ jumenta et quæ volatilia cœli, quæ terra, et qui pisces maris docuerint, indicaverint, responderint, quod illa lampas ad tempus statutum parata sit.

Nimirum, ait, *interroga jumenta, et docebunt te, et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.* Magna et vera hujus Spiritus sapientiæ laus, quia non tantum, ut alibi scriptum est, *aperuit os muti et linguas infantium fecit disertas* (*Sap.* X), sed jumentis, quoque et volatilibus cœli et piscibus maris, docendi, indicandi atque narrandi auctoritatem dedit. Quæ etenim jumenta ista, quæ volatilia cœli, qui pisces isti, nisi homines quondam bruti, qui non habebant notitiam Dei? Nam alii quidem jumenta terræ, alii volatilia cœli, alii pisces maris, pro diversis artibus sive officiis, omnes autem pro hac parte muti eramus atque bruti; nunc autem hic sapientiæ spiritus os nostrum aperuit, et linguas nostras disertas fecit, quatenus divites, imo prædones illos, qui lampadem istam in cogitationibus suis contempserunt, docere possimus, et indicare illis atque enarrare quod iste contemptus eorum cæcitas sit, narrare, inquam, et convincere, si non ut convertantur, at saltem ut confundantur, et invidia torqueantur, juxta illud : *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam* (*Rom.* X). *Quis*, inquit, *ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis?* Imo quis ignorat quod is cujus manus hæc fecit, Dominus est? Fecit autem hæc ipse qui, cum esset *lampas*, ut jam dictum est, *apud*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cogitationes divitum contemnebatur, fecit, inquam, in tempore statuto ad quod parabatur, nam in tempore suo cum ascendisset super cœlos sedissetque ad dexteram Patris, resplenduit magnifice atque emisit dispertitas linguas tanquam ignem, imo vere ignem Spiritus sancti, qui et super singulos discipulorum sedit, cujus erat signum illa species ignis, quæ visibiliter apparuit (*Act.* II). Ille ignis invisibilis de paucis apostolis excandescens, omnem terram illuminavit, prædictaque jumenta terræ, volatilia cœli et pisces maris sic illustravit, ut sciant et docere, indicare atque enarrare possint magnalia Dei, hominibus sive hominum filiis, id est Judæis. et Judæorum magistris gloriantibus, quod soli homines, vel filii hominum sint. Igitur iste Dominus, cujus manus hæc fecit, Dominus, inquam, *cujus in manu est anima omnis viventis et spiritus universæ carnis*, hominis omnino cujus tanta potestas est, ut de lapidibus homines facere possit (*Matth.* III). Propter quod dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Sed ecce aliud dicunt, et aliud sentiunt, improperantes nobis quasi jumentis homines illi, homines stulti. Non, inquiunt, Dominus est ille, qui fecit hæc vobis, non ille, cujus hæc mutatio est, Filius est aut dextera Excelsi. Magnus erat, seductor fuit, non erat verus Filius Dei. Ad hæc dicimus : Omnia jumenta terræ, omnia volatilia cœli, omnes pisces maris, quorum hic sapientiæ spiritus aures aperuit, fauces sanavit. Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem? Quod est dicere : Nonne ipsi scimus, quod experti sumus, aut certius aliquid ab homine audire possumus, quam quod interius Spiritu sancto revelante quasi gustando didicimus? Scimus enim quia ex fide hujus spiritum accepimus, et qui jumenta eramus, ecce homines, imo dii sumus, et mente in cœlis conversamur, pluresque ex nobis sic ex illa lampade inflammati sunt, ut ad conspectum eorum dæmones abeant, et fugiant de obsessis corporibus.

CAPUT XIII.

Cur cum dixisset : « In antiquis est sapientia, » etc., subjunxit : « Apud ipsum est sapientia, » etc.

In antiquis est sapientia, et multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam. Quomodo auris verba dijudicat, et fauces comedentes saporem, sic certissima rationis discretione non isti, qui prius erant quasi jumenta dijudicant, quod amplius in isto, vel apud istum sit præ omnibus sanctis vel justis antiquioribus Abraham, Isaac et Jacob, Moyse, et David et prophetis omnibus. Nam in illis antiquis, in illis qui multo ante tempore fuerunt, sapientia atque prudentia est, videlicet a quibus vel per quos sapientiæ vel prudentiæ thesauros omnes continens, sancta Scriptura condita est. Verum aliter in illis, aliter apud istum sapientia est. Nam in illis participatione, apud istum est tota suimet universitate. Amplius autem et in hoc differunt, quod in illis sapientia tantum, apud istum autem sapientia simul et fortitudo est. Etenim illi quod sapiebant, ad effectum perducere non potuerunt, iste autem sapientiam actu perduxit usque ad victoriam, destruendo mortem, et reparando vitam. Adde quod apud istum consilium quoque et intelligentia est. Consilio diaboli calliditatem infatuavit, intelligentia secreta Scripturarum sive omnia mysteria Dei, non solum obtinuit ipse aut penetravit, verum et aliis quibus voluit, et prout voluit, aperuit. Amplius autem et in occultis judiciis terribilia perpende experimenta ejus, quia apud eum est Spiritus sapientiæ et fortitudinis. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet, et si concluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emiserit eas, subvertent terram.* O derisores, o stulti divites, lampadis hujus contemptores, quid insultatis, capita vestra moventes, atque dicentes : *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud* (*Matth.* XXVII). Nemo, si destruxerit, nemo est qui ædificet, nemo est qui lapidem super lapidem reponat. Si incluserit vos Romana obsidione, quod utique faciet, nemo est qui aperiat, ut vobis sive *ab oriente*, sive *ab occidente*, sive *a desertis montibus*, locus effugiendi pateat (*Psal.* LXXIV). Sed vos putatis quod nulla sit fortitudo ejus propter crucem, et clavos quos videtis in manibus ejus. Stulti et cæci, brachia crucis *cornua* sunt *in manibus ejus*, et dictante socia fortitudinis sapientia, quæ similiter apud ipsum est, *ibi abscondita est fortitudo ejus* (*Habac.* III), abscondita, inquam, ad tempus, videlicet donec quoque lancea perfodiat **634** latus ejus, et exinde currat perpetuus sanguis et aquæ fluvius. Quare? Nimirum, quia *si continuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emiserit eas, subvertent terram.* Si enim integro corpore, si, non aperto latere, sacrilegas manus, aut linguas vestras evadere voluisset, atque hoc modo visibiles aquas baptismi, invisibiles continuisset aquas gratiæ Spiritus sancti. Si, inquam, hoc fecisset, omnia ut erant sicca permansissent. Quia vero mori atque lanceari maluit, ecce aquas illas emisit, et terram, id est peccata subvertit. Idcirco sapientiam et fortitudinem, quæ apud ipsum est abscondere voluit, cum diceretis quasi sapientiam non habenti : *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit* (*Luc.* XXII), cum diceretis quasi fortitudinem non habenti : *Vah qui destruis templum Dei!* (*Marc.* XIII; *Matth* XXVII.)

CAPUT XIV.

In quo fortitudo apud eum contra Judaicam superbiam, in quo sapientia contra malitiam exstiterit, quorum et balteum solvit, et doctrinam sustulit.

Dixi ergo, et iterum dico : *Apud ipsum est fortitudo et sapientia.* In quo sapientia? Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. *Adduxit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem.* In quo fortitudo? *Balteum regum dissolvit, et præcingit funes renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat.* Nonne ipse novit et vestram, o Scribæ et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Pharisæi, decipientem Synagogam, et eum qui a vobis deceptus est, miserum populum, quando finxistis ei ad decipiendum importunum favorem, dicendo : *Et venient Romani et tollent nostrum et locum et gentem?* (*Joan.* XI.) Novit itaque sapientia ejus, et tales consiliarios in stultum finem adduxit. Nam juxta quod alibi dictum est : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix* (*Job.* VI), quia quod vanum erat, cum simulatione timuistis, quod verum erat timere vos fecit, ut veraciter venirent Romani et tollerent vestrum et locum et gentem, non quia dimisistis, sed quia non dimisistis eum sic. Ita nimirum sapientia ejus, *consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem adduxit*, ita fortitudo ejus *balteum regum*, id est vestram, o superbi, confidentiam *dissolvit, et renes* vestros captivitatis *fune* præcinxit, duxit *sacerdotes inglorios*, scilicet Annam et Caipham, et cæteros sacerdotes ejusmodi, quippe quorum super vultus, stercus solemnitatum ipsorum projecit, atque hoc modo *optimates* supplantavit, auferendo ab illis *regnum Dei*, et dando *genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI). *Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens*, subauditur, sapientia apud ipsum est. Nam, quia veritatem recipere noluerunt, miscuit illis spiritum erroris et vertiginis, ut qui veraces esse debuerant, mendaciter Scripturas ad suos libitus torqueant, labiis male commutatis, et hoc modo senibus, id est eis, quibus primis *credita sunt eloquia Dei* (*Rom.* III), docendi auctoritatem abstulit. Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant elevans, subauditur, *fortitudo apud ipsum est*. Principes quippe Judaicæ perfidiæ contemptibiles fecit, in toto orbe, et *eos qui oppressi fuerant* peccatorum pondere, sive dæmoniaca servitute, scilicet gentiles, quia fidem ejus receperunt, relevavit, magna liberatricis gratiæ libertate. *Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis*, subauditur, *apud ipsum sapientia est*. Hoc enim lampas ista fecit, eo ipso, in quo *apud cogitationes divitum* contemnebatur. Nam per humilitatem suæ passionis, profunda nostra revelavit de ignorantiæ tenebris, et produxit in lucem notitiæ Dei, nos qui sedebamus in umbra mortis. *Qui multiplicat gentes et perdit eas, et subversas in integrum restituit*, subauditur, *apud ipsum fortitudo est*. Hoc etenim et veræ et magnæ fortitudinis est, magni et terribilis judicii est, quod, cum multiplicasset gentes, dicendo primis hominibus : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), perdidit eas, peccantibus eisdem primis parentibus primis. Omnes quippe gentes universos illorum posteros, eadem sententia perditionis involvit. Sed ecce, dum patitur, dum moritur, et *lampas* tam splendida *apud cogitationes divitum* quasi exstincta contemnitur, eadem passione vel morte sua quas subverterat *in integrum restituit*. *In integrum*, inquam, ut ne unus quidem desit ex omnibus quos ad vitam destinaverat, cum diceret : *Crescite et multiplicamini. Qui immutat cor principum terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium, palpant quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios*, subauditur, *apud ipsum sapientia est*. Quomodo enim mutavit *cor principum populi terræ, et decepit eos*, nisi, sicut in propheta dictum est : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum?* (*Isa.* VI.) Itaque quod extunc frustra incedunt *per invium*, quod palpant *quasi in tenebris, et non in luce*, quod errant *quasi ebrii*, totum hoc magna est materia laudis huic spiritui sapientiæ, de quo et miranda veritate dictum est quod eos deceperit, et *quasi ebrios errare* fecit.

CAPUT XV.

Quomodo ubi apud cogitationes divitum contemnebatur, apud Deum Patrem erat reverendus, dicendo : « Vocabis me, et ego respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi. »

Interea, quod in schemate contemnebatur *apud cogitationes divitum* derisorum, in eodem hic sapientiæ Spiritus hominem in conspectu Patris constituerat, reverendum et pro sua reverenda exaudiendum (*Hebr.* V), agendo causam pauperum, id est humilium secundum verba, quæ apud eumdem beatum Job postmodum subjecta sunt : *Voca me, et ego respondebo tibi, aut certe tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea, atque delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum* (*Job.* XIII), etc. Hæc namque cum ille diceret, vocationem illam atque responsionem suspirabat, qua perditus homo per obedientiam patientis ac morientis Christi, rursus requisitus est. Rursus, inquam, dudum enim semel requisitus, et vocatus fuerat Scriptura dicente : *Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei : Ubi es?* Vocanti autem Deo, tunc homo non respondit, sed ait : *Vocem tuam audivi in paradiso et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.* Item : *Quis enim*, inquit, *indicavit tibi quod nudus esses, nisi quia ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitque Adam : Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* III). Hoccine erat vocanti respondere? Nempe, cum diceret Dominus Deus, *ubi es?* vocabat hominem ad cor suum, ut pœnitens responderet : Heu! in prævaricatione sum. Ex hoc quidem bonum erat, ut saltem vocanti responderet, melius autem, ut prior ipse loqueretur, Deus autem responderet, quantas haberet iniquitates. Illud non fecit, non locutus est, sed Deum quasi dormire toto meridie permisit, unde et culpans illum Scriptura dicit : *Et cum* **635** *audissent] vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem* (*ibid.*), etc. Itaque non locutus est homo, nec Deo fecit negotium respondendi, unde et ingrato silentio, quietus tandem quasi post meridiem somno satiatus surrexit, et indignans quod non fuisset vocatus, prior ipse hominem vocavit. Proinde ut dicere cœpimus, bonum erat ut vocanti Deo responderet homo, melius si

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

prius loqueretur et peccata sua narraret homo, optimum vero si præceptum Dei nunquam fuisset prævaricatus homo. Igitur in persona generis humani vir sanctus, rursus vocari ambiens hominem, illumque desiderans hominem, qui vocatus responderet sapienter, imo loqueretur prior, aut certe (quod optimum est) in semetipsum perfecte obediens esset, et tunc demum pro cæteris loquendo interpellaret, ita dicebat: *Voca me, et respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi quantas habeo iniquitates et peccata.* Id nunc agebatur, eo nunc intendebat totum præoccupatum habens hominem hic sapientiæ spiritus, cum ab illis stultitiæ filiis deridetur, *sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XXXVII). Cum Deo sapienter et serio disputabat, et idcirco ad respondendum derisoribus illis, interim vacuum tempus non habebat. Veracem omnino et non vanam faciebat spem generis humani, quia dictum fuerat, *voca me, et respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi.* Ille primus qui vocabatur, abscondit se a facie Domini Dei, in medio ligni paradisi, et nil boni respondit, hic secundus homo vocatus astabat ante faciem Domini Dei, in medio ligni crucis, et respondebat perfectam atque omnimodam obedientiam Patri, imo loquebatur ut responderet Pater illi *quantas* haberemus nos *iniquitates, et peccata, et scelera atque delicta* nostra ostenderet ei.

CAPUT XVI.

Quidnam melius sit vocari hominem a Deo, et respondere illi, aut loqui hominem, et Deum respondere, et quantæ ejus iniquitates et peccata sint.

Conferamus nunc utrumque, et videamus quid melius sit, vocari scilicet hominem a Deo et respondere illi, an loqui hominem et respondere Deum homini, quantæ ejus iniquitates et peccata sint. Dixit enim, *voca me, et ego respondebo tibi*, et continuo bonam propositionem sapientissime in melius corrigens atque perficiens, *aut certe*, inquit, *loquar, et tu responde mihi.* Quid? *Quantas habeo iniquitates et peccata.* Hoc ergo quæramus quo fructu melius sit, vel ad sapientiam magis attineat, ut loquatur homo et Deus respondeat illi, quam ut vocet hominem Deus et homo respondeat illi, quantæ iniquitates et peccata ejus sint. Si rite perpendimus, meritum rei reprehensibile est, eo usque differre confessionem peccati, donec dicat judex Deus: Quid fecisti? (*Gen.* IV.) Etiam si vocatus sive discussus respondeat homo quantæ iniquitates vel peccata sua sint, et dicat: Peccavi, patientiam habe in me, sive indulge mihi, quod Adam fecisse non legitur, nec fecit filius ejus fratricida Cain, etiamsi, inquam, veritatem respondeat vocatus in jus, quod fecit David (*II Reg.* XII), jam tamen reprehensibile est, quod usque ad ejusmodi vocationem Dei differat homo confessionem peccati sui. Cæterum, præoccupare faciem Domini Dei, et antequam vocetur ultronea confessione loqui sapiens consilium, quo nullum melius homo peccator reperire possit. Quare? Videlicet quia vocatus homo ut respondeat Deo, oportet illum respondere judicium, vocatus autem sive invocatus Deus ad respondendum loquente prius homine, et, illo priore suas iniquitates narrante, locum habet Deus ut loquatur misericordiam, dicatque interroganti homini, *quantas habeo iniquitates et peccata?* Dicat, inquam, Nulla. Nam *delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua* (*Isa.* IV). Longe igitur melius est prius hominem loqui. Et idcirco recte cum dixisset: *Voca me, et respondebo tibi*, continuo quasi quod minus erat festina correctione supplens, *aut certe*, inquit, *loquar, et tu responde mihi.* Ecce per Christum, qui, ut jam dictum est, longe ab eo dissimilis, qui absconditus in medio ligni paradisi, etiam cum vocaretur, sapienter quidpiam non respondit, astitit palam in medio ligni crucis, et ultro causam nostram peroravit, ecce, inquam, per illum et per eumdem spiritum sapientiæ ejus edocti, priores locuti sumus, quantas habemus iniquitates et peccata, et respondit nobis Deus, ecce jam nulla. Ubinam sic sumus elocuti, et illo sic nobis respondit? nimirum in baptismate ejusdem Christi Domini nostri. Sed de hoc alias. Nunc instantia prosequamur.

CAPUT XVII.

Quam juste, quam fortiter pro omni mundo oraverit caput pro membris, dicendo: « Cur faciem tuam abscondis, » etc.; quomodo veram sapientiam ista ipsius ancilla comitata sit eloquentia.

Adeo conspicuam sese præsenti loco exhibet vera sapientia, ut nusquam paratior ad comitatum ejus excurrat sæcularis eloquentia, quæ fere in omnibus Scripturis sanctis ultro sapientiæ sic obsequitur, ut solam veritatem quærentes, dictorum quoque pulchritudine vel vocum elegantia jure delectemur. Nam ecce quam dicunt perfectissimam atque absolutissimam, argumentationem in hac Scriptura, quæ utique cunctis rhetoribus, Græcis sive Latinis, antiquior est, pulchra et suavis oratio, quinque partibus perscripta, scilicet propositione, ratione, rationis confirmatione, exornatione, complexione. Proponit namque fidelis orator pro nobis omnibus, cum dicit: *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris.* Protinus rationem hujusmodi infert: *Scribens enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Rationis confirmationem annectit continuo, cum dicit: *Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea* (*Job.* XIII). Adjungit protinus exornationem ambitiosissimam, exornationem non verbis phaleratam, sed humilitatis nimiæ suavi veritate, et vera suavitate infructuosissimam, atque idcirco prævalidam ad occupandas aures, ad flectendam justitiam, neque ad concutiendam ejus misericordiam, cum qua graves inimicitiæ nobis erant. *Homo*, inquit, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri **636** *non poterunt.* Tandem complexione elegantiutitur, cum dicit : *Recede ergo paululum ab eo ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus* (*Job.* XIV). Magna et vehemens argumentatoris hujus, id est spiritus sapientiæ concertatio, et quantum in se erat valens constringere Deum ad respondendum, *quantas* haberet homo *iniquitates et peccata.* Si tanti oratores antiqui, veteres sancti, quorum hic sermo erat, libera fronte in auditorio cœlesti assisterent, et nullis peccatorum maculis cooperti aut contaminati fuissent, hoc unum idem maximum intererat, et assidenti judici Deo misericordiæ voces retardabat, quia maculatas antiquo probro personas justitia repellebat. Ecce autem unus aderat, atque pro omnibus assistebat, homo reverendus, et pro reverentia digne exaudiendus (*Hebr.* V), in quem nihil querelæ haberet justus naturæ nostræ judex Deus, imo apud quem magnæ vicissitudinis debitor teneretur Deus. Peccatum quippe, neque originale contraxerat, neque actuale commiserat, et tamen peccati pœnam, id est mortem propter præceptum ejus, obedienter subibat. Dicebat igitur : *Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi.* Quid ad hæc Deus responderet? Nunquid illi respondere poterat quod ullas haberet hic homo iniquitates, aut peccata in propria persona, et non potius justificationes et merita? Proinde jam illum arguere Deum decebat, ut diceret : *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* (*Job.* XIII.) Quod si ille responderet, Non ego a te faciem meam abscondo, neque arbitror te inimicum, imo filium meum charissimum, sicut testificatus sum voce ad te delapsa, a magnifica gloria, et dixi : *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui* (*I Petr.* I; *Matth.* III; *Joan.* I). Habebat iste vocem utique constantem causamque legitimam, ut diceret veraciter : *Quod uni ex minimis meis*, imo omnibus meis *fecisti, mihi fecisti* (*Matth.* XXV). Nam vere ejus erant omnes justi sive electi, qui eum exspectaverant ab origine mundi, et omnibus illis abscondebat Deus faciem suam, interposito pariete inimicitiarum, arbitratus eos inimicos suos propter peccatum, quod peccavit communis omnium pater Adam. Erant etenim illi quoque *natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). *Cur* ergo, inquit, *faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* In quo? *Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Scribis enim*, imo scriptas apud te retines contra me amaritudines, quas hoc mundo homini elocutus es : *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris* (*Gen.* III). Ejusmodi *amaritudines* extunc *scribis contra me*, simulque *consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Siquidem tam pro originali quam pro actualibus peccatis, quæ adolescentiæ levitate commissa sunt, de quibus Psalmista : *Delicta*, inquit, *juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV), hactenus unumquemque consumere vis. Deinde : *Posuisti in nervo pedem meum*, funibus peccatorum suorum constringens unumquemque, ut non quæcunque velit illa faciat, ut condelectetur nonnunquam *legi Dei secundum interiorem hominem*, videat *autem aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ*, et captivum se ducentem *in lege peccati, quæ est in membris suis* (*Rom.* VII).

CAPUT XVIII.

Quod juste exauditus sit pro sua reverentia, secundum quod et Apostolus ait : « Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. »

Hæc cæteraque jam dicta, vel his similia cum clamore intimo, *clamore*, aut ait Apostolus, *valido et multis lacrymis* perorando (*Hebr.* V), per hunc sapientiæ spiritum, victoriam obtinuit in judicio, secundum rationem æquitatis, quam perpendens idem Apostolus ita dicit : *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit* (*Rom.* V). Et subinde : *Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantia gratiæ donationis et justitiæ, accipientes in vita regnabunt, per unum Jesum Christum* (*ibid.*). Item : *Sicut per unius delictum omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*ibid.*). Quid aliud responderet, aut censeret pater æquus, Deus justus? Quid enim æquius, quid rationabilius? Aut nunquid illa summæ majestatis altitudo minus prompta esse deberet ad gratiam clementiæ quam fuisset ad iram justitiæ? *Per unum* quippe *hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*ibid.*). Sic prompta justitia judicantis exstitit, ut uno peccante, nos omnes qui necdum fueramus nati, susciperemus hæreditatem peccati, hæreditatem mortis. Fatemur justam fuisse vindictam, veram et irreprehensibilem justitiam. Non enim aliud jure possiderent filii, nisi quod a parentibus thesaurizatum fuit. Sed ecce generis nostri Pater alius, non in carne, sed in spiritu. Gratias huic Spiritui sapientiæ unico, multiplici, subtili, mobili, diserto, certo, suavi, benigno, stabili, quia subtilitate, mobilitate atque acumine suo modum invenit,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quo nos illi veteri natos, regeneraret huic homini novo. Num ergo minus, ut jam dictum est, larga esse poterat divinitas ad justificandum per gratiam clementiæ, quem fuerat ad condemnandum per iram justitiæ? Igitur non perturbato aut confuso ordine veteris judicii, sed remota causa per quam subintraverat judicium mortis, prolatum est responsum vitæ et pacis, totusque paries inimicitiarum solutus est (*Ephes.* II).

CAPUT XIX.

De eo quod ait Lucæ vigesimo tertio : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » sciens se resurrecturum, et hinc esse illud : « Lignum si præcisum fuerit, habet spem. »

Tunc iste novus Adam obdormivit atque obdormiens dixit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Certus hoc dixit ; certus, inquam, et securus, quod commendatum vel depositum suum cum grandi esset lucro cito recepturus, sicut et factum est. Nam quia sic tradidit spiritum suum, ecce omnibus filiis suis, omnibus filiis regenerationis suæ, acquisivit paracletum Spiritum sanctum, et ipse recepit suum. Alias autem, nisi spiritum suum, spiritum vitæ suæ hic homo tradidisset, Spiritus paracletus in eo ipso, quod paracletus est, scilicet in dando remissionem peccatorum, non **637** venisset. Proinde et dicebat : *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI). Itaque quemadmodum illi veteri Adæ dormienti statim, costa de latere subducta, et in conjugem illi ædificata vel formata est, ut posteritas propagaretur (*Gen.* II), sic isti novo Adæ, jam in morte soporato, de patefacto ejus latere, sanguinis et aquæ sacramentum productum est, et exinde statim Ecclesia reformata, de qua multi per orbem terrarum filii nascerentur. Nam quod optime novit, et nosse debet fides Christiana, statim universa priscorum electorum, quantacunque ab origine mundi collecta fuerat, apud inferos redemptionem suam exspectans illo sanguine et illa aqua emundata, regenerata atque huic viro copulata est, et exinde quot singulatim de cunctis gentibus baptizantur, tot filii de isto viro, et de ista ejus conjuge nascuntur. Nec vero cum sic obdormiret, quam cito, evigilaturus esset, ignorabat, quam cito spiritum suum quem in manu Patris tradebat, cum tanto peractæ obedientiæ fructu resumpturus esset. Nam et antea cum dixisset de hac dormitione sua : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas, de Filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum*, continuo subjunxit: *Et tertia die resurget* (*Luc* XVIII). Idcirco qui supra, scilicet sanctus Job, post illa quæ supra dicta sunt, continuo dicit in eum : *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulunt. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est* (*Job* XIV). Quod est enim hoc lignum, nisi is ipse qui cum præcideretur, dicebat : *Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ?* (*Luc.* XXIII). Itaque *si præcisum fuerit, rursus virescit*, subauditur, tertia die velocitate resurrectionis. Hoc idcirco, quia nihil unquam habuit ariditatis, id est homo erat absque omni corruptione peccati, imo, quia non solum homo, sed et Deus erat, cujus viror nunquam deficit. Cæterum, de homine, qui homo tantum, et non Deus est, qui in peccatis nascitur antiquæ prævaricationis, et idcirco comparari vel coæquari non potest huic tam viridi ligno, continuo subjungit : *Homo vero cum mortuus fuerit, atque nudatus et consumptus, ubi quæso est ? (Job* XIV). *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat, sic homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum non evigilabit, nec consurget de somno suo* (*ibid.*). Est ergo hic homo lignum vitæ semper virens spiritu sapientiæ, quod ut nobis fructificaret, et in præsenti vitam animarum et in futuro resurrectionem corporum, quando atteretur cœlum præcidi se permisit, non dubitans quod continuo post triduum reviresceret, evacuata in semetipso præcisione ejus, quam solam pertulerat mortis corporis.

CAPUT XX.

Qualiter hic sapientiæ sacramentum dum fieret, absconditum fuerit ab oculis omnium viventium, et quomodo Judæi derisores ejusdem sapientiæ inexcusabiles sint.

Hoc opus hujus sapientiæ Spiritus sacramentum, tunc interim dum fieret, erat absconditum, ut nemo sciret usque ad tempus statutum. Unde et idem beatus Job in parabola sua sic inter cætera loquitur : *Unde ergo sapientia venit, et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium. Volucres quoque cæli latet. Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus* (*Job* XXVIII). *Ab oculis*, inquit, *omnium viventium*. Veraciter *ab oculis omnium viventium*. Nam nemo omnium hominum qui tunc in carne vivebant, noverat, quid ageretur per crucis Christi patibulum, nec saltem quisquam apostolorum. Unde et subjunctum est : *Volucres quoque cæli latet*. *Volucres* quippe in hoc loco in bonum accipiendi sunt, videlicet de qualibus dictum est : *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres cæli requieverunt in ramis ejus* (*Matth.* XIII). Præ cunctis ejusmodi volucribus apostoli sublimius evolaverunt, verumtamen et ipsos latuit tunc, dum fieret hoc sapientiæ mysterium. *Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus* (*Job* XXVIII), id est maligni spiritus, qui perditionis et mortis inventores exstiterunt, quid contra se ageretur prævidere non potuerunt, quippe qui ab initio radiis sapientiæ suos oculos occluserunt, et lumini

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ejus rebelles exstiterunt. Cæterum mortuorum communi morte nonnulli hoc scire potuerunt, maxime autem patriarchæ et prophetæ quorum novissimus Joannes nuper sublatus fuerat de cœtu viventium, qui utique sacramentum hoc cum viventes præcinuerint, mortui jam non ignorabant, sed desiderio magno exspectabant affuturum. Proinde recte non dictum est tantum, *abscondita est ab oculis omnium*, sed cum determinatione *omnium viventium*, id est tunc temporis in carne commanentium. Quid igitur? Num excusabiles fuisse consequitur derisores illos, qui illum crucifixerunt et crucifixum deriserunt, quia sua voluntate abscondita erat hæc sapientia ab oculis omnium viventium? Non utique. Sequitur enim: *Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus, tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et investigavit, et dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia* (*ibid.*). Cuinam homini priusquam Judæo apud quem hoc sapientiæ sacramentum conditum, et cum conderetur derisum atque contemptum est, cui, inquam, homini priusquam huic Deus ponendo legem pluviis, et viam procellis sonantibus, dixit: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia?* Legem quippe pluviis ponere fuit, et viam sonantibus procellis, prædicatoribus indicere, ut vivendo implerent, quod loquendo suadere festinabant; quatenus prædicatio non contempta, quasi procella sonans expeditiori via curreret. Hanc legem primo Moysi et prophetis, deinde apostolis Deus posuit. Totum hoc primitus apud Judæum; nam *illis primum* legalia sive prophetica, *eloquia Dei credita sunt* (*Rom.* III), et illis primum sicut oportuit, prædicatum est Christi Evangelium. Utrobique illi primo dictum est: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*, hoc enim consonanter tam prophetica quam evangelica cathegorizat Scriptura (*Psal.* CX; *Prov.* I, IX; *Eccli.* I). At ille protervus Dominum non timuit, semper illi ab initio rebellis exstitit, maxime vero illo tempore quo hæc facta sunt, quando impleverunt mensuram patrum suorum persequendo et occidendo Christum, cujus prophetas absque timore Domini occiderant patres eorum. Non igitur excusabiles sunt, quia videlicet non idcirco non timuerunt Dominum, quia abscondita erat sapientia ab oculis eorum, sed idcirco abscondita est, ut nunquam invenirent eam, quia non timuerunt Dominum. Nam econtrario, qui timuerunt Dominum ipsis revelatum est, quanquam essent homines idiotæ, ac sine litteris, ipsi scierunt sacramenta Dei, juxta confessionem **638** dicentis: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI).

CAPUT XXI.

Quomodo dicat Deum dixisse homini: « Ecce timor Domini ipsa est sapientia, » cum alius sit sapientiæ, alius timoris spiritus, et quod ex eo quoque quia hoc Deus dixit homini, Judæi et omnes stulti inexcusabiles sint.

Sed quomodo septem spirituum numero, atque ordini notissimo, qui et præsenti opere a nobis susceptus est, dictum hoc non repugnat aut discrepat, *ecce timor Domini ipsa est sapientia?* Si enim timor Domini ipsa est sapientia, quomodo non minoris, sed ejusdem auctoritatis, alia Scriptura quæ dicit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus* (*Isa.* XI), etc. alium timoris, atque alium sapientiæ Spiritum computat, ambosque ab invicem loco vel gradu septimo disterminat? Ad hanc inquisitionem ecce tertia nobis succurrit Scriptura, dictione temperata, quasi utriusque mediatrix, videlicet ea quæ dicit: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Cum enim sic dicit, duarum quas prædiximus tubarum, sive organorum Spiritus sancti consonantiam patenter astruit, quia videlicet *timor Domini initium sapientiæ* est. Initium autem sapientiæ sapientia est, licet nondum perfecta, quomodo aurora sive diluculum jam dies est, licet nondum plena. Est igitur timor Domini sapientia, id est initium vel primus gradus sapientiæ. Sic et pietas sapientia, id est secundus gradus sapientiæ, et scientia sapientia, id est tertius gradus sapientiæ, et fortitudo sapientia, id est quartus gradus sapientiæ, et consilium sapientia, id est, quintus gradus sapientiæ, et intellectus sapientia, id est sextus gradus sapientiæ. Septimo autem gradu cum dicitur sapientia, plena intelligitur atque perfecta, cujus officium est cessando ab actibus, et vacando contemplationi præoccupare jam bona futura, bona æterna, juxta illud: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X), quæ videlicet pars, non alia est quam ipsa sapientia, in propria specie videnda. Proinde cum dixisset, *abscondita est ab oculis omnium viventium, sapientia*, ne quis desperaret, aut absconsionem ejus reprehenderet: *Ecce*, inquit, *timor Domini ipsa est sapientia*, et hæc dicendo quasi ostium aperuit, primumque gradum ostendit quo parvulus ad sapientiam superbis absconditam ascendere incipiat. Jam illuc accesserant illi viventes qui sese a stultis, et peccatoribus male viventibus et Dominum crucifigentibus, segregaverant, scilicet apostoli, et ille quoque beatus *Joseph ab Arimathia sir bonus et justus*, de quo Evangelium refert quia *non consenserat consilio et actibus eorum* (*Luc.* XXIII). Huic plane sapientia erat, timuisse Dominum et in hoc primo gradu audisse sapientiam, dicentem: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum, omnem pretiosam substantiam inveniemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum, fili mi, ne ambules cum eis. Prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem* (*Prov.* I). Verumtamen ab istorum quoque viventium, scilicet apostolorum, et illius beati Joseph oculis,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

adhuc abscondita erat sapientia, nesciebant Christi mysteria, ignorabant quæ vel quanta foret crucis et mortis ejus utilitas. Quia vero timendo Dominum, et non acquiescendo lactantibus se peccatoribus, quasi in foribus sapientiæ steterunt, ideo sursum vocari et ascendere ad sapientiam meruerunt, id est accipere ad cognoscenda Dei sacramenta, hunc de quo loquimur sanctum sapientiæ Spiritum.

CAPUT XXII.

Quod dicit : « Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, aut ad præceptum tuum elevabitur aquila? »

Secundum hæc recte illud intelligitur quod eidem Job respondens de turbine Dominus de ejusmodi volucribus cœli, post multa dicit : *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Aut ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum. In petris manet, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. Pulli ejus lambent sanguinem, et ubicunque cadaver fuerit, et statim adest* (*Job* XXXIX). *Nunquid*, ait, *per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Quia per annos singulos pennam veterem accipiter nova nascente projiciat, ac sine intermissione plumescat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ tempus dicitur, quo in nido vestitur, quia tunc nimirum adhuc pullus ad austrum alas expandere non valet, sed illa annua pluma describitur quæ laxata vetere penna renovatur. Equidem domesticis accipitribus, quo melius plumescere debeant minuta tepentia loca requiruntur, agrestibus vero moris est ut flante austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem, venti tepore concalescant. Cum ergo ventus deest, alis contra radium solis expansis, atque ita percussis, tepentem sibi auram faciunt, sicque apertis poris vel veteres exsiliunt vel novæ succrescunt. Quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus convalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit? Hoc maxime jam dictis contigit apostolis, qui cum essent vetustæ volucres, id est homines, propter carnalem sensum tardiores, et propter hoc eos hæc sapientia lateret, ad hoc reservari meruerunt, timendo Dominum, ut flante austro plumescerent, id est adveniente super eos Spiritu sancto, novis gratiarum pennis sublevati, cœlestis sapientiæ secreta perspicerent. Porro quod sequitur: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila*, etc. cum de cæteris valeat intelligi, maxime de Joanne intelligendum auctoritas ecclesiastica tradidit, qui sublimius volando terram deseruit, et super omnes cœlos mente ivit ; quippe qui per subtilem intelligentiam, interna mysteria Verbi videndo penetravit, et scribendo claro testimonio declamavit.

639 CAPUT XXIII.

Quod cum dicimus eo respectu absconditam ab oculis omnium viventium sapientiam, jure tamen beatam quæ tunc vivebat excipimus Mariam, et quod eadem sapientia qua in principio dictum est : « Fiat lux, » nunc dixerit apostolis : « Accipite Spiritum sanctum. »

Erat ergo in hoc mundo solus, qui sciret sapientiam tunc temporis, Christus ipse Dei sapientia. Nam, sicut jam dictum est, *ab oculis omnium viventium abscondita* erat *sapientia, et volucres quoque cœli* latebat. Et quomodo in illo antiquo principio cum creasset Deus cœlum et terram : *Terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* I), sic et in isto novo creaturæ novæ principio, totus mundus a sapientiæ cognitione inanis et vacuus erat, et tenebræ ignorantiæ erant super faciem cordis totius generis humani. Verumtamen beatam Dei genitricem tunc viventem confidenter excipimus, quia nequaquam ab oculis ejus hæc sapientia se absconderat. Prophetissa enim hæc erat, prophetissa, inquam, nulli prophetarum comparanda, cujus in sacrarium pectoris Spiritus sanctus prophetias omnes convexerat. Hac itaque sola excepta, omnis *terra erat inanis et vacua, et tenebræ*, ut jam dictum est, ignorantiæ *erant super faciem abyssi*, super omnem animam totius generis humani. Porro hæc sapientia secundum substantiam illa erat, quæ dudum in Salomone dicebat : *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab æterno ordinata sum* (*Prov.* VIII). Et subinde : *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ cum filiis hominum* (*ibid.*). Delectet igitur cunctos utriusque ludi spectatores benevolos, quia et illic in initio veteris creaturæ dixit : *Fiat lux, et facta est lux, divisitque lucem et tenebras* (*Gen.* I), et hic in initio novæ creaturæ lucem invexit inferis, ut viderent lucem veram, Deum verum, qui hactenus sedebant in tenebris omnes electi ab origine mundi, imo transirent de regione tenebrarum, ad patriam æternæ claritatis, essentque ibi lux, videndo substantiam veræ lucis, lux, inquam, divisa a tenebris inferni, et nos qui vivimus, essemus lux divisa a tenebris hujus mundi, dicente apostolo : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* (*Ephes.* V.) Nam et vivis lucem intulit dicendo postquam resurrexit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX), et extunc implevit apostolos suos quod promiserat, dicendo : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V). Utrobique, scilicet et in illo veteris, et in isto novæ creaturæ opere, sapientia hæc satis amabiliter coram Domino lusit.

CAPUT XXIV.

Quomodo eadem sapientia lusit hic et illic, et quod lusit illic bene coram Domino, sed hic melius, ubi sic illusit coram Deo, ut illuderet diabolo.

Quem tandem ludum nos homines pulchriorem esse vel fuisse censebimus, quo magis jure delecta-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mur? Nempe hunc ludum postremum magis probamus, et hoc ludo magis delectamur; magis enim hic pertinet ad nos, et totus factus est propter nos. Et ut vera discretione utamur, illic cœlum et terram creando bene quidem lusit coram Domino, sed hic novos cœlos et novam terram creando sic lusit coram Domino, ut illuderet diabolo. De qua videlicet illusione dicebat ipse Dominus ad beatum Job : *In oculis ejus, quasi hamo capiet eum, et in auribus perforabit nares ejus. An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? Nunquid pones circulum in naribus ejus, et armilla perforabis maxillam ejus? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet pactum tecum, et accipies eum servum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, dividunt illum negotiatores? Nunquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite ejus?* (*Job* XLI.) Nam ad singula subaudiendum est, ut ego. Hoc plane propter nos homines factum est; nam illud prius sapientiæ opus tam propter angelos quam propter nos homines. Nobis quippe Leviathan infestus erat, quod nomen eamdem infestationem diaboli significat. Leviathan quippe *additamentum eorum* dicitur. Quorum videlicet nisi hominum, quibus semel culpam prævaricationis intulit, et hanc usque ad mortem æternam quotidie pessimis suggestionibus extendit? Quibus dum reatum fœnore multiplicat, pœnas procul dubio sine cessatione coacervat. Potest quoque Leviathan etiam per irrisionem vocari. Primo quippe homini, persuasione callida, divinitatem se additurum perhibuit, sed immortalitem tulit. Additamentum igitur hominum per irrisionem dici potuit, quibus dum hoc quod non erant se addere spopondit, etiam hoc quod erat fallendo subtraxit. Quomodo isti hic sapientiæ spiritus illusit? *In oculis*, inquit, *quasi hamo capiet eum.* Quis nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim provocat, ut oculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo quasi escam suam mortem carnis appeteret, quam mortem dum in illo injuste appetit, nos quos quasi injuste tenebat, amisit. In hamo ergo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se devoratorem duceret, ibi divinitas quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas quæ provocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde devoravit. Et quidem Filium Dei incarnatum noverat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat, sed omnino quod idem Redemptor noster illum moriendo transfigeret, nesciebat. Unde et bene dicitur : *In oculis ejus quasi hamo capiet eum.* In oculis quippe habere dicimur, quod coram nobis positum videmus. Antiquus vero hostis, humani generis Redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens : *Quid nobis et tibi, Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos* (*Marc.* I; *Luc.* IV). In oculis itaque suis hamo captus est, quia et novit et momordit.

CAPUT XXV.

De illo illuso per passionis Christi mysterium quam veraciter dictum sit : « Nunquid feriet tecum pactum, aut accipies eum servum sempiternum? »

Hæc et cætera quæ supra posita sunt, si recte spectator attendat, sicut notæ auctoritatis beati Gregorii demonstrat expositio prælucida, nihil hoc ludo sapientiæ coram Domino **640** pulchrius, nihil hac illusione Spiritus sapientiæ delectabilius. Unum illic dictum est, quod libentius ad præsens revocamus spectaculum, scilicet quod ait : *Nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum.* Hoc enim tam magnifice dictum, tam mirifice est gestum, ut si adsis spectator benevolus, non satietur oculus visu, nec auris auditu, quomodo enim dictum est : *Nunquid feriet tecum pactum, aut accipies eum servum sempiternum*, subauditur, ut ego, nisi ac si diceretur : nunquid sic illo uteris tanquam jurato tibi servo, servo sempiterno? Nam voluntate quidem adversatur, unde et Græco vocabulo dicitur Satanas, id est *adversarius*, actu autem est servus sempiternus, et sic servit tanquam sit fidelis, ita cooperatur et bonis proficit, tanquam adjuvare velit spiritum Domini, et sic vigilantia ejus procedit, tanquam maturet consilium dare et ostendere illi. Quomodo autem vel quando factum est, ut uteretur Deus actu diaboli tanquam jurato servitio, tanquam fideli ministerio? Imo quando quidpiam egit diabolus quod non proficeret Deo, unde non accresceret amplius laus et gloria Domino Deo? Ex quo cecidit de cœlo superbus hic angelus, et ad laudem vel gloriam justi judicis Dei, factus est diabolus, quidquid unquam egit vel agere voluit, totum ad obsequium et honorem Dei profecit, et proficere non desinit usque in finem sæculi. Unde et initio ministerii ejus Deo quidem operosi, sibi autem inutilis et damnosi, dictum est illi : *Super pectus tuum gradieris* (*Gen.* III). Quod est dicere : Sicut hoc reptile, cujus calliditate abusus es, super pectus graditur, et seipsum in terram premit, sic, tu diabole, cum sis rationalis spiritus, rationale tuum gravi semper fatuitate onerabis, et quocunque te verteris, semper intentionem tuam deorsum conteres, et factis premes contrariis. Verbi gratia : Invidendo evacuasti meritum hominis, sed hoc facto gratiæ Dei locum aperuisti, cui amplius invidebis, dum homo seipso tanto fiet altior, quanto gratia Dei, cujuscunque creaturæ meritis est major. Abhinc usque in finem, dum Deo volens adversaris, Deo nolens cooperaris, et ita *circulum* habens *in naribus* tuis, *super pectus tuum gradieris*, quia miro ordine et mala intendis et bona agis, dum persequendo efficis hoc ipsum quod ut destruas persequeris, dum, quasi malleolus, aurem Dei nequiter affligis, et affligendo ad gloriam extendis. Cuncta

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hæc subtilissime perpendens vir sapiens dicit : *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt sibi tormenta sua* (*Eccli.* XXXIX). Ac si diceret : Tantus illorum furor est ex invidia propter successus bonorum, ut temperare sibimet nequeant, quin agant quod ad majus sibi proveniat tormentum. Unde si quæras quid habeat diabolus, cur tantopere agat ea, quibus factis amplius doleat, suæque voluntati nocens, alienæ virtuti plurimum proficiat, ecce jam habes, quia furor causa est. Nam tam de illo quam de satellitibus ejus malignis spiritibus, *in furore suo*, inquit, *confirmaverunt sibi tormenta sua*. Mirum hoc tibi fortasse videatur, si nunquam audisti quod homo quoque per furorem occiderit semetipsum. Spectemus nunc ut cœpimus circa Christum hujusce furoris ejus fatuitatem, et hujus de quo loquimur spiritus sapientiæ laudem. Dicebant Pharisæi, et illis dicentibus, dicebat utique diabolus qui loquebatur in eis : *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit* (*Joan.* XII). Item : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum* (*Joan.* XI). Dum hæc dicerentur, dum hæc agerentur, intendebat utique possessor eorum diabolus, ne mundus iret post eum, ne omnes crederent in eum, sed hoc ipsum intendens egit quod erat contrarium, ut scilicet mundus totus iret post eum, ut omnes crederent in eum. Servivit ergo tanquam servus sempiternus, servivit tanquam jurati custos pacti vigilantissimus, Domino suo regnum, sibi autem eodem servitio confirmans tormentum. Non postulabat Deus holocaustum, et pro peccato, id est vitulos, aut certe pingues agnos, sed uno opus erat Agno in sacrificium pro toto mundo. Nec huic negotio defuit malus servus, insistens servitio necessario, intravit enim in Judam Scarioth, et egit, ut traderetur ad victimam hic Agnus melior, in illa nocte qua comedebatur ille Paschæ veteris agnus per singulas domus (*Joan.* XIII). Intendebat Deus vel Dei sapientia facere irritam venditionem, qua semetipsum primus homo vendiderat, transgrediens præceptum, vana sibi divinitatis spe proposita, adjuvit et hanc intentionem bonam, servus hic nequam, agendo ut venderet hunc hominem traditor, qui vendidit illum jus nullum habebat. Intendebat divinitas huic homini dare regnum, et subjicere potestati ejus omnia regna mundi, adjuvit et in hoc servus iste agendo, ut per furiosum jocum purpura vestiretur, sceptro, id est calamo donaretur, coronaretur, ut regio nomine salutaretur. Quodque non minus miremur, quia cogitabat Dominus ponere in eo iniquitates omnium nostrum (*Isa.* LIII), spinea erat corona, ne posset negare servus illusor quin iste Dominus omnium spinas portaverit peccatorum nostrorum. Omnibus his modis illudendo, funi ligandam præbuit linguam suam, nec dicere potest factam sibi vim aut injustitiam in eo quod hic regna mundi ad se traxerit; quippe qui licet per jocum nequissimum, regalia tamen insignia circumdedit illi. Deposcebat ordo salutis nostræ ut, quia per lignum facta fuerat culpa, per lignum quoque fieret justitia, et nihilominus in hoc mali hujus servi nequitia servivit agendo ut in ligno suspenderetur homo, quia culpæ non subjacuerat. Decebat ut mundaret possidentis gratia, quos absolverat redimentis pœna, egit hic servus ut ejus, jam mortui latus aperiretur lancea, unde statim *exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). Quis universum hunc ludum digne queat admirari, quo hic spiritus sapientiæ generis humani illusorem sic potenter evicit, sic sapienter illusit? Quis proinde dicti hujus magnificentiam, *nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum*, digne æstimare possit! *O* igitur *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI.)

CAPUT XXVI.

Quomodo ad ejusdem sapientiæ rationem spectet quod idem Dominus habens potestatem vitæ et mortis, non ante tertium diem resurgere voluit ex mortuis.

Ad eamdem sapientiæ pulchram rationem, rationabilemque pulchritudinem illud quoque permaxime spectat, quod idem Dominus, vitæ et mortis habens potestatem, non ante tertium diem resurgere voluit. Cur ita factum sit vel fieri debuerit, aut decreverit, dicere molimur, licet et hoc ut cætera nostro sensu longe altius sit. Ternarius numerus qui apud sæculares philosophos quoque insignis habetur, pro eo quod imparium et eorum qui præter unitatem nullam aliam recipiunt sectionem primus est numerorum, apud nos longe amplius **641** præclari nominis, imo primæ ac divinæ est auctoritatis tam propter ipsam essentiam sanctæ individuæ Trinitatis, quam pro eo quod Salvator noster tertia die resurrexit a mortuis. Et profecto tertia dies ad idem ipsum sanctæ Trinitatis sacramentum respicit. Idcirco namque Dominus noster non ante tertiam diem resurrexit, quia congruum fuit ut propitiationem sanctæ Trinitatis triduana nobis obtineret mors carnis Christi. Alioqui cur sub trina mersione baptizamur in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, *complantati facti similitudini mortis ejus* (*Rom.* VI), nisi quia eamdem mortem suam, quam antea baptismum suum appellaverat (*Luc* XII), triduo pertulit, et ipse in nomine et in obedientia Patris, et Filii et Spiritus sancti? Siquidem et Pater Filio sicut et ipse Filius testatur, calicem passionis dedit, et ipse Filius animæ suæ in sua potestate propinavit (*Joan.* XIX), sicut ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* X). Et Spiritus sanctus illi propinari fecit, sicut Apostolus ait : Quia *Christus per Spiritum sanctum semetipsum obtulit* (*Hebr.* IX). Congrue ergo mors Domini triduana exstitit, quam sancta Trinitas disposuit, quamque ad obtinendam humano generi propitiationem ejusdem sanctæ Trinitatis, nostra in illo sola pertulit natura. Non solum autem, sed et tota vita ejus annorum suorum numero sanctæ Trinitatis famulatum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

exhibere, et ejus præcepto se obedire innuit. Nam in triginta tribus annis, quibus super terram ambulavit, ternarius est repetitus hac sola differentia, quod unus ternarius ut triginta sint in decenum limitem consurgit, alius ut simplex sit, in singulari limite consistit. Cujus in typum Isaac quoque ad immolandum, ternario dierum numero ductus est. Nam de Geraris, ubi tunc habitabat Abraham usque ad montem Moria, id est sedem templi iter dierum trium est, ut ait Hieronymus, et consequenter illic die tertio pervenit, sicut historia refert, et venit in locum quem dixit ei Deus die tertia (*Gen.* XXII). Sed ut ad incœptum redeam, mira velocitas, mirabilis ille salvatricis gratiæ cursus et recursus, ut in triduo trium temporum sæculi peccata deleret, omnes qui ante legem fuerant, omnes qui sub lege erant, cunctos qui sub gratia venturi erant, una Christi morte pariter salvaret, pro singulis temporibus singulos dies ejusdem mortis appendens. Tantam ejus velocitatem Spiritus sanctus innuebat cum prophetæ imperans dicebat : *Voca nomen ejus, Accelera, spolia detrahe, festina prædari* (*Isa.* VIII). De hoc et illud in Canticis : *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel* (*Cant.* VIII). Acceleravit enim inferni spolia detrahere, festinavitque prædari, reversusque ut caprea, aut cervorum hinnulus, id est patriarcharum filius, ad salvandum velocissimus apparuit *super montes Bethel*, id est visus est apostolis, ut eorum tristitiam cito in gaudium verteret, qui sunt montes Bethel, id est *domus Dei*, quæ est Ecclesia, principes summis virtutibus eminentes. Acceleravit, inquam, inferni spolia detrahere, id est electos omnes jure victoris educere. Quæ enim mora fieret ad detrahendum, aut quæ difficultas ad discernendum ? Sol erat iste, illi autem qui quærebantur tanquam specularia. Illorum fides speculum erat, reddendo solis aspectu radium satis idoneum, sed ideo non splenduerant hactenus, quia soli objectus medius obstabat paries inimicitiarum, scilicet originale peccatum. At illum in carne sua moriens Christus parietem solverat ac diruerat, qui illa specularia animarum, verum solem exspectantium, umbra tegebat adversa. Quæ ergo mora fieret, ut diruto pariete, et descendente ad inferos vero sole, non statim relucerent illa vascula lucis exceptoria, id est electorum animæ. Statim ut illuc descendit hic sol, id est anima Christi præpotens et insita sibi, Verbi omnipotentis divinitate coruscans, illi resplenduerunt, et tenebrarum principes dissipati sunt sicut fumus, *et sicut fluit cera a facie ignis* (*Psal.* LXVII), et justi exeuntes de tenebris, et in paradisum recepti, epulari cœperunt, et exsultare in conspectu Dei, latrone simul epulante, cui dixerat Dominus in cruce pendens : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Totoque Sabbato *requievit ab omni opere suo* (*Gen.* II), Dominus Christus cum illis et pascebatur dilectus in liliis, donec aspiraret tertia dies, et inclinarentur umbræ. Die igitur tertia, propitia nobis facta divinitatis Trinitate cito mortem, quam gustaverat rejecit a se, sicut significaverat, quando in cruce, nostram salutem sitiens, et ideo se veraciter sitire dicens (*Joan.* XIX), cum oblatum sibi gustasset acetum, noluit bibere (*Matth.* XXVII). Mortis enim acetum paululum gustabat, quam cito, id est tertia die rejecturus, nec ultra bibiturus erat. *Resurgens enim ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI).

CAPUT XXVII.

Quomodo ad sapientiam pertinuerit, quod resurgens, non statim peremptoribus suis insultavit, nec dilectoribus suis repente apparuit.

Postquam inimicos illusit, ad amicos respexit, eisque post tristitiæ nebulas serenum ac luminosum suæ victoriæ radium refudit, ordine vel modo, quo per hunc sapientiæ Spiritum fieri condecuit, non continuo peremptoribus suis manifestus efflagrans insultavit, aut meritas vindictæ pœnas exegit, quod facere interdum minus prudentium hominum est, eorum qui victoriæ temperare, vel gloriæ modum tenere nesciunt. Exspectabat enim propalandæ gloriæ suæ ordinem dignum, videlicet non mutatus Spiritu sancto, sed idem qui fuerat, idem permanens qui dixerat : *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat et judicet* (*Joan.* VIII). Non est moris vel disciplinæ ejus contentiosa invectione, seu insultatione festinatam rapere gloriam victoriæ de hostibus, nisi forte ad tempus hoc utilitas exigat, scilicet pro instructione vel confirmatione illorum, qui credunt vel crediturі sunt, ut de aliquantis impiis ita cæteris metuenda pœna sumatur, quatenus non lateat conscientiam viventium victoris Christi Filii Dei esse judicium. Semel hoc faciendum est, ut rideat sapientia in interitu parvulorum, stultitiam diligentium et subsannet, cum eis quod timebant acciderit (*Prov.* I), tunc utique quando fiet, quod necessario faciendum est, universale judicium. Interim ad sapientiam sciamus pertinere, ut permissi thesaurizent sibi iram in die iræ (*Rom.* II), *quia vocavi*, ait, *et renuistis, extendi manus meas, et non fuit, qui aspiceret* (*ibid.*). Permisit ergo nunc quoque sapienter patiens, et patienter sapiens inimicos suos principes sacerdotum et Pharisæos dissimulare quod fuerat factum, et in conscientia repositum sacrilegium, permisit illos data pecunia coemere sibi mendacium, ut dixerant milites, *venerunt discipuli ejus nocte, nobis dormientibus et furati sunt eum* (*Matth.* XXVIII). Ad amicos, ut dictum est, ejus conversio, nec ipsa repentina, sed paulatim procedens ordine decentissimo, ut scilicet prius mentium quam corporum illorum oculis præsentaretur. Pene naturalis hic est manifestationis ejus modus, ut a nullo unquam bene et utiliter visus aut videndus sit exterius, a quo non prius per fidem aut dilectionem visus fuerit interius. Egit itaque quatenus primum corda illorum ad respiciendum illum acutis multarum commemorationum **642** ja-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

culis excitarentur, et tunc demum redivivum corpus suum exiberet oculis extrinsecus, cum imaginem ejus hiantibus animis attentius versarent intrinsecus. Prima huic bono digna judicata est nostræ pietatis et pervulgatæ dilectionis femina quondam peccatrix Maria, quæ nimirum crucem et cuncta pœnarum ejus insignia memori mente gestabat, et vel talem videre sitiens, qualem sepulcri locus susceperat, eo non invento flebat, discipulisque recedentibus ipsa non recedebat, sed *plorans foris stabat* (*Joan.* xx). Prima ergo hæc digna æstimata est, quæ flentibus oculis gaudium videret, gaudium tristibus apostolis annuntiaret (*ibid.*). Post hanc Petrus, cujus utique tristitia præ cunctis apostolis major, imo et duplex erat. Tristis enim, quia hæc Dominus passus fuerat, tristis erat, quia patientem Dominum, ipse ter negaverat. Sine dubio ex quo respiciente in eum Domino egressus foras flevit amare (*Luc.* xxii), non desiit dolore et tristis esse, et idcirco prius huic quam cæteris apostolis dignum judicavit sese ostendere. Sic enim habemus in Evangelio, quia prius de isto dictum est : *Surrexit Dominus vere et apparuit Petro* (*Luc.* xxiv). Subsecuta est e vestigio protinus boni nuntii congeminatio, quia narraverunt duo discipuli quomodo sibi euntibus Emaus, et loquentibus ad invicem de illo sese junxerit, *et quomodo cognoverunt eum in fractione panis* (*ibid.*). Quid putas interea, quam præsens mentibus eorum imago ejus esse potuerit, dum sederent intus loquentes de illo, ejulatu simul et lacrymoso adhuc gaudio attoniti, clausis foribus, ne quis verba illorum audiret, aut superveniret de inimicis, et pene naturaliter Domino Jesu invidentibus Judæis? Itaque bene præparatis animis tempus erat, ut sese cognoscendus communiter omnium offerret oculis. Stetit ergo in medio illorum, et dixit eis : *Pax vobis* (*Joan.* xx). Ita modeste, ita temperate hominem suum deducebat sapientia hæc, de qua verissime dictum est quia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* viii).

CAPUT XXVIII.

Quod prius peccatrici quam apostolis, prius Petro qui eum negaverat, quam Joanni quem diligebat Christus apparuit.

Est præsenti loco et aliud, in quo pulchritudinem dispositionis ejus, jure mirantes Spiritus sapientiæ laudibus immoremur. Nam veraciter sapiens vel sapientiæ laude dignus est, qui habito secum proposito bono, sic omnia contemperat atque disponit, ut nihil sit quod non eidem proposito conducat atque expediat. Quid autem hic homo novus, vel quid in hoc homine novo, sanctus sapientiæ Spiritus proposuerat, nisi peccatoribus et infirmis validam spem præbere, peccatoribus et ægrotis constantis fiduciæ, vel fidentis constantiæ arma porrigere cum quibus præsumerent regno cœlorum vim facere, et violenter illud diripere? Hoc nempe propositum sibi fuisse, ipse testis est cum dicit : *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent, non veni vocare justos, sed peccatores* (*Luc.* v). Cum igitur, qui pro peccatoribus mori dignatus fuerat surgens ex mortuis, prius Mariæ peccatrici quam apostolis (*Joan.* xx), prius Petro negatori sui nominis apparuit, quam dilecto suo Joanni (*Luc.* xxiv), qui cum matre ejus juxta morientis crucem stetit ac perstitit (*Joan.* xix), veraciter cum Spiritu sapientiæ negotium peregit, sapienter propositi sui finem aspexit. Quantum enim hoc idem proposito ejus conducit? Omnes peccatores, cunctæ peccatrices quæ fidem habent, hoc exemplo reduces animos attollunt non dubiis effectibus expertum habentes, quia perforata est maxilla Leviathan, sicut promittebat Dominus : *Nunquid*, inquiens, *armilla perforabis maxillam ejus* (*Job.* xl). Nec vero in hoc tantum sapientiæ laus est, quod ad corroborandam peccatorum spem peccatrici feminæ, et negatori apostolo primum dignatus est apparere, verum et in eo quod eos quibus multam apud se gratiam reposuerat, quos ante sæcula præscierat et prædestinaverat, Mariam dico et Petrum, in tantis tamque diversis peccatorum voraginibus mergi permiserat. Quantus enim fructus, quanta exinde provenit utilitas? Dicamus primum de peccatrice Maria. Certe Judæis pro eruditione omnium sæculorum dicere habebat : *Amen, amen, dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan* v). *Et subinde : Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii* (*ibid.*). Hæc, inquam, dicere habebat, cum diceret de se homo tanta tamque magnifica, præsentibus utique experimentis opus erat, et idcirco certis quoque personis ad experimenta capienda opus habebat. Oportebat quemquam electorum corporaliter mori pro gloria Domini Dei, ut videlicet per resuscitationem ejus glorificaretur Filius Dei, vocando illum de monumento, et hoc modo verum se dixisse probando quia *omnes qui in monumento sunt, audient vocem ejus et procedent*. Permissus est itaque Lazarus amicus mori, non ad mortem, sed, sicut jam dictum est, pro gloria Dei (*Joan.* xi). Oportebat nihilominus quempiam electorum spiritualiter mori itidem pro gloria Dei, ut scilicet per conversionem ejus glorificaretur Filius Dei, dimittendo illi peccata multa, et hoc modo verum se dixisse probando, quia *mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent*. Permissa est itaque hæc mulier dilecti Lazari soror, jam dilecta, mori in peccatis, et esse famosa peccatrix, non ad mortem sive ad interitum æternum, sed, ut jam dictum, pro gloria Dei, pro testimonio justi, et justificantis nos Dei et hominis Jesu Christi Filii Dei (*Luc.* vii). Hæc de Maria. Porro de Petro quod lapsus est, quod negare permissus est, nihilominus in dispositione hujus Spiritus sapientiæ pium et pulchrum est. Princeps quippe apostolorum Petrus destinatus fuerat, et huic specialiter magna post Christum potestas danda, vel jam data erat, dicente

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Christo Filio Dei vivi, quem confessus fuerat : *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Item : *Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Tali et tanta præeunte evangelicæ veritatis auctoritate, Christianissimi imperatores post multa tempora, omnesque Ecclesiarum principes hoc censuerunt, et lege perpetua firmaverunt, ut sicut imperatori omnes præfecti vel judices, sic beato Petro et secundum dignitatem ejus excellenti Romano pontifici cæteri subjecti sint Ecclesiarum pontifices. Magnus honor, grandis celsitudo. Ait autem ipse ejusdem honoris sive celsitudinis auctor : *Qui major est vestrum, erit sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator* (*Luc.* XXII). Item majores illos sive ministros magno ad clementiam informat studio, quod manifeste colligis ex factis ejus humillimis, ex dictis ejus parabolicis. Quando autem vel quomodo sciret homo positus in celsitudine honoris, in magna conscientia sanctitatis condescendere **643** parvis, condolere miseris ? Solus quippe Deus natura humilis, natura misericors, et miserator est, imo ipsa humilitas, ipsa misericordia est. Homo quilibet humilis sive misericors, non nisi ex accidenti est. Oportebat igitur prædestinato atque vocato ad tantam celsitudinem Petro apostolo causam subesse, et magnitudinem honoris ejus præire, unde illi humilitatis atque compassionis scientia jugiter posset accidere. Idcirco labi permissus est, idcirco usque ad triplicandam negationem derelictus est, pulchro et spectabili ordine sapientiæ, ut recte miremur omnes ejusdem sapientiæ periti spectatores, omnes apertos discretionis oculos habentes. Et hoc animadvertentes omnino expedire credimus eis qui præsunt, tam propter semetipsos quam propter eos quibus præsunt, quatenus ad humilitatem vel compassionem eruditi sint, per magnum et memorabile præteritæ infirmitatis experimentum. Aliter quippe infirmitates subditorum, aut vix aut nullo modo supportare sciunt. Idcirco quondam per os Annæ prophetissæ, cecinit hic idem sanctus sapientiæ Spiritus dicens : *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem* (*I Reg.* I). Ubi autem dicimus super cardines terræ, Hebraici sermonis proprietas, ut ait beatus Hieronymus, habet *super afflictos terræ*. Et afflicti terræ qui sunt nisi humiles et contriti corde? Super illos plane qui hujusmodi sunt, Dominus *orbem posuit*, quia super eos, qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocavit, qui videlicet tanto clementius, tanto compatientius eumdem orbem portare possunt, quanto amplius clementis atque compatientis Dei gratia se indiguisse meminerunt. Et hæc igitur ad laudem Spiritus sapientiæ dicta sint, quia nimirum sapienter, id est ad magnam generationem, et generationum utilitatem, quos multum dilexerat salus omnium Christus, Mariam dico et Petrum, et antequam resurgeret a mortuis in barathrum mortis ruere permisit, et ubi resurrexit in gaudium vitæ suæ primos participes ascivit.

CAPUT XXIX.

Qualiter huic Domino, sicut beato Job addiderit Deus cuncta duplicia, quæ ejus fuerant.

Quo tandem fine tantum tamque bonum sapientiæ studium in homine isto remuneratum est ? Psalmista cum dixisset : *Minuisti eum paulo minus ab angelis*, continuo subjunxit : *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII). Apostolus quoque cum dixisset : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, continuo subjunxit : *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phili.* II). Jam his cum propheticis atque apostolicis præconiis, ut a proposita beati Job allegorica vel figurativa speculatione sermo non recedat, dicamus quia *addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Job duplicia* (*Job* XLII). Quid enim noster ipse Job, quid, inquam, Deus Christus, quid homo Christus habuerat? Diligenter utrobique possessiones ejus appendamus, quas ante passionem suam habuerat, et non dubium erit, quin cuncta recepit duplicia. Quid Deus Christus habuerat? Novem ordines angelorum. Etenim cum in forma Dei esset et nondum se exinanivisset formam servi accipiens, claritatem habebat Deus apud Deum, divinis obsequiis adoratus, Deus et rex angelorum. Sed ecce quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et hæc passus est, quæ prædicta sunt, Deus et rex est angelorum pariter et hominum. Ergo duplicia Deo Christo reddita sunt. Quid porro homo Christus habuerat antequam pateretur, vel quid amisit ubi passus est et mortuus? Unam utrique et simplam suæ carnis vitam, neque enim anima ejus morti obnoxia fuit, ut erat anima omnis hominis propter peccatum primi parentis. Parum dictum est. Etenim neque secundum carnem, neque animam mori debuit, quippe qui peccatum, neque originale contraxit, neque actuale admisit. Nullam itaque mortem debens, unam tantum id est carnis suæ vitam expendit. Sed ecce in corpore suo, quod est Ecclesia, *duplicia*, id est corporis et animæ vitam recepit, mortem quippe animarum moriendo devicit, et vitam corporum nobis resurgendo reparavit.

CAPUT XXX.

Quomodo ad mysterium Christi pertineat quod Job cuncta quidem duplicia, verumtamen filiorum non duplicem, sed tantum simplicem recepit numerum.

Sed considerandum quia cum de cæteris palam constet quod illi beato viro reddita sint duplicia, de filiis non adeo perspicuum est aut verum. Nam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fuerunt ei totidem quot prius, scilicet septem filii et tres filiæ. Potest quidem recte sic dici et sic existimari, quia mortui fuerant filii ejus, non æque ut jumenta et pecora ejus, quæ carne simul et spiritu interierant, et idcirco filii quoque duplices additi sunt, quia videlicet in resurrectione viginti erunt. Verum tamen hic in terra, hic in vita sua, ubi cætera possedit duplicia, secundum numerum filiorum recepit tantum simplicia, et hoc quoque in Domino Christo magna mysterii pulchritudine non vacat. Neque enim plures passione sua redemit, quam olim fuerant prædordinati ad vitam, quosque tunc jussit Deus nasci, quando creatis primis hominibus benedicens, ait: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). Nam cæterorum ut nascerentur, peccatum causa exstitit. Etenim pro pœna peccati multiplicitas conceptuum mulieri accessit, dicente eodem Domino: *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos* (*Gen.* III). *Multiplicabo* cum dicit, subaudiendum est, super numerum, ut videlicet plures concipias post peccatum, quam prædordinati fuerant in benedictione data ante peccatum. Igitur Job cætera quidem duplicia, sed in filiis simplicia recepit in vita sua quia Christus Dominus duplicia quidem, ut supra dictum est, beatitudinis præmia, sed simplicem electorum numerum per passionem suam redemit, quantus cum ad vitam prædordinatus esset, in Adam perierat. Nam hoc est quod Apostolus ait: *Et sicut omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV). Omnes et omnes dicit, nec tamen omnes homines, sed solos ad vitam prædestinatos vult intelligi.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER TERTIUS.

DE SAPIENTIA LIBER SECUNDUS.

644 CAPUT PRIMUM.

Quod in illa passione hæc sapientia duo nobis condiderit sacramenta quorum alterum baptisma, alterum est vivifica corporis et sanguinis Christi mensa.

Ex operibus opificem sanctum sapientiæ spiritum cognoscere, et sicut Deum glorificare studentes, præcedente volumine circa passionem novi hominis Jesu Christi Filii Dei versati sumus, nunc de sacramentis, per quæ secundum imaginem ejusdem novi hominis renovamur, quæque nobis de fonte passionis ejus profudit idem sapientiæ spiritus dicere incipiemus. Sunt autem duo hæc sacramenta maxima, scilicet baptisma, et vivifica corporis et sanguinis ejus mensa, quæ sine dubio nostræ saluti tam necessaria sunt, ut absque his nulli hominum ad vitam vel regnum Dei aditus pateat. Ait enim: *Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III). Item: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Hæc nimirum sacramenta et cunctus ordo, vel actus horum, quam recte ascribantur Spiritui sapientiæ, nonnisi qui eodem Spiritu, vel eadem sapientia fuerit edoctus, meretur advertere. Sapientes et prudentes hujus sæculi nescierunt, imo tanquam justitiam ridendam existimaverunt (*I Cor.* I et III). Proinde ipsi potius stulti facti sunt, stulta facta est sapientia illorum, non parum, sed multum, videlicet in tantum, ut canibus et porcis assimilati sint, dicaturque adversus eos parvulis quibus hæc mysteria revelata sunt: *Nolite sanctum dare canibus, nolite mittere margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas, et conversi elidant vos* (*Matth.* VII). Sacramenta hæc sancta sunt. Sacramenta hæc margaritæ nostræ sunt, illi autem qui deriserunt vel deridebant hæc cum sibi sapientes videantur, canes sunt, porci sunt. Nos igitur parvuli simus, et hæc nobis revelantem sapientiæ spiritum in his ipsis sicut Deum glorificemus, et gratias agamus. Ac primum in hoc volumine de baptismo dicamus.

CAPUT II.

De baptismate, quod interpretatur « tinctio », quod per illud qui eramus nati peccato, renascamur Deo.

Baptisma Græce, Latine *tinctio* interpretatur. Idcirco autem tinctio dicitur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius immutatur, et longe aliud quam erat efficitur. Igitur baptisma, cum dicimus, qui cum simus Latini, tinctionem dicere poteramus, in Græca voce sive nomine, majestatem atque dignitatem singularem significati ejus cogimus, scilicet ejusmodi tinctionem, cui nulla tinctio comparetur, qua cum caro sola visibiliter tingatur, amplius spiritus hominis invisibiliter tingitur, ita ut, sicut jam dictum est, totus homo immutetur, et longe aliud quam erat efficiatur. Nam filius iræ erat, filius gratiæ efficitur, filius mortis et perditionis erat, filius vitæ et acquisitionis efficitur, filius gehennæ erat, filius regni Dei efficitur, inimicus Dei erat, reconciliatur et filius Dei efficitur. Magna et mira tinctio, magnæ et efficaciæ mirabilis. Idcirco Græce baptisma dicimus, et peregrino nomine singularem tin-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

etionis hujus excellentiam significamus, et vulgi sensibus insinuare conamur.

CAPUT III.

Quæ vel quanta distantia sit baptismi Joannis et Christi.

Æquivocum tamen illud habemus, quia videlicet tam de tinctione Joannis quam de tinctione Christi hoc nomen, id est baptisma prædicamus. Æquivoco, inquam, sic dicimus, quia nimirum quod scire debemus, utriusque tinctionis sive baptismatis ratio vel definitio non eadem est. Nam baptisma Joannis, baptisma servi; baptisma Christi, baptisma Domini est. Baptisma Joannis in aqua, baptisma Christi in aqua et in Spiritu sancto. Baptisma Joannis in pœnitentiam, baptisma Christi in remissionem peccatorum. Baptismate Joannis Christus manifestatur, baptismate suo Christus, id est passione sua est glorificatus. Nam de baptismate suo Joannes loquitur: *Et ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* (*Joan.* I). Christus autem Joannis baptismate baptizatus, de suo baptismate loquitur: *Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur!* Joannis tandem baptismate populus parabatur baptismati Christi, Christi baptismate populus regno Dei fit idoneus. Procul dubio, qui baptismate Joannis baptizati sunt, dicentis *in eum qui post ipsum venturus erat ut crederent* (*Act.* XIX), **645** et ante passionem Christi ex hac vita migraverunt, baptizato Christo in passione sua a peccatis suis quamvis grandibus absoluti sunt, et cum illo in paradisum introierunt, cum illo regnum Dei viderunt. Qui autem spreverunt consilium Dei in semetipsis non baptizati baptismo Joannis, et emigraverunt ab hac luce, ante jam dictum baptisma passionis Christi, nequaquam illis profuit antiquum circumcisionis remedium; nec enim profuit illis passio Christi, nec de inferno educti sunt, quia non erant de illis de quibus Christus dicebat: *Et pro eis sanctifico meipsum* (*Joan.* XVII). Nihilominus et hoc sciendum quia qui baptizati baptismo Joannis in hac luce permanserunt, usque dum glorificato Jesu prædicaretur baptismatis ejus Evangelium, si non receperunt eum, si non baptismo ejus baptizari necessarium duxerunt, nihil profuit illis quod Joannis baptismate baptizati sunt. Quod sciens apostolus Paulus, cum invenisset quosdam discipulos, et interrogasset eos: *Si Spiritum sanctum accepistis, credentes?* (*Act.* XIX.) Itemque: *In quo ergo baptizati estis?* Subauditur, si neque si Spiritus sanctus est audistis, illis respondentibus: *In Joannis baptismate, dixit: Joannes quidem baptizavit aqua populum dicens, in eum, qui post ipsum venturus esset ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit super eos Spiritus sanctus* (*Ibid.*). Quantum vel quam longe minus illud erat baptisma servi, in quo neque si Spiritus sanctus est, audiebatur, isto baptismate Domini, in quo Spiritus sanctus in peccatorum remissionem datur? Igitur utriusque rei nomen quidem commune est, utrumque enim baptisma dicitur, sed secundum nomen ratio diversa est.

CAPUT IV.

De eo quod dicit Apostolus: « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, » et quod Joannes apostolus: « Quia tres sunt, inquit, qui testimonium dant in terra, » etc.

Cujus sacramenti, id est baptismi Christi ratio non conjecturæ humanæ verbis discutienda, sed divinæ auctoritatis est Scripturis alliganda, Paulus apostolus dicit: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Joannes autem: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis. Et tres, qui testimonium dant in cœlo, Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus* (*I Joan.* V). Utriusque sermonis auctoritas, procul dubio divina est, quia nimirum neuter horum, qui hæc loquuntur ab homine vel per hominem accipit aut didicit, sed per revelationem Jesu Christi. Et alter quidem unde baptisma processerit, et quid nobis operetur, alter astruit quibus vel quantis testibus id quod in illo agitur, ut ratum sit, defendatur: *In morte*, inquit, *ejus baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem.* Nimirum per revelationem Jesu Christi didicerat hic quod ab homine vel per hominem doceri non poterat, scilicet quid intendens Spiritus sapientiæ sic ejusdem Christi mortem disposuerat, ut prius spiritum emitteret, et tunc demum perforato latere ejus sanguis et aqua exiret. Sic enim scriptum est: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). Quid enim agebatur, nisi ut in morte ejus baptizaremur nos omnes, quia immundi eramus? Quid, inquam, agebat hic omnium artifex sapientiæ Spiritus, nisi artificium struebat ad deludendum humanæ substantiæ possessorem iniquum diabolum, quatenus illi moreremur, et alteri renasceremur? Testes enim, testes Filio Dei, pro nobis adversus illum componebantur, quos ille alius numerans, *quia tres sunt*, ait, *qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis.* Spiritus utique quem emisit, aqua et sanguis quem lanceæ ictus elicuit: Tres testes hi sunt. Ut quid enim, vel quam ob causam Spiritus sanctus cum spiritu vel anima hominis habitans in habitaculo carnis extrusus est, quantum fieri potuit per injuriam mortis, et ut quid lancea perforatum est latus innocentis, et ejusmodi fluvius exivit, nisi ut cum eisdem aqua et sanguine veniret ad nos irrefragabili æquitate judicii? Testes ergo pro nobis hi sunt, quia non hi sumus ejus cujus eramus, quia mortui sumus illi, cui vivebamus, ubi tribus istis aspersionibus mortui hujus, scilicet spiritu, aqua, et sanguine aspersi sumus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT V.

Quomodo recte utamur testibus illis, ut merito fiat nobis quod dictum est : « Filius non portabit iniquitatem patris. »

Diligenter causam nostram perpendamus, ut scire possimus, quam rationabiliter, quam vero et recto judicii ordine testibus istis utamur. Quæ enim causa nostra erat? Utique peccatum primi parentis nostri veteris Adæ. Fatemur enim quia omnes in illo peccavimus, et in illo omnes mortui sumus. Verum in eadem damnatione socia misericordiæ suæ justitia providit Deus, quomodo, si vellemus, rei non teneremur. Nam si ad Patrem alium, ad hominem novum, qui non peccavit, transfugiat filius peccatoris veteris hominis, ecce scriptum est, et completur illi quia *filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* XVIII). Cæterum si in vetustate illius permaneat, portabit iniquitatem veternosi prædecessoris, sicut itidem scriptum est : *Qui reddis peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem* (*Deut.* V). Ergo discreta et justa circa nos est justi Dei censura, quia neminem non volentem, neminem a peccatore antiquo dissentientem convolvi patitur in illa peccatrice massa. Tantummodo vetustati abrenuntiet, et dum conceditur, novus homo esse festinet. Sed oportet eum transfugii sui notum et evidens habere testimonium. Quare? Videlicet quia diabolus adversarius noster notum et manifestum contra genus humanum testimonium habet. Quod testimonium? Lignum vetitum, lignum temeratum. Notum quippe et argumentosum contra hominem hoc testimonium est, quia videlicet nisi superba mente divinitatis altitudinem appetisset, lignum vetitum non momordisset. Nisi, inquam, intus tumuisset, foris tentatus tam facile non cessisset. Quisquis igitur filius, ut non portet iniquitatem patris vetusti, novum patrem quærit, et ad novum hominem Jesum Christum transfugit, oportet, sicut jam dictum est, habere illum in testimonium Dei, oppositum testimonio diaboli sive chirographo peccati, ut sicut ille primus homo vetitum mordendo, manifestum superbiæ suæ signum dedit, sic ipse mandatum per aquam visibile remedium suscipiendo, manifestum humilitatis suæ signum suo dei Salvatori. **646** Ludicra et risu digna visa sunt hæc sapientibus et prudentibus, quorum ab oculis sapientia vera se abscondit, dum vano sensu suo discutiunt quomodo Deum decuerit ut unum propter ligni morsum homo damnatus fuerit, et omnes homines in illo mortui sint, et quomodo aquæ tinctio de peccatore justum, de mortuo vivum, de filio iræ filium gratiæ facere possit. Sed enim parvulis revelatum est, quia parvæ res magnarum rerum testimonia esse possunt et sunt. Est enim vere vel fuit, morsus ligni, quamlibet parvus, sive quantumlibet magnus, testimonium magnæ superbiæ, et tinctio aquæ, quamlibet parvæ, sive quamlibet magnæ, id est sive parvi fontis, sive magni maris, tantum in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, cum signaculo crucis, testimonium magnæ humilitatis. Igitur quia de magno negotio agitur, et magnus accusator diabolus causa proposita contra hominem testimonio utitur, oportet ut accusatus homo defensorem petens Deum legitimis ac necessariis utatur testibus.

CAPUT VI.

Quod adversus peccatum, quod erat contra nos testimonium diaboli, tres pro nobis testes in terra sint, Spiritus, aqua, et sanguis; et tres in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et cum istis cibus et potus corporis et sanguinis Christi.

Illud sane sciendum quia contra nullum hominem, nec contra infantem, cujus unius diei vita est super terram, minus quam unum habet diabolus testimonium. Nam infans qui hodie natus est, nimirum in Adam natus est, et originali peccato obnoxius est. Neque enim fas est sive jus, ut filius post patrem judicatum, præsertim qui post adjudicationem ejusdem patris natus est, hæreditatem obtineat qua pater ejus juste privatus est. Ergo infans, qui hodie natus est, in regno Dei nihil habet, nam contra illum saltem unum unius peccati accusator testimonium habet. At vero, qui jam grandævus ad baptismi gratiam accedit, tot tantisque diabolus contra illum uti habebat testimoniis, quanta vel quam multa originali actualia peccata conjunxit, non ut judicaretur si non crederet; qui enim non credit jam judicatus est, sed ut debitas pro singulis pœnas exsolveret. Econtra, qui ad Christi gratiam confugit, non minus quam septem testibus defenditur, aut defendi potest. Nam *tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis. Et tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus.* Septimus testis cibus et potus est corporis et sanguinis Christi, qui et propria quadam positione, contra testimonium stat peccati originalis, quia videlicet peccatum illud cibus fuit sumptus ad perniciem, hoc sacramentum cibus est datus ad salutem. De singulis testibus his, nunc ordine dicemus.

CAPUT VII.

Quid sit quod valeat testimonium dare in cælo et in terra.

Verum prius est ut quæramus quid est quod testimonium in terra, et testimonium dátur in cælo. Neque enim frustra duo testimonia data, terra distinguuntur et cœlo. Quid ergo est testimonium dari in terra, nisi per unam fidem, per unum baptisma habendo unitatem spiritus in vinculo pacis commendari in præsenti Ecclesia? Oportet quippe eum quem sancta præsens in communionem recipiat Ecclesia, dicere, Dominus Jesus, quod est testimonium habere spiritus, quia videlicet *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII). Et sicut præsenti capitulo dictum est, *Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas* (*I Joan.* V), quia videlicet sicut *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, sic nemo, nisi in Spirita sancto loquens, potest dicere *quoniam Christus est veritas.* Deinde cum sic corde credendo testimonium habuerit a spiritu, oportet ut suscipiendo visibile baptisma testimonium habeat a sanguine et aqua,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quæ de latere ejus fluxerunt, quando patefactum est militis lancea. Hoc totum est testimonium habere in terra, quia videlicet sic commendatum in communionem suam, in sui corporis unitatem præsens suscipit Ecclesia. Consequitur tandem testimonium in cœlo ab his tribus, qui unum sunt, scilicet Patre, et Verbo, et Spiritu sancto. Quem enim præsens Ecclesia, priori testimonio comprobatum suscepit, et in aliud sæculum cum pace sua dimisit, cœlesti sine dubio commendat Ecclesiæ testimonium Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, ut illius gloriam feliciter videat in cœlo, cujus in terra fideliter sacramenta servavit. Nunc jam propositum ingrediamur.

CAPUT VIII.

Quomodo ubi Dominus noster moriendo sacramentum nobis condidit baptismi sui, tres isti pariter affuerint, spiritus, aqua et sanguis.

Ubi baptizatus Dominus Jesus, illo baptismate suo, de quo dicebat, ut supra jam diximus : *Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur* (*Luc.* XII), ubi, inquam, passus, mortuus, et eadem passione vel morte sua baptizatus, baptismi sui nobis condidit sacramentum, tres isti pariter adfuerunt, spiritus, aqua et sanguis. Spiritus per quem, ut Apostolus ait, *semetipsum hostiam viventem Deo obtulit* (*Rom.* XII ; *Hebr.* IX), quemque cum propria anima emisit, aqua et sanguis, quem de latere suo lanceato jam mortuus, supra naturam mortuorum corporum effudit (*Joan.* XIX). His tribus testibus illic concurrentibus, tartarus intremuit, terra mota est, petræ scissæ, monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, postmodum eo consurgente, pariter consurrexerunt (*Matth.* XXVII). Quid tantus ille terræ motus significavit, nisi terram et ipsos miseros virtutem sensisse sacramenti? Venit enim primus testis ad inferos cum anima Christi, factusque adventus ejus, electis omnibus remissio peccatorum qui exspectabant eum in tenebris, congregati illic ab origine mundi. Paulo præierat felix ille latro, qui dixerat : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII), et continuo ista remissione peccatorum subsequente, cum Domino completum est quod dixerat ei Dominus : *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso* (*ibid*). Prius enim latronum crura fracta sunt, quam sanguis ille, vel aqua illa funderetur. Et quia non sola salus animarum, sed et resurrectio parabatur corporum, unde per decurrentes reliquos testes, cooperante tertio terra concussa est, et monumenta aperta sunt, ut resurgerent cum Domino testes futuræ universalis resurrectionis mortuorum. Tres igitur testes illic adfuerunt, ubi conditum est hoc sacramentum, et eorum spiritus primus est. Proinde et de hoc primitus dicendum est.

647 CAPUT IX.

Quod Spiritus sacramento dare incipiat testimonium quod sumus filii Dei, et quomodo unus idemque fons, et uterus nobis, et sepulcrum fiat, atque inde prima resurrectio sit.

Spiritus sanctus, hic in terra dat, et ab hoc sacramento dare incipit testimonium illud, de quo Apostolus dicit : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (*Rom.* VIII). Ab hoc, inquam, sacramento dare illud testimonium cœpit, nam, antequam conderetur, eramus inimici. Et si aliqui fuerant amici, vel uti Abraham, qui amicus Dei appellatus est (*II Par.* XX), nihilominus conditione hujus sacramenti, id est a passione Christi Filii Dei testimonium hoc dari cœptum est quod sumus filii Dei, testantibus ipsis Abrahæ filiis ac dicentibus : *Eramus enim aliquando et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). Nam nec ipse Abraham aliunde amicus Dei appellatus est, nisi a fide et exspectatione hujus sacramenti. Denique omnium quæ credidit, quæ credendo justificatus, etiam amicus Dei factus est, hæc summa fuit : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), et secundum hanc fidem congruam, scilicet in ea corporis parte, qua semen traducitur, signaculum circumcisionis accepit, interim promissiones non accepturus, donec veniret, qui benedictionem daret. Igitur ab hoc sacramento testimonium dare incipit quod sumus filii Dei ; etenim in hoc sacramento suo ipse efficit quatenus renascamur et simus filii Dei, Qui enim divina omnipotentia sua in Mariam supervenit, et obumbravit illi, ut conciperetur et nasceretur ex ea unigenitus Filius Dei, ipse eadem omnipotentia supervenit aquis, et eis fecunditatem tribuit, ut renascantur ex eis filii Dei. Fons aquæ elementaris, hoc spiritu superveniente vivificatus, fit uterus Ecclesiæ, uterus gratiæ. Idcirco Christus dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu* (*Joan.* III), etc. Apostolus autem : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Itaque unus idemque fons, et uterus nobis, et sepulcrum est. Uterus, quia sicut dicit Christus, renascimur ; sepulcrum, quia sicut dicit Christi Apostolus, et illic Christo consepelimur, et inde Christo consurgemus. O igitur mirabilis artifex Spiritus! Fecit quod fieri posse nesciebat homo magister in Israel, cum diceret : *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et nasci ?* (*Joan.* III.) Bene respondens Dominus Jesus, non dixit, non potest fieri, non potest homo in ventrem matris suæ iterato introire, et nasci, sed ait : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei* (*ibid.*). Non, inquam, negavit posse hominem in ventrem matris suæ iterato introire et nasci, sed dixit qualem, vel cujus uterum matris suæ deberet homo iterato introire et nasci. Aqua namque superveniente hoc spiritu, fit ille uterus matris nostræ Hierusalem cœlestis, de quo ut abortivum projectus est homo, quando peccavit, quia videlicet veneno infectum serpentis ille uterus eum tenere usque ad legitimum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tempus non potuit, id est usque dum statuto tempore, de consepto paradisi limite, in quo non valde arctas acceperat angustias præcepti, perferretur in latitudinem cœli ad similitudinem angelorum Dei. Uterus, inquam, ejusdem matris hæc aqua per Spiritum sanctum fit, in cujus sacramentis debeat receptus contineri usque ad diem cujusdam nativitatis, id est usque ad finem vitæ præsentis, quando nascatur ad videndum regnum Dei. Quo contra de illis qui scindunt eumdem uterum faciendo hæreses et schismata, dicit Psalmista : *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* Et quia isti quoque, sicut Adam per serpentem decepti sunt abortivi, continuo subjungit : *Furor illis secundum similitudinem serpentis* (*Psal.* LVII), etc. Sic aqua hæc uterus est, unde, secundum Christi sententiam, renati sumus, ex eodem nimirum actu, secundum Apostoli Christi sententiam, sepulcrum est, in quo Christo consepulti sumus, et unde Christo consurreximus, quia nimirum moriendo in illum uterum introitur, et qui moriendo introivit, resurgendo renascitur. Quomodo? Præveniente hoc spiritu et testificante *quoniam Christus est veritas* (*I Joan.* V), homo peccator et mendax accedit, et semetipsum accusat, semetipsum, inquam, id est veterem hominem, veterem Adam, sive vetustatem quam contraxit ex Adam, condemnat et morti adjudicat. Dicit enim : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Tunc stigmata passionis Christi, signaculum crucis Christi, in fronte sua suscipit, et quia patronum habet hunc spiritum, quia veram humilitatem, et humilem loquitur veritatem, secundum spiritum, tantum illi videlicet signatum esse signaculo crucis, passionis et mortis Christi, est ac si ipse crucifixus, passus et mortuus sit. Christus enim non pro se, sed pro homine peccatore, non propter sua, sed propter pœnitentis hominis peccata crucifixus, passus et mortuus est. Tunc trina mersione mergitur in aquam, et triduanam valet illi Jesu Christi sepulturam. Elevatur de fonte, et ecce qui mortuus fuerat, prima cum Christo resurrexit resurrectione.

CAPUT X.

De duobus Spiritus datis, et quando et unde Spiritus paracletus dici cœperit, et quod datum vel primum vel præcipuum sit.

Celebrato hoc mysterio, quotacunque sit hora diei, sive mane, sive hora tertia, sive sexta, sive nona, sive vespera, id est, quæcunque sit hominis ætas, sive puerilia, sive adolescentia, sive juventus, sive senectus, sive ætas decrepita, novus homo est et puer Domini, nova creatura est et filius Dei. Verum Patrem suum qui natus est, necdum vidit, hæreditatem necdum capit, quæ sibi, teste hoc spiritu, sanguine Christi conscripta est. Qui ergo testis in baptismo factus est Spiritus, idem sit et tutor pupilli, ubi per impositionem manuum sacrique charismatis unctionem secundam, qui renatus est, gratiam accipit. Extunc iste Spiritus novo jam nomine nuncupatur dicturque Paracletus. Paracletus Græce, Latine *consolator* interpretatur. Novum hoc nomen est, neque Spiritus sanctus, antequam conderetur hoc sacramentum, isto usquam nomine nuncupatur. Ubi hoc sacramentum condebatur, ubi Christus patiebatur, ipsa nocte qua tradebatur, hunc Spiritum promittens, isto primum nomine illum nuncupavit, dicens : *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI). Tanquam diceret : Veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam, id est ut ego per passionem mortis ex hoc mundo ad Patrem
648 transeam, quia nisi pro vobis passus fuero, Spiritus sanctus non veniet ad vos, illo adventu quo est consolatio, id est peccatorum remissio. Nam hæc est communis omnium electorum consolatio, quod per Christi fidem, Spiritum hunc acceperunt in remissionem peccatorum, et pro hoc non immerito beatos sese arbitrantur, dicente Psalmista : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Apostoli Paracletum istum, id est datum hujus Spiritus in remissionem peccatorum, ipsa quidem Dominicæ resurrectionis acceperunt insufflante Domino ac dicente : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX), sed secundam gratiam ejusdem spiritus non ante diem quinquagesimum adepti sunt. Primo dato, remissionem peccatorum acceperunt, secundo fortes, et zelo bono ferventes, scientes atque sapientes, eloquentes, et miraculorum potentes effecti sunt. Sine dubio paraclesis, id est consolationis vel gaudii, causa præcipua in primo data est. Ait enim ipse Dominus : *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subjiciuntur, sed in hoc gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). Denique primo dato Spiritus, per baptismum scribuntur in cœlo nomina electorum, et inde est gaudendum, secundo dato subjiciuntur spiritus, etc. Hujusmodi charismata dantur, imo dividuntur singulis, prout Spiritus vult, et inde non adeo est gaudendum. Nam hujus gratiæ ante Christi adventum plurima patriarchæ et prophetæ dona consecuti sunt, et ipsi apostoli ante Christi passionem dæmonia ejecerunt, et non erat illis gaudendum, nisi fieret ut per Christi passionem primam et præcipuam consolationem, primum præcipuum et Paracleti hujus datum, id est remissionem acciperent peccatorum. Quo facto jure gavisum est cor eorum, juxta promissum dicentis : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). Pene naturale omnibus suis effecit disciplina hujus Paracleti, ut de hac prima gratia gaudeant, et exsultent, scilicet quod per baptismum peccati vetustatem deposuerint, præsertim si gratiam eamdem custodierint, novis criminibus non admissis, de secunda vero gratia non gaudeant, sed nec de vulgari velint, nisi forte pro gloria Dei, ut ædificetur Ecclesia Dei. Hinc

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

est quod nemo fere, qui non se Christianum vel catholicum velit haberi, cum sapientem sive scientem, vel virtutem contra dæmones habentem, laudabiliter velit taceri. His igitur breviter dictis, de primo teste, id est de Spiritu Dei, Spiritu adoptionis filiorum testimonium reddente spiritui nostro quod sumus filii Dei, videamus de testibus reliquis.

CAPUT XI.

Quod testis secundus sit sanguis, et auctoritas sive utilitas testimonii ejus quanta sit, et quomodo adsit in sacramento baptismi.

Secundus post spiritum testis in baptismo Christi sanguis. Hic quidem ait : *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis.* At in Evangelio, post emissionem spiritus non dictum est, exivit aqua et sanguis, sed *exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX). Ergo secundus testis est sanguis, sicut dignitate, ita et ordine litteræ. Sic autem in causa hac testis iste dat testimonium, quomodo in testamento magnum pretium pro re chara, sive necessaria, coram arbitris atque auditoribus legitimis appensum sive datum. Verbi gratia, homo ille Rex evangelicus, de quo illic scriptum est : *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias, filio suo* (*Matth.* XXII), idcirco sponsam nominatum defendit, et nuptias fecit Filio suo, quia sponsam eamdem acquisivit Filius idem sanguine suo. Nam hoc notum est omnibus nuptiarum filiis. Et Apostolus quoque dicit : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX), licet rex ille dicat, *tauri mei, et altilia occisa sunt*, et non dicat : Ipse Filius meus occisus est, et istam sponsam suo sanguine acquisivit, tamen utrumque poterat dici, quia, videlicet, pro acquirenda Filio regio Dei sponsa ista, et prophetæ et apostoli occisi sunt, et ipse Filius Regis occisus fuit, sed nunc vivit. Idcirco autem tacitum est hoc in parabola, vel taceri debuit, quod occisus fuerit regis filius faciendo nuptias, vel certe ut faceret nuptias, quia videlicet istud omnem faciendarum consuetudinem, imo naturam nuptiarum exsuperat. Si enim qui sponsam quærit, moriatur pro eadem sponsa, jam non erit qui ducat, vel nuptias faciat. Sanguis igitur sic in hoc sacramento dat testimonium, quomodo in magno magnæ rei negotio, causam confirmat notam et grande pretium. Nam vere sanguis Filii Dei magnum est pretium, non modo quia sanguis sanctus, vel quia homo ille sanctus sanctorum est, verum, quia homo, quod det amplius vel charius sanguine suo, nihil habet. Propterea dicit : *Majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV). Et Joannes ait : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit* (*I Joan.* III). Animam pro sanguine et sanguinem pro anima vicissim poni reperimus, quia utrumque, ut physici quoque perhibent, vita hominis, imo et omnis animalis, in sanguine est. Proinde et in Genesi scriptum est : *Carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis* (*Gen.* IX). Verumtamen in isto utraque, scilicet anima et sanguis, per se intelligenda sunt. Nam quod vere mirandum est, et prius animam posuit, et deinde jam exanimis supra naturam mortuorum corporum, sanguinem de latere suo, et cum sanguine aquam fudit, sanguinem ut nos redimeret, aquam ut nos lavaret. Neque enim idcirco sanguine suo redimere voluit nos, ut immunda vasa possideret, sed ut nos a peccatis nostris lavaret, et mundos in sanctificatione et honore possideret. Sanguinem ergo redemptionis pretium, et aquam fudit sanctificationis lavacrum. Verumtamen et hoc legimus, quia sanguine lavit nos. Nam Joannes apostolus dicit : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). Dicamus igitur fideliter quia quæ de latere ejus fluxit aqua, lavit nos, sed de socio sanguine aqua virtutem hanc obtinuit ut posset lavare nos. Nam sine sanguine aqua professe non poterat, sine sanguine, inquam, testamentum ratum fieri, aut hæreditas regni Dei nobis delegari non valebat. Unde Apostolus : *Ubi enim*, inquit, *testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum sine sanguine dedicatum est* (*Hebr.* IX). Est ergo sanguis aquæ pretium, id est idoneam efficiens aquam ad concipiendum spiritum, ad conferendum remissionem peccatorum. Hoc medio conciliatur aquæ inferiori spiritus superior. Et illic quidem utrumque, scilicet sanguis et aqua visibiliter concurrit ; nam *qui vidit testimonium perhibuit* (*Joan.* XXI), sed neutrum quemquam mortuorum aut vivorum visibiliter tinxit ; hic autem ubi singuli credentium baptizantur, unum tantum, **649** id est aqua visibiliter adest, et visibiliter atque sensibiliter tingit ; nam sanguis neque visibiliter adest neque visibiliter elemento aquæ sese conjungit aut infudit. Invisibiliter adest ille sanguis in conspectu fidei, cui nulla præjudicat localitas aut vetustas, sive longævitas temporis, nam ipsa sine dubio illic est, et illuc ubi sanguis ille fusus est, hominem reducit interiorem, dum dicitur illi : *Credis in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus*, etc. In hoc verbo passionis et crucis Christi, dum dicit, *credo*, sine dubio adest ille sanguis, et invisibiliter quidem, tam secundum invisibilem animæ quam secundum visibilem corporis substantiam lavat, et a cunctis mundat peccatis : *Si enim sanguis hircorum et taurorum*, inquit Apostolus, *et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX), etc. De tertio teste, scilicet aqua, nunc dicendum est.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XII.

De tertio teste, scilicet aqua, quod sicut Spiritus Dei ferebatur super aquas, ita nunc veraciter dicamus, quia Spiritus, ut novam faciat creaturam, fertur super aquas.

Aqua illa quæ cum sanguine de mortui Christi latere fluxit, nova creatura fuit, et ad hoc creata est, ut alterum recreationis mundi principium existeret. Alterum, inquam, principium, nam primæ creationis mundi principium et creandarum prima fuit materia specierum. Etenim confusa tunc erat aquarum substantia, et sub aquis latebant omnia, quando dicente Deo : *Fiat lux*, etc., *ferebatur Spiritus ejus super aquas* (*Gen.* I). Hoc sane interest, quod tunc aquas illas creaverat Deus de nihilo, hinc autem non de nihilo, sed de hominis Jesu Christi creavit corpore jam mortuo. Alterum ergo principium aqua illa fuit, imo est. Et illo quidem principio sic super ferebatur aquis spiritus Dei, ut diceret, *fiat lux et facta est lux*, quam angelicam creaturam recte intelligimus ; in isto autem principio sic superferri dignatus est aquis idem Spiritus, ut itidem diceret, *fiat lux, et facta est lux*, quam lucem Dei visionem, hominibus redditam confitemur. O vere magnus et laudabilis artifex hic sapientiæ Spiritus, qui nobis ut absque ulla contradictione nova essemus creatura, atque idcirco non pertineremus ad prævaricationem veterem Adam, adinvenit alterum principium, adinvenit artis modum, quo ad illud nos reduceret principium, et de vetere faceret hominem novum. Ista est sapientia, *quam nemo principum hujus mundi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Nimirum ipsa calliditas principum tenebrarum hoc præscire non potuit. Sciebant ipsum esse Christum Filium Dei, sed hoc nullatenus scire vel æstimare potuerunt, quod alterum nobis tale principium adinvenire posset sapientia Dei, quo nos defendens reprehendi non possit justitia Dei. Quid enim? Quantum et quam admirabile est hoc inventum? Hoc artificium et tunc quando conditum est, fallacem diabolum sapienter fefellit, et deinceps omnes deos, imo non deos, sed dæmonia gentium, Jovem, Herculem, Junonem, Minervam, cæteraque portenta dæmonum, omnes quoque cultores eorum, omnes sapientes infatuatos hujus sæculi, reges et imperatores orbis sapienter elusit, fortiter vicit. Quomodo Christus in contemptibili forma servi, occultam contegens formam Dei, fortem armatum in eo ipso quod contemnebatur vicit, et de atrio suo foras misit (*Luc.* XI), sic aqua ista in sua vili substantia pretiosam contegens gratiam Spiritus sancti, et sanguinis Christi dæmonum culturam dextruxit, templa dæmonum in templa Christi, cultores et filios diaboli in veros adoratores et filios Dei convertit

CAPUT XIII.

Quam clementer Spiritus sapientiæ pauperibus prospexerit, ut aquam quæ cunctis res accessibilis est, januam faceret regni Dei, etc.

Et vide, dum parti adversæ sic illudit, suis pauperibus quam clementer Spiritus sapientiæ prospicit. Nam ecce aqua regni Dei janua facta est. Quam autem accessibilis est, talis aditus regni Dei. Quis tam pauper est sensu ut urnam hujus elementi comparare nequeat suis sumptibus? Nam sive de lacu, sive de flumine, sive de magno mari, sive de parvo fonte sumpta lympha, pro hac intentione, pro hac fide, et sacrata sancti nominis invocatione illa est aqua, quæ de illo fluxit sacro Christi latere. Ergo et secundum hoc mysterium, recte dictum intelligitur illud propheticum : *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac* (*Isa.* LV). Nam sicut absque ulla commutatione vinum et lac propositum est omnibus de fonte Scripturarum, sic absque auro vel argento, absque ullo rerum omnium dispendio, propositum est omnibus hoc regenerantis aquæ sacramentum copiosum. Sed forte aliquis instante persecutore, aliquis confessor Christi præpeditus ab aliquo diaboli satellite, tempus ut locum non habet, ut possit cum hydria saltem de proximo fluvio quidpiam haurire, quod ministro salutis hujus offerat, et in confessione Christi super ipsum fundat. Multi enim, persecutionis articulo præoccupati, sine aquæ baptismo supplicils affecti, pro Christi nomine confirmati et consummati sunt. Quid ergo? Nunquid hi baptizati non sunt? Imo tanto majorem gratiam præ illis qui in pace Ecclesiæ moriuntur assecuti sunt, quanto graviori dispendio morti et sanguini Christi communicaverunt. Nam in baptismo communis tantum similitudo mortis est, sicut ait Apostolus : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI), in martyrio autem ipsa mors. Quod si martyrium baptismus non esset, nunquam Dominus de passione sua dixisset, quod jam supra dictum est : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur!* (*Luc.* XII.) Verum exceptis his quos ejusmodi articulus non intercipit, nulli Spiritus sanctus extra fontes occurrit, totamque remissionem peccatorum inter aquas continet, nec ultra extendit.

CAPUT XIV.

Iterum de tribus testibus; Spiritu, sanguine, et aqua, quod sine utrolibet non sit ratum testimonium in terra.

Tres igitur testes sunt isti, Spiritus, aqua, et sanguis, quorum sine utrolibet non est testimonium ratum in terra, id est, in præsenti Ecclesia. Nam, nisi dicat quis Dominus Jesus in quo dictum est testimonium spiritus ; *nemo* enim dicit, *Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII), **650** et nisi dicat, quia *hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine* (*I Joan.* V), et hæc dicens, baptizetur aqua elementari, non est in terra recipiendus, non est ecclesiasticæ communioni admittendus, utpote legitimis et necessariis carens testibus. Unus aut duo testes in isto negotio non sufficiunt. Unum solum-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

modo testem illi discipuli habebant, quibus cum dixisset Paulus : *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* dixerunt : *Sed neque si sanctus est Spiritus audivimus* (*Act.* XIX). Unum, inquam, testem, scilicet aquam solam habebant. Nam in Joannis baptismate, sicut neque si Spiritus sanctus esset audierant, ita nec sanguinis testimonium acceperant. Neque enim Joannes verbo crucis quod nondum erat catechizare, aut sanguinem, qui necdum fusus fuerat, prædicare poterat. Unum igitur testem, scilicet aquam habebant, et idcirco nisi baptizarentur adhuc, neque in terra, neque in cœlo recipiendi erant. Duos testes habent, scilicet aquam et sanguinem, et tertium, id est Spiritum, non habent quicunque apud hæreticos baptizantur. Neque enim hæretici quicunque fidem Domini Jesus aliqua blasphemia diminuunt vel dilacerant, veraciter dicunt, *Dominus Jesus*, et idcirco nequaquam in Spiritu sancto loquuntur (*I Cor.* XII). Quamvis ergo in eum qui pro nobis crucifixus est catechizentur et baptizentur, aquæ quidem et sanguinis testimonium habere videntur, sed spiritus testimonium non habere comprobantur. Verumtamen si baptizati sunt in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, multæ siquidem hæreses in isto nomine baptizant, his qui ab eis ad catholicam Ecclesiam confugiunt, non repetitur lavacrum carnis, sed tantum per impositionem manuum reconciliati, tertium testem, id est Spiritum accipiunt. Rursus qui spiritus et sanguinis habent testimonium dicendo, *Dominus Jesus*, et credendo quia ille pro nobis sanguinem suum fudit, non eos pigeat, quamlibet justi sibi videantur, tertii testis, scilicet aquæ quærere testimonium. Nam sive Judæus in lege justificatus, sive philosophus in virtutum studiis collaudatus, dicat, *Dominus Jesus*, et hic pro omni mundo est passus, sed aqua baptizari in remissionem peccatorum dedignetur, tanquam sit justus, nullo modo in terra recipitur, nullatenus hic ecclesiastica frui communione permittitur.

CAPUT XV.

Quomodo gratia baptismi et si actu nova, voluntate tamen et proposito Dei vetus sit.

Nec vero quasi novam licet hanc traditionem contemni, quia et si actu nova est, voluntate vetus ejus, et proposito Dei. Nam, ut Judæo paucis respondeam, qui pene naturaliter hoc sacramentum aspernatur, et odit, nunquid primum a Christo dicente : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* III), testimonium habet auctoritatis hujusce sacramentum? Nonne et longe ante hæc justitia testificata est, a lege et prophetis? A lege factis mysticis. A prophetis testificata est dictis manifestis. Primum verba prophetica recolentes dicamus, non jam Nicodemo : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* (*Ibid.*), sed cuilibet didascalo Judæorum, tu es cæcus cæcorum dux, qui hæc ignoras. Nam ecce in Ezechiel loquitur Deus : *Sanctificabo nomen meum magnum inter gentes ut sciant gentes quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri. Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris* (*Ezech.* XXXVI). Quid aliud in Evangelio suo Deus homo factus facit quam quod in isto propheta Deus homo futurus, promisit? Nam ecce si quærebas quid in isto propheta dixerit, *sanctificabo nomen meum magnum, et cum sanctificatus fuero, effundam super vos aquam mundam, et spiritum novum ponam in medio vestri*, si, inquam, quærebas quando istud factum sit, ecce ad illud baptismum pervenies de quo dicebat, *baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur* (*Luc.* XII); id est continuo capiendus, et ad passionem suam ducendus, ipse loquitur : *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Joan.* XVII). Hæc dixit et continuo sanctificans seipsum, id est offerens *per Spiritum sanctum semetipsum immaculatum Deo* viventi (*I Joan.* IX), istam de qua loquimur aquam mundam super nos effudit, et spiritum novum, Spiritum sanctum posuit in medio nostri, tollensque nos de gentibus. Gentes enim eramus *ad simulacra muta prout ducebamur euntes* (*I Cor.* XII), abstulit cor lapideum de carne nostra, quia lapides eramus, lapidea colentes idola, et dando nobis cor carneum, suscitavit *de lapidibus filios Abrahæ* (*Matth.* III). Extunc habitamus in terra quam dedit patribus nostris, quia renati ex ista aqua et ex isto Spiritu, incœpimus videre regnum Dei. In Isaia quoque cum reprobasset justificationes Judæorum dicendo : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomenias et Sabbatum et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, continuo quid malit dicens : *Lavamini, inquit, mundi estote* (*Isa.* I). Item : *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris* (*Isa.* IV). Et ne quis de justitia præsumens hoc lavacro se egere non æstimet, sicut *pannus menstruatæ*, inquit, *omnes justitiæ nostræ* (*Isa.* LXIV). Et in Zacharia : *In illa die erit fons patens domus David, et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII). Pauca sunt hæc de pluribus dictis propheticis. A lege autem testificata est hæc justitia Dei, cum in multis, tum maxime in eo quod post immolationem agni fugientibus filiis Israel aperuit Deus mare, et ingressus est Pharao quoque cum curribus suis et equitibus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus (*Exod.* XIV). Verum quantacunque proferantur exempla sive testimonia de Scripturis, perseverant in malo, isti non tam Judæi, sive Israelitæ, quam Philisthiim similes illis qui primi fuerunt hostes fugientis Israel ad mare Rubrum, de quibus Scriptura dicit : *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si videret adversum se bella consurgere* (*Exod.* XIII).

651 CAPUT XVI.

De tribus qui testimonium dant in cœlo, et cur non dixerit : Pater et Filius, sed « Pater et Verbum, » et quomodo Verbum homini assumpto testimonium perhibuerit.

De tribus testibus testimonium in terra dantibus pro posse diximus, superest ut de tribus testimonium in cœlo dantibus breviter dicamus : Nam *et tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus* (*I. Joan.* V). Primo quæritur cur non dixerit, quod magis usitatum est, Pater et Filius, sed *Pater, et Verbum et Spiritus sanctus*. Ad quod dicendum, quia non solum tres illi vel tres isti testes testimonium dant, quod sumus nati ex Deo, sicut proposuerat, dicendo : *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*, et sicut in fine capituli : *qui credit, inquit, in Filium Dei, habet testimonium Dei in se* (*ibid.*). Verum et ipsi, imo principaliter ipsi Jesu testimonium dant quia ipse est Christus, vel quia *Christus est veritas* (*ibid.*). Ne ergo occasio porrigeretur hæreticis, dicturis duos esse filios, alterum Filium Dei, et alterum filium hominis, de illo homine, qui pependit in cruce et mortuus est, testificationes conferens, noluit dicere, quia *testimonium dant* ei Pater, et Filius, cum ipse in utraque substantia Dei et hominis, unus sit Dei Filius, sed *Pater et Verbum*, inquit, *et Spiritus sanctus*. Nam revera non Filius filio, sed Verbum assumpto homini testimonium dat quod ipse qui negatus et reprobatus est, ipse, inquam, sit Christus, ipse sit veritas, id est non altera Christi persona, alteri Christi personæ; sed altera Christi substantia alteri Christi substantiæ hoc testimonium dat. Quomodo testimonium dat hoc Verbum? Ut multa præteream, quæ nostram excedunt infantiam, in eo nimirum testimonium dat quod quæcunque locutus est hic homo, vera sunt, et omnia unum verum Verbum. Et hoc est legitimum testimonium. Dicit enim lex cognoscendi prophetæ, et non prophetæ signum : *Quod si tacita cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus Dominus, hoc habebis signum : Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non locutus est, sed per tumorem animi sui propheta confixit, et idcirco non timebis eum* (*Deut.* XVIII). Hoc nimirum propter istum prophetam, imo prophetarum Dominum dictum est. Promiserat enim, dicens : *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit Dominus tuus* (*ibid.*), etc. Hæc ergo præeunte legis proposi-

A tione assumptionem ipse de quo propositum fuerat, nobis porrigit, dicens : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Porro adversus inimicos ejus Judæos vel istud sufficiat, quia dixit de illis : *Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes* (*Jer.* XLIV), ut quæ ita factum est. Igitur secundum Verbi testimonium Jesus est Christus, Jesus utique, *ut putabatur filius Joseph* (*Luc.* III), et non alius Christus est. Quomodo autem Pater dat huic testimonium? Primum dicendo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* XIII). Deinde semper illum audiendo in faciendis operibus magnis, *quæ nemo alius fecit* (*Joan.* XV), maxime vero ipsum resuscitando a mortuis. Si enim dicendo se esse Christum, mentiretur, B divinorum operum testimonium non illum comitaretur, resurrectio carnis ejus, quod magnum est testimonium, non consequeretur. Nihilominus Spiritus sanctus testimonium dat huic quod sit Christus, vel quod sit Filius Dei, quia videlicet quemadmodum dixit : *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis* (*Joan.* XV), sic factum est, et fit, et fiet usque in finem sæculi. Hi *tres testimonium dant in cœlo*, id est invisibiliter. Nam antedicti testes, scilicet Spiritus, aqua et sanguis, dederunt testimonium in terra, id est, visibiliter. Spiritus enim visibiliter, id est sumpta columbæ corporea specie, super illum apparuit, affirmans quod hoc C signo cognosci jusserat, scilicet qui baptizat, sanguinem et aquam visibiliter de latere suo jam mortuus fudit; quod non fecisset, si non esset Christus Filius Dei. Nunc ad nostra redeamus.

CAPUT XVII.

Quomodo non satis sit, ni tres nobis testimonium dent in terra, nisi et tres testimonium dent in cœlo, et quomodo « hi tres » non unus, sed « unum sint. »

Postquam nos qui dicimus *Dominus Jesus* baptismo ejus baptizati sumus, tribus utique testibus in terra id est præsenti Ecclesia commendamur, sed nondum satis est. Ait enim : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum* (*Matt.* VII). Et apostolus Jacobus : Fides, inquit, D *sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Igitur sicut *tres sunt qui testimonium dant in terra*, ut in communionem Ecclesiæ suscipiamur, sic *tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, ut in regnum cœlorum introeamus. Tres isti testes sunt Pater, et Verbum et Spiritus sanctus. Cujus rei dant testimonium? Nimirum dilectionis, per quam fides operatur, scilicet quod fidem habentes, dilectionem quoque habeamus nominis hujus, et idcirco in regni cœlorum gloriam intrare digni habeamur, sicut scriptum est : *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum* (*Psal.* V). Quam autem honorificum sit talium personarum frui testimonio coram cunctis cœlorum virtutibus (*Luc.* XXI), nisi experti scire non possumus. *Et hi tres unum sunt.* Non hi tres unus, sed

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hi tres, inquit, unum sunt. Quod idem est ac si dixisset : Hæ tres personæ una substantia sunt. Ita et ipse Christus adversus Judæos, et contra Arianos nihilominus, et contra Patripassianos : Ego, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.* x). Nam *ego et Pater* cum dicit duos in personis, quod negant Patripassiani, id est Sabelliani, *sumus* cum dicit, *unum* in substantia, testatur quod negant Ariani. Ita et hic ait : *Hi tres unum sunt*, id est hi tres in personis, unum in substantia sunt. Restat ut, juxta propositum, de septimo teste loquamur.

CAPUT XVIII.

De septimo, quod est Dominici corporis et sanguinis sacramentum, quod nobis non tantum testimonium, sed ipsum sit vitæ testamentum, et quod traditio ejus a passione Domini habuerit initium.

Septimus testis nobis secundum præsens negotium Dominici corporis et sanguinis est sacramentum. Hujus nimirum sacramenti virtus non utcunque testimonium, sed ipsum est vitæ et salutis nostræ testamentum. Ait enim : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hic calix novum testamentum in meo sanguine qui pro vobis effundetur* (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXII). Hoc testimonium ut superius diximus, testimonio, quod adversus nos habebat diabolus, quadam oppositione propria oppositum est, quia videlicet contra cibi vetiti culpam, cibus et potus gratiæ est, contra **652** serpentis venenum, sancti Spiritus antidotum est. Et hoc utique sacramentum ab eadem Domini nostri Jesu Christi passione habet, venæ suæ principium. Secundum quippe quia cum de isto multa locutus fuerit ante suam passionem, nusquam tamen traditionem ejus dedit, antequam ad ipsam venisset passionem. Jam enim erat venditus, ut Apostolus ait : *Ipsa nocte qua tradebatur, accepit panem gratias agens, fregit et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*I Cor.* XI), etc. Cur hoc nisi quia non aliunde vivificum hoc mysterium, sed ex ipsa condebatur Domini passione ? Idcirco subinde idem Apostolus dixit : *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*ibid.*). Pulcher et rationabilis ordo salutis, ut prius supradictorum testium, scilicet Spiritus, sanguinis et aquæ sacramento baptizati, maculam veteris cibi lavaremus, et tunc demum eidem edulio mortis contrarium hunc cibum, et hunc potum salutis perpetuæ perciperemus.

CAPUT XIX.

Quod in typum horum duorum sacramentorum olim prior populus et mare transierit, et panem de cœlo atque aquam de petra consecutus sit, et quomodo Apostolus eamdem escam spiritualem eos manducasse, et eumdem potum spiritualem bibisse dixerit.

In typum horum duorum sacramentorum, olim prior populus, et mare transivit, et in deserto panem de cœlo manducavit, aquam de petra bibit. Unde et Apostolus : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.* Et post pauca : *Hæc autem*, inquit, *omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X). In figuram cum dicit, subaudiendum necessario est horum quæ revelata suo tempore, gratia et veritas per Jesum Christum facta vel data est. Proinde cum eamdem escam et eumdem potum dicit, et non addit aliquid, ut verbi gratia dicat : Quam nos manducamus, vel quem nos bibimus, nunc de mensa Christi nullatenus dissonat dictio ejus Christo dicenti : *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Dixerant enim Judæi : *Quod tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ? Quid operaris ? Patres nostri manducaverunt in deserto manna, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare.* Negavit protinus Veritas dicens : *Amen, amen dico, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum* (*Joan.* VI). Tanquam diceret : Hunc panem de quo Propheta dicit : *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXII), vere dico vobis non Moyses præterito tempore vobis dedit, aut dare potuit, sed Pater meus præsenti tempore dat. Itaque cum dicit Apostolus, *eamdem escam spiritualem manducaverunt et eumdem potum spiritualem biberunt*, et non additur quam vel quem, nos hoc revelatæ gratiæ tempore sumimus, non contrarius est sententiæ Christi, sed sicut alio tendit, ita et relationes pronominum *eamdem* et *eumdem* alio ducit. Intendit enim præsumptionem nobis securitatis auferre, ne putemus nos securos esse debere, quasi quomodocunque vivamus post baptismum, et mensæ Christi participationem, sine dubio debeamus regnum Dei videre, vitam æternam habere. Hoc intendens dicit *in figura* nostri illud contigisse quod illi omnes mare transierunt et omnes manna manducaverunt, et omnes aquam de petra biberunt, et tamen non omnes illam repromissionis terram introierunt, *sed non in pluribus eorum*, inquit, *beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto* (*I Cor.* X). Sic etenim non omnes qui hunc panem manducant, et hunc calicem bibunt, cujus ille panis et illa aqua figura fuit, ingredientur in illam veræ repromissionis et viventium terram, cujus illa terra sine dubio figuram prætulit. Igitur *eamdem escam et eumdem potum* cum dicit, subaudiendum est mali, quam vel quem boni eamdem sine dubio et eumdem Chore, quam vel quem Caleph et Josue, eamdem eumdemque Dathan et Abiron, quam vel quem Moyses et Aaron. Quod si quæritur quomodo ergo esca spiritualis, et potus spiritualis erat, facile respondetur quia non alio, sed eodem modo quo et petra spiritualis vel Christus erat. Sicut enim dixit spiritualem escam et spiritualem potum, sic dixit de spirituali petra : *Petra au-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tem erat Christus. Constat vero quia sic petram spiritualem, vel petram Christum dixit, ac si diceret, spiritualis petræ figurativam, Christi significativam. Ita ergo et spiritualem escam et spiritualem potum dixit, ac si diceret : Escam figurativam escæ spiritualis, potum significativum potus spiritualis.

CAPUT XX.

Quomodo illis æque ut nobis hoc sacramentum necessarium fuerit, et quomodo qui mortui erant, hujus participes esse vel fieri potuerint, et quod hoc sacramentum efficiat, ut nobis qui nondum eramus, proficiat mors Christi.

Itaque tam unum quam alterum sacramentum, illis æque ut nobis erat necessarium, quia videlicet neutrum in re, sed utrumque in umbra vel figura acceperant. Nec vero magis per illam figuram sive umbram consummati vel sanctificati esse poterant, quam antiquiores Abraham, Isaac et Jacob, vel posteriores, Samuel et David, qui neque illud mare transierunt, neque illud manna manducaverunt. Diximus autem, et sæpe dicere, imo semper ita sentire debemus, quia quando patiente vel moriente Christo, sanguinemque et aquam fundente de latere suo, baptismi ejus conditum est sacramentum, tunc omnes eodem sanguine et eadem aqua mundati sunt, baptizato illo pro omnibus vel sanctificato, sicut dixerat : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur* (*Luc.* XII)? Et alibi : *Ego pro eis sanctifico meipsum* (*Joan.* XVII). De alio sacramento quid dicemus? Quo qui mortui erant, participes facti sunt, vel fieri potuerunt cibi et potus ejus? Vere rem mirabilem satis digne admirari non possumus. Nam quia mortui venire non poterant ad manducandum hunc panem angelorum, ivit ad eos ipse, ut quomodo a mortuis manducari poterat, manducaretur panis angelorum, vita viventium, resurrectio mortuorum. Dissipati erant mortui; etenim animæ quidem ad inferos descenderant, corpora vero in ventrem terræ recondita fuerant. Dissipari ergo voluit et ipse panis vitæ, et anima quidem cum Verbo Deo descendit ad inferos ad animas eorum, corpus vero non sine potentia Verbi ejusdem ubique præsentis, in ventrem terræ ad corpora eorum. Tale remedium illis invenit quomodo sapiens, quomodo sapientia Dei aliquo modo viventibus et nobis victuris, **653** qui nondum eramus, providendum erat, quia nimirum ad nos eo modo non erat ultra descensurus. *Resurgens* enim *ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Quærendum illi erat, imo jam scire illum nobis expediebat, quo pacto nos illum dum vivimus, in animas et corpora nostra transumere possemus, quia, sicut jam dictum est, postquam mortui essemus, fieri non poterat quod semel factum est, ut scilicet rursus moreretur, et anima ejus nostris in inferno animabus, corpus ejus nostris in terra corporibus conjungeretur. Ergo et nobis tam sapienter quam misericorditer idem in alia specie remedium providit, quomodo sapiens, quomodo sapientia Dei. Fecit enim nobis sacramentum, per quod et corpus ejus in nostra corpora, et vita corporis ejus, id est, Verbum Deus in nostras animas infunderetur, et ipse tamen integer permaneret et vivus.

CAPUT XXI.

Quomodo hoc sacramentum Christus tradiderit, et quibus essentiæ modis corpus et sanguis Christi sit.

Quomodo? *Cœnantibus autem,* inquit evangelista, *accepit panem et benedixit et fregit, et dedit discipulis suis dicens : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Sicut de sanguine dixit *qui pro vobis effundetur,* sic de corpore dixit, et apud Lucam scriptum quoque est, *quod pro vobis tradetur* (*Luc.* XXII). *Cœnantibus,* inquit, videlicet cœnam illam typicam, per quam hactenus præfigurata fuerat hæc cœna veritatis, eo ritu quem lex ita præscribit : *Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui ejus juxta numerum animarum, quæ sufficere possint ad esum agni* (*Exod.* XII), etc. Illa figura tunc in præsentiarum erat implenda re veritatis, veritate rei præsentis. Propterea in Luca dicit : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei* (*Luc.* XXII). Hæc dicens et illud vetus Pascha sacramento novi Paschæ mox impleri dixit, et cogitationi vel exspectationi illorum respondit, quia interrogare soliti erant dicentes : *Quando veniet regnum Dei,* aliter quam res foret utpote carnaliter adhuc sentientes de regno Dei. *Cœnantibus* itaque, in est sedentibus adhuc in cœna, qua manducaverant carnes agni, carnes Paschæ veteris, *accepit panem, et benedixit.* Panem communem accepit, sed benedicendo longe in aliud quam fuerat, transmutavit, ut veraciter diceret sic : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIII; *Luc.* XXII). Item vini substantiam accepit, sed itidem gratias agendo vel benedicendo sic in aliud vertit, ut diceret Veritas, quæ non mentitur : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (*ibid*). *Hoc,* inquit, id est, hic panis *est corpus meum,* sive caro mea. Nam et alibi dicit : *Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI). Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quod panis ille caro Christi factus sit, quod vinum illud in sanguinem versum sit. Nimirum si videretur color, aut sentiretur sapor carnis et sanguinis humani, homini non plus salutis, sed plurimum afferret horroris. Sic ergo est corpus vel caro et sanguis Christi, quomodo esse vel ad usum nostrum convenit, et ad salutem nostram sufficit. Quomodo vel quibus essentiæ modis? Nimirum nomine, re atque effectu. Nomine videlicet esse intelligimus,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

in eo quod dicit, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Sicut nusquam ita nec in isto, imo maxime, nec in isto nomen Domini vanum accipere debemus. Si enim in cunctis sanctificationibus, quæ per ministros Domini ad invocationem nominis ejus aguntur, nequaquam nomen Domini in vanum accipere audemus, quanto magis in ista sanctificatione, in qua nomen corporis et sanguinis sui ore proprio posuit Dominus, nequaquam in vanum idipsum nomen accipere debemus? Re quoque, corpus Christi et sanguinem esse intelligimus, in eo quod ait, *quod* corpus *tradetur, qui* sanguis *effundetur.* Effectu esse intelligimus in eo quod cum dixisset, *quod tradetur, qui effundetur,* addidit, *pro vobis in remissionem peccatorum.* Itaque sicut illa specie qua pependit in cruce Sanctus sanctorum est, et in illa specie prætéritis omnibus electis remissionem peccatorum operatus est, sic in ista specie panis et vini nihilominus Sanctus sanctorum est, et omnibus electis, qui post eamdem passionem ad fidem ejus veniunt, idem illum efficere, id est remissionem peccatorum, et vitam æternam conferre non dubium est. Nam et alibi dicit: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). Et protinus addidit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Ibid*).

CAPUT XXII.

Quid sacramentum et quid res sacramenti sint, et quod sit vere corpus et sanguis Christi.

Est igitur, sicut et Pater Augustinus ait, in Sacramento isto quod digni et indigni accipiunt, res sacramenti, quam non nisi digni accipere possunt, sed non sicut dicta ejus a nonnullis æstimata sunt. Putaverunt enim illum dixisse quod non sit corpus aut sanguis Christi, quod indignus quisque percipit, atque secundum tanti doctoris sensum non corpus aut sanguinem Christi, sed tantum figuram vel signum esse corporis et sanguinis Christi, id quod visibiliter sumimus de mensa Domini. Hoc ille non dixit, imo hoc ille non sensit. Neque enim Christo contrarius esse consuevit. Loquitur autem Christus, et per semetipsum, dicens: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, et per Apostolum suum, cujus experimentum habemus quia in eo loquitur Christus (II *Cor.* XIII), dicens: *Itaque quicunque manducaverit panem Domini, et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* II). Non dixit, *qui manducat et bibit indigne,* panem manducat simplicem vel communem, et vinum bibit quale prius erat nondum celebrata consecratione, sed *reus erit corporis et sanguinis Domini,* sed *judicium,* inquit, *sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*ibid*). Quapropter non jam de contentiosa cujusquam dissertatione, sed de apostolica veritate sensum petamus, quo prædictus doctor sacramentum, remque sacramenti distinxerit. Rem sacramenti, Christus ipse mysterium suæ dixit esse passionis, ut ante jam diximus, qui tenens in manibus hoc visibile sacramentum, cum dixisset, *hoc est corpus meum,* addidit *quod tradetur,* cum dixisset, *hic est sanguis meus,* addidit, *qui effundetur.* **654** At ille qui indigne accedit, non communicat Christi passionibus, non contingit ore mentis, quod percipit ore corporis, unde et hoc ipsum est quod indignus existit. Ergo corpus quidem et sanguis Christi est hoc visibile sacramentum, quod ore percipit, neque enim indignitas ejus, dignitatem tantæ consecrationis evacuare potuit, sed rem sacramenti non attingit, quia mente et fide per dilectionem operante, passionem Christi non respicit. Idcirco nec effectum consequitur ejusdem sacramenti, in eo scilicet ut pro se traditum sit hoc corpus, et fusus iste sanguis, id est in remissionem peccatorum sibi, ut habeat vitam æternam, et resuscitetur in novissimo die, in resurrectionem vitæ, sed consequitur id quod huic effectui contrarium est, ut videlicet sit reus corporis et sanguinis Domini, ut judicium sibi manducaverit et biberit.

CAPUT XXIII.

Quod sit dandum indignis, et quod multum intersit, quomodo vel unde quisque æstimetur indignus.

Proinde, ut Apostolus ait, *probet seipsum homo, et sic de illo pane edat et de calice bibat* (I, *Cor.* II), quia videlicet tantæ dignitatis sacramentum indignis et non probatis dandum non est. Cum autem hæc dicimus, moventur plerique, nos quoque molesto experti sumus experimento, quos vel culpa remordet, vel certe humilitas Christiana informat, ut indignos tanto mysterio judicent semetipsos. Verum si dictionem non nostram, sed apostolicam perpendant diligentius, non est cur moveantur, quasi temeraria contra ipsos judicia constituamus. Differt enim indignitatis hujus dictio vel modus, multumque interest quomodo vel a quo, quisque indignus existimetur. Est enim cum seipsum quisque indignum confiteatur, et cum ab alio indignus existimetur aut pronuntietur. Porro semetipsum laudabiliter indignum confitetur, quisquis veraciter et, ut dignum est, dignitatem perpendit sacramenti hujus. Quis enim, si recte judicet, castum cor se habere gloriabitur? De hac parte Apostolus dicit: *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*ibid*). Econtra detestabiliter indignus judicatur quisquis vel in aliquo scelere notus, aliquantis testibus, sive toti Ecclesiæ causam dedit ut indignus existimetur. Cum igitur nostro judicio indigni sumus, non tum sancta jure nobis negantur, cum autem ab aliis indigni pronuntiamur, maxime ubi non dubia indignitatis causa profertur, jure repellimur, ne judicium nobis manducemus et bibamus. Sed jam ad incepta revertamur.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXIV.

Quomodo iste cibus, quem de suo Christo dedit, illi sit oppositus quem de alieno serpens primus hominibus persuasit.

Accipite, inquit, *et comedite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Et alibi : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan* VI). Cum hæc dicit Agnus Dei, opportune nobis ad memoriam recurrit illud quod dixit serpens, imo, per serpentem diabolus hostis humani generis : Accipite, et comedite, et *eritis sicut dii* (*Gen.* III). Optimæ et spectabiles valde propositiones. Ille serpens erat, iste Agnus est. Ille vetus peccator, iste antiquus Creator. Ille per terram repsit, iste de cœlo venit. Ille spiritu diaboli falsum sibilans, iste Spiritu Dei verum evangelizans. Ille peccati portitor, iste justitiæ doctor. Ille mortis artifex, iste vitæ opifex. Ille de ligno non suo raptor obtulit, iste de corpore et sanguine suo largitor dedit. Ille quod non habebat mendaciter promisit, *eritis,* inquiens, *sicut dii :* Iste quod habebat, quod semper naturaliter habet, fideliter dedit, ut simus dii, dum manet ipse in nobis. Illi tandem nefandissime creditum est plusquam Deo. Credatur econtrario huic Deo, si non plus, at saltem quantum creditum est illi diabolo. Creditum est enim quod illi pomo inesset quod non videbatur, scilicet vis deos efficiendi, credatur huic sacramento inesse quod non videtur, videlicet veritas carnis, et sanguinis, valens efficere nos concorporales unigenito Filio Dei. Hoc enim ratio vel ordo justitiæ exposcit. *Accipite* ergo, inquit, et *comedite.* Prius *accipite*, et deinde *comedite.* Accipere enim est fideliter credere, cum gratiarum actione diligere, compatienti affectu corporis hujus traditionem et sanguinis hujus effusionem respicere. Hoc fieri non potest, nisi prius rejiciatur id quod ab illo male acceptum est. Illud igitur mendacium exsecrantes, hanc veritatem *accipite*, approbate, amplectimini, et contra cibum mortis, panem *comedite* vitæ æternæ, et calicem *bibite* salutis perpetuæ.

CAPUT XXV.

Cur utrumque ad salutem necessarium sit, et prius baptizari, et deinde huic sacramento participare.

Quid, inquis, opus erat, postquam baptismum accepimus in remissionem peccatorum, sumere cibum in remissionem peccatorum ? Imo utrolibet horum accepto sacramentorum, quid alterum ad salutem erat necessarium ? Dixit enim : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Porro jam ante dixerat : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). In utroque sic posuit vitæ et salutis conditionem, ut in neutro alterutrius fecerit mentionem. Quod si ita dixisset, qui baptizatus fuerit, et carnem meam manducaverit, ac sanguinem meum biberit, salvus erit, sive qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, post acceptam baptismatis gratiam, habet vitam æternam, minus superesset ad quærendum. Nunc vero plus esse quod quæratur, scilicet et quomodo dicat : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Cum ante dixerit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*ibid.*), et qua ratione secundum modum originalis culpæ, utrumque remedium necessarium sit. Ille jam facilius de primo respondetur, quia videlicet quod ait : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, tale est, ac si dicat certus medicus de homine semivivo plagis plurimis a latronibus convulnerato, si se in stabulum meum deferri permiserit, salvus erit. Dabo enim illi cibum et potum tantæ virtutis, ut integram continuo sospitatem recuperare possit. Sic nempe cum dicit, *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, subaudiendum est, corpus enim meum in escam, et sanguinem meum in potum dabo, sive jam paravi illi, unde refectus sine dubio salvus sit. Nunc ergo quod superest si quæritur, cur non unum quodlibet horum, sed utrumque sacramentum ad salutem necessarium sit homini, respondere licebit, videlicet quia peccatum ab homine duplex commissum est. Alterum, siquidem superbiæ, alterum fuit gulæ. Superbivit enim prius in mente appetendo **655** similitudinem Dei, quod maxime liquet ex serpentis promissione dicentis : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III). Neque enim similitudinem Dei pro mercede prævaricationis illis spopondisset, nisi prius illos hoc ipsum ambire persensisset. Deinde et gulæ ambo succubuerunt, quod et Scriptura manifestius denotando exprimit, cum de muliere dicit : *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit, deditque viro suo* (*ibid.*). Igitur quia congeminatum fuit peccatum, recte congeminatum est et sacramentum. Et alterum quidem superbiæ malum per humilitatis bonum, in altero gulæ vitium per melioris alimenti curatur antidotum. Quid pulchrius oculos attollenti ad istam circa nos dispositionem misericordiæ simul et justitiæ Dei? Neque enim sic Deus misero misertus est homini, ut hominis superbi congruam exigere satisfactionem negligeret. Ecce qui regnantis in cœlo Dei similitudinem appetivit, pendentis in ligno Filii Dei, similitudinem per baptismum suscipit. Ibi contempsit majestatem, hic adorat crucem. Illud superbiæ fuit, hoc humilitatis. In illa superbia diabolus hominem inveniens, cibum vetitum obtulit, *et eritis,* inquit, *sicut dii,* in hac humilitate Deus hominem inveniens cibum potumque offert corporis et sanguinis sui, *et manebitis,* inquit, *in me, et ego in vobis.* Et notandum quod non eisdem verbis deceptoris usus est, dicentis : *Eritis sicut dii,* nec omnino sic dicere debuit, *qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum,* erit sicut deus, vel erit similis altissimo, sed *in me manet,* inquit, *et ego in eo.* Quis enim est vel esse potest sicut Deus, id est sine illius ope vel gratia esse

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Deus? Sed et de his alio in opere plenius diximus, A idcirco nunc plura dicere supersedemus.

CAPUT XXVI.

Quod hæc prima resurrectio sit animarum, et quod in eis qui in hac partem habent secunda mors non habeat potestatem.

Ecce hæc est resurrectio prima, baptizari scilicet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sic manducare corpus, et bibere sanguinem Domini. Unde et in Apocalypsi Joannes: *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem* (*Apoc.* XXII). Item: *Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem* (*Apoc.* XX). Et post pauca: *Inferus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est* (*ibid.*) Sunt ergo sicut duæ mortes, altera animæ et altera carnis, sic duæ resurrectiones, prima animæ et secunda carnis. Sciendum quoque quod mors animæ experimento quidem secunda est, sicut paulo ante dictum est, *inferus et mors missi sunt in stagnum ignis*, quæ mors secunda est, sed actu prima est. Prius enim homo anima quam carne mortuus est. Dixit enim Deus: *In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* III). Prius ergo anima quam carne mortuus est homo, morte videlicet peccati, quæ animam separat a Deo. Nam morte quæ animam separat a corpore, post annos nongentos triginta mortuus est. Prima ergo hæc est resurrectio, baptizari, et corpore ac sanguine Christi participare. Sic enim anima resurgit, et jam vivit. Resurget autem in novissimo die carnis resurrectione. Idcirco Dominus cum diceret: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum*, præsenti tempore dixit, *habet vitam æternam*, futuro autem, *et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI), et subaudiendum est, resurrectione vitæ, ut in ea secunda mors non habeat potestatem. Nam generali resurrectione carnis omnes resurgent. Nimirum prima resurrectio voluntatis, secunda necessitatis est. Idcirco cum diceret, de primâ resurrectione loquens: *Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei*, in voluntate positam, significans hanc primam resurrectionem, *et qui audierint*, inquit, *vivent* (*Joan.* V). Nemo enim a morte peccati resurgit, nisi volens. Item cum diceret, de secunda resurrectione loquens: *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus*, illam resurrectionem in necessitate esse pronuntians, *et procedent*, ait, *qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*ibid*). Denique qui procedent in resurrectionem judicii, mallent non procedere, aut non resurgere, imo omnino mallent non esse quam esse.

CAPUT XXVII.

Cur adhuc carne moriamur, cum quæ causa mortis exstiterit, prævaricatio paterna, in sacramento deleatur.

Et nunc quidem gaudemus scientes et dicentes cum Apostolo quia *corpus quidem mortuum*, scilicet certissime moriturum *est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem* (*Rom.* VIII). Sed et de ipso corpore mortuo sive morituro consolatur nos, non incerta ratio fidei, juxta quam protinus dicit: *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum a mortuis, convivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*ibid.*) Non dixit, suscitabit *mortalia corpora vestra*, quod de illis nihilominus recte diceretur, et qui ad vocem ejus procedent in resurrectionem judicii, B sed *convivificabit*, inquit, subauditur, Jesu Christo quem suscitavit a mortuis, quod eorum tantum est qui procedent in resurrectionem vitæ propter hoc ipsum quod Spiritus ejus habitat in ipsis. Nunc ergo, ut jam dictum est, gaudemus quidem hæc scientes, sed in ipso gaudio est, cur *procidamus ante Deum, et ploremus coram Domino qui fecit nos* (*Psal.* XCIV), *quia defecimus in ira ejus, et in furore ejus turbati sumus* (*Psal.* LXXXIX). Etenim interim dum in isto mortali corpore gravati ingemiscimus, forte dicat quis: Quoniam in Christo renati, culpam terreni parentis evasimus, cur adhuc ejusdem culpæ pœnam portamus? Cur adhuc morimur? Cur non absque mortis molestia meliorem ad vitam transmigramus? Cur exspoliamur, et non C magis supervestimur? Nam quod a nobis est, ut Apostolus quoque ait, nolumus *exspoliari, sed supervestiri* (*II Cor.* V). Ad hæc ingemiscentes dicere possumus: Non per solam misericordiam, sed per sociam quoque misericordiæ justitiam, requisiti sumus. imo quod nihilominus magna cum reverentia cogitandum est, non per solam justitiam, sed et per circumvolantem nos misericordiam in primis parentibus nostris mortales facti, et de paradiso ejecti fuimus. Sciendum quippe est quia licet eadem causa, non tamen eadem manu qua in animæ morte percussi fuimus, in corpore quoque mortalitati addicti sumus. Etenim mors animæ nobis a diabolo adinventa est, mortalitas corporis a provida Dei sapientia, vel sapiente providentia nobis imposita est. D Si enim post peccatum vivere vita corporis, et immortales esse permissi fuissemus, dæmonibus similes essemus, quia nobis æque ut illis misera æternitas, vel æterna esset miseria. **656** Idcirco nobis bene providens Deus dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum* (*Gen.* III), etc. Hæc forte cuiquam grandem videntur sonare iram, sed eruditam habentibus discretionem, magnam profecto spirant clementiam. Item quod dixerat: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*ibid.*), non tam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

baculus iræ quam virga disciplinæ est. Quam videlicet disciplinæ virgam Psalmista Spiritu sancto prædocente considerans, dicit in persona novi hominis Jesu Christi, imo ipse novus homo nostrum caput dicit, pro omnibus membris suis : *Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit* (*Psal.* XVII). Quid enim hæc disciplina mortalitatis, nisi superbiam terræ et cineris corrigit? Quid nos docet, nisi humiliari sub potenti manu Dei? Idcirco Psalmista per concessionem dicit : *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret, et arescat* (*Psal.* LXXXIX). Et est sensus : Homo statim ex quo natus est mortalis atque passibilis, sicut herba mane viridis et pulchra cito *transeat*, id est deficiat. Quomodo? In juventutis matutino positus vigendo *floreat*, et post ab ipso juventutis statu in vesperam senectutis *transeat*, et in illo vespere positus moriendo, *decidat*, deinde *induret*, id est rigidum cadaver fiat, deinde *arescat*, id est aridus pulvis existat. Non, inquit, hoc oro, ut homo, statim ex quo natus est, immortalis et impassibilis fiat, sed potius concedo divinæ sententiæ, ut sic transeat. Sed heu, quam indociles sumus ad hanc partem, ut humiles simus, ut coram Creatore nostro dimisso capite ambulemus. Mane sicut herba transimus, et in ipso transitu quasi quercus aut abietes sumus, collum erigimus, et de longinquo statu præsumimus. Quid faceremus, si non quotidie decidentem nostri generis herbam videremus, si non quotidie cervices conditionis nostræ in lutum rediguntur? Bene ergo Creator noster in eo ipso quod iram sonare videtur dicendo, *ne sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum* (*Gen.* III), nobis providit, ne esset sicut jam supra dictum est, nostra æque ut dæmonum æterna miseria; vel misera æternitas, esseque saltem temporalis miseria sive misera temporalitas, ut quandoque fieret vel fieri posset, quod intendebat homo, scilicet æterna beatitudo, sive beata æternitas. Igitur quia non eadem manu in corpore mortales facti, qua et in anima mortales sumus, diabolo enim inventore, homo sibi mortem animæ conscivit, Deus autem ad corrigendam hominis superbiam, disciplinam mortalitatis corpori imposuit, recte et per sacramentum gratiæ Christi culpa diluitur, et tamen hæc pars pœnæ non relaxatur.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER QUARTUS.

DE INTELLECTU.

CAPUT PRIMUM.

De Spiritu intellectus, quando vel qualibus hominibus datus : qualibus experimento in Petro apostolo sit declaratus.

Glorificato Domino Jesu, et in ipsa ejus glorificatione conditis salutis nostræ sacramentis, de quibus in laudem et gloriam Spiritus sapientiæ præcedenti volumine diximus, datus est continuo Spiritus, et in ipso dato ejus primus actu confestim enituit is, qui a Spiritu sapientiæ secundus est Spiritus intellectus. *Tunc* enim *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV). Quibus autem vel qualibus intelligentiam Scripturarum dedit? Utique non oratoribus, sed piscatoribus, non Scribis, aut Pharisæis, sed hominibus idiotis et sine litteris. Tanta istis copia sensum aperuit ut omnem scirent veritatem, eruditi non ab homine neque per hominem. Primum, intellectus hoc accepimus experimentum. *Viri fratres*, ait Petrus, *oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus* (*Act.* I). Quam Scripturam? *Fiat*, inquit, *habitatio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter* (*Psal.* LXVIII, CVIII). Duo nempe testimonia conjunxit, et alterum quidem singulariter de psalmo centesimo octavo : *Et episcopatum ejus accipiat alter;* alterum vero pluraliter de sexagesimo octavo : *Fiat habitatio eorum deserta.* Proposuerat autem tantum quidem de uno singulariter : *Oportet*, inquiens, *impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus de Juda*, sed et hic addidit pluraliter, *qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum* (*Act.* I). Quid igitur nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem, hoc dicto sentimus? Judam quippe et infelices Judæos, sicut eodem scelere involutos, sic et simili pœnæ significat addictos. Quomodo? Videlicet quatenus quod uni Judæ contingebat, ut episcopatum ejus accipiat alter, idem et Judæis contingeret, ut episcopalis eorum habitatio deserta fieret, verumque episcopatum, verum et æternum sacerdotium populus alter, populus gentium acciperet.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

657 CAPUT II.

Quod et si qua die resurrexit Christus, aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, multum tamen defuerit usque dum venit super eos Spiritus sanctus.

Sed quantus erat adhuc illis sensus hujusmodi in intelligendis Scripturis, ante illum quem promiserat exspectabant adventum Spiritus sancti? Tantus nimirum, quanta est claritas auroræ comparata meridiano soli. Nam et adhuc carnaliter sentientes de regno Christi interrogaverunt eum, dicentes : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* (*Act.* I.) Jam sicut idem Lucas memorat, aperuerat illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV). Jam sicut Joannes refert, insufflaverat, dicens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX), attamen de regno Christi cui redempti fuerant, adhuc sentiebant, non secundum Scripturas, et erat illis opus adhuc accipere Spiritum sanctum, ut omnia sentirent secundum Scripturas. Idcirco dicebat : *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, accipietis, ait, virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti, et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I). Unum Spiritus sancti datum acceperant, scilicet in remissionem peccatorum, dicente ut prædiximus Domino : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sed geminato in baptismate Spiritus sancti dato opus erat, quemadmodum et Joannes prævidens : *Ipse*, inquit, *vos baptizavit Spiritu sancto* et igni (*Matth.* III). Cum ergo his quibus jam dederat Spiritum sanctum, dicit : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto* (*Act.* I), ac deinceps, *accipietis*, ait, *virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (*ibid.*), idem est ac si dicat : Baptizavi vos Spiritu sancto, baptizabo vos igni, ut videlicet excocta omni cupiditate regni terreni, quale desiderat Israel carnalis, et fortes sitis ad contemptum totius mundi in maligno positi, et acuti ad intelligenda mysteria regni Dei, regni quietis et pacati, regni sempiterni.

CAPUT III.

Quod proprium Spiritus intellectus sit opus hominem divinitus non humano magisterio docere, quomodo illo die apostolos docuit qui erant homines idiotæ et sine literis.

Quid multa? Venit dies quinquagesimus quoto die ab immolatione agni quondam data fuerat lex, et in illo die Spiritus intelligentiæ replevit eos idem, qui obscuritatem litteræ dederat Deus, ut quidquid terrenum hominibus terrenis sonuerat littera legis, verbi gratia, terram fluentem lac et mel, et montes de quibus æris metalla fodiuntur, ipsi cœlestes effecti, imo et cœli, de ipsis enim Psalmista prædixit : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* VIII), spiritualiter intelligerent, et deinceps terram pedibus calcarent, mente in cœlis habitarent. Ipsum ejusdem intelligentiæ donum, sua quoque significavit specie ignis, A qui apparuit, sicut scriptum est, quia *apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis* (*Act.* II). Quid enim est intellectus sive intelligentia in ordine duntaxat vel numero septem spirituum, de quibus nobis sermo est, nisi facultas gratiæ, qua sine magisterio humano intus audiuntur, et vero sensu percipiuntur verba divina? Nam et si cum ab homine vel per hominem audientes et sentientes, recte intelligere dicimur, multum tamen interest, ubi non ab homine, neque per hominem, sed occulta inspiratione docemur, quæ vera et propria est vis hujus Spiritus intellectus, juxta quam et Psalmista : *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Dum ergo adveniente Spiritu dispertitæ linguæ *apparuerunt, tanquam ignis*, unde gratiam quam illis B distribuebat, per ejusmodi speciem Spiritus sanctus significavit? Nec vero solummodo Dei linguam, hominibus intelligibilem fecit, sed et linguas omnium gentium cum eodem signo in ora illorum contulit, ut multas haberet vias, quibus dabatur illis intellectus sermonum Dei, et exiret in omnes gentes per quatuor partes mundi Deum nescientis. Factumque est, quod Dominus ante promiserat : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Nam *hoc*, inquit Evangelista, *dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII). Nimirum qui spiritus foris ostendebat speciem ignis illuminantis, ipse intus erat *fons aquæ in vitam æternam salientis* (*Joan.* IV). Unde Psalmista, vim utramque respiciens, veraciter dicit : *Quoniam apud* C *te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV). Legimus in illa plantatione terreni paradisi quia *fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ* (*Gen.* II). Ac deinceps : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita* (*ibid.*). Ecce novæ creaturæ plantabatur paradisus de unius et solius ligni vitæ virgultis sive radicibus, id est unius mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi virtutibus, et fide, quem et Psalmista commendans loquitur : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (*Psal.* I) *Secus decursus aquarum* plantatum est hoc lignum, quia secundum D plenitudinem omnium gratiarum semper vivens, ad omnia valens carnis naturæ insitum est Dei Verbum, Deus Verbum, et hic talis homo novæ plantationis est initium, germen sanctum, vitæ lignum. Primæ hujus emissiones apostoli erant, plantatio ejus, paradisus radicum ejus discipuli illi, credentes illi, adhuc pauci erant. Quando hic spiritus datus intellectu adimplevit corda eorum, et omnium genera linguarum nasci fecit in ora eorum, revera tunc fons de terra paradisiaca ascendit, tunc fluvius universam terræ superficiem irrigaturus de paradiso egressus est. Nam sicut fluvius qui de paradiso illo egrediebatur, inde dividitur in quatuor capita, id est principalia flumina, sic de illa apostolica Ecclesia scientia Dei egressa est, quæ et divisa est in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quatuor Evangelia, quæ prima nobis sunt necessariæ doctrinæ flumina. Sed jam acta ipsa prosequamur, et secundum Scripturæ cursum hujus Spiritus intelligentiæ experimenta capiamus.

CAPUT IV.

De prophetiæ Joel testimonio, quam perfecte, quam opportune pro tempore et re illud Petrus eduxit qui erat sine litteris.

Stupentibus quibusdam et mirantibus ad invicem atque dicentibus : *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt ;* aliis autem irridendo dicentibus : *Quia musto pleni sunt isti, stans Petrus cum undecim elevavit vocem suam, et locutus est : Viri Judæi, et qui habitatis Hierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est prædictum est per prophetam* **658** *Johel. Et erit in novissimis diebus dicit Dominus : Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ* (*Act.* II), etc. Ecce quale quantumque est in isto, de quo loquimur Spiritu intelligentiæ perlustrari. Homo idiota, et sine litteris volumen propheticum celeri mente revolvit, clausum et signatum litteratis, congruumque secundum tempus et rem testimonium, certa voce, non dubio sensu, coram cunctis publice recitavit. Et vide quam potenter, quam efficaciter pene totum prophetam hactenus obscurum scire volentibus explanavit. Præmiserat enim propheta dicens : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo, expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quia periit ab ore vestro* (*Joel.* I), etc. ; deinde intulerat : *Et erit post hæc : Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ* (*Joel.* II), etc. Nimirum hoc nobis intelligibile fecit sermo apostoli, quod latebat in istis prophetæ litteris, scilicet post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum sanctum super servos et ancillas Dei, id est super centum et viginti credentium nomina, quod tunc in illo cœnaculo factum fuerat, qui numerus, id est centum viginti ab uno usque ad quindecim, paulatim per incrementa surgens, quindecim graduum numerum efficit, qui in Psalterio mystice continentur. Nam illius eversio populi per quatuor hæc facta est, erucam, locustam, bruchum, et rubiginem, id est per quatuor regna hæc, Babylonicum, Persicum, Macedonicum atque Romanum. Quid post hæc futurum esset, latebat in eisdem prophetæ litteris, sed ecce litteram Spiritus intelligentiæ Petro manifestavit, Petrus mirantium auribus patenter edixit. Nec vero opus erat ut de singulis explanando pertractaret, quid intendendo, scilicet per prophetam Dominus dixisset : *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt* (*ibid.*). Palam quidem omnibus hoc factum erat, quamobrem et stupebant omnes, alii quidem mirantes, alii autem etiam irridentes, eosque musto plenos esse dicentes.

CAPUT V.

Quomodo hanc prophetiam exposuit : « Et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. »

Pauca quædam tractatu vel expositione indigent, scilicet hæc : *Et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (*Joel.* II). Hæc ergo mirabiliter edoctus, laudabiliter donec incipit sic : *Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis, hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis* (*Act.* II). Tunc enim jam interemptus esset, cum jam spiritum emisisset, de latere ejus supra naturam mortuorum corporum, sanguis et aqua exivit. Sanguis ille prodigium fuit aliis mortis in mortem, aliis vitæ in vitam. Sic olim cum emitteret Dominus *signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus* (*Psal.* CXXXIV), sanguis agni aliis mortis, aliis vitæ prodigium fuit. Signati quippe illo sanguine postes impenetrabiles fuerunt exterminatori signum sanguinis ejusdem videnti, non signati autem postes Ægyptiorum accessibiles illi fuerunt, ut fiducialiter irrueret, et primogenita tolleret de domibus singulis (*Exod.* XII). Ita et nunc : Qui sanguinem hujus Agni recipiunt in utrumque postem, scilicet corporis et mentis, evadunt exterminantis diaboli manum accepta remissione peccatorum ; qui autem non recipiunt, procul dubio peribunt. *Quem Deus*, inquit, *suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear* (*Act.* II), etc. Quam cito ad regale atque propheticum confugit testimonium velociter doctus, et in arte perfectus piscator hominum ? Vix resurrectionis assertionem labiis emiserat, et quia res magna erat, magnumque negotium asserere hominem resurrexisse apud auditores eosdem, qui illum crucifixerant, metuens ne forte vulneratis auribus sese averterent, et benevolentiam præbere desisterent, velociter magnum et evidens, copiosum et rei competens de magna persona testimonium arripuit, quod contemnere vel parvipendere non deberent. Qualis ergo de cœnaculo illo descendit, quantum mutatus ab illo, qui dudum cum diceret Dominus : *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ad crucifigendum* (*Matth.* XX), assumens illum seorsum dixit : *Absit a te, Domine, non erit tibi istud.* Etenim illic audire meruit : *Vade retro, Satanas ; non enim sapis ea quæ Dei sunt* (*ibid.*) ; hic autem et psalmos memoriter tenebat, et mysteria intelligebat psalmorum. Quodque valde laudabile est, una eademque testi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

monii præoccupatione, et præsentium auditorum benevolentiam retinuit, et omni mundo viam ostiumque aperuit, ad intelligendum quod psalmorum voces non id David, sed in Christi personam depromptæ sint. Et ne cuiquam dubietatis quidpiam in hoc supersit, continuo promptus, et alacriter firmissima assumptione talliter occurrit : *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam et defunctus et sepultus est, sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Moxque concludit sic: *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando juravit illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* (*Act.* II). Mira ars, mira facultas hominis idiotæ, ut jam dictum est, et sine litteris, quia piscator ut homines piscaretur, fortissimi syllogismi hamum acutum projecit. Ecce et aliud : *Non enim*, inquit, *David ascendit in cœlum.* Hoc proposito, confestim assumit hoc modo : *Dicit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*ibid.*). His duobus datis, quibus indubitanter oportet concedi, protinus infert concludendo, et dicit : *Certissime ergo sciat omnis domus Israel quia et Dominum eum et Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis* (*ibid.*). Ita mirabiliter Spiritus intelligentiæ exactus, et petra justitiæ in sermone elimatus, ille dudum litterarum inscius homo piscator, hominum tanquam piscium ora transfixit unco argumentosæ orationis, ut non possent effugere ad gurgites humanæ disputationis, suasque conscientias abscondere veritati. Sed incœptum ordinem prosequamur.

659 CAPUT VI.

De prodigio ignis, quod illud intellexerit fuisse adventum Spiritus sancti in linguis igneis

De propheticis tribus prodigiis in terra datis, scilicet sanguine, igne et vapore fumi, unum, id est prodigium sanguinis exposuit dicendo : *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, hunc definito consilio et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis* (*Act.* II), etc. Secundum erat prodigium ignis, quod ut exponeret, ita dixit : *Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hoc donum quod vos videtis et auditis* (*Act.* II). *Videtis*, videlicet in linguis igneis, *auditis* in sermone nostro. Quem enim *effudit*, nisi Spiritum sanctum? Accepit enim ut homo, effudit ut Deus : Et non quidem ipsum potuerunt videre substantiam Spiritus sancti, cum sit natura invisibilis, sed ignem viderunt, dispertitas linguas tanquam ignem videre potuerunt humani oculi, sedentem supra singulos eorum. Ergo ignis prodigium fuit, dispertitio linguarum prodigium fuit, imo linguarum universitas in ore apostolorum prodigium fuit. Sed et *sonus* ipse, qui *factus est repente de cœlo tanquam advenientis spiritus vehementis* prodigium fuit. Cujus rei prodigium? Nimirum soni illius, qui in omnem terram exiturus erat, cœlis illis quos nunc firmare veniebat enarrantibus gloriam Dei, et firmamento constantissimæ fidei illorum annuntiante opera manuum ejus cum magnifico verbi tonitru, et miraculorum coruscationibus (*Psal.* XVIII). Sic enim mox futurum erat, isto Spiritu per os illorum intonante Christi præconia, ut ad pœnitentiam commoveretur, et contremisceret terra, et fundamenta montium, id est corda superborum conturbarentur et commoverentur, quoniam iratus est eis, nisi pœnitentiam egerint. Ignis species multo maxime prodigium fuit, in eo videlicet quod substantia ignis ardens et lucens est. Significabatur enim per istas ejus qualitates quod apostolos Christi Spiritus sanctus et per zelum ardentes, et per intellectum lucentes effecerit. Porro dispertitarum formulæ linguarum divisiones significabant gratiarum. Hujus prodigii præsens erat effectus, unde et omnes mirabantur, quia cum essent qui loquebantur Galilæi, *audivimus*, inquiunt, *unusquisque linguam nostram in qua nati sumus, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei* (*Act.* II). Adhuc aliquid magnum tali prodigio significabatur, scilicet, quod omnium gentium linguis Ecclesia loqueretur, quod in omnes gentes fides Christi dilataretur, quod omnis lingua confiteretur ei, cui prius una gens confitebatur quia notus eatenus erat tantum in Judæis Deus (*Psal.* LXXV).

CAPUT VII.

De vapore fumi, quod tertium in illis prophetæ dictis, et quod in eo præsignatum est, quod in illo vapore fumi, id est pœnitentiæ, ubi primum celebratum est Ecclesiæ baptisma, crediderunt tria millia hominum.

Tertium prodigium jam oportebat exponi, scilicet vaporem fumi. Verum hoc prius agendum erat, ut fieret in ipsis quod per vaporem fumi decuerat in propheta significari, ut scilicet compungerentur, et lacrymosa prece consilium flagitarent suæ salutis. Paululum ergo illo conticescente, sive adhuc loquente, *compuncti sunt*, ait, *corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres?* (*Act.* II.) His ita compunctis, et sic dicentibus, jam opus non erat ut verbis exponeretur sensus hujus prodigii, id est vaporis fumi; jam enim nimis fumigabant, et sensum vocis experimento capiebant. Fumigare namque est compungi et de peccatis fiere. Psalmista quoque attestante qui cum dixisset : *Commota est et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis*, subjunxit, dicens : *Ascendit fumus in ira ejus* (*Psal.* XVII). Hic ipse pavor fumi, id est hæc ipsorum compunctio prodigium fuit in eo maxime quod subjunctum est : *Qui ergo receperunt sermones ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia* (*Act.* II). Nam ubi primum Ecclesiæ celebratum est baptisma, non sine magno prodigio tria millia colliguntur animarum, divina nimirum præsignante providentia, quod ad fidem Trinitatis de toto orbe colligenda esset multitudo credentium.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Potest tamen sicut in igne illuminatio fidelium, ita et in vapore fumi cæcitas intelligi Judæorum, sine uno eodemque vapore fumi, sicut compunctio pœnitentium, ita et excæcatio signari non pœnitentium.

CAPUT VIII.

Quæ vel qualiter prodigia in cælo data intelligi voluit, quando sol in tenebras, et luna in sanguinem conversa sit.

Post signa quæ in terra data sunt non intacta relinquere libet, illa quoque prodigia, quæ in cœlo data sunt : Sicut enim idem propheta dixit : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem* (*Joel.* II), ita factum est. Nam in passione Domini sol obtenebratus est (*Matth.* XXVII), licet luna in sanguinem versa, palam hominibus apparere non potuerit. Quod et si littera deficit, manet tamen fundamentum propheticæ veritatis, quia vere malum, hujus prodigium solis obtenebratio exstitit, et quod per sanguineum lunæ aspectum daretur intelligi, si palam hominibus in sanguinem versa parere potuisset, infelici generationi accidit, quod fortassis Petrus exponere devitans, hoc tantum pro tempore dixisse contentus est : *Salvamini a generatione ista prava* (*Act.* II). Quid enim significabat obtenebrati solis prodigium, nisi illam quæ tunc facta est, et ex tunc permanet, cæcitatem Judæorum ? Nam quia solem justitiæ sibimet exstinguebant, recte in obtenebratione solis hujus prodigium suæ cæcitatis aspiciebant. Perro lunæ globus in illa obtenebratione quomodocunque se habuerit, luna illis in sanguinem versa est. Luna, inquam, id est Pascha suum prodigioso scelere totum Christi sanguine cruentatum est. Faciebant enim Pascha secundum lunæ cursum decimo quarto die ad vesperum, quando luna plenissima est, comedebant agnum secundum legis mandatum (*Exod.* XII). Idcirco per lunam recte intelligimus Pascha Judæorum. Constat autem quia quando Pascha illud celebrabant, qua vespera suum agnum comederant, eadem Dominum nostrum, verum Dei Agnum comprehenderunt, et tota nocte derisum, mane tradiderunt Pilato, multum insistentes ut suspenderetur in ligno : *Crucifige, crucifige*, clamantes, *sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII). Igitur, quia suum Pascha, suum plenilunium sanguine Christi infelices homicidæ cruentaverunt, recte dicamus quia luna eorum in sanguinem versa est. Ex tunc enim Pascha illorum Sabbata et neomenias eorum, et omnes festivitates illorum odivit anima Dei, dicens : *Manus enim vestræ plenæ sanguine sunt* (*Isa.* I). Nec vero illud vacat quod propheta idem cum pronuntiasset quinque hæc **660** prodigia, sanguinem, et ignem et vaporem fumi, solem convertendum in tenebras, et lunam in sanguinem, continuo subjunxit, *antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis* (*Joel.* II). Quod tale est, quale illud quod in Evangelio de semetipso Dominus ipse dicit : *Nam sicut fulgur coruscans de cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die sua. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac* (*Luc.* XVII). Quod, inquam, prodigia illa prædicebantur fieri *antequam* veniret *dies Domini magnus et horribilis*, idem est, ac si diceretur : *Primum oportet illum multa pati, et a generatione* prava *reprobari, antequam* et majestate sua *sicut fulgur de cælo coruscans veniat* ad judicandos vivos et mortuos *magnus et terribilis*. Hoc nimirum Petrus præsente Spiritu intelligentiæ illustratus non ignorans, prudenter pro tempore dicere contentus est : *Salvamini a generatione ista prava*. Subauditur, ne et vobis pariter *in tenebras sol, et in sanguinem* convertatur *luna*.

CAPUT IX.

Quam verum proinde sit quod veritas Petro dixerit : « Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, » et quod alibi dictum est : « Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

Verum ergo veritas dixit Petro : *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea* (*Joan.* XIII). Ad hujus veritatis firmamentum pertinent ea quæ nunc a nobis commemorata sunt, et cætera quæ deinceps Petrus decertando pro fide et testimonio resurrectionis Jesu Christi perorasse legitur in conspectu plebis, et principum, et sacerdotum, testificans in hoc impleta esse quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo prophetarum, et hunc esse prophetam de quo Moyses dixit : *Quia prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis* (*Act.* VII), et hunc esse lapidem *quem reprobaverunt ædificantes, a vobis*, inquit *ædificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus, nec enim nomen aliud est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV). De hoc eodem lapide, et in Epistola sua latius secundum Isaiam, dicit : *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domum spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum. Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum et qui crediderit in eum, non confundetur* (*I Petr.* II), etc. Verum nihilominus cæteris quoque simul Apostolis dixit eadem Veritas : *Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (*Joan.* XIV). Nam quod ad laudem Spiritus sancti dicimus, quod ad laudem Spiritus intellectus nunc prædicamus, in illa hora, qua sicut jam supra dictum est, apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ, seditque supra singulos eorum ignis divinus (*Act.* II). Scripturas omnes et prophetas intellectu interiore perviderunt, qui nec saltem litteras didicerant per hominis magisterium, et illa penetraverunt arcana, quæ clausa erant, clavim scientiæ gestantibus Scribis et Pharisæis, sapientibus et legis peritis, completo quod itidem dicit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

(*Matth.* I). Quis enim homo aperuerat illis mysteria psalmorum? Scriptum est autem de illis, qui ut sæpe dictum est, sine litteris erant : *Dimissi venerunt ad suos*, videlicet Petrus et Joannes, *et annuntiaverunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Dominum et dixerunt : Domine, tu qui fecisti cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus, convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel facere quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri* (*Act.* IV), etc. Igitur non ab homine, neque per hominem docti, sed Spiritu sancto, Spiritu intellectus thesaurum illis Scripturarum aperiente mirabiliter eruditi, jure a nobis omnes suscipiuntur, et audiuntur tanquam os Dei qui fuerunt illic, et nefarium nobis est dubitare, in aliquo de omnibus quæcunque scripserunt hi, quibus ignis ille cor intelligens, et linguam eruditam dedit, et tam super istos, quam super patriarchas et prophetas ad quos per eumdem Spiritum nullo mediante homine sermo Dei factus est, collocatum retinemus fundamentum nostræ fidei. Cæteros omnes qui ibi non fuerunt, vel qui non eodem modo ita didicerunt sic legimus, ut quidquid dicunt, non idcireo credamus quia ipsi ita senserunt, sed quia dicta sua horum testimoniis, vel aliqua probabili ratione firmare potuerunt. Nam isti sunt quibus tunc revelatum est, quando ab homine vel per hominem doceri non poterant, imo quibus illud Spiritu sancto revelatum est, quod homines docere, aut scire non valebant. Idcirco sic in psalmo scriptum est : *Nunquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in Scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea* (*Psal.* LXXXVI). Interrogando illam civitatem Dei, de qua *gloriosa dicta sunt*, cujus *fundamenta in montibus sanctis* (*ibid.*), scilicet prophetis et apostolis istis, et dicendo : O Sion, nunquid homo, magnificentius negavit, quam si enuntiando dixisset, nunquam dicet homo. Negando ergo dicamus et nos quia revera nisi Dominus ipse narrasset *in Scripturis populorum, et principum horum qui fuerunt in ea*, nunquam diceret, aut dicere vel capere posset homo tam mirum tamque altam scientiam, quæ nunc legitur et scitur: *Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*. Hoc nempe tam mirum tamque altum est quam illud *omnia* per Verbum *facta sunt, et Verbum caro factum est* (*Joan.* I), quod utique tam altum est ut nunquam dicere homo potuisset, nisi Dominus ipse in Scripturis narrasset, nisi Dominus per semetipsum, non per hominem, sed per Spiritum sanctum sanctas condendo Scripturas, cujus vel quorum sibi complacuit, ore dixisset : Istæ Scripturæ illæ sunt, in quibus passim divinam auctoritatem inventis, verbi gratia, cum dicitur : *Locutus est* vel *dixit Dominus ad Moysen. Locutus est Dominus*, vel *factum est verbum Domini* ad illum vel illum prophetam. Istæ Scripturæ nihilominus illorum sunt, de quibus nunc dicebamus, quia *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui linguis variis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II). Dicuntur autem in illo psalmo Scripturæ populorum, quia non ut Platonis litteræ verbis grandisonæ, sensibus paupercula**e**, **661**. paucis intelligibiles sunt, vel in angulis susurrant, sed cunctis populis propositæ sunt, et palam omni mundo loquuntur de salute omnium gentium, quæ in una gente conditæ sunt, in qua et prius absconditæ fuerunt. Istis igitur Scripturis populorum Scripturis principum, scilicet prophetarum atque apostolorum, ita per omnia credimus, ut dubitare quidquam de illis arbitremur nefarium, et a fide Christi alienum. Sunt autem de apostolis, quorum scripta habentur hi : Petrus, et Joannes, et Jacobus, Matthæus, et Judas Jacobi. Evangelium Marci ex ore Petri apostoli, et Evangelium Lucæ ex apostolica fide scriptum esse fertur Pauli, qui videlicet Paulus non erat illic, neque enim vocatus erat adhuc ubi Spiritus sanctus super Christi discipulos venit, sed non minus per Spiritum sanctum accepit aut minus habuit a summis apostolis, unde et nobis aliquid suo loco dicendum venit. Nam post commemorationem Petri, non minus suavem attingemus memoriam dilecti Jesu Christi, Joannis apostoli.

CAPUT X.

Quod discipulo quem diligebat Jesus, magna hujus Spiritus intellectus gratia data sit, et quod velut Joseph unam partem extra fratres suos acceperit, quem tamen non ut Petrum cæteris apostolis præferri voluit.

Joannes apostolus et evangelista ex verbis suis cognoscitur, non parvam accepisse gratiam intellectus, quia frequens in Ecclesia est, et ante omnes loquitur, unde et non vane dicimus quia *in medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ et intellectus* (*Eccli.* XV). Secundum gratiam qua *diligebat* eum *Jesus*, qua *et recubuit in cœna super pectus ejus*, et dixit, *Domine, quis est qui tradet te* (*Joan.* XXI), magnitudinem accepit intellectus, sive sapientiæ, intellectus, ut Scripturas intelligeret, sapientiæ, ut mirabili facultate propria conscriberet. Non quidem tunc jam actu hoc donum accepit quando supra pectus ejus recubuit, sed jam tunc accessum habebat, ut postmodum de pectore illo acciperet, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ* reconditi (*Col.* II). Siquidem postea cum dicit : *Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit*, continuo tam de Petro, quam de semetipso subjungit : *Nondum enim sciebant Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere* (*Joan.* XX). Tunc et ipse mensuram propriam accepit, quando hic

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Spiritus sanctus venit quando et *unicuique* cæterorum *data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV), secundum beneplacitum Spiritus hujus dividentis *singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Verum quo more Jacob patriarcha filium Joseph dilexit, et non contentus illum in sorte vel funiculo distributionis fratribus suis cœquari : *Do tibi*, inquit, *portem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, et arcu meo* (*Gen.* XLVIII), sic istum discipulum Dominus Jesus cæteris arctius diligens, et non contentus illum in hac parte gratiæ, scilicet in spiritu intelligentiæ, cæteris cœqualem esse apostolis, aperuit illi rursus secreta cœli, ut videret visiones admirabiles, quas et digessit in libro qui intitulatur Apocalypsis, in quo tot pene sacramenta, quot verba sunt, scriberetque illud altum et hominibus inenarrabile Verbi Dei, Dei incarnati mysterium. Diligebat enim eum in quo tamen nec illud prætereundum, quia cum tali amoris privilegio diligeret eum, non tamen huic sed Petro specialiter dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Sic nimirum Joseph plus cæteris filiis suis prædictus pater Jacob dilexit, non tamen huic, sed Judæ benedictionem regalem dedit : *Non auferetur*, inquiens, *sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX), etc. Quare? Videlicet, quia in dandis benedictionibus non suam, sed Dei voluntatem facere debuit, non carnis affectum, sed Spiritus instinctum sequi, dignum fuit. Hoc illi pene simile est. Siquidem Dominus noster cum omnes discipulos, et præcipue Petrum amore spiritus vel mentis diligeret, hunc Joannem quodam cordis amore, velut homo hominem diligens, non tamen cæteris in apostolatu præferre voluit, quippe qui in omnibus divinam voluntatem attendens, quodam loco dicit : *Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Igitur in ordine vel dignitate apostolatus beatus ille Simon Bar-Jona, cui primo non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis revelavit, primatum gerere, et claves regni cœlorum accipere meruit (*Matth.* XVI), hic autem discipulus velut ille dilectus Joseph, partem non parvam extra fratres suos consecutus est de thesauro patris de Spiritu intellectus, qui vere jucunditatem et exsultationem super eum thesaurizavit. Ad hanc partem accedens, quid viderit non prætereximus, maxime enim ad istam spectat, de qua nunc agimus, gratiam intellectus.

CAPUT XI.

De libro quem vidit in dextra sedentis super thronum, quod ubi Agnus illum aperuit, ibi partem suam is e acceperit, et quid ei fuerit accipere librum de manu angeli, et devorare illum, accipere sibi datum calamum ei metiri templum.

Vidi, inquit, *in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* Et post pauca : *Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit et accepit de dextera sedentis in throno librum* (*Apoc.* V). Item post aliqua : *Et vocem quam audivi de cœlo iterum loquentem mecum et dicentem : Vade, accipe librum apertum de manu angeli stantis supra mare et supra terram. Et abii ad angelum dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi : Accipe, et devora illum. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tanquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. Et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare populis, et linguis, et regibus multis* (*Apoc.* X). *Et datus est mihi calamus virgæ* (*Apoc.* XI), etc. Hoc est quod paulo ante dicebamus, quia quemadmodum partem unam extra fratres suos ille filius accrescens Joseph, ita extra condiscipulos suos dilectus iste discipulus, egregiam per revelationem intelligentiæ partem adeptus est. Quis est enim liber iste in dextera sedentis supra thronum, scriptus intus et foris, signatus sigillis septem, nisi idem qui in Isaia, et scienti litteras, et nescienti irreserabilis est, cujus tamen etiam illic ita prædicatur apertio, in die illa audient surdi verba libri? (*Isa.* XXIX.) Liber iste sancta Scriptura est, liber scriptus intus et foris, quippe cujus unitas concors vetus testamentum, quasi exterius, et novum continet interius, liber signatus septem sigillis id est vel omni latens mysteriorum plenitudine textus, vel Spiritus septiformis dispositione conscriptus. Hujus libri signacula verus Agnus Dei Christus **662** habens cornua septem et oculos septem, id est septiformem Spiritum propter eminentiam potestatis cornibus, propter illuminationem gratiæ, oculis comparatum, Agnus tanquam occisus, id est qui occisus quidem fuit, sed nunc est vivus, tunc apparuit quando resurgens a mortuis, et apparens discipulis suis, sicut jam diximus supra, *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV); amplius autem quando ascenso cœlo dedit dona hominibus, dedit Spiritum sanctum intellectus intus linguis igneis, foris rutilantibus. Ibi nimirum Joannes iste partem suam inter fratres suos accepit; libri enim aperti sacramento revelata facie tam ipse quam et cæteri intellexerunt apostoli. Et in primo quidem sigillo decus Ecclesiæ primitivæ per equum album, in sequentibus tribus equis, rufo, nigro, et pallido, triforme contra eam bellum paganorum, falsorum fratrum, et hæreticorum. In quinto gloriam sub hoc bello coronatorum subtus altare Dei clamantium. In sexto, mala illa quæ tempore Antichristi ventura sunt. In septimo, et per illud quod factum est, quasi media hora silentium, æternæ quietis intellexerunt initium, quæ omnia plenius a doctoribus nostris explanata sunt. Omnes omnino Scripturas in Christo impleri intellexerunt, et hæc communis fuit sors omnium apostolorum, omnium enim veritatem docuit illos ille Spiritus veritatis, non modo de præterito, sed et annuntiavit eis quæ ventura sunt. Extra illos fratres suos, ut adhuc acciperet partem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

unam, partem magnam, sic dictum est ei : *Vade et accipe librum apertum de manu angeli, datusque est illi calamus similis virgæ*, cum hoc dicto : *Surge et metire templum Dei*: Et in accipiendo librum dictum est ei : *Oportet te iterum prophetare populis et gentibus et linguis et regibus multis* (*Apoc.* x), et in accipiendo calamum dictum est illi : *Surge et metire templum Dei*, hoc vel illud, ut jam dictum est, ita et fecit. Postmodum quippe de exsilio revocatus, et una voce rursum Evangelium prædicavit et calamo scripsit, metiendo templum Dei et altare, et adorantes in eo, quia videlicet in verbo Evangelii, corda singulorum, qui per fidem sunt templum Dei, in quibus Christus ipse per eamdem fidem inhabitans, alta e est, quasi metiendo determinantur. Ibi enim quantum singuli proficiant, quantumque regulæ divinæ concordent, inveniunt. Et notandum quod non nisi prænonitus voce loquentis secum, et dicentis : *Vade et accipe librum apertum de manu angeli*, non ausi vadens ad angelum, et postulans ut daret sibi librum, accepit et devoravit eumdem librum, dulcem tanquam mel in ore suo, amarum autem in ventre suo. Sic enim futurum erat, et sic factum est, ut loquentes cum eo multis precibus rogaret Ecclesia, quatenus ad recuperandam Evangelii veritatem, et viva voce consurgeret, et calamo inserviret. Misso namque illo in exsilium a Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor exstitit, irruperant in Ecclesiam hæretici, quasi in destituta pastore ovilia lupi. Martion Cherintus, et Hebion, cæterique Antichristi, qui Christum ante Mariam negantes, simplicitatem evangelicæ fidei perversa maculavere doctrina. Et inde compulsus ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis, et indicto omnibus jejunio, Dominum precatus, ac sancti Spiritus gratia inebriatus, Evangelium suum scripsit, quo omnes hæreticorum tenebras patefactæ subito veritatis luce dispulit. Quod compulsus est ab omnibus pene tunc episcopis Asiæ, hoc nimirum erat vocem de cœlo, id est de Ecclesia Dei, audire loquentem secum, et dicentem : *Vade et accipe librum*. Quod itidem jejunium omnibus indixit, et precatus est Dominum hoc erat dicere ad angelum : Da mihi librum, sive da mihi calamum.

CAPUT XII.

Quam utiliter nobis vel omni Ecclesiæ Christi calamum accepit, id est gratiam scribendi mysteria Christi, unde et merito tam in visione Ezechielis quam in sua Apocalypsi debuit per aquilam volantem signari.

Accepit librum, sumpsit calamum, et intellectuali oculo sic librum et legendo devoravit, et devorando legit, ut secretam æterni principii naturam, divinam Verbi sempiterni substantiam, præ cunctis mortalibus altius degustaret, sic calamum duxit scribendo, et per Scripturam refundendo quod devoraverat, ut audaces omnium hæreticorum oculos eodem calamo confoderet. Quis enim hæreticus, aut quæ unquam fuit hæretici vesaniæ species, cujus oculum æquam, corpusque totum tenebrosum, veritatis radius ex evangelico ejus ore non perfodiat atque diverberet? Totus in Deo, totus in Verbo Dei sermo ejus est, unde et de ore ejus tota Christianæ fidei schola pendet, ut quidquid dum garrula hæresis infesta est, quærere oportet ipse consultus maturæ reverentiæ magister enuntiet, litemque dissolvat. Unde quia nobis altissima vidit, et in sole divinitatis oculum fixit, recte animadversum est, eum tam apud Ezechielis visionem quam et apud suam ipsius Apocalypsim per aquilam volantem significari (*Ezech.* I). Etenim ubi librum supradictum aperiri vidit, aperiente Agno Dei, ibidem paulo ante dicit : *Et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile vitulo* (*Apoc.* IV), etc. Ultimum semetipsum designavit, dicendo : *Et quartum animal simile aquilæ volanti* (*ibid.*), quia videlicet novissimus suum hic Evangelium scripsit. Quamvis amplius placeat unum eumdemque Christum Dei Filium per hæc quatuor animalia significari, quippe qui et homo natus est, et velut vitulus sacrificatus est, et ut leo surrexit, et tanquam aquila super astra volavit, nihilominus tamen et hic aquila recte dicitur, qui divinitatem illam, qua in cœlum homo Christus ascendere potuit, irreverberatis oculis altius contemplari meruit. Scriptum est enim : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV). Si ergo illos dixit aquilas qui illuc assumuntur, ubi divinitatis claritatem facie ad faciem, et sicut est, mercantur videre, quanto magis iste recte aquila dicitur, qui adhuc in carne situs, potuit in illum solem apertos oculos figere.

CAPUT XIII.

De eo quod dictum est ei : « Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. »

Et faciet, inquit, *amaricari ventrem tuum : sed in ore tuo erit dulce tanquam mel* (*Apoc.* X). Et est sensus : Cum perceperis, oblectaberis divini dulcedine eloquii, sed amaritudinem sentiens, cum prædicare et operari cœperis quod intellexeris. Quare? Quia videlicet non omnes homines oblectat Verbum Dei cum sit naturaliter dulce, quia non solummodo de gaudiis cœlorum agit, sed et de flammis gehennæ. Unde et Ezechiel de hoc eodem libro dicit, quod hic Joannes tacuit, quia *scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ* (*Ezech.* II). Cuncta enim series Veteris et Novi Testamenti pœnitentiam **663** pro peccatis agendam, quod est lamentari, regnum cœleste quærendum, ubi est carmen, et fletus infernalis, ubi est væ, præmonet esse fugiendos. Verum homines voluptatum amatores, propter Scripturam lamentationum et væ totum librum oderunt, et idcirco ventrem illius, qui illum devoravit, amaricari faciunt. Neque enim hoc soli Joanni dictum est, vel de solo Joanne sentiendum est, quod post dulcedinem tanquam mellis in ore, venter illius amaricatus fuerit. Nimirum quicunque de manu angeli hujus, Angeli magni consilii librum hunc accepit, et saltem unam ex eo devorans pagellam, mæ-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

nifestum per vocem predicationis ructum fecit, vix aut nunquam effugere potuit, quin pateretur quidpiam de occursu, seu rufi, seu nigri, seu pallentis equi. Quod ut apertius dictum sit, vix quisquam aliquando imo nunquam de superno munere verum Scripturæ sanctæ intellectum accipiens, secundum eumdem veritatis intellectum, contra vanitates et insanias falsas declamavit, qui non aut aperta persecutione inimicorum Dei, aut intestina detractione falsorum fratrum, qui nomine tenus sunt Christiani, aut hæreticorum impugnatione, qui exierunt *ex nobis, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II), quidpiam patiatur amaritudinis. Maxime autem inter suos ejusmodi molestiam patitur quisquis librum istum devoravit. Non enim mentitur qui dixit : *Amen, amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua* (*Luc.* IV). Econtra qui spiritum hujus mundi, accepit, quemcunque philosophia hujus mundi, vel tenuiter imbuit, ille diem festum ascendit, quia tempus ejus semper paratum est, et ille quasi matutinis insistit cantilenis, ut mane comedat, et inter mane comedentes memoria sui sit. De talium sapientia dicitur in Isaia sub specie meretricis : *Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita. Bene cane, frequenta canticum ut memoria tui sit* (*Isa.* XXIII). Exilem valde mercedem cum improperio meritrici taxavit dicendo, ut memoria tui sit. Nam ideirco meretrix, ideirco oblivioni tradita est, quia canit, non ut Dei, sed ut sui memoria sit. Ex hujus quidem cantilena nunc interim, et in ore suo, et in ventre suo dulcis est, tanquam mel, favus enim distillans labia meretricis, sed postmodum in fel aspidum convertetur ei. Libri autem sæpe dicti intelligentia nunc quidem cum sit in ore dulcis, tanquam mel prospe gaudii sempiterni, etiam si persecutionis amaritudo desit, pro re tamen præsentis exsilii ventrem amaricari facit. Unde et dicit: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo* (*Jer.* IV). Item : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Væ mihi.* (*Isa.* XXIV).

CAPUT XIV.

De Matthæo publicano, quomodo ipse cibatus pane vitæ et intellectus, magnum usque hodie Christo faciat convivium in domo sua.

Post Joannem scribendi quidem ordine, sed non etiam evangelicæ Scripturæ prior qualitate, Matthæus publicanus, et ipse vitæ atque intellectus pane cibatur, et eodem intellecta magnum in domo sua Domino Jesu facit convivium, magna vere secundum nomen suum gratia donatus (*Matth.* IX). Hujusce convivii divinitus provisum fuit illud præsagium, quod sicut manifestius ait Lucas, vocatus cum sederet ad teloneum, et sequens Dominum, *fecit ei convivium magnum in domo sua* (*Luc.* V). Convivium ergo fecit ei, et magnum numerum, quasi convivium regis. Nam sicut alias jam plenius diximus, apud istum evangelistam rex genere et actibus Christus ostenditur, cum jam a principio vel initio suo dicit : *Liber generationis Jesu Christi filii David* (*Matth.* I), et deinde natum mox regem Judæorum a Magis adorari describit, totumque textum suæ narrationis regalibus gestis ac regiis contexens parabolis, sic tandem finit, ut dicat apud eum rex iste jam coronatus resurrectionis gloria : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Totam seriem conscriptionis ejus si rite perpendis, spirare cognosces mysteria regni Dei. Nec mirum, publicanus quippe fuerat de publico regni peccati servitio, ad libertatem regni Dei, regni justitiæ vocatum se esse meminerat. Bene ergo, ut non ingratus magnæ libertatis suæ regi regni ejus legibus inservivit, intendens regnum ejus, quod a carnalibus Judæis carnaliter exspectabatur ostendere quale sit. Hoc animadvertens Pater Augustinus, Marcum quidem tam in prophetica quam in evangelica quatuor animalium visione per faciem hominis, hunc autem, scilicet Matthæum, per faciem leonis intelligi mavult. Nam de Luca, quod per faciem vituli, et de Joanne, quod per faciem aquilæ volantis significetur apud omnes doctores, una et indivisa sententia est, de istis quadrigis nostri Aminadab (*Cant.* VI), quod interpretatur *populi mei spontaneus*, propter quas nescientem Synagogam conturbavit anima sua, plura longe superius, scilicet in propheta Ezechiele diximus. Proinde jam nunc ad reliqua proficiscamur.

CAPUT XV.

De Jacobo fratre Domini, quod et ipse in isto intelligentiæ Spiritu calamum tinxerit.

Jacobus frater Domini, qui et ab hominibus propter eminentem sanctitatem appellatus est justus, ipse quoque calamum tinxit in isto intelligentiæ Spirita. Scripsit enim illam quæ Canonicarum septem Epistolarum prima est. Dixit de hoc Jacobo Paulus apostolus : *Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, illi autem in circumcisionem* (*Gal.* II), qua in circumcisionem ordinatus erat Apostolus, curavit eos qui ex circumcisione erant, sicut præsentes colloquendo docere, sic et absentes per Epistolam consolari, instruere, increpare et corrigere. Et dispersis quidem, qui persecutionem passi sunt propter justitiam, quæ occiso a Judæis Stephano, magna facta est in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, Epistolam scripsit, sed non solum his, verum etiam illis, qui præcepta fidei Christi necdum operibus adimplere curabant, nec non et eis, qui etiam fidei exsortes durabant, qui et ipsam in credentibus quantum valuere persequi ac perturbare certabant. Ergo in hoc non parum laudabiliter adimpletum est, quod de isto Spiritu Veritas dixit, quia *cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me* (*Joan.* X), etc. Nam magis de vicino videlicet cum esset Hierosolymorum pontifex iste non tantum verbo, sed et scripto illos de peccato suo redarguit divites, quorum ex adipe prodiit iniquitas eorum, ut occiderent Dominum dum dicit : *Agite nunc, divites,*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis justum et non restitit vobis (*Jac.* v). Deinde rursus ad eos convertitur, qui talium improbitate fuerant **664** oppressi, cohortans eos ad patientiam : *Patientes igitur estote*, inquit, *fratres, usque ad adventum Domini* (*ibid.*), etc. Nec vero illud prætermittendum quod opportune satis, de fide et operibus disputat, dicens : *Quoniam fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II), sive otiosa est. Nam quoniam Paulus apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus (*Rom.* IV), non bene intellectus est ab eis, qui sic dictum acceperunt, ut putarent si semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur et facinoroso, flagitioseque viverent, salvos esse per fidem, eumdem sensum illius quomodo sit intelligendus, exposuit, ideoque Abrahæ magis exemplo usus est vacuam esse fidem, si non bene operaretur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus apostolus usus est, ut probaret justificari hominem sine operibus. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit apostolum Paulum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari, sed ad hoc potius, ut nemo arbitretur meritis priorum bonorum operum se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide.

CAPUT XVI.

De Juda fratre Jacobi, quod ipse magnam intelligentiæ facultatem brevi calamo comprehendit.

Judas apostolus frater Jacobi, quem in Evangelio Matthæus et Marcus Taddæum appellant, scribit contra eosdem fidei corruptores, quos et Petrus et Joannes in suis damnat Epistolis. Iste quoque brevi calamo, sed multam intellectus facultatem comprehendit, verbi gratia cum dicit : *Væ illis qui in via Cain ambulaverunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Chore perierunt* (*Judæ* 11). Hæc enim cum dicit, breviter quidem, sed lucide, Cain exemplum asserit fuisse omnium, qui propter invidiam meliorum nomen sibi doctorum quo honorificentur, assumunt. Balaam vero illorum, qui pro amore terrestrium commodorum, veritatem quam ipsi norunt, impugnant. Chore autem, qui vivus ad inferna descendit, eorum quicunque appetitu indebiti primatus, se ab unitate sanctæ Ecclesiæ secernunt, scientesque et prævidentes quantum mali gerant, ad scelerum tamen tartara descendunt. Sed habet hæc eadem Epistola incerta, et de apocryphis sumpta testimonia. Etenim quod ait : *Dum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus* (*Jud.* IX), quando, inquam, de Moysi corpore contentionem cum diabolo Michael habuerit, incertum habemus. Item, quod ait : *Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, arguere omnes impios* (*Jud.* XIV), de apocryphorum libro scriptum est. Proinde primis quidem temporibus a plerisque hæc Epistola rejiciebatur, sed auctoritate jam vetustate et usu meruit inter sanctas Scripturas computari, maxime, quia tale testimonium de apocryphis Judas sumpsit, quod non apocryphum aut dubium, sed vera hæc et lucida esset veritate perspicuum. Quis enim fidelium nesciat aut dubitet venturum esse Dominum in *sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt et de omnibus duris verbis, quæ locuti sunt contra eum omnes impii ?* (*Jud.* XV). Porro quod ait : *Dum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ*, si assumptum videri potest, quomodo et illud ab Apostolo, ubi Corinthios a fide resurrectionis abductos, sua ipsorum sententia, quamvis inepta convincere studens, ita dicit : *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt ? Ut quid et baptizantur pro illis ?* (*I Cor.* XV.) Neque enim, quia tali contra illos argumento usus est, consequens est Apostolum approbare, ut pro mortuis vivi baptizarentur, sed ut coram oculis ipsorum inconsideratam levitatem constitueret, qua semetipsos omni vento doctrinæ circumferri nesciebant, factum assumpsit, quo suamet ipsi verba impugnabant, dum resurrectionem mortuorum non esse dicentes, vivos pro mortuis baptizabant. Nimirum ita etiam non quia dixit hic, *dum Michael archangelus, cum diabolo disputans, altercaretur*, etc., consequens est eum approbasse opinionem, quæ de Scripturis non haberet auctoritatem, sed ex suomet ore illos voluisse concludere quod contra quempiam, maxime autem contra Deum non deberent blasphemiam sive indisciplinatam effundere offensionem. Si enim ut ipsi tenebant Michael archangelus, diabolo sibi adversanti, blasphemiam dicere noluit, sed modesto sermone illum coercuit, multo magis hominibus omnis blasphemia cavenda est, et maxime, ut dictum est, ne verbo indisciplinato majestatem Creatoris offendant.

CAPUT XVII.

De Paulo apostolo, quomodo vel qua intentione gradum suum defendit, videlicet, quod quamvis non fuerit illic, nihilominus tamen apostolicam intelligentiæ gratiam acceperit.

Paulus vas electionis, magnus et inclytus, veritatis causidicus, nomen sibi et locum in hoc ordine sive officio magno certamine vindicat, stans atque perorans jugiter in omni auditorio, in omni Ecclesia, in omni cœli et terræ prætorio, verbi gratia, cum dicit ad Corinthios : *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me*, et subinde : *Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium Christum accipi-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tis, aut aliud Evangelium quod non recepistis, recte A *pateremini. Existimo enim me nihil minus fecisse a magnis apostolis* (*II Cor.* xi). Et post vehementissimum acerrimæ orationis cursum, tandem decentissime, quasi respirans : *factus sum*, inquit, *insipiens*, subauditur merita mea narrando, *vos me coegistis. Ego enim debui a vobis commendari. Nihil enim minus feci ab his qui sunt supra modum apostoli, tametsi nihil sum. Signa vero apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis, prodigiis, et virtutibus. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* (*II Cor.* xii.) Item ad Galatas : *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Et subinde : *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a* B *me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* i). Hoc modo ingressus toto suæ conversionis atque processionis ordine validissime confirmat, et quod non ab homine, neque per hominem Evangelium acceperit, et quod priores apostoli nihil illi ad correctionem sive supplementum ejusdem Evangelii conferre potuerunt. *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt* (*Gal.* ii). Et **665** subinde : *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quoniam reprehensibilis erat* (*ibid.*), etc. Ita cum multis litterarum suarum locis, tum vero in titulis sive præscriptionibus apostolatum suum defendit, ita ut Epistolarum suarum C fere nulla sit, cujus in capite non splendeat auctoritas apostolici nominis, præter illam quam ad Hebræos, quorum apostolus non erat, scripsit. Non ita in cæterorum apostolorum litteris. Nam, præter apostolum Petrum, nullus saltem in capite mentionem fecit hujus nominis. Cur hoc? videlicet quia cæteri omnes, ita erant apostoli ut defensione non egerent apostolatus sui, quippe qui ab ipso Domino inter homines commorante vocati, et singuli per nomina sua designati fuerant apostoli, et super quos Spiritus sanctus in die Pentecostes venit, a quibus, vel per quos initium fuerat evangelicæ prædicationis, Paulus illic non erat, non in illo cœnaculo, quando Spiritus sanctus venit, sed in Synagoga Satanæ erat; quippe qui et persecutus est hujus viæ D quascunque potuit personas. Hoc scientes æmuli et evangelicæ veritatis corruptores pseudoapostoli, auctoritati ejus et ad subversionem fundamenti bene positi, sapienti architecto detrahebant, dicentes: Non est apostolus, non vidit Dominum, non est audiendus. Hæc dicendo, plurimos eorum quos converterat illi subvertebant. Non suæ famæ diminutionem, sed credentium Paulus dolebat subversionem. Idcirco nonnunquam, quasi stomachatur, et legitima defensione utens : *Non sum*, inquit, *liber? non sum apostolus? Nonne Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne, opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum apostolatus mei, vos estis in Domino* (*I Cor.* ix). Et his similia. Alias autem de propria conscientia satis humiliter confitetur quod ab æmulo detrahente ventilatum suscipere non dignatur. Ait enim : *Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi : Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* xv). Item : *Qui prius fui blasphemus*, inquit, *et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione quæ est in Christo Jesu.* Et continuo: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem patientiam, ad confirmationem eorum qui crediturі sunt in vitam æternam* (*I Tim.* i). His ita se habentibus, de veritate apostolatus ejus, quo et pro dignitate gratiæ Dei donatum se profitetur et pro indignitate ejus quæ præcesserat incredulitatis immeritum se confitetur. Omnium horum quæ dicta sunt, maximum vel præcipuum illud esse arbitremur, quod de hoc eodem apostolatu ad Galatas loquitur Paulus apostolus: *Non ab hominibus neque per hominem.* Et subinde : *Notum enim vobis facio fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quoniam non est secundum* C *hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* i).

CAPUT XVIII.

Quod iste quidem non fuerit sine litteris. Nam in littera legis eruditus fuerat ad pedes Gamalielis, sed spiritualem sensum legis, vel Evangelium Christi, « non ab homine, » neque per hominem accepevit, sed « per revelationem Jesu Christi. »

Hoc enim est quod in apostolis primis hominibus idiotis et sine litteris miramur, quod in isto Spiritu sancto, Spiritu intellectus prædicamus. Itemque in Moyse et in prophetis ad laudem ejusdem Spiritus veneramur, quia quam ab hominibus, vel per hominem non didicerant, aut discere poterant, solius divinitatis revelatione sine mora didicerunt veritatis notitiam. Hic tamen non homo idiota, aut sine litteris fuerat, sed quemadmodum ait ipse : *Vir Judæus, natus a Tharso Ciliciæ*, nutritus in illa Hierosolymorum *civitate, secus pedes Gamalielis, eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes*, inquit *estis hodie* (*Act.* xxii). Ergo nonnihil intererat quia videlicet illi homines idiotæ et sine litteris, hic autem *ad pedes Gamalielis*, hominis sapientis et litterati, *juxta veritatem paternæ legis, eruditus* fuerat. Sed quam juxta veritatem paternæ legis secus pedes illius hominis eruditi potuerat? Nimirum juxta Veteris Testamenti, juxta veritatem non Spiritus vivificantis, sed litteræ occidentis, verbi gratia : Eruditi potuerat scriptum.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

esse : *Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera*, et eum *qui de ancilla secundum carnem* natum esse, cum autem *qui de libera, per repromissionem*. Verum *hæc duo testamenta* esse unum quidem *a monte Sina in servitutem generans quæ est Agar*, alterum autem *desursum de Hierusalem libera, quæ est mater omnium nostrum* (*Gal.* III), hæc, inquam, sic esse, secus, pedes illius hominis eruditi non poterat. Igitur tam scientes sive dociles, quam et benevoli credamus huic Apostolo gentium, Apostolo nostro dicenti : Quia *Evangelium quod evangelizatum est a me, non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. Notandum quippe quod non dixit litteram sive litteraturam legis, quam socio, *non ab homine accepi neque didici*, sed *Evangelium*, inquit, *quod evangelizatum est a me, non ab homine accepi, neque didici*. Litteram quippe legis, sicut jam dictum est, litteram occidentem, per hominem, id est *secus pedes Gamalielis* acceperat et didicerat, occidendus per illam, sicut occisus est Urias Etheus per Scripturam David quam portabat (*II Reg.* XI), nisi sola eum in ipso itinere prævenisset vivificatis Spiritus gratia. Adhuc quippe *spirans minarum, et cædis in discipulos Domini*, accesserat *ad principem sacerdotum, et* petierat *ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos hujus viæ invenisset viros, aut mulieres, vinctos perduceret Hierusalem. Et cum iter faceret* (*Act.* IX), quid erga eum egerit gratia Dei totus orbis audivit, gentes et reges audierunt, coram quibus nomen Jesu portavit istud vas electionis. Ipse quoque coram quodam rege hoc ipsum portans, et enarrans : *Die*, inquit, *media, in via vidi, rex, de cœlo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui simul mecum erant. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua : Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* XXVI). Quo interim ab homine, vel per quem hominem Evangelium **666** accepit aut didicit? Non enim dictum est : Erat Evangelium legens, sed *erat tribus diebus*, et tribus noctibus *non videns* (*Act.* IX). Non dixit Ananias, Dominus Jesus misit me, ut te informem Evangelio, sed *Dominus misit me*, inquit, *ut videas, et implearis Spiritu sancto*. Non dictum est, legit cum discipulis, qui erant Damasci tempore multo, sed dictum est : *Fuit cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot, et continuo ingressus in synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei*. Stupentibus autem omnibus qui audiebant et dicentibus : *Nonne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* ille *multo magis convalescebat, et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus* (*ibid.*). Profecto sic convalescere tironem evangelicum, et sic Judæos confundere, nequaquam fieri poterat absque præacuta fide, sive magna scientiæ et veritatis plenitudine. Nec vero hæc mutatio dexteræ Excelsi, sine magno et competenti signo contigerat illi. Nam ubi dixit Ananias : *Dominus misit me, ut videas, et implearis Spiritu sancto, confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit* (*ibid.*). Quid illæ ab oculis ejus cadentes squamæ significaverint, ipse intellexerat, qui dixit : *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum usque in hodiernum diem, ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem cum legitur, Moyses velamen est positum super cor eorum. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III). Nimirum velamen incredulitatis, quod fuerat positum super cor ejus, id est Judaicæ cæcitatis perfidia, Domino Jesu de cœlo inclamante, transierat ad oculos exterius, et exinde ceciderat cum squamis illis velamen illud significantibus. Itaque resurrexerat homo splendidus, tam in corpore exterius quam in corde interius illuminatus. Lux erat in mente, splendor lucis radiabat in ore. Abstulerat ab oculis suis velamen litteræ occidentis, et profundebat splendorem Spiritus vivificantis. Hoc non potuerunt ferre filii Israel, non potuerunt sustinere carnales Judæi. Confundebantur enim illo convalescente revelata facie, unde : *Et consilium fecerunt*, inquit Scriptura, *ut interficerent eum*, sed *notæ factæ sunt Saulo insidiæ eorum* (*Act.* IX).

CAPUT XIX.

Quod proinde ibi sit hic Benjamin adolescentulus, scilicet in illo gradu, vel privilegio apostolici principatus, dicatque veraciter : « Gratia Dei sum id quod sum. »

Ibi igitur *Benjamin adolescentulus* (*Psal.* LXVII), id est ibi *Paulus de tribu Benjamin* (*Phil.* III), sicut ipsemet in Epistola sua testatur, et inde *adolescentulus*, quia prostremo vocatus, quia suamet confessione *apostolorum minimus* (*I Cor.* XV). Ubi? Nimirum in illo ordine, in illa mensura atque privilegio apostolico, ubi *ascendens* Christum *in altum*, et *captivam* ducens *captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV), ubi *prævenerunt principes*, scilicet jam dicti apostoli, *conjuncti psallentibus*, id est corde, voce et opere confitentibus, atque juvenculari novæ vitæ, lætitia tympanizantibus, et ita *in Ecclesiis Domino* benedicentibus, ubi apparuerunt fontes Israel, fontes et flumina aquæ vivæ, id est charismata Spiritus sancti, qui datus est (*Psal.* LXVII). *Ibi*, inquam, id est in illo principatu, sive in illis fontibus *Benjamin adolescentulus*, non dubius aut incertus Apostolus, licet *adolescentulus*, licet novissimus. Nec vero utcunque ibi, sed *in mentis excessu* (*ibid.*), scilicet in stupore mentis omnium dicentium : Nonne hic est, qui ad hoc huc venerat,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ut expugnaret nomen istud, sive in stupore mentis suæ, quando a Domino in via percussus, stupidus factus est (*Act.* IX), sive postea quando *raptus fuit usque ad tertium cœlum et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII). Ibi est : *Gratia Dei, inquit, sum id quod sum* (*I Cor.* XV). Pulchra et decora adolescentuli hujus confessio, suavis et gloriosa, novissimi vel minimi apostolorum professio. Nonne tibi viderentur idem posse dicere veraciter primi apostoli, sive primogeniti apostolorum? Quis enim apostolorum sive cujuslibet ordinis sanctorum, aut electorum aliunde quam ex gratia Dei est id quod est? Cur ergo in depressionem sive minorationem sui, dixit, *gratia Dei sum id quod sum*? Præmiserat enim dicens : *Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi; ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Hoc præmisso statim subjunxit : *Gratia autem Dei sum id quod sum* (*ibid.*). Dicimus igitur, quia et priores quidem apostoli, gratia Dei sunt id quod sunt, sed iste differenter gratia Dei est id quod est. Differt enim ab hujus vocatione cæterorum vocatio apostolorum. Cæteri namque apostoli, tunc crediderunt, et tunc vocantem Dominum Jesum relictis omnibus secuti sunt, quando ille homo vilis erat hominibus, et in tantum vilis ut postea crucifigeretur. Istum autem quando vocavit Dominus Jesus, jam fulgebat in cœlo sedens ad dexteram majestatis in excelsis, tanto fulgore majestatis ut eum quem vocabat, cæcum faceret, atque sua claritate lumen corporeum exstingueret hominis infirmi, et veri luminis virtutem ferre non sustinentis. Adde quod illi quando vel antequam vocarentur, innocenti et simplici negotio dediti erant plerique, scilicet retia mittentes in mare in capturam piscium (*Matth.* IV), solum denique Matthæum publicanum fuisse legimus, et de telonio vocatum (*Matth.* IX), hic autem persecutor et blasphemus fuit et injuriosus, et tunc, quando vocatus est, petitas accepit litteras a principe sacerdotum et vinctos ducturus discipulos Domini pergebat Damascum (*Act.* IX). Quid multa? totis animis, toto spiritu minax et sævus Dominum Jesum persequebatur, et eodem impetu, eodem corripientis Domini clamore, quo Saulus prostratus est, ut Paulus resurgeret, si complacuisset victori, ut hostem suum in mortem æternam fulminaret, nemo jure reprehenderet (*ibid.*). Denique jus belli, et lex victoriæ est ut fortior de hoste suo victor sese vindicet. Sed vitæ miranda victoris gratia reservatus est, ut viveret et vivens serviret, cum, sicut jam dictum est, funditus occidi jure potuisset. Veraciter igitur dicat : *Gratia Dei sum id quod sum*, quia revera non simpliciter, non communi more sanctorum omnium, sed multum differenter gratia Dei est id quod est. Hujus rei in omni vita sua non immemor, in prima quoque fronte ejus, quam ad Romanos scripsit Epistolæ tangit breviter, cum dicit : *Paulus servus Jesu Christi* (*Rom.* I). Servum se vocat, quia videlicet de bello victum, gratia victoris servatum se esse noverat. Servus namque proprie dicitur, qui victus in bello, cum jure possit occidi, pro sola victoris voluntate servatur, et proinde proprius ejus a quo vita donatus est.

667 CAPUT XX.

Quod vere gratia Dei in eo non fuerit vacua, quod maxime ex Epistola ejus ad Romanos legentes experimur, quam pro consuetudine illorum quibus loquitur, quasi quinque distinxerit actibus.

Et gratia ejus, inquit, *in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV). Vere dicamus et nos, experti quippe sumus, et quotidie legentes experimur quia gratia ejus, o sancte Paule, in te vacua non fuit. Non adeo de abundantia laborum tuorum, quibus in illa gratia ejus laborasti, præsenti loco agimus, sed intellectum tuum considerantes, nunc dicimus quia gratia ejus in te isto munere vacua non fuit. Possemus multa colligere de thesauro sapientiæ et intellectus, quem thesaurizavit in istud vas electionis suæ sanctus Domini Jesu Christi Spiritus, sed hoc longum nimis esset, et longe superius ubi de lege sive de Testamento Veteri loquebamur, sparsim hoc ipsum pro posse fecimus. Nunc ut parum quid de hac parte gratiæ dicamus, unam tantum, id est eam quæ ad Romanos scripta est Epistolam summamus vere copiosam thecam sapientiæ et intellectus, et secundum intelligentiam ejus gratiam veritatis, et veritatem gratiæ Dei, nos quoque intelligere studeamus. Primum est ut eamdem Epistolam, sive Epistolæ negotium actibus quinque distinctum esse cognoscamus, videlicet secundum legem sive mortem sapientium, quibus loquebatur. Nam apud eos cautum erat in nugis sæcularibus, ut quilibet earum rerum quibus mores instruebantur, aut etiam reprehendebantur quinque non excederet actus. Unde et apud Flaccum pueri legimus :

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci volet, et spectanda reponi.
(HORAT. *Ars poet.* 189, 190.)

Est igitur primus actus coæquatio Judæi et Græci, quod scilicet omnes peccaverint et egeant gloria Dei; secundus, commendatio gratiæ, vel fidei Christi, quod videlicet omnes per unum hominem jure debeant justificari; tertius, concertatio, quod non debeamus iterum peccare liberati a lege peccati, et mortis; quartus, demonstratio quid lex ante manifestationem gratiæ potuerit aut non potuerit; quintus, commonitio gentium, quod non debeant insultare Judæis, quod, inquam, non debeant rami oleastri in bonam olivam inserti adversus naturales ramos, quia fracti sunt, gloriari (*Rom.* III-XI). Nam deinceps, quod residuum est Epistolæ, de communibus rebus, id est de moribus agit. Nunc ergo duce eodem Spiritu intellectus ingrediamur, et eos jam diligentius actus distinguamus.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXI.

De primo actu, quo Judæum et Græcum coarguit, eo quod omnes peccaverunt et egent gloria Dei.

Præmissa salvatione magnifica gratiæ et pacis Dei Patris nostri *omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis*, et captata benevolentia, cum attentione ab eo quod ait : *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis*, usque ad id quod dicit : *Justus autem ex fide vivit* (*Rom.* I), continuo ingressus, primo quam sapienter, quam acerrime gentilium peccata percutit, et deinde exilem Judæorum justitiam sub peccato concludit. Etenim causa quidem poscebat, ut Judæum prius argueret, eumque contra suam ipsius faciem statueret, quia videlicet ex Judæo omnis controversia erat. Ille enim gloriabundus in carne Abrahæ, gentilem provocans, quasi litem in judicio proponebat, eumque evangelica indignum judicabat gratia, nisi quia per misericordiam illum in hospitium sive incolatum generis Israelitici susciperet Dei sui pia et omnibus consulens largitas. Sibi deditum, sibi proprium vindicabat Judæus conversus Christi Evangelium, eratque, ut jam dictum est, ab ipso litis principium. Cum ergo secundum causam, ut jam dictum est, prius Judæum deberet ostendere sub peccato esse, maluit tamen gentilem prius percutere severa et terribili valde peccatorum ejus recitatione, dicendo : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum : Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua* (*ibid.*), etc. Cur hoc? Si a Judæo gentilium salutem odiente lis posita fuerat, dicente : Nos sumus populus Dei, nos circumcisi ex gente Abrahæ, nobis Christus promissus est, ad quos etiam ipse se venisse testatus est, dicens : *Non veni nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV), cum vos canes potius quam homines appellaverit, cur gentilem potius quam Judæum tam acerrime tetigit, præteritamque ejus conversationem, tanta fœditate respersam, coram facie statuit? Videlicet, quia gentilis patientior ad hæc audienda erat, quippe qui et ultroneus sua confitebatur peccata, et confitendo ad Christi gratiam confugiebat. Judæus autem in carne justorum patriarcharum gloriabundus, et de sua carnali præsumens justitia, impatiens ad injustitiæ accusationem sive peccati confessionem existebat. Itaque ut sapiens orator, prius auditorem qui patientior est vehementissime redarguit, et deinde ad eum qui impatiens est ligandum atque concludendum argumentosæ orationis vincula contrahit, eodemque illum nodo constringit. Quomodo? *Qui cum justitiam Dei cognovissent*, inquit, *non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui illa* A *faciunt, sed et qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Nam cuncta quæ ante dixerat, et hoc ipsum quod postremo dixit, *quoniam qui talia agunt, et qui facientibus consentiunt digni sunt morte*, oportebat concedere Judæum, et libenter concedebat tanquam in adversarium. At iste sapienter et caute universaliter, et absque distinctione Judæi et Græci dixit, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*, et continuo subjunxit : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II). Tanquam diceret : Quoniam neque Judæi, neque Græci, sed *qui talia agunt digni sunt morte*, quoniam, inquam, non pro eo quod vel Judæus vel Græcus est, sed pro eo quod talia agit, quisque dignus est morte, B ergo *inexcusabilis es, o homo omnis*, etiam o Judæe *qui judicas : eadem enim agis quæ judicas*. Et continuo : *Scimus enim*, ait, *quia judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt* (*ibid.*). *Secundum veritatem*, inquit, id est non secundum personarum acceptionem. Nam sive Judæi sive Græci personam accipere, non est secundum veritatem judicare. Nec vero poterat seipsum Judæus excutere, ut non concederet dicenti : Eadem enim agis quæ judicas ; neque enim alia contra gentilem **668** judicare poterat, quam quæ in semetipso videbat, teste conscientia. Quod si contentiose contra suam ipsius conscientiam defendere semetipsum vellet; convincerent eum tot testes, quot sunt apud illum prophetæ, et ipse Moyses. Nam apud illos peccata hæc C eadem Judæorum leguntur, quæ et gentium. *Servierunt* enim gentes *creaturæ potius quam Creatori, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* (*Rom.* I), servierunt et Judæi operibus manuum artificis, *et mutaverunt gloriam ejus in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV). Nec modo certioribus de gentili quam de Judæo scire poterat auctoribus idem Apostolus, quod traditus fuisset Judæus *in desideria cordis sui, in immunditiam*, ut *naturalem usum in eum qui est contra naturam* immutaret. Dicit enim Isaias : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei, populus Gomorrhæ* (*Isa.* I). Sed et alia testatur Scriptura *optimos quosque ephe-* D *borum*, apud eos videlicet Judæos, *in lupanaribus* positos fuisse (*II Mach.* IV). Poterat multa contra illos de Scripturis testimonia conscribere, sed unum sufficiens judicavit. Scriptum est enim, inquit : *Quia non est justus quisquam. Non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Rom.* III), etc. Et ne nesciret Judæus hæc sibi vel pro se dicta esse : *Scimus autem*, inquit, *quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo* (*ibid.*).

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXII.

...se secundo actu quo ait, quod omnes per unum hominem vere debeant justificari non aliunde, sed ex fide qua justificatus est Abraham cum esset gentilis.

Actum est itaque primo actu Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, et gloriatio Judæi exclusa est (*Rom.* III). Agitur subsequenti actu omnes, tam Judæos quam Græcos, per fidem Jesu Christi justificari, et non aliunde, sed ex eadem fide Patrem Abraham justificatum fuisse, cum esset gentilis, justificatum, inquam, per fidem sine operibus legis, imo et ante illud, quod maximum erat in operibus legis, opus circumcisionis. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV). Quid putas *credidit*, nisi quod *in semine* ejus *benedicentur omnes gentes?* (*Gen.* XXII). Quod autem illud semen nisi Christus est? Ergo fides quæ reputata est Abrahæ ad justitiam, fides Christi est. *Quomodo*, inquis, *reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ, fidei quæ est in præputio* (*Rom.* IV), congruum videlicet signaculum accepit secundum rem fidei, ut quia de semine crediderat, non in alia quam in ea corporis parte per quam semen trajicitur signum haberet circumcisionis. Hoc signaculum tandiu ad justitiam valuit, donec veniret res, id est semen ipsum cujus in promissione credens signatus est pater fidelis. Hoc itaque tantum interest, quod ille venturum credidit, nos jam venisse credimus, et idcirco constat, et nulli dubium est, quia per eamdem nos atque illi fidem justificamur. Proinde dicit: *Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum* (*Rom.* V). Et ne cui dubium sit, jure omnes per unum hominem debere justificari, post multa ad hujus sententiæ rationem pertinentia, sic tandem concludit. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic et per unius hominis obedientiam justi constituentur multi* (*ibid.*). Non ergo injuria, sed jure fortis armatus ejicitur, et vasa ejus diripiuntur (*Luc.* XI), quia si justum fuit ut *per unius hominis inobedientiam peccatores* constituerentur *multi*, nihilominus justum est ut *per unius obedientiam justi* constituantur *multi*.

CAPUT XXIII.

De tertio actu, quo id defendit quod non debeamus iterum peccare quasi liberi, eo quod nos a lege peccati et mortis Christus liberaverit.

Tertio actu id agitur ut jam nobis non peccandum esse sciamus, ne nobis solam Christi fidem, sive oris confessionem sufficere arbitremur quomodocunque vivamus. *Qui enim mortui sumus*, inquam, *peccato, quomodo vivemus in illo?* (*Rom.* VI.) Et vide quam pulchra, quam valida similitudine ab illa servili vita, imo servituve mortua compescit nos. *An ignoratis*, A inquit, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*ibid.*). Similitudo namque Dominicæ mortis, ut aliis jam locis meminimus, sacramentum est baptismatis, in quo vetus homo per mirum gratiæ regenerantis artificium priori Domino, id est peccato, moritur, et novo homini Christo consurgens libertatis et justitiæ titulos accepit, ut jam non sit ejus cujus fuerat, jam non sit ipse qui fuerat. Unde et subinde dicit: *Quia vetus homo noster semel crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra jam non serviamus peccato* (*ibid.*). Stultum ergo imo et perfidiosum est, postquam mortui sumus peB cato iterum vivere in illo. Id enim est Redemptorem et libertatis suæ relinquere Dominum, et ad pristinæ captivitatis pro exigua mercede refugere tyrannum. Neque enim, si velint, iterum possunt certa redemptione redimi, id est rebaptizari. Unde in Epistola ad Hebræos cum dixisset: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiorem feramur*, ita subjunxit: *Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, et resurrectionis mortuorum, et judicii æterni. Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestes et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt,* C *renovari rursus ad pœnitentiam, crucifigentes rursus sibimet Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* VI). *Renovari* quippe *ad pœnitentiam* dixit, *et rursus* crucifigere *sibimetipsis Filium Dei*, id est novos fieri per pœnitentiam iterumque baptizari. Nam qui iterum volunt baptizari rursus quantum in ipsis est crucifigunt, et ostentui habent Filium Dei. Juxta hunc sensum et illud accipitur, quod item dicit: *Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis* (*Hebr.* X). Sed et hic ubi dixerat: *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu*, etc. Ita dixit: *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra* **669** *non dominabitur. Quod enim mortuus est pecD cato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos quidem peccato, viventes autem Deo* (*Rom.* VI). Hæc enim omnia cum dicit terret nos ut metuamus post baptismum ad vitia relabi, quia non possumus rebaptizari. Non pœnitentiam aut remissionem peccatorum, sed secundum excludit baptismum. In hoc actu consistit, et decertat, dicendo: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* (*ibid.*), etc., usque ad id quod ait, *nunc ergo soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ* (*Rom.* VII). Constat ergo eum non hoc sensu dixisse superius: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus* (*Rom.* III), ut eve-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dentes in Christum salvos nos esse putemus, quomodocunque vivamus.

CAPUT XXIV

De quarto actu, quo demonstrare contendit, quid ante Christi adventum lex contulerit, et quid conferre non potuerit.

Quarto actu demonstrare intendit quid lex contulerit, et quid conferre non potuerit. *Quid ergo dicemus*, inquit? *Lex peccatum est? Absit* (*Rom.* VII). Dixerat enim : *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.* Itemque : *Nunc ergo soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur* (*ibid.*); legem mortis, legem per quam peccatorum passiones erant, non aliam designans, quam legem Moysi, quæ mortem inferebat, per quam peccatorum passiones notæ erant, et augebantur, quia videlicet solet ardentius desiderari, quod lege prohibetur. Ne ergo calumniæ locum dedisse videretur tanquam legis adversarius : *Quid*, inquit, *dicemus?* Dicemus aut dixisse videbimur, quia *lex peccatum est? Absit!* Sed *quid dicemus*, aut quid diximus? Hoc nimirum, quia *peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat* (*ibid.*). Hoc erat esse vel dici legem mortis, quod peccatum cognovisse per legem et peccatum, per mandatum accepisse occasionem operandi in me omnem concupiscentiam atque auxisse in me culpam prævaricationis per notitiam sui. Neque enim ipse eadem, quæ peccatum prohibebat a servitute peccati liberare poterat. Hoc nimirum quia tardius lector perspicit in universitate generis humani, semetipsum cum Apostolo respiciens unusquisque, exempli gratia, dicit : *Ego autem vivebam sine lege aliquando*, subauditur, et tunc *peccatum* in me *mortuum erat*. Etenim tandiu unusquisque nostrum sine lege vixit, quandiu vel pro ætate, vel pro ignorantia vacuus fuit a timore Domini. Tunc nimirum *peccatum mortuum erat*, quia repugnator non consurgebat, quomodo aqua interdum per planum segnius fluit, ubi cujuslibet obicis contradictio nulla obsistit. *Sed cum venisset*, inquit, *mandatum, peccatum revixit* (*ibid.*). Hoc veraciter quisque militum Dei, qui contra peccatum sumpsit arma mandatorum legis Domini pugnando repertus est, ut dicere possit quia *cum venisset mandatum, peccatum revixit*. Nam quotusquisque est qui a vetusta conversatione sese convertens statim pacem habuit, et non perpessus est pugnam peccati quasi reclamantis insaniam tyranni? Idcirco veraciter interea dicit : *Quod enim operor non intelligo, id est* non gratum duco. *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Et subinde : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Talis certator laborans in spe, et sperans in labore, dicit : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et continuo sibi respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*ibid.*). Ab hoc itaque exemplo, liquet quid lex contulerit, quid conferre non potuerit. Namque in uno homine res eadem est quæ et in universo genere humano. Qualis eram ego cum *sine lege* vel timore Domini viverem, aliquando talis erat status mundi cum necdum data esset scripta lex. Item qualis nunc *condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, etc., talis mundus accepta lege infirmabatur, et quamlibet pugnans sive resistens, a peccato victore, et per Adam tenebatur. Item qualis homo quadam pace, et quiete suimet fruitur per adjuvantem gratiam Dei ab impugnatione vitiorum liberatus, ita ut vivens jam non sit in carne, id est in carnis passionibus, talis est hic tertius mundi status, quo peccati regnum destruxit Dei Filius. Unde dicit postmodum hic idem Apostolus : *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (*Rom.* VIII). Hoc tamen in paucis impletur, ut scilicet in carne viventes, tamen extra carnem sint, ambulando secundum spiritum, in illis videlicet qui non solum illicita, sed et quæ licito possidere vel facere poterant dimittunt exemplo apostolorum. Etsi nondum tota peccati pœna sublata est, nihilominus tamen peccatum per adventum Christi damnatum, et regnum peccati destructum est, et quod superest de peccati pœna, per secundum ejusdem adventum certissime destruendum est. Hoc est quod subinde dicit : *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum*, id est certissime moriturum est, *propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis convivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*ibid.*), etc. Quod donec fiat interim patientia opus est, adjuvante consolatione, quam et inferens dicit : *Existimo enim quod non sint condignæ passiones hujus temporis, ad futurum gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem gloriæ filiorum Dei exspectat*, et reliqua usque ad id quod ait, *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Jesu Christo Domino nostro* (*ibid.*).

CAPUT XXV.

De quinto actu, quo oleastrum contra fractos olivæ ramos naturales, id est gentiles contra Judæum docet non debere gloriari sive extolli.

Quinto tandem actu ad principalem causam redit, et gentilem, cujus contra factum Judaicum partem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

magis tuetur, quemadmodum dicit : *Quandiu quidem sum ego gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* I) : **670** docet adversus Judæum non extolli, sed magis humiliari, et compati præmisso suimet exemplo, cum dicit : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, ex quorum partibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in sæcula. Amen.* (*Rom.* IX). Same quod dicit : *Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis*, ejusdem est ponderis, cujus et illud quod Moyses ait : *Obsecro, Domine, peccatum populus iste peccavit magnum feceruntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). Et notandum quod non opto, sed, *optabam*, inquit, quia videlicet omnis voti vel cujuscunque boni nimietatem citius corrigi expedit. Sic et prædictus Moyses semel quidem dixit, *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti*, sed Deo non approbante ac dicente : *Qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo, tu autem vade et duc populum istum de quo locutus sum tibi*, non invenitur quod addiderit ultra taliter loqui. Sic ingressus Apostolus nunc quidem commendat altitudinem terribilis judicii Dei, verbi gratia, dum dicit : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX) ; et deinceps : *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quos et vocavit ; nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus* (*ibid.*), nunc autem eosdem vocatos ex gentibus, ut humilientur utili ferit pavore, cum dicit : *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversum ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Noli alium sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcat* (*Rom.* XI), etc. Actus iste sic terminatur. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum* (*ibid.*). Quod reliquum est Epistolæ, mores instruit, et sanctæ religionis ornatum componit : *Obsecro vos*, inquiens, *fratres*, per *misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* (*Rom.* XII).

CAPUT XXVI.

Quod hæc pauca de multis sufficiant ad experiendum quia vas electionis magna intellectus gratia completum fuerit, et quod licet prophetas et apostolos idem Spiritus docuerit, nonnihil tamen interest.

Non præsentis erat propositi, totos hujus tantæ tamque divinæ Epistolæ thesauros perscrutari, sed illud ex qualitate ejus experiri ; quia vere Apostolus iste vas est electionis, et vere Spiritus sanctus in eo vel super eum sapientiæ jucunditatem, et intellectus de quo loquebamur exsultationem thesaurizavit. Illud tamen non prætereundum, cum idem prophetas atque apostolos Spiritus intelligentiæ docuerit (pariter namque hi atque illi, non ab homine, neque per hominem, sed, Spiritu sancto illuminante, sunt docti) multum tamen interest inter hos atque illos, non quidem sensuum qualitate, sed dictionis sive sermonis. Nam de illis veraciter dictum sit : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII), quia obscure scripserunt, et scripta sua quasi sub signaculo clauserunt, sicut uni eorum dictum est : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis* (*Isa.* VIII). Istis autem Veritas dicit : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V). Quomodo enim lux mundi, nisi illuminando ut cognosceret mundus ea quæ obscura erant, id est clausa in lege et in prophetis ? Quamvis enim subjunxit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* nihilominus tamen propter lumen doctrinæ dixit : *Vos estis lux mundi* ; etc. : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Nam et cum dixisset : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*, continuo subjunxit. *Nolite putare quod venerim solvere legem aut prophetas. Non veni solvere sed adimplere* (*ibid.*). Quomodo adimpleverit, unde scimus nisi ex istis quibus dixit, *vos estis lux mundi ?* Nam hæc potior pars luminis, et hic melior effectus hujusce lucis, quo illuminatur *tenebrosa aqua*, quæ erat *in nubibus aeris*, id est occulta scientia, quæ erat in lege et prophetis. Hoc omnes faciunt isti, quibus dixit, *vos estis lux mundi*, et hic exempli gratia, Paulus apostolus cum in præscripta actione dicit : *Nunquid Israel non cognovit ? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam* (*Rom.* X). Hæc enim cum dicit, pene totum Deuteronomii canticum luce sua demonstrat, quid Christus veniendo adimpleverit, ubi sic scriptum est : *Et ego provocabo eos ; in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). Et continuo sequitur : *Esaias audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Ad Israel autem. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem mihi* (*Rom.* X). Et hæc utique dicendo amplum prophetiæ locum illustrat, et ostendit quid propheta deploraverit : *Ipsi autem*, inquiens, *ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum sancti ejus*, usque ad id, quod ait, *civitas sancta tua*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

deserta facta est, Sion, facta est Hierusalem desolata, domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas (*Isa.* LXIII, LXIV). Hoc igitur non modicum interest, quod illi quidem intellexerunt; hi autem A sacramentum magnum pietatis et intellexerunt et illorum intellectum aperuerunt. Illi, inquam, intellexerunt, non etiam annuntiaverunt, hi autem *annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt* (*Psal.* LXIII).

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER QUINTUS.

DE CONSILIO.

671 CAPUT PRIMUM.

De spiritu consilii, quod vere juxta Psalmistam Deus in consiliis super filios hominum terribilis sit.

Tertius a Spiritu sapientiæ Spiritus consilii jam nunc tota nobis mente, et renovata intentione adeundus est. Istic enim ipso nomine secretum, atque profunditas significatur, quam et Apostolus magnopere admirans, cum dixisset: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* continuo subjunxit: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom* XI.) Agebat autem de mysterio ille, mysterio magnæ cæcitatis Israeliticæ, ita ut diceret: *Nolo enim vos, fratres, ignorare mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertet captivitatem a Jacob* (*ibid.*), etc. Jure ergo super hoc admirans exclamabat quia vere istud ex admirabili et arcano tremendæ divinitatis consilio procedebat. Nam et ante hunc super eodem mysterio propheta in Psalmo vehementer admirans, cum dixisset: *Quam terribilia sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo*, repente sic in clamorem prorumpit: *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.* In eo plane terribilia sunt opera tua Domine, quod illi, qui prius fuerunt tibi populus peculiaris, deserti a Spiritu veritatis, et facti inimici tui mentiti sunt tibi (*Psal.* LXXX), quod tamen non nocuit, sed ad honorem tuum profecit, mentiti sunt, inquam, *in multitudine virtutis tuæ* (*Psal.* LXV), id est in multis miraculis tuis, dicens: *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* XI), et: corpus ejus nocte sublatum est a discipulis (*Matth.* XXVIII), et econtra illis mentientibus: *Omnis terra adoret te, Deus* (*Psal.* LXV). Omnes gentes veritatem loquantur tibi, Deus.

CAPUT II.

De secreto ejusdem consilii Dei, quod discrete absconditur a sapientibus et prudentibus, et revelatur parvulis.

Invitati igitur hujus clamore dicentis: *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal* LXV), quomodo veniendum sit scimus, scilicet submisso corde et humili spiritu. Consilium quippe est et juxta morem consilii, non passim quibusque, sed certis personis communicatur, ut aure apposita quidpiam eorum percipiant, quæ publice gesta sive gerenda seorsum et secreto disposuit opere *super filios hominum terribilis* Deus. Dixit enim ipse consilii Angelus, qui actu implevit, et implet quod in eodem consilio disponebatur: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Quare? videlicet quia sapientes et prudentes, qui a semetipsis sunt sapientes, et coram semetipsis prudentes, malevoli, inquieti et contentiosi, ac proinde indociles sunt. Et optime novimus, quia malevolos atque contentiosos nemo sapiens ad suum consilium admittit. Econtra parvuli, id est humiles eo ipso quod humiles sunt, Domino Deo suo libenter acquiescunt, et ad omne quod loquitur, benevolentiam cum taciturnitate præstant, summum arbitrantes scelus obstrepere, et melioris reprehendere sententiam, sicut scriptum est: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg* XV). Rationaliter itaque secreta sua Deus ab ejusmodi sapientibus et prudentibus abscondit, nec magis illis sua mysteria quam porcis margaritas committere dignum judicavit, istis autem ea revelavit. Proinde nosmetipsos ad parvitatem eorum applicantes audire et intelligere desideremus, qualibus de rebus concilium Domini est.

CAPUT III.

Quod secundum scripturas oportebat bifariam distingui, quia consilio aliter Deus propter homines, aliter homines utuntur propter Deum.

Hic jam scire oportet, consilium cujus de sancta Scriptura tenorem vel usum accipimus, bifariam distingui, quam secundum utramque distinctionem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sanctum Spiritum veraciter dicimus Spiritum consilii. Primum est, quo Deus ipse propter homines ad gloriam suam uti dignatur. Secundum, quo homines propter Deum ad gloriam ipsius et suam salutem sapienter utuntur. Utitur enim Deus propter **672** homines consilio, dum quædam dudum habita pro ratione temporis deserit, qualia fuerunt decreta priora Mosaicæ legis, verbi gratia, circumcisio carnis, et cultus Sabbati, cæteraque hujusmodi. Hæc enim Deus ab hominibus accepit, et juste Deo exhibebant homines sancti, nunc autem neque Deus ab homine accipit, neque Deo jam exhibet homo sensatus aut fidelis. Nimirum quod et cum consilio Deus hæc dudum admiserit, et nihilominus hæc eadem cum consilio nunc rejecerit, postmodum nobis pro posse cum ipsius auxilio dicendum erit: Utuntur homines consilio propter gloriam Dei, dum non conenti abstinere ab illicitis, licita quoque respuunt, ut expeditius Deo vacare possint. Verbi gratia, secundum quod Apostolus dixit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse* (*I Cor.* VII). Item juxta illud: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Et de hoc quoque suo loco dicemus. Nunc ad priorem, eamdemque maximam partem accedamus, quam Judæi cum Sabbatis et cunctis cæremoniis suis relinquuntur, et gentes cum fide sua mirabiliter in gratiam assumuntur.

CAPUT IV.

De illa maxima parte consilii, qua Judæi cum cæremoniis suis relicti et gentiles cum sua sunt fide recepti.

Sicut et vos, inquit Apostolus, *aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Hæc cum dixisset, exclamavit dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XII.) Multum exclamavit, et exclamatio hæc audita est universo orbi. Et quam ob rem sic exclamavit? Quare non magis plano sermone prosecutus est quod cœperat loqui? Sed quid cœperat loqui? Eo consilio vel intentione conclusisse Deum *omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, et hinc esse quod olim Judæis credentibus nos gentes non credidimus, nunc autem nobis credentibus Judæi non crediderunt in nostram misericordiam, *ut et ipsi misericordiam consequantur*, quod et per evangelicam historiam pulcre et venerabili mysterio significatur. *Venit*, inquit, *quidam de archisynagogis nomine Jairus, et videns eum, procidit ad pedes ejus, et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, ut salva sit et vivat* (*Marc.* V), etc. Hæc puella, quando mortua est, *annorum duodecim erat* (*ibid.*), et mulier illa, quæ accessit *retro*, dum iret et tetigit fimbriam vestimenti ejus, *annis duodecim in profluvio sanguinis* fuerat (*ibid.*). Itaque quando nata est hæc puella, tunc illa mulier sanguine suo fluere cœperat, et quando illa mulier a profluvio sanguinis sui sanata est, tunc puella hæc mortua est, per manum Domini resuscitanda. Hoc, inquam, mysterio res illa significata est. Quando enim Synagoga in Abraham, Isaac et Jacob nata sive vocata est, tunc gentilitas idololiatriæ sordibus quasi sanguine suo fluere incipiebat, et quando gentilitas eadem ad Christum conversa est, tunc Synagoga morte infidelitatis mortua est, circa finem sæculi, cum plenitudo gentium subintraverit, ipsa quoque salva futura. Hoc est quod Apostolus ait sermone præscripto: *Sicut enim et vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Magna res, alta et profunda res, et major, quam ut verbis consequi vel explanari possit sufficienter. Idcirco confestim exclamavit dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* et ipsa exclamatione dormitantes excitare voluit, ut vigilantes atque oculos aperientes ad lumen Spiritus sancti, quæramus aliqui quantum possumus, quod invenitur a paucis, et a nemine totum, sicut est, valet comprehendi, cur Deus tantopere studuerit, misericordiam ædificare in nobis, et neminem nisi per consecutionem misericordiæ salvum esse voluerit.

CAPUT V

De eadem re et quod tota fere vis consilii divini eo tendit, ut omnis a nobis auferatur occasio superbiendi, et non audeat dicere figmentum ei qui se finxit: « quare me fecisti sic? »

Quid est omnia Deum *in incredulitate* conclusisse *ut omnium misereatur*, nisi providisse Deum ut nemo aliter quam per misericordiam salvetur, et sic omnes a maligno superbiæ gladio liberentur? Hoc enim expediebat miseræ conditioni nostræ, ut omnis nobis occasio superbiendi tolleretur, quia per superbiam cecidit angelus, et factus est diabolus, quia per superbiam nihilominus cecidit homo ad imaginem Dei conditus, et factus est diaboli servus. Præcavens igitur in futurum Deus, et obstruëre volens omne os *ut non glorietur omnis caro* coram illo (*Rom.* I), repulit plebem in carne Abrahæ gloriantem, verumtamen non plebem suam quam præscivit. Sic enim Apostolus dicit: *Nunquid repulit Deus populum suum? Absit! Nam ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit.* Et præmisso responso divino, dicentis: *Reliqui mihi*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, sic ergo, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI). Dicamus ergo quod amplius, quod mirabilius est, eo quod dicebamus Deum cum consilio agentem repulisse Israel in carne Abrahæ gloriantem, quia permisit nasci plebem de carne Abrahæ, qualem merito repelleret, et, juxta prophetam, vocaret non plebem suam (*Rom.* IX), id est non pertinentem ad illam benedictionem, qua primis hominibus benedicens, dixit : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), sed ad illam vindicis iræ sententiam, qua dixit mulieri post peccatum : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* (*Gen.* III). Nunquid hoc tempore primum, quando Christus venit, de carne Abrahæ nasci cœperunt, qui non pertinerent ad illum quem præscivit et prædestinavit Deus plebis suæ numerum ? Nonne et Rebecca ex uno concubitu habente Isaac patris nostri, inquit idem Apostolus : *Cum nondum nati fuissent aut aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem gratiæ propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX).

673 Tam cito post Abraham ex unico Abrahæ unigenito Sarræ, qui *per repromissionem natus* fuerat (*Gal.* IV), tam recenti tamque novitio semine ejusdem Abrahæ natus est is qui non pertineret ad illam *quam præscivit Deus* (*Rom.* XI) plebem suam, et cum, nonnisi duos generaret, tantus vir nequaquam ambos electos aut dilectos generare potuit. Non ergo quo tempore Christus venit, tunc primum Deus novum iniit consilium, ut ex carne Abrahæ nasci permitteret eos qui non pertinerent ad electorum numerum, sed hoc antiquum ejus erat consilium, præcaventis in futurum, providentis electis suis modis omnibus ut non incidant ultra in diaboli judicium. Verum isto tempore, idipsum consilium magis revelatum est. Nam econtra plebem suam *quam præscivit*, ex omni plebe sua nasci facit, et *suscitat filios Abrahæ de lapidibus istis* (*Matth.* III). Revelatum, inquam, est consilium illud, nam etsi comprehendi non potest, tamen non omnino ignorari potest, dicente eodem Apostolo : *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI). Utrobique sua potestate non injuste utitur, utpote nulli quidquam debens, quia in Adam omnes peccavimus. Si ergo irreverenter discutias, dicens : *Quid adhuc queritur ? voluntati enim ejus quis resistit?* quia *cui vult misereatur, et quem vult indurat*, et subaudiri velis, nullis causis existentibus, nihil tibi de consilio suo Spiritus sanctus revelare dignatur, sed dicit continuo : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Ut quid me fecisti sic ? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?* (*Rom.* IX.)

Ita remoto sapiente et prudente, cui propter superbiam merito hæc absconduntur, ad parvulum se inclinans : *Volens*, inquit, *Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum*, etc.

CAPUT VI.

De eo quod dicunt in Actibus apostolorum scriptum est : « Non fuit consilii, non visum est Spiritui sancto imponere gentibus jugum legis cæremoniarum gravissimum. »

Intrante itaque vel intrare incipiente gentium plenitudine, non fuit consilii, non placuit sancto Spiritui gravissimum cæremoniarum jugum imponere, quæ prius legis erant, sicut in Actibus apostolorum scriptum est : *Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia, nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri* (*Act.* XV). Item : *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes : Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Convenerunt que apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum* (*ibid.*), etc. Illi conventui sanctus Spiritus interfuit, et ipse magnam illam conquisitionem bene nobis consulendo terminavit. Quapropter ejusdem Spiritus auctoritatem conventus idem magnifice satis hoc modo deprompsit : *Visum enim est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. Valete* (*ibid.*). Liberati ergo sumus, auctore Spiritu sancto, spiritu consilii, ut non imponeretur jugum illud cervicibus nostris. Quare ? Nimirum quia gravissimum erat, quemadmodum Petrus ibidem dicit : *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ?* (*ibid.*) Verum hoc ad causam parum erat quod jugum importabile fuit, nisi addas quod itidem dicunt, quia *nihil ad perfectum adduxit* (*Hebr.* VII), quodque et alibi Apostolus ait : *Munera et hostiæ quæ offerebantur, non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis* (*Hebr.* IX). Sed et hoc parum est scire quod non potuerint vel non possint *perfectum facere*, nisi et hoc addas ad scientiam, quod nec perfectionis initium possit habere quisquis putaverit se absque illis posse pervenire ad perfectionem justitiæ. Nam de eo quod omnium sanctissimum tunc temporis fuerat, id est de signo circumcisionis idem Paulus terribiliter clamat : *State et nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis : Quia si circumcida-*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis a Christo. Qui in lege justificamini, a gratia excidistis (*Gal.* v). Concedimus gaudentes, et indubitanter credimus quia in Paulo Christus loquitur, quia in prædicto apostolorum conventu locutus est Spiritus sanctus. Et ipsa quidem loquentis in isto et in illis vel sola sufficit auctoritas, verumtamen quoniam et ratio delectat, non præteribimus rationabiliter ostendere circumcisionis et omnium cæremoniarum legem debuisse cessare veniente gratia. Et de circumcisione primum dicemus, licet aliis jam locis plenius de ea dixerimus.

CAPUT VII.

Quod veniente gratia Evangelii, rationabiliter circumcisionis et omnium cæremoniarum carnalium lex cessare debuerit.

Circumcisionis causa fides erat futuri seminis, quod est Christus. Quid enim Abraham credidit, hæredem non habens, uxore usque ad suam et ipsius senectutem sterili, nisi quia in semine ejus benedicerentur omnes gentes, quodque foret semen ejus sicut stellæ cœli? Hoc ille dicenti Deo *credidit*, non considerans *corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ*, et hujus fidei signum circumcidendo accepit. Hoc ipsum et Apostolus confirmat, *signum*, inquiens, *accepit signaculum justitiæ fidei* (*Rom.* IV). Ergo circumcisionis causa fides erat futuri seminis, id est Christi, etenim circumcidi erat futuri Christi exspectationem profiteri, et ad hoc, ut veniente Christo per fidem, cujus illud signum erat, recuperaretur eis illa quam in Adam perdidimus omnes possessio paradisi, valebat, si tamen legem servarent mandatorum, quæ in tabulis scripsit digitus Dei, quemadmodum et sæpedictus Apostolus temporis illius Judæo dicit: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes. Si autem prævaricator es legis, circumcisio tua præputium facta est* (*Rom.* II). Ecce autem quod exspectabatur semen, id est Christus venit, et hoc omnis spiritus confitetur qui ex Deo est, quia ille in carne venit. Hoc nemo **674** potest dissimulare, quamvis pertinaciter velit, quia ille *in sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII), ut latere non possit, sicut sol conspicuus in arce cœli non potest abscondi, quia *cæli* quoque *enarraverunt, et non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*ibid.*). Circumcisio igitur in carne, quo signo exspectationem venturi profitebantur, cessare debuit in adventu ejus. Nam exinde quisquis circumciditur ipso circumcisionis charactere, negat venisse illud promissum semen Abrahæ, et ita negat eum *qui venit benedictus in nomine Domini* (*Matth.* XXI), qui de Maria Virgine natus est in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis (*Matth.* II), qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, et tertia die resurrexit, extra quem *in alio aliquo non est salus, neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* V). Verissime itaque Apostolus: *Si circumcidamini*, inquit, *Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V), quia si circumciditur, Christum negavit. Circumcidendo se Judæi negant illum qui venit in nomine Patris sui, alius veniet in nomine suo, illum susciplent. Proinde præeunte auctoritate Spiritus sancti, cui visum est, ut supra diximus, non imponere nobis quidquam oneris, nihil excipiendo, ne saltem onus circumcisionis, ratione quoque firmum teneamus quod non debeamus circumcidi.

CAPUT VIII.

Quod Sabbata cæteraque festivitates Judæorum oderit anima Domini, ut in prophetia dicit, et idcirco recte visum sit Spiritui sancto ut non imponerentur.

Porro de onere Sabbati, aliarumque festivitatum, cur visum sit Spiritui sancto ut non imponeretur nobis, illa vel sola causa sufficit, quia et justo odio jamdudum illas odit anima Domini. Sic etenim in Isaia dicit: *Neomenias et Sabbatum et festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta.* Quare? *Manus enim*, inquit, *vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isa.* I). Ergo ne et nos pariter cum Sabbatis et solemnitatibus illis veniamus in odium animæ Domini, bene visum est Spiritui sancto, et consilium ejus nos approbamus, ut abdicemus stercora vel decora ejusmodi, quæ prius pro lucro erant, antequam polluerentur sanguine Christi, quo manus suas iniquas ille cœtus implevit. Sed nunquid, aiunt, stare non debet quod Deus statuit, et immobile esse præceptum quod posuit? Fatemur quia debet, neque enim *Deus quasi homo est ut mentiatur, aut ut Filius hominis ut mutetur* (*Num.* XXIII). Ad hæc illi litteræ amici: Scriptum est, inquiunt, quia *complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat* (*Gen.* II). Coarctare igitur nos cupiunt, ut non diffiteamur stare debere, semperque legitimum esse Sabbatum suum. Verum interim negare nequeunt, quoniam Deus de quo Moyses hoc narrat, quia *benedixit diei septimo et sanctificavit illum*, ipse sit quia in Isaia dicit: *Neomenias et Sabbatum et festivitates alias non feram. Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea.* Quid igitur consequitur, nisi differentia esse Sabbata, alterum quidem placitum, alterum autem animæ Dei odiosum? Nimirum aut istud, aut quod in nos criminabantur, Deum qui immutabilis est mutatum, sibique factum esse contrarium fatebuntur. Verum hoc dicere non audent, et illud videre non sustinent quod duo Sabbata sint, unum carnale, quod Deus secundum tempus vel usque ad tempus correctionis imposuerit, et unum spirituale, quod *statuit in æternum et in sæculum sæculi*, cujus in tabulis quoque lapideis *præceptum posuit, et non præteribit* (*Psal.* CXLVIII), fugiunt igitur aversi, et illam habentes pas-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sionem quæ significabatur, quando fugiebant timentes claritatem non velatam vultus Moysi (*Exod.* XXXIV). Quidquid enim de splendore spiritus objecerimus illis, urit et cruciat oculos invidentis populi, solaque illis littera placet, maxime ubicunque gloriam Christi velare potest. Nos autem sicut duo ex lege et prophetis sabbata cognovimus, ita et cur illis sub figura carnalis sabbati, spirituale sabbatum absconderit, et cur a nobis unum tantum et nullum spirituale sabbatum exigat, nosse debemus.

CAPUT IX.

Quod Deo alia cum Judæis fuerit, alia cum nobis gentibus ratio sit, et quod fere cunctæ festivitates illorum causas terrenas habuerint.

Dicamus igitur quia nimirum alia Deo fuit cum Judæis, alia cum nobis gentibus ratio est. Neque enim Christus Dei Filius in hunc mundum adveniens, et nos gentes ad suam invitans fidem, terrena præmia proposuit, non terras quas non habebamus dedit, nihil omnino carnale, sed cuncta spiritualia bona proposuit aut præstitit. Illis terras proprias non habentibus, imo et in Ægypto servientibus, atque pro peccato quo fratrem suum Joseph vendiderant, indignis accipere repromissiones quas Patribus eorum promiserat, Deus terram dedit satis bonam, terram localem, locumque terrestrem, *dedit*, inquam, *regiones gentium, et labores populorum possederunt* (*Psal.* CIV). Nec vero tales erant qui vel spiritualibus atque invisibilibus bonis ad justitiam allicerentur, vel spiritualibus atque invisibilibus malis ab injustitia deterrerentur. Idcirco in tota lege quæ illis de Ægypto exeuntibus scripta est, nusquam promissiones paradisi, aut comminationes audiuntur inferni, sed pulchræ atque canoræ promissiones terræ optimæ, terræ lacte et melle manantis, duræ atque formidabiles carni, comminationes bellorum et famis, malarum bestiarum et captivitatis (*Deut.* XXXVIII). Nobis, imo tam nobis quam illis, quoscunque verus Agnus Dei suo sanguine redemit, et ad fidem suam vocavit, sola cœlestia vel spiritualia bona proposuit; nec enim terram, sed cœlum sequentibus se dedit, vel exspectare jussit, ideoque carnalia nulla, sed tantum spiritualia festa, nulla terrena, sed tantum cœlestia sabbata nos sibi debere indicavit, teste Spiritu sancto, Spiritu consilii, qui nobis in illo quem prædiximus apostolorum conventu bene consuluit (*Act.* XV). Debuerint carnalia festa, carnalia sabbata, carnales Judæi, quibus carnalia bona, terrena præmia pro legis observatione, quando scribebatur, Deus proposuit. Tendebant ad divitias hujus sæculi, ad possessiones agrorum aut vinearum cunctasque facultates hujus mundi, et ideo recte respicere jussi sunt ad litteralem festivitatem creationis mundi, ut septimo die sabbatizarent, quia Deus septimo die requievit, quia diei septimo benedixit, eumque sanctificavit. Plena luna, contrito jugo servitutis, exierunt de terra Ægypti, liberati a servitute, non peccati, sed hominis, non diaboli, sed Pharaonis carnei, et idcirco recte illis vetigali celebritate luna illis festiva fuerit atque solemnis, **675** quia buccinaverunt in neomenia tuba (*Psal.* LXXX), et hæc illis computata sit insignis dies suæ solemnitatis. Habitaverunt in tabernaculis, educti de illa domo servitutis, et idcirco magnam habuerunt mense septimo festivitatem Tabernaculorum, habitantes in umbraculis, et in illo schemate recolentes, et concelebrantes magna quidem, sed terrena atque temporalia beneficia Dei. Nobis, ut jam dictum est, nihil tale, sed cuncta cœlestia bona præstitit Evangelium Christi, et idcirco debitores sumus festorum cœlestium et spiritualium sabbatorum gratiæ Salvatoris, qui nos a spirituali Pharaone liberavit, et a servitute peccati redemit, atque per passionem et crucem suam in terra viventium introduxit et cœlorum nobis prædia contulit. Igitur quia non in figura hujus mundi quæ præterit, sed in spe resurrectionis, cujus princeps est ipse, nobis gaudendum esse persuasit, non septima die qua Deum requievisse, carnali sensu somniant amatores mundi, otio torpere debemus cum illis, sed prima die, quæ et ipsa octava est, qua ille in spem et in salutem nostram resurrexit, vacare orationi, et audiendo verbo Dei, illud summa cura providentes ut tam in illo quam cæteris diebus feriati semper simus a servili opere peccati.

CAPUT X.

Quod præter solemnitatem Pentecostes, terrenas cunctæ illorum festivitates causas habuerint, nostræ autem causæ vel promissiones Evangelii cœlestes sint.

Una erat illius populi festivitas, una, inquam, ex tribus solemnitatibus majoribus, quæ dicitur Pentecoste, id est quinquagesima, quæ et vocatur festivitas Hebdomadarum, eo quod septima ab immolatione agni completa hebdomada sequenti die, qui erat quinquagesimus, celebratur, de qua recte concedi oporteat quod causam habuerit magis sacram, magis spiritualem, magisque divinam. Nam magna quidem beneficia Dei fuerunt, quod a Pharaonis dominatione liberavit Deus populum illum, quod introduxit eos in terram pro qua juravit patribus eorum, sed maximum atque optimum fuit, quod pepigit fœdus cum eis, ut esset Deus ipsorum, legemque dedit in tabulis, scriptam digito Dei. Cætera bona quidem, sed terrena atque transitoria fuerunt, hoc bonum et optimum, quia sempiternum. Verumtamen hoc in eodem bono minus lucet, et in comparatione perfectionis, subobscurum est, quia scriptæ legis in eodem monte non vivificantem spiritum, sed solum occidentem litteram professi sunt. Nec vero Deus professionem spiritus ejusdem ab illis inibi exegit, aut exigere debuit, quibus non spiritualia, sed tantum terrena, quibus non regnum cœlorum, sed terram Chanaan proponebat in præmium ineundi fœderis vel suscipiendæ legis. Ergo sola quidem, ut jam dictum est, solemnitas Pentecostes veri boni causam aliqua ex parte habebat, cæteræ omnes ignobiliorem de terra ducebant originem, modisque omnibus populum illum, sensu puerum testabantur,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mundi amatorem. Apud discipulos evangelicæ gratiæ, tale quid omnino illicitum est, gaudere, scilicet vel diem festum ducere propter successus temporales. Nimirum cum sit disciplinæ Christianæ contemnere præsentia et amare futura, atque in contritione mundi levare capita, id est exhilarare corda nostra, quemodo consequens esset suscipere nos festa Judaica, quæ nonnisi præsentia temporalium bonorum respiciunt gaudia? Proinde cum prædicto Spiritus sancti consilio, cui sic visum est in illo apostolorum conventu, ut nihil horum nobis imponeretur confidenter, ea contemnimus tanquam jugum servitutis, cum simus liberi et adoptionis filii, quemadmodum Apostolus dicit : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII). Item : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre ; ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes* (*Gal.* IV). Itemque post aliqua : *State ergo, et nolite iterum jugo servitutis contineri* (*Gal.* V).

CAPUT XI.

Quod multo magis nec hostiis legalibus inservire debuerimus, eo quod nec aliquando illas Deus se quæsisse vel jussisse, per prophetas testificetur.

Quid tandem de hostiis et muneribus dicemus, nisi quod verum est quia multo magis nec illis servire debuimus? Etenim circumcisionis et festorum dierum fuerit aliquando venerabilis traditio, videlicet quia circumcisionem Deus Abrahæ et semini ejus dedit, et ipsum sacra Scriptura sabbatismo qualicunque sabbatizasse non tacuit, dicendo quia *septimo die requievit* (*Gen.* II). Verum de immolandis carnibus taurorum, de sanguine hircorum et arietum, quæ unquam apud sapientes fuit vel esse potuit gloriatio, cum neget Deus hæc inœpta fuisse sua voluntate vel præcepto? Loquitur enim in Hieremia : *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis* (*Jer.* VII). Hoc vere Deus in isto dixit. Nam et in Exodo sic scriptum est : Quia *cunctos* quidem *sermones hos locutus est Dominus : Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me*, etc., usque ad id quod ait : *Si servieris diis eorum, tibi certe erunt in scandalum* (*Exod.* XX, XXIII). *Altare* autem *ædificavit Moyses ad radices montis, misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, imo laveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim* (*Exod.* XXIV), et non est scriptum quod Dominus locutus fuerit aut jusserit. In Isaia quoque idem Dominus dicit : *Holocaustum arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui, cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris?* (*Isa.* I.) Amplius autem in David, quem et prophetica gratia, et regia ad loquendum roborabat auctoritas, idem Deus eadem sacrificia reprobat : *Non*, inquit, *accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et subinde : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XLIX.) Igitur holocausta vel sacrificia illa, non tam jussa fuere quam permissa, et idcirco facilius illa contemnimus, præsertim quia sic visum est Spiritui sancto, sicut supra jam diximus. Nec vero hoc solum dicimus aut intelligimus, quod per consilium nobis illa sanctus amoverit Spiritus, imo quod amplius est illud dicere non dubitamus, quia per consilia illa sibi olim fieri permiserit Deus, ne scilicet populus carnalis et lubricus, dum a consuetis in **676** Ægypto sacrificiis omnino arceretur, ploraret ut puer sub pædagogo nimium severo, ludis omnibus abactus, citiusque fugiens in Ægyptum reverteretur, vel deos sibi quæreret, apud quos consuetas carnes immolare sibi licitum foret. Cum autem in eodem Moyse legitur quidpiam Deus disposuisse de sacrificiis ejusmodi, non est contrarium eis quæ loquitur in prophetis jam dictis, quia videlicet longe aliud est illa quæsisse de manibus eorum, aliud eorum quæ immolare consueverant ordinasse ritum, ut qui verum nondum habebant, nec habere poterant sacerdotem aut sacrificium, saltem umbram ejus præferrent illo ritum signante adfuturum.

CAPUT XII.

Quod bene Spiritui sancto visum sit judicando non debere nos super talibus inquietari tantum ut abstineamus nos a contaminationibus sive immolatis simulacrorum, et fornicatione, et suffocatione et sanguine.

Rationem itaque non omnino ignorantes, cur ita Spiritui sancto visum sit, et cur ab illa circumcisione, et servanda carnaliter lege Moysi nos prohibuerit, exceptionem amplectimur liberalem, quam fecerunt cum illo nobis bene consulti et bene consulentes apostoli, dicendo atque judicando *non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Dominum*, simulque conscribendo ad eos, hoc tantum *ut abstineant se a contaminationibus*, sive, ut infra scriptum est, *ab immolatis sacrificiorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine* (*Act.* XV). Hoc pro illa parte quæstionis dictum atque scriptum est, quæ sic posita fuerat, dicendo : *Quia oportet circumcidi eos*, sive *nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* (*ibid.*). Porro de illa parte quæ sic mota fuerat, ut scriptum est, ibi præcipere quoque servari legem Moysi, non necessarium judicare aut scribere arbitrantes. *Moyses enim*, inquiunt, *a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur* (*ibid.*). Tanquam dicerent : Pro circumcisione, quæ ante Moysen data est, patribus nostris necessa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rio jnuscemus et scribamus; nam hoc bene judicato, bene perspecto aut demonstrato, quæ vel in quo sit vera circumcisio, perspicuum erit eis quomodo servare debeant posterius datam legem Moysi. Hoc intendentes verumque Judaismum, atque perfectam circumcisionem aspicientes, quæ non in manifesto, sive in carne, sed in spiritu existit : *Abstineant se*, aiunt, *a contaminationibus simulacrorum, a fornicatione, a suffocatis, et sanguine.* Qui enim hæc dicunt, manifeste confirmant circumcisionem illam in carne, non solum justitiæ fidei, ut apostolus Paulus ait (*Rom.* IV), sed et moralis justitiæ fuisse signum. Et quidem antequam veniret semen quod repromissum erat, id est Christus, necessarium erat, ut supra diximus, circumcidi carne, ut signo venturi seminis fidem se habere profiterentur, ita tamen ut et circumcisione non carerent in spiritu, ut scilicet neque a Deo spiritualiter, in corpore suo carnaliter fornicarentur, secundum quod jam dictus Apostolus : *Circumcisio*, inquit, *prodest, si legem observes* (*Rom.* II). Idem enim ac si diceret : Circumcisio signum castitatis et fidei tunc demum prodest, si non forniceris fornicatione spiritus a Deo recedentis, fornicatione corporis carnem corrumpentis. At ubi venit semen illud, circumcidimur, et circumcidi debemus tantum in spiritu, id est abstinere a fornicationibus, quia *circumcisio*, inquit, *nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (*I Cor.* VII). Veram igitur circumcisionem prædicantes atque scribentes, sine qua revera salvari non possumus, bene judicaverunt necessario abstinere nos *ab immolatis simulacrorum*, quod est circumcidi spiritu, ut scilicet anima nostra Deo vero per fidem copulata, jam post idola non fornicetur, abstinere nihilominus nos a fornicatione, scilicet carnis, qua corpus corrumpitur, et velut incircumcisum atque immundum merito judicatur. Utriusque fornicationis sive incircumcisionis causa esse solet nimia atque sordida voracitas, quam intendentes, *a suffocatis*, inquiunt, *et sanguine.* Nempe a sorbitione cruoris, horror est nimiæ voracitatis, atque sordidissimæ ingluviei. Itemque suffocare, id est strangulare pecus ad devorandum, belluarum atque ferarum est, quas insania ventris inordinate et irrationabiliter ad invadendum, ad devorandum impellit. Gulam itaque sive ingluviem ventris, unde utraque solet nasci fornicatio, sicut scriptum est : *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII; *I Cor.* X), brevi quidem, sed acuta circumciderunt dictione, dicendo, *a suffocatis et sanguine*, id est ab omni turpi et inordinata devoratione.

CAPUT XIII.

Quanta alibi severitate fornicationem, et idolothyta singulis suis persequuntur scriptis.

Suaviter quidem et cum spiritu mansuetudinis de illo sancti Spiritus consilio, vel de illo consilii Spiritu sancto processit hoc dictum sive scriptum ut non fornicemur, et ut ab immolatis simulacrorum abstineamus, sed et huic mansuetudini non obtemperantibus virga parata est. Dicit enim unus ex illo conventu notæ charitatis et mansuetudinis apostolus : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (*II Joan.* 10, 11). Item quod alius cum dixisset : *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis* (*I Cor.* IV), continuo, quia causa postulabat, virgam exerens : *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Hac increpatione præmissa, confestim dicendo percutit, et percutiendo dicit : *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu jam judicavi eum, ut præsens, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo Spiritu cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi Satanæ* (*I Cor.* V). Et hanc ipsam virgæ percussionem non de furore, sed de consilio procedere satis indicans, tradere hujusmodi Satanæ, continuo subjunxit : *In interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi* (*ibid.*). Nam et hoc est de antiquo consilio Sapientiæ, dicentis : *Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte* (*Prov.* XXIII). Illo suæ percussionis exemplo sanctam esse volens disciplinæ severitatem : *Scripsi vobis*, inquit : *Ne commisceamini fornicariis.* Et exponens quid dixerit, et determinans de quibus fornicariis scripserit, continuo dicit : *Non utique fornicariis hujus mundi, sed si is*, inquit, *qui frater appellatur, sit fornicator, aut avarus, aut idolorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). Non igitur leviter accipiendum quod in illo conventu, in illo sancti Spiritus consilio tam suaviter dictum aut scriptum est, quippe cum **677** non soli qui illa faciunt, sed et inter quos facta sunt, virga percutiantur apostolica, si non separentur, si non luctum et ipsi habeant, et severissimæ pœnitentiæ fornicatores subjiciant. Et de fornicatione quidem unus idemque omnibus sensus est, quia inquinat, et munda conscientia nullatenus admitti potest. De his autem quæ idolis immolantur, diversitas sensuum quæstionem moverat eidem Apostolo, ut diceret : *Scimus quia nihil est idolum in mundo* (*I Cor.* VIII). Item : *Scimus quia omnes scientiam habemus.* Sed *scientia inflat, charitas vero ædificat* (*ibid.*). Itemque post multa : *Quid ergo ? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid ? Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant, et non Deo* (*I Cor.* X). Tandemque quæstionem sive litem eamdem certa discretione dirimens : *Si quis*, ait, *vos vocat infidelium et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Si quis autem dixerit : *Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit et propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius* (*ibid.*),

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

subauditur ne in errorem inducatur, quia videlicet quamvis ab idoli devotione tua conscientia sit libera, cavendum tamen est tibi, ne putet alter quod venerationis causa edas idolis immolata. Nam hoc intendens, et ad cautelam hanc instruens, superius dicebat : *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* (*I Cor.* VIII.) Et continuo bonum, et salutare suo cum exemplo satis temperanter consilium porrigens : *Quapropter*, inquit, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (*ibid.*).

CAPUT XIV.

Quomodo quasi per consilium Petrus cæremonias Judaicas servari oportere indicaverit vel simulaverit, et quomodo per veritas consilium illi Paulus in faciem restiterit, nec tamen sibi contrarius fuerit, ubi Timotheum circumcidit, et purificatus Judaico more in templum cum oblationibus intravit.

Interea dum adhuc recens innotuisset istud Spiritus sancti consilium de non curandis mortuis mortuorum cæremoniis Judæorum, nitebantur homines pii, scilicet apostoli suum eidem consilio Dei sociare vel permiscere consilium, in tantum, ut Petrus, qui ante alios vel pro aliis omnibus locutus fuerat ea quæ supra dicta sunt (*Act.* XV), adduceretur in simulationem, non ausus hoc ipsum, quod Spiritui sancto visum fuisse dixerat, actu sequi palam. Sed arguit eum idem Spiritus consilii per os alterius, per fortitudinem humilem, fortemque humilitatem apostoli novitii, apostolorum minimi Pauli, sicut idem ad Galatas scribens, ait : *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam ab Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant, et simulationi ejus consenserunt Judæi cæteri, ita ut Barnabas duceretur ab eis in eamdem simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu cum Judæus sis, gentiliter et non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* (*Gal.* II.) Ita principi apostolorum in faciem restitit novissimus apostolorum, magna libertate Spiritus Domini utens, ad confirmandum illud de quo hactenus loquebamur ejusdem Spiritus consilium. At idem et Timotheum *circumcidit, propter Judæos*, inquit Scriptura, *qui erant in illis locis, sciebant enim omnes quod pater ejus gentilis esset* (*Act.* XVI). Itemque *assumptis viris* quibus impenderat, ut raderent capita sua, *postera die purificatus cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio* (*Act.* XXI). Ergone ipse fecit quod in Petro redarguit, aut quod ipse faceret, in majore redarguere debuit? Non utique ipse neque fecit quod in Petro redarguit, neque enim gentes judaizare coegit, quod solum vel maximum in Petro redarguit. Dixit enim : *Si tu, cum Judæus sis, gentiliter et non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* (*Gal.* II.) Ipse gentes judaizare non coegit, sed in semetipso Judaismum pro necessitate pertulit, *factus Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaceret* (*I Cor.* IX), quippe qui, sicut quodam loco testatur, optabat *anathema esse a Christo pro* eisdem *fratribus* suis (*Rom.* IX). Non, inquam, gentes, judaizare coegit, quod factum in Petro redarguit. Nam et illi qui dixerant ei : *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis*, etc. Continuo subjunxerunt : *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione* (*Act.* XXI). Vera igitur et justa reprehensio, qua Petri simulationem arguerat, et non parum ad confirmationem consilii Dei sic reprehendendo contulerat.

CAPUT XV.

De excidio Hierosolymorum et eversione templi, et dispersione Judæorum, quod cum consilio Dei actu sit.

Sed quantula confirmatio fuit comparatione majoris? Major enim multitudo confirmatio successit. Quænam illa exstitit? Excidium miseræ civitatis, eversio atque incendium templi augustissimi, tantum tamque ruinosum civitatis et templi excidium, ut non remaneret lapis super lapidem qui non destrueretur (*Luc.* XXI), tanta universæ patriæ clades, totiusque gentis cædes, ut caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes. Legat qui vult miserabilem illius excidii tragœdiam a Josepho conscriptam, et scire poterit non alio nisi Deo auctore Judaicæ gloriæ cecidisse superbiam, ob confirmandam atque fulciendam evangelicæ humilitatis gratiam. Nam si civitas illa in gloria pristina perstitisset, si gens illa in templo suo consuetis hostiis insistere permissa fuisset, quanto putas scandalo credentibus in Christo exstitisset? Igitur sicut veraciter dictum est : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis* (*Marc.* XVI), sic et nos parva mutatione de vicina re vel rei ejusdem maxima parte indubitanter dicamus : Vere Spiritui sancto visum est, et verum apostoli Spiritus sancti consilium contulerunt ad consolationem gentium, Domino Jesu, et eodem Spiritu ejus cooperante, et consilium confirmante, sequente ruina civitatis, et templi, atque dispersione Judæorum. Nam ad idem consilium revera et illud pertinet, quod non omnes Judæi fame et gladio Romanorum in illa famosa obsidione atque horrendo excidio interierunt, sed aliqui superstites fuerunt, qui captivi in omnes gentes eadem captivitate, vel dispersione sua præclarum in toto orbe veritate evangelicæ perhiberent testimonium, **678** secundum illum psalmi quinquagesimi octavi versiculum : *Dominus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

obliviscantur populi mei, disperge illos in virtute tua. Illum quippe psalmum orat Christus, in illo psalmo loquitur Christus, verus David, id est manufortis, sive desiderabilis, quem usque ad mortem persecutus est Saul, id est populus ille invidus, secundum ejusdem psalmi titulum. *In finem, ne corrumpas ipsi Dvvid, in tituli inscriptione, quando misit Saul ad custodiendum domum ejus ut interficeret eum.* Et est prædicti versiculi sensus. Consideranti mihi super inimicos meos Judæos ostendit Deus, ut pro eis orem ita : Domine, ne occidas eos, id est ne penitus a terra evellas eos. Quare ? videlicet nequando populi ad confitendum conversi obliviscantur mei, quod pro eis natus et passioni addictus fuerim, et sic eos redemerim. Et hoc idem est, ac si dicat : Idcirco Judæi tua gratia vivere permittantur, ut etiam eorum testimonio fides meorum certior habeatur. Aliter enim psalmi et totum Vetus Testamentum multis quasi figmenta viderentur. *Ne* igitur *occidas eos.* Sed quid ? *Disperge illos,* subauditur ubique terrarum, *in virtute tua,* id est, in potentia tua. Notandum itaque Judæorum dispersionem per divini consilii factam esse dispensationem, idcirco, ut non tantum in uno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dum eum a parentibus suis crucifixum fuisse assererent, et Scripturas, in quibus nobis promissus fuerat, sese habere non denegarent, imo tanquam capsarii nostri Scripturas easdem in usum nostrum circumportarent.

CAPUT XVI.

Quod nobis propter Deum consilio uti, sit facere aliquid ultra quam ille præceperit ; quod quicunque non faciunt, sic recte dicant : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Diximus parumper, in laudem Spiritus consilii, quia Deus propter homines consilio uti dignatus est, superest juxta propositum ut dicamus, qualiter propter Deum consilio utantur vel uti debeant homines perfectionis amatores. Uti autem consilio id esse dicimus, quod non contenti facere quod præceptum est, ultra sese extendunt ad illud quod præcepto majus et amplius est ; quæ nimirum res gratiam majorem remunerationemque copiosiorem habet. Denique sola præcepti exsecutio servorum est, et non magnam meretur gratiam, secundum illam Domini sententiam evangelicam. *Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ? Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII). Quem enim aut qualem intendens servum, dicebat, *numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ?* Nimirum quia servum arantem aut pascentem, cui reverso de agro non dixisset dominus suus statim : Transi, recumbe, sed *para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem, et bibam, et post hæc manducabis et bibes* (*ibid.*). Utique servus ille Judaicus erat populus, qui acceperat spiritum servitutis in timore, arans in agro et pascens, id est, conjugio inserviens, et priusquam comederet ipse aut biberet, parans Domino suo quod cœnaret, id est, decimas dans omnium, primitias offerens sicut præceperat lex. *Numquid* ergo *gratiam habet,* inquit, *servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ? Non puto.* Debitor enim servus erat, præceptum ut servus acceperat, utpote colonus terræ quam Dominus suus acquisierat, quemadmodum dicit : *Terra enim mea est, et vos coloni mei estis* (*Lev.* XXV). Itaque hac similitudine assumpta protinus sic intulit : *Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis,* subauditur, et non amplius, *dicite : servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Cum,* inquit, *feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis,* et nihil amplius, o vos temporis hujus discipuli, et auditores Evangelii, si permanseritis in agro, id est in sæculo, dediti vel astricti conjugio, vendentes atque ementes, possidentes atque utentes hoc mundo, quamlibet præcepta faciatis, non mœchando, non furando, et tale quid non faciendo, jam quidem evasistis pœnam, sed nondum meruistis gratiam. Inutiles enim estis, quia nihil pro amore vel gratia Domini nostri, supra debitum servitutis pensum adjicere vultis. Profecto testificamini quia nisi timeretis torturam et compedes, nec illud faceretis quod præceptum est. Igitur, ut dicere cœperamus, uti consilio propter Deum, amicorum est, eorum qui non contenti facere quod præceptum est, ultra se se extendunt ad aliud quod præcepto majus et amplius est, amantes gratiam Domini, bonis omnibus præoptantes hilarem atque serenam sibi videre faciem Domini sui. Sunt autem præcepta decem, quæ sic verior translatio distinxit : *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis neque coles ea. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces* (*Exod.* XX). Nunc de cujusque tenore præcepti, et desuper adjicienda liberalitate consilii pro posse dicemus.

CAPUT XVII.

De primo præcepto, et super adjiciendo consilio.

Non, inquit, *habebis deos alienos coram me* (*Exod.* XX). Secundum hoc præceptum tota servi justitia est non coluisse Baal, nec servilisse Astaroth, non initiatum fuisse Beelphegor, vel quempiam hujusmodi, quod veræ divinitati adversum sit, non posuisse in templo Dei. Qui autem servilem modum excedere gestit, non solum significatum vocum istarum, id est deorum alienorum, sed et nominis hujus quod est Deus etymologiam attendit, ut videlicet non solum, secundum præceptum, deos alienos coram Deo suo non habeat, sed et nullum alium, præter solum et verum Deum timeat. Deus enim Græce dicitur *Theos,* quod interpretatur *timor,*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Idcirco autem Creator tali nomine nuncupatur, quia timendus est, et hoc ab omni rationali creatura jure exigitur ut timeatur. Igitur ultra præceptum hoc tunc acceptatur consilium, quando servus bonus et amore vel gratia dignus solum proponit sibi Deum esse timendum, nullum alium timore suo dignum arbitratus Deum et Dominum. Quod si etiam supplicio mortis cogatur ut timeat, non flectitur a justitia, constans propter Deum verum ac Dominum, amicitiæ gratia cum qua sic ille suos alloquitur : *Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis : Hunc timete* (*Luc.* XII).

679 CAPUT XVIII.

De secundo præcepto, et superadden.o consilio.

Non facies sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis, neque coles ea (*Exod.* XX). Et per hoc præceptum illud a servo exigitur, ut illius unius vel unici Dei, coram quo non debet deos alienos habere, neque in cœlo, neque in terra, neque in mari, ullam suspicetur similitudinem existere. Hoc, inquam, ab illo exigitur, ut sciat Deum verum, nulla forma circumscriptum esse, quod humaniformii putaverunt, dicentes Deum velut hominem membris suis, secundum humanam formam, circumscriptum esse, aut determinatum, grande sibi in animo suo pingentes idolum, vel juxta visionem Danielis, senem venerabilem vel antiquum dierum (*Dan.* VII). Quorum in corde sive errore quantum putas simulabatur simulacrum, cum audirent dicentem : *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI). A quibus si quæreretur illud quod scriptum est : *Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit* (*Isa.* XL), nimirum quid respondere, aut quid secundum eamdem phantasiam animo præpingere potuerunt? Hoc ergo, ut dictum est, a servo per præceptum exigitur, ut Deum illocalem atque incircumscriptum fateatur, ut nullam creaturam Deo similem esse vel fieri posse suspicetur, ne contra se experiatur dictum quod subjunctum est : *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filiis, in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* XX), etc. Qui enim tale sibi plaxit idolum, magnam Dei fortis, Dei zelotis thesaurizat iram, utpote consequenter male de Dei Filio sentiens, ut verbi gratia Arius, qui Deum Dei Filium Patri consubstantialem dici vel credi non sustinens, dicebat ad creaturæ similitudinem respiciens, et Creatorem increatum creaturæ volens esse consimilem. Consubstantiale est quod ex aliquo est, aut ex participatione, aut decursione, aut ex plantatione. Ex plantatione quidem sicut ex radice germen, ex decursione vero sicut rami, filii ex participatione autem, sicut ex massa aurea duo annuli vel tres. Secundum autem nullum horum, inquit, est Filius Dei. Propterea ergo dicebat in fide consubstantialitatis non esse consentiendum. Ne cum isto servus malam accipiat plagam, oportet ut nullam Creatori similem faciat creaturam. Quod si amicus esse gestit, post hoc præceptum ad consilium quoque totum animum extendit, ut videlicet eo non contentus sit, quod non ita de Deo sentit, sed et quantum potest pro salute aliorum enitens ostendat pulchro dogmate, quia non secundum corporeas consubstantiale dicitur passiones, neque secundum divisionem, neque secundum quamdam decisionem, non enim posse naturam sine materia intelligibilem incorporeamque corporalem quamdam sustinere passionem, sed sacris quibusdam atque ineffabilibus rationibus magis esse intelligendum.

CAPUT XIX.

De tertio præcepto, et superadjiciendo consilio.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (*Exod.* XX). Hoc necessario servus audit, et obaudit, si non vult plagis servilibus male discruciari, aut perimi. Quid est enim assumere in vanum nomen Domini Dei sui, nisi pejerare nomen Domini Dei sui, aut in rebus vilibus, aut ludicris, cœlis et terris reverendum nomen habere ostentui? Non ergo assumere *nomen Domini Dei in vanum*, necessarium atque legitimum est præceptum, quod qui custodierit servus, pœnam evadit, quanta sub hac intentione valet intelligi. *Nec enim habebit Dominus insontem eum qui assumpserit nomen Domini Dei frustra* (*ibid.*). Quod si ingenuitatem desiderat amici, consilium est ut omnino non juret. Dicit enim in Evangelio suo Dominus ille et angelus magni consilii : *Audistis quia dictum est antiquis : Non pejerabis. Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est ; non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* V). Non præceptum hoc esse, sed id quod supra præceptum est, id est consilium ex eo fateri compellimur, quin legem sanctam, justam et bonam Evangelio, vel Evangelium legi contrarium esse non putamus, imo istud vel suspicari ut nefas devitamus. Dixit autem lex : *Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat furto ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet. Si latet dominum domus, applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandum fraudem* (*Exod.* XXII). Item : *Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, aut captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, susceperitque dominus juramentum et ille reddere non cogetur* (*ibid.*). Igitur cum de præcepto et consilio agere

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cœperimus, et hoc modis omnibus cavendum sit ne legi Evangelium contrarium esse suspicemur, tertium nobis idem permissum esse obtulit. Diligenter perpendamus tria hæc, quæ posita sunt, scilicet *non pejerabis, non jurare omnino, applicabitur ad deos et jurabit, sive jusjurandum erit in medio quod non extenderit manum ad rem proximi sui*, et inveniemus non pejerare præceptum, non jurare omnino consilium, jurare aut verum dejerare esse permissum. Itaque qui pejerat, male facit, qui autem non jurat omnino, benefacit, magis eligens commodatum reddere quod futuro fuerit sublatum, quam proferre jusjurandum, propter illud quod dictum est : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v; *Col.* iv.). Qui autem jurat, et verum dejerat, nec bene nec male facit, id est nec quia juravit, pœnam, nec quia dejeravit verum, gratiam acquirit. Et ut breviter trium horum distantias colligamus, qui pejerat, pœnam, qui verum dejerat veniam, qui non jurat omnino, gratiam meretur et gloriam.

CAPUT XX.

De quarto præcepto, et superadjiciendo consilio.

Memento ut diem sabbati sanctifices (*Exod.* xx). Hoc præceptum legitimum est, et in eo legitime servatur, ut quod operatur servus cum bene operatur, non suam, sed Domini sui gloriam quærat, non præsentem ab ore conservorum suorum sibi laudem exquirat, vanamque gloriam suo nomini constituere proponat, sed Scripturam dicentem attendat : *Videant opera* **680** *vestra bona*, non ut vos videamini, sed *ut glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis* (*Matth.* v). Hoc revera meminisse est Sabbati sanctificandi, id est, hoc intendere servum, ut bene operando mereatur introire in requiem Domini sui. Nam illius Sabbati meminisse, cujus meminit hodieque Judæus, jam non pro præcepto habemus, imo contra præceptum, et contra voluntatem Domini esse fatemur, quia videlicet sabbatum illud jam ex illo magno die Sabbati, quo instante crucifixerunt Dominum, pollutum est a servis malignis, sanguine Domini sui, et sicut alio jam loco diximus Isaia testante, ex tunc omne sabbatum, et omne festum illorum profundo odio odit anima Domini (*Isa.* i). Hoc ergo præceptum est : *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, id est, ut bene operando finem totum operis illic constituas, ubi sancta et vera est requies. Consilium autem hoc est, ut nunc etiam sabbatizes, id est ut activam excedens vitam, contemplationi vaces, quæ pars tanto melior est, quantum fideli servo dulcis amicitia præpollet, testante ipso cum dicit : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* x). Marthæ servitium non reprehendit, sed Mariæ partem prætulit, tanquam bono id quod optimum sit. Ad hunc sabbatismum in psalmo quoque perfectiores invitans : *Vacate, inquit, et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* xlv). Quod ex præcepto, et non magis ex consilio diceret, consequeretur neminem diligi a Domino, qui istud non fecisset. Nunc autem scriptum est : *Jesus autem intuitus eum dilexit eum.* Quem? Nimirum adolescentem divitem, cui cum protinus dixisset : *Unum tibi deest, vade, quæcunque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, sequere me. Ille contristatus in verbo abiit mœrens, erat enim habens possessiones multas* (*Marc.* x). Non igitur præceptum est, sed consilium, propter quod et sic apud Matthæum sub conditione dictum et in arbitrio vel voluntate ejus relictum est : *Si vis perfectus esse* (*Matth.* xix). Nam si non velit ad istam perfectionem aspirare, non quidem diligi meretur ut amicus, aut tanquam filius, qui acceptaverit consilium, diligitur tamen in ordine suo tanquam fidelis servus qui actualiter bene utens sæculo, impleverit præceptum.

CAPUT XXI.

De quinto præcepto, et superadjiciendo consilio.

Honora patrem tuum et matrem (*Exod.* xx). Magnum præceptum, et magna observatione dignum, magnaque et pulchra remuneratione compensandum, quam continuo proponens sermo bene audienti, *ut sis*, inquit, *longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (*ibid.*). Super hoc præceptum majus atque excellentius est consilium, non habere patrem aut matrem propter Deum. Et hoc quidem consilium palam prædicat majestas Evangelii, sed nec ipsa omnino tacuit humilitas legis. Ait enim : *Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro vos, et nesciernnt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel* (*Deut.* xxxiii). At vere Pharisæi meram consilii boni veritatem adulterantes, docebant filios de substantia patrum rapinam faciendo patrem et matrem inhonorare, dicentes id esse cuique filiorum legitime dicere patri et matri : *Nescio vos*, invitis illis altare Dei muneribus cumulare, gazophylaciumque replere, quod ipsorum proficeret avaritiæ. Tales hypocritas consilium sanctæ legis cauponantes, id est quasi vinum bonum aqua mista corrumpentes, redarguebat, cum diceret : *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem. Et qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri : Munus quodcunque est ex me tibi proderit*, subauditur verum patrem Deum, et veram matrem suam synagogam sacerdotalem atque Leviticam honoravit, et ita rapinam patris et matris afferendo vobis in domum Domini patrem et matrem suam inhonoravit et honore debito privavit. Proinde continuo subjungit : *Et non honorificavit patrem suum et matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* (*Matth.* xv). Igitur præceptum est patrem et matrem honorare, consilium autem patrem et matrem nescire, non modo contrario quo pater et mater inhonorentur, sed modo rationabili et justo, quo Deus cunctos affectus excel-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lens patri et matri jure præferatur. Neque enim genitores inhonorantur, ubi solus Creator illis præfertur. Qualiter hoc fiat, suo ipse exemplo Deus indicat, parentes homines habere dignatus. Nam loquente illo ad turbas, cum dixisset ei quidam : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi, respondens, dixit : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Extendens manum in discipulos dixit : Ecce mater mea, et fratres mei* (*Matth.* XII), etc. Evangelizabat enim cum hæc diceret, præcepturus ut homo perfectionis amator propter Evangelium patrem et matrem relinquat, et renuntiet omnibus quæ possidet. Equidem hoc facere consilium est, ut jam diximus, sed cum tempus aut res postulat, tanquam præceptum ex debito peragendum est, ut videlicet ignorentur pater aut mater, quando quis et patri et matri obtemperare, et Christianus esse non potest. Nam in tali causa, non tam consilio quam potenti præcepto agens : *Nolite*, inquit, *arbitrari quia venerim pacem mittere interram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* X). Et notandum quod cum cæteras affinitates dixerit, filium adversus patrem, et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum, non dixerit virum adversus uxorem, sive uxorem adversus virum, ne videlicet evangelica puritas occasionem sive auctoritatem adulteriis dare videretur. Unde Apostolus : *His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (*I Cor.* VII). Sed idem continuo dicit : *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Quibus *cæteris?* Nimirum fidelibus permistis cum infidelibus. Quid enim *dico ego, non Dominus? Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum eo*, subauditur non detrahendo nomini Christiano, *non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum ea, non dimittat virum* (*ibid.*). Ergo non tam Domini præceptum, quam apostoli consilium est. *Nam hoc*, inquit, *ego dico, non Dominus.* Amplius autem consilium esse liquet ex eo quod subjungit : *Quod si infidelis discedit, discedat : Non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi* (*ibid.*). Quod utique non dixisset, si præceptum esset Domini manere fidelem cum infideli. Sed ut **681** revertamur ad rem, parentes infideles nescire, præceptum est, fideles autem propter perfectionis amorem nescire, consilium est, scire vero interdum permissum est. Dicit enim lex : *Mulier si quidpiam voverit, et se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit. Quidquid pollicita est, juraeit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit pater, contradixerit, et vota, et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater* (*Num.* XXX). Denique permissio est, irritum ducere votum, propter patris contradictionem. Arbitramur enim melius esse, etiam patre contradicente, tenere propositum, et tendere ad perfectionem, præsertim cum si irritum duxerit quod vovit, propterea quia pater contradixit, non aliud possit sperare præmium, nisi quod obnoxia non tenebitur sponsioni.

CAPUT XXII.

De sexto præcepto, et super adjiciendo consilio.

Non occides (*Exod.* XX). Præceptum subauditione indiget, quatenus judex sive potestas, quæ gladium portat, non prævaricari existimetur, cum illum occiderit qui jure occidendus erat, sive propinquus occisi, cum illum ex permissione legis vindicat. Itaque cum dicitur, *non occides*, subaudiendum est, accipiendo gladium qui tibi datus non est. Dominus enim, inquit, Christus : *Qui acceperint gladium gladio peribunt* (*Matth.* LXII), illo nimirum gladio de quo Psalmista : *De gladio*, inquit, *maligno eripe me* (*Psal.* CXLIII). Porro ultra hoc præceptum perfectionis est consilium : *Non resistere malo. Sed si quis*, ait, *te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram* (*Matth.* V). Item : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Luc.* VI). Nam quod dictum est : *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum* (*Lev.* XIX). Itemque : *Oculum pro oculo, et dentem pro dente* (*Exod.* XXI), neque præceptum, neque consilium est, sed tantummodo permissum. Cæterum vera et vere Christiana innocentia, in tantum abhorret sanguinem, ut non resistere malo, et inimicum quoque diligere tanquam præceptum audiat et prædicet.

CAPUT XXIII.

De septimo præcepto, et super adjiciendo consilio.

Non mœchaberis (*Exod.* XX). Præceptum hoc olim laxius fecerat permissio legis, nunc autem fortius, et arctius stringit severitas Evangelii. Moyses enim mandavit dari libellum repudii (*Deut.* XXIV). Christus autem : *Dico vobis*, ait, *quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur* (*Matth.* XIX ; *Marc.* X). Quærentibus quoque : *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii? Quoniam Moyses*, ait, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic* (*Matth.* XIX). Itaque præceptum est non mœchari, consilium autem supra hoc præceptum conjugio penitus abstinere, sicut pro difficultate vel necessitate conjugii dicentibus discipulis : *Si ita est causa hominis cum uxore sua, non expedit nubere*, respondens dixit : *Non omnes capiunt istud, sed quibus datum est.* Statimque cum dixisset : *Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui*, inquit, *potest capere capiat* (*ibid.*). Hoc sciens Apostolus : *De virginibus autem*, inquit, *præceptum Domini non*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis (*I Cor.* VII).

CAPUT XXIV.

De octavo præcepto, et super adjiciendo consilio.

Non furtum facies (*Exod.* XX). Secundum hoc præceptum Apostolus cum dixisset? *Qui furabatur, jam non furetur*, statim consilium subjunxit, *magis*, inquiens, *laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* IV). Verumtamen consilium hoc parum distat a fortitudine præcepti. Cum enim dicit: *Laboret operando manibus suis quod bonum est*, subaudiri vult, si manducare velit. Nam et alibi dicit: *Qui non vult operari, nec manducet* (*II Thess.* III). Item dicendo, *tribuat necessitatem patienti*, subaudiri vult, si velit et sibi in necessitatibus subveniri: Nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Magnum vere et factu utile, misericordiæ consilium, quod cum propinquioribus impensum fuerit, usque ad exteros, et quod majus est, usque ad inimicos sese extendit, juxta illud Sapientis dictum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi* (*Prov.* XXV). Cum enim ita fecerit, certum est illum misericordiam consequi. Si enim fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, quanto magis qui inimicum cibat, et potum dat illi, et ita in bono malum vincit.

CAPUT XXV.

De nono præcepto, et super adjiciendo consilio.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium (*Exod.* XX). Super hoc præceptum magnum et laude dignum est, pro tempore et re falsum pati, cum possis refellere testimonium, juxta illud Domini nostri exemplum. *Novissime venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud.* Cum hæc dicerent et princeps quoque sacerdotum surgens urgeret: *Nihil*, inquiens, *re pondes ad ista quæ isti adversus te testificantur? Jesus autem*, ait Evangelista, *tacebat* (*Matth.* XXVI). Item *cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus* et Pilatus instaret, dicens: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia, non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer* (*Matth.* XXVII). Quare? Quia *si vobis dixero*, inquit, *non credetis mihi. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis* (*Luc.* XXII). Cui ergo placet exemplum hujus in sufferenda temeritate falsi testimonii, placeat et respectus rationis, ut videlicet si sperare licet, falsitatem vera posse responsione corrigi, respondeat, et respondendo lucretur, ut nonnunquam factum est animas obloquentium, si non omnium, at saltem aliquorum, ex illis qui audirent sanguinem, non scienter, aut ex deliberatione, sed falso testimonio induci. Sic enim Hieremias, cum testificarentur adversus eum sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicentes: *Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris*, non tacuit, sed ait: *Dominus misit me, ut prophetarem* (*Jer.* XXVI). Et subinde: *Verumtamen scitote, et cognoscite quoniam si occideritis me, sanguinem* **682** *innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores ejus. In veritate enim misit me Dominus* (*ibid.*). Econtra Naboth Jezraelites, quia non per errorem vel subitam animorum perturbationem, sed per malitiosam Jezabelis et optimatum sive majorum natu deliberationem, submissis testibus viris diabolicis accusabatur sive judicabatur, tacuisse et nihil respondisse legitur, recte nimirum et sapienter (*III Reg.* XXI). Frustra namque effunderet sermonem, ubi non erat auditus. Qui igitur non solum præceptum servat, ut falsum testimonium non loquatur, sed et consilium approbat, ut falso impugnatus testimonio patientiam amplectatur. Sic exemplo Domini tacendum sibi sciat, ut non tantum in suum sanguinem per errorem forte peccaturos decipi suo silentio permittat.

CAPUT XXVI.

De decimo præcepto, et super adjiciendo consilio, et quomodo difficile sit huic præcepto aliquid superaddi.

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt (*Exod.* XX). Præcepti hujus decimi, quasi quadam ferrea securi, cunctarum prævaricationum radix amputatur, sive exstirpatur: *radix enim omnium malorum cupiditas* (*I Tim.* VI). Et notandum quia septem quasi percussionibus, quo numero plerumque universitas designatur, universa cupiditas percutitur, dum septenaria prohibitione inhibetur. Nam cum sufficere posset ut diceret, *non concupisces*, etiamsi nihil addidisset, maluit septenariam facere prohibitionem. Primo, *non concupisces domum proximi tui*; Secundo, *non desiderabis uxorem ejus*; Tertio, *non servum*; quarto, *non ancillam*; quinto, *non bovem*; sexto, *non asinum*; septimo, *nec omnia quæ illius sunt*. Omnium igitur quæ in mundo sunt dilectio damnata est, *quoniam omne quod est in mundo*, inquit apostolus Joannes, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Hujus præcepti transgressor, jam tunc quisque addicitur, cum in voluntate habet mœchari, aut furari, sive aliquid quidplam talium prævaricationum perpetrare, etiamsi voluntatem ipsam nequeat actu adimplere. Et quid dicemus de super adjiciendo consilio, quando vix aut fere nullus perfectus invenitur in adimplendo præcepto isto? Quis enim gloriabitur castum se habere cor? (*Prov.* XX.) Audenter dico plures esse vel fuisse qui acceptaverunt consilium quam qui perfecte adimpleverunt mandatum. Plures enim, id est aliquos non dubitamus dicere vel dixisse: *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* I), qui autem glorietur castum se habere cor, nullus aut rarissimus est. Hoc itaque tantum dixisse libeat, præceptum esse, non concupiscere, consilium autem, cupere dissolvi et esse cum Christo.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XXVII.

Quam verum Veritas dixerit : « Non veni legem solvere, sed adimplere. »

Verum igitur Veritas dixit, tam veraciter quam graviter Christus locutus est : *Nolite putare quia veni solvere legem aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere* (*Matth.* v). Verum, inquam, et matura gravitate ponderatum verbum locutus est, nimirum conscius sibimet hujus Spiritus sancti, Spiritus consilii, quem daturus erat, per quem, sicut diximus, et multo melius, multo abundantius, quam dicere potuimus, legem implere habebat. Quibus autem et quamobrem sic dixit et sic locutus est ? Dixit nimirum, præsentibus discipulis suis, Christum, sive secundum linguam ipsorum Messiam, venisse, et hunc illum esse credentibus atque gaudentibus, locutus B est adversariis suis, Scribis et Pharisæis de proximo audituris, sibique insidias atque calumniam structuris, tanquam adversario legis. Istis carnale Christi regnum carnali sensu exspectantibus, illis invidiæ spiritu pro eodem rege torquendis et frustra quæsituris quomodo doctrinam ejus quasi juste calumniarentur. Et de illis quidem manifestum est quam vere, quam constanter præclusi sint tali promissione, præsertim quia dicta complevit rerum veritate, quia neminem docuit legem solvere aut prophetas, docendo potius ut quod minus jusserat infirma lex, super adjicerent spontanea sui consilii electione. Porro de discipulis ejus carnale regnum ejus fore opinantibus, quid aliud dicamus, nisi quia putabant eum legem et propheras velle dissolvere ? Cum enim putarent in regno ejus fore licitum occidere, et gentium spolia detrahere aureamque et gemmatam Hierusalem exstruere, quid aliud exspectabant quam sine lege vivere, et sub nomine regni Dei, regnum concupiscentiæ ? Tales quidem invenit, et tales vocavit, sed longe alios fecit, isto dato Spiritu sancto, Spiritu consilii.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER SEXTUS.

DE FORTITUDINE.

683 CAPUT PRIMUM.

De Spiritu fortitudinis, quam pulchre septem spirituum medius sit, et quod cæteri magis in otio, hic autem magis in actu sit.

Quartus idemque medius septem spirituum Dei, et velut in quodam sedens principatu, prædicatur spiritus fortitudinis. Et recte. Nam inter cætera Spiritus sancti opera, opus fortitudinis magnum et mirificum est. Denique et Agnus Dei victoriosus habens cornua septem, et oculos septem, propter cornu istud fortissimo et bestiarum regi similatur leoni, cum dicitur in Apocalypsi de ipso quem videbat Joannes Agnum in medio throni : *Ecce vicit leo de tribu Juda radix David* (*Apoc.* v). Et in antiquissima prophetia, Spiritus idem, ob causam eamdem dicit : *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti* D (*Gen.* XLIX). Pulchre ergo medius spirituum positus est, spiritus fortitudinis, ut pro ipso quoque loco vel ordine, pari jure obtineat præconium cum primo, scilicet cum spiritu sapientiæ, dicente beato Job : *Apud ipsum est sapientia et fortitudo* (*Job* XII). Denique per sapientiam illo in loco recte cæteri omnes, præter spiritum fortitudinis, spiritus intelligantur, quia videlicet, spiritus intellectus, et spiritus consilii, spiritus scientiæ, et pietatis, et spiritus timoris Domini spiritui sapientiæ magis cooperantur, videlicet ut intus et in otio satis et plenius exerceatur, spiritus autem fortitudinis magis est in actu, C et foris operatur sive præliatur, præliando sancta illis otia componit.

CAPUT II

De spiritu fortitudinis primum in Christo, deinde et in apostolis, sanctisque prædicatoribus considerando, deinde Ecclesiæ rectoribus, juxta illud Salomonis : « Tria sunt quæ bene gradiuntur, leo fortissimus bestiarum, gallus, » etc.

Hujus igitur, id est spiritus fortitudinis, magnalia quæ prædicemus, primum in ipso consideremus Christo, deinde in apostolis sive apostolicis viris Christi prædicatoribus, deinde et in sanctis Ecclesiæ Christi rectoribus, secundum illam sapientissimi sententiam Salomonis : *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos, et aries, nec est rex qui resistat ei. Est qui stultus apparuit, postquam levatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori imposuisset manum* (*Prov.* XXX). Denique *leo fortissimus bestiarum* Deus est, fortissimus spirituum, Deus, inquam, et homo Christus, de quo verissime dictum est, *ad nullius pavebit occursum*. Ipse enim dixit, cum ex potestate, et non ex debita necessitate poneret animam suam : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Sed et ante hoc, de eodem sibi occursuro nihil pavescens, dixerat : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi ejiciet foras* (*Joan.* XII). *Gallus* autem, qui dividit, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

canendo annuntiat noctis horas ; gallus, inquam, *succinctus lumbos*, prædicator est, qui, per noctem præsentis sæculi, dormire nos profundo securitatis somno non sinit, lucem instare negotiosam annuntiat, id est diem judicii, suum interea castigans *corpus et in servitutem* rediigens, *ne forte*, inquiens, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Cantus ejus hujusmodi est : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII), et his similia. Porro aries quisque prælatus est, qui non quidem foris prædicat, sed intus rationabilibus ovibus præest, easque ducit ac reducit ad caulas, *et non est*, inquit, *rex qui resistat ei*, nec enim regum gladios timet, ut sui obliviscatur propositi, quin etiam si rex restiterit, eumque gladio percusserit, melius vivit, et oves illas vivido exemplo melius ducit. *Qui autem stultus apparuit in sublime elatus*, Antichristus erit. Qui feliciter quidem, sed non ut cæteri illa bene graditur. Nam faciet quidem et prosperabitur, sed non bono fine prosperabitur, et idcirco non bene gradietur. Quantus in illo leone fortissimo, in illo gallo succincto, et in illo ariete cornuto, claruit iste spiritus fortitudinis? Leo ille et per semetipsum leonem diabolum vicit, et per gallum, et per arietem illum, sive cum gallo et ariete illo, bestiam illam quam vidit Daniel, superavit, bestiam terribilem atque mirabilem et fortem nimis, dentes ferreos habentem magnos, comedentem atque comminuentem, et reliqua pedibus conculcantem (*Dan.* VII). Non enim parum spectaculi habet, quod non adolescente, sed jam usque ad plenum adulto, et roborato Romano imperio, silente, et sub eo toto tremente mundo spiritus iste, spiritus fortitudinis tantummodo, gallum contra leges ejus canentem, et arietem, præter duo geminæ charitatis cornua nihil armorum gerentem immisit, et furorem ejus irrationabiliter, et sine modo debacchantem devicit, et conculcatricem orbis terrarum bestiam pedibus eorum conculcandam substravit. Hæc sunt magnalia spiritus fortitudinis, de quibus aliquid dicturi ipso adjuvante, primum de leone jam dicto dicamus, quid agendo rem tantam gallo et arieti possibilem fecerit.

684 CAPUT III.

De leone, qui et agnus, quomodo juxta Apocalypsim Joannis, diabolum moriendo vicit atque ligavit primus, et post illum gallus accinctus, et aries jam dictus, id est apostoli Christi, et martyres ejus, quorum primus est Stephanus.

* Leo, qui et agnus, prædictæ sessorem atque agitatorem bestiæ diabolum moriendo invasit atque ligavit secundum quod Joannes in Apocalypsi dicit : *Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavim abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et alligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Post hæc oportet eum solvi brevi tempore* (*Apoc.* XX). *Angelum* quippe *descendentem de cœlo*, Dominum Jesum Christum accipimus, qui magni consilii Angelus nuncupatur, quique mortalium visitans regionem, fortior alligare voluit fortem, ut vasa ejus quæ dudum vasa iræ fuerant, vasa misericordiæ perficeret, hoc peragens opere quod ante promiserat prædicatione. *Nemo*, inquit, *potest domum fortis intrare, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem*, id est diabolum (*Marc.* III). Quæ enim erat domus, vel quod fortis hujus atrium, nisi mundus, et maxime Romanum imperium, cujus stipatus satellitio, fretusque obsequio, cubabat in cordibus hominum, defensabatur in delubris gentium ? Porro clavis abyssi divinorum est profunditas judiciorum. *Judicia* enim Dei *abyssus multa* (*Psal.* XXXVII). Hunc ergo, scilicet diabolum fortis ille angelus catenis alligavit, in eo videlicet, quod potestatem ejus a seducendis hominibus, qui ad vitam prædordinati erant, cohibendo refrenavit. Mille autem anni pro annis omnibus hujus sæculi intelligi possunt, ut perfecto numero ipsa subintelligatur temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta, faciunt centum, quæ jam figura quadrata, sed nondum plena est. Ut autem in altitudinem surgat et solida fiat, rursum, centum decies multiplicantur, et mille sunt. Nec aliter illud melius intelligitur quod in psalmo legitur : *Memor fuit in sæculum testamenti sui verbi, quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV), quam id esse in omnes generationes. Et misit, inquit, illum in abyssum. Utique diabolum misit in abyssum, quo nomine significata est multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitatem adversum Ecclesiam Dei multum profunda sunt corda, non quia ibi diabolus ante non erat, sed ideo illuc missus dicitur, quia exclusus a credentibus plus cœpit impios possidere. Plus namque possidetur a diabolo, qui non solum a Deo alienatus est, verum etiam gratis odit servientes Deo. Clausisse quoque et signasse super eum dicitur, quia clausis, imo destructis idolorum templis, compressit responsa fallaciæ ejus, et pleraque, in quibus colebatur, templa in ecclesias convertit, signata et sanctificata cruce atque invocatione nominis sui, quod super nos invocatur. Itaque per hunc principem fortitudinis, capto atque ligato sessore diabolo, continuo super bestiam quam prædiximus, quæ erat equitatus sive subsellium ejus, iruit exercitus prælatorum ejus, apostoli ejus, martyres, qui erant gallus supradictus et aries. De quibus dicturi, a quo rectius quam a protomartyre incipiemus ? Is autem Stephanus dictus est, mirando vere, atque venerando divinitatis præsagio, cujus in arcano consilio fortitudinis hujus signifer, beata fuerat sorte prædestinatus. Stephanus quippe *coronatus* interpretatur. Coronandus autem non solus erat, sed primus ; nam omnes animæ justæ, quæ illum sequuntur, continue sortiuntur vocabulum, quod

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

divino, ut diximus, præsagio, proprium erat illius. Dicamus igitur :

CAPUT IV.

De beato Stephano, qui dictus est « plenus gratia et fortitudine, » qui ultro vans in populo eadem fortitudine dixit actu illud propheticum : « Ecce ego, mitte me. »

Stephanus plenus gratia et fortitudine, faciebat signa et prodigia magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum qui erant in Cilicia et Asia disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur (*Act.* VI). Verum est quod Veritas dixit, quod in agonia sua Christus locutus est, protinus tradendus. Imo cum traderetur inter sceleratos reputandus. *Et cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio* (*Joan.* XVI). Jam credo, o beate beatorum signifer Stephane, cum hæc diceret, voces tuas auscultabat, voces Spiritus fortitudinis et gratiæ, quæ te implere habebat, jam audiebat. Tu enim mundum primus arguisti, per te primum mundum arguit Spiritus veritatis. Audiebat voces, et quos recepturus eras jam numeraverat lapides, tumque meditabatur eadem nocte sanguinem, dum *factus in agonia prolixius* oraret, esset*que sudor* ejus *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). Nunquid tu conscientiæ vel præscientiæ ejus abesse poteras, cum diceret : *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris* (*Matth.* XXIII). Et subinde : *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt* (*ibid.*). Imo, ut altius repetam, quando videnti et audienti propheta dicebat : *Quem mittam, et quis ibit nobis? Et ecce*, inquit, *ego, mitte me*, tu eras in præparatione Domini super solium sedentis, et Spiritus illius quæ in te futura erat fortitudinis et gratiæ suscitavit prophetam, ut diceret : *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* VI). Quis enim hominum, vel per quem hominem Deus te jussit ire, et *mundum de peccato, et de justitia et de judicio* tam fortiter arguere? Legimus quippe dixisse apostolos : *Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis*, et deinde scriptum est, *quia elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto* (*Act.* VI), et non legimus quia miserunt apostoli Stephanum, ut apostolica gratia vel fortitudine testificaretur in populo. Sed quid? *Stephanus*, inquit Scriptura, *plenus gratia et fortitudine, faciebat signa et prodigia magna in populo.* Ergo, beate vir, sedente Domino super solium excelsum et elevatum, id est coronato propter passionem mortis Filio hominis, et elevato ad paternæ dexteræ consessum, dicente illo : *Quem mittam, et quis ibit nobis?* Quasi conquereretur, et diceret : Omnes occidunt et neminem vivere sinunt eorum quos misimus ab origine mundi, tu quodammodo dixisti : *Ecce ego, mitte me.* Ultro enim et injussus non dubitasti Domino Jesu sedenti vel stanti a dextris virtutis Dei testimonium perhibere.

685 CAPUT V.

De illa fortitudine sive sapientia et spiritu qui loquebatur, cui non poterant resistere disputantes cum eo, et quoniam sapienter accusatores vicit, dicentes se audisse verba blasphemiæ in Moysen, et Deum et locum sanctum.

Qua tandem gratia, qua fortitudine Stephanus plenus erat? Nimirum gratia sapientiæ et fortitudine Spiritus, sive Spiritu fortitudinis. Sic enim continuo subjunctum est : *Et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur* (*Act.* VI). Denique quæcunque ab illo dicta vel acta sunt, sapientiæ et fortitudinis sunt. Videamus ordine rerum sive gestorum. *Tunc*, inquit, Scriptura, *submiserunt viros, qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum*, falsos utique testes, ut subjunctum est, qui dicerent : *Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem.* Ille autem cunctis videntibus, faciem habens tanquam faciem angeli, et interrogatus a principe sacerdotum dicente, si hæc ita se habent, sic ait : *Viri fratres, et patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Carran, et dixit ad illum : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi* (*Act.* VII). Sic ingressus magna sapientiæ gratia, falsos primo confutavit testes contra se positos, in eo quod dixerant *audisse se eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen et Deum*, et deinde magno nihilominus fortitudinis impetu contrivit totum illud contra se collectum concilium vanum, concilium malignantium. Quid enim sibi vult quod sic inchoavit : *Deus gloriæ apparuit*, insuetato hactenus quamvis verissimo utens testimonio, cum dicere posset : Deus apparuit patri nostro Abraham? Ergo tam breviter quam sapienter dissolvit accusationem blasphemiæ, Deum gloriæ nominans Deum qui apparuit Abraham. Dixerant enim non solum *in Moysen*, sed et in Deum. Major blasphemiæ pars in Deum redundare videbatur, et idcirco prius illam diluit, Deum gloriæ confitens eum, qui apparuit Abraham, subjungens nota omnipotentissimæ divinitatis et divinæ veritatis beneficia, quia videlicet repromisit dare illi terram in possessionem, in qua nunc vos habitatis, inquit, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium, etc. Alteram compositæ blasphemiæ partem, quæ redundabat in Moysen, continuo veritatis et sui defensor, gloriosa testificatione destruit, dicens : *Eodem tempore natus est Moyses et fuit gratus Deo*, etc., usque ad id quod ait : *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis. Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Syna, et cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis* (*ibid.*). Cuncta hæc, quæ dixit in Moysen, defendunt adversus falsos

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

testes puram conscientiam, unde et ut dignum est de sancto Dei famulo sentientem. Et vide quanta sapientiæ vi maculam sibi injectam in illa viperarum genimina refundit. Cum enim dixisset : *Qui accepit verba vitæ dare nobis*, continuo subjunxit : *Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum*, etc., usque ad illud prophelicum testimonium : *Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel, et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempha, figuras quas fecistis adorare eas, ut transferamini vos trans Babylonem* (*Act.* VII). His dictis, quibus supradicta repulsa est calumnia blasphemiæ tam in Deum quam in Moysen, supererat ut et aliquid pro eo diceret quod falsi testes addiderant, dicendo, *adversus locum sanctum : Audivimus enim*, inquiunt, *eum dicentem quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses* (*Act.* VI). Quod utique si dixisset, verum dixisset, et cum veritate locutus fuisset, quæ prædixerat, dicens : *Non remanebit lapis super lapidem* (*Matth.* XXIV), quam veritatem etiam isto tacente, lapides isti clamare habebant (*Luc.* XIX). Quæ autem blasphemia fuisset tale quidpiam dixisse in illos sanctos lapides? Ait ergo : Tabernaculum testimonii fuit patribus nostris in deserto, etc., usque ad id quod ait, *sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut propheta dicit : Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* (*Act.* VII.) Ac si diceret : Qualis blasphemia est dixisse quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, cum Deus in eo non inhabitet, testante propheta, quia *non in manufactis Excelsus habitat?* Non enim blasphemia recte dici potest, nisi quod contra Excelsum, aut contra id dicitur in quo Excelsus habitat. Sed *Salomon*, dicitis, *domum* istam *illi ædificavit. Nonne manus mea*, inquit per prophetam, *fecit hæc omnia?* Si cœlum et terra transibunt, et hæc omnia quæ manus mea fecit, quanto magis domus ista quam manus Salomonis ædificavit, præsertim cum jamdudum igne Babylonico conflagrata fuerit? Notandum præterea quia, cum dixisset, *tabernaculum testimonii fuit patribus nostris in deserto*, continuo subjunxit : *Sicut disposuit loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat* (*ibid.*). Hoc namque dicto ad illam calumniæ partem respicit, quia, cum dixissent : *Audivimus enim eum dicentem : quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum*, addiderant, *et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses* (*Act.* VI). Et vere mira arte sapientiæ vel gratiæ, qua plenus erat, non solum non negavit se dixisse vel dicere debuisse, *quoniam Jesus Nazarenus* immutaret *traditiones quas tradidit Moyses*, sed etiam rationem pene reddidit, propter quam traditiones illas immutari oporteret, hanc videlicet quia non erant istæ traditiones Dei, traditiones quas Moyses tradidit, sed traditæ fuerant *secundum formam* sive figuram futurarum traditionum Dei, quas Moyses Deo præmonstrante vidit oculo intellectuali, oculo prophetali. Et hoc non sine auctoritate dixit, sed ipsius Moysi, imo Dei, qui ad Moysen dixit : *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte præmonstratum est* (*Exod.* XXV). Ergo aut dixit, aut dicere debuit quod non se dixisse negavit, scilicet quia Jesus Nazarenus immutaret *traditiones quas Moyses tradidit*, id est quod jam cessare haberent exemplaria vel umbræ cœlestium, cœlestibus ipsis per Jesum Nazarenum declaratis.

686 CAPUT VI.

Quanta fortitudine incredulos increpat, dicendo : « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, » et cætera pro quibus tamen invicta charitate moriens, orabat.

Præmisso quod erat sapientiæ cui resistere nemo poterat, vel gratiæ qua plenus erat, defensus a crimine blasphemiæ quod sibi objectum fuerat, et bene usus defensione legitima, audiamus nunc illud quod fortitudinis est, qua nihilominus plenum fuisse illum sacra prædicat auctoritas. *Dura*, inquit, *cervice, et incircumcisis auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita et vos, usque ad id, qui accepistis legem in dispositione angelorum et non custodistis* (*Act.* VII). Veræ fortitudinis hoc, veræ, inquam, non impatientiæ temerariæ vel furoris inconsulti, sed justi zeli, et juste atque rationabiliter zelantis fortitudinis hoc est. Neque enim in hoc eodem dicto proprii cordis motum, sed verum divinæ vocis sequitur testimonium. Primus enim Dominus ipse dicit : *Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te* (*Exod.* XXXIII). Deinde et Moyses ait : *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius* (*Deut* X). *Et in propheta Dominus dicit : Patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura facie, et indomabili corde sunt* (*Ezech.* II). Item : *Omnis quippe domus Israel attrita fronte est et duro corde* (*Ezech.* III). Ergo falsis impetitus testibus ubi se mira sapientia defendit, mira nihilominus fortitudine reos impetit crimen intentans, cui necessaria testimonia non desinit, *dura*, inquiens, *cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri et vos. Semper*, inquam, id est ex quo de Ægypto egredientes cum scriberentur tabulæ digito Dei, spiritu Dei, dixistis ad Aaron : *Fac nobis deos qui præcedant nos, Moysi enim huic qui eduxit nos de terra Ægypti nescimus quid acciderit* (*Act.* VII). Porro vera fortitudo nunquam sine charitate est, et tunc vere in spiritu fortitudinis res agitur, quando fortissimæ charitatis societate ipsa fortitudo vallatur. Cum igitur illi ex increpatione nequiores effecti dissecarentur *cordibus suis, et* striderent *dentibus in eum*, cum *ejicientes extra civitatem* lapidarent eum, *positis ille genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*ibid.*). O vera

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fortis, qui non adversus homines, sed adversus hominum malitiam consurrexit. Vere constans et fortis, quem tot lapides depellere non potuerunt ab arce charitatis, in quo *dilectio fortis ut mors* (*Cant.* VIII), imo, et plus quam mors. Plus enim apud animam morientis eodem momento valuit fortitudo dilectionis quam fortitudo mortis. Nam saltem dixit : *Videat Deus et judicet* (*Exod.* V), vel tale quidpiam quod dicere jure potuisset, sed *positis genibus* dixit, imo *clamavit voce magna : Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Illud fuisset justitiæ debitum, istud erat spontaneum charitatis officium. Fortis ergo utrobique fortis atque dulcis in parte utraque. Illic fortiter redarguendo sæviens, hic fortiter moriendo patiens. Secure igitur laus in fine utraque canitur triumphatori, quia et mortem quam Salvator pro omnibus dignatus est pati, hanc iste primus reddidit Salvatori, et precem quam Salvator pro se crucifigentibus, hanc iste pro se lapidantibus primus obtulit Salvatori. Sequuntur autem illum omnes animæ justæ professionem habentes ejusdem militiæ, coronam ambientes ejusdem victoriæ.

CAPUT VII.

De Petro apostolo qualem invenerit, et qualem illum fecerit iste Spiritus fortitudinis, et quomodo ante passionem Domini ambulavit super aquas, et timens cœpit mergi, post resurrectionem vero ejus tunica succinctus, militens se in mare ad ipsum pervenit, et quid ista portenderint.

Diximus de tirone, quem manifestim Spiritus sanctus, Spiritus fortitudinis armavit. De magistris militiæ, Petro et Paulo, quid dicemus, quos in ipsum caput bestiæ supra memoratæ dixerit armatos idem Spiritus fortitudinis? Nam ut primum de Petro loquamur, scimus qualem hunc Spiritus iste invenerit qualem fecerit. Antequam, glorificato Domino Jesu, datus esset iste Spiritus, hic nec saltem militiæ nomen agnoverat, militaria Christi signa, ne dicam ferre, sed necdum attrectare, aut oculis suis aspicere prævalebat. Testis est illa negatio trina, ubi Petrus mendax et Christus inventus est veritas, dicente, non qualicunque persona, sed ancilla ostiaria : *Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius?* negavit Petrus (*Joan.* XVIII); et tamen gladius aut hasta non apparebat in manu ancillæ illius. Dixerat autem paulo ante, certans cum Domino : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI). Victor itaque in certamine et palmam veritatis obtinens ille qui dixerat : *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges* (*ibid.*), postmodum quasi alludens ad illam confidentiam immaturam, dicit eidem Petro sic : *Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo tu non vis. Hoc autem,* inquit evangelista, *dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum* (*Joan.* XXI). Quando enim Petrus erat *junior*, et semetipsum cingebat? Nimirum quando rudis et laboriosorum certaminum inexpertus, de sua nimium conscientia vel virtute præsumebat, dicens : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* (*Luc.* XXII); et : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI), quando educebat gladium, et percutiens fortiter, amputavit auriculam servi principis sacerdotum (*ibid.*). Tunc Petrus *junior* erat, nondum enim multum in sapientia profecerat; quippe qui nesciens cujus sit solius cingere militem, semetipsum cingebat, dum tam magna tamque fortia de semetipso promittebat. Senuit autem, quando accepto isto Spiritu sancto, Spiritu fortitudinis, sapiens effectus est. Extunc enim manus suas extendit ad eum qui cingere novit, conscius atque expertus propriæ infirmitatis, et alius eum cinxit; sanctus enim iste Spiritus, eum fortem fecit, et duxit quo non volebat duci, scilicet ad passionem mortis, quam naturali horrore refugit sensus carnis, quamlibet spiritus promptus sit. Quando hæc Dominus Petro dicebat utrumque jam in illo significaverat. Dudum enim, cum *naviculæ*, in qua erant discipuli, *in medio mari jactarentur fluctibus, erat enim ventus contrarius*, et ipse *quarta vigilia noctis* veniret *ad eos*, ambulans *super mare*, diceretque illis turbatis et clamantibus præ timore : *Ego sum, nolite timere*, respondens Petrus *dixit : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni*, et cætera usque ad id quod ait illi, *modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV.) Nimirum in illa modica fide qua dubitavit, et idcirco cœpit mergi illa qua Dominum negaturus erat infirmitas præfigurata est. Siquidem ventus ille **687** contrarius, quem Dominus non pavescens, ambulabat super aquas, illum præsignavit occursum principis hujus mundi, de quo Dominus idem certus, quod in se nonhabe ret quidquam, suas tribulationes et seditiones Judaicas superaturus erat. Ambulans ergo Petrus quoque super aquas, vidit ventum validum et timuit, atque idcirco cœpit mergi, quia sic futurum erat, ut de fide sua præsumens, dicendo: Quare non possum te sequi modo, animam meam pono pro te, continuo propter vocem unius mulierculæ timeret et negaret, quod profecto erat mergi in profundum maris (*ibid.*). Sed extendens manum Jesus, apprehendit eum mergi incipientem (*Luc.* XXII), quia respiciens, ut evangelista testatur, in eum, vocavit ad fletum non parum negatione eadem periclitantem. Verum ubi Salvator aquas easdem superavit, et omnem sibimet sedavit tempestatem, resurgendo a mortuis iterum, Petrus in mare se misit, tunica succinctus et nequaquam periclitatus est. Scriptum est enim : *Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus), et misit se in mare. Alii autem discipuli venerunt navigio (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium* (*Joan.* XXI). Subinde sequitur, quod paulo ante præmisimus : *Amen, amen dico tibi,* inquit, *cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas* (*ibid.*), etc. Igitur quæ in mari præfigurata fuerant, eadem veritas ore proprio con-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

firmabat, quod scilicet Petrus, qui de sua virtute præsumens quodammodo semetipsum cinxerat, dicendo : Animam meam pono pro te, et statim negando totus pene submersus est, idem alio cingente, id est Spiritu sancto mentem ejus confirmante, cunctarum tribulationum aquas omnes superaturus esset.

CAPUT VIII.

De Paulo apostolo, quam infirmus, imo quam phreneticus fuerit, et qualem ille fecerit iste Spiritus fortitudinis.

At vero Paulus, non utcunque infirmus, sed male fortium, id est phreneticorum, maximus fuerat, de qualibus psalmo medicus percussus acriter : *Et irruerunt*, inquit, *in me fortes*, subauditur, vere infirmi, et falso fortes, id est de justitiæ suæ sanitate præsumentes, verumque medicum percutientes atque crucifigentes (*Psal.* LVIII). Talium infirmorum atque phreneticorum iste unus fuerat, quando medicum eumdem persequebatur in membris ejus, quem in cœlo sedentem in capite tangere non potuit. *Devastabat* enim *Ecclesiam, per domos intrans et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam* (*Act.* VIII). Sed mutavit fortitudinem, imo crudelitatis insaniam, mutavit in veram veræ fortitudinis sanitatem. Quis dinumeret universa, quæ per eum fecit iste Spiritus fortitudinis opera? Ubi projectus est in terram Saulus et resurrexit Paulus, acceptoque ibi cibo *confortatus est, continuo* ingressus in synagogas *prædicabat Jesum*, cunctisque admirantibus repentinam ejus mutationem, *multo magis convalescebat, et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus* (*Act.* IX). Ex tunc ubique fortiter fecit, ubique vicit : *Et gratias*, inquit, *ago ei qui me confortavit* (*I Tim.* I). Unde recte animadversum est hæc in eum ad beatum Job Domini dicta debere intelligi : *Nunquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? Nunquid habebis fiduciam in multa fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos? Nunquid credes ei quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget?* (*Job* XXXIX.) Nam potest quidem per hunc rhinocerota populus superbiæ singularis intelligi, de quo Dominus per Prophetam : *Libera me*, inquit, *de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI), sed hoc melius patet cum ille ex hoc populo ad medium ducitur, antea Saulus in superbia primus, et postmodum Paulus in humilitate præcipuus. Hic in nare cornu gestabat, cum se placiturum Deo de crudelitate confidebat. Hunc rhinocerota omnis venator extimuit, quia sævitiam ejus omnis prædicator expavit. Sed ad capiendum illum virgo sinum suum expandit, quia videlicet cum pergeret Damascum, incarnata Dei sapientia sese illi manifestavit. Dicitur enim rhinoceros qui et monoceros nominatur, tantæ tamque indomitæ esse fortitudinis ut nulla venantium virtute capiatur aliquatenus, sed A virgo puella ei proponitur, cui sinum aperienti mirum in modum omni ferocitate postposita, caput deponit, sicque decepta fera repente velut enervis reperitur et capitur. *Nunquid* ergo, ait, *volet rhinoceros servire tibi*, subauditur ut mihi, *aut morabitur ad præsepe tuum*, videlicet ut iste a me per Ananiam ad baptismatis religatus est sacramentum? *Nunquid alligabis* eum *ad arandum loro tuo*, id est, ad prædicandum constringes præcepto tuo, ita scilicet ut dicat : *Væ enim mihi est, si non evangelizavero!* (*I Cor.* IX.) *Aut confringet glebas vallium*, id est impedimenta humilium, *post te*, subauditur sicut post me, verbi gratia, dum dicit : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit?* (*Gal.* V.) Qui enim in humilium mente fidelium legis duritiam redarguendo contrivit, B quid aliud quam in valle post me glebas fregit? *Nunquid fiduciam habebis in multa fortitudine ejus*, subauditur ut ego, qui longe ad gentes mitto eum, *ut portet nomen meum coram regibus* aut *gentibus?* (*Act.* IX.) *Et derelinques ei labores tuos*, subauditur ut ego, qui hoc facio, ut dicat : Suppleo *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Col.* V), nimirum septies afflictus quemadmodum ipse dicit : *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli?* (*II Cor.* XI.) *Nunquid credes ei quod reddat sementem tibi*, id est fructiferam prædicationem, et aream tuam congreget, id est Ecclesiæ latitudinem in unam fidem amplificet? Subauditur, non credes. Nam et Ananias : *Domine*, inquit, *audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis* (*Act.* IX), etc. C Non enim credebat quod aream Domini congregaturus esset, qui illam hactenus elationis cornu ventilaverat.

CAPUT IX.

De duobus illis principibus fortissimis, quomodo concorditer Romam illam, pro crudelitate bestiam, pro errore asinam, contra hæreditariam germanorum Romuli et Remi discordiam, adierint, et ad unius fidei concordiam perduxerint.

Magna igitur hæc in isto mutatio dexteræ Excelsi, magnum et mirificum in ambobus, scilicet Petro et Paulo, experimentum hujus Spiritus fortitudinis, quorum alterum falso fortem, alterum vere timidum, ambos autem veraciter sic sanavit infirmos, et sic sua fortitudine armavit, ut irent in illam Romam D mundi dominam, tropice Babyloniam dictam, magnam et terribilem bestiam, comedentem, ut superius jam dictum est, dentibus ferreis, atque comminuentem, et reliqua pedibus **688** conculcantem (*Dan.* VII). Verumtamen pro parte illorum qui crediturі erant, errantes per stultam simplicitatem, vel simplicem stultitiam, dicamus veraciter illam fuisse asinam, et tunc Dominum Jesum duos misisse discipulos, ut eamdem solverent asinam, sive caput asinæ, id est principem gentilitatis, quando istos veritatis prædicatores ad illam misit Romam. Alligata enim erat vinculo diabolicæ servitutis, et dicturi erant, qui servitio ejus abutebantur : *Quid faciis solventes* asinam? (*Marc.* XI.) Dominus autem : *Si quis*, ait, *vobis aliquid dixerit, dicite : Quia Dominus*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

opus habet (*Matth.* xxi). Venerunt duo isti hoc propositum habentes, ut quamvis cum gladiis et diversis pœnis diceret eis, *quid facitis*, non cessarent, non desisterent fortes, fortissimi vinculi solutores, dicentes : *Dominus* hac *opus habet*, *Domino* necessaria *est* (*Marc.* xi). Quid autem pulchrius hac duorum oppositione fratrum spiritualium, contra duos fratres, qui urbem illam fundaverunt? Duo namque fratres, Romulus et Remus, illam fundaverunt malo nimirum auspicio, ut nunquam deesset civilis discordia, ut nova semper in illa recrudescerent bella civilia. Nam ut nobis auctor ait :

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
(Lucan., *Phars.* l. I, vers. 95.)

Romulus quippe Remum interfecit per impatientiam consortii. Unde idem dicit :

. . . . . *omnisque potestas*
Impatiens consortis erit . . . . .
(Lucan., *ibid.* v. 92, 93.)

Pulchro igitur nimirum spectaculo contra germanos discordes missi sunt hi duo Spiritu fratres spirituali germanitate concordes, ut super vetera discordiæ fundamenta, novum concordiæ fundamentum Christum ponerent, novamque magno regi Deo civitatem struerent cum sui profusione sanguinis, quæ pro magna firmitate apostolicæ fidei veraciter dici meruit justitiæ sedes, fidei domus, aula pudoris, cum antea fuisset superbiæ solium, avaritiæ profundum, vorago sanguinis, et puteus homicidiorum.

CAPUT X.

De Nerone diabolicæ crudelitatis satellite, et quod nihil profuit sessori ejus Satanæ, quod istos occidit uno eodemque die, sed tamen (ut aiunt quidam) uno anno intercurrente.

Jam multitudinem gentium isti Christianæ pietatis principes vicerant, ac bene prostratis, victoriæ Christi titulos inscripserant, eum tandem in illam arcem inclytam impetum fecerunt, præsidente Nerone, totius crudelitatis quodam proprio satellite, cujus crudelitatem simulque insuetam impuritatem toto mundo jam sciente, quidam sapiens adhuc admirans, nec solum admirans, sed etiam quia potens fuisset, indignans deflebat, ita dicens :

Novimus quantas dederit ruinas
Urbe flammata patribusque cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore,
Corpus et visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor exstincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat
Quos videt condens radios sub undas
Phœbus, extremo veniens ab ortu,
Quos premunt septem gelidi triones,
Quos Notus sicco violentus æstu
Torret, ardentes recoquens arenas.
. . . . . .
. . . . . .
Heu gravem sortem, quoties iniquus
Additur sævo gladius veneno,
(Boet., *De Consol. phil.*, l. II, metr. 6.)

Item :

Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, et niveis lapillis,
Invisus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero sævientis.
(Boet., *ibid.* l. III, metr. 4.)

Nam luxuriæ quam sævientis fuerit, quanta impuritatis et crudelitatis flagitia sive scelera commiserit, historiæ plurimæ referunt; ad præsentem autem locum hoc tantum dixisse attinet, quia tali persecutore nomini Christiano gloriari licet, quia non quivis vel qualiscunque, sed totius obscenitatis nothus magister, hoc nomen persequendo habitanti in se spiritui immundo contrarium esse testatus est. Itaque tali homuncione Romano orbi principante, vexillum pietatis isti apostolorum principes magnæ urbi intulerunt. Quid faceret aut proficeret draco ille serpens antiquus, qui est diabolus et Satanas, qui tunc in illa urbe cubabat, et super talis imperatoris impuram cervicem incumbebat? Ligaverat enim illum, ut superius jam dictum est, angelus ille qui descenderat de cœlo, habens *clavem abyssi et catenam magnam in manu sua* (*Apoc.* xx). Nihil ergo valuit contra protectorem eorum, Spiritum fortitudinis, sed pro illo sæviens, utpote tote nequitiæ afflatus spiritu Nero, corpora tantum occidit. Sed quid hoc Satanæ profuit? Nunquid morte illorum spiritus iste immortalis exstingui potuit? Non utique, sed magis in plures abundavit gratias. Non sic in Petro Christus iterum crucifixus; aut in Paulo in quo loquebatur, sic est gladio cæsus, ut postea non loqueretur. Imo magis convaluit sermo Dei, cum illorum morte putaretur exstinctus. Sic Samson fortissimus, cum projecisset de manu mandibulam asini, in qua percusserat mille viros, sitivit quidem, sed non defecit. *Aperuit* enim *Dominus molarem dentem in maxilla, et egressæ sunt aquæ ex eo. Quibus haustis refocillavit spiritum, et vires recepit* (*Jud.* xv). Nunquid enim verus Samson Christus Dominus, istos deseruit morientes, aut in ipsa morte projecit, ut desereret mortuos, per quos viventes pugnavit et vicit. Nam fuerant isti, quasi mandibula asini, id est non secundum carnem valde nobiles, aut inclyti, maxime Petrus qui non imperator aut senator, sed piscator fuit. Non utique deseruit aut projecit, verumtamen occidi permisit atque prosterni, sed sic prostratis sepulcra eorum vivas aquas emanaverunt, corpora eorum miraculorum gratiam profuderunt, et hoc fidem Christi, ne deficeret, refecit, atque in plures abundare copias fidelium fecit. Et alter quidem eorum cruci affixus pependit, alter gladio cecidit. Petrus affigendus cruci humiliter fortis, et fortiter humilis dixit : *Quoniam Dominus meus Jesus Christus de cœlo ad terram descendit, recta cruce sublimatus est, gyrate crucem meam, quia non sum dignus ita crucifigi sicut Dominus meus.* At illi ver-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

terunt crucem, et pedes ejus sursum, manus vero fixerunt deorsum. Super hoc quidam fidelis et in fide laudabilis, metrice canens, ita dixit :

Figitur ergo manus subter sola versus in cacumen.
Hoc mente major quod minor figura.
Noverat ex humili, cœlum citius solere adiri.
Dejicit ora spiritum daturus.

(Prud., *Peristep.* hymn. 12.)

Paulus gladio feriendus, et horam illam sustinens, dicit eodem Spiritu confortatus : *Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV). Et subinde : *Dominus mihi astitit et confortavit me, ut per prædicationem adimpleatur, et audiant omnes gentes, quia liberatus sum de ore leonis* (*ibid.*). Creditur ambos uno eodemque uniusque ejusdemque diei anno inclyto cœlos decorasse martyrio, non tamen desunt qui putent eodem quidem die, sed non eodem martyrium complevisse anno. Unde idem qui supra :

Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

Et subinde :

Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni.
689 *Diemque eumdem sol reduxit ortus,*
Evomit in jugulum Pauli Nero fervidum furorem,
Jubet feriri gentium magistrum.

(Prud., *ibid.*)

CAPUT XI.

Quod in cæteris apostolis idem prædicandus sit Spiritus fortitudinis.

Eadem in cæteris quoque apostolis mutatio dextræ Excelsi, idemque prædicandum est opus Spiritus sancti, Spiritus fortitudinis. Omnes quippe ante adventum ejus infirmi erant, et per adventum ejus fortes facti sunt. Ubi enim ministri comprehenderunt Jesum, *relicto eo*, omnes *fugerunt*, sicut prædixerat illis (*Matth.* XXVI). *Modo*, inquit, *creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis* (*Joan.* XVI). Ergo infirmi erant, et isto confortatore opus habebant. Propterea dicebat continuo, ascensurus in cœlum : *Ego mittam promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV). Venit ista virtus, et induit eos, et sic fortes reddidit, ut terrorem nemo incuteret illis. Scriptum est enim : *Et convocantes apostolos cæsis denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Vera ergo erant virtute induti in fortitudine gaudentes, in gaudio fortes, de quo itidem dixerat eis : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). Hanc illis collatam fortitudinem, sive firmitatem, per istum fortitudinis spiritum Propheta longe ante prævidens : *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII). Cœlos dixit eos qui prius terra erant, firmamentum nuncupavit eos qui prius infirmi fuerant. Et recte. Sic enim confirmati, omnem terram prædicatione intonando, et miraculis fulgurando attonitam reddiderunt, nam sicut subjunctum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*ibid.*). Andreas Achaiam, Matthæus Æthiopiam, Thomas et Bartholomæus Indiam, cæterique apostolorum, cæteras partes orbis terrarum præliaturi, cum vexillo crucis invaserunt, et victoris Christi titulos victi diaboli partibus inferentes, suum libenter sanguinem superadiderunt, et ubique terrarum Ecclesiam suo sanguine plantaverunt.

CAPUT XII.

De Joanne apostolo, quod et ipse calicem Domini bibit, licet in pace vitam finivit.

Post Neronem secundam in Christianos persecutionem Domitianus excitavit. Ab isto dilectus Domini Jesu, Joannes in ferventis olei dolium missus est, sed amatoris sui, se protegente gratia illæsus exivit, ut scilicet vitam in pace finiret juxta veritatem dicentis : *Sic eum volo manere, donec veniam* (*Joan.* XXI). Dixerat autem jamdudum huic, et fratri ejus Jacobo idem Dominus Jesus : *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem mecum non est meum dare vobis* (*Marc.* X). Num ergo sententiæ suæ, sapientia oblita est, quando dixit, *sic eum volo manere donec veniam*, et hac voluntate fixa servavit eum, ut præsentem in pace finiret vitam? Nam Jacobus quidem frater ejus, calicem ejus bibere potuit, et primus omnium apostolorum in Judæa bibit, occisus gladio perfidi Herodis (*Act.* XII). Hic autem post omnes apostolos in pace obdormivit, gratias agens, et dicens : *Invitatus ad convivium tuum, venio gratias agens, quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.* Descenderat autem in foveam dicturus orationem hanc, et postea inventa est illa fovea plena, nihil aliud habens in se, nisi manna. Num igitur suæ, ut jam dictum est, sententiæ Dominus oblitus est, qua dixerat : *Calicem meum bibetis?* Non utique, nam et iste calicem Domini bibit, non solum quia in ferventis olei dolium missus, et propter inseparabilem evangelizandi constantiam in Pathmos insulam deputatus est, verum etiam, quia quod maxime prædicandum, quodque maximo præconio dignum est, ubi beatæ Virginis et genitricis animam gladius pertransivit, ibi et anima vulnerata est hujus dilecti. Aliis namque discipulis fuga dilapsis, iste cum illa matre stetit juxta crucem Domini, viditque illum propriis oculis bibere calicem passionis. Quod si complacuit Patri, qui Filio suo calicem illum dedit, si ita visum est Filio, qui calicem illum bibit, ut censeret illum in hoc ipso bibisse calicem suum, quod in illa tali hora proximus astitit, quis est, qui reprehendere possit? Neque enim sic studiosus quisquam est, ut parvi faciat quod dixerat Simeon matri ejus : *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit* (*Luc.* II), pro eo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quod visura erat, quando universitas viscerum ejus, in illo filio suo crucifigeretur. Stabat autem, ut jam dictum est, cum ea juxta crucem iste quoque dilectus (*Joan.* XIX), et siquidem credis, ipse quoque mente vulnerabatur. Quapropter, ut jam credimus, non caret omnino magni hujus honore præconii, quod et ipse biberit calicem Domini.

CAPUT XIII.

De gloriosis martyribus martyriumque bellis atque victoriis, quod nunquam tanto vel tali conflictu pugnaverunt Abel atque Cain, licet et ante Christi adventum semper discordes fuerint.

Post insignes ducum, id est apostolorum triumphos, victoriosa sequuntur bella martyrum, magna ira diaboli, magna fortitudine Spiritus sancti, magna strage corporum, magna glorificatione animarum. Nunquam tantis animis, tantis et talibus armis convenerant in campum pugnaturi hinc Abel, et inde Cain, hinc civitas Dei, inde civitas diaboli; hinc sancta Hierusalem, inde Babylonia meretrix. Et quidem antiquis inimicitiis olim quoque pugnaverant, multosque et memorabiles in alterutrum impetus fecerant, sed alio genere armorum, aliis causis bellorum, alia specie victoriarum. Etenim quando pater beati seminis, pater fidelis Abraham cum trecentis decem et octo vernaculis suis reges quatuor victores insecutus vicit (*Gen.* XIV); quando Moyses dux populi Domini Seon regem Amorræorum, et Og regem Basan occidit, et filios Israel ultus est de Madianitis (*Num.* XXI, XXIII); quando Josue tot gentes, tot Chananæorum reges interfecit; quando tot judices pugnaverunt contra gentes, et toties liberaverunt filios Israel (*Jos.* X, XI, XV); quando David Philistæum percussit (*I Reg.* XVII), et tantis deinde bellis hostes Israel contrivit, nunc quoque civitas Dei contra civitatem diaboli, et generatio fidei, pugnabat quidem contra generationem peccati, sed aliis, ut dictum est, armis, alio genere belli, alia specie triumphi. Hic jam nova bella elegit Dominus, ubi princeps ipse cum ascenderet ad præliandum, **690** admittendum foras fortem armatum principem hujus mundi diabolum, dixit Petro: *Converte gladium tuum in vaginam* (*Matth.* XXVI). Putabat Petrus illo, de quo jam dictum est, vetusto more sibi esse pugnandum, et ob hoc paulo ante dixisse Dominum eumdem: *Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram, et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium* (*Luc.* XXII). Terreno adhuc sensu occupati, cum hoc audissent, dixerunt: *Domine, ecce duo gladii hic.* At illi non talem gladium quærebat, et idcirco statim dixit eis: *Satis est* (*ibid.*). Tanquam diceret: Tali gladio satis hactenus sub lege vel permissu legis pugnatum est, nunc jam istum gladium recondite in vaginam, et alium gladium, scilicet Dei verbum, de quo scriptum est: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV), *qui non habet, emat*, vendita tunica, id est postposita omni facultate terrena, ut liber expeditus magnum non contra homines, sed contra hominum vitia, manu forti gladium evaginare valeat. Qua voce, quali sermone, hæc tam mira tamque magnifica loquemur prælia? Supra nos est hoc bellum, altius est quam ut sermo noster consequi valeat hoc genus bellorum. Audiamus potius quid de hujusmodi prælio Spiritus dicat.

CAPUT XIV.

De martyrum persecutionibus juxta illud de Apocalypsi: « Et draco stetit ante mulierem quæ erat pariatura, ut cum peperisset devoraret filium ejus. »

Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et sub pedibus ejus luna, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur, ut pariat. Et visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem (*Apoc.* XII), etc. *Mulier* nempe ista, sancta Ecclesia est, mulier quondam nuda nuditate illa, quam in primis parentibus per peccatum accidisse sancta Scriptura denotat, nunc autem amicta non amicta qualicunque, sed *amicta sole*, id est Christo sole vero, sole justitiæ. *Omnes enim*, inquit Apostolus, *qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III). *Et luna sub pedibus*, id est mutabilitas bonorum temporalium in contemptu ejus. Non ita hactenus. Pro temporalibus enim bonis, pro terra enim non vivorum, sed morientium, videlicet pro terra Chanaan hactenus Ecclesia gladio materiali pugnaverat. Non ergo prius fuerat luna sub pedibus ejus. Nunc autem perfecta sit, omni mundo abrenuntiare, imo et proprium corpus, vel animam suam odisse jubetur, et ecce nimirum *luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona duodecim stellarum. In capite ejus*, id est in initio ejus, *corona stellarum duodecim*, decus est apostolorum duodecim. Sive Christum intelligas, sive ipsum primordium ejusdem nascentis Ecclesiæ capitis nomine designatum, duodenario caput ejus ornatum est numero apostolorum. *Et in utero habens, et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat.* Clamor ejus utique bellum contra ipsam excitavit quod subjunctum est: Imo clamare illi veraciter pugnare, hostemque provocare fuit. Quid enim erat mulierem in utero habere, et clamare parturientem, et cruciari, ut pareret, nisi habere in corde bonum Dei verbum, de spiritu amoris Dei conceptum, et prædicare per magnum charitatis affectum, et nimium sollicitari pro generatione filiorum spiritualium? Neque enim solus hoc Paulus dicere potuit: *Filioli mei, quos iterum parturio donec in vobis Christus reformetur* (*Gal.* IV). Universi ordinis prædicatorum quoscunque Spiritus sanctus misit, qui ordo vere mater Ecclesia est, universi ordinis eorum intentio talis est, talis affectus, ut spirituales parere filios, et Christum formare valeant in suis auditoribus. Idcirco quia charitate Christi urgente, tacere non potuerunt, quemadmodum mulier in utero habens, dum cruciatur ut pariat, tacere non potest, iratus est diabolus, et contra illam consurrexit in bellum. Sequitur ergo: *Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem*,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum, et misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, devoraret filium ejus (*Apoc.* XII). Diabolus enim sævitia cruentus, malitia insidiosus, contra Ecclesiam potentia regni terreni armatus est. In septem capitibus omnes reges ejus, in decem cornibus omnia regna mundi intelligimus, de quibus quasi cornibus suis superbit elatus. Nam et in Evangelio ad ipsum Dei Filium audet, et dicit, ostendens *illi omnia regna mundi, et gloriam eorum : Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. Tu ergo si adoraveris me, erunt omnia tua* (*Matth.* IV; *Luc.* IV). *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli*, quia videlicet innumeram partem angelorum vel hominum, dolo fallente, quasi cauda dejecit. Cauda ejus est pars cæca, pars immunda, suique velamine contegens immunda ne pateant. *Stetit ante mulierem, ut cum peperisset, devoraret filium ejus.* Insidiabatur matri Ecclesiæ diabolus jam tunc, cum hæc sacramenta cernerentur, Christum, id est fidem Christi quam illa prædicabat, exstinguere contendens in cordibus credentium. At illa *peperit puerulum masculum*, semper enim, licet adversante dracone, peperit Ecclesia Christum. Parit, inquam, masculum, id est fortem, ut videlicet eum, qui feminam vicerat, vincat diabolum. Nam quis alius filius, quis alius masculus regit *gentes in virga ferrea*, id est inflexibili justitia bonos regens, malos tanquam vas figuli confringens? (*Psal.* II). Hunc talem filium beatæ mulieris, draco devorare volens, ut nunquam esset memoria vel fides ejus, ante illam stetit. Sed quid? *Et raptus est*, inquit, *filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus.* Revera multum hoc perversæ voluntati adversatur draconis iracundi, quod masculus hujus mulieris filius, non inter mortuos permansit, aut caro ejus corruptionem vidit (*Psal.* XV), sed cito resurrexit, et in cœlum ascendit, et sedet a dextris Dei. Nisi sic factum fuisset, rufus iste draco, id est homicida diabolus, memoriam ejus, quanta nunc apud nos est, delere potuisset. Idcirco ipse in Psalmo resurgere festinans cum dixisset : *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*, etc., continuo subjunxit : *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Numquid narrabit aliquis misericordiam tuam in sepulcro*, et veritatem tuam *in perditione?* (*Psal.* LXXXVII.) Tanquam diceret : Per resurrectionem meam facies mirabilia mortuis, spiritualiter eos resuscitando per medicos tuos, et ad cognitionem tui deducendo atque justificando, quod non fieret me manente in sepulcro et in perditione, ut inimici exoptant. Hoc est quod sub illis interrogationibus dixit : Ergo quasi quæreretur, quare filium mulieris hujus draco non devoravit, qui ad devorandum stetit, subjuncta causa est, quia *raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum*, id est quia Christus resurrexit a mortuis, et ascendit ad Patrem et sedet a dextris ejus. Postmodum **691** subditur : *Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus* (*Apoc.* XII). Hoc est prælium quod nunc miramur, quod præsenti loco in laudem et gloriam Spiritus sancti, Spiritus fortitudinis, prædicare intendimus.

CAPUT XV.

De præliis martyrum secundum mysticam similitudinem belli Gedeonis, et de eo quod sequitur in Apocalypsi : « Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone. »

O laudabilem reliquorum exercitum, qui de semine mulieris hujus sunt vel fuerunt. Prædicando pugnaverunt, patiendo vicerunt, moriendo triumpharunt. Foris draco prœliabatur, deintus superabatur, foris frangebat vasa fictilia, deintus aurea radiabat victoria. Corporaliter moriendo vinci videbantur, spiritualiter victores coronabantur. Sic futurum quondam præsignabatur, duce Gedeon pugnante mirabiliter adversus agmina Madianitarum. *Divisit* ille *trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampadas in medio lagenarum* (*Jud.* XIX). Itum est ad prælium, confractisque lagenis, lampades emicuerunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam versi sunt (*ibid.*). In tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis designata est fragilitas corporum. Consonuerunt tubis, dum prædicaverunt, confregerunt lagenas, dum corpora sua propter Deum ad supplicia tradiderunt, resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Tota itaque pugna cœlestis, tota victoria spiritualis. Idcirco continuo post fugam mulieris in solitudinem subjungitur : *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone. Et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus eorum inventus est amplius in cœlo* (*Apoc.* XII). Nam quia spiritualiter per administratorios spiritus victoria contra diabolum in cœlo, id est Ecclesia peragitur, Michael, quod interpretatur *quis sicut Deus*, et angeli ejus prœliari dicuntur, quia vero prœlium ipsum sanctorum martyrum est, propter quos administratorii vel auxiliatores sancti angeli mittuntur, continuo subditur : *Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem* (*ibid.*). Istis itaque, scilicet beatis martyribus visibiliter in oculis insipientium morientibus, et illis videlicet beatis angelis invisibiliter propugnantibus, Locus liber factus est in cœlo. Locus, et religio parata est in Ecclesia Deo vivo et vero, ut in pluribus templis sacrificaretur jam Deo vero, quam antea in delubris sacrificabatur diabolo. Ait ergo : *Et projectus est draco ille serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum eo missi sunt* (*ibid.*). Nimirum quod hic in terram projectus dicitur, ad illud pertinet quod rex ipse martyrum continuo passurus, dicebat : *Nunc princeps mundi ejicietur foras* (*Joan.* XVI). Etenim

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ubi ille passus est, potestate quidem principem mundi sive draconem istum continuo foras misit, de omnibus sanctis sive electis quoscunque præscivit et destinavit, ab origine mundi, verumtamen actu tunc eum de illis tantum foras misit, quos in se credentes habebat, sive mortuos sive vivos, in eodem tempore suæ passionis. De illis ita foras missus est, ut ne saltem præliari jam adversus illos valeret, de illis autem qui prædestinati quidem jam erant, sed vocati nondum erant, sperare adhuc audebat, quod vinceret, ne vocantem sequerentur, et hac spe præliabatur iracundus, et vehementer iratus. Unde et continuo dicitur : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (*Apoc.* XII). Magnum quippe væ illis immittet, quos nequissimus hostis iratus possidet, tanquam terram comedens, atque conculcans, et tanquam mare conturbans, et iram quam habet ex eo quod de spiritualibus expulsus est, in eos quos arctius includit, vindicans. Nam terra ista, illa est, de qua olim serpenti dicebatur : *Terram comedes cunctis diebus* (*Gen.* III). In hac terra præliantibus, ut jam dictum est, Michaele et angelis ejus, et martyribus sanctis morientibus, et moriendo vincentibus, sub pedibus eorum conteritur, sicut scriptum est : *Super aspidem et basiliscum ambulabis* (*Psal.* XC), etc.

CAPUT XVI.

De eisdem triumphatoribus innumerabilibus, juxta illud : « Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. »

Quis horum triumphatorum multitudinem dinumerare potest ? Scriptum est enim : *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno* (*Apoc.* VII). Denique victores isti tam fortes, tam inclyti palmas habentes in manibus et amicti stolis albis, et si omnes electi recte intelliguntur per baptismum stolis amicti, et per crucis triumphum palmis adornati, maxime tamen hi sunt de quibus loco supra memorato jam dictum est : *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem* (*Apoc.* XII). Itemque alio loco : *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni* (*Apoc.* VII). Arbitramur enim præter illam stolam primam, quam omnes in baptismo accipimus, quæ universalis et omnium regeneratorum una est, esse et proprias singulorum stolas, juxta hujus quoque Scripturæ locum alium, byssinas : *Byssinum enim*, inquit, *justificationes sanctorum sunt* (*Apoc.* XIX). Hujusmodi stolas præliatores isti de tribulatione magna venientes laverunt in sanguine Agni, quicunque post justificationum byssinum, post pulchrum bonorum operum ornatum, meruerunt sanguinem suum fundere pro testimonio ejusdem Agni Christi Filii Dei. Fuerunt tamen quamplurimi, qui nondum ejusmodi stolis adornati cucurrerunt ad confessionem sancti nominis, et adhuc recenti baptismo nitentes, nullis operum præculti ornatibus, induerunt gloriam martyrii. De talium fide quidam ita cecinit :

Prima petit campum dubia sub sorte duelli.
Pugnatura fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas exerta lacertos.
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fidens valido, membrisque retectis,
Provocat insani frangenda pericula belli.

(PRUD., *Psychom.* v. 21-27.)

Igitur omnes quidem victores sunt, et palmæ in manibus eorum, qui ad regnum Dei perveniunt, quia non nisi hostem ejusdem regni vincendo perveniunt, sed longe cæteris præeminent **692** hi, qui dupliciter vicerunt, et resistendo peccatis, sive suggestionibus serpentis antiqui, quæ omnium electorum communis victoria est, et non diligendo animas suas usque ad mortem, qui specialis beatorum martyrum triumphus est. Etenim superest istis illud, hodieque canticum in cœlo, id est in Ecclesia, voce magna dicentium : *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte* (*Apoc.* XII). Sequitur enim : *Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem* (*ibid.*).

CAPUT XVII.

De eisdem cum Domino et rege suo venturis, et de beato Laurentio, quod eum præterire non patiantur.

Ecce nunc pugnatorum istorum triumphalem celebramus lætitiam, sed nondum videmus ipsam triumphi illorum gloriam. Sed ecce apparebit Dominus quem exspectamus, et quamvis moram faciat, exspectantes non deficimus, quia veniens veniet, et cum eo sanctorum istorum millia, habens in femore suo scriptum : *Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX). Veniet cum pompa triumphi sui, cœlis tremefactis, cunctisque motis cœlorum virtutibus, præeuntibus hujusce belli insignibus, armisque militaribus, discinctis jam post laborem militibus istis quo laboraverunt in toto belli procinctu, et non cum parvo cœli et terræ spectaculo procedentibus. Super omnia triumphi insignia victoriosa Regis eorum apparebit crux. Non valemus cunctorum notare facies vel singulorum pia citare vocabula, multi enim et nobis innumerabiles sunt. Regem ipsum totius fortitudinis principem Dominum Jesum appellamus, ut dum procedit cum illo triumpho suo, nobis spectantibus, parumper subsistere dignetur, et eadem manu qua victoribus istis præmia largitur, nobis veniam non deneget propter hoc ipsum nomen quod dicimus, Dominus Jesus. Unum tamen incognitum sive inaspectum ex istis principibus præterire non patimur, illum nimirum, qui lateri ejus tam proximus immittet, mirandus aspectu, reverendus habitu, igneus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

atque rubicundus, statura procerus, et scintillante facie serenus, utpote de camino ignis assumptus et talis, ut aurum, quod per ignem probatur. Hic talis, ut credimus, nos aspicit, et regis sui præconia diligentes ac diligenter prædicantes intueri non dedignatur. Si nomen ejus quæras, Laurentius est, quod nomen ex ore ipsius regis, et Domini ejus maxime audire delectet, quia videlicet tali regi talem nominare, atque commendare militem dulce ac præcordiale est. Quod si hoc ipsum nomen, ipse, qui in libro suo scripsit suis in nostro auditu interiori labiis expresserit, et in corde nostro sua enuntiatione lingua ejus, id est spiritus ejus impresserit, ut sensibiliter de illo quidpiam vel breviter digne valeamus eloqui, non dubium est quia respondebit, et illa dilectione qua fortis in morte, et fortior morte non potuit ignibus exsuperari, nobis parvulis cum osculo sancto hilariter arridebit.

CAPUT XVIII.

De morte ejus insolita, quomodo quasi tuba maxima per totum mundum sit audita, et quod istud præscius Hyppolito dixerit : « Postmodum cum clamavero, audi et veni. »

Dictum est ante nos :

Antiqua fanorum parens,
Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
Ritus triumphas barbaros.
Reges superbos viceras.
Populosque frenis presseras
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperii jugum.
Non turbulentis viribus,
Cossi, Camilli aut Cæsaris,
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio
Armata pugnavit fides,
Proprii cruoris prodiga,

(Prud., *Peristeph.* hymn. 2, vers. 1-15.)

Et quidem hoc de omnibus dici potuisset sanctæ Romanæ Ecclesiæ martyribus, qui ducibus illis, ritus Roma triumphavit barbaros, sed hic triumphi illius dux præcipuus est; quippe cujus mors insolita sive insuitata, quasi totius belli tuba maxima universo mundo audita est, et jugiter personat. Cujus mortis suæ novitatem omnibus sæculis admirandam, et ipse præsentiens propria satis et gravissima enuntiatione suo tironi Hyppolito dicebat : *Magis in absconditis in homine interiore absconde Christum, et postmodum cum clamavero, audi et veni.* Dixerat enim ille : *Quare et ego non vociferor, quia Christianus sum, et tecum incumbo*, Romanum videlicet bene æmulans, qui ibidem Christianam tantummodo professus militiam, clamansque : *Christianus sum*, continuo cum palma martyrii vitæ æternæ arripuerat donativum. Dixit ergo, *cum clamavero, audi et veni*, magnum utique suæ passionis miraculum parvæ rei, scilicet vocali comparans clamori, quia modus dictionis vocatur tapinosis, id est humilitas magnæ rei, non id agente sententia quod ostendit. Alias autem vere rem magnam non omnino humiliavit, imo magnificavit, dicendo enim, *cum clamavero*, illam mortem suam ingentem fore clamorem significavit, eo nimirum sensu, quo sanguinem protomartyris Abel, de terra ad Deum clamare legimus (*Gen.* IV). Et hunc clamorem *audi*, inquit, *et veni*, videlicet quomodo ad classicum magni ducis, ad sonitum tubæ ingentis, excitus atque excussus miles animosus ad bella procurrit. Igitur post apostolorum principes, qui de priori venerunt Ecclesia Judæorum, de carne patriarcharum et prophetarum, dux iste maximus est Ecclesiæ gentium, Ecclesiæ Romanæ matris Ecclesiarum, et hoc duce, inquit ille : O victrix Roma, *ritus triumphas barbaros*, quod non potuisti *turbulentis viribus Cossi, Camilli, aut Cæsaris*. Nam illi econtra, dum homines vincerent, ut dominam te facerent populorum, barbari ritus ancillam, et multorum fecerunt captivam dæmoniorum.

CAPUT XIX.

Quod martyr iste, alter Abel quadam similitudine sit.

Animadvertimus hic dignum quid et pulchrum, scilicet hunc esse Abel alterum propria quadam similitudine, præter communem distantiam vel oppositionem bonorum et malorum, juxta quam omnes boni, Abel, omnes mali, Cain dici consueverunt. Quid enim Roma pro parte impiorum, qualis eatenus exstiterat, nisi fratricidæ Cain civitas, vel dedicatio sive possessio fuerat? Non hoc dicimus, quod ad hoc mysterium quidquam illud pertineat, quod Romulus conditor Urbis fratrem et cooperatorem suum Remum occidit, et quod sicut ait quidam :

693 *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*
(Lucan., *Phars.* l. I, vers. 95).

Uterque enim Cain, quomodo post illos Sylla et Marius, vel Cæsar, et magnus Pompeius, sed hoc dicimus, quia Cain et civitas ejus erat universa Roma, et omnes qui illam condiderunt, præliis provexerunt, et sanguine gentium impleverunt. Abel autem sunt et fuerunt omnes, quicunque in illa vel ex illa de eodem patre Romulo, vel de eadem matre Roma secundum carnem geniti, de Christo, et sancta ejus Ecclesia secundum spiritum regenerati sunt, quomodo omnes quicunque ab initio usque ad finem sæculi, quacunque in parte mundi, quacunque ex gente secundum carnem geniti, secundum fidem regenerati sunt, vel regenerantur Deo, omnes sunt Abel, et qui ad eos non pertinent, omnes contrario sunt Cain. Præter hanc, ut jam dictum est, communem sive universalem oppositionem utriusque generationis bonorum et malorum, propria quadam similitudine hic beatus martyr apud nos gentes est Abel, et qui illum occidit Decius Cæsar impiissimus, erat Cain.

CAPUT XX.

Quid simile habuerit vel egerit, ut merito dicamus, quod alter Abel iste sit, et de clamore ejus, quid dicendo usque hodie in sancta Ecclesia clamare non desinit.

Primum nemo qui nesciat vel perpendere non valeat

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quia, sicut ille Abel obtulit sacrificium, et respexit Deus ad eum, et ad munera ejus (*Gen.* IV), et illud fuit causa mortis ejus, sic iste magnum et famosum obtulit Deo sacrificium, thesauros Ecclesiæ dando pauperibus, et hoc nihilominus fuit prima causa mortis ejus. *Iratus est* ille *Cain, et concidit vultus ejus* (*Gen.* IV), quando vidit quod respexisset Dominus ad Abel et ad munera ejus, iratus est et iste possessor sive possessio mortis, atque profundæ avaritiæ tyrannus, ubi vidit pauperes, quorum manus facultates quas requirebat, deportaverunt, et intulerunt thesauris cœlestibus. *Iratus est*, inquam, *et concidit vultus ejus*, neque enim aspicere vel intendere poterat altitudinem sive claritatem eorum quæ dicebantur hoc modo : Isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur aut decrescunt, qui in singulis asperguntur, et in omnibus inveniuntur. Nos autem videmus quia Christiani pauperes, vere æterni thesauri sunt, quippe quibus talenta gratiarum distributa sunt. *Alii* enim, inquit Apostolus, *per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu* (*I Cor.* XII), et cætera charismata, quæ nimirum a præposito vel Domino divitiarum cœlestium, Spiritu sancto fidelibus pauperibus, plerumque citius atque uberius porriguntur, ut habeant peregrinantes in misero corpore, unde paupertatem atque abjectionem sive debilitatem suam consolentur. Et hæc nimirum dona de thesauris Domini in singulis aspersa, in omnibus inveniuntur, omnibus enim commune charitas facit, quod singulatim unicuique tribuitur, sicut commune est omnibus membris unius corporis officium, quo unumquodlibet eorum membrum fungitur. Tales thesauri nunquam decrescunt aut minuuntur, non enim perit ulli spirituale donum, quando illud utilitati proximorum impartitur. Iratus est igitur, et ita concidit vultus ejus, sicut de similibus ejus dictum est per Psalmistam : *Oculos suos statuerunt declinare in terram* (*Psal.* XVI). Dictum est enim hoc a similitudine quorumlibet judicum aut tyrannorum, qui quoties volunt crudeliter puniri, nolunt plagas intueri, sed terram intuentur, ne forte sanguinem eorum intuentes, ad misericordiam flectantur. Hoc ergo ut de isto dictum sit quia vultus ejus in terram decidit, cujus propositum fuit, nullos circa hominem innocentem habere oculos humilitatis. Et ille quidem ad fratrem suum, ut occideret eum : *Egrediamur foras*, dixit. Ille autem intus intra palatium, noctu martyrem inclusit. Diversa secessio, sed eadem intentio. Hoc denique tam iste quam ille intendit, ut scelus perpetrare sibi vacaret absque arbitris. Quale enim erat hominem vivum assare, vel hoc fieri posset in publico, in aspectu solis, in conspectu tam magnæ, tamque amplæ civitatis? Quamvis bestia esset Roma, sive mulier de sanguine sanctorum ebria, non tamen præ ipsa bestiali ebrietate, ita faciem vel oculos hominis perdiderat, ut in ea sexus omnis et ætas tale spectaculum æquanimiter ferre valeret crudeli patientia. Noctu igitur et in palatio cum paucis et eisdem mirantibus, latro crudelitatis, vivum illum præcepit assari usque ad plenam coctionem devorandæ carnis, mirabiliter tandiu continente animam intra corpus, isto, de quo loquimur, et cujus ad gloriam hæc nunc dicimus spiritu fortitudinis, ut si aries aut certe piscis esset, manducari posset, et maligni illius coci palato nihil quasi crudum male responsaret. Idcirco dicebat : *Ecce, miser, assasti unam partem, regyra et alteram, et manduca.* Itaque et ille Cain ad illum Abel, *egrediamur foras*, dixit, et iste Cain hunc Abel post multas certaminis diurni plagas, noctu sibi intra palatium adduci jussit, eadem nimirum intentione, ut videlicet securus et nullum ex hominibus vel tacitum metuens judicium, in scelere horribili pasceretur dapibus crudelitatis. Iste est clamor ejus, quem omnes audivimus, de quo dixerat, *et postmodum cum clamavero, audi et vesi.* Is cui hoc dixerat, audivit, et propter hunc ejus clamorem cucurrit ad certamen ejusdem confessionis. Clamor autem idem usque hodie non cessat in sancta Romana Ecclesia, qui et in omnem terram persultat, sumpta enuntiatione sive declamatione hujusmodi de sancta et prophetica Scriptura : *Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas* (*Psal.* XVI). Veraciter namque dicimus quia post illum, de quo Apostolus loquens : *Sed accessistis*, inquit, *ad Testamenti Novi mediatorem Jesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem* (*Hebr.* XII). Nulli beatorum martyrum, quos novimus, tam bene in propria persona congruit declamatio ista, quam huic, qui taliter et nocte temporali sive tempore nocturnali visitatus et probatus, et igne materiali examinatus est.

CAPUT XXI.

De eo quod ait : « Ego me obtuli in sacrificium Deo in odorem suavitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus. »

Nec vero satis ad piam martyris hujus venerationem, solum hunc ejus audire vel pronuntiare clamorem, nisi intimo sensu percipiamus ejusdem pium suavemque odorem. Dicebat enim : *Ego me obtuli sacrificium Deo, in odorem suavitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus.* Quis autem novit quid sit spiritus contribulatus? Quis hoc novit? Quis sapiens, et hoc intelligit? Vere nemo, nisi qui accipit : Absconditus thesaurus est contribulatio spiritus, nec facile a quovis invenitur. Absconditus est omnino sapientibus et magnis, vix 695 tandem revelatur parvulis. Qui tandem illum invenit, merito gratulatur et dicit : *Tribulationem et dolorem inveni* (*Psal.* CXIV). Etenim non parva aut exigua inventio est. Nam certum et aptum facit locum invocandi nomen Domini. Unde, cum dixisset : *Tribulationem et dolorem inveni*, statim subjunxit, *et nomen Domini invocavi*, ut subaudias, quia tunc opportune debuit invocari eodem spiritu alibi testifi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

cante, quia *juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* xxxiii). Inventio ergo tribulationis et doloris invocandi nomen Domini opportunitatem sic facit, et tempore idoneum tanquam bonum et non contemptibile sacrificium, idcirco cum dixisset: *Ego me obtuli sacrificium Deo, in odorem suavitatis*, statim subjunxit, *quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus*, quod idem est, ac si diceret, quia *tribulationem et dolorem inveni*. Qui igitur clamorem A audivimus, eumdemque mirantes efferimus, si odorem quoque sentimus sacrificii quod incensum est, id est contribulati spiritus, tunc demum victorem fortissimum digne collaudamus, consulem cœli, hæredem paradisi, decus Romani imperii, digneque appendimus aurum Dei, gemmam Filii Dei, opificium Spiritus sancti, in quo tu rectissime gloriferis, quem prædicamus, o Spiritus fortitudinis.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER SEPTIMUS.

DE SCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De sancto scientiæ Spiritu, quomodo vel propter quid maxime in Evangelio Christi fuerit necessarius.

Post illa, de quibus præcedenti volumine diximus, prælia martyrum successerunt, in Ecclesia Christi, sanctorum et verorum studia philosophorum, id est doctorum habentium, qui post Spiritum fortitudinis per descensum scribitur sanctum scientiæ Spiritum. Hoc nimirum evangelicæ fidei idcirco fuit necessarium, quia diabolus qui adversus illam eatenus aperte pugnaverat, non solum leo, sed et draco est: leo quia aperte sævit, draco quia occulte decipit. Quandiu regions aperta persecutione sæviebat per Neronem, aliosque similes illi satellites suos compellens ad negandum nomen Christianum, tandiu quod leonis est agebat, et tandiu a simplicibus quoque multam C scientiam non habentibus cognosci, quod diabolus esset, et devitari sive expugnari non quasi in incertum poterat, ad dimicandum contra illum pene solo spiritu fortitudinis opus erat. At ubi inclinatis jam ad fidem Christi principibus sæculi, in quibus velut armis suis confidebat, de templis vel delubris idolorum foras projectus ille fortis, totus ad dolos conversus est sub nomine Christiano, per phantasmata hæresum decipiendo Christianos, tunc utique maxime cœpit agere quod draconis est et talis non nisi a prudentibus et scientiam habentibus, facile agnosci vel convinci potuit, quod itidem diabolus esset sibilans ut draco, qui fuerat prius rugiens ut leo. Hoc igitur evangelicæ expedierat fidei, ut post Spiritum fortitudinis, ordine suo Spiritus scientiæ subveniret in periculis.

CAPUT II.

Quarnam scientiæ et sapientiæ sit distantia, quia alius scientiæ, alius sapientiæ Spiritus numeraretur.

Hic jam clare distinguendum est quid scientia, et quid sit sapientia, quidve ab invicem differant, quoniam nonnihil interesse constat, tam ex isto B spirituum numero, ubi alius sapientiæ, alius prædicatur Spiritus scientiæ, quam ex aliis quoque locis Scripturæ verbi gratia cum dicitur: *Divitiæ salutis sapientia et scientia* (*Isa.* xxxiii), et cum de Christo Apostolus dicit: Quia in ipso *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondidi* (*Col.* ii). Dicimus ergo quia scientiaomnium bonarum et licitarum artium est notitia, sapientia vero unius tantum rei, id est Dei, si tamen res dici potest, non sine timore sancto dilectio sive reverentia. Ait quoque ethnicorum quidam sapientiam primam esse carere stultitia. Dicimus deinde rerum quantumcunque notitiam habentes Deum autem in notitia habere, non probantes abusive dici sapientes, quia revera stulti sunt. Sic enim de illis, qui, circa creaturam philosophando, Creatorem cognoverunt, sed non glorificaverunt, Apostolus dicit: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* i). Quapropter homo, si est sapiens, et sciens, sed non convertitur, ut dicas: Si est sciens, est et sapiens, quemadmodum si est rationale, est et animal, sed non convertitur ut dicas: Si est animal, est et rationale. Nam revera, quemadmodum ab animali remoto rationali, quidquid reliquitur brutum est, sic a scientia, remota sapientia quæ est Dei notitia, quidquid relinquitur stultum est. Nam, ut manifestius fiat, utamur nunc divisionibus, et intra latissimum vocis hujus, id est scientiæ significatum, castam sapientiam contineri demonstremus.

695 CAPUT III.

D *Quomodo scientiæ generale nomen subdividatur usque ad philosophiam, et quod sit altera inanis, altera vera et sana philosophia.*

Scientia alia litteralis, alia illitteralis est. Nam litteralis quæ litteris addiscitur, ut sunt omnes artes quæ libris continentur. Illitteralis vero quæ litteris non addiscitur, ut est sculptoria, sive fabrilis, et talium quidlibet, quod recte quidem scientia dicitur,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

sed non legendo percipitur. Rursus litteralis scientia, alia liberalis, alia illiberalis. Litteralis et illiberalis est medicinæ ars, quam philosophi non profitentur, quamvis et medici arti suæ liberalitatem plurimum attribuant, dicentes, quod idcirco inter septem artes liberales non numeretur, quia de omnibus vel per omnes ipsa constat, ita scilicet ut medicus nemo veraciter dici vel esse possit, nisi omnium artium liberalium peritus sit. Porro litteralis et liberalis sententia philosophia dicitur, cujus in logica quidem tres, scilicet, grammatica, dialectica, rhetorica. In physica vero quatuor numerantur partes : arithmetica, geometria, musica, astronomia. Hucusque sæculares magistri artium scientiam per subdivisiones deduxerunt. Porro ecclesiastici adhuc, quod optimum optimeque sciendum est, philosophiam subdiviserunt, aliam dicentes philosophiam inanem, id est non secundum Deum, aliam sanam et veram, id est secundum Deum. Nam Apostolus ad Colossenses dicit : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (*Col.* II). Quod dixerat, *per philosophiam*, hoc repetivit, dicendo, *inanem fallaciam*, ipsamque philosophiam, vel inanem fallaciam aperuit, cur sic dixisset, subjungendo, *secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum*. Est ergo alia philosophia huic opposita, quæ est non secundum traditionem hominum, sed *secundum Christum*, non inanis aut fallax, sed gravis et vera. Quomodo autem agatur vel exerceatur philosophia *secundum Christum*, apostolicæ et evangelicæ, imo et propheticæ litteræ docent, in quibus, quidquid utile est septem artium liberalium invenit, quisquis scientiam veraciter possidet ad famulatum veritatis quæ Christus est, gravissime ac decentissime distributum. Erit igitur philosophia, id est litteralis et liberalis scientia, aliter quidem secundum elementa mundi vel traditionem hominum, et aliter secundum Christum. Juxta modum illum inanis sive fallax philosophia recte dicitur, juxta modum istum puro nomine, scientia, vel philosophia sive cum adjectione philosophia sana, vel scientia Dei nominatur.

CAPUT IV.

De temperato nomine philosophiæ, cur sit positum sive complacitum, et de vanis philosophis, qui dicentes « se esse sapientes, stulti facti sunt, » et de eo quod dictum est : « Perdam sapientiam sapientium. »

Interpretatur autem philosophia *sapientiæ amor*. Hoc nimirum nomine prudentiores scientiam artium liberalium rectius nominaverunt, nam aliqui sapientiam illam, et semetipsos sapientes nuncupare voluerunt. Visum est diligentioribus hoc esse nimirum, videlicet quia multi talium artium, scientiam habentium, nihilominus ita vixerunt, ut etiam apud homines, veram et cœlestem sapientiam nescientes, sapientium vocabulo indigni merito judicarentur. Idcirco noluerunt dicere sapientiam, quia non omnes ad quos pervenit hæc scientia sapientes, id est stultitia carentes efficit, simul quia vicinum arrogantiæ videbatur, semetipsos nominare sapientes, quod vitium a sapientibus alienum est. Sed rursum, si scientiam dicerent, nihil hoc nomine studium suum, studio liberalium artium magis honorarent, quam cæterarum artium facultates, quæ liberales non sunt, et tamen, ut supra jam dictum est, sub nomine scientiæ, tanquam sub genere habendæ sunt. Temperato igitur vocabulo, bene talium scientiam philosophiam, id est sapientiæ amorem, et semetipsos philosophos, id est sapientiæ amatores dicere maluerunt. Attamen et hoc facientes, honestius quidem, sed nihilominus sapientes se esse dicebant, quia sapientes se haberi volebant, atque ita dicentes, ait Apostolus, *stulti facti sunt* (*Rom.* I). Quare? Videlicet quia per talis philosophiæ vel scientiæ viam, ad veræ sapientiæ diversorium, id est ad glorificandum Deum, ad gratias agendas Deo pervenire non curabant. Nam inde culpans eos idem dicit : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*ibid.*), etc. Non ergo studia condemnat vel scholas grammaticorum, dialecticorum, rhetorum, arithmeticorum, geometricorum, musicorum, astronomorum, sed hæc in eis culpat quod non quæsierunt ex eis sapientiæ fructum, propter quem artes istæ a Deo datæ sunt, id est in notitia habere Deum et glorificare sicut Deum. Sciendum præterea locis plerisque sapientiam pro scientia scribi, vel dici more vulgari, exempli gratia, cum in Actibus apostolorum Stephanus dicit : *Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum* (*Act.* VII). Et ad Corinthios Apostolus loquitur : *Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium*. Et subinde : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Et paulo post : *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (I *Cor.* I). Verum ita loquens, non suo ipsius sensu vel judicio sapientiam vel sapientes dicit, quippe qui ad Romanos ait : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, sed superciliosam æstimationem illorum, quasi sibi sapientes videbantur, acerbius percutit.

CAPUT V.

Quod omnia de quibus recte prædicatur, Dei dona sint, et idcirco Spiritus sanctus.

Sic ergo scientia sapientiaque differunt ut majus et minus, quia plura scientiæ quam sapientiæ nomine significamus, et nomen scientiæ quam sapientiæ generalius est. Quod autem omnia quæ sub isto genere, id est scientia dividendo distinximus dona Dei sint, et idcirco Spiritus sanctus recte Spiritus scientiæ prædicetur, exemplis comprobare ex

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

abundanti est. Verumtamen singula singulorum breviter exempla ponamus. Illitteralem et illiberalem scientiam donum Dei esse docemur, cum in Exodo legimus : *Ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Huri, filii Hur, de tribu Juda,* **696** *implevitque eum Spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientiæ omni doctrina ad excogitandum et faciendum opus in auro et argento et ære, sculpendisque lapidibus, et opere carpentario* (*Exod.* xxxi). Quidquid fabre adinveniri potest, dedit in corde ejus. *Oliab quoque filium Achisamech, de tribu Dan* (*ibid.*). Ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii polymitarii ac plumarii, de hyacintho ac purpura, cocco que bis tincto et bysso. Utrumque hic positum est, sapientia scilicet et scientia, nec non etiam intelligentia, videlicet quia impletus Spiritu Dei Beseleel, eorum operum quæ per artis scientiam foris faciebat, rationes divinas intus sentiebat. Item litteralem et illiberalem scientiam qualis est medicinæ ars, donum Dei docet illa sapientis sententia : *Honora medicum* (*Eccli.* xxxviii), non est enim medicina, nisi a Deo. Litteralem et liberalem, quæ est philosophia donum Dei esse vel ex eo constat, quia in Daniele scriptum est : *Pueris autem his*, videlicet Ananiæ, Misaeli, Azariæ, *dedit Deus scientiam, et disciplinam in omni libro et sapientias, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum, et steterunt in conspectu regis et omne verbum sapientiæ et intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos, qui erant in universo regno ejus* (*Dan.* i).

CAPUT VI.

Quod illud Apostoli dictum : « Scientia inflat, charitas vero ædificat, » male intelligentibus nomen scientiæ suspectum facit.

Magna et pulchra hæc sancti Spiritus gratia, simplicioribus hodieque suspecta est, maxime pro eo quod Apostolus ad Corinthios loquens, dicit de ea : *De his autem quæ idolis immolantur scimus, quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* viii). Pene hoc solum audierunt, et hoc solum meminerunt, quod dixit, *scientia inflat*, non quærentes, aut quærere scientes, aut quid dixerit, vel cur addiderit, *charitas vero ædificat*. Tanquam opposita sint hæc et simul stare non possint, scientia et charitas, a tanquam opponendo dixerit, *scientia inflat, charitas vero ædificat*, sic negligenda, imo contemnenda illis videtur scientia, et tunc demum veraciter se arbitrantur dicere : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis* (*Psal.* cxxx), cum a scientiæ studiis toto sese animo averterint. Nam *scientia inflat*, inquiunt, ait Apostolus Christus. At ille non sic dixit, non sic dictum suum intelligi voluit, neque scientiæ charitatem opponere, sed apponere voluit. Nam *scientia*, subauditur sine charitate, *inflat, charitas vero* subauditur cum scientia, *ædificat*. Denique sic recte componuntur, simulque in sancta Scriptura gradiuntur, charitas et scientia, quomodo sapientia et scientia. Nam charitas ipsa est vera sapientia. Hæc nimirum sine scientia aliquantulum ædificat, cum scientia plurimum ædificat, scientia vero sine charitate inflat. Alioquin ipse qui hæc loquitur semetipsum (quod absit!) inflatum esse prædicat. Dicturus enim *scientia inflat* præmisit, *scimus quoniam omnes scientiam habemus*. Ad hoc ergo tendit, ut scientiam habentes sapientes Corinthii, charitatem quoque habeant, id est infirmos fratres non scandalizent manducando idolothytum argumentando nihil esse immolatum, eo quod nihil sit idolum; nihil enim substantiale ligno aut lapidi sive æramento accessit, ut fieret idolum, sed accidenti ab artificis manu effigie est figuratum. Hæc profecto scientia inflat, dum, charitatem non habens, de eo quod conscientia fratrum cum sit infirma, polluitur, non curat. Itaque suspectam facere, aut contemptibilem non debet viri ecclesiastici conscientiam, id quod ab isto dictum est, *scientia inflat*, sed potius honorabilis, ut vere est, primum ex eo judicetur quod eam Spiritus sanctus inter septem principalia dona sua numerat, deinde ex eo quod apud Danielem, sic illam auctoritas divina commendat : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* xii).

CAPUT VII.

Quod idcirco scientia in Evangelio Christi maxime necessaria fuerit, qui projectus in terram serpens, misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, et de impii Arii dogmate.

Igitur, ut supra diximus, post prælia martyrum celebrata Spiritu fortitudinis, opportune sanctus scientiæ Spiritus in opus suum successit. Ille namque draco serpens antiquus, qui de cœlo præsumptæ divinitatis projectus erat in terram pugnantibus illis, ut jam non coleretur in templis, nec ei sacrificaretur cultibus publicis per ora malignorum, qualis fuit Arius qui blasphemias in Dei Filium sibilare cœpit, ut populum simplicem nihilominus traheret ad se, non valentem, aut scientem vitare venenum mortis in pulchritudine sermonis. Hoc est, quod in Apocalypsi magnifice præmonstratum fuerat signo illo vere magno, vere mirabili : *Et postquam vidit draco quod projectus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum* (*Apoc.* xii). Et subinde : *Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine* (*ibid.*) Quod erat istud flumen pessimum, ex ore draconis emissum, postquam pugnante Michaele et angelis ejus, *projectus est in terram*, nisi doctrina hæreticorum loquacium, et loquacitate fluentium, qui tunc maxime fluere cœperunt, ubi summi imperatores ad fidem Christi conversi cum angelis sanctis et Ecclesia Dei legibus pugnantes et edictis, diabolum propulerant de sedibus pristinis, de templis veteribus et aris? Os nimirum draconis, prædictus Arius exstitit, de quo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

flumen illud putidum tali fluxu erupisse legimus in ecclesiasticis historiis. Alii quidem dicunt Filium eructuationem, alii vero propositionem, alii coingenitum. Quas impietates, nec audire possumus, licet innumeras mortes nobis minentur hæretici. Nos autem quoniam dicimus, et sapimus, et docemus, et docemus, quia Filius non est ingenitus nec ingeniti pars ullo modo, neque ex alio subjecto, sed quoniam voluntate et consilio subsistit ante tempora, et ante sæcula plenus Deus, unigenitus, convertibilis, et antequam generaretur aut crearetur non erat, aut prædestinaretur aut fundaretur, ingenitus enim non erat, persecutionem patimur, quia dixit : *Principium habet Filius, Deus autem sine principio est.* Et quia diximus : *Ex non astantibus est*, sic autem diximus, secundum quod nec pars Dei est, nec ex aliquo subjecto, propterea persecutionem patimur. Hæc hæresis aqua erat putida, et nondum magnum flumen, ubi ab illo suo fonte, ab illo draconis ore profluebat. Verum uti videmus flumen quodlibet, ab ortu suo angusto prius alveo fluere, procedendo autem crescere, multisque accurrentibus aquis sive fluviolis in immensum extumescere, sic paulatim serpendo vires **697** accepit, et in immensum crevit impiissimæ hæresis, concurrentibus multis multorum linguis magniloquis, ubertate eloquentiæ fluentibus, et argumentantibus contra simplicitatem evangelicæ fidei, donec per mundum pene universum exundaret flumen magnum, flumen naufragiosum, ut non esset dubium quin de ore draconis antiqui esset emissum. Sed *adjuvit*, inquit, *terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo* (*ibid.*). Quomodo *adjuvit terra mulierem*, vel quomodo *absorbuit flumen?* Nimirum currentibus epistolis Christiani imperii congregata est ad mulieris illius auxilium, ad catholicæ Ecclesiæ periclitantis adjutorium illa sancta et famosissima synodus Nicæna trecentorum decem et octo episcoporum, et cum eis tanquam ducibus et principibus ad bella Domini, plurimi boni et optimi ex diversis gentibus convenerunt, alii quidem ad intelligendum et dicendum nimis idonei, omnique scientia vel eruditione, quamcunque hunc sanctum scientiæ Spiritum suggerere vel dare decuit disciplinati, simulque vitæ virtute præclari, per quos et mortuos Christus suscitavit, et vivos curavit, et alia miracula innumera operatus est. Ibi profecto *terra mulierem adjuvit*, ibi *flumen* illud *absorbuit;* nam impium Arii dogma, cæterasque hæresium pestes cum illo vel ex illo dogmate pullulantes condemnavit, mirantibus adhuc sæculis, quod eodem episcoporum numero illic pro veritate Spiritus sanctus dimicavit, quo et quondam pater Abraham vernaculos domus suæ armatos super victores reges educens, in fide sua triumphavit. Sed quid deinde? *Et iratus est*, inquit, *draco in mulierem, et adjecit facere prælium cum reliquis qui sunt de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu* (*ibid.*). Non enim quievit draco diabolus, postquam sic absorptum fuit flumen illud hæreticum, et postquam digna perditione interierat Arius, sed vires acerbissime reparavit levitate Constantii, et superbia crudeliter usus Valentis impiissimi. Illorum potestatibus armatus, et *iratus in mulierem adjecit facere prælium cum reliquis de semine ejus*, nec enim minus per istos sæviit quam per Decium aut per Neronem sævierat manifestis et publicis persecutionibus.

CAPUT VIII.

De siti sanctorum, mulierem illam adjuvantium, et de invitatione prophetica : « Omnes sitientes, venite ad aquas. »

Hujusce prælii fatigatione anhelantes, quotquot erant de semine ejus cœperunt æstuare et desiderio bono vivos scientiæ fontes sitire, statimque animadverterunt ad se pertinere, et maxime pro re hujusmodi dictum esse illud a Spiritu sancto per os prophetæ : *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac* (*Isa.* LV). Venerunt ergo sitientes, sitierunt venientes, et sederunt juxta plenissima fluenta Scripturarum, sicut columbæ quæ lacte sunt lotæ, id est simplicem ac benevolum habentes oculum, qui multum valet ad consequendam veritatem Scripturarum, ad intelligendum illum quo loquuntur illæ Dei sensum. Nam econtra hæretici pugnaces, idcirco cum verba raperent, male tenebant Scripturæ sensum, quia malignum habebant invidiæ oculum, suamque et non Dei quærebant gloriam, tumidi, contentiosi, loquaces, elati, diabolicamque adversus Deum et proximum spirantes superbiam in sublimitate sermonis. Idcirco hæreses et schismata fecerunt, inflatum habentes spiritum, nimium falsi et fallentes, qui verba veritatis dialecticæ, imo sophisticæ vanitatis vinculis se ligare posse putaverunt. Nam revera dialecticæ ars veritatem non persequitur, nec verbo Dei nectit vinculum, sed potius veritatem sequitur, et verbum Dei verum fidis argumentationibus comprobat, si quis legitime utatur illa. Processum sanctæ Scripturæ diligenter aspiciat dialecticæ simul et rhetoricæ studiosus pariter et benevolus, et videbit quod eam tanquam dominam, famulæ istæ prosequuntur. Itaque quotquot erant de semine mulieris hujus, et castitatem matris Ecclesiæ quo affectu filios decebat defendere meditabantur, accedentes ad aquas, unde et utiliter sanctam intellexerunt Scripturam, propter hoc ipsum, quod non suam, sed Dei quærebant gloriam, matremque suam tam vita quam morte sua defendere cupiebant. Nam hæc est via vel norma sive conditio discendi, quam in prælibato prophetæ capitulo demonstrans ipse Deus scientiarum Dominus dicit : *Audite, audientes me, et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me, audite et vivet anima vestra* (*Isa.* LV). Dicendo : *Audite, audientes me*, nondum expresserat modum auditionis necessariæ et ideo subjunxit : *Inclinate aurem vestram, et venite ad me*, et continuo quod præmiserat:

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Hoc ipsum repetivit, dicens: *Audite me, et vivet anima vestra.* Denique, *inclinate aurem*, hoc est, humiliate mentem. Nam qui humilitate inclinatur, ipse doceri meretur, juxta illud: *Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius* (*Deut.* XXXIII).

CAPUT IX.

Quomodo tunc fatigatus Jesus sederit super puteum, et sitientibus dederit aquam vivam.

Venerunt itaque sitientes isti ad aquas jamdudum sedente Domino Jesu super puteum, et postulante dari sibi bibere a muliere Samaritana, quia fatigatus erat (*Joan.* IV). Et quis eum fatigaverat? Primo Judæus qui illum crucifixerat, deinde hæreticus, qui nunc illum blasphemaverat. Et quidem de fatigatione crucis vel mortis, jam in semetipso convaluerat, quia resurrexerat, sed fatigatione blasphemiæ adhuc in quibusdam membris suis, in quibusdam fidelibus suis qui tribulabantur laborabat. Fatigatus ergo super puteum inferioris aquæ, super profundum mundanæ scientiæ sedens, bibere volebat, grata vicissitudine vivam daturus aquam scientiæ suæ, ad aquam sitientes invitabat. Gratā quippe vicissitudo hæc erat, ut fideles, qui liberalium facultates habebant artium, bene utendo illis, contra hæreticos eisdem artibus male utentes, veritatem defenderent, quod erat potare Jesum fatigatum et sitientem, atque hoc facientibus daret ipse aquam vivam magis ac magis aperiendo illis sensum ad veritatem scripturarum intelligendam. Factumque est hoc modo amicum, pulchrumque commercium. Ipsi, quam de philosophiæ hauserant puteis postulanti Domino porrexerunt aquam, de qua ipse dicebat: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*, et acceperunt ab eo, ut jam dictum est, aquam vivam, de qua, *qui biberit*, ait idem, *non sitiet unquam* (*ibid.*). Attamen talium quoque *quis prior dedit illi et retribuetur ei?* (*Rom.* XI.) Nullus utique, nam, sicut jam superius dictum **698** est, prophetica et omnis licita scientia donum ipsius est, sed ipse bonis suis muneribus bene utentibus majora dare dona solitus est. Amplius autem et hoc postmodum erit non prætereundum, quia quos ecclesiasticæ fidei defensores habere, quorum lingua contra hæreticos vel ad erudiendam Ecclesiam suam ut dignaretur ipse egit, ipse providit, ut prius artibus liberalibus instruerentur, et in maris periculum ad pugnandum descensuri in navibus prius quasi circa littora levioribus ludis exercerentur. Sic etenim acceperunt, sic aquam vivam biberunt, ut fieret in eis fons, et foris dividerentur fontes eorum, et in plateis aquas suas dividerent, id est ut non solum aliorum scripta legerent et intelligerent, sed et ab aliis utiliter legenda ipsi scriberent.

CAPUT X.

Quod maxime et tunc ingressæ sunt septem artes liberales in ecclesiasticum dominæ suæ triclinium, et quod multum intersit, utrum verba rebus, an res verbis exornentur.

Ingressæ sunt ergo septem artes liberales tanquam famulæ in sacrum et reverendum dominæ suæ sapientiæ triclinium, et quasi de triviis licentiosis ad districtum et severum verbi Dei magisterium dispositæ et assidere jussæ sunt. Vagabantur enim prius per circuitum, lascivæ, garrulæ, et verbosæ puellulæ, nihil operantes, sed curiosæ agentes solummodo, ubi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autem Creatorem negligentes. Missæ sunt ergo in opus ut non jam quod superfluum erat de creatura mundi fabularentur, sed serio fideliterque quod expediebat de Creatore loquerentur, bonumque ad honorem ejus sermonem opere splendido texentes operarentur, id est ut non jam res verbis, sed verba rebus ornarentur. Hoc etenim sermo de creatura rebusque vanis, et interdum mendacibus disputantium, a sermone differt de Creatore vel vita æterna tractantium, quod ibi res inopes et macilentæ conquisitis undecunque verborum fucis adornantur, hic verba quantumcunque sonora et lucida majestate rerum vel sensuum superantur et decorantur. Unde illi scholæ per prophetam tropologice dicitur: *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita. Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit* (*Isa.* XXIII). Hinc autem in Canticis dixit ipse Christus: *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV). Item: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis* (*Cant.* II). Et recte illa meretrix, ista autem dicitur amica sapientis, quia videlicet illa spectatoribus sive auditoribus passim placere, et semetipsam commendare gestit, ista autem non semetipsam, aut creaturam aliquam pulchram, sive appetendam, sed solum Deum pulchrum et omni affectu appetendum demonstrare intendit, et omnino non suam, sed Dei gloriam quærit. Quid autem dicimus artes istas in scholam illam tunc esse intromissas? Potius dici poterat, cum prius nescirentur introisse extunc, intus apparuisse illas. Nam qui scienter scrutati sunt Scripturas, ita invenerunt, ita experti sunt, et satis admirati non solum quod illic essent, verum etiam quod ita dominæ sapientiæ luce et majestate subopertæ laterent, ut non facile conspici posset quod illic essent, pene quomodo lucente sole super terram, luna nova, itemque luna decrepita, stellæ quoque circa eamdem cœli regionem latent, nec vulgo videtur quod ibi sint. Luna quippe et stellæ, sole absente, et per alterum hemisphærium gyrante in altero lucent, in eodem autem hemisphærio cum sole lucere non valent. Nimirum sic pene liberalis scientiæ artes in sancta Scriptura cum sapientia Dei quamvis simul assint, nitere vulgo non possunt, cum in aliis rationibus, per se plurimum lucidæ parere et splendere consueverint. Maxime autem idcirco non parent cum ibi sint, quia videlicet sic illis sancta Scriptura utitur ut tamen non dicat qualiter, eisdem utendum sit. Per singulas artes ire, et pauculis quod dictum est exemplis comprobare non pigeat.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XI.

De prima illarum grammatica et partibus ejus, quod ita illis utatur sancta Scriptura, ut ne fabulam quidem prætereat, et quod prius habuerit ea, quæ se Græci auctores invenisse gloriantur.

Prima liberalium artium grammatica, id est loquendi peritia sic adest primumque adfuit in sancta Scriptura sive sapientia Dei, ut primordia ejusdem artis, id est litteras communes quas librarii sequerentur, quarum disciplina velut quædam grammaticæ artis infantia est, Hebræos cum lege Domini per Moysen accepisse non dubium sit. Divisiones quoque grammaticæ artis, quæ a quibusdam triginta dinumerantur, id est partes orationis octo, vocem articulatam, syllabam, pedes, accentus, posituram, notam, orthographiam, analogiam, etymologiam, glossam, differentiam, barbarismum, solœcismum, vitia, metaplasmum, schemata, tropos, prosam, metra, fabulas, historiam describere ac distinguere præsentis negotii non est, verumtamen hæc in illa contineri vel observari usque adeo verum est, ut fabulam quoque non prætereat. Fabulas autem grammatici a fando nominaverunt, quia non sunt res factæ, sed tantum loquendo fictæ, quæ ideo sunt inductæ, ut ficto mutorum animalium, vel etiam eorum, quæ anima non habent, inter se colloquio, imago quædam vitæ hominum nosceretur. Hac ita ille filius Hierobaal in libro Judicum utitur : *Audite me, viri Sychem, ita ut audiat vos Deus. Ierunt ligna ut ungerent super se regem. Dixeruntque olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire, ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe* (*Jud.* IX), etc. Et in Paralipomenon, cum misisset Amasias rex Juda ad regem Israel, dicens : *Veni, videamus nos mutuo, ille remisit nuntios, dicens : Carduus qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Et ecce bestiæ, quæ erant in silva transierunt, et conculcaverunt carduum* (*II Par.* XXV). Schemata quoque quod nomen Græcum, nos habitum, vel formam, vel figuram recte nominamus, quia per hæc quodammodo vestitur et ornatur oratio, cognoscere licet in sancta Scriptura passim reperiri, ut est illud in Psalmo : *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion* (*Psal.* LXXXVI). Hoc schema prolepsis, id est præoccupatio sive præsumptio dicitur, quando ea quæ sequi debent anteponuntur. Ante enim posuit, *ejus*, dicendo : *Fundamenta ejus*, et postea, cujus, id est Domini, subjungendo, *diligit Dominus*. Sic et cætera schemata sive schematis species in sancta Scriptura sparsim inveniuntur. Et quidem gloriantur Græci talium se figurarum sive troporum fuisse repertores, sed cum sancta Scriptura cæteris Scripturis omnibus non solum auctoritate, **699** quia divina est, vel utilitate, quia ad vitam ducit æternam, sed et antiquitate præemineat, non solum vana, sed et falsa hæc eorum gloriatio est. Nihilominus et metra, quæ ab eo dicuntur, quod certis pedum mensuris, atque spatiis terminentur, eadem sancta Scriptura non ignoravit, Psalterium enim lyrici composuere pedes et sancti Job pene totum volumen hexametris constat versibus, dactylo spondeoque currentibus.

CAPUT XII.

De rhetorica vel partibus rhetoricæ, quod istis omnibus bene utatur sacra Scriptura pro re et tempore.

Rhetoricam, id est bene dicendi scientiam quisquis unquam apertis alicubi vidit oculis ut faciem ejus veraciter internoscere possit, ipse ad eamdem de qua loquimur Scripturam accedens, nisi forte dormitet, aut malevolentiæ nubilo cæcutiat, dicere non fallitur, quia maxime illic est. Primæ partis ejus, id est inventionis hic exempla breviter colligamus. Sunt enim rhetoricæ partes quinque, scilicet inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Inventionem ergo hic suspicientes, primum dicamus istorum, de quibus nunc loquimur, rhetorum verorum qui sanctam conscribendo Scripturam causas Dei cum hominibus perorant, præcellentem verissimamque esse inventionem, quia videlicet, quod invenerunt ut eloquerentur, aut pronuntiarent, non ut rhetores, forensis aut civilis exercitii de corde vel ingenio proprio, sed de Spiritu sancto invenerunt, quemadmodum et Petrus apostolus ait : *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetica Scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* I). Porro hanc scilicet inventionem rhetores in sex partibus consumi sive versari dicunt, quæ sunt exordium, narratio, divisio, confirmatio, confutatio, conclusio. Exordium, inquiunt, est principium orationis per quod animus auditoris vel judicis constituitur, vel apparatur ad audiendum. Narratio est rerum gestarum ac proinde gestarum expositio. Divisio est per quam aperimus quid conveniat quod in controversia est, et per quam exponimus quibus de rebus acturi sumus. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum asseveratione. Confutatio est contrariorum locorum disputatio. Conclusio est artificiosus terminus orationis. Harum partium primam, scilicet exordium, in duo dividunt, in principium et insinuationem. Principium esse aiunt, cum statim apertis rationibus auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum, id est attentum, docilem et benevolum. Insinuationem vero, cum pro qualitate causæ alienatum a nobis sentientes auditoris animum, occulte per dissimulationem omnia illa conficimus, ut ad eamdem commoditatem in dicendi opere venire possimus. Rursus aiunt, quia si honestum genus causæ erit, licebit uti vel non uti principio. Quam autem sanctus sanctæ Scripturæ auctor Spiritus suscipit, vel a se audiri causam cupit inhonestam? Recte igitur ab oratoribus istis reprehendi non debeat, licuerit ei uti vel non uti

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

principiis. Nam neque Moyses principio usus est, sed statum a narratione incœpit, dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. I), neque Josue, neque Judicum, aut Regum libri principiis usi sunt, sed idem a narratione incœperunt. Non autem casu, aut inscitia, nam, ubi visum est expedire, nemo melius Moyse novit aut valuit principio uti, non solum quo possit homines aliquos, sed et ipsos cœlos attentos, ipsamque terram facere attentam, avidamque ad audiendum, cum dicit : *Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei* (*Deut.* XXXII). Sed et patriarcha Jacob itidem facere opportune novit, ubi dicit : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite, Israel, Patrem vestrum. Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sint vobis diebus novissimis* (*Gen.* XLIX). Plane hoc principium est attentos, dociles, benevolos ad audiendum filios facere gestientis. Alias autem et in lege et in prophetis, per singula pene capitula, idem et ad hoc ipsum valens est principium, quod dicitur : *Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Hæc dicit Dominus exercituum* (*Exod.* XXXII). Porro insinuatione, quæ altera exordii species est, qua tunc utendum esse dicunt, quando auditoris animus alienatus, sive offensus est, sive audiendo defessus est. Mulier Thecuites apud regem David, cujus animum a filio suo Absalon dira causæ qualitas alienaverat, utitur hoc modo : *Heu! mulier vidua ego sum. Mortuus est vir meus, et ancillæ tuæ erant duo filii. Qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset. Et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversus ancillam tuam, dicit : Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus illum pro anima fratris sui quem interfecit et deleamus hæreditatem ejus* (*II Reg.* XIV), etc. Sed quid hinc vel inde exempla quæramus, cum ipsa ore proprio incarnata Sapientia hac uti dignata sit? Ait enim : *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. Duo debitores erant cuidam feneratori. Unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit* (*Luc.* VII), etc. Et multa secundum eumdem modum atque pro velle dicentis præmisso vel non præmisso principio. Narratio omnis in sancta Scriptura, quam est brevis, et quam dilucida? Arbitramur, et certe non fallimur, quia scriptorum omnium sæcularium, quantumvis accurata narratio comparatione ejus fluxa, lacinlosa, atque misere obscura est. Sic brevis, sic est lucida ut miro et pene ineffabili modo auditorem semper oblectet, semper novum teneat. Quodque non minus mirandum, sic facilis est ut quivis imitari se posse confidat, sic gravis ut nullus modum ejus assequi prævaleat, ut proinde illud Flacci rectissime dicas :

Ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem.

(HORAT., *Art. Poet.* v. 240-242.)

Et alibi :

Ante caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint;
Scriptorus.

(HORAT., *Sat.* I, 10, vers. 70-73.)

Divisione quomodo utatur sanctus Scripturæ conditor Spiritus, cum multa dare exempla magnifica valeamus, unum tantum, et hoc ipsum de prælibato Evangelii loco ponimus. Dixerat intra se ille Simon : *Hic, si esset propheta, sciret utique quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est* (*Luc.* VII). Hoc nimirum inter Simonem Dominumque conveniebat, quia peccatrix erat. Nam Dominus libens tangebatur. Simon tactum illum reprehendebat tacitus. Divisione ergo usus est, quia omisso quod peccatrix erat, suscepit ad defendendum quod tangebat. *Vides*, inquit, *hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit* (*ibid.*), etc. Fit autem defensio per confirmationem et confutationem. Per confirmationem videlicet suæ, per confutationem partis adversariæ. Harum exempla, ne longius abeamus, eodem ex loco sumamus. Propositionibus quippe **700** ter binis altrinsecus per oppositionem continuo commissis, hinc pœnitentis veram justitiam, quæ ex fide et dilectione est, confirmat, inde falsam reprehendens justitiam confutat. *Aquam*, inquit, *pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos* (*ibid.*) Quarta demum oppositio, quanta mansuetudine, vel temperantia reprehendentis invidiam angere declinat? Ait enim : *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit* (*ibid.*). Denique idem est ac si diceret : Tu autem, qui ut tibi videris, minus habes, quod dimittatur, minus diligis. Et est sensus : Huic multum diligenti, multa remissione peccata remittuntur, tibi autem minus diligenti peccata tua minus remittuntur. Conclusione tandem, quæ est artificiosus orationis terminus, non tam artificiose quam sapienter et juste utitur, cum dicit : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace* (*ibid.*). In confirmatione et confutatione pro magno habent illi, argumentationibus uti, et difficillimum æstimant expolire et expedite pronuntiare, quod inveneruut. Hæc, inquiunt, res facit ut neque diutius quam satis est in eisdem locis commoremur, nec eodem identidem revolvamur, neque inchoatam argumentationem relinquamus, neque incommode ad aliam deinceps transeamus. Absolutissimam atque perfectissimam argumentationem esse dicunt, quæ in quinque partes distributa est, propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Istud quoque in Scriptura sua neque ignoravit, neque aspernatus est Spiritus Dei; quod si diligenter at-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tendis, non paucis elucet exemplis. Si quidem manifestiora quam plura sunt, sed nos, ubi forte minus paret hæc facultas, inde nunc breviter aliqua dare exempla cupimus. Propositio est ille psalmi octavi versiculus : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* (*Psal.* VIII). In illo Propheta summatim ostendit quid sit quod probare intendit. Ratio est, quam sub duobus versiculis hoc modo adnectit. *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium et lactentium perfeciti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem* (*ibid.*). Istis etenim verum esse demonstrat id quod intendit, scilicet ex eo admirabile esse nomen Domini, quia Christus magnifice elevatus est, et in cœlum ascendit. Et deinde ex ore apostolorum qui erant quasi infantes, id est *homines idiotæ et sine litteris* (*Act.* IV), perfecit laudem evangelicæ fidei, sive prædicationis. Rationis confirmatio est id quod subjungit : *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti* (*Psal.* VIII). Hic enim versiculus breviter confirmationem quam exposuit, scilicet non adeo mirum sive incredibile esse, quod ex ore infantium, Dominus laudem perfecerit ; quoniam qui infantes, sive lactentes fuerant, accepto Spiritu sancto, facti sunt cœli, in quorum fide, luna et stellæ, id est Ecclesia, et quique electi potuere fundari. Exornatio est, quæ sequentibus continetur versiculis. *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum ? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjeciti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*ibid.*). Istis etenim versiculis insigniter honestavit et collocupletavit rem copioso ornatu pietatis, admirando magnitudinem dignationis quomodo hominem tam longe invidia diaboli ab æternitate dejectum tantopere requisierit. Complexio est versus prior repetitus : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum universa terra !* Isto etenim concludendo, breviter recolligit partes argumentationis. Et hæc quidem perfecta quinque partium argumentatio confirmantis est. Confirmat enim admirabile esse in universa terra nomen Domini. Sequenti vero psalmo ab eo versu quo dicit : *Exsurge, Domine, non confortetur homo*, usque ad eum quo ait : *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua* (*Psal.* IX), item, si rite perpendas, perfecta quinque partium confutantis argumentatio est. Confutat enim inimicum hominem peccati, filium perditionis, ut ait Apostolus : *Qui extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur* (*II Thess.* II). Cæterum est, ubi vel unde breviores, id est una a duabus ablatis partibus fiant argumentationes, scilicet ubi brevior est dicenda res, quæ facile memoriæ commendatur. Tunc enim exornatio prætermittenda est, si parum locuples ad amplificandum, et exornandum res esse videtur. Sin autem res et tenuis et humilis est, tunc et exornatio et complexio prætermittenda sunt. Istæ vero tanta copia in Scripturis nostris inveniuntur ut ulla dare exempla superfluum putemus, præsertim, cum juxta propositum, satis dictum sit, et nos ad alia properemus. Porro tria genera causarum, scilicet demonstrativum, deliberativum, judiciale, isti quoque oratores sive inventores nostri receperunt. Neque enim perrumper agunt de alicujus, imo quam plurium certarum personarum laude vel vituperatione, quæ partes demonstrativi generis sunt, verbi gratia, quamvis laudatur Deus, vel vituperatur diabolus. Item, non parum aut raro resonant suasionem et dissuasionem, quæ partes deliberativi generis sunt, videlicet suadendo bonum, dissuadendo malum. Item, persæpe accusationem tractant, atque defensionem, quæ partes judicialis generis sunt, accusando videlicet injustum, defendendo justum, ut exempli gratia, in Apostolo, cum accusatur injustitia unius hominis, per quam *peccatores constituti sunt multi*, et defenditur justitia unius hominis, per quam *justi constituuntur multi* (*Rom.* V). Eas quoque quas dicunt constitutiones, conjecturalem, legitimam, juridicialem nullus unquam sæcularium sic juste, sic sapienter egit, aut agere potuit, quomodo in sanctis de quibus loquimur Scripturis, agitur. Nam conjecturalis est, cum de facto controversia est, hoc modo : Commendavit aliquis proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et forte mortuum est, aut debilitatum, aut captum ab hostibus, sed nullus hoc vidit. Quid ergo fiet ? *Jusjurandum*, inquit, *erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietque Dominus juramentum, et ille reddere non cogetur* (*Exod.* XXII). Et multa similia. Legitima vero est, cum a scripto, aut e scriptis aliquid controversiæ nascitur, hoc modo : Putabant Judæi sese fideliter adimplere divinam Scripturam sanctæ legis, offerendo incensum, et manducando carnes sacrificii. Sed quid ? *Holocaustomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus* (*Jer.* VII), etc. Verum multo maxime Apostolus, ad Hebræos scribens (*Cap.* VII), in hac constitutione consistit, voluntatem **701** scriptoris, imo Dei cum scripto, sive littera, cui solus Judæus innititur, conferens, aut litteræ præferens, satisque intelligibiliter atque probabiliter voluntatem prædicti scriptoris exponens. Juridicialis est, cum factum convenit, id est factum esse non negatur, sed jure, an injuria sit quæritur. Hujus autem partes duæ sunt, quarum una absoluta, altera assumptiva nominatur. Absoluta in judiciis Domini omnino damnatur. Dicitur enim absoluta, cum id ipsum quod factum est, recte factum esse dicitur, ita ut aliud nihil foris assumatur. Porro Domino nihil quod recte factum sit, quasi non

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

recte factum quæritur. Damnabilis ergo est apud ipsum hæc pars, veniamque non meretur, et ea est hujusmodi : *Quæ est*, inquit, *Samuel, hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, et armentorum quam ego audio?* (*I Reg.* xv.) Ac deinceps : *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? Et ait Saul : Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalech, et Amalech interfeci* (*ibid.*), etc. Altera pars est assumptiva, quæ apud Deum in judiciis ejus, partim suscipitur, partim damnatur. Sunt enim partes quatuor, concessio, remotio criminis, translatio criminis, comparatio. Concessio criminis apud illum non solum suscipitur, verum pene sola hæc, vel maxime hæc suscipitur. Concessio namque est, cum reus postulat sibi ignosci. Denique omnes apud illum sumus rei, et hæc omnis pacis nostræ via est, et maxime justus est, qui maxime concedit, et maxime sibi postulat ignosci, juxta illud : *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* xviii). Sunt autem hujus concessionis partes duæ, altera deprecatio, altera purgatio. Deprecatio est, cum se et consulto fecisse et peccasse reus confitetur, et tamen postulat, ut sui misereatur, ut exempli gratia David : *Tibi soli*, inquit, *peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* l). Purgatio est, cum consulto neget reus se fecisse, id est, aut per imprudentiam, aut per fortunam quam nos rectius eventum dicimus, aut per necessitatem. Per imprudentiam hoc modo : *Venit Deus ad Abimelech, per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam. Et ait : Domine, num gentem justam et ignorantem interficies?* (*Gen.* xx). Per casum vero sive per eventum, quod illi per fortunam dicunt, hoc modo : *Iratusque Moyses contra filios Aaron qui remanserant, ait : Cur non comedisti hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est. Respondit Aaron : Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino. Mihi autem acciderit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri?* (*Lev.* x.) Per necessitatem hoc modo : *Cur Jephte vestimenta tua scidisti? Heu! filia mea, inquit, decepisti me, et ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero* (*Jud.* xi). Nam per necessitatem voti, quia os suum aperuit, dicens : *Quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino* (*ibid.*), per necessitatem, inquam, voti purgatur et excusatur, qui filiam occidit offerendo, et in catalogo sanctorum *qui per fidem vicerunt regna* (*Hebr.* xi), meretur computari. Item David sanctificatum panem, dante Abimelech sacerdote, suscepit et comedit, et quia propter necessitatem hoc fecit, purgatur et excusatur, cum Dominus dicit : *Non legistis quid fecerit David quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* (*Matth.* xii.) Et subinde : *Si autem scivistis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes* (*ibid.*). Itaque concessio partesque concessionis, deprecatio et purgatio suscipiuntur in judiciis Dei. Comparatio quoque criminis hoc modo : Tu, Paule, qui dixisti : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest* (*Gal.* v), cur Timotheum circumcidisti (*Act.* xvi), itemque, *assumptis viris, purificatus cum illis*, intrasti *in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio?* (*Act.* xxi.) Propter vitandum, inquit, periculum majoris criminis, videlicet, quia audierant de me, quod discessionem docerem a Moyse (*ibid.*), quod falsum erat, quia cum Moyse sum in spiritu et veritate, sed hoc demonstrari non poterat ratione, demonstravi non sine aliqua criminis similitudine. Translatio vel remotio criminis, quæ duæ sunt, ex quatuor partibus assumptivæ, quæ pars erat altera juridicialis constitutionis, sapientibus ubique vitanda est in judicio Dei, quia videlicet ex ipsis est origo, vel incrementum peccati. Dixit enim Deus ad Adam : *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Et ille : *Mulier*, inquit, *quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* iii). Hæc ille dicens, crimen a se transferre voluit. Translatio namque criminis est, cum fecisse nos non negamus sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus. Item : *Dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decepit me, et comedi* (*ibid.*). Hæc dicens crimen non a se amovere, sed culpam ipsam, id est criminis causam voluit. Remotio namque criminis dicitur, cum a nobis non crimen, sed causam ipsam amovemus, et vel in hominem transferimus, vel in rem quamlibet conferimus. Sed qualem in personam mulier crimen transtulit, si tamen persona meretur dici? In serpentem sive spiritualem, id est diabolum, sive terrestrem, id est colubrum. Qualem in rem? In serpentis deceptionem. Verum hæc translatio non purgat, sed contaminat; non absolvit, sed involuit. Qualis enim fuit decipientis pollicitatio serpentis? *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini, scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (*ibid.*). Dicat mulier serpentem non solum suasisse, sed et talem quoque rationem ostendisse, cur deberet comedere. Nonne crimen auget criminis tali remotione? Recte igitur dixerimus translationem sive remotionem criminis nequaquam de sancta Scriptura quæri, vel inter nos et Deum constitui, sed et comparationem vix, concessionem autem semper, et maxime deprecationem, quæ una et melior est ex duabus partibus concessionis.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAPUT XIII.

De dialectica, quod ipsa quoque in Scriptura sancta sit, et maxime in principio Geneseos, ubi genera et species ipsis nominibus proferuntur, differentiaque et accidentia et syllogistica vis non negligitur.

Porro dialecticam nunquid ostentari, aut liberius efferri decebat coram sanctarum Scripturarum opifice Dei sapientia? Attamen et ipsa illic est, et coram illa domina sua mandati operis partes exsequens, vigilantior assidet et veritatem investigat. Nunquid super hoc, quisquam dialecticæ artis alumnus sanctæ Scripturæ **702** parietes, vel primam januam ingressus dubitat? Primum hoc asserere licet quia genus et differentia, species et proprium atque accidens, quæ sapientes sæculi pro magnis atque arduis habent, quasi prima hujus Scripturæ incipientis elementa sunt. Sic enim scriptum est: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum* (*Gen.* I). Item: *Protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam* (*ibid.*). Et infra: *Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum* (*ibid.*). Et subinde: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia, et bestias terræ, secundum species suas. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo* (*ibid.*). Genera ista et species istæ sine dubio sunt, de quibus apud philosophos sermo est, qui et genus describentes assignaverunt, genus esse dicentes quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur. Speciem quoque assignantes dixerunt, quia species est quæ ponitur sub assignato genere, et de qua genus in eo quod quid sit prædicatur. Sive ita, species est quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur. Sed hæc quidem, inquiunt, assignatio specialissimæ, etc. Dicamus ergo quod in ipsa sanctæ Scripturæ littera, et simplices quod mulceat, et sapientes aut philosophos quod exerceat. Arbitramur enim non minus ad hanc Scripturam, quam ad eam quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam, esse necessarium, quid sit genus et quid differentia, quid species et quid proprium, et quid accidens. Cum enim dicit *lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, et habens unumquodque semen secundum speciem suam*, lignum utique genus esse constituit, et cum dicit *pomiferum* sive *faciens fructum*, differentiam ponit, quæ addita generi, scilicet ligno speciem ligni, id est arborem constituit. Lignum namque tanquam genus per differentias oppositas dividit, dicendo *pomiferum* sive *faciens fructum*, et addendo, *et habens unumquodque semen*, sive *cujus semen in ipso sit*. Aliud namque est facere fructum, aliud habere semen tantum. Eadem divisione Psalmista in laudibus Dei, dixit: *Ligna fructifera et omnes cedri* (*Psal.* CXLVIII), nisi quod speciem pro differentia posuit, id est cedrum pro non fructifero ligno, lignum itaque duntaxat fructiferum arborem, nam lignum non fructiferum arbor dici non consuevit. Unde nostris temporibus quidam claræ memoriæ, excellentisque ingenii satis eleganter lusisse fertur, jacens in lectulo. Ait enim:

Ligneus est lectus, nulla tamen arbore sectus.
Solvere qui poterit, solvat, et ejus erit.

Verum enim dixit, quia videlicet lectulus de ligno quidem erat, sed de fructifero ligno non erat, et idcirco veraciter de nulla arbore sectus erat, quia nimirum sicut jam dictum est, non quodlibet lignum, sed lignum fructiferum arbor est. Lignum itaque genus est, etenim de pluribus differentibus specie prædicatur, scilicet de ligno fructifero sive faciente fructum, et de ligno infructifero, sive non afferente fructum, sed semen tantum. Et hoc animatum quidem corpus, sed nondum sensibile est, vel esse dicitur. Porro animati pariter et sensibilis corporis, id est, animalis sive animæ viventis, subinde distinguuntur differentiæ ac species, dum dicitur: *Producant aquæ reptilia animæ viventis, et volatile super terram* (*Gen.* I), etc. Cum enim primum dicitur, *producant aquæ reptilia animæ viventis*, et postmodum subditur, *producat terra animam viventem* (*ibid.*), multo melius, multo rectius secundum hanc Scripturam dignissimam, genera ac species sive differentiæ subordinantur, quam ordinaverit Porphyrius, qui cum subdividendo usque ad constitutionem animalis devenisset, continuo animal per differentias rationalis atque irrationalis, itemque mortalis et immortalis subdivisit. Hæc autem sacratissima series lectionis sic dividit, ut animalis aliud sit quod aqua, aliud quod terra producit. Et primum quidem ejus quod aqua producit, tres differentias subdividit, sive tres species constituit, subdividendo, vel dicendo, *volatile super terram, sub firmamento cœli*, et *creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem quam produxerant aquæ* (*ibid*). Volatile namque in hoc a cæteris quæ produxerant aquæ differt, quod *super terram* exivit, et nunc volat *sub firmamento cœli*, cete autem grandia, cum in aquis remanserint, in hoc differunt quod per fetum veniunt; nam plurima veniunt per ovum. De hac tertia differentia venientium per ovum, cum dicit, *in species suas*, subaudiendum est subalternas, quæ nimirum dinumerari non possunt. Deinde vero ejus animæ viventis quam terra producit, dum sic loquitur, *producat terram animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas*, et deinde: *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.*), illa est divisio animalis, qua illud Porphyrius dividit, terreni quippe animalis, aliud est rationale, aliud irrationale juxta veritatem sive efficientiam potentissimam hujus dictionis Dei. Rationalitas quippe hominis in eo est quod ait: *Faciamus hominem ad imaginem*, sive *creavit Deus hominem ad imaginem*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

suam (*Gen.* I). Cæterum subdivisionem rationalis, qua illud in mortale, et in immortale dividit, Scriptura ista non tradidit. Neque enim aut angelos, qui sunt immortales, animalia dicere consuevit, aut solem et lunam, stellasque animalia immortalia, aut ullo modo esse animalia, vel animas habere credidit, aut concessit. Libet nunc, secundum seriem sacræ hujus lectionis, a genere generalissimo, id est, a substantia usque ad speciem specialissimam, id est, hominem progredi ordine quo ipsa nos ducit. Substantia, inquiunt, est quiddam, et ipsa genus, sub hac corpus est. Nos autem secundum verba Scripturæ hujus dicimus quia sub hac est hinc terra, et inde cœlum. Nam *in principio creavit Deus cœlum et terram* (*ibid.*). Terra autem est omnis corporea substantia, id est, corpus videlicet omne, quod corporeis oculis conspicitur. Nam cœlum patria est spirituum, quo licet corpora nostra transferenda speremus; præcessit enim cum carne sua Christus, tamen corpus non est, quia corporeis mortalium oculis non videtur. Ergo sub substantia corpus, sub corpore palpabile corpus, sub palpabili solidum sive immobile corpus, sub solido animatum corpus, sub animato corpore animal, sub animali terrenum sive terrestre animal, sub terrestri rationale animal. Solidum atque immobile corpus sub corpore palpabili constituitur, nam et aqua corpus quidem palpabile, sed, non solidum aut immobile est. Et hoc, scilicet solidum corpus arida est, quæ jam proprie dicitur terra, dicente Deo : *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum et appareat arida* (*ibid.*). Et continuo : *Factumque est ita. Et vocavit Deus aridam terram* (*ibid.*). Quo usque Scriptura hæc nos duxit, scilicet usque ad rationale animal, id est, hominem processimus divisionem rationalis relinquentes, quæ, quia ab hac Scriptura, **703** sicut supra dictum est, non traditur, a lectoribus ejus jure relinquitur. Itaque homo terrestris animalis species est, et ejus differentia insigniter exprimitur, cum dicitur : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum* (*ibid.*) Porro cum dicitur : *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam* (*Gen.* II). Et subinde : *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus* (*ibid.*), non solum differentia, sed et proprium hominis ut edatur competenter exigitur, quia videlicet debuit scire scriptor, cum hæc diceret, quid proprium sit hominis, in quo maxime discernitur, et non invenitur similis ejus. Dicimus ergo hic opportune, causa exigente, quia solus homo disciplinæ percepibilis est, et solus bipes, ita ut capite sublimi, rectaque statura, cœlum spectet, et quod resibilis est, et quia quod secundum hujus Scripturæ auctoritatem recte dicimus, solus inter cuncta animalia, non solum mentem rationalem, sed et linguam ad loquendum habet. Ultimum eorum quæ posuerunt, accidens est. Accidens autem homini maximum, et de quo sanctæ Scripturæ auctori sancto Spiritui, maxima et non indigna cura, peccatum est, et mors pœna peccati. De hoc enim omnis Scriptura divinitus inspirata summopere concertat, quod vere accidens sit, contestans quod Deus hominem rectum fecerit (*Eccle.* VII), quod Deus mortem non fecerit (*Sap.* I). Et hoc ex eo quem nunc tetigimus Scripturæ loco defendit veritas, cum dicit : *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant* (*Gen.* II). Et subinde : *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit, et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* (*Gen.* III). Et infra : *Multiplicabo*, inquit, *ærumnas tuas, et conceptus tuos.* Ad virum autem : *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*ibid.*). Itaque si non fabulas gentilium aut hæreticorum, sed veritatem Scripturæ attendas, malum non ex substantiali aliqua essentia, sed ex accidenti est, id est non duo principia, boni et mali erant vel sunt, ut bona a bono, et mala a malo principe subsistant. Constat enim ex hoc vel ex his maxime locis, malum omne, id est tam mortem animæ, de qua dictum est : *In quocunque enim die* comederitis *ex eo, morte* moriemini (*Gen.* II), quam mortem corporis, omnesque dolores, quorum prior est, de quo dicitur : *In dolore paries filios* tuos, ultimamque pœnam, sive dolorem corporis, id est mortem ejus, de qua dixit : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), constat, inquam, cuncta hæc homini accidisse, præeunte accidente maximo, id est peccato. Prius enim condita erat substantia; prius, inquam, formaverat *Dominus Deus hominem de limo terræ*, et inspiraverat *in faciem ejus spiraculum vitæ*, et posuerat *eum in paradiso voluptatis*, quem *plantaverat, et erat uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant*, quia videlicet causa cur erubescerent nondum accesserat. Itaque malum non substantiale quid, sed accidentale sive actuale est, et penitus nulla est creatura, sive visibilis sive invisibilis, quæ possit mala intelligi per naturam. Magnum vere et negotiosum accidens, circa quod vel propter quod studet, et occupatur quicunque vere est sapiens, a cujus discussione nemo vacat, nisi insipiens, et hic est omnis quæ a Deo est sapientiæ finis, studere et satagere, quatenus hujusmodi accidens subjecto abesse possit. Etenim propter hoc venit de cœlo, et incarnata est, et magnam scholam, id est sanctam Ecclesiam serio instituit in hoc mundo ipsa sapientia Dei. Cæterum de accidentibus levissimis, verbi gratia, dormitionis, sive corvinæ, aut Æthiopicæ nigredinis, seu cujuslibet coloris, agere vel disputare non est occupati animi, et circa necessarium vitæ negotium solliciti, neque ad ista descendere, vacat sanctæ illi philosophiæ quæ de cœlo venit. Sapientibus hujus sæculi, qui apud Deum stulti sunt, ista relinquit. Qui nimi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum, quia magnum illud accidens, id est, peccatum vel pœnam peccati cognoscere dedignati sunt, eodem contemptu quo *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom.* I), idcirco tam inopem tamque angustam accidentis definitionem dederunt. Accidens, inquit, est, quod adest, et abest præter subjecti corruptionem. Denique tali definitione nequaquam illud accidens comprehenderunt, quod subjectum, id est, hominem omnino corrumpit, imo destruit, ita ut revertatur in pulverem, et ut, sicut Psalmista deplorando concedit, concedendo deplorat : *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret, et arescat* (*Psal.* LXXXIX). Sane omnium accidentium universam multitudinem a Creatore sancta Scriptura vel Creator ipse a semetipso removet, cum dicit ad Moysen : *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III). Propterea cum de accidentibus homines tractant, qui accidentalibus miseriis subjacent, et idcirco non sunt, quia permutantur et nunquam in eodem statu permanent (*Job* XIV), nunquam Creatorem in verba sua constringere præsumant, quamvis et de illo in sancta Scriptura pleraque dici vel prædicari audiant significantia quantitatem, qualitatem, relationem, ubi, quando, situm, habitum, facere, pati. Etenim magnus dicitur Deus, sive immensus, non quod aliquando fuerit parvus sive mensuræ alicujus, et bonus, non quod potuerit esse aliud quam bonus, Pater Filii vel Filius Patris, non quod aliquando vel hic non Pater, vel hic non fuerit Filius, et in loco esse dicitur, non quod de loco ad locum transeat, cum sit incircumscriptus, et hodie genuisse dicitur, cum nunquam fuerit quando non esset vel hic Pater, vel hic non fuerit Filius, et sedere dicitur, non quod sicut Humaniformii putant, forma talis sit, ut vel extendatur, vel complicetur, et indutus vestimento dicitur, quia cum corpus non sit, sine dubio nec pannis constringitur, sed et requiescere, vel requiavisse scribitur, qui semper fuit et est quietus, et patiens esse, qui nullis subjacet passionibus, sed hoc ipsum semper est quod semper fuit, et nunquam mutatur, quippe qui non formatus est, sed tantum forma carens est materia, unde et nullis subjacet accidentibus. Hujus artis utilitas et virtus, tota ostenditur in syllogismis, quorum conclusio plurimum lectorem adjuvat, ad veritatem investigandam, tantum, ut absit illi error decipiendi adversarium per sophismata falsarum conclusionum. Quis autem omnium sæcularium, ita, ut hæc sancta Scriptura fortiter ac suaviter novit aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum? Ne longius abeamus, hic in isto capite libri sic propositum est. *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Hic sine dubio *Deus* est subjectum, *creavit cœlum et terram*, est prædicatum. Tunc autem propositioni concedendum est, quando prædicatum subjecto cohærere perspicuum est. Concedit ergo fides, etenim non ad infideles, sed ad fideles, et contra infideles huic Scripturæ sermo est. Assumptio sequitur, continuo, cum dicit : *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*ibid.*), etc. Quid hac assumptione spectabilius, ubi scriptor illud quod assumatur, sic proponit, ut simul ostendat rem, id est illam quæ in creando fuit assumptionem materiæ informis, quomodo Creator qui de nihilo creaverat ad operandum, ad faciendas et distinguendas formas illam assumpserit? Sequitur enim : *Dixitque Deus : Fiat lux*, etc. Tandemque sic concludit : *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum* (*ibid.*). Plena est divinæ Scripturæ pagina tam perfectis syllogismis, quorum brevitate maxime rhetores delectantur.

CAPUT XIV.

De arithmetica, quod ibi sit, et quod multa mysteria numerorum ratione colligantur.

Arithmetica, id est numerorum ratio, in multis sanctarum Scripturarum locis, quantum mysterium habeat, elucet. Non enim frustra in laudibus Dei dictum est : *Omnia in mensura, et numero, et pondere fecisti* (*Sap.* XI). Senarius namque, qui partibus suis perfectus est, perfectionem mundi quadam numeri sui significatione declarat. Similiter et quadraginta dies quibus Moyses et Helias, et ipse Dominus jejunaverunt, sine numerorum cognitione non intelligitur. Sic et alii in Scripturis sacris existunt numeri, quorum figuras non nisi hujus artis scientiæque periti solvere possumus. Datum est etiam nobis, ex parte aliqua, sub numerorum consistere disciplina, quando horas per eam discimus, quando de mensium curriculo disputamus, quando spatium anni redeuntis agnoscimus. Per numerum, quidem, ne confundamur, instruimur. Tolle numerum in rebus omnibus, et omnia pereunt. Adime sæculo computum, et cuncta ignorantia cæca complectitur. Nec differre potest a cæteris animalibus, qui calculi nescit rationem.

CAPUT XV.

De geometria, quod multa secundum illam disciplinam in Scripturis inveniantur.

Geometricæ disciplinæ multa sunt in Scripturis sacris vocabula, scilicet digitus, palmus, cubitus, pes, passus, stadium, milliare, et cætera talia. Verumtamen hæc disciplina magna ex parte curiositatis vitio denotatur, et pro parte illa nusquam in sacris verbi Dei rationibus recipitur. Primum quippe ab Ægyptiis reperta dicitur, quod, undante Nilo et omnibus possessionibus ejus limo obductis, initium terræ dividendæ per lineas et mensuras nomen arti dedit, qui deinde longius acumen sapientium profecti, et maris et cœli et aeris spatia metiuntur. Nam provocati studio, sic cœperunt post terræ dimensionem et cœli spatia quærere, quanto intervallo luna a terris, a luna sol ipse distaret, et usque ad verticem cœli quanta se mensura distenderet, sicque intervalla ipsa cœli, orbisque ambitum per numerum studiorum ratione probabili distinxerunt. Sed qui ex terræ dimensione hæc disciplina cœpit, ex initio sui

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et nomen servavit. Nam geometria de terra et de mensura nuncupata est. Terra enim Græce *ge* vocatur, *metra* mensura. Sed quid hæc ad veram utilitatem? Quo nobis scire vel opinari, quantis a terra stadiis sublevatus sit globus lunæ aut solis, quanto superet magnitudinem terræ magnitudo solis, quotve terra ipsa tendatur stadiis. Hæc ergo pars cura vel studio vere sapientia digna non fuit. Cæterum et pro parte hæc eadem disciplina apud eamdem Scripturam fuit acceptabilis, scilicet in construendo quidpiam ad præceptum nomini commode et rationabilibus mensuris. Exempli gratia : *Fac tibi arcam*, inquit, *de lignis levigatis, mansiunculas in arca facies et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus, et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius* (*Gen.* VI). Rationabilis quippe dimensio est, exceptis profundioribus quæ nos latent mysteriis, ubi latitudo sexta est longitudinis, et altitudo decima est portio ejusdem longitudinis. Quinquaginta namque sexta est pars trecentorum, et triginta decima est pars trecentorum. Habetque hæc figura similitudinem quamdam humani corporis, quia videlicet corpus hominis prostratum vel supinatum in longitudine sexies latitudinem sui, et decies habet altitudinem sui. Multa itidem in compositione tabernaculi, multa in constructione templi utiliter considerantur, quæ præter structuræ ipsius rationabilem modum aliquid innuunt, unde diligentis animus lectoris utiliter magis ædificetur.

CAPUT XVI.

De musica, quod et ipsa valde familiaris sit Scripturæ sanctæ.

Musica vero nunquid peregrina est ab ista, de qua loquimur Scriptura sancta? Imo familiaris valde apud eam, et consecretalis vernacula, atque præ aliis officialis magisque est necessaria. Hujus repertorem Moyses dicit fuisse Tubal, qui fuit de stirpe Cain ante diluvium (*Gen.* IV). Verum ad famulatum sapientiæ, ad adjutorium sive cooperationem cœlestis doctrinæ, per præcipuum prophetarum David, hanc Spiritus sanctus introduxit. Grande quippe impendebat negotium atque certamen verbo Dei, scilicet juvenilem petulantiam mundi lascivientis terrere atque coercere metu inferni, nimiumque carnales amatores præsentis sæculi excitare in amorem regni Dei, nudo sermone et nominibus propriis, quod scriptor legis non fecit Moyses. Nusquam enim verbis, palam lex, regnum Dei repromisit, aut pœnas comminata est inferni, excepto duntaxat, quod in cantico Deuteronomii : *Ignis*, inquit, *succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII), sed prævaricatoribus ista quidem comminabatur, famem, gladium, pestilentiam, et malas bestias, obedientibus autem terram lacte et melle manantem, terram de cujus montibus æris metalla foderentur promittebat. Per os Prophetæ et regis hujus, orare primum cœpit Spiritus sanctus *gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII), claro sermone res exprimens, ut homo de inferno erueretur, et regnum Dei consequeretur, ideoque ad rem tantam tamque necessariam rudes eatenus auditores attenti dociles ac benevoli redderentur, sonora adhibuit instrumenta cum hymnisona vocis melodia, sonum tubæ, psalterium, et citharam, chordasque et organum, cymbala bene sonantia, cantans Domino misericordiam et judicium, non ignorans numerum ipsum, in quo vis musicæ consistit, quem et Pythagoras apud Græcos postea reperisse fertur ex malleorum sonitu. Nec mirum, cum et longe ante David, mira et venerabili ratione, **705** Abraham et misericordiam et judicium Domino cantaverit, non voce organica neque instrumentis, sed tantum proportionabilibus numeris, in quibus vis musicæ consistit. Dixerat enim Dominus : *Si invenero in Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos* (*Gen.* XVIII). Tunc ille ingressus colloquium et in humilitatis suæ magnitudine habens fiduciam : *Quid*, inquit, *si minus quinquaginta justis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinque urbem universam?* Ac deinceps : *Sin autem quadraginta inventi fuerint, quid facies? Quid si ibi inventi fuerint* XXX? *Quid si ibi inventi fuerint* XX? *Quid si ibi inventi fuerint* X? Et Dominus ad singula respondens : *Non delebo*, inquit, *si invenero ibi* XLV, *non percutiam propter* XL, *non faciam si invenero ibi* XXX, *non interficiam propter* XX, *non delebo propter* X (*ibid.*). Nunquid casu Abraham taliter numeros diminuebat, et non potius filios suos misericordiam et judicium Domino cantare docebat. Sic namque divisit, sic diminuit proportionabiliter, ut nullam earum proportionum, quæ musicos reddunt sonos omitteret. Denique XLV ad XL epogdoo, id est sesquioctava proportione tonum efficiunt; XL ad XXX collati epitritum, id est sesquitertium efficiunt, et diatessaron reddunt; XXX ad XX, ennolion, id est sesquialterum faciunt, et sonum diapente reddunt; XX ad X dupli sunt, et maximam symphoniam diapason efficiunt; XXX ad X tripli sunt et diapason cum diapente reddunt; XL vero ad X quadrupli sunt, et bis diapason efficiunt. Cum itaque nulla proportionum musicarum in istis desit numeris, non est arbitrandum quod homo tantus, præsertim cum Deo loquens; casu sine ratione, et quomodo in buccam venerunt, ita eos decerpserit. Plurima hinc dici poterant, sed hoc præsentis propositi non est, et nos ad finem tendimus.

CAPUT XVII.

De astronomia, quod ipsa quoque ibi sit, et quæ astronomiæ et astrologiæ distantia sit.

Astronomiæ quoque notitia sanctæ Scripturæ non deesse constat, præsertim cum jam a principio dicat : *Dixit quoque Deus : Fiant luminaria in firmamento, et dividant diem et noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos* (*Gen.* I). Et Ecclesiastes loquitur : *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur, ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem* (*Eccle.* I). Dicimus autem astronomiæ, non astrologiæ notitiam vel disciplinam; nam dif-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

fert aliquid inter utrumque. Nam astronomia considerat cœli conversionem, ortus, obitus, motusque siderum continet, vel qua ex causa ita vocentur. Astrologia vero partim naturalis, partim superstitiosa est. Naturalis dum exsequitur solis et lunæ cursus, vel stellarum certas temporum stationes. Superstitiosa vero illa est, quam mathematici sequuntur, qui in stellis auguriantur, quique etiam XII cœli signa, per singula animæ vel corporis membra disponunt, siderumque cursu nativitates hominum et mores prædicare conantur. Astronomicam ergo rationem de Scriptura sancta accipimus et maxime circa lunæ cursum, propter observandæ legitimam Paschæ terminum, id est primi mensis diem decimum quartum; nam Hebræi solos lunares ex lege noverunt et observant menses, juxta naturalem lunæ cursum, tricenis undetricenisque diebus communium annorum menses duodenos explicantes, et tertio vel secundo anno, prout ratio exigit, decimum tertium in fine anni mensem embolismum triginta dierum apponentes. Sed de his hactenus satis dictum sit. Nunc ad superiora revertamur.

CAPUT XVIII.

De beato Hieronymo, magno scientiæ viro, et quantorum illustrium virorum gratiam habentium scripserit catalogum.

Igitur cum dicimus doctoribus nostris, bono erga fidem catholicam zelo concitatis, cum ferventius sanctæ Scripturæ studiis incumberent, tunc artes liberales ad cooperandum eidem Scripturæ fuisse intromissas, animadvertimus rectius et verius nos dicere, tunc eas illic fuisse inventas, sed præ claritate sapientiæ eatenus non comparuisse illas, maxime autem propter infirmitatem oculorum, quibus terrenæ sapientiæ pulvis inciderat. Hoc enim quidam de præcipuis illorum beatus Hieronymus fatetur, cum dicit: *Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, et quod his majus est consuetudine lautioris cibi, propter cœlorum regna me castrassem, et Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca quam Romæ cum summo studio ac labore confeceram carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam, et post noctium vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plato sumebatur in manibus. Si quando autem in memetipsum reversus prophetas legere tentassem, sermo horrebat incultus, quia lumen cæcis oculis videre non poteram, quod tamen non oculorum culpam putabam, sed solis* (170). Sed gratias veræ et summæ luci, quia cito clarificatis et sanatis iste oculis, solem, id est lucidum sanctæ Scripturæ sermonem perficere potuit, et jamdudum a magistris sæcularibus sufficienter edoctus quemadmodum dicit: *Victorinus, et Donatus grammaticus, magister præceptorque meus Romæ insignes habentur* (171), omnium librorum Veteris Testamenti Christo volente, studioque spirituali desudante, veritatem consecutus est. Litteris namque Græcis ac Latinis atque Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina quæ in canone continentur, ex Veteri Testamento, vera editione in latinam linguam vertit, aque commentatus est, et nobis tantum in translatione Dominicæ Scripturæ præstitit ut ad Hebræorum fontem non egeamus accedere, quando nos facundiæ suæ multa cognoscitur claritate satiasse. Inter cætera autem studii sui opuscula, suis universa præfationibus prænotata, a beato Petro sumens exordium, CXXXV illustrium virorum vitas usque ad Theodosii XIV annum ex ordine digessit, omnesque, qui de Scripturis sanctis aliquid memoriæ tradiderunt breviter descripsit, imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium, se quoque in calce voluminis, quasi abortivum minimumque omnium Christianorum ponens.

(170) S. Hier. Epist. I class., ep. 22, ad Eustoch., *De custod. virg.*, edit. Migne.

706 CAPUT XIX.

De beato Augustino, quod in illo vere laudabilis sit hic sanctus scientiæ Spiritus, et quantum hujus gratiæ donum se accepisse humiliter fateatur.

Et multum quidem est in illis, quo jure laudetur hic sanctus scientiæ Spiritus, sed nos ad finem properantes, unum tantum ex eis contingimus, in quo iste Spiritus manifeste operatus est, quod se dignum fuit ad laudem suam, ad Ecclesiæ suæ defensionem, catholicæ fidei, perpetuamque munitionem. Iste est Augustinus, columna et firmamentum veritatis, et vere columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei, cujus ex ore distillare non cessavit pluvia salutaris, imo fluere impetus fluminis contra flumen illud hæreticorum, quod, ut superius diximus, post mulierem, id est Ecclesiam de ore suo draco diabolus emisit (*Apoc.* XII). Et hunc quidem Dei dispensatio, antequam vocaret in admirabile lumen suum, permisit adolescentem errare in tenebris Manichæorum, sed in eodem errore mirabili gratia nescientem, circumvelabat Spiritus iste, magnum suggerens donum scientiæ, quod postea bene expenderet ad commodum Ecclesiæ Christi, in suo tempore. Etenim quantum ingenii donum assecutus sit, ipse judicat, ubi cum humili confessione Domino inter cætera sic dicit: *Et quid mihi proderat quod annos natus ferme viginti cum in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant decem Cathegorias, quarum nomina cum eas rhetor Carthaginensis, magister meus, buccis tipho crepantibus commemoraret, et alii qui docti habebantur, tanquam in nescio quid magnum et divinum suspensus inhiabam, legi ea solus et intellexi? Quas cum contulissem cum eis qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud dicere potuerunt, quam ego solus apud meipsum legens cognoveram* (172). Ac deinceps: *Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus cupiditatum servus, per meipsum legi, et intellexi quoscunque legere potui? et gaudebam in eis, et nesciebam unde esset quidquid ibi ve-*

(171) S. Hier. *Chronicon*, an. Dom. 358.
(172) S. Aug. *Confes.* lib. V, cap. 16.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rum et certum esset. Dorsum enim habebam ad lumen, et ad ea quæ illuminant faciem, unde ipsa facies mea qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quidquid de arte loquendi aut disserendi, quidquid de divisionibus figurarum, et de musicis, et de numeris, sine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi. Scis, tu Domine Deus meus, quia et celeritas intelligendi et dispiciendi acumen, donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat, quia tam bonam partem substantiæ meæ satagi habere in potestate, et fortitudinem meam non ad te custodiebam (Psal. LVIII), sed profectus sum abs te in longinquam regionem ut eam dissiparem in meretricis cupiditates (Luc. XV). Nam quid mihi proderat bona res non utendo bene? Non

(173) S. Aug., *Confess.* lib. v, cap. 26.

A *enim sentiebam illas artes etiam a studiosis et ingeniosis difficillime intelligi, nisi cum eis eadem conabar exponere. Et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem, non tardius exsequeretur. Sed qui mihi proderat hoc putanti, quod tu, Domine Deus veritas, corpus esses lucidum et immensum, et ego frustum de illo corpore? Nimia perversitas* (175), etc. Hoc est in quo jure sanctum scientiæ Spiritum laudamus, quia virum talem, et sic foris præparatum reddidit, et sic intus eo dignatus est uti ut contra omnes hæreses, tota vita sua depugnans voce et litteris, tanta scriberet quanta nemo in vita sua legere sufficit. Unde et quidam non inaniter dixisse fertur :

Mentitur qui te totum legisse fatetur.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER OCTAVUS.

DE PIETATE.

707 CAPUT PRIMUM.

De sancto pietatis Spiritu, quam recte illi totum quod sumus, quod vivimus, ascribimus, et quod iste sæpius in Scripturis nomine olei significetur, oleum autem in signum hujus gratiæ de meritoria taberna Romæ per totum diem fluxit, quando natus est Christus Filius Dei.

Sanctum pietatis Spiritum, qui deinde ordine sequitur, nos maxime pauperes atque inopes submissa mente adoramus, confitentes illi, quia qui neque sapientes fuimus, neque intelligentes, neque consulti aut consultores, neque fortes, neque multam scientiam habentes, nunc vivimus ex hac abundantia gratiæ Spiritus pietatis, juxta quod ait proprium illud habitaculum omnis gratiæ et omnis misericordiæ : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde* (*Isa.* LXI; *Luc.* IV), etc. Ista enim illa est gratia quæ hodie cum domus Dei vocatorum, ex diversis conditionibus atque ordinibus venientium multitudine impleta est, premit ejusdem Dei et Patris oculos, ne videat quales fuerimus, aut recogitet unde venerimus, et ecce qui eramus insipientes, ambulamus inter sapientes; qui eramus hebetes, habitamus inter intelligentes; qui eramus inconsulti, sedemus inter consiliarios salutis; qui eramus infirmi, gradimur inter fortes; qui eramus indocti, gloriamur inter scientes; qui eramus omnino turpes, ecce conspicimur inter sanctos pulchritudine justitiæ florentes. Hæc est illa pietas, et hæc sunt illa pietatis opera, propter quæ hunc Spiritum sanctum sancta Scriptura sæpius sub nomine olei

B designat. *Impinguasti*, inquit, *in oleo caput meum* (*Psal.* XXII). Item : *Ut exhilaret faciem in oleo* (*Psal.* CIII). Et alibi : *Et computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X). Bene ergo et venerabiliter, quando in Bethlehem Judæ de beata Virgine natus est Dominus Jesus Christus, oleo lætitiæ præ omnibus sanctis unctus, unde et dicitur Christus. In diebus illis Romæ, ut historiæ tradunt fons olei largissimus de taberna meritoria, per totum diem fluxit. Quo signo quid evidentius quam pietatis et miserationis abundantia peccatoribus Christo nascente de cœlo fluxisse declarata est? Quod enim de meritoria taberna per totum diem Romæ oleum fluxit, hoc significavit quod de hospita Ecclesia, quæ tanquam multis diis prostituta fuerat, per omne tempus Romani imperii

C pœnitentibus daretur in remissionem peccatorum dulcedo supernæ consolationis, et ubi regnaverat procacitas turpitudinis superabundaret mansuetudo religionis. Sed jam nunc ordinem prosequentes dicamus quomodo post abundantiam, vel cum ipsa abundantia scientiæ, de qua præcedenti volumine diximus, hic in Ecclesia sua Spiritus pietatis evidentius operatus sit, et primo quid ipsa pietas sit.

CAPUT II.

Quod pietas vera sit religio et cultus Dei, quem Græci εὐσέβειαν, id est pium, vocant.

Pietas qua homines pro modulo suo dicuntur pii, pro quanto imitantur Deum, qui vere et solus pius est, vera religio est, et cultus Dei. *Pietas namque,*

D ait beatus Augustinus, *Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen et erga parentes*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri mandat Deus, eaque sibi vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est ut et Deus ipse dicatur pius (II Par. XXX; *Eccli.* XI; *Judith.* VII). *Quem sane nullo sui sermonis usu, Græci* εὐσεβῆ *vocant, quamvis* εὐσέβειαν *pro misericordia illorum vulgus etiam usurpet. Unde et in quibusdam Scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non* εὐσέβειαν, *quod ex bono cultu, sed* θεοσέβειαν (174), *quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt.* Item : *Hic autem finis est adhærere Deo (Psal.* LXXII). *Jam igitur scienti diligere seipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantum potest, commendet diligendum Deum. Hic Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus* (175).

CAPUT III.

De pietate, quod hominem facit mitem, id est non sua peccata defendentem, sed humilem atque pœnitentem.

Ergo pietas, verus Dei cultus, vera religio est, a quo longius aberraverunt, primum Judæi, de quibus Apostolus dicit quia *ignorantes Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X), deinde sive Judæi sive Græci, qui ex eo immites sunt, quod non sunt pii, id est præsumentes, de operibus vel meritis suis, multumque credentes proprio sensui, quodque valde perniciosum est, non se arbitrantes in omnibus indigere gloria Dei, nec aliquid **708** se esse posse, nisi gratia Dei. Nam revera pietatis proprium est ut hominem faciat mitem, id est non seipsum defendentem aut justificantem, non Deum sed semetipsum accusantem, non sanctæ Scripturæ contradicentem, sive intellectæ sive nondum intellectæ, propter sui sensus, ut fatetur ipse, tarditatem. De hujusmodi mitibus atque mansuetis ipse Dominus dicit : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Isti nimirum eo ipso quod pietate mansuescunt, pio Deo locum faciunt, et præbent aditum, ut sciat quid faciat eis, quemadmodum populo suo contaminato in scelere vituli ipse dicit : *Jam depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi* (*Exod.* XXXIII). Denique quandiu peccator nitidus, et cum fronte meretricis supinus incedit, quodammodo nescit divina pietas quid faciat ei. Ubi autem semetipsum agnoscens, humiliato capite incedere incipit statim scit quid faciat, et sciens occurrit, sicut illa innuit parabola de filio prodigo et luxurioso, qui in se reversus, dixit : *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (*Luc.* XV). Quid enim tunc pater facere servit, et quid fecit? *Misericordia motus est, et occurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum* (*ibid.*) Et quid totum quod factum est, quod filius ille qui perierat inventus, quia seipsum invenit atque a bono patre receptus est, quod pro inventione ejus vitulum saginatum occidit, et convivium fecit, pariterque epulatus est (*ibid.*), totum, inquam, illud per hunc pietatis spiritum factum est. Sed nunc locus vel ordo postulat non illud respicere, quod universali gratia gentilitas reversa est ad Deum, emundata per baptismum a sordibus idolorum, sed id quod singulari respectu compunctus, ad pœnitentiam revertitur quisque peccatorum. Siquidem propheta ille, propheta magnus et prophetarum Dominus, cum illam parabolam diceret, sic reversuras et suscipiendas esse gentes prophetabat, ut nihilominus cuicunque peccatori post lapsum revertenti, pœnitentiam non esse negandam insinuaret. Nec vero cum de pietate vel pietatis spiritu proponentes, et hanc esse veram religionem astruentes, pœnitentialis remedii sermonem ingredimur, a proposito usquam digredimur, quia videlicet sicut in sequentibus non tacebimus, pœnitentiali humilitate nulla charior Deo religio est. Ait enim : *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia (ibid.).* Soli namque superbi pœnitentia sibi non indigere videntur, soli humiles peccatores se esse in veritate confitentur. Quapropter et isti sunt mites, qui possidebunt terram, et illi sunt immites, qui non possidebunt terram.

CAPUT IV.

Quod apud pietatem Dei nullum, præter blasphemiam in Spiritum sanctum, peccatum irremissibile sit, et quid sit vere dicere contra Spiritum sanctum.

Primum igitur dicimus, nullum esse peccatum præter Spiritum blasphemiæ, vel blasphemiam in Spiritum sanctum, cui in Ecclesia Christi pœnitentia vel remissio jure denegetur, teste, imo auctore Domino cum dicit : *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiæ quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti* (*Marc.* III). Causam cur ita dixerat evangelista subjungit : *Quoniam*, inquit, *dicebant: Spiritum immundum habet*, vel sicut præmisit: *Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia (ibid.).* Et sic intelligitur. Quia manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, stimulatus invidia calumniatur, et Christum Deique Verbum, et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro, non quod negemus et ei si pœnitentiam agere voluerit, posse dimitti ab eo qui *vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II), sed quod ipsi judici et largitori veniæ credentes, qui et se semper pœnitentiam accepturum, et hanc blasphemiam nusquam dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum exigentibus meritis, sicut nunquam ad remissionem ita nec ad ipsos dignæ pœni-

(174) Aug. *De civit. Dei*, lib. X. cap. 1.

(175) Aug. *ibid.*, cap. 3.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tentiæ fructus esse perventurum, juxta hoc quod Joannes evangelista de quibusdam blasphemiæ suæ merito excæcatis veracissime scripsit : *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum ut non videant oculis, et intelligant corde et convertantur, et sanem eos* (*Joan.* XII). Sola ergo blasphemia in Spiritum sanctum, qua quisque in similitudinem diaboli et angelorum ejus, contra conscientiam suam majestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem, sed *reus erit æterni delicti*, præter hoc unum, ut superius iam dictum est, cuncta remissibilia sunt.

CAPUT V.

De hæresi Novati presbyteri, qui in persecutione lapsis negavit posse ab Ecclesia remissionem dari, quomodo vel quam apostoli sententiam male intellexit.

Porro Novatus isto spiritu pietatis nudatus, Romanæ Ecclesiæ presbyter, elatione quadam tumidus, spem penitus salutis eis adimebat, etiam si digne pœnituissent, qui in persecutione lapsi a fide cecidissent. Ab illo exorta est Novatianorum hæresis dicentium non negari quidem pœnitentiam lapsis ejusmodi, sed remissionem ad Ecclesiam dari non posse, tantumque Dei judicio reservari. Contra hanc crudelitatem atque atrocitatem non minus synodalibus episcoporum decretis memorabile exstitit bonæ memoriæ Constantini imperatoris dictum, qui Novatianorum episcopum Acesium percunctatus cum hæc ab illo, quæ prædicta sunt audisset: *O Acesi*, inquit, *pone scalam et solus ascende in cœlum, si potes.* Verum sectæ illorum suffragari videbatur illud Apostoli dictum : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt etiam bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* VI). At ille nequaquam pœnitentiam aut remissionem peccatorum hoc dicto impugnavit, spemque veniæ præclusit, sed reiterationem baptismi fieri posse negavit. Hæc sine dubio intentione, illud eum dixisse ipse litteræ textus ostendit. Præmiserat enim : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamenta pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni. Et hoc quidem faciemus, si permiserit Deus* (*ibid.*). **709** Quid enim est, *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum baptismatum doctrinæ*, nisi non iterum redeuntes ad initium Christianæ regulæ quod est rursus catechizare, et rursus baptizare? Cæterum de pœnitentia suscipienda et remissione danda, testificans penes Ecclesiam jus esse Christo auctore dicit ad Corinthios : *Cui autem aliquid donastis, et ego : Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* (*II Cor.* II). Et ne putes eum de solo dixisse peccato fornicationis, non ait, cui donastis quod uxorem patris habuit, sed *cui aliquid donastis*, inquit, eamdem volens esse remissionis constantiam, in quacunque re peccati, juxta illam evangelicam sponsionem Domini : *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVIII).

CAPUT VI.

De illa sententia Apostoli, quomodo sane debeat intelligi : « Impossibile enim est eos qui semel, » etc.

Alias autem et revera impossibile est renovari, verumtamen ita ut a sensu illo non recedamus, quo intelligendum supra diximus, illud quod ait : *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti* (*Marc.* III). Nam quod diximus, manifeste quempiam intelligere opera Dei, et tum stimulante invidia negare quod intelligit, idem potest esse illuminatum fuisse, gustasse etiam donum cœleste, et participem factum esse Spiritus sancti, gustasse nihilominus bonum Dei Verbum virtutesque sæculi venturi, et tum prolabi. Ad hanc nimirum Christi et Apostoli ejus concordiam sive consonantiam rectissime confugere potes, si quis adversarius forte vehementius te perurgeat. Nam idem Apostolus ait in eadem ad Hebræos Epistola : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccatis* (*Hebr.* X). Quid est enim voluntarie, nisi ac si dixisset, cum deliberatione? Quid autem est cum deliberatione peccare, nisi maxime intellecta opera Dei velle, ut supra dictum est, negare invidia stimulante? Idcirco dum dixisset : *Voluntarie enim peccantibus nobis*, etc., continuo subjunxit : *Terribilis autem quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios* (*ibid.*). Adversarios dixit eos qui voluntarie peccant, quod utique convenienter dici non potest de his qui per infirmitatem peccant, aut per ignorantiam. Ergo *voluntarie* peccare idem est quod *verbum contra Spiritum sanctum* dicere, id est manifesta Dei opera per invidiam negare. Quare sic peccantibus eis qui acceperant *notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccatis?* Videlicet, *quia impossibile est eos qui semel sunt illuminati, cum prolapsi fuerint, renovari?* Quare *impossibile est eos renovari?* Nimirum quia quisquis ejusmodi est, *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, sed reus erit æterni delicti.* Quare *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro?* Videlicet, quia ut pœnitentiam agat, non meretur visitari a Spiritu sancto, sed justo Dei judicio consequitur illud impœnitens cor. Itaque quod dictum est, *impossibile est eos rursus ad pœnitentiam renovari*, aut hoc erit quod circumstantia volunt non debere rursus baptizari, aut si non concedit Novatus, hoc erit dictum de peccato ejusmodi, ut non discrepet Apostolus Christi a Christo dicente : *Non remittetur ei, sed reus erit*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

æterni delicti. Sciendum quippe est quia Paulus hæc dicens, Hebræus loquebatur Hebræis. Unde et congrue cum dixisset, *voluntarie enim peccantibus* expressit, et signanter dixit, *nobis* addens, subaudiitur Hebræis qui testimonium legis habemus, qui excusationem de peccato non habemus. Quapropter intuendum quomodo incœperit, ne incertum aut dubium sit, cujusmodi peccatum sit, et quod prolapsos dicat non posse renovari. *Videte*, inquit, *fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati* (*Hebr.* III). Hoc ergo, ut prædiximus, sciendum est quia Hebræus Hebræis loquebatur, et hoc generi suo futurum metuebat, pie sollicitus, quod hodie factum videmus, scilicet quia Judæi invidendo increduli sunt, et invidendo negant eum quem patres ipsorum invidendo tradiderunt, et per invidiam negaverunt et crucifixerunt.

CAPUT VII.

De domo pietatis, in qua prodigus filius per pœnitentiam a pio patre recipitur, et quod sacri canones decernant super lapsis, post pœnitentiam actam de criminibus, ut laica communione contenti permaneant.

Igitur domus pietatis, quæ in adventu Salvatoris prodigo filio aperta fuit, post luxurias ventrisque ingluviem, de pastu porcorum per pœnitentiam revertenti, hodieque manet aperta pœnitentibus singulis, prospiciente eminus pio patre, ut videat de longe si revertatur aliquis, et occurrente singulis ad istam confessionem peccatoris. *Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (*Luc.* XV). Sed qualiter ad eum, qui ejusmodi est, dictum illud convenit : *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes ejus?* (*Ibid.*) Nam salvo superiore intellectu, quo per stolam primam sacri baptismatis intelligimus gratiam, prima stola sacerdotalis est gloria, vel cujuslibet ministerii, quo ad sanctum altare Christo ministratur, dignitas. Porro sacri canones hoc decernunt, ut post actam de criminibus pœnitentiam, ad hoc ministerium nequaquam promoveantur, sed laica tantum communione contenti permaneant. Quomodo ergo concedemus eis qui ejusmodi sunt recipere stolam primam, ne videamur cum Novatianis denegare quibuslibet pœnitentiam? Hic nimirum discretione opus erat, qui hujusmodi est. De his, qui sine confessione sua, sive convictione legali aut regulari de criminibus detecti sunt, sacri canones et decreta pontificum Romanæ sedis aperte atque expresse decernunt, ut ad gradus ecclesiasticos non accedant, et in gradibus ecclesiasticis non maneant, vel ad gradus ecclesiasticos non redeant. Hoc enim, inquiunt, nos admonens Apostolus, dicit : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* (*Ephes.* V). Item : *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant* (*I Tim.* V). Sic Petrus damnavit Simonem, quem tamen ad pœnitentiam invitavit (*Act.* VIII). Sic fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit Satanæ, ut tamen spiritus salvus fieret in die Domini (*I Cor.* V). Et quidem sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam (*II Reg.* XII), et tamen in honore suo perstitit et beatum Petrum, quando amarissime lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit (*Matth.* XXVI), et tamen apostolus mansit. **710** Sed non ideo vacua putanda est posterior diligentia, qui ubi nihil saluti detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. De his autem, qui detecti vel publicati non sunt, hæc sana et rationabilis eorumdem sacrorum canonum vel sanctorum Patrum est : Cessat, inquiunt, vindicta divina, si conversio præcurrat humana. A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministrum, hanc formam servandam cognoscimus, ut quia minorem major præcedit, sicut honore sic et in crimine, et quem major sequitur culpa, major importetur vindicta, et post pœnitentiam credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere? Post dignam satisfactionem credimus posse redire ad honorem propheta dicente : *Nunquid qui cadit, non adjicit, ut resurgat? Et qui aversus est, non revertetur?* (*Jer.* VIII.) Item propheta ait : *In quacunque die conversus ingemueris, tunc salvaberis* (*Ezech.* XXXIII). Unde et Psalmista : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L). Dum enim petiit ne a Deo projiceretur, prolapsus culpa, alienam rex et propheta simul se rapuisse uxorem tremefactus expavit, propheta judicante flagitium suum, et pœnitentiam agens, addidit : *Redde mihi lætitiam salutaris tui et Spiritu principali confirma me* (*ibid.*). Si enim se dignum Deo per pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim : *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*ibid.*). Bene ergo discretione usa est ecclesiastica sollicitudo, et hæc hujus discretionis summa est, ut hi quorum crimina detecta sunt, illam de qua loquebamur sancti ministerii stolam non recipiant, quorum autem occulta vel occulte commissa, publicam contraxerunt infamiam, rursus induantur ea post dignam pœnitentiam.

CAPUT VIII.

Quomodo clementissimus pater revertentem filium stola prima induat, si sacerdotalem illi gloriam canonica neget auctoritas, et quod primam stolam in habitu monachico conversus possideat.

Quid igitur faciet clementissimus pater ei, qui revertitur filio, si non solum est ut dicat : *Peccavi in cœlum et coram te*, sed etiam *coram hominibus* peccavit (*Luc.* XV), et apud homines de peccato suo

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

detectus atque infamatus est? Potest enim fieri, et sæpe factum est, ut, non minus compungatur pœnitentia, is qui in crimine notus erat, quam ille qui peccavit quidem *in cœlum et coram Patre*, sed latuit homines. Quam ergo vel unde accipiet stolam Pater, qua illum induere possit, stimulante et viscera ejus concutiente Spiritu pietatis? O providentia Patris, o artificium Dei, o divitias bonitatis! Invenit in quo tristem consoletur, reperit in quo dejectum sublevet, providit sibi, in quo ignobilem clara nobilitate perornet. Dicimus autem ordinem habitumque monachicum, quem secundum dicere baptismum sancti Patres non dubitaverunt. *Episcopus*, ait beatus Gregorius, *debet missam celebrare in ordinatione presbyteri, et abbas in consecratione monachi, et quatuor orationes super caput ejus dicere, ut sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes conseratur, et ita usque in diem tertium velatum habeat caput cum silentio summo, et debita reverentia, signum gestans Dominicæ passionis. Die autem tertia tollat abbas capitium de capite ejus, ut, deposita tristitia veteris peccati, revelata facie gloriam Domini speculetur. Secundo ergo baptizatus est, et emendatus ab omnibus peccatis.* Et subinde : *Tribus diebus sunt in silentio, juxta apostolos, qui ob metum Judæorum in conclavi residebant, usque dum die tertio Dominus resurgens dicit illis : « Pax vobis* (*Joan.* xx). » *Sic abbas det pacem monacho, et capitium de capite ejus auferat.* Sed et de ipso schemate monachi sanctæ memoriæ Bonifacius papa dicit post aliqua : *Credimus, a sacerdotibus ligandi solvendique officium digne administrari, si tamen digne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat quisquis statum monachorum habitumque considerat.* Angelus *enim Græce, Latine* nuntius *dicitur. Sacerdotes igitur, monachi atque canonici, qui Dei præcepta annuntiant, angeli vocantur. Sed unusquisque angelicus ordo quanto viciniùs Deum contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Nunquid non cherubim sex alis velantur? Duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus. Illud vero quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus, et illud quo corpus conditur, alas duas. Sic sex alarum numerus certissime conficitur.* Igitur filio prodigo revertenti, quantumcunque sit dejectus et infamis, habet et scit clementissimus pater, unde stolam primam, aut prope primam, proferre possit, scilicet habitum sanctæ conversationis, habitum monachi, cum reverendum et omnino pœnitentialem, atque ideo reverendum, quia pœnitentialem. Quis enim hunc habitum pro eo quia pœnitentialis est non revereatur, nisi qui se pœnitentia non indigere arbitratur? Porro, qui sic existimat quod pœnitentia opus non habeat, sciat quia propter eum non venit Dominus clementissimus, Patris clementissimi Filius, sicut quodam loco ipse testatus est : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX). Stola ergo habitus iste est, non vilis, quam per notissimos atque orthodoxos viros, quorum sine dubio habitator erat, adinvenit hic spiritus, hujus patris spiritus pietatis.

CAPUT IX.

Quod non solum criminosi stolam hujusmodi, id est monachicam vitam exoptare consueverint, et quod qui istam vitam tanquam peccatoris retrusionem aspernatur, justum se existimando, male facit.

Non autem hoc dicimus quod solis peccatoribus, id est eis tantum qui baptismi gratiam criminum magnitudine perdiderunt, hujusmodi stolam Pater ille reservaverit, et nulli justorum exoptanda aut ambienda sit. Nam idem esset ac si diceremus pœnitentiam non esse necessariam justis. Quod si dixerimus, scilicet, quia pœnitentia opus non habeamus, quantumlibet justi simus, nos aut illi propter quos, vel cum quibus hæc dixerimus, mentimur, contra veritatem facimus, *et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Qui enim justissimus omnium mortalium est, nec ille quantum satis est humiliari, et de peccatis suis pœnitere potest. Non ergo hoc dicimus quod solis peccatoribus repositus sit hic ordo pœnitentialis, sed etiam justis. Peccatori namque hæc sæpe dicta stola cum acceperit eam, venia et gratia est, justo cum quasi descendendo sumpserit eam, gratia et gloria est. Novimus quamplures justos, et justitiæ columnas, in illa **711** pœnitentiæ domo stantes, in qua pœnitentes sub eodem habitu recipiuntur, et gaudii convivium celebratur, qualis fuit Pannoniensis Martinus, et apostolicæ sedis præsul B. Gregorius, Augustinus quoque ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, aliique quamplurimi viri sanctissimi, justitia et sanctitate fulgidi, et nihilominus propter pretiosam justitiam fulgidum monachicæ humilitatis habitum non dedignati. De qualibus idem Gregorius ore aureo dicit : *Sciendum est quia sunt plerique justi, in quorum vita tantum gaudium est ut eis quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Nam multi et nullorum sibi malorum sunt conscii, et tamen in tanti ardoris afflictione se exercent ac si peccatis omnibus angustentur*, etc. Dicamus igitur quia, peccator, cum sit aut facinorosus, pœnitentialem hujus ordinis stolam accipit, bene facit; et qui, cum sit justus et justitiæ testimonium perfecte habens coram Deo et hominibus, nihilominus tamen eam accipit, optime facit. Porro, qui, idcirco quia justus est vel justum se esse putat, humilitatem istam aspernatur, dicens quia pœnitentialis est et solis debita reis quædam retrusio, male facit. Sed jam ista quæ litem quamdam redolent omittentes, citius ad illam pietatis domum revertamur, cœptumque exinde sermonem perficere maturemus.

CAPUT X.

De patre clementissimo, cur sic dicitur, « et occurrens cecidit super collum ejus, » et quod vere super collum ejus ceciderit pater, qui pro peccatis humiliter incedit.

Pietatem superius veram esse religionem diximus. Hæc autem, scilicet vera et non ficta religio primum intus in corde radicatur, deinde per sermonem, habitumque foras extenditur, quia videlicet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ex abundantia cordis os loquitur (*Matth.* XII), et habitus incessusque hominis enuntiant de eo (*Eccli.* IX). Hujus religionis sive pietatis efficientem causam pulcherrime atque sanctissime, cauto lectori locus iste innuit, ubi sic dicitur : *Et accurrens cecidit super collum ejus* (*Luc.* XV). Nam revera quemcunque videris, aut persenseris confracto corde ingemiscere, et demisso capite incedere, juxta disciplinam Magistri veri, dicentis : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI), non vane dicere poteris quia *cecidit Pater super collum ejus*, et pondere suo confregit atque contrivit cervicem cordis ejus, quatenus non valeat erectus ambulare, et interdum nec oculos in cœlum levare, sed fixis oculis terram aspiciat, commemorans sibimet, quia *pulvis es, et in pulverem* reversurus es (*Gen.* III). Hoc ipsum verbis aliis facturum se promittens Dominus in Oseæ dicit : *Ephraim vitula docta diligere triturам, et ego ascendi super pulchritudinem colli ejus, ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis in veritate justitiam, et metite in ore misericordiæ* (*Ose.* X). Quid enim *Ephraim vitula docta diligere trituram*, nisi anima lasciva assueta ferre labores mundi hujus, et servitutem miseram propter explendam luxuriam suam? Talis nimirum fuerat iste filius, qui doctus fuit pascere porcos, et ferre servitutem indignam, donec reverteretur in se, et diceret : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* (*Luc.* XV.) Sed *ego*, inquit, *ascendi super pulchritudinem colli ejus, ascendam super Ephraim.* Qualiter hoc fecerit, vel faciat hic venerabiliter indicat ipse dicens de patrefamilias, quem ipsum esse nemo qui dubitat, quia videns revertentem filium suum, *misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum* (*ibid.*) Nam, sicut jam diximus, cadere super collum, hoc est multum humiliare peccatoris animum. Quid deinde? *Arabit*, inquit, *Judas*, id est confitebitur, ille jam propter ipsam confessionem dignus, qui vocetur Judas, arabit, inquam, confitendo, id est aperiet terram cordis sui, dicendo : *Peccavi in cœlum et coram te* (*ibid.*). *Confringet* quoque *sibi sulcos Jacob*, id est vitiorum pristinorum supplantator, dicens in confractione cordis sui : *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (*ibid.*) Tunc et quod sequitur faciet, id est seminabit sibi *in veritate justitiam*, et metet *in ore misericordiæ*, dicentis : *Cito proferte stolam primam* (*ibid.*), metet eamdem, sive justitiæ stolam, sive stolæ justitiam.

CAPUT XI.

Quod super collum Sauli vere Pater ceciderit, qui jam Paulus humilis et pius incedens, et discipulum informans, « Exerce autem teipsum, inquit, ad pietatem. »

Paulus apostolus, id quod nunc dicimus magnifice in semetipso expertus, quippe super collum A cujus Pater iste mirabiliter cecidit, non quia revertebatur, sed ut reverteretur, qui erat aversus per ignorantiam ad hanc pietatem, qua in illa domo clementissimi Patris vivendum est, dilectum discipulum magis ac magis informans, dicit : *Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ* (*I Tim.* IV). Hæc verba vere sapientis, verba magni ponderis, et statera digna sunt ponderari. Quod ut compendiosius facere possimus, exemplum duorum ad memoriam revocemus, Jacob, et Esau. Nam alter eorum, scilicet Esau, corporali exercitatione exercebatur, sicut scriptum est : *Factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola* (*Gen.* XXV), alter vero, ad pietatem seipsum B exercebat, sicut subjunctum est : *Jacob autem simplex habitabat in tabernaculis* (*ibid.*). Et revera corporalis exercitatio illi ad modicum utilis fuit. Ad quid modicum? *Isaac*, inquit Scriptura, *amabat Esau, eo quod de venationibus ejus vesceretur* (*ibid.*). Hoc vere modicum fuit, quod amabat eum Isaac, non enim ad maximam exinde utilitatem pervenit, sed ad permodicam, sicut scriptum est : *Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit : In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua* (*Gen.* XXVII). Non hoc dicimus quod pro illa exercitatione corporali ad odium Dei pervenerit, de quo scriptum est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Mal.* I; *Rom.* IX). Nam illud promeruit C odio fratris, quem interficere cogitavit, et contemptu patris et matris, quo alienigenis se commiscuit, et alienigenas uxores accepit, sed hoc dicimus, quia corporalis exercitatio, vel amor patris, quo amabatur propter illam exercitationem, parum illi profuit. Econtra pietas huic, videlicet Jacob, quia *simplex habitabat in tabernaculis*, et pro qua Rebecca eum diligebat vere *ad omnia utilis* fuit, *promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ*. Nam exinde provenit ut volente matre acciperet benedictionem patris, meruitque tam de præsenti quam de futuro benedici, vel promissiones accipere benedictionis. De præsenti videlicet, ubi cum dixisset pater : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, continuo sic cœ- D pit : *Det tibi Dominus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et* **712** *olei.* (*Gen.* XXVII). De futuro autem, sive de futura vita, et quod ad vitam prosit, ubi continuo subjunxit : *Et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, maledictus erit, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (*ibid.*). In his verbis nimirum futuræ vitæ promissionem accepit, id est promissionem Christi, ut de semine ejus nasceretur Christus, qui est ipsa vita futura, vita æterna. Hoc itaque præcognito duorum exemplo citius intelligimus, quid dixerit Apostolus, et quam vere dixerit, quia *corporalis exercitatio ad*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Quod enim in illis duobus præostensum est, in universitate hominum perseverare comprobatur, videlicet ut hi qui circa corporalia, sive temporalia, exercitantur, modicum exinde aut pene nullam utilitatem consequantur; qui autem pietati studet et simpliciter vivunt, in omnibus sibi prospiciunt, ut nihil desit eis eorum quæ expediunt animæ et corpori, quemadmodum in Evangelio Veritas dicit: *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VIII; *Luc.* XII). Nam quod hoc intendat, ipse manifestius exprimit, dicendo post aliqua: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli* (*I Tim.* VI). Et subinde: *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem* (*ibid.*). Porro inter hæc qualiter in alterutrum pietas exercenda sit, et a prælatis in subditos, et a subditis in prælatos, ipse docet, cum dicit: *Attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (*I Tim.* IV). *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate* (*I Tim.* IV), etc. Hoc vere est prælatorum erga subditos exercitium pietatis, postea dicit: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura: Non infrenabis os bovi trituranti; Et: Dignus est operarius mercede sua. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* (*I Tim.* V). Et hoc utique faciendo, subditi semetipsos ad pietatem exercent erga prælatos. Sed et divites sæculi qualiter pro modo suo debeant ad pietatem exerceri, tandem non tacet, cum dicit: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo et vero, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futuris, ut apprehendant veram vitam* (*I Tim.* VI).

CAPUT XII.

De paternæ pietatis vocibus dicentis: « Manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est. »

Notandum interea quali vel quanta ratione in ipsa festinatione utatur pietas. Cum enim dixisset: *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedes, et adducite vitulum et occidite, et manducemus et epulemur* (*Luc.* XV), continuo quasi quæreretur quæ est ratio tantæ tamque promptæ largitatis, ita redA didit: *Quia filius meus hic mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est* (*ibid.*). Magna plane et auditu atque imitatione digna ratio, quæ jamdudum universæ domui patris hujus audita est, cujus habere ignorantiam, cuipiam domestico sanctæ ejus Ecclesiæ non licet. Nisi enim prius revixerit qui mortuus fuerat, nisi inventus fuerit qui perierat, non licet eum annulo perornari, id est ecclesiæ fidelium reconciliari, non licet eum calceari calceamentis *in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI), non licet eum invitari, vel admitti ad convivium vituli saginati, id est ad participationem corporis et sanguinis Domini. Unde autem debeat sciri quod revixerit, quod inventus sit, hoc quoque prudentiam Ecclesiæ non præterivit. Et quid illud est? Nimirum vox confessionis, qualis et hic personat cum dicit is qui revertitur: *Pater, peccavi in cœlum, et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (*Luc.* XV), et in alia lectione mystice subintelligitur, ubi narratur, quomodo et quali ordine quatriduanum mortuum, jamque fetentem Lazarum Dominus suscitavit voce magna clamante Domino: *Lazare, veni foras, statim prodiit qui erat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et* tunc demum: *Solvite*, inquit, *eum, et sinite abire* (*Joan.* XI). Nimirum sicut hic peccator prius confitetur, et dicit: *Pater, peccavi in cœlum et coram te*, et tunc demum dicitur: *cito proferte stolam primam*, etc. Ita et illic qui fuerat mortuus, prius prodiit, et tunc demum solvi jussit, et in utroque facto eadem ratio est, quod ideirco debeat in communionem Ecclesiæ recipi, quia confessus est, et dignam pœnitentiam obtulit.

CAPUT XIII.

Quod non sit hoc totum pietatis officium, manducare aut epulari, aut gaudere, quia revixit, vel inventus est, sed etiam jejunare, orare, et flere ut inveniatur qui periit, et reviviscat qui mortuus est.

Nec vero totum aut integrum est pietatis officium, manducare et epulari, atque gaudere pro eo quia qui mortuus erat revixit, et qui perierat inventus est. Denique antequam reviviscat qui mortuus est, aut inveniatur qui periit, maxime hoc pietatis jejunare, orare et flere, ut reviviscat et inveniri possit. Hujus rei mysticum exemplum, vidua illa de Evangelio, cujus filius unicus defunctus, per portam civitatis efferebatur, cui dixit Dominus *misericordia motus super eam! Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico: Surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ* (*Luc.* VII). Vidua namque mater sancta Ecclesia est; vidua, inquam, pro eo quia vir ejus præcrucifixus, et mortuus fuit, et licet resurrexerit; et nunc vivat, tamen præsentia corporali hic non est, sed ascendit in cœlum, et ad dexteram Patris sedet; filius ejus est quisque credentium, ex quo sacramentis ejusdem Ecclesiæ Christo renatus. Moritur autem filius, et

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

per portam civitatis effertur, quoties mortiferum crimen admittit, usque ad effectum operis, sive manifestum opus. Hic pietate opus, hic matri super mortuo filio flendum et orandum est. Mors enim peccati, mors cruenta, mors pavenda est. Laborat hic sancta Scriptura vel spiritus Scripturæ sanctæ, conditor Spiritus, ut quoquo modo magnitudinem periculi, et horrendum genus **713** mortis sentire valeamus, id quod homo peccando moritur. Ait enim : *Et signum magnum apparuit in cœlo. Et mulier amicta sole, et luna sub pedibus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Et in utero habens et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat* (*Apoc.* XII). Et subinde : *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret* (*ibid.*). Quamvis enim juxta quemdam altiorem sensum, semel hoc factum sit, et fieri non desinit usque ad finem sæculi, semel videlicet hoc factum est, quando universa patriarcharum et prophetarum electorumque omnium Ecclesia per Mariam virginem, quæ ejusdem Ecclesiæ portio est, Christum in carne peperit, cum magno clamore magni desiderii, et diutinæ exspectationis. Tunc *stetit draco ante mulierem, ut cum peperisset*, statim *devoraret filium ejus*, statim quippe in Herode fuit quærente puerum, ut perderet eum, et extunc persecutus est usquequo crucifigeretur, dicens : *Quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XLI). At ille filius masculus idem Deus fortis erat, et idcirco raptus est ad Deum, et ad thronum ejus, resurrexit enim et ascendit in cœlum usque ad Patris thronum recturus gentes in virga ferrea (*Apoc.* XII), id est inflexibili justitia. Tunc, inquam, semel factum est, ut staret draco ante mulierem parientem, devorare volens filium ejus] (*ibid.*), ita ut periret nomen ejus, nunc autem, sicut jam dictum est, fit et fieri non desinit, ut stet ante mulierem ad devorandum quempiam de filiis ejus, in Christum credentibus. Nam quempiam Christo acquirere, vel in quovis Christum formare, si non esset parturire, non diceret Apostolus : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* V). Laborat ergo iste sanctus pietatis Spiritus, sensum nobis imprimere faciemque ostendere crudelis et horrendæ mortis hujus, mortis peccati, quia homo a Deo vivo separatur, et principi mortis diabolo incorporatur, dum tales ostendit imagines mulieris parturientis, et draconis magni, draconis rufi septem capita habentis, stantis ante illam, et parati ad devorandum filium ejus. O quantos, quamque horrificos hiatus oris et gutturis, quam cruentos dentes, quam profundum tartarum ventris ejus, viderat hoc in eodem pietatis spiritu, cum diceret prædictus Apostolus : *Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt* (II *Cor.* XII). Hoc igitur, ut prædiximus, verum et perfectum pietatis opus est, flere et lugere eos, morte ejus qui mortuus est, et perditione ejus qui periit, et tunc demum manducare, epulari et gaudere, cum revixerit, cum inventus fuerit.

CAPUT XIV.

Quod hodie gaudendum non solum quidem sit in domo patris, quia qui mortuus fuerat, revixit filius, sed etiam dolendum, quia frater senior foris stat, et ingredi non vult.

Grátia tanti patris hujus, ecce hodie, tali convivio, talibusque gaudiis intersumus, et ita demum vera pietate epulamur, si de conversione peccatoris in Domino gaudemus. Verum et illud ad pietatis officium, ut aliquantisper gaudium diminuatur in nobis, duritia fratris nostri qui foris est, quia stat pertinaciter indignatus, et introire non vult, sicut de illo scriptum est : *Et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum. Et vocavit unum de servis, et interrogavit, quæ hæc essent. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem, et nolebat introire* (*Luc.* XV). *Frater* ille populus Judaicus est, ex eo nimirum frater populi gentium, quia Deus unus est Judæorum et gentium, quia quem plasmavit unus Adam pater omnium est. Dicitur autem et *senior* frater, quia prior venit ad unius Dei cultum. *In agro* quoque fuisse dicitur, quia res agrestes, id est terrenas retributiones operando justitias, sequebatur legis. De hoc vigilanter intuendum est quid dictum sit quia *indignatus nolebat introire*. Non per ignorantiam foris manebat, sed sciendo cognoverat quod pater domi esset, quod gauderet super eo qui perierat et inventus est. *Vocavit* enim *unum de servis*, et interrogans quæ hæc essent quæ audierat, certus factus est, et quod verum erat ab illo didicit. Non ergo arbitremur Judæos per ignorantiam foris stare, et in evangelicam domum nolle introire, illos maxime, qui unum de servis vocare possunt et interrogare, id est prophetarum voces quæ per omne Sabbatum leguntur, audire et sensum aliquo modo percipere. Si enim ignorarent, aut non intelligerent, et non potius intelligere nollent ; si, inquam, per ignorantiam, et non potius per invidentiam foris starent, odientes gentium salutem, non conveniret talis parabolæ textus, quo et prius auditur symphonia, et chorus, et ab uno de servis vocato certius cognoscitur, quod intus agatur. Symphonia quippe concors et consona est evangelicæ prædicatio gratiæ, chorus autem gratiarum actio est, et vox laudis quæ in omni terra, et per omnes terras, corporaliter quoque auditur Judæis, qui per omnes gentes dispersi sunt, audientibus, et quaqua versum distracti sunt nostros per vicos et urbes urbiumque plateas festivitates aspicientibus nostro die ac nocte

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

foris, et intus choros, quibus Deum et Christum ejus cum Spiritu sancto laudamus, visu et auditu percipientibus. Porro unus de servis quem ille vocare, et a quo interrogare potuit, unitas est, et una veritas omnium quas Judæus recipit, Scripturarum Veteris Testamenti. Duo sunt servi ex quibus res poterat inquiri, quia duo sunt Testamenta, Vetus et Novum, ex quibus, si vellet, Judæus potuisset perdoceri. At ille unum tantum vocavit, et ille unus quod satis est edixit, veritatem omnem expressit. Ubi enim tacet Vetus Testamentum, reversionem minoris fratris, et occisionem vituli saginati, id est conversionem gentium, et passionem Christi Filii Dei? Exempli gratia: In exordio sermonis, quo Deus Abraham alloquitur, talis est ratio, talis causa, quæ advocationem præstet, recipiendis gentibus, et supercilium deciliat Judæorum, quod nequaquam sine illis salventur: *Egredere*, inquit, *de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, eriseque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ* (*Gen.* XII). In repromissione quoque: *Per memetipsum*, inquit, *juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ* (*Gen.* XXII). O Judæe, etiam si tu **714** universus talis sis qualis Abraham exstitit, et ita obediens per omnia, sicut ille obedivit voci Domini, quid aliud exigere potes vel poteris pro mercede tua, quam quod Abrahæ Deus promisit, sive repromisit? Et nunquid cœlum aut paradisum promisit se daturum, vel soli illi quod ex carne ejus est semini, si suæ obediret voci? Non utique, sed tantum semen quoddam promisit, semen benedictionis, in quo non solus Judæus, sed omnes gentes benedicerentur. Quod sit illud semen, quis sit modus benedictionis, propheticus omnis ordo contestatur, quia Christus est et remissio peccatorum, quæ per sanguinem ejus datur. Igitur ille quidem impie agit, quia salutem foris odit, sed ille qui inventus est, qui revixit intus, ad pietatem eruditur, ut, non reddat malum pro malo, sed odientem diligat, invidenti condoleat, et si nondum adeo perfectus, saltem foris relicto non insultet. Nam hoc est quod Apostolus ait illi: *Si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt rami, tu autem fide stas. Noli alte sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nec forte tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI). Hoc audire et sic facere pium est. Secundum exemplum ipsius qui hoc docet, ipse enim qui sic persuadet, supra ostendit, sese hoc ipsum facere quod docet: *Veritatem*, inquit, *dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* IX), etc.

CAPUT XV.

Futurum esse quod dictum est: « Pater ergo illius egressus cœpit rogare eum, » et quomodo dici conveniat illi: « Fili, tu semper mecum es. »

Futurum autem est ut fiat quod sequitur: *Pater ergo illius egressus cœpit rogare* (*Luc.* XV). Nam hoc est quod loco præmemorato Apostolus ait: *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est* (*Isa.* LIX): *Veniet ex Sion qui eripiat, et advertat impietatem a Jacob* (*Rom.* XI). Quod est enim cæcitatem in Israel contigisse, hoc est fratrem indignatum nolle introire. Porro quod est venire ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem ad Jacob, hoc est patrem foras egredi et rogare invidentem, ut, deposita impietate, ad convivium pietatis introeat. Verba ipsa quibus impietatem Pater aversurus est, hæc mystica sunt: *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est* (*Luc.* XV). Sequentis versiculi sensus perspicuus est, præcedentis autem partim quæstione indiget, partim perspicue patet. Nam quod ait: *Et omnia mea tua sunt*, illud itidem est quod Apostolus ait: *Quorum adoptio est filiorum et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen* (*Rom.* IX.) Ergo perspicuum est. Porro, quod ait, *tu semper mecum es* (*Luc.* XV), ideirco quæstione indiget, quia quandiu foris stat ille filius, et introire non vult, utique cum patre non est. Sed antequam junior frater iste reverteretur, antequam convivium istud celebraretur, id est antequam Christus pateretur, cujus hodie carnem manducantes, et sanguinem bibentes, epulamur, non semper cum eo erat, quod aperte cognoscit quisquis sacras legit historias, quibus narratur, quod multoties de conspectu patris, et de domo ejus exsiliens filius ille senior, currebat ad porcorum siliquas, adorans idola, sacrificans Beelphegor, et cætera coleus vicinarum gentium dæmonia (*Num* XXV: *Psal.* CV). Ergo quod ait, *tu semper mecum es*, aut pro parte dicit eorum qui quamvis pauci de populo illo superant non relinquentes Deum patrum suorum, sicut tunc quando dictum est ad Eliam: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua Baal* (*III Reg.*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

xix ; *Rom.* xi), aut cum gravissima denotatione causa redditur cur illi filio convivium nunquam fecerit pater, ut cum amicis suis epularetur. Quod si ità placet dum dicit, *tu semper mecum es*, idem est, ac si dicatur : Tu tibi arrogas, quia justus es. Ego autem non veni facere convivium hujusmodi justo, sed peccatori. Dixerat enim ille : *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, hic autem dissipavit substantiam* suam, cum meretricibus vivendo luxuriose. Itaque quod ait, *tu semper mecum es*, sic dictum potest intelligi, non quod ita sit, sed quod ita ille arroget sibi, quippe qui hodieque cum foris sit solum se esse jactat populum Dei, et cum præ invidia et infidelitate moriatur, quasi de justitia præsumit, quemadmodum Apostolus ait : *Quærentes suam justitiam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x).

CAPUT XVI.

Quid in eo intelligendum sit quod ait : « Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. »

Antequam avertatur hæc impietas ab Jacob, antequam pietatis regulam audiat vel accipiat ex ore patris ille senior, quid dicit patri suo. Cum præmisisset : *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi*, confestim indignanter, ac murmurantis animo subjunxit : *Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum* (*Luc.* xv). Etenim jam quidem dictum fuerat quia *Pater illius egressus, cœpit illum rogare*, sed ipsa rogantis verba præcurrunt hæc quæ filius ille dixit, et tunc demum sequuntur illa, cum dicit : *Fili*, tu *semper mecum est, et omnia mea tua sunt, epulari autem et gaudere oportebat* (*ibid.*), etc. Ergo invidiam populi Judaici, quæ nunc est, atque improbam intentionem, qua illum, qui veniet in nomine suo, videlicet Antichristum desiderat, hæc fratris verba sonant. Unde et notandum quod ait, *et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer*, non dixit agnum sive vitulum, sed *hædum*, ait, *non dedisti mihi*, non dixit *ut epularer* tecum, sed *cum amicis meis*. Siquidem Antichristus quem exspectat, quemque in suo nomine venientem, ille populus suscipiet, non erit agnus, velut ille de quo scriptum est : *Et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (*Isa.* liii), sed erit hædus eorum maximus, qui sedente rege in sede majestatis suæ, ad sinistram statuendi sunt, cujus in typum caper emissarius jubente Domino per Moysen, maledictus et consputus in desertum emittitur (*Lev.* xvi). Nam si aliquando per hædum Christus quoque intelligitur, hoc pro causa externa fieri cognoscitur, quia videlicet pro innocentia agnus pro peccatis multorum, quæ super se tulit, dicitur hædus. Ergo cum dicit frater ille : *Nunquam dedisti mihi hædum*, fatigatio subintelligitur populi Judaici, suspirantis quod nondum acceperit Antichristum. At idem eum quem exspectat, quem susceptu**715**rus est, non Antichristum nominat, sed Christum : Quare ergo parabola hæc illi imponit quod murmuret propter hædum, quodve illum in quo cupit epulari nuncupet hædum? Videlicet ut arguat populi illius cupiditatem sensumque terrenum, quia nimirum et si illum voce et labiis nominat Christum, sensu et intentione profitetur se exspectare Antichristum. Non enim talem exspectat qui mortuos vivificet, sed qui viventes occidat, non eum qui pacem faciat, sed eum qui bella concitet et humanum sanguinem fundat.

CAPUT XVII.

De hædo, quod Antichristus sit, cujus adventu populus ille optat epulari.

De illo falso agno et vero hædo, falso Christo et vero Antichristo post draconem, qui, ut superiori libro diximus, mulierem persecutus est, et de ore suo post illam flumen emisit, sic scriptum est : *Et steti super arenam maris* (*Apoc.* xii). *Et vidi de mari ascendentem bestiam, habentem capita novem* [vulg. habet *septem*], *et cornua decem* (*Apoc.* xiii). Et subinde : *Et unum de capitibus suis, quasi occisum in morte, et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magnum et blasphemiam, et data est illi potestas facere menses quadraginta duos* (*ibid.*), etc. Bestia namque de mari ascendens, universum corpus significat, cujus draco ille, id est diabolus, caput est, videlicet universam multitudinem impiorum. Septem capita ejus et decem cornua ejus eadem sunt, id est omnis terreni regni potentia quia videlicet septem capitibus omnes reges ejus, et decem cornibus omne regnum ejus figuratur. Nomina blasphemiæ super capita ejus, quia dii appellati sunt reges ejus. *Unum de capitibus ejus quasi occisum*, cujus plaga mortis curata est, Antichristum significat, pertinentem ad terreni regni capita, qui imitatione veri capitis nostri, quasi occisum resurrexisse, et pro Christo qui vere hoc perfecit, suscipiendum se audet exhibere. Cujus commenti dicitur in Simone Mago præcessisse fallacia. Itaque æstimatione quidem seductorum, et simulatione sui agnus erit, revera autem hædus, imo et bestia sive cornu bestiæ, in cujus superbia et crudelitate epulabitur, vel epulari vult ille frater invidus, qui et merito condemnabitur, quia non credidit veritati, suscipiet autem mendacium, ita tamen ut, sicut jam per prophetam dictum est, et Apostolus meminit, reliquiæ salvæ fiant.

CAPUT XVIII.

De persecutione ejusdem Antichristi, quod magna futura sit.

De persecutione ejus, videlicet Antichristi, quod vere magna futura sit, Dominus gravissima denuntiatione asserit, cum in Matthæo dicit : *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate autem ut non fiat fuga vestra hieme vel Sabbato. Erit*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere; surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV). Hoc ipsum est, quod verbis aliis in Apocalypsi dicitur hoc modo: *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere illos, et data est ei potestas in omnem tribum et populum, et linguam, et gentem. Et adorabunt eum omnes qui habitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ, et agni qui occisus est, ab origine mundi* (*Apoc.* XIII). Et subinde: *Et fecit signa magna ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram, in conspectu hominum. Et seducit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere* (*ibid.*).

CAPUT XIX.

De abundantia pietatis, qua tandem ille frater, id est omnis Israel, salvus fiet.

Post tantam impietatis abundantiam, magnifice operabitur Spiritus pietatis, dicente patre fratri illi seniori: *Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est* (*Luc.* XV). Hoc enim audiet ille in reliquis, quæ convertentur et salvæ fient de populo illo, et implebitur illud propheticum cujus Apostolus memor: *Veniet*, inquit, *ex Sion qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob* (*Rom.* VIII). Tunc denique epulabitur ille senior cum fratre juniore et cum patre in domo Christi doctus nihil profuisse, quinimo falsum esse quod dixerat: *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi* (*Luc.* XV), doctus, inquam, nihil valuisse sibi quod se semper cum patre fuisse, vel quod omnia quæ patris sunt sua esse confidit, quod nonnullo modo verum esse potest, in tantum ut testetur ipsa salus ipse Salvator ore proprio: *Quia salus ex Judæis est* (*Joan.* IV), quinimo etiam pro detrimento cuncta reputari, et arbitranda esse ut stercora, ubicunque sint vel fuerint extra illud convivium, extra veras pietatis delicias. Hoc facto, implebunt illud quod in Joseph mystice præfiguratum est, quando dominus terræ princeps Ægypti cognitus est a fratribus suis, et epulati sunt cum eo meridie, et ipse bibens inebriatus est cum illis (*Gen.* XLIII). Dixitque eisdem venditoribus suis: *Vos cogitastis de me malum, Deus autem vertit illud in bonum* (*Gen.* L). Hoc dicet illis non improperando, sed cum indulgentia et gratia, miraculum illius altissimi consilii sui præsentando.

CAPUT XX.

Quod interea dum ad pietatem exercemur, cavendum sit ne falsa pietatis imagine fallamur.

Interea dum pietati studemus, dum ad pietatem exerceri jubemur, simul veritate opus est ut vera pietas et vera sit veritas, ne quando pietatis falsa imaginine fallamur. Est enim remissio quæ pietas vult videri, sed profecto longe est a spiritu pietatis, quia videlicet remittendo solvit, parcendo odit, dum per inertiam et mollitiem suam, vitia quæ amputari debuerant, nutriri permittit. Non sic sancti pietatem **716** prædicant, ut districtionis dignitatem prætermittant. Ab hac suspicione quidam illorum eximius semetipsum eximens, cum dixisset in ipsa correptione prudenter agendum, et ne quid nimis dicens, ne, dum nimis cupierit eradere æruginem, frangatur vas, suamque fragilitatem, semper suspectus sit, memineritque scriptum calamum quassatum non conterendum (*Matth.* XII), continuo subjunxit: In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum charitate amputet, prout viderit cuique expedire. Quod si exempla quæruntur, et quis erit Moyse clementior, aut magis pius? Scriptum quippe est: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra* (*Num.* XII). At ille, ubi causa poposcit, districtus esse novit, et stans in porta castrorum, ait: *Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi. Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et unusquisque occidat fratrem et amicum et proximum suum* (*Exod.* XXXII). Hoc fecit tanquam districtus, et bono zelo rigidus (*Isa.* XLII). Verumtamen in ipso districtionis rigore, suæ mansuetudinis quia mitissimus erat, nequaquam oblitus. Sequitur enim: *Facto autem die altero, locutus est Moyses ad populum: Peccatis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum magnum, fecerunt sibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (*ibid.*) Est igitur veræ pietatis seu veræ mansuetudinis socia, semper pro tempore et re discretio rationabilis, scilicet ubi vel quando culpa per aliam cognita est, quam per auctorem sui; et utriusque rei exemplum salutare nobis in Moyse præfulsit.

CAPUT XXI.

De evangelico exemplo villici, dicentis: « Fodere non valeo, mendicare erubesco, scio quid faciam, » etc., qualiter in exercitio pietatis imitandum sit.

Cæterum est ubi vel quando itidem pro tempore et re sola incedere audiat pietas absque virga districtionis, scilicet dum id quod secrete admissum est, nihilominus secreto et voluntarie prodit humilitas confessionis. Et hujus rei nobis exemplum ingerit ipse in quo totus et semper inhabitat Spiritus pietatis laudans prudentiam villici illius, qui hoc modo sibi providit: *quid faciam*, inquit, *quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco* (*Luc.* XVI). Et continuo bonum reperiens consilium: *Scio*, inquit, *quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus Do*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

mini sui dicebat : Quantum debes domino meo? At ille ait : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede, cito scribe, quinquaginta (ibid.), etc. Denique sicut præcedens parabola de filio prodigo et fratre ejus seniore, qui redivivo atque invento invidit, mysterium continet populi gentilis et populi Judaïci, sic sequens ista forma est prælati, cujuspiam et subditi peccatoris ejus duntaxat, cujus peccata præter Deum et conscientiam ipsius arbiter nullus sit. Etenim quisquis animabus præsidet nimirum villicus summi Domini est, qui si veram et vere humilem prudentiam habet, si vere aliquod justitiæ initium habet, quotidie judicat semetipsum in conscientia, vel cogitatione sua, juxta illud : *Cogitatione justorum judicia* (*Prov.* XII). Ponit in mente sua domini sui tribunal, et accusante conscientia, *justus* enim *in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII), confessio judicat, timor ligat, ibique audit, vel audire sibi videtur dictum Domini sui : *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Jam enim non poteris villicare.* Qui enim animas custodit, vel custodire debuit, multam et magnam se agnoscit dissipasse substantiam Domini sui, si rite perpendat, quomodo servare debuerit. Hoc perpendens veraciter confitetur quod amovendus, quod merito ejiciendus sit, si secundum judicium solum secum agatur. Providens ergo sibi, ut miseri cordiam inveniat, fit misericors ipse subditis, vocans unumquemque eorum singillatim, et dicens illi : *Quantum debes Domino meo?* Nam hoc est sollicitum esse de subdito quolibet vel sibi commisso, et privata atque secreta commonitione, rogare ut aperiat, quantum debeat Deo, id est non celet peccata sua, sive cogitationes malas advenientes cordi suo, juxta illud : *Dixi : Confitebor adversum me injustitias meas Domino* (*Psal.* XXXI). Qui si confestim dixerit : *Centum cados olei*, sive *centum choros tritici*, id est si vocem confessionis simpliciter aperuerit, et peccata sua numeraverit, sive magna et multa esse non tacuerit, utitur ille prudentia et arte sua : *Sede*, inquiens, *cito scribe quinquaginta ; sede cito, scribe octoginta*, ita tamen ut singulis præscribat ipse, dicens : *Accipe cautionem tuam*, quod est dicere : Tantummodo tibi caveas ut de cætero emendes pœnitentiæ austeritatem debitam, leviorem fac. Verbi gratia, qui septennem sive duodennem pœnitentiam debueras, si ad publica tractus fuisses Ecclesiæ tribunalia, uno anno sive quadraginta diebus, aut juxta exemplum Ninivitarum triduo pœniteat, et ego pro te in die judicii Domino meo rationem reddam. Tantum placere debet hæc similitudo villici, qui Domino quidem suo villicus iniquitatis, villicus damnosus exstitit, sed pro se prudenter egit, et sibi prudenter consuluit, tantum, inquam, apud spirituales valere debet exemplum villici sæcularis, ut merito redarguant semetipsos, et dicant : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (*Luc.* XVI). Hoc enim veritas dixit, et sic debet intelligi, sæculares homines prudentius, vigilantius, atque cupidius commodis temporibus et transitoriæ saluti suæ prospiciunt, quam spiritualis propositi viri, circa æternam suam sollicitudinem, studiumque pietatis adhibeant. Imitemur ergo saltem illos in his quæ sunt ad Deum, excitemur saltem exemplo illorum in his quæ pertinent ad vitam æternam.

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI

LIBER NONUS.

DE TIMORE DOMINI.

717 CAPUT PRIMUM.

De spiritu timoris Domini, quod maximum instrumentum sit exspectatio judicii universalis.

Omnium quæ nobis ex sancta et veridica Scriptura credere et confiteri tradita sunt, finis est universale judicium, quod vere maximum et præcipuum est, ejus qui post spiritum pietatis in descendendo ponitur spiritus Domini, instrumentum. Illic enim timor non modicus est, illic timore non parvo trepidandum est. Veraciter iterum atque iterum dixerimus, quia illic timor est, et quia qui non trepidat ibi timore, iste sapiens non est. Tunc enim *timebunt angeli*, ait Dominus, *et territi purgabuntur* (*Job* XLI). *Vix* enim *justus salvabitur* (*I Petr.* IV), etiam si pro merito justitiæ talis sit, ut recte vocetur angelus, cujus labia custodierunt scientiam, et qui legem ex ore suo quærentibus, factus est Domini exercituum angelus, id est nuntius (*Mal.* II). Bene ergo spiritus timoris Domini dicitur pro hoc ipso quod primitus aspirando, nobis insensatis et elatis, et idcirco insensatis, quia elatis fidem facit eorum quæ illic visuri quæque audituri sumus, ut credentes et recogitantes timeamus, timentes stultitiam relinquamus et ad sapientiam fugiamus.

CAPUT II.

De magno die judicii ejusdem, quomodo consimilis sit primo dierum sæculi.

Dies ille dies magni judicii, novissimus erit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

dierum sæculi. Respiciamus nunc ad illum, quem numero primum sancta Scriptura diem posuit in exordio sui, quando *divisit Deus lucem et tenebras, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem, factumque est, ait, vespere et mane dies unus* (*Gen.* 1). Idcirco autem numero primum, quia sicut illic pro posse diximus, alius est dies natura primus, ille autem numero tantum vel ordine creationis primus. Nam qui vere est primus, non temporalis est, sed æternus, non de creatura lucens, sed creaturam illuminans lux. Quod sciens scriptor noluit dicere, factumque est vespere et mane dies primus, sed *factum est*, ait, *vespere et mane dies unus*. Respiciamus, inquam, ad illum diem, et consideremus admirandam operum Dei dispositionem, qui eamdem quasi ædituum terribilem posuit timorem ad custodiendum introitum et exitum Scripturæ, sive operum suorum, ut quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur, et in introitu inveniat cur valde timeat, et in exitu audiat cur multo maxime contremiscat. Denique cum dicitur : *Divisitque lucem et tenebras, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*, ibi angelos judicatos, et bonorum malorumque spirituum divisionem sociabilem atque immutabilem factam esse intelligimus, et hic angelorum pariter et hominum judicium immutabile esse faciendum, claris Scripturæ vocibus audivimus. Illic angelos apostatas de cælo in istum caliginosum aerem projectos, hic eosdem angelos et eorum sequaces homines impios, non ignoramus in ignem æternum esse projiciendos.

CAPUT III.

De septem spiritibus Domini, quod qui primus erat in hoc opere, idem sit et finis, scilicet spiritus timoris Domini.

Gratias igitur huic Spiritui Domini, Spiritui sapientiæ et intellectus, Spiritui consilii et fortitudinis, Spiritui scientiæ et pietatis, et Spiritui timoris Domini, quia melius quam nos ipsi præparare aut providere potuimus, nos abundare voluit, et in veritate experiri fecit, id quod vagienti et esurienti infantulo Israeli spondere dignatur : *Dilata os tuum et implebo illud* (*Psal.* LXXX), atque per tam longa spatia recto nos itinere duxit et reduxit, ita ut quod principium, idem sit finis, et eundo et redeundo videamus, et videmus omnibus ascendentibus jam in sublimi positis necessarium esse fundamentum timoris Domini. Nunc cognoscimus, et cognoscere audemus consulte nos egisse, et bonitate sua hunc Spiritum, qui est ipsa bonitas, nostræ parvitati consuluisse. In quo? in eo videlicet ut de sancta trinitate et operibus ejus scribere proponentes, septem spiritus Dei pro oculis, id est in intentione haberemus, non dubitantes bonum Deum, quæcunque fecisset aut faceret, fecisse et facere secundum septiformem potentiam hujus sæculi bonitatis hujus sui boni et sancti Spiritus. Hac etenim intentione, ut vere simplici oculo et tanquam vera lucerna præeunte videmus, in opere Domini cuncta visibilia et invisibilia creantis, dispositos esse gradus septem dierum, secundum istum septiformem Spiritum, a timore usque ad sapientiam, ut vere citer Scriptura dixerit : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Job* XXVIII ; *Psal.* CX ; *Prov.* VIII), et deinde lapso homine, iterum eodem ordine gradus et profectus septem ætatum, secundum eosdem septem spiritus Domini, et deinde a passione Domini reciprocato ordine gradus eosdem a sapientia usque ad timorem Domini, et ita, secundum eosdem spiritus, ubique magna et exquisita, mirabiliterque ordinata opera Domini (*Psal.* CX). Sedeamus **718** hic in isto fundamento necessariæ solitudinis, et quod reliquum est sermonis tam diutini, perficiamus in timore Domini.

CAPUT IV.

De distinguenda significatione timoris.

Primo dicendum bifariam dividi significatum boni timoris, ita duntaxat ut non quidem aliunde, sed tamen pro diversis qualitatibus timentium, timor quo timetur Deus alius et alius sit. Est etenim timor servilis, et timor liberalis, Timor servilis, sive timor servorum est quo pœna peccati timetur. Timor liberalis est idem timor filiorum quo detrimentum gratiæ cavetur. Utrumque ab alterutro clarius distinguere conemur. Timor servilis, qui pœnam habet, incipientium est, id est eorum qui nunc primum ad Deum respicere et gehennæ ignis memores esse incipiunt, et ea memoria adversus, peccatum resistere contendunt. Illic non jam sapientia, sed tantum sapientiæ initium est, nec adhuc omnino timor Domini, sed timor mortis, nec adhuc recte timor sanctus, sed tantum timor, aut certe timor pœnalis, aut anxius dicitur. Porro timor liberalis perfectorum vel ad perfectionem tendentium est, id est eorum qui post conscientiam superiorum gratiarum sponte ad timorem propter cautelam sese demittunt. Differt hic ab illo plurimum et multis modis, maximeque in eo quod illum servilem atque pœnalem *perfecta charitas foras mittit* (*Joan.* IV), iste autem liberalis et *sanctus* permanet in *sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Hoc autem utrique commune est, quod uterque animam pungit, et quasi sanguinem animæ lacrymas per oculos emittit, diversis tamen causis agentibus. Nam in illo causa est angustia mentis sollicitæ ne in gehennam mittatur, in isto causa efficiens est ad desiderium animæ eo quod peregrina sit et a regno differatur. De timore incipientium, qui et servilis sive pœnalis dicitur, nunc locus et propositi ratio postulat ut loquamur.

CAPUT V.

Quod quatuor sint timores, quorum perceptibilis est anima hominis, duo mali et duo boni.

Timor iste, vel perturbatio animæ, est veniens ex fide et Spiritu Dei. Quatuor enim sunt timores, quorum anima hominis perceptibilis est, et idcirco dum de uno proponimus, definitione opus est. Duo mali, duo boni sunt timores. Est enim malus timor

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

passio quædam vel perturbatio animi, sed neque ex fide veniens, neque ex Spiritu Dei, quem improbant etiam sæculares philosophi, apud quos lecitantur etiam et sæpius quatuor animi passiones, gaudium, timor, spes atque dolor, et econtrario totidem virtutes, temperantia, fortitudo, prudentia atque justitia. Timor ille idcirco malus est, quia perturbat inde animum, unde perturbari non debuit, scilicet de amittendis opibus sæculi, vel de incumbentibus adversis, quæ oportuerat pro utilitatis causa fortiter sustineri. Item timor malus est ex fide quidem, sed non est ex Spiritu Dei, quo interdum turbatur animus, sed non se corrigit. Hic jam forte quærat aliquis quomodo possit esse ex fide, quod non est ex Spiritu Dei, cum ipsa fides donum sit Spiritus Dei? Ad hæc Jacobus apostolus dicit: *Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis. Et dæmones credunt et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est* (*Jac.* II). Idemque supra dixerat: *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (*ibid.*). Est ergo timor malus ex fide quidem, sed non ex Spiritu Dei, quia non ex fide *quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* V), sed ex fide otiosa, et ideo mortua. Et hunc timorem omnes quidem et semper dæmones habent, quia *credunt et contremiscunt*; homines autem mali non omnes, sed multi desperati habent, quomodo ille de quo in Actibus apostolorum ita legitur: *Post aliquot autem dies, veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum et audivit ab eo fidem quæ est in Jesum Christum. Disputante autem illo de justitia et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te. Simul et sperans quia pecunia ei daretur a Paulo, propter quod frequenter accersens eum, loquebatur cum illo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum* (*Act.* XXIV). Tremefactus est, sed non se correxit, qui tali modo gratiam præstare Judæis, et correctionis magistrum vinctum reliquit. Sed quid tam longe timoris hujus exempla petivimus? Primus homo timore isto timuit: *Vocem tuam*, inquiens, *Domine, audivi et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me* (*Gen.* III). Neque enim bene timuit, qui se abscondit, et culpam confiteri noluit. Bonorum differentias timorum supra diximus, quia videlicet alter servilis, alter liberalis, alter incipientium, alter perfectorum est, alter pœnam pavet, alter detrimentum gratiæ cavet. Sed et in hoc differunt quia alter quidem passio vel perturbatio, alter vero pax et requies animi est. Alter enim dicit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde* (*Psal.* VI). Et subinde: *Turbatus est a furore oculus meus* (*ibid.*). Alter vero ita tranquillus, quietus, et ab omni perturbatione remotus est, ut de illo veraciter quidam sapiens dicat: *Qui timet Dominum nihil trepidabit et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Firmamentum virtutis, tegmen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam et benedictionem* (*Eccli.* XXXIV). Igitur timoris boni quidem, sed nondum perfecti et optimi timoris pœnam habentis, quem *perfecta charitas foras mittit*, vera et sufficiens est illa definitio, quam diximus, quia passio vel perturbatio animi est veniens de fide et de Spiritu Dei.

CAPUT VI.

De timore bono, sed nondum perfecto, quomodo dividat hominem contra semetipsum voluntatibus contrariis.

Primum hoc habet utile timor iste, quod hominem unum eumdemque contra semetipsum dividit, ut quasi duo sint in alterutrum divisi voluntatibus contrariis, quemadmodum Apostolus dicit: *Caro enim concupiscit adversum spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis illa faciatis* (*Gal.* V). Non enim hoc ita dictum est, ut quidquam suffragari putanda sit hæresi illi quæ animam hominis partem Dei habere dixit, corporis vero figmentum a Deo malo factum, et ideo contrariis sibimet diversisque substantiis carnem lætari, animam contristari, et in quibus exsultat anima, carnem affligi. Non est non quod dixit, *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem*, sed caro totus homo est ante aspirationem timoris Dei, caro, inquam, id est carnalis. Ubi autem aspirat et animæ ejus incidit Spiritus timoris Dei, jam partim caro, partim spiritus est, et contra invicem hæc duo pugnant voluptatibus contrariis. Pugnam ipsam alio loco idem Apostolus plenius exprimit, dicens in persona cujusque infirmi et imperfecti: *Ego autem vivebam sine lege aliquando* (*Rom.* VII). Quid est, *vivebam sine lege aliquando*, nisi operabar quæ volebam sine timore? Sine lege enim vivit, qui sine respectu peccati timoris Dei, qui lætatur cum malo fecerit, et exsultat *in rebus pessimis* (*Prov.* II). *Sed cum venisset mandatum*, inquit, *peccatum revixit* (*Rom.* VII). Ecce origo belli et initium seditionis, de qua dixit, *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*. Venit enim mandatum, quando aspirat hic spiritus timoris, et animam facit esse memorem mandati, memorem futuri judicii. Tunc sine dubio peccatum reviviscit, quod antea quasi mortuum fuerat, quia segnius et negligentius urebat ardor peccati, acrius perurget, et quasi tyrannizat, audiens quia contra se in atrio ejusdem animæ Spiritus iste portitor mandati resultat. Fit itaque discordia magna concurrentium spiritus et carnis, id est mandati et peccati, sive boni timoris et malæ cupiditatis. Ita divisus homo postmodum dicit: *Condelector legi Dei, secundum interiorem*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

hominem. Video autem aliam legem in membris meis A *repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Hæc est illa pugna sive discordia carnis et spiritus, quam non aliter scire potest homo, nisi experiatur. Amplius autem ex eo quod subinde dicit : *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*ibid.*). constat unum eumdemque hominem contra semetipsum dividi, ita ut aliud suadeat timor Dei sive timor mortis, aliud infirmitas sive consuetudo carnis. Interea timor Dei crescit et convalescit, ita ut peccatum in carne habitans abjiciatur, et tunc demum qui remanet intus sit timor sanctus, et loco peccati quod ejecit, socia tandem charitate fruatur. Hoc suspirans inter pugnandum loquitur : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* B *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*ibid.*). Quomodo autem iste timor crescat et usque ad pacis sanctitatem perveniat, ipse Dominus in Evangelio tali similitudine demonstrat : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat; exsurgat die ac nocte, et semen germinet et increscat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica* (*Marc.* IV).

CAPUT VII.

De terribili judicio Dei, quod vere magna timoris hujus substantia vel causa sit.

Quid tandem illud est quod timor iste animam sibi vindicat, et ad consensum sui provocat? Nimirum terribile judicium Dei, quod futurum in novis- C simo die omnis Scriptura, divinitus inspirata, jugiter prædicat. Magna plane vis et grandis materia, qua timor idem, si parvus vel tenuis erat, quotidie pascatur et convalescat. Nam ut cætera nunc interim taceam, vel differam, summa illius judicii consideratio est homini scire vel retractare quia, post hanc vitam, maxime autem post illud universale judicium, peccatori et impio non magis quam diabolo ulla superest pœnitentia. Nonne miserrimum esse diabolum perpendit, quisquis considerat in eo quod et accepit, jam pro suæ merito iniquitatis, ut quia, cum liceret, proficere noluit, jam proficere nec velit, nec possit, et accepturus est in illo judicii die pœnas ignis æterni, quibus nullus sit finis? Omnes quippe angeli cum libero arbitrio conditi sunt, et D sic bene constituti ut in melius proficere haberent. Profecerunt qui voluerunt, qui bonam voluntatem habuerunt. Defecerunt et apostataverunt qui sibimet quam creatori suo placere maluerunt. Factum est deinde eorum judicium, et qui, cum peccare possent, peccare noluerunt firmiterque in amore Creatoris pedem fixerunt, hoc in remunerationem acceperunt ut amplius jam peccare vel peccando mori non possint. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII), e contrario, diabolus et omnes angeli ejus, qui cum illo iniquitatem operati sunt, ita ceciderunt et ita moto pede superbiæ expulsi sunt ut jam amplius stare non possint, talem omnino retributionem acceperunt ut nunquam restitui possint, accepturi sine dubio adhuc in illo die retributionem ignis æterni. Nonne, inquam, quisquis advertit, miserrimum hoc esse perpendit? Certissime autem homo quocunque in articulo est, ejusdem periculi et rationem habet cum eodem judice Deo conditione simili. Sic enim et ipse bene conditus fuit cum libero arbitrio, ut, si vellet, in melius proficere posset, et, quia proficere neglexit Deumque contempsit, de paradiso ejectus est. Sed et nunc Redemptoris gratia, in idipsum repositi sumus, et ad hoc in præsentis temporis Ecclesiam de cunctis gentibus vocati transferimur, ut ad similitudinem Creatoris nostri vitamque æternam quam in Adam perdidimus recuperandam proficiamus. Profecerunt et proficiunt ex nobis qui volunt, ita ut filii Dei facti sint, et filii Dei fiant qui volunt. Quicunque nunc ita volentes proficiunt, talem in illa die judicii remunerationem accipient hujus bonæ voluntatis ut amplius jam deficere non possint, sintque æternaliter filii Dei æterni; et contra, quicunque ex nobis proficere nunc negligunt, vel contemnunt, talem itidem in illa die remunerationem accipient ut amplius jam proficere non possint, sintque socii et compartícipes diaboli et angelorum ejus in flamma ignis æterni. Magna igitur vere causa magnum judicium illud in anima hominis est timoris Dei materia.

CAPUT VIII.

De adventu tremendi judicis, quomodo sedebit ipse super sedem majestatis suæ.

Grande spectaculum! Ait enim ipse rex et filius regis, cui Deus Pater judicium dedit : *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris* (*Matth.* XXV), etc. Filius hominis veniet, Filius hominis apparebit. Sic inde veniet, quomodo hinc ascendit. Dixerunt enim angeli : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Quomodo viderant, qualem viderant euntem in cœlum : viderant euntem formam servi, viderant in manibus et pedibus ejus fixuram clavorum, viderant latus ejus lancea vulneratum, et talem susceperat nubes ab oculis eorum. Grande et **720** dulce gaudium intuentium, quia talis elevatus est, et grandis timor ac tremor exspectantium, quia talis, et sic veniet. Nubes enim illum suscepit, et in nube venturus est. Nam *tunc videbunt*, ait, *Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate* (*Matth.* XXIV). Ideirco vere psalmus dixit : *Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ* (*Psal.* XLVI). Apostoli namque jubilaverunt sicut scriptum est : *Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno* (*Luc.* XXIV), sed et vocem tubæ acceperunt, nobisque auditam fecerunt, qua dictum est : *Sic veniet quemadmodum vidistis*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

eum euntem in cœlum. Hæc namque prænuntiatio plena est timoris, tanquam vox tubæ grande et terribile bellum nuntiantis. Et Apostolus idem sentiens dicit : *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo* (*Thess.* IV). *In jussu*, id est in imperio majestatis; *in voce archangeli*, id est in præconio angelicæ fortitudinis judicem adesse nuntiantis; *in tuba Dei*, id est in tonitru et terrore qualem solus Deus facere possit. Tunc enim idem *Deus noster*, qui et Filius hominis, *manifeste veniet, et non silebit* (*Psal.* XLIX). Grande igitur spectaculum, ubi sic veniet cum nubibus, *et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ* (*Apoc.* I). Venient et omnes angeli cum eo. Et sicut in alio evangelista ipse testatur, eo veniente *virtutes cælorum movebuntur* (*Luc.* XXI). Quodque amplius pavendum est, qui prius venit in spiritu mansuetudinis sicut ostendit species columbæ, quæ super eum apparuit (*Matth.* III), tunc veniet in flamma ignis. Revelabitur *de cœlo cum angelis virtutis suæ in flamma ignis*, inquit Apostolus, *dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi* (*II Thess.* I). Illo igne cœli solventur, mare siccabitur, ut Patrum quidam arbitrantur, et hinc forte in Apocalypsi Joannes inquit : *Et mare jam non est* (*Apoc.* XXI). Cœlos vero calore solvendos apostolica Scriptura non tacuit. *Cœli*, inquit, *qui nunc sunt, et terra eodem verbo reposita sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis hominum impiorum* (*II Pet.* III). Item : *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur* (*ibid.*). Tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Non tanquam vicarius aut legatus super alienam sedem, ad horam vel ad tempus sedebit, sed Rex legitimus et monarcha cœli super suam sedem in sua majestate sedebit.

CAPUT IX.

Quomodo congregandæ sint ante eum omnes gentes canente novissima tuba.

Et congregabuntur, inquit, *ante eum omnes gentes* (*Matth.* XXV). Quomodo congregabuntur, vel unde congregabuntur? Resurgendo congregabuntur, de sepulcris exsiliendo congregabuntur. *Et mortui qui in Christo sunt*, ait Apostolus, *resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV). Tanta erit velocitas congregationis, sive resurrectionis, ut hi qui viventes invenientur, mortuis Domino non occurrant velocius. Nam et hoc astruens : *Hoc enim*, inquit, *vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt* (*ibid.*). *Non præveniemus*, sed *simul rapiemur. Nos qui vivimus*, ita dixit, ac si diceret, qui taliter in corpore tunc invenientur, qualiter sumus nos, qui hodie vivimus. Et vere sic dicendo, multum adauget miraculum velocissimæ resurrectionis, in qua hi, qui viventes invenientur, velociores ad occurrendum Domino esse non poterunt his, qui jamdudum in pulverem reversi sunt, quos terra consumpsit, quos mare absorbuit, quos ignis devoravit. Hinc et alibi dicit : *In momento, in ictu oculi* (*I Cor.* XV). Quomodo, inquis, tam cito poterunt inveniri, qui tam diversis modis in tam diversas partes disjecti sunt et consumpti? Vere tam cito quanto citius tu homo videre non potes illud quod palmo constringis. Nonne quaquaversum mortuorum cineres disperierunt, omnis caro in terram de qua sumpta est redit? Et nonne veraciter Deo dictum est : Terram *palmo* concludis? (*Isa.* XL.) Ergo tam cito Deus inveniet quod terra consumpsit quam cito invenis tu quod palmo constringis, scilicet *in momento, in ictu oculi*. Quomodo tam cito de tam multis exsilient sepulcris, de tam multis aquarum vel terrarum abditis? Canente tuba novissima, tonante et omnia concutiente majestate omnipotentissima. *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti* (*I Cor.* XV). Quomodo Lazarus quatriduanus mortuus resurrexit? (*Joan.* XI.) Debet enim satis esse pro experimento veritatis, pro argumento velociter et potenter agendæ resurrectionis. Nam ideirco sic illum corporaliter suscitavit, ut fidem faceret ejus promissionis, qua dixerat : *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent* (*Joan.* V), sicut et sororem ejus Mariam spiritualiter suscitavit, ut fidem faceret ejus, qua itidem dixit : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui*, id est peccatores, *audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*ibid.*). Quomodo ergo illum suscitavit? Tantummodo voce magna clamavit : *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis, et facies illius sudario ligata erat* (*Joan.* XI). Mira res! Quomodo prodiit cum *ligatus* esset *manus et pedes institis*, et ideirco ad prodeundum neque manibus neque pedibus posset uti? Quomodo vidit quo procederet vel qua cujus facies sudario erat ligata? Non ergo suum fuit quod prodiit, sicut nec illud quod revixit, sed unus idemque clamor vocantis, qui corpori vitam incussit, sepulcro corpus excussit. Credamus ergo quia canente tuba novissima, tuba Dei, sic exsilient mortui, quomodo ad clamorem illum is qui fuerat mortuus prodiit. Nam clamor ille tubam novissimam præsignavit. Itaque resurgendo et cum impetu de sepulcris exsiliendo *congregabuntur ante eum omnes gentes*, latere non valentes. Denique si possent, latere vellent, non solum gentes, sed et gentium reges et principes, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et petris montium. Et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. Quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* (*Apoc.* VI.)

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

721 CAPUT X.

Quomodo intelligendum sit quod Apostolus ait : « Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui residui summus simul rapiemur cum illis. »

Nec vero solam celeritatem in resurrectione, sed et pavoris nimietatem in cantu tubæ novissimæ intelligere debemus, cum dicit loco supradicto Apostolus : *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi* (*I Thess.* IV). Datur enim per hoc intelligi quia uno eodemque impetu vel tonitru magnæ tubæ canentis ad unum eumdemque fragorem archangelicæ vocis, jussumque tremendæ majestatis, et mortui quasi dormientes a somno mortis concussi evigilabunt, et qui vivi inventi fuerint, simul in mortem attoniti concident, et de morte confestim resilient. Non enim sic intelligitur, nec sic intelligendum est : *Nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus*, ut putemus eos mortem non visuros, qui viventes invenientur, sed sicut jam dictum est, vivi inventi morientur, et eodem concussu qui mortui fuerint, confestim rursus ad vivendum excitabuntur. Magnum et mirabile, quod mortui de sepulcris viventes excutientur, sed majus et mirabilius, quod viventes metu examinabuntur, et eadem formidine ad vitam sensumque revocabuntur. Terra quoque ipsa quæ animam aut sensum non habet, ita sub illa majestatis præsentia trepidante ac si iram sentiat et sensualiter affligatur. Si tantus terror vel terroris tanta vis in voce vel in cantu tubæ prænuntiantis, quis putas vel quantus erit sensus iræ, vel vindictæ præsentis in ipso actu judicii? Vere nisi post resurrectionis momentum jam immortales essemus, si ullo modo mori possemus, pro solo visu examinaremur, videntes tartarum apertum, et paratum impiis ignem æternum. Sed enim jam non poterimus mori et volentes, nolentes, vivere oportebit. Unde et verissime dictum est : Quia cupient *homines mori, et fugiet mors ab eis* (*Apoc.* IX). Erit itaque impiis extunc, si dici potest, mors semper vivens, vita semper moriens.

CAPUT XI.

De eo quod idem ait : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. »

Ait autem idem Apostolus : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Item : *Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (*I Cor.* XV). Hæc est spes, hæc est consolatio sanctorum, hæc est fiducia perfectorum; perfectam charitatem habentium, *omnes*, inquit, scilicet tam reprobi quam electi, *resurgemus; non* autem *omnes*, sed nos videlicet soli electi *immutabimur*. Quid enim est, *immutabimur*? Impassibiles efficiemur, impassibilia corpora resumemus. Non hoc speramus, non hoc exspectamus, quod ignem videre vel igni ipsi, vel ipso igne ardentibus, in illa die interesse non debeamus, sed hoc promissum habemus, et hoc sperare debemus, quia resurgendo sic immutati erimus, ut per ignem transeuntes ignem non sentiamus. Tantum valebit veritas nostræ fidei et dilectionis, tantum veritati favebit justitia judicii, ut penes quos erit veritas et justitia, illos ignis lædere vel contristare non possit. Hoc est quod idem Apostolus dicit : *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (*I Cor.* III). Hic timor est, hic timore trepidandum est. Quis enim de semetipso præsumere possit, quod ex eorum sorte vel numero sit qui sic sunt immutandi? Quis eorum, qui tunc viventes sunt inveniendi, ita castum cor se habere gloriari poterit, ut neque lignum, neque fenum, neque stipula, sed tantummodo aurum, argentum, et lapides pretiosi in opere ejus inveniantur, quæ consumere non possit ignis? Nam eorum qui nunc in pace Ecclesiæ defuncti sunt, vel defunguntur, multi longa purgatorii ignis ustione indigent, quia non solum fenum aut stipulam, id est leviora, sed ligna quoque, id est graviora peccata super fundamentum Christianæ fidei superædificaverunt. Ergo electorum quoque illorum, maxime qui tunc viventes invenientur, quam plurimi ardentes judicabuntur, et ardentes in judicio purgabuntur, paucissimi erunt, qui eorum quæ visuri sunt, quæ nudituri sunt, solo pavore purgentur, et impassibilitate confestim immutentur.

CAPUT XII.

De separatione ovium ab hædis, et quod quatuor diversiones hominum in illo judicio futuræ sint.

Congregatis autem ante eum omnibus gentibus, *separabit eos*, inquit, *ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris* (*Matth.* XXV). Omnes gentes ante eum congregabuntur, non tamen omnes homines astabunt, ut judicentur, neque ante conspectum ejus sententiam accipient qui jam judicati sunt; id est qui non credunt. Nam et Apostolus dicit : *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* II). Sed et illud non prætermittendum quod sequentibus se Dominus noster repromisit : *Amen dico vobis*, ait, *quod vos qui* reliquistis omnia et *secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Duodenario numero significata est universa judicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas. Ter enim quatuor, aut quater tria, duodecim faciunt. Quatuor ergo divisiones sive ordines hominum in illo judicio erunt. Unus erit ordo perfectorum, qui non judicabuntur, sed judicabunt; alius eorum qui sine Deo sunt, qui non judicabuntur sed jam judicati sunt, qui sine lege peribunt, quia legem non acceperunt; duo reliqui ordines eorum erunt qui legem acceperunt. Nam alii ex his legem acceptam servaverunt, et idcirco per legem judicabuntur et salvabuntur, alii legem acceptam non servaverunt, et idcirco per legem judicabuntur

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

et peribunt. Nimirum, quia legem acceperunt, idcirco quasi grex ante pastorem congregabuntur, et idcirco quia legem servaverunt hi, et non servaverunt illi, separabuntur, quemadmodum dicit, *sicut pastor segregat oves ab hædis.* Qui legem servaverunt, et curam dilexerunt pastoris, isti oves sunt, qui autem non servaverunt, qui non dilexerunt, isti hædi sunt. Separabuntur ergo ab invicem, ut non ejusdem beatitudinis caulas, cum mitibus agnis et ovibus, hædi petulci et cornupetæ ingrediantur. Hic interim dum in pascuis sunt, dum foris in agro mundi hujus pascuntur, hædi inter oves misti obambulant, et inter simplices agnos luxuriantur, interdum et infirmiores quosque fortiores ipsi perfodiunt et lacerant cornuculis **722** elatis et tascivientibus, sed cum ad illas caulas perventum fuerit, separabuntur pastoris diligentia, juxta parabolam zizaniorum agri, qua dictum est: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII). Sane quod ait: *Statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*, juxta illud intellige quod alibi legimus: *Cor sapientis in dextra Dei, et cor stulti in sinistra illius* (*Eccli.* X). Et supra in hoc eodem Evangelio: *Nesciat sinistra tua quid faciet dextera tua* (*Matth.* V). Oves in parte justorum stare jubentur ad dextram, hædos, hoc est peccatores, ad sinistram, qui semper pro peccato offeruntur in lege. Nec dixit capras quæ possunt habere fetus, et tonsæ egrediuntur *de lavacro, omnes gemellis fetibus et sterilis nulla inter eas* (*Cant.* IV), sed hædus lascivum animal et petulcum, fervens semper ad coitum.

CAPUT XIII.

De eo quod dicet Rex iis qui a dextris ejus erunt: « Venite, benedicti Patris mei. »

Tunc dicet rex iis qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me, in carcere eram, et venistis ad me (*Matth.* XXV). Bona vere, et magni, boni auditio est, cum dicit: *Venite, benedicti Patris mei.* Magnum et verum bonum quod affert, *possidete*, inquiens, *paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Hic jam quærimus, illud regnum quomodo paratum sit benedictis istis? Quoniam audivimus quando vel ex quo paratum sit, scilicet a constitutione mundi, non enim dicit ante constitutionem mundi, sed a constitutione mundi. Porro sancta Scriptura, quæ omnia docet nos et de omnibus respondet nobis, a constitutione mundi incipit, id est de constitutione mundi primam narrationem facit. Ibi ergo quærimus, et cito invenimus, quomodo regnum illud benedictis Dei paratum sit. *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo, ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret* (*Gen.* II).

A Ex tunc paratum esse, Apostolus testatur, cum dicit: *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi iis qui incredduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem* (*Hebr.* III). Et subinde: *Quoniam ergo superest quosdam introire in illam, et ii quibus prioribus annuntiatum est non introire propter incredulitatem, iterum terminat diem quemdam, hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, numquam de alio loqueretur, posthac die. Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus* (*Hebr.* IV). Nunc quoniam invenire cupimus, et gaudemus ubicunque aliquantipser invenire
B meremur intentionem Spiritus sancti, in Scripturis suis, numeremus opera quæ commemorat. Rex iste iis quos a dextris posuit, ut constanter sciamus, secundum illam regalem apostolicamque Scripturam, Sabbatismum esse legitimum, quo vocat eos, dum dicit: *Venite, benedicti Patris mei.* Primum est: *Esurivi, et dedistis mihi manducare:* Secundum, *sitivi, et dedistis mihi bibere;* tertium, *hospes eram, et collegistis me*; quartum, *nudus, et cooperuistis me;* quintum, *infirmus, et visitastis me;* sextum, *in carcere eram, et venistis ad me.* Sex itaque sunt opera misericordiæ, post quæ et propter quæ dicitur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum*, sicut
C sex sunt dies operationis, id est sex species operum Dei, quibus completis, Deus requievit. Igitur regnum illud Sabbatismus est, et septimus dies, in quo Deus requievit, et ex tunc paratum est regnum benedictis illis, quando Deus opus suum complevit diemque septimum benedixit, et sanctificavit, in quo et requievit. Idcirco recte Apostolus dixit: *Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus* (*Hebr.* IV). Quis autem est ille septimus dies quem benedixit Deus, et sanctificavit, nisi verbum et sapientia Filius Dei? Nam vere hic Filius, hoc Verbum, hæc sapientia in qua Deus omnia fecit, requies est, et ludus atque
D deliciæ Dei, sicut ipsa Sapientia quoniam loco dicit: *Ego eram cum eo cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Quod autem vere istum diem claritatis Deus benedixerit et sanctificaverit, ipse dies ore proprio, ore lucido sic notam fecit: *Si illos dixit filios Dei*, ait, *ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?* (*Joan.* X.) Est igitur, inquam, regnum illud Verbum, et Sapientia, sive plenitudo verbi et sapientiæ Dei, quod exspectans Apostolus: *Nunc*, inquit, *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Item: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad*

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*ibid.*).

CAPUT XIV.

Quod hi, quibus dicturus est : « Esuriri et dedistis mihi manducare, » etc., ad eam perfectionem hic non attingant ut nihil possideant.

Simulque ex hoc liquet illos, quibus a dextris positis hæc dicenda sunt, eos esse qui, ad illam perfectionem non pertingentes, quia dictum est : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX), activæ vitæ inserviunt, et peccata quidem contraxerunt, sed eadem eleemosynis redimere studuerunt. Nam qui contemplativæ vitæ dediti sunt, eorum non est judicari, sed judicare. Imo sicut eorum non est quidquam in hoc sæculo possidere, sed omnia pro Christo reliquisse, sic eorum non est esurientem pascere, sitienti potum dare, hospitem colligere, nudum operire, infirmum et in carcere positum visitare. *Martha, Martha*, inquit Dominus, *sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X). Ergo qui cum Martha ministrantes solliciti sunt, et turbantur erga plurima, tunc primum ad regnum possidendum vocantur, quando judicantur et salvantur, eo quod bene ministrando, peccata sua eleemosynis redemerunt; nam isti qui cum Maria sedentes ad pedes Domini audiunt verbum illius (*ibid.*), id est qui contemplativam obtinent vitam, jam ex parte regnant, jam enim utcunque apprehendunt partem suam. Regnare namque sive initium regnandi jam facere est verbo Dei vacare, et, propter illud, non solum peccata fugere, verum etiam et divitias, licitas quoque curas **723** sæculi contemnere. Notandum itaque ubi dicitur : *Veni e, benedicti Patris mei, possidete regnum*, non hujusmodi rationem subjungi, propter me enim omnia reliquistis et me secuti estis, sed nec istas, non enim occidistis, non mœchati estis, non furtum aut rapinam fecistis, sive non concupitis, sed, *esurivi enim et dedistis mihi manducare*, etc., ut intelligamus illos esse judicandos, et in maximo timore futuros, qui peccaverunt negotiis sæcularibus impliciti, sed peccata sua, ut jam dictum est, eleemosynis redimerunt, et in judicio esse salvandos, illos autem, qui omnia reliquerunt, et Dominum secuti sunt, judicaturos.

CAPUT XV.

Quanta sit renumerationis largitas, ut propter hujusmodi opera homo cum Deo in sabbatismum introeat.

Summa autem admiratione digna est hæc remunerantis largitas, ut, propter hujusmodi opera, homo cum Deo unum et eumdem Sabbatismum, id est requiem ejus, introeat. Quanta enim sunt hæc opuscula, non justorum, sed pœnitentium hominum, quanta, inquam, sunt ista, esurientem pascere, sitienti potum dare, etc., in comparatione operum Dei, qui sanctos angelos condidit et beatificavit, mundi istius fabricam componens, firmamentum in medio aquarum libravit, maria terminis suis circumdedit, et terram omni genere fructuum vestiens, paradisum plantavit, solem et lunam fecit, ut præessent diei et nocti, et stellas in firmamento posuit, animam viventem tam diversorum generum, tam multarum specierum de aquis jussu suo produxit, jumenta et bestias de terra produxit, et hominem plasmavit? Attamen propter sex illa opera in eumdem Sabbatismum homines inducit, quo et ipse requievit, qui tales sex operum species fecit. Adde quod cum juxta opifex tantus tamque bonus sabbatizare posset, servilem formam induit, et hominem, qui perierat, non qualicunque cum opere, sed et cum labore et dolore mortis requisivit. Quæ est ista ratio ut talis operari Dei homo propter tantilla opera socius et compar sit? Sed ne miremur, artificiosa Dei charitas invenit quomodo juste, rationabiliter et legitime posset hoc fieri. Ait enim : *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de istis meis minimis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Dixit autem alio loco : *Qui recipit vos, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui misit me.* Et continuo : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X). Ergo consequenter : Qui recipit Creatorem, et Salvatorem mundi in quo et Patrem ejus sine dubio recipit, gloriam accipiet ejusdem Patris et Filii, ut ubi ille sabbatizat vel requiescit per debitum, qui omnia valde bona fecit, illic requiescat iste per gratiam, quia qualia potuit bona cum charitate fecit

CAPUT XVI.

Qui sint minimi illi, et quod alterius ordinis sint, de quibus ait : « Quandiu fecistis uni de his minimis meis mihi fecistis. »

Et qui sunt minimi quos quasi digito ostendens : *Quandiu*, inquit, *fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.* Qui sunt, vel ubi sunt, quoniam hæc omnibus loquitur, qui a dextris statuti sunt? Sunt ergo alterius ordinis, scilicet ordinis eorum, qui, ut supra diximus, non judicantur, sed judicant, juxta promissum dicentis : Quia vos reliquistis omnia et *secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, etc. Isti sunt vere minimi Christi, ut vere pretiosa atque laudabili parvitate minimi, quia videlicet cum jam magni essent, et viri barbati scientes atque valentes repercutere percutientem, irascentibus irasci, scientes et valentes oculum pro oculo, et dentem repetere pro dente, sponte sua conversi sunt, et facti sunt sicut parvuli, ita ut auferenti tunicam, dimitterent et pallium, percutienti maxillam, præberent alteram (*Matth.* V). Tales minimi vere sunt magni, quia parvitas eorum de virtutis magnitudine procedit, id est de spiritu humilitatis hic se humiliando, ut apud Deum mereantur exaltari. Sicut enim illos magister mitis et humilis corde docuit : *Qui voluerit inter vos*, inquiens, *primus esse, erit vester servus, sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX). Ergo quia propter Deum minimi, sive pauperes facti sunt,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

justo valde judicio dicitur, *quandiu feciatis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciatis*, quia nimirum verbum Dei juvat, et verbo Dei, quod est ipse Filius Dei, proficit, quidquid talibus minimis impenditur, ideirco ut verbo Dei expediti atque liberi vacare possint quod revelatum est eis testante ipso cum dicit: *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Verumtamen et qui non sponte minimi vel pauperes sunt, sicut fuit Lazarus, ab ista tanti judicis cura non excluduntur. Sufficit enim, apud latissimam charitatis intentionem, quod nomen ejus super eos invocatum est, et pro hoc recte minimi ejus dicuntur et sunt, Christoque datur, quidquid talibus pro eo quod Christi sunt impenditur. Ideirco etiamsi nonnulla reprehensibilia perpetrare videantur, despiciendi non sunt, et non est de illis desperandum, quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ parvitatis inquinat, camini paupertatis purgat, eorumque vitam magistra paupertas cruciat, quousque ad vitæ rectitudinem perducat. Hoc ut recogitet quisque, illa maxime exigit sententia, qua cum dictum est: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua*, continuo subjunctum est, *et Lazarus similiter mala* (*Luc.* XVI).

CAPUT XVII.

Quod non tantum quid, sed et quandiu quis faciat minimis istis, debeat in judicio ponderari.

Notandum præterea non solum quid, sed et quandiu quis faciat minimis istis, in judicio ponderari. Vigilanter quippe animadvertendum quia non dixit, quod *uni ex minimis meis* fecistis, sed *quandiu*, inquit, *fecistis*. Plurimum interesse manifestum est, ita ut judicare possint parvi quoque grammaticorum infantuli syllabici, et si judicare differant, dubiamve sententiam proferant mutabundi statim ferula magistri digni sunt. Quod enim, inquiunt, nomen est habens declinationem pronominis, quandiu vero adverbium est significativum temporis. Juste ergo, et sicut judicem justum decebit, dicet: Quandiu fecistis, appendendo videlicet, non solum quid factum, sed et quandiu factum sit? Exempli gratia: Dives aliquis epulans splendide, culpiam Lazaro jacenti ante januam suam, micas sive reliquias (*Luc.* XVI), aut certe, si religiosior est, primitias mensæ suæ quotidie tribuit, et dum vivit pauperum memor est, non desinens tale quid facere, ex eo **724** quod abundat sibi. Alius autem multi possessor patrimonii, fortassis et auri sive argenti intus repositi, cœnobia sive xenodochia construit, constitutis redditibus annuis, unde non solum in vita ejus, sed et per mille generationes bene habeant et in commune vivant aliquod ex istis minimis, sive viceni, sive triceni, sive certe centeni. Nonne igitur, ut jam dictum est, pertinebit, in illo judicio, istud quoque meminisse pro ratione præmii, ut habeat plus retributionis qui diutius ministravit.

CAPUT XVIII.

Quomodo interrogent et discant quid, quandiu fecerint, et cur fecerint.

Sed et recte illud quæritur quomodo tunc primum interrogent et discant quid, vel quandiu fecerint, cui fecerint, cum tempus diiscendi vel docendi modo sit, et facere posterius sit quam doceri quid faciendum sit? Et quidem quæstioni difficilius responderi posset, si existimaremus sic ibi interrogandum et sic respondendum, sicut hic interrogamus, et sicut respondemus. Si ita putaremus, risum sapientibus faceremus, consequens esse dicentibus ut unus homo apparens in nubibus, sedens in majestate sua rex magnus, ore grandi vocem suam elementarem sic magnam faceret, ut eam in toto mundo, vel de toto mundo congregatæ audirent et intelligerent omnes gentes. Nunc autem scimus et scire debemus, quia non verbis aut voce elementari, sed cogitationibus latere non valentibus, et certissime concurrentibus, judicium omne perficitur, testante Apostolo, cum dicit: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Christum* (*Rom.* II). Ergo interrogatio illa dicentium: *Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus, et sitientem et dedimus tibi potum* (*Matth.* XXV), etc. Cogitatio erit, et conscientia tripudians in manifesto cordis, attoniti atque admirantis quid sit quod videt et audit, quia vere quantumvis firmiter cantando et legendo scire vel discere quis possit hodie veritatem rei, valde novum tunc erit, quod illa majestas de minimis suis esurientibus et sitientibus tantopere curare dignata est, ut in illis esurierit et sitierit, et non solum hoc, sed et revera passibiliter in semetipsa esurivit, et sitivit, et hospes fuit, e vestibus suis a militibus nudata est, et infirmata, imo et mortua fuit, et in carcerem inferni descendit.

CAPUT XIX.

De eo quod dicturus est et iis, qui a sinistris ejus erunt: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. »

Tunc dicet et iis qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV). Hæc est additio, vere et incomparabiliter mala, de qua Psalmista dicit: *In memoria æterna erit justus, et ab auditione mala non timebit* (*Psal.* III). Quid enim auditu tam malum? Quod nomen tam pessimum? Maledictos dicit eos Benedictus et ipsa benedictio rectorum, et *discedite*, inquit, *in ignem æternum*. Non est hoc ex amaritudine, vel nimio motu animi in iram concitati, sed ex tranquillissima ratione judicii, ex vera maturitate, vel matura veritate judicis, rem vel meritum sicut est exprimentis, cum auctoritate Scripturarum, extra quam nec judicans dicet aliquid. Nam revera, et quod illos qui a dextris erunt, benedictos appellabit: *Venite*, inquiens, *benedicti Patris mei*, et his qui a sinistris erunt, dicet, *discedite, maledicti*, secundum Scripturam faciet antiquissimæ et divinæ auctoritatis. Antiquitus enim illi omnes, qui ad vitam prædestinabantur, et ideirco

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad dextram statuentur, benedicti fuerunt, dicente Scriptura : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum et feminam creavit eos : Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam* (*Gen.* I), etc. Solos quippe electos tunc benedicendo nasci jussit, unde et benedicti vel benedictionis sunt filii nondum admisso peccato propter quod nati sunt vel nascuntur omnes, quos nescit Dei benedictio, dicebat eodem ad mulierem post peccatum : *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos* (*Gen.* III). Unde quia benedictio illa nec debuit, nec potuit evacuari, nec mulieri dixit, maledicta es, nec viro dixit, maledictus es super terram, sed hoc tantum dixit : *Maledicta terra in opere tuo* (*ibid.*), unde suo loco plenius diximus. Si ita dixisset, maledictus es super terram, totam enuntiasset maledictam esse massam, totamque prioris benedictionis mutabili animo evacuasset sententiam. Porro ad Cain, de cujus parte omnes et soli sunt reprobi, qui ad sinistram sunt statuendi, non dixit, maledicta terra in opere tuo, sed *maledictus es*, ait, *super terram* (*Gen.* IV), et uno illo omnes, qui imitantur illum maledictos fore denuntiavit, et isti sunt, quibus dicturus est judex, *discedite a me, maledicti.* Igitur, ut jam dictum est, non tanquam iratus, sicut commotus dicet novum aliquid, sed omnia tunc quoque sumet de Scripturis et sicut audivit judicabit.

CAPUT XX.

Quare, vel qua ratione iis qui temporaliter vixerunt peccaverunt dicat : « Discedite in ignem æternum. »

Quare autem, vel qua ratione iis qui temporaliter vixerunt et temporaliter peccaverunt, *discedite*, dicet, *in ignem æternum*, pœnamque ignis æterni pro peccatis rependet temporalibus, addendo etiam, *qui paratus est diabolo et angelis ejus : Esurivi enim*, ait, *et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi bibere. Hospes eram, et non collegistis me ; nudus, et non cooperuistis me ; infirmus et in carcere, et non visitastis me* (*Matth.* XXV). Magna veret valida ratio, et idcirco sententia justa et irreprehensibilis. Idem enim est ac si dicat : Quia sicut diabolus, ita et vos impœnitens cor habuistis. Sciendum quippe et memoriter tenendum est quia non dixit, homicidæ enim, aut fures estis, aut adulteri, sed *esurivi enim*, inquit, *et non dedistis mihi manducare*, etc., id est vestra eleemosynis redimere noluistis peccata. In quo aliter diabolus peccat, quam isti quorum nulla est pœnitentia ? Hæc causa hominem diabolo comparem juste addicit, quia sicut ille pœnitentiam non agit, quam tamen nullus unquam prædicavit aut prædicaturus est ei, sic et iste impœnitens est, et pœnitentiæ fructus facere contemnit, cui non solum per suos, sed et per semetipsum pœnitentiam prædicavit Deus, et homo iste qui hæc dicit : Quia ergo esurienti mihi manducare non dedistis, nec potum sitienti, quia me hospitem non collegistis, et nudum me non operuistis, quia me infirmum, non visitastis, et ad me in carcere positum non **725** venistis, quia, inquam, sex operum istorum dies vacuos dimisistis, nequaquam in septimo cum Deo sabbatizabitis, quem Pater benedixit et sanctificavit, suisque benedictis præparavit, sed *discedite, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* Constat enim quia si semper liceret, semper liberet peccare, et idcirco juste semper ardebit ignis vester, juste, inquam, semper ardebitis cum diabolo et angelis ejus, *et ignis* vester *non extinguetur, et vermis* vester *non morietur*, eritisque, sicut propheta prædixit, *ad satietatem visionis omni carni* (*Isa.* LXVI). Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes : *Domine, quando te vidimus esurientem et sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, et non ministravimus tibi ?* (*Matth.* XXV.) Sicut jam supra diximus, et hæc percunctatio sinistrorum, et ea quæ sequitur responsio judicis, testimonium erit conscientiæ ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium. Etenim conscientiæ ipsorum, quasi libri aperti erunt, et manifestatio justitiæ judicis, quasi liber magnus erit, qui nimis aperta lectione sua singulis merita demonstrabit, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ. Et judicati sunt mortui ex iis quæ scripta sunt in libris, secundum opera ipsorum* (*Apoc.* XX).

CAPUT XXI.

Unde ignis tam fortis, aut tam infirmus, sit diabolus et angeli ejus, ut ad pœnam illorum sit ignis præparatus.

Unde autem, aut ignis tam fortis, aut diabolus et angeli ejus tam infirmi, ut igni crucientur, et ignis ad pœnam illorum sit præparatus ? simulque et illud quærendum, ex quo sit eis præparatus ille ignis æternus ? Ista quærentes jure contremiscimus, quia vere mirabilis, qui fecit eum, et vere fortis, qui judicat eum Deus. Porro superba malitia vel malitiosa superbia ejus nihil stultius in quo illum comprehendit, qui creavit eum prudens et sapiens Deus. Cum enim dicitur : *qui præparatus est diabolo et angelis ejus*, recte subaudimus a constitutione mundi, quod supradictum est de regno iis qui sunt a dextris (*Matth.* XXV). Potest etiam subaudiri, ante constitutionem mundi, quia videlicet antequam constitueretur hic mundus, vel distingueretur partibus suis, creatus est ignis. Cum enim dicitur : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), cum adhuc terra sive arida lateret sub aquis, jam ibi erat ignis in cavernis terræ, vel silicum reconditus venis. Diligentius ergo animadvertendum quia, cum supra dicat : *Possidete paratum vobis regnum*, non hic ait de igne tantum, qui paratus est, sed qui præparatus est diabolo et angeli ejus. Quid enim est, præparatus, nisi ante paratus ? Ante videlicet quam crearetur ipse diabolus. Unde tandem ipse diabolus tam infirmus, ut igne materiali crucietur ? Nimirum ex natura, ex conditione sua. Sicut enim magni Patres asserere non dubitaverunt, corpus habet aereum, id est ex aere factum. Quando te-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

neræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus : fiat lux. Et facta est lux (*ibid.*), tunc angelica creatura facta esse intelligitur de tenebris illis, id est de tenebroso et humido aere, quippe qui nondum sole aut ullis illustratus erat luminaribus. Verum pars ejusdem creaturæ, vero lumini Deo per humilitatem subjecta meruit fieri vel permanere lux per gratiam ejus, diabolus autem et angeli ejus, quia rebelles luminis exstiterunt, ab illa gratia exciderunt, factique sunt tenebræ, et non lux. Sicut homo propter peccatum audivit *quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), sic diabolus, propter superbiam suam, in istum de quo sumptus est caliginosum aerem detractus est, ut ait apostolus, *rudentibus inferni* et reservatur *in* illud, de quo loquimur, *judicium* cruciandus cum angelis suis (*II Petr.* II). Itaque angeli nostri quidem comparatione spiritus sunt, qui corpora eorum quanto aer iste terra subtilior est, tanto nostris corporibus subtiliora sunt, sed comparatione Creatoris, qui solus incircumscriptus est spiritus, corpora vel corporei sunt, et, sicut jam dictum est, de aere isto conditi sunt. Porro aer palam est, quia igne corrumpitur, et cum sit humidus siccitatem niniam ignis non sustinens, validis interdum tempestatibus, id est tonitruum fragoribus fluminumque jactibus disjectus in partes contrarias usque ad periculum viventium conturbatur. Igitur ex natura vel conditione propria, diabolus hoc habet et angeli ejus, ut igne materiali conflagrentur, et tunc veræ infirmitatis arguentur, quando fortior ignis invenietur diabolo principe eorum, qui contra principem fortitudinis Deum extollitur, et non erit sicut ignis qui arbitratus est, quod posset esse sicut Deus. Ego vere mirabilis, et vere terribilis Deus spirituum fortissimus, qui sic illum condidit ut tam superbus tam facile humilietur, non manu aut lancea, sine aliquo genere laboriosi certaminis, in quo laboret aut ipse judex, aut quælibet ex officialibus ejus creatura rationalis, sed solo satis idoneo, satis valente, et sufficiente ministerio ignis, judici ipsi quasi scienter, et libenter ad serviendum assistentis. *Ignis* enim *in conspectu ejus* ardebit, *et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX). Iratus et fervidus movebitur ignis, Deus autem noster in judicando et disponendo suavis et tranquillus erit. Tunc ille insensatus, pro Deo igne pugnante, dolore victus humiliabitur et deprecabitur, sed *non parcam ei*, ait, *verbis potentibus, et ad deprecandum compositis* (*Job* XLI).

CAPUT XXII.

De eo quod ait : « Et ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. »

Et ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV). Hoc ipsum in Apocalypsi dicitur his verbis : *Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est. Et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo* (*Apoc.* XX; XXI), etc. Mortem et infernum, diabolum dicit et eos qui sunt ejus, librum autem vitæ, præscientiam Dei, quæ falli non potest de illis quibus æterna dabitur vita, in quo scriptum inveniri est prædestinatum fuisse ad gloriam; non inveniri scriptum, est ad pœnam prædestinatum esse æternam. *Hæc*, inquit, *est mors secunda*, videlicet ire in supplicium æternum. Si mors est secunda, est et mors prima, cujus respectu dicatur mors secunda. Et vere. Nam sicut est resurrectio prima, et resurrectio secunda, sic est et mors prima, et mors secunda. Quæ autem est resurrectio prima, et quæ est resurrectio secunda? Resurrectio prima est conversio quæ in præsenti per pœnitentiam de morte peccati resurgimus ad Christi gratiam. Resurrectio **726** secunda est, qua resurrecturi sunt, ii quidem ad supplicium æternum justi autem ad vitam æternam. Ressurrectio prima præcedendo id efficit ut in illa resurrectione secunda ad gloriam et honorem immortalitatis resurgamus. Idcirco dicit : *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In iis secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi* (*Apoc.* XX). Prima morte diabolus et angeli ejus tunc mortui sunt, quando de cœlo cadentes in istum caliginosum aerem exstincti sunt, et angelicæ dignitatis perdiderunt lucem, sicut Dominus ait: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Fulgur enim cadendo lucet, lucendo cadit, statimque, imo interim, dum cadit, lux ipsa disperit. Si diabolus, cui dicitur : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV), nimirum lucens cecidit, et cadendo lucem perdidit. Secunda morte morietur, quando ad pœnam trahetur quando coarctabitur ut vagari sibi non liceat amplius, *et videntibus cunctis præcipitabitur* (*Job.* XL). De homine quoque certum est quia prima morte omnis homo in Adam mortuus nascitur, et quicunque de morte illa per Christi gratiam non liberatur, quod est resurgere resurrectione prima; secunda morte morietur, descendendo *in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus*.

CAPUT XXIII.

Quomodo ii vel isti sint ituri, non utique pedibus sed motu ineffabili per potentiam ejusdem quod audituri sunt verbi.

Quomodo tandem *ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam?* Nunquid ambulant pedibus, et proficiscentur passibus aut forte trahentibus, sive impellentibus sanctis angelis cum aliqua mora, utpote inviti euntes ad loca pœnarum vinci catenis deducentur? Non utique, sed ineffabili atque invisibili potentia verbi, isti audientes, *discedite, maledicti*, confestim pluvia vel grandine cadente velocius, sive juxta antiquam Domini visionem (*Luc.* X), quam cito de cœlo cadit fulgur tam cito devolven-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tur in tartarum simul cum diabolo et angelis ejus. E diverso justi audientes, *venite, benedicti Patris mei*, confestim verbi ejusdem virtute de quo dicit Apostolus : *Portansque omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr.* I), sursum rapientur, sursum portabuntur. Hoc sciens idem Apostolus, non dixit ascendemus, quamvis in Apocalysi scriptum sit, *ascendite huc* (*Apoc.* XI), nec dixit sublevabimur, quod curribus, qualibus Elias sublevatus est (*IV Reg.* II), sive qualibuscunque vehiculis, aut certe qualicunque ministerio angelorum fieri posse videretur, sed *rapiemur*, ait, *in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus* (*I Thess.* IV).

CAPUT XXIV.

Quænam illa vita æterna sit in quam ibunt justi.

Quæ tandem vita æterna est in quam justi ibunt? Idipsum vita illa sine dubio est, quod et illud, de quo supra diximus regnum. Ibi enim non aliud vivere et aliud regnare est, imo non aliud ibi esse, et aliud vivere sive regnare est. Quæ ergo illa est vita, nisi manifesta divinæ visionis gloria cognitione plena et perfecta? *Hæc est*, inquit, *vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Apostolus autem : *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Vita igitur illa hic a prædicta resurrectione prima incipitur, quia videlicet nunc in tantum vivimus, in quantum beatam Trinitatem cognoscimus, illic autem in resurrectione secunda perficietur, quando vel ex quo facie ad faciem Deum Patrem et Verbum Patris in corde ejus et in carne nostra, sanctumque utriusque Spiritum in utroque videbimus. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Finis tertiæ partis libri hujus De sancta Trinitate et operibus, respicientis opera Spiritus, tertiæ personæ Trinitatis ejusdem.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

INDEX RERUM AC VERBORUM

QUÆ

IN HOC PRIMO OPERUM RUPERTI VOLUMINE CONTINENTUR.

Revocatur lector ad numeros crassiores textui insertos.

A

Aaron mors significat interitum sacerdotii Judaici, 308. Aaron et Moyses loquentes contra Pharaonem, legem et vetus sacerdotium significant, 173.

Abel interpretatur *luctus*, et quare, 56. Figura fuit Christi, 59. Abel sanguis quomodo clamet, et Christi sanguis quod melius clamet, 60. Abel primus martyr Christi fuit, 60. Abel, secundum quosdam, occisus fuit ubi nunc est Damasci civitas, 84. Abel repræsentat omnes justos, Cain peccatores, 692.

Abimelech aliter Deus corripuit quam Pharaonem, 98.

Ablactatio Isaac mystica quæ sit, 100.

Abominationes Ægypti sunt humilitas et reliquæ virtutes, 181.

Abraham nascitur decimus a Sem primogenito Noe, 74. Abraham et patriarchæ quare noluerunt filios suos ducere uxores alienigenas, 64. Abraham propheta fuit, 78. Abraham missus in ignem, quia noluit adorare ignem, a Deo liberatur, 77. Abraham descensus in Ægyptum, et flagellatio Pharaonis quid mystice significent, 77. Abraham ædificans altare Domino et emens agrum in spelunca, duplici hoc titulo prædicat se esse hæredem totius mundi, 80. Quare Hebræus dictus sit primo, 81. Abraham victoria, illiusque occursus a Melchisedech, et a rege Sodomorum quid significent, 81. Abraham, Isaac, et Jacob figurati sunt per vaccam, capram, et arietem trium annorum, 35. Abrahæ seminis multiplicatio spiritualis fuit, et non carnalis, 88. Abrahæ non addita est littera ex Dei nomine, Tetragrammaton, 83. Abrahæ quomodo mutatum sit nomen et auctum, 88. Abraham quot annos vixerit, 77. Abrahæ pater Thare Abactor dictus est quod corvos abigeret qui frumenta vastabant, 319. Abraham petens veniam pro Sodomitis non sine causa usus est numeris, 94. Abraham cur dissimulavit in Ægypto Sarai esse uxorem suam, 79. Abraham decimas dedit Melchisedech sacerdoti, et non e contra, 82. Abraham cur Deus jusserit egredi non solum de terra, sed de cognatione sua, 77. Abraham fuit initium tertiæ mundi ætatis, 77. Abraham orante, domus Abimelech sanata est, et quid mystice significet, 99. Abraham servus quid mystice significet, 108. Abraham moriturus cur non benedixerit Isaac, 158.

Absalon falsa pax, et mors, figura fuerunt oculi Judæ et mortis, 418.

Abscondere se a Deo, est male de illo sentire, 45.

Abundantia temporalium causat Dei oblivionem, 510.

Abyssus significat multitudinem impiorum, 681.

Accedentes ad Ecclesiam, relinquant litteram legis occidentem, 137.

Acceptor personarum non est Christus, 146.

Accidens definitur et est peccatum accidens, 703.

Accusans seipsum, mitius cum illo agitur a Deo, 47.

Activa vita aliter ungit caput, et pedes Christi, aliter contemplativa, epistola proœmiali ad Cunonem. Activa vita per agnum, contemplativa per capram signatur, 253. Activæ vitæ et contemplativæ figura fuit Lia et Rachel, 123.

Adam idem est quod homo, 51, 75. Adami nomen imposuit Deus tam viro, quam mulieri, 52. Adam pœnitentia non legitur, et de illius salute dubitatur, 54. Sepultus est in civitate Hebron, 34. Adam fuit figura Sacerdotis facientis delinquere populum, 250. Adam et Evæ nominum differentia, 52. Nomen quatuor litteras habet, et hujus mysterium, 427. Non solum masculus dictus est, sed et femina, 427, 31.

Adoratio Joseph a patre et fratribus mystica, 140.

Adoratores Christi signantur per genua, 579.

Adulteri sunt quasi cinis de camino, et horum memoria perit, 183

Adulterium consistit in sola fidei perditione, 331.

Adventus Christi electis erit in misericordia, impiis in ira, 95. Adventus secundus Christi furi comparatur, 192. Adventus primus delevit populum Judæorum duræ cervicis, 239. Adventus secundus terribilis, 296. Adventus secundus figuratur per Angelum tenentem gladium evaginatum, primus vero per rubum, 365. Secundus describitur, 490, 511. Primus consolatur nos a malo primi hominis, secundus vero ad malorum vindictam veniet, 531. Primus Filii Dei quare fuerit, 548. Primus fuit in misericordia, secundus vero in judicio, 591, 595, 602. Primus et secundus quomodo distinguantur, 522. Primus fuit occultus, 490.

Adversa mundi plerumque dilectam Deo animam juvant ut illum ardentius quærant, 129.

Ædificium Dei est æternum, 170. Ædificium spirituale habet fundamentum sursum, 429.

Ægyptum cur sit Israel ingressus, 167. Ægyptum juste spoliaverunt Israelitæ, 155.

Æsculapius mortuum suscitavit herbis, 54.

Ætates mundi sex et in illis Christus præsignatur, 57, 517. Ætates mundi respondent sex diebus creationis, 3, 57. Respondent septem spiritus vel dona, 57. Ætas tertia mundi est in qua Christus promissus est, 77.

Æthiopem qualiter alba mulier parere possit, 128.

Æthiopissa Moysi uxor qualis fuerit, 300.

Africa ab Afer dicta est, 111.

Agar quare non viderit faciem, sed posteriora Dei loquentis cum illa, 87. Significat legem factorum, 86.

Ager Ephronis quare emptus sit cum spelunca duplici, 107.

Agnus Paschalis Christum significat, et cur, 167. Agnos septem quas sacrificavit Abraham significant septiformem gratiam Spiritus sancti, 105. Agni Paschalis immolatio mystice exponitur, 186. Significat vitam activam, 255. Agni Paschalis immolatione cur superatus sit Pharao, 184.

Agricolæ officium Deo competit, 216.

Alleluia geminatum in psalmo CVI ostendit majores causas laudis, 455.

Alphabetum quare præponatur psalmo CXVIII, 456.

Altare est Christus, 262. Quod ædificavit Noe gratiarum actiones sunt, 70. Super quod immolamus, est fides incarnationis Dominicæ, 218.

Amare et diligere differunt, 115.

Amaritudines scribere contra hominem, est illi malum imprecari, 636.

Amicus dicitur quasi animi custos, 240. Amici Dei facti sumus per Christi passionem, 647.

Amor hominis ad Deum unde, 37. Amor Dei generatur in anima ex lectione sacræ Scripturæ, 615. Dei est calor, illius qui peccante homine refriguit, 422.

Anathema quid sit, 367.

Ancillæ scapulæ imponens panem, et utrem aquæ Abraham quid mystice significet, 101. Ancillæ Abrahæ dominam suam despicientis superbia, quid mystice significet, 86.

Angeli hominibus cum volunt apparent, 4. Angelica creatura lux dicitur, 4. Angelica creatura facta est de tenebris, 4. Non sunt creati in cœlo, sed translati ad cœlum, 4. Habent corpora ex aere, 4. Angelus est vestimentum Dei, 6. Proficiunt, 6. Angelum cur Deus creavit cum sciebat esse periturum, 7. Angelorum ordines novem sunt, 28. Duo cur Sodomam venerunt, idque vespere, 95. Angelorum cibus est videre electos frui Deo, 35. Angelus custodiens paradisum quare dicatur Cherubin, 55. Angelos apparere, et obviam ire alicui differunt, 133 Angelus non potest dilabi in cor hominis, 625. Boni et mali quomodo creati sunt, et illorum distinctio, 725. Comparatione nostri spiritus sunt, Dei vero comparatione sunt corpora, 4. Inter se honore et gloria differunt, 4.

Anima hominis non est ex traditione, 31. Animas transire de corpore in corpus ridiculum est, 72. Pia non sit contenta adhærere Christo, nisi alios faciat inhærere, 127. Legitime Christo desponsata non admittit adulterinum concubitum, 138, 139. Animam amare et perdere quid sit, 141. Animæ nostræ custodia sit virilis, non vero fe-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

minea, 414. Anima justi, est arca testamenti, 445. Anima justi dicitur paradisus, 621. Assueta ferre labores propter expiendam luxuriam, dicitur vitula Ephraim, 711.

Animalia omnia duplici de causa hominis sunt, 51. Animalibus omnibus dedit Deus naturaliter in stomacho naturalem appetitum cibi, 26. Quæ in sacrificio sunt in triplici differentia, 246. Animalium quatuor ordo diversus in Ezechielem, et in Apoc., 549. Animalia quatuor, quomodo unum animal sint, 547. Animalium immundorum proprietates, 268.

Anni de quibus Genesis loquitur fuerunt duodecim mensium, 65, 69. Anni captivitatis, et afflictionis filiorum Israel in Ægypto fuerunt tantum CXLIV, 195. Annus et mensis aliter apud Romanos et Hebræos computantur, 185.

Antichristus erit de tribu Dan, etc., 162. Per Beelphegor significatur, 316. Item per Doech Idumæum, 406. Et per hircum, 277. Item per hœdum, 714.

Anticipatione et postpositione utitur Scriptura, 130, 185.

Antiquorum Patrum et sanctorum Novi Testamenti differentia, 58.

Apostoli post missionem Spiritus sancti terrori fuerunt mundo, 71. Apostoli et apostolici viri significantur per Sem et Japhet, 74. Singulos populis magistros et rectores ordinaverunt, 105. Dicuntur canes, 115. Quando loquuntur ad populum utuntur testimoniis apud ipsos divulgatis, 156. Duodecim significantur per XII fontes Elim, 206. Apostolos misit Christus novos homines tanquam veros ministros veri sacrificii, 222. Apostoli sunt duces tribuum, 295. Sunt boves, et plaustra, et portitores, et rectores Ecclesiæ, 295 Apostolorum benedictio figurabatur in benedictione Zabulon et Nephthalim, 333. Apostoli sunt nubes, 332. Significantur per XII lapides positos in Jordane, 564. Significantur per examen apud prodiens de ore leonis, 578. Apostolorum prædicatio significatur per Samsonem invisentem uxorem suam. Apostoli nati de Judæis sunt maxilla asini, martyres vero de gentilibus nati, sunt mandibulæ pulli, 579.

Apostolis mortuis crevit fides per illorum miracula. Apostoli XII congregati ad Christum, significantur per XII principes congregatos ad David, 407. Apostoli missi in mundum significantur per nuntios David missos ad Nabal, 409. Apostoli fuerunt tres fortissimi post David, id est Christus, 420. Apostoli XII significantur per XII boves portantes mare templi, 433. Adduxerunt ad Christum philosophos et rhetores, et hujus figura, 436. Missi ad gentes, significantur per Eliam missum ad viduam Sareptanam, 463. Significantur per Eliseum, 469. Sequentes Christum significantur per Eliseum sequentem Eliam, 470. In passione Christi licet corpore fugerunt, mente tamen cum illo perstiterunt, 470. Apostolorum prædicatio cœpit a Judæa et transiit ad gentes, et hujus figuram, 471. Apostoli sunt seraphin post adventum Spiritus sancti, 490. Et judices et consiliarii sunt, 482. Apostolorum prædicatio fuit ut Christi incarnatio, passio, etc., in veneratione haberentur, 532. Apostoli significantur per talos, 579. Steterunt super pedes suos quando induti sunt virtute ex alto, 553. Apostolorum XII typus fuerunt XII filii Jacob, 607. Apostoli acceperunt potestatem regni Dei, sed non habebant scientiam regni Dei, 609. Veniente Spiritu sancto novis gratiarum pennis vestiti sunt, 639. Acceperunt secundum gratiam Spiritus sancti, id est confirmationem in die Pentecostes, 647. Fuerunt prima Christi plantatio, 657. Statim ut repleti sunt Spiritu sancto, Scripturas omnes intelligebant interiori providentia, 661. Apostolorum vocatio distincta fuit a Pauli vocatione, 666. Apostoli differunt a prophetis non sensuum qualitate, sed dictione sermonis, 670. Quomodo sint lux mundi, 670 Repleti Spiritu fortitudinis in die Pentecostes, 689. Per Spiritum sanctum confirmati, omnem terram altonitam sua prædicatione reddiderunt, 689. Apostoli sunt cœli, 680 et 641.

Apparet quoties visibiliter Deus assumit speciem congruam rebus propter quas apparet, 172. Apparet Deus malis propter bonos, 130. Apparitiones angelorum fiunt juxta rerum sequentium eventus, 365.

Apprehendere Deum manu peccatoris quid sit, 96.

Aprilis mensis, primus mensis est apud Hebræos, 69.

Aquæ existentes super cœlos, quomodo sint ibi, 9. Aquarum commotio necessaria est ad salutem hominum, 13. Aquæ nomine aer accipitur, 19. Aquæ Ægypti versæ in sanguinem quid significent, 181. Aquarum tanta abundantia unde fluxerit tempore diluvii, 67. Aqua baptismi, alterus, et sepulcrum est, 647. Aqua fuit principium creationis mundi, et recreationis in baptismo, 649. Aqua baptismi continens in se gratiam Spiritus S. demonum cultoram destruxit, 649. Omnibus accessibilis janua est regni Dei, 630. Aqua significat Scripturam, 514. Aqua est Scriptura quæ in vinum convertitur dum pro sensu litterali spiritualem accipimus, 514. Aqua significat scientiam, 525.

Aquila ad solis radios filios probat, et in aere suspendit ungue, 545.

Arare in bove et asino simul quid sit, 229.

Arbores fructiferas cur lex vetet succidere, 525.

Arca Noe significat Ecclesiam, et fabricata est ad similitudinem corporis humani, 65. Annis c fabricata est, 66. Compacta in principio sanctuarii, est corpus Christi compactum virtute Spiritus sancti in principio Ecclesiæ, 225. Arca diluvii egredi præcipiente Domino, quid significet, 69. Arcæ Dei deductio significat gloriam resurrectionis Dominicæ, 414.

Arcus datus insignum fœderis, significat baptismum ubi color cæruleus aquam, igneus Spiritum sanctum repræsentat, 73. Arcus fœderis repræsentat reconciliationem inter Deum et homines, 72. Et gladius dicitur justitia, et auxilium Dei, 138. Arcum intendere significat occultam persecutionem, 204. Quem filii Israel per planctum David discere debuerunt qualis sit, 411.

Argentum Dei sunt traditiones Dei, 481.

Arguere debemus peccatores secrete, 154. Arguat seipsum homo semper, 532.

Argumenta rhetorica absolutissima constant quinque partibus, 699.

Arietes sunt prælati, 683.

Arii victoria olim prædigurata in CCCXVIII vermiculis Abrahæ, 83.

Arithmeticæ usus in sacris litteris, 704.

Arma Judæorum sacra Scriptura est, 165.

Armiger Saul, et vir, qui annuntiavit mortem Saul fuerunt filii Doech Idumæi, 411.

Armillæ quid mystice significent, 110.

Arrogantia signata per ferrum est vitium quo maxime mens a Deo præciditur, 217.

Artes mechanicæ sunt Dei dona, 243. Artes liberales et philosophia humana sibi placere student, theologia vero solum Deum appetendum demonstrat, 696. Artes omnes humanæ cum theologia comparatæ nihil videntur, 698.

Ascendere per superbiam est vere descendere, 41. Ascensio Christi fuit causa quod dispergerentur inimici illius, 298. Ascendere in cœlum cum humilitate debemus, 457. Ascendisse Christum in cœlum credet qui resurrexisse non crediderit, 551. Ascendentibus ad superiora latior via se nobis aperit, 574. Ascendens Christus in cœlum dedit dona hominibus.

Asinus significat simplicem gentilem, 479. Asina super quam Christus ascendit, fuit Roma, 687.

Aspicere ponitur pro diligere, 449.

Atrium tabernaculi significat vitam patriarcharum, 252.

Auditores in Ecclesia signantur per Japheth, 74.

Auditus duplex, exterior et interior, 139. Audire Dominum, est inclinare aurem, et humiliare mentem, 697.

Augustinus Ecclesiæ lumen omnes artes liberales per seipsum intellexit, 706.

Aurum significat fidem, argentum vero facundiam sermonis, 511. Primum lex et prophetæ, 545. Aurum et argentum significant dona Spiritus sancti, 192.

Avaritia in prælatis et sacerdotibus damnatur, 567.

Aves quas abigebat Abraham significant Ægyptios, 85. Quadrupedes esse quid significet, 268.

Axa petens irriguum superius, et inferius quid mystice significet, 569.

B

Babylon interpretatur *confusio*, 76. Babylonis rex est typus diaboli, 581. Babylonis est civitas diaboli, 586,

Baculus Jacob est Christi arbitrium, 134.

Balaam de quo in libro Numerorum idem est qui Helin apud Job, 106, 310. Typum gessit sacerdotum vendentium ecclesiastica quæstus gratia, 311.

Baptismus efficit nos filios Dei; nominatur a Paulo fundamentum pœnitentiæ, 242. Figuratus fuit per diluvium, 63. Est ostium positum in arca Noe, 66. Baptismum accipiens ubi castra sua debeat ponere, 198. Delet omnia peccata significata per Ægyptios, 199. Non sufficit, si gratiam baptismalem malis operibus iterum perdamus, 205. Præcedit sacramentum Eucharistiæ, 207. Securius remittit peccata quam pœnitentia, 232. Efficit nos gentem sanctam, et regale sacerdotium, 275. Hæreticorum, si fiat in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti non est iterandus, 275. In baptismo renuntiamus diabolo, et mundo, et hujus figura, 567. Baptismus est ostium per quod introitur in templum Dei, 425. Cur proponitur mundo post Christi resurrectionem, 452. Non admittit frigidas mentes, et hujus figura, 452. Baptismi gratia figurata fuit per curationem Naaman a lepra, 473. Baptismi aqua est sepulcrum Christi ubi sanamur a peccatis, 476. Baptismi gratia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

significatur per aquas Siloe, 487. Baptismum suscipiens quæ oporteat credere et confiteri, 572. Baptismi sacramentum manans a Christi latere, operatur remissionem peccatorum, 594. Baptismum desiderabat Joannes Baptista, et omnes sancti, 659. Baptismus suas lites habuit, 623 Omnis a Christo est, 625. In baptismo prius loquimur Deo, quam ille vocet nos, 655. Cur fiat sub trina mersione, 640. Et Eucharistia necessaria sunt ad salutem, et sunt margaritæ, 644. Baptismus nomen majestatis est tinctæ, qua caro visibiliter, spiritus invisibiliter tingitur, 644. Dicitur tam de Joannis, quam de Christi baptismo et horum doctrina, 644. Baptismus Joannis dicentis : « In eum qui venturus est profuit ad vitam, » 644. Est argumentum humilitatis, sicut lignum vetitum superbiæ, 645. In baptismo adest aqua visibiliter, sanguis Christi invisibiliter sub hoc verbo, credo Christum mortuum, 648. Baptismus cur in aqua fiat, 649. Sanguinis excellentius est aquæ baptismo, 649. Baptismi gratia antiquitus præsignata est in lege et prophetis, 650. Baptismi figura fuit transitus maris Rubri, 650, 652. Baptismus est similitudo mortis Christi, 668. Baptismo comparatur monachismus, 710.

Baptizatus nudus venit ad baptismum, regreditur vero cum duabus turmis, et hujus figura, 154. Baptizatis multæ impartiuntur gratiarum divisiones, 200. Baptizandus Trinitatem confitetur, 432. Tres testes habeant spiritum, aquam et sanguinem : baptizatus autem apud hæreticos duos tantum, 649. Baptizari volens iterum, crucifigit in se Filium Dei, 668.

Barabbas dimissus a Pilato significatur per Antichristum, 278.

Bases tabulis suppositæ sunt fundamenta apostolorum et prophetarum, 250.

Batus et ephi una est mensura modiorum trium, 210.

Beatitudines octo significantur per octo tabulas tabernaculi, 230. Beatitudinis primæ et ultimæ, eadem promissio, et illius figura, 230. Beatitudines vm fundantur in prima, 380. Explicantur, 605.

Belial filii dicuntur ebrietatem sectantes, 386.

Bella Domini sunt illa quibus dimicatur contra hæreticos, 509.

Benedictionis subreptionem a Jacob quare Isaac æquanimiter toleravit, 120. Benedictiones duodecim filiorum Jacob quid mystice significent, 159. Benedictio Patriarcharum et Dei non secundum affectum carnis, sed secundum instinctum Spiritus Sancti dari debet, 661. Benedictiones verba tria sunt apud antiquos Patres, 20. Benedictio cur soli homini data sit, non herbis, etc., 20. Promissa Abrahæ quomodo paulatim creverint, 57. Dei est effusio, et gratia Spiritus sancti, 72, 78. Isaac mystice exponitur, 118. Jacob figura fuit benedictionis Christi, 118. Non hominis est, sed Dei, 158. Carnalibus filiis data solum Abraham, Isaac et Jacob permissa est, 158. Benedictiones incepit David ab eo quod propitiatus sit Deus iniquitatibus suis, 455. Benedicti et maledicti ex Scriptura sunt justi et peccatores, 734. Primogenituræ dari debuit secundum voluntatem divinam, non secundum nostrum affectum, 661.

Bestiarum adulterina permistio unde orta, 22. Bestiæ quatuor, et quatuor venti signantur per quatuor regna, 387.

Bethsamitæ arcam Dei curiose intuentes, quos denotent, 595.

Blasphemia est contra Excelsum, vel contra id in quo Excelsus habitat, 685.

Bonus quisque est in quantum bono Deo participat, 5. Bonum id tantum est, quod est unum, 12. Bonum esse inter peccatores, argumentum est magnæ virtutis, 65. Bona temporalia promittebat Deus Israeli, et pœnam temporalium minabatur tanquam parvulis, 262,

Boves xii mare portantes, figura fuerunt duodecim apostolorum, 455.

C

Caballus a cavando dicitur, 57.

Cadere in faciem, et cadere retro quid sit, 162. Super peccatoris collum, est multum illum humiliare, 711.

Cæcitatis Judaicæ signum fuit quod nebula implevit domum Domini; 455.

Cæremoniæ legis sunt vestes non calefacientes, id est non placentes in lege gratiæ, 422. Carnales antiquæ legis veniente Christo sublatæ sunt, 70. Carnales Judæorum, sunt vestimenta vetera apostolorum, 471. Cæremoniis legis non gravare gentes consilii fuit divini, 675. Cæremonias legis, et ritus pro tempore dissimulavit Paulus, 672. Cæremoniæ sunt significationes, et umbræ futurorum, 191, 196. Sunt ritus sacrificandi, 296.

Cain peccatum suum non explavit morte corporis, 61. Interpretatur *possessio*, et quare ab illo natus fuerit Lamech, 56. Repræsentat omnes peccatores, Abel vero justos, 692.

Calamus Spiritum S. significat per quem scimus quæ apud Deum sunt, 566.

Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum exempla respicere, 190.

Calculus signat donum Spiritus sancti, 491.

Cameli decem servi Abraham, sunt decem præcepta legis, 108.

Candelabri aurei cum suis requisitis mystica descriptio ponitur, 227.

Canis dicitur quod canorum continet latratum, 57.

Canticum justorum gemitus est, 404. Cantare spiritu et mente, quid sit, 201.

Capitella duo super capita columnarum, significant consummationem quæ fiet tam in corporibus, quam in animabus, 431.

Capræ significat vitam contemplativam, 255.

Captivitas populi Dei in Babylone fuit imago captivitatis mundi in Adam, in Daniel, 389. Captivitas filiorum Israel in Ægypto, fuit in pœnam venditionis Joseph, 155.

Caput et pedes Christi aliter activi, aliter contemplativi ungunt, in epistola proœmiali ad Canonem. Christi est filius divinitas, 190. Nazaræi tangere novacula, est Christum blasphemare, 577, 581.

Carnis rebellio adversus spiritum fecit hominem confundere faciem suam, 40. Carnis passiones, a paucis ut pœna agnoscuntur, 45. Carnem cum sanguine comedere quid sit, 71. Caro Christi significatur per columnam nubis, 199. Carnis cura necessaria non est omittenda, 255. Caro nostra bruta, et vitiosa, significatur per vitulum, 324. Carnis delectatio destruit vitam mentis, 424. Caro Christi significatur per testamenti, 629. Carnes taurorum immolare non est de voluntate Dei, 675. Caro dicitur homo antequam habeat spiritum timoris, 718. Carnis et spiritus pugna unde oriatur, 718.

Castigat Deus eadem pœna qua peccatores peccaverunt, 148, 150. Superbiam regum, non leonibus et ursis, sed ranis et muscis, 182. Castigat Deus, sed scientiam in anima reparat, 452.

Cataractæ cœli ruptæ sunt, hyperbolice dictum est, 67.

Caudam colubri apprehendere quid sit, 175. Cauda significat finem, 175.

Centum cubiti significant plenam retributionem futurorum, 576.

Chananæorum terram Israelitæ ex justitia possederunt, 80.

Charitatis opera primitiæ sunt Domini, sive magna, sive parva, 225. Charitas est holocaustum nostrum, 157. Charitas Christi ardentissima in fortissimis illius operibus est ignea lex, 549. Dilatans animam facit ut mane, et meridie possideamus, id est, ut hic per speculum, illic vero facie ad faciem videamus, 554. Charitas Christi significatur per latitudinem templi, 424. Excellentior via est, 577. Et scientia simul gradiuntur, 696.

Cherubin cum alis pinguntur propter velocitatem, 220. Quare potius custodiat paradisum quam alter Angelus, 55. Duo in tabernaculo Moysi sunt duo Testamenta, 426.

Christus quomodo ætate et gratia profecerit, 8. Christi facies, 54. Christus creat in homine similitudinem Dei quam peccando perdidit, 24. Promissus est nasci homo, Rex, et Sacerdos, 57. In sex ætatibus mundi præsignatur, 57 et 519. Christus et ejus sacrificium figuratus fuit per Abel, 59. Pastor bonus, 59. Christi resurrectio figurata fuit in resurrectione Dei ad Noe, 66. Christus tertio unctus est, 66, 72 et 116. Noe comparatur in eo quod Deus post passionem suam illius sit recordatus, 66. In Cruce figuratus fuit per Noe mudatum, 74. Christi nativitas figurata fuit in nativitate Isaac, 57. Ira et gratia præfigurata fuit in Isaac, et in eo quod ad Sodomam divertit, 93. Passio figurata fuit in eo quod Sodomitæ valluerunt domum Lot, 96. Christo orante sanatur sterilitas gentium, 99. Christus velut alter Isaac in monte visionis, id est in Ecclesia usque hodie immolatur, 105. Dicitur filius Sacerdotis concipientis illum in anima, 105. Ecclesiam acquisivit non per suam præsentiam, sed per sues, 107. Christi figura fuerunt Isaac, et Joseph; 113. Mors fuit rufa occisio Esau, 113. Nomen latius diffusum est per Apostolos, quam Cæsarum Romani imperii, 116. Christus discedi ab hæreticis, et ad doctores Scripturarum proficiscitur, 116. Inter adversa dilatatur, 116. Christi mors significatur per sendum et caligationem oculorum Isaac, 118. Generatio est scala Jacob, 120. Christo serviunt alii per amorem, alii per timorem, 125. Christus veniens in mundum fecit illum divitem, 128. Significatur per lapidem quem Jacob erexit, 132. Christi reditus in cœlum cum Judæis, et gentilibus figura, 134. Christus profecit

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

populum Judæorum, gentium vero inchoavit, et perfecit, 137. Christi justitia nec augeri nec minui indiguit, 137. Figura fuit Joseph, et illius persecutio a fratribus, 140. Christus dicitur agnus secundum suam innocentiam, secundum vero peccata nostra quæ in se expianda suscepit dicitur hædus, 144, 188. De Christo carnaliter sentire est petulanter mulierem infestos oculos in Joseph injicere, 145.

Christus in cruce salvans unum latronem, alterum dimittens, figuratur per Joseph salvans pincernam, 146. Christi victoria in sua resurrectione figuratur per triumphum Joseph, 148. Christus conjungens Judæos, et gentes in unum, significatur per Joseph convivans Ægyptios et fratres suos, 152. Uva est et botrus, 161. Negatus est suis, figuratus fuit per Moysem negatum a Judæo dicente : Quis te constituit judicem, 171. Adventu suo tollens omnes Deos falsos figuratur per virgam Aaron devorantem virgas magorum, 180. Est lignum vitæ ad quem omnia respiciant, 185. Christi innocentia fortitudo, et perfectio significatur per agnum masculum, et anniculum, 188. Christus est dies, 191. Quatenus Deus est columna ignis, quatenus homo est columna nubis, 197. Venit in mundum ut ostenderet nos fugere a diabolo et ad plura alia, 197. Christi opera et prædicatio diversos effectus faciebant, 200. Incarnatus cum vii donis Spiritus sancti significatur per candelabrum cum septem lucernis, 227. Est qui solus potest offerre tria sacrificiorum genera, qui figuratur per Noe, Job et Danielem, 246. Vitulus immolatus pro peccatis nostris, 250. Significatur per passerem, 274. Est maritus Synagogæ cui illa fuit adultera, 289. Candelabrum septem lucernarum et ad gentes suum lumen ostendi, 294. Christum petram percusserunt Scribæ et Pharisæi, et hujus figura, 306. Christus significatur per rhinocerota qui utero Virginis Mariæ captus est, 312. Significatur per situlam, 314. Solus maledictus a Deo, 322. Assumendo naturam humanam duxit uxorem, 330. Christi caro infirma significatur per verenda Noe discooperta, 337. Christus significatur per Othoniel percutientem civitatem Cariath Sepher, 369. In Christo ponere spem nostram præcipit lex, 372. Significatur per Samsonem, 377. Mori non poterat nisi in se portaret peccata nostra. 380. Christi justitia major quam legis antiquæ, 404. Christus liberans mundum manu fortis significatur per David, 398. Dicitur rufus proprio sanguine, 400. Septem persecutiones sustinuit præfiguratus in septem persecutionibus David, 417. Morti traditus a Judæis significatur per David traditum Saul per Zipheos, 406. Dicitur clypeus fortium quia defensor est, 412. Christi bella spiritualia significantur per bella David quibus vicit quinque gigantes, 419. Ipsius sanctitati nullus æquari potest, 419. Christus per se, et per apostolos totum genus artis adversæ subjecit sibi, 419. Ante Mariam fuit, 424. Christi charitas per latitudinem templi significatur, 424.

Christus usque ad quam gloriam evectus sit, 424. Fuit hic desiectus dum visit, 425. In Christum credentium tres ordines, 425. Christum considerare solum hominem, est hærere muris templi, 436. Christus ante passionem erat templum lapideum post resurrectionem vero aureum, 426. Christum non cognoverunt Judæi propter illius humilitatem, 434. Christi passio et mors significatur per mortem Naboth, 468. Corpus significatur per pallium Eliæ, 470. Christus vere resurrexit a mortuis, 502. In Christum credentes appellantur lapides et Sycomori, 497. Christus dicitur flos Jesse et radix, 500. Solus potuit nos liberare a peccato, 504. Sicut agnus nos redemit sanguine suo, sicut ovis lanis nos operuit, 507. Est homo, Rex, et Sacerdos secundum triplicem promissionem de illo factam Abraham, David, et Joseph, 520. Figuratur per Hieremiam, 520. Christum esse Deum et hominem consona voce dicit Evangelium, 532. Christus dicitur leo, vitulus, et aquila pro similitudine, homo vero pro veritate naturæ, 534. Quasi species Electri est ; quia consistit ex duabus naturis, 534. Venit in mundum ut electos suos scriberet in æternitate. 562. Christi divinitus æqualem altitudinem, longitudinem et latitudinem habuit, 573. Christus non assumpsit labores permansuros, 573. In Christo sunt tria tabulata, id est, tres bene vivendi distinctiones, 573. Christus et Filius Dei et Angelus est, 584. Per lapidem, et per manum scribentem significatur, 584. Figuratur per Danielem missum in lacum leonis, 586. Christi typus fuit Cyrus rex Persarum, 590. Christo assimilatus fuit Cyrus rex, 590. Christus habuit tres Patres insignes secundum carnem, 598. Christi corporis formatio mirabilis, et collatio formationis utriusque Adam, 619. Christus est homo, Rex et Deus, 599. Graviora præcepta dedit quam Pater, 603. Post passionem requievit, 612. Secundum hominem est præcipuum opus Spiritus sancti, 613. Lavit sanguine suo omnes homines, 623. Christo debemus quod pro nobis factus est homo, et ille nobis quod propter nos in Deum assumptus est, 650. Christi Crux fuit statera, 650. Christus quomodo nescire dicatur, et de triplici modo sciendi, 626. Fuit primogenitus et unigenitus, 152, 594. Pius solvit de pœna quam culpa meruit, 631. Christi sapientia et fortitudo, quomodo excelluerit sapientiam antiquorum, 633. Christus locutus est pro homine ad Patrem et oravit pro illo argumentando efficaciter, 654. Christi vita tota Trinitati præcepto obedivit, 654. Christus cur ante diem tertium non resurrexit, 640. Christo reddidit Deus duplicia, 645. Christus quare post ressurrectionem non statim suis apparuit, nec peremptoribus insultavit, 641. Est lignum plantatum juxta aquas, 657. Significatur per quatuor animalia, 662. Rex ostenditur apud Matthæum, 634. Est leo, gallus, et aries, 685. Est filius masculus, 690. Christus et Barrabas significantur per duos hircos, 277.

Christiana religio, quomodo sensim creverit ostenditur, 116. Christianos molestare primus vetuit Constantinus imperator, 116. Christianus quibus gradibus venit ad Deum, 137. Christianus tempore mortis dicat cum Jacob, jam lætus moriar, etc., 136. Christiani castra ubi ponenda sint, 198. Christianus non coacte, sed dulci prædicatione convertatur, 522.

Cibus angelorum est videre electos frui Deo, 55.

Circumcisio nostra spiritualis quæ sit, 365. Circumcidens se post Christi adventum, profitetur nondum venisse Christum, 89. Circumcisio facta die octava significat octavam mundi ætatem, 89. Circumcidi, erat profiteri exspectationem futuri Christi, 675. Circumcisio spiritualis necessaria est, 675. Circumcisione et purificatione quare usus fuerit Paulus cum Timotheo, 677.

Clamantes ad se audit Deus et revocat a via pessima, 86. Clamor Sodomorum significat clamorem Hierosolymitanorum, 94. Clamare ad Dominum quid debeamus, 458. Clamor qui non est rationalis non ascendit ad Dominum, 523.

Claudicare uno pede est utramque vitam, activam, scilicet et contemplativam, temere, 136.

Clementia summa est non solum remittere injuriam, sed etiam flere, ut fecit Joseph cum fratribus suis, 166.

Clypeus fortium dicitur Christus, 412.

Coccineus funiculus positus in domo Raab, significat titulum passionis Christi in oculis Ecclesiæ, 365. Coccinum peccatum libidinis significat ; vermiculus vero homicidii scelus, 481.

Cœlum quantum sit, et quæ ibi mansiones. 3. Cœli nomine quid in Genesi significetur, 1. Cœlum et terra quando transibunt, 11. A cernendo dictum est ; quod omnes illud cernunt, 13. Est quasi tectum mundi, 14. Volens intrare ex hoc mundo per desertum ire debet, 153. Ad cœlum tendentes, non declinent de Dei timore, 395. Cœlum cœli dicitur locus beatorum, 3.

Cœna Christi in festo Paschæ, figurata fuit in convivio quod fecit Lot angelis, 95.

Cogitationes malæ amputari non possunt omnino, 295. Cogitationis peccatum tribus modis impletur, 332.

Cognitio beneficiorum Dei et cognitio peccati eodem intuitu fit, 40. Cognitio Dei est radix bonorum omnium, 220. Cognoscit quisque Deum tantum quantum in eo fulget nomen Domini, 242. Cognoscere Deum ex nomine quid sit, 242. Cognoscere aliquid de Deo, est sentire non posse de illo aliquid plene cognoscere, 467. Cognoscentem peccata sua vere Deus nunquam deserit, 475.

Colles significant minores justos, 485.

Collisio Esau et Jacob in utero matris quæ sit, 113.

Coluber facta virga Moysi significat Christi mortem, 175.

Columba emissa a Noe significat prædicatores evangelicos, et Spiritum S. 72. Significat Scripturam, 110. Integra apparens Christo significat septiformem gratiam Spiritus S. 621.

Columbæ septem proprietates respondentes septem donis Spiritus S. ponuntur, 621.

Columna nubis significat Christi carnem, 199, 240. Columnæ duæ in templo Salomonis significant misericordiam et judicium, 450.

Compunctio duplex est, 370.

Concordia fidelis sæcularium significatur per pelles hyacinthinas, 229.

Concubinæ Christi, sunt animæ quæ subjiciuntur illi per timorem, 457.

Concupiscentiæ oculus obscurat totum hominem, 184.

Confessio peccati meretur veniam, 257. Pro gratiarum actione ponitur, 126. Quam non sequitur contritio et cor-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

rectio non salvabit, 262. Confessio et satisfactio per quæ fides mortua reviviscit, sunt demonstratio vitæ animæ, 464. Confessio humilis pœnitentis quam sapienter attendi debet, 283. Confessio est omne officium cœlestis Hierusalem, 527. Confessio et opera fidei sunt ex quibus æternum adjutorium habemus, 550. Confessionis Catholicæ, summa est credere quod Christus sit Deus et homo, 575.

Confessor non decipiat pœnitentem, 262. Confessor suscipiat pro pœnitente pœnitentiæ onera, 252. Peccatorem vere pœnitentem non trahat in desperationem, 533. Confessores significantur per XXX fratres David, 420. Confessoribus promittit Deus multitudinem scientiæ, 508.

In Confirmationis sacramento dicitur Spiritus sanctus Paracletus, 647

Confiteri nolens peccatum dicitur abscondi in peccato suo, 45. Confitens peccata sua dicitur arare terram cordis sui, 711. Confitens peccatum simpliciter veniam meretur, 711.

Confortationis verbum tertio repetitum est fortitudinis inculcatio, 500.

Conjugium cum alienigenis quare lex prohibuerit, 65. Conjugatorum oblatio est de armento, 246. Conjugati non possunt ingredi religionem sine mutuo consensu, 38. Conjugium consistit in sola fide desponsationis, 515.

Conscientia signatur per vitulam, 377.

Consilium Dei absconditum sub velamine litteræ solus Christus potest aperire, 148. Consilium suum Deus revelat amicis, 94. Majorem merentur gratiam quam præcepta, 678. Consulens Dominum in Ecclesia una tantum consulere debet, 415. Consilium Dei non omnibus, sed certis personis communicatur, 771. Est duplex, vel quo Deus propter homines, vel quo homines propter Deum utuntur, 678.

Consolationibus divinis qui digni censeantur, 154

Consuetudinem peccandi habere, est sedere in tenebris, 455.

Contemplativi claudicant uno pede, 136. Descendant aliquando ad actionem, 215. Appetunt cordis munditiam, 225.

Continentia non præceptum sed consilium est, 264.

Contritio significatur per vaporem fumi, 639.

Convivium Joseph ad fratres suos, figura fuit convivii corporis Christi quo Judæi Christo fœderabantur, 152.

Cor peccatoris quomodo indurat Deus, 176. Cor nostrum est holocaustum, 257. Suum invenit homo ubi loquitur illi Deus, 417. Cor mundum qui habeant, 603.

Cornu altaris fortitudo vel exaltatio Christi est, 250. Cornu unum Ecclesiæ unus Christus est : Cornua vero plura dona plura Spiritus Sancti sunt, 387. Cornua septem significant septiformem Spiritum, 661.

Corpus Christi non modo caro et sanguis, sed etiam spiritus est, 60. Corpus suum obtulit Christus Patri in sacrificium quod figuratum fuit immolatione sacrificii Noe, et ædificatione altaris, 70. Corporis Christi sacramentum fuit Isaac immolatio, 105 Corpus Christi ut digne sumamus vocemus vicinos, id est apostolos et martyres, 188. Unus panis, et plures panes, 208. Formatum ex Virgine per sanctum Spiritum, significatur per arcum compactum in principio Sanctuarii, 225. Corpus et sanguis Christi est mensa initium habens ab illius passione, 225. Corpus Christi, de carne Adam sumptum est, 427. Significatur per pallium Eliæ, 470. Corpus hominis prostrati in longitudine sexies continet latitudinem suimet, decies vero altitudinem, 65. Corpus castigandum est et in servitutem redigendum, 291. Corpus nostrum cruciare ad Christi imitationem est ponere carnes supra petram, 574. Corpus sublevatur ad exsultationem Spiritus, 587.

Correctio proximi sit cum pietate, 715. Correctionis peccatoris figura ponitur, 415. Corripiatur peccator usque ad tertiam vicem, 206. Proximi quomodo diligi debet, 522

Corvus emissus a Noe significat populum Judæorum, 67. Corvos pascere Eliam, est peccatores recipere, 465.

Costa subducta de latere Adam, significat Ecclesiam eductam de latere Christi, 636.

Crabrones significant contemptibiles mundi, 220.

Creare hominem magnæ fuit gratiæ, majores quod fecit, maxime quod possedit, 542.

Creaturis Deus non maledixit, 43. Creaturæ sunt clarissima signa Dei, 2. Creaturæ omnes terrestres de terra, et aqua productæ sunt, 2. Creatura omnis quare transit, 174 Creatura nulla dicitur habere esse simpliciter, 174. Creatura omnis, et facta est per Filium, et reformata, 615.

Credentium in Christum, tres ordines sunt, 425. Credentes in Christum et illius incarnationem, passionem, etc. accipiunt geminum donum Spiritus S. 550 Credere quid debet ad Christianam fidem veniens, 535.

Crescere hominem usque ad annum XL ostendit Scriptura, 171.

Crucem ferentis Christo, figura fuit Isaac bajulans ligna, 105. Crux Christi significatur per terebinthum ubi Jacob sepelivit deos alienos, quia in carne Christi sepulta sunt nostra peccata, 137. Significatur per transpositionem manuum Jacob super Ephraim, et Manassen, 158. Est lignum dulcescens aquas Mara, 205. Habuit duo ligna, unum linguam Judæorum, alterum manum gentilium, 506. Significatur per Tau litteram, 575. Significatur per duo ligna quæ colligebat vidua Sareptana, 465. Crucis signum in trina mersione baptismi fiat, et quare, 600. Crux Domini significatur per juniperum sub quo fuit Elias, 465. Crucis mysterium significatur per altare ligneum, 576. Crux Christi fuit statera, 631. Crucis brachia sunt cornua in manibus Christi, 655. In Cruce locutus est prius Christus cum Patre quam ille vocaretur, 653. Cruce Christi signatus Christianus, perinde est, ac si crucifigatur, et mortuus sit, 647.

Crystallus significat claritatem et firmitatem æternæ patriæ, 532.

Cubitus metiens thalamos significat Christum secundum humanitatem, præsentantem se nobis exterius, secundum divinitatem vero interius, 568.

Culpa quæ non est ex malitia citius dimittitur, 522.

Cupiditas prohibetur septenaria prohibitione, 682.

Currus electi Pharaonis significant tyrannos persequentes Christianos, 198.

D

Dæmones extra cœlum creati sunt, et habent corpus suo modo, 4. Dæmon quomodo illabitur in hominem, 624.

Dalila significat Synagogam, 380.

David tertio unctus est, 68, 116. David regnum justitiæ, Saul vero regnum peccati figurarunt, 383. Figura fuit bonorum quæ nobis Christus contulit et malorum quæ Christus passus est a reprobis, 402. David peccatum cum Bersabee quid mystice significat, 418. David portans Bersabee in domum suam est Christus socians, spiritualem intellectum cum lege litteræ, 418. Fuit prophetarum primus, quia primus de judicio et inferno, et regno Dei, et de mysterio Trinitatis palam dixit, 438. Quare penitur bis in generatione Christi, et prius quam Abraham, 458. Quare dicitur porta orientalis, 458. Summa innocentia in plangendo Saul commendatur, 411. David quomodo et quo tempore facta sit promissio de Christo, 416. Christum præfiguravit, David percussit inimicos, 405.

Debitorem se constituit Deus homini jubendo illum circumcidi in parte qua semen effunditur, 89.

Decem mandatorum Dei ordo, 216.

Dedicatio templi Salomonis fuit figura passionis Christi, 434.

Defendere peccatum detestabile est, 47, 169, 304, 397.

Defensor noster Christus est, 412.

Delectatio peccati significatur per ventrem, 575.

Delictum et peccatum differunt, 259.

Dentes Ecclesiæ sunt fortes in illa, 161.

Descendere vere, est quando aliquis ascendit per superbiam, 41. Descendere Deum est ut videat et arguat vindictam in Deo, 75.

Desiderare debemus duo, 583.

Detrahentes fratribus suis patiuntur fluxum sanguinis, 276.

Deus timendus, 9, 67, 132. Deus in creatione mundi non habuit aliud exemplar nisi seipsum, 1. Dei aspectus nihil otiari permittit, 10. Deus nullam creaturam maledicit, 48. Dei dolor et pœnitudo qualis sit, 63. Sicut justos mansuete, ita malos terribiliter punit, 93. Tenetur et vim quodammodo patitur ab amicis suis, 94. Deus exercituum dicitur Hebraice Sabaoth, 133. Habet potestatem remittendi uni ex reis, alteri vero non, sine nota injustitiæ, 147. Quoties visibiliter hominibus apparet, assumit speciem congruam rebus propter quas apparet, 172. Deus ab omnibus creaturis secernitur per hoc quod dicit, ego sum, 174. Dii appellantur Sacerdotes, 219. Deus non respicit quid petamus, sed necessitatem nostram, 522. Dei ministri sint mundi a cunctis carnis cogitationibus, 295. Deus requiescit in Ecclesia gentium, 396. Deus causam suorum assumit respondens pro illis, 500. Deum non laudare, est illum sinere dormire, 519. Deus est ignis ante incarnationem Filii, arcus vero post illius adventum, 555. Dum corripit, ostendit clementiam ex alia parte, 582. Pater est vir Synagogæ, 615. Solus illabitur in cor hominis et illud implet, 624. Magis pronus ad misericordiam quam ad iram, 656. Utitur diabolo tanquam servo, 659. Nulla forma circumscribitur, 679. Incorporeus, 1. Deus dat nobis abundantius quam petimus, 522.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Dextri et sinistri erunt in judicio, prout se exercuerunt in quatuor virtutibus cardinalibus, 451. Dextra felicitatem, sinistra vero adversitatem designat, 548.

Diabolus noluit ut Deus solus dominaretur, 33. Diaboli invidia et superbia quanta sit, 6. Diabolus serpens primus dictus est, deinde leo, 42. Diabolus et illius sequaces dubia respondent, 45. Diabolum non interrogavit Deus: quare hoc fecisti, hominem vero sic, 48. Diabolus semper super caput suum graditur, 48. Diabolum imitantur invidentes alterius justitiæ, 59. Diabolus significatur per Nemroth, 76. Est princeps carceris, 146. Nocendo servis Dei, servit illi ex pacto sempiterno, 130, 659. Ex quo peccavit Adam usque ad passionem Christi semper exegit tributum, 169. Conatur filios nostros spirituales exstinguere, et hujus figura fuit Pharao, 169. Significatur per ascensorem equi, 201. Persequitur detractores cœlestis patriæ, 303. Significatur per Chananæum pugnantem cum Israel, 303. Tam ante legem quam post illam, adulterium commisit cum Ecclesia Judæorum, 331. Significatur per Sizaram, 372. Significatur per regem Syriæ, 475. Est faber sufflans persecutiones in servos Dei, 508. Significatus per regem Babylonis bis expugnavit cœlum, 581. Ad tentandum Job circuibat terram; ad occidendum vero Christum foras missus est, 629. Persequebatur Christum propter tormenta quæ ab illo patiebatur, 629. A diabolo ante Christum nemo audebat rationem exigere, 629. Dicitur additamentum, quia dum addere spondet subtraxit id quod erat homo, 659. Voluntate Deo adversatur, actu tamen servit Deo, 659. Habet contra nos testimonium paratum lignum vetitum, 645. Quomodo victus sit ab agno, 684. Et leo draco est, 694. Habet corpus aereum, 725. Ex natura sua igni subjectus est, 725. Venit ab Aquilone, et est princeps opprobrii nostri, 169. Diabolo nullum pœnitentiæ tempus permissum, 8. Neque ulla veniæ spes concessa, 10.

Dialectica veritatem sequitur, qua etiam utitur Scriptura, 701.

Dicere Dei est generare æternaliter, 4.

Dies septem in creatione mundi sunt septem species boni operis, prolog. super Genes. Significat stabilitatem angelorum bonorum, nox vero obstinationem malorum, 8. Dies primus est verbum æternum, 8. Dies dicitur quando sol supra terram est, 17. Dies primus est dies septima, 26. Diei septimæ prærogativæ, 26. Dies tres in mundi creatione, quare posuit Scriptura, 12. Diebus sex creationis mundi, respondent sex ætates illius, 37. Dies tres quos Joseph tenuit fratres suos in custodia, per quid figurentur, 155. Dies est Christus, 192. Dies sex quibus Deus creavit mundum, significantur per porticum solli in quo tribunal erat, 428. Dies furoris fuit in quo dictum est, Adam ne comederet de ligno vetito, 529. Diei nativitatis suæ cur Job maledixit, 629.

Digitus Dei est Spiritus S. et quare, 181. Digitus Dei sunt dona Spiritus S., 524. Digitum in sanguine intingere, est Spiritum S. per sanguinem suum dare, 250.

Dignitas ecclesiastica si conferatur indigno, qualiter consilio Ecclesiæ possit impediri, 118.

Dilectio simpliciter et cum additamento differunt, 114. Dilectio Christi tempore transitus sui significatur per tintinnabula, 234. Dilectionis geminum præceptum significatur per duos sicios, 256. Dilectio Dei in dando filio suo non solum fuit misericordiæ, sed justitiæ, 104.

Diluvium immisit Deus in terram ut scirent ventura sæcula quantum Deus peccatis adversetur, 65. Fuit unum ex tribus Dei judiciis, 65. Fuit figura baptismi, 65. Cœpit tempore veris, 69. Diluvii aquæ cessaverent tempore hiemis, ut scias judicium hoc divinitus esse factum 69.

Diria secundum Philonem fuit uxor Job, 136.

Diomedeæ aves quæ sint, 268.

Discedere a Deo afflictio est, 327.

Discere in schola Dei est inclinare aurem et humiliare mentem, 697.

Discordia malorum prodest justis, 141.

Discretio per sal significatur, 249.

Dividere lucem a tenebris quid sit, 5.

Divinitas Christi significatur per aurum, 547. Divinitas Christi æqualem altitudinem, longitudinem, et latitudinem habuit, 572.

Divisio lucis a tenebris, et angelorum a dæmonibus significatur per porticum solli, in qua tribunal erat, 429.

Divites necessitati sanctorum subvenientes significantur per saga, 229. Divitum subsidia et eleemosynæ in ministros Dei significantur per vectes, 229. Divites peccatores dicuntur prædones, 632.

Divitiæ separant amicos, 80.

Docere traditiones suas, et non Dei, est dormire cum mulieribus in templo, 391.

Doctores in Ecclesia significantur per Sem, 74. Doctores in Ecclesia, non occupentur in contemptibilibus negotiis, 329. Significantur per vectes de lignis Sethim, 225. Doctores Israel dicuntur asinæ ulitentes, in Judic., 371.

Doctrina catholica pudica est, et significatur per Rebeccam, 111. Prædicatoris munienda est testimoniis Scripturarum, 322. Cœlestis sine distinctione distribui debet tempore gratiæ, 338. Posterior est sapientia et intelligentia, 459. Doctrinæ nostræ initium est credere in Christum per quem justificamur, 526. Doctrina Christi quare fuerit mirabilis, 606. Hæreticorum quasi flumen, et quo tempore cœpit fluere, 696.

Dogmatizantes hæretici puniuntur in filiis, id est in anima, perpetua pœna, 462.

Dolor nimius diu dissimulari nequit, 134. Dolore quomodo tangitur Deus, 64.

Domus Christi sunt apostoli et sacerdotes, et ministri altaris, 128. Domus et familia quid differant, 186. Domum ædificare est subditorum corda per doctrinam informare, 329. Domum ædificare Deo solus justus sufficit, 415. Domum cœlestem ædificat Deus filiis qui parant filii terrenam, 415.

Donum Dei qualecunque sit speciosum esse debet pro qualitate dantis, 9. Dona Dei prius ponenda sunt quam ea quæ acquirimus ab hominibus, 450. Dona Spiritus sancti sunt scintillæ aeris candentis, 547. Dona Dei quando perdidimus, quomodo illa recuperare debemus, 475. Dona Spiritus sancti, quomodo in Christo fuerint explicatur, 625, 486.

Dormiat quomodo Deus homini, 46. Dormire cum mulieribus filios Heli, erat suadere, ut cum viris commiscerentur non expleto tempore partus, 390.

Dorsum habere contra templum est contemnere Deum arguentem, 560.

Duodecimus numerus significat universitatem, 721.

Duplex spiritus Eliæ quomodo fuerit in Eliseo, 470. Duplicia quomodo susceperit Christus post mortem, 645.

E

Ebrietas et nuditio Noe significant passionis Christi humilitatem quam despexit Cham, 74. Ebrietatem sectantes dicuntur filii Belial, 586.

Ecclesia gentium signatur per domum Abimelech, 99. Est tertia quæ aperuit os suum, et clamat, et est terra bona, 60. Significatur per arcam Noe, et cætera quæ ibi mystice exponuntur, 65. Ecclesiam non acquisivit Christus sua presentia, sed per suos, 107. Ecclesia in omnes gentes diffusa est, non vero in angulo, 116. Ecclesia Dei est locus quem Jacob dixit esse terribilem, 122. Ecclesiæ dedicatio, id est, consecratio, cur festivis laudibus celebratur, 124. Ecclesia debet habere e palatiis regum unde sustentetur, 128. Ecclesia est locus ubi Deus visitat suos, 134. Ecclesiam quibus gradibus ascendere debemus, 134. Ecclesia Christi surgente in initio religionis Christianæ cæremoniæ carnales sub ligno crucis obruuntur, 154. Dicitur vinea, 161. Non est sterilis, sed fecunda, 220. Indiget armis et gladiis principum, 293. Judæorum et gentium fuit uxor Christi, 350. Gentilis uxor Christi virgo fuit, quia pro Christo sanguinem fudit, 350. Est locus ubi Deus invocandus est, 358. Præfigurata fuit in domo Raab, 362. Ædificatur ex costa Christi, 392. Ecclesiæ sacramenta reconciliant nos Deo, 392. Ecclesia gentium significatur per Cariathiarim, id est civitatem Silvarum, 396. De Gentibus significatur per Abigail, 409. Ex gentibus sola est in qua Christus magni consilii Angelus invenitur, 421. Est vehiculum altissimum, et significatur per mulam in qua Salomon sedit, 425. De gentibus significatur per filiam Pharaonis, 429. Gentilis significatur per reginam Saba, et per camelos, 456. Gentilis credendo in Christum facta est regina, 456. In Ecclesia gentium transiit Dominus relicta fame verbi Dei, in Israel, 465. Ecclesia catholica vere pauper est, 465. Ex Judæis et gentibus significatur per mulierem habentem duos filios, 472. Ecclesiæ prælatos in mari suarum curarum sodit Deus, 455. Ecclesia gentium hæreditas ponitur, 508. Significatur per costam eductam de latere Adam, 636.

Eclipsis in sermone majorem vim auget, 488.

Electis venit tertio columba, id est Spiritus sanctus, 72. Electi et si a vana gloria impetantur ad cor velociter redeunt, 475 Electio David et dignitatum debet esse a Deo, et non ab humano favore, 598.

Eleemosyna salvabit in judicio, 704.

Elephas castissimum animal est, 436.

Enoch et Elias quomodo translati sunt in paradisum, 35.

Ephi et batus una est mensura trium modiorum, 210.

Epistola ad Romanos continet v actus et exponitur, 667.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Eucharistia spiritus et vita est, et quid in ea sit adeps, et pinguedo, 60. Eucharistiæ sacramentum figuratum fuit in ædificatione altaris, et oblatione sacrificii per Noe, 70. Eucharistiæ sacramentum figuratum fuit in sacrificio Isaac, 105. Eucharistia est signum reconciliationis et pacis, 132. Eucharistiam qui per se non sufficit sumere invitet vicinos ad esum agni, 188. Eucharistia non ore corporis, sed ore cordis sumenda est, 188. Eucharistiam sumentes sint unum, id est, in una Ecclesiæ unitate, 194. Eucharistiam sumpturus prius invitatur ad Christi passionem, 189. Eucharistia unus panis, et plures dicitur, 208. Eucharistiam sumens egredistur a pristina conversatione, 208, 210. Eucharistiæ sacramentum novum sacrificium per semetipsum tradidit Christus, 210. Eucharistia est mensa posita in propitiatorio, 210. Eucharistiæ sacrificium habet in se veritatem corporis et sanguinis Christi, et totam gratiam Verbi incarnati, 231. Eucharistiam qui comedere possint, 260. Eucharistia, id est, Corpus et Sanguis Christi sunt fructus arboris pulcherrimi, 280. Eucharistiam irreverenter sumentes taxantur, 289. Non sumat pollutus culpa sua, 332. Digne sumpturus humiliat se, et hujus figura, 465. Eucharistia est solum sacrificium coram Domino et mensa, 576. Est septimus testis pro homine contra diabolum, 646. Est testimonium vitæ et salutis æternæ, Eucharistiæ sacramentum ex Domini passione conditur et est cibus vitæ contrarius cibo mortis, 646. Eucharistiæ figura fuit manna, eucharistiæ sacramentum necessarium fuit patribus antiquis, 652. In Eucharistia est corpus Christi nomine, re et effectu, 652. Confertur remissio peccatorum sicut in morte Christi, 652. In eucharistia res sacramenti est passio Christi, sacramentum vero corpus et sanguis visibile sacramentum, 652. Ad eucharistiam sumendam quis dicitur indignus, 655. In eucharistia magis credendum est Deo quam primus homo credidit diabolo, 655. Eucharistia necessaria est ad salutem, 655. Eucharistiam sumpturus vivat oportet, 712.

Eunuchorum multiplex differentia ponitur, 331. Eunuchus non faciens semen in Israel est qui cum possit ædificare proximum verbo mutus est, 331.

Eva quare dicta sit mater viventium, 31. Evæ nomen et esse matrem viventium, nomen præsumptionis est, 32.

Evangelistæ omnes inter se concordant, 426. Cur tantum quatuor sint, 547.

Evangelium, est plaustrum super quod arca fœderis portatur, 415. Christi est pallium Eliæ, 471. Comitantur lex et prophetæ, 532. Est quo metiuntur corda singulorum ad Divinæ regulæ concordiam, 661. Non scripsit Joannes nisi vocatus a Domino ad id muneris, 661.

Excusatio perfecta tria habet, 102.

Exemplar aliud a seipso non habuit Deus in mundi creatione, 1. Exempla Patrum nobis proposita significantur per virgas populeas, Jacob, 127. Ante et post legem significatur per spicas virentes quæ torreri debent a solis justitiæ Christo, 424. Exempla aliquorum Patrum ante et post legem non sunt sumenda pro defensione nostra, 424. Exempla Patrum et testimonia SS. charitatem nutriunt in corde nostro, 258. Sanctorum sunt specula de quibus Scriptura condita est, 264. De sapientum sæcularium scriptis confluerunt ad eorumdem destructionem, 325. Exemplum particulare debet sumi ad cognoscendum universale, 669.

Exordiis non utitur Scriptura aliquando, 698

Exploratores sunt prædicatores, 561.

Expositiones sanctorum de Spiritu sancto significantur per ostiola in ingressu oraculi quæ claudebantur et aperiebantur, 426.

Exstasis quid sit, 58.

Exsultatio propria est spiritus et cordis, 387.

Ezechiel significat Christum Filium Dei, 547.

F

Fabam quare Pythagoras non comedebat, 72.

Fabulis utitur grammaticus quæ dicuntur a fando, 698.

Facies Moysi splendida significat sensum Spiritus sancti, prolog. super Genes. Facies Christi quadruplex, 34. Facies Dei significat promissa cœlestia, 87. In faciem cadere, et retro quid sit, 162. Facies cornuta Moysis significat splendorem legis gratiæ, 242. Faciem hominis, leonis, bovis, et aquilæ habeat Christianus, 349. Faciem unam qui credit in Christo, credat et omnes. Facies et pennæ quatuor animalium Ezechielis cap. 1 sunt, incarnatio, passio, et resurrectio, et ascensio Christi, 547.

Facta consonant dictis, 235.

Fames prædicandi verbum Dei bona est, 115. Significat mortem animæ, gladius vero mortem corporis, 504.

Favum mellis de ore leonis assumpsit Christus quando in cruce eripuit nos de potestate diaboli, 377.

Femur super quo posuit servus Abraham manum, figura fuit incarnationis Christi, 108.

Fenestræ templi obliquæ, sunt occultæ viæ Domini, 425.

Fermento quali sit abstinendum, 191. Fermentum significat gloriam vanam, 238. Fuit peccatum superbiæ diaboli, 191.

Ferrum in manubrio est donum intellectus in corde, 475.

Festa tria Judæorum, 278. Festos dies unum post alium vitant Judæi, 280. Festivitates nostræ spirituales tres sunt, 280. Festivitates Judæorum cur oderit Deus, 480, 674.

Festivitates Judæorum causas terrenas habuerunt, 675. Nostræ vero spirituales sunt, 675.

Fideles non aliter ad Christum pertinent nisi incorporentur in fide Patrum antiquorum, 70.

Fides est opus Dei, 35. Abraham in duobus ostensa est, 78. Fidem, spem, et charitatem petit Deus ab homine, 36. Fidei juvatur oratione, 113. Fide, spe, et charitate anima sublevatur donec videat Christum facie ad faciem, 144. Fides antiquorum ad quæ credenda illos obligabat, 186. Fides et humilitas passionis Christi significatur per hyssopum, 191. Fidei integritas et perfectio timoris facit ut Deus videatur sine fumo, 217. Fides Incarnationis Dominicæ est altare super quo immolamus, 217. Fides, spes, et charitas sunt sacrificia nostra, 258. Fides est sacrificium nostrum spirituale pro peccato, 259. Prior est tempore spe, et charitate, sed dignitate media est inter utramque, 259. Fides, spes, et charitas, significantur per hyssopum, lignum cedrinum et vermiculum, 274. Significantur per tres civitates confugii, 522. Fidei perditio adulterium est, 331. Fides significatur per Abissae Sunamitem calefacientem David, 422. Sola non sufficit ad beatitudinem, 441. Fides suggerit, spes concipit, charitas effundit laudes in Deo, 459. Fidem, spem, et charitatem qualiter Salomon tribus libris commendaverit, 459. Fides Christi justi justitia illius est, 431. Fides dicitur captiva in hoc sæculo quia tantum est in his qui peregrinantur in illo, 422. Fides una, et spes omnium sanctorum est, qui antea et post legem fuerunt, 571. Fides antiquorum Patrum est altare ante faciem templi, 572. Martyrum est lapis, in Daniel, 584. Christi lavit omnia peccata, 625. Fides est quæ justificat, 668. Fidem, spem, et charitatem exigit Deus ab homine et quomodo diverso ordine illas tradidit, 36.

Figuris utitur sacra Scriptura, 698.

Filius Dei quare dicatur principium, 2. Filii iræ quare nascimur omnes, 43. Filius Dei genitus est a patre similis Deo patri, 15. Filii Dei, de quibus Gen. VI, sunt filii Seth; filii vero hominum, sunt de generatione Cain, 64. Filii æternæ generationis figura fuit generatio Joseph in senectute Jacob, 139. Filios relinquere tempore mortis consolatio est parentum, 155. Filii corripiendi sunt, 327. Filii quomodo puniantur in patribus, 333. Filios spirituales omnes prædicatores generant, 690. Filii Dei æqualitas et æternitas ostenditur contra Arium, 696. Filius Dei debuit incarnari, etiamsi Adam non peccasset, 1.

Firmamentum est aer extentus, 9.

Flumina omnia quæ exeunt de paradiso ponuntur, 32. Flumen est doctrina hæreticorum, 696.

Fluvius igneus significat Sp. sanctum, 588. Fluvius egrediens de paradiso est doctrina, quæ dividitur in quatuor capita, 620.

Fluxum seminis pati vel sanguinis, id est detractoris criminosis fluere verbis, 276.

Fœdus juramentum quoddam est quo Deus se obstringit, 84. Inter Deum, et Abraham fuit sacramentum Incarnationis Christi, 88.

Forma et formatum differunt, 619. Sine materia est Deus, 619.

Fornicatio duplex tam animæ quam corporis, 585. Corporalis, et spiritualis habent pro causa quam, 676. Fornicarios hujus mundi vocat Paulus avaros, ebriosos, etc. 676.

Fortitudo vera consistit in humilitate et in mente subdita justitiæ, 94. Corporis non tam spectanda est quam animæ, 419. Christi in eo est, quod humanitas unita est divinitati, 419. Nostra spiritualis a Spiritu S. consolatore est, 503. Christi quanta fuerit ostenditur, 654. Magna res est inter opera Sp. S., 685. Vera est cum charitate, 685. Dei sunt res minime quibus vincit fortia, 184. Fortitudinis Spiritus quare medius ponitur inter VII, 685.

Fratres pro filiis ponit Scriptura, 112.

Fraus quid sit, 48.

Fugere vel sperare in persecutione quando debet prælatus, 362, 465.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Fumus significat excitatem, vel compunctionem lacrymarum, 486.
Funiculus quo Christus ejecit vendentes, significat tempestatem qua Judæi expulsi sunt a Romanis, 610.
Furor est causa quod diabolus, et membra illius persequantur Christi membra, 6:9.
Furtum pessimum est veritatem Dei in justitia detinere, 183.
Futurum tempus pro præterito ponitur, 318.

G

Gallus significat prædicatores, 685.
Gaudium mundi vertitur in tristitiam, 662.
Gedeonis pugna quid mystice significet, 374. Gedeon significat Christum, 374.
Generandi usus in homine, non per peccatum, sed per Dei benedictionem datus est, 24.
Generatio Christi duplex, 1. electorum et reproborum diversas causas habet, 56. Generationes Christi et generationes Isaac differunt, 112. Generatio Christi est scala Jacob, et aliter in Matthæo, aliter in Luca ponitur, 121. Generationis æternæ Filii Dei figura fuit nativitas Joseph in senectute Patris, 139. Generatio duplex, una Dei, altera mundi, 339. Generationes Christi quadraginta quinque sunt secundum fidem historiæ, 427. Generatio Christi est via portæ, 578. Generationem gratiæ magis intendit Matthæus quam carnis, 112, 338.
Genesis liber cur ita dictus sit, 1
Gens magna sunt electi, 78. Gentium et Judæorum unitas figurata fuit in fœdere Abraham cum Abimelech, 103. Gentium salus et consilium a sacra Scriptura processit, 120. Gentes significantur per Liam, Judæi vero per Rachelem, 124. Gentium introductio ad Christum figurata fuit per subintroductionem Liæ, 124. Gentium Ecclesia non interfuit, Christi victoriæ in Cruce, 176. Gentium Ecclesiam uxorem duxit, Christus virginem, 330. Gentibus non prædicavit Christus per se, sed per Apostolos, 474. Gentes omnium Ecclesiarum significantur per septem mulieres apprehendentes virum unum, 485. Gentes relictis Judæis quæsivit Christus, et hujus figura, 622.
Gentiles per Jacob, Judæi per Abraham, Christus per Isaac significantur, 158. Significantur per asinam, vel pullum, et per stollam, et pallium, 161. Eloquentiam Scripturæ ambierunt, 171. Gentiles et Judæi significantur per duos viros portantes botrum in vecte, 302. Gentiles viciniores erant gratiæ et saluti quam Judæi, 321. Gentilitas significatur per Raab, in Josue, 361.
Genus generalissime est substantia et dividitur usque ad differentias, 701. Genere et speciebus, et differentiis utitur Scriptura, 701.
Geometria inventa dicitur ab Ægyptiis et illa parum utitur, 704.
Gladius versatilis est sententia divini judicii, 55. Gladium evaginare, apertam persecutionem, arcum intendere, occultam significat, 202. Gladius David et virorum ejus est potestas judicii, 409 Quo pugnatur in bello Evangelico est verbum Dei, 683.
Gloria vana significatur per fermentum, 238. Gloriam suam, et non Dei quærere, est ascendere super altare, 462. Gloria vana de accepta scientia facit ut donum intellectus amittatur, 475. Gloriam vanam quando electi sanent, 475. Gloria sumus Dei et prædicatorum quia nos converterunt, 514. Gloriantes in operibus legis numerant populum cum David et moriuntur, 421. Gloriari de malis est ramum ad nares applicare, 560. Gloriari de meritis propriis nemo potest, 211.
Goliat typum diaboli gessit, 402.
Gomor est mensura Attica habens XII sextarios, 210.
In gradibus Ecclesiæ quo quisque arctior tanto excelsior, et e converso, 66 Gradibus quindecim ascendebatur in Sancta sanctorum, 217.
Græca et Latina lingua in omnibus principatum tenuit, 75.
Grammatica quomodo utatur Scriptura, 698.
Gratia Spiritus S. est ros cœli, 119. Operatur in homine confidentiam, peccatum vero timorem, 137. Gratiam secundam petit Ecclesia Filiis suis post baptismum, 370. Gratia prima remissionis peccatorum est terra arens, secunda vero est terra irrigua, 570. Gratia Spiritus S. effundenda in gentes, et hujus figura ponitur, 579. Omnis per Christum est, 620. Christi magis abundavit quam peccatum primi hominis, 636.
Gula causa fornicationis spiritualis et corporalis, 676.

H

Hebræa lingua sola ante diluvium fuit, 76. Heber est a quo Hebræa lingua dicta, et Hebræi inde dicti, 75. Hebræa lingua est mater Sanctæ Scripturæ, 171. Hebræus dicitur transiens, 87, 174.
Hœdi duo quos attulit Esau Isaac, significant duo Testamenta, 118. Hœdus dicitur Christus propter peccata multorum quæ super se tulit, 714
Hæreditas ita dividatur ut major dividat, minor vero eligat, 78. Hæreditas peccati primi parentis juste nobis contigit, 656. Hæreditas regni cœlorum qua Adam juste privatus est non pertinet ad filios, 646.
Hæreses paulatim serpendo vires accipiunt, 696.
Hæresiarchæ significantur per Hieroboam, 462. In filiis puniuntur, id est in anima æternaliter; hæretici vero in seipsis, et hujus figura, 462.
Hæretici significantur per Cham revelantem verenda patris, 74. Hæreticorum doctrina impudica est, 111. Hæreticos deserit Christus, et tamen suam appellant aquam dicentis: sacramenta vera esse sua, 116. Hæreticorum sectæ sunt quasi concubinæ, 116. Hæretici commaculantes animas adulteri in semine, figurantur per incestum Ruben cum Bala, 158. Hæretici torum patris maculant, 159. Hæreticorum mendacium per locustam significatur, 184. Hæreticus significatur per leprosum, et quomodo curandus et vitandus sit, 271. Hæreticus et hæresiarcha quomodo differant, 271. Ab hæretico revertente ad fidem quid debet exigi, 274. Hæreticus perseverans in hæresi destruatur tota ejus domus, 275. Hæreticorum sermo compositus est vitulus aureus, 462. Conversatio vitanda, 463. Hæreticorum amaritudo significatur per mortem in ilia, 475. Hæreticos mittit diabolus ad regem Israel, 474. Hæreticorum doctrina tanquam flumen est, et quo tempore fluere cœpit, 696.
Hebdomadæ septuaginta duo exponuntur, 389.
Helias secundum Hebræos est Phinees filius Eleazari, 465. Helias tam Christi quam membrorum Christi figura est, 465. Helias levatus in cœlum quid significet, et quod pallium reliquerit, 467.
Heliseus quomodo habuit duplicem Heliæ spiritum, 470.
Heliu, de quo in libro Job, est Balaam secundum Hebræos, 106.
Herbis et plantis quare non sit data benedictio sicut bestiis et avibus, 20. Herba significat scientiam, 523.
Heu dictum a Deo non est parvi ponderis, 480.
Hieremias fuit Christi figura, 520.
Hierusalem excidium figuratum fuit in Eliseo, et duobus ursis, etc., 472. Hierusalem dicitur vallis visionis, 503, Hierusalem expugnabitur a Tito, et bella intestina describuntur, 557. Hierusalem eversio ob superbiam fuit justo Dei judicio, 677.
Hirci duo significant Christum et Antichristum, 277. Hirci duo Christus et Barabbas, 277.
Historia sacræ Scripturæ aliquando dimittenda est et comedendus sensus spiritualis, 528.
Homicidium quantum Deus abhorreat, 71.
Holocausta antiqua non tam jussa quam permissa fuerunt, 675. Holocaustum nostrum charitas est, 257. Holocaustum ex avibus, et pecoribus quid mystice significent, 246.
Homo animalis, non potest cogitare qualis habitatio sit cœlum, et quam immensa, 3. Non est creatus in paradiso, sed translatus, 3. Hominem cur Deus non creavit impassibilem et sine vitiis, 6. Homo est vestimentum Dei, 6. Hominem cur Deus creavit quem sciebat casurum, 6. Hominem quare benedixerit Deus non vero turbas, etc., 20. Ad hominis dignitatem spectat quod die sexta qua creatus est, creata etiam sint jumenta et bestiæ, 22. Cum homine eadem die creantur quædam animata in illius ruinam, quædam in adjutorium, 22. Hominis creatio cum magno consilio facta est et consideratione, 27. Homo difficulter acquirit imaginem et similitudinem Dei, 25. Non ad similitudinem et imaginem, sed ad imaginem et similitudinem creatus est, 2. Homines prædestinati ad vitam, intelliguntur creati sub illo verbo: faciamus hominem, 3. Homo secundum quam partem præsit omnibus animantibus, et aliis hominibus, 5. Homines rebelles perdunt similitudinem Dei et plura, 5.
Homo si non peccasset soli electi nascerentur, 25. Hominem Deus non laudat in illius creatione dicens: vidit Deus hominem quod esset bonus, 26. Homo intus est ex Sanctorum virorum confessione, 30. Homo cum conditus sit ad reparandas ruinas Angelorum cur factus sit alterius naturæ ab Angelo, 30. Differt a jumentis quia sigillo Dei signatus est quasi cera, 30. Idem est quod Adam, 30. Sursum respicit et illius forma distincta a cæteris animantibus, 31. Homine formato quare illi Moyses detraxerit aliquid non sciente uti dono rationis, 31. Homo est paradisi advena, Deus vero justus possessor, 31. Hominem examinavit Deus in paradiso et Angelum in cœlo, 34. Homo in pœnam suam et verecundiam

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

generat, 23. Homo et bestiæ omnes sentiunt data sibi in escam omnia quæ in escam paravit Deus illis, 25. Hominem cur non absque ulla conditione et præcepto posuerit Deus in paradiso, 33. Ab homine Deus tria petit, 35. Hominis maxima dignitas est quod non inveniatur ei simile inter omnia quæ creavit Deus, 32. Homo ingratus Dei beneficiis, 46. Hominis rectitudo consistit in subjectione carnis ad spiritum, 40. Homo unica pœna; mulier vero duplici punita fuit a Deo, 44, 49. Non potest ignorare quidquid a Deo sive irato sive propitio institutum est, 45. Hominis locus Deus est, 45. Homo si seipsum accuset mitius cum illo aget Deus, 46. Hominem nudum serpens non audet tangere, 47. Hominem quare Deus interrogat: quare hoc fecisti, non vero dæmonem, 47. Homines armantur veneno contra hominem pejus quam serpens, 49. Homo laboret ne torpeat otio, 51. Hominem cur Deus mortalem esse voluerit, 635. Homo duo solatia habet ad miseriam suam, scilicet, victum et vestitum, 52. Homo si viveret in æternum post peccatum summa illi esset miseria, 55. Homines in triplici statu sunt, justi, peccatores confitentes, peccatores impœnitentes, 62. Homo duplici ex causa dominatur omnibus animalibus, 71. Nullus perfectam habet scientiam, 119. Vere et singulariter dicitur Christus, 128. Homo cum amicus est Dei quantum possit, 137. Factus Deus fuit signum nunquam visum, 243. Hominis status tres extremos, mediocris, et optimus, 261. Homines significantur per ligna et arbores, 325. Homo peccando factus est servus, significatur per petentes Saul in regem, 398. Homo nullus purus poterat cum diabolo pugnare neque redimere nos, 403.

Homo sicut in sexta feria creatus est, ita in sexta ætate et sexta feria reparatus est, 455. Non potuit seipsum a peccato liberare, 504. Hominem esse miseriæ, et admitti ad visionem Dei gratiæ est, 534, 565. Hominum dura corda significantur per littora, et loca palustria, 579. Hominem totum Christus assumpsit quod totus homo perierat. 619. Homo Christus positus est in paradiso, et paradisus positus est in illo, 620. Homo animam sursum levet, corpus vero humiliet, 638. Hominis novi diversa obedientia a terreno, 628. Homo si non peccasset non incarnatus fuisset Christus, 630. Homines aliquando dicuntur jumenta terræ, aliquando volatilia, et pisces, 633. Homo prius loquitur Deo, quam vocetur, 634, 635. Homo per furorem occidit seipsum, 639. Homo prius per superbiam et gulam cecidit, et per humilitatem et continentiam reparatus est, 654. Homini peccatum venit ex accidenti, 701 Hominis pugna interior unde nascitur, 718.

Honor exhibendus est illi a quo accepimus beneficium, 70.

Hostia pacificorum cur non fiat de volatilibus, 249. Hostia pacificorum et holocaustum quomodo differant, 249.

Humani sanguinis dignitas ostenditur, 71.

Humanitas Christi significata est per virgam Moysi, 175. Significatur per columnam nubis, 199. Humanam naturam assumens Christus duxit uxorem, 350. Humanitas Christi significatur per verenda Noe discooperta, 537. Significatur per argentum, 547.

Humiles Deus exaltat, 179. Humile silentium nostrarum laudum supplet Deus, 500. Humiles sunt qui inveniunt cor suum, 419. Humilis per omnia voluit Christus videri etiam egrediendo de radice Jesse non vero David, 493. Humilitas Domini est scientia Domini, 499. Humilis est homo ex accidenti, 642. Humiles sunt afflicti terræ et contriti, 642.

Humilitas solet homines in cœlum evehere, 179. Humilitas Christi dejecit superbiam diaboli, 505. Humilitas Christi fumus excæcans cor Judæorum ne illum agnoscerent, 454. Humiliant se sancti magis quo majora beneficia recipiant, 417.

Hylem sive materiam in creatione mundi Deo non fuisse coæternam, 2.

Hypocritæ significantur per vestem lineam, 329.

Hyram vocatur Tyrius, quia in Tyro didicit artem, 450.

Hyssopus significat fidem et humilitatem passionis Christi, 190, 252.

I

Ideæ in mundi creatione nullæ fuerunt, 1.

Idololatriæ nomen ubi primo ponit Scriptura, 42. Idololatria emanavit ex deceptione mulieris primæ a serpente, 42. Idololatria primum emanavit ex eo quod Eva serpenti crediderit, 42.

Ignis solus nihil generat, 3. Ignis purgatorius. *Vide* Purgatorius. Ignis Sp. S. et ignis naturalis differentia notanda, 172. Ignis Divinus intra quos est non urit, longe autem positis damnosus est, 172. Ignis cordi nostri quomodo nutriendus sit, 258. Creatus est ante mundi constitutionem, 725.

Ignorare non est approbare, 422. Ignorantia peccati est multiplex, et quæ excuset, 256.

Imago dicitur multipliciter, 25. Est unius, similitudo vero non minus quam duorum, 25, 617. Imago Patris est Filius, Spiritus S. vero est similitudo Patris et Filii, 25. Imago et similitudo Dei est in homine, 25. Imago Dei in homine est quasi oculus ad quærendam similitudinem Dei, 25.

Imperandi verbum supponit aliquid cui imperetur, 2.

Implet Deus semper sua promissa, 467. Implere cor hominis solus Deus potest, 624.

Inaures quid mystice significent, 109.

Incarnatio Verbi fuit cum Dei consilio ante creationem cœli et terræ, 1. Incarnatio Christi pactum fuit inter Deum et hominem, 75. Incarnationem Christi præsentia Trinitatis illustravit sicut nativitatem Isaac, 92. Incarnatio Christi figurata fuit in femore Abraham super quo servus filius posuit manum, 108. Incarnatio Christi est ingressus ad reconciliationem nostram sine qua nemo reconciliari potest, 239. Incarnatio Dominica est altare in quo Domino offerendum est, 218. Incarnatus Filius Dei omnibus modis se capacitati hominis accommodavit, 225. Incarnatio Christi aperuit obscura dicta prophetarum, 230. Filii Dei significatur per feminalia sacerdotis, 235. Christi operuit verecundiam peccati originalis, 235. Filii Dei fuit signum nunquam visum, 243. Filii Dei figurata fuit in Samsone, 376. Christi revelata fuit David, 416. Incarnationis Christi opus sine omni humano opere factum est, et hujus figura, 426. Incarnatio per faciem hominis designatur, passio vero per faciem vituli, etc., 548. Incarnatio Filii Dei mirabilis fuit, 619. Incarnatione nullum opus dignius fuit, et quod magis Deo placuerit, 602. Incarnatio, passio, resurrectio et ascensio Christi sunt quatuor flumina egredientia de paradiso, 620. Incarnatus non fuisset Christus nisi homo peccasset, 630. Incarnationis mysterium non potuisset homo discere nisi Deus in Scripturis narrasset, 660.

Indignus quis dicatur ad sumendam eucharistiam, 654.

Indurat Deus cor hominis, et quomodo, 169, 176.

Inebriare est saturare, 155. Inebriat nos Deus ut obliviscamur mundi delectamenta, 227.

Inferiora hac angustiora sunt quam superiora, 574.

In inferno non est ratio, quia sempiterna pœna fatigabitur illic anima, 31. Inferni supplicium est irriguum inferius, 570. Inferni pœnas non docuit palam lex, sed primus David, 704.

Ingratitudini annexum est non cognoscere peccatum, 40.

Ingratus fuit primus homo Deo, quia post tot beneficia illum non laudavit, 46.

Ingredi cœlum non possumus sine operibus, et Dei misericordia, 569.

Inimicitia et fraus differunt, 48. Inimici Christi non sunt occidendi, sed ad cognitionem reatus perducendi sunt, 151. Inimicis Dei vindictam sumere imprudentis est, 641. Inimicus non est Deus, nec re nec voce, 533.

Iniquitas Patrum in filios quomodo redditur, 190.

Injuria semel dimissa nullam amplius querelam habemus, 132. Dimittenda est ei qui humiliter confitetur, 335.

Innocentia significatur per mare vitreum, 200.

Instabilitas peccatoris ut ex peccato superbiæ, 528.

Intellectus seu ratio est quoddam talentum a Deo commissum, 51. Intellectus donum, est facultas qua homo divinitus docetur, 637.

Intentio offerentis facit ut minora videantur majora quoad Deum, 225. Intentio nostra et omnia alia, quomodo ordinanda sunt, 246.

Intestina agni Christi, sunt illius occulta et mystica mandata, 190

Invidere alterius justitiæ, est imitari diabolum, 39. Invidus eo magis uritur quo majora beneficia recipit, 176.

Invidia significatur per cor mœrens, 479.

Iracundos melius corrigimus postquam ira cessat, 409

Iram Dei neque reges, neque pauperes fugiunt, 192.

Iris dicitur Græce *pax*, et est signum divinæ recordationis, 75.

Ironia utitur Spiritus S., 344.

Isaac et Ismaelis generatio, et anni Abraham quando utrumque generavit, mystica ratio ostenditur, 87. Isaac, id est *risus*, significat Christi nativitatem, 91. Fuit typus Christi, 113. Isaac et Rebecca, et duo filii Jacob et Esau, significant Pontificem, et Ecclesiam, et prætendentes honores in Ecclesia, 118. Isaac non proprie videns Deum, sed princeps cum Deo interpretatur, 134.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Isai quomodo alias VII, alias VIII, filii esse legantur, 403.
Isaias et propheta et evangelista dicendus est, 478.
Ismael an sit salvatus, 91.
Israel quare dicitur filius primogenitus, 175.

J

Jacob fuit pauper Spiritu, 121. Ejus vita similis virgæ, 128. Cur virgas populeas decorticaverit, 129. Fuit pater populi Israelitici, 497.
Jephte significat Christum, 376.
Jezabel significat mortem æternam, 466.
Joab mors figura fuit in leonem quem occidit Bananias in medio cisternæ, 419.
Joannes Baptista per Samuelem significatur, 398.
Joannes evangelista non accepit actu spiritum intellectu recumbens in cœna supra pectus, sed accessum habuit ut acciperet, 661. Velut alter Joseph unam partem accepit extra fratres suos, 661. Joannes evangelista aquilæ comparatur, 661.
Job non est natus de genere Esau, sed e Nachor fratre Abraham, 105. Habuit uxorem Dinam filiam Jacob, secundum Philonem, 136. Job patientia typus fuit patientiæ Christi, 629.
Jonas prophetavit post Heliseum, et fuit filius Sareptanæ viduæ quem suscitavit Helias, 464.
Joseph quo crimine accusaverit fratres suos apud patrem, 139. Adoratur a patre et fratribus, et quid mystice significet, 140. Habuit temperantiam, justitiam, fortitudinem, etc., 144. Cur Nazareum appellaverit pater suus, 164. Labores majores fuerunt, quam Abraham, Isaac, et Jacob, 148. Sponsus Virginis est supremus gradus scalæ cui Dominus innixus, 122.
Josue significat spiritum legis, 241.
Jubilæus *dimittens* vel *remittens* interpretatur, 281. Jubilæus noster quis sit, 40, 569.
Judæ falsum osculum, et mors, significatur per Absalon, 418. Judas maledicitur XXX maledictionibus, Psal. CVIII, respondentes XXX argenteis, quibus Christum vendidit, 541, 455. Judam cur Christus elegerit in apostolum, 607.
Judæi per Abraham, gentes per Jacob, Christus per Isaac significantur, 138. Judæorum duplex tribulatio, significatur per soporem qui bis irruit in Abraham, 85. Judæorum et gentium unitas figurata fuit in Abraham et Abimelech fœdere, 103. Judæi et gentes significantur per Zaram et Phares, 144. Judæi quomodo sint tractandi a principibus Christianis, 151. Judæorum reprobatio significatur per priores tabulas confractas, 222. Judæi sequentes tantum litteram sunt natatilia immunda, 268. Judæorum et gentium pugna in principio nascentis Ecclesiæ, figuratur per pugnam puerorum Abner et Joab, 413. Judæi et principes eorum, quare sint similes Sodomorum, 480. Judæi significantur per malum latronem, gentes vero per bonum, 508. Judæos et Græcos, quare Apostolus coæquavit, 667. Judaici populi quatuor peccata seu abominationes ponuntur, 562. Judaicus populus, est frater senior populi gentilis, 715.
Judex non proferat sententiam sine diligenti inquisitione, 76. Judex verbis modestis reprehendat reos, 150, 176. Potest remittere injuriam sibi factam cui voluerit, 147. Sit clemens et justus, 147. Judicem rectum rejiciens offendit Deum, 396. Judicis secundus adventus describitur, 490.
Judicabunt in judicio pauci, plures vero judicabuntur, 317. Judicare aliquando est morti tradere, 396. Judicandi in judicio, et judicaturi qui sint, 722
Judiciaria potestas ad filium pertinet, 578.
Judicium Dei triforme, 65. Finale erit quo tempore homines ferventiore voluptate detinebuntur, 69. Judicium temerarium Deo displicet, 94. In judicio defendetur anima per fidem, spem, et charitatem, 144. Judicium, damnationem significat : judicia vero tam rei vindictam quam innocentis defensionem, 218. Judicium universale in duas partes divisum erit, 340. In judicio puniatur mali, quoniam in primo adventu non receperunt Christum, 366. Judicii dies longissimus, 366. Judicium Dei quomodo prævenire debeamus, 409, 654. Non minus spectat ad laudem Dei, quam misericordia, 450. In judicium erunt dextri, et sinistri prout se exercuerunt in quatuor virtutibus cardinalibus, 450. Judicia Dei inscrutabilia. 450. Judicium Dei cum primo homine statim occurrit Christiano, 428. Judicium finale significatur per thronum eburneum, quia constabit ex puritate justitiæ, 436. Judicia Dei occulta in multis ostendit Ecclesia, 440. Judicium finale erit improvisum, 453. Dicitur matutinum, quia fiet transacta nocte hujus sæculi, 454. Judicium et justitiam quomodo fecerit Christus in terra, 525. In judicio apparebit Christus, et constabit quod fuerit homo, leo, bos, etc., et quod carnem assumpserit, 550. Judicium universale prædicit Ezechiel, 560. Judicii dies repentina erit, 585, 192. Ad judicium veniet Christus cum latere perforato, aqua, et sanguine, 645. Judicium cum Deo omnino subeundum, 716. Finale qui non timet insipiens est, 717. Judicium fuit in principio mundi cum angelis apostatis; erit etiam in fine cum angelis et hominibus, 717. Judicii dies est causa timoris in anima, 719. Et plura de hoc usque ad finem libri : in judicio invenientur quatuor ordines hominum, 719, Judicium finale cogitationibus, non voce elementari finietur, 724. Judicia legalia cur post præcepta ponantur, 218.
Jugum et onus est peccatum, 169.
Jumentorum permistionem primus invenit Ana filius Sebeon, 22. Jumenta quare sextæ diei operi cum homine deputentur, 22. Jumentis cur sit insitus ardor libidinis, 25. Jumenta terræ dicuntur homines, 655.
Jurare per timorem Patris sui, est jurare per Deum, 132. Jurans aliquod malum facere, eligat e duobus id quod minus malum est, 255. Jurare an liceat, et quando, 679.
Justitia Jacob in ponendis virgis tempore coitus ovium excusatur, 128. Justitia cum clementia sint in principe, 145 Justitia Christi major quam legis veteris, 404.
Justus aliquando gerit figuram peccatoris, 80. Justi tertio Spiritum S. accipiunt, 68. Justos non derelinquit Deus, 145. Justi debent esse stabiles tanquam lapides, et bono exemplo pollere tanquam cedri, 429.

L

Laban significat mundum, 110, 128, 339. Laban pro Rachel Liam submittente, quid significet, 125.
Labor homini datus est ne otio torperet, 51.
Lacrymæ quæ prosunt vel non, 114. Lacrymarum donum significatur per terram australem et irriguam, 370.
Lamentando quatuor causas Jeremias habuit, 526. Lamentandi seipsum tres causas habuit, 556.
Lamia a laniando dicta; naturalem tamen affectum habet in filios, 545.
Lampas contempta est Christus, 652.
Lana significat operimentum nostræ iniquitatis, 588.
Lapidem supponere capiti suo, est conscientiam in Christo collocare, 122. Lapis quem Jacob erexit in tiulum, 152. Significat Christum, 152. Lapides sunt virtutes animæ, 218.
Lapsi recipiuntur ad pœnitentiam, 709.
Latro salvatus a Christo, significatur per pincernam cui Pharao pepercit, 147. Bonus gentiles, malus vero Judæos significat, 509.
Latus Christi vulneratum significatur per ostium in latere templi, 425. Percussum consecrabit nobis aquas baptismi, 470. Latus est porta per quam coram Deo stare possumus, 574. Latus apertum est, ut tolleretur peccatum mundi, 574.
Laurentius significatur per Abel, 605. Laurentii mors admiranda, et plura de illo, 605.
Laus nostra quomodo placeat Deo, 459. Laudes Dei fides suggerit, spes concipit, charitas effundit, 458. Laudandus Deus de potentia et misericordia, 458.
Lavare in vino stolam suam, est dare pœnitentiam, et remissionem peccatorum per sanguinem suum, 165.
Lazarus significat peccatorem mortuum per peccatum, 464.
Lectio sacræ Scripturæ facit nos explorare passionem Christi et ipsum cœlum, 502.
Legati fidelis conditiones, 109.
Lenticula vas oliarium quadrangulum in latere apertum, a liniendo dictum, 599.
Leo quare dicitur Christus, 683.
Leprosus significat hæreticum, 271.
Levi et Aaron sacerdotii quare mentionem non fecerit Jacob in suis benedictionibus, 165.
Leviticus liber unde dictus, 245.
Lex nihil ad perfectum adduxit, 60. Lex Domini secundum spiritum vivificantem sancta est, secundum litteram occidentem grandis, 87. Lex Moysi significatur per Deboram nutricem Rebeccæ, 137. Lex habet spiritum vivificantem, et litteram occidentem, 157. Data est ut doceat nos pugnare contra diabolum, 212. Data est die quinquagesimo, 221. Legem scripsit Moyses, mandata vero digitus Dei, 221. Lex significatur per Deboram quæ tanquam in cera mel, ita in littera continet spiritum, 372. Præcipit in uno Christo spem ponere, 372. In legis operibus gloriari, est David numerare populum, 421. Legis cæremonias commiscere cum fide, est Adoniam petere Abisac Sunamitem, 423. Lex carnaliter intellecta mors est, spiritualiter vero sanitas, 471. Lex coercens missa per Moysen significatur per puerum Elyæi missum cum baculo,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

471. Lex et prophetæ per aurum primum significantur, 542. Lex vetus æquali majestate honoratur cum Evangelio, 552. Sine lege quando vivimus, 668. Lex quid contulerit non docetur exemplo unius hominis, 693. Non repromisit palam regnum Dei neque infernum, 704.
Lia significat gentes; Rachel vero Judæos, 124, 138.
Libellus repudii permissus in veteri lege, 553.
Liber justorum quis sit, 367, 411. Proverbiorum invitat ad fidem, Ecclesiastes ad spem, Cantica ad charitatem, 459. Involutus est sacra Scriptura, 630. Liber signatus intus et foris, est sacra Scriptura, 661. Liber vitæ, est præscientia Dei, 725.
Libidinis passionem confusibilem esse non potest homo ignorare, 45
Lignum scientiæ boni, et mali ironice dictum est, 33. Et per anticipationem, 25. Lignum vitæ Christus, lignum vero mortis Antichristus, 34. Præservabat a morte, 54. Ligna cædere, est prava agentes increpare, 474. Ligna paradisi spiritualis sunt omnes patriarchæ et sancti, 620. Lignum de quo comedit homo significat humanam infirmitatem, 620. Lignum viride Christus est, 636. Ligni vetiti morsus fuit argumentum superbiæ, baptismus vero humilitatis, 645. Lignum accipitur pro ligno fructifero et quod sit arbor, 701.
Limen exterius, est littera Scripturæ, interius vero limen est allegoria, 565.
Lingua Patris est Spiritus S., 618. Linguæ omnes in apostolis adunatæ, 76.
Litteram occidentem portat Synagoga figuratam per panem et utrem aquæ Agar, 101, 149, 290. Litteræ unius in alteram mutatio, arguit virtutem imperfectam, 106. Littera legis significatur per bases æneas, 232. Scripturæ splendet intelligentia spirituali, 426. Legis occidit nisi Spiritus S. adsit, et hujus figura, 665.
Locus hominis, Deus est, 46.
Loquacitas sermonis significatur per fluxum seminis, 276. Locutus est Pater Filio ter, 559. Loquatur homo prius Deo quam ille vocet illum, 634.
Lot typum habet vitiosæ multitudinis, 80. Lot uxor conversa in statuam salis quid significet, 96.
Lucifer est appellatus princeps tenebrarum per contrarium, 54.
Luctantur cum Deo sancti, et illum non dimittunt, 155.
Ludus Ismaelis cum Isaac quid denotet, 91. Fuit idolorum cultus, 100.
Luna minor est tota terra, 16. Significat pascha Judæorum, 639.
Lusus Samsonis mysticus, 382. Lusus Christi cum diabolo fuit illusio diaboli, 659.
Lutum dicitur homo, 147.
Lux dicitur creatura angelica, 7. Lux vera Christus, 5. Lucis et tenebrarum divisio, quid sit, 7. Luce creata dicitur : « Vidit Deus quod esset bona; » De aliis vero dicitur; « quod esset bonum, » 21. Lux quam operatus est Spiritus est jussio Dei hominibus reddita, 649. Lux mundi quomodo apostoli fuerint, 670.
Luxuria dicitur fera pessima, 145
Lynces unde generentur, 22.

M

Maceriæ divisio est interruptio populi Israel, 144.
Magdalena effundens unguentum quid significet, in epist. Proemiali ad Canonem. Magdalenæ cur prius apparuerit Christus post resurrectionem, et secundo Petro, 642. Magdalenam, et Petrum quare permiserit Deus involvi tot peccatis, 642.
Magna gens sunt electi, 78.
Magnificentia nominis Abrahæ quæ sit, 78.
Magorum dona mystice exponuntur, 509.
Malus mensis aptus est ad omnia quæ placent oculis, et vestitur floribus, 69.
Maledicit nullam creaturam Deus, 48. Maledictus a Deo solus Christus fuit, 325. Maledictiones XXX ponit lex Deut. XXVIII respondentes XXX argenteis quibus Christus venditus est, 341, 455. Maledictio et benedictio peccatorum, et justorum ex Scriptura colligitur, 726.
Mali relinquentes legem Dei et fugientes ad idola, significantur per Agar fugientem, 86. Malorum divisio præsidium est justo, 141. Mali persequendo bonos sanctificant illos, id est, gloriosos reddunt, 506. Recordantur Dei in afflictionibus, 528. Mali Christiani, quousque tolerandi sunt, 608. Malos permittit Deus vivere, ut boni non obliviscantur Domini, 678. Malum accidens est, 701. Dicuntur servi Dei effectu non tamen voluntate, 625.
Malogranatum dupliciter accipitur in Scriptura, 318.
Manassen et Ephraim filios Josephi quare Jacob pro suis voluit habere, 158.
Mandata Dei cum festinatione implenda, 190. Mandata scripsit Deus, legem vero Moyses, 222.
Mandibula asini significat infirma mundi et homines ignobiles, 378, 688.
Mane et meridie vivitantur justi, 95. Mane vitam novam, vespera vitam veterem significat, 209. Mane et vespera significant omne tempus, 259. Mane sive matutinum est dies judicii, 482.
Mangones dicuntur quoniam mancum faciunt, et minus quod acceperunt, 337.
Manhu significat quid est hoc, 210.
Manna, cujus formæ fuerit, 206, 208. Repræsentat Christum Verbum Dei, 365. Manna manducamus et portæ cœli nobis aperiuntur quoties audimus Verbum Dei, 652 Fuit figura Eucharistiæ, 652.
Mansiones filiorum Israel mystice exponuntur, 312. Mansiones cœli gratia Dei distribuuntur, 508.
Mansuetudo præcipua laus prælati est, 300.
Manum nostram quomodo et quando Deus apprehendit, 90. Manus Moysi protracta de sinu leprosa Synagoga est, projecta a gratia Dei, 175. Synagogæ abscissa est quando a corpore patriarcharum et fide separata est, 557.
Mare significat turbulentum statum mundi, 12. Cur non redundat omnibus fluminibus intrantibus in illud, 12. Licet continuo moveatur, nunquam tamen terminum suum transgreditur, 12. Vitreum significat innocentiam, 200. Mare fusile positum a latere dextro templi, significat baptismum fluxisse de latere Christi, 432 Mare quare Scriptura appellaverit labrum, 432. Est hoc sæculum, 587. Maris Rubri transitus fuit figura baptismi, 652.
Maria leprosa, significat Synagogam vendentem Christi sanguinem, 334.
Maria virgo prius fide concepit Verbum Dei, quam secundum carnem, 427, 517, 616. Maria est prophetissa, 494, 616, 652. Maria virgo est porta sanctuarii, 578. Mariæ non fuit abscondita sapientia Dei, 578. Maria virgo fuit causa quod Deus Synagogam amaverit, 615.
Martyres significantur per palmam, 206. Martyrum corpora fuerunt præda diaboli, per manum tyrannorum, 508. Martyres quibus armis armati fuerint contra hostes suos, 574. Fuerunt causa reconciliationis Christi cum Ecclesia, 132. Sunt tres fortes post tres fortissimos David, 420. Cervices suas subjiciebant ictibus persecutorum desiderio ascendendi in cœlum, 482. Martyribus promittit Dominus coronas, 508. Martyrum fides lapis est, 584. Martyres omnes significantur per tres pueros Danielis, 581. Novo præliandi genere pugnarunt, 689. Martyrum pugna, et victoria figurata fuit in pugna Gedeon, 690.
Materia prima creata fuit a Deo, 2.
Matrimonii indissolubilitas naturalis est, 38. Solutio quomodo fiat, 38, 39.
Matthæus Christum regem ostendit, 665. Per faciem leonis significatur, 665.
Maxillæ Ecclesiæ sunt patriarchæ, 526.
Mel significat dulcedinem gaudii temporalis, 249.
Melchisedech quis fuerit, et quare sine patre et matre dicatur; secundum Hebræos, fuit Sem filius Noe, 82, 288.
Memoriam majorum suorum vendere imperfecta virtus est, 106.
Mendacium obstetricum in Ægypto, et Raab meretricis ad salvandos exploratores non est culpandum, 170.
Mens. Mentis nostræ custodia sit fortis et hujus figura, 414.
Mensa Christi est sacra eucharistia, 442. Mensæ XVI ad portam Aquilonarem, significant XII prophetas minores, et IV majores, 570.
Mensis lunaris et solaris differunt, 17. Mensis, et annus diversimode apud Ægyptios, Romanos, et Hæbreos computatur, 185.
Merces debita sanctis, propter illorum opera, reposita est in aliam vitam, 571.
Meridie et mane visitantur justi, 94.
Meritum patrum Deus faciet filiis, 430.
Messias jam venisse mystica signa indicant, 174.
Michol despiciens David ludentem, significat Synagogam blasphemantem Christum, 415.
Mille anni ponuntur pro omnibus, 84.
Minimi et magni qui sint, 723.
Miracula sanctorum significantur per aquam emanantem de mandibula Samsonis, 380. Miraculis manifestavit Christus regnum Dei, 610. Miracula XVIII fecit Christus in certis locis et personis, 610.
Misericordia non habet locum ubi pœnitentia non præcedit, 240. Misericordia et veritas sunt duæ viæ Domini, 430. Misericordia et judicium fixas habent radices in cœlo, 430. Significantur per duas columnas, 572.
Mites sunt humiles, immites vero superbi, 707.
Mobilium testorum causa unde sit orta, 185.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Molam superiorem et inferiorem loco pignoris non accipere quid sit, 534.

Monachus quare quando profitetur tribus diebus velatum caput habet capitio cucullæ, 710. Monachi angelis comparantur, 710.

Monasticus habitus, est alter baptismus, 710.

Mons in quo Lot salvatur perfectio est, 96. Mons Visionis, et Moria idem, 96, 102. Montes sunt causa quod non sint tempestates ventorum in locis campestribus, 14. Montes significant superbos, 412.

Moria mons est, in quo arca Jebusæi exstructa est, 104.

Moritur pro Christo, qui et si non occidatur, tamen ad occidendum est impetitus, 143. Moriturus Christianus dicat cum Jacob : « jam lætus moriar, » 156.

Mortem animæ non sentimus, ideo data est mors corporis, 51. Remedium est, non pœna, 54, 655. Mors Christi significatur per senium, et caligationem oculorum Isaac, 118. Mors Deboræ nutricis Rebeccæ, et Rachelis cur scripta sit, non vero Rebeccæ, 138. Mortem corporalem non suadet Christus ; sed mori affectibus nostris, 142. Mors Christi non tantum consilio humano, quantum Dei voluntate perpetrata est, 154. Mors Christiani læta esse debet, 154. Mors Christi per columbum significatur, 174. Mors Aaron significat occubitum sacerdotii Judaici, 508. Mors Christi est ubi ponenda est nostra salus, 522. Mortem animæ æternam fugiens confugiat ad crucem Domini et filius baptismum, 566. Mors significatur per Saul, 442. Est illorum qui in peccato moriuntur, umbra mortis est eorum qui licet peccent, non tamen de vita ista egre diuntur, 496. Animæ est separatio a Deo, sicut mors corporis est separatio ab anima, 531. Mors sanctorum gloriosior quam vita, 574. Morte Christi et lateris apertione peccatum submersum est, 633. Mortem Christi disposuit tota Trinitas, 640. Mors Christi in corpore meruit nobis vitam corporis et animæ, 640. Duplex, animæ et corporis, 655. Cur adhuc sit in mundo cum per baptismum renati sumus, et culpam primi parentis evasimus, 655. A diabolo inventa est, mortalitas vero a Dei sapientia, 655. Mors animæ quanta sit, quoniam fletu indiget, 712, 715. Primæ et secundæ cur respondeat resurrectio prima, et secunda, 725, 726.

Mortuos Jacob, et Moysem, flere ex Ægyptiorum consuetudine fuit, et quatenus sunt mortui plangendi, 163. Mortuum quarium, quare non suscitaverit Christus, 304. Mortuos aliter Christus, aliter Elias, et alii suscitabant, 606. Mortuum quando sit peccatum, 669.

Moyses. Cum Moyse quomodo loquebatur Dominus facie ad faciem, 224. Moyses in fiscella positus et educatus a filia Pharaonis quid significet, 171. Moyses quomodo duraverit sine cibo et potu quadraginta diebus, 223. Moysi revelavit Deus multa tam de præteritis quam de futuris, 224. Moyses quomodo cognoverit se fore liberatorem populi Domini, 171. Moysi cur Deus apparuerit potius in flamma rubi, quam alibi, 172. Moyses coronam regiam capiti impositam in terram projecit, et plura alia, 500. Moysi humilitas recusantis ire ad Pharaonem commendatur, 173. Moyses uxorem habens Æthiopissam significat Christum jungentem sibi Ecclesiam ex gentibus, 501. Moyses vere mortuus est, et non translatus, 556.

Mulier ad imaginem Dei facta est, sicut et vir, 24. Mulier in nullo defecit a substantia viri præter sexum, 136. Non est creata in paradiso, 136. Mulier quare de costa viri sit formata, et non de terra, 137. Mulier extra paradisum tentata fuit, 42. Mulieris importunitas notatur, 139. Mulieri cur debet velari caput, 42. Triplici pœna, vir autem unica punitus fuit a Deo, 49. Mulierem subditam esse viro docet ipsa natura, et non debere dominari, 49. Mulieris ad serpentem manimodium est, 48. Mulier sola est menstruum animal, et illius miseria, et quanto fecundior, tanto ærumnosior, 48, 49, 50, 51. Mulieres omnes præter Mariam, concipiunt et concipiuntur in peccatis, 50, 51. Mulier patiens Æthyopem defenditur a Quintiliano, 128. Mulier imperfectionem dicit, 170. Laborans vitio fluentis menstrui, non debet arceri a concione, 277. Mulierem bello captam, qualiter lex permittat accipere in uxorem, et quid significet, 526. Veste virili indui, et e contra quid sit, 527. Mulier nomine Maria in obsidione Jerusalem coxit filium ut comederet, 557.

Mundus significatur per Laban, 110, 359. Mundi creatio non arguit mutabilitatem Dei, 2. Mundus dives factus est per Christi adventum, 128. Justos persequitur, hujus figura fuit persecutio Jacob a Laban, 128. Mundum relinquentes per viam tranquillam ducit Dominus, 197. Mundus significat equum, 201. Mundum fugiens ubi castra metetur, 201. Mundus significatur per Jericho, 361. Amatores suos deserit. 410. Hic est carcer, 459. Dulcia et amara loquitur de regno Dei, 534. Mundus totus est instrumentum laudis divinæ, 2.

Mundo corde qui sint, 605.

Muræna impregnatur a vipera, 22.

Murmuratores dicuntur qui ex consuetudine illud faciunt, 276. Murmuratores dicuntur pati fluxum sanguinis, 276. Murmurationem punit Deus semel, et iterum correptam, 290.

Murus significat vanam spem, 86. Est corpus Christi, 426.

Muscæ significant Ægyptios propter sordes, 493.

Musica movet animum ad invocandum Spiritum sanctum, 472. Familiaris est Scriptura, 704.

Mutabilis non est Deus quia mundum creaverit, 2.

Mutatio litteræ in nomine, arguit virtutis imperfectionem, 106.

N

Naboth fuit figura Christi, 468.

Nabuchodonosor fenum comedens quid significet, 585.

Nadab et Abiu mors, qui obtulerunt ignem alienum, quid significet, 296.

Nascitur Christus sub imperio Romano, cujus figura fuit nativitas Isaac in Gerare, 102. Nasci ex carne Abrahæ malos antiquum fuit consilium Dei, 672.

Nativitas Christi humilis diabolum decepit, 399. Nativitas Christi fuit figurata per Saræ visitationem, 83. Respondet festivitati, in qua fructus terræ congregabantur in exitu anni, 280. In nativitatis Christi nocte bis cantatur missa, 280. Nativitatem Christi sequitur festum SS. Stephani, Joannis, et Innocentium, 280. Nativitatem Christi in Bethleem præfiguravit Psal. 131. « Ecce audivimus eum, » etc., 458.

Nato Christo, fons olei Romæ per totum diem fluxit in signum gratiæ factæ peccatoribus, 707. Nato Christo Synagoga deserta est, 88.

Natura paucis contenta esse debuit, 26. Natura divina latens sub humana significatur per David latentem in spelunca, 406. Natura humana Christi post resurrectionem superinduitur, non vero absorbetur, 426. Natura divina Christi significatur per oraculum templi, et est ejusdem antiquitatis, majestatis et charitatis, 426.

Nazareus fuit Christus, cujus figura fuit Joseph, 164, 290. Nazarei lex exponitur 290, 291, 292. Nazarei Judæorum, sunt sancti de illo populo, 545.

Nebula pro luce accipitur, et pro cordis munditia, 223. Nebulæ medium intrare, est appetere cordis munditiam, 223.

Necessitas faciendi aliquid excusat a multis, 699.

Nemrod quis fuerit, et quid denotet, 76.

Nervus Jacob emarcuit, quando, Christo nato, omnis diligentia genealogiarum cessavit, 135.

Nilum fluvium Ægyptii pro Deo coluerunt, 35.

Nix significat remissionem peccatorum, 588.

Nobilitas Christiana non ex carnis genere, sed ex spiritu censenda est, 215,

Noe typum Christi gessit, 65. Noe tres filii impleverunt totum orbem, 65, 74. Noe obedientia in ingressu arcæ commendatur, 74, 66.

Nomen quod Deus imponit est perpetuum, 11. Nomina imposuit Adam, consideratis naturis rerum, 57. Nomen imponit Deus ad commendandam rei alicujus magnitudinem, 81. Nomen Dei esse in aliquo, vel super aliquo differunt, 88, 219. Nomine proprio non vocat Deus malos, sicut bonos, 150. Nomina Abraham, Isaac, et Jacob diversimode posuit Deus, 157. Nomina timentium Deum, exprimit Scriptura quasi in illorum præmium, 170. Nomen Dei duplex, alterum naturæ : « Ego sum, » alterum gratiæ : « Deus Abraham, Isaac » etc., 170. Tetragrammaton Hebræi *Adonai*, Latini *Dominum* vocant, 170, 178. Tetragrammaton, quare ineffabile sit et super omne nomen, 235. Nomen Adam, et ejus litterarum ratio mysteria, 427. Nominum Christi Isaiæ ratio ponitur, 497. Nomen Domini in eucharistiæ sacramento et in aliis sanctificationibus non in vanum ponitur, 655. Nomen Dei assumere in vanum est illud habere ostentui, 679.

Notitia Dei, qua Filium suum novit, et nos, alia est, 521.

Novacula significat vim divini amoris, 295.

Novatianus damnatur asserens Ecclesiam negare lapsis pœnitentiam. 709

Nox et dies specialiter quæ sit, 8. Nox resurrectionis una est re, significatione vero duæ, 194. Nox est vita præsens, 257.

Nubes sunt apostoli propter doctrinæ abundantiam, 555, 510.

Nuditas primorum parentum sine rubore, non erat ignominiæ, sed honoris, 40.

Numerare David populum, est gloriari in operibus legis, 421.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Numerus, ccclxvm vernaculorum Abraham quid significet, 83. Compositus, et imcompositus quomodo differant, 61. Senarius perfectus est, 87. Pluralis pro singulari aliquando ponitur, 165. Numeros invenit Pythagoras, et musicam.

O

Obedientia Noe commendatur in eo, quod non egressus est de arca, nisi jubente Deo, 68. Obedientia Abrahæ meruit, ut promissio seminis illi fieret secundo cum juramento, 106. Obedientiæ Christi, figura fuit obedientia Josephi in quærendis fratribus, 141. Obedientia Christi significatur per superhumerale sacerdotis, 255. Obedientia est illius scientia, 638. Quanto melior fuerit obedientia primi hominis, 628.

Oblatio omnis quare absque fermento et melle, et cum sale offerri debet, 248. Oblatio pro peccato quid differat ab oblatione holocausti et hostia pacificorum, 248. Oblatio pacificorum requirit, 262.

Oblivionem Dei causat abundantia temporalium, 509.

Obsidionis Hierosolymitanæ miseria, 557.

Obstetrices Ægyptiæ non possunt argui mendacii, 170.

Octavus dies circumcisionis infantis significat octavam ætatem mundi, 90. Octavæ mentio primo facta est Abraham et ante illum non legitur, 571. Octava significat resurrectionem, 571.

Octonarius numerus dicitur femina, 87.

Oculi primorum parentum, quando dicuntur esse aperti, 43. Oculi septem sunt septem Spiritus Dei, 161. Oculos levare est superiora tempora memoria repetere, 362.

Odii proprium est, quo majora conferuntur beneficia, magis odisse, 176.

Offerre recte quid sit, 262. Offerentis intentio facit, ut minora videantur majora, 225.

Oleum significat Spiritum S. 264. Significat spiritum pietatis, Olei fons Romæ fluxit per totum diem tempore, quo Christus natus est, 264.

Olivæ duæ super candelabrum, sunt Moyses et Helias, 593.

Ad operandum monemur, tam misericordiæ spe, quam judicii timore, 450. Operantium in Ecclesia, tres ordines sunt, 423.

Opus Dei est opus fidei, 33. Opera nostra habeant cum innocentia fortitudinem et perfectionem, 188. Opera mala prius prohibentur, ut succedant bona, 216. Opera nostra Deo tribuenda sunt, non nobis, 88. Christiani consonent dictis, 88. Carnalia mutari in spiritualia, est sabbatizare spiritualiter, 282.

Opera nostra quando debent fieri coram hominibus, vel quando non, 333. Operibus misericordiæ Deum placamus, 409. Opera justorum quæ aliquando fecerunt non aspiciamus; sed quod per gratiam Christi facta sunt, 453. Opera justorum aperta cernimus, quæ vero illos maneat retributio, nescimus, 453. Opus pravum, significatur per caput languidum, exterius vero per plantam pedis, 479. Operibus et Dei misericordia opus est ad ingressum cœli, 569.

Oraculum templi significat divinam Christi naturam.

Oratio facit nos vincere inimicos spirituales, 212. Oratio Christi pro toto mundo quam eloquens fuerit, 635. Oratione Isaac sanata est sterilitas Rebeccæ, 115.

Ordinatio spe lucri significatur per Isaac et Esau, 118. Ordinum distinctio in Ecclesia, significata fuit per altitudinem et latitudinem arcæ Noe, 66. Ordines tres sunt operantium in Ecclesia, 423.

Orientalis porta, dicitur David, 571.

Origenis libri similes sunt prato pleno floribus, 326.

Originale peccatum unde ortum habuit, et illius radix, 31. Originalis peccati pœna fuit, libidinis confusio, 44. Originalis peccati verecundiam operuit Christi incarnatio, 253.

Os agni comminuit, qui de illius Divinitate perverse sentit, 194. Os Domini est Christus, 444. Os aperire hominis est, implere verbo Dei, 551.

Ossium Elisei contactu revixisse mortuum, quid mystice significet, 476.

Ostium lateris templi est, vulnus in latere Christi, 424.

Oves et boves, quas Salomon sacrificavit, significant multitudinem conversorum ad Dominum, 456.

Oxæ percussio propter arcæ contactum, quid significet, 413.

Ozias rex fuit punitus, quoniam usurpavit sibi officium sacerdotale, 596.

P

Pacifici qui sint, 605.

Pacificorum oblatio ut legitima sit, tria requirit, 262.

Pactum quid sit, 73, 84. Pactum Dei ad Isaac est redemptio generis humani, 84, 91.

Paleæ sunt simplicia verba in Scripturis sanctis, 500.

Panis tripliciter a Deo petendus est, 123. Panes azymi, quid significent, 189.

Parabola et somnium in aliquo comparantur, 140.

Parabolas duodecim introduxit Christus sicut erant xii apostoli, 609.

Paracletus, quando incepit vocari Spiritus S., 675.

Paradisos duos habet homo, 54. Paradisi legitimus possessor est Deus, homo vero advena illius, 32. Paradisus voluptatis fuit figura terræ Chanaan, 32, 16. Paradisus quid sit, et quod fuerit paradisus corporalis, 32. Terrenus plantatus est ad similitudinem cœlestis, 32, 34. Spiritualis est Ecclesia plantatus ex patriarchis tanquam arboribus, 620.

Pariendi tempus est, tempus concipiendi fidem conceptam ex auditu verbi Dei.

Particulare exemplum sumi debet ab universali, 669.

Parvæ res magnarum rerum testimonia esse possunt, 645.

Pascha accipitur pro luna, 659.

Pascitur anima multipliciter, 365.

Passer significat Christum, 274. Passeres duo, de quibus Lev. xiv, sunt divinitas et humanitas Christi, 274.

Passio Christi pactum fuit inter Deum et hominem, 73. Figurata fuit in eo, quod Sodomitæ vallaverunt domum Loi, 96. Figurata fuit in immolatione Isaac, 105. Passionem suam solus peregit Christus, 176. Passio Christi valentiorem illum reddidit ad resurrectionem, 189. Significatur per propitiatorium, 226. Remisit actualem et originale peccatum, 270. Significatur per petram percussam ad aquam contradictionis, 306. Aperuit nobis torrentem Scripturarum, 506. Est ubi figenda est nostra salus, 522. Est funiculus coccineus ligandus in fenestra Rahb, 565. Fuit dedicatio templi, id est, corporis Christi, 454. In passione Christi diabolus, qui putabat vincere, victus est, 594. Passio Christi fecit illum hominem, resurrectio vero conspicuum, 468. Duo sacramenta nobis condidit, scilicet baptismum et eucharistiam, 442. Fuit oratio pro trangressoribus, 506. Dicitur torcular, quia bonos redimendo assumpsit, malos judicando reliquit, 506, 515. Et resurrectio et ascensio utilia sunt ad remissionem peccatorum, 547. Christi duravit per vii dies, requievit vero die octava, 612. Redemit eos solum, qui ad vitam prædestinati erant, 645.

Pastor bonus Christus est, 39, 124. Pastores Geraræ contendentes pro duobus puteis quid significent, 116.

Patres antiquos, cur appellaverit Paulus peregrinos, 121. Patres antiqui significantur per pelles animalium mortuorum, 172, 190. Multa fecerunt, quæ non oporiet nos imitari in lege gratiæ, 249. Pater spiritualis quando uri debeat adversus filium contumacem, 327. Patrem Scriptura vocat non natura, sed dignitate, 450. Patrem merito favet Deus filiis, 450. Patris est condere rerum naturam, 615. Pater aliquando personam Patris significat, aliquando Deum, sive divinitatem, 613, 628. Est vir Synagogæ, 616. Patrem et matrem non habere propter Deum consilium est, 680.

Patriarchæ sunt maxillæ Ecclesiæ, 526. Sunt columnæ Judæorum, 579.

Paulus lupus rapax, quomodo divisit spolia, 164. Benedicitur a Moyse sub nomine tribus Benjamin, 351. Significatur per Abner, 415. Lupus rapax habitavit cum Anania, 500. Spiritum intelligentiæ habuit, 664. Cur se Apostolum in omnibus ferme Epistolis nominat, 664. Pauli conversio explicatur, 665, 666. Paulus cur dictus sit adolescentulus, 665. Gratiam Dei non in vacuum accepit, 666, 667. Pauli vocatio distincta est a vocatione aliorum apostolorum, 666. Paulus cur sese servum Christi nominet, 666. Paulus aliqua legis veteris servavit pro tempore dissimulans, 677. Merito reprehendit Petrum, 677. Plura fecit spiritu fortitudinis armatus, 687.

Pauperes sumus omnes et egeni, 125. Pauperes vocant Hebræi afflictos terræ et humiles, quorum meritis terram stare autumant, 587. Pauperes sunt quibus thesauri spirituales distribuuntur, 695.

Paupertas spiritus resplenduit in Jacob, 101. Paupertas fundamentum est beatitudinum, 588. Paupertatis exemplar Christus est, 605.

Peccare scienter qui redargutus de peccato non emendat, imo defendit peccatum, et nullum locum propitiationis habet, 233. Peccans per malitiam, non est sanus a planta pedis usque ad verticem capitis, 479.

Peccator quando non egreditur ad Deum vocantem illum, dicitur absconditus a Deo, 48. Semper rejicit in Deum culpam sui peccati, 46. Si seipsum accusat, mitius cum illo agit Deus, 46. Peccatores relinquentes legem Dei, significantur per Agar, 86. Peccatori apparet Deus

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

propter justos, 150. Peccator corripiatur, quousque peccatum suum agnoscat, 150. Lapidi et plumbo comparatur, 201. Si sancta tetigerit, non illi proderit, 259. Peccatores qui intra Ecclesiam sunt, tolerat Ecclesia, licet gemens, 276. Peccator recedens a Deo, vendit domum suam, 283. Dum vivit habet tempus pœnitendi, 285. Per pœnitentiam redit in pristinam gratiam, 285. Quoties peccat, tangit cadaver hominis, 306. Descendens ad luti opera infrenetur, 318. Superbus impugnat Deum, humilis vero placat illum, 324. Confitens peccata sua, quamvis magna, non in desperatione trahatur, 332. Peccatores indicabuntur in secundo adventu, quia noluerunt scire primum adventum, 366. Peccator aliquando prius cæcatur, et postea per exteriora desideria vagatur, et e contrario, 381. Peccatores in mundi rebus astuti, ad cœlestia sunt hebetes, 399. Peccatores a mundo desertos convertit Christus, et per illos multa operatur, 410. Peccatorum differentia, significatur per filium mulieris, et per Lazarum quatriduanum, 464. Peccatorem consolatur, quod Deus memor sit illius, 452. Peccator quomodo suscitetur, et hujus figura, 464. Peccatori spirat Deus gratiam septiformem spiritus, 464, 472. Peccatores dum sunt Christiani, tolerandi sunt, 607. Seipsis faciunt mala, justi vero bona faciunt a Deo, 627. Peccator prius loquatur Deo, quam vocetur, 633. Peccatoribus tribuit Christus spem, appareas prius Magdalenæ et Petro, 642 Peccatores qui salvandi sunt, quare permittat Deus involvi tot peccatis, 642. Peccator conversus a peccato, pugnam patitur a peccato reclamante, 669. Peccatores permittit Deus, inter malos ut boni non obliviscantur Dei, 677, Sunt terra quam diabolus comedit, 691. Per Cain, justi vero per Abel intelliguntur, 691, 695. Peccator resuscitari debet ad vitam jejunio, oratione et fletu, 713. Peccatores et impii sunt servi Dei, effectu, et non voluntate, 639.

Peccatum non attulit generandi naturam, 25. Peccati quatuor incrementa ponuntur, 47, 332, 397, 561, 629. Peccatorum remissio est vera requies, 65. Peccatum alterius verbo honestiori reprendendum est, 150. Peccata proximorum non sunt revelanda alienis, 150, 154. Peccata sunt juga et onera, 169. Peccato regnante in homine, non clamat homo ad Deum, 169, 172. Peccatum superbiæ diaboli fuit, fermentum quo fermentatum est genus humanum, 191. Peccatum plebis qua oblatione sit expiandum, 252. Peccatum principis qua oblatione sit expiandum, 252. Peccati confessio meretur veniam, defensio vero peccati non, 252, 257. Peccatum et delictum differunt, 257. In Deum et proximum licet utrumque pertineat ad Deum, differt tamen in redemptione, 285. Peccatum in Sp. sanc. est peccatum superbiæ, 304. Peccatum nostrum qualiter corrigere per disciplinam debeamus, 284. Peccatum quod non est per malitiam citius dimittitur, 322. Peccati caput, prima suggestio, feriendum est, 275. Peccata sunt fines, 275, 380. Priora per bona opera redimere, est offerre annos aureos, 395. Peccatum suum defendere cum arguitur peccator, displicet Deo, 395, 396, 397. Peccatum apud se habere et contra se habere differunt, 461. Peccatum suum manifestare Deo quanti referat, 461. Peccatum undecimo loco ponitur, quia per illud x præcepta transimus, 474. Peccatum suum vere cognoscentem Deus nunquam deserit, 474, 475. Peccato servire est vinctum esse, 435. Peccatum suum apud se habere est illi non displicere quod facit, 461. Peccato vulnerari malum est, in usu habere pejus, defendere vero pessimum, 479. Peccatum trahitur quasi vinculum plaustri, 479. Peccatum in homine attulit nobis mortem animæ et corporis, 504. Peccata nostra sunt persecutores nostri, 544. Peccati consuetudo pejor est quam perpetratio, quia est sedere in peccato, 455. Peccatorum remissio est præcipuum donum Sp. S., 625 Peccatum fugere summa est sapientia, 622. Primi hominis est dies cui maledixit Job, 629. Fuit superbia et gula, et quomodo curatum sit, 630. Quando sit mortuum, 669. Accidens est, 701. In Sp. S. quid sit, et quomodo non remittatur, 289, 504, 285, 357, 708. Peccata occulta misericorditer corrigantur, 716. Peccatum temporale quare puniatur pœna æterna, 724.

Pectusculum cædere in usus sacerdotum quid sit, 262.

Pelles arietum, rubricatæ in tabernaculo quid significent, 250.

Pentecostes festum causam magis sacram habuit quam cæteræ festivitates Judæorum, 675.

Pera pastoralis significat legem evangelicam, 404.

Peregrinatio est vita nostra, 156.

Peregrinos cur vocet Paulus patres antiquos, 121.

Persecutores Ecclesiæ significantur per tres quinquagenarios missos ad Eliam, 469. Nostri sunt peccata nostra, 545.

Persecutiones vii quas excitavit diabolus contra Christum, significantur per vii persecutiones Saûl contra David, 405. Persecutionibus singulis David respondit gloria et honor, 405.

Perseverantia quantum valeat in oratione, 464.

Personæ Trinitatis in creatione mundi quomodo cooperentur, in Prolog. super Genes. et 1. Personæ tres Trinitatis in creatione hominis concurrerunt, 1.

Pes. Pedes Christi quomodo contemplativi, et activi ungantur, in epistola proœmiali ad Cunonem. Pedes Christi, est illius humanitas, 190, 490.

Petra percussa in deserto, significat Christum, de quo exivit sanguis, et aqua, 211.

Petrus unus de seraphin, de quo Isaias, 491. Petrum fortem reddidit Spiritum sanctum, 303. Petrus primus omnium apostolorum primatum cœpit, et quando, 609. Petro cur prius apparuit Christus quam aliis apostolis, 641. Petro primatum dederunt imperatores mundi, 641. Petrus cur permissus est labi, 641. Habuit spiritum intellectus, 636. Petrum quantum mutaverit Spiritus intellectus, 654. Petrus prælatus est omnibus apostolis, 661. Habuit Spiritum fortitudinis, 686. Petrus et Paulus melius fundarunt Romam quam Romulus et Remus, 686, 657, 658. Significantur per mandibulam Samsonis, 658. Eodem anno et die martyrium susceperunt, 658.

Pharao flagellatus propter uxorem Abraham quid mystice significet, 79. Pharao significat diabolum, 167, 198. Pharaone vivente, quare non ingemuerint filii Israel, 172.

Philosophia divina alia est a Philosophia humana, 695. Philosophi circa infirma mundi ingenia exercentes, significantur per aurum Ophir, 436 Philosophi significantur per latrunculos egressos de Syria, 473 Philosophorum vana loquacitas significatur per flumen, 501. Philosophi dicuntur sapientiæ amatores, temperate vocabulo, 695. Philosophorum libros, quando in nostros usus vertemus, 525.

Pietatis spiritus sub nomine olei, et misericordiæ intelligitur, 707. Pietate homines imitantur Deum, 707. Et est verus Dei cultus, 707, 708. Pietas prius radicatur in corde, deinde per sermonem manifestatur, 711 Pietas vera est non permittere nutriri vitia, 715.

Pilatus fuit tonsor qui rasit crines Samsonis, 581.

Pili carnis sunt vitæ veteris cogitationes, qui radendi sunt, non evellendi, 295.

Plagæ Ægypti, significant decem præcepta Decalogi per quæ antiqui non potuerunt exire de Ægypto, 180. Plagis vii consumantur a Deo omnes confitentes Deum voce, factis vero negantes, 316. Plagæ dantur in medicamentum culparum, 336. Plagarum quantitas, quare non excedat numerum quadragenarium, 336.

Planta pedis significat opus exterius, vertex vero rationis dignitatem, 479. Plantationis verbum in Deo arguit illius studium, 55.

Platonis error de spiritu mundi, 3. Plato mundi formationem furatus est ex libro Genesis. 102.

Plaustrum super quo arca Domini portabatur, significat Evangelium quo Christi resurrectio per totum mundum portatur, 415.

Plebis peccatum qua oblatione sit expiandum, 252.

Plenus Spiritus S. quomodo dicitur Christus, 624.

Pluralis numerus ponitur pro singulari ad amplificandam rem aliquam, 165.

Pœnæ quæ in Scriptura infliguntur, intelliguntur nisi pœnitentiam egerint, 61. Pœna æterna quare puniatur peccatum, 724.

Pœnitens humilis suscipiendus est, 283. Pœnitentis anima subarrhatur fide, spe et charitate, 144. Pœnitentium cogitationes et virtutes suavissimi odoris sunt, 119. Pœnitentes pia tortura compellendi sunt ad pœnitentiam, 151.

Pœnitentes resipientes a malo proposito, significantur per tertium quinquagenarium, 470. Voluntarii admittendi sunt, etiam ad gradus ecclesiasticos, 709.

Pœnitentiæ Christi pro toto mundo fuit figura Thamar, 144. Pœnitentia præcedat, ut habeat locum misericordia, 259. Pœnitentia peccatorum post baptismum non tam secura est, quam baptismus ad remissionem peccatorum, 255. Agenda est in fide passionis Christi, 522. Pœnitentia cum baptismo lavat nos, 525. Significatur per sinistram manum ad clavum, malleus vero in dextra est timor Domini, 572. Pœnitentiæ tempus, non est tempus lætitiæ, 496. Pœnitentia vel molesta, vel spontanea est, 521. Pœnitentiam agere, est emundari a peccato Christi, 601. Pœnitentia existimans non egere, non venit propter illum Christus, 710. Pœnitentia non solum peccatoribus, sed etiam justis necessaria est, 710.

Pœnitere. Pœniteat quomodo Deum, et quomodo hominem, 65.

Poetæ vaniloqui significantur per ranas, 181.

Pollutio fit ex triplici causa, et quæ impediat eucharistiæ sumptionem, 332.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Pontifex ordinans propter honorem, advertatur a Rebecca, id est, Ecclesia, 118. Pontifici Romano, cæteri pontifices subjecti sunt, 642.

Populus sequitur peccatum principis, 235. Populus non meritis alicujus judicat, sed suo arbitrio, 597.

Porcus dicitur quasi sparcus, 38.

Porta est Christus, 565. Porta orientalis David, aquilonaris est transmigratio Babylonis, 565, 570.

Porticus ante templum significat vitam et conversationem Christi, 424.

Possidere Deum hominem, magnæ est potentiæ, majoris quod fecit, maximæ quod creavit, 541.

Posteriora Dei significant terrena et transitoria, 87.

Postes hominis sunt, os et cor, 188. Postis uterque signatus sanguine agni, est corpus, et anima, 658.

Potentia Dei videtur in eo, quod per ranas et muscas castigavit Pharaonis superbiam, 178.

Potestas data Christo, Matth. xxviii, significatur per virgam Moysi elevatam in mari Rubro, 199. Potestas Christi in docendo, 605.

Præcepta Decalogi significata per x plagas, non potuerunt salvare hominem nisi Christus Agnus venisset, 180. Præceptorum x ordo, et ratio ponitur, 216. Præcepta et consilia docet Evangelium, 254. Præcepta Dominica, charitatem nutriunt in corde hominis, 254, 258. Præcepta, quæ laicis dantur in Evangelio sacerdotis sunt consilia, 238. Præcepti exsecutio servorum est, consilium vero amicorum et perfectorum, 678. Præcepta Decalogi et consilia his adjecta explicantur, 678.

Prædestinatio adimpletur oratione, 113. Prædestinatorum vocationes duæ sunt, 72. Prædestinatorum causa efficiens est benedictio Dei, sicut præscitorum peccatum originale, 333.

Prædicatio Evangelii innotuit toti mundo per paucos apostolos, figura hujus, 124. Prædicationis volubilitas significatur per sphærulam candelabri, 227. Prædicationem sequitur cœlestis patria, 227. Prædicatio qualiter sit dispensanda, 297. Prædicatio apostolorum significata est per Samsonem invisentem uxorem suam, 378. Prædicatio dulcis convertens inimicos Dei ad fidem significatur per id quod David percutientem citharam refocillabatur Saül, 402. Prædicatio debuit fieri per reges, et fortes in principio mundi lascivientis, 438. Evangelium fecit ut Christi incarnatio, et passio in honore haberentur, 552. Prædicatione evangelica incipiente statim exorti sunt persecutores, 552, 553. Prædicatio Christi quare incœpit aspera præcipiendo, 607. Non omnibus dulcis est, prædicando non solum de gaudiis cœlorum, sed etiam de flammis gehennæ, 662.

Prædicatores suos mittit Christus oneratos magnis donis, 109. Prædicatores seminantes verbum Dei, et nudi ad hoc tendentes significantur per Jacob, 101. Prædicator quærens quæ sua sunt, vendit primogenita sua sicut Esau, 114. Prædicatores divinæ, et humanæ naturæ in Christo sunt angeli ascendentes, et descendentes per scalam Jacob, 114, 121. Prædicator in omni occasione lucrifaciat animas Christo, 127. Prædicatores digni sunt mercede sua, 129. Prædicator utrumque sensum S. Scripturæ proferat et auditores animet, ut ministros altaris alant, 129. Corripiat tandiu, quousque peccatum suum agnoscat peccator, 150. Prædicator gloriam suam quærens, non vero audientium salutem, similis est Ruben ascendenti cubile patris sui, 150, 159. Prædicatores falsi non possunt per sua sophismata veritatis discipulos decipere, 181. Prædicator sit paratus reddere rationem petenti illam, 225. Nunquam recedat a sacris libris, 225. Prædicator alta de Deo loquens tabernaculum ingreditur, facitque audientes carnem relinquere, et ad patriam anhelare, 225, 240. Prædicator, et quilibet Christianus quæ dicit, faciat, et hujus figura, 235, 637. Prædicator est membrum Christi summi sacerdotis, 239. Prædicatorum vox est clangor tubarum, 293, 296. Prædicator tribulationibus crescat, 259, 295. Prædicator diversimode corrigat auditores, 295, 296. Prædicatorum munus est vincere Chananæum, id est, diabolum, 308. Prædicator, qui a vita spirituali ad fluxam deflectit, induitur veste muliebri, 327. Prædicator spem cum timore persuadeat, 334. Prædicator non loquatur a seipso, sed desuper illi datum fuerit, 341. Prædicatores explicantur et significantur per duos viros exploratores, 361. Prædicator prædicatione sua januas cœli nobis aperit, 365. Prædicatores armentur tubis, lampadibus, et lagenis, 375. Prædicator docens traditiones suas, dormit cum mulieribus ad ostium tabernaculi, 391. Prædicatores significantur, per vaccas portantes arcam Domini super se, 395. Prædicator compatiatur proximis, non tamen per compassionem deflectet a via Dei, 395. Prædicatores passi propter Evangelium figurantur per vaccas cæsas in holocausto 395, 396. Prædicatores missi in mundum incipientem, significantur per nuntios David ad Nabal, 409. Prædicator sanctus, sano sermone conjungens hæreticam doctrinam, farinam mittit in ollam, 475. Prædicator donum scientiæ, quod accipit, non frigide exerceat, 475. Prædicatoribus verbi Dei, quæ stipendia debeantur, 512. Prædicator quo magis talentum suum expenderit, ditescet a Deo, 535. Prædicatores sunt fenestræ, 575. Prædicator nonnisi rogatus et vocatus ab Ecclesia, doceat, 661. Prædicator, per gallum significatur, 683. Prædicatores omnes spirituales filios faciunt, 690. Prædicator prius arguat pœnitentes, ut postea minus patiens possit arguere, 667.

Prælati, et doctores Ecclesiæ significantur per Sem, 74. Prælati prius faciant quod prædicant, 124. Prælatorum vigilantia erga gregem notatur in Jacob, quando obviavit illi Esau, 134. Prælatus vocatus ad dignitatem humiliter recuset illam, 175. Prælatus prius suos domet affectus quam pastoralem curam suscipiat, 190. Prælati parvulos in fide super humeros portent, 205. Sancti nihil jubent a se, sed a Deo, 208. A contemplatione ad actionem descendant, 215. Prælatus sit paratus reddere rationem, si quid spirituale subditus interroget, 225. Prælati defendentes subditos a procellis significantur per saga silicina, 229. In Ecclesia præeminentes significantur per tabulas stantes in tabernaculo, 229, 230. Prælatus jungat misericordiam cum judicio, 154, 257. Perfectus significatur per arietem anniculum, in rebus dubiis revertatur ad secretum mentis suæ, 294. Si adhuc vitiis non scit resistere, non præsit, 295. Prælati laus præcipua est mansuetudo, 293. Prælati virtutis opus impugnantes juste a subditis arguuntur, 311. Prælatus qui præesse vult, cum tamen adhuc nesciat subesse, est mulier utens veste virili, 327. Prælati Ecclesiæ, facultates Ecclesiæ de manu regum accipientes sciant ad quid illas accipiunt, 355. Prælatus quando in persecutione debeat fugere, et quando sperare, 362, 465. Vocetur a Deo ut bene gubernet, 397. Prælatorum defectus silenter dicere debemus, de eo tamen cor nostrum per pœnitentiam puniatur, 409. Prælatus qui conceptam malitiam exsequitur opere ventrem purgat, 409. Boni prælati aliquando concutiuntur ob confusionem subditorum, 415. Non temere reprehendantur a subditis, 415. Prælatos Ecclesiæ in mari suarum curarum exaudit Deus, 455. Prælati viventes negligenter sunt arietes non invenientes pascua, 528, 685. Humiliemur quasi infirmi exemplo Petri, 642. In prælatis eligendis non amor proprius, sed Dei voluntas spectanda est, 661. Prælatus non dissimulet vitia, et habeat misericordiam, 715. Est villicus, 715.

Præmia terrena promisit lex Judæis, nobis vero æterna, 674.

Præteritum pro futuro ponit Scriptura, 189.

Pretium quo venditus est Joseph, et Christus non idem, 143. Pretium quo nos redemit Christus habuit intra seipsum, id est, sanguinem suum, 506.

Primitiæ operum nostrorum sunt opera facta in Dei honorem, 225.

Primogenita quæ Esau vendidit sacerdotium fuit, 82, 296. Primogenita sua vendere, est quærere quæ sua sunt, 114. Primogenita Ruben tripartita sunt, et quare illa amiserit, 127. Primogenitus est Christus, et secundum hominem: cujus figura fuit Joseph, 152. Primogeniti omnes, præter Sem, aut destruxit illos malitia sua, vel reprobati sunt a Deo, 177. Primogenitum percutere in Ægypto media nocte, est originale peccatum delere per Christi passionem, 198. Primogenitorum quæ lex fuerit, 195.

Princeps clementiam cum justitia habeat, 147.

Principis peccatum, qua oblatione sit expiandum, 253.

Principium dicitur Christus, 2.

Probavit Deus angelum in cœlis, et hominem in paradiso, 33.

Profectus varii in hac vita, 318.

Proficere, qualiter debeamus venientes ad Christi Ecclesiam, 137.

Promissiones Judæorum fuerunt terrenæ, nostræ vero cœlestes, 674. Promissa sua Deus semper implere facit, 467.

Prophetæ dicuntur, ex eo quod præscire meruerint incarnationem Filii Dei, 78. Prophetis non semper Deus revelat, sed aliqua ignorant, 310. Prophetis non semper aderat spiritus, 119 Prophetarum dicta intellecta faciunt ut cognoscatur Christus, 405. Prophetarum dicta omnia testimonia sunt de Christo, 438. Prophetarum primus fuit David, 438. Prophetarum dicta ante Christum obscura erant, 250. Prophetæ sexdecim significantur per sexdecim mensas in vestibulo portæ Aquilonaris, 570. Prophetarum eloquia significantur per bases argenteas, 250. Differunt ab apostolis in sermone, non tamen in qualitate sensuum, 670.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Propitiatorium figura fuit passionis Christi, 226. Est tabula aurea qua arca tegebatur, 231.
Proverbiorum liber invitat ad fidem, Ecclesiastes ad spem, Cantica ad charitatem, 459.
Psallere spiritu, et psallere mente quid sit, 201, 248.
Psalmorum ordo et titulorum mystica significatio ponitur, 439. Psalmos in Christi persona scriptos esse ostendit Petrus, 459.
Psalterium decem chordarum mystice repræsentat evangelicam prædicationem, 400, 458. Trimodum fidei, spei, et charitatis, cantat jubilæum, 459.
Pudor quam sit commendabilis, 111.
Pueri illudentes Elisæo significant Judæos illudentes Christo, 472. Sunt qui per gratiam sunt peccatis purificati, 436.
Punivit Deus filios Israel in decuplum, pro venditione Joseph, 193. Punit Deus peccatores eadem pœna qua peccaverunt, 181. Superbiam regum non leonibus aut ursis, sed ranis et muscis, 183, 184, 186, 187.
Purgatorius ignis terribilis est tam animabus quam corporibus, 55. Purgatorii ignis asperitas superata est per Christi mortem, et ante illam nulli homini pervius fuit, 53, 56. Alios tardius, alios citius purgat pro diversitate peccatorum, 55, 56.
Puteus significat Scripturam veram, 102, 116.
Putiphar eunuchus, a Domino factus est ne fedaret Joseph, quem in hoc emerat secundum Hebræos, 145.
Pythagoras ab omnibus animalibus, et a fabis abstinuit, 72.

Q

Quadragenarium numerum quare non excedat lex in plagis, 356.
Quadrupes esse aves, quid significet, 268.
Quandiu est adverbium temporis, et ponderabitur in judicio, 725.
Quatuor animalia sunt figura Christi, vel quatuor evangelistarum, 682.
Quinarius numerus carnalibus convenit et significat litteralem historiam Scripturæ, 574.
Quinquagenarii missi ad Eliam, quid significent, 469.

R

Raab significat Ecclesiam gentium, et quomodo a mendacio excusetur, 361.
Rachel significat vitam contemplativam, 125. Rachel mors quare scripta sit, Liæ vero non, 138.
Ranæ Ægypti significant poetas vaniloquos, 181.
Ratio in homine, est quoddam munus, et talentum a Domino commissum, 31. Rationale pontificis, vel magni sacerdotis exponitur, 234.
Rebecca interpretatur patientia, 109. Rebeccæ mors, quare non ponitur in Scriptura sicut, et Deboræ, 137. Rebecca introducens Jacob ad benedictionem qualiter imitanda sit, 118.
Reconciliati cum inimicis, non habeamus amplius querelam coram Deo, 132. Reconciliamur Deo per sacramenta Ecclesiæ, 392.
Recordatus est Dominus Noe inter aquas diluvii; repræsentat Christi resurrectionem, 67.
Rectitudo hominis consistit in subjectione carnis ad spiritum, 41.
Regina Saba significat Ecclesiam de gentibus, 456.
Regnare est verbo Dei vacare, 722.
Regnum cœlorum sine discrimine datur iis quos fides commendat, et aufertur malis, 165. Christi non hæreditaria successione, sed laboribus acquiritur, 400. Israel decem vicibus scissum fuisse ostenditur, 462. Cœlorum, est præmium Evangelium recipientium, et prædicatorum, 552. Christi æternum, comminuit omnia regna, 583. Regna quatuor significantur per quatuor bestias et quatuor ventos, 587. Regnum hujus mundi cito transit, 601. Quare pro tam minima reddetur, propter potum scilicet et escam, 725.
Religio Christiana, et si antiqua sit, inter gentium tamen errores imitabilis est, 99. Sine vi ædificari debet, et dulci prædicatione, 246. Religionem ingredi conjugati non possunt nisi mutuo consensu, 58.
Religiosi spirituales digni sunt retributione etiam corporali, 129. Avari notantur a sæcularibus, quod est scrutari Laban tentorium Rachelis, 131. Votum sine licentia superioris irritum est, 317.
Remissio peccatorum est præcipuum donum S. Spiritus, 625.
Remuneratio præmiorum æternorum est mensura centum cubitorum, 569.
Reprehendantur prius magis patientes, 622.
Responsa per somnium, quomodo dabat Deus, 410.
Resurgere. Resurrexit Christus ut leo, 513. Resurgenti Christo loquitur Deus: Exsurge gloria mea, 559 Resurgens Christus, et destruens infernum, significatur per Samsonem portas Gazæ tollentem, 580. Resurgente Christo capilli illius renasci cœperunt, quia apostoli fidem et fiduciam resumpserunt, 582, 585. Resurgens Christus, victoriam reportavit a diabolo, 594. Evasit lanceam qua Saul, id est diabolus, illum configere voluit, 404. Resurgente Christo per totum mundum illius nomen et mysteria delatum est, 414. Resurgens Christus est templum aureum, 426. Resurgente Christo, baptismus proponitur mundo, 432. Resurgens Christus ex mortuis benedixit suos, sedens tamen a dextris Dei benedicit illos voce magna dando illis Spiritum sanctum, 435. Carnem spinis coronatam et sepultam resumpsit, indutique illam tanquam fortitudinem, 455. Recepit Spiritum in naribus suis, 484. Resurgente Christo, qui credit credat, et incarnatum, et passum, 511. Resurgente Christo apostoli adoraverunt illum, et adorandum esse prædicaverunt, 511. Resurgens Christus aperuit arcana Scripturarum, 563. Significatur per torrentem erutum ex igne, 595. Cur apparuit primo Magdalenæ, secundo Petro, 641. Non statim peremptoribus insultavit, neque dilectoribus apparuit, 641. In resurrectione sua coronatur Christus a Patre, 148.
Resurrectio Christi, quomodo celebranda figura, 190. Media nocte fuit, et hujus ratio, 190, 192. Prima est remissio peccatorum, secunda vero est resuscitatio corporum, 194. Resurrectionis Christi nox est una, cum tamen significationis sint duæ noctes, 194. Resurrectio Christi est vigilia matutina, 200. Significatur per boirum, 214, 279. Resurrectione Christi sanctificatum fuit caput Nazaræi, 291. Resurrectio Christi est requies Domini, 502. Describitur in benedictione Judæ, 550. Media nocte figurata fuit per Samsonem tollentem portas civitatis, 554. Resurrectio duplex, animæ, et corporis, 465. Resurrectio Christi fecit illum conspicuum; passio vero humilem, 467, 468. Figurata fuit per ereptionem David de manu Saul, 441. Resurrectionem Christi statim sequitur prædictio apostolorum, 442. Resurrectio nostra est causa quare jubilemus, 449. Significatur per octavam, 57.. Resurrectio Christi cur non ante tertium diem fuerit, 640. Fuit illusio diaboli, 640. Resurrectio animæ voluntaria, corporis vero necessaria est, 655. Resurrectionem Christi docet Petrus ex psalmis, 658. Resurrectionis dies est octava, in qua sabbatum, et requies nostra est, 675. Resurrectio Christi justificavit nos et fecit nobis mirabilia, 690. Resurrectio qua velocitate fiat, 720. Resurrectio prima, et secunda, respondens morti primæ, et secundæ, 725. Nostra per Christi resurrectionem fiet, 725.
Retro cadere quid sit, 162.
Reges quatuor quos vicit Abraham sunt quatuor animæ passiones, gaudium, dolor, spes, timor, 83. Reges dicuntur qui fide et merito noti sunt Deo, 85, 88. Regem petentes Israelitæ, cur Deum offenderint, 396. Rex Saul et Ozias puniuntur, quoniam usurparunt officium sacerdotum, 396, 397. Reges nos fecit Christus, 597. Terreni blandiuntur ut regnent, Christus vero asperis præceptis illos gravat, 397, 605.
Revelationibus divinis qui digni censeantur, 134.
Rhetorica, et ejus partibus utitur Scriptura, 699. Et quæ sint partes rhetoricæ, 699.
Rhinoceros a Virgine capitur, 687.
Rixantes e vicino quærunt quod valeat ad augendum contemptum, 500.
Roma quando condita, et cur Babylonia dicatur, 102, 584. Fuit asina super quam ascendit Christus, 687. Melius fundata fuit sanguine Petri, et Pauli, quam Remi, 690, 691. Roma et omnes qui illam provexerunt significantur per Cain, 692.
Ad Romanos Epistola exponitur, 667. Usque ad finem, et continet quinque actus, 667.
Romulus et Remus conditores Romæ fuerunt, 687.
Ros quomodo fiat, 541. Ros Spiritum sanctum, pluvia vero salutarem doctrinam significat, 412. Ros cœli significat gratiam Spiritus sancti, 119.
Rota in medio rotæ, est sensus spiritualis in medio litteræ, 551.
Ruben quare amiserit primogenita, 127.
Ruben ascendens cubile patris sui, significat hæreticos adulterantes Scripturam, 129.
Rubor faciei unde fiat in homine, 40.
Rubus igneus in quo apparuit Deus Moysi, figurabat fortitudinem suam contra Ægyptios, 172.
Rufus dicitur Christus proprio sanguine, diabolus vero alieno, 400.
Ruminant qui recta dicuntur operari, 268.

S

Sabbatismus in contemplatione consistit. 475.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Sabbatum verum quid sit, 282. Observare quare tanta cura fuit Judæis, 209. Nostra spiritualia quæ sint, 282. Sabbatum sanctificare quid sit, 611. Sabbata duo, carnale et spirituale, quorum primum odit Deus, 674. Sabbatum sanctificare, est ponere finem nostri operis ubi vera requies est, 674. Viri Christiani, est meditatio spiritualium, 50.

Sacerdos Christum potest appellare filium suum, 105. Sacerdotis sacrificaturi officium quale sit, 105. Sacerdotes dicuntur dii, 219. Sacerdos faciens delinquere populum, figuratur per Adam, 250. Sacerdoti est præceptum, quod laicis est consilium, 250, 259. Non aduletur peccatori diviti neque illi se submittat, 259. Sacerdotium munus est tractare mysterium incarnationis, nativitatis, passionis, etc., 288. Quomodo imitentur benedictionem Levi, 330. Sunt pleni scientiæ, quoniam sunt bases in templo, 453. Sacerdotes Judæorum, et Pharisæi, etc., sacerdotes Baal et Barabbæ fuerunt, 464.

Sacerdotalis sanctitas indiget gladiis principum, 288. Sacerdotium, cur tantum fuerit in tribu Levi, 288, 289. Sacerdotium Levi cur non benedixerit Jacob, 165. Sacerdotium omne in Christo perficitur, 246. Habuerunt omnes primogeniti de stirpe Noe usque ad Aaron, 82. Judaicum spoliavit Christus, 332. Sacerdotium Aaron non fuit datum pro benedictione, 165. Sacerdotii Judaici ruina figurata fuit in eo quod dicitur de Samuele quia secundo mortuus est, 410. Sacerdotium Christi dictis et factis, præfiguratum fuit tempore Hieremiæ, 519. Antiquum erant primogenita, 596.

Sacramenta trinam gratiam operantur, 68. Sacramentum vendens vendit fratrem suum, 554. Sacramenta Ecclesiæ reconciliant nos Deo, 502. Omnia Ecclesiæ dextra sunt licet non omnes ministri sint dextri, neque illa suscipientes, 455. Dei fideliter servans, videbit gloriam illius in cœlo, 646.

Sacrificium Deo gratissimum quod sit, 70. Sacrificia antiqua fuerunt vincula detinentia Judæos ne errarent a Deo suo, 196. Permisit Deus fieri, non jussit, 209. Sacrificiorum genera, et divisio, 245. In sacrificiis tria genera animalium offerantur, 245, 246. Sacrificium pro peccato nostro, sunt fides, spes, charitas, 257. Sacrificium de quo, I Regum IX, significat prandium, 397. Vetus convertit Christus in novum, 405. Sacrificia antiqua, quomodo permiserit Deus, 675.

Saga significant divites sublevantes necessitatem pauperum, 229.

Sagitta Jonathæ est fides illius, 411.

Sal significat discretionem, 249, 471.

Salomon typus Christi fuit, 421. Salomon sapientior fuit omnibus prophetis, 421, 430.

Salus nostra per solum Christum est, 149.

Samson de tribu Dan cui convenit benedictio Dan, 126. Christum significat, et illius historiam mysticam, 377, 688. Quare clausum carcere molere fecerunt Philisthæi secundum Judæorum fabulam, 381.

Samuel propheta assimilatur Moysi in sacerdotio Dei, et in ungendo rege David, 119. Samuel moriturus, Saul et filiis ejus dicitur secundo : quia mortuus est, innuens sacerdotium periturum quando Judæi in peccato suo erant morituri, 410.

Sancti subjiciunt terram hanc, 25. Sanctorum Novi et Veteris Testamenti differentia, 58. Sancti aliquando figuram gerunt peccatorum, 80. Sancti viri ea tantum sciunt quæ illis a Deo revelata sunt, 119. Non solum non placere mundo, sed etiam displicere student, 136. Omnes benedicuntur benedictione Aser, 554. Sanctorum infirma respicientes divinum judicium provocant, 415. Sanctorum gloria major est post mortem, 575. Sancti significantur per thronos, 588.

Sanctificari, est abstinere a licitis, 214.

Sanctificatio extenditur non ad præceptum tantum, sed etiam ad consilium, 214. Sanctificatum dupliciter dicitur, 521.

Sanctitas omni de manu Dei est, 349.

Sanguis Christi quomodo melius clamat quam sanguis Abel, 60. Sanguinem de manu bestiæ requirit qui homicidam punit, 60, 71. Sanguinem hominis mittere in conscientia pejus est quam comedere carnem cum sanguine, 71. Sanguis Christi fuit præfiguratus sanguine vitulorum, 222. Sanguinem Christi quomodo hæreditaverunt Judæi, 315. Sanguis Christi et latus erunt testes contra nos, 645. Sanguis in sacramento baptismi magnum testimonium est et grande pretium, 645. Sanguis Christi aliis fuit prodigium mortis, aliis vitæ, 638.

Sapientes sæculi deridentur, 13. Sapiens quomodo Christus fuerit, et exsecutioni mandarit sapientiam suam, 635.

Sapientia per Virginem significatur, 109. Sapientia hujus sæculi est lingua maris Ægypti, 501. Spiritus et sæculi differunt, 638. Dei differt a sapientia antiquorum hominum, 653. Continet in se omnia alia dona S. S., et quid sit sapientia, 638. Sapientia perfecta est cum quis cessans ab actibus vacat contemplationi præoccupans, jam bona futura, 638. Quæ non est ex Deo, stultitia est, 694.

Saræ pulchritudo etiam in senectute quid significet, 98. Saræ mors significat finem legis et prophetarum, 106.

Sarai significat testimonium quod disposuit Deus ad Abraham, 83. Et legem fidei, 86.

Sartago significat incendium fraternæ æmulationis, 248.

Satio Isaac significat multiplicationem verbi Dei, per prædicationem apostolorum, 16.

Saturitas temporalis veniris significatur per rorem cœli, 120.

Saul propter duo peccata punitus est, 397. Saulem irrecuperabiliter punivit Deus, et nimis juste, 328. Saul regnum peccati, David vero regnum justitiæ præfigurave runt, 385.

Scala erecta est vita nostra, 121. Jacob est liber generationis Christi, 121, 122.

Schematibus sive figuris utitur Scriptura, 698.

Scientia Domini est humilitas illius, 500. Scientia Christi est filius obedientia, 508. Scientiæ Spiritus necessarius est ad insidias dæmonum superandas, 694. Scientia et sapientia differunt, 5. Aliquando pro eodem, 5. Multipliciter dividitur, 5. Scientia et ea de quibus recte prædicatur donum Dei sunt, 5. Scientia et charitas non oppœnuntur, imo simul gradiuntur, 5. Scientiæ omnes ancillantur theologiæ, et quomodo differant, et respectu illius nihil videntur, 698.

Scire aliquid dicitur tripliciter, 636.

Scirpus quid sit, 171.

Scribæ Judæorum icones, et mali erant, 606.

Scriptura sacra est liber scriptus intus et foris, 661.

Scriptura omnis Christum nobis repræsentat habentem quatuor facies, 34. Scripturam tribus modis depravant hæretici imitatores diaboli, 42. Scriptura sacra est via ad cœlum, 76. Sacra Scriptura absconditur a malis in penam, 76. Dicitur puteus et significatur per Rebeccam, 102, 116, 369. Significatur per columbam, 110. Significata per Rebeccam diligit simplices et quietos, 114. Scripturam sacram tanquam puteum obturant hæretici, 116. Scripturæ sacræ adapertio significatur per pinguedinem terræ, vel abundantiam frumenti et vini, 119. Scripturam aperuit Christus adventu suo, 147. Scripturæ sacræ sensum tenere contendens, quasi Jacob cum Deo luctatur, 135. Scripturam aperte impugnantes significantur per craticulam, 248. Significatur per tunicam polymitam Joseph, 139. Scripturæ spiritus vivificans, significatur per septem boves et septem spicas plenas, 149. Scriptura sacra arma Judæorum, 165. Scripturas non intelligunt Judæi, 165. Scriptura sacra est paradisus voluptatis, 185. Frumentum cujus spiritualis intellectus est medulla frumenti, vel simila, 248. Scripturam sanctam tractare in Spiritu sancto est similam coquere in clibano, 249. Significatur per labrum æneum, 265. Scripturarum veritatem quærens egrediatur ad sacramenta incarnationis, passionis, 239. Scripturas sacras legendo exploramus terram optimam, 502. Scripturas altius scrutati sunt sancti ex contentione hæreticorum, 509. Profana legi debet et amputato superfluo adduci in nostrum usum, 526. Scriptura sancta significatur per mulierem captam in bello, 526. Scripturæ littera discutienda est, non vero falce metenda, 526, 533. Scriptura sacra est terra viventium, 558. Scripturæ profunditas non aliter quam per fidem Christi intelligitur, 549. Scripturam curiose tractans percutitur a Deo sicut Bethsamitæ, 595. Scripturas sanctas non audeat tractare profanus, 426. Veteris Testamenti significatur per rotam, 551. Omnis ad id tendit, ut credamus Christum incarnatum, passum, resurrexisse, et ascendisse in cœlum, 551. Docet lamentantibus sequi gaudium, impœnitentibus vero dolorem, 554. Sacra est qua Deum cognoscimus, et sumimus arma contra dæmonem, 576. Omnis est unum verbum Dei, 615. Et generat amorem in anima, 615. De Scripturis prophetarum et apostolorum dubitare nefarium est et a fide alienum, 660. Scriptura sacra dicitur Scriptura populorum, quia non verbis grandiloquis sed facilibus scripta est, 660. Aliqua tacet, ne deterreat audientes, 648. Sæpe non utitur exordiis, 699. Utitur omnibus artibus liberalibus, 699, 647, 648. Scripturæ ingressus docet nos timere Deum, et exitus contremiscere, 717. Scriptura in quatuor præcipue intendit, scilicet incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem, 259. Non intelligeretur, nisi post adventum Christi, 349.

Secretum tenere nesciens, est vas non habens oper-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

culum, et immundus est, 506. Secreta sua cur Deus aliquando impiis revelet, 582.
Sectæ hæreticorum sunt concubinæ patriarcharum, 125.
Sedere in porta civitatis, est non communicare sceleribus civitatis, 93. Sedere super duodecim thronos paucorum est, 347. Sedere in tenebris, est consuetudinem peccandi habere, 455, 561.
Sem, alius Noe est, Melchisedech secundum Hebræos, 82, 288.
Semen Abrahæ promissum fuit Christus, 715. Seminis Abrahæ duplex afflictio, 85.
Senarius numerus dicitur perfectus, 87. Significat universitatem creaturæ, 384.
Senectus et plenitudo dierum significant perfectionem bonorum operum, 107. Senectus debet esse non corporis, sed animorum, 299.
Senes magis debent proficere in spiritualibus, et hujus figura, 333.
Sennar interpretatur *excussio dentium*, alias fetor eorum, et quare, 75.
Sensus spiritualis in medio litteræ est rota in medio rotæ, 351.
Sententia divini judicii est gladius versatilis, 55.
Septem dies creationis sunt septem species boni operis. Septem donis, vel spiritibus respondent, sex ætates mundi, 57. Septem dona Spiritus sancti, significanter per septem mulieres, 486. Significantur per septem gradus quibus ascendebatur ad portam orientalem, 570.
Septenarius et septuagies septies, quomodo differant, 61. Dicitur mas, 87. Significat peccatum pœnitentis esse irremissibile, septuagies vero septies, significat solubile esse, 283. Significat universitatem, 405.
Septiformis gratia Spiritus sancti significatur per septem agnas Abraham, 105. Quomodo in Christo fuerit, 499.
Septimus dies est Verbum Dei et Filius ejus, 8, 27.
Septuagies septies peccare, est peccatum admissum per pœnitentiam solvere, 61.
Septuaginta Interpretes missi sunt ab Eleazaro ad Ptolomæum, 171. Non habebant perfecte sensum Dei, 525.
Septuplum puniri est in æternum puniri, 61.
Sepulcrum vendere, damnabile est, 106.
Sepulturam mortuorum vendere, est imperfectæ virtutis, 106. Sepulturam habere pars est benedictionis, 525.
Sequi retributiones, est post acceptam mercedem ab inimico viduæ illam persequi, 481.
Sermonis incontinentia significat illum qui fluxum patitur, 276.
Serpens quomodo in paradiso fuerit, 21. Serpenti quare pro maledicto datum sit repere super pectus, 21. Serpentes cuidam genti innoxii sunt, 21. Serpens antequam tentaret mulierem erat sapiens, postea vero dictus est callidus, 41. Serpentem scivit mulier esse irrationalem, unde idololatria ortum habuit, 42. Serpentis et mulieris naturalis inimicitia ponitur, 49. Serpentes generantur ex medulla hominis et non tangunt hominem nudum secundum Pythagoram, 49.
Servitus Christi pro Synagoga figurata fuit in servitute Jacob pro Rachel, 125. Filiorum Israel in Ægypto fuit in pœnam venditionis Joseph, 148
Serviunt Christo, alii per timorem, alii per amorem, et hujus figura, 125. Servire peccato, est vinctum esse ferro, 435. Servire Deo summa libertas, 597.
Servum Christi, cur se Paulus nominet, 666. Emptitium Hebræorum, cur lex liberum permiserit anno septimo, 218. Servus est qui victus in bello reservatur illi a quo vincitur, 666.
Seth interpretatur *resurrectio*, 63.
Sex dies creationis significantur per sex calamos procedentes de lateribus candelabri, 227.
Sicut ponitur aliquando pro veritatis ostensione, 41.
Sigilla septem explicantur, 661.
Signa tria data Moysi, mystice exponuntur, 181.
Silentium humile nostrarum laudum supplet Deus, 500.
Simeon et Levi fuerunt typus Judæorum occidentium Christum, 160.
Similam coquere, est Scripturam sacram tractare in Spiritu sancto, 248.
Similitudo hominis ad Deum, quam perdidit peccando, reparatur per Christum, 24.
Simoniaci furantur idola Laban, 131. Intelliguntur per Giezi, 474.
Sion mons quid significet juxta Paulum, 216.
Situla significat Scripturam, 514.
Societas malorum vitanda, 133.
Sodomitæ significant Hierosolymitanos, 94. Circumdantes domum Lot, significant Judæos comprehendentes Jesum, 96. Dicuntur mulieres, 484.
Sol est fons ignis ætherei secundum physicos, 5. Sol octies major est tota terra, luna vero minor terra, 16. Sole sublato, fit omnis terra inhabitabilis, 15.
Somnium et parabola in eo assimilantur quod aliud dicitur, aliud intelligitur, 140. Somnia Joseph profuerunt illi, 147. Somnium Joseph quomodo impleverint fratres filius, 150. Somnia, si prudentem habeant conjectorem, quædam prophetiæ sunt, 300. Somnia præferunt imagines rerum futurarum, 500.
Sonus psalterii significat appetitionem cœlestium, dilectionem solius Dei, et bene operantis intentionem, 400.
Specula mulierum ex quibus factum est labrum æneum sunt exempla Patrum, 264.
Spes vana significatur per morum, 86. Spes nostra in Deo collocanda est, 449. Spem et metum inculcat Scriptura sæpe 455.
Spicæ virentes significant Patres antea et post legem. 249.
Spiritualis sensus significatur per capita columnarum, 262.
Spiritum mundi Plato falso vocavit aerem, 5. Spiritus Dei est amor et bonitas, 3.
Spiritus sanctus significatur per columbam emissam ex arca Noe, 68. Spiritus sancti dona non sunt in potestate hominis, 103. Charismata tria sunt, 117. Spiritus tectus sub littera figuratur per Moysen in fiscella scyrpea, 171. Spiritus S. digitus Dei, et quare, 181. Spiritus S. significatur per rorem, 210, 412. Spiritus legis vivificans significatur per Josue, 241. Nulli datur nisi per Christi sanguinem, 250. Significatur per oleum, 264. Datus est a Christo in duplici charitate, significatur per duos turtures vel duos pullos columbæ, 291, 71. Bis datus est, et quomodo, 71, 435, 440. Licet pluribus impartiatur, non sentit diminutionem, 299. Spiritus S. dona fortissima sunt brachia Dei sempiterna, 353. Est calor Dei non frigescens ab æterno nisi per hominis peccatum, 422. Fertur super aquas baptismi, 429. Spiritus duplex quomodo fuerit in Elisæo, 472. Spiritus dilatat, 440. Spiritus significatur per zelum Domini, 497. Spiritus S. legis et prophetarum arcana intelligere docuit apostolos, 555, 566. Spiritus S. datur credentibus diversis mensuris, 580. Spiritus S. significatur per fluvium igneum, 588. Non cessat operari meliorando rerum naturam, 623. Est amor substantialis Patris et Filii, quem qui habet, angelus est, qui vero non habet, diabolus est, 614. Spiritus S. et mitti et procedere dicitur, 614. Filius tamen de præterito processit, 614. Spiritus S. quare potius sub specie columbæ apparuerit super Christum, 614. Spiritus S. septem dona quomodo in Christo fuerint, et respondent septem proprietatibus columbæ, 614. Spiritu timoris repletus Christus dicitur simpliciter plenus Spiritu S., 624. Spiritu S. dicitur plenus Christus, eo quod per ministerium exterius cœpit operari Spiritus S. docendo, operando, etc., 624. Spiritus S. animam ingreditur substantialiter, 624, 119. Deo facit; et remittit peccata, et dividit gratias, 625. Diversimode tamen, ante Christum, et post Christum, 625. In baptismo testis, in confirmatione tutor est, 647. Spiritus intellectus, quomodo et qualibus hominibus sit datus, 656. Spiritus intellectus est hominem divino magisterio docere, 656. Spiritus qui foris ostendebat speciem ignis, intus erat fons aquæ salientis in vitam æternam, 656. Spiritus S. ignis apostolos et ardentes fecit per zelum, et lucentes per intellectum, 659. Spiritus septiformis significatur per cornua septem, 659. Cœpit dici *paracletus* post Christi mortem, quia remissa sunt peccata, 659. Spiritus S. missio super apostolos fuit figurata per abjurationem servi factam Abraham, 109.
Spolia Ægypti sunt scientiæ dialecticorum et rhetorum, 174.
Status hominis tres, extremus, mediocris, et optimus, significantur per tres dies, 261. Status ab Abraham usque ad Adam diversi fuerant, 428.
Stellæ non sunt signa fatalia, 18. Stellas in terram cadere est, eos qui cœlestibus inhiant, amore terrestrium involvi, 630
Stephanus dicitur coronatus et hujus fortitudo, 684.
Steriles fuerunt tres uxores patriarcharum Abraham, Isaac, et Jacob, 115, 125. Sterilitatem Rebeccæ sanavit Deus per orationem Isaac, 125
Sterilitatem Rebeccæ sanavit Deus per orationem Isaac, 125.
Stolæ binæ animæ et corporis, beatitudinem significant, 155. Stolas diversas habent electi, 691. Stola prima est baptismus, 691. Vel sacerdotalis dignitas, 709.
Stultus dicitur, qui non cavet malum quod sibi videt imminere, 130.
Stylo hominis scribere de Deo, est scribere de Deo quantum potest capere fragilitas hominis, 404.
Sunamitis filium, cur Elisæi puer non suscitavit, mysterium, 472.
Superbiam diaboli Christi humilitas vicit, 305. Superbia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

instabilem facit animam, 529. Cecidit angelus, et homo, 672. Superbiæ peccatum ex duobus indiciis cognoscitur, 597. Superbis facilius persuademus, si illos nobis prodesse dicamus, 226. Superbi significantur per montes, 411.

Superbire est cadere, 64.

Symphonia est concors gratia evangelicæ prædicationis, 713.

Synagoga significatur per Agar despicientem dominam suam, 84. Non vidit faciem Dei, id est notitiam, sed posteriora, id est litteram exteriorem, 84. Solum litteralem sensum hajolat et sub onere importabili anhelat, 161. Synagoga in Christi nativitate deseria facta est, 88. Synagoga cadens a gratia, Ecclesia vero gentium vivens per fidem, figurantur in morte Rachel, 158. Synagoga mortua fuit quando Christum et apostolos per aborlum amisit, 138. Significatur per eunuchum, 138, 146. Significatur per mulierem adulteram, de qua Num. IV adultera enim fuit Christo, 289. Significatur per Dalilam, 380. Significatur per Michol, 408. Blasphemans Christum, significatur per Michol despicientem David ludentem coram arca Domini, 408, 414. Habuit virum Deum Patrem, non tamen Filium, 616.

T

Tabernacula Sem sunt privilegia Judæorum, 75. Fuit typus Ecclesiæ, 229. Tabernaculi tabulæ et alia, quid mystice significent, 229. Tabernaculum Moysi exemplar cœlestis tabernaculi, quomodo fuerit, 229, 224. Tabernaculorum Israel pulchritudo sunt diversi status in Ecclesia, 313.

Tabulæ stantes in tabernaculo significant prælatos in Ecclesia præeminentes, 230. Tabulæ duæ lapideæ confractæ significant corda dura Judæorum, 250, 256. Tabulata tria templi significant tres bene vivendi ordines, 425.

Talentum maximum centum viginti librarum est, 227.

Tapinosis est humilitas rei magnæ non id agente sententia quod ostenditur, 515. Tapinosis est rem magnam humiliter dicere, 515.

Taurorum carnes immolare non est de voluntate Dei, 675.

Templum Salomonis ædificatum fuit ubi immolandus ductus est Isaac, 104. Templi et altaris consecratio cur singulis annis fiat, 122. Templum Salomonis fuit figura templi Dominici corporis, 424. Quot annis fuerit ædificatum, et hujus mysterium, 427. Cur permiserit Deus incendi a Babyloniis, 520. Templum Hierusalem eodem die exustum est a Romanis sub Tito quo fuerat exustum a Babyloniis, 557.

Tempus præteritum pro futuro, 189. Tempus omne significatur per mane et vesperum, 239. Temporum trium peccata Christus abstulit, et hujus figura, 380. Tempus ab Abraham usque ad principium mundi distinguitur per XLV columnas templi et porticus, 428.

Tenebræ sunt ubi Deus non videtur, 167. Tenebrarum iteratio significat geminam adversitatem seminis Abrahæ, 85. Tenebræ in morte Christi, significant tenebras ignorantiæ Judæorum, 630.

Tentare Deum, est non expedire se a periculo in quantum potest, 79. Tentamus Deum, et nos etiam tentat, 209. Tentari Christus quare voluerit, 602.

Tentatio Abraham fuit ut nos sciremus qualis fuerit pater noster Abraham, 103. Tentationes decem filiorum Israel contra Deum, 303. In tentatione sit fortis anima exemplo Annæ, 386. In tentatione nos sustentat spes habitandi cum Deo, 448.

Teraphin appellantur figuræ et simulacra, 383.

Terebinthus significat crucem Christi, 137.

Tergum Moysi ad faciem videre, quid sit, 259.

Terminum suum mare non transiit in diluvio, 15.

Ternarius numerus præclarus est, 640.

Terra hæc subjicitur a sanctis, 25. Terræ creatio cur sub aliis verbis quam lucis creatio facta sit, 2. Jam non dicitur arida sicut in creatione fuit, 15. Si non esset montosa sed æqualis, a ventis quateretur sicut mare, 34. Promissionis, figurata est per paradisum voluptatis, 41. Terram aspiciunt qui crudelia meditantur, 59. Quæ aperit os suum, et clamat et est terra bona, est Ecclesia, 59. Terram promissionis Israelitæ ex justitia possederunt, 81. Terra promissa Abrahæ et semini ejus est terra quæ fluit lac, et mel, et terra viventium, 89. Terram promissionis materialem promittebat Deus Judæis tanquam parvulis, 281. Terra promissionis explorata significat requiem Domini, 302. Terra quam comedit diabolus sunt peccatores, 691. Terræmotus in Christi morte significavit terram et inferos sensisse vim sacramenti passionis Christi, et baptismi, 647.

Terrena prius cognoscimus quam cœlestia quia de terra sumus, 615. Terrenæ curæ similes sunt uxori repudiatæ, 535.

Testa est caro Christi, 629.

Testamenta duo consona voce prædicant gloriam Filii Dei, 226. Per duos cherubinos significantur, 426. Continent quidquid est de Verbo Dei, et extra hæc nihil audiri debet, 426.

Testibus septem legitimis utatur homo contra diabolum, 645. Testes tres in terra sunt spiritus, sanguis, et aqua, 645. In cœlo sunt, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et cur non dixerit Filius, sed Verbum, 645.

Testimonium plurimum valet, quando persona de qua datur non est cognita, 399. Testimonia de profanis auctoribus adducere, laudabile est, 325. Testimonium quod habet diabolus contra nos, est lignum vetitum, 645. Dari in cœlo et in terra, quid sit, 645. Testimonium Patris, et Verbi, et Spiritus Sancti est de dilectione, 651. Testimonium falsum pati, et non respondere, consilium est, 682.

Thare pater Abraham dictus fuit abactor, quoniam corvos abigebat ne frumentum vastarent, 319.

Theologia dicitur amica sapientis, philosophia vero humana meretrix, 608.

Thesauri spirituales sunt gratiæ Spiritus sancti, 695.

Thronus eburneus Salomonis significat majestatem tremendi judicii finalis, 456.

Timendus est solus Deus, 678.

Timor est initium perficiendi hominem, 9. Timor primos fecit in orbe deos, 9. Perversus est non facti sui pœnitere, 46. Timor et amor significata sunt per concubinas, et uxores trium patriarcharum, 125. Ad timorem Domini descendit Christus, unde peccatum habet initium ascendendi, 624. Timor Domini est primus gradus sapientiæ, 638. Timor quidam servilis, quidam liberalis est, 718. Timores quatuor sunt, quorum perceptibilis est anima, 718. Timor dividit hominem in voluntates contrarias, 718.

Titulus a Titane, id est, sole dicitur, quia quasi lumine aperitur libri introitus, 1. Titulus passionis Christi, significatur per funiculum coccineum positum in domo Rasb, 365.

Tondere oves festivum erat apud antiquos, 130.

Tonitrua et fulgura quomodo fiant, 11.

Torcular significat altare, 487.

Trabes significant fidem, 425.

Traditiones Dei argentum Dei sunt, hominum vero scoria, 481.

Trahit nos Deus vel præmio vel metu, 154.

Transit Christus ad Ecclesiam de gentibus relicta fame verbi Dei, in Israel, 465.

Tres personæ Trinitatis sunt unus Deus fortis, ad cujus fortitudinem nullus pervenit, 420.

Tribulatio fortiores nos efficit, 189. In tribulatione, consolatur nos Deus, 85. Tribulationes faciunt nos venire ad Christum, 129. Tribulatio valentiores nos reddit, 189. Tribulatos clamantes ad Deum, audit Deus, 86.

Tribus Israel cur duodecim tantum sint cum duo filii Joseph additi sint, 165.

Triduana pœnitentia, et jejunium unde ortum habuit, 215.

Triginta argentei quibus venditus est Christus, respondent triginta maledictiones legis, 334, 541, 455. Triginta tres anni quibus Christus fuit in mundo, per quid significentur, 575.

Trinitas ex suis operibus maxime agnoscitur, Prol. in Genes. Trinitatis opus tripartitum, ibid. Trinitas creando cœlum, terram, et ornatum illorum, nullum præter seipsam exemplar habuit, 1. Trinitas personarum ostenditur in principio Genesis, 4, 22, 92, 189, 231, 295, 491. Trinitas præmonstrabatur in tribus partibus mundi, 75. Trinitatis mysterium non revelatur peccatoribus, 95. Trinitatis habere notitiam discretam, est ungulam habere divisam, et ruminare, 269. Trinitas disposuit mortem Christi, 641. In condendo mundo nullum externum habuit exemplar, præfat. in Genes.

Tristitia magna non potest diu dissimulari, 154.

Triticum purgare est vitia a virtutibus separare, 414.

Triumphi martyrum illustriores fuerunt quam Romanorum, 692.

Tubæ clangor est vox prædicatorum, 296.

Turturis, et columbæ oblatio mystice exponitur, 247. Turtures, quomodo significant duplicem gemitum pœnitentis, 255.

Tyrannorum violentia non sinit vociferare oppressos, 172. Tyranni audito Christi veri Dei nomine in servos illius sævierunt, 181. Persecutores Christianorum significantur per currus electos Pharaonis, 198. Persequentes Ecclesiam significantur per viros missos a rege Jericho

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ad Raab, 302. Tyranni, et persecutores Christi qui de crudelitate resipiscant significantur per tertium quinquagenarium missum ad Elisæum, 469.

U

Unctionis oleum significat Spiritum S., 264. Unctio triplex David significat trinam Christi unctionem, 399. Et nostram etiam, 445.

Ungere caput et pedes Christi aliter activa, aliter contemplativa vita facit, 445.

Ungulam dividere quid sit, 268.

Urbes tres fugitivorum, quid significent, 322.

Urias, cum litteris missus ut occidatur, est populus Judaicus portans legem per quam moriatur, 418.

Uva est Christus, 161.

Uxor non relinquenda est nisi volens, 39.

Uxor Job fuit Dina filia Jacob, secundum Philonem, 136.

V

Vaccæ portantes arcam Domini significant prædicatores, 395.

Væ omnibus, Matth., XXIII. Respondent Væ, de quibus Isa., 487.

Vapor fumi est contritio, 639. Vel cæcitas Judæorum, 639.

Vas fictile in quo hostia coeta est quid mystice significet, 260. Vasa sumus quæ format Deus in honorem et contumeliam, 434. Vasa diversa in spirituali templo sunt, 434.

Vectes de lignis Sethim significant doctores, 225.

Velamen super faciem Moysi est spiritualis sensus legis occultatus Judæis, 240. Velare caput, in pœnam datum est mulieri, 44.

Vellus significat populum Judæorum, 374.

Velum ante columnas quatuor propitiatorii quid sit, 231.

Vendens gratiam spiritualem, peccata quæ emundare videtur in se transponit, 474. Vendere fratrem, est vendere evangelium vel sacramentum aliquod, 334. Venditio Joseph viginti argenteis, Christi vero triginta, quare facta fuerit, 143.

Veneno abstinentur homines, 49.

Verbera sunt medicamentum culparum, 356.

Verbum Dei quare fugiat quærentes se, 156. Lucerna est cui attendimus, 161. Verbis modestioribus utitur semper Scriptura, 176. Verba divina quomodo sint devoranda, 190. Verbum de quo Exod. XII : « Custodi verbum istud » est ratio, vel veritas sacramentorum quæ in Christo impleta sunt, 190. Verba detractoria significantur per fluxum sanguinis vel seminis, 276. Verbum Dei adulterant qui magis voce demulcent quam virtute et intelligentia, 512. Mutilantes verbum Dei dicuntur mangones, ut pondus minus reddant quam acceperunt, 557. Est culter lapideus, 365. Est manna, 365. Quare per os regum, et potentiam antiquitus prædicabatur, 438. Verbum exiguum de amore Dei ab ore doctoris auditum replet animam usque ad summum exuberante gratia, 472. Verbum idem, et virga bonis, et olla malis est, 520. Verbum Dei, etsi sit dulce, non tamen oblectat omnes, 662. Verbum Domini de futuro sæculo et aliis, per regem David, quare voluerit Deus ut annuntiaretur, 458.

Veritas pungens per cinyphes significatur, 181.

Vespasianus, et Titus significantur per duos ursos egredientes de saltu tempore Elisæi, 472.

Vespera congruit peccatoribus, mane vero et meridies justis, 93. Vitam veterem, mane novam significat, 209.

Vestes sordidæ Jesu sacerdotis, significant nostra peccata, 57. Vestis lanea, alias linea est hæretica scriptura, 275. Vestes significant subsidia potentum et divitum in servos Dei, 250.

Vestimentum Dei est angelus, et homo, 6. Vestimenta sacerdotis mystice exponuntur, 235.

Via eundi ad cœlum est sacra Scriptura, 76. Viæ occultæ Dei sunt fenestræ obliquæ templi, 425. Viæ Domini omnes reducuntur ad duas, 430. Viæ Domini, præcepta; semitæ vero, consilia sunt, 482. Viæ Dei, misericordia et veritas. 505. Via et porta sunt omnes, qui exemplo et prædicatione nos ad vitam ducunt, 527.

Victori semper timendum est in mundo, 134.

Victoria perfecta significatur per mensuram funiculi, 417.

Videre, aliquando est diligenter considerare, 44 Videt aliquis Deum, cum Deus consilium suum ab illo non abscondit, 240. Videre Deum, qui et quomodo possit homo, 605.

Vidua est Ecclesia, 712.

Villicus est quilibet prælatus, et hujus parabola explicatur, 716.

Vindictam aliquarum rerum sibi reservat Deus, 62. Vindictam de inimicis statim sumere imprudentia est, 641.

Vinea est Ecclesia, 161. Vineæ canticum Isaiæ declaratur, 487.

Vinum significat virtutem Spiritus sancti, 267.

Vir, et mulier indissolubili vinculo junguntur, 38. Vir dicitur mente invictus, et virtute cinctus, 145. Vir est qui regere potest, 169.

Virgæ quas Jacob posuit ante oves, sunt exempla patrum et sententiæ populis propositæ, 127. Virga Moysi figura fuit humanitatis Christi, 175. Aaron devorans virgas magorum significat Christum tollentem omnes deos falsos, ibidem 180. Virga vigilans est timor futuri judicii, 521.

Virgo abscondita significat sapientiam, 109. Virgo erit apud Christum, quæ a tyranno invita opprimitur, non adhibito consensu, 331. Virginibus quæ promittit Deus, 508.

Virtus inter adversa crescit, 116, 189. Virtutes animæ dicuntur lapides, 217.

Visio Jacob, quid mystice significet, 121.

Vitæ brevitas data est homini in remedium, 55, 655. Vita hominis similis Y Græce litteræ, quæ ab uno ductu incipiens finditur in bivium, 71. Vitæ activæ et contemplativæ, figura fuit Lia, et Rachel, 125. Vita justi virga dicitur, 125. Vitam activam et contemplativam pro tempore non deserens claudicat uno pede, 136. Vita nostra est peregrinatio, 156. Solitaria per turturem, cœnobialis per columbam significatur, 247. Activa per agnum, contemplativa per capram significatur, 255. Vita nostra præsens nox est, 255. Vitæ hujus diversi profectus, 318. Vita proximi non curiose est inspicienda, 555. Vitam activam et contemplativam qui non potest exercere in habitu sæculari, transeat ad religionem, 253. Vitam mentis carnis delectatione perforare, est Isboseth in inguine ferire, 414. Vita et conversatio Christi significatur per porticum ante templum, 424. Vita activa duos ordines, contemplativa unum tantum habet, 424. Vita ista inferior est ad vitam futuram, 574. Vita contemplativa beatior, 612. Vita contemplativa est consilium respectu activæ, 679. Vita æterna et regnum idem sunt, 726. Et hic incipitur, illic vero perficitur, 726.

Vitium a virtutibus separare, est paleas a frumento separare, 374. Vitia a virtutibus purgare, est purgare triticum ab ostiaria, 414. Vitia sunt amputanda, 716.

Vituli confracti pulverem bibere quid sit, 257. Vitulus immolatus pro peccatis nostris est Christus, 250. Vituli aurei Jeroboam est sermo compositus et nitidus hæreticorum, 402.

Vivere sine lege quid sit, 669.

Vocatio prædestinatorum duplex, 72. Vocari hominem a Deo, melius ne sit an loqui Deum ad hominem, 655. Vocatio apostolorum distincta a vocatione Pauli, 666. Vocatus homo a Deo, respondeat, 655.

Volatilia omnia cur non sub aquis vivant, 19.

Volucres quas abigebat Abraham, significant Ægyptios, 85.

Voluntaria sacrificia, etiamsi parva, grata sunt Deo, 225.

Voluntas Dei significatur per favum mellis, 377. Voluntate Dei nec homo pergit, nec angelus, 6.

Vota non adimplere grave peccatum est, 285. Votum religiosi, et uxoris sine licentia prælati, et mariti quomodo obliget, 317. Temerarium esse cavendum ostenditur, 376.

Vulnus lateris Christi est ostium, per quod intramus in cœlum, 574.

Vulpes sunt maligni spiritus, 378.

Vultum in diversa non mutare, est in tentatione forte esse, 386.

Z

Zelotypiæ lex quid in Christo significet. 289

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

PROLEGOMENA. 9
APOLOGIA pro Ruperto auctore Gabriele Gerberonio. 24
Synopsis Apologiæ. 29
Pars prima. 45
Pars secunda. 99
RUPERTI EPISTOLA ad Cunonem abbatem Sigebergensem. 195
PROLOGUS RUPERTI in libros de S. Trinitate et operibus ejus. 197

COMMENTARIORUM DE OPERIBUS S. TRINITATIS LIBRI XLII.

LIBER GENESIS I.

CAP. I. — Quod extra se sancta Trinitas non habuerit exemplar, ut conderet hæc tria, cœlum, terram, et omnem ornatum eorum. 199
CAP. II. — Cur dicatur Genesis. 201
CAP. III. — Quod Filius sive Verbum, per quod cœlum, et terra creata sunt, principium sit. 202
CAP. IV. — Cur non dixerit Deus, fiat cœlum, et fiat terra, sicut dixit, « fiat lux. » 205
CAP. V. — Quod non sit mutabilitati ascribendum, quod fecit Deus mundum, contra eos, qui dicunt mundum Deo coæternum. 205
CAP. VI. — Quare in illo principio intelligendum sit cœlum. 204
CAP. VII. — Quomodo « terra inanis erat, et vacua, » et quales tenebræ erant super faciem abyssi. 204
CAP. VIII. — Quomodo « Spiritus Dei ferebatur super aquas. » 205
CAP. IX. — Quod in capite libri præmonstratur Trinitas. 206
CAP. X. — Quod lux quæ facta est angelica sit creatura. 206
CAP. XI. — Quod non pro similitudine, sed pro re vera lux dicta sit angelica creatura. 207
CAP. XII. — Quod illa lux confiteatur Creatori, secundum versiculum Psal. CIII « confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. » 209
CAP. XIII. — Quod illa lux « bona » dicta sit, non sicut de cæteris operibus est dictum, « et vidit Deus quod esset bonum. » 210
CAP. XIV. — Quod angelica creatura sicut initium, sic habuerit et profectum. 211
CAP. XV. — Quod voluntate Creatoris, ejusdem creaturæ pars quædam vitiata sit. 211
CAP. XVI. — De invidia vel superbia diaboli. 212
CAP. XVII. — Quod Creator bonus, et clemens, juste tamen fecerit quem malum præscivit, et de casu ejus. 213
CAP. XVIII. — De appellatione diei et noctis, et quæ sit illa dies, et quæ sit illa nox. 215
CAP. XIX. — Item quomodo appellationes illas Deus posuerit. 216
CAP. XX. — Cur non dictum sit, factæ sunt tenebræ et nox, dies primus, sed « factum est vespere et mane dies unus. » 217
CAP. XXI. — Quis et qualis sit ille « dies unus. » 218
CAP. XXII. — De eo quod dixit Deus « fiat firmamentum. » 218
CAP. XXIII. — Quæ sint illæ aquæ « super firmamentum. » 219
CAP. XXIV. — Quæ, vel qualis æstimanda sit illarum aquarum species. 220
CAP. XXV. — Item de non impossibili aquarum positione « super firmamentum. » 221
CAP. XXVI. — De eo quod scriptum est in psalmo memorato : « Qui ponis nubem ascensum tuum. » 221
CAP. XXVII. — Item de igne urente, tonitruque, ac fulmine. 222
CAP. XXVIII. — De eo quod dictum est : « Vocavitque firmamentum cœlum. » 223
CAP. XXIX. — Item quare vocavit firmamentum cœlum. 224
CAP. XXX. — Quod factum est vespere, et mane dies secundus, et quid sit dies secundus. 225
CAP. XXXI. — De die tertio, et cur ibi dictum sit : « Vidit Deus quod esset bonum. » 226
CAP. XXXII. — Quomodo dictum sit : « Congregentur aquæ in locum unum. » 226
CAP. XXXIII. — Item de congregatione aquarum, et de arida, et de eo quod dictum est in eodem psalmo : « Qui fundasti terram super stabilitatem suam. » 227
CAP. XXXIV. — Quid opus fuerit aridæ, ut ascenderent montes, et descenderent campi. 228
CAP. XXXV. — De eo quod dictum est, « Germinet terra herbam virentem, » et de cujusque dictionis triplicatione. 229
CAP. XXXVI. — Item de herba virente, et herba semen afferente, de ligno pomifero, et de ligno, cujus solum semen est in semetipso. 230
CAP. XXXVII. — De plantatione paradisi, et de eo quod dictum est : « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul. » 230
CAP. XXXVIII. — Item de eo quod dictum est, « Unumquodque juxta genus suum, » et consubstantialem esse Deo Patri Filium. 231
CAP. XXXIX. — Item de die tertio. 232
CAP. XL. — De die quarto, de luminaribus, et virtute majoris luminaris. 232
CAP. XLI. — Item de eodem, et quod ante illud paradisus deliciarum floruerit, et quod illa sit terra promissionis. 233
CAP. XLII. — Item de luminaribus, et eorum magnitudinibus. 234
CAP. XLIII. — De luminarium atque stellarum diversa positione in firmamento. 234
CAP. XLIV. — De divisione diei et noctis, et potestate luminarium. 235
CAP. XLV. — De eo quod dictum est, « Et sint in signa et tempora, et dies et annos. » 236
CAP. XLVI. — Quare postremo dictum sit : « Et illuminent terram. » 237
CAP. XLVII. — Cur dicendo, « et stellas » non addidit, et sint in signa et tempora, et de eodem die quarto, et quid sit dies quartus. 238
CAP. XLVIII. — De die quinto, et quid sit dies quintus. 239
CAP. XLIX. — De eo quod dictum est, « Producant aquæ reptilia animæ viventis. » 239
CAP. L. — Cur cum omnia volatilia aquæ produxerunt, non etiam sub aquis vivere possunt. 240
CAP. LI. — De triplici distinctione creaturæ, quam produxerunt aquæ. 242
CAP. LII. — Item de eodem quod dictum est : « Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris. » 242
CAP. LIII. — Cur non dictum sit, vidit Deus volatilia seu reptilia quod essent bona, sed « vidit quod esset bonum. » 244
CAP. LIV. — Cur jumenta sive terræ animantia operis diei sextæ, cum homine deputentur. 244
CAP. LV. — De triplici specie jumentorum, reptilium atque bestiarum. 243
CAP. LVI. — Quod omne genus serpentum corruptum ex eo, sive venenatum sit, quod diabolus illo usus est ad mortem hominis. 245
CAP. LVII. — De adulterina permistione jumentorum. 246

LIBER II.

CAP. I. — De dignitate creaturæ hominis, et quod cum consilio providæ Trinitatis factus est. 247
CAP. II. — Quæ distantia sit imaginis atque similitudinis, in eo quod dictum est : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » 248
CAP. III. — Item de eodem. 248
CAP. IV. — Quod non dictum sit, ad similitudinem et imaginem nostram, sed « ad imaginem et similitudinem nostram. » 249
CAP. V. — De præsidatu hominis, quod dictum est : « Et præsit volatilibus cœli et piscibus maris, et bestiis terræ. » 250
CAP. VI. — Cur subsecutus scriptor non dixerit, et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, sed tantum ad imaginem. 25

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. VII. — Quod mulier, æque ut vir, ad imaginem Dei facta sit. 252
Cap. VIII. — De benedictione, qua dictum est : « Crescite et multiplicamini. » 252
Cap. IX. — Item quid sit : « Crescite et multiplicamini, » vel in quantum, si non peccassent, homines debuissent multiplicari. 253
Cap. X. — De eo quod dictum est : « Ecce dedi vobis omnem herbam, etc., ut sint vobis in escam. » 255
Cap. XI. — Quod vidit Deus « cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, » et cur non dictum. Vidit hominem quod esset bonus. 256
Cap. XII. — Item de die sexto, et quid sit dies sextus. 257
Cap. XIII. — De die septimo, et quid sit dies septimus. 257
Cap. XIV. — Item de differentia diei septimi et cæterorum dierum. 258
Cap. XV. — De novem ordinibus angelorum. 259
Cap. XVI. — De eo quod dictum est : « Benedixit diei septimo, et sanctificavit illum. » 260
Cap. XVII. — Quæ sit illa requies diei. 261
Cap. XVIII. — Quæ non dictum sit, Ab omni opere suo quod creavit Deus et fecit, sed, « Quod creavit ut faceret. » 262
Cap. XIX. — De lege Sabbati carnalis. 263
Cap. XX. — Quod hominem Deus de limo terræ fecit, et de eo quod dicit Apostolus : « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? » 264
Cap. XXI. — De eodem quod prædictum est, « et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » 265
Cap. XXII. — Cur hoc tantum dictum sit : « Et factus est homo in animam viventem. » 267
Cap. XXIII. — De plantatione paradisi, et quod homo non formatus in paradiso, sed positus fuerit. 268
Cap. XXIV. — Item de paradiso, quod veræ terræ locus sit. 269
Cap. XXV. — Item de paradiso, quod eum plantavit Deus a principio. 270
Cap. XXVI. — Item de eodem, quod propter hominem plantavit eum Deus. 270
Cap. XXVII. — Quod paradisus terrestris ad exemplar plantatus sit cœlestis paradisi, itemque de ligno paradisi quod in medio erat. 271
Cap. XXVIII. — Quod « fons ascendebat de terra, qui inde dividitur in capita, » itemque de triplici significatione paradisi. 275
Cap. XXIX. — Item de eodem fonte et fluvio qui egrediebatur de paradiso. 275
Cap. XXX. — De præcepto homini dato, ne comederet de ligno scientiæ boni et mali. 276
Cap. XXXI. — Quod fidem, spem, charitatem, homo Deo debuit, sed ingratus non exhibuit. 278
Cap. XXXII. — De eo quod dictum est, « Non est bonum esse hominem solum, » quodque nec mulier in paradiso facta sit. 279
Cap. XXXIII. — De eo quod dictum est : « Adæ vero non inveniebatur similis ejus. » 280
Cap. XXXIV. — De costa Adæ, et de conjunctione viri et uxoris suæ. 281
Cap. XXXV. — Item de eo quod dictum est, « Quod Deus conjunxit, homo non separet. » 283
Cap. XXXVI. — Quod Deus, vel quomodo solus Deus legitime separat, quod ipse conjunxit. 283
Cap. XXXVII. — Quomodo vel unde scire potuerit Adam : « Hoc nunc os de ossibus, et caro de carne mea. » 284
Cap. XXXVIII. — De eo quod dictum est : « Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ. » 285
Cap. XXXIX. — De ingratitudine hominis, qua in omnibus a laude Creatoris mutus exstitit. 286
Cap. XL. — De eo quod nuditatem suam non erubescebant. 286

LIBER III.

Cap. I. — De calliditate serpentis, et quod homo prius per superbiam tumuit intus, quam foris per serpentem tentaretur. 287
Cap. II. — Utrum serpens in paradiso esse potuerit. 289
Cap. III. — Item utrum serpentem, qui loqui videbatur, homo irrationalem per naturam esse nesciret. 289
Cap. IV. — De percunctatione serpentis dicentis ad mulierem : « Cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis. » 290
Cap. V. — De vitiosa responsione mulieris. 291
Cap. VI. — De blasphemia diaboli, qua Dominum mendacem æstimare voluit, dicendo : « Nequaquam morte moriemini. » 292
Cap. VII. — Quod nequiter mendax illuserit, dicendo : « Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii. » 293
Cap. VIII. — Quod eodem vitio diabolus hominem decepit, quo ipse cecidit de cœlo. 294
Cap. IX. — Quomodo vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et quomodo viro suo dederat, ideoque duplici pœna quam vir ejus multata sit. 294
Cap. X. — Quomodo dictum sit : « et aperti sunt oculi amborum, et quod confusio libidinis illius peccati pœna sit. » 296
Cap. XI. — Quod exinde filii iræ fuerimus, quia de peccato, et justa pœna peccati generati sumus. 297
Cap. XII. — Quia hoc ipsum quod se absconderunt a facie Domini, infidelitatis et impœnitentiæ fuerit. 297
Cap. XIII. — Quomodo Deus in paradiso ad auram post meridiem deambulasse dicitur. 299
Cap. XIV. — Quod non Adam prior invocavit Deum, sed Deus prior vocavit Adam. 300
Cap. XV. — Quod uterque, scilicet Adam et Eva, peccatum suum defenderit. 301
Cap. XVI. — De quatuor peccati ejusdem incrementis. 302
Cap. XVII. — De inimicitiis inter mulierem et serpentem positis, et quod de peccato serpentis Deus non quæsierit, dicendo : « Quare hoc fecisti? » 303
Cap. XVIII. — Quomodo dictum sit : « Super pectus tuum gradieris. » 303
Cap. XIX. — Item de eo quod dictum est : « Inimicitias ponam inter te et mulierem. » 304
Cap. XX. — Item de eo quod dictum est : « Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis, » etc. 305
Cap. XXI. — De tribus in mulierem quasi verberibus sententiæ Dei 306
Cap. XXII. — Item de eo quod dictum est : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. » 306
Cap. XXIII. — Item de multiplicitate conceptuum, et quod inde fuerit, ut Rebecca quoque conciperet Esau et Jacob. 308
Cap. XXIV. — De sententia quæ dicta est in virum, et quod utile fuerit, hominem post laborem reverti in cinerem propter edomandam ejus superbiam. 309
Cap. XXV. — Quod non ira, sed miserantis fuerit gratiæ, quod Deus mortalem voluit esse hominem. 311
Cap. XXVI. — De eo quod vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam. 312
Cap. XXVII. — De tunicis pelliceis, quas fecit illis Deus. 314
Cap. XXVIII. — De eo quod dictum est : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. » 314
Cap. XXIX. — De eo quod dictum est : « Videte ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ. » 315
Cap. XXX. — Item de eodem ligno vitæ, et quod Adam nesciverit esse lignum vitæ. 316
Cap. XXXI. — Quod de salute Adæ a multis dubitetur, et quod emissus a paradiso, in Ebron sepultus est. 317
Cap. XXXII. — Quis sit ille gladius collocatus ante paradisum voluptatis flammeus atque versatilis. 319
Cap. XXXIII. — Cur non solum flammeum gladium, sed et Cherubin Deus collocasse dicitur. 320
Cap. XXXIV. — De duabus exinde succedentibus hominum generationibus, et cur generatio Cain nonisi usque ad Lamech texatur, qui a Cain sextus, ab Adam vero fuit septimus. 321
Cap. XXXV. — Idem de conjunctione utriusque generationis, quod nec in illa propositum Dei pertre potuerit. 323
Cap. XXXVI. — Item determinationes sive distinctiones sex ætatum mundi quasdam habentium similitudinem cum primis sex diebus sæculi. 324

LIBER IV.

Cap. I. — De cunctis veteribus sanctis quid minus ante adventum Christi habuerint. 325
Cap. II. — De Abel, quod unigeniti Filii Dei testis primus fuerit. 325
Cap. III. — De verecundia Cain, et quomodo dictum est : Quare concidit vultus ejus, et qualiter a Deo correptus est. 327
Cap. IV. — De voce sanguinis Abel, et quod idipsum de Christo loquatur, vita et morte sua quod litteris prophetiæ loquuntur et Evangelia. 328
Cap. V. — De sacrificio Abel, quod veraciter secundum mysterium respiciat Deus ad Abel, id est, ad Christum et ad munera ejus, nec jam respiciat ad Cain, id est, ad Judaicum populum, et ad munera ejus. 329
Cap. VI. — Quæ sit terra, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem hujus Abel, super quam ille Cain, id est,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Judaicus populus, vagus est et profugus. 330
Cap. VII. — Quomodo intelligendum sit : « Qui occiderit Cain, septuplum punietur. » 332
Cap. VIII. — De eo quod dictum est : « Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. » 333
Cap. IX. — Cur Dominus Cain in signum posuerit, ut non eum interficeret omnis, qui invenisset eum. Cum in lege dicat : « Cognatus occisi, statim ut invenerit homicidam, jugulabit. » 334
Cap. X. — Quod prima terrenarum civitatum causa, homicidium sit. 336
Cap. XI. — Quomodo dictum sit : « Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. » 337
Cap. XII. — Quid sit, quod multiplicatis hominibus, filii Dei filias hominum acceperunt uxores sibi. 337
Cap. XIII. — Quid sit quod dictum est : « Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, eruntque dies ejus centum viginti anni » 338
Cap. XIV. — De eo quod dictum est : « Gigantes autem erant super terram. » 339
Cap. XV. — De eo quod dictum est : « Pœnituit eum quod hominem fecisset super terram. » 340
Cap. XVI. — De Noe et causa diluvii, et quod triforme sit judicium Dei. 341
Cap. XVII. — Quam requiem nomine suo significet Noe, et de arca, et de mysterio arcæ. 342
Cap. XVIII. — De mansiunculis et schemate ejusdem arcæ. 343
Cap. XIX. — Quanto tempore, dum fabricaretur arca, exspectaverit Dei patientia. 344
Cap. XX. — Item de diluvio, et quod dictum est : « Cataractæ cœli apertæ sunt. » 344
Cap. XXI. — De timore Domini, et quod vere Dominus secundum hoc acta timendus sit. 345
Cap. XXII. — De pietate ejusdem Domini, juxta quam recordatus est Noe, sicut Scriptura dicit; et de vero Noe Christo cujus post aquas tribulationis Deus Pater recordatus est, resuscitando illum a mortuis : et de columba quam emisit, id est, gratia Spiritus sancti, quam dedit. 346
Cap. XXIII. — Item de eadem columba, id est, Spiritus sancti gratia, quomodo tertio sit emissa. 347
Cap. XXIV. — De viri justi Noe obedientia, quod sicut ad præceptum Dei ingressus, ita et ad præceptum ejusdem egressus est. 349
Cap. XXV. — De anno ejusdem diluvii, et quo anni tempore inundare cœperunt aquæ diluvii. 349
Cap. XXVI. — Quid secundum mysterium sit, præcipiente Domino egredi de arca. 351
Cap. XXVII. — Quam recte sacrificium Noe de servatis cunctis animantibus obtulerit, in figuram nostri, de quibus Christus viventes hostias offert Deo Patri. 352
Cap. XXVIII. — De eo quod dictum est : « Nequaquam ultra maledicam terram propter homines. » 353
Cap. XXIX. — De eo quod cum dixisset : « Sensus enim et cogitatio hominis in malum prona sunt, » addidit : « ab adolescentia sua. » 353
Cap. XXX. — De benedictione, in qua dictum est : « Et terror vester sit super cuncta animantia terræ. » 354
Cap. XXXI. — De eo quod cum dixisset : Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum, addidit, « quasi olera virentia tradidi vobis omnia excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. » 355
Cap. XXXII. — Item de eadem re. 356
Cap. XXXIII. — Quid significet, quod tertio quoque dictum est : « Crescite et multiplicamini. » 357
Cap. XXXIV. — De eo quod dixit Deus « ecce ego statuam pactum meum vobiscum. » 358
Cap. XXXV. — De pacto vel pacti signo. 359
Cap. XXXVI. — De eo quod in Christo pactum suum cum hominibus Deus fecerit, et quod pacti ejus illum quod cum Noe pepigit, signum fuerit. Et de arcu, qui Græce *iris* dicitur, id est, pax. 359
Cap. XXXVII. — De tribus filiis Noe, et cur non dixerit maledictus Cham, sed « maledictus Chanaan. » 360
Cap. XXXVIII. — Item mystice de ebrietate Noe, et de nudatione ejus, quod per illam humilitas passionis Christi significetur, quam despicit Cham, id est, quivis hæreticus. 362
Cap. XXXIX. — Quæ sint mystice tabernacula Sem, in quibus habitavit Japhet. 363
Cap. XL. — Item de tribus filiis Noe, quod eorum generatione tres mundi partes impletæ sunt. 364
Cap. XLI. — De ædificatione turris Babel. 364
Cap. XLII. — De confusione linguarum, et quod per donum Spiritus sancti omnes linguæ rursus adunatæ sunt in ore apostolorum. 365
Cap. XLIII. — De Nemroth, quem Josephus eorum principem fuisse asserit, qui turrim ædificaverunt. 366

LIBER V.

Cap. I. — Quod in Abraham tertiæ ætatis mundi initium fuerit. 367
Cap. II. — De Abraham, quod « ut aiunt plerique » de Ur Chaldæorum, id est, de incendio, Dei auxilio liberatus sit. 367
Cap. III. — Cur non dixerit Deus solum : « Egredere de terra tua, » sed addidit, « et de cognatione tua. » 368
Cap. IV. — Unde et ex quo prophetæ fuerit Abraham. 369
Cap. V. — Qualem mercedem, vel quod præmium proposuerit illi Deus jubendo ut egrederetur. 370
Cap. VI. — Quomodo egressus est, juxta Apostolum, nesciens quo iret. 371
Cap. VII. — De peregrinatione ejus in Ægyptum, et quid significet quod « flagellavit Deus domum Pharaonis propter Saram. » 372
Cap. VIII. — Item de eadem, et quid significet quod sustulit Pharao Saram in domum suam. 373
Cap. IX. — De regressu Abraham et Lot ex Ægypto, et quid significet, quod ab eo divisus est Lot. 374
Cap. X. — De eo quod dictum est : « Faciamque semen tuum, sicut pulverem terræ, » et quo jure semen ejus terram illam possidere debuerit. 375
Cap. XI. — De eo quod Abraham propinquum suum Lot liberaverit. 376
Cap. XII. — De rege Sodomorum, qui egressus est illi in occursum : et de Melchisedech, qui benedixit eum proferens panem et vinum. 377
Cap. XIII. — Item de Melchisedech, et quod Hebræi tradunt hunc fuisse Sem filium Noe. 378
Cap. XIV. — Item quod non Melchisedech Abrahæ, ut Hebræi putant, sed ut Apostolus ait, Abraham sacerdoti Melchisedech decimas dederit omnium. 380
Cap. XV. — De eo quod Abraham nihil accipere volebat ex omnibus, et mystico numero CCCXVIII, vernaculorum ejus. 380
Cap. XVI. — Quid moraliter significet quod quatuor, quinque reges vicerunt. 381
Cap. XVII. — De sermone Domini, qui factus est ad Abraham post illam victoriam. 382
Cap. XVIII. — Item de eodem, et quod dictum est : « Suscipe cœlum et numera stellas ejus si potes. » 382
Cap. XIX. — De eo quod dictum est : « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam. » 383
Cap. XX. — De eo quod dictum est : « In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham. » 384
Cap. XXI. — Quid sibi voluerit quod ait : « Sume mihi vaccam trimam, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. » 385
Cap. XXII. — Quid significaverit quod « sopor irruit super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invasit eum. » 385
Cap. XXIII. — De eo quod dictum est : « Generatione quarta revertentur huc. » 386
Cap. XXIV. — De eo quod dictum est : « Ingredere ad ancillam meam. » Quid mysterii contineat secundum Apostolum. 387
Cap. XXV. — Quid significaverit superbia ancillæ despicientis dominam suam. 388
Cap. XXVI. — De eo quod dictum est : « Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, » et quod ancilla videntis non faciem sed posteriora vidit. 389
Cap. XXVII. — Item de orto Ismael, et quomodo dictum sit, quia « secundum carnem natus est. » Itemque de ætate patris, qua ille natus est. 390
Cap. XXVIII. — De Isaac vel promissione ejus. 391
Cap. XXIX. — Quod in vero Isaac, id est, Christo, impleta sit promissio dicentis : « Multiplicabo te vehementer nimis, » et de augmentatione nominis Abrahæ. 392
Cap. XXX. — De eo quod dictum est : Et statuam pactum meum inter me, et te, et inter semen tuum post te. 395
Cap. XXXI. — De circumcisione, quod signum fuerit justitiæ fidei, et cur id in illa corporis parte poni debuerit, et quod post adventum promissi seminis, quod est Christus, circumcisio recte cessare debuerit. 394
Cap. XXXII. — Item de Circumcisione, et cur infans octo dierum jussus est circumcidi. 396
Cap. XXXIII. — De eo quod dictum est : « Masculus cujus præputii caro, » et cætera, et quid ante adventum Christi circumcisio contulerit. 397
Cap. XXXIV. — De eo quod dictum est : « Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. » 397
Cap. XXXV. — De risu Abrahæ dicentis in corde suo,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Putasne centenario nascetur filius? » 398
Cap. XXXVI. — De eo quod dictum est : « Super Ismael quoque exaudivi te, et quomodo intelligendum sit : « Pactum vero meum statuam ad Isaac. » 399
Cap. XXXVII. — De centesimo ætatis anno Abrahæ, quo natus est Isaac, et quod ubi nasciturus jam datur, Trinitatis mysterium in forma angelorum se homini manifestare dignatur. 400
Cap. XXXVIII. — Quid significet quod tunc apud hominem angeli, sive Deus in Angelis tam familiariter hospitatus est, et pene nihil a consueta hospitalitate susceptio ista differt. 401

LIBER VI.

Cap. I. — De mansuetudine et ira Dei, qui tam familiariter apud justum hospitatus tam terribiliter ad Sodomam divertit. 403
Cap. II. — De peccato Sodomorum, et quod in illo typus præcesserit Judæorum, qui Dominum illudentes crucifixerunt. 403
Cap. III. — De eo quod dictum est : « Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? » 404
Cap. IV. — De clamore Sodomorum et Gomorrhæ et de precatione Abrahæ. 405
Cap. V. — Item de eadem re ; et quod non casu sapiens homo taliter numerum diminuerit : prius quinquaginta, deinde quadraginta, ad extremum ponendo decem. 406
Cap. VI. — Cur duo Sodomam venerunt, et quare respere venerunt. 407
Cap. VII. — De eo quod nonnisi compulsi oppido a Lot, in hospitium ejus diverterunt. 408
Cap. VIII. — Quomodo Sodomitæ domum circumdederant, priusquam irent cubitum, et quod tali itidem hora Judæi Dominum comprehenderunt. 409
Cap. IX. — Quid significet quod ostium clauserunt, et eos qui foris erant percusserunt cæcitate. 409
Cap. X. — De eo quod dictum est : « Noli post tergum tuum respicere, sed » et cætera, juxta moralem et anagogicum sensum. 410
Cap. XI. — Quare non qualemcunque ignem, sed ignem sulphureum Dominus pluerit, et quod dictum est Dominus a Domino. 412
Cap. XII. — Quid significet, quod respiciens uxor Lot post se, versa est in statuam salis. 412
Cap. XIII. — De filiabus Lot, quæ cum patre suo dormierunt. 413
Cap. XIV. — De eo quod peregrinatus est Abraham in Geraris. 415
Cap. XV. — Quod aliter Abimelech, atque aliter Pharaonem corripuit Deus propter Saram uxorem Abrahæ. 415
Cap. XVI. — De eo quod dictum est : « Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, » etc., et quid significet, quod orante Abraham domus Abimelech sanata est. 416
Cap. XVII. — De nativitate Isaac. 417
Cap. XVIII. — De eo quod dixit Sara : « Visum mihi fecit Deus ; » et quod superna matris Jerusalem, Patris quoque Dei risus et gaudium sit Christus. 417
Cap. XIX. — De ablactatione Isaac, et de magno convivio in die ablactationis ejus. 418
Cap. XX. — De ludo Ismaelis cum Isaac et de eo quod dictum est : « Ejice ancillam, » etc. 419
Cap. XXI. — Item de eadem re, et quid significet quod filius ancillæ ejicitur. 420
Cap XXII. — Quid mystice significet quod « tollens Abraham panem et utrem aquæ imposuit scapulæ ejus. » 421
Cap. XXIII. — Item quid significet quod vocavit angelus Domini Agar, aperuitque oculos ejus Deus, ut videret puteum aquæ. 422
Cap. XXIV. — De fœdere pacto inter Abraham et Abimelech, et quid mystice significet. 423
Cap. XXV. — Puteus quem vi abstulerant servi Abimelech, quid mystice significet. 424
Cap. XXVI. — Quid sibi velint septem agnæ, quas fecit Abraham stare seorsum mystice. 425
Cap. XXVII. — Ad mysterium pertinere, quod plantavit Abraham nemus in Bersabee. 426
Cap. XXVIII. — De tentatione qua tentavit Deus Abraham, dicens : « Tolle filium tuum, » etc. 426
Cap. XXIX. — Item de eadem re ; et quod mons in quo postea fundatum est templum, is fuerit ad quem immolandus ductus est Isaac. 427
Cap. XXX. — Item cur Deus tentaverit Abraham : et quod non absque justitia « sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret », quia sic homo dilexit Deum, ut filium suum unigenitum daret. 428
Cap. XXXI. — Quid significet quod Isaac pater duxit ad immolandum : quid per ignem, gladium : quod portavit Isaac ligna, et quod pater filium colligavit intelligatur. 429
Cap. XXXII. — Quomodo usque hodie in monte Visionis, id est, sancta Ecclesia, verus Isaac Christus in sacramento immoletur. 430
Cap. XXXIII. — De repromissione Dei, et de eo quod dictum est : « Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. » 432
Cap. XXXIV. — Quod S. Job, et Balaam de stirpe Nachor fratris Abraham descenderit. 433
Cap. XXXV. — De morte Saræ, et coemptione sepulcri ejus. 433
Cap. XXXVI. — Item de agro et spelunca duplici in qua sepulta est. 434
Cap. XXXVII. — De eadem re, juxta sensum mysticum. 435
Cap. XXXVIII. — De eo quod dictum est : « Pone manum tuam super femur meum, » etc., quidque Isaac conjugium mystice significet. 435
Cap. XXXIX. — Quis sit servus Abrahæ, mystice. 436
Cap. XL. Quid significent cameli, et quæ bona domini ejus, ex quibus secum tulit. 437
Cap. XLI. — De Mesopotamia, ad quam profectus est servus, deque prudentia ejus, quomodo petivit Rebeccam. 438
Cap. XLII. — De eadem re ad sensum mysticum. 439
Cap. XLIII. — De Laban fratre Rebeccæ, et de muneribus quæ dedit Rebeccæ mystice. 441
Cap. XLIV. — Prompta ad inquirentes responsio puellæ dicentis, « Vadam, » quid significet ; et de meditatione Isaac egresso in agrum. 442
Cap. XLV. — De casto pudore Rebeccæ, quæ conspecto Isaac pallio operuit se ; et quid mystice significet quod introduxit eam Isaac in tabernaculum Saræ. 443
Cap. XLVI. — De cæteris filiis Abrahæ, et de morte sua, et Ismaelis. 445

LIBER VII.

Cap. I. — De generationibus Isaac, quod ipse aliter sint generationes Isaac, et aliter generationes Christi. 445
Cap. II. — De eo quod Isaac quadragenarius duxit uxorem, et in tabernaculum Saræ introduxit 447
Cap. III. — Cur sterilem Dominus filio Abrahæ præparaverit. 447
Cap. IV. — De eo quod dictum est : « Duæ gentes in utero tuo, » et cætera, et quid spiritualiter significent. 448
Cap. V. — De geminorum ortu : quidque significet quod junior prioris tenuerit plantam. 449
Cap. VI. — Quod Isaac Esau, Rebecca vero Jacob dilexerit, quodque illa primogenita vendiderit. 450
Cap. VII. — Quid spiritualiter ista significent. 451
Cap. VIII. — Quid significet quod orta fame abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum. 452
Cap. IX. — Quod timuerit Isaac confiteri, Rebeccam sibi sociatam esse conjugio. 453
Cap. X. — De eo quod dictum est : « Sevit autem Isaac, » et cætera : et quod invidentes Palæstini puteos ejus obstruxerunt. 454
Cap. XI. — Quid significet quod pro duobus quidem puteis pastores Geraræ contenderint, de tertio vero non ; et quod Abimelech amicique ejus cum Isaac fœdus inierint 455
Cap. XII. — De uxoribus Esau, quæ ambæ animum Isaac et Rebeccæ offenderunt. 457
Cap. XIII. — De eo quod senuerit Isaac, et cur unam tantum benedictionem habuerit. 458
Cap. XIV. — Qualiter imitandum in Ecclesia sit Rebeccæ exemplum Jacob pro Esau ad benedictionem instruentis. 459
Cap. XV. — Sanctum virum, cur Deus in amorem declinare permiserit reprobi, et quid hædi duo vestesque Esau significent. 460
Cap. XVI. — Non mirandum quod falsus est Isaac, ut adeo dixerit : « Vox quidem vox Jacob, manus, » etc. 461
Cap. XVII. — De benedictione ejus, quemadmodum super Christo intelligatur. 461
Cap. XVIII. — Quod carnales Judæi similes Esau sint, qui spiritualem benedictionem non quæsivit, deque odio Esau. 462
Cap. XIX. — Quid significet, quod benedictionis subreptionem illam æquanimiter Isaac toleravit, et quod ad Rebeccæ suggestionem, Jacob ad uxorem misit accipiendam. 464
Cap. XX. — Item de eadem re, et quod Esau in Judæorum typum auxerit peccatum suum 465

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

CAP. XXI. — De peregrinatione Jacob, et de visione ejus. 465
CAP. XXII. — Mystice de eadem visione. 467
CAP. XXIII. — De eo quod ait : « Vere Dominus est in loco isto, » et quis ille locus. 468
CAP. XXIV. — Quæ causa fuerit, ut surgens mane, lapidem quem supposuerat capiti tolleret, erigeretque in titulum perfundens oleo. 469
CAP. XXV. — De voto Jacob. 470
CAP. XXVI. — De eo quod veniens in terram orientalem, puteum viderit in agro, gregesque circa eum tres. 471
CAP. XXVII. — Qui mystice pastores fuerint, quibus de adæquandis locutus est ovibus, et quæ Rachel ipsa. 472
CAP. XXVIII. — De eadem, et quod osculatus est eam, elevataque voce fleverit. 473
CAP. XXIX. — Quid significet quod Jacob pro conjugio ejus servivit ; et quod Laban pro Rachel superinduxerit Liam. 474
CAP. XXX. — Item de eadem re, et quid significet quod post Liam, junioris quoque nuptiis potitus est Jacob, et de earum ancillis. 475
CAP. XXXI. — Item de eadem re juxta anagogiam. 476
CAP. XXXII. — De nominibus filiorum Jacob. 477
CAP. XXXIII. — De Ruben primogenito, et quod primogenita sua reputata sint Joseph. 478
CAP. XXXIV. — Quæ sint spiritualiter in Christo conjuges liberæ, et quæ ancillæ. 479
CAP. XXXV. — Quod Joseph nato, dixerit socero suo : « Dimitte me, ut revertar. » 480
CAP. XXXVI. — Quid sit spiritualiter quod Jacob virgas ex parte decorticaverit : conceptusque tempore in conspectu ovium posuerit. 480
CAP. XXXVII. — De eo quod dixit Laban : « Experimento didici quod benedixit mihi Deus propter te. » 481
CAP. XXXVIII. — Jacob an in hoc justitia sua sibi reponderit, cum strophum commentatus sit novam, dum adversus naturam albi et nigri pecoris, arte pugnavit. 482
CAP. XXXIX. — Item de eadem re, et quomodo in arte illa excusabilis sit. 485
CAP. XL. — De eo quod dictum est : « Ditatusque est homo ultra modum, » et quid mystice significet. 485
CAP. XLI. — Quod utile fuerit Jacob verba filiorum Laban audisse ; quodque uxores suas pater quasi alienas reputavit et vendidit ; quod hæc carnalia in typum acciderint spiritualium. 484
CAP. XLII. — Quod Rachel patris sui idola furata fuerit. 486
CAP. XLIII. — Quomodo iniquus in somnis viderit corripientem se Deum : ne aspere quidquam contra Jacob loqueretur. 486
CAP. XLIV. — Quod, quamvis propheta esset Jacob, ignorabat tamen quod Rachel furata esset idola. 487
CAP. XLV. — Quam sit dictum proprie, tumens Jacob cum jurgio præteritam commemorando servitutem. 488
CAP. XLVI. — Quid spiritualiter velit quod Laban Jacob persecutus est, et quod Rachel dixit : « Secundum consuetudinem feminarum accidit mihi. » 489
CAP. XLVII. — Quid significet quod Jacob et Laban in conferderationem sui tumulum testimonii fecerint et super eos ederint. 490

LIBER VIII.

CAP. I. — Quod Esau animalis non intellexit quid spirituali Jacob paterna contulerit benedictio. 491
CAP. II. — Quod Jacob revertenti, angeli tanquam victori obviam fuerunt dicenti : « Castra Dei sunt hæc. » 491
CAP. III. — Quod in hoc Jacob Christi in cœlum ascendentis, excepti victoris ab angelis, typum gesserit. 493
CAP. IV. — Quod hæc vox : « In baculo meo transivi, » etc., tam Christo Domino, quam cuilibet fideli Christiano conveniat. 494
CAP. V. — De eo quod omnibus suis vadum Jacob traductis, luctabatur cum eo vir usque mane, et de mutatione nominis Jacob in Israel. 495
CAP. VI. — Quid famosa illa Dei et hominis lucta significet. 495
CAP. VII. — De eo quod nervus femoris Jacob emarcuit, et propterea Judæi omnem nervum non comedant. 496
CAP. VIII. — Quod Jacob pro reproborum parte claudicavit, et pro parte electorum faciem Dei vidit. 497
CAP. IX. — Quod omnis qui sacræ Scripturæ studiis accinctus incumbit, sensum Verbi Dei tenere contendens, justar Jacob cum Deo luctetur. 498
CAP. X. — Quare fixis tentoriis nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula vocarit. 499
CAP. XI. — Quod Dina filia Liæ sibi corruptionis causa, a Sichem principe terræ illius vi oppressa sit. 499
CAP. XII. — Quod Jacob jussus sit ædificare altare in Bethel, et quod ex eo de diis alienis in familia sua scisciatus sit. 500
CAP. XIII. — Quod ædificato altari in Bethel Jacob sua vota solvit, et quare mors Deboræ sit memorata, alumnæ autem Rebeccæ sit tacita. 501
CAP. XIV. — Quod Jacob ubi vota solvit, benedictionem accipit, et de differentia triplicis mutationis nominum Abraham. 502
CAP. XV. — Quod mortua est Rachel, et quod ejus sit descripta mors, Liæ autem tacita. 503
CAP. XVI. — De eo quod dixit, « trans turrim gregis ; » quis locus sit. 503
CAP. XVII. — De generationibus Esau patris Edom. 504
CAP. XVIII. — Quare dicturus de ætate Joseph, qui Christi solis justitiæ typum gessit, præmiserit, « hæ sunt generationes ejus. » 504
CAP. XIX. — Quod Joseph adhuc puer grandiores fratres æmulos suos, crimine pessimo accusarit. 505
CAP. XX. — Quomodo Jacob Patris, Joseph autem Filii Christi typum gesserit. 506
CAP. XXI. — De somnio Joseph, quod retulit fratribus suis. 507
CAP. XXII. — De interpretatione somnii ex eo quod Jacob dixit : « Num ego, » etc., « adorabimus te super terram ? » 508
CAP. XXIII. — Quod Joseph obediens patri in Sychem missus ad fratres suos, Christi Patri suo obedientis usque ad mortem typum gesserit. 509
CAP. XXIV. — Quod Joseph dolore mortis circumdatus similitudinem mortis Christi, et passionem ejus figuravit. 510
CAP. XXV. — Quod fratres Joseph mittentes tunicam hædi sanguine tinctam nuntiaverunt patri mortem ejus, et luctu patris. 511
CAP. XXVI. — Item de eadem re, et quod sicut Isaac, sic et Joseph ad occidendum impetitus, non tamen mortuus Christi passionem præfigurabat. 513
CAP. XXVII. — Quomodo Joseph semel venditus viginti denariis a fratribus, secundo venditus sit Putiphar eunucho in Ægypto a Madianitis. 514
CAP. XVIII. — De conjugio Judæ et filiorum ejus, et quod alienigena Thamar et adulterinus concubitus Judæ, os Judæorum gloriantium in carne obstruxerit. 515
CAP. XXIX. — Quid mystice per adulteram Thamar significetur. 516
CAP. XXX. — Quid mystice significet, quod Thamar Arrabonem accepit, donec mitteretur hædus. 517
CAP. XXXI. — De partu Thamar, et quid significent gemini in utero ejus, quod unus manum prius protulit et alter macheriam destruxit. 517
CAP. XXXII. — Quod Joseph venditus eunucho a Domino liberatus sit, ne in turpe ministerium assumeretur. 518
CAP. XXXIII. — Quod in Joseph quatuor virtutes notentur, eo quod dominam suam libidinosam spreverit. 519
CAP. XXXIV. — Item de eadem re mystice. 520
CAP. XXXV. — Quomodo Joseph in carcerem conjectus a Domino non sit derelictus. 521
CAP. XXXVI. — Quod sicut Joseph, sic et Christus in carcerem missus omnia in potestate ejus fuerint. 522
CAP. XXXVII. — Quod sicut Pharao e duobus reis unum suspendit, alterum in pristinum statum restituit ; sic Deus cui vult misereatur, et quem vult indurat. 523
CAP. XXXVIII. — Quod sicut Pharao mediante Joseph unum reum, sic Deus de cruce unum latronem mediante Christo assumpserit. 524
CAP. XXXIX. — De Pharaonis somnio, et quod illud nemo præter Joseph interpretari potuerit. 525
CAP. XL. — Quod sicut Joseph de carcere eductus regio triumphat ornatu, sic Christus victo mundi principe, gloria et honore coronatus a Patre suo super opera manuum suarum constitutus sit. 526
CAP. XLI. — Quod sicut Joseph Ægyptum paverit, sic nos steriles Salvator noster cibo evangelicæ gratiæ enutriverit. 527
CAP. XLII. — Quod Joseph ob duos filios suos laborum suorum oblitus sit, cum domo patris sui, quibus ex hoc typum Christi gesserit. 528

LIBER IX.

CAP. I. — De eo quod dictum est ad B. Job : « Nunquid feriet tecum puerum. » etc., qualiter in Christo implendum, in Joseph figuratum est. 529

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. II. — Quomodo fratres Joseph adorantes, somnium ejus impleverint. 529
Cap. III. — Qualiter et quanta prudentia ab illo discruciati sint. 531
Cap. IV. — Quod exemplo Joseph, principes Christianos uti dignum sit, erga Judæos Christianorum inimicos. 532
Cap. V. — Quod Jacob Benjamin filium suum, cum illis mittere timuerit. 532
Cap. VI. — De sponsione Judæ, dicentis : « Si non reduxero eum tibi, » etc., et quomodo sol et luna et undecim stellæ adoraverint Joseph. 533
Cap. VII. — De pietate Joseph, qua viso Benjamin, se continere non potuit. 534
Cap. VIII. — De convivio, quod fecit Joseph fratribus suis, et de ordine primogeniti, juxta primogenita sua. 535
Cap. IX. — De eo quod dixit : « Scyphum meum pone, » etc., junioris. Et de oratione Judæ pro Benjamin. 536
Cap. X. — De eo quod dixit : « An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? » 537
Cap. XI. — De agnitione mutua, ubi dixit fratribus suis : « Ego sum Joseph. » 537
Cap. XII. — Quomodo dixit : « Nolite pavere, » et quod tantas moras perpeti potuerit, qui dixit : « Festinate, et adducite eum ad me. » 538
Cap. XIII. — Quid significet quod singulis fratribus suis jussit proferri stolas binas. 540
Cap. XIV. — De eo quod nuntium detulerunt ad Jacob de Joseph adhuc vivente. 540
Cap. XV. — Quid timuerit Jacob, ut diceret illi Deus : « Noli timere et descende in Ægyptum. » 541
Cap. XVI. — Quomodo Scriptura hic dicat : « Omnes animæ domus Jacob fuere Septuaginta. » Lucas autem dicat « septuaginta quinque. » 541
Cap. XVII. — Quomodo quisque nostrum debeat in amore Christi hujus exemplo uti, dicentis : « Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. » 542
Cap. XVIII. — De patrum humilitate, qua se coram Pharaone pastores ovium et peregrinos professi sunt. 543
Cap. XIX. — Quoto Patris anno Joseph natus sit. 544
Cap. XX. — De eo quod Joseph subjecit omnem terram Ægypti, vendentibus eam illis præ magnitudine famis. 544
Cap. XXI. — Quod oportuerit Joseph de transferendo corpore ejus adjurari, et cur sanctus vir in terra illa sepeliri noluerit. 545
Cap. XXII. — Quod Joseph ad ægrotantem patrem assumptis duobus filiis properaverit, et de benedictionibus ejusdem Patris. 546
Cap. XXIII. — Cur dixerit : « Duo filii tui mei erunt, Manasses, et Ephraim reputabuntur mihi. » 547
Cap. XXIV. — Quod Jacob filios Joseph benedicens commutatione manuum crucem Christi præfiguravit. 548
Cap. XXV. — Quod vocaverit filios suos : « Congregamini ut annuntiem vobis, » etc. 549
Cap. XXVI. — De benedictionibus Ruben, et quorum ille typum gesserit. 550
Cap. XXVII. — De benedictionibus Simeon et Levi, et quorum typum gesserint. 551
Cap. XXVIII. — Quid sit in benedictionibus Juda. 552
Cap. XXIX. — De eo quod ait : « Quis suscitabit eum, et non auferetur sceptrum, » etc. 553
Cap. XXX. — Qualis sit illa exspectatio gentium, secundum quod ait : « Ligans ad vineam pullum suum, » etc. 554
Cap. XXXI. — De benedictionibus Zabulon, et Issachar. 555
Cap. XXXII. — De benedictionibus Dan, et quid ad litteram, et quid ad allegoriam habeant. 556
Cap. XXXIII. — De benedictionibus Gad, et quid habeant secundum utramque sensum. 557
Cap. XXXIV. — De Aser benedictionibus. 558
Cap. XXXV. — De benedictionibus Nephthalim. 559
Cap. XXXVI. — De benedictionibus Joseph. 559
Cap. XXXVII. — Cur dixerit : « Benedictiones Patris tui confortatæ sunt, » et cur Joseph Nazareum appellarit. 561
Cap. XXXVIII. — De benedictionibus Benjamin. 561
Cap. XXXIX. — Cur dicatur : « Hi omnes in tribubus Israel duodecim, » cum duo filii Joseph additi sint. 562
Cap. XL. — Cur de sacerdotio Aaron, et Levi nil meminerit. 563
Cap. XLI — Quod Joseph patrem defunctum cum planctu magno sepelierit in terra Chanaan. 564
Cap. XLII. — De clementia Joseph, qua fratribus suis indulsit, et quod ipse quoque de transferendis ossibus suis mandaverit. 566

LIBER EXODUS I.

Cap. I. — Continuatio præcedentis libri Geneseos, et sequentis Exodi, et quod Pharao diabolum, agnus vero paschalis Christum præfiguravit. 565
Cap. II. — Quod ille Israel universos electos, et ille Ægyptus hunc significavit mundum, in quo omnes electi peregrinantur. 567
Cap. III. — De nominibus filiorum Israel, quod recte initio ejusdem libri præscripti sint. 569
Cap. IV. — Quod Pharao in eo etiam similis fuerit diabolo, quod perversa sollicitudine dixit : « Ecce populus, » etc. 569
Cap. V. — De eodem, et quod inter oppressiones Pharaonis filii Israel creverunt, similiterque inter diaboli infestationes electi Dei proficiunt. 570
Cap. VI. — Quod rectissime Pharao similis diabolo prædicetur, in eo quoque quod ait : « Si masculus fuerit interficite, » etc. 571
Cap. VII. — De mendacio obstetricum, et qualiter benefecerit eis Deus, quia timuerunt Deum. 573
Cap. VIII. — De ortu atque elegantia Moysi. 575
Cap. IX. — Quid præsagierit quod infantulus in fiscella positus, et a filia Pharaonis inventus matri suæ nutriendus traditus sit. 575
Cap. X. — Quod Moyses Ægyptium quemdam de fratribus suis percutientem redarguit, et liberatorem suæ gentis se fore præscierit. 576
Cap. XI. — De clamore filiorum Israel ad Dominum, et quod non vivente, sed Pharaone mortuo, vociferati sunt. 577
Cap. XII. — Cur Deus apparuerit Moysi in flamma ignis potius quam in alia specie elementari, et quid significet quod rubus ardens non est combustus. 578
Cap. XIII. — De humilitate Moysi, qua jussus ire ad Pharaonem, toties recusavit. 580
Cap. XIV. — De eo quod dixit : « Ego sum qui sum. qui est misit, » etc. 581
Cap. XV. — De eo quod dictum est : « Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, » et quo jure dictum sit : « Et vos spoliabitis Ægyptum, » et qualiter spoliemus nos ejus exemplo. 583
Cap. XVI. — De signis quæ Moysi monstrabantur in testimonium. 584
Cap. XVII. — De causis eorumdem signorum mysticis. 584
Cap. XVIII. — De eo quod ait : « Obsecro te, Domine, mitte quem missurus es, » etc. 585
Cap. XIX. — Quod Moyses a cognato suo postulans dimitti, secretum quod audierat, tenuit. 586
Cap. XX. — Quod Dominus voluerit occidere Moysen, et quod Sephora circumcisis filiis tetigit pedes ejus : et quid ista mystice significent. 587
Cap. XXI. — De eo quod ait Dominus : « Ego indurabo cor Pharaonis. » 588
Cap. XXII. — De eo quod dictum est : « Filius meus primogenitus Israel. » 589
Cap. XXIII. — Quod Moyses et Aaron loquentes contra Pharaonem, legem et vetus sacerdotium significent, et quid significet : « Pharao sævior effectus est. » 590
Cap. XXIV. — De eo quod dictum est : « Et nomen meum Adonai non indicavi eis. » 592
Cap. XXV. — Qualiter in Moyse, et Aaron impletum probetur quod dictum fuerat, generatione autem quarta revertentur huc. 593
Cap. XXVI. — Quod ait ad Moysen : « Ecce constitui te deum Pharaonis. » 594
Cap. XXVII. — De ætate Moysi et Aaron, et unde clareat, quod nequam regis edictum non fuerit implctum. 595
Cap. XXVIII. — De mystica ratione signorum, quæ facta sunt coram Pharaone. 596
Cap. XXIX. — De decem mandatis, quæ pendent in dilectione Dei, et proximi. 597
Cap. XXX. — De signis Aaron, et magorum coram Pharaone. 598
Cap. XXXI. — Quid significet quod aquæ in sanguinem versæ sunt. 598
Cap. XXXII. — Quid significet quod fluvii ranas ebullierunt. 599
Cap. XXXIII. — Quid quod cinniphes sint in omni terra Ægypti, quas malefici facere non valentes dixerunt. « Digitus Dei est hic. » 600
Cap. XXXIV. — Quid significet quod missum est omne genus muscarum, et quid in eo, quod Moyses ait. « Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. » 601

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XXXV. — Quid significet quod super agros, et super jumenta pestis gravis facta est. 602
Cap. XXXVI. — Quid significet quod pulvis factus est super omnem terram Ægypti. 603
Cap. XXXVII. — Quod grando et ignis pariter mista ferebantur : et de eo quod sit Deus : « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. » 604
Cap. XXXVIII. — Quod levatæ sint locustæ super universam terram Ægypti. 605
Cap. XXXIX. — Quod « factæ sunt tenebræ horribiles in terra Ægypti. » 606
Cap. XL. — Conclusio eorumdem signorum, et prælibatio mysterii cur per hæc signa non victus Pharao tandem immolatione Agni Paschalis superatus sit. 608

LIBER II.

Cap. I. — Consideratio rursus tertiæ ætatis mundi qua prima sancta Scriptura condita, secundum similitudinem diei tertii. 607
Cap. II. — De mense paschali, quem dicit primum esse in mensibus anni. 608
Cap. III. — De decima die, et quartadecima ejusdem mensis ; et de mysterio agni ejusdem. 609
Cap. IV. — Mystice de eodem agno, quod in illo figura, in nostro autem Pascha veritas sit. 611
Cap. V. — De testimonio Joannis, dicentis : « Ecce Agnus Dei, » et quid significet quod agnus in plenilunio immolari jussus sit. 612
Cap. VI. — Quod verus Agnus Christus secundum legis mysterium, decima die civitatem intraverit, et quarta decima, ad vesperam manducandi corporis, et bibendi Sanguinis sacramentum instituerit. 613
Cap. VII. — Quid dictum sit : « Tollat unusquisque agnum per familias, et domos suas, » quomodo annuatim, et quotidie celebrat Ecclesia. 614
Cap. VIII. — De eo quod dictum est : « Erit Agnus sine macula masculus anniculus. » Et quid sit, hædum tolli. 615
Cap. IX. — Quid sit ad vesperam agnum immolari, et prius postes sanguine ejus signari, ac deinde carnes ejus manducare. 616
Cap. X. — Qualiter in sacramento altaris observandum sit, quod dictum est : « Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni. » 617
Cap. XI. — Quid significent azymi panes cum lactucis agrestibus. 618
Cap. XII. — Quid sit agnum totum vorari, caput quoque cum pedibus, et intestinis. 619
Cap. XIII. — Quid sit, renes accinctos, et calceamenta in pedibus habere, et baculos tenere. 619
Cap. XIV. — De eo quod dictum est : « Est enim phase, id est, transitus Domini, » et de percussione primogenitorum. 620
Cap. XV. — Quid sit mystice vii diebus azyma comedere, et quis sit « dies quo fermentum non sit inveniendum in domibus. 621
Cap. XVI. — Quid sit cum fasciculo hyssopi potest sanguine signari, et foras usque mane non egredi. Quodque aliud sit, verbum istud custodiri, atque aliud, cæremonias istas observari. 623
Cap. XVII. — Quid innuat, quod medio die non sunt cæsa primogenita, sed media nocte. 624
Cap. XVIII. — De eo quod Pharao dixit : « Abeuntes benedicite mihi, » et quod illi nocte exeuntes litteralem legem prævaricati sunt. 625
Cap. XIX. — Quid sit, vulgus promiscuum, et innumerabile cum eis ascendere. 626
Cap. XX. — De quadringentis et triginta annis, quibus habitaverunt filii Israel in terra Ægypti, unde incipiendo debeant computari. 627
Cap. XXI. — De eo quod dictum est : « Nox ista observabilis Domino, » etc., et de nocte paschali Christianorum. 628
Cap. XXII. — De eo quod Dominus sit : « Hæc est religio phase. » 629
Cap. XXIII. — De Succth, id est, tabernaculis, et de duabus solemnitatibus Paschæ et Tabernaculorum. 631
Cap. XXIV. — De eo quod sit Dominus : « Sanctifica mihi omne primogenitum, » etc., et cur addiderit, dicens : « Quod aperit vulvam » 631
Cap. XXV. — De lege cæremoniarum, et quod non fuerit ejusdem auctoritatis, et stabilitatis, cujus Christi præcepta, quæ sola referuntur scripta esse digito Dei. 632
Cap. XXVI. — De primogenitis Domino sanctificatis, et quod filii Levi usque ad Christum, in carnali sacerdotio fuerint reputati. 633
Cap. XXVII. — De eo quod dictum est : « Non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, » etc. 635
Cap. XXVIII. — De eo quod dictum est : « Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo. » 636
Cap. XXIX. — De ejusdem columnæ sensu mystico. 637
Cap. XXX. — De mystica castrorum positione. 638
Cap. XXXI. — De ejusdem Pharaonis, diaboli typum gerentis, induratione. 639
Cap. XXXII. — De eo quod levantes filii Israel oculos viderunt Ægyptios post se et timuerunt, juxta sensum mysticum. 640
Cap. XXXIII. — De eo quod ait Moysi Dominus : « Quid clamas ad me ? » et quid significet virga elevata super terram. 641
Cap. XXXIV. — De eo quod dictum est : « Qui divisit mare in divisiones, » juxta Psalmistam. 642
Cap. XXXV. — De eo quod dictum est : « Angelus Domini pariterque columna ignis priora dimittens abiit post eos, » et quid mystice significet. 642
Cap. XXXVI. — De ingressu filiorum Israel per mediam maris Rubri. Et de sacramento baptismatis. 645
Cap. XXXVII. — Canticum Moysi ad laudem Christi Domini, qui peccata nostra in mari Rubro, id est in baptismate demersit. 645
Cap. XXXVIII. — Maria idem canticum cum mulieribus post viros cantans, cui rei nobis mysticum exemplum dederit. 652

LIBER III.

Cap. I. — Quomodo juxta Paulum monemur ne, sicut multi filii Israel in nube et mari baptizati, sic nos in Christo baptizati, malis operibus baptismi gratiam perdamus. 653
Cap. II. — Quomodo juxta aquas Marath Dominus populum tentaverit. 653
Cap. III. — Quod Moyses sedulus nutritius, filios Israel tanquam parvulos exceperit, et quid aquæ Marath significent. 654
Cap. IV. — Quid per Helim, quid per duodecim fontes, quid per septuaginta palmas significetur. 655
Cap. V. — De murmuratione filiorum Israel pro carnibus, et de specie mannæ. 656
Cap. VI. — De ordine præposteruto, an prius panis petentibus datus sit, et post aqua de petra perrussa secundum historiam, an e converso secundum Prophetam. 657
Cap. VII. — An congrue juxta mysticum sensum talis historiens ordo potuerit a Prophèta præposterari. 658
Cap. VIII. — Quando dicit Apostolus : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, » etc. Et Christus dicit Judæis : « Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater, » etc., utrum figuræ et res in hoc idem sint. 659
Cap. IX. — Quid significet quod murmurantes contra Moysen dixerint : « Sedebamus super ollas carnium, » etc. 660
Cap. X. — Quis sit ille panis, quem de cœlo pluebat Dominus filiis Israel in deserto. 660
Cap. XI. — Mystice de eo quod dictum est : « Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies. » 661
Cap. XII. — De eo quod dictum est : « Ut tentem eum, utrum ambulet in lege, an non. » 662
Cap. XIII. — Quod in Sabbato non colligebant, sed de manna reposito die sexta manducabant, et de duplici Sabbato. 663
Cap. XIV. — Quod Moyses populo carnes et panes promittit, cum Dominus solummodo de panibus dixerit : Et quare dictum sit : « Vespere scietis, mane videbitis. » 665
Cap. XV. — Quid significet, quod « coturnix castra, et ros per circuitum castrorum operuerit superficiem terræ in similitudinem pruinæ, dicentibus filiis Israel : « Manhu, » 664
Cap. XVI. — Quod filii Israel tentati a Domino, in tribus rebus infideles reperti sunt. 666
Cap. XVII. — Quod non secundum quantitatem portionis corporis aut sanguinis Christi, alius plus, alius minus colligat de gratia Spiritus sancti. 666
Cap. XVIII. — De eo quod dictum : « Nullus relinquat ex eo usque mane, » et quod avari colligentes, in Deo spem suam non ponant. 667
Cap. XIX. — Quod Judæis de suis non gloriandum meritis, et quæ sit percussa petra, e qua emanavit aqua. 667
Cap. XX. — De pugna Amalech contra Israel prima ; quomodo Moyse orante superatus sit. 668
Cap. XXI. — De eo quod dictum est Moysi : « Scribe hoc in libro, » etc. 670
Cap. XXII. — Quod Moyses cognati sui consilia audi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

verit, juxta sententiam Salvatoris, « quia filii hujus sæculi prudentiores, » etc. 671

Cap. XXIII. — Quod Moyses Deo immolavit, in signum quod ab eo missus est. 672

Cap. XXIV. — Quomodo simul impleti sunt dies Pentecostes Judæorum, et dies Pentecostes apostolorum. 672

Cap. XXV. — De his quæ mystice gesta sunt juxta montem Sinai. 674

Cap. XXVI. — De eo quod dictum est : « Estote parati in diem crastinum, ne appropinquetis uxoribus vestris. » 675

Cap. XXVII. — Quid significet, quod sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium. 676

Cap. XXVIII. — De eo quod dictum est : « Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. » 676

Cap. XXIX. — Quomodo dictum sit : « Cum ceperit clangere buccina, tunc ascendant in montem, » cum supra contrarium dictum sit. 677

Cap. XXX. — Quid significet mons Sion juxta sententiam Apostoli. Et quid intelligendum sit per hoc, quod dictum est : « Bestia si tetigerit, montem, lapidibus opprimetur. » 678

Cap. XXXI. — Decalogus præceptorum, et cur dictum sit in fine : « Non concupisces, » cum omnium malorum radix sit, cupiditas; et de charitate. 679

Cap. XXXII. — Quod præceptorum quatuor pertinent ad dilectionem Dei, sex vero ad dilectionem proximi. 680

Cap. XXXIII. De eo quod dictum est : « Populus videbat voces et lampades, » etc. Quid altare de terra sine gradibus. 681

Cap. XXXIV. — Quod recte post præcepta judicia ponantur. 683

Cap. XXXV. — Quare de emptione Hebræorum prima judicia proponantur, et unde illis illa ingenuitas contigerit. 684

Cap. XXXVI. — De diverso supplicio ejus, qui hominem in insidiis occidit, et ejus qui occidit inimicum suum. 685

Cap. XXXVII. — « Si quis per industriam, » quod homicida ab altari evellendus, et morti tradendus sit. 685

Cap. XXXVIII. — Quod dictum est : « Ecce ego mittam angelum meum, » etc. 687

Cap. XXXIX. — Quomodo fecunditatem Ecclesiæ repromittit dicendo : « Non erit infecunda nec sterilis in terra tua. » 688

Cap. XL. — Quod sermonis Dei cum Moyse, exordium, medium, et finis, idem sit. 689

Cap. XLI. — Quoto die lex data sit, et quod altari ædificato ad radices montis, populus trina repetitione dixerit : « Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus. » 690

Cap. XLII. — De dedicatione testamenti, post ædificationem altaris in sanguine duodecim vitulorum. 691

Cap. XLIII. — Quod sanguis vitulorum sanguinem cœlestis hominis Christi significet. 692

Cap. XLIV. — De eo quod dictum est : « Ascende ad me et esto ibi. » Et de duabus tabulis lapideis, digito Dei scriptis. 693

Cap. XLV. —Quomodo Moyses durare potuerit sine cibo quadraginta diebus. 693

Cap. XLVI. — Quid sit quod Moyses præcepta capescens, egressus in medium nebulæ, montem ascendit, et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 696

LIBER IV.

Cap. I. — De tabernaculo Moysi, quod cœleste tabernaculum exemplar ejus fuerit. 697

Cap. II. — Cur Apostolus versa dictione tabernaculum Moysi exemplar dicat fuisse cœlestis tabernaculi. 697

Cap. III. — De primitiis quas Dominus ad constructionem tabernaculi jussit tolli. 699

Cap. IV. — Item de eisdem, et quod minora interdum majoribus chariora sint Deo pro intentione offerentis. 699

Cap. V. — De arca, quod incarnationis Dominicæ vel corporis ipsius mysterium fuerit, et qui sint vectes quibus debeat portari. 700

Cap. VI. — De propitiatorio, quod Dominicæ passionis signum fuerit, et quid mystice sint duo Cherubin, et cur dictum sit, inde præcipiam tibi. 702

Cap. VII. — De mensa, quod refectionem significaverit ejusdem corporis et sanguinis Domini, et de coronis ejus et circulis, vectibus, vasis quoque ac propositionis panibus. 705

Cap. VIII. — Quod gloriam Christi vel glorificatum Christum significaverit candelabrum, et calami et scyphi, ac septem sphærulæ ejus, septem quoque lucernæ ejus pondus quoque, et ipsa positio ejus. 705

Cap. IX. — De distinctione vel situ secundi tabernaculi. 707

Cap. X. — Quod tabernaculum typus Ecclesiæ fuerit, et lex cortinarum quis modus, et quid mysterii habeat. 708

Cap. XI. — De sagis cilicinis XI, easdem cortinas operientibus, et de pellibus arietum rubricatis, quid per hæc mystice intelligamus. 710

Cap. XII. — De tabulis tabernaculi stantibus, et connexione ac basibus illarum, et de vectibus eas continentibus, quid per hæc spiritualiter intelligatur. 711

Cap. XIII. — De tabernaculo, et velamento dividente inter primum et secundum, quod dicitur Sancta sanctorum, et quod situm ejus, vel ritum Apostolus dicat fuisse parabolam. 713

Cap. XIV. — Quid sit mystice tabernaculum secundum, et quid ejus structuræ significent. 714

Cap. XV. — De tabernaculo primo, quod præsentem significaverit Ecclesiam, et quid in eo mensa et candelabrum; quid quinque columnæ et quid quod ante illas dependet velum. 715

Cap. XVI. — De altari, quod extra positum, Judæorum temporale significaverit ministerium. 716

Cap. XVII. — Per atrium tabernaculi cum paxillis suis, columnas quoque cum basibus et capitibus eorum, mystice fidem vel vitam intelligi Patrum, qui ante legem fuerunt. 716

Cap. XVIII. — Quod introitus tabernaculi ab una tantum parte, id est, ab oriente fuerit, ipsius autem sanctæ Trinitatis, quam legimus in Apocalypsi a quatuor partibus trinæ portæ sint. 718

Cap. XIX. — Quod illa Dei civitas lucerna Scripturarum non egeat; et idcirco lucerna non intra, sed extra velum ardere jussa est. 717

Cap. XX. — De vestibus sacerdotalibus. 719

Cap. XXI. — Quatuor colores, hyacinthum, purpuram, coccum, et byssum, qualiter Hebræi interpretentur, et de textura superhumeralis, et rationalis. 719

Cap. XXII. — Quæ singulorum vestimentorum mystice ab Hebræis tradita sint. 720

Cap. XXIII. — De Pontifice magno Jesu Christo, et spirituali ejus indumento per Aaron vestes mystice intelligendo. 722

Cap. XXIV. — De vitulo quem fecerunt filii Israel, commutantes et ipsi veritatem Dei in mendacium. 725

Cap. XXV. — Quod non vane dixerit Deus : « Dimitte me ut irascatur furor meus, » etc., et quod nunc vere ita factum sit. 726

Cap. XXVI. — Confractio tabularum priorum, et vituli contriti, pulverem in aquam sparsum, et ad potandum exhibitum quid significet mystice. 727

Cap. XXVII. — De austeritate Moysi dicentis : « Ponat vir gladium super femur suum, » et pietate ejus, qua pro illis Deum oravit, quod utrobique prælatis imitandus sit. 728

Cap. XXVIII. — Contra eos, qui sedent super cathedram Moysi, et non sequuntur exemplum ejus. 729

Cap. XXIX. — De eo quod Moyses ait : « Aut dimitte, » etc. Et de eo quod Dominus dixit : « Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum. » 729

Cap. XXX. — Quod uno spiritu dictum sit ab isto : « Aut si non facis, dele me de libro, » et ab Apostolo : « Optabam et ipse anathema esse pro fratribus. » 730

Cap. XXXI. — Quod dixerit Deus : « Angelus meus præcedet te, » subjungens : « Non enim ascendam tecum. » 731

Cap. XXXII. — Quomodo non sit contrarium quod ait : « Non ascendam tecum, » et quod itidem subjungit : « Semel ascendam in medio tui » 732

Cap. XXXIII. — De eo quod ait : « Jam nunc depone ornatum tuum, » etc. Et quid mystice sit, quod Moyses tabernaculum, quod nunc tabernaculum fœderis vocavit, extra castra tetendit. 733

Cap. XXXIV. — De eo quod dictum est : « Stabantque et ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. » 734

Cap. XXXV. — Quod dictum est : « Loquebatur autem Dominus Moysi facie, » etc., et quod postmodum dicit : « Ostende mihi faciem tuam. » 735

Cap. XXXVI. — Quid sit mystice, quod Moyse revertente in castra, Josue non recedebat de tabernaculo. 736

Cap. XXXVII. — Quod placatus fuerit Dominus, ut non faceret malum, sed non in eo, ut esset Deus eorum, et ascenderet cum eis. 737

Cap. XXXVIII. — Quod Christi adventum Moyses suspi-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ret, dicendo : « Si tu non ipse præcedes, ne educas nos de loco isto. » 737
Cap. XXXIX. — Quod ait Dominus : « Novi te ex nomine, » et quid illud sit nomen, quo electorum quemque noverit. 737
Cap. XL. — Quod tria hæc diligenter discernenda sint : « Ego ostendam tibi omne bonum. — Non poteris videre faciem meam. — Ecce est locus apud me, et stabis supra petram. » 738
Cap. XLI. — De eo : « Præcide tibi, » etc. Et de sententia Pauli, dicentis : « Non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ de operibus mortuis. » 740
Cap. XLII. — De eo quod dictum est : « Dominator Dominus, » etc. Et quod respondens Dominus : « Ego, inquit, inibo pactum cunctis videntibus. » 741
Cap. XLIII. — De inscriptione tabularum secundarum. 742
Cap. XLIV. — Quod Moysi facies cornuta erat ex consortio sermonis Domini, et quod timentibus filiis Israel prope accedere, velamen posuit super faciem suam. 742

LIBER LEVITICUM I.

Cap. I. — Cur liber Leviticus docetur, et quod sacrificiorum ritus non necessarius pro tempore fuerit institutus. 743
Cap. II. Oblationum sive sacrificiorum ritus, quot modis, sive qualitatibus distinguatur. 745
Cap. III. — Quod omnia nonnisi de tribus generibus sumi jubeantur, de armento, de pecoribus, de volatilibus, et quid per hæc mystice. 746
Cap. IV. — Quod eorum omnium princeps unus sit Christus, a quo, vel in quo omne sacrificium perficiatur. 746
Cap. V. — De oblatione holocausti ex armento, et quid sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus qui vivit secundum Job. 747
Cap. VI. — De oblatione holocausti ex pecoribus, et quis sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus, qui vivit secundum Noe. 748
Cap. VII. — De oblatione holocausti ex volatilibus, et quid sit ritus ejus, et quod offerre mystice sit ejus, qui vivit secundum Danielem. 749
Cap. VIII. — De oblatione farris, et cur sit dictum : « Anima cum obtulerit, » et quod simila esse debeat ejus oblatio, et quis ritus ejus sit. 750
Cap. IX. — Quod oblatio similæ sartagine minutatim dividenda sit, oblatio vero de craticula non comminuenda, et utraque absque fermento oleo conspersa esse debeat, et quid hæc mystice innuant. 752
Cap. X. — Quod omnis oblatio, quæ offertur Domino absque fermento, et melle esse, et sale condiri debeat, et quid hæc mystice. 753
Cap. XI. — Quid sit mystice de spicis virentibus offerre, et quid sit igni eas torrere, oleumque ac thus superimponere. 754
Cap. XII. — De hostia pacificorum, quid ab oblatione holocausti differat et de mystico ritu ejus, et cur non de volatilibus fieri præcipiatur. 755
Cap. XIII. — De oblatione pro peccato, quid ab holocausto et hostia pacificorum differat. 756
Cap. XIV. — Quod Adam fuerit sacerdos ille juxta sensum mysticum de quo lex dicit : « Si sacerdos peccaverit, delinquere faciens populum; » et quod vitulus pro peccato ejus oblatus est Christus. 757
Cap. XV. — Quod reliquum sanguinem fundi ad basem altaris in introitu tabernaculi, sit baptizari gentes post passionem ejus in morte ejus. 759
Cap. XVI. — Quid sit pelle, carnibus, capite, pedibus, intestinis, et fimo extra castra crematis, et cineribus in locum mundum effusis, adipem vituli offerri pro peccato; et quod in sacrificio panis et vini, veritas carnis et sanguinis, et tota sit gratia verbi incarnati. 759
Cap. XVII. — De eo quod ait : « Quod si omnis turba Israel ignoraverit, » etc. Quod actualia peccata per illam multitudinis ignorantiam intelligenda sint, et quod illa quoque ut originale peccatum, deleantur per mysterium passionis Christi. 761
Cap. XVIII. — De peccato, quod post baptismum, admittitur, secundum legem dicentem : « Si peccaverit princeps, » etc. Et quis sit princeps, et quæ animo de populo terræ : Et de oblatione principis, id est, prælati. 762
Cap. XIX. — De peccato plebei, id est, subditi et de oblatione ejus, et de eo quod ait : « Si peccaverit per ignorantiam, » etc. 764
Cap. XX. — De eo quod sic dictum est : « Sin autem de pecoribus, juxta illud Evangelii Matth. XIX consilium : « Si vis perfectus esse, » etc. 765
Cap. XXI. — « Si peccaverit anima et audierit vocem jurantis, » etc. Juxta illud Apostoli intelligendum : « Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, » et quod immunditiæ tactus, sic peccati consensus. 766
Cap. XXII. — De eo quod ait : « Anima, quæ jurayerit, » etc. Et de eo quod juravit male facere, quod sive faciat sive non faciat, reus sit, et qualiter vel quid offerat qui juravit. 767
Cap. XXIII. — De eo qui duos turtures vel pullos columbæ offerre non prævalet, ut similam partem ephi decimam offerat quid significet mystice. 769
Cap. XXIV. — Quid sit in his quæ Domino sacrificata sunt, per errorem peccare, et quid sit arietem per hoc offerre emptum duobus siclis, damnum quoque restituisse cum adjectione quintæ partis. 770
Cap. XXV. — De eo quod ait : « Anima si peccaverit per ignorantiam, » et quod ignorantiæ diversus modus sit. 771
Cap. XXVI. — De eo quod ait : « Anima quæ contempto Domino depositum proximo negaverit. » 771
Cap. XXVII. — De eo quod ait : « Hæc est lex holocausti, » quod superdictorum quasi conclusio sit, et quod nostrum pro peccato sacrificium sit fides, hostia pacificorum spes, holocaustum charitas. 772
Cap. XXVIII. — Quod altare illud Christus, et ignis ille Spiritus Christi sit, de quo ait : « Cremabitur in altari tota nocte, » et quid hæc mystice. 773
Cap. XXIX. — De eodem igne qui « in altari, inquit, semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. » 774
Cap. XXX. — De lege sacrificii et libamentorum, quod comedendum absque fermento, id est, bene operandum sit absque vanæ gloriæ tumore ventoso. 775
Cap. XXXI. — De oblatione Aaron et filiorum ejus, quod puritas quæ in aliis quæritur per consilium, a sacerdotibus exigatur. 776
Cap. XXXII. — De lege hostiæ pro peccato, quæ comedenda sit in loco sancto, et quod vestis sanguine illius, respersa, lavanda sit in loco sancto. 777
Cap. XXXIII. — De sententia prophetica qua dictum est : « Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui nunquid sanctificabitur. » 778
Cap. XXXIV. — De eo quod ait : « Vas fictile, » etc., et quod non femina, sed masculus vesci debeat carnibus ejus, et quod pro peccato hostia non comedi, sed comburi debeat 779
Cap. XXXV. — De lege hostiæ pacificorum, qualiter in Ecclesia publicis stationibus celebretur. 780
Cap. XXXVI. — Qui sint tres dies, quorum in tertio carnibus hostiæ vesci licitum non est. 781
Cap. XXXVII. — Quid sit mystice, adipem bovis, ovis et capræ, non comedendum, et quid sit adipem morticini in usus varios habere. 783
Cap. XXXVIII. — Quid sit quod ait : « Qui offert victimam pacificorum, » et quid sit pectusculum et armum dextrum cædere in usus sacerdotum. 784
Cap. XXXIX. — De eo quod ait : « Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus religione perpetua, » subintelligendum esse, non ad velamen litteræ, sed secundum claritatem spiritualis intelligentiæ. 786

LIBER II.

Cap. I. — Cur ubi Moyses fratrem suum induit, de solis feminalibus lineis, quod primum erat indumentum nulla mentio sit. 787
Cap. II. — De oleo unctionis, quo Aaron unctus est, quod Spiritum sanctum significet, quo Christus unctus est. 787
Cap. III. — Quid significet, quod tabernaculum prius quidem quam Aaron, sed sine sanguine unctum est, et altare aspersum septies, et quid labrum æneum. 789
Cap. IV. — De mystica effusione olei super caput Aaron, et quid sit caput, quid barba, quid ora vestimenti, quo juxta Psalmistam unguentum descendit. 790
Cap. V. — Quomodo in Aaron vetus sacerdotium in figura novi sacerdotii Christi prius oleo, postea sanguine consecratum est. 791
Cap VI. — Quomodo octava consecrationis die, ignis egressus a Domino consumpsit holocaustum, in typum sancti Spiritus. 791
Cap. VII. — Quid in Nadab et Abiu qui offerentes ignem alienum Domino, mortui sunt, mystice præfiguretur. 792
Cap. VIII. — Cur filii Aaron vinum et omne quod inebriare poterat, bibere non debeant quando intrant tabernaculum, et id quid sit juxta sensum mysticum. 794
Cap. IX. — De hirco oblato, quem cum quæreret Moyses, exustum reperit, de quo Aaron : « Quomodo, inquit, potui comedere mente lugubri? » Quod Judaici sacrificii quale nunc est, typus fuerit. 795
Cap. X. — Quid sit mystice quod, post ignem datum,

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

lex de comedendis animalibus datur, et quid sit ungulam dividere et ruminare. 796
Cap. XI. — Quid sit pisces pennas habere, quid aves quadrupedes esse, quid reptile? 797
Cap. XII. — De animalium proprietatibus vel naturis, quæ lex nominatim immunda decernit haberi. 798
Cap. XIII. — Tangere, poriare, comedere morticinæ eorum, lavare vestimenta, etc., quid mystice. 799
Cap. XIV. — Quid sit mystice : « Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis edere, qui, » etc. 801
Cap. XV. — De muliere quæ, suscepto semine, conceperit, et de nostræ immunditiæ causa communi, quod non sit distinctio Judæi et Græci. 801
Cap. XVI. — De eadem re, et cur signanter dixerit, « susceptio semine, » et de emundatione ejus quæ masculum, et ejus quæ feminam peperierit. 802
Cap. XVII. — De lege leprosi, quod Deus pro mysterio hujus rei curam habuerit. 803
Cap. XVIII. — De sacerdotis circa lepram dijudicandum diligentia secundum Apostolum dicentem : « Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita. » 804
Cap. XIX. — Quid sit lepra mundissima teneri, et idcirco hominem mundissimum decerni secundum Apostoli sententiam dicentis : « Scripsi vobis in Epistola, non commisceri fornicariis. » 806
Cap. XX. — De lepra ejus, cui ulcus innatum est, ut ejus quem ignis exussit, id est, mystice de distantia hæresiarchæ et hæretici. 806
Cap. XXI. — De lepra capitis vel barbæ, et caute discernendum esse, utrum lepra an scabies, sive calvitium sit. 808
Cap. XXII. — De leproso separato, quid sit habere vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum se clamare ac sordidum. 808
Cap. XXIII. — De lepra vestium, et quod leprosa vestis sit comburenda, id est, scriptura hæretica penitus auferenda. 809
Cap. XXIV. — De emundatione leprosi, id est, hæretici, et quod mundare mandatum hoc sit reconciliare correctum, et quid sit duos offerre passeres. 811
Cap. XXV. — De mystica observatione leprosi qui mundatus est, deque cæremoniis suis et oblationibus. 812
Cap. XXVI. — De lepra domorum, cum nuntiata fuerit sacerdoti, qualiter consideretur, id est, hæresis quorumlibet in quoris ordine cohabitantium qualiter examinetur. 814
Cap. XXVII. — Quod si post septem dies invenerit crevisse, lepram jubeat erui lapides, id est, si post omnes admonitiones perseveraverit hæresis, expellet ejus auctores, et si nec ita profecerit, destruet totam domum hæreticam. 815
Cap. XXVIII. — De eo qui patitur fluxum seminis, id est, incontinentiam sermonis, et de ea quæ sanguine fluit, id est, quæ cuilibet fratri detrahit, et de mystica ejus oblatione si sanata fuerit. 816
Cap. XXIX. — Quod mulier vitio laborans fluentis menstrui, a sanctæ communionis prohiberi non debeat ingressu. 818
Cap. XXX. — De mysterio duorum hircorum, quod eorum alter Christi, alter antichristi typus sit. 818
Cap. XXXI. — Quod vivens hircus, qui emittitur, ipse sit antichristus. 819
Cap. XXXII. — Sententia legis de non comedendis morticinis, et cur Abraham uxorem habens sororem suam, contra legem hanc non fecerit dicentem : « Juxta consuetudinem Ægypti non facietis » 820
Cap. XXXIII. — De tribus solemnitatibus anni, quis sit mensis azymorum, quis primitivorum, quis congregatarum frugum. 821
Cap. XXXIV. — De ejusdem solemnitatibus, et de causis singularum. 822
Cap. XXXV. — Quod harum optimam magisque divinam causam habeat solemnitas Hebdomadarum, quæ Græce, dicitur πεντηκοστή, et quod septem hebdomadas altera die Sabbati lex numerari jussit. 825
Cap. XXXVI. — De eadem altera Sabbati, et quomodo Judæi, vel quare festivitates a die in diem transponere soliti sunt. 824
Cap. XXXVII. — Quod nostra Azymorum festivitas Christus sit, et nostra Pentecoste adventus Spiritus sancti, et nostra congregatarum frugum lætissima festivitas Natalis Domini. 826
Cap. XXXVIII. — De anno septimo terræ sabbato, et de Jubilæo, id est, remissionis anno, et cur Deus populo illi nihil aliud, sed tantum bona temporalia si obtemperent, polliceatur : mala temporalia, si non obtemperent, comminetur. 827
Cap. XXXIX. — Quod nos eadem terræ sabbata, non carnaliter, sed spiritualiter debeamus observare. 829
Cap. XL. — Quæ Sabbata nostra sint, et quæ terra nostra, de cujus Sabbatis Spiritui sancto cura sit. 829
Cap XLI. — Quis noster sit jubilæus, id est, dimittens annus. 830
Cap. XLII. — De eadem dimissione legitima, secundum legem domorum redimendarum, aliam quidem earum, quæ in urbibus muratis, atque aliam earum, quæ in agris sive in villis sunt, et de Levitarum ædibus. 831
Cap. XLIII. — De eo quod ait : « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, » quam sapienter oporteat humilem pœnitentium confessionem attendere. 832
Cap. XLIV. — De eo qui in te, id est, te sciente, peccaverit, qualiter veram circa illum disciplinam moderari debeas secundum quod ait : « Si invaluerit apud te manus advenæ, et peregrini. » 834
Cap. XLV. — De bonis quæ promittit Deus, deque malis quæ comminatur quasi carnalibus, quomodo a nobis spiritualiter recte intelligantur 835
Cap. XLVI. — De eo quod ait : « Homo qui votum fecerit, » etc., et quod gravissimum sit, non reddidisse quod voveris. 836

LIBER IN NUMERUM I.

Cap. I. — De eo quod dictum est in Apocalypsi : « Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus, » et quod hunc librum Numeri legentibus, recte amaricatio timoris in eo sit, quod numerati filii Israel prosternuntur. 837
Cap. II. — Nomina principum, tribuum, ac domorum, et interpretationes earum, et quod professionem significent in Christum credentium. 838
Cap. III. — De ordine exercituum, vel positione castrorum, quod illud significet, quod in Apocalypsi civitas ternarum dispositione portarum. 839
Cap. IV. — Quid mystice significet, quod Levitæ non sint numerati inter filios Israel. 840
Cap. V. — De dispositione familiarum Levitarum, circa tabernaculum, et quod ad orientem Moyse simul et Aaron sint castra metati. 841
Cap. VI. — De eo quod ait : « Tollesque Levitas pro primogenitis filiorum Israel, » et quod ante primogeniti fuerunt sacerdotes : et cur in unam Leviticam tribum sacerdotium delatum est. 842
Cap. VII. — De cultu filiorum Caath, et quid sit mystice quod ait, « ut portent involuta, ut non tangant vasa sanctuarii, ne moriantur. » 843
Cap. VIII. — Quod hujus præcepti prævaricatio sit, ubi ad sacri mysterii ordinem admittuntur indigni. 844
Cap. IX. — De eo quod præcepit, ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit, et qui pollutus est super mortuo. 844
Cap. X. — De viro cujus uxor erraverit, qualiter investigare debeat, et cujus res mysterium in Christo sit. 845
Cap. XI. — De lege Nazaræorum, et de eo, quod ait evangelista : « Ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. » 847
Cap. XII. — Quomodo iste Nazaræus, id est, sanctus Dominus Deus noster Jesus, spiritualiter legem Nazaræorum impleverit. 848
Cap. XIII. — De eodem, qui secundum mysticam legem significet, quod raso capite, pro eo qui coram illo ceciderit mortuus Judaicus populus, et irriti facti sunt præteriti dies ejus. 850
Cap. XIV. — De eodem Nazaræo Christo, quando implendi sunt dies quos ex voto decrevit. 851
Cap. XV. — Moraliter quid quod Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum incidunt. 851
Cap. XVI. — De eo quod ait : « Sic benedicetis filiis Israel, quod tertio dictum sit Dominus, quod est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » 852
Cap. XVII. — De erectione tabernaculi, et oblationibus principum, quod omnes æqualia obtulerunt. 853
Cap. XVIII. — Quod tunc Christus hunc legis locorum impleverit, quando XII sibi apostolos elegit, et quod tunc tabernaculum erectum et sanctificatum est, quando ille passus est, et resurrexit, et exinde duces, id est, apostoli munera fidei obtulerunt. 854
Cap. XIX. — De eo quod cum ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio ; et exemplum de Actibus apostolorum, quando Moyses ingressus sit, et in re auditum, et factum sit quod præfigurabatur illic. 856
Cap. XX. — De purificatione Levitarum, quid sit mystice, quod jubentur omnes pilos carnis suæ radere. 857
Cap. XXI. — De eisdem, et quid sit, quod filii Israel manus super Levitas, et Levitæ manus suas ponunt super

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

capita boum qui immolandi sunt. 858
Cap. XXII.— De eo quod Levitæ a XXV annis et supra ministrent, et quinquagesimo anno custodes vasorum fiant. 859
Cap. XXIII. — De eo quod ait : « Homo qui immundus fuerit super anima hominis sive in via procul, faciat Phase Domino mense secundo. » 859
Cap. XXIV. — De eo quod elevata nube proficiscebantur filii Israel, et quod in loco ubi stetisset, ibi castrametabantur. 860
Cap. XXV. — De duabus tubis ductilibus argenteis, et de distinctione clangoris, et cur duæ tantum fieri jussæ sint. 861
Cap. XXVI. — De eo quod ait : « Si semel clangueris, venient principes, » etc., quod secundum hæc prædicatio dispensanda sit. 862
Cap. XXVII. — De eo quod ait : « Si quando habebitis epulum, » etc., quod bene fiat, in Ecclesia Christi. 862
Cap. XXVIII. — De eo quod cum proficiscerentur filii Israel de deserto Sinai, ait Moyses socero suo : « Noli nos relinquere, veni nobiscum, et eris ductor noster. » 864
Cap. XXIX. — De eo quod, cum elevaretur arca, dicebat Moyses : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, » et de exaltatione Christi, secundum sensum psalmi sexagesimi septimi. 865
Cap. XXX. — De murmure populi, quod ortum est, et quod cucumeres, et pepones concupierint, et de manna, cujusmodi fuerit. 866
Cap. XXXI. — Quod eorum similes primum Judæi sint, deinde omnes quicunque in Ecclesia neglecto proposito, fastidiunt verbum Dei sive mysteria Christi. 867
Cap. XXXII. — De eo quod ait : « Congrega mihi septuaginta viros, » etc., et quomodo dixerit, « et auferam de spiritu tuo tradamque eis. » 868
Cap. XXXIII.—De eo quod locuta est Maria et Aaron contra Moysen, et quæ fabula conscripta sit de uxore Æthiopissa. 869
Cap. XXXIV. — De uxore ejus Æthiopissa, et qualiter Moyses pro eo quod vir mitissimus esset, defensorem sibi Deum magis tacendo constituerit, et de eo quod ait : « At non talis servus meus Moyses. » 870
Cap. XXXV. — Quod Moyses uxorem habens Æthiopissam, Christum habentem de gentibus Ecclesiam significat. Lepra vero et separatio Mariæ detrahentis, peccata Synagogæ Christum blasphemantis. 872
Cap. XXXVI. — De exploratoribus, qui terræ detraxerunt, et quod illa tentatio causa maxima fuerit, ut fere omnium, qui numerati fuerant, corpora in deserto prosternerentur. 875.
Cap. XXXVII. — Mystice quod nos qui Scripturas legimus, exploratores terræ sumus viventium, et quod botrus quem portaverunt in vecte duo viri, Christus sit, quem in Scripturis legunt duo populi. 874
Cap. XXXVIII. — Quod illi exploratores qui terræ detraxerunt, mystice hæretici sunt, maxime qui veram carnis resurrectionem non credunt. 875
Cap. XXXIX. — Dinumeratio decem tentationum, de quibus ait : « Et tentaverunt me jam per decem vices. » 877
Cap. XL. — De eo quod armati ascendunt filii Israel, remanente arca Domini, quod in hoc quoque hæreticorum typus fuerit. 878

LIBER II.

Cap. I. — De eo quod dictum est : « Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo. » 879
Cap. II. — De eo qui colligit ligna in die Sabbati, quod peccaverit per superbiam, et Core, et Dathan, atque Abiron, quod mortes illorum exempla sint, quod pereat anima, quæ per superbiam peccaverit. 880
Cap. III. — Quo jure dixit Moyses : « Ne respicias sacrificia eorum, » ac deinceps : « Num uno peccante contra omnes ira tua desæviet? » 881
Cap. IV. — Quale sit mysterium in eo, quod per virgam germinantem, cohibitum est superbiæ malum. 882
Cap. V. — De eo quod ait : « Tu et filii tui portabitis iniquitatem sanctuarii, » quod per hoc onus significetur sacerdotii Christi, quo super se tulit peccata mundi. 883
Cap. VI. — Mystice de expiando tactu cadaveris hominis, et de eo quod ait : « Si die tertio aspersus non fuerit, die septimo non poterit emundari. » 883
Cap. VII. — De tentatione et jurgio propter aquam, et de eo quod ait Moyses : « Num de petra hac poterimus aquam educere? » quod Judæorum et Pharisæorum typum gesserit in illa incredulitate. 885
Cap. VIII. — Quid mystice sit, qui post virgam florifieram, post aquam de petra productam, non sinit Israel per se transire. 886
Cap. IX. — De obitu Aaron, quod mystice sacerdotium Judæorum signaverit finem habiturum. 888
Cap. X. — Quod Chananæus rex Arad, qui pugnavit contra Israel, diabolum significet, et quod ut vinceret, voto se obligans Israel, prædicatorum devotionem significet. 888
Cap. XI. — De ignitis serpentibus, quos misit Dominus in populum, et de serpente æneo, quem exaltavit Moyses. 889
Cap. XII. — De Moab, quod interpretatur « ex Patre » quod per illum figurentur hæretici. 890
Cap. XIII. — De torrentibus Arnon, quod significent eloquentiam hæreticorum, et quomodo fiat in eis sicut factum est in mari Rubro, et de carmine Israël pro puteo. 891
Cap. XIV. — Quamobrem obsecraverint Zeon regem Amorrhæorum, ut liceret sibi transire per terram ejus, cum terram Chanaan possidere debuerit. 892
Cap. XV. — Quid spirituale designet, quod transiturus Jordanem Israel, jam circa Jordanem urbes ac vicules possideat. 894
Cap. XVI. — De cupiditate Balaam, et quod ipse fuerit, qui in libro Job Heliu dicitur. 894
Cap. XVII. — Quod eorum formam gesserit prælatorum, apud quos cuncta venalia sunt, unde et redargui possunt, sicut istum subjugale mutum animal redarguit. 895
Cap. XVIII. — Quomodo non sit mirandum, quod Dominus verbum in ore ejus posuit, et quid in prima parabolæ ejus prophetaverit. 896
Cap. XIX. — De qualitate elocutionis ejus, quod more adulterantium verbum Dei sui suaviter lenocinetur. 898
Cap. XX. — De eo quod ait : « Deus eduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, » etc., quæ secunda benedictione dixit. 899
Cap. XXI. — De his quæ tertia benedictione dixit, canens de semetipso. « Dixit homo cujus obturatus est oculus, » etc. Et quæ sit spiritualiter pulchritudo tabernaculorum Israel. 901
Cap. XXII. — Prophetia de Christo ab eo quod ait : « Fluet aqua de situla ejus, » et quod ait Cineo, « Assur enim capiet te. » 902
Cap. XXIII. — Quid intenderit, dicendo : « Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus faciat populo huic, » addiderit, « extremo tempore. » 904
Cap. XXIV. — De parabola qua ait : « Principium gentium Amalech, cujus extrema perdentur. » 905
Cap. XXV. — Prophetia ejus : « Venient in trieribus, de Italia superabunt Assyrios, » etc. 906
Cap. XXVI. — De eo quod populus Israel initiatus est Beelphegor, adorans deos filiorum Moab. 907
Cap. XXVII. — Quid hoc sibi vult, quod cum dixisset : « Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat, » addidit « extremo tempore. » 908
Cap. XXVIII. — Quod septem plagis consumpta sit omnis generatio illa, omnes qui numerati erant a viginti annis et supra. 908
Cap. XXIX. — De secunda numeratione filiorum Israel. 909
Cap. XXX. — De voto viri, et maritatæ mulieris, et ejus quæ adhuc est in ætate puellari. 910
Cap. XXXI. — De mansionibus filiorum Israel quadraginta duabus. 911
Cap. XXXII. — Brevis narratio eorum, quæ in ultima, id est, quadragesima secunda mansione gesta sint. 916

LIBER IN DEUTERONOMIUM I.

Cap. I. — De Deuteronomio, et cantico Deuteronomii, et quod quasi secundus et tertius testes sint. 917
Cap. II. — Quod in initio libri hujus, decem tentationes obscurius numerentur. 917
Cap. III. — Quod ipse modus elocutionis, in hoc libro studiosa intentione auditorem provocet ad dilectionem. 919
Cap. IV. — De eo quod ait : « Prophetam de gente tua, » etc. Et quid secundum hunc locum Dominus Deus de semetipso locutus sit. 919
Cap. V. — De separatione urbium fugitivorum, et quid spiritualiter sit mors sacerdotis. 921
Cap. VI. — De sepeliendo corpore ejus, qui appensus fuerit patibulo, et quod ait : « Maledictus a Deo est qui pendet in ligno. » 922
Cap. VII. — Quid sit invenire hominis cadaver in terra, cujus cædis reus ignoratur, et quid sit viciniorem civi

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

tatem perspicere, et illic cervices vitulæ cædere, et manus lavare. 924

Cap. VIII. — Quid sit spiritualiter, obsessa civitate non arbores fructiferas succidere, sed de lignis agrestibus machinas instruere; et quid sit obsessæ civitati primum pacem offerre. 926

Cap. IX. — De muliere pulchra in bello capta, et adamata, qualiter eam ducere uxorem liceat, et quid mystice significet. 928

Cap. X. — De homine duas uxores habente, quod non possit filium dilectæ primogenitum facere, qualiter Christus Synagogam, et de gentibus habens Ecclesiam, hoc debeat adimplere. 929

Cap. XI. — De filio contumaci in judicium producendo, quod non fecit Heli, quomodo Patres spirituales in Ecclesia id agere debeant. 930

Cap. XII. — Quid sit spiritualiter, bovem aut orem vel asinum fratris, etiamsi propinquus non sit, reducere, aut sublevare, vel qualiter Christus hoc perficiat. 931

Cap. XIII. — Quid sit spiritualiter, mulierem virili, aut virum muliebri veste indui non debere. 932

Cap. XIV. — Qualiter Christus, ambulans per viam hujus vitæ, in arbore, vel in terra nidum avis invenerit, et pullos tenuerit, et matrem abire permiserit. 933

Cap. XV. — Mystice de eadem re, qualiter Christus fecerit, vel qualiter nos faciemus, tenendo mysticos sensus, dimittendo litteram legis. 934

Cap. XVI. — Quid sit mystice, novam domum ædificare, et murum per tecti circuitum facere. 935

Cap. XVII. — Quid sit spiritualiter vineam non seri altero semine, et quid sit secundum litteram, vel secundum spiritum, sementem et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificari. 936

Cap. XVIII. — Quid sit, non arare in bove simul et asino : et quid non vestiri vestimento ex lino et lana, et quid sit facere funiculos in fimbriis. 936

Cap. XIX. — De viro, qui uxorem acceptam odio habens, dicit : « Non inveni eam virginem, » et parentibus signa virginitatis afferentibus vapulat, eamque habere compellitur, qualiter in Christo factum intelligatur. 937

Cap. XX. — « Si dormierit vir cum uxore alterius, utrique moriantur, » et quæ sit distantia ejus in agro, et ejus quæ in civitate reperta est, et quod adulter diabolus, puella vero quam oppressit in agro, Synagoga fuerit in Ægypto. 939

Cap. XXI. — De eo quod ait : « Utrique moriantur » subaudiendum esse, si cum consensu mulieris dormierit cum ea vir. 940

Cap. XXII. — De eo quod eunuchus non intrabit Ecclesiam Domini, quot sint eunuchorum species, et qualis eunuchus non ingrediatur in Ecclesiam Domini. 941

Cap. XXIII. — « Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, » qualicunque discretione observandum sit. 942

Cap. XXIV. — Quo sensu mystice intelligendum sit quod ait : « Fodies per circuitum et egesta humo operies. » 943

Cap. XXV. — Quomodo Christus faciat hoc quod ait : « Ne tradas servum Domino, qui ad te confugerit, » id est, eum qui ad se conversus fuerit non relinquat diabolo, et quomodo hoc observare debeat Ecclesia. 944

Cap. XXVI. — Quid sit spiritualiter ingresso vineam proximi uvas intus comedere. Foris autem non efferre. 945

Cap. XXVII. — Quid sit de segete spicas frangere, et manu conterere, falce autem non metere. 945

Cap. XXVIII. — Quod homo si acceperit uxorem, et eam oderit, permittitur ei dare libellum repudii, qualiter et in singulis nostrum debeat intelligi, et qualiter Christus Synagogæ id fecerit. 946

Cap. XXIX. — Quid sit, loco pignoris inferiorem et superiorem molam non debere accipi. 947

Cap. XXX. — Quid sibi velit, quod præmissa sententia in eum, qui fratrem suum vendiderit, plagam lepræ cavendam esse, mox subjunxit, et quod ille quoque fratrem suum vendat, qui venale habet Evangelium Christi, ac proinde leprosus sit, ut Gyesi. 947

Cap. XXXI. — Eum qui repetit rem aliquam a proximo, non debere domum ejus ingredi, id est, neminem debere curiosum vel suspiciosum esse erga conscientiam peccatoris. 948

Cap. XXXII. — Quod illa non videantur contraria, quod dictum est, non occidentur patres pro filiis, et « qui reddis iniquitatem patrum in filiis, ac nepotibus. » 949

Cap. XXXIII. — Non esse recolligenda ea, quæ in messe post tergum relicta sunt, id est, non semper vel omnia debere abscondi bona opera ab oculis hominum. 950

Cap. XXXIV. — Quare in corripiendo homine quantitas plagarum quadragenarium non debeat excedere numerum, et de quadragenario jejunio Domini. 951

Cap. XXXV. — « Non alligabis os bovis triturantis. » 952

Cap. XXXVI. — De eo quod ait : « Uxorem defuncti accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratris sui. » Et de Ruth Moabitide, qua genitus est Obed pater Isai, patris David. 952

Cap. XXXVII. — Quod mystice vir defunctus Christus sit, et frater ejus qui prævalet regere Ecclesiam Dei, suscitare debeat semen ejus. 955

Cap. XXXVIII. — « Si habuerint inter se jurgium viri, » etc. Et cujus rei mysterium sit in Christo et Satanæ synagoga, et quomodo manus synagogæ nunc abscissa sit. 955

Cap. XXXIX. — « Non habebis in sacculo diversa pondera. » Et quod spiritualiter apud se hæc habeat hæreticus. 954

Cap. XL. — De eo quod ait : « Memento quæ fecerit tibi Amalech, et delebis nomen ejus sub cœlo » et quod nobis spiritualiter diabolus sit Amalech. 955

LIBER II.

Cap. I. — De eo quod ait : « Cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, » etc. Quomodo spiritualiter ad nos pertineat. 957

Cap. II. — « Syros persequebatur, » etc. Qualiter et nobis confessione, et oblatione sit dicendum : « Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum. » 957

Cap. III. — De eo quod ait : « Decimam frugum tuarum dabis Levitæ, et advenæ anno tertio, » et quid sit dicere : « Non comedi ex eis in luctu meo. » 958

Cap. IV. — De eo quod ait : « Et ædificabis altare Domino de lapidibus, quos ferrum non tetigit. » 960

Cap. V. — De eo quod ait : « Hi stabunt ad benedicendum, et e regione isti stabunt ad maledicendum, » quid in hoc futurum significetur. 960

Cap. VI. — Quod sequentes maledictiones, numero triginta, propriæ sint Judæorum, et quod juxta causam eamdem in psalmo centesimo octavo sint maledictiones totidem. 962

Cap. VII. — De Cantico Moysi : « Audite, cœli, quæ loquor. » 962

Cap. VIII. — De eo quod benedixit filiis Israel iste Moyses legislator, et tamen futuro tempore Psalmista dixerit : « Etenim benedictionem dabit legislator, quid oporteat intelligi de Christo. » 981

Cap. IX. — Quid sit tam secundum litteram, quam secundum sensum spiritualem : « Dominus de Sina venit, et de Seyr ortus est nobis, » etc. 981

Cap. X. — In dextra illius ignea lex, quid sit mystice. 982

Cap. XI. — De benedictione Ruben, quod illi assimilentur, qui de hæresi ad catholicam Ecclesiam revertantur. 983

Cap. XII. — De benedictione Judæ, et quid in isto mystice post intelligatur. 983

Cap. XIII. De benedictione Levi, et unde benedictionem meruit, et quomodo illum imitentur sacerdotes evangelici. 984

Cap. XIV. — De benedictione Benjamin, cur istum ponat post Judam et Levi, et quod maxime in Paulo apostolo hæc ejus benedictio completa sit. 986

Cap. XV. — De benedictione Joseph, quod Juda, et in isto Christus Dei Filius benedicitur. 987

Cap. XVI. — De benedictione Zabulon et Issachar, quod in ipsis apostoli Christi benedicantur. 990

Cap. XVII. — De benedictione Gad, quomodo nomen ejus, quod interpretatur « accinctus » tam secundum historicum, quam secundum spiritualem sensum conveniat. 991

Cap. XVIII. — De benedictione Dan, quod in illo secundum historiam Samson, qui futurus erat de tribu ejus; mystice autem Christus, cujus ille typum gesserit benedicatur. 995

Cap. XIX — De benedictione Nephthalim, et quod dictum est : « Mane et meridie possidebit » ad doctrinam pertinere Salvatoris. 995

Cap. XX. — De benedictione Aser, quod in eo secundum nomen ejus, quod interpretatur « beatus, » omnes sancti Dei, qui vere beati sunt, benedicantur. 994

Cap. XXI. — De universali benedictione totius populi Dei, sub nomine Israel et Jacob. 996

Cap. XXII. — De morte Moysi, quod sine dubio mortuus sit, sicut mortuus est Aaron frater ejus, et de Josue successore ejus. 998

Cap. XXIII. — Quod vere dixerit Dominus Judæis :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Si crederitis Moysi, crederitis forsitan et mihi. » 999

LIBER IN JOSUE

CAP. I. — Quod Josue jam octavum sit speculum Christi, septem figuris in Pentateucho præsignati. 999
CAP. II. — Quid tertio Dominus locutus sit Josue. 1001
CAP. III. — Quod prima locutione jussu Domini, Moyses manus super caput ejus posuerit, et Dei Filius prima locutione Patris mittentis sub lege factus est. 1001
CAP. IV. — Quod secunda locutione, « Confortare, » etc., ad Christum autem dictum sit : « Tu es, » etc. 1002
CAP. V. — Quod tertia locutio ad Josue : « Surge et transi Jordanem istum, » ad Christum autem : « Exsurge gloria mea, exsurge psalterium. » 1003
CAP. VI. — Quomodo Moyses, servus Domini, vere Judæis mortuus sit, et quid Christo Jordanem transire, et de finibus vel distributione terræ promissionis. 1004
CAP. VII. — « Sicut fui cum Moyse, » etc., id ad Christum dici, fiet per te quidquid in Moyse est præfiguratum. 1005
CAP. VIII. — Quando vel quomodo præcipit Christus principibus populi, id est apostolis, dicens : « Transite per medium castrorum, » et quid sit transire Jordanem post diem tertium. 1006
CAP. IX. — Quinam siat Rubenitæ, et Gaditæ, quibus præcipiat Salvator : « Vos autem transite, » etc. 1007
CAP. X. — Quod Josue miserit exploratores, cum virtute Dei certus esset, et quid per illos, quid per meretricem, quæ suscepit eos, præfiguratum sit. 1008
CAP. XI. — De mendacio quo tamen illa justificata est, et quod rex Jericho diabolum, et il quos ille misit ad Raab, persecutores præsignaverint Christianorum, et quod Christianis in persecutione fugere licitum. 1009
CAP. XII. — De fide Raab, id est Ecclesiæ, secundum mysterium, et de domo ejus, et quid sit signum coccineum ejus, et quid omnis cognatio ejus. 1010
CAP. XIII. — Quomodo juxta historiam comprobatum sit, quod dictum est, « sicut fui cum Moyse, sic ero tecum, » quid sit mystice, quod aquæ Jordanis inferiores descenderunt, et superiores steterunt. 1012
CAP. XIV. — De duodecim lapidibus, a Jordanis alveo sublatis, aliisque totidem in medio Jordanis positis, quod prophetarum, et apostolorum typus fuerit. 1013
CAP. XV. — De causa circumcisionis, et quid impedire potuerit, ut per quadraginta annos itineris populus qui natus est, circumcisus non fuerit. 1014
CAP. XVI. — Quod spiritualiter nobis secunda circumcisio futura sit resurrectio carnis. Prima fiat in baptismo Christi, et quod cultor lapideus Christus sit 1015
CAP. XVII. — Quod filiis Israel terram promissionis ingressis, manna defecit, quid mystice significet. 1016
CAP. XVIII. — Quod qui Moysi in igne, ipse gladium tenens Josue apparuit, quid mystice significet. 1017
CAP. XIX. — Quid sit mystice clausam Jericho, singulis diebus, semel, septimo autem die circuire septies, et quod illa civitas tubis concrepantibus corruit. 1018
CAP. XX. — Quod Josue contemplatione judicii divini orbem anathematizaverit, et eum maledixerit, qui muros ejus restitueret. 1019
CAP. XXI. — Quod in vindicta quæ facta est in Israel propter anathema quod furatus est Achar, exemplum sancitum sit contra avaritiam. 1020
CAP. XXII. — Quare Domini sententia fuerit, ut cuncti reges contra Israel pugnarent, et pugnando caderent, et quod illa cædes, et sole stante prolongata dies, longum judicii diem significet. 1021
CAP. XXIII. — Pro eo quod ejectis gentibus, Josue terram in funiculo distributionis sorte divisit, id significari, quod mansiones in domo Patris, gratia Dei distribuuntur, et non ex meritis. 1022

LIBER JUDICUM.

CAP. I. — Quod duodecim sint judices usque ad Samuel, unde et liber Judicum dictus est. 1025
CAP. II. — De Othoniel, et uxore ejus Axa filia Caleph; quid sedens in asino et suspirans allegorice significet. 1024
CAP. III. — De eadem re moraliter, quæ sententia B. Gregorii est. 1025
CAP. IV. — De Barach et prophetissa Debora uxore ejus, et quod idem sit Lapidoth. 1026
CAP. V — Cantici illorum tractatus ex B. Hieronymo litteraliter. 1027
CAP. VI. — Quod mystice Sisara diabolum, Debora legem, Barach vero qui interpretatur *fulmen*, fortes legis viros significet, qui illa legitime utentes, fortiter diabolum percusserunt. 1031
CAP. VII. — De Jahel uxore Aber Cynei, qualiter Sisaram interfecerit, et quod Ecclesiæ de gentibus typum gesserit. 1033
CAP. VIII. — De Cantico Deboræ et Barach, a qualibus recte secundum sensum mysticum in Ecclesia Christi sit canendum. 1034
CAP. IX. — Moraliter de eo, quod Gedeon cum a paleis frumenta excuteret angelum vidit, ad cujus imperium hædum coxit. 1035
CAP. X. — De gemino signo velleris, quale in utroque futurorum præsagium fuerit. 1036
CAP. XI. — De mystica ejus pugna, trecentis viris probatis contra Madian. 1037
CAP. XII. — De Jephte Galaadite, quod Abraham quidem in exemplum Deo parendi, hic autem in exemplum nobis sit, temeraria vota cavendi, et qualis super illo Joannis Chrysostomi homilia sit. 1040
CAP. XIII. — De gestis Samson fortissimi, quod manifeste fuerint opera virtutis Dei, et idcirco recte in illis quærerentur mysteria Dei. 1041
CAP. XIV. — De eo quod Nazaræus fore prænuntiatus est, et de injuncta matri continentia, quod sensu ad Christum et Virginem ejus matrem aspiciat. 1042
CAP. XV. — Quod nomine ipso Christum figuraverit Samson, qui catulum leonis manibus in frusta discerpsit, et favum mellis ex ore ejus sumptum, comedebat in via; et problemata ejus, et uxor alteri tradita, quarum rerum Christi fuerint signa. 1043
CAP. XVI. — Quod illum afferentem hædum de capris, et volentem cubiculum introire, prohibuit pater puellæ, et idcirco iratus, « Faciam, » inquit, « vobis mala, » quid mysterii in Christo contineat. 1044
CAP. XVII. — Quid in eo mysticum sit, quod trecentas vulpes cepit, et caudas earum ad faces ligavit in medio, et dimisit ut irent in segetes Philistinorum, qui tam mulierem quam patrem ejus combusserunt. 1045
CAP. XVIII. — Quomodo percusserit Philistæos, ut stupentes suram femori imponerent; et quale usque hodie, secundum hæc sit opprobrium Judæorum. 1046
CAP. XIX. — De asini mandibula qua mille viros percussit; et quod ita Christus per contemptibilia et infirma fortia quæque confundat. 1047
CAP. XX. — Quod aperuit Dominus molarem dentem asini, et egressæ sunt aquæ, cujus rei mysterium sit. 1049
CAP. XXI. — Quod obsessus hostibus media nocte surrexit, portas tulit, et cum eis verticem montis ascendit. 1049
CAP. XXII. — Quod Dalila quæ Samson rasit, Synagogam significet, quæ Christum blasphemavit, et in Calvariæ loco crucifixit; et quid sit mystice Samson, id est Christum, ligari, etc. 1050
CAP. XXIII. — Quando dixerit Christus, quia Nazaræus sum, et quomodo raso capite infirmus, sicut cæteri homines effectus sit, quomodo vel quibus defecerit. 1051
CAP. XXIV. — Quomodo vel a quo tonsore rasum fuerit caput hujus Nazaræi, id est Christi, et de eo quod Philistiim in carcere Samson molere fecerunt, erutis oculis, omni Christiano hoc exemplum cavendum 1052
CAP. XXV. — Quid sit mystice Nazaræi nostri, id est, Christi capillos renasci corpisse, et quomodo multo plures interfecit moriens, quam vivens occiderat, et quam domum, et quibus discussis columnis dejecerat. 1053
CAP. XXVI. — De historia, qua tribus Dan tulisse idolum Michæ, et viri stirpis Benjamin narrantur mulierem incredibili libidinis furore vexando interfecisse, quod Israelitas duplicis fornicationis crimine infamet. 1055
CAP. XXVII. — Quod Christum regem qui venturus erat, Scriptura sancta suspiret, toties dicendo : « In diebus illis non erat rex in Israel. » 1056
CAP. XXVIII. — De Ruth Moabitide, quod per illam alienigenam generatio Christi quodammodo recuperata sit, et quod illa fuerit « petra deserti, » de qua Isaias : « Emitte (inquit) agnum dominatorem terræ de patre deserti. » 1057
CAP. XXIX. — De Elimelech et uxore ejus, et duobus filiis, quid vel quomodo de his in Paralipomenon scriptum sit. 1058

LIBER REGUM I.

CAP. I. — Quod quartæ ætatis mundi David fuerit initium. Et quomodo hæc ætas respondeat quartæ diei primorum dierum sæculi. 1059
CAP. II. — Quod libri I et II Regum apud Hebræos Samuel vocentur, et quod regnum Saul, regnum peccati, David autem regnum Christi significarit, 1060
CAP. III. — De Elcana et uxoribus ejus Anna et Fennena, de oratione Annæ, de ortu Samuel. 1061
CAP. IV. — Quod Anna Canticum cantans quæ sterilis fuit, idem secundum Apostolum quod Sara, et Fennena

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

idem significet quod Agar. 1062
Cap. V. — Tractatus Cantici ejus, in quo mysteria Christi, et Ecclesiæ magnifice prophetizans, in Domino gloriatur, et Synagogæ superbiam sub typo ejus quæ multos filios habebat, detestatur. 1063
Cap. VI. — Quomodo peccabant filii Heli, et quod peccantibus sacerdotibus viris, puer Samuel ministrabat ante Dominum, et quam legem prævaricatus sit Heli nimis molliter et tenere submonendo filios suos et dicendo : « Nolite, filii mei. » 1070
Cap. VII. — De viro Dei qui venit ad Heli, quæ et qualia prædixerit ei, et de sermone Domini ad Samuelem super Heli. 1072
Cap. VIII. — De eo quod dictum est : « Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum ; » quod Heli vetus sacerdotium, et duo filii ejus, ejusdem temporis duo pontifices, Annam et Caypham significent. 1073
Cap. IX. — Quod vir Dei ad Heli locutus est, mystice sit universus prophetarum chorus, qui acerba occursione veteris sacerdotii proterit confidentiam. 1074
Cap. X. — Quod dies isti jam venerunt sacerdotio Judæorum, de quibus dictum est : « Ecce dies venient, et præcidam brachium tuum, » sacerdotio Judæorum tristes et amari, sacerdotio autem Christi Ecclesiæ læti et jucundi. 1075
Cap. XI. — Quod puer Samuel alius testis contra sacerdotem accessit, et quod dictum est : « Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. » 1077
Cap. XII. — Quid sit mystice, quod puer Samuel dormiebat, et sermo Domini erat pretiosus, id est rarus, et quando venerit Dominus mystice, et Samuelem nescientem tertio, quarto autem scientem vocaverit. 1078
Cap. XIII. — De pugna male gesta contra Philistiim, et de vana levitate qua dixerunt : « Afferamus ad nos arcam Domini sedentis super cherubim, » et quid significaverit lapis adjutorii. 1081
Cap. XIV. — Quid significet mystice, quod ab eisdem arca Dei capta sit, a quibus vinctus est Israel, et quod cecidit Dagon truncatus coram arca Domini, et quod percusserit illos Dominus in posteriora. 1081
Cap. XV. — Quod vaccæ arcam Domini portantes, prædicatores significent fideles in Ecclesia, qui in directum procedunt non declinantes ad dexteram neque ad sinistram. 1083
Cap. XVI. — Quid significet quod Bethsamitæ videntes arcam Domini, gavisi sunt, et quod vaccæ in holocaustum cæsæ sunt, et quod viri Bethsamitæ percussi, eo quod vidissent arcam Domini. 1083
Cap. XVII. — De translatione arcæ Domini, quod nusquam legatur reducta in Sylo, per quod Synagoga mystice intelligitur, et quod manserit in Cariathiarim, quo nomine significator Ecclesia gentium. 1085
Cap. XVIII. — In quo peccaverunt postulantes regem, cum lex data non prohibuerit eos constituere regem, sed alterius gentis hominem. 1086
Cap. XIX. — De Saul, quomodo regnare cœperit, et quod sic innocens videbatur, tanquam filius unius anni, et quod in eadem innocentia annis 2 regnaverit. 1087
Cap. XX. — De superbia Saulis, cujus indicia fuerint peccata maxima, alterum quo sacrificium obtulit, alterum quo Amalech percutere, et delere jussus, obedire contempsit, insuper et peccatum suum defendit. 1088
Cap. XXI. — Quod eo ipso, quod dæmoniacus erat, regnum peccati in illo figuratum sit, in David autem nomine et factis regnum Christi. 1090
Cap. XXII. — De electione David, quam pura ab humano favore fuerit, et quod sicut Samuel personam David non noverat, ita Joannes Christum nesciebat. 1091
Cap. XXIII. — Quod unctus sit David, non ut Saul lenticula, sed pleno cornu olei, quid mystice significet, et quod a die illa directus est in eum spiritus Domini. 1091
Cap. XXIV. — Quod tertio unctus sit idem David, et hoc ipsum in typum Domini, et Filii sui Christi. 1092
Cap. XXV. — De prima ejus unctione clam facta in domo patris sui, et de vitulo, quem ut Saul falleret, adduxit Samuel jussu Domini, quod ita diabolus incarnatione Christi falsus sit. 1093
Cap. XXVI. — De eodem David, quod parvulus erat, et oves pascebat, et rufus, ac decora facie, quod in his omnibus Christum figurarit. 1094
Cap. XXVII. — De eodem quomodo electus et unctus sit absque omni humano favore, in typum ejusdem Christi dicentis : « Non vos me elegistis, » etc. 1094
Cap. XXVIII. — De mystica compositione psalterii decachordi, et quod interea spiritus nequam exagitabat Saul, et quod in his omnibus Ecclesia Christi et insania figuretur inimici ejus Judaici populi. 1095

LIBER II.

Cap. I. — Quomodo et bonorum quæ fecit, et malorum quæ pertulit Christus Filius Dei, præcesserunt signa in David. 1097
Cap. II. — Quid mystice significet quod psallente David refocillabatur Saul ; et quod eodem percutiente, corruit Philistæus. 1098
Cap. III. — De exprobratione Philistæi, et quod non erat quisquam ante adventum Christi, qui posset percutere Philistæum, id est, diabolum foras mittere. 1099
Cap. IV. — Quod Golias de Orpha, hic autem processisset ex Ruth, altera nora Noemi, et quomodo alias septem, alias octo legantur fuisse filii Isai ; et quod item a patre missus sit David in typum Christi. 1100
Cap. V. — Quid sit mystice quod cum armis pugnare vel incedere non potuerit David, sed quod ea saltem attentavit ; et quid baculus David : quid quinque lapides : et quid unus lapis in quo percussit. 1101
Cap. VI. — De victoria Christi, et quomodo vel quæ mulieres cantent : « Percussit Saul mille, » etc. 1102
Cap. VII. — Quod toties Philistiim David vincat, quoties Catholicus hæreticum superat, et de Saulis insania, quod lancea David configere parieti nitebatur. 1103
Cap. VIII. — Quod septem persecutiones passus sit David ; quo numero capitum draconis rufi in Apocalypsi significantur omnes persecutiones diaboli contra Christum et Ecclesiam ; et quod in persona sua totidem vicibus a Judæis tentatus sit Christus. 1104
Cap. IX. — Quod secundum hunc numerum persecutionum suarum septem psalmos cecinerit David sicut ex titulo ipsorum potest agnosci, cum mysterio passionis et tentationum Christi. 1106
Cap. X. — Quomodo singulas pene persecutiones comes gloria secuta sit in typum ejusdem Christi, qui cuncta quæ ut passibilis homo pertulit, impassibili divinitate superavit. 1107
Cap. XI. — Quomodo David propter persecutiones latitanti fortes viri sese adjunxerint, quos postea principes ac duces constituit : et quod ita Christo in infirmitate carnis latenti suos Spiritus judices sæculi futuros apostolos adduxit, secundum numerum principum. 1110
Cap. XII. — Quid mysterii in eo sit, quod David inter persecutiones unam quidem uxorem Michol filiam Saul amisit, sed duas acquisivit Abigail et Achinoen. 1112
Cap. XIII. — Qualiter Abigail eumdem David ne se manu sua ulcisceretur prævenerit, et quid mystice munera ejus, quibus placavit David, significent. 1113
Cap. XIV. — De imitabili exemplo ejus, quo Nabal ebrio culpam suam laudabiliter tacuit, quam digesto vino reverenter dixit. 1114
Cap. XV. — Qualiter vel quibus David sit imitandus in eo quod percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. 1114
Cap. XVI. — Quid mystice per puerum Ægyptium intelligitur, quo duce David inimicos suos Amalechitas persequens comprehendit. 1115
Cap. XVII. — Quod Saul spiritum pythonis consuluit, et quod non tam Samuel, quam spiritus malignus apparuisse credendus sit. 1115
Cap. XVIII. — Quomodo vel quam ob causam bene contigerit David, ut ruituro Saul cum populo suo, ipsi bello interesse non est permissum, et quod sicut planxit David fortes qui ceciderant, ita Christus gentem suam humano flevit affecto. 1116
Cap. XIX. — De morte Saul et filiorum ejus, et quod Amalechitem, qui nuntiavit mortem ejus, dicant Hebræi fuisse filium Doech. 1117
Cap. XX. — De mira innocentia David qua mortuum Saul planxit, et de arcu quem filii Israel per hujusmodi planctum discere debuerint. 1118
Cap. XXI. — Quomodo vel quale lamentum Christi ille planctus David significet super gente sua Judaica, et qualem nos arcum idem planctus spiritualiter intellectus docere debeat. 1120
Cap. XXII. — De oraculo, quo David in Hebron ascendere jubetur, et quid mysticum in Christo significet ille ascensus ejus. 1122
Cap. XXIII. — De Abner, qui prius adversarius David, postea transtulit regnum ad David, quod in illo forma quædam sit apostoli Pauli de eadem tribu Benjamin. Et quid significet ludus ille, in quo pueris ex utraque parte simul canentibus, idem Abner velocissimum Asahel aversa hasta percussit in inguine. 1123
Cap. XXIV. — De morte Isboseth filii Saul, et quid per eam mystice intelligatur. 1124
Cap. XXV. — De adductione arcæ Domini, et quod illud tripodium David, prophetæ et regis, salientis, de magna humilitate et sapientia processerit. 1125

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XXVI. — Quod illa deductio arcæ Domini gloriam resurrectionis Christi figurarit, et quod illa decantatio citharizantium sonum et verba significaverit prædicatorum, quæ in omnem terram exierunt. 1126

Cap. XXVII. — Quid sit plaustrum novum, et quæ sit domus Abinadab, et quid despectio Michol filiæ Saul prospicientis per fenestram. 1126

Cap. XXVIII. — Quod Dominus percussit Oram, eo quod tetigit arcam Domini, exemplum esse quod non debeat vita prælatorum a subditis temere reprehendi. 1127

Cap. XXIX. — Laudabilem esse devotionem David, qua domum Domino ædificare voluit, et quod nemo dignam Domino domum ædificarit, nisi solus Christus. 1128

Cap. XXX. — Quod ait : « Cumque impleti fuerint dies tui, » etc., Ecclesiam promissam esse Christo secundum carnem, et super illo psalmum illum esse : « Misericordias Domini in æternum cantabo. » 1129

Cap. XXXI. — De eadem promissione, et quod non antea David promissionem accepisset quod de semine ejus Christus nasciturus esset. 1130

Cap. XXXII. — Quid velit dicendo : « Ista est lex Adam. » 1131

Cap. XXXIII. — De consolationibus ejus, quod qui septies fugerat Saul, septies triumphavit de hostibus, insuper sciens quod Christi pater futurus esset. 1133

Cap. XXXIV. — Quale mysterium sit in lapsu ejus in uxorem Uriæ. 1135

Cap. XXXV. — Quod pro facto ipso pœnam recipit, fugiendo a facie Absalon filii sui; quod in ipsa fuga, grande mysterium Christi sit. 1135

Cap. XXXVI. — Quod Goliath fratrem Goliæ interfecit, et de reliquis fratribus qui ceciderunt in manus servorum, et cur David Adeodatus, filius Saltus, cur Polymitarius, cur Bethleemites, appelletur. 1136

Cap. XXXVII. — Qui tres fortes primi, et qui tres fortes secundarii, et qui triginta fortes fuerint, et quare Joab, neque inter tres, neque inter triginta saltem numeratus sit. 1137

Cap. XXXVIII. — Quomodo mystice sedens in cathedra sapientissimus Dominus Jesus Christus, et qui fortes ejus primi, et qui secundarii, qui triginta fortes sint, et qui sint duo de filiis Orpha, quos ipse percussit, qui reliqui tres, quos percutiunt viri ejus. 1139

Cap. XXXIX. — Cur Urias Ethæus in numero triginta fortium positus sit, et quid, vel quo modo David numerando populum deliquerit, et quid significet area Ornan Jebusæi mystice. 1140

LIBER III.

Cap. I. — Quod Salomon, cui vivens adhuc pater regnum delegavit, typum Christi gesserit juxta versiculum psalmi LXX : « Deus, judicium tuum regi da. » 1141

Cap. II. — Quod jam rex David, in eo quod senuerat, typum gesserit Dei Patris, et quomodo talis senior vestimentis opertus non calefactus sit, et qualem illi virginem adolescentulam sui prophetæ quæsierint. 1142

Cap. III. — Quod Adonias, qui elevabatur, dicens : « Ego regnabo, » Judaici populum typum gessit, et quid sit mystice quod Joab et Abiathar adjuvabant partes Adoniæ; Sadoch autem sacerdos, et cæteri, roburque exercitus non erat cum Adonia. 1145

Cap. IV. — Quid sit mystice, quod loquente Nathan propheta cum Bethsabee, id agitur, ut Salomon in regem ungatur, et quid sit, quod vivente patre rex constituitur, quid mala patris, quid multitudo canentium quæ post illum ascendit. 1145

Cap. V. — Cur Salomon postulantem sibi uxorem Abisach Sunamitem Adonias occidit, et quod huic simile regnante Christo acciderit. 1146

Cap. VI. — De templo Salomonis, quod corporis Christi typus fuerit, secundum testimonium Apocalypsis. 1147

Cap. VII. — De mensuris ejusdem templi, quid sit mystice. 1148

Cap. VIII. — De porticu ante templum habente viginti cubitos longitudinis, et decem latitudinis, quid in Christo significaverit. 1149

Cap. IX. — Quæ et quales templi illius non manufacti obliquæ fenestræ sint, non de foris lumen petentes, sed de intus dantes claritatem luminis æterni. 1150

Cap. X. — Quid in illo templo mystice significet tabulatum superius quinque cubitorum, et tabulatum medium sex cubitorum, et tabulatum tertium septem cubitorum, in altitudine, et quid ostium lateris medii, et quid sit trabes muris non hærere. 1150

Cap. XI. — Quid sit quod omne ferramentum non est auditum in domo cum ædificaretur, et quod templum auro est vestitum, quid in templo oraculum, quod et æqualibus mensuris erat perfectum. 1152

Cap. XII. — Quid sint duo cherubin, et cur posita in oraculo, et quid quod fecit ea de lignis olivarum, quid extensio alarum, quid ostiola in ingressu oraculi, et postea anguli ipsorum, quid in ejus pictura cherubin, et species palmarum, quid ostia, quid postes in introitu templi de lignis olivarum 1153

Cap. XIII. — De eo quod ait : « Ædificavitque eam annis septem, » cum Judæi dixerint ad Dominum, quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et quale in illo numero mysterium sit. 1155

Cap. XIV. — Quid spiritualiter significet domus saltus Libani, et quia quot generationes ab Abraham usque ad Christum, totidem, id est, XLV domus illius columnæ fuerint, licet evangelista tres prætermiserit. 1156

Cap. XV. — Quid mystice significet porticus in facie majoris porticus, et porticus solii in qua tribunal est, pro diverso statu temporum ab Abraham usque ad Noe, et a Noe usque ad Abel, et ab illo sursum usque ad primam creationem mundi. 1157

Cap. XVI. — Quæ et qualis domus sit, quam filiæ Pharaonis, id est, Ecclesiæ de gentibus, fecit Salomon Christus. 1159

Cap. XVII. — Non debere cuiquam incredibile videri, quod in constructione templi manufacti mysteria templi non manufacti tam perfecte expresserit, cum Daniel numerum quoque annorum usque ad eumdem Christum præscire potuerit. 1161

Cap. XVIII. — Quomodo ex patre Tyrio fuisse dicatur Hyram, qui plenus sapientia et doctrina fuerit, et perinde mysticas operando causas attendere quiverit. 1162

Cap. XIX. — De II columnis æris quas finxit, et quod prima Joachim a dexteris, secunda dicatur Booz a sinistris, et de linea cubitorum XII, quæ utramque ambit. 1163

Cap. XX. — Quid capitella columnarum, et cur quinque cubitorum sint, et in porticu quatuor cubitorum fabricata, et quid retiacula, vel catenulæ in capitellis, quibus columnæ de oraculo pendere videntur, et quid malogranata catenulis interposita. 1164

Cap. XXI. — De mari fusili, in quo sacerdotes lavarentur, typus baptismi in quo peccata dimittuntur. 1166

Cap. XXII. — Quam recte mare illud labrum appellaverit, et quomodo mare nostrum, id est baptisma, fusile sit, et de mensuris vel sculpturis ejus mysticis. 1167

Cap. XXIII. — Quod XII boves mare portantes XII apostoli sint, baptizandi regulam a Christo suscipientes, et quid sit, quod posteriora intrinsecus latitabant. 1168

Cap. XXIV. — Quid sit mystice quod in basibus, nec leones sine bobus, nec boves sicli sunt sine leonibus, et quid quod quinque bases ad dexteram, quinque ad sinistram, portantes singulos luteres constituuntur. 1169

Cap. XXV. — Multa esse vasa utilia in spirituali templo Dei, quorum nos usu vel officio fungi debeamus, et quid sit mystice, quod in argillosa terra, et inter Socoth et Sarthan fusa esse referuntur. 1170

Cap. XXVI. — Quod dictum est : « Et intulit ea quæ sanctificaverat pater suus et reposuit, » etc. Et quid sit mystice principes ac duces cum majoribus natu ad regem Salomonem congregari, oves ac boves absque numero immolari. 1171

Cap. XXVII. — Cæcitatis Judaicæ fuisse signum, quod nebula implevit domum Domini, et quod non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam. 1172

Cap. XXVIII. — Quod Salomon utroque genu flexo orans, « Domine Deus meus, » etc., typus fuerit Jesu Christi, qui in dedicationem templi sui, in illa qua dedicatus est passione corporis sui pro omnibus oravit. 1173

Cap. XXIX. — Quod sicut resurrexit Salomon oratione completa, et benedixit ecclesiæ Israel, voce magna, ita surrexit Christus a mortuis, et dedit Spiritum sanctum, cum totius mundi admiratione magna. 1174

Cap. XXX. — Quod hic verus Salomon viros nauticos miserit in Ophyr; quæ regina Saba, quæ interea venit audire sapientiam ejus. 1175

Cap. XXXI. — Memorabilium operum, quæ fecit Salomon, ultimum scilicet thronum de ebore grandem auro fulvo nimis vestitum, judiciariam præfigurasse mundissimi hominis majestatem Christi. 1176

Cap. XXXII. — Quod amavit mulieres alienigenas multas, super quibus prohibens Dominus, certissime, inquit, avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. 1178

LIBER IV.

Cap. I. — Quod David et Salomonis, cæterorumque prophetarum dicta, sint testimonia Christi Filii Dei, et quod in eis citius obruantur veritatis adversarii. 1179

Cap. II. — Quod David prophetarum sit primus. 1179

Cap. III. — Cur prius per potentem et regiam personam de pœnis inferni et regno Dei potuerit nuntiari, et pedibus meretricis decantari, et quid mystice significet for-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

ma psalterii. 1180
Cap. IV. — Quomodo psalterium ipsum ter quinquaginta psalmorum trimodum fidei, spei, et charitatis, prædicet jubilæum, primis psalmis L id maxime continentibus, quod de Christo est credendum, secundis maxime id quod sperandum, tertiis ea maxime quibus provocemur ad amandum Deum. 1181

IN LIBRUM PSALMORUM COMMENTARIORUM LIBER UNUS, INTER LIBROS REGUM QUARTUS.

Cap. V. — Ordo ter quinquaginta psalmorum cum adjunctis titulorum mysticis significationibus. 1181
Cap. VI.— Qualiter Salomon eadem via, fidem et spem commendat et charitatem, in parabolis fidem, in Ecclesiaste spem, in Canticis charitatem 1232

LIBER V.

Cap. I. — Quod ait Dominus ad Salomonem : « Quia habuisti hoc apud te, » et quid sit peccatum suum quemquam apud se habere, et quod idcirco regnum ejus abscindendum fore prædixit. 1233
Cap. II. — Quod dixit : « Et non custodisti pactum meum, » et in quo Salomon jure denotetur qui sapientiam postulavit, quamvis hoc Domino placuerit, quam in nocte per somnium accepit non perseveraturus. 1235
Cap. III. — Quod in isto judicio Deus Hieroboam scissuras regni tradiderit, et qualia populi peccata præcesserint. 1236
Cap. IV. — Cur tot scissuras pallii sui fecerit propheta, et quod ex tunc Israel decem vicibus scissum sit. 1236
Cap. V. — Quod exemplum hæreticorum sit, qui scindunt se a domo David ab Ecclesia Christi, et quod recte dictum sit : « Porro una tribus remanebit Salomoni, » etc., cum duæ possint dici, Juda et Benjamin. 1237
Cap. VI. — Quod excogitatio vitulorum mystice sit adinventio omnis hæreticorum, quorum consortium quantum sit vitandum, illud indicat, quod virum Dei, leo invenit, et occidit. 1238
Cap. VII. — De Elia cujus typum gesserit in eo quod siccitatem induxit, et quod paverunt eum corvi, et quod ad viduam Sarephtanam missus sit. 1239
Cap. VIII. — De filio mulieris matris familias quem suscitavit Elias, qui dicitur fuisse Jonas, et quid mystice designet mors ejus. 1242
Cap. IX. — Quid reversio Eliæ ostendentis se Achab mystice significet, et quid prophetæ Baal clamantes, seque cruentando concidentes, quid ignis invocante Elia cadens de cœlo super holocaustum, et quid quod data est pluvia, et quod Elias currebat ante Achab. 1243
Cap. X. — De fuga ejus, qua mori timens mori optavit, et cujus rei typus sit ipse vel juniperus, illeque cibus, cujus in fortitudine tot jejunavit diebus. 1245
Cap. XI. — De interpellatione ejus adversus Israel, et divino ad eum responso, et quid in spiritu grandi et forti subvertente montes, et conterente petras, quid in commotione, quid in igne, etc. 1246
Cap. XII. — Juxta anagogen quid ille spiritus, quid commotio illa, quid ille ignis, quid ille sibilus, quid ipse Elias significet, operiens pallio vultum suum. 1248
Cap. XIII. — Quomodo ad imperium Domini Elias Elisæum prophetam, et Elisæus Jehu regem unxerit super Israel, et quod contra decretum Domini egerit Achab reservando Benadab. 1248
Cap. XIV. — De morte Naboth Jezraelitæ, quo ipse quoque innocentiæ Christi præco moriendo fuerit, et cujus rei vinea ejus, cupiditas Achab, et Jezabel impia, typus exstiterint. 1251
Cap. XV. — De Elia et Elisæo quid mystice significet, quod pallium suum posuit super eum, et ille relictis bobus cucurrit post eum. 1254
Cap. XVI. — Quid in mysterio præsignet, quod Elias est levatus in cœlum, quid primus et secundus quinquagenarius qui cœlesti igne consumpti sunt, et quid tertius, qui se humiliando salvatus est. 1254
Cap. XVII. — Quid mystice significet, quod Elias in cœlum levandus pallio suo Jordanis aquas percussit ac divisit, et quid quod Elisæus qui tertio sedere permissus, sedere noluit, sed cum illo perseveranter ivit. 1255
Cap. XVIII. — De eo quod ait : « Postula quid vis ut dem tibi, » etc., qualiter illidem in ascensione Christi apostolis factum sit. 1255
Cap. XIX. — De curru igneo, quo est elevatus, et quod nec aliquis ante vel post Christum sic ascendit, vel possit ascendere in cœlum quomodo Christus. 1257
Cap. XX. — Quid sit mystice quod Elisæus vestimenta scidit, quodque pallio Eliæ primo percussit aquas, et divisæ non sunt, secundo percussit, et divisæ sunt. 1258
Cap. XXI. — Quid sit mystice quod Elisæus in Jericho habitavit, et aquas steriles terramque pessimam mittendo sal in vase novo sanavit. 1258
Cap. XXII. — Quod Elisæo ascendente per viam, pueri illuserunt, et idcirco eos duo ursi de saltu egressi laceraverunt, portentum fuisse mirabilis excidii Hierosolymorum, sub Tito et Vespasiano. 1259
Cap. XXIII. — Quod cantante psalte, facta est super Elisæum manus Domini, evidens esse documentum, quia non semper aderat Spiritus sanctus prophetis, quodque ad invocandum Spiritum sanctum cum sermone divinæ laudis, multum valet sonus musicæ dulcedinis. 1260
Cap. XXIV. — Quale in eo mysterium sit, quod mulier parum olei quod habebat per vacua vasa effudit, quæ cuncta usque ad summum repleta sunt. 1261
Cap. XXV. — Quale in eo mysterium sit quod filium Sonamitis puer ab Elisæo missus non suscitavit. 1261
Cap. XXVI. — Quid sit mystice, quod eumdem quem suscitavit Elisæus eidem mulieri in virtute Dei, contulerat filium. 1262
Cap. XXVII. — De colequintida, cujus gustum valde amarum Elisæus dulcoravit, quod hæreticorum doctrina illi similis sit. 1262
Cap. XXVIII. — Quod de paucis panibus turbam hominum saturavit, cui rei in Christo simile sit. 1263
Cap. XXIX. — De lepra Naaman Syri, quæ curata est, lavando in Jordane septies, quod in facto illo præfigurata sit gratia baptismi. 1265
Cap. XXX. — Quod ait Naaman, « Utigneoscat mihi Deus pro hac re, si rege innitente super manum, » etc., quomodo non sit contrarium sensui Apostoli, qui nec recumbere in idolio concedit. 1264
Cap. XXXI. — Quorum vel qualium in Ecclesia typum gesserit Giezi, cui propter cupiditatis culpam lepra Naaman adhæsit. 1265
Cap. XXXII. — De miraculo quo ferrum de manubrio elapsum super aquam natavit, cujus rei typus. 1266
Cap. XXXIII. — De miraculo quo Syros cæcitate percussit, et rursum videre fecit, quod nobis quoque, in hoc ostensum sit, plures esse nobiscum, quam cum hostibus salutis nostræ, et quod erga illos perfectam charitatem exhibuit. 1267
Cap. XXXIV. — De obsidione Samariæ qua juxta verbum Elisæi modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno fuerunt in porta Samariæ. 1267
Cap. XXXV. — De eo quod sit ad Joas regem Israel : « Percute jaculo terram, » ac deinceps : « Nunc autem, inquit, tribus vicibus percuties eam, » i. e. Syriam. 1268
Cap. XXXVI. — De eo quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit mortuus, cujus rei in Christo mysterium. 1269
Cap. XXXVII. — Comprobatum esse ex operibus Elisæi, quod in eo spiritus Eliæ duplex sit factus, et Judæus esse ex hoc, quod pia et sincera dixerit intentione : « Obsecro ut fiat spiritus tuus duplex in me. » 1269
Cap. XXXVIII. — De filia Jezabel Athalia, quæ nupserat regi Juda Joram, filio Josaphat, quomodo maternam vesaniam exercuit in Jerusalem et in omni Juda, et idcirco semen ejusdem Joram usque ad quartam generationem de evangelica tollitur memoria 1270

LIBER IN ISAIAM I.

Cap. I. — Laus Isaiæ prophetæ, quod sic universa Christi et Ecclesiæ quoque prosequatur mysteria, ut non tam propheta dicendus sit quam evangelista, et ob quam causam res spirituales rerum terrenarum nominibus sive imaginibus subtexit. 1271
Cap. II. — Quod adventum Christi circa quem omnis versatur intentio septem recapitulet periochis et cunctas partes adversas mystice sub novem designet regnorum nominibus Babylonis, Moab, Damasci, Ægypti, Dumæ, Arabiæ, Vallis visionis, Tyri, et jumentorum austri, pœnas impiorum oneris nomine significans. 1272
Cap. III. — Visionem prophetæ super Judam et Jerusalem esse in futurum, quando Judæi Salvatorem venientem spernerent, et crucifigerent, et generationem illam jam dici gentem peccatricem, populum gravi iniquitate, semen nequam, filios sceleratos. 1273
Cap. IV. — Peccatum illorum non fuisse ex ignorantia, sed ex superbia, invidia, et idcirco veniam illos non mereri et hoc esse quod ait : « Omne caput, » etc. 1275
Cap. V.—In quo peccatum illorum peccato Sodomorum et Gomorrhæ fuerit simile, ut illud prævidens merito diceret : « Audite verbum Domini. » 1276
Cap. VI. — Sacrificia omnia et festa Judæorum Deo esse odibilia, et unicum illi placere baptisma. 1277
Cap. VII. — Peccatum illud maxime sacerdotum, Scribarum et Pharisæorum fuisse, qui propter traditiones suas, traditiones Dei reliquerunt, hinc que esse quod ait : « Argentum tuum versum est, » etc. 1279

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. VIII. — Quod pro parte apostolorum sive credentium dicat, « et excoquam sporiam tuam ad purum, et auferam omne stannum tuum ; » pro parte autem non credentium, « et erubescetis cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, » etc. 1280

Cap. IX. — De monte domus Domini, quod ipse sit Christus, et quod remanentibus Judæis, fluant ad eum omnes gentes, quæ cohortantes dicant ad alterutrum : « Venite, ascendamus in montem Domini, » et quando de Sion exierit lex, et verbum Domini, etc. 1281

Cap. X. — Cur Judæos Dominus projecerit ut hic ait : « Projecisti enim populum tuum domum Jacob : » et quid mali eventurum prædicat illi domui Jacob, pro eo quod non vult ascendere in istum montem. 1284

Cap. XI. — Quod ait : « Quiescite ab homine cujus spiritus, » etc., quod Christus sit altissimus, et quod resurrexerit veraciter, si spiritus in naribus ejus est. 1285

Cap. XII. — Quod ille de quo ait : « Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui, » Moyses sit, de quo dicitur : « Nos discipuli sumus Moysi, » et quomodo ille e contrario dicat : « Non sum medicus, » etc. 1286

Cap. XIII. — Quod Dominus de quo ait : « Stat ad judicandum, » Christus Jesus sit, de quo Stephanus : « Ecce, inquit, video cœlos apertos, » etc., quod judicii ejus jam fuerit actus quo decalvatus est vertex filiarum Sion Romanis devastantibus. 1287

Cap. XIV. — Quod septem mulieres illæ sint dona Spiritus S. requiescentes super unum Christum. 1289

Cap. XV. — Quod ex tunc omnibus credentibus peccata remittantur gratia Spiritus sancti, quemadmodum dicit : « Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, » etc. 1290

Cap. XVI. — Quod Cantico isto secunda periocha sit passionis Christi, et quod secundum illud canticum Dominus illam parabolam dixerit : « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. » 1291

Cap. XVII. — Quomodo hujus loci prophetico sensui consonet illa invectio Domini, qua postquam illam parabolam recitavit, octies væ increpuit Scribis et Pharisæis, octies enim ille post Canticum istud væ illis pronuntiat, cum dicit : « Væ qui conjungitis domum, » etc. 1295

Cap. XVIII. — Quod primo « Væ » Scribarum et Pharisæorum avaritiam prophetando percutit : et propter eamdem civitatem fore destruendam prædicit. 1294

Cap. XIX. — Quod secundo « Væ, » eorumdem ebrietatem redarguit, qua jam ebrii Dominum comprehenderunt in illa paschali vespera. 1296

Cap. XX. — De tertio « Væ » quo dicit : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, » quia occidendo Christum mensuram patrum suorum impleverint. 1296

Cap. XXI. — De quarto « Væ » illorum qui dixerunt : « Festinet, cito veniat tempus, » etc., videlicet quando dicebant : « Si rex Israel est, » etc. 1296

Cap. XXII. — De quinto « Væ, » pro eo quod dixerunt malum bonum, videlicet, reservando Barabbam, et condemnando Christum. 1296

Cap. XXIII. — De sexto « Væ » in eos, qui sapientes in oculis suis, tulerunt clavem scientiæ illis. 1297

Cap. XXIV. — De septimo « Væ » in eos, qui viri fortes sunt ad miscendam ebrietatem. 1297

Cap. XXV. — De « Væ » octavo, in eos qui justificant impium pro muneribus et justitiam justi auferunt. 1297

Cap. XXVI. — Quod propter hæc mala, Romanus exercitus venire debuerit, et quomodo adhuc ultra illam vindictam manus Domini extensa sit. 1297

Cap. XXVII. — De eo quod ait : « Et ecce festinus veniet, » et de die judicii quando rugiet ut catulus leonum, dicendo his qui a sinistris erunt : « Ite maledicti in ignem æternum. » 1298

Cap. XXVIII. — Quid sit, Dominum sedere super solium excelsum, et quæ sint sub eo implentia templum, quid seraphin, quid facies, quid pedes Domini; et quid clamor dicentium : « Sanctus, Sanctus. » 1299

Cap. XXIX. — Quid sit commotio superliminarium, et quid sit fumus implens domum Domini, unde polluta sunt labia populi, cujus in medio prophetæ se habitare congemiscat, et quid volans ad eum unus de seraphin. 1301

Cap. XXX. — Quid sit dicere : « quem mittam, et quis ibit nobis, » et quid illud : « Ecce ego, mitte me, » et quod Stephanus protomartyr sese obtulerit, et secundum sensum præsentis loci dura illi populo stans in concilio nuntiaverit. 1302

Cap. XXXI. — Cur visioni illi, rem in diebus Achaz gestam conjunxerit, et qualiter impleverit præceptum dicentis in initio visionis : « excæca cor populi hujus. » Itemque in finem ejusdem : « Liga testimonium, » etc. 1303

Cap. XXXII. — De eo quod cum annuntiatum esset domui David, quia requievit Syria super Ephraim, annuntiatur conceptus, et partus Virginis, et cur vocetur Emmanuel : itemque « Accelera, Spolia detrahe, » etc. 1304

Cap. XXXIII. — De impietate Achaz, et de eodem Emmanuel, et quo sensu recte accipitur dictum : « Butyrum et mel comedet ut sciat, » etc. Et cur post tanta tempora nasciturus jam promittatur. 1305

Cap. XXXIV. — Quid sit dicendo : « Sume tibi librum grande, » qui sint testes, quæ prophetissa ad quam accessit, et de filio ejus. 1307

Cap. XXXV. — Quod ait : « Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, et propter hoc adduci super populum illum regem Assyriorum. » 1309

Cap. XXXVI. — Quod ait : « Liga testimonium, » et qualis secundum sequentia damnatio futura sit eorum qui non ad legem et testimonium, sed ad pseudoprophetas, falsum pro vero, antichristum pro Christo recipiunt. 1310

LIBER II.

Cap. I. — Quartam periochen ab eo incipere, quod ait : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, » etc., et cur evangelista de hoc loco sumens testimonium, partes istas omisit « primo tempore, » etc. 1311

Cap. II. — Quomodo Judæa primo alleviata est, novissimo autem aggravata, quando credendo in Christum magnam cœpit lucem videre populus gentium, et quomodo diabolus violentus exactor superatus sit. 1312

Cap. III. — De ortu parvuli vel Filii qui illum superavit, et nominibus, sive ordine nominum ejus, quorum primum est « Emmanuel, » octavum « princeps pacis, » et quis zelus Domini exercituum fecit hoc. 1314

Cap. IV. — Quod ait : « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel, » et quomodo hæretici qui significantur per Ephraim dixerunt vel dicant, « lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus. » 1315

Cap. V. — De Assur cui dicitur « væ, » et « virga furoris mei, et baculus ipse, » quod diabolum significet, et quomodo hunc ad gentem fallacem mittat Dominus, et quod ille contra Deum glorietur, sitque æterna damnatione attenuandus. 1317

Cap. VI. — Quintæ periochæ initium ab eo quod ait : « Et egredietur virga de radice Jesse, » et quod illa virga virga furoris Domini Assur, et quod nulla Spiritus sancti gratia Christo fiori pulcherrimo defuerit aut desit, aut unquam defutura sit. 1318

Cap. VII. — Cur de radice Jesse quam de radice David dicere maluit, et quod omnia quæ de isto flore dicuntur, repugnantia sint dictis Assur arrogantis. 1320

Cap. VIII. — Quod hujusmodi quæ sequuntur, qualiter et tunc usque hodie in Ecclesia Christi impleta sint, et quæ sit scientia Domini, quæ hæc effecit. 1321

Cap. IX. — Quomodo radix Jesse in signum populorum, et sepulcrum ejus sit gloriosum ; et quomodo adjecerit manum suam ad possidendum residuum populi sui ad congregandum profugos Israel. 1322

Cap. X. — Quomodo per prædicationem hostes Judæ perierunt, et Ecclesia de cunctis gentibus suscitata sit, et desolaverit Dominus linguam maris Ægypti, id est stultam fecerit sapientiam hujus sæculi. 1325

Cap. XI. — De Cantico prophetæ : « Confitebor tibi, Domine, » etc., ubi vel in quo iratus fuerit Deus homini, quando furor ejus in gratiam conversus sit, quas hauserimus aquas de fontibus Salvatoris, quas ejus inventiones notas fieri in populis, oportuerit. 1325

Cap. XII. — Quod onera quæ sequuntur, inter quæ « onus deserti maris, » etc., quæ secundum ordinem numerantur, cuncta, persequi, neque nostræ facultatis, neque præsentis propositi sit. 1327

Cap. XIII. — Sextam periochen ab eo incipi quod ait : « Consurge, consurge, induere fortitudinem, » etc., per quæ datur intelligi, quia propheta sanctus fortiter adventum Salvatoris desiderabat. 1328

Cap. XIV. — Qualem consolationem sive consolatorem promittat Deus, dicendo, « Ego ego ipse consolabor vos, » et quam recte dicat continuo, « quis tu, ut timeas ab homine mortali? » etc., quia mox ut venit consolator Spiritus sanctus redarguit, verbi gratia Petrum ut non timeret a Nerone, qui prius timuerat ab ancilla ostiaria. 1329

Cap. XV. — Quomodo testante hæc propheta, non fuerit ante vel præter Christum, ex sanctis vel justis qui Ecclesiam, quam hic per Hierusalem insinuat, posset resuscitare jacentem sub prævaricatione Adæ. 1330

Cap. XVI. — Repetitio adhortantis pro consolationis magnitudine ab hinc : « Consurge, consurge, » etc., et subinde, « Quia hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, » etc., usque : « Ego qui loquebar, ecce adsum. » 1332

Cap. XVII. — « Quam pulchri super montes sint pedes, » hoc bonum annuntiantis; qui pedes, et qui montes sint, qui specula ores, et quomodo videant omnes fines terræ salutare Dei Israel. 1335

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XVIII. — Quid sit recedere, exire, pollutum non tangere, vel mundare ferentes vasa Domini, et unde servus et unde sublimis sit Jesus, qui hæc intelligit, et judicare scit, quomodo gloriosus fuerit aspectus ejus, nunc autem contineant super ipsum reges os suum. 1334

Cap. XIX. — Quomodo id quod dixerat, « Inglorius erit super viros aspectus ejus, » latius querula voce declamet propheta, ab eo quod ait : « Quis credidit auditui nostro, » usque ad id « et cum sceleratis, » etc. 1336

Cap. XX. — Quod duo scelerati illi, quorum alter confessus est, alter blasphemus perseveravit, duorum populorum exemplum fuerint, et idcirco confestim in propheta dici : « Lauda sterilis quæ non paris, » tanquam latroni pœnitenti et confitenti, de illo autem populo tanquam latrone impœnitente : « Omnes bestiæ agri, » etc. 1340

Cap. XXI. — Quod ab illo quo ait : « Vos autem accedite huc, » etc., usque ad id : « omnes eos auferet ventus, » etc., commemoratio sit peccatorum super generationem eamdem quæ Dominum crucifixit; quod merito et visibiliter Romanis et invisibiliter diabolo tradita sit. 1342

Cap. XXII. — Septima periocha, qua universæ Ecclesiæ sub peccato in tenebris jacenti, dicitur propter adventum Salvatoris Christi : « Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, » etc., usque ad id, « et domum majestatis meæ glorificabo. » 1344

Cap. XXIII. — Per quorum ministerium fiant ista quæ sunt promissa, significari vel ostendi sub interrogatione mystice dicendo : « Qui sunt isti qui ut nubes volant, » etc. 1346

Cap. XXIV. — Quod qui promittebatur præsentia voresque sint dicentis : « Spiritus Domini super me, » etc., quæ sit illa unctio, quæ acceptabilis anni prædicatio, qui lugentes, quæ consolatio, et quæ desertorum et civitatum dissipatarum restauratio. 1347

Cap. XXV. — De apostolis et apostolicis viris, et qualiter eorum, quibus sua spiritualia seminant, carnalia nunc metere, et in futuro duplicia, id est, animæ pariter et corporis bona sperare debeant. 1350

Cap. XXVI. — Quomodo Ecclesia Dei delectetur super isto cum dicit : « Gaudens gaudebo in Domino, » etc. Et quid sit vestimentum salutis et lætitiæ, quo illam Christus induit, et de unitate corporis Christi et Ecclesiæ. 1352

Cap. XXVII. — Quomodo dicta sponsæ fidelia confirmet Deus, dicendo : « Propter Sion non tacebo. » 1355

Cap. XXVIII. — Quod ait : « Juravit Dominus in dextera sua, » quod juramenti hujus sensum, ipse dicat in Evangelio Dominus : « Amen dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei. » 1355

Cap. XXIX. — Quod passionem ejus admiratione dignam æstimari velit propheta, dicendo : « Quis est iste qui venit de Edom? » 1356

Cap. XXX. — Deploratio Judaicæ gentis ex persona prophetæ cum confessione præcedentis mali illorum meriti et laude justitiæ Domini, super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, usque : « Sic faciam propter sermones meos, ut non disperdam totum. » 1359

Cap. XXXI. — Quod ait « antequam parturiret peperit, » etc., quomodo secundum hæc quoque falsum sit quod Judæi et quidam hæretici dixerunt, ante Mariam non exstitisse Christum. 1361

LIBER IN HIEREMIAM.

Cap. I. — Quintæ ætatis initium computari Hieremiæ vaticinium, et in hac ætate sacerdotium Christi figuratum factis, significatumque esse dictis propheticis. 1363

Cap. II. — Quomodo hæc quinta ætas similis sit cum quinta die creationis mundi, et cur tunc temporis templum pretiosissimum permissum est igne conflagrari. 1363

Cap. III. — Quod Hieremias ejusdem Domini, cujus propheta est, typum gesserit nomine proprio sanctificatione ex utero, prædicationis officio septies ad Hierusalem facto, cujus ruinæ superstitit ante obsidionem verbum Domini ad se factum esse referendo, eamque ad pœnitentiam provocando numero vel ordine determinato. 1365

Cap. IV. — Quod dicitur primo ad eum : « Priusquam te formarem in utero novi te, » etc. Quomodo unctionem Sancti sanctorum, et obedientiam atque glorificationem ejus personet. 1367

Cap. V. — De eo, quod secunda visione hic ait, primo : « Virgam vigilantem ego video; » secundo autem : « Ollam succensam ego video, » et quomodo juxta horum similitudinem primus adventus Christi virga correctionis sit pœnitentibus; secundus autem impœnitentibus judicium sit æternæ damnationis. 1368

Cap. VI. — Quod tertio Hierusalem peccata sua, ut ad pœnitentiam excitaret, commemorans tandem dicit : « Filia populi mei accingere cilicio, luctum unigeniti fac tibi; » simile esse ei, quod Dominus postquam Hierusalem ad pœnitentiam multis deflectere non potuit, tandem flevit super illam, mala ei ventura denuntians. 1369

Cap. VII. — Quod quarto loco stans in porta domus Domini dicit inter cætera : « Ecce spelunca latronum facta est domus ista, » quod eo respicit, quia Dominus ingressus in templum, cœpit ejicere, dicens eis illud de Isaia : « Domus mea domus orationis vocabitur, » subjungens de isto propheta, « Vos autem, » etc. 1371

Cap. VIII. — Quod quinto loco docens in verbo Domini : « Audite verba pacti hujus, » etc., prosequens convicit eos quod irritum fecerint pactum Domini, ut sciamus quam rationabile sit quod quidquid sacrificant Judæi, contemnit Ecclesia Christi. 1372

Cap. IX. — Quod loco sexto sequitur verbum Domini, de sermonibus sicofantiæ, et respectu facium recte intelligi, quod neque gratia prophetalis, neque ulla visitatio illis sit Spiritus sancti, ut cum veniant ad hauriendas Scripturarum aquas, reportent vasa vacua. 1375

Cap. X. — Septimo loco per id quod faciebat figulus opus super rotam, et dissipatum est vas quod faciebat e luto manibus suis, conversusque fecit vas alterum sicut placuit in oculis ejus ut faceret, dissipationem significare rebellium Judæorum, collectionem gentium : et in omnibus irreprehensibile esse judicium Dei. 1375

Cap. XI. — Quomodo inter mala quæ obsessa civitate regi consulenti responsa sunt, confirmetur prophetia, non irritum fore juramentum Domini, dicentis in David : « Semen ejus in æternum manebit, » dum interea dicit : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum. » 1377

Cap. XII. — De lamentationibus, cur singulæ sententiæ singulis alphabeti litteris prænotantur, et quod ipse ordo alphabeti quadruplex sit idcirco quia prophetæ quadruplex causa lamentandi erat. 1378

Cap. XIII. — Quo sensu una illa electorum civitas recte dicatur plena populo, domina gentium et princeps provinciarum, et cur vel quomodo sola sederit, vel sub tributo facta sit. Aleph, id est, « doctrina. » 1379

Cap. XIV. — In qua nocte plorans ploraverit, et in quibus maxillis ejus lacrymæ ejus. Beth, id est, « domus. » 1380

Cap. XV. — Quod electorum universitas Juda sit, et quo migrans afflictionem vel servitutem inciderit. Gimel, id est, « plenitudo. » 1381

Cap. XVI. — Quæ viæ lugent, eo quod non sint qui non veniant ad solemnitatem; et quæ sit illa solemnitas, quæ destructio portarum : unde gemitus sacerdotum, et squalor virginum. Daleth, id est, « tabulæ. » 1381

Cap. XVII. — Quomodo hostes in capite facti et inimici locupletati sunt, et parvuli ejus in captivitatem ducti. He, id est, « ista. » 1382

Cap. XVIII. — De prælatis, et quomodo vel quando arietes absque pascuis abeant sine fortitudine ante faciem subsequentis. Vau, id est, « et. » 1383

Cap. XIX. — Illud vere lamentabile esse, quod incolatus vel peregrinationis nostræ non recordamur, nisi malis prementibus. Zai, id est, « hæc. » 1385

Cap. XX. — Quod peccato superbiæ præcedente, anima instabilis sit, et de vitio in vitium cadat, et qui sensus horum quatuor elementorum. He, Vau, Zai, Heth; Heth, id est, « vita. » 1384

Cap. XXI. — Quod vere lamentabile sit, sordes in pedibus habere, Teth, id est, « bonum. » 1384

Cap. XXII. — Qui sensus sub interpretatione horum elementorum, Teth, Jod, et quod confessio bonum sit justitiæ principium. Jod, id est, « principium. » 1385

Cap. XXIII. — Quomodo priores sancti dederint pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam, id est nondum rem, sed spem obtinuerint promissionis, quam audierant. Caph, id est, « manus. » 1385

Cap. XXIV. — Quod ait : « Videte si est dolor, » etc., et omnem dolorem vanum esse, qui accidit pro qualibet alia re caduca, et hæc duo elementa juncta. Caph, Lamech, quem sensum habeant. Lamech, id est, « cor. » 1386

Cap. XXV. — Quod propter humiliandam animam, mortalem fecerit Deus conditionem corporis, et animam multis permittat passionibus affici. Mem, id est, « ex ipsis. » 1386

Cap. XXVI. — Quod homo faciendo malum servus sit peccati, et non nisi per gratiam Dei poterit liberari. Nun, id est, « æternum. » 1387

Cap. XXVII. — Quod in nullo patrum vel patriarcharum salus esse potuerit, et quod ipsi quoque mortales fuerint: et quid hæc tria elementa, Mem, Nun, Samech, juncta significent. 1387

Cap. XXVIII. — Quod antiquæ Ecclesiæ idcirco fuerit plorandum, quia consolator longe factus est. 1388

Cap. XXIX. — Quod non potuerit Sion expandendo manus suas consolari. 1388

Cap. XXX. — Quod os Domini ad iracundiam provoca-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

vimus, videlicet, culpam defendendo in Adam : et quid simul istæ tres litteræ significent, Ain, Phe, Zadi. 1388
Cap. XXXI. — Quoties Ecclesia sacerdotes sibi constituit, toties deceperunt eam, de his intelligi, qui semetipsos pascunt, et quæ sua sunt, quærunt. 1389
Cap. XXXII. — Quomodo in illo in quo omnes peccavimus venter noster conturbatus sit, et cor nostrum subversum, id est, corpus mortale factum est; et quid duo hæc elementa, Coph, Res, juncta significent. 1389
Cap. XXXIII. — Quomodo inimici, id est, maligni spiritus in malo generis humani lætati sint, et quomodo lætabitur super illos Ecclesia in die judicii. 1390
Cap. XXXIV. — Quomodo vindemiandi sint illa vindemia irrecuperabili, damnatione irrevocabili habente Ecclesia diem consolationis, et quid duo elementa novissima. Sin, Thau, juncta significent. 1390
Cap. XXXV. — Quod sequenti alphabeto illius temporis lamentatio subtexitur, quando Nabuzardan Hierusalem igni succendit, simulque cum ea domum Domini combussit. 1391
Cap. XXXVI. — Quo respectu Hierusalem reputaverit scabellum pedum Domini, et quomodo illam Dominus de cœlo in terram projecerit. 1392
Cap. XXXVII. — Superbiæ culpam fuisse, pro qua Hierusalem vel templum præcipitari debuerit. 1393
Cap. XXXVIII. — Quod ruinæ illius causa fuerit, quia cornu Israel Deus confregit. 1393
Cap. XXXIX. — Quod Deus superbientibus inimicus sit, et idcirco sic dixit : « Tetendit arcum suum. » 1393
Cap. XL. — Quod non dixerit : factus est Dominus inimicus, sed « velut inimicus : » et quod nec res nec vocabulum inimici in Deum cadat. 1394
Cap. XLI. — Quomodo civitatem illam, vel templum tentorium Domini vocaverit. 1394
Cap. XLII. — Quid sit : « Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. » 1395
Cap. XLIII. — Quomodo tetenderit super illam Sion funiculum tempus captivitatis septuaginta annorum. 1395
Cap. XLIV. — Quæ portæ ejus, et qui vectes quos Dominus contrivit, ut prophetæ ejus non invenirent visionem a Domino. 1395
Cap. XLV. — Quomodo sederint in terra, et conticuerint senes, et cinere capita consperserint virgines. 1396
Cap. XLVI. — Cur nunc dicit : « Deferunt præ lacrymis oculi mei, » qui antea dixerat : « Propterea da filios eorum in famem, » etc. 1396
Cap. XLVII. — Quomodo infantes ad ubera pendentes fame cruciati, animas exhalabant. 1396
Cap. XLVIII. — Quomodo Hierusalem in pœnitentia sua nulli potuerit assimilari, et idcirco dicat, « quis medebitur tui? » 1397
Cap. XLIX. — Qualiter prophetas mendaces, et ipsam quod eos audierit, increpet. 1397
Cap. L. — Illud quoque ad cumulum miseriarum accessisse, quod transeuntes insultando plauserunt super eam. 1397
Cap. LI. — Quam vere insultaverint, cum post septuaginta annos, soluta servitute, ne reædificaretur civitas, vehementer obstiterint. 1398
Cap. LII. — Quomodo illud non tam per Nabuzardan, quam Domini judicio factum sit, qui et per Moysen talia prædixit. 1398
Cap. LIII. — Quid clamaverit cor prophetarum qui hæc prædixerunt, et auditi non sunt clamantes super muros filiæ Sion. 1398
Cap. LIV. — Quid sit quod clamaverunt : « Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. » 1539
Cap. LV. — Quid clamet, dicendo : « Vide, Domine, quem vindemiaveris. » 1399
Cap. LVI. — Quod ad misericordiam divino multo magis quam humana trahatur natura. 1400
Cap. LVII. — Quomodo idquod accidit quasi Deo imputat. 1400
Cap. LVIII. — Quod tertio alphabeto propriam ceream propheta lamentetur; et cur hic jam singula elementa triplicentur, cum in cæteris simpla sint. 1400
Cap. LIX. — Quæ sit illa paupertas, quæ tenebræ, et quæ sint illæ manus, de quibus dicit. 1400
Cap. LX. — Quomodo se in Adam mortalem factam in exustione Hierusalem felle cibatum, in propriis culpis deploret obtenebratum. 1401
Cap. LXI. — Quod in Adam inimicitias Dei ruens, in præsentibus malis civitatis desolatus, et in propriis passionibus, quasi sagittis percussus sit. 1402
Cap. LXII. — Quomodo homini prævaricatori Deus factus est ursus insidians, quomodo idcirco semitas ejus subvertit pronas in malum. 1402
Cap. LXIII. — Quomodo in Adam sagittis libidinum convulneratus, in prophetando captivitatem a populo suo derisus, carceribus, et inedia amaricatus sit. 1403
Cap. LXIV. — Quomodo in morsu primi hominis dentes suos perdiderit in obsidione civitatis, dum loqueretur pro illa in conspectu Domini, anima ejus repulsa sit, in propria conscientia de meritis suis timuerit. 1403
Cap. LXV. — Quomodo Deum rogat recordari primæ transgressionis, et quid pœnarum inde provenerit, et quod ex eo speret sibi futura bona, quia præsentia mala recipit. 1404
Cap. LXVI. — Quod gratuletur, non æque hominem ut diabolum, propter peccatum suum derelictum, et quod post noctem Babylonicæ captivitatis, mane libertatis futurum sit. 1404
Cap. LXVII — Quomodo qui severitatem exercendo in Adam justus sit et bonus, sperantibus in eum, et quomodo captivis Babyloniæ bonum sit, non murmurare, sed exspectare salutare Domini cum silentio. 1405
Cap. LXVIII. — Quomodo diversus sit a primo homine is qui sedet solitarius et levat se super se, et quomodo in illa captivitate sit tacendum, si forte sit spes ut reducatur quæ in Babylonem ducta est. 1406
Cap. LXIX. — Quomodo qui Adam de paradiso emisit non repelliet in sempiternum, sed iterum miseretur, et reducet de Babylonica captivitate, et qui quemque humiliat, non ex toto abjecit, sed contra, quem corripit diligit, et quem flagellat recipit. 1407
Cap. LXX. — Quomodo justum cum impio conterere, judicium viri declinare, hominem in judicio pervertere Dominus ignoret. 1407
Cap. LXXI. — Quam reprehensibile sit, si dicat quis fieri aliquid Domino non jubente. Si dicat ex ore Altissimi nec bona nec mala egredi, murmurans pro peccatis imputando fatali necessitati. 1408
Cap. LXXII. — Quod potius redeundum sit ad cordis discretum; et cum bonis operibus facienda confessio peccatorum. 1408
Cap. LXXIII. — Quomodo in primo homine Deus humanum genus percusserit, et in manum inimicorum traditos non exaudierit. 1409
Cap. LXXIV. — Quod electis nunquam ab initio inimici defuerint, et quod prophetis ipsa prophetia tribulationis causa fuerit. 1409
Cap. LXXV. — Quod universalem generis humani ruinam, in quam per Adam incidit, et præsentem gentis suæ captivitatem et propriam fleverit fragilitatem. 1409
Cap. LXXVI. — Quod primum hominem diabolus quasi avem venatione ceperit, et quod præterea intus in mente multos tentationum fluctus pertulerit. 1410
Cap. LXXVII. — Quomodo non desperans invocaverit, et quomodo orare non desinat pro captivis, et qualem consolationem divino responso acceperit. 1410
Cap. LXXVIII. — Quomodo judicium postulet, qui mala quæ pertulit se meruisse conscius non est. 1411
Cap. LXXIX. — Adversus eos qui malis student, et hostes sunt innocentiæ. 1411
Cap. LXXX. — Quod non imprecando, sed concedendo dicit : « Redde eis vicem. » 1412
Cap. LXXXI. — Quomodo omnium illorum qui prophetas, et justos persecuti sunt crudelissimi ac perditissimi fuerint Judæi, qui Christum occiderunt, et quomodo propter hoc obscurati et dispersi sunt. 1412
Cap. LXXXII. — Quomodo Judæi primo inclyti, et quo auro fuerint amicti, et nunc vasa testea sunt. 1413
Cap. LXXXIII. — De crudelitate lamiæ, id est, gentis illius in comparatione lamiæ, quia filios suos occidit, dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super, » etc. 1413
Cap. LXXXIV. — Quomodo major effecta est iniquitas populi illius, peccato Sodomorum, et quomodo dictum sit : « Et non ceperunt in ea manus. » 1414
Cap. LXXXV. — Quomodo Nazarei gentis illius candidiores nive, nitidiores lacte, et cætera, fuerint, et quorum facies modo denigrata sit. 1415
Cap. LXXXVI. — De horrenda Judaicæ obsidionis fame, « ubi manus, inquit, mulierum misericordium coxerunt filios suos. » 1415
Cap. LXXXVII. — Quomodo non crediderint prædicenti, quod hæc mala venturæ essent eis, et apostolis ejus clamaverunt, « recedite, recedite, abite : » Et illi ad gentes conversi sunt. 1416
Cap. LXXXVIII. — Quomodo facies Domini diviserit eos in ipsa obsidione præ intestina discordia, quia Barabham seditionis auctorem elegerant sibi, Christum crucifigentes, quem tandem reliquiæ Israel cognoscentes dicent : « Lubricaverunt vestigia nostra, spiritus oris nostri Christus Dominus, » etc. 1417
Cap. LXXXIX. — Quomodo lamentationes omnes, consolationis bona spe concludat, dicendo cum ironia :

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

« Gaude et lætare filia Edom, completa est, » etc. Per Edom omnes terrenos qui persecutionem inferunt, per Sion omnes electos, qui sustinent significans. 1419

LIBER IN EZECHIELEM I.

Cap. I. — Quomodo in afflictione civitatis, prophetis increbuerunt consolatoriæ visiones futuri regni Dei. 1419

Cap. II. — Quod Ezechiel propheta difficilis sit, et quod in prima visione recte quæri debeat, quomodo quatuor animalia unum animal sint. 1421

Cap. III. — De ipso propheta quomodo ejusdem cujus visionem vidit typum gesserit Filii Dei, quid ventus turbinis, et quid nubes magna, et quid involvens ignis, et cætera quæ adjecta sunt, quid sint. 1422

Cap. IV. — Quid facies sit, et pennas per quatuor partes habere, ipsasque invicem junctas esse, et quid quod ait : « Non revertebantur cum incederent. » 1424

Cap. V. — Quid sit in uno Christo facies hominis, facies leonis, facies vituli, facies aquilæ volantis. 1425

Cap. VI. — Cur in Apocalypsi non idem animalium ordo, et quo respiciens Joannes, illic post faciem leonis, hic autem quo intendens propheta prius posuerit faciem hominis, et quo sensu iste quatuor pennas uni, hic autem singula animalia senas alas habere dixerit. 1426

Cap. VII. — Quod recte sancta Ecclesia, non nisi quatuor evangelistas recipere voluerit, et quæ facies cui evangelistæ maxime congruit. 1427

Cap. VIII. — Quomodo facies et pennæ animalium desuper extentæ sint, quæ duæ pennæ, et quomodo jungi, quomodo corpora eorum tegere, et ipsa animalia quomodo ubi erat spiritus, impetus, illic isse vel ire, et non reverti dicantur. 1428

Cap. IX. — Quomodo aspectus animalium quasi carbonum ignis ardentium aspectus sit; et quis ille ignis : et quod de igne fulgur egrediens erat. 1429

Cap. X. — Quomodo animalia revertantur in similitudinem fulguris coruscantis, cum supra dictum sit quia non revertebantur. 1430

Cap. XI. — Quid sit rota una apparens juxta animalia, quæ ejus quatuor facies, quid sit, quod dictum est, quasi visio maris, quomodo una similitudo ipsarum quatuor, quomodo rota in medio rotæ. 1431

Cap. XII. — Quomodo per quatuor partes euntes eant, quomodo vel quibus aspectus sit horribilis et quomodo totum corpus sit plenum oculis. 1433

Cap. XIII. — Quomodo cum ambulantibus rotæ ambulent, et cum elevatis eleventur, et quomodo spiritum sequantur, vel spiritus vitæ in illis sit. 1434

Cap. XIV. — Quid sit super capita animalium similitudo firmamenti, quasi aspectus cristalli horribilis, et quid sub firmamento pennæ extentæ alterius ad alterum, et quomodo unumquodque velet corpus suum. 1435

Cap. XV. — Quid sit audire sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, et in quo quasi sonum sublimis Dei, quid sonus castrorum, et quid sit stantibus eis dimitti pennas eorum. 1436

Cap. XVI. — Quid sit similitudo throni super firmamentum, et quid sit aspectus hominis super thronum sedentis. 1437

Cap. XVII. — Quorum in hoc propheta typum gesserit, quod ait : « Et vidi et cecidi in faciem meam, » et quomodo ad gentes apostatrices missus sit. 1439

Cap. XVIII. — Quid sit librum coram illo expandi, qui erat involutus et scriptus intus et foris, et quid in eo scriptas esse lamentationes, et carmen et væ. 1440

Cap. XIX. — Quomodo apostoli Christi, quos ut spiritus iste assumpserit, audierint post se vocem commotionis magnæ : « Benedicta gloria Domini, » etc. 1441

Cap. XX. — Quomodo apostoli accepto Spiritu sancto amari et indignantes facti sint, et ad quem acervum novarum frugum venerint, et mœrentes manserint. 1442

Cap. XXI. — Quanta sit evangelizandi necessitas eis quibus dispensatio credita est, secundum id quod ait : « Speculatorem dedi te domui Israel, » et quod per hæc subversio pronuntietur Hierosolymorum, quæ subsecuta est passionem Domini. 1444

Cap. XXII. — De civitatis obsidione, quomodo portentum ejus fuerit, quod dormire jussus est propheta super latus suum sinistrum, et portare iniquitates domus Israel trecentos et nonaginta dies, et dormire in latus suum dextrum, et portare iniquitates domus Juda diebus XL. 1445

Cap. XXIII. — De misera obsidione Hierosalem, facta a passione Christi anno quadragesimo primo sub Tito et Vespasiano imperatoribus. 1446

Cap. XXIV. — Quomodo passio et carceres Evangelii prædicatorum eorumdem abjectio quoque præsignata sit in propheta isto; et quam pessima quamque horrenda fames obsessorum præsignetur, in pane, quem propheta sibi coquere in stercore, et comedere jubetur. 1447

Cap. XXV. — Quomodo Judæi reliqui tanquam pili capitis aut barbæ, gladio acutissimo abrasi sint, Hierosolyma a tribus tyrannis crudelissimis funditus destructa. 1449

Cap. XXVI. — Mala omnia quæ Hierosolymis acciderunt, maxime pro culpa accidisse sacerdotum, Scribarum, et Pharisæorum, et ergo consequenter nunc dici : « Hæc dicit Dominus montibus et vallibus : Ecce ego induxam super vos gladium. » 1451

Cap. XXVII. — De horrore et magnitudine diei judicii, in quo majora cunctis præteritis malis recipient impii, et hoc esse quod dixit, « Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. » 1451

Cap. XXVIII. — De visione anni sexti, quod ad eadem pertineant sacramenta Christi Filii Dei, quod videlicet, per quatuor abominantium incrementa causæ reddantur, cur Dominus Judæos reliquerit, et in campum gentium exierit. 1453

Cap. XXIX. — Quod per quatuor incrementa hæc, idem debeat intelligi, quod per propheticum sensum super tribus sceleribus Damasci, Gazæ, Tyri, et cæterorum, et super quatuor non convertam eum. 1455

Cap. XXX. — Quid fuerit, populo illi habere idolum zeli; quid cum thuribulo stare coram idolis, quid a mulieribus sedentibus plangi Adonidem, et quid adorare ad ortum solis applicando ramum ad nares. 1456

Cap. XXXI. — Quod propter hæc clamatum sit : « Appropinquaverunt visitationes urbis, » qui sex viri venientes, et quid vas interius uniuscujusque in manu ejus, et quis vir in medio eorum vestitus lineis, et quid atramentarium scriptoris ad renes ejus. 1457

Cap. XXXII. — Quid sit signare Thau super frontes virorum gementium, et quid sit percuti omnes qui hoc signo non sunt signati, et a sanctuario Domini incipi. 1458

Cap. XXXIII. — Quid sit virum qui indutus erat lineis dicere, « Feci sicut præcepisti, » et quid quod dicitur ei, « Ingredere in medium rotarum, et imple manum tuam prunis ignis, et effunde super civitatem. » 1459

Cap. XXXIV. — Quid sit viro ingrediente cherubin stare a dextris et atrium interius nube, exterius autem impleri splendore gloriæ, et quid sit cherubin extendisse manum ad ignem et dedisse viro qui erat indutus lineis. 1460

Cap. XXXV. — Cum dicit : « Et sublata est a me visio quam videram, » subaudiendum est, illius viri, et subintelligendum usque ad vicesimum et quintum annum transmigrationis, quo eumdem viri speciem vidit. 1462

LIBER II.

Cap. I. — De visione ultima, quod quam maxime clausa sit, et idcirco quam maxime opus sit illam ad candelabrum, quod est Christus admoveri, ut ex parte aliqua possit cognosci. 1463

Cap. II. — Quod hæc visio altius quam priores contingat gloriam vel divinitatem Christi : et quæ sit civitas cujus in ædificium vir ille prophetam introduxit. 1463

Cap. III. — Cur aspectus viri quasi species æris, et cur funiculus et calamus mensuræ in manu ejus sit. 1464

Cap. IV. — Quam opportune illi cui alta ostensurus est, dicat : « Fili hominis, » et quod ei qui videt expediet ut annuntiet. 1465

Cap. V. — Cur cum utrumque in manu viri sit et funiculus et calamus, de funiculo coram propheta agatur nihil, et quod per calamum sex cubitorum et palmi septiformis gratia Spiritus sancti intelligatur, et quid sit murus forinsecus per circuitum domus. 1466

Cap. VI. — Quid porta orientalis ad quam venit vir, et quid per gradus ascendentes, et quid per thalamum debeat intelligi. 1467

Cap. VII. — Quid sit quod prius cum mensura calami metiebatur, et deinde omnis per cubitos mensura peragatur, et quod vestibulum portæ octo cubitorum esse, et in fronte duos habere cubitos describatur. 1468

Cap. VIII. — Quid sint thalami tres hinc, et tres inde, et quomodo mensura una trium, et in quo mensura una fit angelorum et hominum electorum. 1469

Cap. IX. — Quid sit latitudo portæ decem cubitorum, et longitudo tredecim. 1470

Cap. X. — Quid ante thalamos margo cubiti unius, et quid thalami sex cubitorum, et quid latitudo a tecto usque ad tectum viginti quinque cubitorum. 1471

Cap. XI. — Quomodo fecerit frontes per sexaginta cubitos, et ante faciem portæ quinquaginta cubitos, quid fenestræ obliquæ, et quid palmarum pictura per circuitum. 1471

Cap. XII. — Quid sit atrium exterius, de quo ait : « Et eduxit me ad atrium exterius, » etc., quid per triginta gazophylacia, quid per portas, sive longitudinem intelligamus centum cubitorum. 1472

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XIII. — Quid sit porta respiciens viam aquilonis, quid mensuræ quinquaginta cubitorum in longitudinem, et viginti quinque in latitudinem, quid fenestræ, quid vestibulum, et quid ascensus septem graduum. 1474

Cap. XIV. — Quid sit via australis sive porta respiciens ad austrum, et quod pro ratione temporum prima atrii exterioris porta orientalis, secunda aquilonaris, tertia dicta sit australis. 1475

Cap. XV. — Quod alio ordine prima interioris atrii porta australis dicitur, secunda orientalis, tertia aquilonaris, et quid significent, et quod in vestibulo aquilonaris portæ sexdecim mensæ quatuor majores, et duodecim minores sint. 1476

Cap. XVI. — Quid sit mystice, quod portarum interioris atrii ascensus numero graduum differunt, scilicet quod illic septem, hic octo gradus sint. 1478

Cap. XVII. — De gazophylacio sacerdotum qui excubant in custodiis templi, et gazophylacio sacerdotum qui excubant ad ministerium altaris, et cur sic dictum sit : « Isti sunt filii Sadoch, » et quid sit altare ante faciem templi. 1478

Cap. XVIII. — De gloria Dei, quod ipsa eadem per mysterium templi, quæ et in primis visionibus per quatuor facies, hominis, leonis, vituli, et aquilæ præfigurata sit. 1479

Cap. XIX. — Quid vestibulum hinc quinque, et inde quinque cubitorum, et quid porta latitudinem habens trium hinc, et trium inde cubitorum, quid columnæ in frontibus, una hinc, et altera inde. 1480

Cap. XX. — De eo quod ait : « Et introduxit me in templum. » Et quid sit latitudinis frontium sex cubiti hinc, et sex inde, et quid latitudinis portæ quinque hinc, et quinque inde. 1481

Cap. XXI. — De dispositione oraculi, et quid sit in fronte portæ mensura duorum cubitorum. 1482

Cap. XXII. — Quid significent latera bis triginta tria, et quid quod erat lateris longitudo sex cubitorum, latitudo quatuor cubitorum, et quid quod latera hæc parietem templi non attingebant. 1483

Cap. XXIII. — Quid sit mystice in hoc templo tristega, id est, tria cœnacula; quid sit per ostium ascendere ad superiora, et medium, et quid sit illud ostium. 1485

Cap. XXIV. — Quomodo in domo erant laquearia prima post triginta cubitos, secunda post sexaginta, tertia post centum et viginti, et quomodo mystice intelligendum sit : « Et vidi in domo altitudinem per circuitum, » etc. 1484

Cap. XXV. — Ex eo quod templum humani corporis Deus majestatis sibimet condiderit, quis nobis fructus accesserit, secundum id quod ait : « Ædificium quod erat separatum, » etc. 1485

Cap. XXVI. — De eo quod ait : « Et mensus est longitudinem ædificii, » etc., quid per ea significetur. 1487

Cap. XXVII. — Quod ait : « Hæc est mensura coram Domino, » videlicet altare ligneum significans crucis mysterium, et corporis ac sanguinis sacramentum, et quid altitudo ejus duorum cubitorum, quid significet longitudo ejus duorum cubitorum. 1488

Cap. XXVIII. — Quid in templo duo ostia, et quid ex utraque parte bina significent ostiola. 1489

Cap. XXIX. — Quod Ecclesia gentium nihil minus haberit, et quod Judæi, et Græci Deus nullam distinctionem fecerit. Et hoc recte intelligi in eo quod ait, « in facie longitudinis centum cubitos ostii, » etc. 1489

Cap. XXX. — De mensuris quingentorum calamorum, per circuitum, vel ad quatuor mundi partes, quomodo scientiam Scripturarum significent, per Christum in quatuor mundi partes diffusam. 1491

Cap. XXXI. — Quod ait : « Vidi visionem secundum speciem quam videram, » etc. 1492

Cap. XXXII. — De eo quod ait : « Et converiit me ad viam portæ sanctuarii, » etc., quod per hæc in isto quoque virginalem partum visio prophetica designet 1493

Cap. XXXIII. — Quomodo legitima quædam ad correctionem prævaricatorum legis edicat auctoritate Domini, hæc et hæc dicentis emissa, et pro ipso numero septenario spiritualis intelligenda sit legislatio. 1494

Cap. XXXIV. — De aquis egredientibus et descendentibus a latere dextro, quod significent dona procedentia de non manufacto templo corporis Christi. 1495

Cap. XXXV. — Quid significet, quod aqua mensione prima ad talos : secunda usque ad genua : tertia usque ad renes pertingit : quarta autem transiri nequit : et quid sit omnes aquas sanari, et pisces magnos multiplicari, et cur sit nomen civitatis, Dominus ibidem. 1496

LIBER IN DANIELEM.

Cap. I. — De visionibus Danielis, quomodo regnum Dei peregrinantibus sub jugo Babylonis, civibus suis pro consolatione septiformiter ostensum sit. 1499

Cap. II. — De Nabuchodonosor, quod civitatem Hierusalem semel et iterum oppugnando atque captivando typum gesserit diaboli inimici Ecclesiæ Christi. 1500

Cap. III. — Quæ vel qualia desiderando Daniel, « Vir desideriorum, » dici meruerit, proponens « in cordo suo ne pollueretur de mensa regis. » 1501

Cap. IV. — Quod providentia Dei factum sit, ut non ipse Daniel, sed Nabuchodonosor somniaverit mysterium regni Dei, et cur non sit mirandum, quod impio Deus secreta sua revelavit. 1502

Cap. V. — Quod quærebatur Daniel ut periret cum sociis suis, et de cantico : « Super flumina Babylonis, » etc., quod in persona illorum David cecinit. 1503

Cap. VI. — De interpretatione somnii Nabuchodonosor, et de successione regnorum, et quod Christus secundum illud somnium lapis comminuit omne regnum. 1505

Cap. VII. — Quod martyrum Christi præfiguratio fuerit, in eo quod tres missi sunt in caminum ignis, « et species quarti, inquit, similis Filio Dei, » et quod ille hoc videns, et Deum benedicens, regnum hujus mundi qui ad Christum conversi sunt typum gesserit. 1505

Cap. VIII. — Quod Nabuchodonosor ex hominibus ejectus est, et fœnum ut bos comedit, et quod in hoc præfiguratum sit, quod Apostolus ait : « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi per Evangelium Christi, » et de victoria regni Dei, cujus potestatem ille recepto sensu confessus est. 1507

Cap. IX. — De eversione Babylonis quæ facta est a Medis et Persis, quomodo per illam significetur futura in die judicii destructio totius civitatis diaboli. 1509

Cap. X. — De occiso Balthasar, et dato regno ejus Medis et Persis, quomodo per illam invidiam quam pertulit Daniel, major illi gloria creverit. 1510

Cap. XI. — Quomodo in eo quod in lacum missus est per invidiam principum, et illæsus fuit, passionem et victoriam Christi, quem per invidiam occiderunt Judæi, significarit. 1511

Cap. XII. — De pugna quatuor ventorum cœli, et de eo quod Antiquus dierum sedit, et Filius hominis venit in nubibus cœli, et de judicio mundi. 1512

Cap. XIII. — Quid sint throni positi, quis thronus ejus, flamma ignis et rotæ ejus, ignis accensus, fluvius igneus egrediens a facie ejus, quid judicium sedens. 1514

Cap. XIV. — De veniente Filio hominis, quomodo usque ad Antiquum dierum pervenit, et dedit ei potestatem et honorem et regnum. 1516

Cap. XV. — Quomodo supputentur septuaginta hebdomades, de quibus dicitur ad prophetam : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum ut consummetur prævaricatio, » etc., et ungatur Sanctus sanctorum. 1517

Cap XVI. — De oratione Danielis, quomodo secundum illam responsum ei sit, cum videatur orasse pro solvenda illa quæ tunc fuit captivitate, et quasi e contrario major enuntietur ei futura Judæorum vastitas. 1518

Cap. XVII. — De septuaginta annis captivitatis quando, teste Scriptura sacra completi fuerint, et quomodo de illis Josephus sibimet contraria scripserit. 1519

Cap. XVIII. — De Cyro rege, quomodo secundum vaticinium Isaiæ prophetæ Christo assimilatus fuerit, maxime quia populum Dei liberavit. 1521

Cap. XIX. — De prophetia Aggæi prophetæ, qui tempore illo quo cum reædificaretur templum gloriam spiritualis domus Domini prophetaverit, et desideratum cunctis gentibus venturum prænuntiaverit. 1522

Cap. XX. — De prophetia Zachariæ sub eodem tempore, quomodo dicat : « Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem, » et cætera; et quomodo pro Jesu Christo Deus Pater increpaverit Satan. 1525

Cap. XXI. — Quomodo Jesus indutus erat vestibus sordidis, non suis sordibus, sed alienis, et quomodo ablata sunt ab eo vestimenta sordida, et cidaris munda super caput ejus posita. 1526

Cap XXII. — De eo quod dicitur : « Ecce ego adducam servum meum orientem, » etc. 1527

Cap. XXIII. — De candelabro, de quo idem : « Ecce, inquit, candelabrum aureum totum, » etc., lucernæ ejus super illud quod sit Christus, et quid sint duæ olivæ, una a dextris et una a sinistris ejus. 1528

Cap. XXIV. — Quod ait : « Exsulta satis, filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi justus. » 1529

Cap. XXV. — Quid sit domus David, et quæ Hierusalem, de qua ait : « Et effundam, » etc. 1530

Cap. XXVI. — De prophetia qua dictum est : « Ecce ego mitto angelum meum, » etc., quod et hic a templo sumpta parabola de novo templo, et novo Christi sacerdotio vaticinetur. 1531

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XXVII. — Quod hæc de templo manufacto valeant utiliter intelligi, ad quod tulerunt eum, sicut scriptum est in lege Domini, « quia omne masculinum adaperiens vulvam, » etc., et quia sacerdotium erat primogenitorum antiquitus, et quia hic est primogenitus. 1533
Cap. XXVIII. — Quod dum ad finem properamus, non omnibus prophetis insistere potuimus, ut singulorum confessionis donaria, quæ ad templum Dei non manufactum detulerunt, inspiceremus. 1534

IN VOL. IV EVANGELIST. LIB. UNUS.

Cap. I. — De sexta mundi ætate, qua præmissis præconibus, venit ipse qui loquebatur Rex et Sacerdos. 1535
Cap. II. — Quomodo sexta hæc ætas sexto primæ creationis sæculi diei correspondeat. 1535
Cap. III. — Quanta regis hujus nobilitas sit secundum initia quatuor evangeliorum ejusdem Jesu Christi. 1537
Cap. IV. — De generatione Jesu Christi filii David, filii Abraham, quod maxime spiritualis sit, unde et contigit illa linea Joseph, qui non eum secundum carnem genuit, et posteritas Hiezabel usque ad quartam generationem eradicata est, quæ præcones veri Dei occidit. 1538
Cap. V. — Quare junior David Abrahæ præpositus sit, dicendo : « Filii David, filii Abrahæ, » et quomodo idem David prius Verbi Dei, quod Christus est, quam carnis Christi, pater esse meruit. 1539
Cap. VI. — Quod in eadem generatione tres isti Abraham, David et Joseph, magis insignes sint, et quod ad istos per incrementa ternaria promissio Christi facta sit. 1540
Cap. VII. — Quomodo tres magi secundum eadem incrementa, myrrham, aurum et thus, obtulerint. 1540
Cap. VIII. — De turbatione Herodis, qua turbatus est ipse et omnis Hierosolyma cum illo. 1541
Cap. IX. — Quomodo vane timuerit Herodes, dicente propheta : « Et tu Bethleem terra Juda, » etc., cum in eodem propheta prædicetur, regnum Christi potentia cœlesti nullo terreno regno nociturum. 1541
Cap. X. — De eo quod in Osea dictum est : « Ex Egypto vocavi filium meum, » quam vere ad Christum pertinuerit, et quam impie Julianus evangelistam simplicitati gentium quasi illudentem calumniatus sit. 1542
Cap. XI. — Quam recte propheta dicturus : « Ex Egypto vocavi filium meum, » præmiserit : « Sicut mane transiit, pertransiit Rex Israel, » quod latius dici potest de omni regno mundi, quia mane surrexit et cito transiit. 1544
Cap. XII. — Quod frustra timuerunt reges terræ, quia non dixit Joannes, arma corripite contra reges, propter Christum, sed « pœnitentiam agite, » etc. 1545
Cap. XIII. — Quæ causa fuerit, ut qui peccatum non fecerat, ad baptismum veniret Joannis, qui in pœnitentiam baptizavit 1546
Cap. XIV. — Cur in primo adventu suo rex iste Spiritum sicut columbam viderit; secundo autem in igne revelandus sit : et quod rex iste secundo unctus fuerit, et de eo quod dictum est : « In te mihi complacui » 1546
Cap. XV. — De tribus tentationibus, quibus rex iste victor vicit, cum cæteri omnes servi fuerint peccati, et idcirco accedentes angeli ministrabant ei. 1547
Cap. XVI. — De prædicatione Domini et regis nostri, quam tradito Joanne incœpit, et de testimonio prophetico, ubi inter cætera dictum est : « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. » 1548
Cap. XVII. — Quod Jesus vocatis turbis docuit discipulos quales esse debeant qui militent regno Dei. 1549
Cap. XVIII. — Quales leges et qualia edicta sint hujus regis regni Dei, ut non sit cur timere debeat propter eum Herodes et cæteri reges mundi, cum sic prænuntiat regni sui militibus : « Beati pauperes spiritu, » etc. 1550
Cap. XIX. — De sequentibus sermonis ejus quomodo nulli blandiantur, sive aduletur, dura prædicando et aspera : « Intrate per angustam portam, » et quod hoc exemplo cuncti adjutores regni Dei non debeant ita delectari numero discipulorum, ut non prædicent eis dura, per quæ itur ad Deum. 1553
Cap. XX. — Quomodo veraciter dictum sit : « Erat enim docens eos sicut potestatem habens, » secundum signa quæ fecerat. 1556
Cap. XXI. — Quod illud ad potestatem regiam pertinuerit, ut aliis quoque potestatem daret ejiciendi immundos spiritus, et curandi omnem infirmitatem, et quorum signa, antiquorum sanctorum, an apostolorum potiora fuerint. 1557
Cap. XXII. — Quomodo juxta prophetiam dicenti : « Audi, serve meus Jacob et Israel, quem elegi, » et cætera, iste verus Jacob et verus Israel, et quis iste duodecim filios carnaliter, hic duodecim apostolos spiritualiter genuit quibus hanc potestatem dedit. 1558
Cap. XXIII. — Cur inter tales filios ac principes regni Dei Judam quoque qui ad illud regnum non pertinebat, ipse omnia sciens admiserit. 1559
Cap. XXIV. — De inimicis regni Dei qui dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, » quibus ait : « Omne regnum divisum, » etc. 1560
Cap. XXV. — De primatu Petri apostoli inter illos principes regni Dei, et quod cum adhuc nesciret quale ioret ipsum regnum Dei, cum diceret : « Absit a te, Domine, non erit tibi ita, » regni Dei potestatem acceperit. 1563
Cap. XXVI. — De parabolis ejusdem regis introductoriis ad cognoscenda mysteria regni Dei, et de eo quod sit : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, » subjungens : « quia videntes non vident, et audientes non audiunt. » 1564
Cap. XXVII. — De virtutibus ejus sive miraculis, quod talia sint, ut ex illis manifestentur potestas simul, et misericordia regis Dei. 1565
Cap. XXVIII. — Qualiter in fine tollenda sint omnia scandala de regno Dei, et quod non vane Pater Augustinus velit intelligi Matthæum in leonis facie. 1567
Cap. XXIX. — De septima ætate mundi, quod veraciter Sabbatum dicatur et sit, id est requies. 1568
Cap. XXX. — Quod revera Christus post passionis laborem in illa sabbatizaverit, et resurgens ex mortuis, jam in octavam introierit. 1569
Cap. XXXI. — Quod ad hunc sabbatismum nos invitet, dicendo : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. » 1570

DE OPERIBUS SPIRITUS SANCTI.

LIBER I

Cap. I. — De gemina resurrectione mortuorum, quarum altera nunc resurgimus in anima accipiendo Spiritum sanctum, altera vivificabuntur et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem in nobis eumdem S. Spiritum. 1571
Cap. II. — Quod novus homo Christus primum ac præcipuum opus sit sancti Spiritus, et idcirco sermonis de operibus ejusdem Spiritus sancti principium a conceptione filius hominis recte debuerit inchoari. 1572
Cap. III. — Quod Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis Deus ac Dominus sit, et quod hæc propria persona sit amor Dei, quem qui non habet angelus, est diabolus : qui non habet homo, cum angelo non habente damnatur. 1575
Cap. IV. — Quod procedens sit Spiritus sanctus, et quod Filius quidem a Deo processisse, hic autem a Deo procedere recte dicatur. 1574
Cap. V. — Quod Filius a Patre solo processit nascendo, Spiritus autem sanctus a Patre procedat et Filio, et quod in enuntiando nonnihil distantiæ sit, cum Filius alias absolute « Pater, » alias « Pater meus, » dicit. 1574
Cap. VI. — De processione S. Spiritus quia non de Patre solo processerit, sed de Patre et Filio procedit. 1578
Cap. VII. — Quod sacrarium hujus Spiritus sancti beata Maria Dei Patris sponsa fuerit, et ex ipsa fructus omnis exstiterit, propter quem antiquæ Ecclesiæ virum se fuisse, Deus Pater asserit. 1576
Cap. VIII. — De beatitudine virginis Mariæ, et cur anterior Ecclesia Dei Patris, posterior Filii Dei sponsa recte inteliigi ac dici debeat. 1577
Cap. IX. — De concepto beatæ Mariæ virginis per hunc amorem, id est Spiritum Sanctum, dicente angelo : « Spiritus sanctus superveniet in te, » etc. 1578
Cap. X — Quod non ita superrenerit Spiritus sanctus, ut pro semine sit, nec ipse qui conceptus est dici debeat Spiritus sancti Filius. 1579
Cap. XI. — De plasmatione primi hominis terreni, et conceptione secundi hujus cœlestis, quanto ista conceptio illa formatione dignior atque perfectior sit. 1580
Cap. XII. — De consideratione operis hujus Spiritus sancti, cum testimonio prophetico, quod Pater Deus dicit : « Eructavit cor meum verbum bonum, » etc. 1582
Cap. XIII. — Quod dictum est : « Masculum et feminam creavit » eos : hic autem, « ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, » quomodo illis, et quomodo illum benedixerit. 1583
Cap. XIV. — Quod homo uterque et primus ille, et secundus iste formatus sit de limo terræ, et quid magis in isto non solum venerabile, sed et mirabile, et quod causa non sit, cur Verbum vel hic Spiritus sanctus uterum femineum debeat horrere. 1584
Cap. XV. — Quod dictum est : « Speciosus forma præ filiis hominum, » et quod primus homo tantum formatus, hic autem et forma et formatus recte dicatur. 1585
Cap. XVI. — Quod in eo quoque distantia sit, quia in faciem illius primi inspiravit Deus spiraculum vitæ; in

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

isto autem totus requiescit Spiritus vitæ, Spiritus gratiæ. 1586

Cap. XVII. — De comparatione dictionum, quibus dictum est : « Factus est primus homo in animam viventem, novissimus in spiritum vivificantem. » 1587

Cap. XVIII. — Quod illum quidem Deus in paradiso voluptatis posuit ; in isto autem, quod est mirabilius, quibusdam paradisum sanctus Spiritus contulit, et fluvium inde doctrinæ evangelicæ produxit. 1587

Cap. XIX. — Quomodo istum Spiritus sanctus iterata positione in paradiso posuit, et quomodo tentatus iste tentatorem, qui primum hominem vicerat, vicit. 1588

Cap. XX. — Cur secundo super illum hic Spiritus venit, cur per columbam magis quam per aliam speciem illum designare voluit. 1590

Cap. XXI. — De singularum proprietatibus gratiarum, quas omnes in eum contulit, scilicet, sapientiæ, intellectus, etc. 1591

Cap. XXII. — De septem naturalibus columbæ virtutibus, quomodo per singulas illarum singulæ virtutes vel gratiæ significentur, et quibus modis easdem columbæ virtutes spiritualiter in suis actibus Christus habeat. 1593

Cap. XXIII. — Quod hujus rei signum fuerit ipsa columba, quam firmiter teneat Ecclesia, videlicet quia hic est qui baptizat. 1594

Cap. XXIV. — Quod vere omnes electos baptizet et baptizaverit iste unus, unius Spiritus sancti gratia, et quod istud tenendum sit contra hæreses, et schismata infidelium. 1595

Cap. XXV. — Quod dictum est : « Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane, » et de eo quod cum de cæteris spiritibus dictum sit : « Et requiescet super eum, » de solo timore ita dicitur : Et replebit eum Spiritus timoris Domini. 1596

Cap. XXVI. — Quod vere sit Deus is, quo Jesus plenus dicitur, et quod cujuscunque hominis animam implere nonnisi Dei sit. 1597

Cap. XXVII. — Quod nos omnes ubi Jesus plenus dicitur ad hauriendum invitemur, et quod duo data sint hujus Spiritus, et quodnam horum antiqui Patres prius, et quod posterius. Itemque nos quod prius, quod posterius acceperimus. 1598

Cap. XXVIII. — De processione Spiritus sancti contra eos qui dixerunt, eum a solo Patre, et non a Filio procedere, et quod illa processione qua remittuntur peccata de Filii persona procedat. 1599

Cap. XXIX. — Quomodo is qui plenus est Spiritu sancto in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, aliquid nescire dicatur, et quod modus sciendi triplex habeatur. 1600

Cap. XXX. — Quantæ potentiæ sit, quod Filium non posse facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem, ipse dicit. 1602

Cap. XXXI. — Quomodo secundum ordinem gratiarum ejusdem Spiritus sancti operetur in Ecclesia sua Christus, operibus distinctis a passione usque in finem sæculi. 1603

LIBER II.

Cap. I. — De Spiritu sapientiæ, quod per hunc obediendo et patiendo semetipsum Deo obtulerit Christus. 1603

Cap. II. — Quod in contrarium differant sapientia, quam hic Spiritus S. efficit, et sapientia hujus mundi, et invicem adversari non desinant usque in finem. 1605

Cap. III. — De B. Job, quod in illo præcesserit hujus sapientiæ, id est, patientiæ Christus typus. 1607

Cap. IV. — Quomodo Satan ubi exemplar hujus sapientiæ Job tentandum expetebat, circuibat terram, et perambulabat eam. Hic autem ubi Christum fecit occidi, foras missus est. 1608

Cap. V. — Quod omnes electi maledixerint quantum potuerunt eidem diei vel nocti, quam maledixit Job ; solus autem Christus, quia peccatum non fecit, efficaciter maledicere, id est, damnare potuerit. 1609

Cap. VI. — Quomodo dixerit vel dicat Christus pro genere humano : « Pereat dies in qua natus sum. » 1610

Cap. VII. — Quod Judæi qui prius lucebant, excæcati sint in passione ejus, et quod ei contra illos dicere conveniat : « Obscurentur stellæ in caligine noctis illius. » 1611

Cap. VIII. — Quod crux Christi illa fuerat stateræ, in qua suspirans ille : « Utinam, inquit, appenderentur peccata mea, quibus iram merui, » etc. 1612

Cap. IX. — Quomodo in illo homine hæc sapientia derisa sit a filiis stultitiæ, et quod pro illo dictum sit : « Qui deridetur ab inimico suo sicut ego. » 1613

Cap. X. — Quod in typum ejus, qui deridendus erat a consanguineo sibi populo Judaico, derisus ab amicis suis fuerit Job, et quod de Christo veraciter dictum sit : « Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. » 1614

Cap. XI. — Quomodo vel unde divites fuerint, qui hanc sapientiæ lampadem contempserunt. 1615

Cap XII — Quæ jumenta, et quæ volatilia cœli, quæ terra, et qui pisces maris docuerint, indicaverint, quod illa lampas ad tempus statutum parata sit. 1616

Cap. XIII. — Cur cum dixisset : « In antiquis est sapientia, » etc., subjunxit : « Apud ipsum est sapientia, » etc. 1617

Cap. XIV. — In quo fortitudo apud eum contra Judaicam superbiam, in quo sapientia contra malitiam exstiterit, quorum et baltheum solvit et doctrinam sustulit. 1618

Cap. XV. — Quomodo ubi apud cogitationes divitum contemnebatur, apud Deum Patrem erat reverendus, dicendo : « Vocabis me, et ego respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi. » 1620

Cap. XVI. — Quidnam melius sit, vocari hominem a Deo, et respondere illi, aut loqui hominem, et Deum respondere, et quantæ ejus iniquitates et peccata sint. 1621

Cap. XVII. — Quam juste, quam fortiter pro omni mundo oraverit, caput pro membris, dicendo : « Cur faciem tuam abscondis, » etc., quomodo veram sapientiam ista ipsius ancilla comitata sit eloquentia. 1622

Cap. XVIII. — Quod juste exauditus sit pro sua reverentia, secundum quod et Apostolus ait : « Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis, » etc. 1624

Cap. XIX. — De eo quod ait Lucæ vigesimo tertio : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » sciens se resurrecturum, et hinc esse illud : « Lignum si præcisum fuerit, habet spem. » 1625

Cap XX. — Qualiter hic sapientiæ sacramentum dum fieret, absconditum fuerit ab oculis omnium, et quomodo Judæi derisores ejusdem sapientiæ inexcusabiles sint. 1626

Cap. XXI. — Quomodo dicat Deum dixisse homini : « Ecce timor Domini ipsa est sapientia, » cum alius sit sapientiæ, alius timoris spiritus, et quod ex eo quoque quia hoc Deus dixit homini, Judæi et omnes stulti inexcusabiles sint. 1627

Cap. XXII. — Quod dicit : « Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, aut ad præceptum tuum elevabitur aquila ? » 1629

Cap. XXIII. — Quod cum dicimus eo respectu absconditam ab oculis omnium viventium sapientiam, jure tamen beatam quæ tunc vivebat incipimus Mariam, et quod eadem sapientia qua in principio dictum est : Genesis primo : « Fiat lux, » nunc dixerit apostolis : « Accipite Spiritum sanctum. » 1630

Cap. XXIV. — Quomodo eadem sapientia lusit hic et illic, et quod lusit illic bene coram Domino, sed hic melius, ubi sic illusit coram Deo, ut illuderet diabolo. 1630

Cap. XXV. — De illo illuso per passionis Christi mysterium quam veraciter dictum sit : « Nunquid feriet tecum partum, » etc. 1632

Cap. XXVI. — Quomodo ad ejusdem sapientiæ rationem spectet, quod Dominus habens potestatem vitæ et mortis, non ante diem in resurgere voluit ex mortuis. 1634

Cap. XXVII. — Quomodo ad sapientiam pertinuerit quod resurgens, non statim peremptoribus suis insultavit, nec dilectoribus suis repente apparuit. 1636

Cap. XXVIII. — Quod prius peccatrici quam apostolis, prius Petro, qui eum negaverat, quam Joanni, quem diligebat, Christus apparuit. 1637

Cap. XXIX. — Qualiter huic Domino, sicut B. Job, addiderit Deus cuncta duplicia, quæ ejus fuerant. 1640

Cap. XXX. — Quomodo ad mysterium Christi pertineat, quod Job cuncta quidem duplicia, tamen filiorum non duplicem, sed tantum simplicem recepit numerum. 1640

LIBER III.

Cap. I. — Quod in illa passione hæc sapientia duo nobis condiderit sacramenta, quorum alterum baptisma, alterum est vivifica corporis et sanguinis Christi mensa. 1641

Cap. II. — De baptismate, quod per illud qui eramus nati peccato, renascamur Deo. 1642

Cap. III. — Quæ vel quanta distantia sit baptismi Joannis et Christi. 1643

Cap. IV. — De eo quod dicit Apostolus : « Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, » et quod Joannes apostolos : « Quia tres sunt, inquit, qui testimonium dant in terra, » etc. 1644

Cap. V. — Quomodo recte utamur testibus illis, ut meritо fiat nobis quod dictum est : « Filius non portabit ini-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

quitatem Patris. » 1645

Cap. VI. — Quod adversus peccatum, quod erat contra nos testimonium diaboli, tres pro nobis testes in terra sint : Spiritus, aqua, et sanguis; et tres in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et cum istis cibus et potus corporis et sanguinis Christi. 1646

Cap. VII. — Quid sit quod valeat testimonium dare in cœlo et in terra. 1646

Cap. VIII. — Quomodo ubi Dominus noster moriendo sacramentum nobis condidit baptismi sui, tres isti pariter adfuerint : Spiritus, aqua et sanguis. 1647

Cap. IX. — Quod Spiritus sacramento dare incipiat testimonium, quod simus filii Dei, et quomodo unus idemque fons, et uterus nobis et sepulcrum fiat, atque inde prima resurrectio sit. 1647

Cap. X. — De duobus spiritus datis, et quando et unde Spiritus Paracletus dici coperit, et quod datum vel primum vel præcipuum sit. 1649

Cap. XI. — Quod testis secundus sit sanguis, et auctoritas, sive utilitas testimonii ejus quanta sit, et quomodo adsit in sacramento baptismi. 1651

Cap. XII. — De tertio teste, scilicet aqua, quod sicut Spiritus Dei ferebatur super aquas, ita nunc verseriter dicamus, quia Spiritus ut novam faciat creaturam, feriur super aquas. 1655

Cap. XIII. — Quam clementer Spiritus sapientia pauperibus prospexerit, ut aquam quæ cunctis res accessibilis est, januam faceret regni Dei, etc. 1655

Cap. XIV. — Iterum de tribus testibus, spiritu, sanguine, et aqua, quodsine utrolibet non sit ratum testimonium in terra. 1654

Cap. XV — Quomodo gratia baptismi et si actu nova voluntate, tamen et proposito Dei vetus sit. 1655

Cap. XVI. — De tribus, qui testimonium dant in cœlo, et cur non dixerit : Pater et Filius, sed Pater et Verbum, et quomodo Verbum homini assumpto testimonium perhibuerit. 1657

Cap. XVII. — Quomodo non satis sit, ut tres nobis testimonium dent in terra, nisi et tres testimonium dent in cœlo, et quomodo hi tres non unus, sed unum sit. 1658

Cap. XVIII. — De septimo, quod est Dominici corporis et sanguinis sacramentum, quod nobis non tantum testimonium, sed ipsum sit vitæ testamentum, et quod traditio ejus a passione Domini habuerit initium. 1659

Cap. XIX. — Quod in typum horum duorum sacramentorum olim prior populus et mare transierit, et panem de cœlo atque aquam de petra consecutus sit, et quomodo Apostolus eamdem escam spiritualem eos manducasse, et eumdem potum spiritualem bibisse dixerit. 1659

Cap. XX. — Quomodo illis æque ut nobis hoc sacramentum necessarium fuerit, et quomodo qui mortui erant, hujus participes esse vel fieri potuerint, et quod hoc sacramentum efficiat, ut nobis qui nondum eramus, proficiat mors Christi. 1661

Cap. XXI. — Quomodo hoc sacramentum Christus tradiderit, et quibus essentiæ modis corpus et sanguis Christi sit. 1662

Cap. XXII. — Quid sacramentum, et quid res sacramenti sint, et quod sit vere corpus et sanguis Christi. 1663

Cap. XXIII. — Quod sit dandum indignis, et quod multum intersit, quomodo vel unde quisque æstimetur indignus. 1664

Cap. XXIV. — Quomodo iste cibus, quem de suo Christo dedit, illi sit oppositus, quem de alieno serpens primus hominibus persuasit. 1665

Cap. XXV. — Cur utramque ad salutem necessarium sit, et prius baptizari, et deinde hoc sacramento participari. 1665

Cap. XXVI. — Quod hæc prima resurrectio sit animarum, et quod in eis qui in hac partem habent secunda mors non habeat potestatem. 1667

Cap. XXVII. — Cur adhuc carne moriamur, cum quæ causa mortis exstiterit prævaricatio paterna, in sacramento deleatur. 1667

LIBER IV.

Cap. I. — De Spiritu intellectus, quando vel qualibus hominibus datus : qualibus experimento in Petro apostolo sit declaratus. 1669

Cap. II. — Quod et si qua die resurrexit Christus, aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, multum tamen defuerit usque dum venit super eos S. Spiritus. 1671

Cap. III. — Quod proprium Spiritus intellectus sit opus, hominem divinitus non humano magisterio docere, quomodo illo die apostolos docuit, qui erant homines idiotæ, et sine litteris. 1671

Cap. IV. — De prophetiæ Johel testimonio quam perfecte, quam opportune pro tempore, et re illud Petrus eduxit qui erat sine litteris. 1673

Cap. V. — Quomodo hanc prophetiam exposuit : « Et dabo prodigia in cœlo sursum et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. » 1674

Cap. VI. — De prodigio ignis, quod illud intellexerit fuisse adventum Spiritus sancti in linguis igneis. 1675

Cap. VII. — De vapore fumi, quod tertium in illis prophetiæ dictis, et quod in eo præsignatum est, quod in illo vapore fumi, id est, pœnitentiæ, ubi primum celebratum est Ecclesiæ baptisma, crediderunt tria millia hominum. 1676

Cap. VIII. — Quæ vel qualiter prodigia in cœlo data intelligi voluit, quando sol in tenebras, et luna in sanguinem conversa sit. 1677

Cap. IX. — Quam verum proinde sit, quod veritas Petro dixerit : « Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, » et quod alibi dictum est, « Quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, » etc. 1678

Cap. X. — Quod discipulo quem diligebat Jesus, magna hujus Spiritus intellectus gratia data sit, et quod velut Joseph unam partem extra fratres suos acceperit, quem tamen non ut Petrum cæteris apostolis præferri voluit. 1680

Cap. XI. — De libro quem vidit in dextra sedentis super thronum, quod ubi Agnus illum aperuit, ibi partem suam iste acceperit, et quid ei fuerit accipere librum de manu angeli, et devorare illum, accipere sibi datum calamum et metiri templum. 1681

Cap. XII. — Quam utiliter nobis vel omni Ecclesiæ Christi calamum accepit, id est, gratiam scribendi mysteria Christi, unde et merito tam in visione Ezechielis, quam in sua Apocalypsi debuit per aquilam volantem signari. 1683

Cap. XIII. — De eo quod dictum est ei : « Et faciet amaricari ventrem tuum, » etc. 1684

Cap. XIV. — De Matthæo publicano, quomodo ipse cibatus pane vitæ et intellectus, magnum usque hodie Christo faciat convivium in domo sua. 1685

Cap. XV. — De Jacobo fratre Domini, quod et ipse in isto intelligentiæ Spiritu calamum tinxerit. 1686

Cap. XVI. — De Juda fratre Jacobi, quod ipse magnam intelligentiæ facultatem brevi calamo comprehendit. 1687

Cap. XVII. — De Paulo apostolo, quomodo vel qua intentione gradum suum defendit, videlicet, quod quamvis non fuerit illic, nihilominus tamen apostolicam intelligentiæ gratiam acceperit. 1688

Cap. XVIII. — Quod iste quidem non fuerit sine litteris. Nam in littera legis eruditus fuerat ad pedes Gamalielis, sed spiritualem sensum legis, vel Evangelium Christi, non ab homine, neque per hominem acceperit sed per revelationem Jesu Christi. 1690

Cap. XIX. — Quod provide ibi sit hic Benjamin adolescentulus, scilicet in illo gradu, vel privilegio apostolici principatus, dicatque veraciter : « Gratia Dei sum id quod sum. » 1692

Cap. XX. — Quod vere gratia Dei in eo non fuerit vacua, quod maxime ex epistola ejus ad Romanos legentes experimur, quam pro consuetudine illorum quibus loquitur, quasi quinque distinxerit actibus. 1694

Cap. XXI. — De primo actu, quo Judæum et Græcum cœquat, eo quod omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. 1695

Cap. XXII. — De secundo actu quo ait, quod omnes per unum hominem vere debeant justificari non aliunde, sed ex fide qua justificatus est Abraham cum esset gentilis. 1697

Cap. XXIII. — De tertio actu, quo id defendit quod non debeamus iterum peccare quasi liberi, eo quod nos a lege peccati et mortis Christus liberaverit. 1697

Cap. XXIV. — De quarto actu, quo demonstrare contendit quid ante Christi adventum lex contulerit, et quid conferre non potuerit. 1699

Cap. XXV. — De quinto actu, quo oleastrum contra fractos olivæ ramos naturales, id est, gentiles contra Judæum docet non debere gloriari sive extolli. 1700

Cap. XXVI. — Quod hæc pauca de multis sufficiant ad experiendum quia vas electionis magna intellectus gratia completum fuerit, et quod licet prophetas et apostolos idem Spiritus docuerit, nonnihil tamen intersit. 1701

LIBER V.

Cap. I. — De Spiritu consilii, quod vere Deus in consiliis super filios hominum terribilis sit. 1705

Cap. II. — De secreto ejusdem consilii Dei, quod discrete abscondatur a sapientibus et prudentibus, et reveletur parvulis. 1705

Cap. III. — Quod secundum Scripturas oporteat bifa-

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

riam distingui, quia consilio aliter Deus propter homines, aliter homines utuntur propter Deum. 1704
Cap. IV. — De illa maxima parte consilii, qua Judæi cum cæremoniis suis relicti, et gentiles cum sua sunt fide recepti. 1705
Cap. V. — De eadem re, et quod tota fere vis consilii divini eo tendit, ut omnis a nobis auferatur occasio superbiendi, et non audeat dicere figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic. 1706
Cap. VI. — De eo quod sicut in Actibus apostolorum scriptum est, non fuit consilii, non visum est Spiritui sancto, imponere gentibus jugum legis cæremoniarum gravissimum. 1708
Cap. VII. — Quod veniente gratia Evangelii, rationabiliter circumcisionis et omnium cæremoniarum carnalium lex cessare debuerit. 1709
Cap. VIII. — Quod Sabbata cæterasque festivitates Judæorum oderit anima Domini, ut in prophetia dicit, et ideo recte visum sit S. Spiritui ut non imponerentur. 1710
Cap. IX. — Quod Deo alia cum Judæis fuerit, alia cum nobis gentibus ratio sit, et quod fere cunctæ festivitates illorum causas terrenas habuerint. 1711
Cap. X. — Quod præter solemnitatem Pentecostes, terrenas cunctæ illorum festivitates causas habuerint, nostras autem causæ vel promissiones Evangelii cœlestes sint. 1712
Cap. XI. — Quod multo magis nec hostiis legalibus fo-servire debuerimus, eo quod nec aliquando illas Deus se quæsisse vel jussisse, per prophetas testificetur. 1715
Cap. XII. — Quod bene Spiritui sancto visum sit judicando non debere nos super talibus inquietari tantum ut abstineamus nos a contaminationibus sive immolatis simulacrorum, fornicatione, suffocatione, sanguine. 1714
Cap. XIII. — Quanta alibi severitate fornicationem, et idolotytha singulis suis persequuntur scriptis. 1715
Cap. XIV. — Quomodo quasi per consilium Petrus cæremonias Judaicas servari oportere indicaverit vel simulaverit, et quomodo per veritas consilium illi Paulus in faciem restiterit, nec tamen sibi contrarius fuerit, ubi Timotheum circumcidit, et purificatus Judaico more in templum cum oblationibus intravit. 1717
Cap. XV. — De excidio Hierosolymorum et eversione templi, et dispersione Judæorum, quod cum consilio Dei acta sit. 1718
Cap. XVI. — Quod nobis propter Deum consilio uti, sit facere aliquid ultra quam ille præceperit : quod quicunque non faciunt, sic recte dicant : « Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. » 1719
Cap. XVII. — De primo præcepto. 1720
Cap. XVIII. — De secundo præcepto. 1721
Cap. XIX. — De tertio præcepto. 1722
Cap. XX. — De quarto præcepto. 1723
Cap. XXI. — De quinto præcepto. 1724
Cap. XXII. — De sexto præcepto. 1726
Cap. XXIII. — De septimo præcepto. 1726
Cap. XXIV. — De octavo præcepto. 1727
Cap. XXV. — De nono præcepto. 1727
Cap. XXVI. — De decimo præcepto. 1728
Cap. XXVII. — Quam verum Veritas dixerit : « Non veni legem solvere, sed adimplere. » 1729

LIBER VI.

Cap. I. — De Spiritu fortitudinis, quam pulchre septem spirituum medius sit, et quod cæteri magis in otio, hic autem magis in actu sit. 1729
Cap. II. — De Spiritu fortitudinis primum in Christo deinde et in apostolis, sanctisque prædicatoribus considerando, deinde in Ecclesiæ rectoribus, juxta illud Salomonis : « Tria sunt quæ bene gradiuntur, leo fortissimus bestiarum, gallus, » etc. 1730
Cap. III. — De Leone, qui et Agnus, quomodo juxta Apocalypsim Joannis, diabolum moriendo vicit atque ligavit primus, et post illum gallus accinctus, et aries jam dictus, id est apostoli Christi, et martyres ejus, quorum primus est Stephanus. 1731
Cap. IV. — De beato Stephano, qui dictus est plenus gratia et fortitudine, qui ultro usus in populo eadem fortitudine dixit acto illud propheticum : « Ecce ego, mitte me. » 1733
Cap. V. — De illa fortitudine sive sapientia et spiritu qui loquebatur, cui non poterant resistere disputantes cum eo, et quoniam sapienter accusatores vicit, dicentes se audisse verba blasphemiæ in Moysen, et Deum, et locum sanctum. 1734
Cap. VI. — Quanta fortitudine incredulos increpat, dicendo : « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, » et cæteris pro quibus tamen invicta charitate moriens, orabat. 1736
Cap. VII. — De Petro apostolo, qualem invenerit, et qualem illum fecerit iste Spiritus fortitudinis, et quomodo ante passionem Domini ambulavit super aquas, et timens cœpit mergi, post resurrectionem vero ejus tunica succinctus, mittens se in mare ad ipsum pervenit, et quid ista portenderint. 1737
Cap. VIII. — De Paulo apostolo, quam infirmus, imo quam freneticus fuerit, et qualem ille fecerit iste Spiritus fortitudinis. 1739
Cap. IX. — De duobus illis principibus fortissimis, quomodo concorditer Romam illam, pro crudelitate bestiam, pro errore asinam, contra hæreditariam germanorum Romuli et Remi discordiam adierint, et ad unius fidei concordiam perduxerint. 1740
Cap. X. — De Nerone diabolicæ crudelitatis satellite, et quod nihil profuit sessori ejus Satanæ, quod istos occidit uno eodemque die, sed tamen (ut aiunt quidam) uno anno intercurrente. 1741
Cap. XI. — Quod in cæteris apostolis idem prædicandus sit Spiritus fortitudinis. 1745
Cap. XII. — De Joanne apostolo, quod et ipse calicem Domini bibit, licet in pace vitam finivit. 1744
Cap. XIII. — De gloriosis martyribus martyrumque bellis atque victoriis, quod nunquam tanto vel tali conflicta pugnaverunt Abel atque Cain, licet et ante Christi adventum semper discordes fuerint. 1745
Cap. XIV. De martyrum persecutionibus juxta illud de Apocalypsi : « Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset devoraret filium ejus. » 1746
Cap. XV. — De præliis martyrum secundum mysticam similitudinem belli Gedeonis, et de eo quod sequitur in Apocalypsi : « Et factum est prælium magnum in cœlo : Michael et angeli ejus prælialantur cum dracone. » 1748
Cap. XVI. — De eisdem triumphatoribus innumerabilibus juxta illud : « Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. » 1749
Cap. XVII. — De eisdem cum Domino et rege suo venturis, et de beato Laurentio. 1750
Cap. XVIII. — De morte ejus insuita, quomodo quasi tuba maxima per totum modum sit audita, et quod istud præsciens Hyppolito dixerit : « Postmodum cum clamavero audi et veni. » 1751
Cap. XIX. — Quod martyr iste, alter Abel quodam similitudine sit. 1752
Cap. XX. — Quid simile habuerit vel egerit, ut merito dicamus, quod alter Abel iste sit, et de clamore ejus, quid dicendo usque hodie in sancta Ecclesia clamare non desinit. 1752
Cap. XXI. — De eo quod ait : « Ego me obtuli in sacrificium Deo in odorem suavitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus. » 1754

LIBER VII.

Cap. I. — De scientiæ spiritu, quomodo vel propter quid maxime in Evangelio Christi fuerit necessarius. 1755
Cap. II. — Quænam scientiæ et sapientiæ sit distantia, quia alius scientiæ, alius sapientiæ spiritus numeraretur. 1758
Cap. III. — Quomodo scientiæ generale nomen subdividatur usque ad philosophiam, et quod sit altera inanis, altera vera et sana philosophia. 1756
Cap. IV. — De temperato nomine philosophiæ, cur sit positum sive complacitum, et de vanis philosophis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et de eo quod dictum est : « Perdam sapientiam sapientium. » 1757
Cap. V. — Quod omnia de quibus recte prædicatur, Dei dona sint, et idcirco Spiritus sanctus. 1758
Cap. VI. — Quod illud Apostoli dictum : « Scientia inflat, charitas vero ædificat, » male intelligentibus nomen scientiæ suspectum facit. 1759
Cap. VII. — Quod idcirco scientia in Evangelio Christi maxime necessaria fuerit, qui projectus in terram serpens, misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, et de impii Arii dogmate. 1760
Cap. VIII. — De siti sanctorum, mulierem illam adjuvantium, et de invitatione prophetica : « Omnes sitientes, venite ad aquas. » 1762
Cap. IX. — Quomodo tunc fatigatus Jesus sederit super puteum, et sitientibus dederit aquam vivam. 1765
Cap. X. — Quod maxime et tunc ingressæ sunt septem artes liberales in ecclesiasticum dominæ suæ triclinium, et quod multum intersit utrum, verba rebus, an res verbis exornentur. 1764
Cap. XI. — De prima illarum grammatica, et partibus ejus, quod ita illis utatur sancta Scriptura, ut ne fabulam quidem prætereat, et quod prius habuerit ea, quam se Græci auctores inseuisse glorientur. 1765

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Cap. XII. — De rhetorica, vel partibus rhetoricæ, quod istis omnibus bene utatur sacra Scriptura pro re et tempore. 1766
Cap. XIII. De dialectica, quod ipsa quoque in Scriptura sancta sit, et maxime in principio Geneseos, ubi genera et species ipsis nominibus proferuntur, differentiaque et accidentia, et syllogistica vis non negligitur. 1775
Cap. XIV. — De arithmetica, quod ibi sit, et quod multa mysteria numerorum ratione colligantur. 1778
Cap. XV. — De geometria, quod multa secundum illam disciplinam in Scripturis inveniantur. 1778
Cap. XVI. — De musica, quod et ipsa valde familiaris sit Scripturæ sanctæ. 1779
Cap. XVII. — De astronomia, quod ipsa quoque ibi sit, et quæ astronomiæ et astrologiæ distantia sit. 1780
Cap. XVIII. — De beato Hieronymo, magno scientiæ viro, et quantorum illustrium virorum gratiam habentium scripserit catalogum. 1781
Cap. XIX. — De beato Augustino, quod in illo vere laudabilis sit hic sanctus scientiæ Spiritus, et quantum hujus gratiæ donum se accepisse humiliter fateatur. 1782

LIBER VIII.

Cap. I. — De sancto pietatis Spiritu, quam recte illi totum quod sumus, quod vivimus, ascribimus, et quod iste sæpius in Scripturis nomine olei significetur, oleum autem in signum hujus gratiæ de meritoria taberna Romæ per totum diem fluxit, quando natus est Christus. 1785
Cap. II. — Quod pietas vera sit religio et cultus Dei, quem Græci *eusebeiam*, id est, pium vocant. 1784
Cap. III. — De pietate, quod hominem facit mitem, id est, non sua peccata defendentem, sed humilem atque pœnitentem. 1785
Cap. IV. — Quod apud pietatem Dei nullum, præter blasphemiam in Spiritum sanctum, peccatum irremissibile sit, et quid sit vere dicere contra S. Spiritum. 1786
Cap. V. — De hæresi Novati presbyteri, qui in persecutione lapsis negavit posse ab Ecclesia remissionem dari quomodo vel quam apostoli sententiam male intellexit. 1787
Cap. VI. — De illa sententia Apostoli, quomodo sane debeat intelligi : « Impossibile enim est eos qui semel, » etc. 1788
Cap. VII. — De domo pietatis, in qua prodigus filius per pœnitentiam a pio patre recipitur, et quod sacri canones decernant super lapsis, post pœnitentiam actam de criminibus, ut laica communione contenti permaneant. 1789
Cap. VIII. — Quomodo clementissimus Pater revertentem filium stola prima indust, si sacerdotalem, illi gloriam canonica neget auctoritas, et quod primam stolam in habitu monachico conversus possideat. 1790
Cap. IX. — Quod non solum criminosi stolam hujusmodi, id est, monachicam vitam exoptare consueverint, et quod qui istam vitam tanquam peccatoris retrusionem aspernatur, justum se existimando, male facit. 1792
Cap. X. — De Patre clementissimo, cur sic dicitur, « et occurrens cecidit super collum ejus » et quod vere super collum ejus ceciderit Pater, qui pro peccatis humiliter incedit. 1792
Cap. XI. — Quod super collum Sauli vere Pater ceciderit, qui jam Paulus humilis et pius incedens, et discipulum informans. « Exerce autem ipsum, inquit, ad pietatem. » 1795
Cap. XII. — De paternæ pietatis vocibus dicentis : « Manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus est. » 1795
Cap. XIII. — Quod non sit hoc totum pietatis officium, manducare aut epulari, aut gaudere, quia revixit, vel inventus est, sed etiam jejunare, orare, et flere, ut invenialur qui periit, et reviviscat qui mortuus est. 1796
Cap. XIV. — Quod hodie gaudendum non solum quidem sit in domo Patris, quia qui mortuus fuerat, revixit filius, sed etiam dolendum, quia frater senior foris stat, et ingredi non vult. 1798
Cap. XV. — Futurum esse quod dictum est : « Pater ergo illius egressus cœpit rogare eum, » et quomodo dici conveniat illi : « Fili, tu semper mecum es. » 1800
Cap. XVI. — Quid in eo intelligendum sit quod ait. « Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. » 1801
Cap. XVII. — De hædo, quod Antichristus sit, cujus adventu populus ille optat epulari. 1802
Cap. XVIII. — De persecutione ejusdem Antichristi, quod magna futura sit. 1802
Cap. XIX. — De abundantia pietatis, qua tandem ille frater, id est omnis Israel, salvus fiet. 1803
Cap. XX. — Quod interea dum ad pietatem exercemur, cavendum sit, ne falsa pietatis imagine fallamur. 1803
Cap. XXI. — De evangelico exemplo villici, dicentis : « Fodere non valeo, mendicare erubesco, scio quid faciam, » etc., qualiter in exercitio pietatis imitandum sit. 1804

LIBER IX.

Cap. I. — De Spiritu timoris Domini, quod maximum instrumentum sit exspectatio judicii universalis. 1805
Cap. II. — De magno die judicii ejusdem, quomodo consimilis sit primo dierum sæculi. 1806
Cap. III. — De septem spiritibus Domini, quod qui primus erat in hoc opere, idem sit et finis, scilicet Spiritus timoris Domini. 1807
Cap. IV. — De distinguenda significatione timoris. 1808
Cap. V. — Quod quatuor sint timores, quorum perceptibilis est anima hominis, duo mali, et duo boni. 1808
Cap. VI. — De timore bono, sed nondum perfecto quomodo dividat hominem contra semetipsum voluntatibus contrariis. 1810
Cap. VII. — De terribili judicio Dei, quod vere magnæ timoris hujus substantia vel causa sit. 1811
Cap. VIII. — De adventu tremendi judicis, quomodo sedebit ipse super sedem majestatis suæ. 1812
Cap. IX. — Quomodo congregandæ sint ante eum omnes gentes, canente novissima tuba. 1813
Cap. X. — Quomodo intelligendum sit, quod Apostolus ait : « Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui residui sumus simul rapiemur cum illis. » 1813
Cap. XI. — De eo quod idem ait : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. » 1815
Cap. XII. — De separatione ovium ab hædis, et quod quatuor divisiones hominum in illo judicio futuræ sint. 1816
Cap. XIII. — De eo quod dicet rex iis qui a dexteris ejus erunt : « Venite, benedicti Patris mei. » 1817
Cap. XIV. — Quod hi, quibus dicturus est : « Esurivi et dedistis mihi manducare, » etc., quod ad eam perfectionem hic non attingant ut nihil possideant. 1819
Cap. XV. — Quanta sit remunerationis largitas, ut propter hujusmodi opera homo cum Deo in sabbatismum introeat. 1819
Cap. XVI. — Qui sint minimi illi, et quod alterius ordinis sint, de quibus ait : « Quandiu fecistis uni de his minimis meis mihi fecistis. » 1820
Cap. XVII. — Quod non tantum quid, sed et quandiu quis faciat minimis istis, debeat in judicio ponderari. 1821
Cap. XVIII. — Quomodo interrogent et discant quid, quandiu fecerint, et cur fecerint. 1821
Cap. XIX. — De eo quod dicturus est et iis qui a sinistris ejus erunt : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » 1821
Cap. XX. — Quare vel qua ratione iis, qui temporaliter vivendo peccaverunt, dicat : « Discedite in ignem æternum. » 1825
Cap. XXI. — Unde ignis tam fortis, aut tam infirmus sit diabolus et angeli ejus, ut ad pœnam illorum sit ignis præparatus. 1824
Cap. XXII. — De eo quod ait : « Et ibunt ii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » 1825
Cap. XXIII. — Quomodo ii vel isti sintituri, non utique pedibus, sed motu ineffabili per potentiam ejusdem, quod audituri sunt, verbi. 1826
Cap. XXIV. — Quamnam illa vita æterna sit, in quam ibunt justi. 1827
Index rerum ac verborum. 1829

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI SEPTIMI.

Ex typis MIGNE, in Petit-Montrouge.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France